nit: ⁊ pulsati aperiet alta. Postco

Vota nostra q̄s dñe pio fauore proseq̄re: vt dñ dona tua in tribulatiõe percepimus: de consolatiõe nr̄a in tuo amore crescam⁹. Per.

¶ Finita missa fit oratio pro petis: ⁊ pro tp̄alibus. scilicet clemẽtissime. ⁊ ꝯmemoratio altariũ: scd̄m ꝯsuetudiẽz cuiuslibet ecclesie. ¶ Feria. iii. in rogationibus Officium.

Exaudiuit de tẽplo sctõ suo vocez meaz all'a: et clamor meus in conspectu eius introiuit in aures eius all'a all'a. ℣. Diligaz te dñe virtus mea: dñs firmamẽtuz meũ ⁊ refugium meũ ⁊ liberator meus. Gloria patri. Oratio.

Clamãtiuz ad te dñe q̄s preces dignãter exaudi: et sicut niniuitis in afflictiõe pepercisti: ita nobis in presenti tribulatiõe sucurre. Per. Ad timotheũ. j. cap̄. ij.

Charissime: Obsecro primũ omniũ fieri obsecratiões: orationes: postulationes: gratiarũ actiones pro oĩbus hoĩbus: pro regibus: ⁊ oĩbus qui in sublimitate sunt cõstituti: vt quietã ⁊ trãquillaz vitã agamus i[illegible]

[illegible] ⁊ acceptu [illegible] saluat[illegible] deo: qui om[illegible] hoĩes vult saluos fieri: e[illegible] agnitiõem veritatis veni[illegible] Vnus em̄ deus: vnus et [illegible] diator dei ⁊ hoĩm homo c[illegible] stus iesus: qui dedit re[illegible]ẽp[illegible] nez semetipsuz pro oĩbus [illegible] ius testimoniũ tẽporib⁹ [illegible] ꝯfirmatũ est. In quo pos[illegible] sum ego predicator ⁊ apl[illegible] Veritatez em̄ dico ⁊ nõ [illegible] tior [illegible] gentiuz in fid[illegible] veritate. [illegible] Cõfitemin[illegible] qm̄ bonus: qm̄ in secl'm miseric[illegible] eius. Scd̄m matheũ. vij.

In illo tp̄e: Dixit i[illegible] discipl'is suis. P[illegible] ⁊ dabit̄ vobis. Querite [illegible] uenietis. Pulsate et ape[illegible] vobis. Oĩs em̄ qui petit [illegible] pit: ⁊ qui querit inuẽit: ⁊ [illegible] sãti aperiet̄. Aut quis es[illegible] mo ex vobis [illegible] tie[illegible] lius suus p[illegible] q̄d [illegible] dez porrige[illegible] si p[illegible] petet: nunq̄d serpẽtem [illegible] riget ei: [illegible] os cũ [illegible] mali nos[illegible] pata [illegible] filijs ves[illegible] ntom[illegible] pater ve[illegible] in cel[illegible] dabit bo[illegible] ntibu[illegible] Om̄ia ergo quecũqz v[illegible]

912
111X464
464





ias aũt vnus de duodecĩ qui
icit̃ didimus nõ erat cũ eis
uãdo venit iesus. Dixerunt
rgo ei alij discipl̃i. Uidimus
ñm: Ille autẽ dixit eis. Nisi
idero in manibus eius fixu-
as clauorũ: ⁊ mittaz digitũ
cũ in locũ clauoꝝ ⁊ mittaz
anũ meaz in latus eius nõ
redã. Et post dies octo iteꝝ
ãt discipl̃i eius intus: ⁊ tho
as cuz eis. Uenit iesus ia-
uis clausis: ⁊ stetit in medio
dixit. Pax vobis. Deĩde di
t thome. Infer digitũ tuuz
uc: ⁊ vide man⁹ meas: et af-
r manũ tuaz et mitte in lat⁹
euz: ⁊ noli esse incredulus:
d fidelis. Respõdit thomas
dixit ei. Dñs meus: ⁊ deus
e⁹. Dicit ei ihs. Quia vidi-
i me thoma credidisti: bea-
qui non viderũt ⁊ credide-
nt. Multa quidez ⁊ alia si-
na fecit iesus in cõspectu di
ipulorũ suorũ que nõ sunt
ripta in libro hoc. Hec aũt
ripta sunt vt credatis: qꝛ ie
s est christus filius dei. Et
credentes: vitam habea-
in nomĩe eius. Offerẽda.
ngelus domini descendit de celo ⁊
t mulieribus quem queritis sur-

Suscipe munera q̃s do
mine exultãtis ecclesie
⁊ cui causaz tanti gaudij pre-
stitisti: perfectũ fructuz con
cede leticie. Per. Prefatio de
resurrectiõe. Te quidẽ dñe. ⁊
Comunicãtes. vt sup̃. Coĩo
Mitte manũ tuã ⁊ cognosce loca cla
uorũ all̃a et noli esse incredulus sed fi
delis alleluya alleluya. Postcoĩo
Quesumus dñe deus no
ster: vt sacro sãcta my-
steria que pro reparatõis no
stre munimĩe ꝯtulisti: ⁊ pre-
sens nobis remediuz esse fa-
cias et futurum. Per dñm.
¶ Et sciẽduz ꝙ in om̃ibus fe
rijs vsq̃ ad ascensiõez dñi: di-
citur officiũ vt in die resurre-
ctiõis: scilicet officiũ. Resurre
xi. Oro. Deus qui per vnige-
nitũ tuuz. Epl̃a. Expurga-
te vetus. All̃a. In die resurrectio-
nis. vel. All̃a. Angelus dñi. Euã
gel̃. Maria magdale. Offer̃.
Angelus dñi. Coĩo. Si consurre-
xistis. preterq̃ in. iiij. et in. vj.
ferijs: in quib⁹ cantatur offi
ciuz de dominica: et in leta-
nijs: in quibus propriũ offi-
cium cantat̃: ⁊ quelibet feria
iiij. et. vj. habet propriaz epi-
stolã: et propriũ euangeliuz.

Et notãdum q̃ a dñica in albis vsq; ad feriã .ij. de letanijs exclusiue bñdictões nubentibus debẽt dari. Et isto tẽpore ad missas nubẽtiuz cantat offm̃ de resurrectiõe: cũ Gloria in excelsis. z duabus alijs. Et Credo. tm̃ cuz epl'a: euãgelio: z prefatiõe de nuptijs: qz ista nunq̃ mutant. ¶ Dñica i oct'. que dr in alb. Offm̃.



Uasi modo gẽiti infantes alleluya: rationabiles sine dolo lac cõcupiscite alleluya alla alleluya. ℣. Exultate deo adiutori nr̃o: iubilate deo iacob. Gloria p̃ri. Oratio.

Oresta q̃s ops deus: vt qui festa paschalia peregimus: hec te largiẽte mori bus z vita teneam̃. Per. Lcõ epl'e bti iohãnis apl'i. j. io. v. c

Qharissimi: Omne qđ natũ est ex deo vicit mũduz. Et hec est victoria que vicit mũdum fides nr̃a. Quis est autẽ qui vicit mũduz: nisi qui credit q̃ iesus est fili' dei: Hic est q̃ venit per aquã z sanguiez iesus xp̃s. Non i aqua solũ: sed in aq̃ et sanguie. Et spũs est qui testificatur: qm̃ qui testimoniũ dant in celo pat̃: z verbũ: z spũsctũs. Et hi tres vnũ sunt. Et tres sũ qui testimoniũ dant in terr: spũs: aqua z sanguis. Et hi tres vnuz sũt. Si testimoniũ hoim accipim̃: testimoniu dei maius est. Qm̃ hoc est testimoniũ dei quod maior est qz testificatus est de filio suo Qui credit in filiũ dei: habet testimoniuz dei in se. Alla. ℟ In die resurrectionis mee dicit dñs precedam vos in galileam. Alla. ℟ Post dies octo ianuis clausis stetit iesus in medio discipl'oz suoz z dixit eis: pax vobis. Prosa. Victime; cha. fo. cxxxvij. Scõz ioh. xx

In illo t e: Cuz esset ro die illa vna sabbat ruz: et fores essent clause: v erãt discipli congregati pro metũ iudeoz: vẽit iesus et tit in medio et dixit eis. P vobis. Et cũ hoc dixisset: os dit eis man' et latus. Gau sũt ergo discipli viso dño. xit ergo eis itez. Pax vobi Sicut misit me pater: et e mitto vos. Hec cũ dixisset: sufflauit z dixit eis. Acc spm̃ sctm̃. Quoz remiseri pctã remittũtur eis: z qu

t

BIBLIOTECA PROVINCIAL Y REGISTRO DE LA PROPIEDAD INTELECTUAL - PALENCIA

EXPOSITIO

IN PRIMAM SECVNDAE ANGELICI

DOCTORIS D. THOMAE AQVINATIS,

Autore F. Bartholomæo à Medina, Ordinis Prædicatorum, Primariæ Theologorum Cathedræ apud Salmanticenſes Præfecto.

Cum Indice copioſiſsimo ac locupletiſsimo.



BIBLIOTECA PROVINCIAL Y REGISTRO DE LA PROPIEDAD INTELECTUAL - PALENCIA -

CVM PRIVILEGIO.

SALMANTICAE Typis hæredum Mathiæ Gaſtij.

M. D. LXXVIII.

Eſta taſſado en maravedis el pliego.



IN PRIMAM SE-
CVNDAE ANGELICI
DOCTORIS D. THOMAE
EXPOSITIO

EL REY.

POR quanto por parte de vos el maestro Fray Bartholome de Medina, de la orden de señor Sancto Domingo, Cathedratico de Prima de Theologia en la vniuersidad de Salamanca, nos fue fecha relacion diziendo que vos auiades compuesto vn libro intitulado Commentarios sobre la Prima Secundæ de Sancto Thomas, en dos tomos, que seria muy prouechoso, y era de muy gran erudicion como por el se veria, del qual hezistes presentacion, supplicandonos le mandassemos ver, y dar licencia para le poder hazer imprimir, y priuilegio por el tiempo que fuessemos seruidos, o como la nuestra merced fuesse. Lo qual visto por los del nuestro Consejo, por quanto en el dicho libro se hizo la diligencia que la pragmatica por nos agora nueuamente sobre lo susodicho fecha dispone, fue acordado que deuiamos mandar dar esta nuestra cedula en la dicha razon, y nos tuuimos lo por bien. Por la qual vos damos licencia y facultad, para que vos, o la persona que para ello vuestro poder ouiere, y no otra persona alguna, podays hazer imprimir y vender el dicho libro que de suso se haze mencion, en estos nuestros Reynos, por tiempo y espacio de diez años cumplidos, primeros siguientes, que corren y se cuentan desde el dia de la fecha desta nuestra cedula, so pena que qualquiera persona que sin tener para ello vuestro poder lo imprimiere, o vendiere, o hiziere imprimir, o vender, pierda toda la impression que hiziere, o vendiere, con los moldes y aparejos della, y mas incurran en pena de cincuenta mil marauedis, por cada vez que lo contrario hizieren, la mitad de la qual dicha pena sea para la nuestra camara y fisco, y la otra mitad para vos el dicho fray Bartholome de Medina: y todas las vezes que se ouiere de imprimir el dicho libro durante el dicho tiempo de los dichos diez años, se trayga al nuestro consejo juntamente con el original que en el fue visto, que va rubricada cada plana y firmada al fin del de Alonso de Vallejo nuestro Escriuano de camara, y vno de los que en el nuestro consejo residen: para que se vea si la dicha impresion esta conforme al original, y se os de licencia para que lo podays vender, y se tasse el precio en que se ha de vender cada volumen, so pena de caer y incurrir en las penas contenidas en la dicha pragmatica y leyes de nuestros Reynos. Y mandamos a los del nuestro consejo, y otros qualesquier Iusticias destos nuestros Reynos, que guarden, cumplan, y executen, y hagan guardar cumplir y executar esta nuestra cedula, y todo lo en ella contenido. Fecha en Sant Lorenço, a xvij dias del mes de Agosto, de mil y quinientos, y setenta y siete años.

YO EL REY.

Por mandado de su Mageſtad.

Antonio de Eraſſo.

NOS Frater SERAPHINVS CAVALLI Brixien ſis Sacræ Theologię Profeſſor, ac totius ordinis Prædicatorum humilis Generalis Magiſter & ſeruus, eis potiſsimùm, quos in vinea Domini vt ſtrenuos operarios cõtinuò laborare cognoſcimus, ac taléta ſibi à Domino donata in Chriſti obſequium, religioniſque noſtræ decus glorioſe, & feliciter negotiari, & ſuis tum priuatis, tum publicis ſtudijs Rempublicam Chriſtianam miruni in modum iuuari poſſe compertum habemus, ne dum quæ penes noſtram ſunt poteſtatem lubenter impartiri debemus; prout libentiſsimè impartimur; ſed etiam laborum ſuorum vberrimos fructus vt in lucem producant in proximorum vtilitatẽ (cùm non nobis nati ſimus) plurimùm ſatagere debemus: ea de cauſa, tenore præſentium, noſtri autoritate officij tibi admodum R. P. Magiſtro F. Bartholomæo Metinenſi eiuſdem ordinis in celeberrimo ſtudio Salmanticenſi Primariæ Cathedræ Regẽti in virtute Spiritus ſancti, & ſanctę obedientiæ ſub formali præcepto mandamus, vt quàm primũ potueris impreſsioni ac prælo mandes, & in lucẽ emittas aureas expoſitiones in Primã Secundæ D. Thomę ac alias lucubrationes tuas, quas in omnes D. Thomæ partes paratas habes, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen. In contrarium quibuſcunque non obſtantibus. Datum Toleti die vij Octobris. M. D. LXXVII.

Frater Seraphinus
qui ſuprà manu propria.

Frater Ludouicus Vgocinus Ariminenſis
Prouincialis terræ Sanctæ.

REVERENDISSIMO,
AC DIGNISSIMO PATRI NOSTRO
SERAPHINO CAVALLI BRIXIENSI, TOTIVS
Ordinis Prædicatorum Magistro Generali, F. Bartholomæus
de Medina, Sacræ Theologiæ, & eiusdem ordinis Professor perpetuam & florentem felicitatem.

NEmini video dubium esse, Pater Reuerendissime, quin quàm plurimos ex præclaro Prædicatorum ordine viros doctissimos, & inter omnes nominatissimos prodisse ingenuè testetur; qui suis lucubrationibus, & monumentis Rempublicam christianam mirum in modum illustra uerint. Etenim vt prætermittam Albertum Magnum, Tarantasiam, Hugonem, Capreolum, Soncinatem, Sylue strum, Ferrarien sem, Turrecrematam, Raymundum, Vincentium, Antoninum, & alios innumeros, quos nostra religio in lucem reipublicæ produxit; in hoc ordine primas, omnium calculo, tenet diuinus Thomas, lumen & Doctor Ecclesiæ: cuius doctrinam, veluti è cœlo delapsam, Ecclesiæ omnes, sacra Concilia, scholæ vniuersæ admirantur, suscipiunt, & colunt. Hunc proximè insecutus est Caietanus, doctrinæ D. Thomæ defensor acerrimus, flos ingeniorum omnium, vir ingenio, prudentiáq; acutissimus. Sed neque in Hispanijs defuerunt, qui D. Thomæ sequentes documenta, vigilijs & laboribus se dedentes, pro virili in vinea Domini Sabaoth gnauiter laborantes, varia literarum monimenta, & quidem non contemnenda seculis futuris reliquerunt. Doctissimus namque Franciscus Victoria, vir præclarus ingenio, eruditione, eloquentia, interpres D. Thomæ in Salmanticensi Vniuersitate, sic floruit, vt inter primos meritò sit numerandus: qui non solùm abdita D. Thomæ arcana discipulis patefecit, verumetiam eo ordine, & dispositione digessit, vt seipsum superasse videatur. Certè ea ratione, & methodo doctrinam scholasticam tradidit, vt restaurator diuinæ Theologiæ optimo iure habeatur. Huic debent Hispaniæ quòd theologizare illas docuit, quodque in pretio diuinam Theologiam habendam esse persuasit, quæ antea vbique incognita iacebat & inculta: huic præterea debet respublica christiana, quòd omnes anfractus, & difficultates, quæ in Theologia diuina ocurrere solent, ipse debilitauit, fregitq;. Certè hoc solo nomine magnam gloriam est promeritus, quòd Caietani sensum & mentem in aperto, & quasi ob oculos posuit; quod sanè difficilius puto, quàm clauam de manu Herculis eruere: nam in hoc autore difficilius videtur, bene illum exposuisse, quàm selectissima & pulcherrima inuenisse. Hic est, qui omnia Scholasticorũ placita inuincibili diligentia perlustrauit, vt si quæ inueniret

contra D. Thomæ doctrinam pugnare, eiq; quodammodo aduersari, summa cura & ope adniteretur conuellere, & destruere. Mirabile sanè dictu, quòd omnes autores, qui ante eius ætatem scholasticè scripserunt, legerit, in compendium & epitomem redegerit, & ad illustrandam D. Tho. doctrinam conuerterit. Sed & ipse est, qui varia doctrinarum supellectile ornatus, Dialecticæ, Philosophiæ, Sacræ scripturæ, & scientiæ Sanctorum cognitione instructus, omnia hæc subsidia sibi comparauit, vt D. Thomæ doctrinam augeret, locupletaret, & magnam illustrioremq; redderet: in illius enim æuo emanauerunt putei aquarum, & quasi mare, adimpleti sunt supra modum. Hunc virum eruditissimum consequutus est vir literatissimus Pater Soto, huius nominatissimi Magistri primarius discipulus, qui quantum inuerit Rempublicam Christianam, quantumq; suis commentarijs doctissimis, & planè diuinis Theologiam diuinam auxerit, & doctrinam D. Thomæ illustrauerit, omnes penè mortales intelligunt. Post hunc cathedram magisterij in Hispanijs tenuit doctissimus ille Magister Cano, Episcopus Canariensis sapientissimus longè ac doctissimus, qui certè nulli est secundus. Nam si non solùm scire aliquid artis est, sed quædam ars docendi, in vtraque diuinè, & mirabiliter floruit. Sed neque in his, à me antè commemoratis, desijt diuinæ sapientiæ radius: floruerunt namque apud nos sapientissimi Magistri, Sotomayor, Peña, Mantius, quos honoris gratia nomino. Hi omnes in doctrinam D. Thomæ annotationes reliquerunt, non quidem integras & perfectas, neque typis mandatas, sed in albeolis manuscriptis à discipulis exceptas. Quibus nos, qui piè illis in Christo defunctis supersumus, semper de nouo addimus, semper aliquid ex D. Thomæ fonte perenni exhaurimus: habet enim doctrina D. Thomæ consortium, & communionem diuinæ sapientiæ, quæ cùm infinitus thesaurus sit, sine inuidia communicata exhauriri nequaquam potest. Hæc igitur sacræ ac diuinæ Theologiæ documenta, à nostris patribus, magnis exantlatis laboribus, confecta, & à nobis multis in locis aucta, & locupletata (vt est improbum & ingratum huius æui seculum) furunculi quidam, non agnoscentes furtum, sed ea, quasi sua propria reputantes, domique suæ nata, sibi vendicant, arrogant, rapiunt, & typis mandare sine aliquo pudore audacissimè procurant, non deferentes honorem ordini Diui Dominici patris nostri, cui hæc omnia magno Dei munere concessa sunt. Patres igitur nostri quasi à longo somno expergefacti; quippè qui & omnes honores, & omnia honorifica ne pili quidem faciant; mihi, omnium Theologorum minimo, in commodum Reip. christianæ hanc prouinciam demandarunt, vt hæc literarum monimenta, simul cum eis, quæ ego excogitaueram, ordinarem, complerem, & perficerem. Quod opus, opitulante Domino, & D. Thoma apud illum intercedente, ad vmbilicum vsque, quantum quidem ad expositionem Primæ Secundæ spectare videbatur, deductum est. Commẽtarios verò in cæteras partes D. Thomæ, quos iam præ manibus habemus, breui prælo mandari curabimus. Hoc opus, qualecunque est, tibi Pater reuerendissime

dissime dico, offeroq́: cui namque vigiliæ, & lucubrationes nostræ potiùs debẽtur, quàm ei, qui in ordine Prædicatorum primas tenet, & moderator existit; cui omnia iura nostra, ex obedientiæ voto, obstricta sunt? Tibi igitur seruiant, & in honorem nostri ordinis euulgentur. Accedit hûc, quòd tu, Pater dignissime, supremus es huius operis architectus, tu persuasor, tu calcar addidisti non minimum vt lucubrationes nostras prælo committerem. Licèt enim quamplurimi seriò & diligẽter sæpe mecum egerint, vt alijs studijs intermissis, totus in hanc curam incumberem, ego verò, qui infirmitatis meæ optimè conscius essem, studioſe non semel tergiuersari cœpissem: tu tamen vnus omnem formidinem tandem ex animo meo penitus depulisti. Itaque non tam voluntate, & arbitratu meo, quàm tua autoritate, & impulsu ad hoc opus edendum me conuerti. Tuum igitur est opus, tibi debitum, tuo denique honori accepto ferendum si quid fructus ex his commentarijs Reip. Christianæ accesserit. Sed & illud non parùm me mouit vt lucubrationes istas tibi dicarem. Præterquam enim quòd pristinæ autoritatis, & religionis antiquæ vehemens & ardens amator existas, solerti etiam diligentia monimenta huius sacri tui ordinis, & antiquorũ Patrum vndequaq́ conquiris, & posteritati tradere summoperè studes. Quis enim ignorat, quòd huius rei gratia non semel atque iterum, sed sæpissimè doctissimos quosque adhortatus fueris, imo mandatis obstrinxeris, vt si quæ alicubi literarũ monimẽta adhuc desiderata laterent, vel noui etiã autores memoria digni recẽter perficerent, ea in lucẽ producerẽt. Quid prætereà hîc dicã de eximia animi tui in sacrosanctæ Theologiæ candidatos propensione; de fauore quo omnes literarũ studioſos cõplecteris, & obsequijs quæ impendere ijs soles, qui aliquo eruditionis gradu, vel aliquo bonæ spei titulo tibi essent commẽdati? Sciens hic prætereo amorem penè singularem quo semper me prosequutus es, & adhuc prosequeris; ingenij tui dexteritatem, singularem quoque prudẽtiam, qua totius ordinis causis ita præes, negotijsq́ grauioribus ita consulis, vt nihil amplius in te desiderari queat. Qua virtutis atque bonitatis tuæ constanti atque perpetua fama effectum est, vt ad te amandum colendumque studio feramur incredibili. Hæc itaque omnia cum sic in te vno, vt vix in quoquam alio, concurrant, præterilla, quæ breuitatis studio prætermitto, iustissimæ certè causæ mihi videntur, cur lucubrationes nostræ in tuo potissimùm nomine apparere debeant. Quare vt eas iam tibi officij gratia iure optimo inscriptas, qua cætera omnia soles humanitate suscipias, & nominis tui autoritate defendas; nostram insuper in his qualemcunque operam, fortaſsis multorum opinione maiorem, æqui boniq́ consulas, quàm possum vehementer oro atque obtestor. Sed neque vereor, quòd impolita, & vulgari commentariorum dictione offendaris Pater Reuerendissime. Nam cùm Cicero, eloquentiæ parens, æquabile, & temperatum orationis genus potiùs quàm elegantem, lautum, diuitem, splendidumque dictionum apparatum in Philosopho probandum censeat, quis curiosam illam, ornatamque dicendi rationem à Christiano requiret

Doctore? Dictionis inaffectata & incomposita simplicitas decora mihi videtur (inquit diuinus ille Basilius) & conueniens professioni christiani Doctoris; cuius est non ad ostentationem magis scribere, quàm ad publicam vtilitatem. Cui consonat illud Augustini proloquium. 4. de doctrina Christiana ca. 11. Bonorum, inquit, ingeniorum insignis est indoles, in verbis verum amare, non verba. Quid enim prodest clauis aurea, si quod volumus aperire non potest? aut quid obest lignea, si hoc potest, quando nihil quærimus nisi patêre quod clausum est? Egregium sanè viri sancti & docti iudicium, quo noster scholæ loquendi modus ab omnium impugnationibus defenditur, & roboratur. Remissiorem itaque adhibui stylum; tum, quoniam Christiani Doctoris munus, cuius interest non ad ostentationem scribere, sed publicam quærere vtilitatem, non est circa verborum pugnas multas agitare quæstiones, sed in rebus Theologicis indagandis nudam aperire veritatem; tum verò, quoniam cùm Theologorum scholasticorum varios oportuerit adduci locos, innumerasq; sententias, componenda fuit oratio, quæ cum his autoribus, qui passim citãtur, aliquam videretur habere similitudinem. Sanè volui D. Thomam imitari, virum planè diuinum, & in omni disciplinarum genere singularem, quem omnes verè & solidè docti venerantur, & Græcia ipsa admiratur; qui non voculas sectari didicit, & vnde græca, vel latina verba sint deducta curiosiùs exquirendi curam habuit, sed in res cognitione dignissimas omne studium & operam contulit. Scribant, rescribant latinissimi homines & Ciceroniani quantum & quàm politè velint Latinè, Græcè, & Hebraicè; adde etiam, si vis, Arabicè & Chaldaicè: eorum monumenta, si cum D. Thomæ scriptis comparentur, verba erunt, & meræ nugæ, non res seriæ. Hunc ergo virum doctissimum, quem, quadam admiratione commotus, sæpiùs fortassè laudo quàm necesse est, lubenti animo sequor. Sed iam satis meam barbariem excusasse videor. Ad te Pater Reuerendissime conuertor, & Deum Opt. Max. oro, vt in Domino Iesu diu te valere clementer concedat. Vale iterum atque iterum. Salmanticæ, Ex nostro Conuentu.

*

ARGVMENTVM OPERIS.



NTEQVAM huius operis explanationem aggrediamur, quædam nobis exponenda videntur, quæ audientium animos ad huius vtiliſsimi operis auſcultationem inſtruant, ac præparent. Sunt autem hæc potiſsimùm. Nam primùm quidem quis ſit ſcopus, quò ſunt, quæ in hoc opere habentur, referenda omnia, conſtituere propoſitum eſt. Deinde (quod proximum eſt) de vtilitate huius libri, quæ maxima eſt, quantum inſtituto noſtro ſatis fuerit, diſſeremus. Tertiò autem quæ orationis forma, quis character, quæ methodus diſputationis; quod non modicam vtilitatem habere ad autorem rectiùs intelligendum videatur. Quartò verò de materia agendum, quam ex veterum ſententia in hypotheſin, ſeu argumentum, & perſonas, loca, & tempora partiemur, ac diuidemus: quibus explicatis, ad autoris enarrationem veniemus; nonnullis tamen, quæ ad vocum quarundam multiplicis ſignificationis diſtinctionem pertinent, præmiſsis.

Quis ſit ſcopus huius libri.

Quod igitur ad ſcopum attinet, vir Sanctus elegantiſsimè explicat hoc in opere, quibus in rebus noſtra beatitudo conſiſtat. Quanquam enim omnes natura trahimur & ducimur ad beatæ vitæ appetitionem, pleriſque mortalium in quo illa ſit collocanda ignorant. Eam rem exponit, & commonſtrat Diuus Thomas, vt intelligamus, quem ad finem omnes curæ, & actiones noſtræ referendæ ſint. Decernit itaque quò tendamus, & quà, non ſine perito aliquo, cui explorata ſint ea, ad quæ procedimus. Demonſtrat namque nobis Chriſtum, qui eſt via, veritas, & vita, cui ſoli tutò credere poſſumus. Nemo enim aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, vnigenitus, qui eſt in ſinu patris, ipſe mediator, dux & anteſignanus eſt. Scopus quidem propoſiti operis hîc eſt, vberiùs fortè, ac pleniùs infrà exponendus. De vtilitate diſſerendum eſt. Quod igitur ad vtilitatem attinet, nemini dubium eſt, quin hæc ſit longè maxima. Nam cùm omnino quæ in vitam incurrunt errata omnia, alia quidem ex hoc pendeant, quòd non rectè de humanæ vitæ fine ſit conſtitutum: alia verò ex conſecutionis ignoratione eorum, quæ ad finem referuntur, neceſſe nimirum fuerit rectè vitam inſtituere volenti, & verum finem vitæ humanæ agnoſcere, & in medijs, quæ illûc ducant, nunquam decipi. Quod certè hic liber pulchrè præſtare videtur, cùm & verum vitæ humanæ, cuiuſmodi ſit, finem demonſtrat, quæque hûc ducant vniuerſa præſcribit; oſtenſis ſimul varijs vitijs, ad quæ maxima hominum multitudo exorbitans deuoluitur. Hæc de vtilitate nunc dicta ſufficiant. Sequitur vt de diſputationis forma agamus. Genus diſputationis æquabile, plenum, ſolidum, atque ordinatum eſt, ſubtile inſuper & limatum. Sanctus enim Doctor rem explicat proprijs aptiſque verbis, maiorem curam habens rerum quàm verborum: hæret in cauſa ſemper, & quod Theologo probandum ſit, dũ acutiſsimè videt, omiſsis cæteris argumentis, in id mentẽ, vireſq; ingenij defigit. Genus itaque docẽdi eſt humile, pacatũ, non vehemens, non inflatũ, ſed forte, præmunitũ, & ex omni parte ſeptum. Quàm ab vltimis principijs deducit abditiſsima, & profundiſsima rerum omnium! quàm acutè refellit aliena! quàm fortiter communit, & corroborat

Quæ vtilitas.

Quod genus diſputationis.

corroborat ſua! nihil eſt in eo inane, aut vacans: omnia ſolida & plena: de hoc verè dici poteſt, ruituram ſtructurã vniuerſam ſi vel verbum vnum, tanquam vnum lapidem detraxeris. Quo ordine digerit, & diſponit ſingula! quod eſt in tradendis artibus vtile. Certè in hoc potiſsimùm eſt admirabilis Doctor Sanctus. Illud, quod in vera methodo præcipitur, vt ab vniuerſalibus, & generalibus rebus, ad ſpeciales partes, via, & ordine progrediamur, quàm diligenter obſeruat vir Sanctus! Affert quoque Diuus Thomas (in quo Cicero laudat Hortenſium) minimè vulgare genus diſputandi, nempe partitiones, quibus de rebus dicturus eſſet, & collectiones; memor & quæ eſſent dicta, contra quæque ipſe dixiſſet. Itaque diſputationis membra artificioſè diuidit, & velut in digitis ſingulas partes quæſtionis diſtribuit, quod vtiliſsimum artificium, magnas vtilitates affert: nam quod dictum ſit, commonet, & ad reliquum comparat auditorem. Deinde ad delectandum: reficit enim lectorem, vel auditorem, cùm & id, quod dictum ſit, breui epilogo ob oculos ponit; & ſequentis diſputationis ſummam aliquam proponit: ad quam non aliter afficimur atque viatores, quibus ſuſcepti itineris viæ demonſtran
Cicero. tur. Socrates in Phædro, & Cicero in Bruto comparant orationem legitimè compoſitam animanti, quod caput habeat, & medios artus, & extremos. Caput eſt generalis definitio rei, & reliqui artus ſunt partitiones, & definitiones partium, via & ordine diſpoſitæ; ex quibus omnibus vnum quaſi corpus diſputationis con
ficitur. Quam methodum, & rationem diſputandi, quàm opportunè, quàm artifi-
Dionyſius. cioſè adhibet Diuus Thomas! D. Dionyſius docet diſtribuendam vnamquamque rem, in ſubſtantiam, virtutem, & operationem. D. Thomas hunc ordinem perpetuò ſequitur diſputandi. Diſputaturus namque de virtutibus, primùm earum definitiones proponit: deinde proprietates perſequitur: tertiò de earum officio diſſerit. Illud etiam præceptum diſputandi à pleriſque probatur, vt antequam confirmemus noſtra, demoliamur aliena. Hunc ordinẽ diſputandi D. Thomas in ſuis libris perpetuò obſeruauit, vti cùm omni ingenij laude multùm, tum etiam neſcio
Quæ materia ſit huius operis. an ordine rerum plurimùm admirandus. De materia proximum eſt vt dicamus, quam (vt diximus) diuidunt veteres in hypotheſin, perſonas, loca, & tempora. De hypotheſi iam ſuprà expoſitum eſt. Nunc ad reliqua progrediamur; & primùm quidem, quem ordinem habeat hic liber in ſacra Theologia exponendum eſt. Certè cùm D. Thomas diſſeruerit in ſuperioribus de Deo, ſecundùm quòd in ſe eſt, atque etiam ſecundùm quòd eſt omnium principium, & creator; in hoc opere aggreditur exponere, quemadmodum Deus ſit finis omnium, rector atque gubernator cunctarum rerum. In perſonis verò hæc ſunt animaduertenda: in primis
Quis autor libri. autor operis, qui eſt vir, ac Doctor Sanctus Diuus Thomas, in quo commendando non vtar longa præfatione: conſtat enim omnibus, atque etiam mediocriter eruditis exploratum eſt, Diuum Thomam Doctorem Eccleſiæ puram atque Catholicam docuiſſe Theologiam, eamque Pontifices approbaſſe, Patres Conciliorum acceptaſſe, cœtum omnium Theologorum, relictis alijs, iam ſuſcepiſſe. De me verò, qui huius ſum interpres & enarrator, nihil vobis poſſum polliceri, niſi diligentiſsimam diligentiam, laborem aſsiduum, bonam mentem, deſiderium denique bonum, ac rectum; orauique, atque oro vnum Deum meum, per quem omnia, in quo omnia, vt in tradenda atque edocenda veritate Chriſtiana, det mihi mentem pacatam, & trãquillam, & magis de diſcipulorũ vtilitate atque profectu, atque Dei gloria, quã de honore huius mũdi cogitanté. Item oro Deũ meũ, vt adiuuet auditores meos intuẽtes, & verum quærẽtibus lumen accẽdat interius. Amen.

ALIVD

ALIVD ARGVMENTVM IN Primam Secundæ Diui Thomæ.

TOTVM negotium Theologorum de Deo tractat. Est enim Theologia, scientia de Deo, & rerum diuinarum peritia. De Deo autem trifariam agitur in Theologia, aut secundum se, vel vt est principium, vel vt est finis rerum aliarum omnium. Ergo Diuus Thomas in tres partes diuidit summam Theologiæ. In prima tractat de Deo secundùm se, & vt est principium creaturarum. In secunda & tertia de Deo, vt est finis creaturarum: & quia ad finem illum peruenitur per actus humanos, & per Christi Domini beneficia, ideo in secunda parte agitur de fine vltimo, & de actibus humanis: in tertia verò de beneficijs Christi, videlicet, de redemptione humani generis, & de sacramentis. Postremò, de vltima retributione bonorum & malorum; quam tamen imperfectam reliquit. Secundam partem (quòd excedere videbatur iustum volumen) posteà discipuli Diui Thomæ diuiserunt in duas partes; quarum alteram vocarunt Primam Secundæ; alteram, Secundam Secundæ. In Prima Secundæ, post determinationem de vltimo fine, agitur de actibus humanis in generali; in Secunda Secundæ in speciali. Præsens autem liber, qui est Prima Secundæ, in septem partes principales diuiditur. Prima est de vltimo fine: secunda de actibus humanis secundum se, id est, sine respectu bonitatis & malitiæ: In tertia de bonitate & malitia eorum: In quarta de passionibus, & affectionibus animi: In quinta de principijs intrinsecis humanorum actuum, qui boni sunt, & studiosi; nimirum de habitibus in generali, & de virtutibus: In sexta de principijs intrinsecis & extrinsecis malorum actuum, id est, de vitijs, & de quibusdam peccatis specialibus, hoc est, originali, & veniali: In septima & vltima de principio extrinseco bonorum actuum, scilicet de legibus, de Dei gratia, quam nobis præstet ipse Christus autor gratiæ.

Theologia quid.

Partitio operum Diui Thomæ.

ALIVD ARGVMENTVM breuius explicatum.

CVM omnes naturâ trahantur ad beatæ vitæ appetitionem, pauci verò intelligant in quo illa consistat; eam rem in primis explicat elegantissimè Diuus Thomas, docens vbi nam sit vera beatitudo, & quibus vitæ humanæ actibus illam assequamur.

ALIVD ARGVMENTVM.

QVæritur in hoc libro, quis sit finis, quid extremum, quid vltimum quò sint omnia benè viuendi, rectéque faciendi consilia referenda: quid sequatur homo vt summum ex rebus expetendis; quid fugiat vt extremum malorum. Itaque argumentum libri est, de finibus bonorum & malorum differere, quomodo benè feliciterque viuamus. Hic liber docet, comprehenditque documenta, quibus in viam pacatæ, tranquillæ, beatæque vitæ homines deducantur. Demum, beatæ vitæ disciplinam & rationem illûc perueniendi demonstrat. Differant sanè principes ciuitatis, an partus ancillæ sit in fructu habendus (quod & acutum genus est, & ad vsus ciuium non inutile) nosque ea scripta, reliquaque eiusdem

eiusdem generis & legimus, & libenter legemus: hæc verò, quæ vitam continent omnem, negligemus? nam vt sunt illa vendibiliora, hæc vberiora certè sunt, & fructifera magis. Iudicentur eruditi, qui in Poëtis euoluendis tempus omne consumunt, in quibus nulla solida vtilitas, omnisque puerilis delectatio: aut in Musicis, & Geometria, numeris, & astris conterunt, quæ à falsis initijs profecta, vera esse non possunt; & si essent vera, nihil afferrent quomodo iucundiùs & rectiùs viueremus. Eas ergo artes persequar ego; viuendi autem artem tantam, tamque operosam, ac perinde fructuosam relinquam? Mihi satis eruditus est, qui scit, quomodo rectè beateq; viuamus. Cuius scientiæ præcepta hic liber comprehendit.

REVERENDI P. F.

BARTHOLOMÆI MEDINÆ IN PRIMAM SECVNDÆ D. THOmæ Aquinatis Angelici Doctoris expositio.

QVAESTIO

Prima, De vltimo fine, Articulos habet octo.

ARTICVLVS PRIMVS.

¶ *Vtrùm homini conueniat agere propter finem.*

SVMMA TEXTVS.

Prior Cõcl. HAbet D. Tho. duas Cõclusiones; quarũ prior est. Actiones humanæ illæ tantummodò dicũtur, quæ à deliberata volũtate procedunt. Nam actiones humanæ propriè dicuntur, quarum homo est dominus, & si quæ aliæ conueniunt homini: vt pedem, vel manum mouere, hominis actiones sunt; sed non propriæ. Sed homo habet dominium suorum actuũ per intellectum, & voluntatem: Ergo illæ actiones propriè humanæ dicuntur, quæ procedũt ex deliberata voluntate.

Posterior Conclusio. Posterior Cõclusio. Omnes humanæ actiones sunt propter bonum, & finem. Nam actiones, quę procedunt ab aliqua potentia, tendunt in obiectum potentiæ: obiectum autem voluntatis est bonũ, & finis; & ideo necesse est vt omnes actiones sint propter finem.

EXPLICATIO ARTICVLI.

IN expositione huius articuli paucis explicandum est, quid sit finis, quid bonum, quid verò deliberata voluntas, quæ sint actiones humanæ, postremò quid sit hominem suarum actionum habere dominium, ne horum vocabulorum varia significatione decipiamur. ¶ Finis nomẽ trãslatum videtur esse à terminis, & limitibus, quibus res finiuntur, & terminantur. Vnaquæque enim res suo fine terminatur, neque vltrà procedit. Vel dicitur finis (autore Cicerone lib. 1. de finibus) quasi vltimum & extremum, quo operationes nostras referre oporteat. Finis, Grecè dicitur τέλος, à verbo τελέω, quod est perficio: nam vnaquæque res in adeptione finis perficitur: sicuti perfecta est domus, quando habitatur. Denique Finis dicitur illud, cuius gratia aliquid fit: sicut sanitas est ambulandi finis: ambulamus enim vt sani simus. Hæc definitio ex naturali philosophia notissima est, neque nostra expositione opus habet. Ex qua definitione liquidò constat, quod finis, & bonum sunt idem. quam sententiam, velut celebrem, commemorat hic D. Thom. ex 2. Physic. quæ, omni dubio procùl, certissima est: nã omnia agunt alicuius boni gratia; & si esse aliquid bonum, natura, vel ratio persuaserit, in id, tanquam in finem,

Vnde finis deriuetur, & quid sit.

Cicero.

D. Thom.

nem, appetitus noster ferri poterit. Deinde, Finis nil aliud est, quàm bonum, cuius gratia aliquid fit; vel bonum intentum; vel bonum, quo obtento, quiescit actio: vt sanitas est finis ambulandi, & bonum, cuius gratia ambulationem suscipimus. Itaque bonum, & finis, idé sunt. quod Aristot. planè asserit Arist. 2. Physic. c. 3. ¶ Sed bonorũ, & finium, multæ sunt differentiæ. Alij sunt operationes: vt finis Musicæ est canere, & citharizare, præter quas nullum aliud subsequitur opus. Multiplex acceptio finis. Alij sunt operationum effectus: vt finis artis ædificatoriæ, domus est: finis fabri, sella, mensa, aut aliquid huiusmodi. hanc differentiam prosequitur Arist. 1. Ethic. in initio. Aristot. Alia differentia finium est, quòd alius sit finis operis, alius operantis. de qua re differit D. Thom. in 2. d. 1. q. 1. art. 1. & d. 38. artic. vltimo. D. Thomas loquitur hîc de fine absolutè in communi, & in genere, siue sit finis operis, siue operantis, siue sit operatio, siue operationis effectus. ¶ Vltima differẽtia finium maximè aduertenda est: vnus enim est finis vltimus omnium rerum; alius est finis vltimus in suo genere: sicut dicimus finem ædificantis esse domum, & finem militis esse victoriam. Neque enim qui vltimam manum domui imposuit, vlteriùs progreditur; neque qui partã habet victoriam, amplius bellum gerit, itaque sunt vltima in suo genere. Vltimus finis omniũ rerum ille erit, ad quem omnia referuntur, & ipse vlteriùs non refertur. Vel, illum appellamus vltimum finem, propter quem omnia expetuntur, & ipse propter se expetitur. ad hunc modũ definit Cice. vltimum finem lib. 2. de Finibus. Cicero. ¶ Sed quæri potest, num D. Tho. in titulo articuli, & in Conclusione præcipua loquatur de fine absolutè, & in genere; an potiùs de humanæ vitæ vltimo fine. Ratio dubitandi est: quoniam D. Thom. proposuit in quæstionis initio, se de vltimo hominis fine inuestigaturum. Ad hanc dubitationem dicendum est, D. Thom. loqui de fine in genere. Etenim D. Thom. more suo, & Aristotelico, in hac quoque tractatione ab vniuersalibus, & communioribus exordium sumpsit, quem morem sæpenumerò seruâsse Aristotelem manifestum est. primo lib. Post. sic incipit; Omnis doctrina, omnisque disciplina ex præcedenti efficitur cognitione. ex quo vniuersali principio, quòd omnis demonstratiua cognitio, ex præcedenti cognitione proficiscatur, demonstrat. Et primo lib. Ethic. sic incipit, Omnis ars, omnis disciplina, omnisque electio, & actus, bonum quoddã expetere videtur: volens ostendere, quòd homo operetur propter finem, & bonum. Non dissimiliter D. Thom. in præsentia cùm proposuerit de hominis vltimo fine inuestigare, ſ. ne aliquis vltimus finis hominis, cuius causa homo in lucẽ productus fuerit; priùs definijt, vniuersas operationes humanas esse propter finem aliquem. ex quo paulatim, sensimque progrediens demonstrat, ad quem vltimum finem conditus sit, & procreatus, ac demum in quo hominis sita sit beatitudo. & hinc est, quod vsque ad quartum articulum nil peculiare de vltimo fine fuerit scisitatus. Ex his patet, quid sit finis, & bonum.

Proximum est vt explicemus, Quid sit deliberata voluntas. Ea nimirum est, quæ deliberationem, & consilium rationis sequitur, & delibe ratione habita operatur. Pro cuius rei declaratione, animaduertendũ est; quod origo, & fons liberæ voluntatis est indeterminatio, & indifferentia intellectus, potentis in vtramq; partem deliberare, & nunc aliquid prosequendũ, nunc verò fugiendum decernere. quod esse verũ his argumentis demõstro. Nam appetitio sequitur cognitionẽ: ergo vniuersa libertas in voluntate, originem habet ex cognitione. Deinde, voluntas nostra ex hoc libera est, quia potest liberè eadem eligere, vel refutare: sed hoc non posset, nisi intellectus esset indifferens, & indeterminatus suapte natura ad iudicandum de eadem re, nunc sibi conueniente, nunc verò disconueniente. ergo tota libertas oritur ex indifferentia iudicij. Præterea, iudicio semper correspondet appetitus: si iudicium est determinatum, & naturale, necesse est talem esse appetitũ: si iudicium est indifferens, atq; liberum, liber est appetitus. Quis enim quoniam instinctu naturali iudicat lupum esse fugiendum, non potest nõ fugere: cæterùm homo, quoniam potest iudicare lupum fugiendum, & interdum non esse fugiendum, liberè potest eligere fugam, & interdum eam refutare. ¶ Itẽ, non omnes volitiones nostræ voluntatis sunt liberæ, sed multæ sunt naturales; nempe vniuersæ, quæ vel præueniũt, vel non sequuntur iudicium rationis liberum; quales sunt, quæ fiunt in nobis subitò, & quæ fiunt in pueris, & amentibus; quæ licèt sponte, & voluntariè fiant (autore Aristo. 3. Ethic. c. 2.) cæterùm non fiunt liberè & per electionem. Et huius nulla alia ratio ostendi potest, nisi quòd non sequuntur iudicium rationis liberũ; libertas ergo voluntatis ex libero iudicio, & indifferenti originem habet. ¶ Tandem, voluntas nostra ea de causa libera est, quòd forma, per quã operatur (nempe bonum apprehẽsum) non est determinata ad vnum. ergo libertas nostra ex indifferẽtia iudicij originem trahit. Ex his, quæ hactenus dicta sunt, apertè patet, quomodo sit illud intelligendum, quod dicit D. Tho. quod liberum arbitrium est facultas rationis, & volũtatis. id est, facultas, quæ sequitur ducatum, & ra-

Quæ sit voluntas deliberata.

Aristot.

tionis

tionis consilium. Vnde, qualis fuerit cognitio, talis erit operatio: & quoniam homo suapte natura est rationalis, liberam habet voluntatem. Itaque ratio est fons, & origo libertatis. Sed ista nunc sint satis, vtpote quæ 1. p. q. 83. sunt diligẽtiùs tractata.

Quid significet hominem habere dominiũ suorũ actuũ &c. Lutherus. Rom. 6.

Supereſt vt exponamus, Quid est, quòd homo habeat dominium suorum actuum; & vnde ortum habuerit ista locutio. Lutherus affirmat istam locutionem continere pernitiosum errorem; quam vna sòlius D. Paul. Roma. 6. cõfutat autoritate: Fuistis serui peccati, liberati autem à peccato, serui facti estis iustitiæ. Itaque in quocunque statu vitæ serui sumus, siue cupiditatis, siue charitatis; vtraque enim libero arbitrio dominatur. Sic Christus Dominus Ioan. 8. Qui facit peccatum, seruus est peccati. & D. Petrus 2. cano. c. 2. A quo quis superatus est, huius & seruus est. Huic consentiens Caluinus, censet hanc locutionem esse cauendam; qui enim eam audit, statim concipit hominem mentis, & voluntatis suæ esse dominum, & posse se flectere in vtramque partem, & euehitur in exitialem confidentiam, contra illud Ioan. 15. Sine me nil potestis facere. ¶ Ad hoc dubiũ respondetur; istam locutionem nullum absurdum præ se ferre, nec aliquem continere errorem. Pro cuius intellectu, animaduertendum est hominem non dici dominum actuum suorum, eò quòd habeat operationes proprias, sibique genuinas: operationes enim naturales, quas homo communes habet cum cæteris animantibus, sunt sibi propriæ, atque à natura insitę; istarum autem operationum nullum habemus dominium. Præterea, seruus dominium habet suarum operationum; est enim liberi arbitrij: cæterùm operationes serui, non sunt suę; quidquid enim serui est, domini est. Rursus, homo non dicitur dominus actuum suorum; quia habet operationes proprias, sibi soli conuenientes, per quas à cæteris animantibus discernitur. ¶ Nã prima intellectio, anteuertens omnem actum voluntatis, est operatio, soli homini conueniens, qua distinguitur à cæteris animantibus; at huius operationis nullum habemus dominium. ¶ Deinde, in nostrâ voluntate sunt multi actus, qui anteuertunt omnem libertatem; vt, ridere, flere, admirari; quibus sæpenumerò non possumus dominari. Nec dicitur homo habere dominium actuum suorũ; quoniam habet ius ad illos: ad actus enim malos non habemus ius, quorum tamen habemus dominium; possumus enim benè, aut malè operari. Nec verò dicitur homo habere dominium actuum suorum; quoniam ex sese flectere potest in vtramuis partem, & quam maluerit, eligere. nam Ioannis decimoquinto dicitur; Sine me nihil potestis facere. ¶ Dicitur ergo homo habere dominium suorum actuum, quoniam vel ex sese, vel adiutus diuino consilio, & auxilio, potest operari, & non operari, sic, vel aliter operari. Ad hunc modum dicimus homines furiosos, & ebrios non esse compotes, nec habere dominium actuum suorum: non enim viuunt ex ratione, sed potiùs aguntur, vt pecudes. In hoc sensu dicimus seruum habere dominium actuum suorum, licèt eos in vtilitatem domini exerceat. Hoc dominium præclarè explicatur in sancta scriptura Genesi quarto. Subter te erit tuus appetitus, & tu dominaberis illius. Item Ecclesiast. decimoquinto. Ab initio constituit Deus hominem, & reliquit eum in manu consilij sui. & capit. 31. Qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit. & Ioannis decimonono. Nescis quod habeo potestatem crucifigere te, & potestatem dimittere te. Hanc potestatem in vtramque partem, appellamus dominium nostrorum actuum; quod idem est atque liberum arbitrium; quod qui negat inesse hominibus, insanus est, & hæreticus, & in naturam humanam iniurius. Illud verò quod adducitur à Luthero, & Caluino, inane est, & facillimo negotio labefactari potest. Dicendum namque est cum D. Bernard. Opusculo de libero arbitrio, quod triplex est libertas, à peccato, à miseria, à coactione: & hanc dicit D. Bernard. esse penitus inamissibilem. Ex quo patet quomodo sint intelligendæ sacræ scripturæ, quando asserunt, peccatorem esse seruum peccati, & non habere libertatem. Certè loquuntur de libertate à seruitute peccati, non de libertate à coactione, quæ prorsus homini est intrinseca, & inseparabilis. Sed de hoc diligentiùs q. 83. primæ partis.

Ioan. 8.

Petrus 2. cano. c. 2.

Caluinus.

Ioan. 15.

Ioan. 15.

Gene. 4.

Eccles. 15.

Idem. c. 31.

Ioan. 19.

Bernard.

¶ Tandem exponendũ, quæ nam sint actiones humanæ. Actio humana duplex est; vna, quantùm ad substantiam operis, id est, illa actio, quæ competit soli homini, quia discernitur à cæteris animantibus. & in hoc sensu multæ actiones sunt humanæ, quæ liberæ non sunt, vt prima intellectio, & motus subiti voluntatis, qui omnem voluntatem anteuertũt. Alia est actio humana, quantùm ad modum, quam videlicet homo exercet cum libertate, & deliberatione, & consultatione. & huiusmodi operationes tãtùmmodò appellat humanas Philosophus moralis. Nã his operationibus tantùm homo efficitur studiosus, vel vitiosus; meretur laudẽ, aut vituperiũ, & demũ tẽdit in beatitudinẽ. Operationes in principio cõmemoratas cẽsẽt esse humanas Physicus, vel Metaphysicus. Cæterũ Philosophus

Quæ nã sit actio humana. Duplex actio humana.

sophus moralis tantùm eas censet actiones humanas, quæ ex libera voluntate procedunt. Quando ergo dicit Diuus Thomas in articulo, quod actiones humanæ sunt quæ conueniunt homini, in quantum homo; illa dictio, in quantum homo, reduplicat modum operandi hominis proprium, qui competit homini, quatenus homo est: & hoc est operari cum libertate, consultatione, & deliberatione. Explicatur hæc doctrina subiecto exemplo. Dicunt enim diuini Theologi, bifariam posse dici aliquod opus miraculosum; tum, secundùm substantiam: quia secundùm se excedit omnem capacitatem creatam; veluti suscitatio Lazari, de qua Ioannis vndecimo. Tum verò secundùm modum; licet enim id operis possit fieri à virtute creata, sed non quantùm ad modum: sicut quod in momento euanesceret febris socrus Simonis; de qua legitur Lucæ quarto. Alio modo Caietanus hic explicat: nobis autem eius sententia non probatur. ¶ Sed adhuc contra id, quod dictum est, potest obijci ad hunc modum. Nam visio beatifica, quæ nos beatos efficit, operatio humana est maximè omnium; at non procedit ex deliberata voluntate, neque eius habemus dominium. Docent enim vno ore omnes Theologi, quod in ea actione beatorum intellectus necessitetur sic, vt non possit aliò diuertere conspectum, aut cogitatu. ¶ Sed hæc obiectio duobus modis refelli potest. Vel enim dicendum est, actionem beatificam non esse actionem humanam; de qua pr. senti loco disputatur; sed potius esse finem omnium actionum humanarum. Vel respondendum est, quod visio beatifica in principio voluntaria fuit; nam actionibus humanis, & liberis, acquisita fuit; quanquam postquam habita fuerit, necessitatem habeat. ¶ His explicatis, dubitatur primo; Quid est, quod ait Diuus Thomas, quod bonum, & finis sunt idem; & quod bonum, & finis sunt obiectum voluntatis? videtur sententia Diui Thomæ falsa. ¶ Primò, nam Diuus Thomas pro certo habet, quod voluntas non potest ferri, nisi in bonum, quod maximè controuertitur inter Theologos, vt quæst. octaua videbimus. Sentiunt namque multi Theologi, voluntatem posse ferri in quodcunque ens, sine respectu boni; & posse velle miseriam, & summum malum, in quo nulla appareret ratio boni. ¶ Deinde, voluntas non solùm fertur in finem, sed etiam in media, vt planè constat. Ergo vniuersale obiectum voluntatis non est finis, sed finis, & medium. Confirmatur: nam amara potio, & vniuersaliter omne medium ad finis consequutionem necessarium, non habet rationem finis; at est obiectum voluntatis: est enim bonum: ergo solus finis non est obiectum voluntatis. ¶ Præterea non est improbabilis illa sententia, quæ asserit, quod datur appetitio in voluntate, quæ nec sit finis, nec medij. de qua differitur 1. parte quæst. 5. & infrà quæstion. 8. in introductione quæstion. & articul. 2. ergo appetitionis obiectum non est finis. ¶ Præterea, dato quod ista sententia sit vera, videtur inanis, & inefficax ad probandum, omnes actiones humanas esse propter finem. Nam ex hoc, quod finis sit voluntatis obiectum, non rectè concluditur, omnes actiones voluntarias esse propter finem; sed tantùm quod tendant in finem: sicuti ex hoc, quod color sit obiectum visus, non rectè concluditur; omnes visiones esse propter colorem, sed tendere in colorem. ¶ Item alia de causa ista ratio videtur mihi esse inanis: nam ex ea concluditur, omnes actiones voluntatis, etiam naturales, esse propter finem; nam finis est obiectum voluntatis. quod esse verum, negat Diuus Thomas in articulo. Tandem Diuus Thomas tertio contra gentes. cap. secundo, & tertio, & decimoseptimo, postquam demonstrauit omnia agere propter finem, conatur ostendere, omnia agere propter bonum. ergo bonum, & finis non sunt omnino idem. Pro huius quæstionis explicatione non est necesse à nobis disputari, si voluntas tantùm feratur in bonum; nam ista quæstio tractatur diligentius infrà quæstion. octau. vbi inquiritur, num voluntas sit tantùm boni: tantùm ostendendum est, quomodò finis, & bonum sunt idem. quod certissimum est; nam sicut voluntas, quicquid appetit, appetit sub ratione boni; ita quicquid appetit, appetit sub ratione finis. ¶ Rursus, quemadmodum bonum est, quod primo allicit voluntatem (quod significatur in illa sententia, Bonum est, quod omnia appetunt) ita finis est id, quod primò mouet appetitum (quod significatur in illa sententia, Finis est, cuius gratia aliquid fit) & sicuti bonum habet ex sese quod ametur; ita finis ex sese habet quod diligatur. Certè Aristotel. primo Ethicorum, postquam dixerat, bonum est quod omnia appetunt, subijcit continuò finium alij sunt operationes, &cæt. apertè significans bonum, & finem esse omninò idem. ¶ Ad argumenta in oppositum respondendum est. & ad primum dicitur; Diuum Thomam suam sententiam hausisse ex Diuo Dionysio capitulo quarto de nominibus diuinis, cuius verba sunt; Nemo intendens ad malum operatur. & ex Arist. 1. Ethi. dicente,

Ioan. 11.
Luc. 4.
Caietan.
An bonum & finis sint idē & an obiectū voluntatis.
D. Thom.
Quod finis & bonum sint idem.
Arist.
Responsio ad argumenta in oppositum.
D. Dyonis.
Arist.

dicente, Bonum eſt, quod omnia appetunt. licet enim aliqui vertant ex Græco, ſummum bonum eſt, quod omnia appetunt; magis tamen acquieſcendum eſt tranſlationi Argiropyli, quæ habet, Bonum eſt, quod omnia appetunt, id eſt, omnia appetunt bonum, & bonum eſt obiectum appetitus. Nec hæc veritas refellitur hoc argumento, maximi apud quoſdam momenti. Nolitio eſt mali, & non boni; at nolitio eſt actus voluntatis, ergo voluntas poteſt in malum ferri. Dicendum namque eſt, quod malum non fugitur, niſi propter bonum, cui aduerſatur malum; & ideo omnis nolitio ſupponit volitionem boni, propter quod malum deteſtamur. Itaque nolumus malum, propter bonum, quo priuat: & ſic nolitio eſt propter bonum. Vel reſpondendum; quod actiones potentiæ appetitiuæ bipartitæ ſunt: quædam ad proſequutionem pertinent; & huius generis actiones ſemper in bonum tendunt, & ex bono gignuntur. In ſecundo genere ſunt actiones, quæ ad fugam, & confutationem ſpectant: quæ certè, quanquam ex bono gignantur, & habeant bonum pro obiecto motiuo (quod dicunt Theologi) terminantur tamen ad malum; vt, nolitio infirmitatis terminatur ad malum, vt malum, & incommodum eſt, quanquam motiuum, ex quo gignitur hæc nolitio, ſit ſalus; ex huius enim appetitu mouetur, vt infirmitatem nolit, & eam deteſtetur. Ad idem genus pertinet odium, quo volumus inimico malum, vt bonum meum non impediat: ſic ſanè intellectus fertur in falſum per modum fugæ, & confutationis, diſſentiendo falſitati. In verum tamen tendit per modum proſequutionis, amplectendo, conſentiendoque. Simile docet Ariſtot. ſecundo de anima, cum dicit; Potentiam ferri in ſuum obiectum, & ſuum contrarium; explicante Caietano, in ſuum obiectum; per modum proſequutionis, amplectendo illud: in contrarium, per modum remotionis. profectò ſentit viſus tenebras, quia non videt illas. & ſic Diuus Thomas de malo, quæſtion. 16. articul. 3. ad 5. dicit, quod aliquis poteſt appetere non eſſe, quod malum eſt, per modum fugæ. Quod & valebit ad confutationem ſequentis argumenti; de quo lege Ferrari. tertio contra gent. capit. 19. & Caietan. omnino ſecunda ſecundæ, quæſtion. 2. articu. 3. & 12. quæſt. 25. articu. 2. ¶ Non difficilius ſoluitur alia quæſtio, & obiectio, quam hoc modo proponunt. Deſperantes volunt non eſſe: ſed non eſſe, non eſt bonum; bonum enim, & ens, conuertuntur: ergo deſiderium voluntatis non ſemper fertur in bonum. Ad hoc dicendum eſt, quod deſperantes decipiuntur; exiſtimant enim non eſſe tanquam bonum. Dico præterea, quod deſperantes volunt non eſſe, non propter ſe, ſed vt fugiant miſeriam; & carere miſeria, bonum eſt. Illud etiam argumentum inane eſt, quod quidam exaggerant. Sequitur (inquiunt) quod nullus poteſt operari contra conſcientiam, quod falſum eſt, & contra Diuum Paulum Romanorum decimoquarto. Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt. Probatur ſequela; quia ſi voluntas non poteſt velle aliquid, niſi ſub ratione boni, Petrus iudicans malum eſſe fornicari, non poteſt velle fornicari. Reſpondetur, cùm obiectum voluntatis ſit bonum abſolutè, poteſt eſſe iudicium, quod fornicari ſit malum morale, cum alio iudicio, quod ſit bonum delectabile, & hoc ſufficit ad volitionem. Vltimò argumentantur, & acutè, vt eorum iudicio videtur. Simplex apprehenſio poteſt mouere appetitum rationalem: ergo ſine cognitione boni poteſt eſſe appetitus voluntatis. Antecedens probatur: aliàs enim non ponerentur motus naturales, & primò primi in voluntate: quod eſt contra id, quod experimur, & contra omnes philoſophantes. Si enim ſuperuenit cognitio conuenientis, aut diſconuenientis, iam incipiunt deliberati motus. quæ omnia hoc argumento confirmantur. Nam Diuus Thomas 2. diſtinctio. 24. quæſtion. 3. articulo primo, & ſecundo, & in aliis locis, dicit eſſe quoſdam motus in appetitu ſenſitiuo, qui non poſſunt vitari; quia non ſequuntur cognitionem, ſed complexionem, & diſpoſitionem naturalem: & illi ſoli, non ſunt peccata: videtur ergo quòd poſſit eſſe aliquis motus, ſaltim in appetitu ſenſitiuo ſine cognitione boni, ſed ſolùm ex ſimplici apprehenſione. Ad diluendam hanc obiectionem non eſt neceſſe differi à nobis, num ad mouendum appetitum ſatis ſit ſimplex apprehenſio, an potiùs neceſſaria ſit notitia iudicatiua; nam hæc inueſtiganda ſunt diligentiùs infrà quæſtion. octau. In præſentia verò dicendum eſt, quod quemlibet motum appetitus præcedit aliqua apprehenſio boni; ſed talis apprehenſio aliquando potuit vitari; & ſic ſatis eſt ad peccatum ſi ſit de delectabili prohibito: aliquando verò talis apprehenſio non potuit vitari, quia naſcitur ex complexione, & diſpoſitione naturali; ſicut ex calefactione naſcitur quidam motus in ſenſualitate, ſed prius naſcitur apprehenſio in imaginatione. Cùm ergo dicit D. Thom. quod ſunt quidam motus in ſenſualita

Omnis nolitio ſuppo nit volitionem boni.

Ariſtot.

Caiet.

D. Thom.

Ferrar. Caiet.

Caiet.

Rom. 14.

D. Thom.

te præcedentes cognitionem, intelligendus est de cognitione, quæ fuerit in potestate nostra. & sic interpretatur disertè Capreo. 2. distin. 40. q. 1. ad 2. contra primam conclusionem. Vel dicendum est, quod motus naturales dicuntur, qui præcedunt cognitionem intellectiuam. ita censet hoc loco Conradus. Sed vt hoc melius percipiatur, obseruanda sunt verba D. Thom. in 2. d. 24. q. 3. art. 1. Duplex est (inquit) apprehensio rationis; vna, simplex & absoluta, quando scilicet sine discussione apprehensum dijudicat; & talem sequitur voluntas non deliberata: alia est inquisitiua, quando scilicet ratiocinando bonum, vel malum, conueniens, vel nociuum inuestigat; & talem apprehensionem sequitur voluntas deliberata. Ex quibus verbis apparet aliquod esse iudicium, quod D. Thom. vocat simplicem apprehensionem. Respondetur ad secundum. Medium aliquomodo esse finem: voluntas namque tendit in illud, & in eius adeptione aliquomodo quiescit: & cùm omnis voluntatis actus sit quidam motus; obiectum est terminus eius. Vel dicendum est, quod finis est obiectum voluntatis motiuum; sed terminatiuum potest esse aliquid, quod non sit finis. Potest etiam responderi, quod medium non appetitur propter se, sed solùm propter finem; & ideo finis est obiectum voluntatis: nam quicquid appetitur, appetitur propter finem. Vel dicendum est, & in idem redit, quod bonum, quod per se est bonum, & finis, re idem sunt, & minimè differunt: id verò quod est bonum per accidens in ordine ad alterum, vt medium, quod dicitur bonum, quia est commodum ad finis consequitionem, non est necesse quod sit idem cum fine. Sic respondet hîc Caietan. sicut obiectum visus per se est color, vel quid lucidum, per accidens verò est homo, & quæuis alia res visibilis. Ad tertium respondetur; illam sententiam non esse probabilem, de qua disputatur 1. p. loco citato & infrà q. 8. Ad quartum vt respondeamus; explicandum est, num ex eo, quòd finis sit voluntatis obiectum, rectè concludatur, omnes operationes voluntatis esse propter finem. In cuius rei expositionem docet præsenti loco Caietanus tendere in aliquid, commune esse omni tendenti in terminum; operari verò, vel esse propter finem, proprium esse causæ finalis. Cùm igitur doctrina ex proprijs sit tradenda, cum Diuus Thomas potuisset inferre, ergo omnes operationes voluntatis tendunt in finem: rectissimè intulit, ergo omnes operationes humanæ sunt propter finem; tum, vt ostenderet proprium modum causandi causæ finalis: tum verò, vt demonstraret modum proprium operandi hominis: eo enim à cæteris animantibus homo separatur, quòd rationem finis agnoscat, & propter illius assequutionem operetur. Est namque de ratione appetitus rationalis, quòd habeat pro obiecto finem, à ratione præstitutum, demonstrante, & indicante illud esse bonum, & dignum, cuius adipiscendi gratia operetur. Itaque in voluntate idem est, tendere in finem, & agere propter finem. Respondetur ad quintum quod quando voluntas mouetur naturaliter, potiùs agitur, & impellitur ab autore naturæ, quàm se agat, & moueat liberè; & ideo huiusmodi actiones, propriè actiones non sunt. Vltimo argumento respondetur; quòd id, quod Diuus Thomas in illo loco fusissimè tractauit, idem hîc paucissimis comprehensus est verbis, sequens Aristote. 1. Ethicor. in principio, vbi paucissimis verbis demonstrat, omnia humana opera esse propter bonum, & finem. Omnis (inquit) ars, & disciplina, omnisque electio, & actus, bonum quoddam appetunt. ex quo concludit, veteres Philosophos rectissimè dixisse; Bonum est, quod omnia appetunt.

Dubitatur præterea, An verum sit, quod huiusmodi operationes tantummodo sint illæ, quarum habemus dominium, & quæ à voluntate deliberata profiscuntur. Videtur quòd non. Nam actio hominis circa vltimum finem, (in via, verbi gratia, appetere beatitudinem, vel velle bonum) est actio humana; at non est in nostra potestate: necessitatur namque voluntas, & nullus est, qui deliberet, aut consulat, num velit esse beatus. Præterea, actiones appetitus sensitiui, antequam ratio deliberet, humanæ sunt; siquidem in illis potest esse meritum, aut demeritum. at non sunt deliberatæ, ergo actio humana non rectè definita est. Respondetur ad primam obiectionem; quod illa actio tantùm habet de humana, quàtum de libera; est tamen libera, quantum ad exercitium, & contradictoriè (quod aiunt Theologi) id est, potest voluntas velle, & non velle, licèt non possit velle contrarium. Respondetur ad secundam, quod voluntas deliberata est duplex; formalis, quando actu ratio deliberat; & interpretatiua, quando consentit ante deliberationem, præcesserit tamen opportunitas deliberandi, & consultandi, quid nam agendum esset; & vtraq; satis est ad actionem humanam.

Dubitatur præterea, Quem sensum habeat illa D. Thom. sententia in argumento, sed contra; Primum in vnoquoque genere est causa

Capreo.

Conradus. D. Thom.

Aristot.

An actiões humanæ sint illæ quarum habemus dominiũ, & quæ à voluntate deliberata originẽ ducunt.

Caietan.

Ad obiectiones in oppositum

Nũ ex quo finis est voluntatis obiectum, cõsequatur omnes operationes voluntatis esse propter finem.

Quis sensus sit illius sententiæ; Primũ in quo vis genere, est causa aliorum.

causa aliorum; quam accepit ex Aristot. 2. meta. c. 1. Durand. 2. distinct. 15. quæst. 3. exponit, id est, primum in genere causalitatis, est aliorum causa. Sed hoc ridiculum prorsus est: hoc enim nil aliud est, quàm quòd prima causa, sit causa aliorum. Capreol. 2. d. 14. q. 1. ad 1. Durandi ait, quod primum in perfectione & ordine naturæ, aliquo modo est causa omnium aliorum: & arbitror, quod saltim est causa exemplaris, vt lux, & albedo est causa omnium colorum. Angelicus Doct. 1. p. quæst. 10. articu. 6. ad 4. ait, quod quando aliquid est mensura alio rum, non est necesse quod cætera ab eo dependeant, sed satis est, quod sit simpliciùs, & perfectiùs. Quicquid tamen sit de alijs, Causa finalis est prima omnium causarum, à qua cæteræ dependent, & deriuantur: nam vniuersæ referuntur ad causam finalem, qua obtenta, vniuersa cessat actio. Deinde, materia nullius est actiuitatis, & valoris: forma si non adsit, virtus agentis non potest peruenire: agens, nisi cupiditate formæ moueatur, & finis, nil operatur. Finis igitur est prima omnium causarum, à qua cæteræ omnes dependent. Finis enim rerum agendarum ita comparatus est, sicut primum principium in scientijs. Quemadmodum enim primum principium in scientijs est causa omnium conclusionum; ita finis est causa rerum agendarum: & vt ex primo principio omnis veritas deriuatur; ita ex fine recto vniuersa studiosa operatio habet originem. quod significauit Dominus in illo verbo. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. id est, si recta fuerit finis intentio, vniuersa operatio inde subsequuta, studiosa erit. cui consonat illud. Arbor non potest malos fructus facere, si sit bona. Matthæi 7.

Ariſt. Durand. Capreol. D. Thom. Matth. 7.

¶ In solutione ad primum, variæ quæstiones moueri solent, ad inuestigandum quomodo finis mouet. In primis quæritur; Num finis moueat secundùm esse reale, an potiùs secundùm esse intentionale, & cognitum. verbi gratia; Sanitas mouet infirmum ad sumendam potionem, vt sanus fiat: quæstio est, vtrùm moueat secundùm esse reale, quod nondum habet, an verò secundũ esse cognitũ. Hæc quæstio solet sedari tribus Conclusionibus.

Vtrùm finis moueat secundũ esse reale, an potiùs secundùm esse cognitum.

Prima Cõc. Prima Conclusio. Finis mouet secundùm esse reale futurum, vel possibile. verbi gratia; Sanitas, quæ potest in infirmo causari, mouet medicum ad medendum. probatur sic esse. Nam finis est, in cuius adeptione quiescit appetitus, at appetitus non quiescit, nisi in rei assequutione. Tum verò; nam finis est illud, quod desideramus, & cuius adipiscendi gratia laboramus: at infirmus non desiderat cognoscere sanitatem, vel habere illam in proposito sui animi, sed in re illam habere. Tum deinde; nam finis est optimum, & vltimum, cuius gratia aliquid fit, quem si agens non consequatur, eum frustratum esse omnes dicimus. Sed vniuersæ istæ conditiones fini conuenire non possunt, prout est in intellectus consideratione; sed prout est in re, vt planè constat. Sed & illud argumentum maximè rem confirmat, quod finis, & bonum idem sunt, & in nullo differunt, vt suprà ostensum est. at bonum, & malum in rebus sunt, secundum Aristot. 6. metaphy. c. 4. Ariſt.

Secunda Conclusio. Esse in intentione, & apprehensione intellectus, est conditio requisita vt finis moueat: itaque quemadmodum in causa efficienti forma est ratio, & principium operandi, conditio verò requisita est, quod applicetur ad operandum: sic in causa finali, ratio formalis, quæ allicit appetitum, est esse reale, & bonitas realis extra intellectum: sed conditio requisita est, quòd cognoscatur, & proponatur per intellectum. Medicus enim non curaret, nisi cognosceret sanitatem esse possibilem, & infirmo commodam. Miles non pugnaret, nisi existimaret victoriam esse possibilem. Cuius rei est alia euidens demonstratio. Finis enim mouet nostram voluntatem: sed nihil volitum, nisi præcognitum (vt est in prouerbio) & ideo vt moueat finis, prærequiritur cognitio. Præterea, finis est omnium causarum prima: præcedit ergo, &, vt constat, non secundùm esse reale; siquidem secundùm esse reale effectus est operatione agentis consequutus: oportet ergo vt præcedat secundũ esse cognitum. Secunda Concluſio.

Tertia Conclusio, quod finis sit in executione, & in effectu, neque est ratio formalis, nec conditio requisita vt finis moueat: nam finis mouet, antequam habeatur, & desideratur, etiam si non acquiratur. Rursus, Finis mouet, quando actu est; etenim finis mouet, quãdiu agens agit, id est, vsque ad primum instans esse acquisiti finis: & potissimè mouet, quando est, quietando, & exaturando nostrum appetitum. Ex his conclusionibus elucidatur sententia illa celebris, quam habet Commentator. 12. met. text. 36. Forma (inquit) balnei ad extra mouet, vt finis: vt verò est in anima, agit desiderium. In prima parte huius sententiæ loquitur de ratione formali: in secundâ verò parte loquitur de conditione requisita: finis enim non gigneret desiderium, nisi præcognosceretur. Ita docent omnes discipuli D. Tho. cum Caiet. summo consensu. Hanc tamẽ Tertia Cõc. Commẽtat.

sententiam refellunt euidentissima argumenta, vt ego sentio. In primis, D. Thom. infrà q. 31. art. 3. ad 1. apertè docet, quod apprehensio boni, est ratio obiectiua, & non tantùm conditio requisita vt bonum moueat appetitum. idque persuadere nititur efficaci argumento. Nam bonum, & malum, secundùm diuersas apprehensiones intellectus, causant varias virtutes, & operationes: malum enim apprehensum, vt præsens, causat tristitiam; apprehensum, vt futurũ, timorem incutit. igitur non est tantùm conditio requisita. In eodem loco asserit, quòd bonum apprehensum per sensum, si iam est præsens, causat delectationem; bonum verò apprehensum per intellectum, si iam est adeptum, efficit gaudium. Hoc ipsum confirmat D. Tho. 1. p. q. 80. artic. 1. & 2. idque euidenti argumento demonstrat. Nam hoc differt inter naturalem appetitum sensitiuum, & rationalem: quod naturalis habet pro obiecto bonum, sine cognitione; sensitiuus verò habet pro obiecto bonum, apprehensum per sensum; sed intellectiuus, siue rationalis habet pro obiecto bonũ, apprehensum per intellectum. Ex quo euidens est, quod apprehensio, & cognitio boni, non tantùm est conditio requisita, sed ratio obiectiua, ex qua differentia appetituum præcipua sumitur. Sed & Dominus Caiet. infrà q. 30. artic. 3. ad 2. pro certo habet, quòd boni apprehensio, & cognitio, non est aliquid prærequisitum ad appetitionem, & quasi approximatio agentis ad passum; sed quod est ratio obiectiua voluntatis. & contrarium asserere, scribit Caietan. ab omni philosophia esse alienum. quod confirmat duobus argumentis, quæ breui comprehendit sermone. Alterum est, quod ad mouendam voluntatem nil differt bonum, aut apparens bonum; obiectum enim voluntatis est bonum, vel apparens bonum. Certè cùm apparẽs bonum mouet voluntatem, ratio rei, quæ mouet, non est à parte rei, sed secundùm quod est in intellectu. Iam verò alterum argumentum euidentiùs rem concludit. Nam appetitio est mala, tendens in verè bonum apprehensum, vt malum. ergo bonum, secundùm quod est in intellectu, & non secundùm esse reale, tribuit speciem actibus humanis; alioqui hæc appetitio bona esset: tendit enim in id, quod est verè bonum: sed quoniam tẽdit in bonum, quod reuera existimatur malum, appetitio mala censetur. Itaque ad propositam dubitationem dicendum est, argumenta adducta euidenter demonstrare, finem esse in intentione, non esse tantùm conditionem prærequisitam, sed esse rationem formalem, & obiectiuam, ratione cuius mouetur voluntas. Certè, quemadmodum color lumine illustratus, est obiectum visus; sic & bonum cognitum, & apprehensum, est causa amoris obiectiua; & quò apparet, & apprehenditur melius, pulchriusque; magis mouet: intellectus enim exornat obiectum, & proponit, vt pulchrum, & in ista ratione appetitur, & amatur. Sed & illud animaduertendum est, argumenta à contrarijs posita tantùm persuadere, quod finis non mouet, vt habeamus illum in intentione, & in animi nostri proposito, sed vt habeamus in re. Et in hoc sensu explicandi sunt discipuli D. Thomæ cùm dicunt, finẽ mouere secundùm esse reale, & non secundùm quod est in intentione. Labuntur tamen dicentes, finem esse in intentione, aut apprehensione, esse tantùm conditionem requisitam, & nõ potiùs rationem obiectiuam. Sed contra nostram sententiam obijciunt quidam fortissimè (vt ipsi existimant) Sequeretur, inquiunt, si vera esset hæc sententia, quòd charitas in via, & in vita beata different specie. quod asserere, absurdum est, & à doctrina Catholica alienum; cùm charitas eadẽ maneat in via, & in patria. Quod rectè sequatur, patet. nam, vt antea dictum est, apprehensio, & cognitio boni est ratio obiectiua appetitus; ergo vbi fuerit diuersa apprehensio, erit diuersa ratio charitatis, & amoris. cõstat autem quod in vita præsenti apprehensio est ænigmatica, & pertinet ad fidem; in vita verò beata est aperta, euidensque, & pertinet ad visionem. Sed non est difficile hoc argumentum refellere: nam diuersa apprehensio non causat diuersam appetitionem, secundùm speciem, nisi quando apprehenditur bonum sub diuersa ratione boni, at in vita præsenti, & in vita beata, eadem ratio boni apprehẽditur, licèt hîc obscurè, illîc apertè. Sunt & qui dicant, amorẽ patriæ, & viæ, differre in genere moris; quandoquidem amor in patria, est necessarius; in via, liber existit: hoc tamen alterius est speculationis.

Quæstio alia solet moueri; Vtrùm finis habeat aliam causalitatem, præter causalitatẽ causæ finalis. id est, Vtrùm habeat vim causæ efficientis. Pro cuius breui declaratione sciendum est, quod finis potest comparari ad operantem, & ad media, quæ ducunt in finis assecutionem. Si comparetur ad operãtem, officium finis est, imprimere inclinationem, & amorẽ sui in operante, quibus alliciatur ad operandum, & finem consequendum: in quo genere mouendi, id, quod mouet appetitũ, est, esse illud, cuius amore, & desiderio tenetur. Et hoc intelligunt Philosophi cùm dicunt, Finem esse, cuius gratia aliquid fit; quod est illud, cuius amore agens mouetur ad operandum. Si verò referatur ad media

D. Thom. Quòd esse in intentione nõ sit tantum conditio requisita vt finis moueat.

D. Thom.

Caiet.

Cõtra præfatam sententiã arguitur acrius.

Dissoluitur ista obiectio.

Quando diuersa apprehensio causet diuersam appetitionem secundũ speciem.

An finis aliã habeat causalitatẽ quam causæ finalis.

dia causalitas finis, in hoc cõsistit, quod tribuit medijs quandam bonitatem, & amabilitatem, ex eo, quod ordinantur ad finem. verbi gratia. Sanitas desiderata ab infirmo dat medicinæ dulcem quandam bonitatem, ex eo, quod ordinatur ad sanitatem, ita, quod etsi esset horrēda, & fœtida, amaretur, & desideraretur; quæ si nõ ordinaretur in talem finem, vt horrendũ quid, & insipidum reijceretur. quod esse verum, vel experientia ipsa demonstrat. Dicunt ergo quidam, quod finis & est causa efficiens, & est causa finalis; diuersa tamen ratione: efficiēs, in quãtum imprimit sui amorem, & inclinationem; finalis verò, in quantum perficit operantem, & mouet eum ad operandum, & tribuit medijs bonitatem, & amabilitatem superiùs expositã. de qua re. q. 9. art. 1. diligentiùs inuestigabitur.

An finis sem per sit prior in intentio ne, & poste rior in exe cutione.

Dubitari præterea solet; Vtrùm finis sit sem per posterior in executione, prior verò in intẽtione. Respõdetur; non semper finem posterio rem esse tempore, vt videre est in Deo Opt. Max. qui est Alpha, & O, principium, & finis qui tempore omnia antecedit: oportet tamen quod sit posterior in executione, id est, in adeptione.

D. Thom. An actu vo luntatis eli citũ esse vi tæ humanæ finẽ sit pos sibile.

In solutione ad 2. affirmat D. Thom. esse im possibile actum voluntatis elicitum, esse vltimum finem humanæ vitæ. Nam vltimus finis est summum, & appetibile primum: at impossibile est, quòd actus voluntatis sit primum appetibile, vt est impossibile, quòd videre, sit primũ visibile. Hæc D. Thom. ratio etsi acuta videatur, nihilominus nullius videtur momẽti ad demonstrandum quod nititur probare. Vel enim loquitur D. Thom. de fine, vt res quædam est, quam maximè desideramus; vel vt est adeptio, & consecutio rei, quam desideramus. verbi gratia. Auari dicimus duplicem esse finem; vnum, pecuniam; alterum verò, possidere pecuniam. Si loquatur D. Tho. de fine, prout est res quædam, nullus actus voluntatis, neque alterius potentiæ potest esse vltimus finis: omnis enim actus ad aliquod terminatur obiectum. Si verò loquatur de fine, prout est assecutio rei, quam appetimus, id quod affirmat D. Thom. non est adeò certum: nam Scot. & multi alij Theologi censent, vltimum finem in actu voluntatis esse collocandum: finis enim in hoc sensu non est primum appetibile, sed assecutio primi appetibilis. Deinde ratio hæc D. Thom. alia de causa nulla esse videtur. Si enim aliquid probaret, probaret etiam vltimum finẽ hominis in actu intellectus non esse constitutũ: nam finis vltimus noster, est prima, & summa veritas: sed prima, & summa veritas non potest esse actus intellectus; quandoquidem est obiectum intellectus. Præterea argumentum hoc aliud habet vitium. Nam D. Thom. pro certo habet, quod actio hominis, quæ est vltimus finis, est actio humana; cuius oppositum ostẽsum est 1. p. Demonstratum namq; est, quòd visio beata, quæ est nostra felicitas, non est actio libera, sed necessaria. Huic dubitationi respondemus, dicentes, D. Thom. in præsenti non distinguere hos duos fines commemoratos: idem namque finis est pecunia, & pecuniam possidere. Et licèt aliquando D. Thom. & cæteri Theologi inter se dissentiant, in hoc tamẽ maximè conueniũt, quod vltimus finis, siue pro re ipsa, siue pro assecutione rei accipiatur, semper est summum, & primum bonum, ratione cuius cætera amãtur. Ex quo argumento euidenti cõcluditur, quod assecutio vltimi finis non potest esse actus voluntatis; nam est primum, & summum bonũ, at actus voluntatis non potest esse primum bonum, sed obiectum eius voluntatis scilicet. Cæterùm non est impossibile, quod actus intellectus sit assecutio vltimi finis: non enim est impossibile, quòd actus intellectus sit summum bonum voluntatis. Sed de hoc infrà q. 3. arti. 4. accuratiùs & diligentiùs.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ *Vtrùm agere propter finem sit proprium rationalis naturæ.*

SVMMA TEXTVS.

Prior Cõcl.

PRior Cõclusio. Vniuersa agentia operãtur propter finem. Causarum enim subordinatarum, si prima subtrahatur, necessum est alias subtrahi. Sed prima inter omnes causas, est causa finalis: materia namque non consequitur formam, nisi secundùm quod ab agẽte mouetur; neque agẽs mouetur, nisi ex intentione finis. vt igitur vniuersa agentia operentur, necessum est vt agant propter finem.

Posterior Conclusio.

Posterior Conclusio. Proprium est rationalis naturę agere propter finem, sic, vt rationalis natura hoc habeat proprium, vt se moueat, & ducat in finem. Illa enim quæ ra-

tionem habent, seipsa mouent ad finem, cùm dominiũ habeant suorum actuum, per liberum arbitriũ: & sit in sua potestate, sic, vel aliter operari, & ad istum finem, vel aliũ se conuertere. Quæ verò ratione carent, quasi ab alio ducta, tendũt in finem apprehensum, si sunt animalia bruta, & in non apprehensum, per solam naturalem inclinationem, si omnino cognitione careant.

EXPLICATIO ARTICVLI.

EXplicatio articuli huius in quatuor capita est reducenda. Exponendum primò est, vtrùm omnia propter finem operentur. Secundò, num animalia bruta se in finem moueant, & finis rationem cognoscant. Tertiò, quomodo sit propriũ naturæ rationalis, quod se agat, & dirigat in finem. Quartò, vtrùm Deus operetur propter finem. Nam D. Thom. ait in art. hoc esse propriũ rationalis naturæ, non creaturæ. Vt igitur à prima quæstione exordiamur, apparet certè non omnes actiones esse propter finem. In primis, actiones contemplatiuæ non sunt propter finem, sed propter se. Deinde, actiones otiosæ, & quæ non seriò fiunt, atque adeò actiones, quæ fiunt præter intentionem operantis, vt fricatio barbæ, non fiunt propter finem. Præterea, ea quæ sunt à casu, non sunt propter finem, teste Aristot. 2. Physico. Ea enim quæ fiunt propter finem, eueniunt plerumque, aut vt plurimum; ea verò quę fiunt à casu, non eueniunt semper, aut plerumq; .ergo &c. Preterea difficile est explicatu, quomodo entia naturalia, cognitionis expertia, operentur propter finem. Ignis enim quando comburit, non mouetur realiter à fine, cùm finis nondum sit: nec verò mouetur, quoniam habet finem in proposito, & intentione: ignis enim non cognoscit finem, nec illum sibi præstituit. Præterea sunt multi effectus in rerũ natura, quorum mens humana non valet comprehẽdere rationem, nec causam; vt quare sint producti culices, & dracones; quare pluat in mari, & nõ in terra, quę pluuia eget: quid est, quod fulmina percutiant montes, & non latrones; & iustus condemnetur, & scelerati absoluantur. De his effectibus, quorum mens humana non valet assignare rationem, optimè philosophatur D. Augustinus super Psalmum 148. Præterea ratio, quà sibi persuadet D. Thom. omnia agere propter finem (nam ait, Oportet quòd ex suo fine ad operandum determinentur) nullius roboris esse videtur. Nam ex ea consequens est, quod naturalia agentia nunquam operarentur: ignis namque vt moueatur ad operandum, necesse est quòd determinetur, non solùm ad effectum huius speciei, sed ad hunc singularem effectum: actiones namque versantur circa singularia. Sed ignis non determinatur, neque ex vi suæ naturæ, neque ex fine suo ad producendum hunc effectum singularem; conseruatio enim speciei, quæ est finis comburentis ignis, nil minus incolumis esset, si alius ignis produceretur. Ergo si ratio D. Thom. valida esset, agẽtia naturalia nunquam operarentur. Confirmatur idem. Nam si artifex esset determinatus ad ædificandum, & nunquam determinatur ad hoc, vel illud efficiendum, nunquã operaretur.

Pro huius quæstionis explicatione sciendum est, Arist. 2. physic. c. 8. id solùm instituisse probare, naturam agere propter finem, omnesque eius actiones in aliquem scopum esse destinatas. Id ipsum demonstrat D. Thom. accuratiùs & diligentiùs 3. contra gent. c. 2. & 3. Lactantius Firmianus in lib. quem de opificio conscripsit. Cice. lib. 2. & 3. de natura Deorum. Sufficere nobis deberet hac in re, vnica rerum omnium magistra experientia, vt eius omnes actiones ad finem aliquem tendere fateremur. Quis enim diffitebitur hirundinem paleas eò colligere, vt nidum efficiat? aut araneã non alia de causa telam cum tanto labore texere, quàm vt muscas capiat? & plantas expansa habere folia, vt fructus ab iniuria cæli defendantur? Deinde, si videremus sagittam, ex aliquo secretiori loco prodeuntem, eundem semper ferire scopum, rectè sanè colligeremus, esse aliquem, qui eam in scopum dirigeret. Præterea, si in forum aliquod, vel lyceum ingressi, summum ordinẽ, maximumque ornatum intueremur, illico intelligeremus, aliquem esse, qui præesset, & cuius imperio omnes parere tenerentur. Iam verò si in domum aliquam adducti, variã, ac pulcherrimam eius supellectilem videremus, continuò colligeremus, non ab aliquo architectonicæ artis ignaro, sed à maximo aliquo huius artis opifice esse erectam. Eadem prorsus ratione, ex visibili huius mundi mole, tam admirabili, excellentique ordine dispositа, esse huius mũdi moderatorem, & gubernatorem aliquem, Deum scilicet Opt. Max. cuius nutu, & consilio omnia gubernentur, facilè est intelligere. Invisibilia enim ipsius (vt dicitur Rom. 1.) à creatura mundi intellecta conspiciuntur: & vt dicitur Sapient. 13. ab specie creaturæ cognoscibiliter

An omnes actiões sint propter finem.

Primum argumentũ.

Secundum

Tertium.

Aristot.

Quartum.

Quintum.

D. August.

Sextum.

Confirm.

Arist.

D. Thom.

Lactantius.

Cicero.

Quod natura agat propter finẽ in omni sua actione.

Rom. 1.

Sap. 13.

liter poterat cognosci creator omnium. Certè, vt rectè argumentatur Cicer. libr. 3. de natura Deor. si characteres literarum temerè proiecti, historias, seu annales Ennij non perficiũt, quomodo est credibile, mundum hunc, tam excellentem, & admirabilem, fortuito causarum cõcursu esse perfectũ? sed omnino legatur Arist. qui 2. Physicorum cap. 8. & primo lib. de animalibus cap. 1. admirabili artificio, & copiosa argumentatione demonstrat, vniuersam naturam operari propter finem. Antiqui namque Philosophi causam finalem penitùs ignorantes, omnes effectus referebant, vel in causam materialem, vel in fortunam, & casum, qui in omnibus dominatur. Si enim ab illis quæras; quid est, quòd oculi sunt diaphani? totum hoc in causam materialem referunt, nempè, quia de materia parum habent. Quod si perconteris; quid est, quod oculi in capite, & non in pede, & in anteriori parte capitis sint constituti? id fortè fortuna, & casu accidisse fatentur, qui infeliciter, & miserè mundum hunc diuina gubernari prudentia negabant, & omnia temerè fieri attestabantur. Arist. verò vel ex hoc summam adeptus est laudem, quod cognouit causam finalem rerum naturalium, ex qua mundũ hunc diuina prouidentia, & summa ratione esse constitutum rimatus est; cuius est illa sententia memorabilis. Opus naturæ, est opus intelligentiæ; id est, opera naturalia, summa intelligentia, & diuina sunt disposita. Sed videamus, quibus rationibus id sibi persuasit Arist. capita tantùm argumentorũ referam. Primùm, naturalia semper, aut plerumque fiũt: quæ verò eueniunt temerè, & casu, rarò accidunt. Deindè, natura vniuersa semper ducit in id, quod melius est, & perfectissima, & ordinatissima media. Tertiò, ars, quę certissimè operatur propter finem, imitatur naturam, & eodem modo operatur atque natura. Si enim ars extrueret nidum, eodẽ modo efficeret sicut natura; quod si natura domũ ædificaret, eiusdem figuræ faceret, atque ars facit. Quartò, monstra, atque peccata esse nonnũquam in rebus naturalibus planè cõstat. at peccare, est à vero scopo & fine aberrare. Vltimò, cùm omnia agentia operentur propter bonũ; ignis enim propter aliquod sibi conueniẽs operatur, nempè vt species conseruetur: idem bonum appetit homo, cùm generat hominem. Consequens est vniuersa operari propter finẽ; finis enim nihil aliud est, quàm bonum, cuius gratia aliquid fit. Ad argumenta in principio respondetur. Ad primum dicitur, quod actiones contemplatiuæ non sunt propter finẽ, sed sunt ipse finis. ita D. Thom. 3. contra gentes ca. 2. actiones verò iocosæ aliquando quæruntur vt finis, quando quæruntur propter sui delectationem; aliquando verò quæruntur vt media, vt postea vehementiùs operemur. Illæ verò actiones, quæ sunt præter intentionem operantis, non fiunt ab intellectu, sed vel à subita imaginatione, vel à causa naturali: calor enim immodicus excitat pruritũ, estque causa confricationis. verùm omnes istæ operationes sunt propter finem ab autore naturæ constitutum: operationes verò ociosæ, non appellantur ociosæ; quoniam carent fine, sed quoniam carent debito fine, vel fine à ratione præstituto, vt autor est D. Greg. homelia 6. in euangelia, explicans illud, de omni verbo ocioso. Respondetur ad secundum, quod quando Petrus v. c. ibat in forum recreationis gratia, & tegula cadens fortè fortuna illum occidit, omnia agentia naturalia hîc interuenientia operantur propter finem. De Petro exploratum est: nam finis eius erat animi recreatio. de tegula verò eadem est certitudo; descendebat enim in locum naturalem, vt ibi quiesceret. Omnia itaque agentia operantur propter finem. Cæterùm effectui per se intento, coniungitur alius effectus per accidens, videlicet quòd Petrus occidatur: hic verò effectus non habet alium finem distinctũ ab actionibus naturalibus, quibus per accidens coniungitur. imò dicendum est, quod non habet aliquem finem. Et ad argumentum respondetur, quod finis causarum naturalium vel liberarum, satis est ad omnes effectus naturales, & fortuitos: & ita omnia agentia semper operantur propter finem. Illud etiam est aduertendum, quod effectus fortuitus, comparatione ad causas particulares, fortuitus est, & præter intentionem: cæterùm comparatione ad primam causam, intentus, & etiam præuisus. Nam diuinam prouidentiam ad omnia, etiã minima, ad numerandos etiam capillos capitis sese extendere, certissimum est. Cui consonat illud Ecclesiast. 5. Ne dicas coram angelo, non est prouidentia. Si videris calumnias egenorum, & violenta iudicia, & subuersionem iustitiæ in prouincia, ne mireris super hoc negotio; quia excelso excelsior est alius, &c. Hoc D. Hieron. de prouidentia Dei exponit, quam nemo debet negare, etsi cõmemorata delicta videat in prouincia; quia Deus reseruat hæc omnia in iudicium. Ad tertium respondetur, quod natura operatur propter finem, quasi ab alio directa, & adducta in finem: & ideo non est necesse, quòd cognoscat, vel præstituat finem. Respondetur ad quartũ, quod omnium operum Domini homo non valet rationem reddere, sed rector vniuersorum omnia comprehendit, quæ facit verbum eius: homo verò debet hæc considerare, vt placeat Deo,

Cicer.
Arist.
Solutio argumẽtorũ.
D. Thom.
Gregor.
Ad secundũ
Nota.
Eccles. 5.
Hieron.
Ad tertium
Ad quartũ.

Deo, & in omnibus laudare artificem. Nam ſi intrares in officinam fabri ferrarij, non auderes reprehendere folles, malleos, & incudes, quorũ rationes non ſcires. Ad hunc modum reſpondet Auguſt. loco citato in argumento. Auguſt. Ad vltim. Ad vltimum, quod difficilè eſt, reſpondẽt quidam moderni, quòd prima cauſa determinat agentia naturalia ad hunc producendum effectum. Sed hoc non eſt legitimè philoſophari, quotidianos & ordinarios effectus in ſolam primam cauſam reducere. Certè eodem modo diceremus, quòd Deus determinauit ignẽ in ad comburendũ potius, quàm ad frigefaciendum. Dicendum ergo eſt, ignem ad calorem producendum ex vi ſuæ formæ determinari: cæterùm ad producendum hunc calorem, ex eo determinari, quia hanc formam habet, & quoniam in hoc loco, in hoc tẽpore, & circa hoc ſubiectum operatur: ſi enim haberet aliam formam, aut in alio tempore operaretur, alium certè calorem produceret. Quod ſi quæras, à quo determinatur ignis ad hanc actionem, hoc loco, & tempore perficiendam? Reſpondetur; ex inſtinctu naturæ, & ab autore naturæ mediis cauſis ſecundis determinatis; quemadmodum ſagitta ad iſtum ictum, & ad iſtum ſcopum determinatur à ſagittante, & ab impetu ſagittę impreſſo. Sed quanquàm copioſè demonſtratum ſit, omnia agere propter finem, non quieſcunt Theologi, nec deſinunt argumentari. ¶ In primis ſic arguunt. Obijcitur cõtra ſuperius dicta. Nã peccatũ veniale, verbi gratia, mendacium, non eſt propter finem; non enim eſt propter Deum: peccatum enim in Deum referri non poteſt: neque verò eſt propter creaturam; alioqui eſſet peccatum mortale, ſiquidem haberet creaturam pro vltimo fine, quæ magna peruerſitas eſt. ¶ Deinde, pia voluntatis affectio in eo, cui Euangeliũ prædicatur, quæ ſemper credulitatem, & fidem præcedit, non eſt propter finem; ſiquidem non eſt propter finem naturalem: liquet enim eſſe actionem ſupernaturalem. neque ordinatur ad finem ſupernaturalem: nam ordinationem in finem ſupernaturalem neceſſum eſt præcedat cognitio ſupernaturalis, quæ hîc non præcedit, cùm fides nondũ aduenerit. ¶ Præterea, hominem eſſe animal, eſt aliquid creatum, & reale; ſi quidem eſt magna perfectio; at non eſt propter finem: nam autore Ariſtot. 7. met. text. 59. quærere, quare homo ſit animal, ſuperuacaneum eſt inueſtigare; quia nõ habet cauſam finalem. Hæc argumenta facillimo negotio ſoluuntur. Primum argumentũ. Secundum Tertium. Ariſtot. Ad primum

¶ Ad primũ enim dicendum eſt, quòd qui mẽtitur, propter aliquem finem operatur: nemo enim intendens ad malum operatur: mentitur ergo, vel propter ſuum commodum, vel propter delectationem, vel vt alterum defendat. Vtrùm verò in his conſtituat vltimum finem, in ſequentibus explicandum eſt. ¶ Secundo ar- Ad ſecundũ gumento reſpondetur: quòd illa pia affectio eſt propter finem ſupernaturalem, quam haud dubiè iam præceſſit prædicatio Euangelij ſupernaturalis, quæ ſatis eſt vt dirigat operationem in finem ſupernaturalem. Sed & illud reſponderi poteſt, quòd in eodem temporis momento, in quo eſt pia voluntatis affectio, eſt etiam lumen fidei illuminans; & ſic pia affectio introducit fidem, & credulitatem, & lumen fidei dirigit piam affectionẽ. ¶ Tertio & vltimo argumento reſpondetur: non militare contra noſtram concluſionem: ſiquidem hominẽ eſſe animal, non eſt operatio, & nos tantum aſſerimus, vniuerſas actiones eſſe propter finem. Rurſus, concluſio noſtra intelligenda eſt de rebus, quæ exiſtunt, & reuera efficiuntur: hominem verò eſſe animal, neque exiſtit, neque efficitur. Quid autem rei ſit hominem eſſe animal; an ens rationis, an ens reale, creatũ, an increatum, diſputant metaphyſici. Sed hæc diſputatio ad noſtrũ inſtitutum non ſpectat. Ad tertium & vltimum.

Eſt iam ſecunda quæſtio, An animalia bruta propriè ſe agant in finem. Ariſtot. 8. Phyſic. & alibi ſæpe aſſerit, quod bruta mouent ſe in ſuos fines. & probatur hoc. ¶ Nã bruta per proprium appetitum, & cognitionem tendunt in ſuos fines; ergo propriè mouent ſe in finem. Et in hoc diſtinguũtur à rebus inſenſibilibus, quarum motus tribuitur generanti: nam iſte motus conſequitur qualitates naturales, quas à generante ſuſcipiunt: & qui dat formam, dat conſequentia formam. bruta ergo quia habent cognitionem, & appetitum finis, mouent ſe in finem. ¶ Præterea, bruta videntur cognoſcere rationem finis, & ordinem mediorum ad finem, ergo propriè mouent ſe in finem. Conſequentia euidens eſt, & probatur antecedens. ouis enim apprehendit herbam ſibi conuenientem ſub ratione boni. Rurſus, reiecta vna herba, quã guſtare cœperat, aliam accipit: cognoſcit ergo ordinem mediorum ad finem. ¶ Deinde, bruta veram habent electionem. ergo verè mouẽt ſe in finem: electio enim eſt ordinare media in finem. Probatur antecedens, nam ſi equo duo pabula proponantur in eadem diſtantia, equus ſuapte natura non determinatur magis ad vnũ, quàm ad alterum. reliquũ ergo eſt, quòd ſponte a electione tendat potiùs in vnum, quàm in alterum. ¶ Item, canis propoſitis duobus cibis, vel vocatus ſimul à duobus, primùm quaſi cunctabundus ſubſiſtit, deinde verò quaſi deliberatione facta alteri ſe applicat. ergo. ¶ Præterea, appetitus bruti non eſt determinatus ex ſe, ad hoc, vel illud appetibile, ſecundum ſenſum: An bruta ſe agant propriè in finẽ. Ariſt. Primum argumentũ. Secundum. Tertium. Quartum. Quintum.

nam

nam obiectum appetitus est bonum delectabile in communi, ergo determinatur ad hoc, vel illud delectabile ex sua cognitione,& non ex instinctu naturæ. ¶ Iam verò si animalia non vtuntur ratione,quomodo apes,vermes, hirundines tanta arte operantur?& quicquid sit de cęteris animantibus,certè formica videtur cognoscere rationem finis: cognoscit enim alimentũ esse necessarium, & cognoscit futuram egestatem,& ad eam depellendam congregat in horrea sua.Plutarchus in opusculo, quòd animalia bruta vtantur ratione, producit varia argumenta ad id probandũ.D.Basil.ho.7.8.& 9.in hexamerõn,varia adfert animalium exempla, quorum mores à prudentia,& ratione non videtur differre.Porphy.3.lib.de sacrificio,vt fertur,sentit omnia animalia,quæ sensu sunt prædita,habere rationem,& habere orationem interiorẽ, & exteriorem;atque adeò esse quosdam homines,qui sermones belluarum percipiant. ¶ Pro huius quæstionis explicatione notandum est; animalia bruta in multis cum homine conuenire:operantur enim propter finem, vt docet D. Thom.1.conclusione.Tum verò,quia mouent se in suis operationibus,vt apertè docet Aristo, loco adducto.Tum tertiò,quia cognoscunt,& appetunt finem.Multis tamen inter se differũt. Primò,quia homo per rationem,& deliberationem præstituit sibi finem,& media ad illum du centia:bruta verò & finem,&media habent instinctu naturæ determinata: & hinc est, quòd semper eodem pacto operentur.¶Deinde,homo cognoscit rationem finis;brutum verò minimè,quod est dictu:homo cognoscit finem sibi esse conuenientem,& quare sibi conueniat, & quod eo acquisito,bene sibi erit consultum: brutum verò licèt cognoscat hordeum, vel aquam sibi esse conuenientem, at non cognoscit quare sibi conueniat, an ad sedãdam sitim, vel ad vitæ sustentationẽ.¶ Differũt tertiò in finis prosecutione.Brutum namque fertur in bonum apprehensum quadam necessitate, & impulsu naturæ: non enim in bruti facultate situ est,operari,aut non operari;sic, vel aliter operari:homo verò quocũq; bono proposito,potest operari,& nõ operari;eligere, & refutare.Excipio beatitudinẽ in cõmuni, circa quã voluntas nostra necessitatur, quãtum ad specificationẽ, licèt non quantum ad exercitium. ¶ Quartò differunt in mediorum prosecutione: quod discrimen,tria comprehendit. ¶ Vnum est,quòd homo per intellectum media diuersa inquirit, & ea inter se confert,& quibusdam omissis,ea eligit,quæ ad finem adipiscendum magis sibi consentanea videntur:brutum verò ad omnia hæc habet iudicium à natura determinatum. ¶ Alterum est, quòd homo cognoscit ordinem mediorum ad finem,nempè medium ordinati ad finem:quod non cognoscit brutum,vt iam suprà dictum est. ¶ Tertiũ est,quòd homo vult medium propter finem:quod animantibus brutis non competit: non enim cognoscunt ordinem mediorum ad finem. ¶ Quintò differũt, nam obiectum appetitus rationalis est bonum vniuersale; obiectum verò appetitus bruti est bonum particulare.quod discrimen optimè explicat D.Thom.hîc ad vltimum. Iam argumẽtis adductis satisfaciamus. ¶ Ad primum respõdetur,quòd licèt animalia se moueant, non verò se mouent in finem:nam mouere se in finẽ, propriè est ordinare media in finem,& tendere in finem sub ratione finis, cognoscendo rationem finis. Alia etiam de causa non se mouent animalia in finem:mouentur enim necessariò, &non est situm in eorum facultate,moueri,aut non moueri.At verò quia homo potest operari,& non operari,& pro sua voluntate, & deliberatione se ad operandum applicat, dicitur se mouere,& agere in finem.Quod vt apertiùs intelligamus,obseruandum est:quinque esse rerũ genera,de quibus dubitari solet, num moueãt se,vel ab alio moueantur. ¶ Primi generis illa sunt,quæ proijciuntur:de quibus nulla est dubitatio,quod non à se,sed ab alio moueantur. ¶ In quo genere materia prima numerãda est, quæ cum nullius sit actiuitatis, non se mouet ad formam,sed eam ab agente recipit. ¶ In secundo genere continentur grauia, & leuia: de quibus quæstio est apud Philosophos, an moueantur à forma inhærente, dantęque illis motum,aut in superiorem, aut in inferiorem locũ; an potiùs moueantur à generante:de quibus, quamuis recentiores quidam sentiant ea à forma moueri,Aristot.tamen,& D.Tho.eius optimus interpres,ea à generante moueri arbitrantur,quæ.q.8.Physi.exagitari solet. ¶ In tertio genere sunt plantæ,quæ infimum vitæ gradum participant;de quibus certum est,quod seipsas moueant:plantæ enim alimentum,quod intra se recipiunt, in suam conuertunt substantiam, vique propria alimenta concoquentes,crescũt, ac nutriuntur.¶In quarto genere,animalia bruta comprehensa sunt,quæ quidem cognoscunt bonum,sibique conueniens,ex qua rursus cognitione se mouent ad consequendum bonũ apprehensum; ideoque verissimè se mouent, quia ipsis inest principium efficiens suorũ motuum,cognitio scilicet,& appetitus. Cæterùm quia in eis non est iudicium collatiuum ad deliberandum in vtramque partem(cùm omne eorum iudicium sit determinatum ex instinctu naturę),idcò non dicuntur proprie se mouere in

Sextum.

Plutarch.

D.Basil.

Prophy.

D.Thom. Arist.

Bruta operantur propter finem aliter tamẽ quã homo.

D.Thom. Ad argumẽta in oppositum. Ad primum

Illa, de quib' potest cõtrouerti,an à se, vel ab alio moueãtur, quinq; sunt.

in finem, sed aguntur ex instinctu naturæ.

¶ Quintum genus est creaturæ rationalis, quæ propriè mouet se in bonum, vel in malum, sua deliberatione, & consultatione; quæ proinde tã ex parte intellectus, quàm ex parte voluntatis liberè se mouet. Ex parte quidem intellectus, quia potest in vtramque partem deliberare; ex parte verò voluntatis, quia quocunque bono sibi per intellectum proposito, potest illud amplecti, vel nó amplecti. qua de causa dicitur homo actionum suarum dominus. Atque ex his constat, qua ratione ductus D. Thom. dixerit bruta non se mouere in finem; quia scilicet ex instinctu naturæ ad illum moueantur. ¶ Ad secundum argumentum ex his, quæ hactenus dicta sunt, facilis patet solutio. ¶ Tertio argumẽto dicimus, satis iam expositum esse, qua ratione bruta non cognoscant rationem finis. ¶ Ad quartum argumentum respondetur, in eo casu equum non moueri ad pabulum suscipiendũ, quod iam experientia compertum est in asino Buridani, de qua re accuratiùs agendum est q. 13. ¶ Quinto argumento respondetur, obiectũ appetitus bruti, bonum esse delectabile in communi; veluti obiectum visus, color est in communi: quemadmodum tamen visus semper fertur in aliquod coloratum particulare, eodé prorsus modo appetitus bruti semper fertur in bonum aliquod particulare, idque ex instinctu naturæ. ¶ Ad alia argumenta, quibus suadebatur animalia bruta ratione vti, respondendum est. Dicimus enim, quod quamuis animalia bruta ratione, & prudentia non vtantur, habent nihilominus operum suorum ducem, & rectorẽ, autorem naturæ Deum Opt. Max. ideoque nihil mirum, si quædam tanta arte confecta operentur. In quibus verum est, quod vulgò dici solet; Opus naturæ, est opus intelligentiæ; quod à nobis iam superiùs expositum est. quæ quæstio disputari solet 1. p. q. 44. art. 4. de qua vide D. Thom. in 2. d. 1. q. 1. art. 1. vbi pulchrè hoc exponit, ex cuius expositione soluuntur argumenta Durand. in 2. d. 1. q. 6.

¶ Dubitatur vltimò, vtrùm Deus propter finem aliquem operetur. Cui dubio respondemus, Deum propter finem operari: probatur ex Symbolo; Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis. Iam quæcunque operatur, propter suam bonitatẽ operatur, iuxta illud Prouerb. 16. Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus. Deus ergo propter finem aliquem operatur. ¶ Cæterùm notandũ est, quod quãdo aliquis vno actu vult finem, & alio actu vult media, Volitio finis, causa est volitionis mediorum. Cæterùm quando quis vno eodemque actu vult finem, & media, velle finem, non est causa volitionis mediorum. Et quoniam Deus Opt. Max. eodẽ voluntatis actu finem vult, & media, dicendum est, Deum medium velle propter finem, velleq; vnum, propter aliud; non tamen vult vnum, quia vult aliud: in hoc enim indicatur, vnam volitionem, causam esse alterius volitionis; quod in Deo locum habere non potest. de qua re copiosiùs disputatur 1. p. q. 19. ar. 5.

Bruta nõ se propriè in finẽ mouent, quia ex instinctu naturæ ad illum tendunt.

Ad secundũ

Ad tertium

Ad quartũ.

Ad quintũ.

Ad aliaarg.

D. Thom.

Durand.

Dub. An Deus operetur ob aliquem finem.

Prou. 16.

ARTIC. TERTIVS.

Vtrùm actus humani habeant speciem ex fine

SVMMA TEXTVS.

Prima Cõc.

¶ PRima Conclusio est. Vnumquodque sortitur speciem suam, secũdùm actum, & non secundùm potentiam. Quod euidẽter patet in his, quæ cõposita sunt ex materia, & forma: hæc enim in suis speciebus constituuntur per proprias formas.

Secunda.

¶ Secunda Conclusio. Motus proprij ab actu speciem sortiuntur. Motus enim propriè dictus, in actionem, & passionem diuiditur; vt constat ex Aristo. 3. Physic. Sed vtrumq; horum speciem sortitur ab actu. Actio enim specificatur ab actu, qui est principium agẽdi: passio ab actu, qui est terminus motus nostri; cum calefactio actio nil aliud sit, quàm motio quædam à calore procedens: calefactio passio nil aliud est, quàm motus ad calorem: constat autem definitionẽ explicare rationem speciei.

Aristot.

Tertia.

¶ Tertia Conclusio. Actus humani ex fine speciem recipiunt, siue considerentur per modũ actionum, siue per modum passionũ. Illi enim sunt actus humani, qui

ex

ex deliberata voluntate procedũt: obiectum autem voluntatis est bonum,& finis;vnde principium,& terminus eorum est finis.Id enim ad quod terminatur actus humanus,est, quod voluntas intendit, vt finem. Hoc ipsum demonstrat D. Thom. autoritate D. Augustini. Scribit enim Augustinus lib.2.de moribus ecclesiæ & Manichæorum, cap. 13. Secundùm quod finis est culpabilis,vel laudabilis, secundũ hoc sunt opera nostra culpabilia, vel laudabilia.Ex prædictis apertè sequitur,actus morales ex fine speciem accipere. Idem enim sunt actus morales,& actus humani,vt dicit D.Ambrosius in præfatione super Lucam.

D.Augustinus.

D.Ambrosius.

EXPLICATIO ARTICVLI.

HIc articulus continet in se plura, ad omnem philosophiam morum indagandam necessaria,& ad explicandum, qua ratione actus humani ex fine bonitatem sortiantur,aut malitiam; quod apertè asserit Augustinus lib.de moribus ecclesiæ& Manichæorum his verbis. Secundùm quod finis laudabilis fuerit,aut vituperabilis, secũdùm hoc sunt nostra opera laudabilia, aut vituperabilia.quam sententiam accepit ex Oseæ cap. 9. Facti sunt abominabiles,sicut ea quæ dilexerũt quod significat Dominus in illo verbo Mat.6. Si oculus tuus fuerit simplex,totum corpus tuũ lucidum erit. Oculus in sacra scriptura est finis intentio,quæ si recta fuerit,omnis operatio inde subsecuta, recta erit: si verò praua extiterit, actio inde emanãs, mala erit. Constat igitur ex literis sacris,actus humanos ex fine speciẽ habere. ¶ Cæterùm vt ex principijs metaphysicæ hæc veritas defendatur,adducenda sunt aduersus eam aliqua argumenta,quibus solutis, nullus de huius rei veritate remanebit ambigendi locus.Sit Primũ argumentũ.¶ Vnumquodque speciem,& essentiam suam ex aliquo principio sibi intrinseco sortitur: finis autem principium extrinsecum est,non ergo dat speciem actibus humanis. ¶ Secundũ.Vnaquæque res in certa specie constituitur ex aliqua vltima differentia, quæ prædicatur de re, cuius est differentia; vt homo ex rationali constituitur.at finis non est differentia vltima, nec prædicatur de actu humano.ergo. ¶ Præterea,actus humani,vt cæteræ res omnes, habent intrinsecam differentiã, ratione cuius in specie constituantur:collocantur enim in prędicamento,constãtque genere, & differentia.finis autem externum quid est,& extrinsecum.ergo. ¶ Deinde, ens rationis non tribuit speciem, & essentiam realem; sed finis, quando mouet ad actus humanos,est ens rationis:non enim est in rerum natura, sed tantùm in intentione.non ergo tribuit speciem realem. Hæc argumenta copiosè satis tractata sunt 1.p. q.77.art.3.vbi disputatur, vtrùm potentiæ distinguantur per actus,& actus per obiecta.

Primum argumentũ contra tertiam cõclusionem.

Secundum

Tertium.

Quartum.

¶ Huius tamen rei veritas est;finem,&obiectũ non tribuere actibus humanis speciem, nec esse vltimam actuum humanorum differentiam. D.Thom.tantùm fatetur actus humanos sumere speciem ex fine,id est,ex habitudine, & tendentia in finem. ¶ Ad cuius rei intellectum,no tandum est ex D.Thom.2.2.q.23.art.8.& de veritate q.15.art.2. & ex Cardinale Caietano 1. p. loco adducto: Quædam esse in rerum natura, quæ ideo instituta sunt,vt sint; qualia sunt homo,leo,& cætera huius generis: alia verò non propter seipsa,sed propter alia esse producta,vt potentiæ,& instrumenta,quæ propter actionẽ, & operationem instituta fuerunt. ¶ Notandũ secundò est,in operationibus duo esse considerandа;vnum est finis,& obiectum operationis, quod est extrinsecum rei,constituiturque in rei essentia,& definitione, tanquam additamentũ & terminus:alterum est habitudo ad tale obiectum,& finem;& hoc est rei intrinsecum, constituiturque in rei definitione,tanquam vltima differentia. ¶ Notandum est tertiò, quod ista habitudo,licèt propter nominum penuriam appellatur nomine relatiuo, at non est vera relatio:quemadmodum aptitudo materiæ ad suscipiendam formam,non est relatio,sed est ipsa essentia materiæ, apta ad formam susciendam;& volitio boni,non est relatio ad bonum, sed est actus,qui suapte natura fertur in bonũ. eleemosynæ largitio non est relatio ad pauperem, nec ad eleemosynã,sed est actus, qui suapte natura ad subleuandam miseriam pauperis ordinatur.Ex hac expositione, si bene expẽdatur,facilè est intelligere,quomodo actus humani constituantur in specie per formam, & differentiam intrinsecam; facileque est argumentis in oppositum respondere. ¶ Illud verò magis vrget,maiusque facesit negotium; quomodo actiones susciпiant speciem ex principio actiuo.Sol enim per lucem calefacit, & calefactio non

Quomodo finis sit differentia intrinseca actus humani.

D.Thom.

D.Thom. Caietan.

In operatione est obiectum,& habitudo ad illud.

Quomodo actus speciẽ sortiãtur ex principio actiuo.

non ſpecificatur à luce, ſed à calore quem immittit. Rurſus, ignis eodem calore, & eodem principio actiuo liquefacit ceram, & indurat lutum: at iſtæ operationes non habent ſpeciem ex principio actiuo, alioquin eſſent eiuſdem ſpeciei. ergo. ¶ Reſpondeo primo, in actionibus moralibus idem eſſe quòd ſuſcipiant ſpeciem ex principio actiuo, & à fine. Bonũ enim, quod eſt obiectum noſtræ voluntatis, & eſt principium, quod mouet noſtram voluntatẽ ad actiones humanas, & eſt finis, ad quem actiones humanæ terminantur. ¶ Dicendum eſt ſecundo, Actiones eſſe in duplici differentia, quædam enim ſunt ad quas principia actiua ſuapte natura deſtinantur; vt calefacere, reſpectu caloris; & illuminare, reſpectu ſolis; in quibus verum eſt, actiones ex principio actiuo ſpeciem ſortiri. Aliæ ſunt actiones, ad quas principia actiua ſuapte natura non referuntur: vt calefacere, reſpectu ſolis; liquefacere, reſpectu ignis: in quibus illud locum non habet, nec de his loquutus eſt D. Thom. ¶ Dicendum eſt tertio, D. Thom. tãtùm affirmaſſe de ratione actionis eſſe, quòd oriatur ex principio actiuo, quòd habeat in ſe formaliter, vel eminenter ſimilitudinem cum effectu, qui producitur; calefactio itaque vel eſt à calore, vel ab eo, qui virtutem habet calefaciendi.

Quæſtionis reſolutio.

Duplices actiones.

¶ In ſolutione ad vltimum quatuor docet D. Thom. ſcitu digna, quæ à nobis fuſiùs ſunt explicanda. Primum quod docet, eſt; Actus humanos vt egrediuntur ab agente, vnicum tantùm habere obiectum, à quo ſpeciem ſortiantur: poſſe tamen deſtinari ad alios fines remotos, & aduentitios; verbi gratia. Si quis velit interficere hominem vt eius vxore liberiùs potiatur, huiuſmodi operatio vnicum tantùm habet obiectum proximum, homicidium ſcilicet, à quo ſpeciem ſuam ſortitur. Docet ſecundò; vnum, eundemque actum poſſe habere varias, diuerſaſque ſpecies, iuxta diuerſitatem finium, in quos refertur. vt ſi quis vellet furari propter mœchiam, huiuſmodi operatio, & furtum, & mœchia eſt. ¶ Dicet aliquis; vnde fit, quod in naturalibus vna, eademque res non habet diuerſas ſpecies, variaſque eſſentias; in moribus autem vnus, & idem actus humanus in multis ſpeciebus collocetur? Dicendum eſt, in naturalibus rebus vnam, eãdemque rem habere vnam ſpeciem eſſentialem, & multas, variaſque aduẽtitias, & accidentarias: homo enim & animal rationale eſt, & albus, philoſophus, theologus, &c. idem cenſendum eſt de actibus humanis. Vel dicendum eſt, diſcrimen eſſe maximum inter moralia, & naturalia: quòd hæc ſpeciem habeãt ex forma ſubſtantiali, quæ mutationem nullã ſubit; illa verò ſpeciem ſortiantur ex operantis intentione, quæ pro varia operantis intentione variationem recipiunt. Docet tertiò D. Tho. eundem actum in genere naturæ, poſſe eſſe diuerſum in genere moris. vt, interficere hominẽ publica, aut priuata autoritate, nihil differunt in genere naturæ; differunt verò maximè in genere moris. Quartum quod docet D. Thom. eſt, ea, quæ differunt in genere naturæ, ſæpenumerò conueniunt in genere moris. verbi gratia, comedere perdices, & comedere oua, certè differunt in genere naturæ; at in genere moris ad eandem temperantiæ virtutem ſpectant.

Examinatur ſolutio vltimi. D. Thom.

Quare in moralibus vnus actus ad plures ſpecies pertineat.

¶ Cæterùm aduerſus ea, quæ primò docuit D. Thom. ſunt quædam argumenta, quæ eam doctrinam dubiam, & ancipitem reddunt. In primis Ariſt. 5. Ethic. expreſſè aſſerit, quòd qui furatur propter mœchiam, potiùs eſt mœchus, quàm fur. huiuſmodi ergo operatio à mœchia ſpeciem ſortitur; mœchia autem non eſt huius operationis proximum obiectum (cum illud ſit furtum) ſed remotum. non ergo omnis operatio ſpeciem habet ex obiecto proximo. Deinde D. Thom. apertè affirmat infrà q. 18. artic. 6. quod actus humanus potiùs habet ſpeciem ex fine, quàm ex proximo obiecto. non ergo ſibi conſtat in hac parte D. Thom. Prætereà, interficere hominem, nullam habet ſpeciem certam, & definitam ex obiecto; nullam enim ex ſe dicit virtutem, aut vitium, ſed videtur opus indifferens, vt, leuare feſtucam, vel habere plures prębendas. non ergo ab eo obiecto poteſt fortiri operatio aliqua ſpeciem ſuam. Quartò, quando aliquis decreuit interficere homines in foro exiſtentes, ſiue illi clerici ſint, ſiue laici, iſta ſanè operatio non habet ſpeciem ex obiecto proximo; non enim magis homicidiũ eſt, quàm ſacrilegium. Quintò, quando aliquis intra ſemetipſum certò ſtatuit, ſe velle eſſe ſtudioſum, huiuſmodi voluntatis decretum, nullum habet certum, definitumque obiectum, à quo ſpeciẽ ſortiatur, cùm nullius certæ, determinatæque ſit virtutis. falſum eſt ergo quod nos docuit D. Thom. ¶ His argumentis vt reſpondeamus, ſciendum eſt, hanc D. Thom. ſententiam varias habere expoſitiones. Quidam enim D. Thom. interpretantur dicentes, D. Thom. tantùm loqui de naturali ſpecie actus humani, non autẽ de ſpecie morali: vult ergo dicere D. Tho. actus humani, qui ab operante egrediuntur, vnicum tantùm habent obiectum proximũ, à quo ſpeciem naturalem ſortiuntur in genere entis, quę operatio, ſi ad aliquos alios fines referatur, ex illis diuerſas habebit ſpecies morales, eaſque præcipuas. quæ interpretatio manifeſta nobis eſt in hominis occiſione, quæ naturalem ſuam ſpeciem

An actus, prout egreditur ab agente, vnicũ obiectũ habeat. Primum argumentũ Ariſt.

Secundum. D. Thom.

Tertium.

Quartum.

Quintum.

Varię expoſitiones D. Thom.

ciem sortitur ex eo, quod est hominis, non autem leonis : in quo sensu omnes hominis occisiones, siue liberæ illæ sint, siue non; iustę, vel in iustæ extiterint, eiusdem omnino sunt speciei in genere naturæ. ¶ Alij aliter, longeq; meliùs D. Tho. interpretantur, quorum sententia maximè nobis probatur: dicunt enim D. Tho. nō solùm loqui de specie naturali, verum etiam de morali illum loquutū fuisse. Statuunt enim duplicē rerū esse speciem, & essentiā; vnam, rei intrinsecam, & essentialem, à qua res quælibet suū esse essentiale, & specificum sortitur; quēadmodum animal rationale, essentia est hominis; alteram, extrinsecam, & aduentitiam; quemadmodum disgregare visum est essentia hominis, non quidem quatenus homo est, sed quatenus albus est; non enim dat esse homini, quòd sit homo, sed quòd sit albus. Horum ergo interpretatio est, D. Thom. illud docere, actus scilicet humanos, vt egrediuntur ab operante, habere speciem intrinsecam, & essentialem ab obiecto proximo; ab alijs autem finibus remotis, & accidentarijs habere quidem speciem, non tamen essentialem, sed aduentitiam, & accidentariam. ¶ Probatur autem hanc esse veram interpretationem. Commune enim est omnibus potentijs, instrumentis, & actibus, quòd à proximo obiecto specificentur, non autem à remoto: idē ergo erit in actibus humanis. Præterea, illa est essentialis species in actibus humanis, quę mutationem nullam recipit, semperque actum concomitatur: at occidere hominem, quocunque modo illud fiat, semper est homicidium; ex eo ergo suam speciem actus sortietur. Quod verò ad aliquem alium vlteriorem finem referatur, vel ad adulterium, vel ad vindictam, accidentarium quidem illud est, & externum; quò fit, vt species inde acceptæ, accidentariæ sint, reiq; superadditæ. ¶ Addunt alij & tertiam (nec prorsus à ratione alienam) interpretationem; dicūt enim actum voluntatis internum ex fine speciē suam sortiri, quia id, quod mouet voluntatem ad actionem, finis intentus est: actum verò exteriorem ex obiecto proximo speciem, & essentiam habere. de qua interpretatione q. 18. iterùm habendus est sermo. ¶ Iam argumentis adductis satisfaciamus. Primoque argumento; libenter fatemur eum, qui propter mœchiam furatur, mœchum potiùs esse, quàm furem; finis enim est id, quod primò mouet voluntatē; ille autem qui propter mœchiam furatur, furtū vult propter mœchiam; magis itaque vult mœchiam, quàm furtum, magisq; est appellandus mœchus, quàm fur. Ex hoc tamen nō rectè infertur, speciē essentialē huius operis ex mœchia esse sumendā; maior enim bonitas, aut malitia in actibus humanis non est petenda ex forma essentiali, sed potiùs ex formis accidētarijs, & superadditis est postulanda. Nō enim appellamus hominē omninò, & absolutè bonū ex eius forma substātiali, sed potiùs ex virtutibus superadditis; neq; dū ex naturalibus defectibus nominamus simpliciter, & absolutè malū, sed ex vitijs, & peccatis, quæ postmodū cōtraxit. Cuius rei causa est; quia bonū, & optimū, ratione habent vltimi: vltimū verò in superadditis perfectionibus cōsistit; quemadmodū perfecta domus ea est, quæ nō solùm parietes habet, fundamentū, & tecta, sed quę omnibus suis numeris est absoluta. Respōdemus Secūdò; in operatione humana duplicē esse finem; vnū, operis; alterū verò, operātis, in quē ab operante dirigitur. v. g. eleemosynā largiri, ex ipso opere ad subleuandam pauperis miseriam destinatur, & ab hoc obiecto suā primā speciē sortitur; cæterùm hoc opus potest aliò referri ab operante, vel ad charitatē, vel ad libidinē, qui finis erit præcipuus operantis, at nō operis ipsius. ¶ Ad secundū argumentū dicimus, iam à nobis expositum esse, quomodo actus humani ex fine præcipuā sortiantur speciē, sed nō essentialē: hanc enim ex obiecto proximo eos habere ostensum est. ¶ Tertio argumēto respōdemus, D. Thom. nunquā docuisse omnē actū humanū ex vi suę naturę certā speciē moralē ab obiecto desumere: certū namq; est apud D. Tho. esse quædā opera suapte natura indifferentia; quāquam possimus fateri, opera etiam indifferentia ex obiectis speciem suam desiderare; obiecta enim eorum indifferentia sunt. Cæterùm D. Thom. ideò in solutione nos docuit, omnem humanum actum, vt egreditur ab operante, secundùm omnes eius circunstantias, certam habere speciem, non solùm naturalem, verum etiam moralem; quia nullus datur actus indifferens in indiuiduo, & in operis exercitio, vt inferiùs videbimus. ¶ Ad quartum argumentum respondemus; volitionem illam essentialiter esse homicidium, reliquas verò circunstantias, accidentarias esse. Vel dicendum est, in eo casū virtualiter multiplicem esse volitionem; vnam, qua vult laicos occidere; alteram vero, qua vult sacerdotes interficere. ¶ Vltimo argumēto respondemus; eam operationē habere speciē moralē, reducię; ad syndieresim, vel ad iustitiā legalē, quæ omnem cōplectitur virtutem. Si cui tamen solutio hæc displicuerit, dicimus secundò; quemadmodum voluntas illa occidendi clericos, & laicos, virtualiter est duplex voluntas, ad duas spectans species; ita huiusmodi voluntas, qua aliquis certò statuit velle esse studiosum, includit velle esse studiosum circa castitatem, iustitiā, &c. quæ ad

Solutio argumentorū Ad primum

Duplex finis, operis & operātis.

Ad secundū

Ad tertium

Ad quartū.

Ad quintū.

Nonomnis actus bon' ad aliquam certam spe cie spectat.

omnes illas reducitur. ¶ Illud quoque certum est, non omnem actum bonum ad aliquã certã virtutem spectare; vt manifestum nobis est in hoc actu, quo volumus esse beati, ad quem, licèt studiosus sit, nulla animi nostri virtus ponitur necessaria.

ARTIC. QVARTVS.

¶ *Vtrùm sit aliquis finis vltimus humanæ vitæ.*

SVMMA TEXTVS.

Prima Cõc.

PRima Conclusio. Impossibile est in finibus procedere in infinitũ, sed necesse est, vt ad aliquem vltimum finẽ deueniatur. In omnibus enim quæ per se habent adinuicem ordinẽ, oportet ad primum aliquod deuenire; quo subtracto, alia mouere nõ possũt: sed si esset in finibus processus in infinitum, subtraheretur primus finis. ergo omnes alij tollerentur, sicque nulla esset actio.

Secunda Conclusio.

¶ Secunda Conclusio. Impossibile est in assecutione mediorum progredi in infinitum. Id enim quod est principium in executione, est primum eorum, quæ sunt ad finem vnde aliquis operari incipit: quare amoto huiusmodi principio, nullus inciperet aliquid operari. Cùm igitur in finibus alius sit ordo intentionis, & alius ordo executionis, in vtroq; oportet esse aliquid primum; si enim non esset aliquis vltimus finis, qui est velut principium mouens appetitum, nec aliqua actio terminaretur, nec quiesceret agentis intẽtio, neque aliquis inciperet operari, neque consilium terminaretur.

¶ Tertia Conclusio. Quæ per accidens coniunguntur, nil prohibet infinitatem habere; cùm causæ per accidens indeterminatæ sint. Tertia Cõc.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Aristot.

CONclusiones huius articuli desumptæ sunt ex Arist. 1. Eth. c. 7. & ex 2. met. c. 2. vbi copiosa satis argumentatione ostendit Arist. in nullo genere causarum posse esse progressum in infinitum: nos autem in hac disputatione de causa finali accuratiùs & diligentiùs sumus acturi. In cuius rei expositionem, quærendum primò nobis est. ¶ Quinam sint fines essentialiter subordinati. ¶ Secundò; sitne necesse vltimum finem humanæ vitæ constituere. ¶ Tertiò; an operationes omnes, tam bonæ, quàm malæ, sint propter vltimum finem. ¶ Demũ; vtrùm in finium intentione, qui per accidens coniunguntur, & in mediorum assecutione, sit abitio in infinitum. Si enim rationes D. Tho. rectè expendantur, probare videntur, in appetitione etiam horum finium, nullum esse progressum in infinitum. ¶ Vt igitur ad primam quæstionem deueniamus, notandũ est ex Capre. c. 2. sent. d. 20. ad finẽ; longè aliud esse causas per se ordinatas, quàm sint causæ essentialiter subordinatæ. Nã causæ per se Socratis sunt pater, eius auus, proauus, omnesque maiores eius: neque enim potuit Socrates ab alijs maioribus, quàm ab his, à quibus genitus est, procreari: causæ tamen essentialiter subordinatæ illæ sunt, quarum vna non potest operari absque eo, quod alia operetur; vt, animal, cœlum, intelligentia, Deus. Animal enim nihil operari potest, nisi cœlum, intelligentia, & Deus ipse, cooperentur. In istis nõ potest esse progressus in infinitum; in illis verò potest, vt si mundus ab æterno extitisset. Illi ergo fines sunt essentialiter ordinati, quorũ vnus mouet ad volitionẽ alterius, verbi gratia. Vult infirmus sumere potionem aliquam; quia vult extenuare corpus, vt salutem consequatur; vult salutem consequi, quia in ea adipiscenda maxima suæ felicitatis pars sita est. Ille igitur finis, qui magis vltimus fuerit, magis mouebit; & qui vltimus omnium extiterit, præcipuè mouebit: is namque est qui propter se amatur, & cætera propter ipsum. & hoc est quod docet Arist. 1. Eth. in initio, Bonum est, quod omnia appetũt id est, vltimũ illud bonũ omnia appetũt: hucq; sensum esse probabilẽ, demõstrat articulus Græc. τὸ ἀγαθὸν, id est, illud singulare bonũ, atq; eximiũ. ¶ Fines nõ per se ordinati, sed per accidẽs, sunt

Prim. quæst.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Quinã sint fines essentialiter ordinati.

Capreol.

Aliud est causæ per se ordinatę, aliud essentialiter ordinatæ.

Aristot.

sunt illi, quorũ vnus de se nõ mouet ad alterius appetitũ; vt cũ homo appetit diuitias, honores, voluptates, in quibus potest esse progressus in infinitum: non enim potest homo tot fines appetere, quin possit plures. Hinc illud est Aristotel. Appetitum diuitiarum, & bonorum temporalium tendere in infinitum. ¶ Sed illud maximè obseruandum est, quòd quando homo incipit operari, cùm appetit fines dudum commemoratos, aliquid statuendum est, quod primò moueat agentem ad operandum; alioqui enim nulla sequeretur actio: atque eadem de causa datur primum aliquod principium, à quo incipit operari; alioqui nec terminaretur consilium, nec de medijs aliqua esset deliberatio. quo in sensu in his etiam finibus nullus est progressus in infinitum. ¶ Quod ergo docet Diuus Thomas, hoc est; Quando fines non sunt ordinati, potest homo infinitos fines appetere, id est, non tot, quin plures; potest rursus appetere infinita media: cæterùm non docet, quod quando incipit operari, non ab aliquo primo incipiat, tum in intentione, tum etiam in executione. Ex his patet explicatio primæ, & quartæ quæstionis. ¶ Sed pergamus ad secundam, demonstremusque esse aliquem vltimum finem humanæ vitæ. quod esse verum, demonstrat Aristotel. locis superiùs adductis. Certè si non esset aliquis vltimus finis humanæ vitæ, non possemus rectè, & ad amussim vitam nostram instituere: institutio namque nostra ex fine, quo tendimus, potissimè sumenda est. ¶ Item, si non esset vltimus finis humanæ vitæ, nullus esset conatus, nullus labor, frustra, inaniterque in lucem hanc producti essemus, nunquamq; appetitus noster quiesceret. ¶ Præterea, quotquot sunt philosophi, solo lumine rationis naturalis ducti, censent aliquem esse humanæ vitæ finẽ, quem omnes, vitam beatam vocauerunt, delitijs, iucunditateque repletam, omnisque mali expertem. In quo tamen sita sit huiusmodi beatitudo; discordes inter se sunt hominum sententiæ, de qua, quot capita, tot sensus. Sacræ tamen literæ in solo Deo Optim. Maxim. beatitudinem nostram collocatam esse nobis demonstrant; de qua re inferiùs diligentior habendus est sermo.

¶ Proximum tamen est, vt explicemus tertiam dubitationem; ad cuius rei expositionem notandum est. ¶ Actiones omnes naturales in aliquem finem vltimum tendere. Deus namque, & natura, nil faciunt frustrà. ¶ Sciendum secundò est, omnes actiones humanas, & liberas, in aliquem vltimum finem tẽdere, etiam si sermo nobis sit de finibus ab hominẽ intentis, ac statutis, secundùm falsam eius opinionem, & æstimationẽ. Homo enim quotiescunque operatur, tendit in aliquem finem determinatum, in cuius adeptione conquiescit. ¶ Præterea, omnes animalis operationes in vltimum finem feruntur: tum primò, quia omne agens in omni opere suo felicitatem suam quærit: tum secundò, quia in omni appetitu animalis debet esse primum appetibile, quod primò moueat appetitum; primum autem appetibile, est vltimus finis.

¶ Pro huius tamen rei explicatione sciendum est, de fine vltimo dupliciter nos loqui posse; primo modo, secundùm rationem communem; quomodo dicimus, vitam beatam, finem vltimum esse, quam appetimus propter se, & reliqua, propter ipsam, ipsaque vlteriùs non fertur. est itaque vltimus finis noster. Possumus secundo modo loqui de fine, in particulari; quomodo dicimus, Deum esse finem nostrum. & hoc dupliciter; vel secundùm se, vel quò ad nos. Secundùm se quidem, solus Deus, & eius possessio est vltimus finis noster; quò ad nos verò, & secundùm nostram opinionem, vni erit potestas, alteri voluptas, alteri honor, &cæt. Quando ergo definit Diuus Thomas ad vltimum finem humanæ vitæ esse tandem deueniendum, loquitur de fine absolutè, nil curando, sit verus, necne; sed tantùm ostendit, esse aliquem finem humanæ vitæ, quem quisque sibi præstituit. verbi gratia, sit alicuius hominis finis vltimus voluptas, omnes alij fines sunt huic subordinati, & hic est, qui primò mouet.

¶ Cæterùm poni possunt alij fines infiniti, qui inter se accidentaria quadam ratione se habeant; volo pecunias, vt cantores conducam, qui cantent: & volo vt cantent, propter voluptatem: omnes fines numerati, præter vltimum, accidentariò se habent; possunt enim aliò ordinari; pecuniam enim aliò ordinari posse, certum est: cantus etiam aliò referri potest, ad adulterium, vel ad furtum, & sic in infinitum.

¶ Dubium aliud est; Quæ sit legitima explicatio illius sententiæ, quam docet D. Thom. ad primum, & D. Dionys. 4. c. de nominibus diuinis; Bonum est diffusiuũ sui ipsius: ex ea enim vt acutè argumentatur D. Thom. videtur esse consequens, vt sit progressus in infinitum in bonorum diffusione. Rursus videtur sequi, Deum necessariò creasse creaturas. Præterea, vltimum bonum, post quod nullum aliud reperitur, est bonum; at non se diffundit alijs.

Aristot. — Appetitum diuitiarum, & bonorum temporalium tendere in infinitum.

De fine dupliciter loqui possumus.

Vtrùm sit aliquis finis vltimus humanæ vitæ. Aristot.

Primum Argumentum.

Secundum.

Tertium.

An omnes operatiões humanæ sint propter finem.

Quomodo bonum sui sit diffusiuũ D. Thom. D. Dionys.

Resp̃sio. alijs. ista ergo sententia vera non est. ¶ Huic dubio respondemus; sententiam hãc varijs modis posse intelligi. Primò, quòd bonum trahit, & rapit voluntatem in sui appetitionem: itaque diffundit se, non efficienter, sed finaliter. hæc explicatio est Diui Thomæ prima parte, quæstion. quinta, articulo quarto, ad primum, & de veritate, quæstion. vigesimaprima, articulo primo, ad quartum. ¶ Secunda interpretatio est, quòd bonum est sui ipsius diffusiuum, secundũ naturam suam & conditionem: si liberum est, liberè se diffundit per intellectum, & voluntatem; si naturale, naturaliter; si infinitum, infinitè; si finitum, finitè. Ex quo sequitur, in operationibus ad intra, Deum infinitè se communicare; in operationibus verò ad extrà, finitè: quia creatura non est capax infinitæ perfectionis. Ex quo rursus sequitur, quòd si Deus operaretur ex necessitate naturæ, non se communicaret creaturis infinitè, propter rationem adductam. Sequitur deinde, quòd cùm Deus operetur per intellectum, & sapientiam, non est alia causa quare non sit progressus in infinitum in diffusione bonorum, præter hanc; quia agens per intellectum, & voluntatem, omnia in numero, pondere, & mensura constituit. ¶ Tertia interpretatio est, quòd bonum de se, est sui ipsius diffusiuum, non autem quòd actu se diffundat. hanc interpretationem sequuntur discipuli Diui Thomæ, tertia parte, quæstion. prima, articulo primo. Hinc sequitur, quòd ab vltimo bono, quod Deus decreuit producere, non est ab æterna natura boni; non enim est natura boni, quòd actu se diffundat, sed quod sit sui ipsius diffusiuum. Aliqua etiam ratione potest concedi, vltimum bonum etiam alijs communicari. quod vt intelligatur, sciendum est. ¶ Duobus modis res aliquas bonas vocari: vno modo, quia habent in se bonitatem, & pulchritudinẽ: alio modo, comparatæ alijs rebus, sicuti vox & in se sonora est, & alijs consonat. eodem modo res omnes & sunt in se bonæ; alijsque consonant; ex quo ordine, pulchritudo vniuersi maxima consurgit. Dico ergo, vltimum bonum hoc modo se cõmunicare alijs; cõsummat enim, & absoluit omnia opera, vltimã manũ eis imponẽs. ¶ Dubitatur vltimò, quid est, quòd docet D. Tho. quòd in his, quæ habent ordinem per se, non proceditur in infinitum? ¶ In diuisione enim continui, cuius partes habent inter se ordinem, & connexionem, proceditur in infinitum. Deinde, in diuisione numerorum est progressus in infinitum; numeri autem habent inter se ordinem, & connexionem, ternarius enim de se est prior quaternario, & quaternarius de se præsupponit ternarium. ¶ Denique, in demonstrationibus mathematicis est progressus in infinitum: secunda enim figura demonstratur per primam, & tertia per secundam, & sic in infinitum. at demonstrationes habent inter se ordinem & connexionem. Ad hanc dubitationem respondet Caieta. Figuras, & numeros non esse actu infinitos; quòd verò in potentia procedant in infinitum, non ostendit, quòd similis processus in finibus sit infinitus; nam fines sunt actu causæ. ¶ Secundò dicendum est, quòd numeri, & figuræ possunt inter se bifariã comparari: primò, quòd posteriores referantur ad priores; quomodo non est processus in infinitum: nã vniuersi numeri terminantur ad vnitatem, & omnes figuræ ad triangulum, si prima est: alio modò possunt referri priores ad posteriores; & hoc pacto priores non dependent à posterioribus: accidit enim ternario quòd addatur vnitas alia, & fiat quaternarius: in his verò quæ sunt per accidẽs, nõ est impossibile quòd eatur in infinitũ. ¶ Dicet tamẽ aliquis; Eodẽ modo poterit quis statuere, quod sit aliquis finis vltimus humanæ vitæ, ex quo infiniti fines deriuantur, in quibus erit ordo per accidens: accidit enim secundo, quòd ei adiũgatur tertius; & tertio, quòd ei quartus apponatur. Et idẽ erit iudiciũ de causis efficientibus, in quibus, ex prima, vniuersæ deriuantur; at inter alias erit ordo accidẽtarius, in quibus idcirco poterit esse progressus in infinitũ, verbi gratia, Aquã calefacit ignis, cœlũ, intelligẽtia, Deus: quòd enim Deus, intelligẽtia, cœlũ operẽtur, ordo naturæ id exposcit; quòd verò ignis adiungatur cœlo, aut Deo, qui est prima causa, accidentarium est. Videtur sanè argumentum aliquid vero simile suadere, nitar tamen illud dissoluere. ¶ Dicendũ est enim quòd in finibus, qui per se originẽ trahũt ab vltimo fine, nullũ locum habet huiusmodi ratio: quia fines, qui ab vltimo fine deriuãtur, propter vltimũ finẽ amantur, ideoq; sunt media necessaria ad finis consecutionẽ: quare si in his mediis, vel finibus esset progressus in infinitũ, nunquã esset finis adquisitio. Fateor tamẽ in alijs finibus, quia nõ ordinantur per se, ad vltimũ finẽ posse dari progressum in infinitũ, quod libẽter fatetur D. Tho. Vel dicendum est, in numeris, quaternarium sic accidere ternario, quòd quaternarius necessarius nõ sit vt ternarius existat: at verò in finibus, quoniã ex primo deriuantur, nõ accidit quòd tertius addatur secũdo; nã secũdus, sine tertio cõsistere nõ valet. v. g. sit vltimus finis Deus, & eius possessio; mediũ necessariũ sit amare: ad hoc verò sit necessariũ credere, & sperare; certè sine fide, & spe, impossibile erit amare (loquor de huius vitæ præsentis statu) saltẽ impossibile est, sinẽ assequi sine horum mediorũ adqui-

D. Thom.

Caiet. Solutio.

Obiectio.

Solutio.

Dupliciter res dicũtur bonæ.

Dubium.

Primum argumentũ

Secundum

adquisitione. Ex his, quæ hactenus dicta sunt, manifestum est, concesso fine vltimo, fieri non posse, vt sit progressus in infinitum in medijs, & finibus subordinatis.

ARTIC. QVINTVS.

¶ Vtrùm vnius hominis possint esse plures vltimi fines. Conclusio est negans.

Conclusio.

SVMMA TEXTVS.

CVm enim vnúquodq; suã appetat perfectionem, illud appetit, vt vltimum finem: quod appetit, vt bonum perfectũ, & cõpletiuum sui ipsius, ita quod nil extra ipsum appetendum relinquatur: quod nõ potest esse, si aliquod extraneum ad ipsius perfectionẽ requiratur: imò oportet id, in quod tẽdit volũtas, sub ratione vltimi finis esse vnũ. Et sicut in processu rationis primũ principiũ est id, quod naturaliter cognoscitur; ita vnũ est, quod desideratur à voluntate. Verũ enim est illud axioma, sic se habere finem in rebus agẽdis, atq; se habet primum principium in scientijs.

EXPLICATIO ARTICVLI.

ARgumenta, quibus D. Tho. conclusionem confirmat, adeò certa, & euidentia sunt, vt non sit opus alia fortiora, aut maiora ad eam corroborãdam in medium adducere. Quibusdam tamen non placet hæc D. Thom. conclusio, argumentanturq; aduersus eã his argumẽtis. ¶ Primò, si vnius hominis non possunt esse plures fines vltimi, vel ex eo maxime esset, quia vltimus finis implet totum hominis desiderium, ita, vt nil aliud desiderandum relinquatur. Ista tamen ratio nulla est: Peripatetici enim, quorum parens princepsque est Aristoteles, constituunt vitam beatam, & finem vltimum in operatione virtutis, & sapientiæ. at non sunt ea contenti; statuũt enim partem humanæ felicitatis, bona, tum naturæ, tum fortunæ, quò potissimè ab Stoicis separantur, vt autor est Cicero 3. libr. de finibus

Argumenta contra conclusionem. D. Thom.

Primũ argumentum.

Aristot.

Cicero.

& idem Arist. locupletissimus testis est 1. Ethic. & 10. lib. docet, felicem indigere amicis. Confirmatur alia de causa ratione hãc nullã esse. Nam, secundùm Theologos, qui beatus est, potest ad huc & beatior fieri; vnus enim est altero beatior. ergo beatitudo non est summum, & perfectissimum bonum, extra quod nulla alia perfectio possit desiderari. ¶ Deinde, in sanctissima Trinitate sunt tres personæ, quarum quælibet est summum bonum, & vltimus finis. ergo sunt tres vltimi fines. ¶ Rursus, si quis hoc modo apud se statuat, si ego essem Episcopus, vel Doctor, nihil vltrà desiderarem; certè hic cõstituit duos vltimos fines ex æquo. ergo &c. ¶ Vltimò (& est difficile argumentum) Quilibet homo peccator in quolibet mortali peccato cõstituit vltimũ finem in bono cõmutabili, ad quod tendit, auertendo se à bono incommutabili: itaque libidinosus, in voluptatibus suum vltimum finem cõstituit; ambitiosus, in honoribus; auarus in pecunijs: contingit tamen vnum, eundemq; hominem affectũ esse ad diuersa peccata mortalia. Vnus ergo homo potest habere plures vltimos fines. ¶ Ad primũ argumentũ respõdetur. Peripateticos, declarantes suã sententiã de hominis felicitate, apertè ostendere, nullam in hac vita integram felicitatem reperiri posse. Dicendum igitur est, omnia illa requiri propter virtutis operationem, quæ sine horum bonorũ subsidio non potest optimè exerceri; de qua re infrà q. 4. diligentiùs agetur. ¶ Ad confirmationẽ respondetur; illam perfectionem, quæ addi potest, non esse extraneã; imò in hoc sita est, quòd idem bonum, & idem finis perfectiùs possideatur. Sed & illud certum est, quòd beatitudo explet omne desiderium cuiuscunque beati, vel minimi etiam, de quo in sequentibus abundans futurus est sermo. ¶ Secundo argumento respondetur, quòd quemadmodum tres personæ sunt vnus Deus, eodem modo sunt vnum summum bonum, & vnus vltimus finis. Potest tamen concedi, tres personas esse tria bona; si bonum sumatur adiectiuè: nam tunc sensus est; sunt tres habentes bonitatem. ¶ Ad tertium respondetur: in eo casu vnum tantùm futurum esse finem indifferentem ad vtrumque. Vel dicendum est, quòd nunquã incipiet operari, nisi ad alterum illorum se determinauerit, nisi media ad vtrũq; finẽ fuerint cõmunia. Vel dicendũ est tertiò; quod qui cõstituit suũ finẽ, vel desiderium in altero duorum bonorũ, non constituit sibi duos fines vltimos: in adeptione enim alterius boni cõquiescit. Respõdetur tandem; quòd hic homo seipsum constituit vltimum finem; nam omnia ista in suum refert cõmodum. ¶ Vltimo argumento respondetur: eũ

Aristot.

Confir.

Secundum.

Tertium.

Vltimum.

Solutio argumẽtorũ.

Ad primum.

Ad confir.

Ad secundũ

Ad tertium

Ad vltim.

qui mortaliter peccat, non constituere vltimũ finem, in quouis peccato mortali, sed in omnibus peccatis mortalibus seipsum constituit vltimum finem. Quocirca D. August. 14. de ciuitate Dei cap. 28. ait quòd amor sui, vsque ad cõtemptum Dei, ædificat ciuitatem Babylonicam; amor verò Dei, vsque ad contemptũ sui, ædificat ciuitatem cælestem. Vnde, quando doctores Catholici affirmant, eum, qui mortaliter delinquit, constituere vltimum finem in peccato mortali, explicatio vera est, quòd deserit vltimum finem verum, qui Deus est, propter delectationem peccati, ex amore sui, in quo constituit finem vltimum. Alij verò dicunt, quòd vnus homo potest habere plures vltimos fines successiuè; quo pacto arbitrantur se dissoluere argumentum adductum: nihilominus nõ illud dissoluunt, contingit enim quòd vnus homo simul sit affectus ad diuersa peccata mortalia. ¶ Hinc vero oritur magna, & difficilis quæstio; Vtrùm qui peccat mortaliter, constituat vltimum finem in creatura, & eam plus Deo diligat: nã certè si constituit vltimum finem in creatura, plus diligit eam, quàm Deum, & quàm vniuersa. In huius controuersiæ expositionem, insignem posuit operam Adrianus Quodlibet. septimo, articulo tertio, & persuasit sibi partem negatiuam, his argumentis. ¶ In primis, qui peccant ex ignorantia, arbitrantes se obsequium præstare Deo, non constituunt vltimum finem in creatura, quippe qui omnia ista opera in Deum referunt.

¶ Præterea, potest quis offendere Deum in gratiam sui amici, quem diligit minus, quàm seipsum, pro quo non perderet digitum. ergo potest quis Deum offendere in gratiam amici, quem minus Deo diligat. Consequentia ex eo probatur. Sicut enim non oportet peccantẽ magis amare finẽ, propter quẽ solũ peccat, ita non est necesse quod magis amet amicum, propter quem solũ peccat, quàm ipsum Deũ. ¶ Præterea, poterit quispiã offendere Deũ in gratiam amici, pro quo certè non moreretur; at potest sic ergo Deũ esse affectus, quòd potiùs eligeret mori, & annihilari, quàm fidem eius negare, magis ergo diligit Deum, quàm creaturã, & ipsum pro vltimo fine habet. ¶ Tandem potest filius incurrere offensionem, & indignationem patris sui pro liberando nocente, quem pater damnaret ad mortem: at certum est, quòd filius plus diligit patrem, quàm hominem sceleratum; cuius iudicium est, quòd mallet sceleratum perire, quàm patrem. Simili ergo modo potest quis indignationem Dei patris incurrere pro creatura, quam diligit minus, quàm Deum. Hæc, & alia huius generis argumenta proponit Adrianus; ea tamen, quæ sequuntur, animaduersione digna esse videntur: Primùm, constituamus hominem amantem mulierem fornicariam, non tamen nimio affectu, pro qua non daret decem aureos. Rursus, statuamus eundem hominem paratum ex pietate naturali ad dandum centum aureos in eleemosynam propter Deum. Ex his principijs deduco hoc argumentum. Hic plus diligit centum aureos, quàm fornicariam mulierem; & plus diligit Deum, quàm centum aureos. ergo plus diligit Deum, quàm creaturam, propter quam Deum offendit. Deinde, si Deus mihi præciperet decem præcepta, & creatura præciperet alia decem his contraria: si ego iussu Dei facerem nouem, & iussu creaturæ tantùm vnum, certè non diligo plus creaturam, nec pluris eam æstimarem: at peccarem mortaliter. ergo qui peccat mortaliter, non plus diligit creaturam, quàm Deum. ¶ Præterea, in omni opere nostro, etiam quando peccamus, operamur propter vltimum finem, & Deum verum; quod ostendit Diuus Thomas esse verum, artic. 6. & 7. huius quæstionis, ergo qui peccat mortaliter, non constituit alium vltimum finem.

¶ Præterea, qui peccat mortaliter, vel constituit in creatura vltimum finem verum, vel secundùm æstimationem suam & opinionem, non primum, vt de se notum est; nec verò secundum; nam peccator non vult, quod omnia referantur in creaturam, propter quam offendit Deum; nec verò eligit in eo statu semper permanere; imò statuit ab eo statu se continuò discessurum. ¶ Vltimũ argumentum magnas habere videtur vires; ducit enim ad inconueniens. Si enim peccator constituit vltimum finẽ in creatura, consequens est, quod qui amat furtum, & amicum plus quàm furtum, quod peccat duplex peccatum; tum, amando furtum; tũ amando amicum plus, quàm furtum. Quod peccet amando furtum, certum est. quòd verò peccet amando amicum, euidenti argumento conuinco. Nam hic amat furtum plus, quàm Deum, & amicum amat plus quàm furtũ, ergo amat amicum plus, quàm Deum. ergo peccat. Secundũ incõueniens sequitur ex prædicta sententia, quòd qui peccat venialiter, constituit vltimũ finem in creatura; quod asserere, alienum est ab omni Theologia. Nam omnis operatio humana necesse est habeat aliquem vltimum finem; sed peccatum veniale non est propter vltimum finem, qui Deus est. ergo habet alium vltimum finem. Deinde, omne nostrum peccatum in amore inordinato creaturæ consistit: qui ergo peccat venialiter, vel vtitur creatura, vel fruitur; si vtitur, nõ peccat, secundũ D. Aug. 1. lib.

Graue dubium. Vtrùm qui peccat mortaliter, constituat finẽ vltimum in creatura. Adriani argumenta. Primum. Secundum. Tertium. Quartum. Alia argumenta ad idem. Primum. Secundum. Tertium. Quartum. Vltimum. D. August. D. Thom.

1.lib.de doctrina Christiana.si fruitur,ergo cõstituit vltimum finem in creatura: fruitio enim est vltimi finis. Vltimò, qui peccat venialiter, conuertitur inordinatè ad bonum commutabile.ergo auertitur à bono incommutabili: accessus enim ad vnum terminum, est ab altero receſſus.ergo. Tertium inconueniens quod sequitur ex prædicta sententia est,quòd qui peccant ex ignorantia,arbitrantes seDeo obsequiũ præstare,plus diligant creaturam,quàm Deum.

Resolutio quæstionis. ¶ In contrarium est omnium sanctorum sententia,quæ ferè est sententia irrefragabilis fidei Christianæ, quam confirmo ; primò, ex illo

Matth.10. Matth.10. Qui amat patrem, aut matrem plus quàm me,nõn est me dignus, id est, (explicantibus patribus,Ambrosio,Hieronymo, Augustino) qui ex amore parentum transgreditur legem meam , non est me dignus;nam patrem, & matrem plus amat quàm me. Idem confirmo ex illo

Ioan.12. Ioann.12.Multi(inquit) ex principibus non audebãt Christum confiteri , ne extra synagogam fierẽt; ex quo colligit Christus Dominus , eos plus diligere gloriam hominum, quàm Dei.Itaque autore Christo Domino huiusmodi argumentatio necessaria est;hic peccat mortaliter:ergo plus diligit gloriam hominum,

Ephe.5. quàm Dei.Deinde ad Ephes.capit.5.auaritia appellatur idolorum seruitus. certè auarus habet pro Deo suo pecuniam,cui adipiscendæ omne

Phil.3. studium suum impendit. Simili locutionis phrasi vtitur ad Philippen.3.de hominibus delitijs deditis,quod eorum Deus venter sit ; id namque cuique Deus est,quod præ cæteris diligit, & cui præ cæteris studia sua impendit.

1.Ioan.5. Præterea,primæ Ioãnis quinto dicitur.Hæc est charitas Dei, vt mandata eius custodiamus. ergo qui non custodit mandata Dei , non habet Dei charitatem,nec diligit Deum super omnia.

Hierem.2. Huic suffragatur illud, quod habetur Hierem. secundo. Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ , & foderunt sibi cisternas dissipatas , quæ aquam continere non valent. Hanc eandem

Augustſ. sententiam affirmant omnes sancti patres , nominatim Augustſ.primo de doctrina Christiana ostendit satis abundè,omne malum nostrũ in hoc consistere, quod fruamur creaturis , & vtamur Deo: frui verò est , amare aliquid tanquam vltimum finem, & in eius adeptione conquiescere.Idem accuratiùs ostendit 10. de Trinitat.capitulo decimo,& libr.83. quæstion.30. &14.de Ciuitate,capit.vigesimooctauo, & lib. vigesimoprimo,capit.vigesimosexto.idem docet Chrysostom.homil.decimatertia in Epistola ad Philippen.

Chrysoſt. Athanaſ. Athanasi.explicans illud; quorum Deus venter est. Idem sentit & in opus-

D.Thom. culo contra gentiles in principio. Diuus Thomas in epistola ad Philippen. cap. 3. lectione 3. & ad Rom.primo,lectione septima,& hîc in argumento,sed contra.& articul.7.ad primum,& infrà quæstion.88. & 89. & de malo,quæst. 7. articulo primo. sed ostendamus eandem rem argumentis euidentibus. ¶ In primis omne peccatum mortale excludit charitatem, & amicitiam Dei. ergo excludit dilectionem Dei super omnia. ¶ Deinde , qui peccat mortaliter, conuertitur ad bonum commutabile,& auertitur à bono incommutabili. ergo deserit Deum propter bonum commutabile: pluris ergo estimat bonum commutabile. ¶ Præterea, illud plus diligimus,quod præ cæteris eligimus : sed peccator derelicto Deo,eiusque amicitia, eligit creaturam. ergo plus facit creaturam . ¶ Iam verò est demonstratio Diui Thomæ.Nam omnis operatio hominis debet habere vltimum finem:sed qui peccat mortaliter , auertitur ab vltimo fine vero , qui est Deus. ergo alium vltimum sibi constituit finem .Deniq́ue illud est vltimus finis,quod præ cæteris amamus , & ad cuius adeptionẽ omnia nostra studia impendimus.Sed luxuriosus,aut auarus præ cæteris elegit pecuniam,vel voluptatẽ,& vt faciat satis ijs finibus , omnia sua studia impendit . ergo. Alijs argumentis hæc sententia confirmari poterat,sed hæc sufficiant.

Argumẽta in eandẽ sententiam. Primum. Secundum. Tertium. Quartum.

¶ At argumentis Adriani vt satis fiat, sciendum est dupliciter posse intelligi peccatorem in creatura vltimum finem suum constituere: vno modo , quòd hoc iudicium intellectus præcedat; in creatura mea felicitas est constituta : & hoc iudicium,speculatiuum non habent omnes qui peccant mortaliter ; alioqui omnes essent infideles,& hæretici. Alio modo contingit hoc practicè, cùm peccator Deo spreto, & eius amicitia,amplectitur creaturam: & in hoc sensu , omnis qui peccat mortaliter, constituit vltimum finem in creatura , & eam plus diligit,quàm Deum: vel formaliter , vt in eo, qui peccat ex certa sententia: vel interpretatiuè,vt in eo, qui peccat ex ignorantia.

Pro solutione argumẽtorũ Adriani notabilia. Not.1. Quomodo intelligatur , peccatorem constituere vltimum finẽ in creatura.

¶ Secundò obseruandum est , quòd qui offendit Deum propter creaturam , vel diligit illam creaturam plus,quàm Deum ; vel certè seipsum amat plus,quàm Deum. quod significat Diuus Augustinus in illa sententia ; Amor sui vsque ad contemptum Dei, ædificat ciuitatem Babylonis. ¶ Quod vt apertiùs nobis innotescat,maximè obseruandum est, quòd quemadmodum in quolibet virtutis genere duplicem constituimus finem;proximum vnum,eidemq́ue virtuti proprium,& peculiarem,qualẽ misericordiæ statuimus,alienæ videlicet mederi miserię,famelicũ alere,nudũ operire:cõmunẽ

Not.2. Duplex peccati finis. D.Augustſ. Nota. Virtutis duplex finis.

alterum, Deum scilicet, ad quem, tanquam in finē virtus omnis refertur. Eadē prorsus ratione duplicem finem in peccatis omnibus statuendum esse censemus; proprium vnum, illum nimirum, qui est actus illius obiectum; quemadmodum auari pecuniam, libidinosi delectationem finem constituimus: communem alterum in quem, tanquam in finem peccata omnia referuntur, qui est amor sui ipsius. Qui fines ita inter se sunt affecti, vt primus, si secundo conferatur, sit illius medium; secundus verò prioris sit finis, cuius grātia priorem illum amplectimur. Quibus statutis, respondemus, licèt verum sit primum finem non magis à nobis amari, quàm Deū (vt adducta argumenta probare nituntur) secundum tamen finem, qui amor est sui ipsius plus à peccatore amari, quàm Deum. ¶ Notandum item est tertiò, quod maior dilectio est duplex; intensiua, & appretiatiua. Intēsiua est, quā do vehementiùs, & suauiùs erga rem aliquā afficimur. Appretiatiua est, quando rem aliquā cæteris præferimus. ¶ Illud etiam est obseruandū, posse inueniri vt diligamus rem aliquā plus intensiuè, & minus appretiatiue, & ècontra; vt, mulier intensiùs, & suauiùs afficitur erga catulum, quàm erga margaritam: at si deberet perdere alterum illorum, eligeret potiùs perdere catulum, quàm margaritam. ¶ Item obseruandū est, posse contingere vt eandem rem plus diligamus secundùm vnam rationem, & minus, secundùm aliam. Nam amicum in ratione amicitiæ plus diligimus, quàm seruum: at in ratione vtilis, & commodi, plus seruum diligimus. Qua de causa peccator plus diligit Deum, quatenus est bonum quoddam vniuersale, sine quo vel ad momentum res omnis nequit subsistere; cæterùm in ratione amicitiæ, plus diligit creaturā: deserit enim Deum, & eius amicitiam, propter amorem creaturæ, & ideo D. Tho. 1. p. q. 60. ar. vltimo ad vltimum planè dicit, quod dęmones diligunt Deum plus, quàm se, quatenus est bonum quoddam vniuersale; cæterùm quatenus est bonum particulare, odio habent illum. ¶ Vltimò notandum est, quod qui labitur in mortale peccatum, labitur ruina irreparabili, quantū in se est; sic adeò, quòd si Deus sua gratia non subleuaret, actū esset de eius salute, & remedio. Ista documēta dissoluūt facilè Adriani argumēta. ¶ Dicendum namque est ad primum, quod qui peccat ex ignorantia culpabili, virtualiter, & interpretatiuè præponit Deo creaturam, & eam plus facit, quandoquidem propter amorē creaturæ & deserit Deum, & eius amicitiam. ¶ Respondetur ad secundum negando consequentiam; nam in quouis peccato mortali includitur intrinsecè quod deseratur Deus propter creaturam. vnde consequens est, quod plus diligatur creatura: at non includitur in peccato, quod in gratiam amici committo, vt diligam amicum plus quàm me. Vel dicatur, si hoc non placet, quòd cum offendo Deum propter amicū, quē diligo minus, quàm meipsum, in eo peccato (vt iam expositum est) meipsum diligo plus, quàm Deum, & plus, quàm amicum; quandoquidem vt satisfaciam meæ volūtati, Deum, & eius amicitiam perdo, & sic in creatura constituo vltimum finem, nimirum in amore proprio inordinato. ¶ Ad tertium respondetur, rectè concludere quòd in eo casu Deus diligitur magis intensè, quàm creatura, non autē probat, quòd magis appretiatiuè diligatur: deseritur enim Deus, & eius possessio propter creaturam. ¶ Dicet aliquis, illud amatur magis appretiatiuè, quod præ cæteris diligitur, vt ex superioribus manifestum est: at hic peccator non moreretur pro amico, quod tamen pro Christo subire nō dubitaret. plus ergo appretiatiuè amat Christū. ¶ Idem cōfirmatur; videmus enim multos peccatores grauissimis sceleribus irretitos, qui fidei zelo accensi, libentissimè appetūt mortem pro pro fide sua. ¶ Huic obiectioni dicendum est, quod si huiusmodi dilectio est maior appretiatiuè, erit certè maior secundùm alias rationes, at in ratione amicitiæ maior non est: vt enim sæpe dictū est, qui peccat mortaliter, deserit Deū, eiusque amicitiam propter amorem creaturæ. Vel dicendum est, dilectionem illā nullius pretij esse coram Deo; opera enim nostra, extra charitatem facta, nullius valoris sunt corā Deo, vt testatur Paul. 1. Corin. cap. 13. ¶ Ad quartum eisdem solutionibus respondetur. Est præterea aliud discrimen. Filius enim de se habet vnde possit amicitiam patris perditam reuocare: cæterùm peccator non habet ex se vnde possit in gratiam Dei redire. ¶ Ad argumenta quæ adduximus in fauorem Adriani respondendū est, & ad primum respondemus negando consequentiam. Ex peruersione enim & corruptione liberi arbitrij prouenit, vt vnam rem diligamus minus, quàm alteram pretiosam, & plus quàm aliam viliorem. Fornicarius itaque ille diligit plus Deum, quàm diuitias, diligitque minus Deum muliere fornicaria, quam diuitijs cē set viliorem, quod quidem ex peruersione, & corruptione appetitus prouenit. ¶ Respondetur secundò, hunc fornicarium nil operari propter Dei dilectionem, quem nihili facit, eumq; pro re viliſima commutat. Itaque si largitur eleemosynam, non est propter dilectionē Dei efficacem, sed vel ex amore sui, vel ex amore Dei imperfecto, & velleitate quadam inefficaci. Vnde ad argumentum, negamus hunc peccatorem

Argumēta in contrarium. Secundum. Tertium. Quartum. Not. tert. Dilectio maior, intēsiuè, & appretiatiue. Not. quart. Not. quint. Quomodo intelligatur, peccator plus diligere Deum quàm creaturam. Not. vltim. Duplex peccandi genus. Ad Adriani argumenta Ad primum Ad secundū Virtutis definitio. D. Thom. Ad tertium Obiectio. Solutio. Ad quartū. 1. Cor. 13. Ad argumēta adducta in fauorem Adriani. Ad primum Respon. 1. Secūd. solu.

torem plus Deum diligere, quàm diuitias: si enim non diligit Deum, non diligit Deum plus quàm diuitias. ¶ Respondetur tertio, quod in hoc casu diligitur plus Deus, secundum alias cõsiderationes, cæterùm in ratione amicitiæ plus diligitur creatura, propter quam Deus deseritur. ¶ Ad secundum principale argumentum respondetur, quod dilectio super omnia, includit in se obseruantiam omnium mandatorum Dei; vt planè asserit Ioan. loco adducto: quapropter qui in vno offendit, factus est omniũ reus, & non diligit Deum super omnia. ¶ Respondetur ad tertium, quòd in peccato est bonum delectabile, quod ordinatur in vltimum finẽ. Rursus est malum morale, quod non ordinatur in vltimum finem, quin potiùs auertit ab vltimo fine. Itaque peccator operatur propter vltimum finem in generali, & propter beatitudinem in communi, vt suum expleat desideriũ: verùm non operatur propter Deum. Dicendũ est secundo; quod peccator operatur propter Deum, vt est bonum commune, at vt est particulare bonum, odio habet illum, sic docet D. Thom. art. 6. huius quæstionis, & 1. p. loco supe rius adducto. ¶ Ad quartum respondetur: iam à nobis expositum esse, quomodo practicè peccator constituat vltimum finem in creatura, nõ autem speculatiuè. ¶ Ad vltimum, quod aliquam in se cõtinet difficultatẽ, annitar aliquid vero simile dicere. Ad primum inconueniens dicendum est, quod si hic diligit plus amicum appretiatiuè, in hoc sensu, quod est paratus dimittere furtum propter amicum, & est paratus non dimittere propter Deum, certè peccat; tũ, diligendo amicum, tũ etiam diligendo furtũ: si verò plus amat amicum intensiuè, non est consequens quod peccat amicum diligendo: nam diligere intensius creaturam, quàm Deum, nullum est peccatum. Secundò ad argumentum, negãda est cõsequentia, nã fit cõparatio in diuerso ordine, & genere: & certum est, quòd illa maxima, si vinco vincentem te, à fortiori, vinco te, nil veri in se continet in diuerso genere & ordine. Sed explicandum est, quomodo cõparatio fiat in diuerso genere & ordine. Cuius rei duplex est interpretatio: prior, quod iste plus diligit furtum, quàm Deum; diligit enim inordinatè: diligit etiam plus amicum, quàm furtum; nam diligit ordinatè. Posterior explicatio est, quod iste non diligit furtum, propter amicum; nam certè si diligeret furtum propter amicum, & furtum plus quàm Deum, euidens est, eum magis diligere amicum, quàm Deum. Illud etiam aduertendum est, argumentationẽ huiusmodi non esse necessariam. Timor pœnę causa est vt cessem peccare: & solus Deus nõ est

Tert. solut.

Ad secundũ

Ioannes.

Ad tertium

D. Thom.

Ad quartũ.

Ad vltim.

Cõparatio in diuerso genere dupliciter interpretatur.

set causa quod à peccato desisterem: ergo plus timeo pœnam quàm Deum. Ratio huius est; nã hoc, quod timeo, & formido pœnas, in Deum ipsum suapte natura ordinatum est. ¶ Ad secũdum incommodum respondet optimè D. Tho. infrà q. 88. art. 1. ad 2. 3. & 4. & q. 7. de malo, art. 1. ad 3. & 4. & 9. quia tamen eius solutio nõ omnibus placet, diligentiùs examinanda est. Dicit ergo D. Thom. quod ille, qui peccat venialiter, inhæret bono temporali, non vt fruens; quia non constituit in eo finem; sed vt vtens, referẽs in Deum, non actu, sed habitu. Deinde concedit, quod qui peccat venialiter, conuertit se ad bonum commutabile: sed bonum commutabile non auertit ab incõmutabili bono, nisi quando constituitur in eo finis: sed qui peccat venialiter non constituit vltimum finem in bono cõmutabili. Certè solutiones huiusmodi obscuræ sunt, & intricatæ, & quæ accurata indigent expositione. ¶ Difficilè sane est ad intelligendum quomodo id, quod in peccato veniali amatur, propter Deum diligatur habitu, etsi non actu; amans enim delectationem in superfluo potu, sciens & aduertens, nec actu amat illam propter Deum, quod de se patet, nec habitualiter intendit ordinare illam in Deum. Hoc ipsum confirmatur; quia tale amabile, non est amabile propter Deum; ergo neque actu, neq; habitu amatur propter Deum. ¶ Explicatur hoc euidẽtiùs. nam certè actus inordinatus non est medium consentaneum vt in Deum, aut in Dei gloriam referatur; quid est ergo quod docet D. Thom. peccatum veniale referri in Deum habitu, non actu? Sed & aliud incommodum hæc sententia D. Tho. habere videtur; nam non explicat apertè, quem finem habeat peccatum veniale, exempli causa, mendacium; cum enim nõ habeat Deum pro vltimo fine, & constet habere aliquem finem; consequens esse videtur, vt habeat creaturam pro fine. Hæc argumenta facillimè sibi soluisse videtur Cardinalis Caietanus. 2. 2. q. 24. art. 10. ad 2. dixitque originẽ traxisse ex eo, quod non intelligitur, quid sibi velit amare habitu propter Deum: est enim considerandа differentia, qua inter se differunt; amare actu, vel virtute, vel habitu propter Deum. Nam amare actu propter Deum, est actu, & in operis exercitio referre amorem illum in Deũ; amare autem virtualiter, est ex præcedenti intẽtione ad Deum operari pia opera, vt cùm quis à principio officij diuini intendit ex charitate persoluere deuotè, atque attentè officium diuinum, & postea præter intentionem diuagatus, & distractus persoluit illud; talis propter Deum virtualiter operatur ex intentione præcedenti; cuius virtus perseuerat in opere. Amare autem

De peccãte venialiter an cõstituat finẽ vltimũ in creatura.

Obijcitur contra solutiones D. Thom.

D. Thom.

Caiet. expositio.

Amare deũ actu, virtute et habitu, in q differã

habitu, neque actualem relationem, neque præcedentem intentionem perseuerantem ponit, sed solùm significat habitus concomitantiam, & efficaciam. Itaque nil aliud est dicere, amatur hoc habitu propter Deum, quàm habere habitum, quo propter Deum hoc amari possit: & sic peccatum veniale amatur propter Deum, habitu; tum, quoniam peccatum veniale nõ tollit charitatis habitum; tum verò, quoniam quãtum est ex parte habitus charitatis (permanet enim in eo, qui peccat venialiter) amare potest peccatum veniale propter Deum, sed ex defectu rei amabilis non amatur propter Deum; siquidem non est amabilis propter Deum. Hæc est explicatio Domini Caietani, acuta satis, & erudita; mihi tamen (vt verum fatear) non satisfacit: non enim explicat rei difficultatem, quem scilicet finem habeat peccatum veniale, in quẽ referatur, vel sit referibile, vt vtar Caietani verbis: conantur itaque alij Theologi alio modo prædicta argumenta dissoluere. ¶ In peccato enim, inquiũt, est duplex finis; & finis proprius operis, & amor sui ipsius, eius scilicet qui peccat, qui est finis operantis, & communis omni peccanti. Si loquamur de fine operis, quem habet peccatum veniale, videlicet mendaciũ, certum est non posse referri in Deum, neque habere illum pro vltimo fine, neque actu, neque habitu. At verò si loquamur de fine operantis, inquirentes quem finem sibi proponat is, qui officiosè mentitur, & peccat venialiter, haud dubiè habet aliquem finem; vel enim mentitur animi gratia ob suam delectationem; vel ob amici defensionem; vel propter rei familiaris commodum. refert itaque in sui amorem. Et quoniam huiusmodi finis in eo, qui peccat venialiter, refertur habitu in Deum, ideo peccatum veniale, quod ad hunc finem refertur, dicitur referri in Deum habitualiter. At in peccato mortali, quoniam finis operantis, amor scilicet sui, non refertur in Deum habitualiter: peccator enim qui peccat mortaliter, constituit vltimum finẽ in seipso, vt antea dictum est; ideo non refertur in Deum habitualiter. Propter quam causam dixit D. Thom. q. 7. de malo. art. 1. ad 3. quod peccatum veniale non conuertitur ad bonum cõmutabile, tanquam ad finem, sed tanquam ad medium. ¶ Hęc etiam explicatio non omnibus probatur; non enim manifestum nobis reddit, quem finem habeat peccatum veniale; propter quod alij faciliùs hanc difficultatem explicantes dicunt, quod qui peccat venialiter, nec fruitur, neq; vtitur creatura, sed abutitur. Ille enim qui inordinatè refert aliquid in aliud, non fruitur eo, vt constat; neque verè vtitur, sed abutitur; quod facit is, qui peccat venialiter. & cùm

Caiet. expositio non videtur satisfacere.

Aliorum solutio.

D. Thom.

D. Thom.

Aliorũ expositio.

D. Augustinus dicit, quod creatura vtimur, vel fruimur, addendum est, vel abutimur. ¶ Sunt qui dicant, quod peccans venialiter assimilatur ei, qui nimis moratur in via; sed mortaliter peccãs recedit à via, & inhęret alteri habitualiter à Deo, non autem qui venialiter peccat. ¶ Inueni Theologum quendam, qui nullum incommodum censebat esse concedere, eum, qui peccat venialiter, constituere vltimum finem in creatura. Vincebatur enim argumento superiùs posito: dicebat tamen, quod constituere vltimum finem in creatura propter imperfectionem materiæ, erat peccatum veniale, veluti qui habet motus infidelitatis parũ deliberatos. Proculdubio concedendum est, quodammodo se à Deo auertere, nihilominus propter imperfectionem actus, & deliberationis, peccatum mortale non committitur. ¶ Sed vt iam finem imponamus importuno argumento, dicendũ est, quod peccatum veniale, verbi gratia, mendacium officiosum, habet pro fine (si tamen finem habet, potiùs enim est defectus à bono & fine) destruere veritatem in re iocosa, & quæ minimè alterum lædit; qui finis rursus refertur in commodũ, vel delectationẽ operantis; operans verò in ipsum Deum. Ex quo consequens est, peccatum veniale quodammodò referri in Deum. Neq; hoc à vera Theologia videatur alienum; in omni enim opere nostro (vt inquit Augustinus) quærimus Deum; sed in peccato veniali non rectè, neque ordinatè quærimus Deum. Hæc satis sint de ista quæstione. ¶ Ad tertium incommodũ iam dictum est, quomodo qui peccat ex ignorãtia culpabili virtualiter, & interpretatiue præponat Deo creaturam, & eam pluris faciat.

D. Augustinus. Aliorum placitum.

Peculiaris dicendi modus.

Propriusdissoluẽdi modus.

ARTIC. SEXTVS.

¶ Vtrùm omnia quæ vult homo, velit propter vltimum finem.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio.

D. Augustin.

Conclusio est affirmãs, quam probat, primò ex autoritate D. Augu. 19. de ciuitate Dei c. 1. Illud (inquit) est finis boni nostri, propter quod amantur cætera; illud autem, propter seipsum. Et certè hęc est definitio vltimi finis, quod ametur propter se, & omnia propter ipsum. Hoc ipsum confirmat euidens

euidens ratio. Nam quicquid homo appetit, appetit sub ratione boni: quod quidem si non appetitur vt bonum perfectum, & vltimum, necessum est vt appetatur sicut tẽdens in illud; at inchoatio alicuius semper ad consummationem ordinatur, quod patet tam in his, quæ fiunt à natura, quàm in his, quæ ab arte fiunt. Sed & huius rei alterum est argumentum: quia secundæ causæ mouentes, non mouent, nisi secundùm quod mouẽtur à prima: vnde secunda appetibilia non mouent appetitum, nisi in ordine ad vltimum appetibile, quod est vltimus finis.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Scotus. Vtrùm appetitus elicitus feratur semper in finem vltimum.

SCotus 4. sent. dist. 49. q. 10. censet, quod etsi verum sit appetitum naturalem semper tendere in finem vltimum, at appetitum elicitum, & deliberatum non semper tendere in vltimum finẽ. quod esse verum, demonstrat his argumentis.

Primum argumentũ.

¶ Primò, homo potest operari nil cogitando de vltimo fine.

Secundum.

¶ Tũ secundò, quia potest operari ignorans prorsus esse vltimum finem, & esse Deum.

Tertium.

¶ Tũ tertiò, nam potest operari non solùm negatiuè se habendo ad vltimum finem, sed etiam contrariè; vt licet aduertere in homine Christiano, qui vult fornicari stante certitudine & persuasione Christianæ fidei, quod operatur cõtra vltimũ finẽ, & cõtra Deũ, & contra suã summã perfectionẽ.

Quartum.

¶ Tũ quartò, quia nostra voluntas libera est: ergo etiã proposito sibi vltimo fine potest operari, & nõ, propter vltimũ finem.

Quintum.

¶ Præterea infidelis, qui constituit vltimũ finem in idolo, non semper operatur propter idolum, alioquin omnis infidelis operatio esset peccatum, cuius contrarium affirmat D. Tho. 2. 2. q. 10. art. 4. Item Stoicus, qui constituit vltimum finem in operatione virtutis, non semper operatur propter virtutẽ, alioquin esset impeccabilis. Rursus Epicurus, qui constituit vltimũ finem in voluptate, non omnia operatur propter voluptatem: atque adeò peccator, qui constituit vltimum finem in creatura (vt suprà ostensum est) nõ omnia operatur propter creaturam, alioquin vniuersa operatio hominis peccatoris esset peccatum. Ex his exemplis sic conficio argumentum.

D. Thom.

Sextum.

Argumentum.

¶ Sicut se habet voluntas omnium ad vltimum finem in generali, eodem modo se habet voluntas huius hominis ad finem istum vltimum in particulari. Ergo si quicquid vult homo, velit propter finem vltimum in generali, & iste homo constituit vltimum finem in voluptate, vel in sui amore; consequens est, quod quicquid velit iste homo, velit propter voluptatem, vel sui amorem: cuius contrarium esse verum, suprà ostensum est, alioqui omnis peccatoris operatio mala esset.

Vltimo.

¶ Vltimò ex D. Thom. sententia sequuntur quædã, quæ maximam præ se ferunt absurditatem. Primum sequitur, quod peccator, quando mortaliter peccat, operetur propter vltimum finẽ, & propter Deum, & quod referat peccatũ mortale in Deum, quod asserere, absurdum est. Sequitur deinde, non dari actus otiosos: actus enim otiosi appellantur, qui carent aliquo fine bono; sed secundum D. Tho. hîc, omnis actus humanus refertur in aliquẽ finẽ bonũ, vltimũ scilicet finem. ergo. Præterea sequitur, quod nullus sit actus, etiam sceleratissimus, qui non habeat aliquam circunstantiam boni, videlicet circunstantiam vltimi finis. Sequitur præterea, quod sit necessaria circunstantia vltimi finis vt actus sit bonus moraliter; cuius contrariũ docet D. Tho. 2. 2. q. 10. art. 4. vbi docet expressè, quod infideles possunt habere bonum actum moralem, licet non referant in vltimum finem, & in 2. d. 41. art. 2. ad 2. & 4. ait apertè, quod vt actus sit moraliter bonus, non est necessaria circũstantia vltimi finis. Postremò sequitur, quod necessariò præcedit amor vltimi finis volitionẽ cuiuscunque alterius boni particularis; cuius cõtrarium esse verum, vel ipsa experientia constat.

D. Thom.

Dubij explicatio.

¶ Pro huius quæstionis explicatione sciendum est, eos, qui D. Thom. hac in parte impugnant, non tam impugnare D. Thom. quàm Aristot. Cicer. Augustũ, cæterosque rectè philosophantes. Aristot. enim 1. Ethic. c. 1. & 4. & 7. definit vltimum finem esse illud, quod propter se expetitur, & omnia propter ipsum expetuntur. Cicer. 1. & 2. lib. de finibus ait, vltimus finis est, ad quem omnia referuntur, & ipse vltimus aliò non refertur. D. Augustũ lib. 19. de ciuitate Dei. c. 1. & 2. dicit, Illud est finis vltimus, propter quod cætera amantur, & illud propter seipsum. Quam definitionem esse veram, ostendit D. Thom. in artic. euidentibus argumentis, quæ prius adduxerat Aristot. 2. met. ad ostendendũ, quod in nostris operationibus tandem in vltimum finem est deueniendum.

Augustũ.

Cicero.

D. Augustũ.

Aristot.

¶ Sciendum est secundò, dupliciter nos loqui posse de vltimo fine;

ne; vno modo formaliter: alio verò modo materialiter: & quod idē valet in generali, & particulari. Finis vltimus formalis est, qui primum mouet voluntatem, & ratione cuius cætera expetuntur; & hoc nihil aliud est, quàm felicitas, & bonum perfectum, ad satiandum appetitum nostrum sufficiens, non determinando ad hoc bonum, vel ad aliud, sed in genere, & in communi. Finis vltimus materialis est illud, in quo ratio huiusmodi summi boni inuenitur, cuiusmodi est Deus Opt. Max.

Prima Cōc. Omnia agunt propter vltimū finem formaliter.

¶ His sic explicatis sit prima Cōclusio. Quando affirmat D. Tho. hominē omnia agere propter finem vltimum, loquitur de fine vltimo formaliter, non materialiter. Sensus itaque est, quod homo in omnibus operibus suis hoc intendit, & cupit, vt bene se habeat, vt perfectionem suam adquirat, & vt desideria sua expleat. Cæterùm non est sensus, quod in omnibus operibus suis operetur propter Deum formaliter. & quod hic sit sensus verus D. Thom. liquet ex rationibus adductis in articulo, & patebit articulo sequenti.

Secunda Conclusio.

¶ Secunda Conclusio. Vt homo operetur vniuersa propter vltimum finem, non est necesse quod cogitet semper de vltimo fine. Hoc asserit D. Tho. solutione ad tertium. idipsum ostendunt argumenta Scoti; hoc etiam patet manifestis exemplis. Non enim est necesse agricolam seminantem de messe futura semper cogitare; nec oportet ædificantem, qui fundamenta domus erigit, semper de domo futura cogitare; atque adeò viator, qui ad D. Iacobum tendit, non semper de fine suo meditatur.

D. Thom.

Tertia Cōc. In volitione cuiuscūque boni, an præcedat volitio vltimi finis.

¶ Tertia Conclusio. Probabile est, quòd omnem volitionem cuiuscunque boni particularis præcedat, vel tempore, vel ordine naturæ amor vltimi finis. Probatur. nam si videmus agricolam seminantem, continuò colligimus eum antea de messe cogitasse. Rursus, si videmus architectum domum erigentem, statim colligimus eum prius voluisse domum ædificare. Quando ergo appetimus bonum aliquod particulare, & in eius adeptione laboramus, rectè concluditur amorem vltimi finis præcessisse. Deinde, sicut se habent prima principia in scientijs, ita se habet vltimus finis in rebus agendis, autore Arist. 2. Physic. & 7. Ethic. Sed impossibile est quod assentiamur conclusionibus, quin priùs assensi fuerimus principijs, ex quibus conclusiones dependent. Ergo impossibile est quod velimus aliquid, quod bonum sit, quin priùs vltimum finē amauerimus. Præterea non possumus appetere media circa fines particulares, quin priùs finem voluerimus; ergo non possumus appetere aliquod bonum particulare, quin prius vltimum finem appetierimus. Idem confirmatur. Nam volitio medij, & boni particularis causatur ex volitione vltimi finis; præcessit ergo amor vltimi finis. Hoc docere videtur D. Tho. 1. p. in materia de angelis, quod prima volitio, quā habuit angelus in primo instāti, fuit amor vltimi finis materialis. Cum ergo homo peruenit ad rationis vsum, probabile est maximè, quod prima eius volitio sit amor vltimi finis.

Aristot.

D. Thom.

Quar. Cōc. Volūtas potest velle aliquod particulare bonum prius quam vltimum finē.

¶ Quarta Conclusio. Probabilior est illa sententia, & mihi magis probatur, quę asserit, quod voluntas potest velle bonum aliquod particulare, priùs, quàm velit vltimum finem. Probatur. Nam bonum particulare est verè bonum, & iudicatur tale. ergo potest mouere appetitū. Consequentia inde probatur; nam obiectum voluntatis est bonum; ergo satis est, vt velit, vt præsentetur tanquam bonum, etiam non præcedente volitione vltimi finis. Deinde, bona particularia eatenus sunt bona, quatenus participant rationem vltimi finis, & summi boni. ergo qui appetit bonum aliquod particulare, implicitè, & in virtute appetit vltimum finem, licet non præcesserit volitio vltimi finis, vt optimè ait Diuus Thom. in articulo, quod qui appetit bonū imperfectum, implicitè appetit bonum perfectū. Deinde, nos cernimus albedinem absque eo, quod præcesserit visio coloratī; & intelligimus hominem absque eo, quod præcedat cognitio entis; & mea sententia possumus assentiri huic principio; omne totū est maius sua parte, priusquam assentiamur huic primo principio, quod libet est, vel non est. ergo potest voluntas appetere aliquod bonum particulare, priusquam velit vltimum finem. Item, potest homo extinguere sitim ex inclinatione naturæ, & velle bibere ad sitim extinguendam; quorum primum nulla alia præcedenti volitione præstare potest, quod & facere potest brutum. Possumus ergo velle bonum particulare, priusquam velimus vltimum finem. ¶ Confirmantur omnia hæc. Nam certè prima hominis cogitatio, & deliberatio non videtur esse de vltimo fine, sed de aliquo bono particulari conuenienti sibi secundū suam æstimationem. ¶ Sed contra hanc doctrinam est vnicum argumentum, quod maximè premit: Nam ista volitio non est propter vltimum finem formaliter, vt notum est; nec verò virtualiter; nam tunc est relatio in finem virtualis, quando procedit ex volitione præcedenti vltimi finis. Ergo ista operatio non est propter vltimum finem. ¶ Pro expositione huius argumenti sciendum est, multipliciter posse intelligi, quod quicquid vult homo, velit propter vltimum finem; vno modo, quod actu velit vltimum finem, & quod omnia in illum dirigat. & hoc

D. Thom.

Obiectio.

Solutio. Quomodo quicquid homo vult, velit propter vltimū finem.

hoc esse falsum, vel sola experientia satis apertè testatur. Alio modo, quod prius velit vltimum finem, & postmodum media adducentia ad vltimum finem: quem modum dicendi amplectuntur quidam Theologi, quorum sententia esse probabilem, in tertia conclusione dictū est. Tertio modo potest intelligi, quod velit omnia propter vltimum finem, licet nunquam cogitauerit, vel concupiuerit vltimum finem. ¶ Pro cuius explicatione in memoriam reuocandum est ex artic. 1. huius quæstionis, quod agens naturale, agit propter finem, & omnia bruta operantur propter finem, licèt non cognoscant finem: Leo enim pugnat cum tauro, non intelligens quod velit illum interficere ad vitam defendendam; & bombix omnia quæ facit, facit propter perfectionem serici, quod nunquam cognoscit; & arbor producit frondes ad protegendos fructus: & aqua ascendit vt suppleat vacuum; & homo nil de vita cogitans: si bibit dū sitit, hoc facit propter tuendam vitam. ¶ Ratio horum omnium hæc est. Ista enim opera suapte natura destinantur in vltimum finem, non ergo opus habent alia ordinatione, & destinatione. Vt enim natura irrationalis inclinatur, & agit naturaliter propter finem; ita homo inclinatur in finem suum naturalem, naturaliter; & sicut irrationalis natura operatur propter finem, licèt illum non cognoscat; ita homo operatur propter finem suum vltimum, licèt eū nō cognoscat. Itaque licèt homo præstituat sibi finem aliquem certum, tamen præter illum finem, illa actio est propter vltimum finem naturalem, licèt eum nō cognoscat. hac ergo de causa homo vult omnia propter vltimum finem. ¶ Sed alia huius rei potest assignari causa, & nostro iudicio longè exactior, ista scilicet, quod omne bonum particulare, & imperfectum, suapte natura destinatur ad bonum perfectum. Qui ergo cupit bonum imperfectum, & particulare, implicitè, & in virtute cupit bonum perfectum & suis numeris absolutum.

Quinta Cō clusio. Omnia quę vult homo, vult propter finem particularem, qui est Deus. Hanc conclusionem affirmat D. Thom. 4. d. 49. q. 1. art. 3. & de veritate, q. 22. art. 2. & 1. Ethic. lect. 1. explicans illam sententiam philosophi, Bonum est, quod omnia appetunt, sed apertius, & diligentius 3. contra gentes c. 17. 18. 19. vsque ad 23. Probatur ista conclusio. ¶ Homo enim in omni opere suo, quo laborat sub sole, hoc vult, vt bene se habeat, & felicitatem acquirat, atque vt sua desideria compleat. Sed solus Deus est bonum sufficiens ad explenda nostra desideria. Ergo in omni opere suo, expetit, & quærit Deum. ¶ Præterea qui cupit esse, viuere, & perfectus esse, necesse est vt appetat omnia necessaria, vt sit, vt viuat, & vt perfectus sit; sine Deo autem, homo vel per momentū subsistere nequit, in omni ergo suo desiderio desiderat Deum esse. ¶ Deinde, quodcunque bonū particulare est diuinæ bonitatis participatio: quod de se satis nobis constat. Ergo qui appetit bonum aliquod particulare, implicitè, & in virtute appetit summum bonum. Præterea, sicut est Deus causa efficiens omnium rerum; ita est finis omnium rerum vltimus, secundùm illud; Egò sum Alpha, & O, principium & finis. ergo omnia refert in seipsum. Cui consonat illud Prouerb. 16. Omnia propter semetipsum operatus est Dominus. Itaque quemadmodum causæ secundæ sine causa prima nec mouere, nec influere possunt; eodem modo fines particulares voluntatem mouere non possunt sine fine omnium rerum vltimo, qui est primum desiderabile, & primum appetibile, propter quod cætera appetuntur, & desiderantur. ¶ De peccato verò, & peccatis, ad hunc modum statuendū est. In primis in peccato considerare possumus bonum delectabile, & vtile, & ipsius operis entitatem: Rursus, malum morale, & operantis intentionem. Si cōsideretur bonum delectabile, & vtile, atque ipsius operis entitas, omnia ista procul dubio in Deum tendunt; nam horū omnium Deus est causa & efficiens, & finalis. Si autem consideretur malum morale, certum est quod non tendit in Deum: tum primò, quia est auersio à Deo: tum secundò, forsan enim est priuatio, & defectus, & nihil: tum tertiò, nam Deus neque est causa efficiens, neque finalis peccati. Si verò attendamus intentionem operantis, dicendum est, quod peccator in omni peccato operatur propter Deum, vt est bonum quoddā vniuersale; nam in omni peccato quærit felicitatem in communi, & sua desideria cōplere, quod est quærere finem vltimum in generali: quod adeò certum est, vt dicat D. Thom. 1. 1. p. q. 60. articulo vltimo ad vltimum. Quòd dæmō in omnibus operibus suis, etiam maximè malis, amat plus Deum, quatenus bonum est vniuersale, quàm seipsum. ¶ Ex his, quæ hactenus dicta sunt, omnia argumenta Scoti adducta soluuntur. Primum enim, & Secundum, & Tertium expressè sunt soluta. ¶ Ad quartum respondeo, quod voluntas libera est, quantum ad exercitium; cæterū necessitatur ad vltimum finem, quantum ad specificationem; quemadmodum si oculus videt, necessitatur vt videat colorem, qui est eius obiectum, non autem necessariò videt. ¶ Ad quintum dicendum est, conclusionē D. Thom. solùm veram esse de fine vltimo in generali, non in particulari. Itaque infidelis nō

Apo. vltim.

Prou. 16.

Nota.

D. Thom.

Dæmō amat clarū, ut bonū vniuersale,

Solutio argumentorū

Ad quartū.

Ad quintū.

semper

semper operatur propter idolum, quod sibi cõstituit vltimum finem; neque homo Epicureus propter voluptatem; neq; Stoicus propter operationem virtutis: at semper operatur homo vt bene se habeat, vt desideria sua compleat, atque vt perfectionem suam adquirat. Quæcunque enim appetit homo, propter finem vltimum appetit. & hoc est quod vocat D. Thom. vltimum finem in generali. Neque est idem iudicium de fine vltimo in genere, atque de particulari. Nã finis vltimus in generali, clauditur intrinsecè in quouis opere, & quauis appetitione voluntatis: sed finis vltimus in particulari, nisi ex peculiari operantis intentione præstituatur, non est illud propter quod agens operatur. ¶ Ad vltimum argumentum dicendum supereſt; ad cuius prius incommodum, de peccatore scilicet, satis plura dicta sunt. Ad secundum incommodum respõdetur, opera humana tunc dici otiosa, quando carent fine aliquo particulari ab operante præstituto, quanquam in vltimum finem suapte natura referantur. Ad tertium incommodum dicimus, nullum esse inconueniens, neque absurdũ (quod statim docebo) circunstantiam finis nõ esse propriè circunstantiam. Quarto incommodo respondetur, Theologos nõ disputare, vtrũ ad actus moraliter, & politicè bonos requiratur circunstantia vltimi finis; sed talis vltimi finis, Dei scilicet, quod Greg. Arim. requiri arbitratur: cuius contrarium censet D. Thom. nec verbum loquentes de vltimo fine absolutè. Dicimus secundò, non ita intelligendum esse, omnes actus referendos esse in vltimum finẽ, quasi circunstantia sit cuiusque actus, quòd agens referat illum in vltimum finem; sed ex eo solùm, quia obiectum istud in particulari suapte natura, absque alia operantis intentione, in finem vltimum referatur, quemadmodũ superiùs expositum est. Vel dicimus; non esse circunstantiam actus humani quòd referatur in vltimum finem, cùm hoc sit omnibus humanis actibus intrinsecum, & commune: circunstantia verò est accidens actus humani; quod docebimus q. 7. Vltimo inconuenienti respondetur, iam satis dictum esse, quomodo non sit necesse amorem cuiusque finis, volitionem cuiusque boni particularis antecedere.

Ad vltim.

Greg. Arim

ARTIC. SEPTIMVS.

¶ Vtrùm sit vnus vltimus finis omnium hominum.

SVMMA TEXTVS.

Prima Conclusio. Sifer mo sit de vltimo fine, formali, & generali, omnes homines eundem finem vltimum habent. Omnes enim cupiunt bene se habere, suamque perfectionem adimplere, quæ est ratio vltimi finis in generali. Prim. Cõcl.

¶ Secunda Conclusio. Si loquamur de vltimo fine in particulari, in quo ratio, & perfectio summi boni inuenitur, non est idem finis vltimus omnium hominum; quia vt vltimum finem alij appetunt voluptatẽ, alij diuitias, in quibus maximè delectantur. Secũd. Cõc.

¶ Tertia Conclusio. Ille erit vltimus finis particularis, verus, atq; solidus, quem præstituunt sibi homines studiosi, & moribus, virtutibusq; præditi. Cæteri verò fines, quos præstituunt sibi homines vitijs dediti, non sunt veri fines, sed potiùs mali, & adulterini. Tert. Cõcl.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Conclusiones huius articuli maximè obseruandæ sunt, quæ acceptæ sunt ex Aristot. 1. Ethic. c. 4. quo in loco asserit Aristot. quod de humanæ vitæ felicitate in duobus rectè consenserunt anti qui Philosophi; in nomine, & in beatitudinis ratione, & definitione. Omnes enim vno ore appellant beatitudinem, vitam beatam, florentẽ, atque felicem, omni genere mali vacantem, & omnibus bonis affluentem. Rursus definierũt, felicitatem in bona, & recta vita esse collocandam; quæ autem sit recta vita, in hoc varias induxerunt opiniones: quali enim quisq; animo præditus erat, talem de beatitudine, & fine vltimo opinionem aucupabatur. Alij dicunt, quod rectè viuere, est voluptuosè viuere; alij, viuere honorificè; alij, locupletissimè. de quorum Philosophorum deliramentis disserit August. 13. de Trinit. cap. 4. Cicer. in Tusculanis quæstionibus, & in libro de finibus bonorum & malorũ; Sene- Aristot. Beatitudo. D. August. Cicero.

Seneca. Lact. Firm. Seneca in libro de vita beata, Lactantius Firmianus lib.3.de falsa sap.cap.7. Cæterùm quèadmodum religio nostra Christiana constituat vltimum finem verum,& legitimum,in sequenti quæstione diligentiùs inuestigabitur.

¶ Illud tamen dignum animaduersione ex huius articuli prima Conclusione elicitur, quòd nemo est,quantumuis barbarus, qui non beatus esse cupiat,& finem vltimum in generali nō quærat,& desideret.quod apertè asserit Augu. lib.10.confess.cap.20. & libr. 1.de libero arbitr. cap.14.& 19.de ciuit.Dei,cap.1.& sequentibus, & 13.libr.de Trinitate cap.3.Est illa memorabilis sententia D.Augustí.In quibusdam (inquit) rebus possumus scire quid omnes velint. vnde illa cuiusdam Mimi facetissima prædicatur vrbanitas,qui cùm se promisisset in theatro, quid vellent omnes se dicturum, dixisse perhibetur; vili vultis emere,& carè vendere. Quam sentētiam non probat Augustí.esse in vniuersum veram,licèt eam populus admirabili fauore fuerit amplexus;multos enim reperies, qui vili vendant quæ dimiserunt parentes, & carè emant, quæ consumunt libidines.At si dixisset Mimus (inquit Augustí.)omnes beati esse vultis, miseri esse non vultis;dixisset aliquid, quod nullus in sua non agnosceret voluntate. Sed satis hac de re,nam de ea infrà quæstione 5.art. vltimo erit diligentior inuestigatio. ¶ Contra secundam conclusionem articuli est vna obiectio persaci lis.Nam in sequenti articulo definit D. Thom. quod omnium rerum,& hominum est vnus vltimus finis in particulari, videlicet Deus ; falsa igitur est secunda conclusio,in qua affirmatur, quod in fine vltimo particulari non omnes homines conuenimus.Certè D.Thom.in sequenti articulo loquitur de fine vltimo, præstituto ab ipso Deo:in hoc verò articulo sermo est de fine præstituto ab ipso homine;sicut folia moriſunt ab autore naturæ propter fructus; ab agricola verò nutiuntur propter bombyces,&c.

Obiectio. D.Thom. D. Augustí. D. Augustí. D. Augustí.

ARTIC. OCTAVVS.

¶ Vtrùm in illo vltimo fine aliæ creaturæ conueniant.

SVMMA TEXTVS.

NON quærit D. Thom. de vltimo fine formali, & generali: exploratū enim est omnes creaturas hûc tēdere, vt bene se habeāt, suamque perfectionem adquirāt; sed quærit,Num omnes creaturæ habeant pro fine Deum Optim. Max. qui est Alpha, & O, principium,& finis.Ad cuius rei intellectum adnotat D.Thom. ex Arist. 5.meta.text.22.finem vltimum bifariam sumi posse ; vno modo, pro re ipsa,quā desideramus ; alio modo , pro adeptione huius rei, quam desideramus: quemadmodum auari finis pro re ipsa , pecunia est ; finis verò pro adeptione, pecuniæ possessio est, & adquisitio eiusdem. D.Thom. Arist.

¶ Est igitur prior Conclusio. Si loquamur de vltimo fine pro re,quam desideramus,omnes creaturæ eūdem finem vltimum cum homine habent , nempè Deum. Prior Cōcl.

¶ Posterior Conclusio. Si sermo sit de fine vltimo pro assecutione, non omnes creaturæ consequuntur finem vltimum ; sicuti homo,qui cognoscendo,& amando vltimum finem, Deum consequitur,quod creaturis irrationalibus non conuenit. Posterior Conclusio.

EXPLICATIO ARTICVLI.

DIfficile sanè est ad explicandum,quo modo creaturæ omnes pro vltimo fine habeant Deum Opt. Max. eam tamen rem adeò exactè explicat D. Thom.3.contra gentes c.17.& deinceps vsque ad 23.& de veritate q.22.art.2.vt in hac re explicanda non sit opus nostro labore. ¶ Hoc tamē aduertendum est quod docet Aug.1. lib. confess.c.1.Feci sti nos Domine ad te,& inquietum est cor nostrum,donec reuertatur ad te. Quibus verbis significare videtur,proprium esse homini,quod sit factus ad Deum, & propter Deū. ¶ In eo certè rationalis creatura à cæteris omnibus secernitur, & separatur; quia ea sola potest Deum cognoscere,eumque amare explicitè. ¶ Alio etiam modo inter se differunt, quòd homo D.Thom. D. Augustí.

homo sit immediatè ad Deum destinatus: cætera verò primùm referuntur ad hominem, cũ propter hominem creata fuerint; cuius cor inquietum est, donec ad Deum perueniat. Hic est igitur huius orbis ordo, & dispositio, vt elementa propter corpora mixta, hæc verò propter viuentia, ex quibus plantæ propter animalia, animalia propter hominem, homo verò propter Deum sit constitutus, ita, vt propter semetipsum omnia operatus sit Dñs Prouerb. 16.

Prou. 16.

QVAESTIO II.

de beatitudine hominis, in quibus beatitudo hominis consistat, octo habet articulos.

Introductio Quæstionis.

PRiusquam articulorum explicationẽ aggrediar, nonnulla sunt præmittenda, quæ si rectè expendantur, magnam lucem his, quæ dicenda sunt, erunt allatura. ¶ Sciendum est in primis, quod de quæstione hac disserunt Theologi 4. sent. d. 49. D. August. 13. de Trinitate, & 19. de ciuitate. D. Tho. 3. lib. contra gentes c. 27. deinceps vsque ad 40. Cicero lib. de finibus bonorũ & malorum, in Tusculã: & Paradoxis. Seneca lib. de vita beata. Arist. 1. Ethi. c. 5. & per sequentia capita. ¶ Obseruandum est deinde, ex præcedenti quæstione satis nobis constare, omnes homines finem aliquem vltimum respicere, quo proposito in actiones incumbunt, in quem appetitus noster tendit, in cuiusque adeptione conquiescit, & vltrà nil superest desiderandum; quem finem omnes vno ore appellant beatitudinem. Quocirca postquam D. Thom. præcedenti quæstione demonstrauit esse finẽ aliquem vltimum humanæ vitæ, beatitudinem scilicet, quam omnes desideramus: in hac quæstione, & sequentibus explicat elegantissimè, & copiosissimè, in quibus rebus sita sit, & collocata.

D. August. D. Thom. Cicer. Seneca. Aristot.

¶ Ista autem beatitudo nihil aliud est, quàm rerum omnium absoluta bonitas. Vnde & ipse Arist. 1. Ethic. cùm dixisset, bonum est, quod omnia appetunt; bonum vocauit beatitudinem, quam omnes mortales, res item omnes quærant, cupiant, & expetant. Beatitudinem itaque omnes vno ore vocãt vitam beatam, felicem, omnis mali generis expertem, omnibusque bonis affluentem.

Beatitudinis nomen quid significet Arist.

¶ Qua de causa in sacris literis non vno nomine significatur: non enim eius copia, & abundantia vna voce comprehẽdi, concludiq; potest. Aliquando regnũ Dei, aliquando regnum cœlorum, interdum beatitudo vocatur; præcipuè tamen vita æterna, quæ ab omni malorũ sensu, ac metu aliena est, quæ cœlestibus inenarrabilibus gaudijs, delitijs, voluptatibusq; omni ex parte semper abundat. Hæc omnia cõplectuntur Theologi hac definitione. ¶ Beatitudo est status, omniũ bonorũ aggregatione perfectus. quam definitionẽ eleganter explicat D. Tho. 3. cõtra gen. c. 63. quã alijs verbis fermè idem significantibus expressit Cicero dicens, Beatitudo est secretis malis omnibus, cumulata bonorum cõplexio. ¶ Notandum vltimò, quod quẽadmodum Christus Dominus doctrinã euangelicam exorsus est à beatitudine illa, Beati pauperes spiritu; eodẽ modo D. Tho. tractatum de beatitudine exorsus est, condemnans in primis illã vulgi opinionem, quod beatitudo in diuitijs sit constituta.

Beatitudo in sacris literis variè significatur

Beatitudinis definitio. D. Thom.

Cicero.

D. Thom.

ARTIC.

ARTIC. PRIMVS.

¶ Vtrùm beatitudo hominis in diuitijs consistat.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio est negãs, quã D.Tho. ita probat. Nã ex diuitijs quędam sunt naturales, quibus subuenimus naturalibus necessitatibus, vt panis, vinum, oleũ, &c. alię sunt artificiales, quę ad faciliorem commutationem sunt adinuentę, vt sunt pecuniæ. Beatitudo autem non potest cõsistere in diuitijs naturalibus, nam istæ magis sunt ad finem, quàm finis, quia ad vitę sustentationẽ quęruntur. Neque verò in artificialibus, quoniam diuitiæ artificiales, propter naturales quæruntur; multò ergo minùs in eis beatitudo consistere potest. ergo beatitudo non consistit in diuitijs.

Diuitiarũ diuisio.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Concluſio articuli cõfirmatur.

HIus articuli conclusio probatur. Nam beatitudo aliò nõ refertur, sed est vltimus finis, ad quem omnia referuntur: at diuitię referuntur ad hominem, & sunt propter hominem; vnde ordine naturæ, & dignitatis, omnia sunt subdita homini, secundum illud Psalmi; Omnia subiecisti sub pedibus eius. ¶ Præterea beatitudo est omnium bonorum mater, & status omnium bonorum aggregatione perfectus: at diuitiæ non secum habent, vel adferunt omnia bona, dicente Spiritu sancto Prouerb. decimoseptimo. Quid prodest stulto diuitias habere, cùm sapientiam emere non possit? ¶ Præterea beatitudo est summum, & præstantissimum bonum: at diuitiæ non sunt præstantissimum bonum dicente scriptura sacra, Ecclesiast. 41. Melius est bonum nomen, quàm diuitiæ multæ. Quod constat verum esse ex suffragio omnium hominum rectè sentientium, qui diuitias, si bonæ sunt, in vltimum bonorum omnium referunt. ¶ Deinde beatitudo satiat desiderium animæ nostræ, & in eius adeptione appetitus conquiescit: at habere diuitias & opes, non implet desiderium animæ nostræ, dicente scriptura, Ecclesiast. quinto. Auarus nunquam implebitur pecunia. ¶ His accedit, quod beatitudo est bonum stabile, atque fixum; diuitiæ autem sunt instabiles, & caducæ. Hanc rationem persequitur Apostolus primæ ad Timot. sexto, & Propheta Psalmo 51. & 61. Iam verò diuitiæ inuoluntariè sæpenumerò perduntur, temerè, & casu proueniunt, bonis & malis sunt communes. ¶ Præterea beatitudo est summum bonum, in cuius adeptione, & consequutione appetitus noster quiescit, atque in eiusdem conseruatione: at diuitiarum bonum non consistit in earum conseruatione, quin potiùs in earum elargitione, dicente Domino Actor. vigesimo. Beatiùs est dare, quàm accipere. ¶ Sed quid multa in hanc sententiam disputo? adeò certum est beatitudinem nostram in diuitijs non esse sitam, vt sint noxiæ, & periculosæ ad vitam instituendam: quæ incommoda, & pericula diligenter persequuti sunt Philosophi antiqui, Plato, Seneca, Socrates, Plutarchus; præcipuè Cicero in illo Paradox. quod honestum est solum bonum; & in alio Paradox. docet, solum sapientem esse diuitem. ¶ Sed & Christiana doctrina de hac re tres conclusiones constituit, quæ maximè sunt obseruandæ.

Pro.17.

Pro.22.& Eccl.41.

Eccl.5.

1.Tim.6.

Psa.51.& 61.

Act.20.

Plato. Seneca. Socrates. Plutar. Cicero.

¶ Prima Conclusio. Qui volunt diuites fieri, difficilè consequentur vitam beatam. Prima Cõc.

¶ Secunda Conclusio Diuites, quanquam nõ studeant diuitijs acquirendis, difficilè acquirẽt beatam vitam. Secũd. Cõc.

¶ Tertia Conclusio. Qui non habent odio diuitias, difficilè ad vitam beatam deueniunt. Tert. Cõcl.

DEMONSTRATIONES pro prima conclusione.

Psalm.8.

ILli dicuntur velle esse diuites, qui student diuitijs acquirendis; & non solùm quærunt ea, quæ sunt necessaria ad vitæ necessitatem. Prædicti nunquam consequentur vitam beatam, aut difficilè consequentur. ¶ Agens enim operatur propter finẽ, & in finibus nõ est processus in infinitũ; propter quod necessum est, vt vniuersum agens præstituat sibi vltimum finem, propter quẽ omnia operetur. ¶ Illi ergo qui volunt diuites fieri, aut constituunt vltimum finẽ in diuitijs, vel in superbia, aut in libidine, propter quæ studẽt diuitijs acquirẽdis, quod si ita res se habeat, impossibile est q̃ cõsequãtur verã

Prim. Cõcl. ostenditur. Qui dicantur velle esse diuites.

beatitudinem, quæ in diuitijs cõsistere nequit. Habet etiã animi peruersitatẽ, quæ in vita beata esse non potest. Est enim summa peruersitas constituere vltimum finem in creatura; at si prędicti constituant vltimum finem in virtute, sed studeant diuitijs acquirendis in præsidium virtutis, & vitæ beatæ, quæ sine diuitijs sustentari non potest (vt existimant Peripatetici) fallũtur certè, & miserè decipiuntur, & difficillimè sic affecti poterunt vitam beatam adipisci. Nam nil est laboriosum magis, quàm vitam beatam consequi. ¶ Vnde, quantùm ad intellectum, est opus arduum; oportet enim ad beatitudinem omnium rerum cognitionem habere, & omnium rerum agendarum prudentiam. ¶ Quantum ad effectum, oportet vt qui vitæ beatæ acquirendæ studeant, ament, atque diligant inuisibilia, contemnantque visibilia. Quæ enim videntur, temporalia sunt, & caduca: quæ verò non videntur, & quæ beatum hominem efficiunt, æterna sunt, & nunquam moritura. ¶ Quantum ad corpus, necessum est eius affectus compescere, & frænare, & captiuare, vt seruiant spiritui, & animæ. Denique oportet vt per multas tribulationes in vitam beatam intremus. ¶ Ex his sequitur, oportere omnino eum, qui studet vitæ beatæ acquirendæ, ex toto conatu, & ex omnibus viribus quotidie ad cælestia euehi, & extolli. Nec satis sunt vires animæ naturales, sed perneccessarium est, vt à Deo diuinitùs adiuuentur. ¶ Ex his documentis elicitur prima demonstratio. Hi, qui student diuitijs acquirendis, non possunt eas acquirere sine ingenti labore; nec verò sine aliorum iactura, & detrimento (vt plerumque accidit) nec eas possunt facilè conseruare, nisi magnis curis distrahatur animus, vt rerum experientia euidenter demonstrat. Sed impossibile est quòd animus eodem in tempore intentissimè feratur in cælestia, & terrenis occupetur. Ergo impossibile est, vt quis diuitijs acquirẽdis det operam, & simul rebus diuinis vacet. ¶ Confirmatur etiã; nã qui volunt diuites fieri, necessum est vt intellectu, & affectu à rebus cęlestibus separentur, & à contemplatione rerum diuinarũ (in qua beatitudo animi nostri consistit; vt infrà demonstratum est) abstrahantur. Certè quĩ nõ dat operã rebus, quæ ad animum spectant, sed rebus visibilibus, & caducis vacat, eum in tentationes huius mundi sæpissimè cadere necessum est. ¶ Ex quo sequitur, quod qui eiusmodi sunt, difficillimè à peccato liberantur, & magno cum labore ad vitam beatam perueniunt. Sed quid terimus tempus in colligendis argumentis ad huius rei demonstrationem, cùm rerum experientia hoc ipsum demonstret? vnde rectissimè & elegantissimè docet Paulus 1. ad Timot. 6. Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubiè, quia nec auferre quid possumus: habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus. Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & in desideria multa inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes, errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis. Nil significantiùs dici potuit ad detestationem diuitiarum, sensus est. Omnes nudi nascimur, ne quis originem obijciens plura sibi dicat esse possidenda; & morientes nihil auferimus nobiscum, ne prętexamus quamobrem plura sint paranda: reliquum est hoc exiguum vitæ spatium, vel vmbra potius, in qua minimis opus est, nempè exiguo cibo, atque tegumento; cætera superflua sunt, & hominum opinione erroris introducta. Et notandum id, quod paulò post addidit; appetitionem diuitiarum parere, & quæ homines in interitum demergant, nempè vnde emergere haud facilè queant, aut nunquam potius emergant. Certè auarus dum cupiditatem suam, quæ inexplebilis est, explere cupit, & adulteria, & homicidia, & nihil non admittit, vt rectè exclamat Poëta. Quid non mortalia pectora cogis, auri sacra fames? & sapientia in Ecclesiastico. Auaro nihil est scelestiùs; hic enim & animam suam venalem habet.

Elegantissimus locus D. Pauli 1. ad Timo. 6. ad detestationem diuitiarum.

Poëta.

Eccl. 10.

Prima demõstratio.

Confirm.

DEMONSTRATIO-
nes pro secunda conclusione.

COntendimus demonstrare, non solùm studium & auaritiæ vitium multùm impedire beatæ vitæ consequutionem, sed etiam diuitem esse, impedimentum afferre ad vitę beatæ consequutionem: quod apertissimè docet sancta scriptura Ecclesiast. 31. Beatus diues qui inuentus est sine macula, & qui post aurum non abijt, neque sperauit in pecuniæ thesauris. Quis est hic? & laudabimus eum, fecit enim mirabilia in vita sua. & Dominus in Euangelio, Difficile est diuitem intrare in regnum cælorum. ¶ Huius difficultatis tres sunt causæ. Prima est, quoniam difficilè est habere diuitias, & non eas amare. Voluntas enim hominis, qui tendit in beatitudinem, est veluti ferrum constitutum intra duos magnetes, videlicet inter bona huius vitæ, quæ videntur, & inter res inuisibiles, in quibus vera beatitudo consistit. Sensus ostendit diuitias & voluptates; ratio humana demonstrat bona virtutum, quę inuisibilia sunt. Sensus itaque trahit hominem

Eccl. 31.

Quare diuites difficilè saluentur

ad

ad sensibilia; ratio, & mens ad inuisibilia. Certum autem est quod præsens obiectum vehementiùs mouet voluntatem. Diues ergo cùm semper habeat bona hęc sensibilia præsentia, vehementiùs ad hæc inferiora bona protrahitur, & sic difficiliùs ad bona superiora attollitur, & eleuatur, & sic difficillimè vitã beatã cõsequetur. ¶ Alia causa est, quoniam ad conseruãdas diuitias multa sunt necessaria, veluti serui, ancillę, iumenta, & alia id genus: vnde necessum est, vt mens rebus tẽporalibus nimis intenta, à rebus diuinis, & vera beatitudine distrahatur. ¶ Alia causa est, quoniã qui diuitias habet, habet fomẽtum ad omnia vitia; nã pecuniæ obediũt omnia

Sãcti qui diuitias habuere.

¶ Quod si cõtra hãc veritatẽ exempla sanctorũ adducas, qui, cùm essent diuites, vitã beatã sunt consequuti, vt Abraham, Isaac, Iacob, & sancti Patriarchæ; dicendum est, quòd veri sancti, qui optimè vsi sunt diuitijs, difficilè vitam beatam sunt consequuti: de his namque dicit Spiritus sanctus, quòd fecerunt mirabilia in vita sua. Si igitur diues, qui rectè, & studiosè vtitur diuitijs, difficilè vitã beatã consequitur, quid dicemus de illis, qui nõ rectè, & studiosè diuitijs vtũtur? Certũ illud est quod dicitur in Euangelio, Faciliùs est camelũ per foramen acus intrare, quã diuitẽ intrare in regnũ cælorũ. Certè quẽadmodũ qui mittit ignẽ in sinũ, & ex alia parte precatur Deũ vt sua vestimẽta nõ ardeant, tentat Deum, & peruersè agit; sic qui amat intensè pecuniã, & ex alia parte precatur Deũ vt diuitijs à vitę beatę consecutione nõ impediatur, tentat Deũ, & peruersè agit.

Obiectio.

¶ Sed dices. Si beatiùs est dare, quàm accipere, iuxta sententiã Dñi; cõsequens est, diuitẽ paupere esse beatiorẽ. Respõdetur, diuitias in collatione beneficiorũ aliquas habere vtilitates, sed si vna vni cõferatur, plures habere volũtariam paupertatẽ: etsi enim pauper voluntaria beneficia nõ cõferat, elargitur tamẽ spiritualia, quæ corporalibus potiora sunt. Dicimus etiam, quòd licèt dare beatiùs sit secundũ se, quã accipere, creaturæ verò meliùs est à Deo recipere, quàm dare: nam vniuersa eius bonitas in participatione diuinæ bonitatis consistit.

D. Thom. Beatitudinis & diuitiarum desiderium infinitum.

¶ Illud verò animaduersione dignum videtur, quod annotat D. Tho. ar. 1. ad 3. desiderium pecuniæ, & beatitudinis, vtrumq; in hac vita esse infinitũ; differre tamẽ maximè inter se, quòd illud sit infinitum propter suam imperfectionem. Diuitię enim habitæ statim contẽnuntur, & explorata eorum insufficientia, cumulatiores desiderantur. desiderium verò beatitudinis est infinitum, propter suam perfectionem; optimũ namque bonum, quò magis possidetur, magis amatur, iuxta illud, Qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient.

DEMONSTRATIO tertiæ Conclusionis.

Odio habere diuitias, quid.

HAbere odio diuitias intelligimus eo in sensu, quo dicimus ægrotum habere odio medicinam amaram: ad hunc enim modũ oportet odio habere diuitias, ac si essent medicinæ amaræ. Cùm enim (vt dictum est) periculum afferant ad vitæ beatæ consequutionem, & non possimus vitam transigere sine bonis temporalibus, oportet omnino vt eas amemus tanquã medicinas, ad vitam temporalem conseruandam, & vt amaras gustũ animæ spirituali. Anima enim nostra optimè intelligit eas esse periculosas ad vitam beatam obtinendam, & ideo si possibile esset, desiderandum quidem esset absque bonis temporalibus viuere; sicuti ægrotus, si posset sanitatem consequi sine medicinis, eas certè non eligeret. ¶ Huius rei est altera demonstratio. Nam quando res aliqua nõ amatur propter se, sed propter aliũ finẽ, tantũ amatur, quantũ necessaria videtur ad finis cõsecutionẽ. Vnde ægrotus nõ accipit medicinã in magna quantitate, & abundantia, sed tantum de medicina, quantum expedit ad sanitatem recuperandam, & semper inclinat in minus: sic de diuitijs omnino iudicandum est.

Triplex amor nobiscũ oritur.

¶ Sed & tertia demonstratio hoc euidentiùs ostendit. ¶ Nã amor proprius est ex omni parte vehementissimus, & in primis naturali amore quisque vehementissimè desiderat esse, & viuere, & conatur, quantum potest, vitam conseruare. Deinde nascitur in nobis amor alius naturalis, etiã vehementissimus, generandi simile, & propagandi genus humanum, & sic concupiscẽtia carnis est vehementissima.

¶ Sed & tertius amor nobiscum nascitur, qui ad intellectum spectat; is est amor excellentiæ, & honoris, quem esse vehementissimũ, euidens experiẽtia demõstrat. Cũ enim homo ex diuitiarũ abundãtia existimet se posse omnia bona, superiùs dicta, adipisci, quæ sunt maximè amata, secundũ illud, Pecuniæ obediunt omnia: fit cõsequens, quòd amor diuitiarũ sit multũ vehemẽs, & ardens. Vnde vir studiosus, si nõ considerat diuitias, vt medicinas amaras, & periculosas ad salutẽ & pacẽ animæ, & nõ odio eas prosequitur, modo supra expositio, difficillimè poterit vitam beatam consequi. & hoc est, quod in Euangelio dicit Saluator. Nemo potest duobus dominis seruire; aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget. Et vt nos intelligamus qui sunt isti duo domini, subiungit statim. Non potestis Deo seruire, & diuitijs; obserua verbũ Dñi, & cõsigna mysteria; nõ dicit Dñs, nemo potest duobus Dñis inseruire, quia alteri seruiet, &

alteri nõ seruiet, sed causam subtrãgit; aut enim vnũ odio habebit, & alterũ diliget. Certè in seruitute tẽporali nos possumus seruire vni absq; eo, quod odio alterũ habeamus: cæterũ in seruitute animi nostri, Dñs pro manifesto statuit, quòd qui nõ habet odio diuitias, ad modũ iã expositũ, nõ intrabit in regnũ cælorũ, aut intrabit difficillimè. ¶ Sed ex ijs demonstrationibus nõ inferat Theologus diuitias damnari, aut esse malas; sed inferat esse bonas, ac conducentes ad vitæ beatæ consecutionem, si quis eis legitimè vtatur: at his vti legitimè, difficillimũ est. Vide de hac re disputationem optimã in D. Augu. super Psal. 51. & Epist. 89. ad Hilarium q. 4. in qua disputat accerrimè contra Manichæos, diuitẽ manentem in diuitijs suis posse in regnum Dei ingredi, si ex suis diuitijs mandata Dei fecerit.

Quomodo diuitiæ probentur.

D. Auguſt.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ *Vtrùm beatitudo hominis in honoribus consistat.*

SVMMA TEXTVS.

Conclusio.

COnclusio est negãs, cuius ratio est; nã honor nihil aliud est, quàm signum quoddam, & testimonium excellentię in aliquo existentis, videlicet in honorato: honor ergo beatitudinẽ consequi potest, sed in eo beatitudo sita esse non potest.

EXPLICATIO ARTICVLI.

SVnt sanè aliqui elatiori animo, quã diuites præditi, pauloq; altiùs naturę vim intuẽtes, qui totis viribus, toto q; animi conatu honores, & dignitates, omni qua possunt diligentia consectãtur. Est enim nobis illud à natura tributum, vt his studijs maximè operã demus, quibus populus defert honores. In eo tamen maximè peccãt his honoribus inhiantes, quòd ex imperiti vulgi opinione dependeant, in eiusq; rumore veram laudẽ & beatitudinem cõstituant. Præterea, beatitudo bonũ firmũ, cõstansq; esse debet; honor autẽ ab hominibus exhibitus, varius est, & incõstans. ¶ Præterea honor nõ est in honorato, sed in honorãte, vt Arist. ait. 1. Ethi. c. 5. id est, nó est in potestate eius honor, qui honore dignus est, sed in arbitrio honorãtis, qui pro suo libito, & volũtate potest, quẽ maluerit, honorare. Beatitudo autẽ, in beato est, qui potest sine impedimẽto ea frui, & delectari. ¶ His accedit, quòd honor nũquã per se expetitur, sed semper ad aliũd refertur. Nã honor nil aliud est, quã signũ, & testimoniũ illius excellentiæ, quæ est in honorato; excellẽtia verò potissimè attenditur ex beatitudine, & ex virtutibus, quæ ducunt in beatitudinẽ; quapropter honor beatitudinem sequi potest, at beatitudo non est. Idẽ confirmatur. Beatitudo enim facit homines excellẽtes, & prę claros; at honor non facit homines excellẽtes; quin potiùs indicium est excellentiæ existentis. Deniq; beatitudo inamissibilis est; honor verò quotidiè deperditur. nõ ergo in honore sita est beatitudo. legite D. Tho. hoc art. ad 1. vbi explicat, quomodo honor sit virtutis pręmiũ; & solutione ad tertiũ, vbi demonstrat veram causam, quare homines tanta cura, tantoq; labore honores prosequantur.

Honor inhonorãte Arist.

Honor nõ per se expetitur.

D. Thom.

ARTIC. TERTIVS.

¶ *Vtrùm beatitudo in gloria humana, vel fama consistat.*

SVMMA TEXTVS.

Conclusio.

COnclusio est negans, quę ita probatur. Nã humana cognitio, in qua (si laus adiungatur) consistit fama, & gloria, sępe fallitur, ideoq; potiùs ad beatitudinem consequitur, quàm quòd eam efficiat. Ex gloria tamen, quę est apud Deum, dependet beatitudo hominis, sicut ex sua causa.

EXPLICATIO ARTICVLI.

GLoria nihil aliud est, quã clara cũ laude notitia, secundũ Aug. lib. 83. q. 4. 31. Quodverò in huiusmodi clara cũ laude notitia beatitudo hominis sita non sit, in hunc modum demonstro. ¶ Primò, quia beatitudo verũ est, & solidũ bonũ: humana autẽ gloria sæpenumerò fallax est. Secũdò, quoniã quòd homo in ore omniũ versetur magna cũ gloria, magnoq; cũ honore, nequaquã hominem bonum efficit, tantũ abest vt eũ beatũ faciat. Si enim cognitio huiusmodi vera est, oportet eã ex bono rei inhærenti dimanare, sicq; in re ipsa bonũ præsupponit: quod si falsa extiterit: iã nõ est rei cõsona, sicq; nõ inuenit bonũ, gloria igitur humana non facit hominem bonũ; nec ergo beatum. Tertiò, quòd homo præclarus, glorioſusq; habeatur, alio modo cõparatur ad humanam cognitionẽ, alio modo ad diuinã. ¶ Humana enim cognitio ex rebus cognitis causatur, ideoq; nõ efficit bonũ, sed iã effectũ præ-

Gloria quid Auguſt. Prob. cõcl. D. Thom.

Humanæ & diuinæ cognitionis discrimen.

præsupponit. At diuina cognitio, causa est rerũ cognitarum, ideoq; ex gloria, quæ apud Deum est, depẽdet hominis beatitudo, tanquã ex causa, iuxta illud Psalm. Eripiam eũ, & glorificabo eũ. cui cõsonat illud 2. Corint. 10. Ille probatus est, quẽ Deus cõmendat. ¶ Obseruandũ tamẽ est, nõ à nobis dictum esse gloriam, quæ apud Deum est, nostrã esse beatitudinẽ: nõ enim nostra beatitudo est cognosci à Deo, sed potiùs eũ cognoscere. Quod autẽ diximus, hoc vnũ est, ex gloria, quæ apud Deum est, nostram beatitudinem dependere. In cuius rei maiorem explicationẽ aduertẽda sunt quæ docet D. Hiero. in c. 5. epist. ad Gala. vbi ita scribit. Quãtas habeat definitiones, & significantias gloria, & philosophorũ innumerabiles libri, & Ciceronis duo volumina, quæ de gloria scripsit, indicio sunt. Ne autẽ gloriæ verbum prætermittamus intactũ, suas philosophis ineptias relinquẽtes, de scripturis aliqua tractemus. ¶ Opinionẽ vulgi, & laudẽ hominũ fauore quæsitam, gloriæ nomẽ sonat, vbi dicitur Matth. 23. Omnia autẽ faciunt vt ab hominibus glorificẽtur. & alibi Ioan. 5. Quomodo potestis credere gloriã ab inuicẽ quærẽtes? (porrò in bonã partẽ eodẽ loco subiũgit) & gloriã ab eo, qui solus est, nõ querẽtes? ex quo intelligimus, idẽ verbum nunc virtutẽ, nunc vitium significare. Si ab hominibus gloriã quæro, vitiũ est: si à Deo, virtus est, qui & ad verã gloriã nos cohortatur dicens, Eos autẽ qui me glorificãt, glorificabo. Significat & aliud in diuinis scripturis gloria, cũ augustiùs aliquid, & diuiniùs hominũ se præbet obtutibus; Visa est in tabernaculo gloria Domini. Exod. 40. & in tẽplo, quod à Salomone constitutũ est, gloria erat 3. Reg. 8. & in facie Moysi, quãdo nesciebat quod glorificatus esset vultus eius. de qua vultus gloria puto & Apostolũ dicere 2. Cor. 3. Nos autẽ reuelata facie gloriã Dñi contẽplantes, in eandẽ imaginẽ transformamur à gloria in gloriã, sicut à Dei spiritu. & ipse Saluator splendor gloriæ, & figura substãtiæ Dei dictus est ad Hebr. 1. Vidit & Stephanus gloriã Dei, & Iesum stantẽ à dextris eius Act. 7. ¶ Vt autẽ & nobis fingendorũ licentiam nominũ præsumamus, rebus quippè nouis (vt ait quidã) noua fingẽda sunt nomina, quia hîc dictũ est, nõ efficiamur inanis, vel vanæ gloriæ cupidi, nos eos asseremus plenè gloriæ esse cupidos, qui gloriã Dei desiderãt, & laudẽ virtute cõdignã, & aspectũ diuiniùs aliquid ostendentẽ. Vnde & in plerisq;, nostri maiestatẽ pro gloria transtulerũt. Iã dudũ cupio in verba prorũpere, sed teneor timore dicẽdi, dicã tamẽ, nec tacebo passionẽ meã, passionẽ penè communẽ, non de diuitijs, nõ de potẽtia, nõ de pulchritudine, & corporũ venustate: hæc enim manifestè inter carnis opera numerãtur: eleemosyna, si ob laudẽ fiat, inanis est gloria; lõga oratio, pallor ex ieiunijs cõsequens. non mea sunt verba hæc, sed Saluatoris in Euãgelio pertonãtis. Ipsa quoq; castitas in matrimonio, viduitate, virginibus, sæpe plausum quærit humanũ. & quod dudũ timeo dicere, sed dicendũ est, martyriũ ipsum si fiat vt admirationi, & laudi habeamur à fratribus, frustrà sanguis effusus est. loquatur Apostolus, loquatur electionis vas. 1. Corint. 13. Si tradidero corpus meum vt glorier, charitatem autem nõ habeam, nil mihi prodest.

Pſal. 90. 2. Cor. 10. — D. Hieron. — Cicero. — Matt. 23. Ioan. 5. — Gloriæ nomen variè adapratur. — Exod. 40. 3. Reg. 8. — 2. Cor. 5. — Hebr. 1. — Act. 7. — Matth. 6. & Luc. 10. — 1. Cor. 13.

ARTIC. QVARTVS.

¶ Vtrùm beatitudo hominis in potestate consistat.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Conclusio est negãs. D. Th. variè istã cõclusionẽ ostẽdit. Nã beatitudo habet rationẽ vltimi finis, potestas verò rationẽ principij. Itẽ, potestas se habet ad bonũ, & malũ, & potest quis ea malè vti; quod verè beatitudini nõ quadrat. Tandẽ, potestas affert secũ multas anxietates, & tribulationes, quæ à beatitudine procùl abesse debẽt: nõ igitur in potestate sita est beatitudo. Sed in calce art. D. Th. quatuor rationibus ea, quæ in hoc art. & tribus præcedẽtibus dixerat, ostẽdit, quæ manifestissima sunt.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Potestas humana quæ includat. POtestas humana ex multis coalescit; ex diuitijs, fama, honore, principatu; omnia enim ista necessaria sunt vt quis in Repub. principatũ obtineat. Quod in his bonis beatitudo sita nõ sit, his argumentis probatur. Tum primò, quia humana potestas est valde imperfecta, solicitudini, formidini, varijsq; ærũnis exposita. Tũ secũdò; potestas enim habet rationem principij, beatitudo autẽ habet rationem finis. Demũ, potestas est indifferẽs ad bonũ, & malũ; at beatitudo est bonum summum. Diligentiùs tamen ostendamus, quòd in his bonis, in quatuor præcedentibus conclusionibus cõmemoratis, sita non sit nostra beatitudo, imò neq; in

Conclusiones horum art. demonstrãtur.

omnibus bonis externis. ¶ In primis, prædicta bona sunt communia bonis, & malis: beatitudo autem solis bonis competit. ¶ Deinde, beatitudo est bonum summum, quod nullum secũ cõpatitur malũ: prædicta autẽ bona multis malis, miserijs, & ærumnis sunt circumuallata. ¶ Prętea beatitudo bonum est sufficiens, & perfectũ: prædicta autem bona possessoribus suis nõ sufficiunt, cũ eis habitis, multa eis adhuc supersint habenda, vt virtutes, & scientiæ. ¶ Iam beatitudo bonum summum est, quod nulli nocet; prædicta autem bona sæpenumerò nocẽt, & Rẽp. perturbant, vt planè constat. ¶ Demum, bonũ summum est nostris studiosis actibus adquisitum; prædicta autem bona temerè, & fortè fortuna obueniunt; qua de causa bona fortunę appellantur. in his ergo beatitudo, & humana felicitas non est collocata.

ARTIC. QVINTVS.

¶ *Vtrùm beatitudo hominis consistat in aliquo corporis bono.*

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. COnclusio est negãs. huius probatio perspicua est. Nã homo in beatitudine, alia excedit animantia, in corporis autem bonis à quã plurimis animalibus superatur, vt in diuturnitate vitę ab elephãte, in fortitudine à leone, in cursu à ceruo, &c. Itẽ, corporis bona ad animam ordinãtur, vt ad finem; beatitudo autem finis vltimus est. non igitur in corporis bonis beatitudo consistit.

EXPLICATIO ARTICVLI.

SVadetur autem huiusmodi conclusio his argumẽtis. Primò, quia huiusmodi bona sunt corporis bona, non autem animæ, quæ corporeis bonis potiora sunt. Secundò, quia huiusmodi bona communia nobis sunt cum multis animãtibus. Tertiò, nam bruta animalia in his bonis sępenumerò homines excellunt. Deniq;, quis non admiretur eorum hominum amentiam, qui, cùm corpore & animo constemus, illam partem inferiorem, belluisq; communem amplectuntur, partem verò superiorem, & diuinam nihilo pẽdunt? legatur D. Thom hîc, qui optimè, acutissimeque philosophatur. D. Thom.

ARTIC. SEXTVS.

¶ *Vtrùm beatitudo hominis consistat in voluptate.*

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. COnclusio est. Beatitudo hominis, neq; in voluptate corporis, neq; in voluptate animę sita est. probatur. Nã corporis voluptas, exteriora & sensibilia bona cõsequitur, in quibus bonis beatitudo sita nõ est, cũ sint hõie ipso indigniora, & talis voluptas, & delectatio cõpetit homini secundũ ignobiliorẽ partẽ, & sensibilẽ. Prętereà talis voluptas nõ potest sequi bonũ perfectũ, quia sequitur bonũ per sensum apprehensum, quod non est perfectum hominis bonum; nã in homine anima pręstat, & bonum intellectuale. non ergo in voluptate beatitudo consistit.

EXPLICATIO ARTICVLI.

QVod non sit sita beatitudo nostra in corporis voluptate, precedens cõclusio satis demonstrauit: quod verò nõ consistat in animæ voluptate, & delectatione, demõstratur in hunc modũ. ¶ Nã delectatio, & voluptas sequitur ad beatitudinem: ex eo enim quisque delectatur, & voluptate afficitur, quòd bonum desideratum iam possidet in re, vel in spe. Ex quo consequens est, quòd voluptas est appendix ad beatitudinem, at non est beatitudo vera. Prætereà, operatio perfectior est delectatione, nam delectatio sequitur ad operationem, veluti accidẽs propriũ ad subiectum. ergo beatitudo non consistit in delectatione, sed in operatione: beatitudo enim cõsistit in bono pręstãtissimo, & excellẽtissimo. Quid Epicurus de vita beata sẽserit.

¶ Obseruandũ tamẽ est, quãplurimos tribuere Epicuro, quòd in voluptate corporis beatitudinem statuerit; sed si vera sunt quæ Cicero asserit lib. 1. & 2. de finibus, Epicurus sobrius fuit, doctus, & religiosus, qui proinde beatam vitã in voluptate animæ, & iucunditate, & non in voluptate corporis constituit. Cicero. Lactantius Firmianus libro tertio de falsa sapientia ca. 7. affirmat, Lact. Firm.

Epi-

Epicurum in animæ voluptate noſtram felicitatem conſtituiſſe; Ariſtippum in voluptate corporis; Diodorum in indolentia. Idem habet Seneca libro de vita beata. c. 13. Diogenes Laer. lib. 10. de vitis philoſophorum conatur Epicurum ab hac infamia liberare. Sunt qui arbitrantur ſectam Epicuream eſſe quam nunc tuetur Scotus, videlicet, noſtrã beatitudinẽ in fruitione, & delectatione voluntatis conſiſtere. ¶ Sed quicquid ſit de apologia & defenſione Epicuri, certũ eſt in primis, opinionem, & ſectã Epicureã fuiſſe infamẽ. ¶ Deinde certum eſt, noſtrã beatitudinẽ in ſenſus voluptate nõ eſſe poſitã. Nã quò quis magis accedit ad finẽ ſuum, tantò perfectior eſt, atq; beatior: ſi igitur noſtra beatitudo eſt ſenſus voluptas, quò quis voluptatibus, & luxurijs fuerit magis deditus, eò erit beatior, atq; perfectior. ¶ Deinde ſi noſtra beatitudo eſt ſenſus voluptas, certè belluæ habẽt beatitudinẽ præcipuam, quippè quæ non habeant mortis memoriam, nec miſeriarum vitæ huius, nec cognitionem Dei, nec timorem iudicij, nec leges prohibentes voluptates, nec certamen illud inter carnem & ſpiritum; præſtantius eſt ergo eſſe belluam, quàm eſſe hominem. ¶ Certè iſta ſententia, ſiue Epicuri ſit, ſiue Ariſtippi, condemnata eſt, & omnium ſibilis exploſa, vt generi humano valde infamis; quæ proinde in innumeris locis ſacrarum literarum damnata eſt. Eccle. 5. cap. ex perſona Epicuri dixit; Itaque viſum eſt mihi bonum vt commedat quis, & bibat, & fruatur gaudio, & lætitia: hæc enim pars eius eſt. Eccleſ. vlti. Quam ſententiam cap. vltimo damnauit, cũ dixit; Finem dicendi pariter omnes audiamus. Time Deum, & mandata eius ſerua: hoc enim eſt omnis homo. Ex grege Epicuri erant, qui dicebant Sapien. cap. 2. Vbique relinquamus ſigna lætitiæ: hæc enim eſt pars noſtra. & rurſus, Comedamus, & bibamus, cras enim moriemur. quam ſententiam poſtmodùm in inferno recãtarunt dicentes; Nos inſenſati vitam illorum exiſtimabamus inſaniam, & interitum ſine honore. Cherinthus, inter Chriſtianos habetur infamis hæreticus, qui in noſtra beatitudine poſt corporum reſurrectionem fabulatur mille annos eſſe futuros in regno Chriſti, ſecundùm carnis delectationem: de hac hæreſi vide Caſtro verb. beatitudo, hæreſ. 2. & bibliothecã ſac. lib. 5. annot. 233. & lib. 6. annot. vltima, quibus locis fundamentum eius ponitur, & error cõfutatur. ¶ Sarraceni deniq; habentur homines deliri, turpiſſimi, & infames, qui retributionem bonorum, & vitam beatam in voluptate carnis ſtatuunt. Quorum omnium error, & inſcitia, magis eſt execranda, quàm oratione reijcienda. ¶ Dicendũ eſt tertiò, noſtrã beatitudinẽ in animæ voluptate non eſſe conſtitutam; nam magis præcipua eſt ſubſtantia, quàm accidens: magis enim præcipua eſt hominis ſubſtantia, quã riſibilitas; ſed delectatio, & voluptas eſt accidens, & appendix ad bonum conſecutum, & iã poſſeſſum. ergo in voluptate animæ noſtra beatitudo non eſt ſita. Hac ratione vtitur D. Tho. ar. 6. hîc, & Seneca lib. de vit. beat. c. 8. & 14. Sed certè non caret ſua difficultate; nam difficilè eſt ad explicandum, quid ſit magis præcipuum, boni conſequutio, an eius delectatio, & iucunditas. Sed de hoc infrà q. 4. ar. 2. inueſtigabitur.

Ariſtipp. Diodorus. Seneca. Diog Laer.

Ecclę. 5.

Eccleſ. vlti.

Sap. 2.

Cherinthus

Caſtro.

Sarraceni.

D. Thom. Seneca.

ARTIC. SEPTIMVS.

¶ *Vtrùm beatitudo hominis in aliquo bono animæ conſiſtat.*

SVMMA TEXTVS.

Concluſio eſt negans. Nã beatitudo habet rationẽ boni, quod eſt bonũ per eſſentiam, & per ſe; bonum autẽ animæ participatum eſt. Verum eſt tamen quod ſi beatitudo accipiatur pro vſu, & adeptione rei, quę appetitur, ad animã pertinet; quia homo per animam beatitudinẽ conſequitur, & in actione eius perfecta beatitudo conſiſtit, &c.

EXPLICATIO ARTICVLI.

PRo huius rei expoſitione ſciendum eſt, quod ſi ſit ſermo de beatitudine pro re, quæ nos beatos efficit, atq; felices, certũ eſt, nõ eſſe ſitã in animæ bonis, neq; in habitu, neq; in actu, neq; in animi eſſentia. Illud enim bonũ, quod nos beatos efficit, bonum eſt perfectũ, & vniuerſale; eſtq; volũtatis obiectum, perfectè implẽs omnia animæ noſtræ deſideria. Quodcũq; autẽ bonũ animæ noſtræ, bonũ eſt limitatũ, atq; finitũ: in bonis ergo animæ beatitudo noſtra ſita nõ eſt. Si verò loquamur de beatitudine pro adeptione rei, quã maximè deſideramus, certũ eſt, beatitudinẽ noſtrã in actu animæ noſtrę præſtãtiſſimo cõſiſtere, quo videlicet ſummũ bonũ apprehẽdimus, & poſſidemus. ¶ Dicet tamẽ aliquis; Ratio huiuſmodi quæ adducta eſt ad oſtendendum beatitudinem noſtram in bonis animæ non eſſe ſitam, nulla eſſe videtur. Cum enim dicimus, bonum vniuerſale obiectum eſſe voluntatis, vel eſt ſermo de bono vniuerſali

Beatitudo dupliciter ſumitur.

Obiectio prima.

in prædicando, vel de bono vniuersali in essendo, qualis est Deus. Si primo modo sit sermo, verũ illud est; ex eo tamen non fit consequens, bonum vniuersale in essendo, obiectũ esse nostræ voluntatis, in quo solo voluntas conquiescat. Si autem secundo modo loquamur, falsum dicit: Obiectum enim voluntatis nostræ, non est bonum infinitum, sed bonum in communi; sicut verum in communi est obiectum intellectus. ¶ Respondetur, sermonẽ esse primo modo; argumentum enim manifestum est, & necessarium; ex eo enim quod bonum vniuersale est voluntatis nostræ obiectum, cõsequens est, voluntatem nostram impetu naturali in singula bona ferri posse. Sequitur prętereà, quocunque bono adepto, & consecuto, posse voluntatem nostram in alia, variaque bona ferri: sicque potest progredi in infinitum. Ex quo demùm sequitur nunquam eam satiandam, donec illud bonum consequatur, quod in se omnem bonitatem comprehendit, quod est Deus. Respondetur secundò, sermonem esse de bono vniuersali in essendo; hoc enim obiectum est nostræ voluntatis: quicquid enim appetit voluntas, vel est bonum vniuersale in essendo, vel propter huiusmodi bonum, vt testatur D. Thom. opusculo 2. c. 103. Hoc enim differunt bonum, & verùm, quòd illud sit in rebus, hoc verò in intellectu. ¶ Alio etiam argumento refelli potest prædicta conclusio. Illud enim cui aliquid appetimus, magis amamus, quàm illud quod appetimus; magis enim amamus amicum, cui appetimus pecuniam, quàm pecuniam. Sed quiuis homo appetit sibi quodcunque bonum; plùs ergo amat se, quàm quodcunque bonum: beatitudo autem est id, quod maximè amatur; omnia enim propter ipsam amamus. hominis ergo beatitudo consistit in aliquo bono hominis: non corporis; ergo animæ. ¶ Huic argumento satisfacit D. Tho. ar. 7. ad 2. docens beatitudinẽ esse summum bonum, quod maximè desideramus amore concupiscentiæ: hoc enim amoris genere ea concupiscimus, quæ nobis, amicisque conueniunt. Cùm ergo beatitudinem, ipsumque Deum nobis ipsis desideramus, huiusmodi bona amore concupiscentiæ amamus; nos autem ipsos amore amicitiæ amamus, atq; adeò Deũ ipsum amore amicitiæ amamus; volumus enim Deo bona, quæ ipse possidet, nosque, & nostra in Deum referimus. ¶ Dicet aliquis; ex hac solutione sequi videtur, eo amore, quo volumus nobis Deum, & beatitudinem ipsam, plus nos amare, quàm Deum; sicuti plus diligimus amicum, cui voluimus pecuniam, quàm pecuniam. ¶ Huic argumento videtur D. Tho. negare consequentiam; comparatio enim debet fieri in eodem amoris genere; constat enim Deum magis à nobis amari inter ea omnia, quę amore cõcupiscentiæ amamus, in quo nostra cõsistit beatitudo. Certùm præterea est, inter omnia, quæ amore amicitiæ amamus, maximè nos Deum ipsum diligere; ad eum enim nos, nostraq; omnia referimus. Dico secundò cum D. Tho. 2. 2. q. 26. art. 3. in solutionibus argumentorum, cuius solutio (quantum ego conijcio) exactior est, quando quis amico bonum aliquod particulare cupit, magis ab eo diligi amicum, quàm bonum illud peculiare, quod cupit: quando verò vult amico bonum aliquod vniuersale, quale est Deus, plus ab eo amari bonum vniuersale, quàm amicum.

Solutio.

D. Thom.

Secunda obiectio.

D. Thom. Solutio.

Tertia obiectio. Solutio.

D. Thom.

ARTIC. OCTAVVS.

¶ *Vtrùm beatitudo hominis in aliquo bono creato consistat.*

SVMMA TEXTVS.

Conclusio est negãs; cuius ratio manifesta hęc est. Nam beatitudo est bonum perfectũ, quod totaliter appetitum nostrum quietum reddit, & satiat, ita, vt nihil aliud restet appetendum. Hoc autem est vniuersale bonum, quod in Deo est; in alijs autem tantùm est bonum participatum. Igitur in aliquo bono creato beatitudo nostra sita esse non potest, &c.

EXPLICATIO ARTICVLI.

NOn affirmat D. Tho. beatitudinem esse aliquid increatum; de hac enim quæstione sequenti art. 1. inuestigabitur; quod docet, hoc vnum est; Illud bonum, quod nos beatos efficit, non esse bonum creatum, sed increatum. Hæc conclusio est de fide Catholica. probatur ex illo Psal. 72. Quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram? & Eccle. 1. Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. id est, omnia sunt vana, maximèque deficiũt vt hominem beatum, felicemque reddant. Certè Salomon vniuersis bonis degustatis, & post diligentem vitæ beatæ inuestigationem, tandem in vltimo cap. Ecclesiast. sic concludit. Time Deum, & mandata eius obserua:

Psam. 72.

Eccles. 1.

Eccl. vltim.

ſerua:hoc eſt enim omnis homo. ac ſi apertiori bus verbis dixiſſet; hæc eſt ſumma vitæ beatæ, in qua ſola tota humana felicitas continetur,timere Deum,mandataq́; eius obſeruare.cui cõ-
Ioan.17. ſonat illud Ioan.17.Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te verum Deum,& quem miſiſti Ie-
1.Ioan,2. ſum Chriſtum.& 1.Ioan.2.Nolite diligere mũdum,nec ea,quæ in mundo ſunt. Si quis diligit mundum,non manet charitas Dei patris in eo. & iterum, Mundus tranſit, & concupiſcentia
Oſtenditur veritas conclusionis. eius.¶Demonſtratur eadem veritas manifeſtis, apertiſq́ue rationibus. In primis,beatitudo eſt ſummum bonum, adimplẽs finienſq́ue noſtra deſideria;nullum autem bonum creatum deſideria noſtra adimplere poteſt. ergo.Minorem probo;tum, quia obiectum voluntatis noſtræ bonum vniuerſale eſt,vt docuimus ſuprà:quocunq́ue ergo alio bono adepto,aliud poterit deſiderari,ſicq́ue voluntatis noſtræ appetitus nũquam adimplebitur.Tum ſecundò,quia omne noſtrum deſiderium infinitum eſt, & illimitatum:bono igitur finito,& limitato finiri nõ poterit.Tum tertiò,inſitum nobis eſt naturale deſiderium,vt viſo effectu, cauſam videre cupiamus;niſi ergo cauſam primam videremus,ſatiari nunquam poſſet appetitus noſter.Confirmatur idem. ¶ Noſter enim intellectus nõ poteſt tot percipere veritates,quin poſsit plures indagare. ¶ Rurſus,voluntas noſtra non poteſt tot bona amplecti,quin poſsit plura alia deſiderare.Intellectus ergo noſter ſatiari nunquam poterit,quoaduſq́ue infinitam quandam veritatẽ pertingat,quæ in ſe veritates omnes comprehẽdat.Eadem prorſus ratione voluntas noſtra ſatiari nunquam poterit, vſquequo ſummum illud bonum attingat,quod in ſe bonitatem omnem complectitur. Veritas hæc vel ex eo maximè conſtare nobis poteſt, quia experimur animos noſtros his rebus, quæ in hac mortali vita continentur,nunquam ſatiari. Licèt enim omnia mundi bona in vnum colligas, nunquã voluntatis noſtræ appetitum adimplebis,vt veriſ-
D. Auguſt. ſimè dixerit Auguſt.1.confe.cap.1. Feciſti nos Domine ad te,& inquietum eſt cor noſtrũ donec reuertatur ad te.¶Sicut enim acus parui ho-
Simile. rologij à magnete tacta, inquieta ſemper manet,& in omne latus ſe vertit, quouſq; polum, centrumq́ue reſpiciat, in quem ſuapte natura deſtinatur:ita ſanè homo inquietus ſemper manet, quouſque ad Deum ipſum perueniat, in quem,tanquam in finem,ſummũ bonũq; ſuap-
Argumentum. te natura eſt deſtinatus. ¶ Argumentabitur fortè aliquis aduerſus ea,quæ dicta ſunt,autore
D. Dionyſ. D.Diony.4.cap.de diuinis nominibus. Diuina ſapientia coniungit fines primorum, principijs ſecundorum.ex quo accipi poteſt, quòd ſummum inferioris naturæ,attingat infimum naturæ ſuperioris;ſummum autem hominis bonũ, eſt beatitudo.Cùm ergo angelus naturæ ordine ſit homine ſuperior,apparet certè beatitudinem hominis ſitam eſſe in hoc, quod aliquo modo angelum attingat.Argumentũ eſt quod hîc D.Thom.primo loco proponit, quod, vt verum fatear,obſcurè diſſoluit. ¶ Dominus Caiet. Caiet.2.2.q.2.art.3.huius rei difficultatem apertè explicat,& inter cætera alia ſcribit,quod homo,ſecundùm intellectum,& voluntatem, eſt capax vniuerſalis boni, ſicq́ue habet immediatum ordinem ad Deum, ſecundùm triplicem rationem ſcilicet,vt mouentem,vt finem, & vt obiectum;ideoq́ue hominis beatitudo in eo ſita nõ eſt, vt attingat angelos,aut videat,quibus (vt iam dictum eſt)ſecundùm intellectum, & voluntatem immediatè non ſubijcitur.omnino tamen legatur Caiet. ¶ Notandum tamen eſt, De beatitudine hominis in puris naturalibus conſtituti. quod ſi loquamur de beatitudine perfecta,quã lumen fidei nobis oſtendit,certiſsimum eſt,illã in nullo bono creato cõſtitutam eſſe; ſita enim eſt in Dei viſione,& poſſeſsione: verùm ſi loquamur de beatitudine,quã homo habere deberet, ſi in puris naturalibus eſſet conſtitutus, difficilè eſſet explicatu,in quo beatitudo hominis eſſet conſtituenda.Voco hominem conſtitutum in puris naturalibus, qui non eſt conſtitutus in peccato,neque in gratia, neque eſt in aliquem ſupernaturalem finem deſtinatus; ſed qui ſolùm eſt in finem,rationali naturæ cõſentaneum,deſtinatus; quomodo de eo loquutus fuit Ariſtot.omniſq́ue philoſophorum turba.
¶ Videtur certè,quod homo in puris naturali- Vtrùm homo in puris naturalibus neceſsariò deberet eſſe miſer. bus conſtitutus, neceſsariò deberet eſſe miſer, & infelix;vel quòd nunquam poſſet ſuam beatitudinem adipiſci. ¶ In primis,noſter intellectus natura duce inclinatur ad omne verum inueſtigandum:at intellectus, facultatibus ſolius naturæ innixus, non poteſt adipiſci omne verum.ergo nunquam poteſt eſſe beatus. ¶ Deinde,voluntas noſtra habet naturale deſiderium ad omne opus ſtudioſum,& naturæ conſentaneum perficiendũ:at noſtra voluntas non poteſt omne bonum naturæ conſentaneum perficere,propter humanam imbecilitatem: nũquã ergo ſatiabitur. ¶ Præterea,cùm homo in puris Tertium. naturalibus conſtitutus,corpore conſtet,& anima; corpuſq́ue aggrauet animam, & caro concupiſcat aduerſus ſpiritum; non poterit adimplere omne opus naturæ ſuæ conſentaneum, nec poterit totam legem naturalem implere,vt vera habet Theologia,de homine in natura lapſa,à quo in poteſtate nil differt homo in puris naturalibus conſtitutus. debebat ergo homo ſic conſtitutus,in mortale aliquod peccatũ ne-
Primum argumentũ. Secundum

cessariò labi. esset ergo necessariò futurus infelix, & miser. Consequentia probatur. Peccato enim mortali, lege naturali, & diuina, debetur æternum supplicium, & miseria æterna.

Quartum. ¶ Deinde, qui peccat mortaliter, offendit Deũ, vt autor est naturæ, & constituit ipsum sibi inimicum. si ergo per gratiæ donum non reparatur, sine remedio erit miser. At homo in puris naturalibus constitutus, nullũ habet gratię donum: statuimus enim de eo disputare, quatenus

Quintum. ad nullum supernaturale est destinatus. ¶ Præterea, vt homo beatus sit, necesse est eum habere voluntatis rectitudinem, eumque bonum esse: qui autem conditus est in puris naturalibus, non potest habere huiusmodi voluntatis rectitudinem; necesse enim est eum propter suã imbecillitatem, & infirmitatem in aliquod morta

Sextum. le peccatum labi. non ergo potest suam beatitudinem adipisci. ¶ Sententia præterea probabilis est multorum Theologorum, finem nostrũ naturalem esse, videre Deum sicuti est facie ad faciem: at hunc finem non potest homo habere ex facultate, & viribus naturæ, vt habet vera Theologiæ sententia. ergo. Confirmantur ista omnia Aristot. autoritate; ille enim (vt videre est 1. & 10. Ethic. libr.) constituit beatitudinem hominis naturalem in virtute, adiunctis fortunæ, & corporis bonis. Si igitur teste Aristot. huiusmodi bona ad vitam beatam requiruntur, cõtrariaque mala miseriam efficiunt, nemo sanè beatus esse poterit; nemo enim est qui non grauissimis vrgeatur malis, propter rerum humanarum inconstantiam, & imbecillitatem. quis nãque est, qui ab omni malo sit penitùs immunis? ¶ Huic quæstioni respondent quidam

Primus dicẽdi modus Theologi, dicentes, quòd si Deus hominem in puris naturalibus condidisset, necessariò etiam ei dedisset adiutorium naturæ humanæ consentaneum, quo præditus, posset omne naturæ bonum perficere, & in studio virtutum permane-

D. August. re. Hoc sensisse videtur D. Augu. de correptione & gratia c. 11. Si, inquit, Deus adiutoriũ, quo permaneret si vellet, homini dedisset, quoniam non talis natura facta est, vt sine diuino adiutorio posset perseuerare si vellet, non vtique sua culpa cecidisset. Ergo si in puris naturalibus nõ datur adiutorium homini, quo posset perseuerare, sua culpa certè non laberetur. Idem visus

D. August. est asseruisse idem D. August. 3. lib. hypognosti: ferè per totum. ¶ Hæc sententia refellitur his argumentis. In primis, naturalia manserunt integra post peccatum, tam in hominibus, quàm in angelis, vt omnibus Theologis placet. Sed in homine in natura lapsa non mansit huiusmodi integritas, & potestas ad perficiendum omne virtutis opus, vt docet fides Catholica. Ergo hoc adiutorium inter naturalia non est referendum; alioqui enim post peccatum mansisset.

¶ Deinde, homo (vt satis constat ex naturali philosophia) constat ex corpore, & anima, & ex carne, & spiritu, habetque certamen inter carnem, & spiritum. ergo si sola, & pura naturalia considerẽtur in homine, necessium est ex sua imbecillitate vt aliquando labatur, & deficiat.

¶ Tandem, si huiusmodi adiutorium inter naturalia est numerandum, debeaturque naturæ, consequens est hominem post peccatum, monstrum aliquod esse, priuatur siquidem aliquo bono suæ naturæ debito, vt si intellectu careret, vel auxilio generali. legendus est de hac re Magister Soto 1. libr. de natura & gratia, statim in principio. Autoritati D. Augu. respondetur, hominem in puris naturalibus constitutum, habere adiutorium sufficiens ad singula cauenda peccata, & ad obseruanda singula præcepta legis diuinæ, licèt non ad omnia per totam vitã: quemadmodum potest quis Grammaticam, Rhetoricam, Dialecticam, Theologiam, & alias scientias addiscere, licèt nullus homo reperiatur, quantumuis pollens ingenio, qui omnes scientias simul didicerit. Hoc exemplo vtitur D. Hieronym. 1. Dialog. contra Pelagianos, in confirmationem nostræ sententiæ. Respondetur secundò, D. August. tantũ loqui de illo magno peccato, quod commisit primus parens, quod non esset tam magnum, si adiutorium originalis iustitiæ non suscepisset.

Mag. Soto.

D. Hieron.

¶ Sed nunc oportet explicare, in quo esset sita beatitudo hominis naturalis, si in solis naturalibus esset productus. Ad quam rem intelligẽdam scire oportet, Aristot. omnesque rectè sentientes statuisse, eum hominem, qui ex naturæ vi, & facultate Deum cognoscit, & colit, maximæ curæ esse ipsi Deo, qui idcirco largitur illi bona temporalia, & spiritualia, quantum expedit saluti illius. Vnde Aristot. 1. Ethic. cap. 8. & 9. non constituit solùm naturalem beatitudinẽ in virtute, sed præcipuè in diuina erga homines prouidentia. quapropter ad Deum spectat præmia distribuere, bonorumq; retributiones, quæ omnia ratione naturali nobis constant apertè. Rursus, ad Deum attinet tribuere vnicuique cognitionem necessariam secundùm statutum suum, qua vnum Deum cognoscat, eumque tãquam parentem colat, & veneretur. Ad Deum præterea spectat peccata condonare, & dissimulare peccata hominum: Si enim ista condonatio non est, nullus in puris naturalibus consequi posset felicitatem naturalem, sed omnes in perpetua remanerent miseria. Ista verò condonatio (loquimur de homine in puris naturalibus constituto, qui nec ad gratiam, nec gloriam sit

Propri'mò dus dicẽdi.

Aristotelis dogmata notanda de beatitudine.

desti-

destinatus) certè fieret per aliquem dolorem, ex facultate naturæ comparatum, Deo sic ordinante: vel fieret ex eo, quia proponeret sequi bonum, & fugere malum; vel alijs modis nobis prorsus incognitis: hoc tamen potiùs est diuinare, quàm aliquid certò statuere. Oportet potiùs gratias agere Christo liberatori, qui nos vocauit in admirabile lumen suum, quo illustrati, viam cernimus qua progrediendum sit ad vitã felicem, atque beatam. Quomodo verò Arist. cognouerit beatitudinem naturalem, & in quo eam posuerit, infrà. q. 3. & 4. inuestigabitur.

¶ Sciendum tamen est, Arist. nunquam locutum fuisse de alterius sęculi beatitudine, sed de beatitudine huius vitæ imperfecta, qualem homines possunt, vt homines, habere, mille periculis, & ærumnis expositi. Illud etiam obseruandum est, Aristot. nunquam explicasse, quomodo homo in peccato mortali constitutus, beatitudinem naturalem posit adipisci; non enim agnouit peccati mortalis grauitatem, nec verò cognouit, quomodo mortali peccato suppliciũ æternum, & miseria æterna debeatur. Ideoque nec remedium, & medelam peccati agnouit, quæ est Christus, qui est Deus benedictus in sęcula.

QVAESTIO III.

De definitione beatitudinis.

ARTIC. PRIMVS.

¶ *Vtrùm beatitudo sit aliquid increatum.*

SVMMA TEXTVS.

Prior Cõcl. PRior Conclusio. Si sit sermo de beatitudine pro re, quæ nos efficit beatos, aliquid est increatum, Deus scilicet, qui solus bonitate sua infinita potest voluntatem nostram perfectè satiare.

Posterior Conclusio. ¶ Posterior Conclusio. Si loquamur de beatitudine pro adeptione summi boni, beatitudo aliquid creatum est, nempè actus animæ nostræ præstantissimus, quo videmus, & possidemus Deum.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Quæstio difficilis, Vtrùm formalis beatitudo sit aliquid increatum.

IN hoc articulo est illa grauisque quæstio disputanda; Vtrùm beatitudo formalis, quæ est visio Dei, & possessio, sit aliquid creatum, an potiùs ipsemet Deus. Probatur hoc secundum grauissimis argumentis. ¶ In primis, Deus potest vniri intellectui creato in ratione notitiæ, & visionis, sic adeò, vt ipse Deus sit visio, per quam beatus videat Deũ. ergo nõ est opus alia visione creata. Antecedens probatur. Mirabiliùs est, quòd esse diuinum vniatur Christi humanitati; & quòd humanitas Christi subsistat per diuinum esse, quàm quod Deus vniatur intellectui nostro in ratione notitiæ, & visionis; illud autem possibile fuit, vt videre est in Dominicę incarnationis mysterio. ergo & hoc possibile erit, tum vel maximè, quia Deus ipse formaliter est visio, & intellectio.

Argumenta contra secũdam cõclusionem. Primum

Secundum. ¶ Secundò, si Deus esset formaliter albedo, & vniretur humanitati, efficeret illam formaliter albam, vt planè constat: cum ergo Deus sit formaliter visio, & intellectio, & vniatur intellectui creato, facit illum formaliter intelligentem. non ergo est opus alia intellectione creata.

Tertium. ¶ Tertiò, in Dominicæ incarnationis mysterio Deus vnitur humanitati Christi, & esse diuinum, dat esse humanitati formaliter, & diuina personalitas, dat personalitatẽ humanam formaliter; quia esse diuinum, est infinitũ, sed diuinum intelligere est etiam infinitum: poterit ergo tribuere intelligere humanum formaliter. quare alia intellectione non erit opus.

Quartum. ¶ Quartò, Deus vnitur intellectui beato in ratione speciei intelligibilis; est enim forma intelligibilis, vt placet D. Thom. 1. p. q. 12. artic. 2. ad 3. poterit ergo Deus vniri intellectui creato in ratione visionis, & notitiæ; est enim Deus ipsa notitia.

D. Thom.

Confirm. ¶ Confirmatur idem argumentum. Hac enim de causa Deus vnitur intellectui creato in ratione speciei, & similitudinis, quia nulla creatura potest Deum repræsentare, sicuti est. potiùs ergo debet vniri in ratione notitiæ, & visionis; nam visio præcipuè Deum repræsentat sicuti est.

Quintum. ¶ Præterea, si visio beata est aliquid creatum, maxima absurda & inconuenientia sequerẽtur. Primũ, quòd aliqua creatura repręsentet Deum, sicuti est: notitia enim (autore Diuo Augustino. 9. de Trinita. c. 11. & 12. & libr. 4. c. 17.) est naturalis, & exacta rei similitudo. Secundũ, quòd aliqua creatura esset infinitæ perfectionis, quia per illam visionem infinita possunt repræsentari. In anima Christi maximè locum habet argumentum, quæ in verbo videt infinita. Tertium, quòd videndo aliquam creaturam, videremus Deum sicuti est; quia videndo illã visionem, illius obiectum videremus, cùm visio

D. Augustin.

sine

sine obiecto esse non possit. Quartum, quia si visio, qua beatus videt Deum, est creata, poterit ergo Deus eam conseruare in obiecti absentia, erit ergo homo beatus absente Deo. Hæc sunt argumenta quæ solent in scholis adduci in confirmationem huius sententiæ: sed ostendamus maioris ponderis argumentis posse Deum vniri homini in ratione operationis. ¶ Primum. Meritum animæ Christi fuit omnino infinitũ, fuit ergo Deus. Consequentia probatur; quia extra Deum nihil est infinitum. Antecedens verò confirmatur; nam si fuit meritum finitũ, potuit ergo Deus maius meritum illo efficere; quo uis enim finito, potest Deus aliud maius producere. ¶ Secundum argumentum. Meritum, & operationem animæ Christi Deus necessariò amabat, ergo erat Deus. Consequentia ex eo constat, quia Deus ad extra nihil necessariò amat. Antecedens probatur; si enim Deus meritum, & operationem Christi non acceptaret, esset iniustus, & non esset Deus. ¶ Præterea, Deus operationem Christi, & eius meritum amabat infinitè, & erat illi infinitè gratum. ergo erat Deus. Consequentia inde probatur; quia nihil est infinitè gratũ, nisi solus Deus. Confirmatur antecedens; nam si finitè amabat, & finitè erat illi grata Christi operatio, consequens est quod potuerit esse alia operatio gratior coram Deo; quod est ab omni Theologia alienum. ¶ Præterea, meritum Christi fuit infinitum: meruit ergo infinitum præmium; at præmium est visio diuinæ essentiæ: meruit ergo infinitam Dei visionem. Rursus, ergo meruit vt Deum cõprehenderet, & infinitè intelligeret, quantum Deus ipse cognosci potest. fuit ergo meritum illud Deus, quia soli Deo debetur quòd seipsum comprehendat, & cognoscat, quantum ipse cognosci potest.

¶ His argumentis adducti fuerunt quidam Theologi vt arbitrarentur, visionem beatorũ, qua Deum ipsum intuentur, rem esse increatã; quorum sententiam referunt Capr. 3. d. 14. q. 1. explicans primam illius quæstionis conclusionem; Caietan. 3. p. q. 9. artic. 1. Gregor. Arimi. secundo sentent. d. 7. q. 2. quo loco fatetur Greg. suis temporibus huiusmodi opinionem in Parisiensium schola fuisse à quibusdam Theologis defensam. Certè si prædicti autores loquantur de visione beatifica, qua beati vident Deum, secundùm legem ordinariam, & secundùm decretum à Deo statutum, eorum opinio est ferè hæretica. Si autem loquantur de potentia Dei absoluta, stulta est, & insana opinio. ¶ Quod sit ferè hæretica, probatur. Omnes Theologi 4. d. 49. vno ore fatentur, beatitudinem esse perfectionem inhærentem beatorum animis, qua beati vident Deum, eoque perfruuntur. ergo beatitudo res est creata. Secundò, in Clementina, ad nostrum, de hæreticis, ex Cõcilio Viẽnen si sub Clemente V. decretum est, hæreticum esse asserere, quòd homo non indigeat lumine gloriæ ex parte intellectus ad videndum Deũ. Consequens ergo est intellectum beati producere visionem beatificam; alioqui enim non esset necessarium lumen gloriæ. Tertiò, in Cõcil. Ephe. & Viẽnensi, & in 6. Constantinopol. & in 14. Toletano, anathema pronuntiatur ei, qui dixerit, quod in Christo Iesu non fuerit geminus intellectus, gemina voluntas, & gemina scientia, creata scilicet, & increata. Hæreticum est ergo asserere in Christo Iesu fuisse vnicam tantũ visionem increatam, per quam Deum videret. Præterea, in Concil. Trident. Sess. 6. can. 4. anathema dicitur ei, qui dixerit hominem, cùm iustificatur, nihil prorsus operari; sed se habere merè passiuè, tanquam inanime organum. Multò ergo magis est tanquam hæreticus execrandus, qui docet hominem, cùm Deum videt, nil penitus operari. In eodem præterea Cõcil. Trident. & in eadem Sess. canon. 10. definitur contra Lutherum, & contra Osiandrum hæreticos, quod non sumus iusti formaliter per iustitiam, quæ est in Christo. Hæreticum est ergo asserere beatos esse beatos, videréque Deum per visionem in Deo existentem. Deinde in sacris literis apertè asseritur, beatos producere visionem beatificam, visio ergo beatifica Deus non est; Deus enim produci non potest. Antecedẽs probatur. 1. Ioan. 3. dicitur, Cùm apparuerit, similes ei erimus, & videbimus eum sicuti est. & Ioan. 14. Philippe, qui videt me, videt & patrem meum. videre autem in rationali natura, est producere visionem. Quomodo autem huiusmodi sententia sit hæretica, ostendit copiosiùs D. Thom. de veritate q. 20. art. 1. & 3. p. q. 9. art. 1. ad 1. & 3. sententiarum d. 14. q. 1. vbi multa disputat in hanc quæstionem, Vtrùm in Christo Iesu fuerit scientia creata. ¶ Quod autem huiusmodi opinio inepta sit, & insana, his argumentis demonstro. Primò, videre, & amare, sunt operationes vitales, necesse est ergo eas oriri à principio vitali intrinseco, cuius sunt operationes, oppositumque intelligi nulla ratione potest. Qui enim fieri potest, vt ego viuam per vitam in alio existentem; aut videam per alterius visionem? Secundò, vel intellectus creatus cùm Deum intuetur, producit visionem; vel non. Si non producit, otiosus est, & nõ beatus. Si verò producit visionem beatificam, ergo illa visio, Deus non est: Deus enim improducibilis est. Tertiò, si visio beata, qua beati vident Deum, increata est, consequens est omnes bea-

Maiora argumẽta ad ostendendũ Deũ vniri posse in ratione operationis.

Primum.

Secundum.

Tertium.

Quartum.

Quorundã Theologorũ sententia.

Capreo.

Caietan.

Greg. Arim

no.

Clemen. ad nostrũ. Concil. Vienen.

Cõcil. Ephe

Cõcil. Vien

Cõcil. Constan.

Cõcil. Tole

Cõcil. Trid

1. Ioan. 3.

Ioan. 14.

D. Thom.

tos, in beatitudine esse æquales; vident enim Deum per eandem visionem increatam. Sequitur prætereà, quod Deum ipsum comprehendant: vident enim ipsum per visionem increatam, & infinitam. Aliud etiam sequitur inconueniens; nã si Deus potest vniri intellectui beato in ratione notitiæ, consequens est, quod possit ei vniri in ratione amoris, & dilectionis. quæ omnia manifestam præ se ferunt absurditatem. Præterea, intelligere, est quoddam pati, est etiã quædam actio immanens, quæ manet, & inhæret potentiæ, à qua progreditur: sed Deus nõ potest esse forma inhærens intellectui. ergo non potest vniri intellectui in ratione notitiæ. Demum, sicut Deus est formaliter scientia, ita est formaliter vita: sed non potest se solo dare formaliter vitam corpori. ergo non potest se solo facere intellectum formaliter intelligentem, & scientem. quemadmodum ergo oportet vitam corpori inhærere, ita oportet scientiam, & visionem intellectui inhærere. Superest tandem argumẽtis adductis satisfaciamus. ¶ Ad primum negandum est antecedens; est enim manifestũ discrimen inter vnionem hypostaticã, & vnionem in ratione notitiæ: quia vt Deus vniatur humanitati in ratione suppositi, non est necesse quòd inhæreat humanitati, aut quod sit forma hominis, aut quod ab humanitate producatur; cæterùm vt sit notitia, qua beatus cognoscit, & videt, necesse est quod inhæreat, & sit forma intellectus intrinseca, & quòd producatur ab intellectu nostro; quę omnia diuinitati repugnãt. Secundo argumento respõdetur, admisso Deũ esse formaliter albedinem, eumq́ue vniri humanitati, tamen nego quod illam formaliter albã efficeret; non enim inhæreret humanitati. Eadem ratione licèt Deus sit formaliter scientia, vniaturq́ue intellectui creato, nõ efficit formaliter illum intelligentem: non enim ei inhæret, neque est vitalis operatio. ¶ Tertio eodem prorsus modo satisfaciendum est. ¶ Ad quartum respondetur negando consequentiam. Species enim concurrit ad intellectionem, tanquam efficiens principium, cæterùm non concurrit formaliter, id est, non est forma inhærens, neque operatio vitalis, de cuius ratione est, quod producatur à principio vitali intrinseco. Hoc eodẽ modo respondetur quinto argumẽto. ¶ Ad cuius primum inconueniens dico, visionem beatam, qua beati vident Deum, non esse naturalẽ similitudinem Dei, sed esse operationem vitalem, qua Deum intuemur. Quod verò docet August. notitiam esse naturalem similitudinẽ obiecti; intelligendum est, ratione principij, & ratione speciei intelligibilis. Nil enim aliud vult Augu. docere, quàm cognitionem effici per similitudinem: qui enim omnia cognoscit, debet esse omnia per similitudinem, & rerum species, quas penes se habet. Dialecticis verò docentibus notitiam esse naturalem similitudinẽ obiecti, nulla est eis in hac parte fides adhibenda. Ad secundum inconueniens respondetur, visionem beatam animæ Christi non esse infinitam simpliciter, sed secundùm quid; nõ enim se extendit ad infinita simpliciter, sed ad infinita secundùm quid, in certo, & limitato genere. de quo 3. p. q. 10. art. 3. diligentiùs disputatur. Ad tertium inconueniens dicitur, eum, qui cõprehenderet visionem beatificam non necessariò videre Deum, sicuti est, sed sufficit vt intelligat ordinem quem habet clara Dei visio ad Deum: sicut si quis comprehendat visionem colorati; non est necesse vt essentiam colorati comprehendat, sed satis est vt agnoscat coloratum, & ordinem, quem habet visio ad coloratum. Respondetur secundò, quod ille, qui comprehenderet visionem beatificam creatam, ex consequenti videret Deum sicuti est, non ex natura huius visionis, sed ex eo, quia vt cõprehenderet huiusmodi visionem, necesse erat vt Deus vniretur intellectui beato in ratione speciei intelligibilis, atque adeò necessarium erat lumen gloriæ, quarum rerum auxilio videret Deum sicuti est. Ad quartum inconueniens dicimus, Deum nulla ratione posse intuitiuè videri absque eius præsentia: non enim potest Deus producere aliquam creatam similitudinẽ, quæ repræsentet Deum perfectè sicuti est; omnis enim creatura longè inferior est, quàm quòd possit Deum repræsentare sicuti est. Secundò respondeo, quòd si Deus huiusmodi notitiam conseruaret in rei absentia, esset sanè abstractiua, sicq́ue non faceret hominem beatum.

¶ Omnibus alijs argumentis de Dñicæ incarnationis sacramento, non possumus eis præsenti loco, vt par est, satis facere: sed ea tantum præsenti loco adducam, quæ nostro instituto erũt accommodata. Respõdeo ergo, quòd licèt operatio animæ Christi secundùm se, limitata sit, & finita, at verò ex coniunctione ad diuinam personam, quæ huiusmodi operationes, mediante humanitate exercebat, Deoq́ue offerebat, habebat quandam infinitatem, & valorem infinitũ, quemadmodum Christi humanitas ex diuinæ personæ vnione recepit infinitam dignitatem, & infinitum esse, esse scilicet diuinum. Secũdò respondeo, operationem animæ Christi, in genere entis finitam esse, & limitatam; at verò in genere meriti, & valoris infinitam esse & illimitatã: erat enim operatio diuinæ personæ, à qua, operatio illimitationem, & infinitatem habebat. Dico tertiò, Deum magis amare Christi humani-

Solutio argumentorũ Ad primum Vnionis hypostaticæ & in ratione notitiæ discrimen.

Ad secundũ & tertium.

Ad quartũ.

Ad quintũ. Vtrũ notitia similitudo obiecti dici possit.

Visio beata animę Christi nõ est infinita simpliciter.

Ad argum. sumpta ex incarnationis mysterio.

Operationes animæ Christi.

manitatem, quàm vniuersitatem creaturarum possibilium; non quòd sit infinita, vel Deus; sed ex coniunctione ad diuinam personam in suppositi vnitate. ¶ Illud verò axioma, quocunque finito potest Deus maius efficere; verũ est, quando est finitum non coniunctum bono infinito simpliciter. Interpretatio est D. Tho. 1. p. q. 25. articulo vltimo ad vltimum. Respondeo quartò, licèt opinio sit probabilis, dari posse maiorem & excellentiorem visionem Dei, visione animæ Christi; cæterùm non est probabilis opinio, quod possit dari maius meritum, merito animæ Christi: nam meritum Christi non tantùm habuit valorem ex charitate habituali, sed potissimè ex gratia vnionis. de qua re vide D. Tho. 3. p. q. 1. ar. 2. ad 2. & q. 7. in multis articulis, & q. 26. art. 2. ad 1. & Caietanum ibidem exponentem solutionem ad tertium, Capreol. in 3. d. 13. quæst. vnica. ¶ Vltimò notandum est, quod licèt verum sit, meritum Christi in ratione meriti fuisse infinitum, non tamen fuit omnibus modis infinitum; alioqui enim Deus esset. Ex quo sequitur, præmium huius meriti nõ esse omnibus modis infinitum, sed esse infinitũ syncathegorematicè, id est, quocunque præmio dato, Christus Dominus maius præmium promeruit. Quemadmodum ergo virtus diuina ex eo maximè ostenditur infinita, quòd possit infinita producere syncathegorematicè, id est, non tot, quin plura, & quacunque perfectione data potest meliorem efficere, quanquam non possit producere creaturam infinitam; eodem modo meritum Christi ostenditur infinitum, eò præcipuè, quia quocunque præmio dato, magis adhuc promeruit. ¶ Ex alio etiam capite meritum Christi ostenditur esse infinitum, ex modo scilicet merendi; meruit enim apud Deum ex omni iustitiæ rigore, vt bonis Theologis visum fuit, qui modus merendi infinitum valorem habuit; nulla enim creatura pura hoc modo potuit promereri apud Deum, vt eius meritum Deus ex iustitia acceptare teneretur, nisi quatenus gratiæ Dei innititur, & incumbit. Quemadmodum enim creatio ostendit virtutem Dei infinitam, non ex parte rei creatę, quæ finita est, sed ex modo faciendi; facere enim ex nihilo, virtutem requirit infinitam: eadem prorsus ratione mereri apud Deum ex proprijs, & omni iustitiæ rigore infinitatem quandam contrahit. Respondetur etiam, alio modo meritum Christi fuisse infinitum ex parte vnionis hypostaticæ; at præmium, quod creaturæ debet conferri, non potest esse infinitum ratione vnionis; creatura enim, cui præmium conferendum est, Deus non est. Illud enim certò affirmari oportet, Christum Dominum beatitudinem ex meritis non habuisse, sed eam nobis promeruisse. Aduertendum etiam est, quod quemadmodũ meritum fuit infinitum ratione vnionis, eodem modo potuit mereri præmium infinitum ratione vnionis. Non enim dubito, quin Christus potuerit promereri quòd tertia persona sanctissimæ Trinitatis vniret sibi naturam angelicam, vel humanam, si ad id promerendum suam direxisset operationem. Ex his quæ hactenus dicta sunt, satis (ni fallor) soluta remanent aduersariorum argumenta, quæ superius proposuimus. Vnicum tamen supereſt argumentum, quod opinionem illam cõfirmare videtur, quo soluto, nil erit ampliùs quod de hac quæstione desideretur. est autem huiusmodi argumentũ. ¶ Frui creatura, peruersitas maxima est, teste D. Augu. at fruemur visione beatifica; est enim finis noster vltimus, autore D. Tho. infrà q. 11. art. 3. non ergo videbimus Deum visione creata: ergo increata. ¶ Huic argumento respondetur, quod in ordine ad desiderium nostrũ, amorem, & fruitionem, idem est obiectum, Deus, & videre Deum, sicuti auaro idem est pecunia, & habere pecuniam: atque vt vnico verbo cuncta complectamur, dicimus beatum solo Deo frui visione beatifica: per eam enim Deum habet præsentem, quo præcipuè fruitur, & delectatur.

Nota.

Meritum Christi quo modo infinitum,

Capreo. D. Thom.

Meritum Christi & eius præmium quomodo proportionentur.

Argument. D. Augus. D. Thom.

Solutio.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ *Vtrùm beatitudo sit operatio.*

SVMMA TEXTVS.

Conclusio.

Conclusio est. beatitudo, vt est aliquid creatum in homine existens, est operatio; quia est vltima hominis perfectio. Vnumquodque enim in tantum perfectum est, in quantũ est actu: vnde operatio est vltimus actus operantis, & actus secũdus dicitur; habens enim formam potest esse in potentia operans, sicut sciens est in potentia considerans. Inde est, quod etiam in alijs rebus, vnaquęque dicitur esse propter suam operationem, autore Aristot. secundo de cœlo. Scien-

Aristotel.

dum est tamen, quòd beatitudo mul-

multis modis dicitur, prout diuersæ res beatitudinis sunt capaces; nam in Deo est per essentiam; eius enim operatio, est ipsum esse, & ipsa essentia diuina: in angelis est vltima perfectio, secundum aliquã operationem, qua coniunguntur Deo, & hæc in eis est vnica, & sempiterna: in nobis verò secundum statum præsentem est per aliquam operationem, qua Deo coniungimur, sed non vnica; quia operatio nostra intercisione multiplicatur, & ideo in hac vita perfectè non habetur, sed in futura, quãdo erimus sicuti angeli Dei.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Quæst. 1. Vtrũ beatitudo prius perficiat essentiã quã potentiam. Henri.

IN hoc articulo sunt à nobis graues, & difficiles quæstiones explicandæ, quæ plurimùm conducent ad verã beatitudinis rationem intelligendã. ¶ Henricus de Ganda. quodlibet. 13. q. 12. cẽset beatitudinem priùs perficere essentiam, quàm potentias; arbitratur enim beatitudinem maximè in eo sitam esse, quòd Deus illabitur beatorum animæ, & cum ea coniungitur, & eam in se transformat, ita vt non appareat aliud quã Deus; quemadmodum ferrum candens apparet ignis. Probatur hæc sententia, tum testimonijs sacræ scripturæ, tum etiam rationibus. In primis 1. Ioan. c. 3. dicitur, Cùm apparuerit, similes ei erimus, & videbimus eum sicuti est. & 2. Pet. 1. Maxima & pretiosa nobis promissa donauit, vt efficiamur diuinæ consortes naturę. ergo in consortio, & in hac (vt sic loquar) deificatione nostra beatitudo consistit. Idem etiam confirmatur. Amor (vt placet D. Dionys. 7. c. cœlestis hierarch.) est vis transformatiua amantis in rem amatam. Docent etiam Platonici, animam magis esse vbi amat, quàm vbi animat. Cui alludere videtur illud Euangelij. Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. Deus autem maximè amat animam beatam; per illam ergo dilectionem maximè se transfundit, intimeque se transformat in animæ beatæ essentiam: in huiusmodi ergo transformatione beatitudo nostra consistit. Probatur etiam hæc sententia varijs, ijsq; fortissimis rationibus. ¶ Prima ratio huiusmodi est. Beatitudo est gratia consummata, secundũ illud, Gratia Dei, vita æterna. at gratia est in essentia animæ, & nõ in potentijs (autore D. Th. infrà q. 110. art. 4.) beatitudo ergo perficit animæ essentiam, deinde verò ad potentias deriuatur, & redundat. ¶ Secundo, D. Thom. 1. p. q. 12. artic. 2. docet, Deum priùs vniri intellectui beatorum tãquam speciem intelligibilem, quã beatus producat visionem beatificam. in illa ergo vnione, & illapsu beatitudo nostra constituenda est. ¶ Præterea, in rebus omnibus priùs est esse, quàm operari. ergo priùs est deificari hominem, quàm operari diuinum. ¶ Deinde, perfectio perfectissima in subiecto perfectissimo collocanda est: at animæ essentia est perfectius subiectum, quàm eius potentia, vt est manifestum. ergo in ea, & non in potentijs constituenda est beatitudo. ¶ Præterea, beatitudo est summum bonum hominis: maius autẽ bonum est, quòd Deus illabatur animæ nostræ, & quod Deus nos videat, & amet, quàm quòd nos videamus, & amemus Deum: in illo ergo primo nostra consistit beatitudo. Minor probatur, tum primò, quia gratia, per quam sumus grati Deo, melior est quàm charitas, per quam amamus Deum. Tum secundò, quia id meliùs est, quod eligibilius est. at si alterum horum deesse oporteat, eligibiliùs est quod Deus me amet, quàm quod ego amem Deum. ergo. ¶ Præterea, beatitudo est vnio perfectissima, qua Deo coniungimur; at non est perfectissima vnio ea quæ fit secundùm operationem, cùm operatio sit accidens. ergo. ¶ Deinde, si beatitudo est operatio animæ nostræ consequens est animã nostram seipsam beatificare: ipsa enim producit, & efficit suam operationem: quod asserere, ab omni Theologia alienum est. ¶ Iam si beatitudo est operatio, eò vel maximè, quia vnumquodque est propter suam operationem, quod adducit D. Thom. in articulo. Hæc autẽ ratio nulla est; operatio enim accidens est; omne autem accidens est propter substantiam, & nõ è conuerso. ergo. ¶ Deinde, ita natura comparatum est, vt imperfectiora sint propter perfectiora; at accidentia sunt imperfectiora substantijs. ergo. ¶ Demum, ignis operatio, calefactio est: at calefactio non est ignis perfectio; collocatur enim in passo, & non in agente. ergo ignis non est propter calefactionem. Hæc sunt argumenta, quibus Henrici opinio confirmari videtur. ¶ His tamen non obstantibus dico hanc Henrici opinionem temerariam esse, & impossibilem. Primò, in Concilio Florentino, & in Clementina, ad nostrum, de hæreticis, & in extrauaganti Benedicti XI. definitur, nostram beatitudinem in visione, & fruitione Dei sitam esse.

1. Ioan. 3.
2. Pet. 1.
D. Dionys.
Matth. 6.
Rationes pro ista sentẽtia Prima.
Rom. 6.
Secunda D. Thom.
Tertia.
Quarta.
Quinta.
Sexta.
Septima.
Octaua.
D. Thom.
Nona.
Decima. Hẽrici opinio temeraria.
no.
Cõcil. Flor.

esse. Idem etiam habetur in sacris literis, Ioan. 17. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te verum Deum, & quem misisti Iesum Christũ. & Paul. Tunc cognoscam, sicut cognitus sum. beatitudo ergo in operatione consistit. ¶ Secundò, eodem modo beatus est homo sicut Deus: Deus autem beatus est per suam operationem: docet enim Aristot. 12. meta. text. 51. Quod si Deus dormiret, non esset beatus. homo ergo beatus est per suam operationem. Idem confirmatur. Si enim anima Christi non videret, & amaret Deum, non esset beata. ergo beatitudo in operatione consistit. Præterea, iste illapsus non excedit modum existendi in gratia; homo enim in gratia existens habet Deum sibi vnitum, & secundùm fidem, & secundùm rationem naturalem: ex eo autem quòd homo est in gratia, non est beatus. iste ergo illapsus nõ cõstituit hominẽ beatum. Vltimò, ex eo, quòd homo ex non beato, fit beatus, re vera mutatur; at ex hoc, quod Deus illabitur animæ, nõ mutatur anima; Deus enim neque inhæret animæ, neque in anima recipitur. iste ergo illapsus non constituit hominem beatum. ¶ Ad argumenta in contrarium, autoritatibus sacræ scripturæ respondetur, verũ esse Deum illabi animis beatorum, etiam secũdum Diuum Thomam, ex quo illapsu beatorũ sequitur beatitudo. Nam (secundum D. Tho.) Deus vnitur intellectui beato, tãquam specie; nihilominùs non consistit beatitudo in huiusmodi illapsu, sed in visione, & fruitione Dei, quæ inde consequitur. ¶ Pro cuius rei maiori intelligentia notandum est, duobus modis nos Deo coniungi; vno modo, per similitudinem, & vnionem: alio modo, quatenus attingimus Deum ipsum: & vtraque coniunctio est necessaria ad hominis beatitudinem; beatitudo tamen non in prima coniunctione, sed in secunda sita est. Quamuis enim homo habeat Deum sibi vnitum, & sit particeps diuinæ naturæ, si non videat, & amet Deum, beatus certè nõ erit. ¶ Secundo argumento respondetur, illam Platonicorum sententiam metaphoricè, & nõ propriè esse intelligendam: significat enim amantẽ maximè facere rem dilectam, & de ea semper cogitare, animique intentione cum ea semper cõfabulari; non est tamẽ sensus, quod in re amata sit, secundùm essentiam, sed secundùm desiderium, & cogitationem. cui simile est illud Euãgelij. Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuũ. Rationibus adductis superest vt respondeamus. ¶ Ad primam rationem respondetur, gratiam esse actum primum, quo efficimur filij Dei, & habemus esse supernaturale; qua de causa in animæ essentia est collocanda: at beatitudo est actus secundus, qui est operatio, qua cõsequimur, & adipiscimur bonum nostrũ, ideoque in potentijs animæ operatiuis est collocanda. Quod verò dicitur, beatitudo est gratia cõsummata, hunc sensum habet; quod sit Dei donum, & beneficium omnibus numeris absolutum, sic, vt vlteriùs nihil sit desiderandum.

¶ Secundæ rationi iam satis suprà respõsum est. ¶ Tertiæ rationi respondetur, istum illapsum, & deificationem necessariam esse, & priorem operatione, nõ tamen in illo illapsu sitam esse beatitudinem, sed in adeptione, & consequutione vltimi finis, qui in nostra operatione consistit, vt satis suprà ostensum est. ¶ Ad quartam rationem respondetur, beatitudinem nostram constituendam esse in præstãtissimo subiecto, quod percipit, & adipiscitur summum bonum: anima verò nostra non percipit, nec fruitur bono, nisi per potentias: in potentijs itaque nostra beatitudo constituenda est. ¶ Ad quintam rationem dico, beatitudinem nostram nõ consistere in eo, quod Deus nos videat, aut amet; licèt enim hoc sit maius bonum nostrũ (vt argumentum adductum concludit) cæterũ est bonum nostrum extrinsecum: beatitudo verò bonum est nostrum intrinsecum, qua Deũ videmus, fruimur, & possidemus. ¶ Ad sextam rationem respondetur, beatitudinem, perfectissimam coniunctionem esse ad Deum, qua consequimur, & adipiscimur Deum, quæ sine dubio operatio est. ¶ Ad septimam respondetur, intellectum illustratum lumine gloriæ producere visionem beatificam, concurrereque instrumentaliter ad nostram beatitudinem efficiendam; nihilominus præcipua nostræ beatitudinis causa Deus est, qui solus perfectè nostram voluntatem satiare potest. ¶ Ad octauam dico, rationem illam esse Aristot. 2. de cœlo. text. 17. & 9. met. tex. 15. & 1. Ethic. c. 7. cum verò docet Aristot. finem cuiusque rei esse operationẽ, nõ loquitur de fine pro re, quam optamus; sed de fine pro adeptione; dicimus enim auari finẽ esse, pecuniam habere: & hæc est vna interpretatio sententiæ Aristot. Secunda interpretatio est, vt significet ita natura esse cõparatũ, quod vnaquæque res per suam operationem, suum finem adipiscatur. Tertia interpretatio est, quod finis cuiuscunque operationis sit ipse agens in esse cõpleto, & perfecto: & quia operatio est vltima actualitas, & perfectio agẽtis, hinc est, quòd vnũquodq; est propter suã operationẽ, id est, propter suũ esse cõpletum, & perfectũ. ¶ Sciendum tamen, operationem, si vt accidens est cõsideretur, imperfectiorem esse substantia; si verò consideretur vt forma actuans subiectum, atque vt est consequutio vltimi finis, atque in genere moralis virtutis, longè melior, perfectiorq;

Ioan. 17.

Arist.

Soluũtur argumenta Henrici.

Duobus modis coniungimur Deo.

Ad primam rationem.

Ad secundã
Ad tertiam
Ad quartã.
Ad quintã.
Ad sextam.
Ad septimã
Ad octauã Arist.

ctiorque est quàm substantia. Ex qua distinctione soluta remanent duo vltima argumenta.

Secũ. quæst. Vtrũ beatitudo in actu vel in habitu consistat

¶ Est secunda quæstio huius articuli; Vtrùm beatitudo consistat in actu, an potiùs in habitu? id est; Vtrùm simus beati ex eo, quod possimus Deum videre, quando libuerit; an potiùs ex eo, quod semper Deum videamus? Videtur illud primum verum esse.

Primum argumentũ

¶ Primò, quia habitus est actu perfectior; illum enim efficienter producit.

Secundum.

¶ Secundò, quia beati possunt desistere ab amore, & visione Dei, absque eo, quod amittant beatitudinem. Beatitudo ergo non in actu, sed in habitu sita est. Antecedens probatur. Nam habitus charitatis, qui est liber, & moralis, producit amorem in beatitudine. ergo ille amor liber est, & non necessarius. Idem confirmatur. Christus Dominus ab instanti suæ cõceptionis fuit beatus, at non necessariò amabat Deum, alioqui in illo amore nõ meruisset: necessarijs enim non meremur. ergo.

Confir.

Vltimo.

¶ Vltimò, multò probabilis est illorum Theologorũ sententia, quòd scilicet beati vident in verbo omnia, quæ ad suum spectant statum, non formaliter, sed causaliter, id est, reuelantur quãdo oportet. beatitudo ergo non cõsistit in visione actuali, sed in habituali.

Solutio quæstion.

¶ Huic quæstioni respondetur, impossibile esse beatitudinem in habitu esse constitutam. probatur primò. Nullus ex eo quod potest operari, bonus est, aut beatus; habitus enim facultatem tantùm tribuit operandi. non ergo in habitu sita est beatitudo. Deinde, habitus, medium quoddam est inter potentiã, & actum; & actus est finis ipsius habitus. Ideo enim habitus studiosos comparamus, vt studio se operemur. Tandem, habitus inueniuntur in dormientibus, & in hominibus magnis calamitatibus oppressis, in quibus non est beatitudo. Beatitudo ergo nõ in habitu, sed in actu est cõstituenda.

Aristot.

Argumenta sunt ex Aristot. desumpta 1. Ethic. c. 6.

Ad primũ.

¶ Argumentis in oppositum adductis, respondetur. Ad primum dico, quod etsi verum illud sit, habitum, ratione adducta in argumento, perfectiorem esse actu, at actus multis alijs de causis potior est, & perfectior: est enim finis habitus, actuatque ipsum, estque tandem vltimi finis consequutio.

Ad secundũ

¶ Secundo argumento respondetur, negando opera illa, in argumẽto adducta, esse libera, quin potiùs dico, beatos necessitari in visione Dei, & fruitione, quod vel ex hoc solo verum esse conuincitur: quia alioqui beatitudo nostra in habitu, & non in actu consisteret. Quomodo autem opera Christi Domini fuerint meritoria, nostrum præsentis operis excedit institutum.

Ad tertium

¶ Tertio argumẽto respondetur, sententiam illam non esse probabilem, licèt eam asserat Caiet. 3. p. q. 10. arti. 2. Deinde, concesso sententiam illam esse probabilem, nil concludit contra nostram sententiã; hæc enim opinio loquitur de reuelationibus particularibus, quæ beato fiunt; cum hoc verò rectè cohæret, visionem Dei, & fruitionem esse immutabilem, & inuariabilem, in æternumque eandem permansuram, &c.

Caietan.

Tert. quæst. Vtrũ visio beata à solo Deo producatur.

¶ Tertia quæstio huius articuli est; Vtrũ operatio beata, in qua beatitudo nostra sita est, producatur à solo Deo, an potiùs intellectus, & voluntas beatorum ad eam efficienter concurrãt. Et vt rectam & explicitam disputationem instituamus, quæritur specialiter; Vtrùm visio beata à solo Deo producatur, nostro intellectu merè passiuè se habente. Suadetur pars affirmatiua his argumentis.

Parsaffirmatiua probatur.

Primò.

¶ Primò, visio beata superat facultatem naturæ creatæ; est enim supernaturalis, & quantum ad substantiam, & quantum ad modum, vt docet sana & catholica doctrina de actu charitatis, spei, & fidei, etiam in hac vita; nulla ergo creatura potest eam efficere.

Secundo

¶ Præterea, anima nostra merè passiuè se habet ad virtutes infusas; quod ex definitione virtutis infusę satis constat. Est enim virtus infusa, bona qualitas mentis, quam Deus in nobis, sine nobis operatur. ad beatitudinem ergo anima nostra merè passiuè se habebit: beatitudo enim excellentius donum est, & diuinitus infusum.

Tertio.

¶ Præterea, si anima nostra concurrit efficienter ad visionem beatificam, consequens est, quòd anima seipsam beatificaret, beatamque efficeret: producit enim operationem, in qua beatitudo consistit. Sequitur præterea, posse beatos sistere à sua beatitudine; possunt enim ab actionibus, quas ipsi producunt, cessare. Quod si respondeat aliquis, beatos in suis operationibus necessitari, hoc certè est maximum argumentum, operationem beatificam ab extrinseco produci. Si enim beatus, beatam visionem produceret, certè liberum ei esset operari, vel non operari: intelligimus enim & amamus, cùm volumus.

Quarto.

¶ Deinde, si intellectus beati producit visionem beatificam, consequens est eum, qui melioribus præditus est naturalibus, perfectiorem beatitudinem habere, licèt sit meritis inferior; sicque angelus beatior erit beatissima virgine, & quàm anima Christi Domini: quod asserere, ab omni Theologia, & fide Christiana alienum est.

Quinto.

¶ Quintò probatur. Nam intellectus perfectior producit visionem perfectiorem. Angeli autẽ natura sua perfectiorem habent intellectum ipsis hominibus. ergo saltẽ consequẽs est, quòd si duo essent in meritis æquales, cęteraq; omnia es-

sent paria, eum qui perfectiore polleret intellectu, perfectiùs Deum videre; quod à vera Theologia est maximè alienum. ¶ Præterea, si intellectus noster producit visionem beatificam, vel mediante aliqua specie creata, vel absque aliqua specie intelligibili: primum dici non potest; nulla enim species creata potest Deum repræsentare sicuti est: nec verò secundum, quia intellectus animæ nostræ in genere intelligibilium est veluti tabula rasa, in qua nihil est depictum, & pura potentia, indifferensque ad hoc, vel illud intelligendum. opus ergo habet specie intelligibili ad hanc visionem producendam.

Sexto.

Minoris momenti argum. Rom. 6.

¶ His argumentis alia solent addi minoris ponderis & momenti, quale est illud. Beatitudo, gratia est, iuxta illud Roman. 6. Gratia Dei, vita æterna: gratiâ autem solus Deus confert. ergo & gloriam. cui concinit illud Psalm. Gratiam, & gloriam dabit Dominus. Præterea, meritum est à merente. ergo præmium à præmiante. ergo à solo Deo producitur præmium.

Prim. opin.

¶ De hac quæstione magna controuersia est inter Theologos. Quidam arbitrantur intellectionem nunquam produci ab intellectu efficienter, sed à solo obiecto. Horum opinionem refert Scotus, primo sentent. distinctione tertia, quæstione septima, & Capreol. secundo senten. distinctione tertia, quæstione secunda, explicãs primam conclusionem. & Gregor. Arim. secundo sentent. distinct. septima, quæstion. secũda. Præcipuum argumentum quo hæc opinio confirmatur, hoc est. Si intellectus producit effectiuè intellectionem, consequens est, idem esse agens, & patiens, in potentia, & actu, materiam, & formam, efficiensque respectu eiusdem: hoc autem fieri nulla ratione potest. non ergo producitur intellectio ab intellectu, sed à solo obiecto. Idẽ confirmatur. Aristotel. secundo de anima, capitulo vltimo, & tertio de anima, capit. quarto docet, intelligere, & sentire, esse quoddam pati: intellectus ergo non efficit intellectionem, sed tantùm eam patitur. ¶ Secunda opinio est eorum, qui censent (quicquid sit de alijs intellectionibus) visionem beatificam à solo Deo produci, intellectu beatorũ merè passiuè se habente. hæc opinio est Marsilij tertio sentẽ. quæstione decima, articulo secundo, conclusi. quarta, Ocham primo, distinction. prima, quæstione secunda. Palud. quarto sentent. distinct. quadragesimanona, quæstione prima, articulo secundo, in confirmatione tertiæ conclusionis. Scotus quarto sentent. distinct. 49. q. 11. sub dubio relinquit, Vtrùm noster intellectus ad visionem beatificam se habeat merè passiuè. De voluntate verò certò statuit, eam concurrere efficienter ad fruitionem; aliàs enim non necessariò collocandus esset habitus charitatis in patria, qui tamen secundùm fidem constituendus est. Buridanus 10. Ethicor. quæstione quinta censet Ochami opinionem esse maximè probabilem. ¶ Tertia sententia eorum est, qui censent notitiam omnem produci efficienter à potentia cognoscitiua. Exposuimus hactenus quid alij senserint de hac quæstione, superest vt nostram sententiam his conclusionibus explicemus.

Scot. Capr. Arim.

Aristot.

Secũ. opin.

Marsil.

Ocham. Palud.

Scot.

Buridanus.

Tert. opin.

Aurioris resolutio.

¶ Sit prima conclusio. Sententia prima commemorata, ab omni ratione, & philosophia est prorsus aliena. In primis hæc sententia negat intelligere actionem. esse vitalem; de essentia enim actionis vitalis est, quòd oriatur à principio intrinseco actiuo, teste Aristotel. octauo physicor. & alijs plurimis locis. Diffitetur præterea huiusmodi sententia, intelligere actionẽ esse immanentem; nam re vera si intellectio à solo obiecto producatur, apertum est illã actionem esse transeuntem, quod asserere & Aristo. 9. met. text. 16. & omni philosophiæ aduersatur. Præterea huius sententiæ autores negant axioma illud certissimum Augustin. nono de Trinitate, cap. duodecimo, & secundo de doctrina Christiana, ab obiecto, & potentia pari notitiam: deinde habitus in intellectu existentes, vt prudentia, & ars, producunt suas operationes efficienter, vt constat. ergo etiam intellectus. Consequentia ex eo probatur; quia quicquid producit habitus, producit etiam potentia, in qua habitus situs est. Ea præterea sententia totam videtur subuertere philosophiam: si enim intellectus non producit intellectionem, quorsum requiruntur species ad intelligendum? quorsum oportet phantasmata illustrari, & illuminari? quomodo discurrit homo, ratiocinatur, & meditatur? Videtur denique huiusmodi sententia aliena esse à fide. In Concil. enim Tridentin. Sessione sexta, canone quarto, anathema pronuntiatur aduersus eum, qui dixerit, hominem in opere suæ iustificationis habere se merè passiuè, tanquam organum inanime. execrandus est ergo qui docet, homi nem cùm credit, & cognoscit mysteria fidei, habere se merè passiuè.

Aristot.

Prima Cõc.

Aristotel.

Aristot.

D. August.

no.

Cõcil. Trid

¶ Argumentis huius opinionis respondemus, nullum esse incommodum fateri, idem esse agens, & patiens respectu diuersorum; & cùm Aristotel. ait; intelligere, esse quoddam pati, intelligendum est ratione speciei intelligibilis, quæ recipitur in intellectu possibili, vel ratione obiecti, à quo patitur noster intellectus, mediante intellectu agente: vel etiam ratione intellectionis, quæ in ipso intellectu recipitur, & manet. Illa itaq; sententia, intelligere, est quoddã pati,

Ad argum. Prim. opin.

Quomodo intelligere quoddã pati dicatur.

pati, non facit sensum formalem, sed causalem, id est, intelligere causatur ex passione, qua intellectus noster ab specie intelligibili patitur eam in se recipiens.

nō. Clemen. ad nostrum. ¶ Secunda Conclusio. Sententia secunda periculosa est, & temeraria. Probatur primò, in Clementin. ad nostrum. de hæreticis, sancitum est, esse necessarium lumen gloriæ ex parte nostri intellectus ad videndum Deum. ergo intellectus noster lumine illustratus, concurrit efficienter ad visionem beatificam, aliàs non esset necessarium tale lumen. ¶ Secundò, in Concil. Tridentin. loco suprà adducto, anathema aduersus eum pronuntiatur, qui dixerit, hominem in sua iustificatione se habere merè passiuè, nihilque operari; potiùs ergo pronuntiandum est anathema aduersus eum, qui dixerit, hominem in beatitudine nil operari. ¶ Tertiò, in sacris literis notum est, ac testatum, nostram beatitudinem sitam esse in Dei visione, & amore; sed (vt constat ex naturali ratione) nil aliud est videre, & amare, quàm visionem, & amorem producere: beati ergo producunt amorem, & visionem. ¶ Vltimò, visio, qua beati vident Deum, actio est vitalis; necessariò ergo procedit à principio actiuo intrinseco, quod adeò certum est, vt Deus efficere non possit, quod ego cognoscam, aut videam absque eo, quo producam visionem, aut intellectionem. quod suprà diligentiùs explicauimus.

Cōcil. Trid

nō. ¶ Sciendum tamen est, hanc nostram sententiam ferè esse de fide. Quando enim conclusio aliqua sequitur ex vno principio reuelato, & altero, lumine naturæ noto, est de fide; hæc autem conclusio huiusmodi est, est ergo de fide. Probatur minor. Nam sacræ literæ expressè testantur, beatos videre Deum; vt in illo, Videbimus eum sicuti est. Rursus alio loco. Nunc videmus per speculū in ænigmate, tunc verò facie ad faciem. Sed euidens est lumine naturali, quòd videre nil aliud est quàm visionem producere. beati ergo beatificam visionem producunt.

Dubium. Vtrū possit Deus visionem se solo producere. Capreo. Ad vltimū argu. cōtra 1. conclus. ¶ Quæstio tamen hinc magna oritur; Vtrùm de potentia Dei absoluta possit Deus se solo producere visionem beatam in intellectu beato, nostro intellectu merè passiuè se habēte. Capreol. quarto, distinctione quadragesimanona, quæstione quarta, articulo tertio ad argumenta Durand. arbitratur hoc implicare contradictionem, & repugnantiam: & secundo sentent. distinctione tertia, quæstion. secunda dicit; Deum se solo posse producere qualitatem illam in nostro intellectu, nostrum tamen intellectum nil intelligere posse per illam qualitatē.

Palud. Palud. 4. sentent. d. 44. quæstion. vltima, articulo vltimo, censet Deum imprimere posse nostro libero arbitrio actum intelligendi, vel volendi, libero arbitrio nostro merè passiuè se habente. Huic sententiæ fauere videtur D. Tho. de veritate, quæstion. 10. articul. 11. quo loco docet; Quarundam operationum principium esse in operante, vt videre est in omnibus actionibus agentium naturalium: aliarum verò operationum principium esse extra ipsum operantem, vt in actionibus miraculosis, quarum principium est virtus diuina, in quarum numero collocat visionem beatificam. Hæc sententia placuit doctissimo Magistro F. Francisco Victoriæ, eamque confirmabat hoc argumento. Deus se solo producere potest notitiam illam in nostro intellectu, vt etiam placet aduersarijs. Impossibile autem est, esse notitiam in nostro intellectu, & quod non intelligamus; Deus ergo potest se solo producere visionem beatificam in nostro intellectu. ¶ Ad huius quæstionis expositionem obseruandum est, dum aliquid intelligimus, tria esse in nostro intellectu; primum, speciem intelligibilem ab obiecto productam; deinde verbum, in quo, vt in speculo, resplendet, & videtur. Tertiò, rē ipsam quam per verbum intelligimus. Quibus statutis, dico primò, Deum se solo producere posse intelligibiles species. Secundò dico, Deum se solo posse verbum ipsum producere. Dico tertiò, Deum se solo non posse producere intellectionem: inuoluit enim repugnantiam, & contradictionem, quòd ego cognoscam, & non producam intellectionem. Est enim intellectio vitalis operatio, de cuius ratione intrinseca est, quòd ab intelligente producatur. Intelligere enim, non est speciem, vel verbum producere, sed est tendētia ad rē cognoscēdam, quam Deus solus efficere non potest: est enim vitalis operatio à principio intrinseco originem trahēs. ¶ Ex quo sequitur axioma illud, Quicquid Deus potest facere cum causa secunda, potest facere se solo, intelligēdū esse de causa efficiēti; nō autē de causa formali. Rursus intelligendū esse, quando effectus nō dicit ordinē intrinsecū ad causam efficientem; operatio autē vitalis, qualis est intellectio, dicit ordinem intrinsecum ad principium vitale intrinsecum, à quo, tanquam ex fonte dimanat. Vt quæstionem istam tandem absoluamus, supereſt argumentis in principio adductis satisfaciamus. ¶ Ad quorum primum, admitto operationem beatificam superare omnem vim, & facultatem naturæ; ex quo solum sequitur, hominem ex viribus naturæ non posse producere visionem beatificam; at si adiuuetur lumine supernaturali, poterit eam

Victoria. Tria ad intellectionē necessaria. Autoris resolutio. Quomodo quod Deus facit cū causa secunda possit facere se solo. Ad primum in princip.

producere; quemadmodum calefacere, superat vim aquæ naturalem, si tamen calida sit, calefacere optimè poterit. ¶ Ad secundum respondetur negãdo consequentiam: est enim manifestum discrimen inter habitum & actum. Habitus enim cum non sit vitalis operatio; potest ab extrinseco in subiecto produci; at Dei visio, cùm sit vitalis operatio: necessum est quod à vidente proficiscatur. ¶ Tertio argumento respondetur, huiusmodi locutiones, homo beatificat se, & homo sanctificat se, non esse tam improprias, vt multi arbitrantur, primæ enim Ioannis tertio dicitur, Omnis qui habet hanc spem, sanctificat se. poterit ergo in bono, & catholico sensu admitti; hominem se beatificare; non quòd sit autor præcipuus beatitudinis, sed simul cum gratia Dei concurrendo. Respondetur secundò, animam nostram verè, & propriè non se beatificare, ea enim res sola nos beatificat, felicesque reddit, quæ omnia nostra desideria complet: huiusmodi autem res, solus est Deus. His tamen nihil obstantibus verè, propriéque fateri possumus, animam nostram actiuè concurrere ad suam beatitudinem producendam; sicut in prima iustificatione, cùm homo ex impio, fit iustus, homo peccator actiuè concurrit ad suam iustificationem, vt sancitum est in Concil. Tridentin. Sessione sexta, ca non. quarto, at homo peccator non se iustificat, sed Deus illum iustificat: quod explicatur exemplo satis accommodato. Certum est enim discipulum non se docere, sed à magistro doceri; nihilominus tamen discipulus concurrit actiuè ad doctrinam suscipiendam, discurrendo, ratiocinando, vnum ex altero colligendo. ¶ Quarto argumento respondetur, beatos nõ posse cessare à Dei visione, & amore; necessitantur enim ad huiusmodi opera omni ex parte, & quantum ad speciem actus, & quo ad eius vsum & exercitium. Hinc verò non sequitur, intellectum, aut voluntatem non concurrere efficiẽter ad visionem, aut amorem producendum: demonstratio enim euidens, conuincit intellectum vt necessariò assentiatur conclusioni, ex hoc tamen non sequitur, intellectum non concurrere efficienter ad conclusionis assensum. ¶ Ad quintum argumentum respondet Cardinalis Caietanus, tertia parte, quæstione decima, articulo quarto, & 2.2. quæstione vigesima quarta, articulo septimo, admittendo illud consequens, nec vllum censet incommodum, intellectum, ex sua natura meliorem, cum æquali lumine gloriæ clariorem producere Dei visionem. Nec hoc iustitiæ diuinæ distributiuæ aduersatur, quæ reddit vnicuique quod suum est: hic enim visionis excessus non oritur ex lumine gloriæ sed ex natura intellectus, cum lumine gloriæ concurrentis. Hæc tamen Caietan. opinio vno omnium ore explosa est; idcoque alia via est nobis pergendum. Dicimus enim, cùm operatio beatifica sit supernaturalis, eius dispositio non erit vis aliqua naturalis, sed supernaturalis, cuiusmodi est lumen gloriæ: quantò igitur perfectius fuerit lumen gloriæ, tantò perfectior & clarior erit visio beatorum. Ex quo sequitur, beatissimam Dei genitricem, semperque virginem Mariam inter omnes puras creaturas primatum in beatitudine obtinere; collatum enim ei fuit præstantissimum lumen gloriæ. ¶ Sequitur etiam, quòd si lumen gloriæ animę Christi collatum, alicui angelo conferretur, non ideo perfectiùs Deum ipsum videret; cuius contrarium censet Caietanus loco superiùs adducto. explicatur hoc exemplo subiuncto. Si ęqualis calor reperiretur in aqua, & in vino, æqualis certè sequeretur calefactio; calefactio enim calorẽ sequitur, non naturam aquæ, vel vini. Eadẽ prorsus ratione, si æquale lumen daretur angelo, & animæ, æqualis sequeretur visio. ¶ Sexto argumento respondetur, visionem beatam non fieri per speciem creatam; sed Deum Optim. Max. vniri intellectui beatorum tanquam speciem intelligibilem, concurrereque efficienter cum intellectu nostro ad visionem beatificam producendam, qua de re disputat Diuus Thomas, prima parte, quæstione duodecima, articulo secundo. ¶ Alijs leuioribus argumentis respondeo, atque ad primum dico, illam Diui Pauli sententiam, Gratia Dei, vita æterna, indicare nobis, fontem à quo dimanat vita æterna, esse gratuitum Dei donum, ad hanc tamen vitam beatam concurrere hominem actiuè, tum merito suorum bonorum operum, tum etiam producendo operationem, in qua beata vita consistit, de qua Pauli sententia differit doctissimè Augustin. epistol. 105. & 1. libr. de gratia & libero arbitrio cap. 8. vsque ad 11. ¶ Ad secundum argumentum, concedo præmium esse à præmiante, ex hoc tamen non sequitur intellectum nostrum non producere visionem beatificam; veluti si cęco concederetur in præmiũ sui operis visio, potentia visiua certè visionem produceret. Hoc igitur argumentum tantum suadet, præmium ex munere, & gratia Dei nobis prouenire, quod nos libenter fatemur; cui simile est illud Psalmi. Qui coronat te in misericordia, & miserationibus, &c.

Ad secundũ

Ad tertium Vtrũ anima beatificet se

1. Ioan. 3.

Cõcil. Trid

Ad quartũ.

Ad quintũ Caiet.

Perfectior visio beatifica ex maiori lumine gloriæ pensanda est.

Ad sextum.

D. Thom.

Ad alia arg.

D. Augustin.

ARTIC. TERTIVS.

¶ Vtrũ beatitudo in operatione sensus consistat.

SVM-

SVMMA TEXTVS.

Prior Cõcl. PRior Conclusio est negãs. Etenim nostra beatitudo cõsistit in cõiunctione ad bonũ increatum, cui per operationem sensus coniungi non possumus. Ergo in parte sensitiua essentialiter non est sita beatitudo; maximè, quia in corporalibus bonis beatitudo nõ consistit, sed in spiritualibus, ad quę bona per operationem sensus non attingimus.

Posterior Conclusio. ¶ Posterior Conclusio. Operatio sensus antecedenter, & consequenter potest ad beatitudinem pertinere. Antecedenter quidem, quia ad operationem intellectus, requiritur sensus: nihil enim est in intellectu, quin prius fuerit in sensu. Consequenter verò in alio statu, cùm post resurrectionem ex ipsa beatitudine animę fiet quędã redundantia in corpus, & in potẽtias sensitiuas, vt in suis operationibus perficiantur.

EXPLICATIO ARTICVLI.

D.Tho. D.August. QVæstionem huius articuli explicat D.Thomas 1.p.q.12.articul. 3. & D. August. Epistola 111. & 112. nos tamẽ breuiter ab hac quęstione nos expediemus. ¶ In hoc articulo est illa quæstio disputanda. Possit ne Deus sensu aliquo interiori videri? Suadetur pars affirmatiua his argumẽtis.

Vtrũ possit Deus sensu interiori cognosci. Prim. argu. ¶ Primò, sensus interior potest habere notitiã abstractiuam Dei. ergo & intuitiuã. Antecedẽs probatur, tum primo, quia appetitus sensitiuus dolet de peccato, vt est Dei offensa: luget enim aliquis & plorat, ex eo solũ, quia Deũ offendit. in appetitu ergo sensitiuo est timor, & offensi Dei cognitio.

Secundum. ¶ Tum secundò, quia in appetitu sensitiuo collocantur virtutes infusæ, temperantia, & fortitudo, quæ ex sententia Theologorũ regulantur diuinis regulis, versanturque circa Deum, quo maximè discernuntur à virtutibus adquisitis, pari modo ergo sensitiua attingit Deum ipsum.

Tertium. ¶ Præterea, sensus interior habet notitiam rerum insensibilium: quod verum esse hoc argumento conuinco. Ouis enim per æstimatiuam cognoscit matris amicitiam, & lupi inimicitiam: ergo.

Quartum. ¶ Deinde, res corporea virtute diuina potest eleuari, vt agat in spiritum; vt videre est in Sacramentis, quæ corporea cùm sint, agunt in animam: vnde est illa celebris August. sententia.

D. August. Quæ est ista tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat? Potentia ergo sensitiua, licèt corporea sit, poterit eleuari vt spiritum videat.

Vltim. ¶ Vltimò, si sensus interior non potest Deum videre, maximè ex eo, quia Deus in infinitum potẽtiam sensitiuam excedit, hoc autẽ nil prohibet, quò minus sensus interior Deum possit intueri: intellectus enim creatus in infinitum à Deo elõgatur, cùm tamen illustratus lumine gloriæ Deum ipsum intueatur, &c.

Deus nõ potest sensu exteriori percipi. ¶ In huius rei expositionem sit Prima Conclusio. Deus non potest percipi sensu aliquo exteriori: Deus enim non est visibilis, non audibilis, non odorabilis, non gustabilis, nec tangibilis: nullo ergo sensu exteriori percipi poterit. Probatur consequentia; istæ enim sunt omnes sensibilium differentiæ.

Deus nõ potest sensu interiori videri. ¶ Secunda Conclusio. Nullo sensu interiori potest Deus cognosci. Probatur primò hæc conclusio. Obiectum sensus interioris est res materialis, & corporea; Deus autẽ res est immaterialis, & incorporea; Deus ergo nullo sensu interiori percipi poterit. Secundò, Deus est spiritus, & à corpore minimè dependens: virtus autem sensitiua corporea est, & in organo corporeo existens. Deus ergo nullo sensu interiori poterit percipi.

Victoria. ¶ Inquiret tamen aliquis, Poterit ne esse in sensu interiori notitia connotatiua, & abstractiua Dei, sicut habet cæcus de coloribus? Doctissimus Magister, & nunquam satis pro dignitate laudatus F. Franciscus Victoria propter adducta superiùs argumenta id fieri posse arbitrabatur: nullam tamen posse dari notitiam intuitiuam in sensibus interioribus ipsius Dei. In huius dubij explicationem sit Tertia Cõclusio.

Sensus interior nõ potest Deum cognoscere. ¶ Sensus interior nulla ratione potest Deum cognoscere. probatur hæc conclusio. Primò, potentia nulla virtute potest eleuari extra latitudinem sui obiecti; neq; enim potest visus sonum videre, aut auditus colorẽ percipere. at obiectum potentiæ sensitiuæ est res materialis, & sensibilis. nulla ergo virtute poterit eleuari vt rẽ immaterialem percipiat. Confirmatur. cæcus enim notitiam illam, quam habet, non habet per visum, sed vel per sensum communem, cuius officium est differentias rerum sensibilium

percipere; vel per intellectum, cuius munus est veritates omnes percipere. ¶ Secundò, perfectissima Dei cognitio, quam habemus in hac vita mortali constituti; est per effectus: si ergo virtus sensitiua potest hoc pacto Deum cognoscere, æquabitur certè intellectui. ¶ Dicet tamen aliquis; Quidditas rei materialis est obiectū nostri intellectus, autore D. Thom. 1. p. q. 84. ar. 7. nihilominus eleuatur intellectus noster virtute diuina ad Deum videndum, qui est omnino immaterialis: licèt ergo obiectum potentiæ sensitiuæ sit res materialis, virtute diuina eleuari poterit, vt percipiat rem immaterialem. Huic obiectioni dicendum est, quidditatem rei materialis, esse obiectum nostri intellectus motiuū; nihil enim in intellectu, quin priùs fuerit in sensu. Est præterea obiectum terminatiuū nostri intellectus: quicquid enim cognoscitur à nostro intellectu, vel est res materialis, vel habens aliquem ordinem ad rem materialem. Ex quo efficaci conuincitur argumento, Deum ipsum, aut angelum, non posse ab intellectu nostro quidditatiuè cognosci. Dicimus deniq́; quidditatem rei materialis, esse obiectum proprium nostri intellectus; obiectum autem commune, & adæquatum, ens, & verum. Argumento igitur respondemus, nostrum intellectum cognoscere res materiales, ex quibus per discursum, & ratiocinationem Deum ipsum, tanquã illarum autorem cognoscit, quod discursus genus, potentiæ sensitiuæ conuenire non potest. Quod si rursus vrgeat quis; cogitatiua in homine (ex sententia D. Thom.) ratiocinatur, & discurrit, quæ tamen est potentia sensitiua: poterit ergo per huiusmodi discursum Deum cognoscere. Respondetur, cogitatiuam in homine discurrere circa res materiales, & corporales, non autem circa res spiritales, &c.

¶ Quarta Conclusio. Præsupposita cognitione Dei ex parte intellectus, æstimatiua in homine potest concipere timorem, & amorem erga Deum, licèt ad partem spectet sensitiuam; vt ouis suppositā cognitione matris, & lupi, concipit nonnullam rationem amicitiæ, & inimicitiæ. Probatur hoc verum esse. Ad has operationes non sunt necessariæ species sensibiles; non enim versantur circa res sensibiles, poterit ergo æstimatiua in homine timorem, & amorem erga Deum concipere, licèt huiusmodi res nullo sensu exteriori possint percipi.

¶ Quinta Conclusio Ex æstimatiua talis dolor aliquando in sensu oritur, vt lachrymas sæpe excutiat. Probatur hoc vnico argumento. Appetitus sensitiuus ab æstimatiua mouetur, poterit ergo in appetitu sensitiuo huiusmodi dolorem generare.

Obiectio. D. Thom. Solutio. Quarta Conclusio. Æstimatiua potest Deū amorem cõcipere. Quinta Conclusio. Ex æstimatiua aliquando in sensu oritur dolor.

¶ Argumentis superiùs adductis iam satisfaciamus: ad quorum Primum respondetur negando antecedens; de dolore enim appetitus sensitiui plura satis à nobis dicta sunt: de virtutibus verò infusis, quæ in appetitu sensitiuo collocantur, dicimus in primis, temperantiam versari circa delectationes gustus, & tactus moderandas: Fortitudinem verò circa timores, & audacias. Dicuntur verò virtutes infusæ, quia regulis diuinis regulantur, & rationibus supernaturalibus, fide scilicet, & prudentia infusa. Cognitio itaque, qua prædictæ virtutes regulantur, in parte intellectiua est, nõ sensitiua: munus autem appetitus sensitiui nil aliud est, quàm parere, & obedire. ¶ Ad secundum ex his, quæ in quarta conclusione dicta sunt, patet quid sit dicendum. ¶ Tertio argumento respondetur, nõ esse supra vires potentiæ corporeæ eam agere in spiritum, vt videre est in corpore humano, quod agit in animam; est tamen supra vires potentiæ cognoscitiuæ, eam eleuari extra latitudinem sui obiecti. Respondetur secundò, cũ corpus agit in spiritum, comparatur potẽtia corporea ad spiritum, tanquam causa efficiens ad suũ effectum: ideoque virtute diuina eleuari poterit ad quemcunq; effectum, etiam spiritalem. Cæterùm potentia sensitiua comparatur ad obiectum, tanquam ad formam; cùm autem Deus non possit supplere vices causæ formalis; non enim potest facere album, sine albedine; sequitur nulla ratione eleuari posse potentiam sensitiuam extra latitudinem sui obiecti. Tertiò respondetur, quòd cùm cognitio omnis per assimilationem fiat, quemadmodum corpus non potest fieri spiritus, ita etiam potentia corporea non potest eleuari vt spiritum videat. Respondeo vltimò, quando corporeum instrumentum eleuatur virtute diuina, vt agat in spiritum, exercet suam operationem corpoream circa corpus, quam non potest exercere circa spiritum; ignis enim nullum potest immittere calorem in spiritum; aqua etiam baptismi ablutionem exteriorem circa corpus tantùm exercet; animam verò abluit non virtute propria, sed virtute à Deo sibi communicata. Ex quo fit, potentiam sensitiuam non posse eleuari vt videat spiritum; operatio enim sensitiua, corporea est, quæ circa spiritum exerceri non potest. ¶ Vltimo argumento respõdetur, duobus modis obiectum excedere virtutem potentiæ; vno modo, quando continetur intra obiectum potentiæ, superat tamen potentiam propter suam perfectionem, & potentiæ imbecillitatem: quomodo oculum vespertilionis lumen solis excedit. hic tamen excessus potest à Deo suppleri, confortando potentiam. Alio modo

Argument. solutio. Ad primum. Ad secundũ. Ad tertium. Ad vltim.

modo obiectum excedit potentiam, quando non continetur intra obiectum potentiæ; quem excessum Deus non potest supplere: nō enim potest visus eleuari vt sonum videat, neque auditus vt percipiat colores; potentia enim in suum obiectum solum ferri potest, quomodo Deus superat potentiam sensitiuam.

¶ Vt secundā conclusionē explicemus, quomodo scilicet potentiæ sensitiuæ perficiantur in suis operationibus post resurrectionem, est quæstio disputanda: Vtrùm omnes sensus suas exerceant operationes in vita beata post corporum resurrectionem? Quæstio est scitu digna, & quæ à nemine ferè rectè, & vt par est, explicatur. ¶ A parte negatiua sic disputo. Primò, cessante motu cœli naturali, consequenter omnis motus, & alteratio corporea cessabit: tūc autē cessabit motus cœli, vt patet: cessabunt igitur omnes sensuum omnium operationes: operatio enim sensitiua, quædam alteratio est. ¶ Secundò, omnes operationes sensuum post resurrectionem superuacaneæ erūt: in hac enim vita sunt necessariæ sensuum operationes, vt intellectui famulentur, qui in suis operationibus à sensibus dependet: nihil enim est in intellectu, quin priùs fuerit in sensu. At in vita beata intellectus non dependebit à corpore, vt sæpe fatetur Diuus Thomas. ergo operationes sensitiuæ in vita beata otiosæ erunt. ¶ Tertiò, beati sunt omnino impassibiles: sentire autem est quoddam pati; autore Aristotel. secundo de anima. non ergo sentient in actu. ¶ Quartò, immutatio naturalis præcedit immutationem animalem, sicut esse naturale præcedit esse intentionale. Corpora autem glorioſa, ratione impassibilitatis, non immutabuntur mutatione aliqua naturali. Ergo nec mutatione animali, quæ requiritur ad sentiendum. Hæc argumenta conuincunt, nullum sensum in vita beata post resurrectionem habiturum aliquam operationem; sigillatim tamen de sensibus exterioribus idem est ostendendum. ¶ In primisque visum non habiturum suas operationes, hæc argumenta suadent. Species visibiles multiplicari nō possunt, nisi per aërem, aut per aliquod corpus diaphanum, quod sit transparens. Sanctorum autem locus & habitatio est interna pars cœli, quæ solida est, aut opaca, vt stellæ testantur, quæ nisi opacitatem haberent, non possent solis radios, quos suscipiunt, reflectere. Non ergo apparet quomodo per cœli medium species visibiles multiplicentur. ¶ Præterea, vt visio fiat, necessum est species in oculi pupilla recipi; hoc autem fieri non potest; excellens enim lumen obstaculo erit ne species in oculo recipiantur. Experientia enim compertum est, eximium lumen in speculo impedire, ne per species obiecti, in ipso receptas, ipsum earum obiectum videatur. ¶ Deinde, si beati oculis suis vident, præsertim (vt par est) videbunt Christum Dominum; at non vident omnes Christum Dominum, cùm aliqui ab eo maximè distent, & corporalis distantia visionem impediat. ¶ Iam verò videtur certè quod neque Christus Dominus aliquid videat corporali visione, & quòd nullus beatorum videat Christum. Quod verò hoc rectè sequatur, probatur: quia visio fit per medium diaphanum; at Christus Dominus, secundùm corpus, est supra cœlos omnes, sic, quòd planta pedis eius est supra superficiem conuexam supremi cœli (vt docet Diuus Thom. tertia parte, quæstione quinquagesimaseptima, articulo quarto) in quo loco non est diaphanum. nulla ergo erit ibi corporalis visio. Certè per vacuum species visibiles multiplicari, & diffundi nequeunt: at supra superficiem conuexam supremi cœli locus non est, sed vacuum. ergo non est spatium, per quod species visibiles ad oculos deferantur; & sic visio non erit. ¶ Sed de auditu magna versatur quæstio, quomodo in vita beata suas functiones habebit. Nam vocalis sermo, qui potissimè in vita beata audiri debet, non intelligitur quomodo fiat, nisi aëris verberatione, qui in cœlō non est. Item, neque fieri potest in corpore solido, quod incidi nequeat: Vox enim multiplicatur per motum; at verò corpus cœleste scindi non est possibile. Item vox, vt habetur secundo de anima text. 90. fit ex aëre verberato vsque ad arteriam, sed ibi aër non est. Quod si dicas aërem pulmonis ministrare materiam, ex qua voces formentur, non vides te incidere in magnum incommodum? nam ille est necessarius ad vitæ subsistentiam; non ergo debet consumi in vocum prolatione. Insuper si deseruit ad formationem vocum, tandem consumeretur, & desineret esse si multos miscerent sermones, & sic loqui non poterunt beati, neque voces audire. ¶ De olfactu etiam fiunt argumenta. Nam odor non emittitur, nisi per effumationem, & euaporationem, vt apud nos apparet: euaporatio verò, seu effumatio, est quædam corruptio; at post diem iudicij nulla amplius erit corruptio. ¶ Repetitur etiam illud argumentum de aëre: nam hæc euaporatio non potest fieri, nisi per aërem; at ibi aër non est, neque verò corpus per quod odores diffundantur. ¶ De gustu sic arguitur. Nam talis sensus deseruit potentiæ nutritiuæ:

Vtrùm omnes sensus in beatitudine suas exerceāt operationes.

A parte negatiua arguitur.

Primo.

Secundo.

Tertio.

Aristot.

Quarto.

De exteriorib⁹ sensibus in particulari probatur hoc ipsum.

Primo.

Secundo.

Tertio.

Quarto.

De auditu.

Aristot.

De olfactu.

De gustu.

operationes verò potentiæ nutritiuæ in corpore glorioso locum non habebunt. Deinde certum est, quod illic (vt inquit Christus Dominus) neque nubent, neque nubentur, neque erit cibi, potusue vsus; quia neque erit animalis vita: & cum sapor non propter se à natura fuerit institutus, sed propter necessitatem cibi, & potus, igitur illa necessitate cessante, nullus illic erit sapor. De tactu. ¶ Iam verò de tactu dubium est; quoniam species tactiles sumuntur ex frigiditate, caliditate, & humiditate, & siccitate, quę sunt res tangibiles; at prædictæ qualitates post diem iudicij non erunt. Ad hæc, passionem intentionalem præcedit realis passio, quando tactu aliquid percipimus; sed passio realis, & naturalis in corpore glorioso non erit. ergo neque intentionalis. Ex dictis sequi videtur, quòd in vita beata neq; erit operatio sensuũ interiorum; nã sensus interiores ab exterioribus dependent. ergo istorum operatione de medio sublata, etiam illi ab operatione cessabunt. Soto. ¶ Hanc quæstionem latissimè disputat Soto. 4. d. 49. q. 4. art. 5. in cuius rei expositionem est primum assertum. Quod in hac re nil temerè est definiendũ; nam neque excogitare possumus quæ in vita beata nos manent. Vnde D. Augustin. lib. 22. de ciuitate Dei cap. penultimo hanc quæstionem inuestigans sic exorditur. Nunc iam quid acturi sint in corporibus mortalibus, atque spiritalibus sancti, non adhuc eorum carne carnaliter, sed spiritualiter viuente, quantum Dominus dignatur adiuuare, videamus. Et illa quidẽ actio, vel potiùs quies, atque otium, quale futurum sit, si verum velim dicere, nescio: non enim hoc vnquam per sensus corporis vidi. Si autem hoc mente, id est, intelligentia vidisse me dicam, quantum est, aut quid est nostra intelligentia ad illam excellentiam? sed videamus nos pro modo nostro, quomodo sensus corporei suas functiones in vita beata sint habituri. ¶ Pro quo sit secundum assertum. Omnes sensus, tam interni, quàm externi, habebunt suas operationes in vita beata post corporum resurrectionem. Omnes sensus in vita beata habebunt suas operatiões. Hoc esse verum, probat doctissimus Pater Soto, in loco dudum citato per singulos sensus discurrendo: sed nos in vniuersum rem demonstrabimus, & paucissimis quidem argumentis. ¶ In primis, damnati homines, & miseri in omnibus sensibus cruciantur, vt habet sana doctrina. ergo beati in omnibus sensibus delectãtur; Deus enim pronior est ad præmiandum, quàm ad puniendum. ¶ Deinde, potentia perfectior est coniuncta suo actui, quàm si sit separata ab actu. Sed vniuersa natura cum omnibus potentijs animæ erit in vita beata perfectissima. ergo erit omnibus sensibus, & eorum operationibus ornata. ¶ Præterea, in vita beata omne desiderium naturale saturatur, & impletur: at potentiæ animæ sensitiuæ naturaliter tendunt in sua obiecta. ergo hoc naturale desiderium adimplebitur, vt percipiant sua obiecta. ¶ Ad hęc D. Augustin. in epistola. 56. ad Dioscorum apertè docet istam sententiam; scribit enim quòd ex affluentia essentialis beatitudinis, promanabit ad corpus, & ad sensus corporeos, vt magis in suis operationibus perficiantur. Certè beati eo modo resurgent, quo ipse Christus resurrexit à mortuis. Sed Christus Dominus à mortuis resurgens habuit vsum omnium sensuum; vidit, audiuit, palpauit, gustauit, &c. & haud dubiè modò habet omnium sensuum operationes. ergo beati, qui in Christo sunt, habebunt omniũ sensuum operationes. ¶ Quòd verò beati eo modo resurgent, quo Christus resurrexit, sic ostendo. Primùm ex illis scripturis, quæ dicũt, Christum Dominum esse primogenitũ ex mortuis, siue mortuorum, ad Colloss. 1. Apoc. 1. & 1. Cor. 15. Si enim Christus Dominus est primogenitus, & electi sunt secũdogeniti ex mortuis: ergo electi in Christo similiter erunt secundũ naturam, quæ accipitur ex regeneratione ex mortuis. ¶ Secundò idem ostenditur ex scriptura, 1. Thess. cap. 4. quæ dicit, quòd ita Deus eos, qui dormierunt per Iesum, adducet cũ eo. ergo simili modo resurgent. ¶ Tertiò ex scriptura ad Philip. 3. quæ dicit, Christum reformaturum corpus humilitatis nostræ, configuratũ corpori claritatis suę. ¶ Quartò ex ea scriptura, quæ dicit, qualis cælestis scilicet Christus resurgens, tales & cælestes: & sicut portauimus imaginem terreni, ita & portabimus imaginem cælestis. ¶ Quintò ex eo Apostoli; Si complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus. & 1. Ioã. 3. Cùm apparuerit, similes ei erimus.

D. Augustin. Colloss. 1. Apoc. 1. 1. Cor. 15. 1. Thess. 4. Phil. 3. Paulus. 1. Ioan. 3.

¶ Tertium assertum. Sensus, qui in suis operationibus perficiuntur, in vita beata recipiunt species sensibiles ab obiecto, sicut dum hanc vitam viuimus. Hæc assertio nostra explicat modum, quo beati perficientur in operationibus sensitiuis; nam de modo non inter omnes conuenit. Dicunt enim quidam, quòd sensationes in corporibus glorioſis non fiunt per susceptionem specierum ab obiecto; quia sunt impassibiles, & non valent recipere peregrinas impressiones, sed vel extrà mittendo; vel dicũt, sensus exteriores ab internis suscipere species vice versa, quomodo interiores ab exterioribus eas suscipiunt. Nos verò decernimus, quòd suscipiunt species ab obiecto; quoniam potentiæ sensitiuę non mutabunt naturam suam: sunt autem potentiæ sensitiuæ, non quidem actiuæ, vt extrà mittant,

Sensus inuita beata recipient species sensibiles ab obiecto.

mittant, ſed paſsiuæ, vt intùs ſuſcipiant, idque reſpectu ſuorum obiectorum. Igitur neque ſentire, niſi per ſuſceptas ſpecies poſſunt; neque illas, niſi à ſuis proprijs obiectis ſuſcipere. Deinde, quòd receptio ſpecierum fiat ex obiecto, patet euidentiùs. Nam Ariſto. in lib. de anima hoc ait diſcrimen verſari inter obiectum intellectus & obiectum ſenſus; quòd obiectum intellectus ſit intra animam; obiectum verò ſenſus extrà, in reipſa.

Ariſtot.

¶ His explicatis & cõſtitutis ad argumẽta ſatisfaciendũ eſt. Ad primũ dicendũ ex D. Th. de potẽtia q. 5. arti. 8. quòd actio cõpetens corpori duplex eſt: altera, ſecũdũ proprietatẽ corporũ, vt ſcilicet agat per motum; hoc enim proprium eſt corporis, vt motum moueat, & agat: aliã autem actionem habet ſecundum quod attingit ad ordinem ſubſtantiarum ſeparatarum, vt participat aliquid de modo ipſarum, ſicut naturæ inferiores participant aliquid de natura ſublimiori, vt apparet in quibuſdam animalibus, quę participant aliquam ſimilitudinem prudentiæ, quæ propria eſt hominũ. Hæc autem eſt actio corporis, quæ non eſt ad tranſmutationem materiæ, ſed ad quandam diffuſionem ſimilitudinis in medio, ſecundùm ſimilitudinem ſpiritualis intentionis, quæ recipitur de re in intellectu, vel in ſenſu; & hoc modo ſol illuminat aërem, & color ſpeciem ſuam multiplicat in medio. Vterque autem modus actionis in iſtis inferioribus cauſatur ex corporibus cœleſtibus; nam & ignis ſuo calore tranſmutat materiam ex virtute corporis cœleſtis, & corpora viſibilia multiplicant ſuas ſpecies in medio, virtute luminis, cuius fons eſt in cœleſti corpore. Vnde ſi actio vtraque corporis cœleſtis ceſſaret, nulla actio in inferioribus remaneret; ſed ceſſante motu cœli, ceſſabit prima actio; ſed non ſecunda: & ideo ceſſante motu cœli, erit quidem actio in iſtis inferioribus illuminationis, & mutationis medij à ſenſibilibus, nõ autẽ erit actio, per quã tranſmutabitur materia, & ſic non erit generatio, neque corruptio. Alteratio verò quæ requiritur ad ſenſationem, non eſt primi generis, ſed ſecundi; & ideo ſenſatio erit in vita beata; & nõ tantùm hæc, ſed etiam motus membrorum, & motus localis, & motus cordis erit in corporibus beatificatis; quia iſti cauſantur ab anima, quæ non dependet à cœlo. ¶ Ad ſecundum dicendum eſt, quod licèt ſenſationes in vita beata non deſeruiunt intellectui, deſeruiunt tamen perfectioni beatitudinis, & ſenſibus, vt in ſuis operationibus perficiantur. Certè eodem argumento probaretur, quod in vita beata nõ oportet fore corpus, quia corpus non deſeruit intellectui: nihil enim minùs videbit Deum anima à corpore ſeparata, quàm coniuncta corpori, de qua re vide Caietan. 12. q. 4. artic. 5. & 3. p. q. 11. ar. 2.

Ad primum D. Thom. Duplex actio competẽs corpori.

Caietan.

¶ Ad tertium argumentum dicendum, quod duplex eſt mutatio, altera naturalis, videlicet quando recipitur qualitas ſenſibilis, ſicut eſt à parte rei extra animam; vt quando recipitur color in ſubiecto; altera eſt intentionalis, vt delicet quando recipitur in anima qualitas ſecundùm eſſe ſpirituale, de quo dicit Ariſtot. 2. de anima, quod ſenſus eſt receptiuus ſpecierũ ſine materia; & hæc mutatio inuenitur in ſenſatione, & ſic nemo patitur per illã paſsione propriè dicta, qualis negatur quod ſit in beatis; ſed paſsione perfectiua, quæ veriſsimè in beatis inuenitur: de hac enim dicitur, quod intelligere, eſt quoddam pati, & ſentire, eſt quoddam pati. & D. Thom. in 4. d. 44. quæſt. 3. artic. 1. q. 2. dicit, quod corpora beatorum non dicuntur impaſsibilia, quia nil recipiunt de nouo; ſed quia nil recipiunt quod illos lædat, aut affligat, ſicut recipiunt corpora damnatorum, quæ ideo dicũtur paſsibilia.

Ad tertium & quartum.

Ariſtotel.

D. Thom.

¶ Ad quartum idem omnino dicendum puto. Ad argumenta de viſu conabimur reſpondere; ſunt enim difficillima. Ad primum dicendum, quod medium, per quod diffunduntur ſpecies vſque ad oculum, nõ eſt ſolummodo aër, neque aqua, ſed etiam quodlibet corpus diaphanum & tranſparens, vt patet in cryſtallo, per quod ſpecies tranſmittuntur vſque ad oculum: cœlum verò tranſparens eſt. quod verò hoc ita ſe habeat, aſſerit Ariſto. 2. de anima, text. 68. vbi ſcribit, quòd medium viſus neque eſt ſolus aër, neque aqua, non enim eis conuenit eſſe medium ad viſum, niſi quatenus aliquid diaphaneitatis corporum cœleſtiũ participant.

Ad argum. de viſu.

Ad primum

Ariſt.

¶ Ad ſecundum argumentum dicito, quod excedens lumẽ non impedit receptionẽ ſpecierum; quia quantò magis medium illuminatur, tantò magis aptum efficitur ad tranſmittendas ſpecies. Exemplum verò de ſpeculo ſimile non eſt; nam quod ſpeculum nimis illumi natum ab excellenti lumine non reuerberet, & emittat ex ſe ſpecies, indè prouenit, quia excedens lumen tollit ab ſpeculo obſcuritatem, quę neceſſaria eſſe videtur vt ſpecies reuerberentur, & perueniant vſque ad oculum; non verò, tollit excellens lumen, quin ſpecies perueniant vſque ad ſpeculum: in pupilla verò lumen non eſt vt ſpecies reuerberentur, ſed vt perueniant vſque ad oculum. Quod ſi requiratur reuerberatio, adhuc poterit fieri, quia excedens lumen in vita beata non tollit obſcuritatem pupillæ, quæ eſt illi connaturalis.

Ad ſecundũ

Ad ſecundũ

¶ Ad tertium dicendum eſt; quod acutiſsima illic erit acies, & acumẽ viſus, plus quàm aquilæ, & ſic nulla ſpatij diſtantia impediet viſionem, vt optimè declarat Augu. lib.

Ad tertium

D. Auguſt.

lib. 22. de ciuitate Dei, capite penultimo.

Ad quartũ. ¶ Ad quartum, quod est difficilè, dicendum arbitror, quòd tunc per miraculum multiplicabũtur species visibiles per vacuum, vsque ad beatorum oculos, vt videant Christum Dominum super omnes cœlos collocatum. ¶ Ad argumenta de auditu dicendum est: ad primum & ad secundum respondet D. Thom. in 2. d. 2. q. 2. art. 2. ad 5. quod soni illi & voces multiplicabuntur per sonoras species, sine motu, atque adeò sine incisione corporis, ad modum quo species visibiliter multiplicantur, sine incisione aëris. Nihilominus adhibet secundam solutionem, quod possunt multiplicari soni per incisionem partiũ cœli empyrei, quod eius ignobilitati non est tribuẽdum, eò quòd factum sit propter beatorum statum, & scinditur impulsione beatorum linguæ. quam solutionem etiã amplectitur Richardus d. 49. art. 4. q. 3. Neque inde infertur (ait D. Thom.) cœlum esse corruptibile; quoniam raritas, inquit, & dẽsitas illius cœli non sunt eiusdem rationis cum eiusmodi qualitatibus, quæ sunt apud nos; & ideo licèt partes cœli, dum discinduntur, cõdensentur, & dum conçurrunt, rarefiant, non ideo corpus est corruptibile. Quod verò attinet ad explicandũ quòd sit medium, per quod species sonoræ diffunduntur, dicendum est ex Aristot. secundo de anima, text. 79. neque est sola aqua, aut solus aër, sed id quod repercussum resilit. ¶ Argumento verò de olfactu facilè est respondere, quod non est de essentia odoris quòd sit euaporatio, aut effumatio; nam vultures à remotissima distantia cadauera olfactu præsentiunt, ad quam fœtoris fumus pertingere nequit. ¶ De sapore verò ita discernit doctissimus pater Soto, vt dicat, ex optimo qualitatum temperamento perinde humorem aliquem perpetuũ inesse illi linguæ, vt diximus odorem etiam in corporibus diffundi; vt beati nullo vsu sensus corporei frustrentur, humor autem ille faciet suauissimum omnium saporem. ¶ Ad vltimum, de tactu, dicendum est, quod beati percipiunt species tactiles absque passione propriè dicta, distemperante corpus, sed recipiunt illas absque aliqua transmutatione naturali, veluti recipiunt species visibiles. Et vt quæstionem paucis absoluam, dico, quod sensus in suis operationibus perficiuntur in vita beata miris modis, sed veris. & hæc de ista quæstione dixisse sufficiat.

Ad argum. de audita. D. Thom.

Richard. D. Thom.

Aristot.

Ad argum. de olfactu.

Ad argum. de gustu. Mag. Soto.

Ad argum. de tactu.

ARTIC. QVARTVS.

¶ Vtrũ beatitudo sit actus intellectus, an voluntatis.

SVMMA TEXTVS.

Prima Cõc.

PRima Conclusio. Impossibile est beatitudinem nostram in actu voluntatis consistere. Itaque in actu intellectus essentialiter consistit. Hæc conclusio probatur nunc leui (quod aiunt) & suspensa manu: in sequentibus enim copiosè demonstrabitur. A principio volumus consequi finem intelligibilem; illum autem consequimur per hoc, quod fit nobis præsens per actum intellectus; in actu ergo intellectus beatitudo nostra consistit.

Secũd. Cõc

¶ Secunda Conclusio. Delectatio voluntatis est quid consequẽs, & velut accidens adiunctum beatitudini iam adquisitę; nam in fine iam adepto voluntas conquiescit, & delectatur.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Aristot.

DE quæstione huius articuli, quæ maxima est, disserit optimè Aristot. 1. & 10. Ethicor. & 12. Meta. Doctores Theologi in 4. d. 49. optimè & copiosissimè. Vt ergo certiori methodo hanc disputationem instituá, obseruare oportet, quòd in beatudine insunt hæc bona, videre Deum, amare, & immensa lætitia animi frui, atque delectari. ¶ Sunt igitur quatuor sententiæ ad inuestigandum, qua in re, ex his commemoratis, beatitudo nostra sit constituta. ¶ Prima sententia dicit, quòd coniunctim in visione, amore, & gaudio. hæc placuit Palud. Durand. Marsil. Richardo, & Maiori in 4. d. 49. ¶ Probatur hæc sententia esse vera. In primis D. August. 13. de Trinitat. c. 5. & 6. dicit. Beatus est, qui habet quicquid vult, & nihil mali vult, & qui rectè vult, quicquid vult. Cui consonat illud Boëtij, Beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus. cui simile est illud D. Paul. Roman. 14. Regnum Dei est iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto. Certè in sacris literis apertissimè asseritur, quod in beatitudine insunt

Tria bona in beatitudine.

Quatuor sententiæ de beatitudinis essentia

Prima. Palud. Durand. Marsil. Richard. Maior.

Primũ argumentum. August. Boët. Roman. 14

sunt vniuersa hæc bona, visio Dei, amor, & fruitio, & in Clemen. ad nostrum. de hæreticis. & in extrauag. Benedict. 12. quam refert fideliter Marsil. in 4. p. q. 13. artic. 3. conclusione 4. dicitur, quod beatitudo in Dei visione, & fruitione consistit. Ergo in aggregatione horum bonorum beatitudo nostra constituenda est.

Cõcil. Vié. Benedic 12. Marsil.

Secundum. Deinde, sola visio, sine amore, & fruitione, beatitudo nostra nõ est: nõ enim nostram cupiditatem satiat. ergo ad beatitudinem hæc vniuersa bona necessaria sunt. ¶ Tertiò, substantia & essentia perfecta hominis in intellectu, & voluntate consistit. ergo in vtroque beatitudo consistit. Probatur antecedens. nam definitio hominis est, quòd sit animal rationale, & liberum, libertas verò est facultas rationis, & voluntatis,

Tertium.

Quartum. vt definiunt Theologi in 2. d. 24. ¶ Quartò, vtraque potentia, videlicet intellectus, & voluntas est beatificabilis. ergo in vtraque nostra beatitudo consistit. Antecedens ex eo probatur, quòd quemadmodum intellectus beatificatur ex coniunctione ad summum verum, ita sanè voluntas beatificatur ex coniunctione ad summum bonum: & quemadmodum intellectus, quocunque verò inuestigatò, non quiescit, donec veniat ad infinitum verum, quod in se omnem veritatem contineat: ita voluntas, quocunque bono adepto, & gustato, nunquã satiatur, donec veniat ad infinitum bonum, quod in se omnem bonitatem contineat.

Vltimum. ¶ Vltimò, homo beatus est, sicuti Deus: Sed Deus est beatus, tum intelligendo, tum amando, tum producendo verbum, tum producendo Spiritum sanctum, qui est amor. ergo homo beatus est, tum videndo, tum amando, & fruendo. ¶ Secunda opinio dicit, quod beatitudo in delectatione consistit. hæc opinio placuit Aureolo in 4. d. 49. & Aristot. 10. Ethicor. c. 2. refert Eudoxum quendam, virum sapientẽ, arbitrantem summum bonum esse delectari; & ipsemet Aristot. mouet hanc quæstionem, vtrũ in beatitudine principaliùs sit visio, aut delectatio, & eam insolutam relinquit. Apparet certè quòd sit delectatio. ¶ In primis D. Augustin. 10. confess. c. 21. dicit in hunc modum; Omnes velle esse beatos, satis constat; omnes namque velle gaudere, satis apertum est, ipsum verum gaudium omnes beatitudinem vocant, & c. 22. beata vita hæc est, gaudere de te, & ad te, & propter te; hęc est, & no est altera, &c. 23. Beatitudo est gaudiũ de veritate. Cui cõsonat illud Euãgelicũ, Intra in gaudium Domini tui, &, Gaudiũ vestrum nemo tollet à vobis. Idem ostenditur optimis argumentis. ¶ Tum, quoniam quòd magis fugimus, & detestamur, est dolor, atque tristitia. ergo quod magis amamus, est iucunditas, & delectatio. ¶ Tum deinde, quoniam finis lapidis est quiescere in cẽtro. ergo finis hominis est quiescere in bono adepto. Quies verò est delectatio, & fruitio. ¶ Tum tertiò, quoadusque veniat delectatio, & animi quies, non quiescit animus. ergo nondum est beatus, neque consequutus est suum finem: consequuto enim fine, quiescimus. ¶ Tum quartò, quoniam delectatio (vt Aristotel. 10. Ethic. cap. 4. ait) perficit operationem, sicut decor iuuentutem: sed perfectio est nobilior perfectio. ergo delectatio est perfectior operatione intellectus, quæ est visio. in ea ergo sita est nostra beatitudo. ¶ Deinde, visio correspondet fidei, fruitio verò, siue delectatio correspondet charitati, quæ secundum D. Paul. 1. Corint. 13. maior est. ergo delectatio excellentior est. ¶ Item, obiectum appetitus sensitiui est delectatio: vniuersa namque bruta operantur propter delectationem; & hic appetitus non est peruersus, sed rectissimè à Deo institutus. ergo operationes sunt propter delectationes. Delectationes ergo meliores. ¶ Vltimò, beatitudo nostra est finis vltimus, & quod vltimo desideratur, & vlteriùs nihil desiderandum superest. Sed delectatio est vltimum quod aduenit beato, & vltrà nihil aliud desiderat. Ergo. Hæc omnia confirmantur. nam beatitudo est fruitio vt affirmat August. innumeris locis, nominatim, 1. de doctrina Christia. capit. 4. & 32. idem asserit D. Tho. apertè 2. 2. q. 18. art. 2. ad 4. fruiverò (vt constat apud omnes) est delectari, & iucũditate affici.

Secunda ratio.

Tertia

Quarta. Aristotel.

Quinta. 1. Cor. 13.

Sexta.

Vltima.

D. August.

D. Thom.

Secũda opinio. Aureoli sententia. Aristot. Eudoxus.

¶ Tertia opinio est Scoti in 4. dist. 49. q. 4. quòd beatitudo in amore consistit. Huius verò opinionis, quoniam varia fiunt in infinitum argumenta illa in pauca prædicamenta conferã.

Scoti opin.

Primum. Prædicamẽtum de perfectione voluntatis.

¶ Primum prædicamentum est de perfectione voluntatis super omnes alias animæ potentias; itaque hoc conficio argumentum. Beatitudo in præstantissima potẽtia sita est: At voluntas est præstantior potẽtia quã intellectus. Ergo in actu voluntatis, & non in actu intellectus sita est. Quod verò voluntas sit præstantior potentia, demonstro in hunc modum. ¶ Tum, quoniam voluntas mouet intellectum, vt constat apud omnes: at in omni genere motus, motor est perfectior mobili. ¶ Tum verò, quoniam ea potentia præstantior est, quæ respicit finem vltimum omnium: at voluntas habet pro obiecto finem vltimum omnium, nempè summum bonum, quod est obiectum voluntatis. ergo est præstantior inter omnes potentias. Maior probatur. Nam inter artes ea est præcipua, & architectonica, quæ respicit finem omnium aliarũ. qua de causa ars militaris, imperat arti equestri;

Primũ arg.

Secundum.

stri; & ars equestris, imperat frænifactoriæ.

Tertium. ¶ Tum deinde, quoniam voluntas est appetitus vniuersalis totius hominis; voluntate enim volumus videre, audire, intelligere. Intellectus verò est appetitus particularis, tributus tantùm homini ad intelligendum. ergo voluntas præstãtior est.

Quartum. ¶ Item, voluntas habet perfectius obiectum quàm intellectus; ergo perfectior est. Consequẽtia inde patet; quoniam nobilitas potentiæ ex obiecto sumenda est. Antecedens probatur; quoniam obiectum voluntatis est bonum in vniuersali; obiectum verò intellectus, bonum particulare, scilicet verum.

Vltimum. ¶ Vltimò, voluntas in libertate perfectior est: dictũ est enim cùm ageretur de libero arbitrio, quod sola volũtas est libera formaliter, per quam homo habet dominium actuum suorum. ergo prorsus perfectior est: nam perfectio hominis, quatenus homo est, in libertate sita est.

Secũd. prædicamentũ de perfectione amoris. ¶ Secundum prædicamentum est de perfectione amoris, ex quo tale educitur argumentum. Beatitudo in perfectissima operatione sita est: sed amor est præstantissima operatio: ergo in amore sita est. Antecedens patet ex illo 1. Corint. 13. Maior horũ est charitas. & ad Colos. 3. Vinculum perfectionis est charitas, & 1. ad Timot. 1. Finis præcepti charitas, & D. Anselm. lib. 2. cur Deus homo c. 1. dicit. Peruersus ordo est amare, vt intelligas, rectissimus verò intelligere, vt ames. ergo vniuersa cognitio ordinatur ad amorem. amor ergo primatum tenet. Idem affirmat Hugo de sancto Vic. super cap. 7. cœlestis hierarch. & ipse Dionys. ibidẽ constituit inter angelos in supremo ordine Seraphim, qui amore ardent, & incensi sunt; in secundo loco Cherubim, qui multitudine scientiæ pollent. Ratio Dionysij est; quia amor in beatitudine primatum tenet. Idẽ dicit D. Thom. 1. p. q. 82. art. 3. & q. 108. articu. 6. ad 3. & de verit. q. 22. ar. 11. vbi demonstrat verã huius rei causam, quoniam amor fertur in Deũ, vt in se est: cognitio verò fertur in Deum, prout est in intellectu nostro. Certum autem est quòd Deus melius esse habet in se, quàm in intellectu nostro. ergo amare præstantius est. Certè D. Thom. in locis commemoratis statuit hãc regulam vniuersalem, quod amor comparatione ad superiora, præeminet intellectioni: comparatione verò ad inferiora, inferior est cognitione. Sed prætermissis autoritatibus idem probatur euidentibus argumentis.

Prima ratio. ¶ Primò, habitus charitatis est præstantissimus inter omnes habitus. ergo actus charitatis præstat inter omnes actus.

Secunda. ¶ Secundò, ea quæ sunt priora acquisitione, & generatione, sunt imperfectiora, vt videre est in embryone, & in animali, respectu hominis. & asserit hoc Aristot. 9. met. Sed visio Dei est prior acquisitione, ex qua consequitur amor. ergo perfectior est amor.

¶ Vltimò, illa operatio est melior, cuius oppositum est peior. habet hoc axioma Arist. 2. top. & 3. Ethi. sed amor Dei opponitur odio Dei, quod est peius, quàm non videre Deum. Confirmatur. Nam licitum est desiderare non videre Deum, vt patet ex illo Apost. Optabam ego esse anathema à Christo pro fratribus meis. at nunquã licet odio habere Deum. ergo deterius est odiũ Dei, quàm non videre Deum. Vlteriùs, licitum est desiderare non videre Deum, vt probatum est. at nunquam licet desiderare nõ amare: hoc enim aduersatur charitati ex omni parte. Charitas enim ad hoc inclinat, vt amemus Deum, & amicum nostrum. ergo peius est non amare, quàm non videre.

Paulus.

Tert. prædicam. de maiori appropinquatiõe Prim. argu. ¶ Tertium prædicamentum est de maiori appropinquatione, & vnione ad vltimum finem, in quo consistit nostra beatitudo. Arguitur ergo. Beatitudo consistit in actũ proximo ad vltimum finem, qui immediatiùs, & perfectiùs attingit vltimum finem. Sed huiusmodi est amor, & non visio. ergo. Minor probatur. Nam obiectum voluntatis est vltimus finis, & summum bonum. Certum est autem quod vnaquæque potẽtia perfectiùs attingit obiectum suum, quàm reliquæ omnes.

Secundum. ¶ Deinde, visio non respicit vltimum finẽ, sub ratione vltimi finis, nec sub ratione boni; sed tãtùm sub ratione veri. ergo in visione nostra beatitudo non consistit.

Confirm. Confirmatur. Nam beatitudo de se est vltimus finis, & summum bonũ. ergo ad eam potentiam pertinet, quæ fertur in vltimum finem sub ratione boni.

Vltimum. ¶ Vltimò, amor est magis vnitiuus quàm cognitio, vt demonstrat D. Tho. infrà q. 28. ar. 1. ad 3. ergo maxima vnio fit per amorem.

D. Thom.

Vlti. prædi. de magis desiderabili. ¶ Vltimum prædicamentum est de magis desiderabili & amabili, ex quo tale fit argumentũ. In eo cõstituenda est nostra felicitas, quod magis amatur, & desideratur. Sed huiusmodi est amor, & non visio. ergo. Minor probatur. Nam vnusquisque magis amat propriam perfectionem, quàm alienam; iuxta illud. Amabile quidem bonum, vnicuique autem proprium. Sed amor est propria operatio, & propria perfectio voluntatis; intellectio verò nõ est propria, sed intellectus. ergo amor est quod magis à nostra voluntate desideratur, & amatur. ergo in eo consistit beatitudo.

Quarta D. Thom. sententia. ¶ Quarta opinio est D. Thom. quod beatitudo in visione Dei consistat; itaque est actus intellectus, & non voluntatis. Hæc sententia sine dubio est verissima, quam demonstro omni argumentorum genere.

Exod. 33. ¶ Primò, hæc sententia est valde consentanea sacris literis Exod. 33. cùm

cùm Moyses vehementer peteret à Domino, vt ostenderet illi faciem suam, respondit Dominus; Ego ostendam tibi omne bonum: ex qua interrogatione, & responsione manifestè liquet, nostram beatitudinem in Dei visione, & manifestatione sitam esse. Cui simile est illud; Psalm. Adimplebis me lætitia cum vultu tuo. & illud; Satiabor cùm apparuerit gloria tua. & iterum; Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus, &c. &, Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini, & videam voluntatem eius. In nouo testamẽto clariora sunt Ioan.17. testimonia; in primis illud Ioan.17. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, &c. Hanc sententiam variè interpretatur Scotus. Scotus. Primò, vt sit sensus; cognitio, vita est, & si est perpetua, æterna est: cæterùm non est sensus, quòd sit vita beata. & quod hæc explicatiõ non sit consentanea, patet. Nam ex ea sequitur, quòd damnati videntes dæmones habeant vitam æternam; nam videre, vita est, & æterna; siquidem perpetua est. Alia interpretatio est valde probabilis, quòd sit sensus de cognitione per fidem, quæ vita æterna dicitur, quoniam ad vitam æternam nos ducit. hanc explicationem adhibet Cyrillus huic loco, super Ioan. & libro Cyrillus. de fide ad reginas, & D. Hilar. libr. de patris, & filij vnitate. Hilarius. ¶ Cæterùm, licèt hæc explicatio sit probabilis, probabilior est, vt sit sensus de vita beata: nam vita æterna in sacro eloquio sem Ioan.3. per significat vitam beatam, vt in illo Ioan.3. Vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam, & Matth.19. Matth. 19. Quid boni faciam, vt habeam vitam æternam? & Matt.25. Matth. 25. Iusti in vitam æternam ibunt, mali verò in ignem æternum. Cui simile est illud D. Paul. Roman.6. Rom.6. Gratia Dei vita æterna. Itaque vita æterna in sacro eloquio vita beata est. Sed quãquam hoc testimonium nõ esset satis idoneum, certè alia testimonia sunt solidissima; vt est illud 1. Ioan.3. 1.Ioan.3. Ioan. Cùm apparuerit, similes ei erimus, & videbimus eum sicuti est, & Ioan.14. Ioan.14. Si quis diligit me, diligetur à patre meo, & ego diligam eũ, & manifestabo ei meipsum. & Philippus in eodem cap. dicit, Ostende nobis patrem, & sufficit Ibidem. nobis; cui Dominus respondit, Philippe, qui videt me, videt & patrem meum, & 1. Corint. 13. 1.Cor.13. Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, & 2. Corint. 5. 2.Cor.5. Dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino; per fidem enim ambulamus, & non per speciem, audemus, & bonam voluntatem habemus peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominum. Ecce, videre per speciem, est esse præsentes ad Dominum, & vitam beatam habere.

Argum. ¶ Ex his testimonijs tale colligo argumentum. In sacris literis sæpe asseritur nostram beatitudinem in Dei visione consistere, nunquam verò affirmatur quòd in Dei amore. Ergo in actu intellectus, & non voluntatis consistit. Certè Deus nunquam promittit pro præmio, quòd homo diligat Deum; sed è diuerso quòd diligetur à Deo, iuxta sermonem Domini Ioan.14. Ioan.14. Si quis diligit me, diligetur à patre meo, & ego diligam eum. ¶ Deinde, hæc sententia D. Tho. est valde cõsentanea sanctis patribus, præcipuè D. Aug.is namq; primo de Trinita. c.8. explicans illud Pauli, Videmus nunc per speculũ in ænigmate, dicit. Hæc contemplatio promittitur nobis omnium actionum nostrarum finis, & æterna perfectio gaudiorum; & cap.9. in visione tota merces consistit, & c.10. in illa contẽplatione Deus erit omnia in omnibus; & ca.13. plus quàm quinquies repetit eandem sententiam, interpretans illud Domini, Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. & enarrans illud, si quis diligit me, diligetur à patre meo, & ego ostendam illi meipsum: dicit, Sola visio est summum bonum nostrum, cuius adipiscendi gratia præcipitur nobis quicquid rectè agere debemus; & c.15. Visio est tota merces, & 13. de Trinitate cap.5. dicit. Beatus est qui habet quicquid vult, & nihil mali vult. Itaque vita beata non est amare quod habes, sed habere quod amas, & in epistola de videndo Deum ad Pauli nũ; Visio est summa merces, quæ promittitur diligentibus Deum, & in libr. de spiritu, & & anima c.57. Videre Deum summa felicitas, summa iucunditas, beata & æterna vita est. dicit multa in hanc sententiam D. Augustl. libr. de spiritu & lite. c.22. ¶ Tertiò, hæc sententia est valde consentanea sententijs omnium philosophorum. Certè Aristot. 1. Ethic. c.7. & 10. Ethi. c.7. vsque in finem, varijs argumentis demonstrat, beatitudinem nostram sitam esse in sapiẽtiæ operatione, & in altissimarum causarum cõtemplatione. Idem affirmant vniuersi philosophi Platonici, Plato, Socrates, Seneca, Plutarch. Cicero, quos omnes diligenter refert Augustl. Eugubinus lib.10. de perenni philosophia. Sed prætermissis autoritatibus, idem demonstratur euidentibus argumentis. ¶ In primis, beatitudo in præstantissima potentia collocãda est, vt planè constat inter omnes. Sed intellectus est præstantissima potentia. ergo. Quod verò intellectus sit præstantissima potentia, probatur; tũ, quoniam vita contemplatiua est præstantior vita actiua, vt constat ex suffragio omnium Theologorum. Tum secundò, quoniam prudentia, quæ est virtus intellectualis, inter omnes virtutes morales primas tenet. Tum deinde, quoniã intellectus præcipit, & leges ponit voluntati, & cam

Aristot. Plato. Socrates. Seneca. Plutarch. Cicero. Augustl. Eugub. Rationes hoc ipsum ostendẽtes.

Intellectus præstat voluntati.

eam dirigit & illuminat, atque adeò voluntas ex eo studiosa est, & recta, quoniam rectæ rationi paret, & obtemperat, & consentanea est. Tum vltimò, quoniam intellectus est rationalis per essentiam; voluntas verò per participationem.

Beatitudo est cõsequutio vltimi finis.

¶ Secunda demonstratio. Beatitudo (vt constat apud omnes) est consequutio vltimi finis: sed actus voluntatis non potest esse consequutio vltimi finis. ergo in actu voluntatis non consistit beatitudo, sed in actu intellectus. Quòd verò actus voluntatis non sit consequutio vltimi finis, demonstratur in hunc modum. Nã in voluntate tantummodò sunt tres actus, desideriũ, delectatio, & amor. Quòd desiderium non sit consequutio vltimi finis, notiùs est, quàm vt probatione egeat: desiderium namque significat cupiditatem rei absentis, & nondum habitę. Sed quòd delectatio non sit consequutio, ex his patere potest. Nam delectatio consequitur ad bonũ iam adeptum, & possessum. ergo nõ est adeptio vltimi finis. Deinde, delectatio non per se appetitur, sed semper ad aliud refertur. Si adiungitur in cibo & potu, est propter conseruationem indiuidui: Si in coitu animalium, propter conseruationem speciei: si in operationibus virtutum, vt studiosè, & fortiter operemur. Demum, delectatio secundum se, bona non est: si consequitur ad operationem rectam, bona est; si ad operationem turpem, turpis est.

Voluntatis tres actus.

¶ Sed dicit Scot. quod consistit in amore rei præsentis, quem actum prætermisit D. Thom. in artic. Sed fallitur Scotus, nam amor vel est rei præsentis, vel absentis. Si absentis, non est consequutio vltimi finis; si verò præsentis, iam presupponit rem possessam, & habitam. Itaque D. Thom. non est oblitus amoris, sed excludendo desiderium, excluditur amor rei absentis: excludendo delectationem, excluditur amor rei præsentis: & ipsemet D. Thom. ad hoc propositum in 3. contra gentes c. 26. ponit hos tres actus voluntatis, amorem, desiderium, & delectationẽ.

D. Thom.

¶ Deinde, beatitudo est habere quod amas, vt planè constat inter omnes; habere verò, & apprehendere est opus intellectus, & non voluntatis. Voluntas namque non est potentia apprehensiua, neque consecutiua.

Differentia intellectus & volũtatis

¶ Hoc enim interest inter intellectum, & voluntatem; quòd voluntas fertur in bonum, prout est à parte rei; intellectus verò apprehendit obiectum per speciem, & imbibit in se illud. Itaque voluntas consequitur bonum suum per intellectum, tanquam per manum, & ansam. Præterea, Deus est obiectum nostræ beatitudinis, & vltimus finis, vt ex superioribus satis constat. ergo consequutio illius, erit actus, quo primo apprehendimus Deũ. Sed huiusmodi est actus intellectus, & non voluntatis: ergo. probatur minor. nam nihil est volitum, & amatum, nisi priùs cognitum. Prior ergo est apprehensio, & consequutio per intellectum. Certè voluntas se habet ad summum bonum, sicut ad cætera bona particularia: voluntas verò nunquam consequitur bonum quodcunque per se, sed per aliam potentiam. Desideramus pecuniam, non consequimur eam volũtate, sed manu. Desideramus vinum, non consequimur voluntate, sed gustu. Desideramus musicam, auditione consequimur, non voluntate.

Volũtas nõ cõsequitur bonũ per se.

¶ Idem confirmatur optimo argumento. Nã tales actus solet habere homo circa amicum, vel honorem, quales habet circa Deum; amat enim honorem præsentem, & in eo delectatur. At non est consequi honorem, amare honorẽ, sed habere honorem. Ergo non est consequi Deum, amare Deum, aut in eius possessione delectari. Quod vt clariùs videatur, statuamus disputationis gratia, honorem esse summũ bonũ hominis, in quo eius beatitudo sit constituta. Certè consequi honorem, non est amare honorem; sed habere illum; & Aristot. qui posuit beatitudinem in operatione sapientiæ, & contemplatione, non appellat beatum qui amat sapientiam, sed qui verè sapiens est.

Scoti solutiones.

¶ Ad hæc argumenta disertè, & acutè (vt sibi videtur) respõdet Scotus, quòd gemina est assequutio finis; prima via generationis, & prima via perfectionis, quæ est amor rei præsentis, quo maximè nostra voluntas sedatur, & conquiescit, iuxta illud, Tenui eũ, nec dimittam. Itaque sentit Scotus, quòd per visionem Deus est præsens intellectui, & hæc præsentia est assequutio vltimi finis: sed est prima via generationis, non via perfectionis. Sed reuera Scotus abutitur vocabulo, & ignorat propriam vocem, vocando amorem consequutionem vltimi finis. Quis enim dicet se consequutum pecuniam, quia amat pecuniam? maximè, quia amor (vt dictum est) abstrahit ab habito, & non habito: quod si est rei iam habitæ, præsupponit vltimi finis consequutionem.

Cantico.

¶ Tertia demonstratio. Beatitudo est summum bonum, & primum appetibile, ratione cuius cætera appetuntur; vt planè cõstat. Sed est impossibile quòd primum appetibile sit actus voluntatis; sicut est impossibile, quod primum visibile, sit visio: visio namque debet versari circa visibile, tanquam circa proprium obiectum. Ergo ex hoc, quòd beatitudo sit obiectũ voluntatis, consequens est, quòd non est actus voluntatis. Hanc demonstrationem explicauimus diligenter suprà, quæstione prima, articulo primo.

Tertia demõstrat. Beatitudo est summũ bonum.

¶ Quarta demonstratio est, quam habet Durandus in 4. d. 49. quæst. 4. & insinuat eam D. Thom. ad secundum. Appetitus namq; vniuer-

Quarta demõstrat. Durand.

vniuersus, siue naturalis sit, siue sensitiuus, siue rationalis, nunquam appetit tanquam vltimum finem suam operationem, sed alterius potentiæ operationem, aut passionē. Ergò voluntas non appetit tanquam vltimum finem, suam operationem. Antecedens probatur exemplo lapidis, qui appetit descendere, & esse deorsum propter conseruationem lapidis, qui locus non est actus eius. ¶ Pro cuius rei intellectu obseruandum est, quod appetitus naturalis datus est rebus naturalibus, vt ipsæ consequantur bonum suum: itaque appetitus non præcipuè sequitur bonum suum, sed potius totius naturæ bonum; vt animaduertere est in appetitu lapidis, qui adepto fine lapidis, continuò quiescit. Eadem ratio est de appetitu sensitiuo, qui datus est animantibus, vt consequantur perfectiones sibi debitas. Non aliter appetitus rationalis, qui vocatur voluntas, datus est naturæ rationali, vt consequatur bonum, naturæ rationali debitum, & consentaneum, quod est veritas, & bonum intellectuale, & diuina sapientia. Itaque voluntas non præcipuè quærit bonum suum, sed bonum integrū & perfectum naturæ humanæ. Comparatur voluntas ad intellectum, qualis est cōparatio vxoris vehementer diligentis virum suum: si enim vir eius ægrotat, id quod summè desiderat, est eius sanitas, & in eius adeptione delectatur, & fruitur, & sanitatem viri arbitratur esse bonum suum: non aliter voluntas se habet ad intellectum, & eius bonum reputat bonum propriū, tanquam bonum sui capitis.

Appetitus naturalis quare à natura datus.

Vlti. demō. ¶ Vltima demonstratio. Summa miseria est priuatio diuinæ visionis, vt omnes Theologi vno ore affirmant, & appellant hanc miseriam pœnam damni. Ergo summa merces est visio Dei. Idem confirmatur. Nam pueri discedentes sine baptismo, damnantur, & miseri sunt, vt habet fides catholica: at non habent pœnam sensus, nec odium Dei, sed tantùm priuantur diuina visione. Ergo Dei visio summa beatitudo est.

Essentia rei quæ? Not. prim. Soluuntur argum. ¶ Ad argumenta in oppositum posita vt respondeatur obseruandum est. Primò, illud esse essentiam cuiusque rei, ad quod cætera naturali consequutione sequuntur; sicuti hominis essentia in rationali anima consistit, ex qua cæteræ potentiæ naturali consequutione deriuātur. quod si verum est, consequens est, quòd essentia beatitudinis nostræ in visione Dei consistat: nam ex visione Dei, naturali cōsequio & amor, & summa delectatio deriuantur: qui enim videt Deum, necessariò amat Deum, & non potest esse quin indicibili iucunditate perfruatur.

Not. secūd. ¶ Secundò obseruandum est, quod operationes humanæ possunt considerari in genere naturæ; qua ratione huius, vel alterius perfectionis in genere naturæ existunt. Rursus possunt considerari in genere moris; qua ratione, laude, vel vituperio dignæ sunt: veluti si comparetur ieiunium, & volitio fornicandi in genere naturæ: certè hæc volitio perfectior est, quàm ieiunium, quæ est operatio partis sensitiuæ: cæterū si conferātur in genere moris, ieiunium præstātius est. Quando ergo in præsentia inuestigamus vtra sit perfectior operatio, voluntatis, an intellectus, de genere naturæ præcipuè disputationem sumimus. ¶ Tertiò obseruandum est, quòd amor duplex est, amor amicitiæ, quo amamus nos ipsos, & amicos; & amor concupiscentiæ, quo amamus bonum nostrum, quatenus bonum nostrum est. Et in hoc sensu definimus, quòd cognitio, & visio Dei magis amatur quàm amor, & est maius bonum nostrum, quā amor.

Not. tert. Amor amicitię & concupiscentiæ

¶ Quartò obseruandum est, quod virtus est duplex, moralis, & intellectualis. In vita præsenti virtus moralis excellentior est; at in vita beata, intellectualis præstantissima est: nam ex visione beata, amor, fruitio, & vniuersa bona originem habent.

Not. quart. Virtus moralis & intellectualis

¶ Vltimò obseruandum est, quod pars est propter totum, tanquam propter vltimum finem, & ideo plus amat totum, quàm seipsam. Ex quo consequens est, quòd voluntas plus amat bonum integrum, & perfectū creaturæ rationalis, quàm bonum proprium.

Not. vltim. Pars est propter totum

His annotationibus apparet, quid ad argumenta proposita dicendum sit. ¶ Nam ad argumenta primæ opinionis dicendum est, euidenter demonstrare, quòd in beatitudine insunt omnia hæc bona, visio, amor, & fruitio: at non concludunt, quòd essentia beatitudinis in his bonis cōiunctim sita sit. Nam certum est, quod ex Dei visione, naturali consequio & amor, & fruitio deriuantur. Sed oportet specialiter ad singula respondeamus.

Ad argum. primæ opinionis.

Ad primum ¶ Ad primum respondetur, optimè probare, quod in beatitudine insunt hæc bona, quod nos non negamus: multa enim pertinent ad rei perfectionem, quæ ad rei essentiam pertinere nulla ratione possunt, sicut in homine licet animaduertere.

Ad secundū ¶ Ad secundum dicendum est, quod si sola visio inueniretur sine amore, & fruitione, faceret hominem beatum essentialiter, sed non perfectè.

¶ Item dicendum est, quòd si visio Dei relinqueretur suæ naturæ, certè ex ea naturali consequio amor, & fruitio deriuarētur: sed si impeditur virtute diuina per miraculum, nō definit esse beatitudo. Vltimò dicendum est, quòd licèt sola visio sit beatitudo, non tamen facit hominem beatum sine fruitione: visio namque ex eo est beatitudo, quoniam causat fruitionem, & animi quietem, quam necessariò causat necessitate

Ad tertium tate naturali. ¶ Ad tertium reſpondetur, quod eſſentia hominis eſt, eſſe rationale: voluntas
Ad quartũ· verò eſt propria paſsio. ¶ Ad quartum reſpondetur, quod voluntas beatificatur, quando conſequitur, & habet bonum, quod amat: hæc verò conſequutio eſt per intellectum, vt ſuprà demonſtratum eſt. Deinde dicendum eſt, quòd quemadmodum voluntas conſequitur ad intelectum; ita beatificatur conſequenter ad intellectum: ex viſione namque beatifica, amor, & voluntatis fruitio deriuantur. ¶ Ad vltimum reAd vltim. ſpondetur, quòd quãquam in Deo omnia ſunt vnum, intellectus & voluntas, viſio & amor, at ſecundùm intelligentiæ rationem prior eſt diuina beatitudo, quàm actus voluntatis diligentis, & in ea conquieſcentis; quod non poteſt eſſe, niſi per actum intellectus. Itaque beatitudo tribuenda eſt Deo ſecundùm intellectum, ſicuti cæteris beatis, qui ad ſimilitudinem Dei beati dicuntur. de hac re inueſtigatur diligentiùs 1. p. q. 26. artic. 2. ¶ Ad argumenta ſecundæ opinioAd argum. Secũ. opin. ad autoritates. nis, ad autoritates ſcripturæ, & ſanctorum, dicendum eſt; quòd in beatitudine eſt ſolidum gaudium, & verum; at ex hoc non concluditur,
Quare beatitudo gaudiũ dicatur. quòd gaudium ſit beatitudinis eſſentia. Sed dicitur beatitudo eſſe gaudium, eo genere locutionis, quo ſolemus fæpenumerò cauſas nomine effectuum deſignare: ſicut frigus dicitur pigrum, quoniam pigritiam, & ignauiam cauſat; & concupiſcentia dicitur peccatum, quoniam
Ad primum ad peccatum incitat & allicit. ¶ Ad primum, negatur antecedens: magis enim deteſtamur, & fugimus priuationem boni, ad quam conſequitur triſtitia & dolor; ſicuti pater magis deteſtatur, & fugit mortem filij, quem diligit, ad quam conſequitur triſtitia, & dolor. & quòd magis deteſtetur, patet ex illo axiomate; Propter quod vnumquodque tale, & illud magis. nã certum eſt quod triſtatur propter mortem filij.
Ad ſecundũ ¶ Ad ſecundum reſpondetur, finem lapidis eſſe conſequi locum ſuum naturalem, in quo conſeruetur, ex quo ſequitur quies: ad eundem modum dico finem hominis eſſe conſequi ſummum bonum, ex quo fruitio, & delectatio
Ad tertium naturaliter deriuantur. ¶ Ad tertium dicendum eſt, quod qui habet quod amat, nihil vltrà deſiderat: ex poſſeſsione namque rei amatę, delectatio, & fruitio naturaliter dimanant.
Ad quartũ. ¶ Ad quartum dicendum eſt, quòd delectatio perficit operationem, ſicut decor iuuentutem, qui eſt conſequens ad iuuentutem. Itaque delectatio eſt perfectio concomitans viſionem beatificam, ſed non eſt perfectio, quæ faciat viſio-
Ad quintũ. nem in ſua ſpecie perfectam. ¶ Ad quintum dicendum eſt, quòd charitas non quærit dilectum, vt in eo delectetur; ſed eſt conſequens vt delectetur in bono iam adepto. Itaq; delectatio non eſt finis charitatis, ſed potiùs viſio, per quã fit finis ei præſens. ¶ Ad ſextum dicendum Ad ſextum. eſt, quod appetitus ſenſitiuus, & rationalis diuerſimodè ſe habent in ſuis appetitionibus: appetitus namque ſenſitiuus tantùm fertur in bonum delectabile; obiectum namque appetitus ſenſitiui eſt bonum delectabile: ſenſus enim, quem ſequitur appetitus ſenſitiuus, non ſe extẽdit ad bonum honeſtum, quod in ratione conſiſtit; neque verò ad bonum vtile: cùm enim bonum vtile ſit medium accommodum ad finem conſequendum, & ſenſus non poſsit agnoſcere rationem finis, & proportionem mediorum ad finem, vt ſuprà demonſtratum eſt; conſequens eſt, quod appetitus ſenſitiuus non fertur in bonum vtile, ſed tantùm in bonum delectabile. Rationalis verò appetitus fertur tum in bonũ delectabile, tum in bonum vtile, ſed præcipuè in bonum honeſtum, cuius pulchritudinem, & honeſtatem oſtendit intellectiua cognitio, quã ſequitur appetitus rationalis. Quemadmodum enim gubernator reipublicæ homines generoſos, & excelſi animi ad egregia facinora edenda amore virtutis mouet, & adhortatur; homines verò inferiores amore cõcupiſcẽtiæ, vel timore pœnæ, vel præmij cupiditate: ſic Deus mouet voluntatem amore virtutis; portionem verò ſenſitiuam, vt inferiorem, & imperfectiorem, mouet amore concupiſcentiæ, & delectationis. Quomodo verò in appetitu ſenſitiuo, qui præcipuè ſequitur delectationes, non ſit peruerſitas, infrà quæſtione quarta, articulo ſecundo inueſtigandum eſt. ¶ Ad Vltimum reAd vltimũ. ſpondetur, quòd delectatio eſt vltimum, & extremum, quod aduenit rei iam perfectæ, tanquam appendix, & accidens quod conſequitur: quocirca beatitudo non eſt. Beatitudo namque eſt vltimum, & extremum bonum perfectum, atque ſummum; non ſicuti appendix, & accidens quod aliud conſequitur. ¶ Quod ſi Argum. dicas, illud eſſe vltimum finem, quod per ſe amatur: delectatio verò per ſe amatur. ergo eſt vltimus finis. Reſpondeo, quòd ad finem vltimum Ad finẽ vltimum duo ſunt neceſſaria. duo ſunt neceſſaria, & quòd appetatur propter ſe, & quòd amentur cætera propter ipſum; delectatio verò licèt ſit amabilis propter ſe; cætera autem non amantur propter ipſam. & hæc vltima conditio eſt potiſsima ad rationem finis vltimi. Nam finis vltimus eſt, cuius gratia omnia fiunt. ¶ Illud etiam non eſt Not. prætermittendum, quod poſſeſsio ſummi boni, & ſumma delectatio, quæ inde deriuatur, non ſunt conſideranda ſicuti duo bona diſtincta, ſed vt vnum bonum perfectum, & conſummatum. Sic affirmat Diuus Thomas ſuprà q.

2. art.

2.art.6.ad 1.Ratio D.Thom.est,quoniam eiusdem rationis est appetere bonum,& delectatio in bono, quæ nihil aliud est, quàm quietatio in bono adepto: sicuti ex eadem virtute naturæ est,quòd lapis descendat deorsum, & quòd quiescat ibi:Locus D.Thom.est insignis,& obseruandus ad hoc propositum,vbi etiam explicat quomodo delectatio sit appetibilis propter se:Videndus est etiam D.Tho.3. contra gentes c.26.

Quomodo beatitudo fruitio dici possit. D.August.

¶ Superest exponere,quemadmodum autore D.Augustin. & autore D.Thom. beatitudo sit fruitio.ex quo consequens est, quòd sit delectatio. Imò ex hoc loco D. Augustin. infert Scotus, quòd beatitudo sit amor: nam frui, est amore inhærere alicui rei propter seipsam, vt est videre in D. Augustin. primo de doctrina Christiana,cap.4. Certè hæc sententia D.August. Summa merces est fruitio; non facit sensum identicum,sed causalem,id est,beatitudo causat summam fruitionem in voluntate,quo in sensu explicuimus illam sententiam eiusdem Augustin. Beatitudo est gaudium de summa veritate: in eodem sensu interpretanda est definitio illa Boetij, Beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus, id est, facit statum omnium bonorum aggregatione perfectum. Illa etiam explicatio non est absurda, quòd frui, sit actus intellectus, & non voluntatis: frui namque est capere fructum,& re amata potiri. Vnde Diuus Augustinus libro de moribus Eccle. Quid est frui, nisi prestò habere quod diligis? Non dixit,diligere quod habes, sed habere quod diligis: habere verò,& tenere, est opus intellectus, vt suprà demonstratum est.Sed de hoc inuestigabitur infrà quæstione vndecima.Illud tamen pro certo habendum est, quòd frui non est amare: frui enim amico, non est amare amicum.

D.August.

Soluuntur Scot. argu.

¶ Ad argumenta tertiæ opinionis, quæ in quatuor prædicamenta sunt distributa, hoc modo satisfaciendum est. ¶ Ad argumenta primi prædicamenti de perfectione voluntatis super alias potentias,in primis dicendum est, quòd non vacat in præsentia differere de comparatione intellectus, & voluntatis, hæc enim inuestigatio pertinet ad primam partem, quæstione 82.articulo 3. Sed quod ad nostram causam spectat, negandum est, voluntatem esse perfectiorem intellectu. ¶ Et ad primum inoppositum respondetur, quòd voluntas mouet intellectum in genere causæ efficientis, applicando illum ad opus suum; intellectus verò mouet voluntatem in genere causæ finalis, illuminando,dirigendo,imperando. Causa autem finalis inter omnes præcipua est. Deinde dicendum est,quòd intellectus primò,& per se mouet voluntatem; nam obiectum voluntatis est bonum propositum per intellectum; voluntas verò mouet intellectum, veluti per accidẽs, quatenus ipsum intelligere apprehenditur vt bonum:itaque actus intellectus,qui mouet voluntatem,semper præcedit,& sic voluntas mouet iam mota.Certè si finis voluntatis esset præsens,moueret intellectus, necessitaret,& traheret voluntatem ad amandum, neque expectaret motionem voluntatis; in hac verò peregrinatione quia finis est absens, voluntas mouet intellectum ad finis consequutionem. ¶ Ad secundum respondetur, quòd voluntas ea ratione, qua mouet cæteras potentias ad operandum, excellere videtur; cæterùm intellectus alijs multis de causis excellentior est:tum,quoniam mouet voluntatem in genere causæ finalis;illuminando,dirigendo,&c.tum verò, quoniam hæc potentia nobilissima consequitur vltimum finem,pro quo voluntas tantopere laborat: tum vltimò, quoniam huius potentiæ est visio beata,ex qua naturaliter sequitur amor.

Ad argum. Prim.præd.

Ad primum

Ad secundũ

¶ Ad tertium respondetur,quòd licèt voluntas sit appetitus vniuersalissimus, & nobilissimus, at non est potentia apprehensiua,& consequutiua obiecti,& ideo indiget alia potentia nobilissima,quæ finem suum consequatur,& possideat,& præsentem habeat.

Ad tertium

¶ Vel dicatur,& est solutio maximè obseruanda,quòd voluntas est appetitus hominis, & sic magis appetit homini summam hominis perfectionem, quæ in intellectu consistit, quàm propriam suam perfectionem; sicuti pars plus amat totum,quàm seipsam.

Not. solut.

¶ Ad quartum respondetur, quòd obiectum intellectus est perfectius natura; nam quod attinet ad vniuersalitatem,æqualis est ratio: sicut enim omne bonum est verum, ita omne verũ est bonum: sed excellit verum, quod est obiectum intellectus;nam verum est magis separatum,& diuinum.Intellectus enim,qui est potẽtia cognoscitiua,perficitur in cognitione veritatis,siue sit res, siue non sit: veritas namque abstrahit à rerum existentia,voluntas verò, quoniam fertur in bonum vt habeat illud,& potiatur,non est tam separata,neque adeò diuina;& bonum concernit rei existentiam, & ideo non est tam separatum,nec tam diuinum.De hac solutione,quoniam obscura est,videndus est D. Tho.1.p.q.82.ar.3.

Ad quartũ.

D.Thom.

¶ Ad vltimum respondetur, quòd potentia nõ est perfectior ex eo,quod liberior;nãelectio mediorũ imperfectior est,quã intẽtio vltimi finis,quę necessaria est,quãtũ adspecificationẽ,vt

Ad vltim.

suprà dictum est. Deinde visio Dei, vel amor in vita beata, est actus præstantissimus, at necessarius est.

Ad argum. Secũ præd. ¶ Ad argumenta secundi prædicamenti; de perfectione amoris, respondetur; certè in primis dicendum est, alium esse ordinem charitatis in via ad cognitionem ænigmaticam, & charitatis in patria ad visionem claram; nam in via, noster profectus incipit à fide, & perficitur à charitate, per quam comparamus bona merita ad videndum Deum, & ita bene dicit Ansel. (quod etiá docet D. Paul.) charitatem in via esse præstantio rem: cæterùm in vita beata ex visione beatifica, naturali consequio oritur amor, tanquam proprius effectus, & propria passio. Ex his patet quid dicendum sit ad D. Paul. & D. Anselm.

Ad D. Dio. ¶ Ad D. Dionys. respondetur, quòd Seraphin, qui sunt supremi spiritus, habent denominationem à charitatis ardore; quoniam inflammant inferiores angelos per illuminationem cognitionis Dei, sicuti prædicator, per prædicationem verbi divini auditores inflammat. Cherubin verò constituuntur inferiores spiritus, quoniam habent in officio docere, non inflãmare.

¶ Ad D. Tho. (qui certè loquitur in vita beata, cùm comparat charitatem cognitioni, & probat esse perfectiõrẽ charitatem, quę fertur in Deũ, prout in se est) dicendum est, quòd obiectum cognitionis & amoris in vita beata est Deus, secundùm se: de amore, omnes fatentur; de cognitione verò, patet ex illo, Videbimus sicuti est. Rursus dico, quod charitas in vita beata habet hãc excellentiá, quòd fertur in Deũ, prout est à parte rei, verùm visio beatifica excellit multis de causis. Primùm, quoniam est mensura amoris: tantum enim amant beati, quantum vident. Deinde, quoniam ex visione beatifica naturaliter amor sequitur. Tertiò, quoniam visio beatifica, versatur circa verum, quod est magis diuinum, & separatum, quàm bonum. Hæc dicta sint ad explicanda dicta sanctorum patrũ, quæ videbantur nostram sententiam conuellere.

Ad pri. arg. ¶ Ad alia argumenta huius prædicamenti, & ad primum respondetur, quod fortasis lumẽ gloriæ est præstantissimus habitus. Vel dicatur, quòd quanquam charitas sit præstantissimus habitus, non inde concluditur, quòd amor sit præstantissimus actus in vita beata: nam visio quæ est præmium bonorum operum, non est tribuenda potentiæ, neque habitui, sed Deo prẽmiatori, ex qua visione beatifica sequitur amor, vt sępenumerò dictum est.

Ad secundũ ¶ Ad secundum respondetur, quod ea, quæ sunt priora in genere causæ materialis, imperfectiora sunt; sed ea, quæ sunt priora in genere causæ efficientis, formalis, & finalis, perfectiora sunt, vt ex philosophia manifestè exploratum est.

Ad tertium Expositio illius propositionis, cuius oppositum est peius, ipsum est melius. ¶ Ad tertium respondetur, quòd illa sententia Arist. est topica, & probabilis tantùm; quocirca sæpenumerò est fallax. Cæterùm habet duas expositiones veras; prior est. Oppositum melioris est peius ex ea parte, qua opponitur meliori, sed alijs de causis potest esse minus malum. Alia expositio est, id quod tollit maius bonũ, ea parte, qua tollit maius bonum, peius est, sed aliunde potest esse minus malum. Verbi gratia. Non videre Deum ea parte, qua tollit visionem Dei beatificam, quæ summum bonum est, peius est quàm odium Dei ea parte, qua tollit amorem Dei: cæterùm ea parte, qua odium Dei est intrinsecè malum & peccatum, peius est quàm non videre Deum: imò hac de causa peius est mẽtiri quàm non videre Deum. Ex his explicationibus apparet legitimus commentarius huius sententiæ Arist. quas accepi ex D. Caiet. 2. 2. q. 142. ar. 3. ad 1. alioqui hæc argumentatio ex oppositis fallacissima est. ¶ Fallit in primis in rebus, quarũ vna includit alteram; vt non sequitur, bona habitudo corporis melior est, quàm sanitas: ergo mala habitudo corporis est peior, quàm ægritudo: nam bona habitudo corporis includit sanitatem, & aliquid præterea. Eadem ratione non valet, melius est esse hominem studiosum, quá esse ens. ergo peius est non esse studiosum, quá non esse. Ad nostrum propositum; odium Dei includit non videre Deum, & aliquid aliud; & ideo non sequitur odium Dei est peius quàm non videre Deum. ergo amare est melius, quàm videre Deum. ¶ Deinde hæc argumentatio fallit in rebus, quæ genere distant; vt, non sequitur, fortitudo est melior quàm temperantia. ergo timiditas, quæ opponitur fortitudini, peior est quàm intemperantia. Tertiò conficitur argumentatio vitiosa, quando oppositio non est similis, vt in argumento proposito; odium Dei opponitur amori contrariè, non videre Deum opponitur visioni priuatiuè, ex quo tantùm sequitur, quòd carentia, & priuatio diuinæ visionis sit peior, quàm carentia diuini amoris. Certè ipse Scotus debet fateri, quod hic modus argumentandi fallaciam habet: nam ipse docet, quod melior est dilectio inimici, quàm dilectio amici; at peius est odium amici, quàm odium inimici. Videte alias expositiones huius maximæ tertio contra gentes, capitulo vigesimosexto. ¶ Illud etiam obseruandum est ad dissoluenda omnia argumenta huius prædicamenti, quòd licèt concederetur amorem esse præstantissimum actum in genere moris,

Caietan.

Ferra. Nota.

moris,& odium esse pessimum in genere vitij; cæterùm ex hoc non sequitur,in amore nostrã beatitudinem esse constituendam;nam beatitudo sita est in actu præstantissimo in genere naturæ,& in genere perfectionis naturalis, qua ratione virtutes intellectuales, præstant virtutibus moralibus, inter quas primatũ tenet actus intellectus,quo possidemus,& videmus Deum præsentem.

Ad argum. Tert.prędi. ¶Ad argumẽta tertij prędicamẽti, de maiori vnione,&appropinquatione advltimũ finẽ,dicẽdum est,quòd actus intellectuspropinquior est vltimo fini:quoniã actus voluntatis non fertur in vltimũ finẽ,nisi cognitũ,& quoniã actus intellectus,scilicet visio,& possessio summi boni, est vltimus finis volũtatis:idẽ enim est dicere,finẽ voluntatis nostræ esse Deũ,& habereDeũ:sicut idẽ est dicere, quòd auari finis est pecunia, & habere pecuniã.¶Quocirca ad primũ, & ad secundũ argumẽtum,admitto quòd beatitudo formaliter sit summũ bonũ; quanquam possumus dicere, quòd est summũ verũ, & infinitũ. Rursus admitto,obiectũ volũtatis esse bonũ,cęterũ ex hoc nõ est cõsequens,quòd volũtas apprehẽdat,&cõsequatur summũ bonũ;nã volũtas(vt supra dictũ est)non est potentia apprehẽsiua,neq; cõsecutiua:sed cõsequitur summum bonũ per alias potẽtias.¶Illud etiã obseruandũ est,aliud esse quòd volũtas immediatiùs,& formaliùs feratur in bonum, aliud quòd immediatiùs attingat bonũ:primũ namq; ex necessitate concedendũ est:secundũverò negandũ.Nã intellectus primũ attingit summũ bonũ;tũ, quoniã nihil est volitum,nisi prius cognitum;tũ verò,quoniã coniunctio ad summũ bonũ per intellectum, est causa coniunctionis per voluntatẽ. Vltimò obseruandũ est,quòd quanquã volũtas tendat in bonũ sub ratione boni, alię potentię cõsequuntur bonũ,&non sub ratione boni. v.g.Desiderat voluntas vinum sub ratione boni,gustus percipit illud sub ratione dulcis; volũtas desiderat musicam sub ratione boni,at percipit eã auditus sub ratione sonitus: Non dissimiliter desiderat videre Deũ sub ratione boni, & intellectus consequitur sub ratione veri boni,quod præsentat volũtati vt eo fruatur. ¶Ad vltimũ respõdetur,quòd amor est maximè vnitiuus secundũ concordiã, & consensionẽ affectuum;at beatitudo est vnio realis ad summum bonũ.¶Ad quartum prædicamentũ, de magis desiderabili,dicendũ est,quòd volũtas est appetitus,& inclinatio vniuersalis hominis,&sic magis appetit bonũ perfectũ hominis, quod consistit in intellectu,& in possessione summi boni, quàm bonũ propriũ: sicut nos magis amamus bonum diuinũ,& vniuersale,quã bonũ nostrũ.

Ad primum & secũ.arg.

Not.

Ad vltimũ.

Ad quartũ prædicam.

ARTIC. QVINTVS.

¶ Vtràm beatitudo sit operatio intellectus speculatiui,an practici.

SVMMA TEXTVS.

Concluſio. COncluſio est. Beatitudo potiùs est operatio intellectus speculatiui, quã practici,cùm sit hominis optima operatio,quę in cõtẽplatione diuinorũ cõsistit;&vnũ quodq; dicitur ab eo, quod est in illo optimũ.bonũautẽ diuinũ,obiectũ est intellectus speculatiui. Secũdò,contẽplatio maximè requiritur propter seipsam,actusverò practicus propter actiones,quæ ad aliquẽ finẽ ordinãtur, vnde non est vltimus finis, & beatitudo. Tertiò patet,quia vita contẽplatiua communicat cum Deo,& angelis: sed in vita actiua, bruta cõmunicant aliqualiter cũ hoíe: ideò principaliter vltima &perfecta beatitudo cõsistit in cõtẽplatione, secũdariò in operatiõe intellectus practici,&c.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Vtrũ visio beatifica sit practica. Scotus. Primũ arg. Secundum. Tertium. Vltimum. Palud. Expositio dubij. Scięntia practica quid requirat.

SCotus in prologo pri.sen.q.4.contẽdit visionẽ beatificã esse practicam: tum,quia ordinatur ad opus alterius potẽtiæ, nẽpè ad amandũ Deũ ex totis præcordijs: tum,quoniã est proxima regula operãdi,& amãdi:tũ tertiò, quoniã est summa prudẽtia:tũ vltimò,quoniã mysteria invita beata cognita, sunt rectificatiua bonarũ voluntatũ Palu.in 4.d.49.q.3.ar.2.docet,quòd in vita beata est gemina cognitio, vna speculatiua, qua beati intuẽtur Deũ:altera practica, quæ regula est operũ agendorũ.¶In huius dubij expositionẽ dicendũ est, visionẽ beatã nõ esse practicã, sed speculatiuã:obiectũ enim visionis beatificę estDeus ipse,qui nõ est operabilis à nobis.ergo nõ est de re operabili,ac sùbinde nõ erit practica. Deinde,visio beata præcipuè versatur in cognitione diuinæ naturę,& perfectionũ,& attributorũ Dei:erit ergo speculatiua. Itẽ ad hoc vt aliqua scientia practica appelletur,non satis est

quòd posit mouere ad operandũ, alioqui vniuersæ scientiæ creaturarum, & cœlorum, essent practicę: nam ex cognitione cœlorum, in cognitionem Dei deuenimus, & in eius amorem exardescimus; sed est necesse quòd eius officiũ primariũ, & immediatũ sit dirigere ad operandũ, quomodo sit faciendũ opus, quomodo forma introducatur in materiã: at officiũ visionis beatificæ primariũ est, ostendere nobis naturã diuinam, & eius perfectiones: est ergo speculatiua. ¶ Secũdò dicẽdũ est, visionẽ beatificã esse quodammodo practicã. quòd esse verũ, argumẽta Scoti optimè, & euidenter demonstrant: quod etiã insinuat D. Tho. in ar. ¶ Vltimò dicendum est, visionẽ beatam esse eminẽter practicã, & speculatiuã: etenim est participatio quędam diuinę scientiæ, quæ vna cùm sit, est eminenter practica, & speculatiua, vt demõstratum est 1.p.q.1.ar. 4. Deinde, sacra & diuina Theologia est eminẽter practica, & speculatiua, vt in loco dudũ allegato manifestatũ est. Idem prorsus definit D. Tho. de dono sapientiæ in 2.2.q.45.ar.3. Idem prorsus de virtute fidei statuendũ est secũdum veram, & certam Theologiã. Vnde quod dicit Palud. commentum est; vna enim visio beata ad vtrumq; satis est. ¶ Hìc verò obseruandũ est, quod cũ dicit D. Tho. ad 1. quod Deus de seipso tantũ habet scientiã speculatiuam, interpretandus est, quòd loquitur secundùm communẽ loquendi vsum, quo omnis scientia, practica est, aut speculatiua. Cæterũ in prima parte apertissimè docuit, quòd scientia diuina est eminenter supra practicũ, & speculatiuũ. ¶ Prętera dubitatur, Vtrũ visio beata sit notitia incõplexa, an cõplexa; apprehẽsiua, an iudicatiua. Certè apparet quòd nõ sit incõplexa, neq; apprehẽsiua. Apprehensiua enim non vocatur speculatiua: speculatiua enim & practica tantùm conueniũt notitiæ iudicatiuæ. Deinde, ex sola apprehensione non sequitur amor, aut delectatio. Tũ vltimò, quoniam beatitudo in eo consistit præcipuè, quòd videmus ea, quæ credimus: mysteria enim fidei sunt, quę principaliter videnda speramus in vita beata, quod significat Paul. ad Heb. 11. cùm inquit, Fides est substantia sperãdarum rerũ, & affirmat apertè D. Th. 2.2.q.1.ar. 6. ad 1. ¶ Ad hoc dubiũ dico. Primò, visionem beatã, esse vnam, & simplicissimã: Tũ, quoniã est cognitio Dei intuitiua: tum verò, quoniam cognitio simplex, cæteris paribus, perfectior est quã composita: tum tertiò, quoniam ea quæ in inferioribus sunt dispersa, in superioribus sunt vnita: quidquid enim agnoscunt sensus externi, percipit vnus sensus communis; & quicquid cognoscũt vniuersi sensus interni, & externi, vnus intellectus cognoscit: ergo in vita beata, vna cõtemplatione summa, omnia cognoscuntur. Cui concinit illud Zach. 14. In illa die erit vnus Dominus, & nomen eius erit vnum, id est, vna intellectio, & conceptio. & 15. de Trin. cap. 16. D. Aug. dicit, quòd beati omnium rerum scientiã vnico conspectu habebunt. Sed est obseruandum, quòd hęc visio est apprehensiua: est enim (vt dictum est) notitia intuitiua rei præsentis. Rursus, vna cùm sit, est simul iudicatiua; tum, quoniam cognitio apprehensiua tãtum, est imperfectissima: tum verò, quia sola apprehensio non mouet ad amorem, & delectationem: tum tertiò, quoniam beatitudo explet omne desiderium, & omnem cupiditatem: at nos non solùm desideramus apprehendere Deum, sed iudicare qualis sit, quantus sit, quàm bonus sit. Vltimò, hæc visio beata correspõdet fidei, quæ apprehensiua est, & iudicatiua. nihil ergo miri est quòd hæc visio excellentissima, quã Deus producit, specialissimo auxilio sit apprehensiua, & iudicatiua simul. ¶ Secundò obseruandum est, quòd cùm in beatitudine sint diuersa iudicia, qua beati iudicant Deum esse omnipotentem, Deum esse trinum & vnum, meritò dubitari potest, in quo nam iudicio nostra beatitudo præcipuè sit constituta? Certè ego arbitror in hoc iudicio esse pręcipuè sitam, Quã bonus Israël Deus his, qui recto sunt corde. Cætera verò iudicia quæ habent beati, vel sunt præmia fidei, vel sunt necessariò coniuncta. Qui enim videt Deũ esse summũ bonũ, certè cõspicit Deum esse immensum, infinitum, omnipotentẽ: hæc enim vel sunt eadem, vel necessariò coniũcta. Quomodo verò beati per visionẽ beatificã videãt vniuersas res successiuè, an simul, an toto intellectus conamine; & an vniuersæ visiones beatæ sint eiusdẽ speciei, quæstiones sunt magnæ, quas in sequentibus explicabimus. ¶ Est aliud dubiũ, quid est, quod dicit D. Tho. quòd actus intellectus practici non quæritur propter seipsum, sed propter operationẽ volũtatis? Hoc apparet falsum. ¶ Nã actus intellectus practici est nobilior, quã operatio voluntatis; at perfectiùs nõ ordinatur ad imperfectiùs, tãquam ad finem. ¶ Deinde actus intellectus practici, est actus prudentiæ: at prudentia præstat omnibus virtutibus moralibus, quæ in voluntate sedem habẽt. ¶ Vltimò, actus intellectus practici est causa omnium operationum humanarum, quę sunt in potentijs liberis. ergo perfectior est.

¶ Hęc sentẽtia D. Th. habet varias expositiones Prima est, quòd hoc differt inter intellectũ speculatiuum, & practicum, quòd contemplatio veritatis de se perficit intellectum speculatiuũ: vnde licèt nulla alia operatio esset in mundo, contemplatio veritatis habet in se quare amẽtur,

D. Thom.

An visio beata sit notitia incõplexa.

Hebr. 11. D. Thom.

Zach 14.

D. Auguſt.

Dubium.

Dubium.

Primum argumentũ

Secundum.

Tertium.

tur,& desideretur. Opus verò intellectus practici non perficit intellectum; versatur nãque circa singulare,& intellectus circa uniuersale. verbi gratia. Scire vtrùm sit hora 10 vel 11. & num potus sit temperatus,ad perfectionem intellectus non multùm refert: cæterùm vt sobriè & temperatè bibamus,multum refert. ¶ Secunda expositio, quòd finis intellectus practici est opus,id est,non addiscimus artes vt simus scientes,sed vt operemur: quapropter si non essent necessaria opificia in republica,artes superuacaneæ essent. hoc affirmat Atist. in Ethic. in principio. ¶ Tertia expositio est,quòd actus prudẽtiæ non ordinatur ad actionem voluntatis, tanquam medium ad finem, sed tanquam perfectum,ad imperfectum perficiendum: veluti sol ordinatur ad hæc inferiora alenda,& fouenda. Comparatur namque prudentia ad cæteras virtutes,sicuti auriga,& dux,& imperatrix. Illud etiam est addendum,non esse aliquod inconueniens asserere,potentias,& habitus esse propter operationes à se productas; nam operatio (vt dictum est diligenter in 2. artic.) est complemẽtum,& culmen potentiæ. legendus est hic Caiet. qui optimè explicat, quomodo causa efficiens sit perfectior suo effectu, at non est perfectior semper sua operatione.

ARTIC. SEXTVS.

¶ *Vtrùm beatitudo in consideratione scientiarum speculatiuarum consistat.*

SVMMA TEXTVS.

Prior Cõcl. PRior Conclu. Beatitudo hominis perfecta nõ cõsistit in speculatione scientiarum speculatiuarum.

Posterior Conclusio. ¶ Posterior Conclusio. Beatitudo hominis imperfecta, id est, summa quę potest haberi in hac vita,consistit in consideratione scientiarum speculatiuarum. Cõclusiones hæ D. Tho. satis apertę sunt,earum tamen probationes aliquã in se continent difficultatem,quæ sequẽti ordine dispositæ, faciliores reddentur. Sit igitur primũ principium D. Tho. Duplex est beatitudo; perfecta,& imperfecta. Secundum fundamentum. Scientiæ speculatiuæ humanæ non se possunt extẽdere,nisi ad ea,quę cognoscũtur adminiculo sensuũ. probatur. Sciẽtiæ nõ se possunt extẽdere vltra sua principia: sed principia sciẽtiarũ nõ transcendũt sensibilia. ergo neq; scientię. Maior probatur. Nã tota sciẽtia cõtinetur in principijs suis. Minorẽ verò sic demonstro. Cognitio principiorũ ortũ habet à sensu,& per experientiã. probatur autore Arist. 2. post c. vlt. & primo met. c. 1. Tertiũ fundamentũ. Intellectus noster perficitur cognitione rerũ sensibilium. Docet enim Arist. 3. de anima, intelligere perfectionẽ esse nostri intellectus. Quartũ fundamentũ. Nihil perficitur ab inferiori, vt inferius est: nã cyphus aureus nõ perficitur argẽto, aut plũbo: vnde cyphus aureus nõ deargẽtatur, argẽtũ verò deauratur. Quintũ fundamentũ. Postquàm intellectus noster perficitur cognitione rerũ sensibiliũ, reliquũ fit quòd nõ perficiatur illis, quatenus sensibiles sunt. natura rosæ, v. g. quatenus inferior est, non perficit intẽllectũ, sed quatenus participat naturã aliquã spiritualẽ, intelligibilẽ & superiorẽ. Sextũ fundam. Intellectus noster nõ potest perfici perfectiõe vltima, nisi ab aliquo quod sit superius intellectu nostro probatur. Quia oẽ quod est p aliud reducitur ad id, quod est per se. Septimũ fundamentum. Intellectus noster in hac vita non potest cognoscere substãtias separatas quidditatiuè per hæc sensibilia; quapropter non potest perfici vltima

perfectione, consideratione scientiarum speculatiuarum. His iactis fundamentis facillimum erit vnicuiq; literam D. Tho. intelligere.

EXPLICATIO ARTICVLI.

QVòd beatitudo hominis non est sita in cognitione rerum diuinarum, & humanarum, quę communiter à pluribus habetur, & per demonstrationem adquiritur. ¶ Nam beatitudo, est perfectissima operatio, sine vitio, & errore. at hæc cognitio, quàm plerique homines habent, est imperfectissima, & mille erroribus admixta. Deinde, beatitudo est finis omnium nostrarum actionum; at prædicta cognitio non est finis omniũ nostrarum actionum, vt de se patet. ¶ Præterea, beatitudo est vniuersale, & commune bonum generis humani; at prædictam cognitionẽ pauciſsimi homines adipisci valent, quam si vniuersi homines in repub. conarentur adipisci, mulieres, sartores, zonarij, esset exitium reipub. De hac demonstratione videndus est Ferrariensis 3. contra gentes, capit. 39. ¶ Insuper, prædicta cognitio semper est in potentia ad aliud verum cognoscendum, quo inuestigato, adhuc intellectus noster non saturatur: intellectus nãque est in potentia, & in cupiditate ad omneverum inuestigandum: nemo enim hominũ gloriatur se omne verum sciuisse. Iam verò omnis cognitio humana est admixta multis erroribus, & habet magnam incertitudinem, tum propter imbecillitatem ingenij nostri, tum propter rerum deceptionem; tum propter imaginationẽ sensuum, quæ excæcat nostrum intellectũ: passiones quoque vehementes, & prauæ consuetudines sunt nobis impedimento: quæ omnia recensentur Sapient. cap. 9. Cùm (inquit) cogitationes mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ, corpus quod corrumpitur, aggrauat animã, & deprimit. Hæc omnia cõfirmãtur maximo argumento. ¶ Nam ab exordio mundi, vsque ad nostram ætatem, fuere innumeri philosophi, excellenti ingenio prediti, qui scrutati sunt rerum naturas, qui ingenuè confessi sunt, se plura ignorasse, quàm sciuisse; fatentur quoque se vltimas rerum differentias ignotas habuisse. Et quænam rogo beatitudo sine Dei cognitione consistit? quem esse in rerum vniuersitate doctissimi philosophi vix statuerunt. De Dei prouidentia, de futura vita, de finibus bonorum & malorum, de immortalitate animæ apud istos philosophos magna fuit, & perpetua dissensio, & multis tenebris impedita. Sed audiamus virum sapientissimum, quid sentiat de

Ferrar.

Sap. 9.

omnium scientiarum consideratione. Salomonẽ dico, qui in inuestigando, vbi nam sit sita beatitudo, omnem ætatem consumpsit; is namque Eccles. 1. capit. definit, omnes scientias esse vanissimas ad desiderium humanum saturandum, in illo verbo. Non saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur; & in eodem capit. dicit, Studium sapientiæ esse occupationem pessimam, & afflictionem spiritus. & tandem concludit, Qui addit scientiam, addit laborem. Eccle. 1.

& cap. 2. Transiui ad contemplandam sapientiam, erroresque & stultitiam, & dixi, quis est homo vt possit sequi regem factorem suum? id est, omnis humana sapientia, comparatione ad diuinam, tenebræ sunt & nihil. & iterum in eodem capit. Moritur doctus similiter vt indoctus, id est, quanquam scientiarum possessio magna est, sed à morte non liberat. & iterum. Detestatus sum omnem industriam meã quo in loco (autore D. Hieronymo.) condemnat, & detestatur omnem industriam, quam in libris componendis posuerat. & capit. tertio. Cuncta fecit Deus bona in tempore suo, & mundum tradidit disputationi eorum, vt non inueniat homo opus, quod operatus est Deus ab initio vsque ad finem, id est, scientiarum omnium supellex non se extendit vt valeat homo minimum opus Dei comprehendere. & cap. 6. Quid habet amplius sapiens ab stulto? & quid pauper, nisi vt pergat illûc, vbi est vita? in qua sententia significat, quòd ad habendã vitã beatã melius est esse pauperem, & stultum, quàm esse sapientem huius mũdi, & c. 7. habetur hæc sententia: Dixi, sapiens efficiar, & ipsa longiùs recessit à me: alta profunditas, & quis inueniet eam? & in eodem capit. Lustraui vniuersa animo meo, vt scirem, & considerarem, &c. & capitulo octauo sunt aliæ sententiæ ad hoc persuadendum, præcipue illa, quæ incipit. Appositi cor meum vt scirem sapientiam, quibus consonat illud Hierem. nono. Non glorietur sapiens in sapientia sua, nec fortis in fortitudine sua, sed in hoc glorietur, scire, & nosse me. & Baruch capit. tertio. Disce, ô Israel, vbi sit prudentia, vbi sit virtus, vbi sit intellectus, vt scias simul vbi sit longiturnitas vitæ, vbi sit lumen oculorum & pax. Quis inuenit locum eius, & quis intrauit thesauros eius? & multa in hanc sententiam dicit grauissimè Propheta diuinus, ad ostendendum quòd in sola Dei sapientia, nostra beatitudo sit constituta. Hæc sunt argumenta solidissima ad demonstrandam conclusionem huius articuli. Nam certè argumentum, quod adducit Diuus Thomas in articulo, leue quibusdam videtur; dicit nihil perfici ab inferiori, quate-

Eccle. 2.

Ibidem.

Hieron.

Eccl. 3.

Eccl. 6.

Eccl. 7.

Eccl. 8.

Hier. 9.

Bar. 3.

Ratio D. Thom. impugnatur.

quatenus inferius est: quod videtur esse falsissimum. ¶ Nam substantia perficitur accidẽtibus, quæ imperfectiora sunt. ¶ Deinde, ignis calefaciẽs manũ, perficit eã, licèt sit inferioris naturæ. ¶ Rursus, sensibilia perficiunt sensum, & intelligibilia intellectum; at in prædictis formis nõ inuenitur aliqua virtus superior, ratione cuius perficiant, & tribuant perfectionem. ¶ Porrò, non apparet necessarium quòd perficiatur noster intellectus per coniunctionem ad rem immaterialem secundum se, sed satis est quòd perficiatur per similitudinem, & speciem, sicut potentia visiua non perficitur per coniunctionem ad rem materialem, secundum se. Ex his apparet, quod argumentum à D. Tho. adductum, leue sit, & inane; quod tamen vehementer defendit Caiet. in hoc artic. Certè omnis res perficiẽs alterã, ea ratione perficit, qua tribuit actũ, & perfectionẽ; illud verò quod perficitur, ea ratione perficitur quatenus est in potentia, & reducitur in actũ: & sic in vniuersum verũ est, id quod perficit esse nobilius quã id, quod perficitur, secundũ eã rationẽ, qua perficitur: bene enim potest perfici Theologus à Grãmatico, nõ quatenus Theologus, sed quatenus caret Grammatica. Itaque id quod perficit alterum simpliciter, necesse est vt sit perfectius eo simpliciter: id verò quod perficit alterum secundum quid, oportet vt sit perfectius eo secũdum quid: & quoniam intellectus noster perficitur simpliciter ab ipso intelligibili, tanquam per formam substãtialem, vt docet Auerro. 3. de anima. ideo oportet quod in se cõtineat aliquid simpliciter perfectius ipso intellectu: Vnde, quando intellectus noster intelligit lapidem, & perficitur per coniunctionem ad lapidem, est iam lapis intelligibilis in actu, & lapis aliquid melius habet intellectu humano, non per se, sed per coniunctionem ad intellectũ agẽtem, quo illustratur, & illuminatur. Et quoniã omne quod est per aliud, debet reduci ad illud quod est per se, cõsequens est, quòd intellectus noster non perficitur præstantissima perfectione ex cognitione rerum sensibiliũ, quoadusque ad cognitionem rerum immaterialiũ deueniat; maximè, quoniam obiectum nostri intellectus est quidditas cuiusq; rei, & essentia: inclinatur namque noster intellectus visis effectis naturali cupiditate ad videndum rerum quidditatẽ, & essentiam. Cùm igitur in rerum vniuersitate videamus quàmplurimos effectus substantiarum separatarum, & dignoscere hos effectus, non sit cognoscere earum quidditatem, consequens est, quòd naturale nostrum desiderium non quiescat, donec res immateriales videamus & contemplemur, & coniungamur rebus immaterialibus secundum se. Hæc est vera ratio defendendi argumentum S. Thom. ¶ Alia ratio facilior est, quòd tantùm voluit affirmare D. Tho. hominem his, quæ se inferiora sunt, non posse esse beatum, & expleri. Ità namque comparatum est natura, vt capacitas naturæ superioris, his, quæ inferiora sunt, expleri non possit. Argumẽta verò in contrariũ adducta tantũ probant, quod natura superior, ab inferiori aliqua ratione perfici valet. Quidam verò ab his difficultatibus facilè se expediunt dicẽtes, quod rationes D. Thom. quæ adducuntur ad probanda mysteria fidei nostræ, non conuincunt, nec necessariè cogunt: sed tantùm sunt rationes verisimiles, & quæ explicant veritatem fidei, non demonstrant.

Primo. Secundo Tertio. Quarto. Superiusnõ perficitur ab inferiore. Caietan. Auerro.

ARTIC. SEPTIMVS.

¶ Vtrùm beatitudo in consideratione substantiarum separatarũ consistat.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio.

Conclusio est. Si loquamur de beatitudine perfecta, non consistit nostra beatitudo in consideratione substantiarum separatarum: si verò loquamur de beatitudine imperfecta, in earum cõsideratione nostra beatitudo cõsistit. In tantum enim vnumquodq; est perfectio alicuius potẽtię, in quantum ad ipsum pertinet ratio proprij obiecti illius potentię: propriũ autẽ obiectum nostri intellectus, est verum. ergo habens veritatem participatã, nõ facit intellectũ perfectum vltima perfectione. Angeli autem habẽt esse participatum, vnde sola Dei contemplatio facit perfectè beatum.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Definitio huius articuli est euidens, quanquam argumenta quæ adducũtur hìc à D. Tho. in huius confirmationem, non sint adeò euidentia. Euidentiora habentur 3. contra gentes c. 43. & 44. ex quo loco poterit petere, qui voluerit. Certè ex his quæ diximus superiori art. manifestum

stum est, beatitudinem nostram in cognitione substantiarum separatarum non consistere, maximè, cùm hæc cognitio sit valde incerta, & tantùm probabilis, & verisimilis, vt planè affirmat Aristot. 2. de cœlo text. 61. & 11. metaphy. text. 26. & illud axioma Arist. nostrũ intellectũ se habere ad manifestissima naturę, sicut oculus noctuæ ad lumen solis, nostram sententiam præcipuè cõfirmat. ¶ Sed illud habet dubitationem: Vtrùm sit veritas fidei irrefragabilis, & diuina, nostram beatitudinem sitam non esse neque in scientiarum consideratione, neque in substantiarum separatarum cognitione. Ratio quę mouet ad dubitandũ, est, quoniã testimonia sacri eloquij in superiori articulo adducta, hoc manifestè asserere videntur. Deinde, fides diuina docet, fœminas, & opifices beatitudinem posse adipisci; at si fœminæ, & opifices vacarent sapientiæ exercitijs, & scientiarum speculationibus, vniuersa respubl. periret. ergo in hoc hominis beatitudo non consistit. præterea. Non solùm D. Thom. sed etiam D. Paul. 1. Corint. 13. affirmat, charitatem Dei in hac vita, cognitioni, & scientiæ præstare. ergo veritas diuina est, beatitudinem nostram in Dei amore esse sitam, & non in cognitione substantiarum separatarum. Propter hæc argumenta Cano. libr. 9. de locis, cap. 9. inter alios errores Aristot. hunc recenset præcipuum, quòd beatitudinem hominis in cognitione separatarum substantiarum posuerit: sed si plenius rem considerasset, rigorem cẽsendi temperasset. Nihil enim in hac parte asserit Aristot. quod non affirmet D. Thom. in præsenti quæstione. Veritas namque est, quod est gemina beatitudo, perfecta, & imperfecta. Rursus, alia est contemplatiua, alia actiua. Actiua in timore Dei, & obseruatione diuinorum mandatorum consistit, iuxta illud Eccle. vltim. Finem dicendi faciamus. Time Deum, & mandata eius obserua: hoc est enim omnis homo. Contemplatiua verò, in contemplatione Dei, & substantiarum separatarum, & vera, & perfecta sapientia sita est. Hæc sententia est Aristot. quæ nec latum vnguẽ à veritate religionis Christianæ discedit, imò maximè consonat. Aristot. namque 10. Ethicor. cap. 7. & deinceps ita statuit, beatitudinem esse optimam vitam, quæ cũ virtute traducitur; perfectissimam verò atque eminentissimam virtutis actionem esse, quę sit secundum sapientiam; quæ verò sit vera sapientia, & vbi maximè sita, absoluit dicens, eundem esse sapientem beatum, Deo charissimum, & gratum, quem Deus charissimè diligat: diligat autem propter sapientiam, suique similitudinẽ. Qui enim sanctè, sapienterque viuunt, Deo similes sunt: hæc autem similitudo facit eos Deo charissimos, in qua sapientia sunt admirabiles, & perennes voluptates. & in Politi. libr. 7. ca. 1. absoluens de vita beata sermonem, Ecce (inquit) vnicuique tantum beatitudinis, quantum virtutis, & sapientiæ, ipsum Deum pro testimonio, & exemplo habentes, quibeatus, felixque sit proprijs, non alienis bonis: & libro de moribus ad Eudem. concludens, quemadmodum Salomon suos claudens dixit; Finem dicendi faciamus. Time Deum, & mandata eius obserua, &c. Illo præclarò fine vsus est, omnes actiones nostras, omniaque studia, rerumque possessiones tunc iudicandas esse meliores, quando magis faciunt, & adiuuant ad Dei cognitionẽ, & cultum; deteriora autem censeri, quæ nobis impedimento fuerint. Constat igitur consentaneam esse doctrinam Aristot. nostræ fidei, & diuinis oraculis, in quibus sæpissimè asseritur, beatitudinem nostram sitã esse tũ in Dei amore, & diuinorum mandatorum obseruatione, tum verò in Dei sapientia, vt videre est in libr. Sapientiæ. De hac sapientia (de qua liber Sapientiæ sermonem facit) est intelligẽdum, quòd est actus intellectus, habens coniunctam charitatem, & omnem virtutem. Non aliter Aristot. cùm vitã beatam in sapientia constituit, loquitur de sapientia, quæ omnem virtutem habet coniunctam, & comitem. ¶ Ad argumenta in oppositum. Ad primum respondetur, quod sanctę scripturæ tantùm demonstrant, nostrum intellectum ex cognitione scientiarum non perfectè saturari & expleri; cognitio namque rerum diuinarum, & humanarum, quæ facultate ingenij nostri comparari potest, imperfecta beatitudo est. ¶ Ad secundum respondetur, quòd fœminæ, & opifices, si non valent beatitudinẽ contemplatiuam adipisci, certè possunt actiuam. Deinde dicendum est, quòd facili negocio possunt cognoscere Deum rectorem vniuersi, in cuius contemplatione potissimè nostra beatitudo est constituta. ¶ Ad tertium respondetur, quòd sapientia, quæ habet secum omnes virtutes coniunctas, & ipsam quoque charitatem, nihilo minor est quàm ipsa charitas; & ideo in lib. Sapientiæ tantopere commendatur. Hæc dicta sint in explicationem conclusionis articuli. ¶ De explicatione verò argumenti, quod adducit D. Thom. in eius confirmationẽ, multùm laboratur inter discipulos D. Thom. adduxit enim D. Thom. ex penetralibus metaphys. quædam principia, quæ cuique Theologo difficillima sunt ad explicandum. In primis dicit, obiectum nostri intellectus esse verum; cùm in alijs locis, minimè paucis, dicat esse ens; & alibi affirmet quòd sit quidditas rei materialis: de qua re legendus est Capreol. in 1. d. 2. q. 1. Certè verum,

Arist.

Dubium. Vtrũ cõclu. artic. sit de fide.

1. Cor. 13.

Cano. no.

Eccl. vltim.

Aristotel. placita de beatitudine

Solutio argum. Ad primum

Ad secundũ

Ad tertium

Explicatur ratio D. Thom.

De obiecto intellectus

Capreo.

verum, est passio entis, consequens ens, prout est in intellectu: Itaque ideo ens est verum, quia de eo potest haberi notitia, & adæquatio intellectus ad rem. ¶ Deinde obseruandum est, quòd ens, est obiectum intellectus nostri adæquatum, ratione cuius cætera intelligũtur: quidditas verò rei materialis, est obiectum nostri intellectus motiuum, & proportionatũ, vt expositum est in materia de anima. Verũ autem, est perfectio nostri intellectus: perficitur enim noster intellectus in contemplatione veritatis: in hoc enim eius perfectio sita est, quòd habeat notitiam conuenientem, & adæquatam rei: & ideo Diuus Thom. in hoc articulo nõ sine causa retulit perfectionem intellectus, ad verũ per essentiam, & non ad ens, per essentiam, cùm tamen re idem sint, & verum per essentiam, sequatur ad ens per essentiam. ¶ Alia duo principia statuit D. Thom. in hoc articulo quæ accurata indigent expositione, nempe, quod omne, quod est tale per participationem, referri debeat ad tale per essentiam. Cui consonat aliud principium; Omne quod est per aliud, debet referri ad id, quod est per se. Hæc principia videntur falsa. ¶ Nam id quod est album per accidẽs non est necesse referatur ad album per essentiã, sed ad solem, in quo est eminenter, & per se albedo, quamuis non per essentiam. Ex ratione ergo adducta à D. Thom. non concluditur, perfectionem nostri intellectus reducendam esse ad verum per essentiam, sed ad verum per se, cuiusmodi sunt multa vera. Angelus enim est verus per se; est enim ens per se necessarium, & incorruptibile: & prima principia sunt vera per se, licet non sint vera per essentiam. ¶ Deinde, homo est homo per suam essentiam, & angelus est angelus per suam essentiam, ergo est ens per suam essentiam. ¶ Et confirmatur. Nam ens (vt constat ex vera dialectica & metaphysica) prædicatur essentialiter, & quidditatiuè de omnibus rebus. ergo malè dicit D. Tho. quòd omnis creatura est ens, & vera per participationẽ. ¶ Vltimò, perfectio potentiæ visiuæ non est videre solem, qui de se lucidus est, quoniam est obiectum improportionatum. ergo perfectio intellectus nostri non est videre Deum, qui est verus per essentiam, siquidem est obiectum improportionatum. ¶ Ad hanc dubitationem dicendum est, hæc principia esse accepta ab Aristot. 1. metaph. c. 2. Deinde dico, esse verissima, & certissima; habent enim hũc sensum, quòd quando vna forma inuenitur in diuersis subiectis, siue sit vna, vnitate generica, siue specifica, siue analogica; si in vno subiecto inuenitur, tanquam in fonte, & veluti in primario principio; in alijs verò tanquam mendicata, & ab alio deriuata, non solùm hæc forma mutuata debet in primum fontem reduci, sed etiã omnes eius effectus principaliùs, & perfectiùs primo principio debent tribui. exempli gratia. Calidum reperitur in igne, & in aqua; sed in igne, tanquam in fonte; in aqua verò per participationem, & communionem. Ex quo consequẽs est, quòd omnis calor immissus in aquã, in igne debeat referri, atque reduci. Rursus consequẽs est, quòd si aqua calefacit, hoc ipsum quòd est calefacere, igni perfectiùs, & principaliùs concedendum est. Non secus in nostra causa. Cùm enim omnes creaturæ, siue corporales, siue spirituales sint, sunt veræ, & bonæ per participium primæ veritatis, & bonitatis; consequens est, quòd prima, & verissima veritas sit causa omnium aliorum vt vera sint. Item consequens est, quod si veritas creata, & participata perficit nostrum intellectum, multò magis veritas prima perficit nostrum intellectum: qua demonstratione vtitur D. Thom. hîc ad demonstrandum, nostrum intellectum nõ posse perfici per fectissima perfectione, donec veniat ad essentiam primæ veritatis. ¶ Alius commentarius est vade probabilis, quem insinuat D. Thom. ad vltimum, quòd vniuersa potentia non perficitur præstantissima perfectione, nisi attingat id, in quo plena ratio sui obiecti inuenitur. Cùm igitur intellectus noster habeat pro obiecto verũ in vniuersali, consequens est, quod non saturatur, neque explẽtur, donec veniat ad verum per essentiam, in quo omnis veritas continetur. ¶ Ad argumenta in oppositum breui satisfaciẽdum est. Ad primũ respondetur, satis esse quòd id, quod est per aliud, referatur ad id, quod est per se, siue sit per essentiam, siue non sit. Et sic ignis est calidus per se, & sol est lucidus per se: cæterũ angelus est ens per aliud, & habet esse per participationem: & sic omne ens est tale per participationem, donec veniamus ad vnum ens tale per essentiam, quod est Deus. Vel dicatur, quod hæc principia statuta à D. Thom. loquuntur, quando vna forma inuenitur in diuersis subiectis, & in vno inuenitur tãquam in fonte, in alio verò, ab alio deriuata, & tunc in vniuersum est verũ, quòd id, quod est tale per participationem, referri debeat ad id, quod est tale per essentiam. Cæterùm albedo, aut calor non inueniuntur in Deo, & ideo non est necesse quòd calidum referatur, nisi ad summum calidũ. ¶ Ad cõfirmationẽ respõdetur, quod ens, quando dicitur ab essentia, est prædicatum essentiale, & intrinsecum omnibus rebus; sed quãdo dicitur ab actu existendi, non est prædicatũ essentiale, sed accidentale: in solo namque Deo esse est de eius substãtia, & essentia: in hoc enim

Quomodo id quod est tale per participationẽ reducatur ad id, quod est tale per essentiam.

Primũ arg.

Confir.

Vltimo.

Aristot.

Ad prim. argumentum

Ens quomodo sit prædicatũ essentiale omniũ

sensu ens nihil aliud est, quàm habens esse. Cũ igitur vniuersa creatura habeat esse receptum, & participatum ab alio, consequens est, quod vniuersa creatura sit ens per participationem.

D.Thom. Certè hoc docet D.Thom. 2. contra gentes c. 52. cùm inquit; quòd essentia cuiuscunque rei est per se, & nõ per aliud; esse verò est per aliud; quoniam suum esse, non est sua essentia. Idem

Albe.Mag. affirmat quodlib. 2. artic. 3. & Albert. Mag. libr. de causis cap. 8. dicit, quod omne quod est ex alio, habet esse per aliud. Quanquã enim quòd animal sit animal, & quòd homo sit homo, nõ sit ex alio, cæterùm esse quod habet in effectu, non habet ex sese, sed ex primo esse, à quo fluit omne esse, alioqui si creatura haberet ex sese esse, nunquam esset in potentia ad illud, & semper esset. ¶ Sed ne in angustias illius quæstionis incidamus; Vtrùm essentię rerum, videlicet quòd homo sit animal, quòd angelus sit angelus, habeãt causam productiuam, & sint à Deo,

Sonci. Ferrar. quam quæstionem explicat optimè Soncina. 5. meta. q. 10. & Ferrari. 2. cõtra gentes. vbi suprà, dicendum est breuiter, quòd ens esse de essentia creaturæ potest intelligi bifariam; Primò, quòd sit de definitione, & quidditate creaturæ; & in hoc sensu, angelus, est angelus, & ens per suam essentiam: Alius sensus est, quòd angelus sit ens per suam essentiam, id est, sit essentia entis, & fons, ex quo omnis entitas proficiscatur: & in hoc sensu vsurpat D. Thom. in artic. cùm inquit, quòd solus Deus est ens, & verum per essentiam. Vel dicatur, quòd Deus non solùm est causa efficiens omnium, sed etiam exemplar, & idea: itaque nihil perfectionis habet creatura, nisi per participationem illius ideæ, & exemplaris, eo modo, quo aqua est calida per participationem, & multò meliùs; & ideo solus Deus est qui habet, quicquid habet, per essentiã suã: & ad istum sensum, non solùm homo habet esse per participationem, sed etiam est homo per participationem. Itaque quando dicimus, quòd homo est homo, non per essentiam suam, non volumus dicere, quòd homo non sit de essentia hominis, sed quòd est homo per participationem, de illa ideali perfectione, quę est in Deo

Ioan. 1. eminenter, iuxta illud Ioan. 1. Quod factum est

Ad vltimũ. in ipso vita erat. ¶ Ad vltimum respondetur, similitudinem non consistere: nam imperfectio videndi solem, quæ est in potentia visiua, non prouenit ex ipsa potentia, sed ex organo corporeo, in quo sita est; quod est talis conditionis, & temperamenti, vt ad præsentiam solis non valeat consistere. Vnde si hæc potentia visiua poneretur in aquila, optimè videret solem. Intellectus verò noster non est in organo corporeo; est enim ab omni materia separatus, & ideo nõ lædi-

læditur ab excellenti intelligibili, sed potiùs maximè perficitur. discrimẽ est quod prosequitur Aristot. 3. de anima ca. 4. Aristot.

ARTIC. OCTAVVS.

¶ Vtrùm beatitudo consistat in Dei visione.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Conclusio est. Vltima, & perfecta hominis beatitudo in Dei visione consistit. Quia non est aliquis perfectè beatus, quandiu restat aliquid quærendum, aut desiderandum. Et vniuscuiusque perfectio est secundùm rationem proprij obiecti: obiectum autem intellectus (vt dictum est) quidditas rei est, id est, rei essentia, & natura, & in tantum procedit intellectus vt rei essentiam cognoscat. Non ergo sufficit ad beatitudinem intellectus, scire effectum, & causam, sed necesse est vt cognoscat essentiam causæ; aliter enim non quietatur: vnde non est perfectè beatus, donec pertingat ipsam essentiam, & per vnionem ad Deum suã habeat beatitudinem, in quo obiecto solo beatificatur.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Quæstio grauissima Vtrũ Deus clarè visus, sit finis noster naturalis. IN hoc articulo est quæstio grauissima; Vtrùm beatitudo hominis naturalis sit in visione diuinæ essentiæ? quam quæstionem solent mouere Theologi sub alio tenore verborum; Vtrum sit naturale desiderium videndi Deũ? vel, Vtrũ Deus clarè visus, sit finis noster naturalis? Quæstio hæc memorabilis est inter Theologos, & insignis. ¶ In primis Scotus q. 1. prologi. & in 4. d. 49. multis in locis tenet, illum finem esse naturalem, sed supernaturaliter adipiscendum, probatque quadrupliciter, quantum ego intelligo. ¶ Primùm, autoritate August. lib. de prędestinatione sanctorum c. 5. dicentis, posse habere

Scot. Argumenta Scot. Primum. D. August.

bere fidem, & charitatem, naturæ est hominis. Secundum. ¶ Secundò, quia homo naturaliter appetit illũ finem, iuxta illud D. Augustini. 1. libr. confessio. c. 1. Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrũ, donec requiescat ad te. D. Augustin. Quod etiã euidenti ratione demonstratur. Nam nihil potest satiare hominis appetitum, vsque ad Dei visionem; aliàs iam homo esset beatus, & eius appetitus quietus. Tertium. ¶ Tertiò, quia vniuersa potentia comparatur tripliciter ad actum suum; si quidem vel est naturalis, sicuti lapis inclinatur naturaliter ad motum deorsum: vel est violenta, vt cum lapis ascendit sursum: Vel se habet neutraliter, sicuti superficies, respectu albedinis & nigredinis; ad neutram enim superficies suapte natura inclinata est, & sic est potẽtia neutra. ¶ Quòd verò in anima nostra sit naturalis potentia, & inclinatio ad Dei visionem, & fruitionem, sic ostendit Scotus; Tum, quoniam potentia animæ nostræ, secluso quocunque medio supernaturali, recipit in se charitatem, & lumen gloriæ, vt de se patet: non enim recipit lumen gloriæ intellectus noster intercedente alio medio supernaturali, alioquin esset abitio in infinitum. ¶ Tum deinde, quoniam omnis potentia perficitur naturaliter per actum, qui est eius perfectio. Visio autem Dei est actus, qui præcipuè intellectum nostrum perficit. ¶ Tum vltimò, quia vnumquodque appetit naturaliter suam perfectionem, sed maximè naturaliter maximam suam perfectionem, ex principio metaphysicæ. Sed visio Dei est maxima hominis perfectio. ergo. ¶ Ex hoc argumento duo concludit Scot. quòd nulla potentia est supernaturalis in ordine ad actum, sed quòd vel erit naturalis, vel violenta, siue neutra. ¶ Deinde colligit, quòd si potentia comparatur ad actum recipiẽdum, nulla est supernaturalitas: si verò comparetur ad agens impressiuum actus, tunc si comparetur ad agens naturaliter impressiuum actus, erit potentia naturalis; si non naturaliter impressiuum, erit in opere supernaturalitas. Sicque cõcedit Scot. quod visio Dei est naturalis, respectu potentiæ; supernaturalis verò, respectu agẽtis: sicut visus cæco restitutus est naturalis, si ad potentiam visiuam referatur; sed quòd cæco in instanti detur, supernaturalem agentis virtutẽ requirit. Hæc de tertio argumento. Quartum. ¶ Quartò sic arguit Scot. Homo natura sua est capax beatitudinis, & visionis beatificæ. quod in hunc modum demonstrat. Tum, quoniam est conditus ad imaginem, & similitudinem Dei, quæ certè similitudo, & imago, nihil aliud apparet esse, quàm capacitas animæ nostræ ad Deum videndum, & possidendum. Tum deinde, quoniam secluso quocunque dono supernaturali; homo habet illam. Tum tertiò, quoniã hæc capacitas conuenit vniuersis hominibus, & nascitur cum eis. ergo est naturalis. Hæc opinio Scot. probatur multis viris doctis, nominatim Dominico de Soto, viro literatissimo Mag. Soto. 2. lib. de natura & gratia c. 4. & in 4. dicent. d. 49. q. 2. art. 1. placet etiam Durand. q. 8. In cuius cõ Durand. firmationem Pater Soto hæc solebat adducere Arg. M. Sot argumenta. ¶ In primis, omnes homines naturali appetitu desideramus beatitudinem in genere, & in communi: volumus enim beati esse, & miseri non esse. ergo est appetitus naturalis ad rem illam, in qua vera beatitudo constituta est, quæ nihil aliud est, quàm Dei visio, & fruitio: appetitus enim naturalis non fertur in incertum. Primum. Secundum. ¶ Deinde, quies in Dei visione naturalissima est. ergo motus, quo feriuntur ad Deum videndum, naturalis est. ¶ Insuper, beati in patria necessitantur ad amandum Deum, vt habet sana doctrina. Sed hæc necessitas non prouenit ab extrinseco, sed ex inclinatione voluntatis: cum enim habeat suum bonũ præsens, quiete manet, & nihil aliud desiderat. Tertium. ¶ Item, intellectus suapte natura inclinatur in suum obiectum, & ad omne id, quod continetur intra suũ obiectum; veluti visus in coloratum, & in omne id, quod colorem participat. Sed Deus clarè visus continetur intra obiectum nostri intellectus; alioqui nulla potestate, etiam supernaturali, poterit eleuari ad videndum Deum. Potentia enim nulla virtute potest eleuari extra latitudinem sui obiecti, sicut visus corporeus non potest eleuari ad videndum spiritum. Ergo intellectus noster habet inclinationem naturalem ad Dei visionem. Quartum. Secundum. Hæc sententia videtur esse D. Thom. multis in locis, nominatim in prologo sententiarum, & in 1. p. q. 12. artic. 1. dicit expresse, quòd homo potest videre Deum, quia naturaliter cupit videre Deum: visis enim effectibus naturaliter desideramus videre causam. Idem demonstrat in hoc artic. & 3. contra gentes c. 50. multis argumentis probat, naturale angelorum desiderium non quiescere donec Deum videant: & c. 51. dicit planè, quòd in est omni intellectui humano naturale desiderium videndi Deum. D. Thom. ¶ Argumenta quibus D. Thom. confirmat suam sententiam; hæc sunt. Principiò. Naturale est vt visis effectibus, desideremus videre causam. Sed in rerum vniuersitate videmus multos effectus primæ causæ, præcipuè huius mundi admirabile artificium. Ergo naturaliter desideramus videre Deum. Argument. D. Thom. Primum. ¶ Deinde, quoniam obiectum intellectus nostri est quidditas rei, & essentia. ergo non quiescit eius desiderium, donec quidditatem rei perfectè cognoscat. Secundum. ¶ Item, quicunque habet cognitionem abstra- Tertium.

abſtractiuam rei quam deſiderat, naturaliter deſiderat illam intueri. Sed nos in effectibus creatis habemus notitiam Dei abſtractiuam. Ergo naturaliter deſideramus videre illum.

Quartum. ¶ Præterea, quicunque cognoſcit de re aliqua quòd ſit, naturaliter deſiderat cognoſcere quid ſit, & qualis ſit. At nos cognoſcimus de Deo quòd ſit. Ergo naturaliter deſideramus cognoſcere quid ſit, & qualis ſit; quod ſanè ſine Dei viſione apprehendi non poteſt.

Quintum. ¶ Certè ſi non habemus naturale deſiderium videndi Deum, præcipuè id eſſet, quoniam non poſſumus videre Deum ſicuti eſt ex facultate naturæ noſtræ, ſed ad hoc omnino neceſſarium eſt lumen deſuper infuſum, quo illuſtratus intellectus noſter diuinam eſſentiam intueri valeat. Sed hæc ratio inualida videtur omnino. Nam etiam beatitudinem naturalem non poteſt adipiſci homo ex facultate ſuæ naturæ, niſi diuinitus ex ſupernaturali auxilio adiuuetur. Exploratum enim eſt apud vniuerſos Theologos; quòd homo in ſolis naturalibus conditus, neceſſum eſt quòd aliquando labatur in peccatum mortale; non enim poteſt homo in puris naturalibus conſtitutus, vniuerſam legem naturalem adimplere per ſua naturalia. Ex quo euidens ſumitur argumentum.

Secundum. ¶ Nam homo ille non poteſt eſſe beatus ex facultate naturæ: ſecundum enim ius naturale, homo ille, poſtquam in peccatum mortale lapſus eſt, meretur ſupplicium, & miſeriam æternam. Ergo vt ſit beatus, beatitudine naturali, neceſſum eſt vt ei remittatur peccatũ, quæ eſt gratia ſupernaturalis. Et confirmatur. Nam ſi videre Deum non eſt finis noſter naturalis, ideo eſſet, quia non poſſumus naturaliter illum adipiſci, ſed ſupernaturaliter tantùm. Sed hæc ratio nõ conuincit. Nam anima exuta corpore naturaliter deſiderat vniri corpori, & vnio iſta in reſurrectione corporum, ſupernaturali virtute efficienda eſt. Rurſus, cæcus naturaliter deſiderat videre, quod per facultatem naturæ fieri non poteſt: & quælibet pars terræ, ſecundùm veram philoſophiam, naturaliter deſiderat eſſe in centro, quod per naturam eſt prorſus impoſsibile. Et D. Thom. 1.2.q.113.art.10. dicit, quòd iuſtificatio impij eſt quodammodo naturalis animæ noſtræ, quam tamen adipiſci non poſſumus ex viribus naturæ, ſed ex munere, & gratia Dei nobis donatur. Hæc exempla maximè obſeruanda ſunt; nam ex his argumenta, quæ contra prędictam opinionem adduci ſolent, manifeſtam habent ſolutionem.

D. Thom.

Quatuor opiniones ad explicandã quæſtionẽ.

¶ In hac quæſtione explicanda, verſantur inter Doctores quatuor opiniones. Prima ſic explicatur. Diſtinguũt namque viri ſapientes duplex deſiderium naturale vnum, quod non eſt actus elicitus voluntatis, ſed pondus, & inclinatio naturæ in bonum ſuum, quod non oritur ex præcedenti cognitione, ſed ex ipſa rei natura; ſicut lapis pondere naturæ fertur in locum ſuum, in quo naturaliter quieſcit. Alterum deſiderium eſt actus elicitus voluntatis, quod ex voluntate procedit, ex præcedenti cognitione, qua iudicamus aliquid eſſe bonum, & conueniens. Dicunt igitur Scotus & Soto, quòd deſiderio elicito voluntatis naturali non deſideramus videre Deum; nam hæc viſio diuinitatis eſt nobis prorſus incognita per naturam, & ſola fide demonſtratur: deſiderium autem voluntatis elicitum oritur ex præcedenti cognitione; nihil enim eſt volitum, niſi præcognitum. Sentiunt tamen, quòd in homine eſt pondus naturæ, quod nunquam quieſcit, donec ad apertam Dei viſionem veniamus.

Duplex deſiderũ naturale.

Scot. & M. Soto.

Secũd. opin.

¶ Secunda opinio dicit; quòd deſiderio naturali elicito voluntatis deſideramus videre Deum: nam viſis effectibus, cognoſcimus Deum eſſe, ex quo deſideramus primam cauſam, & Deum autorem omnium intueri; quanquã ex ratione naturali non appetimus videre Deum eo modo, quo per fidem cognoſcimus. Hæc opinio placuit Ferrar. in 3. contra gentes c. 51. Et quòd hæc ſententia ſit valde conſentanea dictis D. Thom. planè negari non poteſt: nam in locis ſuperiùs adductis apertè loquitur de deſiderio voluntatis ex cognitione proueniente. Ex his duabus opinionibus commemoratis inferunt earum autores, quòd videre Deum, eſt finis naturalis hominis, licèt ſupernaturaliter ſit adipiſcendus: neque enim nouum eſt, aut ſingulare, quòd ſit inclinatio naturalis ad aliquem finem, & quòd non habeamus vires naturales ad illum aſſequendum, quod multis exemplis in argumento vltimo pro ſententia D. Thom. explicatum dedimus. Imò in hoc cernitur celſitudo, & ſublimitas humanæ naturæ, vt ad illum finem naturaliter inclinetur, quem non, niſi per Dei auxilium, conſequi valeamus: eſt tamen paratiſsimus nobis ſubuenire; & quæ per amicos poſſumus, per noſipſos poſſe cenſemur.

Ferrar.

¶ Tertia opinio eſt Domini Caiet. 1.p.q.12.art.1. quę in duabus propoſitionibus conſiſtit. Prima, ſi in homine, ſola & nuda naturalia conſiderentur, non ineſt ei naturale deſiderium videndi Deum. Secunda, ſi conſideretur homo illuſtratus lumine fidei, vel habens aliquam notitiam de Dei clara viſione, poteſt habere naturale deſiderium elicitum voluntatis videndi Deum, veluti aqua, ſi conſideretur ſecundùm naturam ſuam, non habet inclinationem naturalem ad calefaciendum; verùm ſi conſideretur vt calida eſt, inclinationem habet ad calefaciendum. Hæc ſententia appa-

Tert. opin. Caiet.

apparet vera his argumentis. ¶ Nam hæreticus, vel Sarracenus desiderat videre Deum, & hoc quidem appetitu naturali, siquidem nō habet donum supernaturale. ¶ Deinde, si philosophus diceret discipulo, Deum posse videri; & discipulus crederet, desideraret vtique discipulus videre Deum. Certè si proponeretur Platoni quid nam mallet, dies ne esse, an videre Deum? Responderet, se malle videre Deum. Ecce, desiderans videre Deum, non habet donum supernaturale. ¶ Item visis effectibus, naturaliter desideramus videre causas: Sed fides non solùm videmus effectus naturales, sed etiam effectus supernaturales. Ergo naturaliter desideramus videre Deum, non tantùm vt est principium rerum naturalium, sed etiam rerū supernaturaliū. ¶ Vltimò, quicunque desiderat naturaliter summam suam perfectionem. Sed fides docet quòd ea tantùm sit in visione diuinæ essentiæ; Ergo qui habet hanc cognitionem, naturaliter desiderat videre eam. ¶ Confirmatur. Nam voluntas naturaliter fertur in quodcunque bonum, & pulchrum, per intellectum sibi propositum. Sed fides ostendit summum bonum in visione diuinæ essentiæ esse constitutum. ergo voluntas naturaliter erga illud afficitur, & inclinatur. ¶ Quarta opinio docet, quòd visio Dei, & eius fruitio, nulla ratione est finis naturalis hominis, sed est gratuitum Dei donum, quòd in hunc finem simus ordinati. ¶ Et quòd hæc sententia vera sit, demonstratur in primis ex sanctis scripturis; ex illo 1. Corint. 2. Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ pręparauit Dominus diligentibus se. Sensus est, nec oculis esse conspecta, nec auribus audita, nec de siderio desiderata, quæ præparauit Deus diligẽtibus se. Huic autem sententiæ aduersari videtur, quòd in nobis sit naturale desiderium ad visionem Dei, quam Deus in præmium præparauit diligentibus se. Aduersatur itidem, quòd ratione humana possit cōprehẽdi, visionẽ diuinę essentiæ, esse finem naturalem nostræ naturæ debitum. Certè in diuinis literis visio diuinæ essentiæ promittitur fidelibus, tanquam præmiū ex gratia præparatum. Ioan. 17. Hæc est vita æterna vt cognoscant te Deum verum, & quẽ misisti Iesum Christum; quam vitam æternam exmunere Dei hominibus contingere, paulò antè in eodem capite testatur Dominus. & Roman. 6. cap. Gratia Dei, vita æterna, id est, quibuscunque inest vita æterna, quę in visione Dei consistit, non illis competit ex natura, aut ex principijs à natura ingenitis, sed ex gratia donā tis Dei per Christum, vt viuentes hanc vitam dicere oporteat cum Apostolo, gratia Dei sumus quod sumus. Rursum, viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus, id est, viuo iam non ex meipso, aut per facultates dumtaxat naturales, sed in Deo & secundum Deum, per dona, quæ sunt desursum à patre luminum, quibus consortes efficimur diuinæ naturæ. Item 1. Ioan. c. 5. scribitur; Qui habet filium Dei, habet vitam æternam, quæ in ipso est. Ideoque à propheta Esa. c. 9. vocatur pater futuri seculi, vt quemadmodum nemo habet vitam humanā, nisi genitus ab homine; ita nemo habet vitam æternam, nisi regeneratus à Christo Domino, & ex gratia, & munere Dei donantis. Cui consonat illud ex Psalmo 83. Gratiam, & gloriam dabit Dominus. Ex his testimonijs sequitur, beatitudinem hominis, quæ in Dei visione, & fruitione consistit, esse gratuitum Dei donum. Hęc testimonia sacri eloquij valde obseruanda sunt; continent enim semina omnium argumentorum ad demonstrandam prædictam sententiā, quæ est rationibus diuinæ Theologiæ euidentiùs demonstranda. ¶ In primis, finis, & media debent esse eiusdem ordinis, & proportionem habere; sed media necessaria ad videndum Deum vniuersa sunt supernaturalia, vt fides, charitas, lumen gloriæ, vt docet sana & catholica doctrina. ergo finis ille est prorsus supernaturalis. ¶ Idem confirmatur. Nam si videre Deū est finis noster naturalis, & naturæ nostræ debitus, & consentaneus; consequens est, quòd media necessaria ad illum finem consequendum, sint nobis naturalia, & naturæ nostræ cōsentanea: si enim consequutio finis naturalis est, & media per quæ illum consequimur, omni dubio procùl naturalia erunt. ¶ Item, non lege naturali, nec ex principijs naturæ, sed ex supernaturali ordine prædestinati sumus ad Dei visionem, & fruitionem: prædestinatio verò in sacro eloquio gratia est; ex quo consequens est, quòd non sit finis noster naturalis: ordinatio namq; rerum in suos fines naturales gratia nō est; ideo enim dicitur gratia, quia non est debita naturæ, nec nostris operibus. ¶ Ex quo aliud sumitur argumentum in confirmationem huius sententiæ. Nam ad gratiam non est inclinatio naturalis, vt de se patet. ergo neque ad gloriam. Consequentia inde est manifesta. Nam si non est inclinatio naturalis ad vltimam dispositionem, non est inclinatio naturalis ad formā, quæ inde subsequitur. ¶ Præterea, res quæ est finis, & adeptio finis, non sunt duo fines, sicut nō sunt duo fines auari, pecunia, & habere pecuniam; quod apertè testatur Aristot. 5. Met. tex. 22. Ergo si Deus est finis noster naturalis, eius fruitio, & visio erit naturalis. quod concedere alienum est à sana doctrina. Nam si credere in Deum,

Argument. pro sentētia Caietan. — Primum. — Secundum. — Tertium. — Vltimum. — Confir. — Quar. opin. — Primū arg. pro hac sententia. — 1. Cor. 2. — Ioan. 17. — Rom. 6. — 1. Ioan. 5. — Quare Christus dicatur pater futuri seculi. — Esa. 9. — Psal. 83. — Prim. ratio pro hac sententia. — Confir. — Secunda. — Tertia. — Quarta. — Aristot.

Deum,& amare Deum in hac vita est gratuitũ Dei donum,euidens est quòd Dei fruitio,& visio sit gratuitum Dei donum. ¶Item,voluntas eodem appetitu fertur in finem aliquem, & in media necessaria ad illum finem,in tantũ,quòd si aliquis non desiderat media necessaria ad finem,conuincitur efficaciter non desiderare finem.Ergo,si homo naturaliter desiderat videre Deum,eodem appetitu desiderat media necessaria ad istum finem,vt gratiam, & lumẽ gloriæ.quod asserere alienum est à fide catholica. ¶Confirmatur. Nam qui desiderat esse beatus implicitè desiderat esse,& viuere;quoniam hęc sunt media necessaria ad illum finem.¶Vltima ratio.Desiderium vltimi finisdebet esse efficax; nam ratione vltimi finis omnia appetũtur. Sed desiderium naturale videndi Deum non est efficax.ergo non est finis naturalis. Probatur minor.Nam est euidens,quòd ex facultate naturę non possumus videre Deum facie ad faciem;& voluntas non est impossibilium;hæc est sententia D.Th.aperta 1.p.q.23.ar.1.& q.62.ar.1.q.75. art.7.ad 1.& 1.2.q.109.art.5.in quibus locis dicit,quòd duplex est finis hominis;vnus naturalis,quem viribus naturæ possumus adipisci; alter supernaturalis,qui superat facultatem,&proportionem naturæ,vt est videre Deum.In qua sententia tria dicit, vnum est quòd superat facultatem naturæ;alterum est quòd superat omnem proportionem naturæ,ergo omnem inclinationem naturæ;tertium est, quòd est finis supernaturalis. ¶Ex hac doctrina sequitur apertè,quòd non est potentia naturalis ad videndũ Deum sicuti est;nullus enim ex viribus naturæ potest consequi istum finem.ergo non est potẽtia naturalis.Potentia enim miraculorum ea de causa non est naturalis, quia non possumus eã habere ex viribus naturæ.Deinde potentia naturalis ea est, quæ potest reduci ad actum per agens naturale;materia enim est in potentia naturali ad formam ignis,quoniam per agens naturale ad actum reduci potest: cœlum non est in potentia naturali ad calorem, quoniam per agens naturale nõ potest ad actum reduci. Sed in natura non est agens naturale ad visionem Dei,&fruitionem causandã.Ergo non est potẽtia naturalis.Item,omni potentiæ passiuæ correspondet potentia actiua:sed in natura non est potentia actiua ad causandam Dei visionem.ergo non est potentia passiua inclinata in Dei visionem.Hac ratione vtitur Aristot.3.de anima, text.17.ad probandum,esse ponendum intellectum agentem ; quoniam in omni natura vbi est patiens,oportet quòd sit agens. Præterea, Deus non deficit in necessarijs multò minus quàm natura.ergo si dedit pro vltimo fine nostro claram Dei visionem,dedit subinde media necessaria ad huius finis consequutionem. Certè improuida esset natura,quæ prouidisset de fine,& non de medijs.hæc ratio est Aristot.2.de cœlo,vbi dicit;Si orbes cœlestes haberent vim progressiuam , natura vtique dedisset organa opportuna.Vltimò, si in anima nostra est naturalis potentia & inclinatio ad videndũ Deum, sequeretur quòd angelus , qui perfectè nouit animam nostram,cognosceret ex facultate naturali sui intellectus,quòd anima nostra est inclinata ad Dei visionem; sicut qui perfectè cognoscit lapidem,cognoscit eum inclinatum in locum suum.Ex quo sequitur,quòd angelusex facultate naturæ suæ habet euidentiam, quòd visio diuinæ essentiæ,& fruitio sit possibilis; nã cognoscit quòd desiderium naturale non est ad impossibile.Hęc argumenta,& alia id genus optimè prosequitur Dominus Caiet. ad finem 1.p.in quæstione speciali de potentia ad actusupernaturales. ¶ Pro explicatione huius controuersiæ sit prima propositio. ¶Illa sententia, quæ asserit,Deum clarè visum, esse finem nostrum naturalem,est probabilis;nam eius autores,& rationes in eius confirmationẽ adductæ, efficiunt illam probabilem. ¶ Argumenta verò quartæ opinionis, quæ vehementer probant contrarium,habent tres solutiones. Prima est,quòd licèt sit inclinatio naturalis ad talem finem,eius adeptio est supernaturalis;& ideo nõ est consequens , quòd si finis est naturalis, media debẽt esse naturalia; nam media sunt necessaria ad finis adeptionem, & ideo si adeptio est supernaturalis,media debent esse supernaturalia.Rursus non sequitur,quòd finis,& media in omnibus proportionem habeant.Item non sequitur,quòd prædestinatio non sit gratia; nam prædestinatio non est quòd simus inclinati ad visionem Dei,sed quòd efficaciter habeamusvisionem Dei;hoc autem gratuitum beneficium Dei est.Nec verò sequitur,quòd qui cognoscit animam inclinatam ad Dei visionem , cognoscat Dei visionem esse possibilem;nam adeptio est supernaturalis;& donum Dei gratuitum. ¶Certè anima separata à corpore, vt antea dictũ est,naturaliter desiderat vniri corpori; hæc tamen vnio, quæ fit in resurrectione corporũ, supernaturalis est,& ratione humana inuestigari non potest.Rursus,cæcus naturaliter desiderat videre,sed visus non potest ei naturaliter restitui.

¶Secunda solutio est,quòd in hoc cernitur celsitudo humanæ naturæ,quòd sit condita,& instituta ad eum finem,quem nisi ex Dei adiutorio adipisci non valemus.

¶ Tertia solutio est,esse verissimum illud prouerbium

Quinta.
Confir.
Vltima.
D.Thom.
Finis hominis duplex.
Corolariũ.
Potentia naturalisquid
Arist.
Aristotel.
Optimãr.
Caiet.
Explicatio quæstion. Prim.Cõcl.
Ad argum. quart.opin.
Appositaex empla.

uerbium, quod per amicos possumus, per nos possumus.

Secũ. cõcl. ¶ Secunda propositio. Illa sententia, quæ asserit nos inclinari ad Deum videndum pondere naturæ, sine cognitione, & appetitu elicito voluntatis, falsa est, & improbabilis. In primis est apertè contra D. Thom. qui locis adductis manifestè loquitur de desiderio procedente ex effectuum cognitione. Deinde est contra veritatẽ: nam desiderium naturale vltimi finis competit homini, quatenus homo est, ergo quatenus rationalis est. ergo sequitur cognitionem: põdus enim naturę sine cognitione, est commune beluis, & hominibus. Item, tale desiderium est voluntatis; obiectum autem voluntatis est bonum propositum per intellectum. ergo sequitur cognitionem. Confirmatur. Nam voluntas, licèt consideretur vt natura, semper habet pro obiecto bonum apprehensum. ergo eius desideriũ sequitur cognitionem.

Tertia Cõc. ¶ Tertia Conclusio. Illa sententia quæ asserit, quòd homo illustratus lumine fidei, aut habẽs notitiam rerum supernaturalium, appetitu naturali & efficaci desiderat videre Deum ex facultate naturæ, falsa est, & omnino improbabilis. Nam ex ea sequitur, quòd homo ex facultate naturæ possit habere actum spei, quod aduersatur sanæ doctrinæ. Patet. Nam actus spei nihil aliud est, quàm efficaciter desiderare videre, & possidere Deũ sicuti est. Imò sequitur, quod ex facultate naturæ possit diligere Deum super omnia: nam si efficaciter diligit, & desiderat videre Deum, vt vltimum finem suum, consequẽs est, quòd diligat illum super omnia; nam dilectio efficax vltimi finis, est dilectio Dei super omnia; ratione enim vltimi finis omnia alia appetuntur. Præterea, alienum est à fide asserere, quòd homo ex facultate naturæ possit efficaciter desiderare credere in Deum, vt definitũ est in Concil. Mileuit. & Arausic. Ergo alienũ est à fide asserere quod homo ex facultate naturæ possit efficaciter desiderare videre Deum. Vltimò, qui sunt beati in patria cœlesti, licèt videãt Deum facie ad faciem, nihilominus eorum voluntas ad diligendum Deum clarè visum, requirit diuinum auxilium supernaturale, & charitatem desuper infusam, vt habet sana doctrina. Ergo licèt homo sit illustratus lumine fidei, requiritur diuinum auxiliũ supernaturale vt eius voluntas desideret efficaciter bonum beatificum, quoniam est obiectum supernaturale.

Concil. Mileuit. Arausic.

Conclusio.

Nota. ¶ Itaque fidelis, vel paganus, habens notitiam rerum supernaturalium, potest ex facultate naturæ habere imperfectum desiderium videndi Deum, quod explicatur his verbis. Vellem Deum videre, sed efficax desiderium videndi Deum nemo habet, nisi diuinitus adiuuetur.

Quar. Cõc. ¶ Quarta Conclusio. Illa sententia quæ asserit, quòd videre Deum est finis noster omnino supernaturalis, verior est, & sanctis scripturismagis conformis, & ad docendum, & ad prædicãdum aptior; nam eius rationes sunt efficaciores, & literis sanctis magis consentaneæ.

Soluuntur Scot. argu. Ad primum ¶ Ad primum in contrarium ex Scoto respondetur, non dicere Augustinum naturale esse homini posse habere charitatem, sed naturæ est hominum: in quo voluit significare, quòd in natura nostra est capacitas, & potentia obedientialis vt possit eleuari ad amorem, & fruitionem Dei, quæ non inuenitur in lapide, nec in leone.

Ad secundũ ¶ Ad secundum nego antecedens. Nam (vt antea dictum est ex D. Thom.) duplex est beatitudo hominis; vna naturalis, in cuius adeptione appetitus naturalis quiescit, & hæc est cognoscere Deum, & illum colere, quantum per naturã possibile est; quam beatitudinem descripsit pulcherrimè Aristot. 10. Ethic. Si igitur homo, vel angelus ad istam beatitudinem perueniat, quietus est eius appetitus, præcipuè si aliam meliorẽ nunquam agnoscat; vt videre est in pueris, qui sunt in lymbo, qui, vt habet Theologorum opinio, sunt beati, beatitudine naturali, nec aliã desiderant; quoniam aliam nunquam cognouerunt: imò Lucifer, licèt aliam nouerit, cõtentus fuit beatitudine naturali. Alia est beatitudo supernaturalis, in cuius adeptione quiescit appetitus supernaturalis spei, & charitatis, de qua dixit B. Augustinus, Fecisti nos Domine ad te, &c.

Aristot.

D. Thom.

Ad tertium Potentię obuisio. ¶ Ad tertiũ respondetur quòd secundum verã Philosophiam, & Theologiam, potentia aut est naturalis, aut violenta, aut obedientialis, nec datur potentia neutra, quod optimè demonstrat Caiet. loco proximè citato. Dicendum est ergo quòd in anima nostra est potentia obedientialis, vt possit eleuari ad Dei visionem, & fruitionem. Potentia verò obedientialis, est aptitudo rei, vt in ea, & de ea fiat quicquid Deus ordinauit.

Caiet.

Potẽtia obedientialis quid? ¶ Quid verò si hæc potentia obedientialis, vehementer controuertitur inter Theologos. Quidam dicunt quòd est non repugnantia, siue non resistentia ad actionem diuinam. Dupliciter enim dicitur vnum alteri obedire; vel quoniam exequitur eius imperium; vel quoniam non resistit eius actioni; sicut cera mollis dicitur obedire facilè, quia ad nutum cedit. Alij verò dicunt quod est donum superadditũ naturæ. Ego verò dico quod est ipsamet natura subdita Deo, vt in ea, & de ea faciat quod voluerit. Sed quantumcunque est ipsa natura, non est potẽtia naturalis; quoniam respicit agens supernaturale, & actum supernaturalem.

Ad primum Scoti cõtra modo defi- nitã.

¶ Ad rationes verò Scoti in contrarium, & quidem ad primã dicen-

dicendum est, quòd anima immediatè in se recipit gratiam, & charitatem, & non mediante alio dono supernaturali, alioqui esset processus in infinitum; ex hoc verò non sequitur quòd sit inclinatio naturalis ad hæc dona, sed quòd natura in se recipiat hæc dona. ¶ Ad secundam respondetur, vnumquodque naturaliter inclinari in suum actum, si fuerit ei proportionatus, & naturæ suæ conueniens; videre verò Deum superat omnem ordinem, & proportionem naturæ. ¶ Sic soluitur etiam tertia ratio, dicendum enim est, vnumquodque inclinari naturaliter in suam perfectionem, & maximè naturaliter in maximam suam perfectionem, quãdo fuerit proportionata & suæ naturæ consentanea: quod in præsenti non habet locum.

Ad secundã

Ad tertiam

¶ Ad quartum principale respondetur, optimè probare quod in nobis est capacitas, & potentia obedientialis, vt posimus eleuari ad Dei visionem, & fruitionem, quæ licèt conueniat omnibus hominibus, & nascatur nobiscum, non est nobis naturalis, propter rationes superiùs commemoratas; sicuti omni cadaueri conuenit potentia obedientialis, vt resumat animam, & potentia non est naturalis. Hæc est legitima huius argumenti solutio, quanquàm possumus dicere, hominem esse conditum ad imaginem Dei, non significare esse capacem visionis beatificę, sed esse liberi arbitrij, & habere dominium suorum actuum: de qua re D. Tho. 1. p. q. 93.

Ad quartũ principale.

D. Thom.

¶ Ad primum, quod adducit Soto, concedo quod appetitu naturali desideramus illam rem, quę est beatitudo nostra naturalis, ea est cognoscere Deum, quantum per naturam cognosci potest, & illum colere, & glorificare; non autem videre Deum facie ad faciem. ¶ Ad secundum nego consequentiam. Nam licèt ille finis sit supernaturalis, in eius adeptione quiescit anima naturaliter, quoniam continet eminenter omnia, quæ anima nostra desiderare potest; sicut humanitas in verbo diuino quiescit naturaliter, licèt non habeat propriam existentiam, sed existentiam verbi diuini: nam existẽtia diuina præstat eminentiùs, quod præstare debebat humana existentia. ¶ Ad tertium respondetur, quòd voluntas beati ex naturali inclinatione saturatur in Dei visione, non quòd sit finis naturalis, sed quoniam continet eminenter omnia quæ desiderari possunt. ¶ Ad quartum respondetur, quòd vniuersa potentia inclinatur naturaliter in suum obiectum in communi, sed non est nec esse quòd inclinetur naturaliter in omne illud quod continetur intra suum obiectũ, quando est improportionatum, & excedens, vt videre est in visu respectu luminis solis.

Soluũtur argum. Mag. Soto.

Ad primum

Ad secundũ

Ad tertium

Ad quartũ

¶ Ad argumenta ex D. Thom. respondetur in primis, quòd rationes D. Thom. aliquando sunt probabiles, non necessariò concludentes; maximè cùm in expositione diuinorum mysteriorum, quæ ratione humana non possunt cõprehendi, versantur: vel dicatur, quòd loquitur de homine illustrato lumine fidei, in quo fine dubio est naturale desiderium videndi Deum, imperfectum tamen, vt suprà expositum est: vel dicatur, rationes D. Thom. optimè demonstrare, desiderium humani pectoris non posse perfectè satiari vsque ad Dei visionem & fruitionem; cæterùm satiatur ex cognitione rerum diuinarum, quæ per naturam haberi potest, quantum per naturam possibile est. ¶ Ad vltimum respondetur; iam dictum esse in quo consistat beatitudo hominis naturalis & quomodo obtineri possit; nunc breuiter dicendum est, non ideo visionem beatificam esse finem nostrum supernaturalem, quia non potest sine Dei adiutorio obtineri, sed quoniam superat omnem ordinem, & proportionem naturæ. Pro quo intelligendum est, quod actus dupliciter dicitur supernaturalis; tum secundùm suam naturam, vt gratia, lumen gloriæ; tum secundùm modum quo fit, sicut visus restitutus cæco: visus enim est homini naturalis, sed quòd cęco restituatur, requirit supernaturalem virtutem: visio verò diuinæ essentiæ, est supernaturalis primo modo; superat enim omnem ordinem naturæ.

Ad vltimũ.

Actus dupliciter dicitur supernaturalis.

¶ Ad argumenta Caieta. dicendum est; tantùm probare quòd homo illustratus lumine fidei, habet desiderium naturale videndi Deum, sed imperfectum, vt suprà dictum est: & hęc sufficiant de ista quæstione.

Ad argum. Caiet.

QVAESTIO IIII.

De his, quæ requiruntur ad beatitudinem articulos habet octo.

ARTIC. PRIMVS.

¶ *Vtrùm delectatio requiratur ad beatitudinem.*

SVMMA TEXTVS.

Concluſio.

Oncluſio est affirmãs. Nam delectatio causatur ex hoc, quòd appetitus requiescit in bono iam adepto; vnde non potest esse

esse beatitudo sine delectatione concomitante.

EXPLICATIO ARTICVLI.

DE hac delectatione disputant Theologi, primo, quid sit delectatio, sit ne amor? Ad hoc dico secundum Diuũ Thomam, quòd gaudium distingui tur ab amore, & gaudium, & delectatio in voluntate idem sunt. Idẽ dicit pleniùs infrà q. 31. vbi quærit, quid sit delectatio, & quomodo ab amore differat, & 3. contra gentes c. 26. dicit in voluntate hæc tria esse, desiderium, amorem, & delectationẽ. Itaq; delectatio, est qualitas producta ex amore boni præsentis, & habet se vt passio amoris, sicut tristitia oritur ex odio mali præsentis. Itẽ sciendum, quòd delectatio nihil aliud est quàm quies in bono adepto v.g. infirmus qui desiderabat sanitatẽ in eius adeptione quiescit & delectatur, deinde lapis appetitu naturali desiderat locũ infimũ, quo adepto quiescit. At quod est quies in rebus inanimis, est delectatio in animalibus. Itaq; quies est nomẽ vni uersalius, nã omnis delectatio est quies, sed nõ omnis quies est delectatio. Hoc docet D. Tho. hic ad 1. & infrà q. 31. ar. 1. Sed videtur quòd delectatio nõ sit quies, nã D. Th. in ar. docet delectationẽ causari ex quiete in bono adepto: ergo delectatio & quies differũt. Respõdetur, quòd ista causalitas non semper significat causam distinctã, sed rationẽ & formã: solemus nãq; dicere, parietẽ esse albũ quia habet albedinẽ, & sic explicãdus est D. Th. sed quomodo gaudiũ & delectatio discernantur inter se, exponit vberius D. Tho. infrà q. 31. vbi ar. 4. vide Caie. qui disputat contra Scotum; Vtrũ delectatio sit passio, an potius actus voluntatis? quod prius inuestigauerat 1. p. q. 64. art. 3.

¶ Secundo quæritur, an delectatio sit fruitio? Capre. in 1. d. 1. respondet affirmatiuè. Scotus in eadem d. q. 3. dubitat, an sit fruitio, & adducit diuersa loca D. Aug. in vtrãq; partem, sed de hoc latiùs infrà q. 11.

¶ Tertio quæritur. An sit de fide quòd delectatio ad beatitudinẽ exigatur? respõd. affir. quod patet ex illo: intra in gaudiũ Dñi tui, & gaudiũ vrũ nemo tollet à vobis. Itẽ, in quo exultabitis lætitia inenarrabili, & delectationes in dextera tua, & exultabũt sancti in gloria. ¶ Quarto quæritur, an possit delectatio à beatitudine separari, ita vt quis sit beatus & nõ delectetur? ad hoc dico, quòd de lege nõ potest delectatio à beatitudine separari, est enim propria passio beatitudinis. Secũdo dico, esse probabile de potentia Dei absoluta, posse delectationẽ à beatitudine separari, nã probabile est, quòd propria passio possit à subiecto separari virtute diuina. Tertio dico, quòd in passiõe anima Christi nõ habuerit gaudium beatitudinis, vt daretur locus tristitiæ, & acerbiùs pateretur, asserit M. Cano: verũ hęc sentẽtia est cõtra D. Tho. vnde nõ est amplectẽda. Sed nota, quòd hic beatus qui careret delectatione, nõ esset perfectè beatus, nã licèt essentia beatitudinis in visione Dei sita sit, connotat tamen quòd quietetur & satietur desiderio, & requirit ad sui perfectionẽ delectationem, sicut essentia hominis potẽtias ad sui perfectionem. Quinto quæritur, an beati necessariò delectẽtur in beatitudine? Scot. in 1. d. 1. q. 4. & 4. d. 49. & Gab. & Mai. in eadẽ d. docẽt, quod beati liberè delectãtur in patria, sic vt à delectatione desistere possint, statuit tamẽ Deꝰ nõ cõcurrere cũ illis ad priuationẽ delectationis, sicut statuit nõ cõcurrere cũ cõfirmatis in gratia, ad peccãdũ. Argu. huius opin. quoniã varia sunt, ad aliquot prædicamẽta reducemus. Prim. prẽd. cõtinet argu. ex parte volũtatis. Primo, vna potẽtia nõ potest habere nisi vnũ modũ operãdi, sed volũtas operatur liberè: ergo nõ potest necessariò operari. ¶ Secũdò, maior vel minor propinquitas obiecti ad potentiã nõ facit differentiã, quoad necesse agere vel nõ necesse agere, sed quãtũ ad intẽsiùs vel remissius, sed Deus quãdo nõ videtur clarè nõ necessitat voluntatẽ, nec in amore, nec in fruitiõe: ergo nec quãdo videtur clarè. ¶ Tertiò, potẽtia quæ antea erat libera, nõ operatur necessariò nisi ei aliquid superaddatur, sed voluntas in via erat libera: ergo in patria nõ necessitatur cũ nihil ei addatur. ¶ Quartò, potẽtia quę necessariò & naturaliter operatur, nõ eget habitu superaddito ad operãdũ: ergo si volũtas in patria necessariò amat, & delectatur, nõ indiget habitu charitatis ad amãdũ & fruẽdũ: cuius contrariũ dicit Pau. ¶ Quintò, naturalis finis volũtatis habitus & possessus nõ necessitat volũtatẽ: ergo nec supernaturalis: cons. patet, & probatur antecedẽs, nam angeli creati sunt in beatitudine naturali, quã postea per peccatũ amisẽrũt: nisi velimus dicere dęmones adhuc esse beatos beatitudine naturali. ¶ Vlt. exploratũ est, quòd volũtas nra ad bonũ alienũ nõ necessitatur, nec naturaliter inclinatur: ergo nec ad bonũ diuinũ amãdũ. Secũdũ præd. cõtinet argumẽta ex parte charitatis. Nã si actus amoris & delectationis in patria est necessarius & naturalis, sequitur, quod habitus charitatis nõ cõcurrat ad illũ, quod est falsum: nã D. Paul. dicit, quod in vita beata manet charitas, & certum est quod non manet ociosa, sed probatur sequela, nã habitus moralis est liber & non concurrit ad actum necessarium, habitibus enim vtimur cum volumus. Secundò sequitur ꝙ amor & delectatio in via, & in patria differãt spe-

Quid sit delectatio. D. Thom. infrà q. 26. ar. 1. ad 2.

Vtrũ delectatio sit quies?

D. Thom. Caietan.

Vtrũ delectatio sit fruitio? Capr. Scot.

An secũdũ fidẽ requiratur delectatio ad beatitudinem. Mat. 25. Ioan. 16. 1. Pet. 1. Ps. 15. & 149

Vtrũ possit delectatio à beatitudine separari.

no. Cano 12. de locis c. 14. D. Thom. 3. p. q. 46. ar. 8.

Quæst. gra. an beati necessariò delectentur. Scot. Gabriel. Maior.

Argument. pro parte negatiua ex parte voluntatis. Primum.

Secundum.

Tertium.

Quartum.

1. Cor. 13.

Quintum.

Vltimum.

Arg. ex parte charitatis. Primum.

1. Cor. 13.

Secundum.

Tertium.

Arg. ex parte Dei. Primum.

Secundum.

Tertium.

Quartum.

Quintum.

Confir. D. Tho.

Vltimum.

Arg. ex autoritatibus. Mag. sent. D. August. Aristot. 1. Cor. 13. D. Tho. de verit. q. 22. ar. 6.

D. Tho. sententia in 4. d 48. q. 1. ar. 3.

1. p. q. 60. art. vlti. ad vlt. & q. 62. ar. 8.

specie & genere: nam actus necessarij & liberi distãt specie & genere. ¶ Tertio sequitur, quod beatus in delectatione & amore habeat se sicut brutum, nã non liberè amat, nec liberè fruitur. ¶ Tertium prædi. continet argumenta ex parte Dei, primò, Deus mouet omnem creaturã liberè, & nõ necessariò cõcurrit cũ creaturis: ergo nõ necessitat voluntatẽ vt delectetur & fruatur. ¶ Secundò. Deus in nullo beato implet totã illius capacitatẽ, multa enim in Deo supersunt vi dẽda: ergo nõ rapit necessariò in ei⁹ amorẽ & delectationẽ. ¶ Tertiò, Deus nõ mouet infinitè intellectũ creatũ; ergo ens creatũ potest tãtũ mouere, sed ens creatũ nõ potest necessitare voluntatẽ: ergo nec Deus clarè visus. ¶ Itẽ ponat Deus præceptũ beato vel reuelet illi quod visio illa durabit per tres annos tantũ; tũc vel beatus cõformat voluntatẽ suã volũtati diuinæ, vel nõ, si primũ: ergo iã vult carere illa visione post tres annos, si secundũ, ergo nõ necessariò diligit Deũ. ¶ Quintò, sic iudicamus, Deũ esse summè diligibilẽ & summũ bonũ, in via sicut in patria, sed in via hoc iudiciũ nõ necessitat ad amãdũ: ergo nec in patria. Cõfirmatur, nã autore D. Th. multis in locis, præcipuè ar. 4. huius quæstionis, sic se habeat volũtas in patria ad bonũ diuinum, sicut volũtas in via ad beatitudinẽ in communi, sed in via nõ necessitatur ad amandũ beatitudinẽ in cõmuni, potest enim actũ suspẽdere, & ab eo desistere: ergo nec in patria. ¶ Vltimò, Christus in via erat verè beatus; at nõ necessitabatur ad amandũ & fruendũ: ergo beatus nõ necessariò amat, neq; fruitur. Probatur mi. Nã Christus per sua opera merebatur; ergo nõ erãt necessaria, necessarijs enim nõ meremur, nec demeremur. ¶ Quartũ prædi. cõtinet autores graues tenẽtes, quòd beati liberè amãt, & delectãtur Mag. in 2. d. 7. & d. 25. adducit diuersa loca D. Aug. in quibus asserit quòd beati liberè amãt, & delectãtur in beatitudine, & Arist. dicit quod nemo inuitus sit beatus, & Paul. dicit quod charitas manet in patria, de cuius ratione videtur esse quod liberè operetur, si quidẽ est habitus liber, & D. Tho. de verit. dicit, quòd voluntas in omni statu, respectu cuiusque obiecti, non necessitatur quantum ad exercitium. Idem habet infrà q. 10 art. 2. Contrarium docet D. Tho. in 4. vbi dicit quòd aliquod delectabile potest habere, vnde possit nõ delectari, sed delectabile quod est ipsa ratio delectationis, nõ potest nõ delectari, & quoniã diuina essentia est delectabilis per essentiã, impossibile est quod clarè visa non delectet, & 3. cõt. gent. c. 62. & 4. cont. gent. c. 92. dicit impossibile esse, quòd beatus videns Deũ, ab amore, & delectatione desistat, & 1. p. dicit esse impossibile quod videns Deũ nõ amet Deum, & in eo delectetur. Caie. 1. p. cõstanter tuetur hãc sentẽtiam, q. 82. art. 1. & 2. Ferra. vbi suprà. Capreol. in 1. d. 1. q. 3. conc. 4. Soto in 4. dist. 49. q. 3. art. 4. vt igitur veritas elucidetur, sciendum est, quod in patria hæc omnia insunt videre Deum, amare, & exultare, quod adeò asseritur in sacro eloquio vt probatione nõ egeat. ¶ Secundò notandum, quòd beati videntes Deum, in perpetuũ, & necessariò vident, amant, & delectãtur, sic vt ab his operationibus nunquam desistant. Hoc dicitur in Psal. Beati qui habitant in domo tua Dñe, in secula seculorũ, &c. & alibi, nõ cõmouebitur in ęternũ, qui habitat in Hierusalẽ, & Esa. 33. Oculi tui videbunt Hierusalẽ ciuitatem opulentã, tabernaculũ quod nunquã transferri potest, neq; auferẽtur claui eius in sempiternũ, & funiculi eius nunquam dirumpẽtur, quia solũmodo ibi magnificus est Dñs Deus noster, & 1. Pet. 1. regenerabit nos in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & Apo. 3. qui vicerit, faciã eum columnã in tẽplo Dei mei, & foras non egredietur ampliùs. Item illud, iã non erit ampliùs, neq; luctus, neq; clamor: & illud, gaudium vestrũ nemo tollet à vobis. Sed & in symbolo cõfitemur vitam æternam, id est, vitã beatam perpetuò duraturã. Ex quo conficio primũ argumentũ, ad demonstrãdam hanc sententiã. Id quod aliquãdo est, & aliquando nõ est, tẽpore mensuratur, & æternũ non est. Sed prædicta bona, quæ in beatitudine insunt, æterna sunt, te stante sacro eloquio: ergo inuariabilia, & necessaria sunt. Cõfirmatur primò, ex diffinitione vitæ beatæ: omnes namq; vno ore vitam beatam appellant, vitam felicẽ omnibus bonis affluentem, ad quam malum accedere non potest: ergo in beatitudine gaudium est perpetuum, ad quã tristitia accedere nõ potest. ¶ Item confir. Nã à beata vita procùl abest omnis error, & stultitia; sed si beati desisterẽt à delectatione, & gaudio beatitudinis, esset summa stultitia, vt etiã ad uersarij cõcedũt: ergo beati à delectatione desistere nõ possunt. Item confirmatur. Id quod cũ amore possidetur, si sciatur esse amissibile, tristitiã infert. Sed gaudiũ de beatitudine, cũ amore possidetur: ergo est impossibile beatos nõ tristari, si scirẽt esse amissibile. ¶ Præterea impossibile est, quòd quis desistat à bono, quo summè fruitur, nisi quãdo existimat esse aliquod malum in tali fruitione, vel esse maioris boni impeditiuum; vel certè quia lassatur & fastidium habet. Sed beatus videns Deum, apertè videt in tali fruitione nullũ esse incõmodum, neque esse maioris boni impeditiuum, & non est cur fatigetur, & fastidiat: ergo impossibile est, quòd ab illo gaudio desistat. Explicatur hoc, nam voluntas (quod nunc statuo pro certo) non

Caiet. Ferr. Capreo. Soto. Quæst. exp.

Psa. 83.

Esa. 33.

1. Pet. 1. Apo. 3.

Primũ arg. pro hac sententia.

Confir. pri.

Cõfir. secũ.

Cõfir. tert.

Secũ. ratio.

poteſt aliquid velle, niſi ſub ratione boni; ſed beatus videt apertè quod nō eſt aliqua ratio boni, propter quā à gaudio beatitudinis deſiſtat: ergo nō poteſt illud velle. ¶ Deinde, ſtante imperio practico ex parte intellectus, fac hoc, dilige, ama; impoſsibile eſt quòd nō ſequatur obediētia in volūtate. Sed viſio beata nō ſolū eſt iudiciū ſpeculatiuū, ſed etiā practicū, ama, delectare in Dño, &c. ergo ex viſione beatifica, neceſſariò ſequitur amor, atq; delectatio. ¶ Vltimò, ſi beatus ex ratione, & natura beatitudinis poteſt deſiſtere ab amore, & delectatione. Sequitur ergo beatitudinē eſſe conſtitutā in habitu, & non in actu, quod aſſerere alienū eſt ab omni Philoſophia. Probatur ſequela. Nā talis eſſet beatus ſine actu, ex eo ſolū, quòd poteſt amare, & delectari quādo ſibi placuerit. ¶ Ex his argumētis liquido cōſtat quòd beati ab intrinſeco, & ex natura beatitudinis, neceſſariò amāt & delectātur, & nō tā tū ex lege diuina, qua ſtatuit nō cōcurrere cum beatis ad priuationē delectationis. Qui maiora argumēta huius rei deſiderat, legat D. Th. 3. cōt. gēt. vbi ſuprà. ¶ Sed certè videtur quòd argumēta ſuperiùs adducta, nō ſolū probāt quod beati neceſſariò amāt, & delectātur, ſed etiā quòd Deus nō poſsit impedire delectationē, & amorē in vita beata; potiſsimè illud argumentū de volūtate cuius natura eſt, quòd nō poſsit ferri niſi in bonū. Cùm igitur nulla ratio boni appareat quòd beatus à delectatione, & ab amore deſiſtat, cōſequēs eſt, quòd Deus nō poſsit impedire delectationē, & amorē. ¶ Idē cōfir. Nā Deus nō poteſt producere odiū ſui; quoniā de ſe malū eſt: ergo nō poteſt impedire beatū, ne amet Deū, quoniā de ſe malū eſt impedire aliquē ne amet Deum. ¶ Ad primā obiectionē dicendū eſt, quòd licèt nō habeat rationem boni quòd quis ſua ſpōte à gaudio beatitudinis deſiſtat, cæterū habet rationē boni, quòd iubēte Dño & ordināte ab hoc gaudio deſiſtat; quēadmodū quòd quis ſua ſpōte velit nō eſſe, nō habet rationē boni; cæterùm quòd patiatur mortē ab alio illatā, habet rationē boni. ¶ Ad cōfir. reſpondetur, quòd nō amare Deū, quādo nō teneris, nō eſt malū: at odium Dei ſemper malū, & ideo ſimilitudo nō cōſiſtit. Proximū eſt, vt argumētis in principio factis reſpōdeamus. ¶ Ad argumēta primi prædicamēti ad primū nego antecedēs: patet enim in pueris, & in amētibus, quòd volūtas operatur & nō liberè operatur. Idē poteſt demonſtrari de motibus. primò, primis volūtatis; atq; etiā in volūtate diuina, quę neceſſariò producit ſpiritūſanctū & liberè nos amat. ¶ Pro cuius declaratione obſeruandū eſt, quòd quēadmodum intellectus tripliciter poteſt cōſiderari, primo vt potentia cognoſcitiua aliorū, & ſic vocatur intellectus; deinde, vt potētia cognoſcitiua aliquorū ſine diſcurſu, & ſic etiā appellatur intellectus; tertio vt potētia cognoſcitiua aliquorū per diſcurſum, & ſic appellatur ratio; ad eū modū volūtas trifariā cōſideratur, primū vt potētia appetitiua, & ſic vocatur volūtas; deinde vt determinatur ad vnū, ſicut volūtas diuina determinatur ad ſe amandū, & voluntas beati ad Deū diligēdum, & viatoris ad bonū in cōmuni proſequendū; & hoc modo volūtas cōſideratur vt natura; eſt em̄ determinata ad vnū: tertiò cōſideratur vt indifferēs ad vtrū q;, & ſic appellat liberū arbitriū: & quēadmodū cognoſcere per diſcurſum, & ſine diſcurſu, nō requirit duas potētias, ſed vnā volūtatē, quæ modò cōſiderat vt natura, modò vt libera eſt. ¶ Ad ſecundū nego antecedēs. Nā ſecūdū diuerſam applicationē agētis, diuerſus modus operādi cōſequitur. Si em̄ debita eſt applicatio agētis, operatio neceſſaria eſt; ſi verò indebita, operatio cōtingēs, & impedibilis eſt. v. g. Si principia prima ſciētiarū per euidētē demōſtrationē applicēt, generāt ſciētiā, & neceſsitāt intellectū ad aſſenſum cōcluſionis; cęterū ſi nō rectè applicētur, nō generāt ſciētiā. Vel dicat antecedēs eſſe verū, ſi ſit eiuſdē rationis maior; vel minor propinquitas, quod in propoſito nō eſt verū; nā propinquitas eſt præſentia in vita beata, in hac verò vita abſentia. ¶ Ad tertiū iā dictū eſt in præcedēti ſolutione, quòd ex ſola applicatione obiecti, diuerſus modus operādi dimanat. Vel dicatur, quòd aliquid de nouo additur, nēpè viſio diuinę eſſentiæ, vel dicendū eſt, quod volūtas in præſentia cōſideratur vt natura quę determinata eſt ad bonum & nulla ratione ad malum ſub ratione mali. ¶ Ad quartū reſpōdetur, quòd licèt volūtas neceſſariò amet Deū, opus habet charitate ad illum diligēdū, tū quoniā obiectū eſt excellens, & ſupernaturale; tū verò, quoniā dilectio charitatis eſt omnino ſupernaturalis, ſuperās facultatē volūtatis creatæ; tū tertiò, quoniā licèt ſummū, & diuinū oſtendatur nobis in via per fidē ſupernaturalē, adhuc neceſſariū eſt diuinū adiutoriū ex parte volūtatis ad diligendū Deū: ergo licèt videatur Deus facie ad faciē, ex parte volūtatis requiritur diuinū auxiliū ad illum diligendum. ¶ Sed dicet Theologus; voluntas in Deo viſo naturaliter quieſcit: ergo eſt naturalis inclinatio, nō ergo requirit habitū charitatis. Ad hoc dicēdum eſt, quòd quanquā volūtas naturaliter quieſcat, nō eſt cōſequens quòd ſit naturalis inclinatio, quod explicatur pulcherrimo exēplo ex diuina theologia. Nā appetitus humanitatis in Chriſto Dño ſaturatur, & quieſcit in perſonalitate verbi diuini, ſed nō inclinatur naturaliter ad vnionē

Efficax arg.

Vltim.

Corol.

D. Thom. Obiectio.

Confir.

Solutio

Ad cōfirm.

Solut. arg. in principio.

Ad primum

Intellectus & volūtatis proportio.

Ad ſecundū

Ad tertium

Ad quartū. Quare requiratur charitas in patria.

Obiectio.

Solutio.

verbi diuini. Ratio huius est, quoniã bonũ supe riùs, & altioris ordinis, cõtinet omnia bona infe rioris ordinis multò eminentius: itaq; si Deus ostẽderetur volũtati, vt bonũ naturale fũæ na turæ debitũ naturaliter quietaret volũtatẽ: mul tò ergo potiùs quietat voluntatẽ, si ostendatur vt eminẽtiùs & superiùs bono naturali, in se cõ tinẽs aliquid amplius; sed quoniã hoc bonũ emi nẽtiùs, & perfectiùs excedit facultatẽ volũtatis, necessarius est habitus charitatis, per quẽ volun tas reddatur idonea ad diligendũ Deũ dilectio no supernaturali, veluti necessariũ est lumẽ glo

Ad quintũ. riæ ad videndũ Deũ sicuti est. ¶ Ad quintũ for tasis ita potest cõcedi quòd angeli necessitãtur ad amandũ beatitudinẽ, & perfectionẽ suã natu ralẽ; quapropter etiã dæmones habẽt suã perfe ctionẽ naturalẽ: sed de hoc disputare nõ est prę sentis loci; pertinet enim hæc inuestigatio ad materiã de angelis; vel dicatur, quòd bonũ natu rale, cõparatum ad bonũ supernaturale, cogni tũ, & apprehẽsum, nõ habet omnẽ rationẽ bo

Ad vltimũ. ni, & ideo nõ necessitat voluntatẽ. ¶ Ad vltimũ respõdetur, esse bonũ cuiuscq;, esse beatũ, vel de beatitudine delectari. Vel dicendũ est, quòd li cèt bonũ diuinũ nõ esset bonũ propriũ, semel habitũ refutari nõ potest; quoniã in refutatio

Ad argum. ex parte charitatis. ne nulla apparet ratio boni. ¶ Ad argumẽta se cũdæ dubitationis in primis dicendũ est, quòd charitas de se habet opus liberum, sed ex cõiun ctione ad aliud, habet opus necessariũ: quẽadmo dum habitu sciẽtiæ possumus vti cũ libet, sed da to quòd habeo in intellectu hæc principia, om ne animal rationale est risibile; omnis homo est animal rationale, necessariò assentimur conclu sioni: ad eundẽ modũ dato quòd in intellectu

Charitas dupliciter cõsiderari. sit visio diuinæ essentiæ, non potest non sequi amor, & delectatio. ¶ Deinde dicendũ est, quod charitas potest considerari vt natura quædã, & sic habẽt opus necessariũ; potest etiã cõsiderari vt habitus liber, & sic habet actum liberum. Et quòd hæc distinctio sit admittẽda in charitate, patet, tũ quoniã admittitur in volũtate, quæ li bera est: tum etiam quoniã charitas habet suos actus naturales, & primò primos. ¶ Tertiò dicẽ dũ est, quòd charitas in vita beata habet actus li beros, quibus diligit Deũ & proximũ, distincta dilectione ab ea, quæ procedit à visione beata. Nã anima beata suis vtitur habitibus & suis sciẽ tijs extra verbũ. Præterea dicendũ est, quòd cha ritas nõ ponitur in vita beata vt liberè operetur, sed vt eleuet voluntatẽ ad dilectionẽ Dei super naturalẽ. Illud etiã addẽdũ est, quòd beati, qui necessariò amãt, & delectãtur, nõ se habẽt velu ti bruta; imò habẽt se veluti Deus: quemadmo dũ enim Deus necessariò se amat, & alia liberè, & anima Christi necessariò amabat Deũ, & alia liberè; ad eundẽ modũ beatus necessariò amat Deum, & alia liberè. ¶ Vltimò dico, quòd amor charitatis in patria licèt sit necessarius, verus a mor amicitiæ est; nã personæ diuinæ in sanctissi ma Trinitate, amore amicitiæ necessariò se amãt quãto enim amicitia firmior est, tãto melioreſt.

¶ Ad argumẽta tertij prædicamẽti, ad primũ re **Ad argum. ex parte Dei.** spõdetur, quòd Deus cõcurrit necessariò, cũ ali quot creaturis, in hoc sensu, quòd creaturæ nõ possunt nõ operari: pro quo intelligendum est **Ad primum** quòd licèt Deus cõcurrat liberè & agat liberè, cũ cooperatur creaturis; cæterũ quoniã disponit omnia suauiter, attẽperat se admodũ creaturæ. In creatura nãq; libera, cõcursus diuinus recipi tur liberè, in creatura verò quæ operatur necessariò, concursus recipitur necessariò: quidquid enim recipitur, admodum recipientis recipitur.

¶ Ad secundũ respõdetur, quòd Deus clarè vi **Ad secundũ** sus implet totã capacitatẽ, & cupiditatẽ volũta tis, ita vt ad eius cõplementum nihil desiderari valeat: nã ad plenitudinẽ volũtatis satis est vide re Deũ, & omnia quæ sunt formaliter in Deo.

¶ Ad tertiũ respõdetur, quòd Deus nõ necessi **Ad tertium** tat voluntatẽ motione tantũ effectiua, sed potiſ simè obiectiua, videns nãq; Deũ, nullã videt ra tionẽ mali; propter quã, à delectatione & gau dio desistat, & amore. ¶ Ad quartũ respõdetur, **Ad quartũ** quòd nos inuestigamus naturã, & verã proprie tatẽ beatitudinis: cæterũ de potẽtia Dei absolu ta bene potest Deus suspẽdere actũ, & cõcursum quo cũ beatis cõcurrit, & sic beati necessariò ab operatione desistẽt: imò de potẽtia Dei absolu ta potest Deus beatos dãnare & dãnatos beatifi care. Itẽ dicendũ est, quòd interim dũ talis per mittitur in statu vitæ beatæ, necessariò amat & delectatur, sicuti D. Paul. quãdo videbat diui nã essentiam in raptu, necessariò amabat. ¶ Ad **Ad quintũ** quintũ respõdetur, quòd iudicium illud, in vita præsenti nõ necessitat, at in vita beata necessi tat; tũ quoniã in vita præsenti nõ semper adest hoc iudicium; tũ verò, quoniã obiectũ nõ per fectè applicatur per intellectũ; tũ deinde, quo niã ex parte volũtatis defatigatur homo in amo re, & delectatione beatitudinis; atq; adeò ex par te corporis est impedimentũ, ratione cuius ne cessum sit ab amore beatitudinis desistat. Itẽ, ho mo viator vel ex sciẽtia, vel ex errore potest ha bere hãc existimationẽ, bonũ est mihi nunc ab amore beatitudinis cessare. Vltimò iudiciũ illud beatificũ habet in se omnẽ perfectionẽ boni; est enim nostra beatitudo: iudiciũ verò præsen tis vitæ nõ habet in se oẽm perfectionẽ, siquidẽ nõ est nostra beatitudo. ¶ Ad cõfirmationẽ re **Ad confir.** spõdetur, similitudinẽ in hoc cõsistere, quòd si cuti viator quicquid vult, propter beatitudinẽ in communi vult; ita beatus quicquid vult, vult pro-

propter bonũ diuinum, quod posſidet. Cæterũ differt multis, quæ diligẽter numerata ſunt præcedenti ſolutione. ¶ Ad vltimum de Chriſto, dicendum eſt, quòd non meruit per viſionem beatificam, nec per amorem beatificum, ſed per alia opera quæ liberè exercebat. Deinde dico fuiſſe inſigne miraculum, quòd Chriſtus ſimul eſſet viator, & comprehenſor: quod priuilegiũ ad vniuerſos beatos extendere ſtultum eſt.

Ad vltim.

¶ Quòd ſi dicat Theologus, quòd Chriſtus per dilectionem beatam non promeruit: ergo per alia opera, quæ ab illa dilectione dimanabant non promeruit. Dicendum eſt, hoc factũ fuiſſe, quoniam alia opera erant libera: quanquam enim Chriſtus Dominus neceſsitabatur ad diligendum Deum, non neceſsitabatur ad hoc, vel illud faciendum, ſicuti Deus neceſſariò ſe amat, & alia liberè amat.

Reſpõdetur autoritatibus. Liberum æquiuocũ eſt.

¶ Ad quartum prædicamentum dicendũ eſt, ex diuina Theologia, quòd hoc nomen, liberũ, æquiuocum eſt: aliquando ſignificat id, quod non eſt coactum, nec violentum, ſed ſummèvoluntarium, & ſpontaneum, licèt ſit neceſſariũ. Et in hac ſententia dicunt ſancti patres, quòd pater voluntariè genuit filium: in eodem ſenſu dicit Aug. quòd beati liberè amant, & delectantur. Eadem eſt interpretatio D. Tho. quando dicit, quòd Deus liberè ſe amat, de potentia q. 10. ar. 2. ad 5. Alio modo vſurpatur liberum, pro eo, quod poſitis omnibus requiſitis ad operandũ poteſt operari, & non operari: & in hoc ſenſu, amor in beatitudine non eſt liber. ¶ Ex his conſequens eſt, quòd beati, licèt neceſſariò ament, & delectentur, non tamen inuiti & coacti; nam coactio præter neceſsitatem ſignificat quòd fiat contra inclinationem voluntatis; & certum eſt, quòd non omne neceſſarium eſt coactum, vt videre eſt in lapide, qui neceſſariò deſcendit.

D. Auguſt. D. Thom.

Coroll.

Ad D. Tho.

¶ Ad D. Tho. qui videtur dicere, quòd volũtas, reſpectu cuiuſcunque obiecti in quocunq; ſtatu, non neceſsitatur quãtùm ad exercitium. Reſpondetur; id eſſe verum in ſtatu præſentis vitę vel dicendum eſt, quòd in ſtatu præſentis vitæ, & in ſtatu vitæ beatæ nunquam neceſsitatur voluntas quantum ad exercitium ex obiecto; nã neceſsitas, quæ eſt in vita beata, non prouenit ab obiecto, ſed ex inclinatione voluntatis; quẽadmodum quòd lapis deſcendat neceſſariò in centrum, non prouenit ex centro, ſed ex inclinatione ipſius lapidis; & quod ignis neceſſariò comburat ſtuppam, nõ prouenit ex ſtuppa, ſed ex natura ipſius ignis.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ Vtrùm in beatitudine ſit principaliùs viſio, quàm delectatio.

SVMMA TEXTVS.

QVæſtio eſt, quam proponit Ariſto. 10. Ethic. c. 4. & inſolutam reliquit, quam inueſtigat Seneca lib. de vita beata, & grauiſſimis ſententijs explicat. Concluſio eſt. In vita beata principaliùs eſt viſio, quàm delectatio; delectatio enim in quietatione conſiſtit. Sed quòd voluntas in aliquo quietetur, non eſt niſi propter bonitatem illius, in quo quietatur. Cùm igitur voluntas conquieſcat in actione intellectus, quæ eſt viſio diuinæ eſſentię, hæc quietatio, & animę delectatio, ex bonitate viſionis cauſatur, vtpote quoniam videre Deum, eſt ſummum bonum ipſius, &c.

Ariſtotel.

Concluſio.

EXPLICATIO ARTICVLI.

QVòd in vita beata non ſit principaliùs delectatio quàm viſio, & poſſeſſio ſummi boni, ſuperiùs quæſtione præcedenti ar. 4. ſatis ſuperq; demõſtratum eſt; oſtenſum namq; eſt efficaciter, & euidẽter, beatitudinem in delectatione nõ eſſe conſtitutã; & eos qui hãc ſententiã introducere conantur, in opinionem Epicuream incidere planè patefecimus.

¶ In ſolutione ſecundi argumenti, D. Tho. mouet magnam quæſtionem; Vtrùm appetitus ſenſitiuus proſequatur ſuas operationes propter delectationes? A parte negante ſic arguitur.

An ſenſitiuus appetitus proſequatur ſuas operatiões ob delectationes.

¶ Nam autore D. Tho. 3. contra gen. c. 26. delectationes ſunt inſtitutæ propter operationes, & nõ è cõuerſo: ergo nulla natura rectè inſtituta poterit exequi ſuas operationes, propter delectationes, alióqui erit peruerſitas. ¶ Deinde, ordo appetitus ſentiẽtis nõ poteſt eſſe aduerſus inſtitutorẽ naturæ; ſed inſtitutor naturæ ordinauit delectationes propter operatiões; ideò enim autor naturæ appoſuit delectationes in cibis, vt conſeruarentur indiuidua, in venere verò, vt cõſeruaretur ſpecies, ergo appetitus ſenſitiuus nõ poteſt ſine peruerſitate exercere ſuas operationes, propter delectationes. Hoc ipſum confirmatur. Nam bruta non mouentur ex ſeipſis ad ſuas operationes, ſed mouentur per inſtinctum

D. Thom. Primum argumentũ Secundum.

Confir.

datum sibi ab autore naturæ; oportet ergo concedere, quòd moueantur secundùm modũ præscriptum ab autore naturæ; modus verò præscriptus est, quòd delectationes sint propter operationes. ¶ Præterea, si bruta se mouerent ad suas operationes, propter delectabile bonum, vel ex hoc esset, quia non cognoscunt aliud bonum à delectabili: sed hęc ratio est inanis & friuola; formicæ enim cognoscunt bonum vtile, quapropter congregant in æstate ad futuram hyemẽ; & certè quando congregant grana, non delectãtur, sed laborant, & cruciantur. ¶ In aduersum pugnat D. Tho. in solutione secũdi, dicit enim apertè, quòd appetitus sentiens exequitur suas operationes propter bonum delectabile. Ad huius rei expositionem nonnulla sunt stabilienda principia, ex quibus facilè erit veritatem inuestigare. ¶ In primis statuo pro certo, quòd appetibile propter se in genere boni, est duplicis generis; tum generis naturæ; tum generis morum. Appetibile propter se in genere naturæ, est quod suapte natura habet vnde possit mouere, & allicere appetitum. Appetibile verò propter se in genere moris, est quod suapte natura habet vnde possit mouere appetitum, secundùm rationem. ¶ Deinde statuo pro certo, quòd geminus ordo potest seruari in rerum appetitione; alter in rebus ipsis, quæ expetuntur; alter est respectu appetentis, & agentis, facile est hoc intelligere in rebus, quæ ad cognitionem pertinent; Nam substantia secundùm se, & ex meritis suis, prius cognita est quàm accidens; accidens verò, quò ad nos, prius est in nostra cognitione. Non secùs potest quis philosophari in nostro proposito, videlicet quòd operationes suapte natura magis sunt appetibiles, quàm delectationes; respectu autem brutorum, est ordo præposterus. ¶ Sed & illud valet ad propositæ quæstionis difficultatẽ explicãdã; oportet enim animaduertere, quòd quãdo quærimus, nũ appetitus sensitiuus exequatur operationes propter delectationes? nõ quærimus de appetitione peruersa, & vitiosa; de hac enim exploratum est, quòd ferè semper exequitur operatiões propter delectabile bonum; imò homines voluntatis appetitu etiam intellectiuo, nihil aliud quærunt, quàm delectari; mouetur ergo quæstio de appetitu sensitiuo rectè instituto. His explicatis est prima Cõclusio. ¶ Si delectatio & voluptas considerentur in genere naturę, sunt propter se expetibiles; nam habent suapte natura vnde possint mouere appetitum. Idem comprobatur ex diuisione, qua diuiditur bonum, in honestum, delectabile, & vtile: inter quæ, solũ bonũ vtile expetitur ratione alterius, vt docet D. Th. 1. p. q. 5. ar. 6. ob idq; Arist. 10. Eth. docuit, stultam esse quæstionem si quis exquirat, propter quid aliquis velit delectari; siquidẽ delectatio propter se expetẽda est. Sed & in huius rei comprobatione demonstraturi sumus in sequentibus, quòd bruta exercẽt suas operationes propter delectabile tantùm, ergo delectatio est propter se expetibilis.

¶ Secunda Conclusio. In genere moris, solũ bonũ honestũ est propter se appetibile. liquet hoc. Nã si sola delectatio sufficit ad cohonestandũ actũ, multi actus vituperabiles essent laude digni, videlicèt nimius ludus, nimia venatio, nimius potus, quæ omnia ab vniuersis vituperantur. Sanè nemo est qui nõ condẽnat Epicuri sententiã, qui docuit voluptatẽ esse summè appetẽdã ab vniuersis hominibus, & propter eam omnia esse obeũda. Iã verò delectatio nõ est bona, nisi ratione operationis; illa enim est delectatio bona, quę consequitur studiosam operationẽ; illa mala, quę consequitur malã, & vitiosam operationẽ. ergo delectatio nõ est propter se appetẽda: quod cõfirmatur esse verũ. Nã bonũ honestũ differt secũdũ se à bono delectabili: ergo bonũ delectabile secũdũ se, nõ est appetibile in genere moris, nec laude, aut honore dignũ. Videte ad stabiliendã hanc conclusionẽ, grauissimas sententias Senecæ, in lib. de vita beata.

¶ Tertia Conclusio. Si consideretur prima institutio naturæ, omnis delectatio cuiúque rei est insita propter operationes suas, vt sit veluti perfectio, & cõdimentum operationis, probatur hoc. Nã prima intẽtio naturæ est, vt res consequantur suos fines, ad quos destinãtur: sed consequũtur eos per suas operationes: ex qua consequutione deinde sequitur delectatio: ergo delectatio nõ est de prima intẽtione naturæ. Quod in de maximè demõstratur. Nã sapiẽs gubernator, qualis est autor naturę, nũquã ordinat id, quod melius est, in id, quod inferius est; sed vice versa ordinat minus bonũ, in maius bonũ. Sed operatio est prę stãtius bonũ, quã delectatio. Ergo operatio nõ est propter delectationẽ, quin potiùs delectatio instituta est propter operationem. Quod verò operatio excellẽtior sit quàm delectatio, sic ostenditur. Nam non laudamus eum, qui magis delectatur, sed qui diligentiùs operatur. Profectò autor naturæ nõ instituit cibationem, propter delectationem, sed propter cõseruationẽ vitæ; nec matrimoniũ, aut coitum, propter delectationẽ, sed propter cõseruationẽ speciei. Ex hoc sequitur, cũctas res põdere naturæ (quod vocãt appetitũ naturalem) principaliùs appetere operationes, quã delectationes. Nam vnumquodq; inclinatione naturali, & instinctu à natura sibi indito, sequitur impressionẽ primi agẽtis; sed institutiõe primi agẽtis, delectatio est pro-

Tertium.

D. Thom.

Prim. asser. Appetibile in duplici genere.

Secũ. asser.

Quis sit sensus quæstionis propositæ.

Prima Cõc.

D. Thom. Aristot.

Secũ. cõcl.

Seneca.

Tertia Cõc.

propter operationes. ergo vnũquodq; põdere naturę expetit delectatiões, propter operatiões.

Quar. Cõc. ¶ Quarta Conclusio. Omnia animalia bruta, atq; adeò omnes appetitus sensitiui, appetitione elicita exercent suas operationes, propter

D. Thom. delectationem: quod asserit haud dubiè D. Th. in solutione secundi, & patet euidenti demonstratione. Nã omnia animalia bruta nõ possunt quicquam appetere, nisi sub ratione boni, & cõuenientis. Sed animalia bruta, non cognoscunt aliud bonum, nisi delectabile. Ergo omnia operantur propter bonum delectabile. Minor huius syllogismi sic ostenditur. Nam animalia bruta non cognoscunt rationem finis; nõ enim cognoscunt quomodo coitus ordinatur ad generationem, quomodo nidus ad incubandum ouis: igitur non possunt appetere aliquid vt vtile, ad finis consecutionem. Et exploratum est quòd non possunt appetere aliquid sub ratione boni honesti; nam tunc operationes brutorum essent honore, & laude dignæ; relinquitur ergo anumeratione sufficienti bonorum omnium, quòd non possunt ferri nisi in bonum delectabile, sub ratione delectabilis. Hoc ipsum confirmatur. Nam obiectum appetitus sensitiui, est bonum delectabile. ergo nihil valet appetere, nisi sub ratione delectabilis. ¶ Ex his consequitur, quòd appetitus sensitiuus, etiam in homine, non versatur nisi circa bonum delectabile: nunquam enim appetitu sensitiuo appeteret potionem amaram, nisi per rationem intelligeret esse vtilem ad suam sanitatem procurandam. ¶ Ex eisdem documentis manifestè liquet, quòd appetitus sensitiuus nunquam exercet suas operationes, nisi propter delectationes, quanquàm institutor naturæ instituerit delectationes, propter operationes; neque est peruersitas appetitus sensitiui contra autorem naturæ; imò est sagacitas, & prudentia quædam naturalis. Cùm enim bruta animantia non possunt per sensum cognoscere id, quod vtile est, quatenus vtile est, adiunxit autor naturæ delectationem, quæ moueat brutorum appetitum ad suas operationes. ¶ Sed illud etiam non est prætereundum, quòd brutum propriè non exercet operationes, propter delectationes, ita vt ordinet operationes ad delectationes; sed appetit sic operari, quoniam est delectabile; illa verò operatio destinatur ab autore naturæ ad alium finem, videlicèt ad conseruationem indiuidui vel ad conseruationem speciei. Ex his, ni fallor, argumenta quæ facta sunt in principio, solutionem habent. Sed iam tempus est vt ad alium articulum progrediamur.

Corol. Appetitus sensitiuus in homine nõ versatur nisi circabonum delectabile.

Bruta propriè nõ operãtur ob delectationes

ARTIC. TERTIVS.

¶ Vtrùm ad beatitudinem requiratur comprehensio.

SVMMA TEXTVS.

QVæstio huius articuli proponitur præcipuè, propter D. Paul. qui 1. Corint. 9. sic ait. Sic currite, vt comprehendatis. Quæstio ergo est. Vtrùm ad beatitudinem requiratur comprehensio: & conclusio est affirmans. Sed videamus, quomodo probatio D. Tho. legitimè procedat. In primis D. Thom. statuit pro certo, quòd cũ beatitudo consistat in consequutione vltimi finis, ea quæ requiruntur ad beatitudinem, consideranda sunt ex ipso ordine ad finẽ. Deinde statuit D. Tho. aliud principium æquè notum, & exploratum, quòd homines ordinantur ad beatitudinem, per intellectum, & volũtatem, quo maximè discernimur à cęteris animantibus. Sed & tertium subdit principium D. Tho. cùm inquit, quòd intellectus noster, dũ viuimus, ordinatur in finem vltimũ per fidẽ, cuius est imperfecta cognitio. Cæterũ voluntas nostra ordinatur in beatitudinẽ per duos actus, scilicet per amorem, & spem: qui inter se differunt hoc modo. Nam amor est primus actus voluntatis, vt in sequentibus patebit, est vtique primum pondus, quo voluntas fertur in rẽ amatam, licèt de rei consequutione, spem, aut fiduciam non concipiamus. Cõtinuò enim atq; quisdijudicat episcopatũ esse bonũ, quãquã de illo habẽdo nul-

1. Cor 9.

Conclusio.

2. Cor. 13.

la effulgeat ſpes, amat illum. Cæterùm ſpes, vel fiducia addit ſupra amorem, tendentiam, inquiſitionem, & curſum, ſicut dicit Paulus. Sic currite, vt comprehendatis: ſpe enim mouemur ad rei amatæ conſequutionem. Sed pergit Diuus Thomas aliud conſtituere documentum. Res (inquit) amata tribus modis ſeſe poteſt habere ad amantem; vel enim iam habemus illam, & tunc amor perfectus, eſt iucundiſsima rei amatę poſſeſsio; ſed tunc ſpes locum non habet: quod habet enim quis, quid ſperat? vel eſt impoſsibilis adeptu, & tunc ſpes euaneſcit: vel eſt poſsibilis, ſed ardua & difficilis, & hæc eſt habitudo ſperantis, & confidẽtis ad remſperatam. Ex his principijs ſic ratiocinatur D. Thom. beatitudo cùm ſit perfectiſsimum bonum, & vltimus finis noſtri deſiderij, & amoris, neceſſũ eſt quòd hęc omnia compleat; & ſic iſtis tribus correſpõdent aliqua in vita beata. Nam perfecta cognitio, quæ eſt viſio diuinæ eſſentiæ, correſpondet imperfectæ cognitioni fidei, iuxta illud Paul. 1. Corinth. 13. Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Præſentia verò finis, correſpõdet ſpei, ſed delectatio in præſentia conſequitur dilectionem, & ideò ad beatitudinẽ neceſſum eſt iſta tria concurrere, viſionem, quæ eſt cognitio perfecta, comprehenſionem, quæ importat præſentiam finis, delectationem, vel fruitionẽ, quæ importat quietationem rei amantis, in amato.

Res amata tribus modis ſe poteſt habere ad amantem.

1. Cor. 13.

EXPLICATIO ARTICVLI.

IN hoc articulo quatuor ſunt inueſtiganda; principiò, quid ſit comprehẽſio; deinde, cuius potentiæ; proximo loco, num poſsit eſſe beatitudo ſine huiuſmodi comprehenſione; vltimò, vtrùm viſio diuinæ eſſentiæ cũ fruitione ſatis ſit ad beãdum hominem; an præterea ſit neceſſaria comprehenſio. ¶ Vt igitur prima quæſtio elucidetur, ſcire oportet, quòd comprehenſio eſt vocabulum variæ ſignificationis in diuinis literis, & in ſacra Theologia. Nam accipitur interdum, vt ſignificet rei conſecutionem, & tentionem, prout dicimus, iam tenemus illum, quia præſentialiter habemus; interdum verò accipitur, vt ſignificet incluſionem comprehenſi à comprehẽdente: ſed etiam accipitur comprehendere, pro eo, quod eſt ad perfectionem peruenire. In primo ſignificato accipitur in præſentia, cùm dicitur, ad beatitudinem eſſe neceſſariam comprehenſionem, id eſt, vltimi finis conſecutionem, de qua loquitur Paul. cùm dicit. Sic currite, vt comprehendatis. In ſecundo ſignificato accipitur Ierem. 32. cùm de Deo dicitur, Magnus conſilio, & incomprehenſibilis cogitatu. In tertio vſurpatur ad Philip. c. 3. Sequor autem ſi quomodo comprehendam; fratres, ego nou arbitror me comprehendiſſe, id eſt, multa mihi deeſſe video ad perfectionem, vt nequaquam mihi placere poſsim, ac ſecurus eſſe; ego (inquit) non arbitror me comprehendiſſe, id eſt, ad perfectionem iuſtitiæ peruenisſe. Ac de prima quęſtione hæc in præſentia ſufficiant.

Cõprehenſio quid?

Ierc. 32.

Phil. 3.

¶ Proximum eſt vt exponamus ſecundam quæſtionem, cuius nam potentiæ ſit comprehenſio voluntatis, an intellectus? ¶ Certè D. Thom. in ſolutione ſecũdi apertè docet, quòd eſt voluntatis; itaque voluntas eſt, quæ habet Deum præſentem, non per operationem volũtatis, ſed per operationem intellectus, & quòd hæc ſententia vera ſit, oſtenditur in hunc modum. ¶ Nam illa potentia, reſpectu cuius obiectum eſt abſens, & quæ quærit eius præſentiã, ea certè eſt, quæ habet obiectum præſens, at voluntas eſt, quę deſiderat Deum, & quærit illum. ergo ea eſt quæ habet Deum præſentem.

Cuius potẽtiæ ſit comprehenſio. D. Thom.

Primũ arg.

¶ Hoc ipſum confirm. Nam quando quis cupit amici præſentiam, & eius amplexus, & habet illum præſentem, potius voluntas habet illum præſentem, quàm oculus, vel intellectus, licèt præſentia ſolùm ſit oculorum, aut intellectus. Et certum eſt quòd ſitiens non appetit aliam præſentiam aquæ, quàm bibere; & ſic aqua fit præſens voluntati per os; muſica per auditum.

Confir.

¶ Denique

Secundum. ¶ Deniq; cõprehensio correspondet spei, visio fidei, & delectatio charitati, vt definit D. Th. in articulo. Sed spes est voluntatis. ergo cõprehensio est voluntatis; co vel maximè, quòd cæteris actibus correspondet aliquid in proprio subiecto in vita beata. ¶ Ad huius rei explicationem dico primùm, quòd comprehẽsio beatifica est, habere Deum præsentem cum perpetuitate, & securitate; quapropter licet D. Pau. in raptu viderit diuinam essentiam, vt quidam Doctores sancti affirmant, non tamen fuit comprehensor.

Responsio. Comprehẽsio beatifica.

Comprehẽsio est intellectus. D. Thom. ¶ Deinde decerno, comprehensionem esse intellectus, & idem cum Dei visione, hoc asserit apertè D. Thom. & verisimè, in solutione tertij. Nam comprehensio nihil aliud est, quã consecutio vltimi finis; sed consecutio vltimi finis, est actus intellectus, vt superiùs est demonstratum artic. 4. quæst. præcedentis. ergo comprehensio est intellectus. ¶ Præterea, comprehensio est veluti tentio summi boni; & comprehẽdere, est tenere, sed intellectus est veluti manus voluntatis, per quam voluntas habet bonum quod desiderat. ¶ Ad extremum dico, quòd visio diuinæ essentiæ non est comprehensio, quatenus est visio Dei aperta; sed quatenus per eã habemus Deum præsentem; & per eam voluntas tenet quod desiderat, itaque sicut voluntas est quæ laborat, & satagit vt habeat bonum quod desiderat, ea est quæ habet bonum amatum, non quidem per actum voluntatis, sed per actum intellectus; quemadmodum appetitus est qui desiderat cibum, & apprehendit illum per gustum. Ratio huius est, quoniam cùm voluntas sit vniuersalis hominis appetitus, mouet vniuersas potentias ad consequendum suum finem. Ex his discere poteris, quomodo comprehensio sit actus intellectus, & pertineat ad voluntatem.

Dubium. ¶ Sed addubitabit Theologus; quid est quod dicit Diuus Thomas quòd visio correspondet fidei? nam in superiori articulo ad finem dixerat, quòd correspondebat charitati. Respondetur, nullam esse contradictionem; non enim est incommodum quòd vnus idemque actus, secundum diuersas considerationes, diuersis habitibus, & potentijs correspõdeat; si visio consideretur vt est clara, & aperta, correspondet in præmium fidei obscurę: si verò consideretur vt comprehensio, correspondet spei; at si consideretur vt præmium bonorum operum, correspondet charitati, quæ est primũ principium bonorum meritorum.

Ter. quæst. Vtrũ beatitudo possit esse sine cõprehẽsione ¶ Sed hoc iam satis probato & constituto, sequitur vt examinemus tertiam quæstionem, Vtrùm possit aliquis esse beatus sine Dei comprehensione? idque quærimus de Dei cunctipotentia: nam secundum legem statutam & ordinariam quid sit sentiendum, nemini potest esse dubium. ¶ Suadetur pars affirmans. Nam Deus potest dare homini notitiam sui intuitiuam ipso absente, qui proinde esset beatus, quippe qui videret Deum sicuti est. ¶ Deinde, Deus potest dare notitiam intuitiuam Antechristi absentis, vel non existentis, prout docent omnes ferè Theologi; poterit ergo dare notitiam intuitiuã sui ipsius, ipso absente. ¶ Hoc ipsum explicatur euidentiùs. Nam obiectum non concurrit ad causandam notitiam; nisi solùm per modum causæ efficientis: Sed potest Deus supplere omnem causalitatem efficientiæ; poterit ergo producere notitiam intuitiuam rei absentis.

Pars affirmatiua. Primo. Secundo.

Tertiò. ¶ Ad hæc, vt habeatur notitia intuitiua de aliquo, non est necesse quòd sit, neque vt concurrat tanquam obiectum; Deus namque habet notitiam intuitiuam de futuris contingentibus, & beati de rebus futuris, & angeli habent notitiam de rebus materialibus, non concurrentibus obiectiuè, vt placet D. Thom. ergo potest Deus infundere notitiam sui, ipso Deo absente. Profectò videtur quòd Deus possit impedire, lapide existente ob oculos meos, omnem actionem lapidis, & facere quòd ego viderem lapidem; at tunc lapis eodem modo se haberet atque si esset absens: ergo ad eundem modũ poterit Deus facere notitiam sui intuitiuam, ipso concurrente effectiuè, & non obiectiuè.

Argumẽt. ¶ Ex his conficitur argumentum in principio adductum, & eius vis demonstratur. Nam talis homo est beatus, siquidem videt Deum sicuti est, at non comprehẽdit Deum, vtpote qui absens est.

Vltimò. ¶ Denique ad extremum sic argumentor. Non minùs ad vitam beatam est necessaria delectatio & fruitio, quàm comprehensio. Sed potest esse beatitudo sine delectatione, vt superiori articulo expositum est. Ergo ad beatitudinẽ non requiritur comprehensio, & sic poterit esse beatitudo, sine comprehẽsione. Vt hęc quæstio elucidetur, primùm sic statuo, esse prorsus impossibile quòd quis sit beatus sine comprehensione. Nam beatitudo est consecutio summi boni; sed consecutio summi boni, sine comprehensione intelligi non potest. Ergo fieri nõ potest vt sit beatitudo sine comprehensione. Deinde, quòd sit beatitudo sine comprehẽsione est euidens contradictio; etenim si est beatitudo, est consecutio summi boni; at si non est comprehensio, non est consecutio summi boni; sequitur ergo euidens contradictio. Vnde ad argumenta breuiter respondebo.

Ad argum. ¶ Nam ad primum dico, quòd si ille casus est possibilis, talis homo, sicut esset beatus, sic comprehenderet ipsum Deum, siquidem haberet Deum præsentem atque si suis oculis illum cerneret. Vel dicito,

to, quòd quanquam fieri possit, vt Deus infundat notitiam intuitiuam aliarum rerum, absque earum præsentia; at in visione diuinæ essentiæ, hoc est impossibile prorsus; tum, quoniam diuina essentia est vbique præsens per essentiam, præsentiam, & potentiam; tum verò, quoniam diuina essentia videri non potest per aliquam similitudinem creatam, propter quod, vt videatur diuina essentia, necessum est omnino vt ipsa diuina essentia vniatur intellectui creato, in ratione speciei intelligibilis, quod non potest fieri sine Dei præsentia; de qua re in 1.p. disputa-
Ad vltimũ. tum est diligentiùs. ¶ Ex his patet ad alia argumenta, excipio vltimum, ad quod dicendũ est, quòd delectatio est propria passio beatitudinis; comprehẽsio verò est beatitudinis essentia, & ideo non est similis argumentandi ratio.
Argum. ¶ Sed vt ad vltimam dubitationem deueniatur, scire oportet, quòd ex commemoratis in superiori disputatione, potest produci tale argumentũ ad comprobandum, quòd visio Dei cũ amore, & fruitione, non sufficiant ad hominem beatificandum. Nam potest quis videre Deum, & habere Deum absentem; ergo potest quis videre Deum, & non esse beatus. Antecedens probatur facta illa hypothesi, quòd Deus daret notitiam sui intuitiuã ipso absente: sed iam hęc dubitatio explicata est, si documẽta superiora memoria teneantur; nam iam demonstratum est, esse omnino impossibile quòd aliquis videat Deum, & non habeat præsentem Deum.

ARTIC. QVARTVS.

¶ *Vtrùm ad beatitudinem requiratur rectitudo voluntatis.*

SVMMA TEXTVS.

Prior Cõcl. PRior Conclusio. Rectitudo voluntatis requiritur ad beatitudinem antecedenter: quæ conclusio verissima est, & argumentatio D. Thom. rectè procedit. Nam ordo voluntatis ad finem est, sicuti ordo materię ad formã; est enim velut perfectibile ad suam perfectionem; quapropter finis comparatur ad id, quod ordinatur ad finem, sicut forma ad materiam, quæ si nõ est dispositа, non consequitur formam. Ita sanè voluntas non potest debitè consequi finem suum, nisi habeat debitum ordinem ad vltimum finem, in quo rectitudo voluntatis consistit.

¶ Posterior Conclusio. Rectitudo voluntatis requiritur ad beatitudinem consequenter, & concomitanter: quia sicut in præsenti statu nihil cupit, vel amat voluntas, nisi sub communi ratione boni, sic beatorum voluntas nihil potest diligere, nisi sub ratione diuinę bonitatis, quæ voluntas rectissima est. Posterior Conclusio.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CErtè secundùm legem à Deo statutam nemini potest esse dubiũ, quin ad vitam beatam requiratur rectitudo voluntatis, tum antecedenter, tũ consequenter & concomitanter. Quòd si quis est pusillus, qui ad huius rei confirmationem sanctas scripturas expostulet, vt huic satisfaciamus, in primis est illa Matth. 5. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt, & Hebr. 12. dicit Pau. Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deũ, & Iaco. c. 1. Religio munda & immaculata apud Deum & patrem hæc est, visitare pupillos, & immaculatum se custodire ab hoc seculo, & in Psalm. 14. Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam, & Sapien. 7. Nihil inquinatum incurrit in eam, & Esai. 35. Via sancta vocabitur, & nõ transibit per eam pollutus. Denique in hoc exuperat nostra religio omnes alias religiones, & philosophorum sectas, quòd summam requirit munditiam à suis sectatoribus, in cogitatione, loquutione, & opere: propter quod, lex Dei vocatur lex Domini immaculata, custodiens animas. Hac veritate stabilita & confirmata, sequitur grauis quæstio. ¶ Vtrùm beati in vita beata sic habeant rectitudinem voluntatis, vt peccare deinceps non possint, efficianturque omnino impeccabiles. A parte negatiua sic arguitur. ¶ Nam angeli, qui Deo assistunt, beati sunt atque felices. Sed in angelis, qui Deo assistunt, potest esse peccatum, iuxta illud Iob c. 4. Ecce qui seruiunt ei, non sunt stabiles, & in angelis suis reperit prauitatem. ¶ Deinde, beatitudo

Mat. 5. Heb. 12. Iac. 1. Psal. 14. Sap. 7. Esa. 35. Psal. 18. Quæst. gra. Vtrũ beati peccare pos sint. Pars negati ua. Primũ arg. Iob 4. Secundum.

do non tollit, neque destruit naturam voluntatis humanæ. Sed nostra voluntas suapte natura vertibilis est de bono in malum. Ergo beati atque felices non habent voluntatem immutabilem in bono. Certè quòd beati atque felices, ex natura, & ex statu beatitudinis non habeant quòd sint impeccabiles, sed tantùm ex dono gratiæ eos in bono confirmantis, docent Doctores bene docti; Scotus 1.d.1.q.4.& in 4.dist. 49.q.6.& Gab.1.d.1.q.6.& in 2.d.7.q.1. Adam, & alij huius farinæ. Sentiunt itaque prædicti autores quòd beati ex natura beatitudinis possunt peccare, & odio habere Deum, vt si cognoscerent eos condemnaturum, vel aliquem eorum amicum. Addunt præterea, quòd ad experiendam suam libertatem, possunt à Dei visione, & fruitione desistere. Hæc sententia probatur argumentis non contemnendis.

Scotus. Gab. Adam.

Primũ arg. ¶ In primis, beati ex statu beatitudinis non perdunt naturam, neque proprietates naturales. Sed ad rationalem creaturam naturaliter consequitur liberum arbitrium in bonum, & in malum flexibile, ad quod subinde subsequitur possibilitas peccandi: ergo beati possunt peccare.

Secundum. ¶ Deinde, quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur, vt habet Prouerbiũ. Sed beatitudo recipitur in libero arbitrio, quod est ad malum, & bonum flexibile: ergo beatitudo non excludit peccandi possibilitatem.

Tertium. ¶ Præterea, dato (disputationis gratia) quòd homo reprobus dum hîc viuit, videret diuinam essentiam (quod fieri posse omnes Theologi concedunt) in ea certè videret suam damnationem, qui proinde apprehenderet Deum sub ratione mali, & nociui: poterit ergo odio habere Deũ.

Quartum. ¶ Ad hæc, si ita res se habet, quòd beati necessariò amant Deum, & sunt omnino impeccabiles, sequuntur hæc incommoda. In primis sequitur, quòd non sunt liberi in vita beata; quod asserere absurdissimum est.

Quintum. ¶ Deinde, licèt necessariò ament Deum, quod adhuc in ambiguo est, verùm non necessitantur ad alia præcepta obseruanda, neque ad alia media prosequẽda; quemadmodum licèt Deus se amet necessariò, alia tamen liberè amat. Ergo in alijs medijs prosequendis cùm maneat omnimoda libertas, peccare possunt; vel saltem sequitur hoc incommodum, quòd omnia opera beatorum sunt necessaria, & quòd in nullo libertatem habeant. Nã si concedas quòd in aliquo opere libertate gaudeant, statuamus quòd Deus illud opus præcipiat, tunc conficio hoc argumentum. Beatus potest illud opus à Deo præceptum facere; & non facere: ergo potest peccare.

Sextum. ¶ Iã verò quis prohibet quòd in vita beata possint esse peccata venialia? siquidem peccata venialia non aduersantur charitati, vt habet sana doctrina.

Septimum. ¶ Insuper, de potentia Dei absoluta duo contraria possunt esse in eodem subiecto simul; quapropter tempore passionis Dominicæ in anima Christi fuit summum gaudium, & summa tristitia. Ergo de potentia Dei absoluta, potest esse in vita beata summus amor, & summum odium Dei.

Vltimum. ¶ Denique, beatus si vult, peccare potest: ergo absolutè & simpliciter peccare potest. Antecedens huius argumenti est verissimum; nam est vna conditionalis, quæ est recta consecutio; imò verissimum est, quòd si Deus vult, peccare potest. Consequentiã argumenti probatur; quoniam id quod aliquis potest facere, si vult, absolutè potest facere. Hæc sunt argumenta, quibus persuadere nituntur autores commemorati, quòd beati ex statu beatitudinis peccare possunt, nisi per gratiam Dei in bono essent confirmati.

Expositio quæst. ¶ In hac quæstione explicanda duo faciam, eaque breui expediam; demonstrabo in primis cõtra Origenem, quòd beati sunt impeccabiles; deinde ostendam, vnde sint impeccabiles, ex statu beatitudinis, an potiùs ex dono gratiæ eos in bono confirmantis.

Orig. ¶ Vt igitur primum breuiter, & summatim definiam, scire oportet, quòd Origenes homil. 23. super Lucam docet, quòd non solùm angeli beati possunt peccare, verumetiam quòd aliquando peccant. Nam interdùm angeli custodiæ hominum deputati, sunt in culpa & negligentia, & ideo reprehenduntur à Deo; referturque hæc sententia inter errores Origenis, quòd asseruit angelos, & animas beatorum, post beatitudinem, iterum posse in miseriam deuenire.

Faber. Atqui Iacobus Faber in opusculo quodam de triplici Magdalena, obijciens sibi autoritatẽ D. Thom. qui asserat vnicam tantum fuisse Magdalenam, respondet statim, sententijs D. Tho. non esse adhærendum, quippe qui errauerit in hoc articulo, dicens beatos esse impeccabiles.

nõ. ¶ Nihilominus definitio fidei irrefragabilis est, beatos esse impeccabiles, eosque habere voluntatem immutabilem in bono, quod demõstro. Primùm, ex autoritate ecclesiæ, quæ est columna, & firmamentum veritatis.

Psal.83. Deinde ex diuinis scripturis, Psal. 83. Beati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabũt te, id est, sine fine.

Esa.33. Esa. 33. Oculi tui videbunt Ierusalem ciuitatem opulentam, tabernaculum quod nequaquam transferri potest, nec auferẽtur claui eius in sempiternum, & funiculi eius nunquam disrumpentur; quia solummodo ibi est magnificus Dominus Deus noster, &

1.Pet.1. 1. Pet. c. 1. Regenerauit nos in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, &

Apoc.3. Apoca. cap. 3. Qui vicerit, faciam illum columnam in templo

Dei

Dei mei, & foras non egredietur amplius. Denique huiusmodi sunt innumerabilia testimonia veteris, & noui testamenti, quæ asserunt beatitudinem esse sempiternam, & per peccatum nõ posse deperdi. ¶ Argumenta verò rationis ex diuina Theologia adducta, in sequentibus designabuntur. Ad Origenẽ dico, quòd in hac parte notatur de errore, & hæresi, & ideo est cauẽdus. Ad Fabrum dico, quòd notatur in hac parte de imperitia, & illi possumus dicere, quòd tractent fabrilia fabri. Ad sententiam verò adductam ex lib. Iob c. 4. dico, quòd habet varias interpretationes; quidam interpretantur de angelis viatoribus; quòd si explicetur de angelis beatis, sensus & interpretatio est, quòd quantũ est ex natura sua, possunt peccare; sic explicat D. Gregor. 5. moral. c. 27. Alij interpretantur, quòd nomine prauitatis non intelligatur peccatum, sed ignorantia, aut alius defectus; propter quod dicit D. Dionys. quòd angeli superiores purgãt, & illuminant angelos inferiores. Alij sic explicant, vt dicant sensum esse, stabilem illam, & immutabilem naturam non habere angelos, quã habet Deus; vnde hebraismus propriè habet, & in seruis suis non credit, sunt enim mutabiles si suæ relinquantur naturæ. ¶ Ad secundum argumentum dicendum est, quòd gratia, & gloria non tollunt naturam; tollunt tamen & destruunt defectus naturæ: porrò peccatum non est natura, sed defectus naturæ; quòd si ab anima beata auferatur possibilitas peccandi, nõ admitur ei aliqua perfectio; nã posse peccare, magna imperfectio est. ¶ Sed superest vt explicemus; Vnde veniat quòd beati sint impeccabiles; & manum conferamus cum Scoto & alijs, qui existimant non venire ex natura beatitudinis, sed ex dono gratiæ confirmantis beatos in bono. Durand. in 2. d. 7. q. 1. & d. 23. q. 1. docet hoc proficisci ex eo, quòd in beatis non potest esse error in intellectu, & sic ratiocinatur. Beati videntes Deum, cognoscunt plenè omnia quæ ad se spectant, & vniuersa quæ in quouis negotio agenda sunt; & non existente errore in intellectu, non potest esse peruersitas, neque peccatum in voluntate, dicente Aristot. 3. Ethico. c. 1. omnis prauus est ignorans; & testante sacro eloquio Prouerb. 14. Errant omnes qui operantur malum. Certè hæc argumentatio Durandi efficax est, quæ confirmatur alio argumento non minoris efficaciæ. ¶ Nam visio diuinæ essentiæ, est summum bonum, siquidem est nostra beatitudo: ergo facit beatos & felices impeccabiles. Profectò si beatitudo nõ excluderet omne malum, & possibilitatem peccandi; summum bonũ non est, neque appetitum nostrum sedare, & exaturare potest. Præterea ad vitam beatam bonitas maximè necessaria est; vtique necessarium est, vt beatus bonus sit: ergo siuisio diuinę essentiæ non facit beatum, bonum & impeccabilem, non est beatitudo, neque sufficiens bonum ad hominem beandum. Has rationes accepit Durand. ex D. Thom. de verit. q. 22. art. 6. & q. 24. ar. 8. & 3. cõt. gen. c. 62. & 4. lib. c. 92. & 1. p. q. 62. art. 8. ¶ Sed D. Th. in locis dudum citatis scribit beatos esse impeccabiles, tũ ex parte intellectus, tũ ex parte voluntatis. Ex parte intellectus quidẽ, quoniã habent lumen glorię, habentque obiectum prę̃sentissimum; namque vident omnia quæ ad statum cuiusque pertinent, & vniuersa quæ in quouis negotio agenda sunt. Sed ex parte voluntatis sic ratiocinatur D. Thom. Nam beati vident essentiam bonitatis, & vniuersam rationem boni, tam vniuersalem, quàm particularem: ergo quicquid amant, propter illud summum bonum amant, ac subinde à rectitudine, & probitate auerti nunquam valent. Consequutio huius argumenti inde probatur. Nam essentia bonitatis in ordine ad videntem Deum sic se habet, sicut bonum in communi ad creaturam rationalem, dum hanc viuit vitam. Sed creatura rationalis nihil potest velle, nisi sub ratione boni in communi. Ergo videns Deum nihil potest velle, nisi propter illud summum bonum, quod videt, & possidet, in quo rectitudo voluntatis maximè sita est, vt nihil velit, cupiatue, nisi propter verum & summum bonum. Vim & efficaciam huius argumentationis explicat Caietan. quem proinde legendum censeo. Sed veniamus ad aliam huius rei demõstrationem. ¶ Certè beatus non potest nolle beatitudinem, sicut non potest velle miseriam: Sed beatus dilucidissimè cognoscit, quòd statim atque peccat, perdit beatitudinem: ergo non potest velle peccare. Denique, beatus in omnibus desiderat Deo placere, & in vita beata perseuerare: sed dignoscit optimè ad hoc esse necessarium vt non peccet: ergo semper vult non peccare; qui enim efficaciter vult finem, efficaciter vult media quæ sunt necessaria ad finem. Sed & hæc veritas demonstrata est euidentiùs in arti. 1. huius quę̃stionis, vbi plenissimè ostensum est, quòd beati necessariò amant, & fruuntur, sic adeò, vt ab amore, & delectatione desistere nõ valeant. ¶ Ex quibus liquidò cõstat, quòd vita beata de se, sine eo quòd ei aliquid super addatur, excludit omne malum, & omnem possibilitatem peccandi, & perdendi felicitatis statum; alioqui beatitudo non esset; vnde beati atque felices, ex beatitudinis proprietate, & non ex priuilegio, sunt impeccabiles. Sed vt hæc veritas euidenter, & distinctè intelligatur, statuatur solito more prima Conclusio ad mentem doctissimi

Respõdetur Origeni & Fabro. nõ.

Iob 4.

D. Greg.

Dionys.

Ad secundũ

Vnde prouenit quod beati sint impeccabiles.

Durand.

Aristot.

Pro. 14.

D. Thom.

Caiet.

Prim. Cõcl.

Victoria. Prima Cõc. Deus potest dãnatos saluare.

simi patris Victoria, Deus de sua omnipotentia potest dare visionem sui, illi, qui semper fuit in peccato mortali, & potest damnatos saluare. Hæc conclusio cùm loquatur de potentia Dei absoluta, liquida est; nam Deus potest gratis ignoscere, & condonare peccata; Vtrùm verò possit condonari & remitti peccatum, sine aliquo dolore, & proposito non peccandi; alia quæstio est, quæ in materia de pœnitentia inuestigari solet.

Secũ. cõcl.

¶ Secunda Conclusio. Deus, quæ sua est omnipotẽtia, potest dare visionem sui, homini existenti in peccato mortali, hoc est, illi qui priùs commisit peccatum mortale, & non fuit illi remissum; verùm talis non esset beatus, quia simul cum Dei visione haberet culpæ miseriam.

Tertia Cõc.

¶ Tertia Conclusio. Deus de potentia absoluta potest dare visionem sui, existenti actu in peccato. Sed tunc videtur, quòd in primo exordio esse visionis, statim desineret peccare, propter rationes superiùs adductas, quibus satispro batum existimo, quòd videns Deum, non potest peccare.

Obiectio. Solutio M. Victoriç

¶ Et si dicas, quòd Deus in illo instanti potest impedire actiuitatẽ visionis beatificæ, & sic non amabit Deum, poteritque perseuerare in suo peccato. Respondebat doctissimus Victoria, id posse concedi, neque facilè posse impugnari; vnde iuxta hanc opinionem, videns Deum de potentia absoluta, potest peccare. Nos in superioribus docuimus, quòd lege statuta seruandum est, & id quod natura beatitudinis expostulat; Deus verò virtute miraculosa potest contrarium efficere.

Proba sententia.

Ego verò quid de hac re sentiam, breuiter complectar. ¶ Sentio certè, Deum de sua omnipotentia posse auferre à beato lumen gloriæ, & visionem beatificam, quibus ablatis, beatus potest peccare; nam iam non manet beatus. ¶ Deinde aio, quòd postquam Deus promisit iustis in præmium visionem beatam, non potest eis eam denegare: nã licèt negando præmium iustis, nullam faceret iniuriam beatis, prout demonstrabitur in materia de gratia; negaret tamen seipsum, & suam veritatẽ, & non exolueret Christo Domino, quod promeruit de omni rigore iustitiæ: itaque Deus confert necessariò visionem beatificam iustis in præmium. Sed hæc necessitas nõ tollit Dei omnipotentiam, qua potest omnes beatos de cœlo deijcere; est enim necessitas ex suppositione, quæ non tollit Dei omnipotentiam, qua potest omnes beatos in nihilum redigere. ¶ Denique ad extremum decerno esse prorsus impossibile, quòd videntes Deum possint peccare, sic docet Capreol. in 1. d. 1. q. 3. conclusione 4. & demõstratur esse verum, hoc pacto. Nam videntes Deum, vident essentiam & fontem bonitatis, &

Capr.

omnem rationem boni, tum vniuersalem, tum particularem. ergo quicquid amant, amant propter summum bonum; quomodo ergo peccare poterunt? Deinde, voluntas non potest velle aliquid, nisi sub ratione boni, quod adeò certũ est, vt nulla ratione aut potentia fieri possit, vt feratur in malum, sub ratione mali. Sed intellectus non potest proponere voluntati in vita beata, quòd sit bonum desistere à Dei amore & fruitione, aut perdere vitam beatam per peccatum. Ergo beatus peccare non potest. Vltimò: Posito efficaci imperio ex parte intellectus, voluntas non potest non præstare obedientiã. Sed visio beata non solum est speculatiua, sed etiam est imperium efficax, quo efficaciter imperat amorem Dei: ergo necessariũ est vt amor Dei sequatur.

Solutio Argumẽt.

¶ Ad argumenta dicendum est, ad ea inquam quæ probant, quòd beati ex priuilegio, & non ex natura beatitudinis sint impeccabiles.

Ad primum

¶ Ad primum dicendum, quòd rationalis creatura in vita beata, manet integrè & perfectè libera; non enim est proprietas libertatis posse peccare: vt patet in Deo, & in anima Christi, in quibus peccatum esse nequit. Liberamque voluntas arbitrij nostri habet duo; alterum est, posse operari, & non operari; alterum est, posse peccare, hoc vltimum prouenit ex defectu, & imperfectione liberi arbitrij; & quoniã à vita beata procùl abest omnis imperfectio, ab est subinde peccandi possibilitas. Vel dicẽdum, quòd liberum arbitrium rationalis creaturæ, de se in bonum, & in malum conuerti potest, sed ex coniunctione ad visionem beatificam, in malum flecti non potest; sicut anima Christi Domini ex coniunctione ad diuinitatem peccare non potest. Vel dicat Theologus, quòd liberũ arbitrium in vita beata, iam non consideratur vt liberum arbitrium, sed vt natura quædam determinata ad vnum, & ad bonum, quod superiùs plenè expositum est.

Ad secundũ

¶ Ad secundum dicendum, quòd perfectio inest perfectibili ad modum ipsius, sed tollendo imperfectionem, & defectum cuiusmodi est, posse peccare.

Ad tertium

¶ Ad tertium dicendum est, quòd licèt ille videat suam damnationem in visione diuinæ essentiæ, non poterit Deum odio habere; quia in eo quod videt, splendet omnis bonitatis ratio, & plenitudo, cuius quædam portio est ipsius dãnatio meritissima; est enim homini beato amabilissima diuinæ iustitiæ dispositio, & executio.

Ad quartũ.

¶ Ad quartum dicendum, quòd beati multos actus habent liberos; quanquam enim necessitantur ad amandum Deum, sed ad alia amanda, & prosequenda non necessitantur, sicut ad plenum expositum est 1. arti. huius quæstionis, itaque beati, in vita beata habent se sicut Deus;

Deus

Deus namque necessariò se amat, & alia à se liberè. His addere oportet, non esse inconueniés, quòd postquam beati necessitantur ad finem, ad aliquem actum necessarium ad beatitudinis conseruationem necessitari, videlicet velle implere voluntatē Dei, tametsi ad alios actus particulares liberè se habeant. ¶ Ad quintum dicendum, quòd licèt in prosecutione mediorū, & in alijs multis actibus beati liberè se gerāt, nō est consequens quòd possint peccare; siquidē vniuersā hæc diligunt propter summum bonū; quemadmodum Christus Dominus in suis operibus liberè se habebat, & poterat operari, & nō operari; mori, & non mori; at peccare non potè rat, quippe qui habebat voluntatē in bono confirmatam. ¶ Ad sextum dicendum, quòd licèt peccata venialia non aduertantur charitati, aduertantur tamen feruentissimę charitati, cuiusmodi est in vita beatā. ¶ Ad septimum dicendum, quòd quicquid sit de alijs contrarijs, certè odium Dei non potest esse in vita beata; nā obiectum odij, est malum verum, vel apparens; in vitā autem felici nulla apparet ratio mali. ¶ Ad vltimum neganda est consequendia; nam conditionalis illa habet antecedens omnino impossibile; impossibile namque est quòd beatus velit peccare; vnde quemadmodum nō sequitur, si Chimera vult peccare, potest; ergo absolutè potest peccare; sic non sequitur, si beatus vult peccare, potest; ergo absolutè peccare potest, de confutatione huius argumenti vide D. Thom. quodlib. 5. art. 4. ¶ Sed quanquàm argumenta aduersariorum confutata sunt competenter, semper tamen manet scrupulus. Nam probationes, quibus vtitur D. Thom. in confirmationē suæ doctrinæ, inualidæ & friuolæ videntur; ea namque, quæ adducta est ex parte intellectus, varias calumnias habet; tum quoniam beati nō cognoscunt omnia agenda, sed tantùm ea, quæ pertinent ad statum suum: ergo circa alia agenda peccare possunt. Tum verò, quoniam angeli licèt non potuerint peccare circa naturalia, at peccarunt circa supernaturalia, ergo licèt beati non valeant peccare circa ea quæ intuentur in diuina essentia, peccare poterunt circa ea quæ non vident in diuina essentia. ¶ Ad hæc dicendum, quàm breuissimè potero, quòd quanquā beati non videant omnia in diuina essentia, at sunt prudentissimi; & ideo nunquam opinantur, neque assentiuntur alicui rei cum formidine, & periculo errandi, sed suspendunt actum. Vel dicatur, quòd ex Dei visione sequitur summus amor, ex summo amore, summa diligentia ad inspiciendum quæ Deo placita sunt, & sic nūquam peccare possunt. Deniquè dico, quòd licet beatis ex natura beatitudinis non debeatur quod videant omnia in Deo, cæterùm debetur beato, quod quotiescunque aliquid agendū est, à Deo instruatur, quid sit agendum. Neque est simile de angelis. Nā quāquā angeli in naturalibus fuerint perfectissimi, nō tamē cognoscebāt omniū agendorū rationē, & circunstātias & ideo peccare potuerunt, beati verò (vt dictum est) omnium agendorum rationes intuentur in deo. ¶ Sed rationes, quæ allatæ sunt ex parte voluntatis, in omnibus inualidæ apparent. ¶ Nam ex eo, quod quicquid amat beatus, amat propter Deum, solùm sequitur, quod non possit peccare peccatum commissionis: sed non probat quod non possit omittere actum, & sic peccare peccatum omissionis. ¶ Deinde, sola ea volūtas est impeccabilis, quæ est ipsa regula suarum operationum, prout demonstrat. D. Tho. 1. p. q. 63. artic. 1. Sed voluntas beati non est regula suarum operationum, siquidem regulatur voluntate diuina. Ergo nō est impeccabilis. Vltimo, beatus de potentia Dei absoluta, potest non delectari, & amare vt prædictum est, ergo potest odio Deum habere. Cōsequentia inde probatur. Nā amori tantū aduersatur odium Dei, ergo si amor Dei non est necessarius, poterit ibi esse odiū Dei. Ad hęc breui respondebo. ¶ Ad primum dico, quod amor Dei super omnia, excludit omne peccatum, & commissionis, & omissionis, vel dicendum, quod peccatum omisionis semper oritur ex ignorantia, vel ex inconsideratione, quæ in vita beata esse nō possunt: vel ex actu voluntatis, quo volumus omittere: quē actum in beatitudine inuenire est impossibile, siquidem ibi nulla apparet ratio boni, ex qua voluntas ad omittendum moueatur. ¶ Ad secundum dicito, quod ea volūtas est impeccabilis, quę est regula suarum operationum, vel quæ semper & inseparabiliter habet coniunctam regulam bonarum operationum, cuiusmodi est beatorum voluntas, de quo lege Caietan. 1. p. q. 63. art. 1. ¶ Ad vltimum dico, quod id, quod aduersatur calori, etiā aduersatur causæ productiuæ caloris: quoniam igitur Dei visio de se est amoris productiua, consequens est quod odium Dei, visioni beatæ aduersetur. Item, alia de causa visio Dei dissipat odiū Dei, quoniam ostendit in Deo omnem rationem boni, & nullam rationem mali; tollit ergo obiectum odij, ac subinde ipsum odium.

Ad quintū.
Ad sextum.
Ad septimū
Ad vltim.
D. Thom.
Obiectiones contra probationē D. Thom.
Solutio.
Obijcitur deinde.
Primum.
Secundum.
D. Thom.
Vltimum.
Ad primū.
Ad secundū
Caietan.
Ad vltim.

ARTIC. QVINTVS.

¶ *Vtrùm ad beatitudinem requiratur corpus.*

SVM-

SVMMA TEXTVS.

Prima Cõc. PRima Conclusio. Ad beatitudinem imperfectam, quæ in hac vita habetur, requiritur corpus, cùm operatio intellectus hîc non sit sine phantasmate.

Secũ. cõcl. ¶ Secunda Conclusio. Ad beatitudinem perfectam, quę in Dei visione consistit, non requiritur corpus; quamuis aliqui falsò crediderint, animas vsque ad resurrectionem non videre Dei essentiã, quod est contra Apostolum 2. Corinth. 5. Voluntatem habemus peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Deum. Quod per rationem etiam patet; quia beatitudo consistit in visione Dei, qui per phantasma non videtur, & sic non est necessarium corpus. 2. Cor. 5.

Tertia Cõc. ¶ Tertia Conclusio. Ad beatitudinem perfectam requiritur corpus ad bene esse. Perfectio enim dupliciter consideratur; vno modo, ad constituendam essentiam, vt anima requiritur ad perfectionem corporis, & hoc modo non requiritur corpus ad perfectionẽ beatitudinis: alio modo consideratur perfectio ad bene esse, & ad perfectionem rei faciẽdam, vt est pulchritudo corporis, velocitas ingenij, & similia, & hoc modo pertinet corpus ad perfectionem beatitudinis; nam operatio dependet ex natura rei. Quantò ergo anima est perfectior in sua natura, tantò perfectiùs habebit suam operationem, in qua beatitudo consistit. At anima separata à corpore, habet insẽparabilem quandam inclinationem ad corpus; quapropter perfectiùs esse habet in corpore.

EXPLICATIO ARTICVLI.

IN hoc articulo mouetur grauissima quæstio: Num animæ sanctorum vsque ad diem iudicij Deum videant, & diuina visione fruantur? Ad hanc perdifficilem & obscuram quæstionem, vniuersi ferè patres antiqui (si prima fronte inspiciantur) negatiuam responsionem adhibẽt: horum sententiam, iuxta seriem temporum in quibus floruerunt, referam fideliter. Iacobus Apostolus in Liturgia diuini sacrificij, pro animabus sanctorum in Christo quiescentium, ita precatur, vt indicet eas nondum ad locum spectatæ beatitudinis peruenisse, est autem forma precationis huiusmodi: Domine Deus noster memẽto omnium orthodoxorũ, ac rectè de fide sentientium, ab Abel iusto vsque ad hodiernum diem, fac eos requiescere in regione viuentiũ, in regno tuo, in deliciis paradisi, in sinu Abraham, Isaac, & Iacob, sanctorum patrum nostrorum: vnde exulat dolor, tristitia, & gemitus; vbi præsidet lumen vultus tui, & perpetuò refulget. Irenæus Episcopus Lugdunensis, in fine libri aduersus hæreses Quirini sic ait: Cùm enim Dominus in medio vmbræ mortis abierit, vbi animæ mortuorum erant, post deinde corpora liter resurrexerit, & post resurrectionem assumptus sit, manifestum est, quia & discipulorum eius, propter quos & hęc operatus est Dominus, animæ abibunt in inuisibilem locum, definitũ eis à Deo, & ibi vsque ad resurrectionem commorabuntur, sustinentes resurrectionem, pòst recipientes corpora, & perfectè resurgẽtes, hoc est, corporaliter, quemadmodum Christus resurrexit, & sic venient ad conspectum Dei.

¶ Iustinus philosophus & martyr in lib. quæstionum à gentibus positarum, q. 76. Si ante resurrectionem nulla sunt operum præmia, quis fructus fuit latroni cùm in paradisum eius animus introductus est; præsertim cum paradisus sub sensum cadat, animi autem essentia non percipiatur sensibus? Responsio, hoc latro consequutus est cùm in paradisum intrauit, quòd reipsa fidei emolumentum, fructumq; cognouit, quia dignus est habitus cœtu beatorum, in quo custoditur ad resurrectionis, remunerationisque diem, habetque paradisi sensum, intelligentiæ sensu, qui dicitur, quo animi & sęipsi vident, & quę sunt sub ipsis, & præterea angelos atque dæmones, & rursum q. 60. Neminẽ (inquit) ante resurrectionem ex his quæ in vita gessit, præmiũ reddi-

Quæst. gra. Nũ animæ sanctorum ante diẽ iudicij videãt Deum.

Patrũ antiquorũ sententiæ.

Iacob.

Irenæus.

Iustinus.

Tertul. redditur. Tertul. lib. aduersus Martionem quar to ait. Vnde apparet sapienti cuique, qui aliquando Elysios campos audierit, esse aliquam localem determinationem, quæ sinus dicta sit Abrahæ, & recipiendas animas filiorum eius, etiam ex nationibus, patris scilicet multarum nationum in Abrahæ censum deputandarum, & ex eadem fide, qua & Abrahã credidit Deo, nullo sub iugo legis, nec in signo circũcisionis. Eã itaque regionem, sinum dico Abrahæ, etsi non cælestem, sublimiorem tamen inferis, interim refrigerium præbituram animabus iustorũ, donec consummatio rerum resurrectionẽ omnium, plenitudine mercedis expungat, hanc apparitura cœlesti promissione, ad quam ascensum Christus ædificat in cælum, vbi est locus æternus. Item lib. de anima c. antepenultimo. Nemini (inquit) ante resurrectionem ex his quę in vita gessit, præmium redditur. Idem rursus lib. de anima c. antepenultimo. Si Christus forma humanæ mortis apud inferos functus, non antè ascendit in sublimiora cœlorum, quàm descendit in inferiora terrarum, vt illic Patriarchas & Prophetas, compotes sui faceret, habes & regionem inferorum subterraneã credere, & illos cubito pellere, qui satis superbè non putent animas fidelium inferis dignas, serui super Dominum, & discipuli super magistrum aspernati, si fortè in Abrahæ sinu, expectandæ resurrectionis solatium carperent, & paulò infrà. Nulli patet cœlum, terra adhuc salua, ne dixerim clausa; tum transactione enim mundi reserabuntur regna cœlorum, & post liqua addit. Habes etiam de paradiso à nobis libellum, quo cõstituimus, omnem animã apud inferos sequestrari in diẽ Domini. Demum c. vltimo hæc intulit. Omnes ergo animæ apud inferos, velis ac nollis, sunt, & supplicia iam illic, & refrigeria, habes pauperem & diuitem. Cur enim non putes animam, & puniri apud inferos interim sub expectatione vtri usque iudicij? quid ergo fiet in tempore isto? dormiemus? at enim animæ, neque in viuentibus dormiunt; corporum enim est somnus; nouit & apud inferos anima & gaudere, & dolere sine carne, quia & in carne illęsa, si velit, dolet; & læsa, si velit, gaudet; hoc si ex arbitrio suo in vita fit, quanto magis ex iudicio Dei post mortem. ¶ Clemens Roman. lib. hypothiposeôn secundo, ex sententia Petri dicit hæc. Quemadmodum magister noster Christus nõ statim euolans abijt, sed sustinens definitum à patre resurrectionis suæ tempus, quod & per Iona manifestum est, post triduum resurgens assumptus est, sic & nos sustinere oportet resurrectionis, & gloriæ nostræ tempus, prænunciatum à Prophetis, & sic resurgentes assumi in cœlum: interim verò, oportet animas vsque ad diẽ iudicij extra cœlum, patienter futuram gloriam expectare. ¶ Origen. homil. 7. in Leuiti. Nondũ (ait) sancti receperunt lætitiam suam, nec apostoli quidem, sed & ipsi expectãt, vt ego lætitiæ eorum particeps fiam. Nec enim decedentes hinc sancti, continuò integra meritorum suorũ præmia consequuntur, sed expectãt etiam nos, licèt morantes, licèt desides; non est enim illis perfecta lætitia, donec pro erroribus nostris dolent, & lugent nostra peccata, sicut Paul. dicit, nondum assequuti sunt promissiones, Deo pro nobis meliùs aliquid prouidente, ne sine nobis perfectionem consequerentur. Vides ergo quia expectat adhuc Abraham vt quæ perfecta sunt consequatur: expectat & Isaac & Iacob, & omnes prophetæ expectant nos, vt nobiscum perfectam beatitudinem percipiant. Idem libr. periarchon secundo non longè à fine, loquens de loco, ad quem animæ sanctorum tendunt post mortem; Puto (inquit) quòd sancti quique decedentes ex hac vita permaneant in loco aliquo in terra posito, quem paradisum dicit scriptura diuina, velut in quodam eruditionis loco, & vt ita dixerim auditorio, vel schola animarum, in qua de omnibus his quæ in terris viderant, doceantur. Iudicia quoque quædam accipiant de consequentibus & futuris, sicut in hac quoque vita positi, iudicia quædam futurorum, licèt per speculum in ænigmate, tamen ex aliqua parte conceperant, quæ manifestiùs & lucidiùs, sanctis in suis locis, & temporibus reuelantur. Si quis sanè mundus corde, & purior mente fuerit, inde ad aëris locum ascendet, & ad cœlorum regna perueniet. Iterum libr. 4. periarchôn, de loco animarum sanctarum, sed aliquanto diuersiùs mentionem faciens inquit; Qui de hoc mũdo secundum communem istam mortem recedunt, pro actibus suis, & meritis dispensantur, prout digni fuerint iudicati; alij quidem in locum, qui dicitur infernus; alij in sinum Abrahę, per diuersas mansiones. ¶ Lactan. lib. 7. diuinarum institutionum c. 21. Nec quisquam putet animas post mortem statim iudicari; nam omnes in vna, communique custodia detinentur, donec tempus adueniat, quo maximus iudex meritorum faciat examen; tunc quorum fuerit probata iustitia, hi præmium immortalitatis accipient; quorum autem peccata & scelera detecta fuerint, non resurgent, sed cum impijs recõdentur in easdem tenebras, ad certa supplicia destinati. ¶ Victorinus martyr Pytabionensis Episcopus, in commentarijs Apocalypseôs, explicans illud, vidi sub altare Dei, &c. Animas autẽ occisorum dicit se vidisse sub ara, id est, sub terra; ara enim, & cælum & terra dicitur; sicut lex ait,

Clemens.

Orig.

Lactan.

Victorinus

ait, quæ duas aras fecerat, auream intrinsecus, & æream extrinsecus. Sicut ergo cœlum intelligitur ara aurea, quæ erat interior, ad quam sacerdotes semel in anno introibant; sic & ara ærea, terra intelligitur, sub qua est infernus, remota à pœnis & ignibus regio, & requies sanctorum; in qua quidem ab impijs videntur, & audiuntur iusti, & nec illûc transmeare possunt. Has ergo animas occisorum expetere vindictã sanguinis, id est, corporis sui, de habitantibus super terram voluit nos cognoscere qui omnia videt. Sed quia in nouissimo tempore sanctorum remuneratio perpetua, & impiorum ventura est damnatio, dictum est eis, expectate. & pro corporis sui solatio, acceperunt (inquit) stolas albas id est, donum Spiritus sancti. ¶ Prudentius in Prudent. Poëmatibus suis piorum animas corpore decedentes, nunc in sinu Abrahæ, nunc in paradiso terrestri, nunc sub altare Dei collocare videtur; sicut in Hymno pro exequijs defunctorum facit, vbi hunc in modum canit;

Qua nam regione iubebis
Animam requiescere puram?
Gremio senis abdita sancti
Recubabit, vt est Eleazar,
Quem floribus vndiq; septum
Dies procul aspicit ardens.
Sequimur tua dicta Redemptor,
Quibus atra morte triumphans,
Tua per vestigia mandas
Socium crucis ire latronem.
Patet ecce fidelibus ampli
Via lucida iam paradisi,
Licet & nemus illud adire
Homini quod ademerat anguis.

Et in Hymno decem & octo martyrum Cæsaraugustanorum, indicans quo loco illa martyrum turba quiescat, ait,

Hæc sub altari sita sempiterno,
Lapsibus nostris veniam precatur
Turba, quam seruat procerum creatrix
Purpureorum.

D. Ambros. ¶ Ambrosius Mediolani Episcopus libro secundo de Cain & Abel, capitulo secundo; Soluitur (inquit) à corpore anima, & post vitæ huius finem, adhuc tamen futuri iudicij ambigua suspenditur. & in libr. de bono mortis c. 10. Scriptura Esdræ, habitacula animarum promptuaria nuncupat, & occurrens querelæ humanæ, eò quòd iusti qui præcesserunt, videntur vsque ad diem iudicij per plurimum scilicet temporis debita sibi remuneratione fraudari, mirabiliter ait; Coronæ esse similem diem iudicij; coronæ enim dies expectatur ab omnibus, vt intra eundem diem & victi erubescant, & victores palmam adipiscantur victoriæ. Ergo dum expectatur plenitudo temporis, expectant animæ remunerationem debitam, alias manet pœna, alias gloria. & paulò infrà in eodem capite, locum quem petunt animæ omnes corporibus exutę, appellat infernum qui non videtur.

¶ Ioannes Chrisostom. homilia trigesimanona in priorem ad Corinthios, examinans vim illius Paulinæ argumentationis, videlicet, si in hac vita tantùm sperantes sumus, ergo miserabiliores sumus omnibus animantibus, inquit; Quid ais Paule? supereritnè fiducia sola si corpus non excitetur? an non animus superstes erit? erit, & immortalis quidem; quanquam verò vel sexcenties sit (vt sanè est) immortalis, tamen sine carne ipsa admirandis illis bonis non fruetur, quemadmodum nec pœnis punietur; omnia enim eorum tribunali Christi manifestabuntur (inquit Paulus) vt vnusquisque ferat quæ per corpus, seu bona, seu mala fecit. Nam si corpus non resurgat, anima nostra incoronata manebit, & extra cœlestem beatitudinem erit. Autor operis imperfecti in Matth. homilia 34. super illud; Erunt primi nouissimi, & nouissimi primi, &c. ostendens quòd denarium æternæ beatitudinis omnes eodem tempore sint accepturi, sic ait; Aut ideo primos dicit nouissimos futuros, & nouissimos primos, non vt nouissimi digniores sint quàm primi; sed vt coæquentur; propheta enim Esdras, volens omnium sanctorum vnam ostendere vocationem, & nullam inter eos esse differentiam temporis causæ, dicit omnium sanctorum numerum esse quasi coronam. Sicut enim in corona, cùm sit rotunda, nihil inuenis quod videatur esse initium, aut finis: sic inter sanctos, quantum ad tempus, in illo seculo nemo nouissimus dicitur, nemo primus: ideo ergo quibus datum est primò nasci, nouissimè remunerantur, quia sancti quasi corona, omnes æquales sunt: nouissimè nati, primi remunerantur, vt illi, illam gloriam habentes, isti per hanc coæquentur.

Chrisost.

¶ Augustin. in enarratione Psalm. 36. ait, Post vitam istam nondum eris, vbi erunt sancti, quibus dicetur; Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi: nondum ibi eris. quis nescit? Sed iam poteris ibi esse, vbi illum quondam vlcerosum pauperem dives ille superbus in medijs tormẽtis videt longè requiescentem in illa requie. Certè securus expectabis iudicij diem. & libr. 12. de Genesi ad literam c. 9. inquit; Pars illa ciuitatis Dei, quæ coniungenda immortalibus angelis, ex mortalibus hominibus congregatur, nunc vel mortaliter peregrinatur in terris, vel in eis qui mortem obierunt, secretis animarum receptaculis, sedibusque requiescit.

D. Augustin.

Theodore. ¶ Theodoretus Cyrenensis Episcopus in commentar. vndecimi capituli ad Hebræos; Sanctorum (ait) ergo tot & tanta fuerunt certamina, sed hi tamen nondum coronas acceperunt; expectat enim vniuersorum Deus aliorum certamina, vt soluto stadio, omnes qui victoriam fuerint consecuti, simul victores pronunciet, & remuneret.

Arethas. ¶ Arethas Cæsareę Episcopus in commentarijs Apocalypseos, collectis ex Andreæ Cæsarienis Episcopi monumentis, dum exponeret illud, Vsquequo Domine non vindicas sanguinem nostrum, ait; Per hæc apparent sancti appetere mundi consummationem, ideo longanimiter expectari iubenturvsque ad consummationem fratrum, ne absque ipsis consummentur, iuxta diuinum Apostolum. Albę autem stolæ florentem in ipsis virtutum splendorem designant, quo induti sunt, quanquam promissiones nondum reportarunt. Horum igitur spe, quę per intellectum, veluti in speculo contemplatur, omni crasitie liberati meritò lętantur, quiescentes in sinibus Abraham. Nam id à multis sanctis dictum est, vnumquemque virtutis cultorem, sortitum esse dignum locum, vnde etiam de futura sua gloria certam quandam assequatur coniecturam.

Oecumen. ¶ Oecumenius in vndecimo capitulo epistolę ad Hebræos. Omnes (inquit) sancti testimonium promeriti, quòd per fidem Deo placuerunt, nondum consequuti sunt bona iustis promissa, Deo de nobis melius prouidente, ne illi aliquid amplius quàm nos haberent: in eo quòd priores coronati essent, vnum definiuit tempus, vt & nos cum ipsis coronemur. hoc autem pro nobis est, illi nunquam sedent irremunerati, nostram expectantes administrationem (ne sine nobis consummarentur.) Non dixit coronarentur, sed quod maiorem habet emphasim, consummarentur, hoc est, acciperent terminum bonorum, pro quo laborat omnis conatus, & fatigatio eius qui virtute prędi-

Theophyl. tus est. ¶ Theophylactus Bulgarię Episcopus ad Hebræos vndecimo. Sancti (ait) nihil adhuc cœlestium promissionum sunt assequuti, tametsi constat nonnullos, vt Dauidem regem, his terræ bonis affectos; haud tamen præsentia hæc ipsi inquirimus, sed quæ in cœlo sunt, certiores & veraciores promissiones. Hoc idem habet in commentar. super vigesimum tertium capitulum Luc. exponens illud; Hodie mecum eris in paradiso.

Euthim. ¶ Euthimius Zigabonus in commentar. 23. cap. super Lucam edisserens promissionem Christi ad latronem; hodie mecum eris in paradiso, hęc scripsit. Christus sciens latronis intentionem, promisit quod illi optatissimum videbatur: noverat enim latro paradisum, è doctrina Mosayca, & tunc quidem dedit ei conuersationem in paradiso, tâquam arrhabonem regni sui, quod est fruitio ineffabilium, ac æternorum bonorum, quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt. Nondum enim quisquam iustorum accepit promissionem, veluti magnus docuit Paulus, postmodum verò & hoc tradet regnum, tempore vniuersalis resurrectionis. ¶ Ioannes Romanus Pontifex eius nominis XXII. horum sententiæ dicitur subscripsisse, & decreto sanciuisse sic esse credendum. Testes sunt huius decreti Guillelmus Ocham in opere 93. dierum, & Adrianus Papa sextus, cuius verba in quarto libr. sentent. in fine quæstionis de sacramento confirmationis hæc sunt; Nouissimè fertur de Ioanne XXII. quòd publicè docuit, declarauit, & ab omnibus teneri mandauit, quòd animæ purgatæ ante finale iudicium, non habent stolam, quæ est clara & facialis visio Dei; & Vniuersitatem Parisiensem ad hoc induxisse dicitur, quòd nemo in ea poterat gradum in Theologia adipisci, nisi primitus hunc errorem iurasset se defensurum, & perpetuò ei adhæsurum. Ioan. XXII. Ocham. Adrianus.

¶ Sed & Diuus Bernardus explicans illud Apocalyp. sexto, Vidi sub altare Dei animas interfectorum, hanc sententiam expressè docet, signanter in sermone quarto festiuitatis omnium Sanctorum, vbi asserit, animas sanctorum vsque ad diem iudicij quiescere sub altare Dei, hoc est, in sola visione humanitatis Christi, donec veniat tempus, in quo filius Dei post vniuersalem resurrectionem ostendat seipsum illis in forma Dei, vnà cum patre & Spiritu sancto. Rursum in sermone tertio eiusdem festi, obiter explicans illud, Quàm dilecta tabernacula tua Domine? concupiscit anima mea in atrijs Domini. Tres, inquit, esse animarum status; Primum, in tabernaculis: secundum, in atrijs: tertium, in domo Dei, hoc est, in beatitudine, in quam sine corporibus non intratur. Sermo eius sic habet. Aduertistis (ni fallor) ex his quæ præcedenti sermone sunt dicta, tres esse sanctarum status animarum; primum videlicet in corpore corruptibili; secundũ, sine corpore; tertiũ, in beatitudine cõsummata. Primum deniq; in tabernaculis; secundũ in atrijs; tertiũ in domo Dei. & post pauca subdit; In illã beatissimã Dei domũ, animę nec sine nobis intrabũt, nec sine corporibus suis. ¶ Hæc sententia videtur habere fundamẽtũ in sanctis scripturis, in quibus & præmiũ iustorũ, & supplicium impiorũ ad diẽ vsq; iudicij reseruari videtur. Mat. c. 25. sic dicitur. Venite benedicti patris mei, percipite D. Bernar. Mat. 25.

cipite regnum quod vobis paratum est, &c. in quibus verbis insinuatur, iustos vsque ad diem iudicij regnum non habuisse; & ad impios dicitur; Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. & secundæ ad Timoth. capitulo primo. Scio cui credidi, & certus sum quia potens est depositum meum seruare in illum diem. Cui consonat illud ex cap. quarto. De reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die; phrasi scripturę significans diem iudicij; & Apocaly. capitulo sexto, sanctis efflagitantibus præmium suorum laborum, responsum est vt conquiescerent per modicum tempus, donec compleretur electorum numerus. & Hebræ. vndecimo est insigne testimonium, vbi Diuus Paul. recensitis patribus antiquis sic dicit; Hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionē, ne sine nobis consummarentur, loquitur apertè de præmio bonorum operum.

2. Tim. 1.

Apo. 6.

Heb. 11.

Veritas fidei certa. nō.

¶ His non obstantibus, pro certo & infallibili fidei dogmate habendum est, animas sanctorum, qui in Christo moriuntur, si non deferant aliquid purgandum in purgatorij loco, cō tinuò esse beatas, & videre Dei essentiam; & cō trarium dogma pertinet ad errorem Armenorum, & Anabaptistarum, docentium, animas sanctorum ante resurrectionem corporis, diuinæ visionis gloria frui non posse, damnatum decretalibus epistolis Innocentij III. & Benedicti XI. Romanorum Pontificum, & Oecumenicæ Synodi Florentinæ decreto, cuius hæc verba sunt. Definimus illorum animas, qui post baptisma susceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam quæ post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exutæ corporibus, prout superiùs dictum est, sunt purgatæ, in cœlum mox recipi, & intueri clarè ipsum Deum trinum & vnum, sicuti est, pro meritorum tamen diuersitate, alium alio perfectiùs. Illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas. Idem definiuit Benedictus XI. in quadam extrauaganti, quæ licèt in corpore iuris non circumferatur, authentica est, & infallibilis autoritatis, quā integra fide refert Marsil. in quarto, quæstione decimatertia, articulo tertio, & Alfonsus de Castro libr. de hæresibus, ver. beatitudo, hære. sexta. Eadem definitiò habetur in Concil. Tridentin. Sessione quinta, cano. quinto, licèt non omnino apertè. Idem definit Innocent. III. in capitulo maiores, de baptismo & eius effectu. Idem definitur in capitulo, Apostolicam, de presbytero non baptizato.

Error Armenorum & Anabaptistarum.

Innoc. III.

Bened. XI.

Cōcil. Flor

Bened. XI.

Marsil.

Castro.

Innoc. III.

¶ In confirmationem verò huius catholicę sententiæ, magnos scripturarum cumulos non coacernabo, sed paucas, momento suo & ponderę perquàm graues. ad Philippenses capitulo primo dicit Paulus. Cupio dissolui, & esse cum Christo; in quo significat, quòd dissoluta habitatione mortali, continuò debebat esse beatus; esse namque cum Christo, est in vita beata in perpetuum regnare, vt patet ex illo primæ ad Thessalonicenses capitulo quarto. Et sic semper cum Domino erimus. & secundæ Corinthiorum capitulo quinto est insigne testimonium; Scimus (inquit Paulus) quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quòd ædificationem habemus ex Deo, domum non manufactam sed æternam in cælis: apertum autem est, quòd non loquitur de domo materiali, sed de domo illa, de qua dixerat Dominus; In domo patris mei mansiones multæ sunt: & æquè certum est & exploratū, quòd loquitur de gloria æterna. Itaque sensus euidens est, quòd dissoluta hac domo lutea, in qua, dum viuimus, habitamus, si non sit impedimentum peccati, continuò videbimus Deū, & beata visione fruemur. Sed in eodē capite est alia sententia multò euidētior; dicit enim Paulus. Quamdiu sumus in corpore, peregrinamur à Domino: per fidem enim ambulamus, & non per speciem. & paulò pòst; Audemus, & bonam voluntatem habemus peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominum. Ergo autore Diuo Paulo, continuò atque anima emigrat à corpore, si non sit peccati impedimentum, non peregrinatur à Domino, & videt Deum per speciem, & habet Dominum præsentem, & iam per fidem non ambulat. Cui simile est quod dicit 1. Corinthior. 13. Nunc, id est, in præsenti vita videmus per speculum in ęnigmate; tunc, id est, in futura vita videbimus facie ad faciem; nunc cognosco ex parte, tunc cognoscam sicut & cognitus sum; tunc, id est, in futura vita. & Luc. 23. dicitur latroni, Hodie mecum eris in paradiso, id est, in gloria cœlesti, & Apocal. 6. scribitur, quòd sanctis expoſcentibus vltionem sui sanguinis, datæ sunt singulis stolę albæ; per quod intelligitur gloria animę, autore Diuo Augustin. homilia 6. super Apocal. & autore Diuo Gregor. super Psalmos pœnitentiæ, explicante illud verbum. Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam. Hæc sunt quæ ex scripturis diuinis adductis efficaciter demonstrant sententiam fidei: quibus si pauca testimonia sanctorum Patrum attexam, videbor mihi magnum facturum operæpretium. Diuus Augustinus libro nono confess. capitulo 3. inquit Nebridium amicum suum requiescere iam in sinu

Phil. 1.

1. Thessa. 4.

2. Cor. 5.

1. Cor. 13.

Luc. 23.

Apo. 6.

Greg.

D. August.

Abrahæ, vbi ad fontem bibit, quantum potest sapientiam, sine fine felix. & in libr. medit. cap. 24. sic inquit. Felices sancti Dei omnes, qui de pulchritudine Dei iam satiamini, de cuius beatissima visione semper gaudetis. & in libr. de spiritu & anima, capitulo quinquagesimo octauo, frequentissimè docet, animas sanctorum diuinæ visionis gloria iam frui. & lib. de ecclesiasticis dogmatibus, capitulo septuagesimo nono scribit, animas in cœlo tantummodò expectare gloriam corporum, vt earum felicitas perfecta sit. & sermone quarto in solēnitate sanctorum. Eandem sententiam docet Diuus Gregor. libr. quarto moral. capitulo vigesimoquinto. Hieronymus in epitaphio Nepotiani; Ambrosius in epistola quinquagesimanona ad Thessaloni. de obitu Acolij, & in commentar. super epistolam ad Philippen. explicans illud; Cupio dissolui, & esse cum Christo, & in primam ad Corinth. capitulo decimotertio ait; Exeuntes sancti de hoc mundo, plus necesse est inueniant, quàm nunc putant, sicut Ioannes Apostolus de Saluatore dixit, tunc videbunt illum sicuti est. Chrisostom. homilia in illud Sapient. quinto. Iustorum animæ in manu Dei sunt, & homil. ad populum Antiochenum sexagesimanona, homilia decimasexta in epistolam ad Roman. & homilia 32. in eandem epistolam, homilia super epistolam ad Philippen. quarta, & homilia de cruce & latrone.

D. Greg. Hiero. Ambros.

Chrisost. Sap. 5.

¶ Sed si post tam præclara testimonia lubet inspicere rationes ex diuina Theologia erutas, euidentiùs eadem veritas confirmabitur.

¶ In primis, nostra beatitudo in Dei visione constituta est. Sed corpus nullo modo est necessarium ad visionem Dei, quippe quæ non fit mediante phantasmate, aut simulachro, vel instrumento corporeo. Ergo nulla est ratio quæ animas sanctorum à visione diuinæ essentiæ impediat, vsque dum corpus resumant.

¶ Deinde, Deus pronior est ad miserendum quàm ad puniendum. Sed Deus animas impiorum continuò atque emigrant à corpore, punit supplicio æterno, prout patet ex illo Iob vigesimoprimo. Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt; & Lucæ decimosexto. Mortuus est diues, & sepultus est in inferno. Ergo animæ sanctorum iam fruuntur visione beatifica in præmium suorum laborū.

Iob 21.

Luc. 16.

¶ Præterea, beatitudo est merces copiosa sanctorum, iuxta illud Matth. quinto. Ecce enim merces vestra copiosa est in cœlo. Sed Leuitici decimonono præcepit Dominus ne merces mercenarij maneret apud dominum vsque manè. Igitur continuò post statum merendi confert Dominus suis sanctis mercedem promissam. Sed vita præsens est status merendi, & status militiæ. ergo continuò atque emigramus à corpore, habebimus mercedem nostram. Certè si animæ sanctorum vsque ad diem resurrectionis non fruuntur visionis diuinæ gloria, nō multùm profuisset nobis quòd Christus fuisset mortuus pro nobis multo tempore ante diē iudicij, siquidem verum esset quòd nunc detinentur animæ iustorum in sinu Abrahæ, sicut detinebantur animæ sanctorum Patrum; hoc autem asserere alienum est à vera doctrina: nā dicitur Matth. quarto. Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum, & capit. maiores, de baptismo & eius effectu definitur, quòd per baptismum apertum est nobis regnū cœlorum. Item sequitur, animas sanctorum vsque ad diem iudicij affici tristitia, & mœrore; imò affici eodem mœrore, quo tristantur animæ existentes in purgatorio; vident enim se retardari à visione beatifica. Denique sequitur, animas iustorum nunc habere fidem & trinitatis, & diuinitatis Dei; nam per solam claram Dei visionem excluditur fides. Consequens autem videtur esse contra illas scripturas, quas suprà adduximus ex Diuo Paulo, Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem; &, Quamdiu sumus in corpore, peregrinamur à Domino; per fidem enim ambulamus.

Mat. 4. Cap. Maiores. de bap. & eius effe.

¶ Sed iam tempus est vt testimonia sanctarum scripturarum, & sanctorum Patrum, quæ videntur contrariam præ se ferre sententiam, catholica veritate interpretemur. ¶ Prima interpretatio est, quòd sancti Patres, & sanctæ scripturæ loquantur de perfecta & consummata illa felicitate, quam post corporis resurrectionem expectamus, quæ non erit in sanctis vsque ad diē iudicij; tunc enim dabitur illis duplicata stola, tunc totus homo glorificabitur, & omne desiderium, tum animæ, tum corporis adimplebitur. ¶ Posterior interpretatio, quòd in die illa resurrectionis, & gloriæ perfectæ, ita omnia tractari debent erga bonos, & reprobos, atq; si nihil antea esset factum: tunc præsenti tota curia cœlestium, terrestrium; & infernorum, ac recensitis cuiuscunque operibus in iudicio publico ante tribunal Christi, per publicam, & omnibus manifestā sententiā iustis præmium, & reprobis suppliciū decernetur; cū hoc tamen verū est, quòd ante illum diem per iudicium cuiusque speciale, æqua vtriusque satisfactio continget. Et quòd hæc sit legitima explicatio sanctarum scripturarum, patet vel ex illo. Nam eodem verborum tenore, quo illo in die dicitur iustis, Venite benedicti patris mei, percipite regnum; dicitur reprobis, Ite maledicti in ignem æternum.

Testimonia sanctorum quomodo accipienda. Pri. interp.

Secū. interp

num. At sana fides,& doctrina fidei docet,reprobos statim post mortem æternum subire supplicium. ¶ Tertia interpretatio dum hæc scriberem sese mihi obtulit, certè doctrinæ ecclesiæ maximè consentanea,videlicet,quòd cõ summata,& perfecta gloria , tum sanctorum, tum Christi capitis nostri,ad diem iudicij refertur; tunc enim omnia erunt subiecta Christo Domino, & omnes eius inimici vt scabellum Christi ponentur;tunc erit tripũhus Christi,& gloria superinenarrabilis. ¶ Quòd si qua sunt sanctorum dicta,quæ nequeant aliquam ex his interpretationem pati, memineris saltem,hunc errorem nihil officere eruditioni,& pietati tam illustrium virorum,cùm ecclesia illorum temporibus nondum aliquid certi de hoc articulo statuisset credendum. ¶ Quòd verò dicunt Ioannẽ vigesimũsecundũ huic errori assensisse , falsum & impudens esse mendacium patet ex extrauaganti Benedicti. II. in qua Summus Pontifex eum ab hac suspicione liberat.

Tertia interpretatio

¶ Sed ex hac definitione emergit quæstio perdifficilis, & inter Theologos satis controuersa, Num beatitudo sanctorum, post resurrectionem corporum futura sit maior, ac perfectior ? Non quæritur in præsentia an sit futura maior extensiuè; nam de hoc dubitat nemo:siquidem post resurrectionem corporum, gloria animæ extendetur ad corpus, & erit gaudium vtriusque partis. Rursus non inquiritur de maiori gloria accidentaria ; nam quòd crescet gloria hæc accidentaria, vel ex hoc demonstrabitur quod antea dictum est; tum ex hoc, quòd erit completus electorum numerus, & triumphus gloriæ Christi ex omni parte perfectus; ad extremum ex hoc, quòd adimplebitur desiderium, quo anima desiderat vniri corpori : sed illud reuocatur in dubium; Num beatitudo essentialis animæ, quæ in Dei visione consistit, post corporum resurrectionem sit futura maior, & perfectior, sic vt beatus clarius & perfectius videat Dei essentiam, & amet intensius,atque suauius. ¶ Partem affirmantem huius controuersiæ docuit Diuus Thomas,in quarto.distinctione quadragesima nona,quæstione prima,articulo quarto.Marsilius in quarto, quæst. 13. articul. 3. conclusione quarta. Argumenta huius opinionis hæc sunt. ¶ Primum. Nã anima perfectius esse habet dũ est coniuncta corpori.ergo perfectior erit operatio post resurrectionem corporum. Consequentia inde probatur. Nam operatio sequitur esse,& modum essendi.Sed antecedens probatur,tum,quoniam rationalis anima, essentialiter est forma hominis, & pars eius:& cùm omnis pars sit propter totum,perficitur in toto cõ posito,& in eo habet suam vltimam perfectionem;propter quod anima vnita corpori, causat esse specificum , & communicat suam existentiam corpori,& potentijs organicis, quod non facit dum est à corpore separata. Ex quibus omnibus liquidò constat,quòd anima coniuncta corpori,perfectius esse habet. ¶ Deinde sic arguitur. Nam rationalis anima dum est à corpore separata, appetit appetitione naturali, & pondere suo,vniri corpori: fieri autem non potest quin hæc naturalis appetitio sit impedimentum, ne anima totis viribus in Deum feratur . Cùm enim virtus animæ sit limitata, intensio, & vis huius appetitus,retardabit quantum videtur intensionem visionis beatæ. At qui hoc argumentum adeò efficax visum est Diuo Augustino duodecimo de Genesi ad literam, capitulo trigesimoquinto, vt videatur sentire,quòd beatitudo post diem iudicij futura sit maior intensiuè etiam.Eodem argumento conuincitur D.Thomas, in quarto sentent loco dudum citato. Cuius rei aliud conficitur graue argumentum. ¶ Si anima beata post assumptum corpus videret aliquid in Deo,quod prius non viderat,omnium Theologorum suffragijs crescret beatitudo essentialis. Ergo si in anima beata expletur aliquod desiderium, quod antea non explebatur , crescet absque dubio beatitudo essentialis. Consecutio argumenti sic ostenditur. Nam sicut est proprium beatitudinis quòd videatur Deus,& omnia in Deo quæ ad statum cuiusque spectant; sic sanè est de essentia beatitudinis, vt in beatitudine omne desiderium iustum expleatur: Beatus enim est qui habet quidquid vult,& nihil mali vult. Sed post resurrectionem explebitur desiderium habendi corpus, quod prius non erat expletum, vt planè constat. Crescet ergo beatitudo essentialis. ¶ Præterea , beati post resurrectionem corporum, intensiùs & suauiùs delectabuntur , fruenturque visione beata. ergo crescet beatitudo essentialis. Probatur consequentia. Nam etiam fruitio,& delectatio pertinent ad essentiam beatitudinis, sicut amor. ¶ Ad hæc, pœna damnatorum, & cruciatus eorum crescet post corporis resurrectionem.ergo gloria beatorum futura est maior post corporis resurrectionem : sicut enim gloria confertur pro meritis, ita & supplicium pro demeritis.

Nũ post resurrectionẽ beatitudo sit futura maior :intẽsiuè.

D.Thom.

Marsil.

Primũ arg.

Secundum.

Augusti.

D.Thom.

Tertium.

Quartum.

Quintum.

¶ Contrariam sententiam tenet hic apertè Diuus Thomas, solutione ad quintum; dicit enim,quòd solùm augebitur extensiuè: quam etiam tenet Palud. in quarto. distinction. 49. quæstion.6.& Durand.quæstion.7.& Maioris eadem d.q.12.dubio vltimo,& cõcordat Bonauentura;

Opposita sententia D.Thom. Palud Durand. Maio.

Bonau. uentura, sed dicit, quòd licèt non intensiùs, expeditiùs tamen habebit operationes. Sed demonstratur hæc sententia. ¶ Primùm, vel homo dum viuit, meruit tãtam gloriam, quantam habet post resurrectionem, vel non meruit: si primum; ergo habebit anima totam ante resurrectionem postquã ipsam meruit: si non meruit, ergo nunquam habebit, quia non datur nisi propter merita. ¶ Deinde, vt bene arguit Durandus, non augebitur visio beata ex parte potentiæ, non ex parte luminis glorię, & non est impedimentum aliquod ante corporis resurrectionem; ergo nõ augebitur post corporis resurrectionem. Certè potentia intellectiua nõ crescit, neque verò lumen gloriæ, quod est datum in præmium laborum, & bonorum meritorum. Explicatur hoc euidentiùs. Nã intellectus hominis beati non perficitur ex corpore assumpto, neque lumen gloriæ; corpus ipsum non cõcurrit obiectiuè, neque effectiuè ad visionem beatificam, ergo ex corpore non augebitur visio beatifica. ¶ Præterea sequitur ex opposita opinione, quòd anima Christi in triduo habuit minorem gloriam, quia impediebatur ab appetitu corporis; quam causam isti autores ponũt; & quòd minus intensè videbat Deum, & diligebat. ¶ Sequitur rursus, quòd angeli motores orbium habebunt maiorem gloriam post diem iudicij, quia nunc sunt intenti ad ministerium mouẽdi cœlos. ¶ Ad hęc sequitur, quòd anima transiret de vna hierarchia ad aliam. Quod rectè sequatur, patet. Quia ponamus quòd infima hierarchia perueniat in gloria ad decem gradus, & sit anima sancti Martini in illa; in resurrectione habebit duodecim gradus, & sic transibit ad aliam. ¶ Deniq́ue, anima beata videns Deum ante corporis resurrectionem, non minùs amat, ergo non minùs videt. Quę rogo causa excogitari potest quare anima vidẽs Deum, non amet illum ex omnibus viribus suis? maximè, quia amor mediorum, non minuit amorẽ finis; sed animæ beatæ amant corpora propter Deum. ergo ille amor non minuit amorem Dei. Sed veniamus ad confutationem argumẽtorum. ¶ Ad primum dicendum est, quòd anima separata idem esse habet à corpore separata, atq́ue cùm est corpori coniuncta: habet tamen illud perfectiori modo, vt argumentum efficaciter persuadet; & sic operatio, quando erit corpori coniuncta, erit perfectior; nam non erit operatio partis, sed hominis; & sic modus operandi erit perfectior, sed non erit intensior. Vel dicat Theologus, quòd si argumentũ aliquid probat, solùm probat de operationibus naturalibus, quæ sequuntur ad esse naturale; non verò de supernaturalibus, quæ consequuntur ad principia supernaturalia. Beatitudo verò est operatio supernaturalis, & ideo referenda est ad principia supernaturalia, ad lumen gloriæ, ad charitatem supernaturalem, & non debet referri ad principia naturæ; alioqui angelus cum æquali lumine gloriæ beatior esset quàm anima Christi, siquidem habet perfectiorem intellectum, vt rectè ratiocinatur Durand. in loco superiùs adducto. ¶ Ad secundum argumentum dicendum, quòd vel ille appetitus est solùm naturalis, non elicitus, qui cùm non sit actus, non impedit, vel si est elicitus, est propter Deum, & sic non impedit: nam amor mediorum, non minuit amorem finis. Cùm igitur animæ beatæ ament corpora propter Deũ, consequens est, quòd ille appetitus non minuit amorem Dei. Certè hoc argumentum de appetitu nihil omnino valet, quia aliàs sequeretur, quòd anima nihil posset de nouo velle, quin minueretur eius visio, & dilectio. Vnde dico, quòd cùm gloria sit supernaturalis, tantum de gloria habebit anima, quantum meruit, auxilio diuino hoc ordinante, non habito respectu ad principia naturalia. ¶ Ad tertium argumentum dicendum est, quòd in vita beata impleri omne desiderium, potest varijs modis intelligi; tũ ex parte appetibilis; tum ex parte appetentis. Animæ ergo separatæ desiderium ex parte appetibilis sufficientissimè adimpletur, quoniam habet præsens summum bonum, quod est sufficiens ad saturandum omne desiderium; cæterùm ex parte appetentis, non omnibus modis saturatur; quoniã nõ habet illud bonum omnibus modis quibus vellet habere. ¶ Sed & alio modo animæ separatæ desiderium omne saturatur in vita beata. Nam habet summum bonũ perfectissimum, quod desiderabat vt vltimum finem, propter quod omnia alia desiderabat, in quo nostra felicitas essentialiter consisteret, tametsi beatus nihil aliud possideret. Vnde est illa vox Augustini 5. confess. cap. 4. Beatus est, qui te habet, etiam si alia non habeat; qui verò te, & alia habet, non propter illa beatior, sed propter te solùm beatus. ¶ Saturatur rursus omne desiderium animæ separatæ in vita beata, quoniam habet bonum præsens, cuius adeptio facit, vt quæcunq́ue desiderat anima, suo tempore infallibiliter consequatur. Cùm enim beatus nihil desideret, nisi quod videt Deum velle; & voluntas Dei semper impleatur, consequens est, quòd voluntas beati semper compleatur; propter quod dicit D. Thom. 12. q. 67. articul. 4. ad 3. quòd gloria corporis quam desiderant beati, habet ineuitabilem causam. Vnde beatus habet quicquid vult, quoniam possidet bonum vnum, quod in se continet omnia

Secunda. Durand.

Tertia.

Quarta.

Quinta.

Sexta.

Solut. arg. Ad primum

Ad secundũ

Ad tertium

Augustin.

D. Thom.

omnia desiderabilia, & causam ineuitabilem adimpletionis omnis desiderij. ¶ Sed pergo commemorare alium sensum, in quo beatus dicatur habere quidquid vult. Nam anima beata si quod habet desiderium, non sentit aliquam molestiam, aut afflictionem propter illud desiderium; tum, quoniam beatus certo certius cognoscit se consecuturum quod desiderat; tum, quoniam beatus ex omni parte habet suam voluntatem subiectam diuinæ voluntati, & summè iucundatur quòd Dei voluntas fiat. Quapropter sententia est Theologorum, quòd beati non habent spem de resurrectione corporum, sed simplex desiderium; quoniam spes quæ differtur, affligit animam; atque adeò quoniam spes versatur circa arduum & difficile; beati verò propter illud desiderium non cruciantur, neque verò reputant arduum quòd adimpleatur suum desiderium. ¶ His ad hunc modum constitutis, ad tertium argumentum confutandum, neganda est consequentia. Nam essentia beatitudinis, est visio Dei, & ideo si aliquid videtur in Deo, quod prius inuisum erat, ex necessitate augetur beatitudo quantum ad essentiam; cæterùm neque est essentia beatitudinis, neque verò eius proprietas quòd omne desiderium adimpleat, nisi modis à nobis expositis. ¶ Ad quartum dicendum, nulla ratione posse negari quin post resurrectionem augeatur delectatio & fruitio, tum intensiuè, tum extensiuè. Nam certè anima suauiùs delectabitur, cùm consummatam, & perfectam gloriam adepta fuerit; iucundissimas deinde capiet delectationes in omnium sensuum operationibus: sed inde non consequitur, quòd perfectiùs videat Deum, & magis amet Deum, quibus in rebus essentialis beatitudo consistit.

Ad quartũ.

Ad quintũ. ¶ Ad quintum dicendum, quòd miseria reproborum non augebitur reassumptis corporibus, quantum ad dolorem quem habẽt de carentia diuinæ visionis, quæ correspondet visioni, & fruitioni; sed erit in pluribus; quia cruciabuntur in corpore, & anima; similiter beato, cum gloria redundabit in corpus.

ARTIC. SEXTVS.

¶ *Vtrùm ad beatitudinem requiratur aliqua perfectio corporis.*

SVMMA TEXTVS.

Prior cõcl. PRior Conclusio. Ad imperfectam beatitudinẽ, quæ in hac vita haberi potest, requiritur bona dispositio corporis: nam per inualetudinem ipsius, in omni operatione virtutis homo potest impediri.

¶ Posterior Conclusio. Ad beatitudinem perfectã requiritur bona dispositio corporis antecedenter, & consequenter; antecedenter quidem, quia si tale sit corpus, cuius sit grauis & difficilis administratio, aggrauat animam, & mens auertitur à cælo; vnde corpus quod hic fuit ad sarcinã, cùm fuerit spirituale, erit ad gloriam, & æquabitur angelis secundum August. consequẽter verò requiritur, nam ex beatitudine animæ fiet redundantia in corpus, quare incorruptionis vigor in inferiorem naturam redundabit.

Poste. cõcl.

EXPLICATIO ARTICVLI.

DE præsenti quæstione erat tota contentio inter Stoicos, & Peripateticos vt potest videri in Cicerone in multis locis, dicentibus Stoicis, esse beatum sapientem dolore, & morbo confectum, si cut si optimè valeret, de quo eloquentissimi, & prorsus iucundissimi sunt dialogi & libri Ciceronis de Finibus, de Tusculanis, & Academicis quæstionibus, de officijs, item in paradoxis. Cõtendebant in contrariũ Peripatetici facere quidem beatum solam sapientiam, sed non sine bonis naturę, & fortunę, & cum illis beatiorem esse sapientem. Et certè Aristot. multum tribuit bonis fortunę; vnde & apud Lucianum Alexander apud inferos de Aristot. grauiter conqueritur, & illũ nugatorem pessimum, & assentatorem vocat perditissimum, qui nõ vereretur accipere quæ Alexander dabat fortunæ bona, & opes in partem felicitatis reponebat.

Stoici & Peripatetici. Cicero.

Aristot.

Lucianus.

¶ Sed vt autorem nostrum in hac parte interpretemur, qui sine dubio ad verbum sententiam Aristoteleam sequitur, operæpretium facturi videmur, si definiamus in primis quæ sint vera & solida bona, in quibus nostra beatitudo consistat: quæ rursus secundaria bona, & veluti instrumenta, quæ ad beatitudinem adiuuant,

Prima diuiſio boni. Plato.

& conducunt. Inſpiciamus ergo quæ præcipuorum ſint Philoſophorum ſententiæ de bonis, eorumque diuiſione. ¶ Plato ſic diuidit bona, vt alia eiuſmodi eſſe ſtatuerit, quæ per ſe, & ſui cauſa affectantur, & amantur, non alterius alicuius, quod inde nobis accedere poteſt, gratia, in quibus, tanquam in fontibus, acquieſcimus. Alia verò his quodammodò contraria, quæ ipſa quidem ſui cauſa non expetuntur, ſed vtilia quædam ſunt, & aliò ſemper deſtinantur. Prioris generis virtutes ſunt, & vt abſolutè dicam, vniuſcuiuſque rei abſoluta perfectio. Poſterioris verò, quæcunque horum vel efficientia ſunt, vel conſeruantia, aut etiam quæ his cõtraria, vel pellunt, vel prohibent. Cæterùm inter hæc duo quaſi contraria genera, tertium quoddam intermedium fecit, quod vtriuſque extremorum naturæ particeps eſſet, & tum ipſum ſui gratia expeteretur, tum vſum aliò relatum haberet; vt prudentem eſſe ſanum, & viſus acumine pollere.

Secũ. diuiſ.

¶ Sed & alio modo diſtribuit Plato bonorum genera, vt bonorum alia animi, alia corporis, alia externa faciat: Animi quidem, vt iuſtitiam, prudentiam, fortitudinẽ, temperantiam, & cætera huiuſmodi. Corporis autem, ſanitatẽ, robur, pulchritudinẽ. Externa verò, diuitias, generis nobilitatem, ciuilem potẽtiam, nominis celebritatem, & quæcunque his ſimilia ſunt. Harum diuiſionum prior libr. de Repub. 2. apud Platonem habetur; poſterior verò in eiuſdem Eutydemo. In vtroque autem Platonem magnum ſequitur Ariſtote. vt in ſequentibus videbimus.

Stoici.

¶ Stoici verò ab vtroque diſſentientes, nihil in bonis, præter virtutẽ habendam cenſent; vt nec in malis quicquam, præter vitium; reliqua verò tum neutra, tum in differentia appellant, Stoicorum verò ſententiam, & bonorum diuiſionem hoc loco propoſuiſſe, non omnino erit inutile, quæ apud Diogenem Laërtium in Zenonis Citici vita hoc modo exponitur. Eorum quæ ſunt (inquiunt) alia bona eſſe, alia mala, alia neutra. Et bona quidẽ, ipſas virtutes, prudentiam, iuſtitiam, fortitudinem, temperantiam, & reliqua id genus; mala verò contraria, inſipiẽtiam, iniuſtitiam, &c. neutra verò, quæ neque iuuant, neque nocent; vt vita, ſanitas, voluptas, pulchritudo, robur, diuitiæ, exiſtimatio bona, & quæ his ſunt contraria, mors, morbus, dolor, deformitas, imbecillitas, paupertatis ignominia, & alia huius generis.

Laërtius.

Cicero.

Atque hæc quidem de bonis & malis, Stoicorũ eſt ſententia, quæ pluribus etiam à Cicerone lib. de finibus bonorum & malorum tertio, exponitur. Sed hæc in præſentia nobis ſufficiant.

Ariſtot.

¶ Ariſtot. verò 1. libr. magnorum moral. exquiſitè ſatis, bona, in hæc tria diſtribuit genera; honorabilia, laudabilia, & quæ δυνάμεις vocat, id eſt, potentias; & prioribus duobus generibus cuiuſmodi ſint, explicatis, de tertio hoc modo ediſſerit. Potentias verò dico, vt imperium, diuitiæ, robur, pulchritudo; his enim & bonus rectè vti poteſt, & malus perperàm. Quapropter poteſtates huiuſmodi appellantur bona; & bona quidem certè ſunt; exploratur enim quodnam ſit bonum, boni viri vſu, non mali. Sed præſtat verba Ariſtot. referre, quæ apud ipſum habentur lib. 1. Ethic. ad Nicomachum, quæ D. Tho. in hunc articulum ad verbum ferè tranſcripſit.

Ariſtot.

¶ Principes, inquit, beatitudinis cauſæ, virtutũ ſunt operationes; cæterùm cùm multa fortuitò fiant, & magnitudine, paruitateque differãt, parua quidem, ſiue ſint ſecunda, ſiue aduerſa, conſtat non facere vitæ momentum; grandia verò & multa, ſi ſecunda ſunt, beatiorem vitam efficiunt, quippe cùm ad decorandum ſint apta, & vſus ipſorum pulcher, ſtudioſuſque ſit; ſi ſunt aduerſa, præmunt, lædunt que vitam beatam, afferuntque dolores, & multas operationes impediunt; attamen & in his honeſtum elucet, vtpote cùm quis multa magnaque infortunia facilè fert, non ſenſus ſtupore, ſed vt generoſus & magnanimus.

Peripateti.

¶ Vt igitur Peripateticorum ſententiam breuiter & ſummatim complectamur, ſcire oportet, quòd Peripatetici tria faciunt bonorum genera; bona animæ, bona corporis, bona externa; atqui bona tam corporis, quàm externa, ad bona animæ eſſe deſtinata perſpicuè dicebant. Quapropter, dicebant beatitudinem præcipuè & eſſentialiter, in bonis animæ eſſe cõſtitutam; in cæteris verò non niſi ſecundariò, & inſtrumentaliter. Rurſus aiebant, quòd iſthæc bona erant amanda propter virtutem, velut medicina propter ſanitatem; & ideo non infinitè erant amanda, ſed quantùm conducerẽt ad bona animæ. Et ſic, licèt diuitiæ ſecundùm Peripateticos bonæ ſunt, exceſſus tamen, & abuſus nocet; ſicut reubarbum in parua quantitate prodeſt, in magna quantitate nocet, & affert mortem. Ab his ſententijs Peripateticorum, definitio & doctrina fidei Chriſtianæ nõ diſcedit vel latum vnguem.

¶ Itaque ſecundùm Philoſophiam tum Chriſtianam, tum Peripateticã, qui rectà ad beatitudinem pergere cupit, primùm quidem animi rationem habeat, & hunc virtutibus ornare, & ad perfectionem adducere conetur. Deinde verò, quoniam non ſolùm animi corpus eſt inſtrumentum, ſed etiam ad ſe mutuò affecta ſunt, vt animi in corpus, & corporis è cõtra in animam redundẽt affectiones, vt omnibus præſtantiſsimis, & experientia, & ratione philoſophis viſum eſt; neque ſanitatem, neque reliqua corporis bona negligat, neque nimium ſtudium,

ſtudium, nimiam, multamque operam ponendam in his arbitretur. Conſimili autem ratione & externorum, quæ corporis neceſsitatibus & vſibus, à Deo & natura, deſtinata ſunt bona, cognitione cognita & perfecta, neque in his comparandis ab officio virtutis deſiſtat, & horum amiſsionem, ſi quæ fortè, (quoniam caduca & incerta ſunt bona, incidat, pacatè, & moderatè ferat,) atque hac ratione vitam gerens & inſtituens, ſibi conuenientiſsimam adipiſcetur beatitudinem. Qui verò contrà confuſo perturbatoque bonorum ordine, bona corporis, aut bona externa, bonis animæ præferat, huic omnia contrariò eueniant neceſſe eſt, & in ærumnas, & calamitates, & infelicitatem, & in miſeriam detrudetur. Ab hac ſententia, quæ vera eſt, noſtra fides, & diuina doctrina abhorrere non poteſt; ſed addit ſuper Peripateticam ſectam. Nã noſtra religio reputat hominem pauperem, mẽdicum, lapidatum, felicem & beatum, quem reputarent miſerum Peripatetici. Item Peripatetici aiunt diuitias eſſe vtiles, & inſtrumenta apta ad beatitudinem conſequendam; noſtra verò religio docet eas periculoſas, ſicut ſcriptum eſt: Impoſsibile eſt diuitem intrare in regnum cœlorum. Docet tamen, quòd ſi quis eis rectè vtatur, non perdet beatitudinis viam, quæ Peripateticorum ſententia eſt.

ARTIC. SEPTIMVS.

¶ *Vtrùm ad beatitudinem requirantur bona externa.*

SVMMA TEXTVS.

Prior cõcl. PRior Concluſio. Ad beatitudinem huius vitæ, bona exteriora ſunt neceſſaria; non quòd ſint de eſſentia beatitudinis, ſed quia inſtrumentaliter deſeruiunt, cùm ad operationem, tum actiuę, tum contemplatiuę vitæ, homo egeat indumentis, & alijs neceſſarijs.

Poſte. cõcl. ¶ Poſterior Concluſio. In vita beata, hęc bona exteriora nõ erũt neceſſaria; nam tunc corpus erit ſpirituale, & ſic nullo modo indigebit exterioribus, quæ ordinantur ad vitam animalem, & corruptibilem: quapropter promiſsiones corporales, quę in ſacris ſcripturis leguntur, metaphoricè capiuntur.

EXPLICATIO ARTICVLI.

POſt ea quę latiſsimè conſtituta ſunt de diuiſione bonorum, in ſuperiori articulo, in quo etiam euidenter explicatum eſt, quemadmodum bona externa ad beatitudinem conſequendam deſeruiant, inutilè erit prorſus hic ampliùs morari; ſolùm aduertat Theologus, eſſe opinionem Iudæorum carnalium, Deum in veteri lege tantũ promiſiſſe obſeruatoribus ſuæ legis, in præmiũ ſuorum laborum, bonorum terræ poſſeſsionẽ; quam ſententiam eſſe hæreticam, & execrabilẽ, in ſequentibus (ſi Deus conceſſerit) commõſtrabimus. Iudæorum opinio. no.

¶ Sed dices; videtur certè quòd in vita beata futuri ſint ſenſus inanes, & quòd dicetur de beatis: Aures habent, & non audient, nares habent, & non odorabunt, ſi in vita beata non ſunt bona externa, quibus ſenſus fruantur. Sed de hoc iam dictum eſt, quemadmodum ſenſus habebunt actus ſuos perfectiores, quàm hìc dum viuimus, vide Ioannem de Tambaco de ſenſibilibus delicijs paradiſi, vbi pulchrè oſtẽdit, quomodò nullus ſenſus vacabit. Ioannes dẽ Tambaco.

ARTIC. OCTAVVS.

¶ *Vtrùm amici ſint neceſſarij ad beatitudinem.*

SVMMA TEXTVS.

PRior Concluſio. In imperfecta beatitudine huius vitę amicis indiget homo, non propter vtilitatem, & delectationem propriã; quia felix in ſeipſo hæc habet; ſed propter bonam operationem, vt alijs benefaciat, & benefaciendo ab alijs adiuuetur. Prior cõcl.

¶ Poſterior Concluſio. In patria cœleſti non requiritur ſocietas amicorum de neceſsitate; quia homo habet totam plenitudinem Poſte. cõcl.

perfectionis in Deo, iuxta illud. Quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram? sed ad bene esse facit societas amicorum, qui inuicem se videbunt, & de sua societate gaudebunt, vnde concomitanter se habet amicitia.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CErtè amicitia, quæ charitas est, præcipuè in patria cœlesti inuenitur, & ad essentiam beatitudinis eam concurrere, ex dictis exploratum est. De patria enim cœlesti potissimè intelligitur illud, quod secundum literam Hebræam in Canticis non semel legitur. Vexillum sponsi est amor. Vexillum certè patriæ cœlestis, quod vbique vi situr, amor amicitiæ est, quo Deus beatos amat, & beati vicissim diligunt. ¶ Sed interrogabit Theologus; Quomodo poterunt beati non tristari cognoscentes parentes, amicos, filios, & necessarios suos esse damnatos? Certè, ab hac quæstione moderni facilè se expediunt, dicentes, quòd licèt habeant sufficientem causam tristitiæ, tamen Deus non concurrit ad illam tristitiam, & sic non causatur tristitia. Sed veri Theologi dicunt, quòd hoc fit ex natura ipsius visionis. Nam sicut summa tristitia impedit minorē delectationem; ita summa delectatio impedit illam tristitiam, quæ ex supplicio amicorum posset prouenire; tum vel maximè, quòd beati id volunt quod vident Deum velle, & in adimpletione diuinæ voluntatis conquiescunt & delectantur.

QVAESTIO V.

De adeptione beatitudinis, articulos habet octo.

ARTIC. PRIMVS.

¶ Vtrùm homo beatitudinem adipisci possit.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. COnclusio est affirmãs. Nam homo est capax visionis diuinæ essentiæ, quod patet. Quia intellectus comprehendere potest vniuersale, & voluntas appetere bonum perfectum. Sed differt ab angelis, qui simplici intuitu apprehendũt veritatem, qui statim post principium suæ cognitionis beatitudinẽ sunt cõsequuti: homines verò per inquisitionem, veritatem apprehendunt, & ideo post tempus ad ipsam perueniunt, & possunt angelos transcendere, dum per operationem intelligunt aliquid esse supra angelos, quod eos beat.

EXPLICATIO ARTICVLI.

DIuus Thomas cùm de adeptione beatitudinis disputat, non quærit de beatitudine in particulari, quæ in Dei visione consistit; sed de beatitudine in communi, vbicumque illa inueniri possit. Qua ratione, quæstio huius articuli differt ab ea, quam disputat D. Thom. 1.p.q.12.art.1. nùm Deus videri possit. Ibi enim loquitur de beatitudine in particulari. Sed cùm sit certùm & exploratum, hominem posse videre Deum, exploratum etiam est hominem posse beatitudinem consequi; nam qui videt Deum, absolutè, & omnibus modis beatus est. Quòd autem homo possit videre Deum, liquet ex multis testimonijs sacri eloquij. Matth.5. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt & illud. 1.Corinth.13. Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, & 1.Ioan.3. Cum apparuerit, similes ei erimus, & videbimus eum sicuti est. Quòd verò per bona opera possit homo adipisci suam beatitudinem, probatur ex illo Ioan.12. Et vbi ego sum, illic sit & minister meus, & ex illo Matt.25. Venite benedicti patris mei, percipite regnum. ¶ Sed contra hanc definitionem potest obijci ex multis testimonijs sanctæ scripturæ, in quibus asseritur esse impossibile videre Deum. 1.ad Timot.1. Regi seculorum immortali, inuisibili, & 1.ad Timot.6. Lucem habitat inaccessibilẽ, quam nullus hominum videt, sed neque videre potest. Exod.33. Non videbit me homo & viuet, Ioan.1. Deum nemo vidit vnquam. ¶ Sed has sententias & similes dico tripliciter fore interpretandas. Primùm, vt sentiamus neminem corporeis oculis vidisse vnquam, aut visurum esse

D.Tho. Mat.5. 1.Cor.13. 1.Ioan.3. Ioan.12. Mat.25. Obijcitur. 1.Timot.1. 1.Timot.6. Exod.33. Ioan.1. Explicatio locorum.

se diuinam essentiam. Secundò, neminem spirituali mentis oculo visurum diuinæ substantiæ naturam, quamdiu in hac mortali carne viuat. Tertiò, nullum vnquam vidisse, aut aliquando visurum Dei substantiam, visione comprehensionis, qua scilicet Deus seipsum cognoscit, solusque suam ipsius substantiam, qualis, quantaque sit comprehendit. ¶ Sed quæritur; Vtrùm hæc veritas constet ratione euidenti, an solummodo ex diuinis reuelationibus? Certè si loquamur de beatitudine in particulari, quæ in Dei visione consistit, solùm constat ex diuinis reuelationibus hominem posse esse beatũ; quod patet ex illo 1. Corinth. 2. Oculus non vidit Deus absque te, quæ præparasti diligentibus te.

Conclusio D. Thom. an constet ratione euidenti.

1. Cor. 2.

¶ Demonstratur idem. Nam media quæ sunt necessaria ad consequendam hanc beatitudinẽ, ex sola diuina reuelatione cognosci possunt; vt incarnatio Domini nostri Iesu Christi, & alia mysteria gratiæ, de quibus Apostolus 1. Cor. 2. loquens sic inquit; Sapientiam loquimur inter perfectos, quam nemo principum huius mundi cognouit. Verùm si loquamur de beatitudine in communi, ratione euidenti constat, ad Deũ pertinere vt tribuat præmium & beatitudinem pro meritis, & bonis actibus. Constat enim ratione euidenti, Deum esse gubernatorem & rectorem vniuersi sapientissimum, & rectissimũ iudicem; ergo ratione euidenti constat, quòd Deus homini præmiũ decernat pro bonis suis actibus. ¶ Hoc ipsum confirmatur. Nam ex hoc efficaciter concludunt Theologi, animum hominis esse immortalem. Etenim cùm iustum sit quòd boni laborum præmia accipiant, pariterque vt mali supplicium pẽdant; & videamus sæpe in hac vita multos bonos atteri calamitatibus, & ęrumnis, contrà verò malos prosperè agere & incedere; hinc sequitur euidenter, animam esse immortalem, & Deum in futuro seculo bonos esse præmiaturum. Ex his consequitur esse euidens ratione naturali, hominem posse consequi beatitudinem, si sermo sit de beatitudine in communi. Quod ex prædictis efficaci argumẽto concluditur; quoniam si ad Deum petinet bonis tribuere beatitudinis prẽmium; consequens est quòd homo possit illud habere. ¶ Præterea huius rei est alterum argumentum. Nam ratione euidenti satis constat, hominem non esse frustra conditum; ergo euidenter constat posse consequi vltimum finem suum, & ad beatitudinem peruenire, alioqui frustra est; illud enim frustraneum est, quod nunquam potest consequi finem suum. Sed & illud exploratum est, desiderium hominis naturale non esse frustraneum, nec superuacaneè à natura insitum. Sed homo naturaliter appetit beatitudinem in communi; poterit ergo aliquando consequi finem suum. Quid ni? cùm vniuersæ res creatæ consequantur fines suos.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ *Vtrùm vnus homo possit esse beatior altero.*

SVMMA TEXTVS.

PRior Conclusio. Si attenditur obiectum, & causa beatitudinis, beatitudo vna est, qui est Deus: atque hæc vnitas significatur denario, quem recipiebant omnes qui in vinea laborauerant. Prior cõcl.

¶ Posterior Conclusio. Si attenditur adeptio & fruitio summi boni, vnus potest esse beatior altero; atque hoc modo dicitur diuersitas mansionum. Poste. cõcl.

EXPLICATIO ARTICVLI.

QVòd vnus homo in vita beata sit beatior altero, quòdque iusti nequaquã sint æquales in gloria, quemadmodum sentiunt Iouinianus & Lutherus, apertissimis argumentis demonstratur. In primis ex illo Ioan. 14. In domo patris mei mansiones multæ sunt. Rursus ex illo Matth. 19. Amen dico vobis, quòd vos qui secuti estis me, in regeneratione cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos iudicantes duodecim tribus Israel, dicit Dominus. Quibus verbis apertè significat Dominus, Apostolos digniorem locum quàm cæteros in cœlo habituros. Eandem etiam beatorum inæqualitatem Christus ipse perspicuam fecit parabola illa de munificentissimo Rege illo, qui constituit supra decem ciuitates seruum illum, qui ipsius mna acquisiuit decem mnas; & supra quinque ciuitates seruum alterum, qui mna Domini sui, acquisiuit quinque mnas. Sed ex sententijs D. Pauli idem ostenditur euidentiùs. Nam 1. Corinth. 15. sic loquitur; Stella ab stella differt in claritate, sic & resurrectio mortuorũ. Quòd si ex his verbis liquidum est inæqualẽ fore gloriam corporis, & erit profectò inæqualis gloria animæ; par quippe est de vtraque ratio; & indecens

Confirmatur secunda Conclusio D. Thom. Iouinianus Lutherus. Ioan. 14. Matth. 19.

1. Cor. 15.

cens & indecorum est vt habentes æqualē gloriam in anima, non haberent æqualem gloriam
Hieron. in corpore. Et rectè Hieronymus disputans cō tra Iouinianum ait, præmisisse Apostolum solem, & lunam cùm dicit; Alia claritas solis, alia lunę, alia claritas stellarum; ne stellam & stellā, totum quisquam intelligeret humanæ multitudinis genus. Sed ex coniunctione solis & lunæ, quæ referri nequeunt ad malos, admoneremur & stellas ad solos bonos referre; itaque quod dicit Apostolus; Sic & resurrectio mortuorum, ita est intelligendum, vt alius videlicet claritate solis luceat, alius lunæ splendore rutilet, alius Lucifer sit, alius arcturus, alius orion, & alij cæterę stellæ, quæ sacratæ in Iob volumine continentur. ¶ Et pulcherrima sanè allusio hæc est Pauli, ad intelligendum, pro meritorum varietate, & inæqualitate, diuersas fore & inter se impares iustorum glorias. Vt enim astra omnia recipiūt quidem à sole omnem splendorem; quodlibet tamen, secundum probabiliorem philosophorum sententiam, iuxta suam qualitatem, & prout magis minusve solidum est, & diaphanum, plus minusve refulget; sic sanè quamuis omnes iusti de plenitudine Christi, qui est sol fulgentissimus, gloriam animæ & corporis participēt, nequaquam tamen ex æquo, sed iuxta quantitatem, & modum suæ dispositionis, hoc est bonorum operum, & meritorum suorum, gloriam
Dan. 12. animæ & corporis recipient. Sed & Daniel. c. 12. cùm eos, qui dormiunt in terræ puluere, euigilaturos pronunciasset, alios quidem in vitam æternam, alios verò in opprobrium, vt declararet eximiam fore gloriam bonorum doctorū, & multò maiorem quàm aliorum, cōtinuò subdit; Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti; & qui ad iustitiam eruditiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Sed & vniuersa vtriusque testamenti pagina testatur, reddendum esse vnicuique præmiū in iudicio iuxta mensuram suorum operum; ideo Daniel dixit, aperiendos esse libros in iudicio; quia omnia opera nostra exactissimè tunc expendentur, & iuxta eorum merita suum vni-
2. Cor. 5. cuique præmium retribuetur. & Paul. 2. Cor. 5. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Domini, vt referat vnusquisque siue bonum, si
1. Cor. 3. ue malum, prout gesit in corpore. & 1. Corin. 3. Vnusquisque propriam mercedem accipiet secundum proprium laborem. & alibi sæpius, Qui reddit vnicuique secundum opera sua, &
Apoc. 14. Ioan. in Apocalyp. c. 14. apertè pronuntiat, mortuos in Domino opera sua consequi, nempè vt iuxta eorum bonitatem, præmium à iusto iudi
Paulus. ce recipiatur. & D. Paulus, Nolite errare, Deus non irridetur; quæ enim seminauerit homo, hæc & metet; qui parcè seminat, parcè & metet; qui seminat in benedictionibus, hoc est, benignè & abundanter, de benedictionibus & metet, id est, abundanter & copiosè. Ita ex his testimonijs tale conficitur argumentum irrefragabile. ¶ Gloria datur secundum quantitatem & qualitatem meritorum. Sed merita iustorum sunt inæqualia, vt liquidò constat ex diuinis literis. Constat igitur gloriam & beatitudinem sanctorum, non esse æqualem, sed vnus altero beatior erit. Demum hæc conclusio est definita in
Cōcil. Flor. Concil. Florent. circa principiū; definitur enim animas beatas videre Deum trinum & vnum sicuti est, sed pro diuersitate meritorum, alium alio perfectiùs videre. Solet etiam produci in huius sententiæ confirmationem extrauagans Benedicti 11. in qua definiuit, animas iustorū consequi beatitudinis præmium ante iudicij diem; quam etiam suprà commemorauimus. Sed re-
Benedict. 11 uera in definitione Benedicti 11. nulla de præsenti quæstione fit commemoratio. Porrò in
Cōcil. Trid Concil. Trident. Session. 6. canon. penultimo
Hieron. hæc veritas haud obscurè insinuata est. D. Hieron. 2. lib. contra Iouinianū innumerabilia protulit argumenta, quibus contra Iouinianum hęreticum mirabiliter triumphat; ex quo loco, si quis desiderat meliora subsidia ad nostram causam defendendam, petere poterit. ¶ Sed con
Obiectio. tra hanc veritatem fidei proponi solet argumētum ex parabola euāgelica, de vno denario reddito operarijs primæ horæ, tertię, & sextæ, & nonæ, & vndecimæ; ex quo videtur cōuinci, quòd inæqualiter laborantibus in excolenda vinea Domini, vnus tamen & idem denarius, id est, idem præmium, & æquale redditum est; quæ sanè argumentatio nostram sententiam la
Solutio. befactare videtur. ¶ Huic argumento facilè & distinctè respondet D. Thom. in prima conclusione, quòd per vnitatē denarij significatur apertè, quòd omnes beati atque felices possidebunt Deum, qui est beatitudo sanctorum. Itaque comprobat argumentū, quòd ex parte obiecti sit vnitas in vita beata. Voluit igitur Dominus hac parabola ostendere, vnius & eiusdem Dei participes esse omnes beatos, & eandem vitam æternam esse in præmium omnibus dandam, licèt pro diuersitate meritorum, alius alio clariùs Deum videbit. Sicut enim idem est cœlum commune omnibus syderibus, & tamen stella differt à stella in claritate; sic quamuis eadem vita æterna, idem regnum, idem denarius omnibus concedatur, alius alio perfectiùs gaudebit, fruetur que diuinæ essentiæ visione. Et in
Hieron. hunc modum respondet huic obiectioni Hierony. Augustin. Gregor. Vnus denarius (ait Hierony. vbi suprà) non vnum est præmiū, sed vna

vita,

D.Aug. vita, & vna de gehenna liberatio. Et D. Augu. in illa verba Ioannis; In domo patris mei mansiones multæ sunt, sic inquit; Eo vtique denario, vita significatur æterna, vbi nemo amplius viuit alio; quia viuendi non est diuersa in æternitate mensura; sed multæ mansiones, diuersas meritorum in vna vita æterna significant dignitates: alia enim est gloria solis, alia lunæ; & multa similia dicit Augustin. in lib. de sancta virginitate c. 26. Eadem, & in eundem sensum eleganter

D.Aug.

Gregor. persequitur D. Gregor. libr. 4. moral. cap. 42.

Dubium. ¶ Superest tamē de hac expositione nouus scrupulus. Nam si ita se res habet, quòd in vno denario dispar erat eorum gloria, & retributio; quid ergo conquerebantur, obmurmurabantque cōtra patremfamilias illi, qui pondus diei, & æstus portauerant, pares sibi effectos, qui vna dumtaxat hora laborauerant? Ad hunc scrupulum exi

Chrisost. mendum, obseruandum est ex D. Chrisost. explicante hanc parabolam, quòd in parabolis non sunt singula verba morosè explicanda. ¶ Neque enim opus est quòd omnia, quæ in eis dicuntur, ad amussim, & per omnia quadrent, sed conijciendus est oculus ad præcipuum parabolæ scopum. Dominus in illa parabola voluit significare, quòd quidam sequuntur Deum à prima iuuentute, quidam verò incipiunt sequi in senectute, & tamen aspirante Dei gratia, nouissimi non minus præmij recipiunt, quàm primi. Vel Dominus retulit illam parabolam ad Apostolos, qui cùm essent futuri nouissimi, debebāt esse primi in regno cœlorum. Vel Dominus voluit nos admonere in illa parabola, quòd in via Dei tantum potest proficere solertissimus quisque breui & exiguo tempore, quantū profi cit negligens in longiori tempore. Denique docet Dominus, quòd merita nostra habent potissimè suum valorem & efficaciam ex diuino placito; & hoc est quod dixit paterfamilias, an non licet mihi de meo facere quod libet?

Quomodo vnus alio beatior sit. ¶ Sed quæstio est inter catholicos Theologos ad examinandum, quomodo vnus sit beatior altero; & in quo consistat quòd vnus perfectiùs, & melius participet obiectum beatificum, quod est summum bonum? Ad cuius rei expositionem scire oportet, quòd hîc non quærimus de causa prima, & remota huius variæ atque diuersæ participationis gloriæ, sed de causa proxima, propter quod non satis res expeditur, si dicamus vnum altero esse beatiorem; quoniā cū Deus sit speculum voluntarium, pro sua voluntate plus se repræsentat, & præbet videndū vni, quàm alteri; hæc enim Theologia venit ex longinquo, & ex valde remotis: omnia enim euenient secundum diuinam voluntatem. Quòd si hæc responsio apta est, sic Deo placitum est, vel vno die possemus vniuersas Theologię quæstiones apta responsione eludere, videlicet dicendo, sic dijs placet. Neque verò hæc controuersia sufficienter explicatur si dicat Theologus, vnum esse beatiorem altero, quia Deus perfectiùs concurrit cum vno, quàm cum altero; tum, quoniam hæc causa est communis, & remota, & quæ quadrat omnibus agentibus; tum verò, quoniam cum beatitudo non solùm se teneat ex parte Dei concurrentis, sed ex parte intellectus videntis Deum, oportet causam reddere nō solùm ex parte Dei, sed etiam ex parte intellectus nostri. ¶ Vera ergo explicatio pro- Explicatio dubij.
positæ dubitationis hæc est, quòd maior participatio summi boni, & summæ beatitudinis in hoc consistit, quòd vnus beatus perfectiùs videat Deum, quàm alius. In hanc causam retulit hanc diuersitatem Concil. Florent. vbi suprà. Et Cōcil. Flor.
ratio idem persuadet euidens. Nam beatitudo essentialiter in Dei visione consistit, vt superiùs ostēsum est. ergo maior & perfectior beatitudo, in perfectiori visione. ¶ Quòd si quis arguat Obiectio.
ex D. Thom. nam hoc in loco colligit perfectiorem, & maiorem beatitudinem ex maiori fruitione. ¶ Dicendum est, quòd cùm visio, & Solutio.
fruitio in vita beata conueniant, D. Thom. indifferenter solet loqui de vtraque, quando non disputat ex professo, in quo essentialiter consistat beatitudo. Vel dicendum, quòd fruitio est proprietas beatitudinis, & visionis beatificæ; vnde optimè colligit ab effectu; si fruitio perfectior est, ergo visio & beatitudo perfectior erit. ¶ Verùm supereſt inquirere de maiori perfectione visionis, quod non habet facilem explicationem. Quæritur, in quo consistat, quòd vna visio diuinitatis sit altera perfectior? In huius quæstionis gratiam obseruandum est, quòd visio beata potest comparari ad intellectum, à quo procedit, vel ad obiectum quod videtur. Rursus, maior perfectio ex parte obiecti potest expendi bifariam; vel quantum ad ea, quæ in obiecto videntur, quia plura, vel pauciora videntur; vel quantum ad modum videndi, quia clariùs aut distinctiùs videntur: sicut in visione corporali, visio imaginis potest esse perfectior, quia plura in imagine videntur, vel quia clariùs & distinctiùs videntur. His cōstitutis est prima conclusio. ¶ Perfectior visio beatifica & maior, quantum est ex parte intellectus, ex perfectiori, & maiori lumine gloriæ expendenda est. Nam intellectus creatus videt Deum mediante lumine gloriæ, à quo eleuatur, & illustratur vt Deum possit videre; itaque lumen gloriæ est principium immediatū, quo intellectus sit potens ad intuendum Deum, vt euidenter demōstrat D. Thom. 1. p. q. 12. artic. 5. Ergo perfectior visio

Quare vna visio sit altera perfectior.

Prima Cōc.

D.Tho.

visio diuinitatis, ex perfectiori lumine gloriæ expendenda est. ¶ Hoc ipsum confirmatur. Nã visio diuinitatis, est visio supernaturalis, omnesque vires intellectus naturales longè superans. ergo ad principium supernaturale, cuiusmodi est lumen gloriæ, referenda est. Profectò, cùm calefactio superat vires aquæ, si aqua aliquando calefacit, ex ratione caloris calefacit, non ex proprijs viribus aquæ. ¶ Sed ex hoc magna enascitur quæstio; Vtrùm naturalis perfectio intellectus iuuet ad perfectiorem visionem diuinitatis, sic, vt cum æquali lumine gloriæ perfectior intellectus, perfectiùs videat Deum? Verùm si documenta nostræ sententiæ exactè considerentur, quid sit sentiendum manifestè patet; videlicet, quòd nihil iuuat ad perfectioré visionem. Contrariam tamen sententiam habet Caiet. 3. p. q. 10. artic. 4. sed de hoc fusiùs disputatur 1. p. q. 12.

Vtrũ naturalis perfectio intellectus adiuuet ad visionem.

Caiet.

Secũ. cõcl. ¶ Secunda Conclusio. Si loquamur ex parte obiecti, maior perfectio visionis nõ sumitur ex eo quòd plura, vel pauciora videntur eorum, quæ sunt in Deo formaliter. ¶ Ad cuius rei interpretationem sciendum est, quòd aliqua sunt in Deo dupliciter; vel formaliter, id est, secundum propriam rationem, vt sunt diuina attributa, quæ dicunt perfectionem, & nullam includunt imperfectionem; cætera sunt in Deo eminenter, id est, non secundum propriam rationem, sed altiori & sublimiori modo, demptis omnibus imperfectionibus, vt sunt omnes effectus creati, quos Deus potest producere. Decerno itaque in cõclusione, quòd maior perfectio beatitudinis non est ex eo, quòd plura vel pauciora videantur in Deo eorum, quæ sunt formaliter in Deo. Nam (vt ego existimo) omnes videntes Deum, vident omnia quæ sunt formaliter in Deo; omnia enim quæ sunt formaliter in Deo, sunt vna simplicissima perfectio, quæ est essentia diuina; qui ergo videt essentiam diuinam, videt subinde omnia quæ sunt formaliter in essentia diuina.

Dupliciter aliqua sunt in Deo.

Tertia Cõc. ¶ Tertia Conclusio. Maior, vel minor perfectio visionis beatificæ sumitur ex parte obiecti; quia videns Deum, videt plura, vel pauciora ex his, quæ sunt eminenter in Deo. Nam ea quæ videntur eminenter in Deo; videntur tanquam in causa; at qui plures effectus cognoscit in causa, perfectiùs cognoscit causam. ergo qui in Deo videt plures effectus, perfectiùs videt Deũ. Certè quando quis in principio scientiarum plures conclusiones percipit, perfectiùs illud principiũ penetrat.

Quarta Conclusio. ¶ Quarta Conclusio. Maior, vel minor perfectio beatę visionis sumitur ex parte obiecti, alio modo, scilicet ex eo, quòd videns Deum intensiùs, & magis intimè Deum intuetur, & magis perspicuè; quemadmodum euenit sæpenumerò quòd eandem conclusionem vnus alio perfectiùs, & euidentiùs intelligit. Sed de his omnibus fusiùs disputatur 1. part. q. 12. ex quo loco quidam varias quæstiones furantur, & ad istum locum transferunt, transcribentes eas, sed nobis satisfuerit ea, quæ nostro proposito sunt acommoda, pertractasse.

ARTIC. TERTIVS.

¶ Vtrùm in hac vita possit quis esse beatus.

SVMMA TEXTVS.

Prior cõcl. PRior Conclusio. In hac vita possumus habere beatitudinem imperfectam, & aliqualem participationem beatitudinis ęternę, prout suprà dictum est.

Poste. cõcl. ¶ Posterior Conclusio. In hac vita nõ potest haberi perfecta beatitudo; quia beatitudo cùm sit perfectum, & sufficiẽs bonum, excludit omne malum, & implet omne desiderium; quod in hac vita fieri non potest, cùm multis subiaceamus malis, & respectu ignorantię, ex parte intellectus, & inordinatæ affectionis, ex parte appetitus, multisq; alijs pœnalitatibus, quæ vitari non possunt: ex parte corporis, nec etiam impleri potest desideriũ in hac vita, cùm permanentiã eorum cupiat homo quæ transitoria sunt, maximeque fugiatur mors, quæ tamen sequitur, neque etiam diuina essentia in hac vita videri potest, in qua consistit beatitudo.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Argu. cõtra secũ. cõclu. Pri. argum. COnclusio secunda videtur falsum dicere. Nam Christus Dominus in hac vita fuit beatus: fuit enim simul viator, & comprehensor, vt vno cõsen-

su

Secundum. Augusti. D. Thom. Tertium.

Quartum.

Resolutio dubij.

D. Aug.

1. Cor. 15.

Arg. solut. Ad primum

ſu definiunt vniuerſi Theologi. ¶ Deinde, D. Paul. vt placet D. Auguſt. & D. Tho. in corpore conſtitutus, vidit diuinam eſſentiam, in cuiusvi ſione perfecta beatitudo conſiſtit. Idem aſſeritur de Moyſe. Idem diſputat de D. Benedicto, vt animaduertere licèt quodlib. 1. articu. 1. apud D. Thomam. ¶ Præterea, alia ratione ſubuertitur hæc concluſio D. Thom. ſecunda. Nam ex ea ſequitur omnes homines naturali deſiderio deſiderare mortem, quod eſt contra experientiam. Quòd rectè ſequatur, ſic oſtenditur. ¶ Etenim omnes homines naturali deſiderio deſideramus beatitudinem perfectam: ſed ad eam conſequendam eſt medium neceſſarium, interuentio mortis. Ergo qui naturali deſiderio deſiderat beatitudinem perfectam, ex cõſequio deſiderat mortem, & ab hac vita migrare; ſiquidem in hac vita mortali beatitudinem perfectã habere non poſſumus. Certè qui deſiderat efficaciter finem, deſiderat ſubinde medium, quod eſt neceſſarium ad finis adeptionem. quod eſſe verum, multis argumentis in ſuperioribus eſt confirmatum. ¶ Sed & aliud incommodum vi detur ſequi ex prædicta ſententia, videlicet, quòd veritas reſurrectionis conſtaret nobis ratione euidenti, cùm tamen ſola fide hæc veritas teneatur. Quòd rectè ſequatur, hoc pacto demonſtro. Nam ex prouidentia diuina, & peccantibus pœna, & bene operantibus præmium debetur. Sed homines conſtituti ex corpore & anima peccant, & rectè operantur. Ergo hominibus ſecundum corpus & animam, præmium aut pœna debetur. ergo ſi in hac vita præmium noſtræ felicitatis conſequi non poſſumus, neceſſaria eſt iterata coniunctio animę ad corpus, vt homo integer in corpore & anima recipiat præmium. ¶ In huius expoſitionem dicendum eſt, concluſionem D. Thom. eſſe certiſsimam, quam euidenter demonſtrat D. Thom. ſuis argumentis. Eandem demonſtrat D. Auguſt. lib. 19. de ciuitate Dei ferè per totum. Certè ſi in hac vita tantùm ſperantes eſſemus, miſerabiliores eſſemus non tantùm cunctis hominibus, vt teſtatur D. Paul. 1. Corint. 15. imò etiam vniuerſis rebus. Nam cæteræ res facilè conſequuntur fines ſuos, homo verò infinitis, tum animę, tum corporis perturbationibus, & ærumnis circumuallatus vix conſequitur beatitudinem huiusvitæ; ſi verò eam conſequitur poſt longos labores, eam retinere non valet; nam poſt morte breui eſt abrumpenda. ¶ Ad argumenta in oppoſitum adducta facilè erit ſatisfacere. Nam ad primum breuiter dicendum eſt, quòd D. Tho. loquitur de lege ordinaria, & ſecundum cõmunem curſum naturis debitum. Quod verò Chriſtus Dominus fuerit ſimul viator, & cõprehenſor, fuit miraculorum ſummum, maximumq;. Eadem eſt interpretatio de D. Paulo, de Moyſe, & de D. Benedicto, ſi fortè dum hanc vitam viuerent, viderunt diuinam eſſentiam. ¶ Ad ſecũdum argumentum confutandum, nõnulla ſunt animaduertenda. In primis, omnes homines per appetitum ſenſitiuum horremus mortẽ vt malum terribile. Nam ſenſitiua pars, nil de felicitate alterius ſeculi iudicare poteſt; at per appetitũ rationalem oportet vt appetamus mortem pro conſecutione beatitudinis perfectæ, quæ in hac vita mortali haberi nequit. Quapropter multi philoſophi pro conſecutione huius felicitatis, quamuis de ea tenuiſsimam haberent cognitionem, ſponte ſe morti tradiderunt. Cicero in prima Tuſcul. refert quendam Ægyptium Cyrenæum prohibitum fuiſſe à Ptolomæo Rege de incommodis huius vitæ, & felicitate alterius diſſerere, quoniam his auditis multi ſibi mortem conſciſcebant. Ibidem commemorat aliũ, Ambroſiatem nomine, quem dicit cùm nihil aduerſi ſibi accidiſſet, ſe è muro in mare præcipitaſſe lecto Platonis lib. de immortalitate animæ. Auguſt. Eugubinus lib. 10. de perenni philoſophia c. 10. refert alios philoſophos, qui habebant in ore illam ſentẽtiam Domini, Qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam ęternam cuſtodit eam. ¶ Sed his prætermiſsis, quæ incerta ſunt, D. Paul. ad Philip. 1. veriſsimè dicit, Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto. & ad Rom. 7. Infelix ego homo, quis me liberabit de morte corporis huius? & 2. Cor. 5. Audemus, & bonam voluntatẽ habemus peregrinari à corpore, & præſentes eſſe ad Dominum. Et illa vox orationis Dominicæ, Adueniat regnum tuum, vox ſanctorũ eſt, explicantium deſiderium, quo magnopere ex hac vita diſcedere concupiſcunt. Vnde qui efficaciter, & omnibus modis deſiderant beatitudinem perfectam, facilè contemnũt mortem per appetitum rationalem: nam per appetitum ſenſitiuum maximè horremus mortem. quod ſignificat Paulus 2. ad Cor. c. 5. dicens. Ingemiſcimus grauati, eò quòd nolumus ſpoliari, ſed ſuperueſtiri; nolumus, inquã, per appetitum ſenſitiuum; nam per appetitum rationalem iam dixerat D. Paul. audemus, & bonam voluntatem habemus peregrinari à corpore, & præſentes eſſe ad Dominum. Itaq; ſicut mercator, qui proijcit merces in mare pro tuenda vita, vult certè proijcere ne pereat, at vellet nõ proijcere, ſi poſſibile eſſet vitam, & merces ſimul cõſeruare; ſic qui vult efficaciter & ſeriò beatitudinem, vult ſimpliciter mori, & præſentem abrumpere vitã; ſed nollet, ſi eſſet poſsibile non ſpoliari, ſed ſuperueſtiri. ¶ Tertia ſolutio eſt, quòd mors non eſt medium per ſe neceſſariũ, ad conſequendã per-

Ad ſecundũ

Cicero.

Ambroſita.

Eugub.

Philip. 1. Rom. 7.

2. Cor. 5.

2. Cor. 5.

perfectam beatitudinem, sicut nauigium ad nauigandum; sed est necessarium mori per accidens, & quod dicũt Theologi ex suppositione, sicut supposito naufragio, necessaria est tabula ad euadendum, non autem est necessarium vt qui desiderat nauigare, desideret tabulam ad supernatandum. Insuper dicendum est, viros sapientes, quando illis à Domino fuerit denunciatum quòd ex hac vita mortali discedant, lętabundos, & agentes gratias Deo debere parere, quasi à carcere & vinculis emittãtur; si verò nihil fuerit illis denunciatum, oportet vt in præsidio, & in statione sua permaneant, ne vt proditores, & infideles arguantur; itaque nó oportet quòd desiderent mortem, sed quòd à Domino illatam generoso animo ferant. ¶ Ad tertium argumentum sic respondet Scotus in 4. d. 43. q. 2. non constare ratione euidenti esse vnum rectorem vniuersi, scelera punientem, & pro meritis præmium retribuentem; contra quem alio in loco dimicauimus. Vt igitur veram confutationem breui complectar, dico, quòd etiam si non constet, satis magnum est præmium ipse fructus virtutis, quo viri probi mirificè delectãtur. ¶ Sed huic solutioni videtur aduersari illud elogium D. Pauli, si in hac vita sperantes essemus, miserabiliores essemus cunctis hominibus, propter quod dicendum est, quòd secundum philosophos rectè sentientes de animorum immortalitate, satis est animam à corpore separatam vel pro sceleribus puniri, vel pro bonis actibus præmium suscipere: quoniam anima est quæ per voluntatem est primum & præcipuũ principium nostrorum operum, corpus verò tãtum concurrit tanquam organum & instrumẽtum. hoc dicunt philosophi ad hoc argumentũ, ne cogerentur concedere resurrectionem corporum esse naturalem, de qua re lege D. Augu. lib. de cognitione veræ vitæ c. 41.

Ad tertium Scot.

Paulus.

Augus.

ARTIC. QVARTVS.

¶ *Vtrùm beatitudo sit amissibilis.*

SVMMA TEXTVS.

Prior cõcl. PRior Conclusio. Beatitudo imperfecta potest amitti. Nam de felicitate contemplatiua patet, quæ amittitur per obliuionem cùm corrumpitur sciẽtia, vel exægritudine, vel ex alia occupatione, quibus homo totaliter abstrahitur. Patet etiam de actiua, cũ possit homo mutari vt degeneret à virtute.

¶ Posterior Conclusio. Beatitudo perfecta alterius vitæ amitti nõ potest, quæ quietat omne desiderium, & excludit omne malum; quia aliter homo nõ esset beatus, si non esset certus, quòd bonum acquisitum & possessum non est amissurus. Vnde si hæc opinio esset falsa, beatus non esset; quia falsum, est malum intellectus, & falli miseria est. Secundò in particulari considerãdo, impossibile est quòd videns diuinam essentiam, velit eã non videre, cùm in ea habeat omne id, quod appetitum satiat, & cũ pœna nunquam proueniat, nisi à culpa, Deus nunquam substrahit sui visionem, quia ad hanc requiritur rectitudo voluntatis, vt suprà dictum est: hęc autem rectitudo à nullo substrahi potest, cùm mens Deo coniuncta super omnia eleuetur; vnde per nullum agens potest excludi talis visio.

Poste. cõcl.

EXPLICATIO ARTICVLI.

DE vita æterna & inamissibili, quam electis post mortem superesse minimè dubitamus, multæ sunt demonstrationes in sacris eloquijs. Dicit enim Sapiens; Iusti autem in perpetuum viuẽt, & apud Dominum merces eorum. dicit etiam Daniel; Et qui ad iustitiã erudiũt multos, fulgebũt quasi stellę in perpetuas ęternitates. & Paul. Et sic semper cum Domino erimus; vitam ęternam & perpetuam significans. & D. Petrus; Vocauit nos in æternam gloriam suam; manifestiſsimè autem Saltator in euangelijs dicit. Et ibũt isti in pœnam æternam, iusti autem in vitam æternam. Deniq; in Symbolo omnes confitemur vitam æternam, de qua Christianis nobis est certamen. Vita igitur illa felix & beata, nunquam finem habebit; quapropter dogma hæreticum est Origenis, & quorundam philosophorum

Sapiens.

Daniel.

Paulus.

Petrus.

Mat. 25.

Orig.

rum dicentium, quòd post diuersas temporum vicissitudines, beati futuri essent miseri, & miseri è contra beati. Cõtra hũc errorem disputat Augustinus, libro de hæresibus, hæresi 43. & 12. de ciuitate Dei, capitu'o vigesimo, & Diuus Gregorius super Iob, in illud. Æstimabit abyssum quasi senescentem. Sed & hæc veritas non solùm constat fide catholica, sed rationibus euidentibus, quas persequitur Diuus pater Augustinus in locis citatis; agit enim contra hunc errorem in libris de ciuitate, argumentis tantummodo, nullũ scripturę sacrę adferẽs testimoniũ; quòd inde veniſſe constat, quia tunc contra ethnicos Philosophos agebat, quos sacræ scripturæ testimonia parùm mouere poterant.

nr.

D. Aug.

Greg. Iob 41.

Augusti. Rationes pro hac veritate.

Varias etiam huius rei demonstrationes designat Diuus Thomas tertio contra gentes, capitulo sexagesimoprimo, & sexagesimosecundo, & quarto contra gentes, capitulo nonagesimosecundo. & suprà quæstione quarta, artic. quarto, ostensum est, beatos suapte natura esse impeccabiles.

D. Thom.

¶ Illud etiam aduertere oportet, quòd beatitudo sanctorum non dicitur æterna & inamissibilis, ex eo tantùm, quòd Deus per auxilium gratiæ specialc, eam in æternum conseruet; veluti diceretur arbor æterna, quam Deus sempiternè conseruaret; sed suapte natura est inamissibilis & æterna, sicut cœlestia corpora, & spiritus angelici. Nam visio illa beata sicut suapte natura est vita, sic sanè suapte natura est vita æterna; neque enim habet vnde corrumpatur.

Visio beata suaptenatura inamissibilis est.

¶ Hoc ipsum confirmatur; quia non habemus aliud argumentum ad probandum, quòd cœlum, & lumen solis sit incorruptibile, nisi quia scimus quòd nunquam corrumpentur; sed hoc scimus de visione beatifica. ergo videtur quòd illa sit suapte natura incorruptibilis; & Deus, qui sapientissimè omnia componit, quomodo beatitudinem, quæ nunquam corrumpitur, posuisset in natura corruptibili?

Pri. obiect.

¶ In contrarium autem videtur; Nam visio diuinæ essentiæ, quam habuit Diuus Paulus, dum adhuc viueret, desiuit esse. ergo visio diuinæ essentiæ suapte natura non est incorruptibilis.

Secunda.

¶ Præterea, charitas vitæ beatæ est eiusdem rationis cum charitate quam hic habemus, dum viuimus. Sed charitas huius vitæ suapte natura est corruptibilis, idque accidit multis modis. Ergo & charitas patriæ. Explicatur hoc. Nam sine charitate, beatitudo consistere non potest. Sed charitas de sua natura est amissibilis, vt dudum probatum est. ergo beatitudo suapte natura amissibilis est.

Tertia.

¶ Denique, charitas huius vitæ non corrumpitur ex parte agentis, qui est Spiritus sanctus; neque corrumpitur ratione sua; nam charitas de se nunquam excidit; corrumpitur tamen ex parte liberi arbitrij. Ergo visio beata, licèt suapte natura sit incorruptibilis, poterit tamen ex parte liberi arbitrij desinere esse.

¶ Ad hæc argumenta satisfaciendum est. Nam ad primum dicendum, quòd visio diuinæ essentiæ quam habuit Paulus, & visio beati, sunt eiusdem speciei. quod patet ex obiecto; habent enim idem obiectum, & ex lumine gloriæ, & specie intelligibili, per quam diuina essentia videtur; cum hoc tamen rectè coniungitur, quòd visio Diui Pauli fuerit corruptibilis, & visio beata sit incorruptibilis; sicut lux solis, & lux quæ in aëre recipitur, sunt eiusdem speciei, nihilosecius tamen lux solis est incorruptibilis, aëris verò corruptibilis est. Vel dicito ad argumentum, quòd fortasis differunt specie; tũ, quoniam vna est per modum permanentis, altera per modum transeuntis; tum verò, quoniã vna suapte natura est habitus, altera est dispositio.

Ad primum

¶ Ad secundum dicendum arbitror, hoc differre inter charitatem viæ, & patriæ; quia charitas viæ, est incorruptibilis ex parte Spiritus sancti mouentis animam ad amandum; deinde ex sua propria ratione; nam charitas nihil potest, nisi Deum amare; at ex parte subiecti, cui inhæret, amissibilis est; quoniam non replet totam capacitatem rationalis animæ. at in vita beata, etiam ex parte subiecti inamissibilis est; replet enim totam capacitatem mentis humanæ. Omnis enim motus, & vniuersa actio beatorum, est in Deum, & propter Deum. De hac argumenti confutatione legendus est Diuus Thomas 2. 2. quæstion. 24 articul. 11. Ex cuius enodatione liquet quid dicendum ad reliqua argumenta.

Ad secundũ

D. Thom.

¶ Sed non est prætereundum id, quod notat Caietan. hoc in loco; aliud esse, si formaliter loquendum est, beatitudinem esse inamissibilem, & beatitudinem esse æternam, Nam æternitas designat durationem nunquam finiendam; inamissibilitas verò significat immutabilitatem, ratione cuius beatitudo durat in sempiternum. Itaque sicut hæc demonstratio est à priori (vt dicunt Dialectici) Deus est immutabilis; ergo Deus est æternus; ita hæc demonstratio à priori procedit; beatitudo est inamissibilis, & immutabilis: ergo est æterna.

Caiet. an.

¶ Circa id quod dicit Diuus Thomas, quòd beati non possunt errare, est quæstio; Num ita sit? Nam pars negatiua his argumentis suadetur.

Vtrũ beati errare possint?

Pri. argum.

¶ Etenim lumen gloriæ non ostendit beato omnes veritates: beatus enim non videt omnia in verbo, prout prima parte ostensum est.

¶ Præterea, lumen scientiarum, quas dum hic viueret, comparauit, non demonstrat illi omnes

Secundum.

Tertium. veritates: ergo falli potest. ¶ Deinde, angeli beati, qui ignorantes mysterium Dominicæ resurrectionis percontabantur alios; Quis est iste qui venit de Edon? certè poterant de triumpho Christi aliquid non certum coniectare.

Quartum. ¶ Profectò si beatus non videt in verbo, num quantitas distinguatur à re quanta, & disputet Diuus Thomas cum beato, producatque in medium rationes probabiles, generabunt opinionem quæ fallax esse poterit.

Confir. ¶ In cuius rei confirmationem statuamus, quòd vnus beatus alteri enarret rem gestam; tunc vel credet, vel non. Si hoc secundum dederis, dabis subinde quòd est iniurius in beatū, cui fidem non adhibet. Si credit, ergo habet iudicium opinatiuum. ¶ In gratiam huius quæstionis, in primis sic statuo; Beatum non posse habere errorem in intellectu, siquidem beatitudo excludit omne malum; errare verò, malum est, & imperfectio intellectus. Deinde aio beatum non posse habere iudicium opinatiuum; nam tale non potest esse sine formidine; formido verò & metus, à vita beata longè absunt.

Beatus non potest habere errorē in intellectu.

Quod etiam alio argumento euidenti conuinco esse verum. Nam beatus scit se non posse errare, siquidem hoc pertinet ad suam beatitudinem; & omnino esset inconueniens, quòd beatus haberet aliquid, quod multum facit ad suam beatitudinem, & ipse non sciret, & id quidem euidenter; nā credulitas non potest tollere omnem solicitudinem. Ex his tale conficio argumentum, ad probandum, quòd omne iudicium beati sit euidens, & accipio hoc iudicium. ¶ Quantitas distinguitur à re quanta; tunc sic rectè & euidenter sequitur, ego non possum errare, & ego assentior quòd quantitas distinguatur à re quanta; ergo quantitas distinguitur à re quanta. Maior huius syllogismi est euidens; minor etiam euidentiam habet. Nam euidenter cognoscit se assentiri. Consequentia verò argumentationis euidentissima est. ergo conclusio euidens est. Et eodem modo probabitur de quocunque assensu, vt manifestè patet aliquid intelligenti in dialecticis.

¶ Illud etiam addendum est pro quæstionis elucidatione, beatum ab intrinseco, & ex natura beatitudinis non posse errare. quod animad uersione dignum iudico contra quosdā Theologos, asserentes quòd beatus non potest errare, aut decipi, quia Deus conseruat illos ne in errores labantur. ¶ Sed probatur nostra sententia. Nam beatitudo suapte natura excludit omne malum; at errare, & decipi malum est. Deinde, beatus ab intrinseco, & de natura beatitudinis & felicitatis, est prudentissimus, & optimus. ergo nunquam se exponet periculo errandi. ¶ Vnde ad argumenta in aduersum posita dicat Theologus, quòd licèt beatus non videat omnia in Deo, habet tamen summam prudentiam ex visione Dei: quapropter nunquam assentietur alicui rei per opinionem, licèt de ea re magnæ sint coniecturę, ne se exponat periculo errandi. Itaque beatus nunquam opinatur, sed semper certò, & euidenter assentitur, quando assensum habet.

Solut. arg.

ARTIC. QVINTVS.

¶ Vtrùm homo per sua naturalia possit acquirere beatitudinem.

SVMMA TEXTVS.

Prior cōcl. PRior Cōclusio. Imperfecta beatitudo, quę in hac vita potest haberi, per facultatem naturę acquiri potest. Nam beatitudo cōtemplatiua, in consideratione scientiarū potissimè sita est: beatitudo verò practica, in exercitio virtutum cō sistit: virtutem verò per sua naturalia homo comparare potest.

Poste. cōcl. ¶ Posterior cōclusio. Beatitudinē perfectam, quæ in Dei visionè cō sistit, homo per sua naturalia acquirere non potest; quia est supra omnem naturam creaturæ: nam quęlibet cognitio creaturę est secū dū modū suæ substantiæ. Omnis enim cognitio naturalis sequitur naturam cognoscentem, sed omnis cognitio secūdū modū subsātiæ creatæ deficit, & inferior est ad visionem diuinæ essentiæ, quę in infinitum superat omnem naturā creatam. Ergo per sua naturalia homo Dei visionem obtinere non potest.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Duplex huius vitæ beatitudo. IN gratiam huius articuli scire oportet, quòd si sequamur documenta philosophię naturalis, duplex est beatitudo huius vitæ; Vna est contemplatiua,

platiua, quæ in scientiarum contemplatione posita est: Altera actiua est, quæ in exercitio virtutum consistit. De his loquitur Diuus Thomas in prima conclusione quando docet, quòd per facultatem naturæ potest obtineri felicitas huius vitæ. Verùm si sequamur documenta Christianæ religionis, duplex est beatitudo huius vitæ; Altera consistit in contemplatione mysteriorum fidei, & passionis Domini nostri Iesu Christi crucifixi, in qua re viri iusti miris modis delectãtur: Altera est actiua, quæ cõsistit in vniuersali omnium mandatorum obseruatione, vt
Eccles. vlti. patet ex illo Ecclesiastes vltimo; Time Deum, & mandata eius obserua; hoc est enim omnis homo: quæ omnia mandata Christus Dominus ad vnum mandatum amoris reduxit.

¶ Itaque vniuersa beatitudo præsentis vitæ, in vero amore consistit: hæc verò beatitudo per vires naturæ haberi non potest. Sed & illa beatitudo alterius seculi, quæ in Dei visione consistit, per sua naturalia homo comparare non valet. ¶ Cuius rei multæ sunt demonstrationes
Psal. 83. in sacris literis: dicitur enim in Psalm. 83. Gratiam & gloriam dabit Dominus. cui concinit
Rom. 6. Paul. ad Roman. 6. Gratia Dei, vita æterna. &ite-
1. Cor. 2. rum 1. Corinthio. 2. Oculus non vidit, neque auris audiuit, quæ præparauit Deus diligentibus se, nobis autem reuelauit per spiritum suum, &
Mat. 11. Matth. 11. Nemo nouit patrem, nisi filius, & filium nemo nouit nisi pater, & cui voluerit filius reuelare. & Ioan. 14. Manifestabo ei meip-
Ioan. 14. sum. Definita est hæc veritas in Concilio Vien-
Cõcil. Vie. nensi sub Clemente V. & habetur definitio in Clementina ad nostrum, de hæreticis. quo in loco condemnatur error Begardorum, & Beguinorum, asserentium intellectualem naturam in seipsa esse beatam, neque indigere lumine gloriæ, neque aliqua virtute supernaturali ad videndum Deum. Veritas ergo irrefragabilis est, quam definit Diuus Thomas in secunda conclusione, quam omnes catholici confitentur.

Examinatur ratio D. Thom. Scot. ¶ Sed probationem Diui Thomæ non omnes admittunt: videtur enim Scoto in 4. distinction. 49. quæstion. 11. quòd non rectè procedat, & esse leuem & nugatoriam, & arguit contra duas sententias Diui Thomæ, ex quibus cõstituit probationem. Prima est, quòd modus cognoscendi sequitur naturam cognoscentis. Secunda est, quòd improportio est inter intellectum, & Deum, & ideo intellectus creatus per sua naturalia Deum videre non potest. Hæc principia siue axiomata, multis argumentis con-
Argu. Scot. uellere adnititur Scotus. ¶ Sequitur, inquit
Primum. Scotus, si hæc principia vera sunt, visum corporeum non posse videre cœlum; siquidem visus corporeus habet inferiorem modum essendi.

¶ Sequitur rursus, angelum inferiorem nõ pos-
Secundum. se superiorem videre, propter eandem rationẽ.

¶ Atque adeò sequitur, quòd homines, quam-
Tertium. diu hanc vitam viuimus, non possumus Deum cognoscere, siquidem Deus est super omnem naturam, & super omnes vires creaturæ.

¶ Sed & illud sequitur euidentissimum incom-
Quartum. modum, quòd intellectus beati, illustratus lumine gloriæ, non potest videre Deum facie ad faciem; nam adhuc manet improportionatus, siquidem est creatura limitata, & finita, à qua Deus distat in infinitum. ¶ Quintò sequi-
Quintum. tur, nostrum intellectum non posse eleuari etiã adiutorio diuino ad videndum Deum sicuti est; nam potentia non potest eleuari vltra latitudinem sui obiecti; vt visus non potest eleuari vt videat sonum. Quòd si dicas, quòd Deus est intra latitudinem obiecti nostri intellectus. Contrà ergo intellectus noster per facultatem naturæ potest Deum videre. ¶ Sextò sequi-
Sextum. tur, quòd noster intellectus illustratus lumine gloriæ, naturaliter videat Deum, contra conclusionem secundam D. Thom. Patet. Nam illud lumen suapte natura ordinat ad videndum Deum, neque habet aliud officium naturale, nisi ostendere nobis Deum. Hoc modo impugnant viri docti rationem D. Thom. quorum rationes si adducerentur, facillimè ab omnibus contemnerentur. ¶ Certè ratio Diui Tho-
Quatuor necessaria ad exactã cognitionem. mæ est pulchra. Nam ad exactam alicuius rei cognitionem quatuor debent conuenire; natura cognoscens, intellectus, species intelligibilis, & actus intelligendi; quæ quidem inter se debent habere proportionem. quod sic ostendo ab vltimo incipiendo. Nam actus intelligendi sine dubio habet proportionem cum specie; si enim species est confusa, cognitio est confusa. ¶ Præterea, species intelligibilis habet proportionem cum natura cognoscente: sensus enim, quoniam est omnino materialis, perficitur speciebus omnino materialibus, & singularibus; intellectus verò noster, quoniam est in materia, non tamen vtens organo corporeo, perficitur speciebus abstractis à materia, ope & auxilio intellectus agentis. Sed angeli quoniam sunt penitus immateriales, perficiuntur speciebus omnino spiritualibus, non acceptis à rebus materialibus, sed à Deo infusis. Deus verò qui est actus purus, non perficitur per aliquam speciem, sed per suam essentiam omnia comprehendit. Inductione ergo colligitur quòd species habet proportionem cum natura cognoscente, & cognitio cum specie. Ex quibus euidenter concluditur, quòd modus cognoscendi, sequitur naturam cognoscentis. Ex quibus eruitur euidens ratio ad persuadendum, quòd nullus intellectus

creatus per sua naturalia possit videre Dei essentiam, quæ talis est. ¶ Sensus non potest percipere & cognoscere spiritualia, quoniam est potentia materialis, & cognoscit per species materiales; spiritualia verò sunt omnino immaterialia. Ad hæc, intellectus noster dum hîc viuimus non potest angelorum quidditatem & essentiam videre; quoniam est immersus materiæ, & cognoscit per species à rebus materialibus acceptas ministerio sensuum; Angeli verò sunt omnino expertes materiæ. Sed in hac immaterialitatis, & spiritualitatis ratione plus excedit Deus quemlibet intellectum creatum, quàm aut spiritualia sensum, aut angeli nostrum intellectum. Ergo intellectus creatus per sua naturalia non potest Deum videre sicuti est. Ad istum modum explicatum, probatio D. Thom. est elegantissima. ¶ Ad argumenta in aduersum respõdetur. Ad primum dicendum, quòd cœlum in ratione visibilis, est eiusdem rationis cum cæteris mixtis; nã corruptibile & incorruptibile sunt differentię per accidẽs ad rationem visibilis; essentiales verò sunt, lucidum, coloratum, &c.

Argu. solu. Ad primum

¶ Ad secundum dico; omnes angelos habere esse à materia separatum, licèt alter altero sit nobilior. ¶ Ad tertium respondetur, quòd in hac vita non possumus Deũ cognoscere quidditatiuè, & per proprias species, cæterùm per creaturas, & in ordine ad eas, & per species ab eis acceptas bene possumus Deum cognoscere; sed hæc cognitio imperfecta est, & confusa.

Ad secundũ. Ad tertium

¶ Ad quartum respondetur, quòd Diuus Thomas loquitur de cognitione naturali, non de supernaturali; nam cognitio supernaturalis non debet proportionari naturæ cognoscenti. Quo modo autem intellectus lumine gloriæ illustratus, habeat proportionem cum Dei visione, expositum est, 1. p. q. 12. articulo 5.

Ad quartũ.

¶ Ad quintum argumentum respõdetur, quòd obiectum adæquatum nostri intellectus, est intelligibile, & ens; quare Deus continetur intra latitudinem obiecti intellectus nostri. Sed obiectum proportionatum nostri intellectus, est quidditas rei materialis; qua de causa vt noster intellectus intelligat quidditatiuè rem immaterialem, & spiritualem, omnino eget luminis superioris adiutorio. ¶ Ad sextum, Caietan. 1. p. loco citato ait, non esse absurdum concedere, quòd Deus per aliquod lumen creatũ naturaliter videatur; nam omnis habitus naturaliter est principium sui actus; vti potest concedi quòd charitas suapte natura producit amorem. Sed ait Caiet. sententiam esse tenendam, sed linguã cohibendam, ne detur occasio errandi cum Pelagianis. Secundò respondetur, non esse concedendum quòd per illud lumen naturaliter videamus Deum: nam cùm illa forma sit supernaturalis, per illam supernaturaliter videmus Deum. Secus est de visu cæco homini restituto; nam visus est forma naturalis, & ideo per eã semper naturaliter videmus. Hæc breui sermone sunt explicata, & circumscripta; nam de his in 1. p. q. 12. latissimè disputatum est.

Ad sextum. Caietan.

¶ In hoc articulo solent disputari grauissimæ quæstiones; Prima, An Deus clarè visus, sit noster finis naturalis. Præterea; Vtrùm finem nostrum naturalem viribus naturæ possimus consequi. Insuper, an intellectus creatus ad videndum Deum egeat lumine gloriæ. Item, an diuina essentia debeat vniri intellectui creato in ratione speciei vt videat Deum. Item, an naturalia conducant ad visionem beatam. Vltimò, an facienti quod in se est, in puris naturalibus infallibiter detur gratia. Nam si infallibiter datur gratia, & in gratia perseueranti infallibiliter datur beatitudo; sequitur quòd homo per vires naturæ possit consequi suam beatitudinem. Omnes istæ quæstiones, præter vltimam, quæ disputatur in materia de gratia, disputatæ sunt 1. p. q. 1. art. 1. & q. 12. per totam.

ARTIC. SEXTVS.

¶ Vtrùm homo possit consequi beatitudinem per actionem superioris creaturæ.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio.

Concluſio est negans. Nam visio Dei, in qua beatitudo nostra consistit, superat facultatẽ & vires cuiusque creaturæ, vt probatum est sufficienter in articulo precedenti. Ergo per actionem creaturæ, quæ habet virtutem finitam, non consequitur homo beatitudinem, sed solummodò Deus dabit gratiam & gloriam. Sanè beatitudo est quoddam bonum excedens vires naturæ; omnis autem creatura legibus naturæ subiecta est: possunt autem disponi, in quantum ab angelis adiuuantur homines ad consequendum vltimum finem.

EX-

EXPLICATIO ARTICVLI.

NOn admodum obscura sunt quę hic ab autore dicuntur, & si quæ sunt quæ possunt facessere negotium, à D. Tho. breuiter explicantur in solutionibus argumentorum. ¶ Sed certè in solutione secundi, non videtur euidens ratiò demonstrare, quid est quòd vnus beatus nõ possit aliũ beare, communicando illi lumen gloriæ quod habet, cùm & aqua habens calorem ab igne, possit suum calorem alteri communicare? Verùm hæc dubitatio varijs modis depellitur. Primùm si dicamus, quòd lumen gloriæ non est in beato secundum esse perfectum, sed communicatur, & desuper infunditur illi imperfectè; & ideo vnus beatus non potest alterum beatificare, neque lumine gloriæ illum illustrare, sicut species albi, quæ est in oculo, non facit album; & lumen quod est in aëre, non semper illuminat alterum aërem. ¶ Quòd si cui hæc ratio euidens non videatur, alteram euidentiorem in medium producam, ea est, quòd ad beatitudinem hominis non solùm requiritur lumen gloriæ, sed etiam quòd vniatur essentia diuina intellectui creato in ratione speciei intelligibilis, vt possit producere illam visionem: hãc autem vnionem solus Deus potest facere. ¶ Deniq; ad extremum dico, quòd lumen gloriæ est habitus supernaturalis, excedens omnes vires naturæ, & ideo à solo Deo infundi potest; sic enim definitur habitus infusus; Habitus infusus est bona qualitas mentis, qua rectè viuitur, qua nullus malè vitur, quã Deus in nobis, sine nobis operatur. Ratio huius est; nã est ordinis planè diuini. ¶ Ex quo eliciũt diuini Theologi, non posse produci aliquã creaturam, cui lumen gloriæ sit cõnaturale, alioqui aliqua creatura per sua naturalia posset videre Dei essentiam sicuti est.

Solutio ad secundum explicatur.

Corol.

ARTIC. SEPTIMVS.

¶ Vtrùm ad beatitudinẽ consequẽdam requirantur bona opera.

SVMMA TEXTVS.

Prim. cõcl. PRima Conclusio est affirmãs. Nam rectitudo volũtatis nihil aliud est quàm debitus ordo voluntatis ad vltimum finẽ, quæ sanè requiritur ad beatitudinem, sicuti debita dispositio materiæ ad formæ consecutionem.

¶ Secunda Conclusio. Ordo natu- Secũd. cõcl.
rę exigit quòd homo statim nõ habeat beatitudinem, sed paulatim, & per incrementa virtutũ. Quanquã enim Deus possit facere volũtatẽ rectè tendentẽ in finem, & finem cõsequentem; tamẽ ordo diuinę sapientię hoc nõ exigit. Dicit enim Arist. 2. de cœlo, quòd eorũ, Aristot.
quæ nata sunt, habere bonum perfectum, aliquid habet sine motu, aliquid vno motu, & aliquid pluribus motibus. Sine motu cõuenit tantũ Deo, qui naturaliter habet beatitudinẽ, sine operatione precedenti, quod nulli creaturę cõpetit. Sed angelus, qui est superioris naturæ quàm sit homo, vnica operatione ex ordine diuino cõsequitur est suã beatitudinẽ. Homines autem per multas operationes beatitudinẽ cõsequuntur, quæ merita dicuntur: homo enim est naturę rationalis, qui per discursum, & ratiocinationem ex vno in aliud, paulatim & sensim, & in rerũ cognitione, & in exercitio virtutum incrementa suscipit.

¶ Tertia Conclusio in solutione se- Tert. cõcl.
cundi. Singulare est in Christo Domino inter homines, quod sine operatione precedenti meritoria fuerit beatus. Nã gloria fuit data animæ Christi, non ex meritis, sed propter vnionem hypostaticã ad verbum diuinum. Ioan.

¶ Quarta Conclusio in eadẽ solu- Quar. cõcl.
tione. Pueri baptizati in Christo, cõsequũtur beatitudinẽ per opera, nã meritũ Christi illis applicatur.

¶ Quinta Cõclusio in solutione vl- Quin. cõcl.

timi. Quãdo dicit Pau. Rom. 4. beatitudinẽ hominis, cui Deus imputat iustitiam sine operibus; loquitur de beatitudine spei, & charitatis, quæ est in hac vita, quę confertur sine operibus præcedentibus; nihilominus tamen in nostra iustificatione, opera bona concurrũt. Creamur enim in operibus bonis, vt in ipsis ambulemus, vt alio in loco dicit Paul. Non tamen hęc opera sunt merita nostrę iustificationis: iustificamur enim gratis per gratiam Dei, per redemptionem quę est in Christo Iesu.

Rom. 4.

EXPLICATIO ARTICVLI.

IN hoc articulo obseruet Theologus contra Lutheranos, esse insigne Dei beneficiũ, & memorabile, quòd exigat à nobis opera ad beatitudinis consequutionem; qua in re tantum abest vt derogetur bonitati Dei, aut iustitiæ, vt inde magis eluceścat, & illustrior fiat. Sicut enim in rebus naturalibus quanquã potuit Deus illuminare orbẽ sine sole, & hæc inferiora sine corporibus cœlestibus, & eorum agitatione fouere, ac gubernare, voluit tamen admittere creaturas intermedias, quæ secum operantur, vt magis suã bonitatem ostenderet, & vt magis creaturas magnificaret: sic in operibus gratiæ, licèt Deus potuerit beare homines absq; suis operibus; voluit tamẽ exigere bona opera nostra ad beatitudinis cõsecutionẽ, vt nostrã industriã magnificaret, illustrẽq; efficeret. Est enim magna & eximia hominis dignitas, quòd per sua opera, ex gratię præsidio adiutus, mereatur laudẽ, & beatæ vitæ præmiũ; quippe qui potest dicere Deo; Qui creauit me, sine me, nõ iustificabit me, sine me. Hoc beneficiũ amplificat diuinè D. Basil. homil. 10. in hexameron his verbis. Singulari Dei beneficio Deus permisit similitudinis ad Deũ nos esse operarios, ne simus instar imaginum, quas pictores fingunt, & maiores statuunt, quæ si ad prototypum excellenter respondeant, non imaginem laudas, sed pictorem extollis. Vt itaque meum sit præconium, mea sit laus, & non aliena, hoc mihi dereliquit Deus, vt similis Deo euadam. Quòd igitur requirantur opera ad beatitudinis consequutionem, nemini dubium est. Poterat tamen hic disputari, quomodo se habeant opera nostra ad præmium, vel ad vitam æternam; vtrùm ne sint merita vitæ æternæ, & beatitudinis cœlestis? Noui enim hæretici Lutherani, nõ possunt audire nomen meriti; sed de hoc latissimè & fusissimè disputabitur in quæstio. vltima huius partis.

Basil.

¶ Illud tamen in præsenti litera mouet de se magnam quæstionem quod dicit D. Tho. in probatione secundæ conclusionis, quòd Deus potest facere voluntatem, in finem tendentem, & finẽ consequentem. Ex hac enim sententia emergit perdifficilis quæstio; Num de potentia Dei absoluta possit fieri vt voluntas simul tendat in finem per bona opera, & consequatur finem: potest ne fieri, vt simul in eodem instanti temporis mereatur quis beatitudinem, & consequatur illam? Certè hæc quæstio torquet & magna, & parua ingenia Card. Caiet. cùm de beatitudine, & de condemnatione angelorum disputat, in hanc videtur propendere sententiam; imò magna asseueratione docet, quòd angeli boni in secundo instanti meruerunt beatitudinem, & eam sunt consequuti. Et viros alioqui bene doctos auditu, qui ex hac sententia D. Tho. efficaci argumentatione, vt arbitrantur ipsi, colligebant, Christũ Dominum quamuis ab instanti suæ conceptionis fuerit beatus, potuisse mereri suam beatitudinem; nam voluntas animę Christi Domini in eodem temporis momẽto potuit tendere in beatitudinẽ, & eam cõsequi, prout dicit hic D. Tho. Sed tamen hæc opinatio ex verbis D. Tho. erui nulla ratione potest. Nam D. Tho. (quantum ego iudico) non voluit docere, fieri posse vt in eodem temporis momento possit voluntas tendere in finem, & consequi finẽ; sed tantùm docet, posse fieri vt statim post vnã operationem conferatur ei beatitudo; non tamen asserit, quòd in eodem instanti sit meritũ & præmiũ beatitudinis perfectæ. In hoc enim est euidens contradictio, quòd sit fides, & visio, quòd sit spes, & præmiũ simul; nam si meretur quis, fidem habet; quòd si in eodem instanti cõsequitur beatitudinẽ, iã videt; erunt igitur simul visio, & fides. Rursum, si meretur quis, ergo spẽ habet consequendi præmiũ; quòd si simul consequitur beatificam visionẽ, ergo iam nõ sperat; quod enim habet quis, quid sperat? Hæc dicta sunt breui sermone, & suspẽsa manu (quod aiũt) nã prolixior & fusior disputatio pertinet ad tractatum de mysterio incarnationis Dominicæ; nũc verò tantũ dictũ sit de explicatione sententiæ D. Thomæ.

Vtrũ de potentia absoluta possint esse simul meritũ beatitudinis & beatitudo.

Caiet.

ARTIC. OCTAVVS.

¶ *Vtrùm omnes homines appetant beatitudinem.*

SVMMA TEXTVS.

Prior cõcl. PRior Conclusio. Omnis homo appetit beatitudinem, si eã accipimus quatenus est perfectum bonum, quod nostræ voluntati satisfacit; quilibet enim desideria sua cupit satiare.

Poste. cõcl. ¶ Posterior Conclusio. Nõ omnes homines appetunt beatitudinem, si capitur secundum specialem rationem, quantum ad id, in quo cõ sistit; sic enim non omnes cognoscunt beatitudinem, neque sciunt in qua re speciatim sit constituta hominis beatitudo; imò existimant Deum non posse à creaturis videri, in cuius visione omnis felicitas consistit, & sic non omnes beatitudinem diuinæ visionis concupiscunt.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Scotus. Arg. de appetitu naturali. SCotus in 4.d.49.q.9. impugnat D. Thom. hic, & 1.p.q.82.art.1. Primò quantum ad hoc quod dicit, quòd beatitudinem in communi omnes appetunt; & distinguit de appetitu naturali, & elicito; & probat quòd appetitu naturali nõ appetatur beatitudo in communi, sed beatitudo in particulari. ¶ Quia appetitus naturalis est ad aliquam perfectionem intrinsecam realem. ergo ad aliquid particulare. ¶ Rursus, vniuersale, est solum obiectum intellectus, & voluntatis, & non naturæ. ergo non est appetitus naturalis cuius vniuersalis. ¶ Deinde arguit de appetitu elicito, quòd sit euidens contradictio appetere beatitudinem in vniuersali, & non in particulari; quia beatitudo in particulari, includit bonũ perfectum, sicut in vniuersali. ergo si vna necessariò mouet, etiam alia; itaque tam bona est beatitudo in particulari, sicut in vniuersali. Sed non omnes appetunt beatitudinẽ in particulari. ergo neque beatitudinem in vniuersali.

Primũ arg. Secundum. Arg. de appetitu elicito. Primum.

Secundum. ¶ Præterea, id quod est in particulari, maiorem habet perfectionem, quàm id, quod est in vniuersali: homo enim perfectius quid est quàm animal. ergo beatitudo in particulari potiùs mouet.

Tertium. ¶ Ad hæc, appetitus noster satiatur perfectè beatitudine particulari. ergo fertur naturaliter in beatitudinem in particulari; quiuis enim desiderat appetitum satiare.

Quartum. ¶ Insuper, intellectus in dubius de beatitudine in particulari, eodẽ modo fertur in beatitudinẽ in particulari, & in beatitudinem in cõmuni; nam eadẽ est beatitudo, & scit indubiè esse eandem, cognoscitq; non in alio esse beatitudinem, quæ omnem appetitum quietat. Sed intellectus Christianus qui est indubius de beatitudine in particulari, nõ necessariò appetit illã. Ergo neq; beatitudinẽ in cõmuni.

Vltimum. ¶ Vltimò, desiderium efficax non potest esse nisi circa bonum in particulari. ergo nõ potest fieri vt appetamus beatitudinem in vniuersali.

Antecedens argumẽti sic ostenditur. Nam hoc differt inter intellectum & voluntatẽ, quòd intellectus habet pro fine, habere in se rem, & eius speciem: voluntas verò habet pro fine, habere rem prout est à parte rei; sed res prout est à parte rei, est bonum quoddam particulare. ergo impossibile est quòd voluntas feratur in beatitudinem in cõmuni. Hæc Scotus.

Durand. ¶ Durand. in 4.d.49.q.8. docet, quòd necessariò habemus quandam velleitatẽ beatitudinis, quæ explicatur his verbis; vellem esse beatus; sed non volitionem efficacem; & probat argumentis non omnino inualidis.

Pri. argum. ¶ In primis, nemo appetit appetitione efficaci quod existimat esse impossibile. Sed dãnati existimant, & pro certo habent, se non posse habere beatitudinem. Ergo non appetũt beatitudinẽ appetitione efficaci.

Secundum. ¶ Deinde, qui desiderat finem appetitione efficaci, desiderat sub inde media, quæ sunt necessaria ad illum finem consequendum, vt satis probatum existimo in superioribus. Sed multi homines scientes nõ possunt consequi beatitudinẽ sine adimpletione præceptorum Dei, nolunt adimplere præcepta. Ergo conuincuntur euidenter, quòd non appetũt beatitudinem. Vt verò vis huius argumenti euidentiùs ostendatur, conficiatur argumẽtum in hunc modum. ¶ Sit verum quòd aliquis necessariò appetat beatitudinem, & iudicet medium necessarium esse dare eleemosynam; sequitur quod necessariò dabit eleemosynã; volẽs enim finem, & cognoscens media, necessariò vult media, secundum doctrinam D. Tho. Oppositum autem videmus sæpe, quòd scientes se non posse consequi beatitudinem sine elargitione eleemosynarum, nõ vult elargiri eleemosynas.

Confir. ¶ Hoc ipsum confirmatur. Nã certè aliqui ita vellẽt habere beatitudinẽ, nisi essent necessarij tot labores; quæ est volitio cõditionalis & inefficax; & sic omnino videtur, quòd voles absolutè beatitudinem, & cognoscẽs se non posse habere nisi per labores, desistit sæpe ab illa volitione.

Vltim. difficile. ¶ Vltimò arguitur in patrocinio Durãd. Nã dãnati

Apoc.9. nati desiderant non esse, vt patet ex illo Apo.9. Desiderabunt mortem, & fugiet ab eis. ergo desiderant non se esse beatos. Consequentia inde probatur. Nam qui aliquid desiderat, desiderat subinde quòd scit necessariò inde subsecuturũ. Sed damnati euidenter sciunt, quòd si nõ sunt, non possunt esse beati. ergo si desiderant non

Confir. esse, desiderant non esse beati. ¶ Hoc idem cõfirmatur. Nam esse accidentarium, videlicet esse beatum, præsupponit esse substantiale. ergo si quis desiderat esse beatus, desiderat esse. Propter quod ex oppositio optimè sequitur, desiderat non esse, ergo desiderat non esse beatus. Itẽ, ablato esse substantiali, aufertur continuò esse accidentarium. Ergo si damnatus desiderat vt à se auferatur esse, desiderat ex consequio non esse beatus. Profectò si damnatus desiderat beatitudinem, sibi illam desiderat. Sed est euidens contradictio quòd velit non esse, & quòd velit sibi beatitudinem; nam si non supereſt quomodo potest habere beatitudinem? Hæc dicta sunt

Arg. Maio. in patrocinium Durandi. ¶ Maior. 4. d. 49. q. 6. quanquam tenet opinionem D. Thom. esse inter omnes probabiliorem, producit tamen nõnulla argumenta ad illius improbationem.

Primum. ¶ In primis, damnatus potest conformare volũtatem, voluntati diuinæ. Sed scit esse voluntatem diuinam quòd non sit beatus. Ergo potest nolle beatitudinem. Et euidentius argumentũ fit de præscito, cui Deus reuelaret suam damnationem, & quod nunquam erit beatus, ille posset esse in gratia, & conformare voluntatẽ suã

Secundum. voluntati diuinæ. ¶ Secundò sic arguit; Intellectus potest dictare beatitudinem esse nolendã, ergo potest voluntas se conformare illi dictamini. Consequentia probatur; quia quidquid præsentatur sub ratione boni, voluntas potest velle, & potest se conformare dictamini. Et antecedens patet; quia tenentes contrarium huius opinionis dicunt, quòd ad experiendam libertatem potest quis nolle beatitudinem; ergo illi possunt habere hoc iudicium ad experiendam libertatem; bonum est nolle beatitudinem. Sed satis est argumentorum, quæ si numero & multitudine æstimanda essent, certè magna subsidia præ se ferrent ad labefactandam sententiã

Expo. quest D. Tho. Sed nos in contrarium adducemus argumenta quidem numero pauca, sed pondere & momento grauissima. ¶ Ad huius igitur rei explicationem obseruandum est in primis; duplicem esse appetitum, naturalem, & elicitum.

Duplex appetitus, naturalis & elicitus. 3. Not. Quòd verò prædicti appetitus inter se distinguantur, efficaciter probant Scotus & Durandus in locis citatis. ¶ Nam appetitus naturalis in est semper, & naturaliter; appetitus autem elicitus non semper inest; experimur enim nos aliquando ab omni appetitione elicita cessare.

¶ Præterea, appetitus naturalis cõpetit omnibus rebus cognitione carẽtibus; lapis enim appetit in locũ suũ descendere; alter verò appetitus sequitur cognitionem. ¶ Tertiò, appetitus naturalis non est operatio, neq; actio, sed naturæ pondus; lapis enim antequam descendat, & aliquid operetur, appetit descendere in locũ suum. ¶ Il- 2. Not.
lud etiã obseruandũ est, quòd in homine est natura vegetabilis, carens cognitione; est & natura sentiens, perfectior quàm sit in brutis; atq; adeò est natura intellectiua, qua discernitur à cæteris animantibus. Homo itaq; habet esse cũ lapidibus, viuere cum plãtis, sentire cum animalibus, intelligere cum angelis; quapropter homo in se continet quodãmodo omnẽ creaturã. Quo in

Mar. vlt. sensu quidam doctores interpretãtur illud Mar. vlt. Prædicate euangeliũ omni creaturæ, id est, homini, qui est omnis creatura. & Sap. 1. dicitur

Sap. 1. de homine; Et hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis. Oportet ergo dicamus, quòd in homine est triplex appetitus; naturalis, quatenus habet animam vegetabilem; sensitiuus, & intellectiuus etiam; sed in præsentia appetitus sensitiuus & intellectiuus pro eodẽ vsurpantur; nã vterq; habet actum elicitum, & vterq; sequitur cognitionem. ¶ Animaduertat etiã Theologus,

3 Not. Beatitudo dupliciter consideratur. quòd beatitudo dupliciter consideratur; non quòd sit duplex beatitudo, sed quòd beatitudo habet duplicẽ considerationẽ. Potest enim considerari quatenus est bonum perfectum, & quatenus satiat nostram voluntatẽ, & omne desiderium replet. Rursus, quatenus est visio Dei, aut aliquod bonum particulare, quod cũ ingenti labore cõparatur. ¶ Ad extremum notãdum est, 4. Not.
voluntatem nostrã ferri necessariò in beatitudinẽ in cõmuni, habere duplicẽ sensum; vel quantum ad specificationem; vel quantum ad exercitium. Prior sensus est, quòd nostra volũtas non potest nolle beatitudinem, nec eam odio habere, sed si habet aliquem actum circa beatitudinẽ in cõmuni, oportet vt sit volitio, oportet vt sit actus prosequutiuus, & non refugitiuus. Posterior sensus est, quòd non possumus à tali appetitione cessare. Explicantur hæc omnia appositio exemplo. Nam visus necessitatur, quantum ad specificationem, ad videndum coloratum, id est, si habet aliquem actum, necessum est illum habeat circa coloratum, aut lucidum; at nõ est necesse quòd semper videat, & ideo non necessitatur quantum ad exercitium.

¶ His constitutis est Prima Conclusio. Omnes homines appetitu naturali appetimus beatitudinem in communi, necessariò, quantum ad specificationem, non tamen quantum ad exercitiũ (quãtum ad specificationem intelligitur) quòd

Omnes appetũt necessariò beatitudinem. Prim. cõcl.

non

non possumus nolle beatitudinem, bene tamẽ ab eius appetitu possumus cessare.

¶ Prima pars huius conclusionis probatur. Nã Diuus Augustinus 13. de Trinitate capit. 3. referens facetias cuiusdam Mimi, dicit, si Mimus dixisset, omnes beati esse vultis, & miseri esse non vultis, diceret aliquid quod nullus in sua voluntate non recognosceret. & decimo libro confess. capitulo vigesimoprimo sic scribit. Nec ego tantùm aut cum paucis, sed beati prorsus omnes esse volumus. & paulò pòst. Si quæratur à duobus vtrùm militare vellent; fieri posset vt alter velle se, alter nolle responderet; si verò ab eis quæratur, vtrùm beati esse vellent, vterq; statim sine vlla dubitatione diceret se id optare; neq; ob aliud ille velit militare, neque ob aliud iste nolit, nisi vt beati sint. & super Psalmum 113. concione prima, in exordio sic inquit. Exhortatur nos vt quæramus beatitudinem, quam nemo est qui non expetat: quis enim vnquam vel potest, vel potuit, vel poterit inueniri, qui esse nolit beatus? Item omnes homines in omnibus operibus nostris hoc inquirimus, satiare nimirum nostrã voluntatem, & implere nostra desideria. Ergo volumus beatitudinem in communi; beatitudo enim in cõmuni nihil aliud est, quàm bonum perfectum, quod nostram voluntatem satiat.

¶ Tertiò probatur. Nam nemo intendens ad malum operatur. ergo nemo potest velle vltimam miseriam; ergo nemo est qui eam non detestetur; ergo nemo est qui felicitatem respuat. ¶ Item, obiectum voluntatis est bonum, sicut obiectum visus est lucidum. Sed visus nihil potest intueri nisi sub ratione lucidi. ergo voluntas nihil potest velle nisi sub ratione boni. ¶ Item, intellectus non potest dissentire alicui nisi sub ratione falsi; ergo voluntas non potest nolle aliquid nisi sub ratione mali, aut non conuenientis. Sed in ratione beatitudinis in communi nulla apparet ratio mali. ergo &c.

Ad probandam istam conclusionem conducunt omnia argumẽta producta in prima quæstione, ad probandum nos semper operari propter finem. ¶ Secunda pars conclusionis probatur. Nam experientia patet, quòd quidquid volumus, liberè volumus. ¶ Præterea, nihil volitum, nisi prius sit cognitum. Sed intellectus non semper proponit nobis beatitudinem in communi. ergo non semper amamus illam.

¶ Tertiò, etiamsi intellectus eam nobis proponat, non necessariò amamus eam, quantum ad exercitium; nam licèt in beatitudine in communi ex parte obiecti nulla appareat ratio incommodi, aut mali; ex parte tamẽ actus est aliquod incommodum; nam absurdũ est in hac appetitione semper commorari, appeto beatitudinem in communi, & ab ea nunquam desistere. Henric. de Gandauo quodlib. 13. quæstione septima tenet, quòd beatitudinem in communi amamus necessariò, quantum ad specificationem, & exercitium. & Durandus loco citato sentit, quòd beatitudinem propositam per intellectum necessariò amamus. sed huiusmodi sententiæ satis sunt impugnatæ.

Gandã. Durand.

¶ Secunda Conclusio. Circa beatitudinem in particulari, quæcunque illa sit, siue in visione diuinæ essentiæ, siue in operatione studiosa collocetur, non necessariò appetit nostra voluntas. ¶ Probatur. Nam circa quodcunque bonum particulare potest inuenire nostra voluntas aliquid incommodi difficilis, aut laborioſi. Ergo ratione huius possumus illud bonum nolle. ¶ Præterea probatur ab effectu. Nam homines peccatores odio prosequuntur Deum, quia proponunt eum tanquam iudicem, & criminum vindicem, licèt cognoscant in eo summam beatitudinem esse constitutam. Ex quo demonstratur quàm pessimè errent Lutherani, qui dicunt hominem qui credit, necessariò amare; nam licèt credant & cognoscant homines peccatores, nolunt amare, quia apprehendunt sub ratione difficilis & laborioſi.

Beatitudinẽ in particulari non necessariò amat voluntas.

¶ Ad argumenta Scoti satisfaciendum est. Ad primum & ad secundum de appetitu naturali respondet hic Caietanus, nescio qua distinctione, bona fortasis, sed non necessaria. Nos enim nihil aliud dicimus, nisi quòd appetitus naturalis appetit beatificari, non determinando in hoc, vel illo, vel hoc modo, vel illo; quod nemo negare potest; qui enim sitit, appetit potum, non necessariò istum, vel illum, sed qualemcunque potum.

Solut. arg. Ad primum & secundũ, Caietan.

¶ Ad alia argumenta Scoti de appetitu elicito. Ad primum respondetur, quòd si beatitudo in particulari euidenter videretur, vel æqualiter cognosceretur atque beatitudo in communi, æqualiter appeteretur; imò vehementiori appetitione quàm beatitudo in cõmuni. Vnde superiùs dictum est, Deum clarè visum, necessitare voluntatem beati ad amandum. Item dicendum est, quòd beatitudo in particulari potest apprehendi sub ratione difficilis & laborioſi, ideoque potest respui, & refutari.

Ad alia arg. Scoti. Ad primũ.

¶ Ad secundum eadem responsione satisfaciendum est. ¶ Ad tertium dicendum, quòd licèt in beatitudine in particulari omnis appetitio, & omne animi desiderium expleatur, non tamen naturaliter ab omnibus appetitur, propter rationes superiùs commemoratas; tum, quia non euidenter cognoscitur; tum

Ad secundũ Ad tertium

verò, quia appetitur sub ratione difficilis & laborioſi. ¶ Ad quartum dicendum, quòd vt quiſque appetat beatitudinem in particulari, quę in Dei viſione conſiſtit, non ſatis eſt indubius aſſenſus intellectus, quem habẽt omnes Chriſtiani; ſed præterea requiritur euidentia, quę ſolùm in beatis inuenitur. Rurſus oportet quòd non poſsit apprehendi ſub ratione laborioſi. ¶ Ad vltimum argumentum dicendum, quòd appetitus verſatur circa rem in communi; nam materia appetit formam in communi, non hanc, vel illam; & voluntas noſtra odio proſequitur genus latronum. Itaq; appetitus, tum naturalis, tũ ſenſitiuus, fertur in rem vniuerſaliter, non tamẽ in rem vniuerſalem, de quo videdus eſt D. Th. infrà q. 29. art. 6. Vel alio modo reſpondetur, quòd voluntas, quæ vult beatitudinem in communi; vult aliquod bonum particulare, putà ſaturare ſuum appetitum, ſed ſub ratione vniuerſali; velut cùm video hominem à longè, video quidem rem ſingularem, ſed ſub ratione vniuerſali, videlicet ſub conceptu entis.

¶ Ad argumenta Durand. Ad primum, quod eſt difficilè, reſpondetur, quòd beatitudinem in communi, ſub ratione impoſsibilis, poſſunt dãnati refutare per actum perfectum, dicentes, nolumus eſſe beati, quandoquidem beatitudinẽ adipiſci eſt impoſsibile, quanquam ſemper habent actum imperfectum, ſcilicet vellemus eſſe beati. Vel dicendum, quòd ſemper volunt eſſe beati; nam volunt aliquod bonum apparens, videlicet vindicare ſe de Deo, & Deum blaſphemare, & in hoc opere ſe habere bene, & progredi, & ſatiare ſuam voluntatem: & hoc eſt quærere beatitudinem in communi. Certè D. Tho. 1. p. q. 60. articulo vltimo, ad vltimũ dicit, quòd damnati dæmones neceſſariò amant Deũ, quatenus eſt bonum naturæ vniuerſale. ¶ Sed & illud adduci poteſt in confutationem argumenti, quòd voluntas poteſt ferri in impoſsibile ex ſuppoſitione; vt peccator quando pœnitet, vult non peccaſſe, quod eſt impoſsibile; nam ad prę-teritum non eſt potentia. Item filius qui videt patrem mortuum, vult illum non eſſe mortuũ. Sed & appetitu naturali damnatus vult beatitudinem. Neque obſtat quòd ille appetitus ſit ad impoſsibile, nam hoc eſt per accidens ex parte ſtatus; alioqui enim beatitudo poſsibilis eſt. Neque obſtat quòd talis appetitus ſit fruſtraneus; nam ſatis eſt quòd non ſit fruſtrà in tota ſpecie. Profectò in principio eiuſmodi appetitus fruſtra non fuit; nam reuera potuit beatitudinem conſequi. ¶ Ad ſecundum argumẽtum dicendũ, quòd peccatores in voluptatibus quę-runt ſuam beatitudinem, & ſuam volũtatem ſaturare, & dũ præſentibus bonis fruuntur, ea practicè arbitrantur eſſe media cõuenientia ad ſuã beatitudinem conſequendam, & voluntatem ſaturandam. ¶ Ad tertium reſpondetur, quòd cũ quis propter labores deſiſtit à beatitudine conſequenda, iam beatitudo præſentatur illi cum admixtione alicuius mali, & ſub ratione difficilis & laborioſi, & non ſub pura ratione beatitudinis; ſed dum præſentibus bonis delectatur, in eis quærit ſuam beatitudinem, & ſuum appetitum ſaturare, quæ eſt ratio generalis beatitudinis, ſub qua ab vniuerſis amatur, & expetitur.

¶ Ad quartum argumentum reſpõdetur, quòd damnati, quando volunt non eſſe, volunt ſuam beatitudinem; nam licèt non eſſe ſit ingens malum, quatenus priuat eſſe; cæterùm quatenus priuat damnatos ſua miſeria, & calamitate, & quatenus eſt liberatio ab infelicitate & ærumna, eſt magna portio felicitatis; nam carere ſumma miſeria, beatitudo quædam eſt. Quamuis enim eſſe ſit per ſe appetibile, eſſe tamen coniunctum ſummæ miſerię, non eſt appetibile. Quapropter illud quod dixit Dominus, Matth 26. de Iuda; Meliùs illi erat ſi natus non fuiſſet homo ille; abſolutè, & diſtinctè verum eſt; nam meliùs eſt non eſſe, quàm miſerum eſſe. ¶ Ad alias confirmationes ſatis (vt arbitror) reſponſum eſt in ſuperioribus, quòd in appetitu proſequutionis, quando appeto aliquod bonum poſsidere, & conſequi, fieri non poteſt quòd appetam aliquod bonum per modum proſequutionis, & quòd deſiderem non eſſe; verùm in appetitu, quo appeto aliquod malum à me remoueri, & depelli, impoſsibile non eſt quòd appetam non eſſe, vt vltimam miſeriam effugiam; imò hæc appetitio eſt rationi maximè conſentanea, in qua appeto bonum, & beatitudinem. Nam velle carere vltima miſeria, eſt velle implere meum deſiderium, & ſatiare meã voluntatem, quæ eſt vt caream miſeria ſumma, & infelicitate. Explicat hanc ſolutionem eleganter in primis Diuus Thomas, de malo, quę-ſtione 10. articulo 1. & quæſtione 22. de veritate, articulo 1. ad 7. & quæſtione 16. de dæmonibus, art. 3. ad quintum.

¶ Ad argumenta Maioris breuiter & ſummatim reſpondetur, ne ſit nimis prolixa diſputatio. ¶ Ad primum quidam dicunt, quòd non poſſet ſe conformare diuinæ voluntati per hanc volitionem; volo non eſſe beatus, vel nolo eſſe beatus; ſed bene per aliam, putà, fiat voluntas tua, vel aliam ſimilem. Sed hæc ſolutio voluntaria videtur. ¶ Alia ſolutio eſt, quòd iam beatitudo reputatur non vt pura beatitudo, ſed ſub aliqua ratione mali, ſcilicet vt eſt contra diuinam voluntatem. Vel dicatur, quòd hoc argumentum tantùm probat de beati-

Ad quartũ. Ad vltimũ. D.Thom. Ad argum. Durand. Ad primum D.Thom. Ad ſecundũ Ad tertium Ad quartũ Mat. 26. Ad confir. D.Thom. Ad argum. Maioris. Ad primum

beatitudine in particulari; beatitudo verò in vniuersali, est perfectum bonum, quod omne desiderium adimplet, & volũtati satisfacit; vnde qui in casu argumenti vt se conformet diuinæ volũtati vult non esse beatus, in ea appetitione quærit beatitudinem in vniuersali, & suæ voluntati satisfacere. ¶ Ad secundum argumentum respondetur, quòd intellectus non potest dictare, neq; iudicare, quia est per se notum quòd beatitudo sit appetenda, & quòd miseria sit refutanda. Secundò dico, quòd illud dictamen, bonum est nolle beatitudinem, dictat de actu voluntatis directo, & sic per actum reflexum se conformat illi, scilicet, volo nolle beatitudinem. Et cõcedo quòd potest quis velle nolle beatitudinẽ, sed non potest nolle; qui enim oppositam opinionem tenent, possent conari ad nolendam beatitudinem, & sic cupere & velle experiri suã libertatem in hoc, sed nunquam experientur; sicut si quis conaretur ad experiendam suam libertatem videre id, quod non est coloratum, nihil proficeret; quia potentia non potest ferri extra suum obiectum; non dissimiliter si quis conaretur ad experiendam suam libertatem velle malum, sub ratione mali, aut velle summam miseriam, aut odio habere bonum, in vanum laboraret, quia voluntas non potest ferri extra suum obiectum, obiectum autem voluntatis est bonum. Atque hæc de beatitudine dicta sint, quatinam omnes & docentes, & legentes per Dei gratiam potiamur.

Ad secundũ

QVAESTIO VI.

De voluntario, & inuolũtario, articulos habet octo.

Breuis introductio quæstionis.

POstquam diuinus Doctor copiosè egit de beatitudine, quæ est præmiũ studiosi laboris, hîc aggreditur ad disputandum, quibus modis, & officijs illã cõsequamur. Et quoniam nullũ opus meretur beatitudinem, nisi quod sponte & voluntariè fit, disputat in initio de voluntario, & inuoluntario: de quare ediſſerunt nonnulli Theologi in 2. d. 24. & d. 25. & Philosophi morales super 3. lib. Ethic. Aristot. summi Philosophi.

ARTIC. PRIMVS.

¶ Vtrùm in actibus humanis voluntarium inueniatur.

SVMMA TEXTVS.

CONclusio est affirmãs; Sed quo pacto eam probet, videamus. Nã argumentatio D. Tho. subobscura esse videtur. Argumentatio sic procedit ad methodũ syllogismi reducta. Voluntarium est, cuius principiũ est intrà cũ cognitione finis. Sed humanorũ actuũ principiũ est intra cũ cognitione finis. Ergo in humanis actibus voluntariũ inuenitur. Maior syllogismi probatur autoritate Arist. 3. eth. c. 1. & docet illam Greg. Nissenus, atq; etiã D. Damascenus. Minor syllogismi per se nota est, & cõfirmatione nõ indiget. Sed & alio modo rectiùs procedit syllogismus hoc modo confectus. Nã actus illorũ quæ mouẽt seipsa, & finẽ ac rationem sui actus agnoscunt, maximè voluntarij appellãtur. Sed hoc maximè cõpetit homini, qui seipsum mouet, & sui operis finẽ cognoscit. Ergo in ipsius actibus maximè volũtariũ inuenitur. Vtverò hic syllogismus integrè explicetur, D. Tho. statuit nonnulla principia. Primũ est; quorundam actuũ principiũ est in agẽte, aut in eo quod mouetur; quorundãverò principiũ est extrariũ. Exemplum primi generis, vt quãdo lapis descẽdit in locũ inferũ; huius nãq; motus principiũ est in ipso lapide, nẽpè grauitas lapidis. Exẽplũ secũdi

Conclusio.

Aristot.

Greg. Damasc.

gene-

generis, quando lapis proijcitur in locum superum vel funda, vel manu. Subsequitur secundum principium. Eorum quę mouẽtur à principio intrinseco, quędã mouent se ipsa, quędã nõ mouent, neq; agũtur se, sed mouentur. Hoc patet in homine, qui se mouet & agit: rursus patet in lapide, qui, si vera sunt quę Physici dicunt, mouetur à generante ex impetu naturæ. Tertium principiũ. Illa mouent se perfectè, in quibus nõ solũ est principiũ, vt se moueãt, verũ etiã est principiũ vt se moueant in finem; vniuersa namq; actio, & passio est propter finem. Ergo illa dicuntur propriè seipsa mouere, & agere, quæ mouẽt se propter finem. Quartũ principium. Motio in finẽ requirit cognitionem finis. Hoc principium per se notum est, nec indiget longa oratione vt comprobetur. Ex his principijs sequitur, quòd ea, quę sunt cognitionis expertia, propriè & perfectè nõ se mouẽt, siquidem in finem ab alio diriguntur, & destinantur, veluti sagitta in scopum. Sequitur deinde, quòd res cognitionis cõpos, dicitur perfectè se mouere, quoniam habet principium intrinsecum vt se moueat: habet insuper in sese principiũ vt se moueat & dirigat in finẽ. Subsequitur demũ, quòd actus rerũ quæ cognitionis sunt cõpotes, sint volũtarij; nã volũtariũ est, cuius principiũ est intrinsecũ cũ cognitione finis: quod si verum est, in actibus humanis maximè inuenitur volũtariũ, homo siquidem perfectè cognoscit finem suum, & mouet se ad operandum. Et quod ad syllogismum D. Tho. pertinet, sic se res habet; nos verò ad explicandũ articulum progrediamur.

EXPLICATIO ARTICVLI.

VOluntarium pluribus à Latinis vsurpatur modis. Vno modo dicitur voluntarium, quod est dictum, vel factum ex libidine, & temerè, & quod dicimus gratis: in qua significatione vsurpauit hanc vocem Cicero. 1. Philippica cùm inquit; Nemo mihi voluntarius hostis fuit, sed reipublicæ causa, id est, neminẽ gratis & ex libidine hostem habui, sed propter reipublicæ iustã defensionẽ. ¶ Dicitur etiã voluntariũ, tum apud Ciceronẽ, tum apud Liuiũ, quod fit sponte, & ex animo; vnde voluntarius miles: & Carbo (inquit Cicero) morte voluntaria se à iudicum seueritate vindicauit. Vsurpat hanc vocẽ in hac significatione diuina scriptura cùm dicit Exo. 35. Omnis volũtarius & prono animo &c. & 1. Pe. c. 5. Neq; turpis lucri gratia, sed volũtariè. ¶ Tertia huius vocis significatio inter Theologos, & Philosophos frequẽtissima est, vt significet id, quod est vltroneum & spontaneum. Vltroneum & spõtaneum est, quod non fit ab extrinseca violentia, sed cuius principium est intrinsecum cũ cognitione finis, siue id sit factum ex ratione recta, siue ex libidine, siue ex animo & libenter, siue ex metu & tristitia fiat; veluti cum mercator proijcit merces in mare, voluntariè operatur, & vult eas proijcere, licèt cum tristitia proijciat. Tot igitur modis cùm volũtarium dicatur, voluntariũ pro eo, cuius principium est intrinsecum cum cognitione finis, in hoc tractu accipere oportet. ¶ His cõstitutis, quæ ad definitionem nominis spectare videbantur, ad rẽ ipsam explicandam aggrediamur. Obseruet ergo Theologus, differre maximè inter motũ naturalẽ, & voluntariũ. Nam motus voluntarius requirit cognitionẽ in eo dẽ agente; naturalis verò minimè, vt patet in motu lapidis, & sagittæ, quæ ab alio cognoscente, in finẽ & scopum diriguntur. Deinde motus voluntarius est operatio appetitus sensitiui, vel intellectiui, sequẽs cognitionem; naturalis verò non est operatio, sed pondus, & inclinatio naturæ; vel si operatio est, nõ originem trahit ex cognitione, sed ex naturæ inclinatione & pondere. Ex his colligitur definitio voluntarij. ¶ Voluntarium est operatio appetitus cum cognitione finis. Qua de causa nouitij Theologi, & inter hos Almaynus in initio suorũ moralũ perperã definiuit voluntariũ hoc modo, quòd sit operatio

Voluntarij multiplex acceptio.

Cicero.

Exo. 35. 1. Pet. 5.

Differunt motus naturalis & voluntarius.

Quid volũtarium?

Almayn.

tio in potestate operátis cõstituta, sicut positis omnibus requisitis ad operandũ, possit operari, & nõ operari; confundentes liberũ cũ voluntario. Et quòd prædicti autores decipiantur, sic ostendo. ¶ In primis Aristo. 3. Ethi. c. 1. planè asserit, quòd in infantibus, pueris, & mutis bestijs voluntarium inuenitur, in quibus liberum opus non inueniri exploratum est. Deinde, Deus voluntariè & maximè spontaneè se diligit; at non liberè, sed necessariò; vnde liberum, & voluntarium differunt. Itaque non sequitur rectè, hoc est voluntarium, ergo est liberum; nam vt aliquid sit voluntarium, satis est quòd non procedat ex violentia, neque ex rei ignorantia, quæ omni dubio procùl voluntarium tollunt, & adimunt. Sed violentia non est, quãdo motus prodit à principio intrinseco; atque adeò ignorantia non est cùm procedit ex cognitione finis; ergo satisfuerit ad rationem & finitionem voluntarij, quòd sit à principio intrinseco cum cognitione finis. ¶ Ex cuius rei definitione planissimè concluditur, quòd actus voluntarius non potest esse violentus; nam volũtarium est quod procedit à principio intrinseco cum cognitione finis; violentum verò est, quod prodit à principio extrinseco. Itaque sicut constat ex repugnãtibus & impossibilibus, quòd idem motus sit naturalis, & violentus; ita constat ex repugnantibus, quòd motus sit voluntarius, & violentus simul. ¶ Sed & illud obseruet Theologus, quòd in operationibus humanis quandoque liberum concedimus, & voluntarium adimimus: itaque non quodcunque liberum sit, idem voluntariũ & spontaneum dixeris. quod explicabitur adhibito exemplo. Si enim sint duo homines in extrema necessitate constituti, & ego non possum vtrique subuenire, sed vni tantummodo, necessum est itaque alterum mori; illius hominis mors est mihi libera, siquidem in mea facultate fuit positum, illum hominem à morte & interitu eripere; sed non est mihi voluntaria, propter quod mihi ad culpam non imputatur. Ad hoc enim vt aliqua omissio voluntaria sit, tres conditiones sunt necessariæ, vt planè testatur D. Tho. art. 3. huius quæstionis, quòd possim, & tenear, & non faciam; in casu verò commemorato non teneor subuenire, & ideo mors subsecuta, non est mihi voluntaria. ¶ Demum obseruet Theologiæ discipulus, ne grauiter decipiatur, quòd istæ voces, mouere se, & mouere se in finem, sunt variæ & multiplicis significationis apud Aristot. & D. Thomam. Nam D. Tho. arti. 2. primæ quæst. huius partis, apertè docet, quòd solus homo, qui habet dominium suorũ actuum, propriè mouet se in finem; cæterùm in hoc articulo manifestè docet, quòd res omnes, quæ habent cognitionem finis, mouent se in finem. Rursus 1. p. q. 18. articul. 1. ad 2. scribit, quòd plantæ, quæ habent tantùm vegetabilem animam, & omnis cognitionis expertem, se mouent, siquidem viuunt; viuentia enim à rebus inanimis in hoc maximè differunt, quòd viuentia se mouent. Hîc verò docet, quòd viuentia, quæ cognitione carent, non se mouent. ¶ Vt ergo sciat Theologus quomodo accipere oporteat harum vocum varias significationes, animaduertendum est, quòd mediũ (vt est in prouerbio) participat naturam & proprietatem ab vtroque extremo; & alteri comparatum, induit rationem & nomen alterius. Certè liberalis, medium quoddam tenet inter prodigum, & auarum: si comparetur auaro, videtur prodigus; si verò prodigo, apparet tenax. Non aliter res viuentes, & vniuersa animantia obtinent mediũ locum inter hominem, & res, quæ vita & anima carent: si comparentur homini, potiùs aguntur ex instinctu & impetu naturæ, quàm se agant in finem; verùm si comparentur rebus inanimis, verè se mouent, siquidem habent animam, quæ est principium actiuum motus. Ex hac doctrina facilè est conciliare locos illos, qui in doctrina D. Tho. pugnare videbantur. ¶ Sed & alio modo cõciliantur, si dicamus, quòd D. Th. in 1. p. loquitur vt physicus, hîc verò loquitur vt philosophus moralis: principiũ enim primũ in philosophia morali, est agnitio finis, vnde quæ carẽt cognitione finis, non dicũtur se mouere. Vel D. Th. pro eodẽ accepit in præsentia, se mouere, & agere, & vltroneè & spontaneè se mouere; vltroneum verò & spontaneum, cognitionẽ finis manifestè requirit.

¶ In solutione primi insinuat D. Tho. quòd appetibile, mouet appetitum in genere causæ finalis, de qua re est maxima controuersia inter Theologos, quam in sequentibus accuratè & diligenter examinabimus.

¶ In solutionibus aliorum argumentorum demonstrat D. Thom. esse definitionem voluntarij, quòd sit operatio à principio intrinseco cum cognitione finis; cæterùm non esse definitionẽ voluntarij, quòd à nullo principio extrinseco progrediatur; progreditur enim ab appetibili, quod est veluti principium extrarium; progreditur rursus à Deo, quãquam Deus non est omnino recẽsendus inter principia extrinseca, quia sicut intimè confert esse omnibus rebus, sic intimè operatur in omnibus: vocatur tamen principium extrinsecũ, quia non est de essentia creaturæ, neque aliqua potentia creaturæ.

Aristot. Voluntariũ & liberum distinguuntur.

Violentũ quid?

Nõ semper id quod liberum est, voluntariũ est.

Not.

D. Thom.

Quid sit mouere se apud Arist. & D. Tho.

ARTIC. SECVNDVS.

Vtrùm

¶ Vtrùm in brutis animantibus inuenia tur voluntarium.

SVMMA TEXTVS.

Prior cõcl. PRior Cõc. In brutis animãtibus inuenitur voluntarium imperfectè, licèt non impropriè.

Poste. cõcl. ¶ Posterior Concluſio. In natura rationali ſiue intellectuali inuenitur voluntarium perfectè. Probationes D. Thom. ſic procedunt. Nam voluntarium eſt, cuius principium intra eſt, cum cognitione finis. Sed brutis animãtibus cõpetit imperfecta cognitio finis, quæ conſiſtit in ſola apprehenſione, ſine eo quòd cognoſcatur ratio finis, & proportio mediorum ad finem, ſine aliqua deliberatione de his quæ ſunt ad finem, ſed per ſubitum motum in ipſis: bruta enim cognoſcunt per ſenſum, & æſtimatiuã naturalem, cibum eſſe bonũ & conuenientem, ſed non cognoſcunt ad quem finem dirigatur, & ordinetur; & ideò in brutis imperfecta ratio volũtarij inuenitur. Cæterũ natura rationalis, ſiue intellectualis, cognoſcit perfectè finẽ, & rationem finis, & ordinem mediorum ad finem; quapropter perfectè ſe mouet in finem, perfectè ordinat media ad finem, & in ea, ſecundùm perfectam rationem, voluntarium inuenitur.

EXPLICATIO ARTICVLI.

IN hoc articulo recolendũ eſt, quod in ſuperiori art. ſatis demonſtratum exiſtimo, quemadmodum voluntarium in animantibus brutis reperiatur, & quomodo voluntarium, & liberum inter ſe differant; hîc verò explicandum eſt id, quod dicit S. Thom. quòd perfectam cognitionem finis conſequitur voluntariũ ſecundũ rationẽ perfectã, prout ſcilicet apprehenſo fine, aliquis deliberãs de fine, & de his quæ ſunt ad finẽ, poteſt moueri in finem, vel nõ moueri. Dubitationes duę circa literam D. Thom.

¶ Duo inſinuat S. Tho. in cõmemorata ſententia, quæ de ſe mouent quæſtionẽ; Alterũ, quòd de fine ſit deliberatio, cùm tamen deliberatio tantùm ſit de medijs; nullus enim deliberat an bonum ſit ſalutem aut beatitudinem aſſequi, ſed de medijs illûc ducentibus, deliberatio & cõſultatio procedit. Alterum eſt, quòd voluntarium perfectũ aſſeritur idẽ eſſe cum libero. quod videtur apertè falſum. Nam Deus perfectiſsimè, & maximè voluntariè ſe amat, at non liberè ſe amat, ſed neceſſariò. ergo non quodcunque voluntarium perfectè ſit, liberum eſſe dixeris. Cuius contrarium aſſerit D. Tho. De fine vltimo non eſt cõſultatio, de alijs verò finibus eſſe poteſt.

¶ Prima quæſtio facilè explicatur; nam de fine vltimo non eſt deliberatio, neq; cõſultatio, at de finibus alijs poteſt eſſe conſultatio & deliberatio; nam finis, qui nõ eſt omnium vltimus, eſt medium, reſpectu vltimi. Poteſt certè eſſe conſultatio & deliberatio, expediatne ducere vxorem ad vitam rectam & tranquillam tranſigendam? expediat ne ſalutem huius vitæ tueri ac conſeruare, an potius eam profundere pro reip. incolumitate & ſalute? ¶ Vel dicendum, quòd etiam de vltimo fine poteſt eſſe deliberatio & conſultatio, quantum ad exercitium operis, licèt non quantum ad ſpecificationem (vt vocabulis ſcholæ vtamur.) Quãuis enim non ſit conſultatio; vtrùm expediens ſit eſſe beatũ, & miſeriam fugere; at poteſt eſſe cõſultatio & deliberatio, quando ſit de beatitudine aſſequenda cogitandum; non enim ſemper eſt tempus idoneum ad huius rei meditationẽ habendam; tempus enim eſt de hac re cogitandi, & tempus abſtinendi ab huius rei conſideratione. ¶ Sed ſecunda quæſtio vehementiùs mouet. Pro cuius rei elucidatione dicendum mihi videtur, quòd quanquam omnis actus perfectè liber, reſpectu alicuius obiecti, ſit etiam perfectè voluntarius, reſpectu eiuſdem obiecti, ſed non conuertitur; non enim omnis actus perfectè voluntarius, comparatus ad aliquod obiectum, eſt perfectè liber ſi ad idem referatur. Certè voluntas voluntariè maximè afficitur erga beatitudinem, ſic adeò vt nemo poſsit eam odio habere. Et patet euidenti ratione. ¶ Nam talis operatio eſt à principio intrinſeco cum perfecta finis cognitione: at perfecta appetitio, perfectè libera non eſt, prout infrà demonſtrabitur. Conſimiliter, Deus ipſe voluntariè ſe amat, & quidem perfectiſsimè; at reſpectu eiuſdem obiecti, liberum actum non habet, tametſi in ordine ad creaturas liberè ſe habeat.

¶ Dicendũ nihilominus eſt, quòd omnis actus Not.

per-

Omnis actus perfectè voluntarius est perfectè liber, vel illius principium.

perfectè voluntarius, vel est perfectè liber, vel est principium vnde actus liber perfectè oriatur & dimanet: quemadmodum assensus primorũ principiorum in scientijs, nõ est scientificus formaliter, est tamen principium primum, ex quo scientia conclusionum deriuatur. Et hoc modo intelligitur D. Tho. non enim dixit quòd perfectè voluntariũ, est formaliter liberũ, sed sensus & intelligentia D. Tho. est, quòd is, cui cõpetit perfecta ratio voluntarij, potens est ad deliberãdum, & ad habendum perfectum actum liberum; veluti ex præmissarum cognitione est quis potens ad habendam scientiam conclusionum: & quoniam huiusmodi potentia non competit brutis, non habent perfectam rationem voluntarij circa finem suum; quia inde non accipiunt vim, neque potestatem, vt moueant se per media ordinata ad finem suum consequendũ, sed mouentur ab autore naturæ. Deus autem perfectè cognoscit, & amat summum bonum, quod est ipse, ex quo eligit diuersa media ad gloriam ipsius Dei amplificandam, dilatandãque. Vel dicatur pro quæstionis propositæ dilucidatione, quòd D. Thom. in præsentia loquebatur de voluntario perfecto, quod reperitur in creatura rationali, siue intellectuali, quod sanè cum libero perfectè conuertitur; nullus enim est actus in creatura rationali & intellectuali perfectè volũtarius, qui non sit perfectè liber, saltem quantum ad operis exercitium: & sic sedatur proposita quæstio.

Sensus D. Thom.

Exanimatur solutio Ad primum

¶ In solutione primi dicit D. Tho. quòd voluntarium in brutis, est denominatio, siue appellatio ab extrinseco, desumpta à voluntate, quæ non est in ipsis. Quæ sententia videtur falsa; nam ex ea sequitur, quòd voluntarium non reperiatur in brutis propriè, sed improprie, & per figuram; sicut ridere dicitur de prato viridi, sanum dicitur de medicina, quæ denominatur sana, à sanitate, quam efficit in animante. Si ergo voluntarium dicitur de brutis à voluntate, quæ est in homine, certè propriè non reperitur in brutis, sed per comparationem & similitudinem ad hominis voluntatem.

¶ Sed hæc obiectio facilè depellitur, si reducamus in memoriam illud prouerbium decantatum, aliud est à quo nomen imponitur, aliud est quod nomen significat. Certè hæc vox, voluntarium, à voluntate imposita est, vt nomen ipsum præ se fert; cæterùm non significat tantùm id, quod à voluntate procedit, sed id, quod prodit à principio intrinseco cum cognitione finis, vt idem sit quod vltroneum & spontaneum, & sic voluntarium propriè in brutis inuenitur.

¶ In solutione secundi argumenti explicat D. Thom. in quo consistat radix & principium nostræ libertatis, quod cuique Theologo est difficillimum ad explicandum. Nam quanquam vel rustici homines possint internoscere inter eum, qui habet liberum arbitrium, & inter eum, qui non habet; cæterùm explicare in quo consistat ratio liberi arbitrij, hoc opus, hic labor est.

In quo sit radix libertatis posita.

¶ Ad id explicandum est prima conclusio. Voluntas nostra est libera formaliter. volo dicere quòd libertas inest voluntati, non intellectui. Hanc conclusionem demonstro esse veram his argumentis. In primis, volũtas nostra potest velle, & nolle, potest hoc medium eligere, vel refutare, potest agere, & non agere, vt experiẽtia cõstat. ergo voluntas nostra libera est; illa enim potẽtia est libera, quæ habet potestatem ad oppositа, & quæ positis omnibus requisitis ad operãdum, potest operari, & non operari. Deinde, electio est proprium opus libertatis: ex eo enim dicimur liberi, quia ex diuersis medijs vnum possumus complecti, & aliud relinquere. Sed electio, omnium philosophorum consensione, est opus voluntatis. ergo libertas in voluntate collocanda est. Præterea, habere libertatem, est habere dominium nostrorum actuum; & dominium est facultas vtendi re pro nostro arbitratu; vti verò est actus voluntatis, prout infrà demonstrabitur. Ergo libertas in voluntate cõsistit. Sed quid detinemur in re clarissima demõstranda? Certè voluntate peccatur, vnde peccatum adeò est voluntarium, quòd si non adsit voluntatis assensus, peccatum non est. Rursus, voluntate meremur vel laudem, vel vituperationem. ergo in voluntate præcipuè libertas consistit, siquidem actibus liberis vel peccamus, vel studiosè operamur. Sed non desunt autores primæ classis, qui omnem libertatem ad intellectum referant, qui in huius rei cõfirmationem his vtuntur argumentis. ¶ Nam in illa parte animæ nostræ est libertas, in qua est discursus & deliberatio; sed in intellectu est discursus & deliberatio. ergo in intellectu est libertas. Maior huius syllogismi sic ostenditur. Nam voluntas nostra non potest operari, nisi facto discursu, & cõfecto syllogismo explicitè, vel virtualiter; vt si volo deinceps dare operam vitæ rectæ instituẽdæ, conficio hunc syllogismum. Qui vult salutem æternam consequi, necessum est vt det operam rectæ instituendæ vitę. Sed ego volo salutẽ æternam consequi. ergo danda est opera rectæ vitæ instituendæ. Certè stante hoc discursu, volũtas necessitatur vt conclusionẽ syllogismi amplectatur, propter quod omne nostrũ detrimentum in hoc discursu faciendo consistit; si enim rectè & efficaciter concludimus, recta sequitur volun-

Volũtas est libera formaliter. Prim. cõcl.

Arguitur contra prædicta. Primum.

voluntatis operatio; si verò non rectè concludi mus, praua sequitur voluntatis operatio: volun tas enim de se cæca est, & constringitur ferri in id, quod per intellectum proponitur. Ex hoc principio deducit Aristot. illud axioma, quòd omnis prauus, est ignorans; & diuina scriptura concinit cũ dicit; Errãt ij, qui operantur malũ. Ex eadem doctrina asserunt vniuersi tum Philosophi, tum Theologi, quòd existente perfecta scientia in particulari in intellectu, non potest esse peccatum in voluntate: quod disertè definit D. Tho. in materia de peccatis. ¶ Præterea, si in voluntate esset sita nostra libertas, certè esset situm in eius facultate credere quod illi esset collibitum: at hoc esse falsum, experientia euidenti comprobatur. Si quidem voluntas nõ potest nos inducere ad credendum, nisi quod intellectus iudicauerit esse credibile; voluntas ergo cõstringitur in id, quod ab intellectu est propositum. ex quo consequens est, quod in se nullã habet libertatem. ¶ Ad hæc, intellectu iudicãte, hoc vel illud esse faciendum, vel voluntas manet libera, vt non sequatur quod ab intellectu iudicatum est; vel constringitur iudicium intellectus amplecti. Primum dici non potest; nã voluntas non potest ferri, nisi in id, quod est propositum; est enim potentia cæca. Quod etiam alia ratione patet; quia tunc recto iudicio ex parte intellectus existente, poterit esse peccatum in voluntate: cuius contrarium asserũt Theologi vniuersi; relinquitur itaq; , quòd constringitur voluntas sequi intellectus discursum. ¶ Hæc argumenta quanquam magna videntur, non efficiunt quod eorum autores prætendunt; nã solùm probant quòd libertas sit in intellectu, tam quam in prima radice, quod nos in sequentibus comprobabimus. Habent etiam aliud vitiũ cõmemorata argumenta; nam non vident qui ea conficiunt, quòd licèt stante iudicio ex parte intellectus efficaci, non possit volũtas contrariũ facere, at est in facultate voluntatis auertere aliò cogitationem, & illud iudiciũ intellectus interrumpere, & aliud iudicium in contrarium proponere, inclinareq; ad alias rationes excogitandas. Ex quo cõsequens est, quòd tota vis huius discursus & syllogismi conficiendi, ex energia voluntatis dependeat. Sed de hoc fusiùs in sequentibus inuestigandum est.

¶ Nunc sequitur secunda conclusio. Libertatẽ voluntatis anteuertit ex parte intellectus cognitio, qua cognoscitur ratio finis, hoc est, qua cognoscitur finem esse dignũ propter quẽ debeamus operari, & cuius gratia aliquid oporteat fieri; nã infirmus, priusquã eligat media ad sanitatẽ recuperandam, oportet prænoscat sanitatem esse dignam, propter quam laborem habeamus.

¶ Tertia conclusio. Libertatem voluntatis precedit ex parte intellectus cognitio, qua cognoscitur proportio mediorũ ad finẽ; nã priusquã ægrotus eligat media, necessariũ est cognoscere hæc media ad finem suum consequendum esse consentanea, & illûc ducẽtia, aliàs nunquam eligeret diminutionem sanguinis, aut potionem amaram.

¶ Quarta conclusio. Libertatem voluntatis antecedit indeterminatio, & indifferentia iudicij ex parte intellectus; appetitio enim sequitur cognitionem: igitur vniuersa libertas nostra ex cognitione originem trahit. itaq; si iudicium non fuerit in facultate iudicantis, sed determinatum ex instinctu naturæ, appetitio sequens non erit libera, & indifferens, sed determinata ad vnum. verbi gratia. quoniam ouis habet à natura insitum hoc iudicium, lupus est fugiendus, non potest non fugere; cæterùm quando iudicium fuerit in facultate iudicantis, sic adeò quòd potest hoc iudicare, & oppositum, appetitio sequens erit libera & indifferens. verbi gratia. quoniam homo potest habere hoc iudicium, lupus est fugiendus, & iudicare oppositum, videlicet lupũ non esse fugiendum, non necessariò fugit, neq; necessariò persistit, sed liberè vtrumq; ; sequitur. Itaq; voluntas est formaliter libera, quoniã mouetur per formam, hoc est, per bonum apprehẽsum, quod non habet determinatam naturam, neque est determinatum ad vnum.

¶ Quinta conclusio. Libertas est formaliter in voluntate, in intellectu verò, veluti in radice. Hæc conclusio ex prędictis euidenter sequitur.

¶ Sed dicet Theologus; Vnde determinatur intellectus in suo discursu, & in iudicijs suis serendis, cùm sit indifferens? nam si dicas determinari ab ipsa voluntate, consequens est, libertatem non solùm esse in voluntate formaliter, sed etiã radicaliter, ab ipsa siquidem venit omnis libertas. ¶ Respondetur, nostrum intellectum aliquando determinari ab autore naturæ, aliquando verò per discursum & syllogismum, nonnũquam per sensum, & consuetudinem, demum sæpissimè per ipsammet voluntatem, sed tunc ne detur processus in infinitum; si quæratur rursus, à quonam voluntas nostra determinetur? necesse est deuenire ad vnum actum intellectus, qui insit nobis per naturam. Sed de radice libertatis nostræ, satis dictum existimo; nam de libero arbitrio controuersia in alium locum remittenda est, in quo fusissimè contra Lutheranos sumus disputaturi. Modò tantùm definitum sit, quòd ad libertatem duæ conditiones sunt necessariæ, alia est indifferentia & indeterminatio iudicij ad deliberandum; alia est post deliberationem facultas eligendi, vel refutandi id

Aristot.

D. Thom. Secundum.

Tertium.

Soluuntur proposita argumenta

Libertas in intellectu, q

Libertatem voluntatis precedit cognitio finis Secũ. cõcl.

Tertia Cõc.

Quar. cõcl.

Quin cõcl.

Dubi.

Solutio.

Ad libertatẽ duæ cõditiones necessariæ.

id, quod deliberatū est. Prima cōditio est fons & radix libertatis; secunda est ipsa libertas.

ARTIC. TERTIVS.

¶ *An voluntarium possit esse absque omni actu.*

SVMMA TEXTVS.

Prima conclusio.

PRima Conclusio. Volūtarium directè non potest esse absq; actu; nam voluntarium directè dicitur, quod procedit à voluntate directè, sicut ab agente. Sed nihil potest esse à voluntate, sicut ab agente, nisi per aliquē actū, ad minus ipsius volūtatis. Ergo volūtariū directè nō potest esse sine actu.

Secunda.

¶ Secunda Conclusio. Volūtariū indirectè potest esse sine actu, quā doq; quidē absq; actu exteriori, cū actu interiori, sicut cùm voluntas vult non agere; aliquando autem etiam absque actu interiori, sicut cùm non vult. Probatio huius cōclusionis apud D. Thom. hæc est. Nā submersio nauis dicitur à gubernatore esse, in quantum desistit à gubernando. ergo hoc quod est nō velle, vel nō agere, dicitur esse voluntariū, & à volūtate prodire, in quantū volūtas desistit ab actu vel interiori, vel exteriori.

Tertia.

¶ Tertia Conclusio. Hoc desistere ab actu, vt sit voluntarium, tres cō ditiones expostulat, quòd possit voluntas, & debeat, & non agat: nam nō semper id quod sequitur, ad defectū actionis reducitur sicut in causam in agēs, ex eo quod non agit, sed solū tūc, quādo potest, & debet agere: si enim gubernator non posset nauem dirigere, vel nō esset ei commissa nauis gubernatio, non imputaretur ei nauis submersio, quæ per absentiam gubernatoris contingeret. Quia igitur voluntas volendo & agendo potest impedire hoc quod est non velle, & non agere, imputatur ei quasi ab ipsa existens. Certè probatio D. Tho. euidentissimè concludit.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CErtè in hoc articulo iam aggreditur D. Tho. inuestigare de volūtario perfecto. quod patet ex eo, quod dicit voluntariū esse, quod à volūtate procedit: cōstat autē quòd in brutis nō procedit à volūtate. Idē ostēditur euidentiùs. Nā in brutis nō est volūtarium indirectè; nō enim obligātur aliquid agere. Illud etiam obseruet Theologus, doctrinā huius articuli afferre maximā lucē ad materiā de peccatis intelligēdā, præcipuè ad tractatum de peccatis omissionū. ¶ Sed videtur profectò quòd D. Tho. in. 2. cōclusione sibi sit cōtrarius; nā infrà. q. 71. ar. 5. pro certo habet, nō dari omissionē absq; omni actu; in hoc articulo docet dari omissionē absq; omni actu, tā interiori quàm exteriori. Hęc manifesta videtur esse absq; dubio contrarietas, sed reuera nō est. Nā in hoc loco docet, dari purā omissionē absque actu præsenti & cōcomitāte. quod esse verū, manifestè patet. Ille enim qui culpabiliter dormit tēpore quo tenetur audire missam, eo tēpore habet omissionē volūtariā, quādo nullus est actus præsens volūtatis. Cæterùm in loco allegato docet, nō dari purā omissionem absq; actu præsenti, vel præcedēti. quod manifestè patet in casu cōmemorato; nā præcessit iste actus, volo dormire. Vel dicēdum est, quòd omissio suapte natura nō requirit actū; ex eo enim pecco peccatum omissionis, quia omitto, quod debeo facere; omitto audire missam, omitto dicere officium diuinum: cæterùm omissioni semper adiungitur aliquis actus, qui vel auget, vel extenuat omissionis peccatum: si enim omitto audire missam propter studium, minùs pecco quàm si omittam ex libidine, vel propter ludum.

Dubiū circa secundā D. Tho. cōclusionē.

¶ In tertia cōclusione docet S. Tho. doctrinā minimè vulgarē, & ideo prę cipuè cōsiderādā, nempè, quòd ad omissiones voluntarias, quæ ad culpam imputentur, tres conditiones sunt

Quæ requirantur ad omissionē voluntariā.

necessariæ, quòd possim, tenear, & non faciã; tunc omissio voluntaria erit. itaque non sat fuerit facultas & libertas faciendi, & non facere, vt omissio dicatur voluntaria. quod patet his exemplis. Video duos gladijs se impetentes, quorum litem possum dirimere magno cum discrimine, non facio; hoc non est mihi voluntarium, quia non teneor cum tanto periculo; erit tamen voluntarium respectu Prætoris, qui ad id ex officio tenetur. Simili ratione video hominem ex carcere fugientem, quẽ poterã detinere; non detineo. ea omissio non est mihi voluntaria, quæ respectu custodis carceris voluntaria est, quia ad id ex officio tenebatur. Sed & tertium exemplum adhibeamus. Eram in Ecclesia orãs, & exiens inde non clausi ianuam, subsecutum est furtũ; illa omissio, quæ respectu sacristæ esset voluntaria, mihi non est voluntaria. ¶ Et quòd hæc doctrina vera sit, demonstratur his argumentis. Principiò, qui omittit aliquid quod non tenetur agere, nõ est causa moralis illius operis, siquidẽ non peccat. ergo respectu illius omissionis non est voluntarius: voluntarium enim in moralibus, est causa operis, dicẽte Arist. 3. eth. ca. 1. quòd is qui operatur ex ignorantia, non operatur voluntariè, quoniam non laudatur, neq; vituperatur. Sed qui omittit aliquid quod non tenebatur facere, non vituperatur neq; laudatur. Ergo in his omissionibus non est voluntarium. ¶ Præterea, si est volũtarium in his omissionibus; ergo qui omittit, cõsentit. rursus ergo peccat. Consequẽtia probatur ex illo Rom. 1. Non tãtùm digni sunt morte, qui faciunt, sed qui cõsentiũt facientibus. ¶ Vltimò, si hæc sententia D. Tho. nõ dicit verũ, sequeretur quòd omnia peccata essent volita à Deo, & Deus consentiret vniuersis peccatis; Deus enim potest impedire omnia peccata, & nõ impedit. Ex hac sentẽtia D. Tho. colligũt interpretes D. Tho. nõ esse audiẽdos eos, qui dicũt, omnẽ omissionẽ liberã, esse voluntariã; nam in superioribus satis (vt existimo) cõmõstratum est, multas omissiones liberas, volũtarias nõ esse. ¶ Sed cõtra hanc sententiã tam validè confirmatam, sunt argumẽta nõ omnino inualida. ¶ Quorum primum sic habet. Si gubernator nauis, qui non tenetur subuenire naui, vidẽs eam submergi, habeat istum actum, volo non subuenire, vel nolo subuenire, non culpatur, non consentit, non ei imputatur, vt planè constat. at illa omissio est voluntaria. ergo argumẽta adducta in confirmationẽ sentẽtiæ D. Tho. inualida esse deprehendũtur, quę in hoc potissimùm incũbũt; quòd si prædictę omissiones essent voluntariæ, imputarentur ad peccatum. ¶ Deinde illud est volũtarium, quod procedit ex volũtate: sed prædicta omissio procedit ex voluntate. ergo volũtaria est. ¶ Præterea, quando quis in die profesto non audit missam, eo modo est voluntarium, sicut quando non audit in die festo: sed in die festo illa omissio est voluntaria, siquidem imputatur ad peccatũ. ergo in die profesto erit voluntaria. Maior sic ostenditur. Nam ille qui omittit, interrogatus quare omittit, promptè respondebit, quia volo non audire missam. ¶ Idem confirmatur. Nam omittere audire missam, quando non teneor, aliquando est meritorium, vt planè constat. ergo voluntarium. ¶ Ad hæc argumenta satisfaciendum est pro virili parte. In primis dicere oportet, quòd hæc argumenta procedunt de voluntario directè, itaque conuincunt, quòd omissiones commemoratæ in argumentis dudum adductis, sunt volũtariæ directè, quæ ab ipsa voluntate prodeunt, quæ vtrùm sint bonæ, vel malæ, ex obiecto expendendum est: sed D. Thom. loquitur de omissionibus voluntarijs indirectè, quæ vt sint voluntariæ, prædictas conditiones expostulant. Vel dicat Theologus, D. Tho. tantùm docere, quòd istæ omissiones non sunt voluntariæ, quando non tenemur agere, & eas cauere, id est, non debent reduci in voluntatem, tanquam in causam. verbi gratia. dormit nauta quando submergitur nauis; dormio & ego. ille est causa, ego verò minimè. Certè si D. Tho. attentè legatur, non affirmat quòd istæ omissiones non sunt voluntariæ, sed quod effectus inde subsequutus non est voluntarius respectu omittentis; veluti cum non claudo ostium, quod non teneor claudere, subsequitur furtum, illud furtum non est mihi voluntarium, Nec valet hæc argumentandi ratio; quicunque vult antecedens, vult consequens. sed iste vult non claudere ostium, ex quo sequitur furtum. ergo vult furtum. Quòd verò hæc argumentandi ratio non valida sit, demonstratum est in materia de Angelis. Tum, quoniam maior argumentationis falsa est, vt ibidem comprobatum est; tum verò, quoniam consequentia nulla est; furtum siquidem non sequitur ex opere, vel omissione nostra, sed ex malitia alterius, quã ego cauere non teneor.

¶ In solutione secundi asserit D. Tho. quòd nolle, causat inuoluntarium. Contrarium esse verũ probatur sic. ¶ Nam dicitur Deus nolle peccata, nolle dare gloriã Antichristo. at Deo Optimo Maximo nihil est inuoluntarium, sicut neque violentum. non ergo verum est, quòd

Rationes pro ista veritate.

Aristo.

Roma. 1.

Obiectiones contra sententiam D. Tho.

Prim. arg.

Secundum

Tertium.

Confir.

Solutio argumẽtorũ.

Nota.

Vtrùm, nolle, semper causet inuolũtariũ.

Prim. arg.

Secundum quòd nolle causat inuoluntarium. ¶ Secundò sic argumentor. Nolle, est quidam actus voluntatis interior, vt apertè constat. ergo quicquid ab illo procedit, voluntarium est, iuxta definitionem voluntarij superiùs designatã. ¶ Sed prædictæ obiectiones facilè depelluntur, si sensum D. Tho. percipiamus. Non enim intelligit D. Tho. quòd nolle semper causet inuoluntarium: cùm enim ego nolo furari, neque furor, nullum est inuoluntarium: sed quando aliquid fit nobis nolentibus, tunc est verè inuoluntarium; vt si quis nobis nolentibus & inuitis furatur res nostras, percutit, vulnerat; secundum quem modum respectu Dei nihil est inuoluntarium: voluntas enim Dei absoluta, semper adimpletur, iuxta illud, Omnia quæcunque voluit fecit in cœlo & in terra. ¶ Ex quo animaduertere oportet, quòd peccata quæ fiunt, non fiunt Deo absolutè nolente: si enim Deus absolutè nollet vt peccata non fierent, certè non fierent, quoniam Dei voluntas omnipotens est, & semper adimpletur. Dicuntur autem peccata fieri contra voluntatem Dei, per figuram & metaphoram, quoniam fiunt contra voluntatem signi, hoc est, contra legem Dei, & eius præcepta, de quo in sequentibus copiosior erit tractatus. Exhis soluitur primũ argumentum propositum.

Solutio.

Ad secũdũ. ¶ Ad secundum dicendum, quòd nolle, non in eodem genere causat inuoluntarium, in quo velle causat; nam velle, est causa efficiens sæpenumerò ipsius operis voluntarij, vt cùm volo mouere brachium, vel linguam: sed nolle nunquam est causa efficiens inuoluntarij, sed dicitur nolle constituere inuoluntarium, denominando effectum inuoluntarium. Si enim ego nolo quòd efficiatur aliquid, & efficitur, certè effectus non procedit ex mea voluntate, sed dicitur inuoluntarius, quia fit me inuito & nolente. Sed vt ab his obscuritatibus nos expediamus, dicendum est, quòd cùm D. Thom. dicit, nolle, causare inuoluntarium, habet sensum clarissimum, vel ego decipior. Significat enim quòd cùm ego habeo istum actum, nolo legere, ipsum legere, est mihi inuoluntarium & displicet; sed cùm negatiuè me habeo, sic vt non velim legere, quia de hac re minimè curo, non velle, non causat inuoluntarium; nam cùm negatiuè me habeam erga lectionem, lectio neque placet, nec displicet, neque est voluntaria, neque inuoluntaria: secundum quam explicationem argumenta nõ rectè procedunt, neque impugnant sententiam D. Tho.

ARTIC. QVARTVS.

¶ Vtrùm violentia voluntati possit inferri?

SVMMA TEXTVS.

Prior cõclusio. PRior Cõclusio. Voluntas in actibus imperatis potest violẽtiã pati. Actus imperatos volũtatis voco, qui imperantur à volũtate, & mediante alia potẽtia exercentur; vt ambulare, loqui, imperantur à voluntate, mediante potẽtia motiua. Quantum igitur ad actus imperatos, potest voluntati violẽtia inferri, siquidem per violentiam exteriora mẽbra impediri possunt, vt non imperiũ volũtatis exequãtur, & possunt moueri, vel impediri à motu, nobis nolẽtibus & inuitis, cõtra nostram volũtatẽ.

Posterior. ¶ Posterior Conclusio. Volũtas in actibus elicitis ab ipsa, non potest violentiam pati. Voco actus elicitos voluntatis, velle amare, &c. nam nihil aliud est actus voluntatis quàm quædam inclinatio procedens ab interiori principio cognoscente. Vnde cõtra rationem volũtatis est, quòd sit coacta; nam de ratione actus voluntatis est, quòd procedat ab interiori principio cum cognitione finis: quod autem coactum est, vel violẽtum, est ab exteriori principio. Vnde repugnantia est, quòd sit actus volũtatis, & quòd sit coactus, vel violentus. Nã si est violentus, & coactus, ergo est contra voluntatem; si verò est actus voluntatis, ergo est à voluntate.

EXPLICATIO ARTICVLI.

VT meliùs ea quæ hîc ab autore dicuntur, intelligantur, operæpretiũ erit explicare breui sermone vocũ quarundam variam, & multiplicẽ potestatem, & significationem, ne ex earum æquiuocatione, deceptio cõtingat. Nam cùm de violentia, & coactione, atq; de volũtario D. Tho. in his articulis propositum sit disputationem instituere, fieri profectò nõ potest, vt quis eius doctrinam rectè percipiat, citra harum vocum multiplicis significationis distinctionẽ. ¶ Definitur itaq; violentũ, quod procedit ab extrinseco, passo non conferẽte vim. quod est intelligendũ, passo repugnante, vel actuali inclinatione, vel virtuali ad oppositũ: nam si quis dormientem hominem præcipitaret, violentiã inferret: at passum actu nõ repugnat, sed potiùs mouetur naturaliter secundũ corporis grauitatem, at secundum volũtatem naturaliter est inclinatus ad oppositum: violentia verò latiùs patet quàm coactio, vt rectè admonet Duran. in. 2. d. 25. q. 4. cogi enim solùm animalia dicuntur, violentia verò etiam conuenit rebus inanimis. ¶ Itaque coactum erit illud, quod in animãtibus procedit ab extrinseco, animantibus non conferẽtibus vim. Illud etiam obseruandum est, quòd non omne quod necessitatur ad agendũ, cogitur, nec violentiã patitur. ¶ Nam vt docet D. Th. de veritate, quæstione vigesimasecunda, articulo quinto, ex Augustino, quinto de ciuitate Dei. c. 10. duplex est necessitas; altera coactionis, altera naturalis inclinationis: veluti lapis necessitatur ad descendẽdum deorsum naturali pondere & inclinatione, & ad motum in locum supernum necessitatur ex coactione. Voluntarium (vt constat ex definitione superiùs posita) est, quod procedit à principio intrinseco, cum cognitione finis. ¶ Sed aduersus prędictas definitiones vt examinentur, sic argumentor. Motus primus sensualitatis ad obiectum illicitũ est à principio intrinseco cum cognitione finis: at non est voluntarius, quin potiùs violentus iuxta illud Apostoli Rom. 7. Sentio aliam legem in mẽbris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducẽtem in legem peccati. Certè talis motus non est ab extrinseco, sed ab ipso appetitu sensitiuo, & ab ipsa anima, à qua oritur omnis appetitio sensitiua. Quo argumento videtur concuti vtraq; definitio, tum voluntarij, tum operis violenti. ¶ Ad hoc argumentum est duplex solutio; altera est, quòd motus primus sensualitatis, anteuertens omnem deliberationem, & assensum voluntatis, non est violentus, quia voluntas non repugnat, neq; est voluntarius, nisi ea ratione, qua voluntarium inuenitur in brutis; quia non procedit à voluntate, sed tantummodò ab appetitu sensitiuo. Cæterùm si adhuc perseueraret motus sensualitatis, contradicente voluntate, tunc certè esset violentus, quia est ab extrinseco respectu voluntatis. Vel dicatur (& hæc est verior solutio) quòd ille motus sensualitatis nõ est à principio intrinseco hominis, vt homo est; tale enim principium vel est ratio, vel voluntas, sed potiùs dicitur violentus, quia virtualiter ratio, vel voluntas contradicit & repugnat, quanquàm actualiter non contradicat. Quod maximè esse verum, comprobatur: quia appetitus sensitiuus hominis est aptus & natus, imo adhoc à natura institutus vt obediat rationi & voluntati; quapropter si ab hoc ordine exorbitet, motus erit violentus, respectu hominis, nisi voluntas suum præbeat assensum. ¶ His præmissis, quæ ad vocabulorum distinctionem interpretandam satisfuerint, reuertamur ad autorem, & examinemus grauissimam quæstionem; An voluntas possit cogi in actibus elicitis? Et à parte affirmatiua sic arguitur. ¶ Nam voluntas potest necessitari à Deo in suo opere ad volendum, & amandum, vt constat. ergo potest cogi à Deo; eadem enim videtur esse ratio. ¶ Deinde, tunc aliqua res cogitur, & violentiam patitur, quando impeditur in suo opere, in quod suapte natura erat propensa: lapis enim violenter in loco supero detinetur, quoniam impeditur à loco infero, in quem suapte natura erat propensus. Sed Deus potest impedire nostram voluntatem ne feratur in bonum, in quod de sua natura erat propensa. ergo potest cogere nostram voluntatem. Maior huius syllogismi verissima est, & per se nota. Minor sic ostenditur. Nam Deus potest non concurrere, & subtrahere influentiam, ita vt non possit amare voluntas beatitudinem ipsam, ad quam suapte natura est inclinata: tunc illud non amare, esset contra inclinationem voluntatis, sicut est contra inclinationem lapidis quòd impediatur ne moueatur deorsum.

¶ Præterea non tantùm patitur violentiam lapis quando proijcitur sursum, sed etiam quando detinetur in loco supero, atque etiam quando mouetur in locum proprium naturalem maiori violentia quàm res postulat. Sed Deus potest impedire voluntatem ne feratur in bonum, ad quod suapte natura est propensa, vt dudum probatum est.

Rursus,

Quid sit violẽtum.

Durand.

Quid sit coactum.

D. Tho.

Augusti.

Necessitas duplex.

Quid sit voluntarium.

Obiectiones.

Roma. 7.

Solutio. Motus sensualitatis num violẽtus sit.

Quæstio Vtrum volũtas cogi possit in actibus elicitis.

Primum.

Secũdum.

Tertium.

Rursus, potest necessitare volũtatem ad amãdum aliquod bonum in particulari, ad quod voluntas non necessariò, sed liberè inclinabatur. Certè Deus potest conseruare voluntatẽ in nõ agendo, vel in agendo immobiliter; potestq; efficere vt ad nullũ opus liberè exeat, quæ videtur euidens coactio. ¶ Quartò tunc homo planè cogitur, quando non tantùm cõtra inclinationem naturalem, sed etiã contra actualem ab agẽte trahitur, & impellitur. Sed Deus potest trahere voluntatem contra inclinationem actualẽ Ergo potest cogere nostram voluntatem. Maior syllogismi nota est, & Minor sic ostenditur. Nam voluntati intensissimè amanti Petrum, potest Deus infundere odium Petri: iste verò actus est contrarius alteri actui voluntatis, qui est voluntatis inclinatio, & sic videtur quòd voluntati violentia inferatur. Hoc idem confirmatur, supposito quòd actus voluntatis necessariò cõtinuetur, ex opinione probabili, quam admittit Theologorũ schola; non tamen potest actus volũtatis in eodẽ instanti, quo prodijt, perire. Tunc habeat Petrus amorẽ Pauli intẽsissimè, & tempore necessariæ & naturalis cõtinuationis potest habere odiũ Pauli. ergo potest nolle cõtra suam volitionẽ. Assumptũ probatur. Quia potest tẽpore naturalis continuationis præsentari voluntati sub ratione inimici, vel mali. ergo volũtas poterit in illud, & odio Paulum prosequi; & erit motus violẽtus, siquidẽ est cõtra inclinationem ipsius volũtatis. ¶ Vt autẽ videamus quàm rectè & efficaciter procedat, argumentũ cõficiatur hoc pacto. Nam aliàs sequitur, quòd daretur tempus aliquod etiã determinatum, per quod aliquis esset viator, & tamẽ esset in tali statu quòd nõ posset saluari. patet. Habeat Petrus odiũ Pauli, & cõtinuetur necessariò per aliquod tempus, & sit ita quòd in medio huius temporis moriatur. Arguitur sic; vel potest dolere de illo peccato, in illo temporis interstitio; vel non. Si sic; habeo intentum, quòd potest contra suã inclinationem velle, vel nolle; quia iam odit Paulũ, & dolet se odisse, & vellet non odisse. Si non; ergo eo in tempore est extra statum salutis.

Quartum.

Quintum. ¶ Quintò, voluntas tunc planè & euidentissimè cogeretur, quando amaret nolens, & inuita: itaq; non solùm cogitur volũtas quãdo Petrus habet odiũ, & amorẽ eiusdẽ (quod posse contingere, in superiori argumẽto satis demõstratũ existimo) sed etiã quãdo amaret nolẽs: sed hoc potest fieri à Deo; nã me habẽte odiũ intensissimũ Petri, potest Deus ipse solus infundere in meam voluntatem eius amorem, (volũtate passiuè se habente) ergo tunc amaret nolens. ¶ Vltimò, si voluntas non posset cogi, maximè propter rationem D. Thomæ in articulo proposita. Sed ratio D. Tho. non rectè procedit, quod sic demõstra. Nam si verum est quod D. Tho. adducit in suæ sentẽtię confirmationẽ, sequitur planè cæteras potentias in suis actibus non posse cogi; nam omnis actus potẽtiæ, est inclinatio potẽtię & procedit ab intrinseco. ergo nõ potest esse violẽtus. Certè fieri nullo modo potest vt potentia sensitiua habeat actũ, nisi à principio intrinseco, & circa suum obiectum, ad quod naturaliter inclinatur. Certum est enim quòd nõ potest visus videre, nisi producendo visionem; neq; intellectus intelligere, neq; auditus audire, neque appetitus appetere; imo hoc probaret de omni potẽtia actiua quòd nõ possit cogi, puta ignis ad calefaciẽdũ. Hæc incõmoda sequuntur ex probatione D. Tho, imo sequitur aliud euidẽtissimũ, quòd volũtas nõ posset cogi in actibus imperatis, cuius contrariũ docuit D. Tho. 2. assertione. Quòd autẽ hoc rectè sequatur ex probatione D. Tho. sic ostẽdo. Nam de ratione actus imperati à volũtate est, quòd sit voluntarius, & quòd à voluntate prodeat, siquidẽ imperatur à voluntate. ergo nõ potest esse violẽtus. In contrariũ est sentẽtia D. Tho.

Vltimum. Examinatur ratio D. Tho.

¶ Ad huius rei expositionem est prima conclusio. Volũtas potest necessitari à Deo in operationibus suis elicitis, vt velit, vt amet. Probatur sic. Nã beati necessariò amãt Deũ, vt patet ex prædictis, in materia de beatitudine. Deinde, nulla est apparens contradictio, quòd Deus cõfirmet volũtatẽ in bono, & quòd necessitet eam ad amãdũ. ergo potest fieri à Deo. Ex hoc sequitur, nõ esse idẽ, volũtatẽ necessitari, & cogi; bruta enim animantia necessitãtur in suis operationibus, sed nõ cogũtur. Deus necessariò se amat, at nõ inuitus, nec coactus, sed maximè volũtarius. In cuius rei cõfirmationẽ, recolẽda est ex superioribus illa distinctio de necessitate coactionis, & naturalis inclinationis.

Prima con. Volũtas potest necessitari à Deo in actibus elicitis.

¶ Secũda cõclusio. Deus potest impedire voluntatẽ ne vnquã exeat in actũ, atq; adeò ne prodeat in actũ, ad quẽ sua pte natura inclinatur: nã potest Deus subtrahere influentiã & concursum generalẽ, ita vt voluntas nõ possit amare: imo à creatura potest volũtas in hunc modum cogi, & violẽtia inferri, puta, subtrahendo obiectũ. Potest rursum fieri, vt dum quis vult persistere in actuali Dei amore, impediatur ab alio, qui dedit illi fraudulenter potum inebriãtem, vel dormire facientem; tunc sanè voluntas cessat ab actu contra propriam inclinationem. potest ergo voluntas non solùm à Deo, sed etiã à creatura

Secũda cõ. Deus potest volũtatem impedire ne prodeat in actũ, ad quem naturaliter inclinatur.

Tertia conclusio. impediri ne exeat in actũ. ¶ Tertia cõclusio. Nõ obstãte quacunq; dilectione, & volitione volũtatis, potest Deus infundere intẽsissimũ odiũ loco illius, & viceversa. Hæc cõclusio est euidẽs, & probatur ex illo Prouerb. 21. Cor regis in manu Dñi, & quocunq; voluerit, vertit illud. ¶ Quarta cõclusio. Tamẽ his casibus cõmemoratis negari nõ potest quin volũtas aliquomodo cogatur. Nam tribus modis res aliqua violẽtiã patitur; tũ, quãdo habet motũ cõtra inclinationẽ naturalẽ, vt cùm lapis proijcitur sursum: tũ verò, quando impeditur à propria & naturali inclinatione, & operatione, vt cùm lapis detinetur sursum: Tum vltimò, qñ mouetur motu naturali, sed vehementiùs & intẽsiùs quàm natura expostulat. Hãc veritatem demõstrant argumẽta in initio quæstionis proposita. Verũ est quòd quidã discipuli D. Tho. doctissimus Victoria, & pater Soto, atq; etiã Caiet. 1. p. q. 82. art. 1. habent pro certo, quòd respectu actionis Dei, nulla creatura cogi potest. Quã sententiã probant his argumẽtis. ¶ In primis D. Augustin. 26. lib. cõtra Faustum c. 3. dicit, quòd id est cuilibet rei naturale, quod ille fecerit, à quo est omnis modus, numerus, & ordo naturæ. ¶ Deinde, omnis creatura, secundũ inclinationẽ naturalem, habet potentiã obedientialẽ vt Deo obediat ad quẽcunq; actũ, vel vt detineatur ab actu. Certè sicut non est contra inclinationẽ aquę absolutè, vt est pars orbis, detineri in supero loco ne sit vacuũ, licèt sit contra inclinationẽ eius, vt est quoddam ens particulare, (vnde scribit D. Tho. de potẽtia. q. 4. art. 1. ad. 20. quòd motus aquæ circularis non est violentus, quãuis non sit ab intrinseco, quia est à superiori natura, ad quã inclinatur aqua,) sic volũtas naturaliter inclinatur vt obediat Deo ad quẽcunq; actum, licèt sit cõtra inclinationẽ eius particularem. ¶ Præterea, magis inclinatur creatura ad actũ quem Deus producit, quàm ad actũ propriũ ipsius creaturæ; sicut brachiũ potiùs inclinatur in bonum totius, quàm in bonum propriũ. ¶ Tum deinde, quoniam volũtas nostra ad quemcunq; actũ, vel vt detineatur ab actu, non resistit Deo, licèt sit contra inclinationẽ eius particularẽ, sicut motus lapidis sursum saltim nõ resistit, quod sufficit vt motus non sit violentus, vt patet de motu cœli, ad quẽ non concurrit cœlum, sed solus angelus: & licèt non haberet cœlũ inclinationẽ ad illũ motum (ratione cuius ille motus dicitur naturalis) satis esset quòd nõ resisteret ad hoc, vt non esset violentus. ¶ Sed & huius rei aliud producunt argumentũ, quod videtur palmariũ. Nam si Deus auferret à lapide grauitatẽ, non violẽter detineret illũ in loco supero. ergo si Deus aufert auxilium suum generale vt creatura detineatur, & impediatur ab actu suo, nõ violẽter detinet creaturã. Consequentia argumẽti inde probatur. Nam, tam necessariũ est auxiliũ Dei ad operandũ, sicut grauitas ad descendendũ. ¶ Profectò tunc res cogitur propriè, quãdo positis omnibus requisitis ad operandũ, impeditur ab aliquo agẽte ne operetur; sed quãdo deest auxiliũ generale, nõ habet creatura omnia necessaria ad operandũ. ergo nõ patitur violentiã: sicuti non cogitur homo ad nõ volandũ, quia nõ habet aptitudinem, neq; potentiã ad volãdũ. ¶ Vltimò, istæ operationes quas Deus efficit præter ordinẽ naturæ consuetum, sunt supernaturales, & miraculosæ. ergo non violentæ. Hæc sunt quæ adducũt præclarissimi autores ad persuadendũ, quòd creaturæ respectu operationis diuinę non cogantur, neq; patiãtur violentiã. Mihi verò hæc sentẽtia nunquã probari potuit; sentio enim quòd si cõsideretur natura particularis, quatenus ens quoddã particulare, bene potest à Deo cogi; vt si Deus solus proijceret lapidẽ sursum, vel detineret in loco supero, aut verò sisteret cœlũ; nam ascensus aquæ, vt non sit vacuũ, licèt sit ab autore naturæ, est tamẽ violẽtus respectu aquæ, in quantum est quædã natura particularis. Hoc ipsum confirmatur: quia Deus potest facere vt patiatur creatura ab extrinseco, cõtra propriã inclinationẽ; imo reuera cogit dæmones, & vim facit detinẽdo cõtra ipsorũ voluntatẽ in igne inferni. At res indubitata est, quòd possit Deus eũdẽ effectũ se solo facere, absq; medio ignis instrumẽto, puniẽdo, & ligãdo dæmones contra ipsorũ voluntatẽ. imo crediderim, quòd si Deus influendo in lapidẽ, sicut modò influit inclinationẽ ad motũ in locũ sibi naturalem, proijceret ipse solus in locũ superũ, tũc certè violẽter moueretur: quia talis motus esset cõtra inclinationẽ, quam Deus illi tribuit: secus autem esset, si Deus subtraheret influentiã, & concursum generalem, vel inclinationẽ lapidis in locũ inferum, tunc nulla esset violentia, cùm nulla maneret resistentia. ¶ Sed eandem veritatẽ demõstro alio argumento. Nã hoc videtur esse priuilegiũ volũtatis, quòd etiam à Deo cogi nõ possit: quòd si Deus de potẽtia sua absoluta nõ potest cogere vllã creaturam, neq; verò ei violẽtiam inferre, nõ est priuilegium particulare, & singulare, quòd voluntas neq; à creatura, neq; à Deo cogi possit. Atq; in hanc sententiam etiam inducor: nam rationes superiùs adductæ, videntur mihi omnino inualidæ. Nam si esset necessarium ad hoc vt sit vio-

Magist. Victoria. Soto. Caieta. Prim. arg. Augustin.

Secundum Vtrùm volũtas respectu Dei possit violentiam pati.

D. Tho.

Tertium.

Quartum.

Quintum.

Sextum.

Vltimum.

Autoris sententia.

fit violentū, quòd positis omnibus requisitis ad operandum, impediatur à sua operatione, consequens est lapidem non detineri violenter in loco supero, nam non habet omnia requisita ad operādum, nempe non habet ablatum impedimentum. ¶ Quinta conclusio: Deus non potest cogere voluntatem ad actus elicitos. Volo dicere, quòd fieri nullo modo potest, quòd voluntas cogatur in suis actibus quos elicit siue à creatura, siue à Deo; est enim euidens contradictio, quòd voluntas inuita, & repugnās habeat actum suum. quod probatur his argumentis. Nam omnis operatio voluntatis, aut est volitio boni, aut est nolitio mali. Sed omnes istæ operationes sunt secundum inclinationē voluntatis. ergo nō possunt esse violentæ. Maior argumētationis vera est sine cōtradictione. Minor sic ostēditur. Nam voluntas suapte natura inclinatur ad bonū, & refutat malū. Deinde, voluntas tūc propriè & verè cogeretur, quando haberet actū contra suam voluntatem, id est, quando non volens vellet. Sed hoc inuoluit in seipso contradictionem: nam si habet actum, iam vult, & ex alia parte est non volens, si quidem actus est violentus, id est cōtra voluntatē. Sequitur ergo euidens contradictio si voluntati violentia inferatur, Sanè illud dicitur violentum & coactum, quod fit nobis inuitis & repugnātibus, id est, nobis nolentibus, & cōtra id quod volumus. Euidens ergo cōtradictio est, quòd sit actus voluntatis, & quòd sit violentus & coactus: nam si est actus voluntatis, voluntas iam vult: quòd si vult, iam non est contra voluntatem, ac subinde coactum non est. Præterea ad idem valet hæc ratio, tunc voluntas cogeretur propriè quando vellet malum sub ratione mali: nam inclinatio voluntatis est velle bonum, & refutare malum; sicut inclinatio intellectus est assentiri vero, & dissentire falso: sed voluntas non potest velle malū, sub ratione mali, vt est in confesso apud Theologos (qui rectè & sapienter res definiunt) ergo voluntas non potest cogi. Vltimò, omnis actus volūtatis, est actio vitalis. Rursus est actio voluntaria cū cognitione finis. ergo non potest esse violenta: violētum enim est quod procedit ab extrinseco, passo non conferente vim. Itaq; sicut fieri nullo modo potest, quòd motus sit naturalis & violentus; sic est euidens repugnantia quòd sit actus voluntatis, & violētus. ¶ Sexta conclusio. Intellectus, & visus, & cæteræ potentiæ, possunt cogi. Hæc cōclusio statuitur cōtra Duran. in. 2. d. 25. q. 3. & 4. qui tribuit omnibus potentijs id, quod D. Tho. voluntati singulariter tribuit, nempe quòd non possunt cogi ad actus elicitos. ¶ Sed pro explicatione conclusionis obseruandum est, hoc differre inter volūtatem, & cæteras potētias, quòd cæteræ potentiæ ferūtur in propria obiecta, & in vtilitates proprias, & particulares: cæterùm voluntas non tantùm fertur in bonum suum, sed in bonum totius hominis; qua de causa dicitur inclinatio totius hominis. ¶ Illud etiam notandum est, quòd ad violentum satisfuerit, quòd sit contra inclinationem naturalem hominis, licèt sit conueniens & consentaneum naturæ: nam ad violentum accidentarium est, quòd sit conueniens, vel disconueniens, dummodò sit ab extrinseco, passo non conferente vim. Ex quo sequitur, quòd quando homo cogitur videre apertis oculis, simpliciter dicatur cogi; hæc enim operatio est cōtra inclinationem totius hominis. Ex eadem doctrina sequitur, quòd eo in casu non tantum cogitur homo, sed etiam ipse visus cogitur; nam potentiæ suapte natura inclinantur in bonum totius suppositi; qua de causa quod est contra inclinationem totius, est contra inclinationem potētiarum, quæ in bonum totius sunt institutæ: veluti si quis violēter detineret aquam quæ ascendit ne sit vacuum, violentiam inferret illi: ea enim detentio est contra inclinationem totius: simili ratione si quis detineret brachium quod eleuatur ad tuendum caput, violenter detineret illud; quoniam erectio brachij est secundū inclinationem totius. ¶ Sed videamus quid de hac re sentiat D. Tho. in namq; in. 3. d. 27. q. 1. art. 2. dicit, quòd omnes animæ potētiæ cogūtur à suis obiectis, præter voluntatem. & idē dicit in. 2. d. 25. q. 1. art. 2. vbi quærit, an liberū arbitrium cogi possit, vbi disertè dicit, quòd & aliæ potētiæ, & etiam intellectus cogitur à demonstratione, & à primis principijs. & de veritate. q. 22. arti. 5. facit argumētum tertium tale. Intellectus cogitur. ergo voluntas. Respō deo (inquit) quòd intellectus aliquid naturaliter intelligit, sicut & volūtas aliquid naturaliter vult, sed coactiō nō est cōtraria intellectui secūdū suā rationē, sicut volūtati; intellectus enim etsi habeat inclinationē in aliquid, non tñ nominat ipsam inclinationē hominis, sed volūtas ipsam inclinationē hominis designat. Vnde quicquid fit secūdū volūtatē, fit secundū hominis inclinationē, & per hoc non potest esse violētū. Sed operatio intellectus potest esse contra inclinationē hominis, quæ est voluntas; vt cùm alicui placet aliqua opinio, sed propter efficaciā rationū deducitur ad assentiēdū cōtrarię per intellectū. hæc D. Tho. ex quibus facilè intelligitur sentētia. D. Tho.

Quin. con. Volūtas in suis actib⁹ elicitis, neque à Deo neq; à creatura cogi potest.

Sexta con. Aliæ potentiæ à volūtate possūt cogi in suis actibus. Durand.

Differt voluntas à cæteris potentijs.

Nota.

D. Tho.

Septima cõclusio. Volũtas cogi potest in actibus imperatis.

¶ Septima conclusio. Voluntas potest cogi in actibus imperatis; nolo dicere quòd actus imperatus voluntatis non prodeat à volũtate, sed quòd membra exteriora, & alia opera externa possunt esse coacta cõtra imperiũ volũtatis. Hæc propositio sic exposita, clarior est quàm vt probatione indigeat: fieri enim potest quòd quis moueat brachium meum, aut

Argu. solu.

linguam, cõtra imperium voluntatis. ¶ Porrò per hanc conclusionem, & precedentem, confutatur vltimum argumentum; per alias verò in principio assertas, confutantur alia argumẽta vsq; ad quartum. Concedendum nãq; est, quòd potest Deus necessitare volũtatẽ, quòd potest eam impedire ne exeat in actũ, quòd potest vehementiùs mouere quàm rei impetus exposcũlat: sed hæc vniuersa non probãt, voluntatẽ posse cogi, quãtũ ad actus elicitos.

Ad quartũ.

Satis faciamus ergo Quarto argumẽto. ¶ Vt verò confutetur, aliqui dicunt, quòd amor, & odium contrarium, non repugnãt inter sese, saltim de potẽtia Dei absoluta: sicut duæ qualitates contrariæ, (quæ Dei est omnipotẽtia) possent esse simul in eodem subiecto, etiã in gradibus intensis: secundum quem modum aiebant, quòd vterq; actus esset voluntarius, & secundum inclinationem voluntatis, sicuti si Deus daret lapidi leuitatem, & grauitatem, ascenderet, & descenderet naturaliter: & quãuis odium esset contra amoris actũ, non tamẽ esset contra inclinationem totius voluntatis; quemadmodum quando aqua sursum ascendit, ne fiat vacuum, talis motus non est violentus: quamuis enim sit contra inclinationẽ particularem aquę, non tamen est contra inclinationem vniuersalẽ aquæ, vt est pars vniuersi.

Marsylius. Almay. Cano. Soto. Victoria.

Huius opinionis est Marsilius in 2. q. 16. art. 5. Almaynus in 2. q. fuorum moralium. Eandẽ sententiam docebãt viri doctissimi, pater Cano, & pater Soto. Sed doctissimus pater Victoria, quem semper honoris causa nomino, existimabat hanc opinionem esse falsissimã: nam sicut fieri nõ potest vt habeamus simul assensum, & dissensum respectu eiusdem; sic impossibile est simul habere amorẽ, & odiũ eiusdem rei, propter eandem causam. Certè sicut impossibile est simul moueri deorsum & sursum, sic omnino impossibile est habere

Nota.

odium & amorem eiusdẽ rei. ¶ Et quãquam duæ qualitates contrariæ possint esse simul, duo tamen motus contrarij non possunt esse simul. An non est impossibile quòd idẽ, secũdum eandem partem, calefiat & frigefiat? & quòd idem simul sit in actu, & in potentia respectu eiusdẽ? certè impossibile est, & adhuc magis impossibile iudico, posse esse simul amorem, & odium rei: nam si voluntas amat aliquod obiectum, fertur in illud, vt ad cõueniens: si verò odio habet, fertur in illud, vt in malum, & disconueniens: est autem euidens contradictio quòd idem sit conueniens, & disconueniens: bonũ, & malum. Igitur secundũ hanc opinionem casus est impossibilis. Qui si gratia disputationis admittatur posse cõtingere, dicendum est, quòd prædicti actus non sunt cõtrarij; nam vterq; tenderet in suũ obiectum, secundum diuersas rationes: amor in bonum, odium in malum. ¶ Ad confirmationem de necessaria continuatione actus, quã docet esse necessariam Gregorius Ariminensis in 1. d. 38. q. 1. dicendum est in primis, non esse necessariam talem continuationẽ actus; nam ex tali necessitate efficaciter cõcluditur, quòd odium Petri, & amor, essent simul; vel quòd non posset esse odium, donec transiret tempus necessarium ad continuationẽ actus. Item infertur aliud incommodum, quod suprà cõmemorauimus: quòd qui peccat peccatum odij, non habet libertatem ad pœnitẽdũ pro illo tẽpore quod existimatur esse necessarium ad odij cõtinuationem; vel quòd odiũ, & pœnitẽtia essent simul. Alia quàmplurima sequuntur dogmata pestifera ex necessaria continuatione actus, quæ in alio loco conuenientiùs referentur. Nunc ad argumenti cõfutationem dicendum est, vel quòd actus volũtatis, vel intellectus potest durare per solũ instans, quemadmodum lumen potest durare per solum instans, per absentiam corporis luminosi. quod esse verum, ista ratione demonstratur. Nam actus voluntatis fit in instanti, & mensuratur instanti: est enim operatio instantanea. ergo potest durare per solum instans, sicut ipsummet instans tantum durat per vnũ instans. ¶ Cuius rei est alterum argumẽtum. Nam si contingat quòd actus voluntatis incipiat esse in instanti, quo ego incipio dormire, tunc cùm somnus incipiat per motum, erit verum dicere, nunc nõ dormio, & immediatè post hoc dormiam. Ex quo sequitur, quòd immediatè post hoc non erit ille actus volũtatis vel intellectus, qui cœpit esse in eodẽ instanti initiatiuo, & sic non durauit nisi per instans. ¶ Hæc omnia confirmantur. Nam angeli, qui non permanserunt, in instanti, & primordio suæ creationis dilexerunt Deum, & non continuauerunt actum illum: nam (vt habet vera doctrina) immediatè fuerunt mali. ergo actus voluntatis potest durare per solum instans. Sed de hoc alio in loco conuenientiùs edisseretur, nunc pro confutatione argumenti dicẽdum est, quòd quanquam opinio esset vera,

Ad confir. Greg. Ari.

& quòd

& quòd simul esset amor, & odium respectu eiusdem, non sequitur quòd voluntas cogitur; quia vterq; actus est secundum inclinationem naturalem voluntatis, vt superiùs demõstratum est. ¶ Ad quintum, in quo probabatur quòd voluntas potest nolẽs amare, respõdetur, quòd Deus se solo non potest producere actum amoris in nostra voluntate: de essentia enim voluntatis amãtis est, quòd ipsa producat actum amandi; est enim operatio vitalis, de cuius ratione est quod procedat à principio actiuo, & intrinseco, quòd sit principiũ vitalis operationis. Vnde si Deus poneret visionem in oculo meo, ego non viderem per illam, nam videre est producere visionẽ. Vel dicatur ad argumenti confutationem, quòd illi actus non essent contrarij; amaret enim voluntas ratione boni, odio haberet sub ratione mali.

Ad quintũ.

ARTIC. QVINTVS.

¶ Vtrùm violentia causet inuoluntarium?

SVMMA TEXTVS.

Conclusio.

COnclusio est affirmatiua, quã probat D. Thomas autoritate Aristotelis, & Damasceni; tũ etiam euidenti ratione. Nam violentia directè aduersatur voluntario, sicut & naturali: cõmune est enim & voluntario, & naturali, quòd vtrumq; fit à principio intrinseco; violẽtia autẽ est à principio extrinseco. Quapropter, sicuti violentia in his rebus, quæ cognitione carẽt, est cõtra naturã; ita in rebus cognoscentibus facit esse contra voluntatem: quod autem est cõtra naturam, dicitur esse innaturale; quod verò violentum est, dicitur esse inuolũtarium, vnde violentia inuoluntarium causat. Sed est obseruandum, quòd quantum ad actum, qui est ipsius voluntatis, violentia nunquam facit inuolũtarium: nam si est actus voluntatis immediatè ab ipsa elicitus, voluntarius est, & violẽtus esse non potest: sed quantum ad actum imperatum, violentum potest causare inuoluntariũ, prout est expositũ præcedenti articulo.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Vtrùm omnes actus violẽti sint inuoluntarij.

VIdebitur fortasis alicui quòd conclusio huius articuli non sit semper vera: & in primis videtur esse dubium de actibus neq; volitis, neq; nolitis, sed permissis, an dicantur voluntarij, vel violenti, & inuoluntarij, putà si quis moueret manum meam, nec volente me, neq; nolẽte, de his igitur actibus sic arguitur. ¶ Nam quando homo trahitur ab altero, neque volens, neq; nolens, sed merè negatiuè, aut permissiuè se habens, talis motus est violentus, si quidem est ab extrinseco, passo non conferẽte vim: at nemo diceret talem hominem violenter & coactè trahi: ergo violentia non causat inuoluntarium. ¶ Deinde, si inferatur stuprum virgini, repugnanti fortiter in sua interiori voluntate, quæ tamen non resistit externè, cùm possit se defendere ne violetur; ea operatio absque dubio est violẽta, & coacta, sed non est inuoluntaria: cuius rei euidentissimum argumentum est, quòd illa peccat mortale peccatum. ergo violentia non causat inuoluntarium. ¶ Præterea, beati martyres violenter torquentur, & maximè in suis cruciatibus & tormentis gaudent volũtariè. ergo voluntarium, & violentum non contrariantur. ¶ Ad vltimum, si quis interiori dissensu effici nolens adorare idolum, cogeretur externè adorare; ea adoratio, violenta esset, vt planè constat, sed non esset inuoluntaria, si quidem peccat peccatum grauissimum. ergo violentũ non semper est inuoluntarium. Sed quanquã hæc argumenta aliquid videãtur efficere contra sententiam in articulo constitutam, non tamen eam subuertunt, quin potiùs eam confirmant: sententia enim articuli pro certa, & per se nota habenda est. ¶ Nam violentis actibus & necessarijs non meremur, aut demeremur, vt constat ex omnium hominum consensione; si enim quispiam me nolente traheret manum meam, & ea te percuteret, certè ea percussio mihi non tribueretur vitio, neq; imputaretur ad culpam. Sed actibus voluntarijs meremur aut demeremur. ergo violentia tollit voluntarium. Deinde de ratione voluntarij

Prim. arg.

Secdunum

Tertium.

Vltimum.

rij est, quòd procedat ab intrinseco cũ cognitione finis: violẽtum verò sic definitur, quòd sit ab extrinseco, passo non conferente vim. ergo violentum & voluntarium omninò repugnant. Quod ex nominis definitione demonstrari liquidò potest: nam violentum & coactũ est, quod fit nobis inuitis & repugnantibus, & contra nostram voluntatem. ¶ Ad primum argumentum dicendum, quòd in casu commemorato, ille qui trahitur, neque est voluntarius, neque inuoluntarius, sed est non voluntarius, veluti si dormiens traheretur; qua de causa quando definiũt Theologi violentum, quòd sit illud, quod procedit ab extrinseco, passo non conferente vim, intelligitur, passo repugnante & resistẽte: veluti cũ lapis detinetur in loco supero, quoniã habet grauitatem semper resistentem, semper violenter detinetur. In hoc ergo casu nõ est quidem inuoluntarium, quia non habet nolitionem: neque voluntarium, quia non habet volitionem, sed est non voluntarium. & hoc tertium membrum posuit Arist. 3. ethic. c. 1. & videbitur art. 8. quomodo aliquid est non volũtarium, neq; tamen inuoluntarium. ¶ Sed hic obseruandum est, quòd quando aliquis sciẽs & prudens in aliquo negotio magni momenti, quod erga se geritur, negatiuè se habet, censetur virtualiter repugnare & contradicere. qua de causa Theologi definiunt violentum, quòd sit illud, quod procedit ab extrinseco, passo non conferente vim, idest passo nõ consentiente, nec adiuuante. Ex quo commodè potest intelligi definitio Innocẽtij III, in. c. maiores. de bapt. & eius effectu, quæ habet in hunc modum. Imprimit sacramentalis operatio characterem, quando non inuenit obicẽ contrariæ voluntatis obsistentem, id est, quãdo non inuenit contrariam voluntatem formaliter, vel virtualiter. Ex quo definiunt Theologi, quòd siquis paganus sciens & prudens baptizaretur non consentiens, non maneret baptizatus, quoniam censetur virtualiter contradicere. ¶ Ad secundum argumentũ dicendum est ex doctrina artic. 3. ad voluntarium indirectè requiri tres conditiones; quòd possim, & tenear, & non faciam: itaque in casu argumenti dicendum, quòd stuprum erit voluntarium puellæ, quia poterat resistere, & tenebatur, & non fecit; si verò non tenebatur clamare, neque exteriùs resistere (nam inferebatur illi mors si resistebat) illud opus censetur violentum, aut non voluntarium. Est autẽ graue dubiũ, vtrùm teneatur, vel non? de quo in materia de temperantia competẽtiùs disseretur. ¶ Ad tertium respondetur, quòd cruciatus martyrum potest considerari dupliciter; vno modo, quatenus est actio tyrannorum, & hoc modo est violentus, siquidẽ martyres nihil adiuuant, nec conferunt ad hanc actionem: si verò consideretur quatenus est passio, est omnino voluntaria: martyres enim libenti animo sufferunt cruciatus pro Christo. ¶ Ad vltimum dicendum, quòd ille idolatra, qui externè adorat idolum, non peccat ex eo quòd re vera vult adorare idolum, sed ex eo quòd ponit operationem exteriorem, & vult eam ponere, quam omnibus modis tenebatur cauere, etiã cũ periculo vitæ. Vtrùm verò iste idolatra tantùm exterior incidat in pœnas contra idolatras pronuntiatas, est alia quæstio, quæ tractatur in. 2. 2.

¶ Ex definitione huius articuli demõstratur, quàm turpiter errãt Lutherani dicẽtes, quòd Deus nos cogit ad peccandum. Hoc autem quàm absurdè & impiè dicatur, cõsideramus ex his quæ dicta sunt. ¶ Nam peccatum adeò est voluntarium, quòd si non est volũtarium, peccatum non est: nam dicere peccatum esse sine voluntatis assensu, magnum esse deliramentum scribunt sancti Patres. Tertullianus lib. 2. contra Martionem. Ambrosius lib. de Iacob & vita beata. ca. 30. August. disputatione 2. contra Fortunatum Manichæum, & lib. de vera religione. c. 14. & lib. de duabus animabus, & lib. 1. retractationum, & alibi sæpenumero. Itaq; reum teneri quempiam quia non fecit, quod facere non potuit, summæ iniquitatis & insaniæ ab omnibus hominibus esse putatur. Ergo fieri nullo modo potest, quòd sit violentum & coactum, & quòd sit peccatum. ¶ Deinde ex alio principio sumpto idẽ demõstratur. Nam peccatum (vt ex eius definitione famigeratissima liquet,) est dictum, vel factum, vel concupitum contra legẽ Dei: at lex Dei, quæ est regula & norma nostrarũ operationum, re ipsa nihil aliud est quàm voluntas diuina. Ex hoc concludo argumẽtum. Si Deus me mouet & compellit vt peccem, ergo mouet me vt faciam contra voluntatem suam, & contra suam regulam. Sed hæc est euidens repugnantia: nam si Deus mouet & cogit vt aliquid faciam, ergo vult ita fieri; ergo non operor contra Dei voluntatem. Sed & alio syllogismo rem eandem commõstro. Nam si Deus me mouet, & cogit vt aliquid faciam, ergo vult ita fieri. ergo illud opus quod facio, rectum & studiosum erit: est enim conforme, & consentaneum diuinæ voluntati. Itaq; ex illa hypothesi sequitur euidens contradictio, & quòd sit peccatum, & quòd sit rectum & studiosum, & quòd sit conueniens regulæ

Ad argumẽta. Ad primũ. Exponitur definitio violenti. Aristo. Aduert. Ad secũdũ. Ad tertiũ. Ad vltimũ. Lutherani. no. Euidens cõtradictio est, quòd Deus cogat ad peccandum. Tertul. Ambr. August.

gulæ diuinæ, & quòd sit dissentaneum & disconueniens. ¶Quod verò ex hoc dogmate pestilentissimo euidens contradictio sequatur, manifestè constabit vel ex hoc argumento quod sequitur. Deus enim peccare nõ potest; si quidem peccare, est à regula deflecti, quod omnipotẽs nõ potest facere: ipse enim est regula & rectitudo omnium operationũ. Certè si manus scribentis esset regula, aut manus pictoris ipsa rectitudo esset, quamcunq; lineam duceret, rectè scriberet, & depingeret. Ergo euidens cõtradictio est, quòd Deus me moueat, & efficaciter me cõpellat ad aliquid operis, & illud sit peccatum. Profectò peccatum nihil aliud est, quàm inobedientia contra Deum: sed quando Deo cogente aliquid facio, non sum inobediens; ergo non pecco; nam si Deus præcipit aliquid, aut consulit; si obedio, nihil pecco. ergo si necessitat me Deus & cogit, & pareo, non pecco. ¶ Vltimò hæc sententia Lutheranorum facit Deũ non solùm autorem & fontem omnium peccatorum, sed etiam omnium creaturarum pessimum, iniustissimum, crudelissimum, & insanissimum. Nam quæ maior crudelitas & insania, quàm punire hominem supplicio æterno propter opus, ad quod Deus cogit & necessitat vt faciat illud, quod vitare nullo modo potuit? sed hoc in tractatu de libero arbitrio copiosiùs elucidabitur, nũc ad autorem nostrum reuertamur.

ARTIC. SEXTVS.

¶Vtrùm metus causet inuoluntarium?

SVMMA TEXTVS.

Prior con. PRior Cõclusio. Ea quę per metũ aguntur, mixta sunt, ex voluntario, & inuoluntario.

Posterior. ¶Posterior Conclusio. Ea quæ fiunt metu, simpliciter sunt volũtaria, & secundùm quid, inuoluntaria: itaque metus non causat inuoluntarium. Prædictæ conclusiones sic probãtur à D. Tho. & eius probatio rectissimè procedit. Nã ea quæ fiunt ex metu, in se considerata, non sunt voluntaria, sed sunt voluntaria in hoc casu, vt vitetur maius malũ quod timetur: quamuis rectè consideranti huiusmodi sunt magis volũtaria quàm inuoluntaria. Nam vnumquodq; dicitur secũdum quod est in actu simpliciter, & quod per metum agitur, secundum hic & nunc iudicatur simpliciter melius, prout impedit maius malum quod timebatur; vnde simpliciter competit ei ratio voluntarij, vt patet in proijciente merces in mare: inuoluntaria tamen sunt secundum quid, prout extra hunc casum repugnãt volũtati; cæterum simpliciter hic & nunc voluntariè proijcit merces in mare, vt vitetur maius malum quod timetur.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Duplex metus, leuis & grauis.

METus duplex est (vt definiunt viri sapientes) leuis, & grauis, qui dicitur cadere in virum constantem. Metus leuis est, quo perturbatur homo meticulosus & inconstans. Metus grauis est, quo perturbatur homo fortis & constans, vt metus mortis. D. Tho. loquitur de metu, siue grauis sit, siue leuis, vndecunque incutiatur, definitq́ metum nõ causare inuoluntarium, quin potiùs ea quæ fiunt ex metu, esse absolutè & simpliciter voluntaria. Atqui Aristot. 3. eth. c. 1. proponit hanc controuersiam sub his verbis, vtrùm ea quæ fiunt ex metu, inuiti, an sponte faciant homines? quã sic explicat; Talia (inquit) mixta sunt: his autẽ magis similia sunt quæ sponte homines agũt: expetunt enim tunc, cùm agunt, atq́ue finis actionis in ipsa temporis conditione cõsistit. Et sponte igitur, & inuitum vnumq́uemque dicendum est agere cùm agit; agit enim sponte, cùm in ipso sit principium mouendi. Probat item; quia in illis & laudantur, & vituperantur homines, & venia digni censentur. & paulò inferiùs; Quæ verò per se quisquam inuitus facit, nunc autem & pro his sponte agit, magis autem similia sunt his quæ sua spõte quis agit; actus enim sunt circa ipsa singularia, quæ quidem sponte facit. Hæc sunt quæ Arist. sentit, vt adducit D. Tho. Paucis verò verbis probari potest quòd sunt simpliciter & absolutè

Aristo. verba obscura.

& absolutè voluntaria. patet. Nam mercator, qui in grauissimo mortis articulo cõstitutus, proijcit merces in marè ne pereat, efficaciter proijcit. ergo vult proijcere. Consequentia inde probatur. Nam si nollet proijcere, certè non proijceret. Deinde si mercator haberet istos duos actus, nolo proijcere, & volo proijcere, non esset potior ratio & causa quare proijceret; vnde consequens est, quòd habeat istos duos actus, volo proijcere, & nollem proijcere, si possibile esset aliter periculũ effugere. ¶ Præterea voluntas efficax definitur ab omnibus Philosophis & Theologis, quòd sit ea, ex qua efficaciter sequitur opus: membra enim exteriora non mouentur, nisi ex absoluta volitione, vt planè experientia cõstat: sed ea quæ fiunt ex metu, efficaciter fiũt. ergo absolutè & simpliciter voluntariè fiunt. Certè qui metu mortis proijcit merces in mare, vult proijcere sine conditione, aliàs non proijceret: nam quando non est voluntas efficax, non sequitur opus. Ad hęc qui metu mortis fornicatur, vel periurat, omnium hominũ consensione & suffragio peccat, & vituperationem meretur. ergo metus non tollit voluntarium. quòd si non est voluntarium, peccatũ non est. ¶ His accedit, quòd qui vult absolutè finem, absolutè vult media necessaria ad finẽ: sed mercator qui proijcit merces in mare ne pereat, absolutè vult vitam suam tueri, & sese ab illo periculo eripere; ad hoc verò iudicat medium necessarium proijcere merces in mare: vult ergo proijcere. ¶ Facit ad prædicta, quòd iurisperiti dicunt, quòd coacta volũtas, est volũtas. in. l. si mulier. §. pen. ff. de eo quòd metus causa, &. 15. q. 1. c. merito.

L. si mulier ff. de eo q̃ metus causa. c. merito. 15. q. 1.

¶ Itaque vt intelligamus exactè, & acuratè sententiam D. Tho. de his, quæ ex metu fiũt, oportet ea considerare, hic, & nũc, & pro his, secundum omnes circunstantias, non quid nam faceret homo si tale periculũ non immineret. Ex hoc inferre poterit Theologus, quòd ea quæ ex metu fiunt, vel bona sunt, vel mala; sunt enim moralia, & habent sufficientem libertatem, & non debent iudicari sicut naturalia, vel violenta, vel indeliberata, sed ex obiecto, & rationis regula sunt expendenda.

Aristo.

¶ Vnde scribit Arist. 3. eth. ca. 1. quòd ea quæ fiunt ex metu, quædam sunt laude digna; vt cùm quispiam patitur abscisionem membri ne prodat remp. quædam sunt non laude digna, sed venia & condonatione; vt cùm quis mentitur ad saluandam vitam: alia sunt digna omni vituperatione, vt cùm quis metu mortis prodit Remp. negat Deum. Et secundò infertur, quòd illa quæ intrinsecè mala sunt, nullo metu possunt fieri sine peccato, quia sunt libera & voluntaria. Vnde Aristot. dicit vbi suprà; Sunt autem quædam, ad quæ forsitan nõ licet quenquam esse compulsum, sed potiùs oportet summa perpessum tormenta, morte obire: exemplum ponit de Alcmeone Euripidis, qui matrem interfecit. & idem est iudiciũ de mendacio, homicidio innocentis, blasphemia, & similibus. Circa alia verò aliquando facit metus esse bona, quæ aliàs mala essent, quę non definit Arist. nam non est facilè ea designare, cùm in ipsis complures sint differẽtiæ. ¶ Sed vt hæc certis regulis comprehendãtur, est Prima Regula. ¶ Ea quæ sunt intrinsecè mala, vt mendacium, adulterium, parricidiũ, & his similia, quocunque metu fiant, sunt peccata. Ratio huius regulæ hæc est; nam ea quę fiunt ex metu, simpliciter sunt voluntaria, vt antea demonstratum est. ¶ Secunda regula. Ea quæ fiunt ex metu, cadente in virum constantem, contra legem diuinam positiuã, non imputantur ad culpam, licèt voluntaria sint; neque merentur vituperationem qui ea operantur. verbi gratia. Est præceptum diuinum positiuum vt in die Dominica nullum opus seruile fiat: at verò si quisquam pauper, qui non potest miserè vitam tueri, nisi manibus suis laboret, id faciat, neque meretur vituperationem, nec legis transgressor est. Ratio huius est, quia lex diuina positiua non obligat hominem, quãdo similis casus incidit: quanquam enim Deus possit obligare homines vt sua præcepta obseruent, etiam cum mortis periculo, & quod potiùs obeãt mortem, verùm cùm benignus & clemens sit, non voluit nos obligare cum tanto periculo. Hoc autem esse verum, colligimus ex diuinis literis: nam. 1. Regum. 21. legimus de Dauid, quòd comedit panes propositionis, quos solis sacerdotibus licitum erat comedere, sed excusatus fuit à crimine propter famis necessitatem, quod quidem factum approbauit Dominus Matthæi 12. atque etiam legimus. 1. Machab. capit. 2. quòd Mathathias pugnauit diebus sabbatho rum extrema necessitate compulsus. ¶ His accedit ratio euidens ex diuina Theologia: nam est præceptum legis naturalis de conseruanda vita, & eius defensione: non ergo credendum est Deum velle obligare nos vt cum dispendio vitæ nostræ obseruemus præcepta ab ipso instituta, nisi quando ipse expressè dixerit etiam in tali periculo esse obseruanda. Hoc ipsum confirmatur ex eo quod dixit Dominus; Non homo propter sabbathum, sed sabbathum propter hominem. vnde efficaciter colligitur, quòd lex de sabbatho seruando non

Regulæ ad dignoscendum quando metus à peccato excusat. Prima. Secũda Regula.

1. Reg. 21. Matth. 12. 1. Mach. 2.

non obstringit hominem cum periculo mortis, nisi alia necessitas incidat. Sed abundantiùs idem ostenditur ex eo quod legitur Iosue ca. 5. nempe quòd filij Israel non fuerint circuncisi per annos quadraginta, cùm esset lex pronuntiata Genes. 17. quòd die octauo circuncideretur infans; excusati tamen sunt, quia non poterant commodè legem circuncisionis obseruare, & vulnera curare. neque scriptura diuina aliam causam commemorat, neque refert hoc in Dei dispensationem. Sed desino in re clarissima producere maiora argumenta, nam ad finem articuli sum demonstraturus, quòd etiam lex diuina naturalis nõ obligat cum periculo & discrimine vitæ.

Iosue. 5.

Genes. 17.

Tertiareg. ¶ Tertia regula. Ea quæ prohibentur iure positiuo humanæ legis, non obligant cum periculo vitæ. Volo dicere, quòd si quisquam ex metu mortis, vel alterius grauissimi incõmodi comedit carnes feria sexta, vel communicat cum excommunicatis, nihil peccat, nec est præuaricator legis humanæ, si quidem leges humanæ non obligant cum tanto periculo; debent enim esse mites, & suaues: at si obligarent cum periculo mortis, essent intolerabiles. ¶ Rursus eadem veritas confirmatur ex præcedenti regula: si enim ea quæ fiunt ex metu mortis contra legem diuinam positiuã, non imputantur ad peccatum, multò minùs imputantur ea quæ fiunt contra hominum leges, & mandata. Sed obseruet Theologus, non ob id metus grauis dicitur excusare à trãsgressione legis, quòd causet inuoluntarium, sed licèt ea quæ fiunt ex metu sint volũtaria, non imputantur ad peccatum; quia in tali euẽtu non militant contra legem. Illud etiam animaduertendum est, quòd hoc in loco ex professo nõ disputatur, vtrùm metus excuset, nã habetur disputatio in. 2. 2. q. 125. art. 4. vbi tractatur de vitijs oppositis fortitudini. ¶ Ex doctrina huius articuli etiam potest cognosci (vt admonet Caietanus) quòd vota, & matrimonia, & alij cõtractus ex metu facti, etiamsi sint ex metu cadenti in constantem virũ, sunt obligatorij: quòd si aliquando non obligant, vel sunt dispensabilia, vel commutabilia; hoc non est eò, quòd sint inuoluntaria, sed quia sunt secundum quid inuoluntaria, & ius saltẽ positiuum vult aliquos contractus, & maximè matrimonium, non solùm esse volũtarios, sed plenè voluntarios, alios facit irritos. Et licèt in iure aliquando inueniatur tales contractus non esse voluntarios, vel esse inuoluntarios, hoc dicitur extensione vocabuli, in fauorem humanæ libertatis. Vocatur enim inuolũtarium, quod non est ex omni parte voluntarium: nihilosecius tamen pro certo habẽdum est, omnes cõtractus, metu graui celebratos, iure naturali esse validos. Patet in iuramento facto latroni ex metu mortis, quod sine dubio valet, & ratum est, tum coram Deo, tum etiam coram hominibus, vt definitur in. c. ad aures. & c. cum dilectus, de his quæ vi metusve causa fiunt. Idem patet in vótis, quæ homines in naufragio constituti nuncupant Deo, & Diuæ Virgini Mariæ, quæ valida sunt & firma, ex consensu omnium Doctorũ. Sed & matrimonium validum censetur, quando quis graui metu infirmitatis perterritus ducit vxorem, quam habuit in concubinam.

Caieta.

Contractus ex metu graui celebrati quando sint inualidi.

¶ Sed obseruet Theologus, quòd prædicti omnes contractus, (excipio iuramentũ, quod propter sanctitatem iuramenti, semper, quando est de re licita, est obseruandum) irritantur iure positiuo, quando sunt facti ex metu cadenti in constantem virum, quando extorquetur consensus per iniuriam, id est, quando compellitur homo ex metu per iniuriam ab altero illato, celebrare, aut verè instituere matrimonium, votum solemne, & alios contractus. Ex his facilè est intelligere, quomodo omnes contractus ex metu graui facti, sint irriti, & inualidi, prout definitur. ff. de his quę vi metusve causa fiũt. & in Decretalibus eod. titulo. Intelliget etiam Theologus, qua ratione sit definitum in. c. locum, & in. c. veniens. de sponsal. & matrimonijs, quòd matrimoniũ ex metu mortis contractum, est irritum & inualidum. Sed & votum solenne ex metu graui in virum constantem cadẽti, Deo promissum & nuncupatum, esse nullius valoris statutum est & decretum. c. 1. de his quæ vi metusve causa fiunt. Facilè etiam erit animaduertere quemadmodum non peccet qui metu mortis perterritus, non corripit fratrem suum, quem iure diuino naturali tenebatur corripere; non subuenit parentibus, non suscipit eucharistiam, non confitetur. Certè in his omnibus nullum cõmitteretur peccatũ: nam lex diuina de corripiendo fratre, de subueniendo parentibus, non obligant cum periculo mortis; hæc enim sunt præcepta affirmatiua, quæ proinde obligant, quando oportet, & sicut oportet secundum prudentiam; qua de causa, non subuenire, nõ corripere in casibus commemoratis, non sunt contra legẽ, & ideo non imputantur ad culpam.

Nota.

ARTIC. SEPTIMVS.

¶ Vtrùm concupiscentia causet inuoluntarium?

SVMMA

SVMMA TEXTVS.

Concluſio. Oncluſio ſic habet. Cõ cupiſcentia non cauſat inuolũtarium, ſed magis facit voluntarium; nam voluntas fertur in id quod vult: per concupiſcentiam verò inclinatur ad volendum quod cõ cupiſcit, vnde magis facit voluntarium. Neque eſt eadem ratio de timore, & metu, qui reſpicit malum, & de concupiſcentia, quæ reſpicit bonum, qua potiſsimè allicitur voluntas ad operandum.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Examinatur ſententia D. Tho. Quod hîc docet D. Thom. veriſsimum eſt, ſed diligenti & accurata indiget defenſione: nam doctrina huius articuli pugnaciſsimè ſolet impugnari his argumentis.

Prim. arg. ¶ Principiò, concupiſcentia diminuit cognitionem, vt planè conſtat; perturbat enim rationis iudicium. ergo diminuit voluntarium. Conſequentia inde probatur. Nam cognitio eſt de ratione & definitione voluntarij, vt ex dictis patet.

Secundum ¶ Deinde, ignorantia tollit, vel minuit voluntarium, quia tollit cognitionem: at concupiſcentia diminuit cognitionem, vt ſatis probatum exiſtimo. ergo diminuit voluntarium.

Tertium. ¶ Præterea, metus cauſat quodammodo inuoluntarium, vel certè diminuit voluntarium, quoniam eſt in cauſa vt homo faciat contra voluntatem, quæ permaneret ſine tali metu: atque adeò quoniam id quod fit ex metu, fit cum mœrore & triſtitia: ſed concupiſcentia eſt in cauſa quòd homo operetur contra id quod habebat in voluntate, illa concupiſcentia non exiſtente, neque alliciente; atq; adeò eſt in cauſa quòd homines videntes præmiũ laborum, & virtutis bonum, operentur cum triſtitia & mœrore, illud, quod non operarentur, ſi paſsionibus deſiderij, & concupiſcentiæ non excitarentur. Ergo concupiſcentia

Quartum. non auget voluntarium. ¶ Ad hæc, concupiſcentia diminuit liberum. ergo etiam voluntarium. Antecedens argumenti eſt per ſe notum; conſequentia inde liquet. Nam in homine idem eſt liberum, & voluntarium. Certè concupiſcentia diminuit peccatũ, hac ſola de cauſa, quia minuit volũtarium. ſic teſtatur D. Th. infra, q. 77. art. 6. & 7. Vnde videtur quòd doctrina huius articuli ſit falſa, & quòd D. Tho. non ſatis ſibi conſtet: nam in hoc loco planè aſſerit, quòd concupiſcentia auget voluntarium, & in loco nunc commemorato, quòd diminuit. D. Tho.

Confir. ¶ Hoc ipſum confirmatur. nam ex ſententia D. Tho. grauiùs delinquit qui accedit ad mulierem deformem & fœdã, quàm qui accedit ad mulierẽ pulchrã: atqui accedit ad mulierem pulchram, maiori & vehementiori concupiſcentia accedit. ergo concupiſcentia non auget voluntarium.

Vltimum. ¶ Vltimò ſic arguitur. Si quis furatur ex cupiditate, iudicante ratione hoc eſſe peccatum, & grauiſsimum malum, & periculum vitæ æternæ; ſicut concupiſcentia inclinat ad furtum, ita ratio inclinat ad oppoſitũ. ergo quantum de voluntario addit paſsio, tantum tollit ratio. quod cõfirmari videtur ex illo Rom. 7. Rom. 7. Sentio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ. & ad Galat. 5. Galat. 5. Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem; hæc enim ſibi inuicem aduerſantur, vt non quæcunque vultis, illa facia tis. Ex quibus videtur deduci, quòd concupiſcentia non cauſet voluntarium, ſi quidem eſt motus repugnans voluntati, & rationi. Sanè in quarto articulo definitum eſt, quòd primi motus ſenſualitatis, ſunt inuoluntarij & violenti, quia repugnant, & aduerſantur hominis voluntati.

In oppoſitum. ¶ In contrarium eſt ſententia D. Tho. Ad huius rei expoſitionem, ſciendum eſt, quòd concupiſcentia hoc in loco non accipitur pro potentia, quæ appellatur concupiſcibilis, neque pro paſsione appetitus ſenſitiui, ſed pro quauis affectione voluntatis, ſiue appetitus ſenſitiui, qua inclinamur ad aliquid faciendum, vel non faciendum per actum proſecutiuum, vt ſecludamus metum, qui etiam eſt paſsio appetitus ſenſitiui, quo potiùs ab opere & exercitio retardamur, & impedimur: non enim eſt motus proſecutionis, ſed potiùs (vt ita dixerim) refugitiuus, & refutatiuus. & quòd hoc pacto accipiatur hoc vocabulum in hac diſputatione, liquet ex argumentis D. Thomæ.

Quid concupiſcentia ſit, de qua hîc diſputatur.

Duplex cõ cupiſcentia antecedẽs & conſequens. ¶ Illud etiam oportet animaduertere, quòd paſsio, ſiue affectus animi noſtri dupliciter poteſt comparari ad liberum arbitrium; antecedenter, & conſequenter. Antecedens eſt, cùm paſsio inclinat animum meũ ad aliquid faciendum, vel fugiendum. Conſequens eſt, cùm ex deliberatione, & ex efficaci & ardenti voluntate enaſcitur affectus in appetitu ſenſitiuo; ſicut iudex quando vult efficaci & forti animo punire malefactores, excitat in ſe

in se affectum iræ; & ille, quem vehementer pœnitet suorum delictorũ, excitat in se mœrorem & tristitiam, vt melius resipiscat. Et hoc modo affectiones animi nostri nihil aliud sunt, quàm igniculi viriles ad opera virtutum exequenda. Qua de causa Stoici philosophi perperam docẽt omnes affectus animi nostri esse extirpandos, & excludendos; atque si essent animi nostri morbi & ęgritudines. Multò melius Peripatetici docent, istos affectus, si modò frænum rationis suscipiant, & non dominentur in nobis, sed potius rationi obtemperent, ad opera virtutum maximè conducere. His explicatis, est prima conclusio. ¶ Affectus animi nostri, sequens deliberationem rationis, & voluntatis assensum, auget voluntarium. Probatur sic. Nam voluntarium definitur, quod procedit ex inclinatione voluntatis, cum perfecta cognitione. at iste affectus, de quo disserimus, est in causa quòd voluntas ex inclinatione in bonum concupitum, feratur in illud cum perfecta cognitione finis. ergo auget voluntarium. Idẽ oĩtẽditur ex effectu. Nam passio excitata in appetitu sensitiuo, est indicium apertum, quòd motus voluntatis sit ardens, & concitatus: nã in hac natura passibili, impossibile est quòd sit ardens, & concitatus motus voluntatis, & quòd non sequatur affectio in appetitu sensitiuo. Propter quod Augustinus. 14. de ciuitate Dei. c. 9. optimè dicit; Quamdiu hanc vitã mortalem viuimus, si non habemus animi passiones, nõ rectè viuimus. Quod est admodum animaduertendũ contra quosdam homines superstitiosè religiosos, & nimis Stoicos, qui profitẽtur se viuere vitam omnis affectus expertem, & totam ex cœlo pendentem. De his formidam dum est cum D. Augustino, quòd non rectè & studiosè viuant. Sed vt ad confirmationem nostræ conclusionis reuertamur, sic arguitur. Quando homo post deliberationem rationis eligit aliquid, multò melius id exequitur, quando excitat affectum in appetitu sensitiuo, vt experientia comprobatur: vnde Arist. 3. eth. c. 8. adducit ad hoc propositum versus Homeri. Virtuti immite furorem; virtutem & furorem erige. significatur his verbis, quòd vir studiosus in fortitudinis virtute, si assumat furorem & iram, maximè adiuuatur ad opus fortitudinis exercendum, si tamen furor ipse non anteuertat rationis iudicium; nam tunc perturbat virtutis opus. Vltimò tamen in conclusionis comprobationẽ profero sententiam omnium Theologorum, asserentium, eum qui peccat ex maiori concupiscẽtia, grauiùs peccare: ex quo consequens est, quòd hæc animi concupiscentia auget peccatum, & subinde voluntarium. ¶ Secunda conclusio. Concupiscentia quæ anteuertit iudicium rationis, & consensum voluntatis, auget voluntarium. Certè D. Tho. hîc de omni concupiscentia docet, quòd auget voluntarium. idem censet Arist. 3. eth. c. 1. &. 2. & probatur ita esse. Nam volũtarium est, quod procedit ex inclinatione voluntatis; & magis voluntarium id, in quod voluntas magis inclinatur. Sed concupiscentia facit quòd voluntas magis inclinetur in rem desideratam, & sic magis inclinatur voluntas cum passione, quàm sine illa, & maiori conatu fertur in obiectum, vt experientia docet. Deinde, concupiscentia habet pro officio facere quòd obiectum appareat magis pulchrum, magis iucundum, & magis desiderabile. ergo accendit magis ipsam voluntatem. ¶ Tertia conclusio. Concupiscentia hæc diminuit liberum; libertas enim oritur ex libero iudicio, vt suprà probatum est. Sed hæc concupiscentia perturbat iudicium rationis. Concupiscentia ergo potiùs aufert de libertate, quàm det libertatem, vt dicitur infrà. q. 9. art. 2. &. q. 10. artic. 3. ¶ Ex hoc sequitur, quòd animi nostri affectus & passiones, aliquo modo excusant à peccato; non quòd diminuant voluntarium, sed quòd minuant liberum. Ex eodem sequitur, quòd liberum, & voluntarium, non sunt omnino idem, cùm concupiscentia augeat voluntarium, & minuat liberum. quòd si essent idem penitus nullo modo fieri poterat. Tandem sequitur, quòd quando dicit S. Tho. q. 77. ar. 6. quòd concupiscentia minuit voluntarium, & ideo minuit peccatum, est intelligẽdus, id est diminuit liberum, alioqui D. Thom. sibi esset contrarius. Sed superest argumentis in principio positis satisfacere. ¶ Ad primum dicendum est, quòd cognitio, quam impedit concupiscentia, est actualis consideratio, & hoc quod est non actu considerare, voluntarium est homini operanti ex concupiscentia: vnde concupiscentia de se non minuit, neque impedit cognitionem sui obiecti, imo plurima occurrunt concupiscenti ad suam concupiscẽtiam adimplendam, & libidinem saturãdam. Verum est tamen, quòd aliquo modo impedit cognitionem recti & studiosi operis secũdum rationis regulam, sed hoc non comonstrat, quòd diminuat voluntarium in ordine ad bonum honestum, & rectum; nam totum fuit voluntarium in consensu antecedenti, & ideo imputatur ad peccatum; sicuti ignorantia affectata (quod statim dicemus) non diminuit voluntarium, etsi secundũ se sit priuatio cogni-

Stoici.

Peripatetici.

Prima cõ. Passio sequens deliberationẽ rationis, nõ diminuit volũtariũ.

Aug. sentẽtia notãda.

Aristo.

Secũda cõ. Passio antecedẽs iudicium rationis, & consensum voluntatis, auget voluntarium. Aristo.

Tertia cõ. Passio antecedẽs diminuit liberum.

Corolariũ.

D. Tho. *uolũtariũ, prolibero*

Ad argumẽta.

Ad primũ.

cognitionis, eò quòd talis priuatio est voluntaria antecedẽter, vnde quod ex eo sequitur, voluntarium est. Vel dicat Theologus ad argumenti confutationem, quòd concupiscentia, ea parte qua minuit cognitionem, minuit voluntarium, cæterùm ea parte, qua magis inflammat voluntatem, auget voluntarium: & quoniã magis est de ratione voluntarij quòd procedat ex inclinatione voluntatis, quàm quòd procedat ex cognitione, ideo dicimus concupiscentiam augere voluntarium. Et ad hunc modum exponendus est D. Tho. in sequenti articulo, vbi docere videtur, quòd passio diminuat voluntarium. ¶ Sed illud addendum est, quòd passio consequens electionẽ, de qua certum est quòd voluntarium augeat, etiam diminuit cognitionẽ; nam licèt ad electionem requiratur magna consideratio, & diligens rationis deliberatio, nihilominus ad operis executionem non oportet vt sit attentissima consideratio, quin potiùs hæc impediret executionem; sicut in citharœdo si ad tactum singularum chordarũ deberet animaduertere, nunquam opus conficeretur. idem animaduertere licet in scriptore, qui ad singulas literas formandas si animaduerteret, nũ quam scriberet. Itaque non rectè sequitur; diminuitur cognitio. ergo tollitur de voluntario: sicuti quãquam obiectum timoris sit malum imminens, causa tamen decrementi, vel incrementi in timore est ratio mali apprehensa: quòd verò sit imminens & futurum, est veluti conditio necessaria; quapropter crescente cognitione mali, crescit timor, licèt malum sit minus imminens: vnde viri iusti & sancti, quantò in sanctitate magis crescunt, tãtò magis timent malum culpæ. ¶ Ad secundum argumentum dicendum, non esse eandem rationem: nam ignorantia tollit facultatem considerandi, & cognoscendi: passio verò nõ tollit facultatem considerandi, sed tantummodò actualem considerationem, & hoc ex culpa operantis, vt satis abundanter expositum est. ¶ Ad tertium dicendum, admodum differe inter ea quæ fiũt ex metu, & inter ea quæ fiunt ex concupiscentia: homo enim qui operatur ex metu, semper habet repugnantiam, & resistẽtiam ad id quod operatur; at ille qui operatur ex concupiscentia, non habet repugnantiam illam ex parte voluntatis, passione ipsa dissipante priorem voluntatem, & adducente eam ad id, quod ipsa concupiscit, blanditijs, delectatione, & his similibus. Quòd verò continentes, passionibus victi & superati, tristitia & mœrore afficiuntur, non inde prouenit, quòd concupiscentia auferat de voluntario, sed ex verme conscientiæ hoc proficiscitur: vident enim se perdere & bonum rationis, & præmium bonorum operum. ¶ Sed vt hæc solutio & explicatio argumenti explicetur diligentiùs, intelligendum est, quòd cùm quis operatur ex metu, voluntas vult aliquid quod antea nolebat, & vult illud, nõ propter se, sed propter aliud, & sic cum quadam tristitia acceptat, quia secundum se malum est & formidabile; concupiscentia verò de se non est causa tristitiæ. Vnde siquis tristatur cùm peccat ex concupiscentia, huiusmodi tristitia per se causatur ex syndiresi, & ex verme conscientiæ, non ex ipsa concupiscentia. ¶ Ad quartum argumentum confutandum, duo, quæ in superioribus sunt à me satis demõstrata, sunt consideranda: iam enim satis expositum est, quemadmodum hæc probatio non rectè procedat; diminuit liberum, ergo diminuit voluntarium. Illud etiam est demonstratum, quomodo sententiæ D. Tho. quæ videbantur inter se pugnare, conciliandæ sunt, & in concordiam reducendæ. ¶ Ad confirmationem respõdetur, quòd illa sententia Theologorum, si rectè & studiosè intelligatur, potiùs confirmat nostram sententiam; ille enim qui accedit ad pulchram, statuit veluti pro certo, quòd non accederet ad fœdam: ex quo euidenti argumento concluditur, quòd habet minorem concupiscentiam, siquidem indiget maiori motiuo ex parte obiecti, vt moueatur. Vnde si essent duo homines æquè libidini addicti, & vnus accederet ad pulchriorem, vt magis delectaretur, alter verò ad fœdiorem, vt minus delectaretur, certè primus magis peccaret. Vel dicatur tantùm concludere argumentum, quòd concupiscentia diminuat peccatum, quod à nobis vehementer assertũ est: at ex hoc non est consequens, quòd diminuat voluntarium. ¶ Ad vltimum sic respondeo, quòd nos nihil aliud docuimus, quàm quòd concupiscentia auget voluntarium, si verò aliunde minuatur, nihil contra conclusionem Doctoris. Deinde dicendum, quòd postquam hoc fit ex passione, iam demonstratur quòd plus inclinat passio, quàm retrahat ratio. Et sanè passio ex hoc mouet, quia mouet rationem ad iudicandum quòd hoc est conueniens & pulchrum, vt infrà dicetur. Illud etiam est addendum, quòd licèt motus sensualitatis dicatur violentus, aut inuoluntarius, secundum quod voluntas resistit, vel nõ consentit, prout suprà declaratum fuit; nunquam tamen concupiscentia secundum se ipsam est causa inuoluntarij. Nam vel volũtas amplectitur quod cõcupiscentia querit, & sic

Ad secũdũ.

Ad tertiũ.

Nota.

Ad quartũ.

Ad confir.

Ad vltimũ.

iam

iam fertur in illud libenter, & voluntariè: si verò resistit nolens consentire, iam illud inuoluntarium per se non oritur ex concupiscẽtia sed à timore inferni, vel à recta ratione dictãte quàm graue malum sit peccatum. Ex quo facile est intelligere, quomodo motus sensualitatis primi, sint violenti, prout suprà expositum est; & quomodo concupiscentia per se non sit causa inuoluntarij. Nam motus sensualitatis dicuntur inuoluntarij, & violenti, quia voluntas rectè instituta resistit: at concupiscẽtia secundum se non est violenta, quin potiùs per se allicit & inuitat ad amandum: quò maximè discernitur à metu. Nam illa quæ ex metu acceptat voluntas, non sunt propter se voluntaria, sed potiùs secundum se mala, quæ acceptantur vt vitetur maius malum: sed ea quæ per concupiscentiam acceptat voluntas, sunt propter se voluntaria, quia delectant, & iucunditate afficiunt. Hæc de ista quæstione satis erunt.

Vtrùm habitus & affectus qui sunt in voluntate augeant voluntarium.

¶ Sequitur aliud dubium, Num affectus, & habitus, qui sunt in voluntate, augeant voluntarium? Ratio dubitandi & inquirendi est, quia D. Tho. tantùm videtur sermonem facere de cupiditate, quæ est in appetitu sensitiuo. Respondeo, quòd si S. Tho. diligenter videatur, non tantùm intelligit nomine concupiscẽtiæ cupiditatem appetitus sensitiui, sed omnino omnem voluntatis affectum prosecutiuum, & omnem habitum voluntatis: & sic pro certo habendum est, quòd hęc omnia augent voluntarium. Quod sic demonstro. In primis ex argumentis omnibus, quæ producta sunt ad probandum, quòd cupiditas augeat voluntarium, quæ omnia ad confirmationem huius rei valida inuenientur, si attentè considerentur. Deinde idem ostenditur euidenti experientia: habitus enim, vel affectus voluntatis, inclinant illam maximè ad prosequendum quod concupiscũt, & etiam operãtur per modum naturæ; nam consuetudo versa est in naturam.

Dubium.

¶ Sed percõtabitur Theologus, vtrùm habitus praui, qui sunt in voluntate, diminuãt liberum? nam quòd diminuant, hæc ratio suadet. Habitus enim praui & vitiosi, sæpenumero perturbant rationis iudicium: & certa experientia constat, quòd amor vel odium magis oculos mentis excæcant, quàm appetitus sensitiui affectiones, & cupiditates. Videtur ergo dicendum, quòd diminuant liberum, sicut suprà dictum est de cupiditatibus appetitus sensitiui. In contrarium proponitur euidens ratio. Nam si habitus vitiosi diminuunt liberũ, consequens est quòd diminuant peccatum. Ex quo rursum sequitur, quòd qui peccat ex habitu, & ex malitia, leuiùs peccet, quàm qui peccat sine habitu. Propter hoc iudico esse dicendum, quòd cùm habitus acquirantur voluntariè, tametsi per eos operetur homo postmodum per modum naturæ, at dicendũ non est quòd operetur cum minore libertate, aut minus voluntariè, ex eo quòd operetur per habitus. Concedo tamen quòd habitus praui non diminuunt liberum.

Habitꝰ praui non diminuunt liberum.

Corolariũ.

¶ Ex quo sequitur, quòd is qui iurat falsum ex consuetudine prẽterita, cuius iam verè pœnituit, non aduertens, neq; considerans, nihil peccat: nam hæc iuratio non est illi voluntaria, quæ omni dubio procùl esset voluntaria ei, qui prauam consuetudinem habet iurandi, si in ea perseuerat. Habitus verò studiosi, quanquam minuant libertatem ad malum, non tamen simpliciter & absolutè minuunt libertatem: posse enim peccare, & posse deficere, est imperfectio liberi arbitrij; cæterùm studiosi habitus perficiunt liberum arbitrium, & illustrant rationis iudiciũ, vt possit inuenire, & excogitare quàmplurima media conuenientia ad vitam beatã consequendam, in cuius adeptione nostra libertas potissimè consistit.

ARTIC. OCTAVVS.

¶ Vtrùm ignorantia causet inuoluntarium?

SVMMA TEXTVS.

Prima conclusio.

PRima Conclusio. Ignorantia est triplex, concomitans, consequẽs, antecedens. Ignorantia concomitans est de eo, quod agitur, tamen si sciretur, nihilominus ageretur: & talis ignorantia non inducit ad volendum vt hoc fiat, sed accidit simul esse factum, & ignoratum; sicut putans occidere ceruum, occidit inimicum, quẽ omnino vellet occidere, si sciuisset; non enim facit aliquid repugnans voluntati. Consequens au-

tem ignorantia eſt volũtaria, quã do aliquis vult ignorare, vt excuſa tionem habeat à peccato, alio mo do quãdo poteſt ſcire & debet; ſic enim non agere, & non velle, & non ſcire, voluntaria ſunt indirectè. Antecedens verò ignorantia eſt, quando non eſt volũtaria, ſed eſt cauſa volendi quod aliàs non vellet; ſicut cùm aliquis ignorat aliquam circũſtantiam actus, quã non tenebatur ſcire, & ex hoc aliquid facit, quod non faceret, ſi ſciret: vt cum aliquis diligentia adhibita, neſciens aliquem trãſire per viam, proijcit ſagittam, qua interficit tranſeuntem.

Secunda cõcluſio. ¶ Secunda Concluſio. Ignorantia concomitans non cauſat inuoluntarium, ſed efficit nõ voluntariũ: nihil enim eſt volitum, niſi prius cognitum.

Tertia. ¶ Tertia Concluſio. Ignorãtia cõ ſequẽs non cauſat inuoluntariũ, ſed efficit ſecundũ quid inuolũtarium. Nam cum ignorantia ſit volũtaria, id quod ex ignorãtia ſequitur, voluntariũ dicitur, & ad peccatum imputatur: efficit tamen talis ignorantia inuoluntarium ſecundum quid, in quantum præcedit actum voluntatis ad aliquid agendum, qui actus non eſſet, ſcientia præſente.

Quarta. ¶ Quarta Concluſio. Ignorantia antecedẽs cauſat inuoluntarium ſimpliciter. Nã cùm ignorãtia ſit inuoluntaria ſimpliciter, id quod ex ea ignorantia ſequitur, inuolũtarium eſt omnino. Ex his ſequitur, quòd inuoluntarium ſimpliciter contingit duobus modis tantùm, & id quod fit per violẽtiam, & id quod fit per ignorantiam antecedentem.

EXPLICATIO ARTICVLI.

ALmaynus in ſuis moralibus c. 4. conatur oſtẽdere, quòd ignorãtia cõcomitãs excuſet ab omni peccato, & per conſequens, quòd cauſet omnino inuoluntariũ. ¶ Nam quicunq; adhibita diligẽtia interficit inimicũ, putãs eſſe belluã, non peccat peccatum homicidij, neque aliud peccatũ. quod ſic oſtendit. Quia ſi tunc interficeret amicum, non peccaret. ergo neq; interficiens inimicum. Patet conſequẽtia: quia omnia alia ſunt paria, præterquam quòd ſit amicus, vel inimicus: hoc autem ipſe non poteſt ſcire. ¶ Et certè fortius argumentũ eſſet, quia ſequeretur, quòd poſtquam emiſit ſagittam, ſi inimicus declinaſſet ictũ, quòd tunc nõ peccaret, quod eſſet abſurdum, excuſare videlicet iſtũ à peccato, per hoc tantùm, quòd alius declinauit ictum. ¶ Item ſequitur, quòd etiãſi eſſet vera cerua, & poſt emiſsionem ſagittæ tranſiret inimicus, & interficeretur, quòd peccaret. Quòd rectè ſequatur, patet: quia nõ poteſt excuſari, niſi ignorantia. ergo ſi ignorantia illa concomitans non excuſat, tenetur in crimine. ¶ Item ſequitur, quòd ſi emiſiſſet ſagittam vbi nullus hominum ſolet errare, & casu inimicus tranſiret, quòd peccaret, & de crimine teneretur. His, & alijs argumentis inſurgit prædictus autor, & imponit D. Tho. quòd dicat, quòd in exemplo poſito de interficiẽte inimicum, credente ſe interficere ferã, quòd peccat mortaliter. ¶ Sed nos dicimus, quòd ipſe non intellexit D. Thomã, & quòd omnia argumenta huius hominis ſunt otioſa. Nam D. Tho. hoc in loco non docet, quòd ignorãtia concomitans accuſet, vel excuſet, ſed tantùm docet, quòd non efficit inuoluntarium. quod expreſſè docuerat Ariſt. 3. eth. c. 1. Nam quãdo quis ex ignorãtia aliquid facit, ſi adueniẽte ſciẽtia pœnitet facti, argumentũ euidẽs eſt quòd fecit inuolũtarius, & quòd ignorãtia fuit cauſa volẽdi id, quod alioqui non vellet: verũ ſi adueniẽte ſcientia non pœnitet facti, ſed afficitur iucũditate, euidens eſt quòd nõ fecit inuitus, neq; inuoluntarius; nihil enim fecit contra ſuã voluntatẽ, & inclinationẽ. Item euidens eſt, quòd talis ignorantia nõ fuit cauſa volendi: nam etiamſi non adeſſet ignorantia, id ipſum vellet, & cuperet. Cæterùm concedendũ eſt, quòd qui operatur ex tali ignorantia,

Almayn. Impugnatur ſecũda concluſio.

Prim. arg.

Secundum.

Tertium.

Quartum.

Solutio dubij.

Sententia D. Tho.

Ariſto.

rantia, operatur non volũtarius; nam nihil est volitũ, quin prius sit cognitum. ¶ Vnde sciat Theologus, istã argumentationem non rectè procedere; iste actus est ex genere suo malus, & non est inuoluntarius. ergo est peccatũ: quia sufficit ad hoc quòd nõ sit peccatum, quòd sit non volũtarius: nõ enim potest esse peccatũ, nisi sit voluntariũ, quia omne peccatũ est voluntariũ. Et licèt S. Th. dicat infrà. q. 76. art. 3. quòd ignorãtia concomitans nõ excusat, non ideo sequitur quòd accusat. ¶ Sed ex hoc emergit quædã dubitatio grauis; An siquis statuit apud sese interficere inimicum vbicunq; inuenerit, postmodũ verò in nemore, adhibita omni diligentia, putans se occidere ferã, interficit inimicum, quæstio est, an teneatur de crimine homicidij? ¶ A parte affirmatiua sic arguitur. Nam (vt est sententia bonorũ Theologorũ) vt opus sit bonũ, satis est quod referatur in bonũ finẽ, & honestum per volitionẽ in cõmuni, qua quis se, & omnia sua refert in bonum finẽ. Vnde comedere, atque dormire sunt actus studiosi in homine, qui primitus se, & omnia sua in Deum retulit. Sed qui statuit apud sese interficere inimicũ vbicunq; eum inuenerit, videtur certè quòd acceptauerit, & approbauerit illa volitione vniuersali omnẽ actũ, quo contingat interficere inimicum. Ergo illa interfectio inimici, & volũtaria erit, & imputabitur ad peccatũ. ¶ Deinde hoc ipsum confirmatur. Nam postquã cognoscit se inimicũ interfeciſſe, non solùm cõplacet in opere, verumetiã dicit accidisse iuxta desideriũ suum, & suã volũtatẽ impleuisse, & voti compotẽ euasisse; quæ omnia comprobant, illã interfectionẽ volũtariam fuisse. Sed certè argumenta hęc non conuincũt. ¶ Vt verò veritas elucidetur, & argumenta proposita depellãtur, sciendum est, & habendũ pro certo, quòd homo ille non peccat nouũ peccatũ quando interficit inimicũ: de nouo enim non vult interficere inimicũ: neq; de hac re cùm emisit sagittã cogitauit, neq; vllã habuit volitionem, sed tãtùm voluit occidere ferã. Illud etiã habendum est pro certo, quòd voluntas illa praua, quæ præcesſit, qua statuit interficere inimicũ vbicunq; eum inuenerit, non infecit, nec maculauit hanc emissionẽ sagittę, qua putans se occidere feram, occidit inimicũ: nã illa interfectio (vt satis probatum existimo) nec fuit volũtaria directè, neq; indirectè. Nec minùs certum est, quòd complacentia, quæ secuta est postquã cognouit esse inimicũ, est peccatũ homicidij; nam iam vult, & approbat homicidium. Quanquam non est leuis cõcertatio inter Theologos, num liceat cõplacere, & delectari de actibus, & euentibus, qui sunt excusati ex ignorãtia inculpabili, prout infrà videbimus. ¶ Addo his aliud æqualiter certũ & exploratum, quòd quanquam hæc complacentia, mala sit & improba, non tamẽ inde est consequens, quòd interfectio inimici in euẽtu commemorato, sit mala & improba; imo potest contingere, quòd actus, vnde subsecuta fuit, sit studiosus & meritorius: vt si ille homo ex patris aut Principis obediẽtia, venationi vacaret; itaq; neque in emissione sagittæ, neq; interfectione inimici peccauit, sed potiùs meruit. Ratio huius est: nam interfectio inimici non fuit voluntaria, vnde non imputatur ad peccatum; emissio verò sagittæ volũtaria fuit, sed omni parte studiosa & recta, neque enim habet vnde vitium cõtrahat. ¶ Ad argumenta sic respondẽdum est. Nam ad primum dicendum, argumentationem nõ rectè procedere, nec esse eandem rationem: nam quamuis vt opus sit bonũ, satis est relatio præcedentis voluntatis in communi; sed vt opus sit malum, non sat fuerit illa voluntas præcedens, alioqui omnia opera infidelium essent peccata, quia generali quadam voluntate, se, & omnia sua retulerunt in idolum, quod pro Deo colũt. Ratio huius differẽtię est, quia bonum opus de sua natura est referibile in finem honestum; vnde nisi per actualem volitionem, aut saltem distinctam, non referatur in malum finem, non efficitur opus malum: quemadmodum vt graue descendat deorsum, communis influentia causarum vniuersalium satis erit, quia ipse lapis de sua natura ad talem motum est propensus; verùm vt moueatur sursum, necessaria est alia causa particularis, quæ impellat lapidem in locum superum. Non aliter accidit in nostro proposito; nam opus, quod de sua natura est studiosum & rectum, vt prauũ efficiatur, nõ sufficit volũtas illa vniuersalis, sed requiritur distincta, & particularis. Vel dicat Theologus, si prædicta solutione non est contẽtus, quòd opus, quod virtualiter potest referri in aliquẽ finem per illam volitionem in communi, oportet vt sit opus, quod possit actu referri in talem finem; vel quòd sit opus de se aptum, vt in illum finem referatur. At verò in exemplo posito, de eo qui interficit inimicum, credens esse feram, opus illud cùm sit ignoratum, nõ potest referri in talem finem, & ideo non est virtualiter destinatum in talem finẽ. Sed desino in re tam euidenti ampliùs immorari. ¶ Ex tam lõga disputatione intelligat Theologus, quòd ignorantia concomitans non causat inuoluntarium, sed neq; voluntarium; propter quod

D. Tho.

Dubiũ de ignorantia concomitãte.

Prim. arg.

Confir.

Explicatio dubij.

Argumẽtorũ solutio. Ad primũ.

Ignorantia cõcomitãs non causat volũtariũ, neq; inuoluntarium.

opus factum ex tali ignorantia, peccatum nō est; quanquam contrarium videtur docere Adrianus quodlib. 4. Marsil. in. 2. q. 15. ar. 2. & Gabriel. in. d. 22. q. 2. ¶ Sequitur vt dicamus de ignorantia consequente. Mouet aliud dubium Almaynus; nam dicit, quòd ignorantia consequens, non debet dici consequens, sed antecedens; antecedit enim peccatum, & actū peccati, & est causa illius: vt quando ego frango ieiunium ex ignorantia, quod si sciré, non facerem. Sed respōdetur huic Doctori, quòd licèt ignorantia antecedat actum peccati, & sic causa illius, meritò appellatur consequēs: est enim voluntaria, vel directè, vel indirectè: itaq; consequitur actum voluntatis. ¶ Ex hoc sequitur, quàm inscitè distinguāt aliqui Theologi (inter quos est Almaynus) duplicē ignorantiam antecedentem, quòd quædam sit vincibilis, quædam inuincibilis: nam omnis ignorantia vincibilis, est consequens, siquidē quodammodo est voluntaria. Sed non erit ab re hîc commemorare nonnullas diuisiones ignorantiæ, quæ in ore omnium versantur, ne decipiatur Theologus ex nominum varia significatione. ¶ Ignorantia in primis alia est positiua, quæ habet errorem positiuum; alia est priuatiua, cùm quis non scit quæ scire tenetur. ¶ Rursus, ignorantia alia est inuincibilis, alia vincibilis. Inuincibilis est, quam quis adhibēdo omnem diligentiam, quam tenetur adhibere ad sciendum, non potest vincere: sicut animaduertere licèt in exemplo Iacob quando fuit ei suppositā Lia pro Rachele: potuisset quidem Iacob illàm lucerna adhibita cognoscere non esse suam, sed quia non consueuit fieri, dicitur non potuisse, vel saltem non debuisse cognoscere, & ideò illius ignorantia fuit inuincibilis. Vincibilis ignorātia est, quā adhibendo talem diligentiam possumus vincere. ¶ Alia distinctio ignorātiæ est, quòd alia sit voluntaria, alia inuolūtaria, quæ nullo modo est volita. Itaque voluntaria est duplex, vno modo directè & formaliter, de qua Iob 21 Qui dixerūt Deo, recede à nobis, sciētiam viarū tuarū nolumus. & Psal. 35. Noluit intelligere vt benè ageret. & hæc dicitur ignorantia affectata. Alia est indirectè voluntaria, quādo quis ignorat ea quæ scire potest, & debet, prout superiùs est explicatū. ¶ Alia distinctio ignorātiæ, quædā est antecedēs, quædā est cōsequēs, alia concomitās. Antecedens, est causa volēdi quod aliàs nō vellet, & nō est volūtaria vt patet in Iacob. Consequens, quæ est causa quidē volendi, sed est voluntaria: & dicitur consequēs, quia sequitur actū, vel negligētiā voluntatis. De concomitāte iam superiùs satis dictum existimo. ¶ Sed hic aduertendū, quòd quando dicit D. Tho. in articulo, quòd ignorantia cōsequens causat inuoluntariū secūdū quid, non est intelligendum in vniuersum: nā ignorantia affectata, est ignorātia consequēs: at nullo modo causat inuoluntarium. Verificatur ergo assertum D. Tho. de ignorātia voluntaria, ex negligentia culpabili, & vincibili: quanquā qui diceret intelligi debere D. Tho. de omni ignorātia, etiā affectata, nō improbabiliter loqueretur; nā etiā ignorātia affectata causat hoc modo inuolūtariū, quoniam tollit scientiā, quæ si adesset, non sequeretur opus. ¶ Alia est distinctio ignorantiæ, quòd alia iuris est, alia facti; quam vocat Arist. 3. eth. ignorantiā vniuersalis, & ignorantiam singulariū. Ignorantia iuris, est ignorantia legis ad quam tenemur. Ignorantia facti est, quando cū scié tia iuris ignoratur circunstantia aliqua, ratione cuius ignoratur quod tale obiectū sit prohibitum, vt patet in Iacob, qui non ignorabat legem, vtrùmne accedendum esset ad nō suā, sed ignorabat circunstantiam, anne Lia esset sua. Sed satis & plusquam satis de ignorantiæ varijs distinctionibus. ¶ Sed certè videtur quod nulla ignorātia causet inuoluntarium; tum, quoniam ignorantia non tollit liberū. ergo non tollit volūtarium. Quod non tollat liberū, patet: quia qui operatur ex ignorantia, liberè operatur: tū deinde, quoniā congressus Iacob cum Lia, fuit meritorius: ergo fuit voluntarius: tum verò, nā qui operatur aliquod opus ex ignorantia, nō facit illud contra suā voluntatē. ergo non est inuoluntarius. ¶ Sed hæc argumenta non habent difficilem solutionē; nam prædicta opera cōparata ad vnum, sunt volūtaria; comparata ad alterum, sunt inuoluntaria. Iacob voluntariè accessit ad mulierem, inuoluntariè ad Liam: volūtariè emittimus sagittā, sed inuoluntariè occidimus. & sic eadem opera sunt contra voluntatem, & secundum voluntatem. Itaque ignorantia respectu illius rei quæ ignoratur, causat inuoluntarium. ¶ Circa vltimam conclusionem articuli rectè admonet Caietanus, quòd siquis sit vir doctus, & adhibeat bonam & sanam diligētiam ad sciēdum, quæ tenetur scire secundū suum statum, & habet firmum propositum non peccandi mortaliter, si fortè fortuna ex obliuione quam poterat vincere, cōmisit aliquid, quod videtur esse peccatū mortale; vt communicare cum excommunicato, aut consulere cōtractum vsurarium, non est timendum de peccato mortali: hæc enim ignorantia referēda est ad ignorantiam antecedentem, & inuoluntariam:

Adria. Marsil. Gabri.

Dubitatio de ignorātia consequente.

Diuisiones ignorātiæ.

Iob. 21.

Psal. 35.

Quomodo ignorantia consequēs causet inuoluntariū.

Arist.

Dubium.

Solutio.

Optimum documētū addiscernendum de peccatis ex ignorātia.

riam: non est enim in potestate nostra meminisse semper, vel habere ad manum vsum scientiæ. Cæterùm si quis est negligens, & non adhibet diligentiam ad sciendum ea, quæ tenetur scire iuxta statum suum, quãdo ex obliuione, quam poterat vincere, aliquid commisit contra legem, censendum est quòd peccauit mortaliter. De eiusmodi enim dicitur illud Apocal. c. 3. Vtinam calidus esses, aut frigidus: sed quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo. Indubitata est, certaq; hæc sententia Domini Caietani, sed tota difficultas est, quo modo hoc cognoscatur post factũ? veluti in exẽplo posito, postquam Doctor aliquis consuluit contractum vsurarium ex inaduertẽtia, quomodo cognoscet, vtrùm potuit aduertere, & ex negligentia sua non aduertit? Certè nõ alio modo, nisi ex hoc, vtrùm ipse habeat voluntatem non peccandi mortaliter, & examinando res, circa quas operatur, & adhibendo diligentiam, quam communiter adhibendo non solet errare: nam si hęc ita se habent, omnino est tollendus scrupulus, & conscientia sedanda. Tantum de ista quæstione.

Apocal. 3.

QVAESTIO VII.

De circunstantijs humanorum actuum, articulos habet quatuor.

DE hac re disputat Aristo. 3. Eth. & Doctores Theologi in. 4. d. 16. ex his locis petenda sunt, quæ ad hanc disputationem pertinere videbuntur.

ARTIC. PRIMVS.

¶ Vtrùm circunstantia sit accidens humanorum actuum?

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. CONclusio est affirmans. Circunstantiæ enim dicuntur omnes conditiones, quæ sunt extra substantiam actus, & tamen attingunt actũ humanum aliquo modo. Et deriuatũ est nomen istud ad actus humanos, ab his quæ in loco sunt; nam in his quæ loco cõtinẽtur, dicitur aliquid circunstare, quod extrinsecum est à re, tamẽ attingit ipsam, vel ei appropinquat ad locum.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Argumẽta contra conclusionem D. Tho.

VIdebitur fortasis alicui quòd conclusio huius articuli falsa sit. Nam quædã circũstãtiæ dãt speciẽ essentialẽ, & substãtialẽ actui humano. ergo circũstantia nõ est accidẽs actui humano. Consequẽtia inde probatur. Nã accidens nõ cõfert essentiã, & substantiã. Probatur antecedẽs. Nam furari in loco sacro, in specie sacrilegij est ex circũstãtia loci. Itẽ accedere ad mulierẽ maritatã, est adulteriũ ex circũstantia personæ; atq; adeò dare eleemosynã ob vanã gloriã, constituitur in genere mali ex circunstantia finis. ¶ Pro explicatione huius notãdũ est, quòd circũstantia (vt nomẽ ipsum sonat) est accidẽs adiacẽs operationi, quod eius qualitatẽ variat, quã Latini appellant appẽdicem. ¶ Secundò notandũ est, quòd de circũstãtijs est gemina cõsideratio; Vna est de numero, & quidditate circunstantiarũ: cuius expositio pertinet ad hũc locũ: Alia est de confessione circũstantiarũ, de qua disputant Theologi in 4. d. 16. ¶ Tertiò notãdũ est, quòd sunt quędã circũstãtiæ quæ nõ variãt qualitatẽ operis, vt occidere hominẽ ante prandiũ, vel post prandiũ; & istæ sunt circunstãtiæ actus humani in genere naturæ, & non in genere moris. Aliæ sunt circũstantiæ quę variãt qualitatẽ operis, mutãdo vel genus, vel speciẽ, vt locus sacer, respectu furti, aut homicidij. Quædã sunt circũstantiæ quæ variãt qualitatẽ operis vel augendo, vel minuẽdo intra eandẽ speciẽ, vt furari rem pretiosam, & rẽ vilẽ. ¶ Quãdo D. Th. hoc in loco docet, quòd circũstantia est accidẽs actus humani, loquitur de circũstãtia quę variat qualitatem operis intra eandẽ speciẽ: nã circunstantiæ quæ mutãt species morales, iam trãseunt in rationem obiecti, à quo actus humani suscipiũt speciem. Hæc est expositio Caietani infrà q. 18. art. 10. Secunda expositio huius dubij est, quòd actus humanus aliquando habet geminã speciẽ; vnã primariã, substãtialẽ, & inuariabilẽ; alterã secundariã, accidentariã, & variabilẽ. Prima sumitur ab obiecto immediato, secunda ab obiecto secundario. v. g. quando quis occidit hominem ad illum deprædandũ, ille actus substantialiter est homicidiũ; quoniã obiectum proximũ est, priuare hominẽ vita; cæterùm accidentariè est furtum; nam accidit homicidio, quòd ordinetur

Secundum

Quid sit circunstantia.

Diuisio circunstantiarum.

Sensus D. Thom.

Caieta.

Autoriſſentia. ad deprędandum. Itaq; ad dubiũ propoſitum dicendũ eſt, quòd licèt circunſtantia cõferat ſpeciem, quoniam ſemper confert ſpeciẽ accidentariũ, ideò inter accidentia actus humani

Obiectio. numeranda eſt. ¶Sed dicet aliquis; Res naturales nunquã accipiũt ſpeciẽ à forma accidẽta-

Solutio. ria; ergo nec moralis. ¶Reſpondetur primò, quòd res naturales etiã accipiunt ſpecies accidẽtarias à formis accidẽtarijs; quędã ſubſtãtia eſt alba, quædã verò nigra. Secundò reſpõdetur, differre inter entia naturalia, & entia moralia; nã entia naturalia habent ſuas ſpecies à formis ſubſtãtialibus, quę variari nõ poſſunt, ipſis rebus manẽtibus, cęterùm actus morales habẽt ſuas ſpecies ex intẽtione operãtis, quæ in infinitũ variari poſſunt; ſicut res artificioſæ ex intẽtione artificis variãtur; lignũ aliquãdo habet formam cathedræ, aliquando lectuli. ¶Hæc ſolutio nõ placet quibuſdam viris doctis, & ideo adhibẽt aliã, quę fortaſsis alijs etiã non probabitur. Dicunt itaq;, quòd nulla circunſtantia, vt circunſtantia eſt, tribuit ſpeciẽ actui, reſpectu cuius eſt circũſtantia; ſed fieri poteſt, vt quod cõparatũ ad vnũ, eſt circũſtantia, comparatũ ad aliud, circũſtantia nõ ſit. Sit exemplũ; occidit quis hominẽ ad deprædandum, tunc deprædatio, & acceptio rei alienæ, eſt circunſtantia, reſpectu occiſionis; verùm reſpectu volũtatis furandi, nõ eſt circũſtãtia, ſed potiùs obiectũ quod præcipuè prætenditur. Sit aliud exẽplum; furatur quis in loco ſacro, tunc circũſtantia loci ſacri, eſt circũſtãtia cõparata ad furtũ in cõmuni; at comparata reſpectu huius furti, eſt velut obiectũ dans nouã ſpeciẽ. Itaq; circunſtantia loci ſacri, nõ dicitur circunſtãtia reſpectu volũtatis, qua quis vult furari in loco ſacro; nam reſpectu huius habet ſe veluti obiectum conferens ſpeciem. Sic viſum eſt his autoribus ſatisfacere abundanter propoſito argumento, contra quos non ſtatui in prẽſentia pugnam mouere, neq; meam ſententiã pugnaciſsimè defendere; nã in quæſtione. 18. de hacre fortiter dimicabimus: nunc verò ad autorem reuertamur.

ARTIC. SECVNDVS.

¶Vtrùm circunſtantiæ ſint conſideran dæ à Theologo?

SVMMA TEXTVS.

Concluſio. Concluſio eſt affirmans. Circunſtantiæ enim pertinent ad conſiderationem Theologi: primò quidẽ, quia Theologus cõſiderat actus humanos, ſecundũ quod per eos homo ad beatitudinem ordinatur: ſed quod ordinatur ad finẽ, debet eſſe proportionatum fini, ſecundum commẽſurationẽ quandã: hoc autem fit in actibus humanis, ſi habeãt debitas circũſtãtias. Secũdò, quia Theologus conſiderat actus humanos ſecundum quod in eis inuenitur bonum vel malum, melius & peius, quod variatur ſecũdũ circunſtantias. Tertiò, quia Theologus conſiderat actus humanos, vt ſunt meritorij, vel demeritorij, quod conuenit actibus humanis, ad quod requiritur quòd ſint actus voluntarij: actus autẽ humani iudicantur voluntarij, vel inuoluntarij, ſecundũ cognitionẽ, vel ignorantiam circunſtantiarum.

EXPLICATIO ARTICVLI.

DE hoc articulo legite Conciliũ Tridentinum Seſſ. 14. c. 5. vbi docet ad Doctorem Chriſtianum pertinere circunſtantias humanorum actuũ habere perſpectas & cognitas, maximè eas, quæ mutant ſpeciem. De eadem re diſputat fuſiſsimè D. Baſilius ſermone. 2. de bapt. ca. 8. & demonſtrat ex ſcripturis diuinis, quomodo opus humanũ, niſi ſit prædituũ omnibus circũſtantijs, Deo placere non poteſt; legite autorem. ¶Sed & illud non eſt prętereundũ, ſacrũ concilium ob id quod commemorauit circunſtantias quæ mutant ſpeciem, non propterea voluiſſe, quòd circunſtantiæ quæ non mutant ſpeciem, non ſint viro Theologo conſideran dæ: nam concilium commemorauit eas, quæ præcipuè ſunt de conſideratione Theologica; de alijs verò, propterea quia non commemorauit, non eſt argumentum euidens, neq; apparens quòd excluſerit eas à conſideratione theologica. Nam argumentum negãs, neq; in diuinis ſcripturis, neque in definitionibus conciliorum validum eſſe, certò ſcimus. Illud tamen pro certo habendum eſt, quòd illæ tantummodo circunſtantiæ veniunt in cõſideratio-

Concil. Trid.

Baſil.

Nota.

Quæ circũſtantiæ pertineant ad Theologi cõſideratio-

nem

tionem Theologorum, quæ pertinent ad bonitatem, vel malitiam operis, laudem vel vitu perium, præmium vel supplicium. v. g. quòd quis post prandium occidat inimicum, prorsus est circunstantia impertinens: quòd verò quis post prandium celebret missam, circũstãtia ad genus moris pertinens est; nam efficit vt opus malum sit, & peccatum. Itaq; circunstantia actuum humanorum considerãda est & expendenda ex regula & norma actuũ humanorũ, quæ est recta & prudens ratio. Si in ordine ad istam regulam circunstantia fuerit conueniens, aut disconueniens, tunc erit de Theologica consideratione; sin minus, aliena erit, & omnino abhorrens: nam circunstãtiæ, quæ sunt impertinẽtes respectu boni vel mali, in infinitum possunt variari, & ideo sub certis regulis comprehendi nequeunt.

ARTIC. TERTIVS.

¶ Vtrùm circunstantiæ conuenienter enumerẽtur ab Arist. 3. Ethicorum?

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Concluſio est affirmãs. Nã Cicero in sua Rhetorica septem circunstãtias enumerat, quæ hoc versu continentur;

Quis, quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, qñ.

Considerandum namq; est in actibus humanis, quis fecit, quibus auxilijs vel instrumentis fecit, quid fecerit, vbi fecerit, cur fecerit, quomodo fecerit, & quando fecerit. Sed Arist. 3. ethic. addidit aliã, circa quod, quæ à Tullio comprehenditur sub circunstãtia, quid. Quòd verò hæc numeratio sit sufficiẽs, sic ostenditur. Nam circunstantia dicitur quasi extra substantiam actus existens, ita tamen quòd aliquo modo attingit ipsum. Attingit autẽ tribus modis; vno modo, in quãtũ attingit ipsum actũ; alio modo, in quantũ attingit causam actus; tertio modo, in quãtũ attingit effectum. Ipsum actũ attingit, vel per modum mensuræ, vt tẽpus & locus; vel per modum qualitatis actus, sicut modus agendi. Ex parte autem effectus, vt cùm consideratur quid aliquis fecerit. Ex parte verò causæ actus, quantum ad causam finalem, vt cum consideratur, propter quid fecerit. Ex parte causæ materialis, siue ex parte obiecti consideratur circa quid fecerit. Ex parte verò causæ agentis principalis accipitur quis fecerit. Ex parte verò causæ instrumẽtalis consideratur quibus auxilijs.

Ariſto.

EXPLICATIO ARTICVLI.

PRO explicatione notandum est, quòd tractare de his circunstãtijs sigillatim, pertinet ad diuersos locos Theologiæ, nunc pauca exponenda sunt. ¶ Circa circunstantiam, Quis, notandum est, quòd non est agens principale quod necessariò requiritur ad operationem, sed est conditio, & appendix addita operanti; vt quòd sit monachus, vel sacerdos, vel Episcopus. De hac circunstantia manet grauissima quæstio in. 4. sent. an virgo, vel monacha, quæ consentit in virum per actum internũ, teneatur explicare in confessione se esse virginem, vel corruptam? ¶ Circa circunstantiam, Quid, notandum est, quòd non est obiectum principale, à quo actus sumit speciem, sed est conditio obiecti. v. g. furari alienum, alienum illud non est circunstãtia quid; nam est obiectum quod confert speciem actui; cæterùm furari magnam quantitatem, vel paruam, circunstantia est; quoniam obiecto furti accidẽtarium est quòd sit magnum, vel paruũ. Sunt qui dicant, quòd circunstantia, Quid, est cùm consideratur aliquis effectus actus humani, qui non est intentus per illum actum; vt cùm quis putans se occidere feram, occidit hominem, tunc occisio hominis est circunstantia, Quid, comparata ad occisionem feræ existimatam: quo exẽplo vtitur D. Tho. q. 6. art. 8. ¶ Simili ratione est iudicandum de circũstantia, circa quid. Cùm enim Iacob accessit ad Liam, putans esse Rachelem, ignorabat circunstantiam, circa quid. Sed non solùm ex ignoratione, sed ex scientia potest cõsiderari

Circunſtantia, Quis, quæ ſit.

Quid ſit circunſtantia Quid.

D. Tho.

circunstantia, quid: nam cùm quis volens occidere laicum, & parat sagittam ad illum occidendum, si videt clericum iuxtà stantem, qui simul interficiendus est, nihilominus emittit sagittam, & occidit simul clericum, absq; dubio in tali euentu, occisio clerici est circunstãtia, quid, comparata ad occisionem inimici, quæ ex principali destinato prætendebatur. atqui hæc sententia non displicet omninò.

Circunstantia finis. ¶Circunstantia finis, nõ est finis actui intrinsecus, sed extrinsecus & accidentarius; vt cùm quis dat eleemosynam ob vanam gloriam.

Circunstantia loci. ¶De circunstantia loci notandum est, quòd licèt semper augeat peccatum per accidens, non tamen mutat speciem peccati, nisi constituat peccata, quæ directè sanctitati loci aduersentur, vel immunitati; vt quando effundi tur semẽ, aut verò sanguis humanus in Ecclesia: hæc enim peccata impediunt cultum exhibendum in Ecclesia, ad quem Ecclesia est dicata & consecrata: & similiter siquis extrahat hominem ab Ecclesia contra immunitatem Ecclesiæ, sacrilegium est.

Circunstantia tẽporis. ¶De circũstantia temporis videtur asserere D. Tho. solutione ad. 1. quòd semper augeat peccatum, sicut circunstantia loci, de quo est magna controuersia in varijs locis Theologiæ contra Scotum. Nam videtur ex hoc inferri, esse maius peccatum occidere in die festo, quàm in die profesto: cuius oppositum affirmant omnes discipuli D. Thomæ. Mihi videtur dicẽdum, quòd circunstantia temporis aliquando augeat peccatum, sic adeò, quòd illam circunstãtiam exponere, sit de necessitate cõfessionis; sicut cùm quis in die parasceues offendit Deũ grauissimè, aut verò in die sacro communionis habet rem cum muliere non sua; quoniam hæc peccata in hoc tẽpore commissa, & grauiorem habent impudentiam, & ingratitudinem: in cæteris diebus festis communibus, non censeo esse de necessitate confessionis explicare in confessione circunstantiam diei festi. Sed de hoc suo in loco. De alijs circunstantijs non est verbum addẽdum, quoniam de se patent. Videte D. Basilium sermone. 2. de baptismo. c. 8. vbi ex sanctis scripturis colligit istum numerum circũstantiarum, quem posuit Aristoteles.

Basil.

ARTIC. QVARTVS.

¶ Vtrùm sint principales circunstantiæ, propter quid, & ea in quibus est operatio?

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Conclusio sic habet. Principalissima est illa, quæ attingit actum ex parte finis, scilicet cuius gratia aliquid fit: nam actus dicuntur humani, prout sunt voluntarij; obiectum autem voluntatis, est finis. Secundaria verò est, quæ attingit ipsam substantiam actus, id est, quid fecit. Aliæ verò sunt magis, vel minùs principales, secundum quod vel magis, vel minùs appropinquant ad istas.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CErtè quod hic docet D. Tho. facillimum est, neque explicatione indiget: tantùm duo animaduertere operæpretium est. Vnum est, quòd cùm quærit D. Thom. de circunstantia, quæ considerat ea in quibus est operatio, nõ quærit de circunstantia loci, aut temporis, sed quærit de circunstantia, quid. Vnde Gregorius Nissenus libro quinto, capitulo secundo, quasi exponens dictum Aristotelis, qui constituit præcipuam hanc circunstantiam, loco eius posuit circunstantiam, quid. Itaque in actibus humanis principalissimè considerandum est, cur fecerit opus, qui operatur. Deinde verò ea, in quibus est operatio, id est, quid fecerit, vel quænam fecerit.

Greg. Niss.

¶ In solutione secũdi animaduertat Theologus illud quod asserit D. Thom. quòd finis, licèt non sit de substantia actus, est tamen causa actus principalissima, in quantum mouet agentem ad agendum, vnde maximè actus moralis speciem habet ex fine. In qua sententia apertissimè habetur, quòd finis, qui tribuit speciem actui humano, aliquando est circunstantia, contra quosdam discipulos D. Thom. qui pugnacissimè defendunt, quòd quando finis tribuit actui humano speciem, circunstantia non est; contra quos in sequentibus dimicabimus.

Notandus locus D. Tho.

QVÆ-

QVAESTIO VIII.

De voluntate, quorum sit vt volitorum, in tres articulos diuisa.

Quæstio grauis pro introductione Quæstionis.

Ordo doctrinæ admirandus.

ADmirabilis hic planè ordo, & artificij plenus. Nã postquã D Tho. egit in præcedẽtibus, de actibus voluntarijs in genere, & in vniuersali, nũc aggreditur ad disputãdũ de actibus volũtatis in particulari, & speciatim. Cuius disputationis initiũ inde sumitur, quòd volũtas mouetur in finẽ, & in ea quæ sunt ad finem. quod principiũ accipitur pro certo, & per se noto; & sic ordo & methodus disputationis exigit, vt primùm cõsideremus de actibus volũtatis, quibus mouetur in finẽ; deinde de actibus volũtatis, quibus mouetur in ea quæ sunt ad finẽ. Actus autẽ voluntatis in finẽ videntur esse tres; velle, intẽdere, & frui. Actus verò circa media, varij sunt & multiplices; vt cõsilium, deliberatio, electio. Primùm ergo considerandũ de actibus volũtatis circa finẽ. Hæc pro introductione adducta sunt à D. Tho. ¶ Cæterùm in hac introductione vnũ est quod de se magnã mouet quæstionem. Dicit enim diuinus Doctor, quòd volũtas mouetur in finẽ, & in ea quæ sunt ad finẽ; anne detur actus neuter, qui nec sit finis, neq; eorũ quæ sunt ad finẽ? Scotus in 1. d. 1. q. 3. & alij doctores non despicabiles opinantur dari actũ neutrũ volũtatis. Et cõfirmatur hæc opinio bonis argumẽtis. ¶ Principiò, intellectus potest proponere volũtati bonũ, nõ propter se, neq; propter aliud: põt enim proponere volũtati, diuitias esse bonas absolutè, & volũtas põt ferri in hoc bonũ. ergo volũtas põt ferri in bonũ, nõ propter se, nec propter aliud. ¶ Deinde, intellectus põt apprehẽdere bonũ, abstrahẽdo à fine, & medijs, sicuti apprehẽdit animal abstrahẽdo ab homine, & equo; bonũ enim est quid superius ad finẽ, & media. ergo põt hoc bonũ propositũ voluntati mouere illã ad operãdum, & volũtas poterit illud prosequi. ¶ Præterea, si Deus statuisset nullã producere creaturã, tunc amaret bonitatẽ suã, nõ tãquã finẽ, neq; tanq; mediũ. ergo põt dari actus neuter volũtatis. Probatur Antecedens. Nam tũc nõ amaret bonitatẽ suã tanquã mediũ, vt cõstat, neq; tanquã finẽ: nam de ratione eius quòd amatur, vt finis est, vt ametur propter se, & alia amentur propter ipsum: est enim illud, cuius gratia aliquid fit: sed tũc Deus nõ amaret creaturas propter se, ergo nõ amaret se tanq; finẽ. ¶ Hoc idẽ cõfirmatur. Nam Deus ad intra amat bonitatẽ suam necessariò. Volo dicere, quòd Deus amat seipsum, & diuinas personas necessariò, quamuis ad extra nihil necessariò amet. Ex quo sic deducitur argumẽtũ. Nã tũc nõ amat necessariò bonitatẽ suã tanquã finẽ; nã in personis diuinis, nulla respectu alterius est finis, alioqui vna esset perfectior altera, & ad vnã cæteræ ordinarẽtur veluti ad finẽ: neq; verò amat vt mediũ, vt liquidò constat. ergo datur actus neuter. ¶ Vltimò sic, aliqñ amamus scientias, non tanquã finẽ; quoniam nõ amamus cætera propter ipsas: neq;

Vtrùm detur actꝰ volũtatis neuter.

Scot.

Prim. argu.

Secundum.

Tertium.

Confir.

Vltimum.

neq; tanquã media; quoniam amamus illas propter seipsas. ergo neutro modo amamus. His argumentis occurrit hîc Dominus Caietanus, & ostẽdit euidenter, oppositum esse verum; priùs tamẽ statuit, quòd amare propter se, vel propter aliud, contingit bifariã: vno modo, formaliter, & actualiter, & quod dicit Caietanus in actu signato, id est, quòd in opere formaliter explicetur illud propter se, vel propter aliud. Et in hoc sensu vera est sententia Scoti; datur enim volitio, in qua non explicatur formaliter & distinctè propter se, vel propter aliud, vt satis probatum est. Alio modo contingit virtualiter, & quod dicit Caietanus in actu exercito: & in hoc sensu non datur actus neuter in voluntate, sed vniuersus aut est finis, aut mediorũ: nã id bonũ quod amatur, vel habet bonitatẽ in se vnde ametur, vel nõ habet in se bonitatẽ, sed aliũde mẽdicat. Si primũ, amatur vt finis: si secũdũ, amatur vt mediũ; & inter hæc non potest dari aliud mediũ, quia sunt cõtradictoriè opposita. ergo nõ datur actus voluntatis, qui nõ sit finis, aut mediorum. Deinde, volitũ propter se, & volitum propter aliud, non habẽt mediũ; quoniã cõtradictoriè opponuntur. Volo dicere, quòd quicquid est volitũ, aut est volitũ propter se, aut volitũ propter aliud. Volitũ enim ꝓpter se, nihil aliud est quàm volitũ nõ propter aliud. ergo non datur actus neuter, siquidẽ omnis actus volũtatis fertur vel in volitũ propter se, vel in volitũ propter aliud; hoc est in finẽ, aut in media. Volitũ enim ꝓpter se, est finis: volitũ propter aliud, est medium.

Caieta. vera sentẽtia.

¶ Iã verò hoc ipsum cõfirmatur autoritate Arist. summi Philosophi, qui in. 2. physic. textu. 29. dicit, quòd omnis volitio est propter se, vel ꝓpter aliud. Certè si datur actus volũtatis neuter, qui neq; sit finis, neq; mediorũ, quomodo est verũ quod dicit Arist. 2. phy. & est veluti axioma decantatũ, sic se habere vltimũ finẽ in rebus agẽdis, sicut primum principiũ in scientys? nã tũc daretur aliquis actus, qui nõ esset ab aliquo principio: & omnino causa finalis est, quæ primùm mouet; oportet ergo dare aliquod obiectũ, quod primò moueat voluntatẽ. impossibile igitur est quòd actus voluntatis nõ feratur in aliquẽ finẽ, mediatè, vel immediatè.

Aristo.

¶ Sed intelligendũ est, quòd finis habet duplex officiũ; vnum est, quòd ametur propter se; alterũ est, quòd cætera amentur propter ipsum. Primũ habet, quatenus habet in se bonitatẽ: secundũ habet, quatenus est causa finalis. Nã causam finalẽ sic definiunt, quòd sit illud, cuius gratia aliquid fit. Et quoniam contingit aliquid esse causam, & non actu causare, hinc prouenit quòd aliquid sit finis, & appetibile propter se, & cuius gratia cætera poterant appeti, & desiderari, & quòd non actu exerceat causalitatẽ finis: nõ enim actu est causa cuius gratia aliquid fit. Vnde dico, quòd si finis accipiatur pro appetibili propter se, nõ datur actus volũtatis, qui nõ versetur circa finẽ, neq; circa media; quoniã appetibile propter se, & propter aliud, opponũtur cõtradictoriè, inter quæ dari mediũ impossibile prorsus est:

Finis duplex habet officium.

ſus eſt: verùm ſi accipiatur finis pro eo quod exercet actualitatẽ, & cauſalitatẽ finis datur actus neuter volũtatis. quod euidenter demonſtrãt argumẽta quæ de volũtate Dei ſuperiùs ſunt adducta. Ex his documẽtis puto quæſtioni propoſitæ affatim ſatisfactũ eſſe; nũc ad expoſitionẽ articulorũ pgrediamur.

ARTIC. PRIMVS.

¶ Vtrùm voluntas ſit tantùm boni?

SVMMA TEXTVS.

Prior concluſio.

PRior Concluſio. Volũtas nũquam fertur niſi in bonum. Voluntas enim eſt appetitus quidam rationalis; at appetitus nõ eſt niſi ad bonum. ergo, &c. Quòd verò appetitus nũquã ſit niſi ad bonũ, ſic oſtẽditur. Nã appetitus eſt inclinatio quædã appetẽtis: nihil autẽ inclinatur niſi in aliquid ſimile, & cõueniens. Certè omnis res, in quãtũ eſt ens & ſubſtãtia, bonũ quoddam eſt, vnde neceſſe eſt vt omnis inclinatio ſit in bonũ. Vnde eſt quod Philoſophus dicit. 1. eth. bonũ eſt, quod oĩa appetunt.

Poſterior. ¶ Poſterior concluſio. Hoc differt inter appetitum naturalem, ſenſitiuum, & intellectiuum, quòd naturalis ſemper fertur in bonum verum, quod eſt in ipſis rebus; ſenſitiuus verò, & intellectiuus, aliquãdo ferũtur in bonũ apprehẽſum, & quod apparet bonũ. Ratio huius hæc eſt; nam omnis inclinatio conſequitur aliquã formã: appetitus naturalis cõſequitur formã in natura exiſtẽtem; appetitus verò ſenſitiuus ſequitur formam apprehẽſam per ſenſum, vel intellectũ. Ex quo ſequitur, quòd ad hoc vt volũtas in aliquid tendat, non requiritur quòd ſit bonũ in rei veritate, ſed quòd apprehẽdatur in ratione boni. quare voluntas ſemper eſt boni veri, vel apparentis.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Vtrùm volũtas poſsit ferri in malum ſub ratione mali.

IN huius rei expoſitionẽ eſt dubiũ; An volũtas poſsit ferri in malum, ſub ratione mali, & nolle bonũ, ſub ratione boni. Et probatur pars affirmatiua: qui enim peccat ex certa malitia, peccat ſciẽs illud eſſe malũ: ergo eligit malum ſub ratione mali. Probatur cõſequentia. Nam hoc differt ab eo qui peccat ex paſsione, & ex ignorantia. Hoc ipſum cõfirmatur. Nã ex oppoſita ſentẽtia ſequitur, quòd nõ poſsit quis agere cõtra cõſcientiã. Conſequẽs eſt falſum, & contra Pau. Rom. 14. Omne quod nõ eſt ex fide, peccatum eſt. Conſequentia probatur. quia ſi nõ poteſt quis velle niſi bonum: ergo quoniã cognoſcit malũ & peccatũ eſſe furari, non poteſt velle furari.

Prim. arg.

Confir.

Roma. 14.

Secundum

¶ Secũdò, qui odit fratrẽ ſuũ, vult illi malũ, ſub ratione mali & nociui: ergo volũtas poteſt velle malũ, ſub ratione mali. Cõſequẽtia nota eſt, & probatur antecedẽs. Nam hoc differt inter odiũ, & irã (autore D. Tho. q. 12. de malo art. 4.) quòd ira appetit malũ fratri, ſub ratione iuſti vindicatiui: ſed odiũ appetit malũ proximo, ſub ratione mali.

D. Tho.

Tertium.

¶ Tertiò, qui ſe interficiũt, atq; adeò peruerſi quidã homines, & dæmones, volunt malũ ſub ratione mali; nã volũt offendere Deũ nõ alia de cauſa, niſi vt offendant Deũ, non propter vtile, nõ propter delectabile; ſi enim nõ eſſet offenſa Dei, nõ facerent illud.

Quartum.

¶ Quartò, homo vt experiatur ſuã libertatẽ, poteſt eam experiri nolendo beatitudinẽ, atq; adeò propoſitis duobus bonis ſine aliquo diſcrimine & æqualibus, poteſt vnũ eligere, & alterũ reſpuere: & tamẽ ibi nõ eſt maior ratio boni in vno, quàm in alio. ergo poteſt volũtas aliquid eligere & nõ ſub ratione boni. Confirmatur.

Confir.

Nã ſi volũtas duobus bonis æquè cõuenientibus ſibi propoſitis poteſt vnũ eligere, & alterũ reſpuere, hac ſola ratione, quoniam vult. ergo poteſt velle ſub ratione mali, malum, hac ſola ratione, quoniam vult. Probatur conſequentia, quoniam ratio hæc eſt ſufficiens motiuum voluntatis.

Quintum.

¶ Quintò, habitus iniuſtitiæ inclinat in malum, ſub ratione mali: inclinat enim in actũ iniuſtitiæ, quatenus iniuſtitia

iuſtitia eſt. ergo voluntas poteſt ferri in malum, ſub ratione mali. Probatur conſequētia; nam quicquid habitus voluntatis appetit, po
Sextum. teſt appetere voluntas, & appetit. ¶ Sextū, obiectum voluntatis non eſt bonum, ſed ens quod comprehendit ſub ſe bonum, & malū. ergo poteſt ferri in malum, ſub ratione mali. conſequentia eſt euidens, & probatur antecedens; tum, quoniam obiectum intellectus eſt verum, vel falſum: intellectus enim comprehendit verum, vel falſum. ergo obiectum voluntatis eſt bonum, vel malum; tum verò, quo
Ariſto. niam voluntas eſt impoſsibiliū, autore Ariſt.
Septimum 3. eth. ergo non eſt tantùm boni. ¶ Septimum quoniam volūtas poteſt velle ex ſimplici apprehenſione, quando intellectus non iudicauit eſſe bonum, vel malum, vt patet in motibus primo primis. ¶ Octauò, damnati poſſunt
Octauum. conformare ſuam voluntatem diuinæ voluntati. Sed Deus poteſt præcipere ne velint beatitudinem, quam ipſe decreuit negare illis in perpetuum. Ergo poſſunt nolle beatitudinē. Certè poteſt quis velle non eſſe, & hoc non poteſt apparere bonum: nam vbi nō eſt ens,
Vltimum. bonum non eſt. ¶ Vltimò eſt argumentum
Ocham. Ocham. Si ſententia D. Tho. eſt vera, ſequitur quòd circa aliquod obiectum homo viator non poſsit mereri, nec demereri. patet ſequela. Nam circa miſeriam præſentatam ſub ratione omnis mali, & circa beatitudinem ſub ratione omnis boni, homo viator neceſſariò operatur, neceſſariò amat beatitudinem, & neceſſariò odit miſeriam. ergo nō poteſt me-
Confir. reri, nec demereri. ¶ Confirmatur. Nam miſeriam præſentatam ſub ratione omnis mali, vel voluntas poteſt velle, & ſic habet Ocham ſuum intentum; vel non poteſt velle illam, & ſic non poterit circa hoc obiectum tantùm peccare; nam circa hoc obiectum tantùm po
teſt peccare volendo illud.
Ocham. ¶ Propter hæc argumenta Ocham in. 3. q. 13. dubio. 3. tenet partem affirmatiuā huius quæ-
Scot. ſtionis. Scotus eſt dubius: nā in. 4. d. 49. q. 9. videtur deſcendere in ſententiam D. Tho. oppoſitum docet in. 2. d. 1. q. 4. in. 2. d. 6. q. 2. &
Volūtas eſt in. d. 43. ¶ His nō obſtātibus, veritas eſt, quòd
tantùm bo voluntas eſt tantùm boni. Ab hoc principio
ni. exorditur
Ariſto. Ariſt. libros ethicor. dicens, Omnis ars, omniſq; doctrina, & electio, bonū appete re videntur. Qua de cauſa bene antiqui dixe-
Dionyſ. rūt, bonū eſt, quod omnia appetūt. D. Dionyſius. c. 4. de diuin. nominibus habet illud prouerbiū; nemo intendēs ad malū operatur. Se-
Seneca. neca lib. 4. de beneficijs. c. 17. dicit, nemo tam à lege naturali ſeparatus eſt, vt animi gratia ſit
Auguſt. malus. Augu. lib. 2. cōfeſsionū. c. 4. vſq; ad. 10.

idē proſequitur copioſè: inquirit namq; quid nā amauerit in furto quòd cōmiſit decimo-ſexto ætatis ſuæ anno, pro certo habens nihil poſſe amari, niſi ſub ratione boni. Sed omiſsis autoritatibus probatur noſtra ſentētia euidē-
ti ratiōe. ¶ Primò, ipſa experiētia docet, quòd Rationes pro iſta ſen
nemo intendēs ad malū operatur. Nā vel ipſi tentia.
dæmones perditiſsimi, ſi blaſphemāt Deū, & alia grauiſsima flagitia cōmittunt, ſub aliqua ratione boni cōmittūt, vt de Deo ſumāt vindictā. Itē homines qui ſe interficiūt, atq; dānati qui cupiūt à Deo annihilari, appetūt hæc omnia ſub ratione boni, nēpe vt careāt cruciatu, & miſeria, & hoc bonū eſt. ¶ Secūdò, obiectū noſtræ volūtatis eſt bonū, ſicut obiectū intellectus eſt verū. ergo nō poteſt volūtas ferri in malū, ſub ratione mali. Probatur cōſequētia. Nā potētia nō poteſt ferri extra ſuū obiectū, etiā per Dei potētiā. Sed dicit Ochā, bonū nō eſt obiectū voluntatis, ſed ens. Contrà, intellectus & volūtas ſunt diſtinctæ potētiæ; ſed obiectū intellectus eſt ens. ergo non eſt obiectū volūtatis. Secundò, autore Ariſt. 2. Phyſ. finis Ariſto.
habet vnde moueat appetitū in ſe; at mediū, non habet in ſe vnde moueat appetitū; ſed ſi ens eſt obiectū volūtatis, cùm mediū ſit ens, habebit vnde moueat volūtatē. Tertiò, magis bonū, magis mouet voluntatē, vt patet. igitur volūtatis obiectū eſt bonū. Probatur cōſequētia, Nam magis calidū, aut magis ſonorū, non magis mouet viſum; quoniā nō eſt obiectū viſus. Confirmatur. Nam magis bonū, etiamſi ſit imperfectū ens, magis allicit voluntatē: centū enim ſcuta aurea magis inflammant volūtatē quàm vnus aſinus, & tamē aſinus eſt perfectius ens in genere naturę. Preterea, appetitus eſt quædā inclinatio naturæ; ſed inclinatio naturæ non eſt in perditionē ſui. ergo nō eſt in malū. Item, vniuerſæ res operātur propter aliquē finē, vt dictū eſt. ergo propter bonū aliquod: finis enim eſt bonū, & optimum, cuius gratia aliquid fit. Vltimò, vniuerſæ res quādo conſequūtur id quod cupiebāt, delectātur, & quieſcūt. ergo cupiebant bonū. Probatur conſequentia. Nam quies & delectatio nō eſt niſi de bono. Iſtæ rationes quas cōmemoraui, ma
gna ex parte ſunt acceptæ ex D. Tho. 3. cōtra D. Tho.
gentes. c. 3. &. 16. &. 17. quibus in locis hanc materiam tractat D. Tho. optimè.
¶ Ad argumenta, & quidem ad primū reſpon Argumentorum ſolutio.
detur, quòd ille peccat ex malitia, nō qui vult malū, ſub ratione mali, ſed qui peccat ex corruptione habitus, & ex lōga & inueterata conſuetudine, quem nec paſsio, nec ignorantia impellit ad peccandum; itaque qui peccat ex malitia, non eligit ſub ea ratione, ſecundum Ad primū.

quam

quam scit esse malum, sed sub alia, secundum quam reputat sibi esse conueniens, vel delectabile, vtileve. Et quemadmodum ipse homo si nihil boni haberet in se, nihil posset appetere; ita si ipsum obiectum non haberet aliquam rationem boni, nullo modo appetteretur. ¶ Ad confirmationem dicendū est, quòd probatio non rectè procedit, & sic neganda est consequentia: stat enim quòd quis cognoscat furtum esse malum, & tamen pecuniam esse bonum vtile, & sic potest velle furari, & operari contra conscientiam. ¶ Ad secūdum respōdetur tripliciter, quòd bene potest quis velle alteri malum, sub ratione mali; cæterùm sibi nequit velle malū, sub ratione mali. Hæc solutio videtur falsa. Nam obiectum voluntatis est bonum. ergo nec sibi, nec alteri potest quis velle malum, sub ratione mali; sicut ex eo quòd obiectum visus est color, rectè cōcluditur, quòd visus non potest ferri, nisi in coloratum, vel in id quod participat rationē coloris. Secundò respōdetur, quod in obiecto potentiæ gemina ratio formalis reperitur qua refertur ad potentiam; vna est ratio communis, quæ mouet & allicit ipsam potentiā; altera est ratio quæ terminat ipsam operationē, à qua operatio sortitur speciem. v.g. quando videmus album, prima ratio quæ mouet, est coloratum; nam quicquid visus videt, sub ratione colorati videt: cæterùm ratio quę terminat istā visionem, album est, ex quo obiecto, visio albi distinguitur specie à visione nigri: non aliter in obiecto voluntatis, ratio vniuersalis quæ allicit, & mouet appetitum, est ratio boni; cæterùm in actu odij, ratio quæ terminat, est malum, sub ratione mali, qua ratione distinguitur odium ab ira. Itaq; vt argumētū soluatur, dicendū est, quòd quando quis odit alterum, vult illi malum, sub ratione mali; id est, vt extinguatur penitus: cæterùm hoc totū refert in bonum suum, vt alius nō sit sibi impedimento, vt non præripiat sibi laudem. Tertiò respōdetur, quòd odium reducitur ad nolitionem, & ad fugam; nam odisse alterū, est nolle illi bonum: cæterùm nō est impossibile quòd ego alteri nolim beatitudinem, at impossibile est quòd mihi nolim beatitudinem. Doctissimus Victoria aiebat, quòd voluntas potest ferri in malum, sub ratione mali, ita quòd totum hoc se habeat tanquā obiectum materiale; sicut volo amarū, volo tormētū, sed volo sub ratione boni: itaq; etiā malū sub ratione mali, volo sub ratione boni, putà cùm quis delectatur in peccato vt offendat Deū, in hoc quod est offendere Deū, inuenit delectationē, non tamen potest velle malū sub ratione mali: sic sanè qui odit alterum, vult illi malum sub ratione mali, sed vt sibi bonum sit & commodū, prout iam explicatum est. ¶ Ad tertium respondetur, quòd illi qui se interficiunt, sine dubio appetunt bonum; appetunt enim carere cruciatu, & ærūna: carere autem malo, bonum est. Dæmones verò qui appetūt offendere Deū, vt eum offendant, appetunt sub ratione boni; nam iudicant esse bonum blasphemare eum, à quo tam magnū cruciatū habent. ¶ Ad quartum respondetur, quòd voluntas non potest habere actum extra suū obiectum. Vel dicatur, quòd iam illud haberet aliquam rationē boni, nempe vt experiretur suam libertatem. ¶ Ad confirmationē respondetur, quòd positis duobus bonis æquè cōuenientibus, absq; dubio potest voluntas vnum respuere, & alterū eligere ad experiēdā libertatem suā: cęterùm notandū est, quòd semper experitur suā libertatem circa bonū, & ideo argumentum non concludit. sed de hoc infrà q. 13. ar. 6. ¶ Ad quintū respondetur, quòd iniustitia non inclinat ad malum, sub ratione mali; nam licèt inclinet in furtū, inclinat tamē sub ratione vtilis, vel delectabilis. Et hæc solutio, argumento satis esse videbatur, si nobis liceret per homines acutos, qui nodum (vt dicitur) in scirpo quærūt: non enim satis intelligūt, quomodo habitus iniustitiæ de se nō inclinet ad malū, sub ratione mali, cùm habitus iniustitiæ de sua ratione sit malus, & obiectū eius sit malum, sub ratione mali, constringuntur q; disputare, num malum morale sit priuatio, an verò aliqua natura positiua: sed nobis videtur non esse necesse in has angustias incidere. Dicendum namque est, habitum iniustitiæ de se inclinare ad malum, siue id sit priuatio, siue aliquid positiuum contra rationem, siue deuiatio à regula. Dicendum est rursum, voluntatem, cùm ex habitu iniustitiæ inclinatur ad furtum, inclinare in furtū, qua ratione malum est contra iustitiam, vel quatenus deuiat, & auertit à iustitia: nam etiam hæc priuatio, & deuiatio, volūtaria est; vt potio amara voluntaria est propter salutē: sic peccator vult priuationem rectitudinis, & iustitiæ, propter bonum annexū. Colligamus ergo ex dictis, quòd aliud longè est, actū voluntatis malū, moraliter tendere de se in obiectum malū morale, à quo specificatur; aliud verò, volūtas fertur in malū sub ratione mali: primū enim est verū, secundum falsum. qui ergo furatur ex habitu iniustitiæ, vult malum, sed sub ratione boni delectabilis, vel vtilis. ¶ Ad sextū respōdetur, quòd obiectū voluntatis nō est nisi bonū. Et ad argumenta cōtraria dico,

Ad confir.
Ad secūdū.
Magist. Victoria.
Ad tertiū.
Ad quartū.
Ad confir.
Ad quintū.
Ad sextum

esse

eſſe differentiam inter intellectum, & voluntatem; quòd intellectus eſt potẽtia tũ apprehenſiua, tũ iudicatiua: quatenus apprehenſiua, apprehendit verum, vel falſum: quatenus iudicatiua, aſſentitur vero, & diſſentitur falſo: cæterùm voluntas eſt potentia tantùm appetitiua, quapropter motu proſequutionis ſemper fertur in bonum; at verò per fugam refugit malum. Item dicendum eſt, quòd quãdo volũtas eſt impoſsibilium, etiam fertur in obiectum ſub ratione boni. Atq; etiam dicendum eſt, quòd in motibus primo primis præcedit iudicium quoddam veluti naturale, & minimè liberum. Deniq; dicendum eſt, quòd ſicut intellectus non põt aliquid apprehẽdere niſi ſub ratione entis; ita volũtas nihil poteſt appetere niſi ſub ratione boni. ¶ Sed dicet aliquis, nolle eſt actus voluntatis, & nolumus malum ſub ratione mali. ergo voluntas per ſuum actum poteſt ferri in malum, ſub ratione mali. Reſpondetur, quòd voluntas abominatur malum ſub ratione mali, quoniã eſt inſtituta ad volẽdum bonum; ſicut lapis abominatur locum ſuperum, quoniam ſuapte natura ad locum inferum deſtinatur. Secundò dico cum D. Tho. p. p. q. 20. art. 1. quòd obiectum primarium voluntatis eſt bonum, ſecũdarium, eſt malum: ſi enim horremus malũ, eſt quia aduerſatur bono; ſi horremus mortẽ, eſt quoniam aduerſatur vitæ quam tantopere amamus. ¶ Ad ſeptimũ reſpondetur, quòd damnatus poteſt conformare voluntatẽ ſuã diuinæ, nolendo beatitudinem in particulari, cæterùm non poteſt velle malum ſub ratione mali, etiam de potentia Dei abſoluta; quoniam obiectum voluntatis eſt bonum, & potentia non poteſt ferri extra ſuum obiectum. ¶ Ad vltimum; concedo quòd ſit aliquod obiectum circa quod non poſsit viator mereri, nec demereri, quantum eſt ex ſpecie actus; ſunt enim neceſſarij actus, quantum ad ſpecificationem circa tale obiectum; poterit tamen eſſe meritum vel demeritum, quantum ad exercitium actus, quod eſt liberum. Secundò dico, quòd poteſt demereri nolendo malum, ſub ratione mali, apponendo malam circunſtantiam finis, vt vanæ gloriæ; atque adeò poteſt quis demereri appetendo bonum in communi, apponendo malam circunſtantiam finis, vel temporis. & per hoc patet ad confirmationem. ¶ Proximum eſt vt reuertamur ad examinandam ſecundam concluſionem D. Thom. in qua aſſerit, quòd voluntas non ſemper fertur in bonum verum, ſed aliquando fertur in bonum apparens, quod reuera bonum non eſt. Ex hac ſententia deduci videntur grauiſſima incommoda. ¶ Nam in primis deducitur, quòd voluntas ſit peioris conditionis, quàm ſit appetitus naturalis lapidis: ſiquidẽ appetitus naturalis lapidis ſemper eſt ad verũ bonum. ¶ Sequitur deinde, quòd obiectum noſtræ voluntatis non ſit bonum, quòd ſit in rebus, ſed quòd eſt in apprehẽſione rationis: cuius contrarium aſſerit Ariſt. 6. metaph. textu. 8. conſtituens differentiam inter obiectũ intellectus, & obiectum voluntatis; quòd obiectum intellectus eſt in intellectu, obiectum verò voluntatis eſt bonũ, quod in rebus eſt. Quòd rectè ſequatur, patet. Nam bonum, exiſtimatum bonum, & quod non eſt verè bonum, tantummodò eſt bonum, ſecundum rationis apprehenſionem. ¶ Tertiò, ſequitur falſum eſſe quod ab omnibus ferè dicitur, hanc verſari differentiam inter potentias apprehenſiuas, & potentias appetitiuas; quòd illę mouentur ex obiectis, quæ ſunt intra potentias, per aliquam rei ſimilitudinem; iſtæ verò mouẽtur, & trahuntur ad res, prout ſunt à parte rei. Patet quòd rectè ſequatur. Nam ſi voluntas non tendit in bonum, quod eſt verum bonum, ſed tantùm ſecũdum quod apprehenditur, & exiſtimatur, iam voluntas nõ trahitur ad bonum, prout eſt à parte rei, ſed prout repræſentatur ab intellectu. ¶ Ad hæc argumenta ſic ſatisfaciendum eſt. Nam ad primum dicendum, argumentum non rectè procedere, & ſic negãdam eſſe conſequentiam. Non enim ſequitur quòd lapis ſit melioris cõditionis, quàm voluntas; bonum enim quod quærit lapis, eſt minimum bonum, & nullius ferè momenti. Rurſus, lapis non mouet ſe ipſum, nec liberè dirigit ſuas operationes; at voluntas fertur in rationem boni vniuerſalis, per cognitionem finis, per deliberationem, & conſilium, quod eſt maximæ dignitatis; etiãſi poſsit errare, propter errorem cognitionis. Certè ſi argumentum propoſitum efficaciter procederet, probaret ſubinde, bruta animantia eſſe melioris conditionis quàm homo ſit: nam bruta animantia peccare non poſſunt, homo verò peccare poteſt. ¶ Ad ſecundum dicẽdum, quòd bonum eſſe in rebus ipſis, dupliciter intelligi poteſt: tum, vt ſit verè in rerum natura, & hoc modo non eſt neceſſe, vt argumentum probat: tum verò quòd quæratur in re, & non ſolùm vt ſit in intentione; & hoc modo voluntas ſemper fertur in bonum, prout eſt à parte rei, id eſt, vt habeatur in re, non vt habeatur in intẽtione. & ſic quãdo volũtas trahitur ad bonũ apparens, & apprehenſum, etiã fertur in bonum vt habeat

D. Tho.

Ad ſeptimum.

Ad vltimũ.

Dubiũ exponitur, an voluntas ſemper feratur in bonum verũ.

Prim. argu.

Secundum

Ariſto.

Tertium.

Argumenta diluũtur

Ad primũ.

Ad ſecũdũ.

Quomodo bonũ in rebus eſſe dicatur.

vt habeat illud in re, & non tantùm in intellectu, quanquã fallitur & decipitur intellectus, putans esse à parte rei, quod reuera non est.

Notanda solutio. ¶Vel dicat Theologus (& hæc solutio est admodum notanda) quòd motus voluntatis potest referri ad bonum in communi, & potest referri ad bonum in particulari: vt cùm quis vult diuitias ad suam beatitudinem consequendam, hæc volitio potest referri ad beatitudinem, & potest referri ad diuitias. Dicendum est igitur, quòd omnis motus voluntatis, si referatur in bonum in communi, semper fertur in verum bonum; talis enim voluntas, est motus naturalis, necessarius quantum ad specificationem, inditus ab autore naturæ: ergo semper tendit in verum bonum, alioqui voluntas ab autore naturæ traheretur in malum. Cæterùm, actus voluntatis, respectu boni particularis, potest sæpenumerò tendere in bonum apparens, & sic voluntas dicitur frustrari, quando per media quæ eligit, non consequitur suum finem, quem intendebat. Ex quo consequens est, quòd intendebat verum finem & bonum: nam bonum apparens, & secundum apprehensionem, iam obtinuit. Ex quo patet quemadmodum obiectum voluntatis semper sit verum bonum; imo vt dictum est in materia de beatitudine, voluntas in omni opere suo quærit verum & summum bonum, quod est Deus. Verum est tamen quòd hæc ratio veri boni nunquam mouebit ad aliquod opus speciale, nisi apprehendatur vt bonum, illi summo bono consentaneum, & conueniens: & in hoc fallitur homo sæpissimè, iudicando esse bonitatem veram, quæ reuera bona non est. Ex quibus etiam colligitur, quòd ratio prima quæ mouet voluntatem, est vera bonitas, siquidem ipsum malum sub specie veri boni mouet voluntatem.

Ad tertiũ. ¶Ad tertium argumentum dicendum est, quòd illa differentia verissima deprehenditur, si documenta prædicta, in præcedenti solutione vera sunt. Tantum de hoc articulo.

ARTIC. SECVNDVS.

¶Vtrùm voluntas sit tantùm finis, an etiam eorum quæ ordinãtur ad finẽ?

SVMMA TEXTVS.

Prior conclusio. PRior Conclusio. Accipiendo volũtatem pro ipsa potentia, voluntas fertur in finem, & in media ducentia ad finem. Quælibet enim potentia extendi potest ad ea, in quibus inueniri potest quocunque modo ratio sui obiecti; vt visus se extendit ad omnia quæ participant quocunque modo colorem. Ratio autem boni, quod est obiectum volũtatis, inuenitur non solùm in fine, sed etiam in his, quæ sunt ad finem. Ergò potentia voluntatis, non solùm fertur in finem, sed etiam in ea, quæ ordinantur ad finem.

Posterior. ¶Posterior Conclusio. Si loquamur de volũtate, vt nominat propriè actum, sic est finis tantùm; quia simplex actus potentiæ est in id, quod est secundum se obiectũ potentiæ: id autẽ quod propter se est bonũ & volitũ, est finis; vnde voluntas propriè est ipsius finis.

EXPLICATIO ARTICVLI.

HIc articulus continet explicationẽ Aristotelis, in. 3. eth. c. 2. & c. 5. vbi constituit tres differẽtias inter electionẽ, & voluntatẽ. Voluntas, inquit, est tantùm finis; electio mediorum: sicut intellectus est primorum principiorum, scientia conclusionum. Deinde, voluntas est etiam impossibilium; volumus enim nõ mori, quod est impossibile: electio verò est tantùm possibilium. Ad vltimum, electio est tantùm eorũ quæ per nos aguntur; voluntas verò etiam est eorum quæ per alios aguntur; volumus enim disputatorẽ vincere. atq; hæc facillima sunt.

Caieta. obscurè loquitur. ¶Caietanus mouet hic nescio quod chaos, & ponit, quòd duplicem habitudinẽ habet finis ad appetitũ; cuius verba ego planè non intelligo, sensum tamen arbitror me percipere: vult enim dicere, quòd quemadmodũ in intellectu aliud est cognoscere cõclusiones propter principia; hoc enim pertinet ad sciẽtiã, cuius officiũ est cõclusiones eruere ex principijs, & eas per principia demõstrare: aliud verò in cõclusionibus videre principia; hoc enim pertinet ad habitũ primorũ principiorũ, quod est lumẽ naturale, illuminans prima principia: sic in voluntate, velle media propter finẽ, ad electionem

ctoinem pertinet, velle autē in medijs ipsum finem, non ad electionem pertinet, sed ad actum simplicem voluntatis, quæ nominatur voluntas: nemo enim dicitur eligere sanitatē in ipsis medijs, sed medicinam eligimus propter sanitatē. Hęc est subtilitas Dñi Caietani, quę ferè à nemine intelligitur, sed neq; oportet in ejus explicatione amplius immorari.

¶ Circa id quod D. Tho. dicit, quòd ea quæ sunt ad finem, non sunt bona, neq; volita propter se; & ideo voluntas non fertur in ea, propter se, potest dubitari. Nam obiectum volūtatis est bonum, quod se extendit ad bonum vtile, atq; delectabile. ergo bonum vtile atq; delectabile est volitum propter se à voluntate. Sed est dicendum ad dubium propositū, quòd est per se volitum bonum quodcunq; vt distinguitur contrà per accidens, id est, nō est per accidens volitum, sed tamen non vt distinguitur contrà per aliud: bonum enim vtile amatur propter aliud, sed non amatur per accidens.

ARTIC. TERTIVS.

¶ Vtrùm voluntas eodem actu moueatur in finem, & in ea quæ sunt ad finem?

SVMMA TEXTVS.

Prima conclusio. ¶ Prima Conclusio. Voluntas potest appetere finem, sine eo, quòd feratur in ea, quę sunt ad finem; nam finis est per se volitus.

Secunda. ¶ Secunda Conclusio. Mediū, vt mediū, non potest voluntas velle, nisi sub ratione finis; mediū enim, vt medium, nō est appetibile, nisi propter finem. Itaq; non cōtingit quòd quis velit medium, vt medium, quin velit finem.

Tertia. ¶ Tertia Conclusio. Manifestum est quòd sit vnus actus voluntatis, quo voluntas fertur in medium propter finem: vnus enim actus est quo volo medicinā propter sanitatem; sicut vnus actus est quo video coloratum propter lucem.

Quarta. ¶ Quarta Cōclusio. Actus voluntatis quo fertur in finem, aliquando tempore antecedit actum voluntatis, quo fertur in media; veluti cùm quis priùs voluit sanitatem, & deinde deliberat de medijs. Idem prorsus contingit in intellectu; prius enim assentimur principijs, deinde cōclusionibus.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Vtrùm voluntas quā do vult medium, velit illud eodem actu quo vult finem. Greg. Arimin. Prim. arg.

Certè non est facilè ad intelligendum, quemadmodum volūtas eodem actu feratur in media, & in finem. Vt ergo diligenter rem expendamus, quæritur; Vtrùm voluntas, quando vult medium, eadem appetitione velit medium, & finem? sicut D. Thom. pro comperto habet in. 2. & 3. assertione; an potiùs necessariò debeat esse gemina volitio; vna, quæ versetur circa finem; & alia, quæ versetur circa media? sicut sentit Gregor. Arimin. in. 1. d. 1. q. 1. art. 2. Et videtur ista secunda sententia esse vera. ¶ Nam volitio finis, est causa volitionis mediorum. ergo non potest esse idem actus, volitio medij, & finis. Consequentia inde probatur. Nam nihil est causa sui ipsius. Probatur antecedens. Nam ratio & causa quare infirmus vult sumere potionem amaram est, quoniam efficaciter vult sanitatem. Quòd verò volitio finis, sit causa volitionis mediorum, satis abundè Gregorius probat. Nam finis est, gratia cuius cætera fiunt: sed hoc est propter amorem finis. ergo amor finis, est causa omnium aliorum. Tum deinde, nam finis in rebus agendis est velut primum principium in scientijs: at principium est causa conclusionum. His accedit, nam nihil aliud videtur esse, medium esse volitum propter finem, nisi quòd volitio vnius, sit causa alterius. Ex his putat Gregorius competenter probasse, volitionem finis, esse causam volitionis mediorum, quod in primo argumento erat positum.

Secundum ¶ Deinde, sicut appetimus media propter finem; ita assentimur conclusionibus propter principia. Sed assensus conclusionum non potest esse assensus primorum principiorum, vt planè constat. ergo volitio medij non potest esse volitio finis.

¶ Tertiò,

Tertium. ¶ Tertiò, desideramus aliquando mediũ, quãdo nihil cogitamus de fine; & rursus aliquando volumus medium propter finem, & desinimus velle finem perseuerante volitione medij. ergo

Vltim. sunt duæ volitiones. ¶ Vltimò est argumentũ ducens ad inconueniens. Sequitur ex sententia D. Tho. quòd idem actus sit volitio & nolitio, gaudium & tristitia. Probatur hoc. Nam quando quem pœnitet delicti propter Deum, idem actus est circa medium, & circa finem, autore D. Tho. at circa peccatum est nolitio, circa Deũ est volitio. Item sequitur, quòd idem actus sit intẽsus & remissus: nam quando volo potionem amarissimam propter sanitatem, volo sanitatẽ intensissimè, potionem verò remississimè.

Prim. cõcl. Volitio medij nõ semper est formaliter volitio finis. ¶ Pro explicatione est prima conclusio. Volitio medij, non est semper formaliter volitio finis: quando enim quis pergit in D. Iacobum, & vult ambulare, non semper cogitat de fine. Itẽ quando infirmus vult sumere potionem, non semper cogitat sanitatem: atq; adeò assensus cõclusionis, nõ semper includit formaliter assensum priSecũ. cõcl. Virtualiter volitio medij includit volitionẽ finis. morũ principiorũ. ¶ Secunda conclusio. Volitio medij, virtualiter includit volitionẽ finis; nã mediũ, vt mediũ est, nõ habet aliã bonitatẽ nisi eam, quam à fine mendicat. ergo nõ potest mouere voluntatem nisi sub ratione finis. Secũdò, assensus conclusionũ dependet virtualiter ab assensione primorũ principiorũ. ergo electio medij dependet virtualiter à volitione finis. Probatur consequentia. Nam sicut se habet primum principium in scientijs, ita se habet finis in moralibus. Tertiò, quando ægrotus desiderat sumere potionem, etiam quãdo de salute nihil cogitat, illa volitio imperatur à præcedenti volitione,

Tert. cõcl. Aliquando per eundẽ actũ volumus finẽ & media. qua voluit sanari. ergo. ¶ Tertia conclusio. Aliquãdo cõtingit quòd per eundẽ actũ formaliter volumus mediũ, & finem, scilicet quãdo recordamur finis, & habemus istũ actũ, volo mediũ propter finẽ. Probatur. Nam potẽtia eadem actione fertur in obiectũ, & in rationẽ formalẽ obiecti; sicut visus eadem visione fertur in coloratũ, & in lucidũ, quoniã lucidum est ratio vidẽdi colores. ergo eadem volitione voluntas potest ferri in mediũ, & in finẽ; nã finis est ratio volendi mediũ. Secũdò, eodẽ actu, & eodem amore diligo proximũ propter Deum; quoniã Deus est ratio formalis quare ametur proximus. ergo si finis est ratio quare ametur medium, eodem actu amamus medium, & finẽ. Rursus, in naturalibus idẽ est motus ad media, & ad terminũ. ergo etiam in moralibus idẽ est motus in mediũ, & in finem. Vltimò, voluntas nostra potest eadem volitione ferri in diuersa; possumus enim eadem volitione velle furari rem Petri pretiosam, & illum occidere. ergo possumus eadẽ volitione velle mediũ, & finẽ, ad quẽ ducit mediũ.

Diuersis rationibus potest quis velle medium propter finem. ¶ Vt verò hæc veritas accuratiùs intelligatur, sciẽdum est, quòd varijs modis potest quis velle medium propter finem. Primo modo, quòd ex volitione finis, causetur volitio medij absoluta, ita quòd in volitione medij; non formaliter ponatur finis; vt volo sanitatem, & intelligo non posse sanari sine potione: volo ergo potionem. Secundò, quòd ex volitione finis velit quis medium propter finẽ formaliter, ita quòd in secunda volitione ponatur hoc totum, volo potionem propter sanitatẽ. Tertiò, cùm simul iudico quòd est bona potio ad sanitatem, & simul volo potionem propter sanitatẽ; & in hoc tertio modo non causatur volitio medij, ex volitione finis, sed finis est ratio volendi media. Et quòd hoc sit possibile, iam satis demonstratum existimo, & patet euidenti exemplo. Nam Deus vult media propter finem; at exploratum est quòd in Deo volitio medij non causatur ex volitione finis. falsum ergo est quod dicit Gregor. quòd illa dictio, propter, dicat semper causalitatem causæ efficientis, sed nonnunquam dicit rationem formalem volendi. Sed & alio modo contingit quòd velimus media propter finem, putà, cum ex volitione finis præcedentis, causatur volitio medij: nam cùm volo ire ad orandũ propter Deum, postea verò volo orare non cogitando de Deo, in omnibus hisappetitionibus volumus media propter finem, virtualiter, vt probatum est. Sed in tertio modo, eodem actu volumus medium propter finem apertissimè & euidentissimè, vt satis expositum est in tertia conclusione. & sic ista quæstio non solùm est speculatiua, sed etiam moralis. Ex hoc enim quòd volitio medij est quodammodo volitio finis, prouenit quòd sit bona vel mala à fine; si enim non esset aliquo modo volitio finis, non esset quare diceretur bona vel mala à fine. Argumenta verò Gregorij facillimè soluuntur. ¶ Ad primũ dicendum, quòd quando in diuersis tẽporibus volo finẽ, & deinceps eligo media; tũc volitio finis, est causa volitionis mediorũ; cæterùm quando simul volo medium propter finẽ, volitio finis, non est causa volitionis mediorũ. Itaque illa dictio, propter, nõ dicit causam volitionis, sed causam voliti. verbi gratia. quando dicimus visum videre coloratum propter lucẽ, non est sensus quòd sint ibi duæ visiones, altera lucidi, & alia colorati, & quòd visio lucis causet visionem colorati; sed sensus est, quòd coloratum videtur sub ratione lucidi: non aliter quando dicimus Deum amare creaturas ob suam bonitatem, non est sensus quòd volitio suæ bonitatis, causet volitionem creaturarum, sed sensus est, quòd creatura amatur, &

Argu. solu. Ad primum

est propter bonitatem diuinam. Secundò respō detur, quòd volitio finis, est ratio volēdi media: constat autem idem esse rationem formalē sui ipsius; sicut quòd Deus sit immutabilis ratio est quare sit æternus, cùm tamen immutabilitas & æternitas in Deo sint idem. ¶ Ad secundū respōdetur, quādo priùs assentimur principijs, & deinde conclusionibus, non est idem assensus quo assentimur conclusionibus propter principia: cæterùm quando simul assentior conclusionibus propter principia, est idem actus numero, qui pertinet ad scientiam. ¶ Ad tertium respondetur, quòd quando non recordamur finis, appetimus media propter finem virtualiter, sicut expositum est. ¶ Ad quartum respondet hic Caietanus, non esse absurdum quòd idem actus cō paratus ad diuersa sit nolitio & volitio. v.g. detestatio peccatorum ob Deum, nolitio est respectu peccati, respectu Dei volitio & amor. Idem dicit Capr. in 1. d. 1. q. 1. Sed licèt isti autores concedant, quòd idem actus sit volitio & nolitio, non tamen debet concedi, quòd nolitio, sit volitio; sicut licèt physicus concedat quòd idem motus sit actio & passio, non tamen admittit quòd actio, sit passio. Secunda solutio, quòd detestatio peccati formaliter est nolitio, & virtualiter includit volitionem; non est enim intelligendum, quòd quando ego detestor peccatū, mea voluntas feratur in duas res, in peccatum, per modum nolitionis, & in Deum, per modū volitionis, sed fertur in vnam rem sub ratione alterius; sicut quando visus videt coloratum propter lucidū, nō fertur in duo, sed in coloratū ratiōe lucis. Similiter quādo intellectus assentitur conclusionibus propter principia, non fertur in duo, sed in conclusiones ratione principiorum. Ex hac solutione sequitur solutio alterius incō uenientis. Nam quando appetimus potionem amaram ob sanitatem, non est ibi volitio sanitatis, & ideo non est intensa volitio. Caietanus in articulo dicit quòd idem actus comparatus ad diuersa, sit intensus, & remissus. Vide pro confutatione argumentorum Capr. in 1. d. 1. q. 1. circa argumenta contra quartam conclusionem.

Ad secundū

Ad tertium

Ad quartū. Caiet.

Capr.

QVAESTIO IX.

De motiuo voluntatis, in sex articulos diuisa.

ARTIC. PRIMVS.

¶ Vtrùm voluntas moueatur ab intellectu.

SVMMA TEXTVS.

PRobationes D. Tho. in hoc articulo rectissimè procedunt, & sunt efficacissimæ, sed oportet eas ad methodum argumentationis reducere, vt videat Theologus quàm efficaciter rē demonstrant. Sit ergo prima conclusio. ¶ In tā- Prim. cōcl.
tum aliquid indiget moueri ab altero, in quantum est in potētia ad plura. Probatio huius sic habet. Nā oportet, inquit, quòd id, quod est in potentia, reducatur ad actū per aliquid, quod est in actu: reducere autem ad actum id quod est in potētia, est mouere. ergo id quod est in potētia ad plura, oportet quòd moueatur ab altero.

¶ Secunda conclusio. Dupliciter Secūd. cōcl.
aliqua vis animæ inuenitur esse in potentia ad diuersa: vno modo, quantum ad agere, vel non agere: alio modo, quantum ad agēdum hoc, vel illud. Hęc conclusio tantū commōstratur exēplo. Visus enim quandoq; videt actu, quādoq; nō videt, & quandoq; videt album, & quandoque videt nigrum.

¶ Tertia cōclusio. Vis animæ, quæ Tert. cōcl.
est in potentia ad agere, vel nō agere, & ad agendum hoc, vel illud, indiget mouente quantum ad duo; & quantum ad exercitiū vel vsum actus; & quantū ad determinationem actus. Hæc cōclusio sequitur efficaciter ex prima & secunda.

¶ Quarta conclusio. Mouens, quā Quar. cōcl.
tum ad exercitium actus, tenet se ex parte subiecti, quod quandoq; inuenitur agēs, quandoq; nō agēs: mouēs verò ad agendū hoc, vel illud,

lud, tenet se ex parte obiecti, à quo actus specificatur, & determinatur Hęc conclusio non probatur, sed satis manifesta est exẽplo iam adhibito de visu. Visus enim aliquando videt, aliquando non videt pro nostra voluntate: quòd verò visio sit albi, vel nigri, ex obiecto determinatur, & specificatur.

Quin. cõcl. ¶ Quinta conclusio. Voluntas est in potentia ad exercitium sui actus, nec non ad determinationẽ proprij actus circa certã materiã: voluntas enim aliquando vult, aliquando non vult; aliquando vult hoc, aliquando illud.

Sexta cõcl. ¶ Sexta conclusio. Volũtas, quãtum ad exercitium sui actus, non mouetur ab intellectu, quinpotiùs ipsa voluntas mouet & seipsam, & cęteras omnes potentias ad exercitium suorum operũ. Probatur sic. Nam cùm omne agens agat propter finem, vt suprà ostensum est, principium omnis motionis ex fine sumendũ est. Et hinc est quòd ars, ad quam pertinet finis, mouet suo imperio artem, ad quam pertinent ea quæ sunt ad finẽ; sicut gubernatiora ars imperat nauifactiuę, vt docet Arist. 2. phys ic. Arist. Bonũ autem quod est obiectum voluntatis, habet rationem finis vniuersalis, & ideo ex hac parte volũtas mouet alias potentias animæ ad suos actus; vtimur enim alijs potentijs cùm volumus: nam fines & perfectiones omniũ aliarum potentiarum, comprehenduntur sub obiecto voluntatis sicut quædam particularia bona. Hoc idem cõfirmatur euidenti argumento. Nã semper ars, vel potentia, ad quam pertinet finis vniuersalis, mouet ad agendum artem, vel potẽtiam, ad quam pertinet finis particularis, sub illo vniuersali comprehensus; sicut dux exercitus qui intendit bonum commune, scilicet ordinem totius exercitus, mouet suo imperio aliquem ex tribunis, qui intendit ordinem vnius aciei.

Vltim. cõcl. ¶ Vltima conclusio. Intellectus mouet voluntatem, quantum ad specificationem, & determinationẽ sui actus. Nã intellectus ostẽdit voluntati suũ desiderabile, & præsentat ei obiectum suum; obiectũ autem semper determinat potentiam suam ad specialem actum, & actus ipse per obiectum specificatur, & determinatur. Itaq; intellectus tenet primas in ostendendo, & proponendo, voluntas verò in mouendo, quantum ad operis exercitium. Ratio verò quare intellectus primas teneat ex parte obiecti, hęc est; quoniam obiectũ mouet determinando actum, ad modum principij formalis, à quo in rebus naturalibus actio specificatur, sicut calefactio à calore. Primum autẽ principium formale, est ens, & verum vniuersale, quod est obiectum intellectus: & ideo isto modo motionis intellectus mouet voluntatem, sicut præsentans ei obiectum suum.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Arg. contra sextã cõclusionem. Primũ arg. CErtè videtur quod sexta cõclusio falsa sit. ¶ Nã sæpenumero intellectiones & cogitationes anteuertunt actũ voluntatis, vt patet experientia. er-

go voluntas non mouet intellectum, quantum
Secundum. ad exercitiũ operis. ¶ Secũdò, cõtradicẽte nostra
voluntate sæpenumero recurrunt cogitationes,
Tertium. quę rapiũt nos ad diuersa. ergo. ¶ Tertiò, nihil
est volitũ, nisi prius cognitũ, vt est in prouerbio
ergo necessariò debemus venire ad vnũ actum
intellectus, qui antecedat omnẽ actũ volũtatis,
aliàs erit abitio in infinitum. Nam si illud velle
antecessit aliud intelligere, & illud intelligere
antecesit aliud velle, erit abitio in infinitum.
Quartum. ¶ Quartò, intellectio non est efficienter à volũ
tate; tum quoniam est tantum ab intellectu, & à
specie intelligibili; tum verò, quoniam actus vo
luntatis tantùm sunt nolitio, & volitio. ergo vo
luntas non mouet intellectum efficienter ad in-
Quintum. telligendum. ¶ Quintò, voluntas non producit
in intellectu aliquem habitum, nec aliquã quali
tatem inhærentem, nec ipsam intellectionem;
ergo non mouet intellectum efficienter. Proba
tur consequentia. Nam de ratione mouẽtis est,
Confir. quòd producat aliquid in passo. Confirmatur.
Nam voluntas tantùm applicat potẽtias ad ope
randum, ergo non mouet potẽtias ad operan
dum. Probatur consequentia. Nam applicatio,
Vltim. vt constat ex physica, non est causa per se, sed
per accidens. ¶ Vltimò, si voluntas moueret in-
tellectum, quantum ad exercitium operis, mo-
ueret etiam quantum ad specificationem, & di-
rectionem. Probatur sequela. Nam aqua, quæ
est in potentia ad pati, & non pati, & ad passio-
nem, & ad talem passionem, ab eodem agente
reducitur ad passionem, & ad talem passionem,
nempè ab igne. Item visus est in potentia ad vi-
dere, & non videre, & ad videndum album, &
nigrum; nihilominus tamen ab eodem obiecto
reducitur ad videndum, & ad tale obiectum vi-
dendum. Ergo voluntas quę reducit intellectũ
ad opus, reducit illum ad tale opus, ac subinde
mouet illum, quantum ad specificationem.

Prim. cõcl. Volũtas nõ mouet intellectũ in omnibus suis operibus. ¶ In oppositum est sententia D. Tho. In huius rei expositione est prima conclusio. Manifestũ est quòd voluntas non mouet intellectum in omnibus suis operibus. Hoc probant tria argu-
menta in principio posita. ¶ Secunda cõclusio.
Secũd. cõcl. Volũtas nõ mouet potẽtias animæ vegetabiles. Potentiæ vegetatiuæ non mouentur in omni-
bus operibus suis à voluntate. Patet. Nam potẽ
tiæ vegetatiuæ non subduntur libero arbitrio.
Tert. cõcl. Volũtas mouet omnes potentias in operationi bus liberis. ¶ Tertia conclusio. Voluntas mouet intellectũ, quantum ad exercitium in omnibus operibus li
beris, atq; adeò omnes alias potentias in opera-
tionibus quæ competunt homini, quatenus ho
mo est. Hoc significat D. Tho. in prima cõclu-
sione articuli, loquitur enim vt philosophus mo
ralis. Ad hũc modum loquitur sapiẽs Eccles. 15.
Eccles. 15. Ab initio cõstituit Deus hominẽ, & reliquit eũ
in manu cõsilij sui, nempè in operationibus libe-
ris. Sentẽtia D. Tho. in hoc sensũ exposita non
tantùm est vera, sed etiã primũ principiũ philo
sophię moralis. Ex hoc principio inferũt Theo
logi, quòd nemini imputatur peccatũ, nisi volẽ
ti. Rursus, quòd peccata nõ iustè vindicarẽtur,
nisi volũtate fierent. Atq; adeò quòd nulla est
veritas, nulla laus, nullũ præmiũ, nisi voluntate
fiat: ex volũtate enim omne malũ, & omne bo-
nũ originẽ ducit. Quapropter volũtate sola pec
catur, & rectè viuitur. Videte D. Aug. 1. retracta
tionũ c. 9. de vera religione c. 20. & 1. lib. de libe
ro arbitrio c. 12. 13. & 14. 16. 2. lib. c. 18. 3. li. c. 1. & 3.
D. Aug.
¶ Hæc sentẽtia cõstat euidẽti experiẽtia. Nam
intelligimus, quãdo volumus; audimus, quãdo
volumus; videmus, quando placet. ¶ Sed dicet
Theologus; vnde habet voluntas hoc imperiũ
vt vniuersas alias potẽtias moueat ad operandũ
suo arbitratu? Certè habet ex hoc in primis,
quòd est potẽtia libera, in qua libertas formali-
ter cõsistit, vt suprà expositũ est: cæterę verò po
tẽtiæ sunt liberæ per participationẽ, ex cõsensu
volũtatis; & ideo nihil mirũ q; habeat hoc im-
periũ super omnes alias potentias. ¶ Deinde ex
alio capite demõstratur quòd voluntas habeat
hoc imperiũ. Nã voluntas respicit tanquã obie
ctũ proprium, bonum in cõmuni, & in tota sua
latitudine quodcunq; sit illud; cæterę verò po
tẽtiæ respiciunt ad bona particularia, quæ com
prehẽduntur sub obiecto vniuersalissimo volũ
tatis. Inde profectò habet volũtas, quòd moueat
cæteras potẽtias, sicuti rex; quoniã respicit bo-
nũ cõmune Reipub. per suũ imperiũ mouet prę
positos, qui in singulis ciuitatibus præsunt, &
ius dicũt. Hãc causam amplificat mirabiliter D.
Tho. in art. & varijs exẽplis adductis cõfirmat.
Vnde habeat voluntas quòd moueat vniuersas alias potentias ad operandum.
¶ Profectò quod est rex in regno, est voluntas
in homine. Et hinc prouenit, quòd quãdo vo-
luntas in aliquid propendit, vniuersus homo cũ
vniuersis potẽtijs illũc trahitur; & sicut primum
mobile motu suo omnia alia corpora cœlestia
secum velocissimè rapit; sic voluntas cùm effi-
caciter vult, secum trahit vniuersas alias poten-
tias; intellectum, vt intelligat quod ipsa vult; me
moriam, vt recordetur; desiderium, vt illũc ten-
dat; membra exteriora, vt id quod cupit execu-
tioni demandent. Hinc proficiscitur, vt si quis
consensu voluntatis amplectitur vitia, cõtinuò
efficiatur vitiosus; & si mundum, mundanus; &
si carnem, carnalis; & si spiritum, spiritualis; &
si Deum, diuinus. Nam quod amplectitur vo-
luntas, totus ipse homo amplectitur, & amat:
& hoc satis est vt fiat talis, quale est id quod
amatur: propter quod Propheta Oseas capit. 9.
Ose. 9. loquens de vitiosis hominibus & improbis di-
cit, Facti sunt abominabiles sicut ea quæ dilexe
runt. ¶ Sed libet aliã huius rei demõstrationem
Volũtas in homine sicut rex in regno, & primũ mobile in vniuerso
adhi-

adhibere. Ita enim comparatum est vt effectus naturaliter consequantur suas causas; vnde quã tò causæ validiores sunt,& efficaciores,effectus inde subsecuti, validiores & meliores proficiscuntur. Cùm ergo finis sit prima causarum omnium;ipse enim est qui primùm & præcipuè mouet cæteras ad operandũ;consequens est,quòd ea vis animæ,quæ habet pro officio finem vniuersalem respicere,ex eius desiderio & cupiditate cætera omnia moueat;huiusmodi autem est voluntas,vt superiùs probatum est. Vnde est, quòd qui vehementiori cupiditate afficitur erga finem,vehemẽtiùs moueatur ad media,quæ sunt necessaria ad finis consequutionem.

Quar.cõcl. Volũtasmouet cæteras potẽtias applicãdo eas ad operandum. Dupliciter res aliqua mouet alteram.

¶ Quarta conclusio. Voluntas mouet intellectum,& cæteras potẽtias quæ eius imperio subduntur,applicando eas ad operandum,nec habet aliam efficaciam. ¶ Pro cuius explicatione notandum est primò, quòd dupliciter vnum mouet aliud;primo modo, causando aliquid in passo,vel ipsum motum , vel aliquam qualitatem inhærentem : secundo modo, applicando tantùm potentiam producentem ad opus. Et iste modus applicandi in naturalibus, non est modus causandi per se, sed per accidens: qui enim applicat ignem ad comburendum , non comburit,sed ignis comburit.At in moralibus, omnia opera referuntur in voluntatem applicantem, tanquã in primam & potissimam causam.Ratio huius est.Nam omnia opera moralia,& quantum ad vsum,& quantum ad exercitium,dependent à voluntate applicante intrinsecè,& etiam quantum ad modum.Certè in artificiosis magnam laudem meretur causa applicans,vt patet in coquo,& in argentario.Secundò noto,quòd potentiæ quæ subduntur imperio voluntatis,sunt in duplici differentia; quædam sunt passiuę tantùm,vt sunt potentia motiua,& potentia executiua passiua;aliæ sunt actiuæ,vt sunt omnes potentiæ,tum apprehensiuę, tum appetitiuæ. ¶ Tertiò noto,quòd voluntas mouet potentias passiuas,causando immediatè in illis motũ.Hoc asserit Arist.3.de anima c. 10. cùm dicit,quòd appetitus est potentia motiua secundum locum.Et probatur ratione.Nam potentia motiua passiua recipit in se motum , & nõ est aliud principium in quod reducatur iste motus,nisi in appetitum.ergo. Secũdò,angelus per intellectum & volũtatem causat motum in corporibus cœlestibus.ergo consimiliter pervoluntatem anima mouebit corpussuum secundũ locum;cæteras verò potentias mouet voluntas tantum , applicando eas ad opus.Hoc probant argumenta facta in principio,à quarto vsque ad vltimum.Ex his notationibus patet quid dicendum sit,præterquã ad vltimũ.¶Ad quod respõdetur,esse differentiã inter potẽtias naturales,& potẽtias quæ subdũtur imperio volũtatis.Potẽtiæ enim naturales applicãtur ad opus ex instinctu naturæ; potẽtiæ verò liberæ applicantur ad agendum,vel nõ agendũ ex imperio volũtatis, vt cõstat experiẽtia.Itaq; applicatio & vsus, est à volũtate;specificatio verò operis, est ab obiecto.Secũdò dico,esse hoc singulare in actibus volũtarijs quòd requirãt duo mouẽtia, vnũ per modũ agẽtis,alterũ per modũ illuminãtis &diri gẽtis;nãvolũtas sequitur formã apprehẽsam per intellectũ,&obiectũ eius est bonũ apprehẽsum per intellectũ.Dico tertiò,quòd in omnibus rebus naturalibus reperitur,quòd potẽtia,vt reducatur in actũ,requirit geminũ motorẽ v. g. animal quãdo videt,aut graditur , mouetur quidẽ ab appetitu ad illũ motũ,cęterũ quòd motus ille sit huius vel alteriusspeciei,ab obiecto accipiẽdũ est.Similiter quãdo mouetur lapis in suũ locũ,generãs causat illũ motũ;at verò quòd motus sit huius aut alteriusspeciei,ex termino expẽdendũ est.¶Est secũda quæstio; Quomodo intellectus moueat voluntatẽ,an effectiuè,& actiuè,an potiùs per modũ causæ finalis,ostẽdẽdo, illuminãdo.Et videtur primum.¶Nã appetitus (autore D.Tho.q.80.1.p.ar.2.& 1.2.q.22.ar.3.) est potẽtia passiua,& magis passiua quàm intellectus;ita asserit D.Th.in eodẽ loco.Sed intellectusverè patitur à suo obiecto,recipiẽdo speciẽ. ergo voluntas verè patitur à suo obiecto, quod est bonũ apprehẽsum per intellectũ.Ergo volũtas mouetur efficiẽter ab intellectu.¶Secundò, subsistẽtia cõiuncta causæ, nõ variat genus causandi:calor enim in eodẽ genere causæ cõcurreret,si esset subsistens per se, & separatus, sicut modò cõcurrit quãdo est cõiunctus,& est accidẽs.Sed verbum in diuinis producit efficienter amorẽ,quoniã producitSpiritũ sanctũ,vt docet fides.Ergo verbũ intellectus nostri,licèt sit accidẽs,producit amorẽ in genere causæ efficiẽtis. ¶Tertiò,intellectus practicus mouet voluntatẽ efficiẽter.ergo semper intellectus mouet voluntatẽ efficiẽter.Cõsequẽtia inde probatur, quoniã solus intellectus practicus mouetvoluntatẽ. Probatur verò antecedẽs. Nã in intellectu practico residet prudẽtia,quę per suũ imperiũ mouet voluntatẽ efficiẽter,& omnes virtutes, quę sunt in volũtate,sic adeò,quòd esset monstrũ& miraculũ,quòd prudẽtia imperaret efficaciter, &nõ sequerẽtur obediẽtia in volũtate.¶Vltim. experiẽtia cõstat nobis incuti timorẽ,aut tristitiã,ex malis præsentatis per intellectũ.Atq; etiã gaudiũ ex bonis propositis per intellectũ,etiam nobis nõ cõsentiẽtibus,sicut ex sensibilibus,sensationẽ.Ergo experiẽtia cõstat, quòd intellectꝰ mouet voluntatem efficienter. Probatur consequentia.

Ariſtot.

Solut.arg. Ad vltim.

Quomodo intellectus moueat voluntatem. Prim.arg. D.Thom.

Secundum.

Tertium.

Vltimum.

quentia. Nam si hoc non esset, sed diceremus appetitum moueri ad præsentiam appetibilis, non esset aliqua ratio efficax ad probãdum aliquid ab alio pati. Nam ego dicam idem de intellectu, respectu intelligibilis; & de sensu, respectu sensibilis, & de ligno, respectu comburentis, nempè quòd omnia hæc mouentur ad præsentiam suorum obiectorum. Itaq; summa huius argumenti hæc est. ¶ Posita notitia, ponitur volitio; non posita, non ponitur. ergo notitia efficienter causat volitionẽ. Hæc sunt argumenta potissima ad probandum, quòd intellectus mo

Capr. ueat efficienter voluntatem. Alia minoris momenti adducit Capreolus in 2.d.25.q.1.

D.Thom. ¶ In oppositum est. Nam D.Thom. in hoc articulo dicit, quòd intellectus mouet voluntatem, tanquam præsentans ei obiectum suum, & 1. p. q.82.art.4. constituens differentiam inter intellectum, & voluntatem; quantum ad motionem dicit quòd voluntas mouet intellectum efficiẽter. Intellectus verò mouet voluntatem in genere causæ finalis, illuminando, dirigendo. Hęc quæstio est valde difficilis, sed in primis omittamus quosdam Philosophos, & Theologos, dicentes, quòd voluntas in omnibus operibus suis se habet merè passiuè, qui referũt vniuersam efficientiam in obiectum volũtatis; itaq; bonum producit volitionem, voluntate merè passiuè se habente. Hæc sentẽtia est insana. Volitio enim suapte natura est actio vitalis. ergo necesse est quòd procedat à principio intrinseco vitali. Deinde omittamus alios, qui dicunt voluntatẽ tantùm cõcurrere ad producendam volitionẽ, & quòd intellectus per accidens se habet. Quare dicunt, quòd voluntas potest ferri in incognitum, qua sentẽtia nulla est absurdior. Est enim primum principiũ in philosophia morali, quòd nil est volitum, nisi prius cognitum. Secundò, primum principium est, quòd prudentia quæ residet in intellectu, non concurrat ad operationes virtutum, quæ sunt in volũtate per accidẽs, sed per se. Tertiò, primum principiũ est, quòd voluntas sit appetitus rationalis; appetitus autẽ rationalis in hoc differt à naturali, quòd sequitur formam apprehensam per intellectum. Vnde sequitur quòd voluntas, etiam quando operatur naturaliter, atque etiam quando operatur vt natura quædam est, sequitur formam apprehensam per intellectum; vt videre est in mysterio sanctissimę trinitatis. Volũtas enim quę producit amorem diuinum, vt natura quædam est, producit per verbum; atque etiam voluntas beatorum, quia necessariò amat Deum, necessariò amat bonum priusapprehensum per intellectũ.

Varię Theologorũ sentẽtiæ. ¶ Theologi, qui in hac quæstione exponenda sunt admittendi, habent varias opiniones. Quidam volunt, quòd intellectus per bonum apprehensum efficienter mouet voluntatem. Huius opinionis est Gregor. Ari. in 2.d.24.q.vnica, cõclusione 2. Gabriel d.25.q.vnica, dubio 3. Palu. in 4.dist.49.q.3.art.1. Henric. quodlib. 12. q.5. Capr. in 2.d.25.q.1.art.3. sentit, quòd intellectus voluntatem mouet in genere causæ finalis, & formalis, & nullo modo in genere causæ efficiẽtis. Idem sentit Ferra. 1. cõt. gent. c.44. & Victoria. Caiet. 1. p.q.80.ar.2. & infrà q.22.ar.2. habet singularem sententiam, dicens, quòd in actuvoluntatis sunt duo considerandа; vnum, est ipsa substantia actus: & nomine substantiæ actus, non intelligit vniuersam entitatem actus, sed tãtùm genericam, & quicquid significatur nomine volitionis. Est enim compertum exercitatis in dialectica & metaphysica, quòd genus tantũ significat substantiam rei, & ideo prædicatur in quid; & differentia significat modum rei, & ideo prædicatur in quale quid: alterum quod debet considerari, est specificatio actus, quòd sit huius vel alterius speciei. Dicit igitur Caiet. quòd intellectus non concurrit actiuè ad substantiã actus voluntatis, cæterùm ad eius specificationẽ concurrit actiuè. Et probat bono argumento. ¶ Nam in appetitione voluntatis, est exercitiũ actus, & eius specificatio. ergo habere debet causam actiuam vtriusque. Sed voluntas non est causa specificationis actus, aliàs omnes volitiones essent eiusdem speciei. Igitur specificatio debet reduci in bonum apprehensum per intellectum, tanquam in causam efficientem. Quidã ex Magistris nostris dicunt, quòd in voluntate est gemina volitio; naturalis, & libera. Ad liberã volitionem cõcurrit intellectus per modũ causæ formalis, vel finalis, & nullo modo per modũ causæ efficientis, sed tantùm ostendendo, illuminando, dirigendo: cæterùm ad naturalem volitionem concurrit efficienter. qua de causa verbũ diuinũ efficienter producit Spiritũ sanctũ; atq; adeò voluntas nostra in motibus primo primis rapitur efficienter ab apprehensione boni, ob eandem rationẽ. ¶ Pro huius expositione est prima conclusio. Probabile est quòd intellectus moueat voluntatem in genere causę finalis, vel formalis, & nullo modo in genere causæ efficientis. ¶ Nam Arist. & D.Tho. quotiescũque loquũtur de modo, quo intellectus moueat voluntatẽ, dicunt, quòd mouet per modũ causę finalis. ergo ita asserendũ est. videatur singularis locus D.Th. de verita. q.22.ar.11. ad 5. vbi dicit, quòd intellectus mouet voluntatem, non inclinans eã in id in quod tendit, sed sicut ostendendo id, in quod tendere debet. plura scribit ferè in hanc sententiam de veritate, quæstione 22. articul. 12. Secundò, ad hoc quòd voluntas ope-

Gre. Arim. Gab. Palud. Henric. Capr.

Ferrar. Victor. Caietan.

Arg. Caiet.

Expl. quęst Prim. cõcl.

Primũ arg. D.Thom.

Secundum.

operetur, satis est quòd bonum præsentetur voluntati per intellectum, nec ad hoc requiritur alia efficientia. Nam numi propositi voluntati auari, continuò rapiunt eam, & tamen tantùm concurrunt obiectiuè, & non effectiuè.

Tertium. ¶ Tertiò, proposito bono voluntati, licèt auferas omnem efficientiam quam aduersarij fingunt, adhuc voluntas ferretur in illud bonum; est enim impossibile quòd voluntas habeat suum bonum sibi propositum, & quòd in id nó feratur. ergo non requiritur efficientia ex parte intellectus.

Quartum. ¶ Quartò, intellectus non ponit aliquid in voluntate, quod sit præuium ad actum voluntatis, aut verò quòd sit effectiuum illius actus, vt de se patet. ergo non mouet efficienter voluntatem. Probatur consequentia. Nã est prorsus inintelligibile quòd intellectus moueat voluntatẽ efficiẽter, & quòd nó producat aliquid in ea.

Quintum. ¶ Quintò, voluntas est causa principalior volitionis. ergo si bonum apprehẽsum concurrit effectiuè ad volitionem, vel concurrit tanquam forma, vel tanquam instrumentum; non tanquam forma; forma enim debet esse coniuncta operanti; bonum verò apprehensum est in alia potentia, non tanquam instrumentum; nam instrumentum mouetur à principali agente; at bonum apprehensum non mouetur à voluntate.

Sextum. ¶ Sextò, sequeretur ex opposita sententia, quòd voluntas in omnibus operibus suis non esset libera; nam bonum apprehensum, & appetibile, est agens naturale. ergo si bonum apprehensum mouet efficienter voluntatem, mouet naturaliter, & non liberè.

Septimum. ¶ Septimò, voluntas mouet intellectum efficienter, vt suprà demonstratum est. ergo intellectus non mouet voluntatẽ in eodẽ genere causæ, aliàs in eodem genere causæ idem esset mouens, & motum, quod est absurdum.

Secũd. cõcl. ¶ Secunda Conclusio. Probabilis mihi videtur opposita sententia, scilicet, quòd intellectus moueat voluntatem in genere causæ efficientis. Et idem asserendum est de bono apprehẽso quòd moueat voluntatem efficienter. Probatur. Nã licèt argumenta quæ fecimus pro prima conclusione non sint contemnenda, præ illis tamen quæ sunt posita in principio quæstionis, non sunt magni momenti. Secundò, repeto illud argumentum quod feci in principio quæstionis. Nam quando quæritur, an intellectus moueat efficienter voluntatem, non quæritur de intellectu speculatiuo; hic enim nihil mouet; sed de intellectu practico: iste verò intellectus semper mouet efficienter voluntatem. Prudentia enim quę residet in hoc intellectu, per suum imperiũ efficaciter rapit volũtatem, & virtutes quę sunt in voluntate. Confirmatur. Nam stante imperio efficaci ex parte intellectus, nulla restat libertas in voluntate ad contradicendum, vt infrà dicetur. Ergo signum est euidentissimum, quòd imperium intellectus rapiat efficaciter voluntatem. Quòd si aliquis dicat, quòd hoc imperiũ habet efficaciam in mouendo ab ipsa voluntate: prudentia enim est virtus moralis, quę in suo opere dependet à voluntate. Respõdetur, quòd licèt imperium aliquando sit efficax ex volitione, quæ mouet intellectum ad tale imperium, nihilominus tamen cum non sit abitio in infinitum, necessariò deueniendum est ad vnum imperium intellectus, anteuertens omnem actionem voluntatis, quòd secum efficaciter rapiat voluntatem. Ad argum. Pro prim. concluſ. Ad primũ. ¶ Ad argumenta pro prima opinione; ad primum respondetur, quòd bonum apprehensum potest dupliciter cõsiderari; vno modo, prout est à parte rei, & secundum hãc cõsiderationem mouet finaliter, & metaphoricè: alio modo, secundum quod est in intentione, & vt habet coniunctum imperium efficax intellectus, & secundum istam considerationem rapit efficaciter voluntatem. Philosophi quando dicunt, quòd finis, & bonum apprehensum mouent finaliter, interpretandi sunt secundum primam considerationem. Ad secundũ ¶ Ad secundum respõdetur, non esse satis ad hoc quòd voluntas operetur, quòd proponatur ei bonũ per intellectũ. Sed præterea est necessariũ imperiũ efficax intellectus, quod efficaciter moueat voluntatem. Secundò dico, quòd intellectus habet duo officia; vnũ est, proponere volũtati bonũ & cõueniẽs ornãdo illud quantũ potest; quemadmodũ orator artificiosa oratione proponit laudes eius hominis, quẽ vult laudare; & in isto munere intellectus tantũ cõcurrit finaliter, aut verò formaliter: aliud officiũ intellectus est, imperare volũtati efficaciter, & in hoc officio intellectus concurrit efficienter. Ad tertiũ ¶ Ad tertiũ respõdetur, quòd sine aliquo miraculo licèt intellectus proponat volũtati summũ bonũ, si nó interueniat imperiũ efficax, nulla sequetur operatio voluntatis. Ad quartũ. ¶ Ad quartũ respõdetur, quòd si aliquid probaret, probaret subinde quòd volũtas nõ moueat efficienter intellectum: cuius oppositũ superiùs probatũ est. Ad quintũ. ¶ Ad quintũ respõdetur, quòd cõcurrit tanquã forma, qua mediãte, voluntas producit suas operationes: nec oportet quòd sit cõiuncta forma operanti, sed sat est quòd sit in eadem essentia animæ: hoc est proprium voluntatis, quòd operetur per bonum apprehensum ab alia potentia eiusdẽ animæ. Ad sextũ ¶ Ad sextũ respõdetur, quòd motus brachij est liber, qui tamẽ depẽdet à motu cœli, qui est naturalis; motus enim recipitur in passo ad modũ recipiẽtis. Secũdò dico, quòd si ignis applicatus calefaceret, &

calefaceret pro libito meo, certè calefactio esset libera. Quoniam igitur bonum apprehensum depẽdet à volũtate, & in applicatione, & in vsu, hinc est quòd cogitatio, & volitio habent omnem libertatem. ¶ Ad vltimum dicendum, non esse incommodum aliquod, quòd idem sit mouens, & motum, ad diuersa comparatum. Volũtas mouet intellectum ex eo quòd applicat eũ ad motum; intellectus voluntatem, imperãdo, præcipiendo. ¶ Sed illud dubium explicandũ est; Vtrũm ad mouendam voluntatem sufficiat ne simplex apprehensio boni; an verò semper requiratur iudicium de rei conuenientia & bonitate? Scotus in 2. dist. 6. & Marsil. in 2. q. 16. ar. 1. tenent, quòd simplex cognitio, etiam incomplexa, possit mouere voluntatem ad agendum.

Ad vltim.

Quæ operatio intellectus requiratur admouendam voluntatem.

Scot.

Marsil.

Argumenta quibus vtuntur ad huius opinionis probationem, hæc sunt. ¶ In primis, cognitio simplex potest mouere appetitum sensitiuum. ergo etiam potest mouere voluntatem. Consequentia probatur ex eo, quia voluntas tantę virtutis est circa suum obiectum, atque appetitus sentiens circa bonum sensibile. Antecedens verò probatur in animalibus imperfectis, in quibus, autore Aristotel. in 2. de anima text. 20. & 27. & 29. tantummodo est sensus tactus, in quo sensu non potest esse notitia complexa, neque iudicatiua; cùm sensus exterior non possit conficere propositiones; & tamen habent suas appetitiones; nam quando punguntur, dolent, & contristantur; quando verò capiunt delectationem, dilatantur. ¶ Item pueri, & amentes habent suas appetitiones, qui neque iudicant, neque deliberant: cuius inditium manifestarium est, quòd subitò tristantur, vel hilarescunt. Ergo in his mouetur voluntas ex simplici apprehensione. ¶ Hoc idem comprobat euidens rerum experientia. Sæpe enim appetimus cibum vel potum ex simplici apprehensione, vt videre licèt in homine, qui summa fame cruciatur: is enim appositio cibo, continuò gaudet. Certè homo qui velocissimè scribit, qui vult ducere omnem lineam, non iudicat quemadmodum quælibet linea ducenda sit: citharœdus etiam qui tangit lyram, non iudicat ad omnem contactum quem facit. ¶ Item D. Thom. in 2. d. 24. q. 3. artic. 1. dicit, quòd in appetitu sensitiuo sunt quidam motus naturales, qui non sequuntur cognitionem, sed naturalem complexionẽ carnis, & ideo non possunt vitari; & illi solùm, secundum S. Thom. non imputantur.

Prim. arg.

Secundum.

Tertium.

D. Thom.

Quartum.

Quintum. ¶ Præterea visus potest cognoscere coloratum sub ratione lucidi. ergo intellectus per simplicẽ apprehensionem potest cognoscere bonum, sub ratione boni, & illud præsentare voluntati. Poterit ergo mouere voluntatem per simplicẽ apprehensionem. ¶ Item potest argui. Nam ad suspendendum actum non requiritur iudicium. ergo neque ad agendum. Assumptum probatur. Nam si ad suspendendum actum, & vt cessemus ab opere, requiritur iudicium, consequens est quòd ad suspendendum illud iudicium, requiritur aliud iudicium, & sic erit processus in infinitum. ¶ Præterea, potest fieri argumentum de angelo peccante: videtur enim peccasse ex simplici apprehensione, aliàs præcessisset error in intellectu angeli, si habuisset iudicium. At error in angelo ante peccatum nulla ratione admitti potest. Idem argumentum potest fieri de primo peccato, quod commisit primus homo: videtur enim peccasse ex simplici rei apprehensione. Si enim priùs iudicasset bonum esse comedere de ligno vetito, consequẽs est quòd in illo, ante peccatum, error fuit, & defectus. quod concedere ab omni vera Theologia alienum est. In huius rei expositionem est prima conclusio. ¶ Ad mouendam voluntatem non sufficit simplex rei apprehensio, sed requiritur iudicium de conuenientia rei, & bonitate. Sic docet D. Thom. hîc solutione ad 2. & in 2. d. 24. q. 2. art. 1. & Aristot. 3. de anima tex. 46. dicit, quòd intellectus practicus mouet voluntatem ad agendum, non speculatiuus. Certum autem est, quòd intellectus speculatiuus habet simplicem rei apprehensionem, & cognitionem. & in 2. de anima inquit, quòd ad ea quę sunt in apprehensione, nos habemus sicut ad ea quæ sunt in picturis, vbi terribilia nos non contristant. Item si apprehensio sola sufficeret, omnia essent æqualiter appetibilia, vel fugienda; æqualiter enim apprehenditur miseria vt bona, beatitudo vt mala. Nam quantum ad apprehensionem, nulla est differentia: audita enim hac enuntiatione, miseria est bona, apprehendimus miseriam sub ratione boni & conuenientis. Sequitur rursum, quòd apprehendendo necem meam, tristarer, etiam si nullũ immineret periculum. Imò si sola apprehensio sufficeret, homines se libenter interficerent, quia apprehẽdi hoc potest tanquam summum bonum.

Sextum.

Septimum.

Prim. cõcl. Ad mouendam voluntatẽ requiritur iudiciũ de rei cõuenientia.

D. Thom.

Aristot.

Item possemus facilè comparare maximam delectationem: potest enim quis apprehendere se esse Archiepiscopum Toletanum, aut Summũ Pontificem. Præterea eo modo apprehendit homo cordatus, bonum est me in puteum conijcere, atque homo insanus: at cordatus qui iudicat esse malum, non facit; insanus verò facit, quia iudicat esse bonum. Demum ratio potissima quare non potest quis nolle beatitudinem absolutè est, quia non potest apparere sub ratione mali: imò illa est vna ratio, quare beati non possunt nolle videre Deum. At si sufficit ad volendum aliquid,

aliquid,quòd per notitiam solùm apprehensiuam appareat bonum,& ad odium rei,quòd appareat malum;non est dubium quinposint formari tales propositiones apprehensiuæ:beatitudo est mala,& miseria est bona.oportet ergo vt sit iudiciũ de bono ad volendum,&de malo ad nolendum.Sed nunquid D.Thom.hoc alicubi dicit,aut insinuat?Respondetur,quòd D.Tho, loquitur sicut philosophus, per hæc vocabula, intelligere,cognoscere,apprehendere,quę sunt communia ad notitiam apprehensiuam,& iudicatiuam.Et certè clarissimè(vel ego sum cęcus) suam sententiam declarauit hîc in solutione secundi.

Secũd.cõcl. ¶ Secunda Conclusio.Ad mouendam voluntatem efficaciter, non sufficit iudicium speculatiuum de conuenientia rei & bonitate;nam me disputante de beatitudine, quòd sit summum bonum,non sequitur efficax volitio;quia intellectus speculatiuus nihil mouet.

Tert.cõcl. ¶ Tertia Conclusio.Non sufficit ad mouendã voluntatem iudicium practicum.quod explicatur his verbis;Beatitudo est summè appetenda, bonum est sequi virtutem; nam quisque iudicat hoc esse bonum, at non omnes sequuntur virtutem.

Quar.cõcl. ¶ Quarta Conclusio. Satis est ad mouendam voluntatem iudicium practicum intellectus. quod explicatur his verbis;fac hoc,ama, dilige. de efficacia huius imperij infrà quæstione 17.

Nunc verò ad argumenta satisfaciendum est.

Ad argum. Ad primum ¶ Ad primũ dicẽdũ, quòd hæc animalia imperfecta,habẽt imperfectũ iudiciũ,iudicãt, vel existimant cibũ,vel calorẽ esse sibi cõmodum,aut incommodum,quo delectantur,vel tristantur.

Aristot. Certè Aristot.2.de anima tex. 29. reliquit sub dubio,an ne in animalibus imperfectis sit tantùm sensus tactus;sed in 3.de anima tex.56. vbi tractat de motiuo appetitus , omnino docet, quòd habent phantasiam,sed indeterminatam. & probat;quia tristitiam videntur habere,& lętitiam.Vnde patet,quòd secundum Aristo.simplex apprehensio sensus exterioris non sufficit ad mouendum appetitum etiam sensitiuum.

Ad secundũ ¶ Ad secundum argumentum dicendum est, quòd sicut pueri & amentes subitò feruntur in sua obiecta per suas appetitiones,sic subitò æstimant aliquid sibi commodum aut incommodum.Sed obseruandum,quòd iudicium in præsentia appellatur apprehensio, & æstimatio alicuius rei,sub ratione cõueniẽtis,aut discõueniẽtis,cõmodi aut incõmodi;nõverò accipitur pro enũtiatione iudicatiua:propositiõesem iudicatiuę nõ inueniuntur in brutis.Sed &illud nõ prætereundum,quòd iudicium apud Philosophos morales sumitur pro sententia &decreto,quod ex deliberatione & consultatione dimanat.Verùm in præsentia accipitur pro æstimatione rei, sub ratione conuenientis,aut disconuenientis: & tale iudicium inuenitur in pueris & amentibus. ¶ Ad tertium dicendum,quòd commemorati in argumento,iudicant esse bonũ quod faciunt , postmodum verò in operis exercitio sequuntur iudicium iã præcõceptum, neque requiritur quòd de nouo iudicent. ¶ Ad quartũ dicendum,quòd nullus motus appetitus sensitiui est sine imaginatione,vt clarè dicit S.Thom. in 2.d.24.q.1.art.1.sed dicuntur illi motus naturales,quia licèt sint cum imaginatione, non tamen ex ea causantur,sed ex motu naturali, vel complexione carnis;vel si causantur ex eâ, nõ potuit ipsa imaginatio vitari.Conradus videtur exponere,quòd tales motus præcedunt omnẽ cognitionem intellectiuam,& rationis deliberationem, & ideo non imputantur. ¶ Ad quintum dicendum,quòd si intellectus speculatiuus proponit voluntati bonum & conueniens, voluntas non mouetur ad agendum; nam (vt dictum est)intellectus speculatiuus non sufficit ad mouendam voluntatem. ¶ Ad aliud dicendum est,quòd ad suspendendum negatiuè, nõ requiritur aliud iudicium; quia hoc nihil aliud est quàm non agere,& ab opere cessare ; sicut enim voluntas iudicante intellectu, bonum esse diligere Platonem, est libera ad non diligendum;ita & postquam cœpit diligere, est libera ad non diligẽdum,& sic potest cessare ab actu. Si tamen haberet hanc volitionem,volo non diligere,oportet vt habeat iudicium,malum est diligere,& bonum non diligere. Vel dicito,quòd licèt esset necessarium iudicium, non esset abitio in infinitum; nam deueniendum esset ad vnum iudicium,quod haberemus ab autore naturæ,vel ex sensu,vel ex complexione naturali.

Ad tertium. Ad quartũ. D.Thom. Conradus. Ad quintũ. Ad sextum.

¶ Ad vltimum, de angelo , dicunt Theologi, quòd peccauit per inconsiderationem , & ideo non cogimur constituere errorem in intellectu angeli ante peccatum. Quomodo autem hoc sit intelligendum,non est præsentis speculationis;quanquam ego non arbitror esse incommodum aliquod,concedere quòd angelus in eodẽ instanti,in quo peccauit,habuerit errorem practicum in intellectu:errãt enim omnes qui operantur malum; & omnis prauus est ignorans. Neque ex hoc consequens est,quòd fuerit error ante peccatum;nam error prædictus, pertinet ad primum peccatum;cùm enim quis furatur,certè errat,neque tamen iste error imputatur vt nouum,& distinctum peccatum. Sed de hoc alio in loco conuenientiùs disputauimus, nunc ad sequentem articulum progrediamur.

Ad vltimũ.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ Vtrùm voluntas moueatur ab appetitu sensitiuo.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Conclusio articuli sic habet. Appetitus sensitiuus ex parte obiecti mouet voluntatem. Apertę, planæque sunt probationes quæ hîc ab autore producuntur. Prima eruitur ex illo Iacobi capit. Iac. 1. 1. Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus. Non autem abstraheretur quis à concupiscentia sua, nisi voluntas eius moueretur ab appetitu sensitiuo, in quo appetitu est concupiscentia. Ergo appetitus sensitiuus mouet voluntatem. Subnectit D. Thom. alteram probationem nõ minus efficacem. Id, inquit, quod apprehenditur ab intellectu sub ratione boni & conuenientis, mouet voluntatem ex parte obiecti. Sed passio quę est in appetitu sensitiuo, est in causa quòd obiectum appareat magis aut minus conueniens, pulchrum aut minus pulchrum. Ergo appetitus sensitiuus, in quo passiones animi collocantur, mouet voluntatem ex parte obiecti. Id autem quomodo fiat, exponit D. Thom. eleganter in primis. Quòd enim aliquid videatur conueniens, ex duobus contingit; ex conditione eius quod proponitur; & ex conditione eius, cui proponitur; neque enim omnibus omnia conueniunt. Vnde prouenit, quòd vir iustus diuersimodè dispositus, non eodem modo iudicat aliquid vt conueniens, vel vt disconueniens. Propter quod Aristotel. dicit 3. Ethicorum. Qualis vnusquisque est, talis finis videtur ei. Manifestum est autẽ quòd per passionem appetitus sensitiui immutatur homo ad aliquam dispositionem; vt cùm irascitur, excandescit, cum timet, friget, & refugit. Vnde secundum quod homo est in aliqua passione, videtur sibi aliquid conueniens, quod nõ videretur extra talem passionem constituto. Arist.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Quomodo moueatur intellectus ad iudicandum à passione appetitus sensitiui.

DVo dubia hic possunt esse. Primum, quomodo ex passione moueatur intellectus ad iudicandum; an hoc sit mediatè, hoc est propterea, quia ex passione sequitur iudicium cõuenientis in imaginatione, & ex hoc iudicio ipsius sensus, sequitur simile iudicium in intellectu: an etiam immediatè, scilicet nulla variatione facta in iudicio sensitiuo, insurgente passione in appetitu, varietur iudicium in intellectu? Certè vtroque modo passio variat iudicium. Et quidem de primo modo non est dubium, & sic S. Thom. ponit in multis locis, infrà quæstion. 77. articul. 1. Secũdum autem modum ponit & in alijs locis, & fit hoc pacto; quia appetitus sensitiuus mutat animal totum; est enim appetitus subiecti, & ex dispositione varia subiecti aliquid apparet conueniens, vel disconueniens, non solùm sensui, sed etiam rationi. Non solùm enim qui febri æstuat, secundum sensum iudicat esse conueniens bibere, sed etiam secundum intellectũ, etiamsi sensus non iudicaret. Imò aliquando ex passione mouetur ad iudicandum id, quod nõ potest iudicare sensus, putà, potest moueri ad iudicandum quòd est sibi conueniens, blasphemare, vel odisse Deum, vel è contrario ex timore pœnarum sensibilium ad iudicandum, quòd expedit dolere de peccatis. & isti duo modi sunt certi.

Quomodo volũtas moueatur ab appetitu sensitiuo.

¶ Secundum dubium est; An alio modo volũtas moueatur ab appetitu sensitiuo, quàm per hoc quòd variatur iudicium rationis? putà, inclinando immediatè voluntatem. Pro quo nota, quòd voluntas tripliciter potest mouere appetitum

tum ſenſitiuum; vno modo, cauſando iudiciũ nouum in imaginatione. verbi gratia. cùm homo timet pœnas inferni, per volũtatem mouet intellectum, & per intellectum imaginationem ad formanda aliqua phantaſmata pœnarum, vt ignis vrentis, vermis rodentis, & exinde ſequitur paſsio timoris in appetitu ſenſitiuo. Secundo modo, imperando paſsionem per imperij efficaciam, ſicut ſcribit Ariſtot. de viro forti, qui videns eſſe vtilem iram ad pugnandum, vult ira ſci; & mulier cui placet mors viri, excitat dolorem in appetitu ſenſitiuo ad exprimendas lachrymas. Tertio modo, dato quòd nihil iſtorum ſit, ſed ſolùm ex redundantia voluntatis in appetitum; ex triſtitia enim voluntatis, naturali conſequio ſequitur triſtitia in appetitu; & ex hoc quòd aliquis deteſtatur peccatum, tanquã turpe, ſequitur verecundia in appetitu. Quo omnino diſtinguitur à duobus primis modis. Nam ſtante apprehenſione de turpitudine peccati in ſenſu, ſi voluntas non deteſtaretur illud, non ſequeretur verecũdia in appetitu, & gaudẽte volũtate de aliquo etiã nõ delectabili, ſequitur delectatio in appetitu; & de triſtitia voluntatis de peccato ſpirituali, ſequitur triſtitia in appetitu ſenſitiuo, quæ non ſequeretur, niſi eſſet talis triſtitia in voluntate. Non enim eſt credendum quòd ſolùm ex voluntate redundet in appetitum aliqua paſsio per hoc, quòd mutatur iudicium ſenſus: nam manente eodem iudicio, ſecundum diuerſos motus voluntatis, redundãt motus diuerſi in appetitu ſenſitiuo. de qua re videndus eſt D. Thom. de veritate q. 26. art. 3. ad 13. & ar. 6. etiam ad 13. Dubiũ ergo modo eſt, an iſto tertio modo, quo volũtas mouet appetitum per redundantiam, etiam appetitus moueat voluntatem? Itaque cæteris omnibus paribus in ſenſu & intellectu, voluntas vnius inclinetur ad pecunias, propter paſsionem auaritiæ exiſtentem in appetitu ſenſitiuo; & voluntas alterius, qui non habet talem paſsionem, non inclinetur, vel non tantum inclinetur; breuiter, vtrùm præter duos modos ſuperiùs poſitos, quibus appetitus ſenſitiuus poteſt mouere voluntatem, immutãdo iudicium rationis, detur alius modus quo appetitus moueat voluntatem?

Ariſt. D.Thom.

Pri. argum. D.Thom.

¶ Et quidem à parte negatiua hæc ſunt argumẽta. In primis S. Thom. vbicunque loquitur de motione voluntatis ab appetitu ſenſitiuo, non poſuit niſi illos duos modos. Patet hoc non ſolùm hic, ſed infrà q. 77. artic. 1. & de veritate, q. 22. art. 9. dicit, quòd nulla creatura poteſt agere directè in ipſam voluntatem, vt eam qualitercunque inclinet. & ibidem ad ſextum ſcribit, quòd appetitus ſenſibilis non mouet voluntatem, quaſi directè in voluntatem agendo, ſed ſolùm ex parte obiecti, impediendo rationem. lege omnino D. Thom. in hoc loco, in quo dicit expreſſè, quòd non aliter appetitus mouet, niſi ſicut ſi quis perſuaderet quòd eſſet conueniens blaſphemare, vel aliud peccatum. Certè in articulo quinto huius quæſtionis pro certo habet & euidenti, quòd corpus non imprimit directè in voluntate, & per conſequens neque appetitus ſenſitiuus, cùm ſit in corpore.

¶ Præterea, ſenſus non mouet intellectum, niſi ex parte obiecti. ergo neque appetitus ſenſitiuus mouet voluntatem, niſi ex parte obiecti.

Secundum.

¶ Ad hæc, ſi appetitus ſenſitiuus mouet voluntatem, & trahit illam ex parte ſubiecti, ex redũdantia & colligatione, ſequitur, quòd voluntas moueretur quantũ ad exercitium ab alio quã à Deo, & à ſeipſa. cuius oppoſitum dicit hic D. Thom. infra art. 6. Patet conſequentia. Nam D. Thom. art. 1. huius quæſtionis, non ponit niſi duos modos quibus mouetur voluntas; vel ex parte ſubiecti, quantum ad exercitiũ actus; vel ex parte obiecti, quantum ad ſpecificationem. Si ergo appetitus ſenſitiuus mouet voluntatẽ, alio modo quàm ex parte obiecti, mouet illam quantum ad exercitium actus. ¶ Profectò quòd appetitus ſenſitiuus tantùm moueat voluntatem ex parte obiecti, ad modum perſuadentis & allicientis, magis fauet nobilitati, & libertati voluntatis.

Tertium. D.Thom.

¶ Sed contrariam ſententiam probant non minora argumenta. ¶ Primum arguitur ex euidenti experientia. Nam continuò atque appetitus ſenſitiuus afficitur erga aliquam rem, afficitur ſubinde voluntas, & trahitur vt velit; quẽadmodum ſi vxor, & filij vehementer cupiant rem aliquam, continuò trahitur vir in eandem ſententiam. Certè homines poſtquam rectificauerunt iudicium intellectus ſine quocunque errore, ſi patiuntur paſsiones vehementes, ſentiũt difficultatem in voluntate, & dato quòd operẽtur contra paſsiones, tamen non operantur prõptè & delectabiliter. Ex qua euidenti experientia non obſcurè colligitur, quòd voluntas trahitur ab appetitu ſenſitiuo, ex quadam colligatione & redundantia. ¶ Idem colligitur alio argumento. Nam ſi paſsio mouet tantùm voluntatem ex parte obiecti per modum ſuadentis & allicientis, ſequitur quòd quicunque peccaret ex paſsione, neceſſariò haberet iudicium erroneũ in intellectu. Hoc tamen non videtur verum. Nam ille qui rectum iudicat, poteſt contra cõſcientiam peccare, & hoc ex paſsione incitatus. ¶ Sed & tertium argumentum hoc apertè conuincit. Nam ſi paſsio mouet voluntatem ex parte obiecti, mutando iudicium intellectus, & nõ alio modo, ſequitur quòd continentiæ habi-

Contraria ſententia probatur. Primum. Secundum. Tertium.

tus

tus potiùs deberet constitui in intellectu ad rectificandum iudicium, quàm in volũtate, postquam passiones nihil agunt nisi mutando intellectum. ¶ Quòd si hæc argumenta leuia videntur, & minimè rem demonstrare, ex autoritate
D.Thom. maiorum pergam idẽ ostendere. Certè D. Th. 1.p.q.111.artic.2.scribit in hunc modum; Voluntas, inquit, mouetur ab interiori, à solo Deo, ab extrinseco verò mouetur ab angelo, per hoc quod potest esse causa quòd aliquid apprehendatur ab intellectu, & subdit. Sed præter hunc modum etiam voluntas mouetur ab extrinseco scilicet ex passione existente in appetitu sensitiuo; sicut ex concupiscentia, vel ira inclinatur voluntas ad aliquid volẽdum: sic etiam angeli possunt voluntatem mouere, concitando similes passiones. loquitur propemodum in eandem sententiam D. Thom. de veritate, q.26.artic.6. & 7. quibus in locis manifestè declarat, quòd appetitus sensitiuus non solùm mouet voluntatẽ ex parte obiecti, sed etiam ex parte subiecti, ex quadam redundantia & colligatione naturali. Sed hoc in loco tantùm commemorat, quomodo appetitus sensitiuus moueat voluntatem ex parte obiecti; iste enim modus est clarior & manifestior. ¶ Sed & sancta scriptura non obscurè insinuat, quomodo appetitus carnis trahat voluntatem: huc enim pertinet illud quod dicit
Rom.7. Paul. Roman. 7. Sentio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in legem peccati. In quibus verbis explicat vim appetitus sensitiui, qua trahit secum voluntatem. Idem explicat in eo quod subdit; Infelix ego homo, quis me liberabit de morte corporis huius? gratia Dei per Iesum Christum, id est, gratia Dei, qui in carne dãnauit peccatum, & frænauit appetitum meum.
Sap.9. Idem elucidat Sapiens cũ inquit; Corpus quod
Iac.1. corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit sensum multa cogitantem. Sed & D. Iacobus idem ait, cum dicit; Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus. Hæc sententia videtur mihi admodum probabilis, quam proinde libenter amplector. Ex ea tamen non sequitur, quòd vehementiùs moueatur qui habet passiones vehementiores, cæteris paribus ex parte intellectus & voluntatis; nunquam enim sunt paria ex parte intellectus. Quando enim passio trahit secum voluntatem ex colligatione & redundantia, semper immutatur intellectus, non quidem in iudicio, sed in imperio; passio enim est in causa quòd intellectus imperet efficaciter hoc vel illud esse faciendum, sine quo imperio voluntas nunquam mouetur. Itaque sicut passio ex colligatione quam habet cum voluntate, trahit secum voluntatem, etiam trahit secum intellectum, non vt semper iudicet esse bonum id ad quod passio inclinat, sed vt vel dissimulando, vel inconsiderando imperet secundum passionem esse faciendum. Hæc de secundo dubio dixisse sufficiat.

ARTIC. TERTIVS.

¶ *Vtrùm voluntas moueat seipsam.*

SVMMA TEXTVS.

Concluſio. Concluſio sic habet. Voluntas mouet seipsam in electione mediorũ. Probatio est perfacilis. Voluntatis obiectum est finis, vt suprà satis probatum est. Sed finis in rebus agendis sic se habet, sicut primum principium in scientijs. At intellectus per hoc quod cognoscit primum principium, reducit se de potentia ad actum circa cognitionem conclusionum, & hoc modo mouet seipsum. Ergo consimili ratione voluntas per hoc quod vult finem, mouet seipsam ad volendum ea quæ sunt propter finem.

EXPLICATIO ARTICVLI.

IN hoc articulo solùm contendit D. Thom. demonstrare, quòd voluntas quãtum ad exercitium mouet seipsam, in aliquo actu, hoc est in electione mediorum. Vtrùm verò in omni opere suo moueat seipsam, alia quæstio est in sequentibus articulis examinanda, ad quam disputandam iam aggrediamur; nã in hoc articulo nihil est dubitandum.

ARTIC. QVARTVS.

¶ *Vtrùm voluntas moueatur ab aliquo exteriori principio.*

SVMMA TEXTVS.

Prim. cõcl. PRima Concluſio. Voluntas, prout mouetur ab obiecto, ab aliquo exteriori principio mouetur.

uetur. Hæc conclusio liquida est, neque probatione indiget.

Secūd. cōcl. ¶ Secunda Conclusio. Voluntas mouet seipsam cùm eligit media ad finem, in quantum per hoc quòd vult finem, reducit seipsam ad volendum ea quæ sunt ad finem, mediante consilio & deliberatione.

Tert cōcl. ¶ Tertia Conclusio. Voluntas cùm vult finem, non mouet seipsam, sed necesse est vt voluntas moueatur in finem ex instinctu alicuius exterioris mouentis. Hāc conclusionem probat D. Thomas secutus principia philosophiæ. In primis statuit pro certo, quòd id, quod mouetur, ab alio mouetur, Arist. ex 8. Physic. Deinde aliud principium statuit, quòd id, quod est in potentia, oportet quòd reducatur ad actum per aliquid quod sit in actu. His annectit, quòd voluntas est aliquando in potentia volendi id, quod prius nolebat. Ex quibus principijs concludit efficaciter, quòd voluntas ab aliquo mouetur; manifestum est enim quòd voluntas incipit velle aliquid cùm hoc prius non vellet: oportet ergo quòd ab aliquo moueatur ad volendum. Et quidem ipsa voluntas mouet seipsam, in quantum per hoc quòd vult finem, reducit seipsam ad volendum ea quæ sunt ad finem; hoc autem non potest facere nisi consilio mediante. Cùm enim aliquis vult sanari, incipit cogitare quomodo hoc consequi possit, & per talem cogitationem peruenit ad hoc, quòd potest sanari per medicinam, & hoc vult; sed quia non semper sanitatem actu vult, necesse est quòd incipiat velle sanari ab aliquo mouente; & si quidem ipsa moueret seipsam ad volendum, oportuisset quòd mediante consilio hoc ageret, ex aliqua voluntate præsupposita; hoc autem non procedit in infinitum; vnde necesse est ponere quòd in primum motum voluntatis, voluntas prodeat ex instinctu alicuius exterioris mouentis, vt Arist. concludit in quodam capit. Ethicæ Eudimicæ. Ex hoc sequitur, quòd licèt motus voluntarius habeat principium proximum intrinsecum, primum tamen est ab extrinseco. Probatio ergo D. Tho. ad syllogismi formam composita sic habet. Voluntas mouet seipsam ad volendum ea quæ sunt ad finem, in quantum per hoc quòd vult finem, reducit se ad ea quæ sunt necessaria ad finem. Sed hoc non potest facere nisi mediante consilio & deliberatione. Igitur ne procedatur in infinitum, necessum est dicere vt in primum motum voluntatis ipsa voluntas prodeat ex instinctu alicuius exterioris mouentis.

EXPLICATIO ARTICVLI.

MAgnum ingenium, planeque diuinū D. Thom. qui cùm alia multa hoc articulo nos doceat, tum illud præcipuū; quomodo in omni opere nos nō incipimus, sed Deus qui donat nobis & velle, & facere pro sua voluntate; ipse est ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia; ab eo principium operis, in eum finis nostræ operationis refertur; quippe qui sit Alpha, &, O, principium & finis. Id autem quomodo demonstret

diuinus

diuinus Doctor, operæprecium eſt vt exquiſitè explicemus. ¶ Quæritur ergo à pleriſque, & à nemine ferè explicatur; A quo moueatur noſtra voluntas cùm vult finem, & cùm incipit velle, quod prius nolebat? Et quidem D. Tho. definit quòd moueatur ex inſtinctu Dei mouentis, vt patet in tertia concluſione. ſed quòd definitio ſit falſa, ſuadetur his argumẽtis. ¶ Principiò, voluntas producit effectiuè volitionem finis, ſicut volitionem mediorum: ipſa enim eſt quæ vult finem, & media conſentanea ad finẽ. Ergo voluntas mouet ſeipſam in volitione finis. Conſequentia videtur nota. & antecedens probatur; quia volitio & amor finis, eſt operatio vitalis, quã anima noſtra efficit per voluntatẽ. ¶ Deinde, volitio finis eſt operatio libera quantum ad exercitium actus, vt ex dictis ſatis patere exiſtimo. Ergo voluntas habet dominium huius operis, & ſic poterit amare & non amare, velle & non velle. ¶ Præterea, volitio finis eſt volũtaria; eſt enim actus elicitus à volũtate. ergo eſt à principio intrinſeco, cum cognitione finis. Nõ ergo oportet eã referre in inſtinctum exterioris mouentis. ¶ Sed & illud argumentum vrget. Nam hoc maximè differt inter bruta animantia, & homines; quòd homines mouent ſe in finem; bruta animantia minimè. dictum eſt hoc, & magna aſſeueratione confirmatum ſuprà q. 1. articul. 1. & 2. Voluntas ergo humana mouet ſe in finem. His accedit, quòd ſi voluntas cùm vult finem, mouetur à Deo autore naturæ, & ex eius inſtinctu & impulſu, ſicut lapis mouetur à generante; conſequens eſt, quòd talis motus ſit naturalis, & neceſſarius. quod aſſerere, apertè falſum eſt. Nam aliquando volitio finis eſt libera, & meritoria. ¶ Iam verò opera vitæ quæ reperiuntur in animantibus, non tribuuntur generanti, neque autori naturæ, ſed animæ viuenti; vnde anima definitur, quòd ſit principium vitæ. Sed appetitio & amor finis, eſt opus viuum. Ergo in animam viuentẽ eſt referendum, non in autorem naturæ. Certè omnia opera vitæ Phyſici ſumma conſenſione in animam reducunt, non in generantem, neque in autorem naturæ. Hæc argumenta fiunt contra concluſionem D. Thom. ¶ Sed contra probationem, ad probandum quòd non rectè procedat, arguit Scotus in quodlib. quæſt. 21. & Dominus Caietan. hoc in loco etiam inſurgit. Probatio D. Thom. ſic habet. Nam ſi voluntas mouet ſeipſam cùm incipit velle finem, mouet ſe per præcedentem volitionem, & deliberationem. At in his deliberationibus non eſt proceſſus in infinitum. Ergo deueniendum eſt ad vnam volitionem, in qua voluntas moueatur ex inſtinctu exterioris mouentis. ¶ Hæc ratio videtur inualida & friuola; poterit enim quis dicere, quòd voluntas mouet ſe cùm appetit finẽ, non per præcedentem volitionem, aut deliberationem, ſed quia ipſa producit volitionem. ¶ Deinde, voluntarium (vt docuit S. Tho.) eſt duplex; vnum, quia eſt volitum; aliud, quia eſt in poteſtate voluntatis; & hoc ſecũdo modo actus quo voluntas appetit finem, eſt voluntarius; vnde ex hoc quòd prima volitio finis non eſt volita, non efficaciter probatur quòd non ſit voluntaria. ¶ Præterea, ad volitionem finis ſufficit obiectum præſens cum ipſa volitione; ſufficit, inquam, quòd proponatur obiectum voluntati ab ipſo intellectu, vt voluntas velit finem. ergo non oportet conſtituere motorem extrinſecũ. ¶ Demum, tota vis probationis S. Thom. in hoc conſiſtit, quòd voluntas non mouet ſe, niſi mediante conſilio, vel mediante præuia alia volitione, quod S. Thom. neque hic, neque alibi probauit. Sed neque Ariſtot. quem D. Tho. in patrocinium ſuæ ſententiæ hîc produxit, fauet placito D. Thom. ſi attentè legatur; nam in eo loco ſic ſcribit, Deus noſter, & quia autor naturæ eſt, & quia creaturarum intellectualium particularem prouidentiam gerit, mouet intellectum noſtrum, non ſolùm quantum ad eas cognitiones, quas in exordio vitæ habemus, ſed etiam quantum ad alias, quas habemus in progreſſu temporis, quæ in nobis inſunt abſq; præuio iudicio aut deliberatione, quæ à Deo nobis immittuntur. Vbi Ariſtot. nunquam docet, quòd voluntas noſtra moueatur ex inſtinctu exterioris mouentis, ſed tantùm hoc aſſerit de intellectu, & prima cognitione. Propter hæc argumenta Scotus, & alij Theologi irrident quęſtionem huius articuli, & veluti facilem, eam prætermittunt; exiſtimant enim quòd voluntas in appetitione finis mouetur ex obiecto, & intellectus præſentatione; cæterùm Ariſtot. in hac quæſtione explicanda admodum laborat, vnde ſit, & vnde naſcatur quòd alius ſit aptus & inclinatus ad philoſophiam, alius ad medicinã, ad poëticen alius; docetque quòd iſtæ varię hominum inclinationes à Deo proueniant, & proficiſcantur ex inſtinctu diuinitatis. Quod vt diligentiùs exponatur, eſt prima concluſio.

¶ Voluntas mouet ſe in electione mediorum. Nam ea potentia mouet ſe ad operandum, quæ applicat ſe ſua ſponte ad operandum. Sed humana voluntas per deliberationem & conſilium applicat ſe ad eligenda media. Ergo mouet ſe in electione mediorum. Deinde, intellectus per aſſenſum primorum principiorum mouet ſe per diſcurſum ad aſſenſum concluſionũ, vt experientia comprobatur. Ergo voluntas per volitionem finis, mouet ſe ad volitionem medio-

A quo moueatur volũtas noſtra cũ vult finẽ & incipit velle.

Arg. contra tertiã cõcl. D. Thom. Primum.

Secundum.

Tertium.

Quartum.

Quintum.

Impugnatur ratio D. Thom. Scot. Caietan.

Pri. argum.

Secundum.

Tertium.

Quartum.

Prim. cõcl. Volũtas mouet ſe in electione mediorum.

mediorum. Consequentia inde probatur. Nam quod est in intellectu assensus primorum principiorum, est in voluntate volitio finis; & quod est in intellectu discursus, est in voluntate electio mediorum. Præterea, in eo opere quod voluntas agit sine deliberatione, non dicitur se mouere; non enim dicimus quòd mouet se voluntas vt appetat vitam, aut salutem; quoniam huiusmodi appetitiones sunt naturales, & inditæ à natura; sed in eo opere dicitur se mouere, quod agit mediante consultatione & deliberatione. At in medijs eligendis vtitur consultatione & deliberatione. Ergo in electione mediorum mouet se ipsa voluntas.

Obiectio. ¶ Sed argumentabitur aliquis contra ea quæ dicta sunt. Nam omne quod mouetur, ab alio

Aristot. mouetur, vt scribit Aristot. septimo & octauo Physicor. Ergo voluntas in electione mediorum ab alio mouetur. Hoc ipsum confirmatur. Nam quod mouet, est in actu; quod mouetur, in potentia. At impossibile est quòd respectu eiusdem simul idem sit in actu, & in potentia. ergo omne quod mouetur, ab alio mo-

Solutio. uetur. ¶ Vt hoc argumentum confutetur, sciendum est in primis, nunquam dixisse Aristotelem, quòd omne quod mouetur, ab alio moueatur; sed tãtùm docuit, quòd omne quod mouetur, ab aliquo mouetur. Illud etiam intelligendum est de suppositis per se subsistentibus, in quibus distinguitur pars per se mouẽs, à parte per se mota, debetque intelligi de motibus corporeis, qui verè & propriè motus sunt; non autem debet extendi ad actiones spirituales, quæ re vera motus non sunt, nisi tantùm per metaphoram. In actionibus enim spiritualibus non verificatur definitio motus, quæ sic habet; Motus est actus entis in potentia. Actio verò spiritualis potiùs est actus existentis in actu. Vel dicat Theologus, quòd voluntas in electione mediorũ mouetur ab alio; mouetur enim à volitione finis: voluntas enim existens in actu per volitionem finis, mouet se ad eligenda ea quæ ordinantur ad finem.

Secũd. cõcl. Volũtas producit efficienter volitionẽ finis ¶ Secunda conclusio. Voluntas producit efficienter volitionem finis; volo dicere, quòd cũ voluntas appetit, vel amat finem, ipsa est quæ amat finem, & concurrit efficienter ad actum amandi. Contrarium huius docet Capreol. in 2. dist. 24. q. 1. ad 8. & 5. conclusionem; sed nostra conclusio euidenter demonstratur ex argumẽtis, quæ fecimus in exordio quæstionis vlq; ad quartum. ¶ Sed in patrocinium Capreoli est ar-

Capr. Argum. gumentum. Nam voluntas est pura potentia ad primam volitionem finis. Ergo necessum est cõstituere extrarium motorem, à quo reducatur ad actũ; id enim quod est in pura potentia, non se reducit ad actum. ¶ Ad hoc argumentum di-

Solutio. cendum est, quòd licèt voluntas sit in potentia formali ad primam volitionem, id est actualiter careat illa; est tamen in actu virtualiter: nam habet in se vnde possit comparare primam volitionem finis, si obiectum ei proponatur: sicut ignis per calorem habet vnde se possit reducere ad actum combustionis, si ei cõbustibile applicetur. Itaq; maximè differt inter intellectũ, & voluntatem; quòd intellectus sic est pura potẽtia, vt non possit reduci ad actum, nisi ab obiecto recipiat speciem; at voluntas sic est pura potentia vt possit reduci ad actum amãdi, proposito obiecto per intellectum, absq; eo quòd in se aliquid recipiat. Vel dicat Theologus hoc argumẽtum esse inualidum, & nugatorium. Voluntas mouetur ab alio cùm primum appetit finem. ergo non concurrit efficienter ad actum amandi: brutum enim efficienter concurrit ad appetitionẽ finis, mouetur nihilominus ex instinctu naturæ: & oculus efficienter producit visionem, at mouetur à voluntate vt videat; & intellectus efficienter producit assensum fidei, sed mouetur à Deo per illuminationem supernaturalẽ. Itaq; hæc duo non disident, sed bene cohærent; hęc potentia aut vis animæ producit efficienter talem actum, & mouetur ab alio; sicut viceuersa potest euenire, quòd res aliqua moueat alterã, & non concurrat efficienter ad actum illius; vt voluntas mouet oculum ad videndum, at non concurrit efficienter ad actum videndi; & volũtas per piam affectionem mouet intellectum ad credendum, sed efficienter non producit actum fidei. ¶ Tertia conclusio. Volitio finis est volũ-

Tert cõcl. Volitio finis libera est quantũ ad exercitium. taria, & libera quantum ad exercitium operis: dum enim hanc vitam viuimus, omnis operatio humana libera est. quod vel sola experientia cõprobatur. Est enim situ in nostra potestate, velle & non velle; amare vel nõ amare. Vnde quãdo Caietanus ad finẽ huius articuli scribit, quòd prima volitio est naturalis, & non voluntaria; nõ intelligit quòd non sit libera & voluntaria in exercitio actus, sed tantùm intelligit quòd non est volitio ex præcedenti volitione, neque causatur per deliberationem & consultationem. ¶ Quarta conclusio. Voluntas quando vult fi-

Quar. cõcl. Voluntas in volitione finis mouetur ex instinctu primi motoris. nem, non se mouet, sed mouetur ex instinctu primi motoris. Hæc conclusio præcipuè loquitur de fine vltimo, sed etiam dicit verum de alijs finibus particularibus, quos Deus ex diuina prouidentia nobis proponit sine aliqua deliberatione aut electione voluntatis, & sine consilio & discursu mentis nostræ. Persuadetur sic esse hisce argumentis. Primum omnium, tunc voluntas dicitur mouere se, quando mediante consilio & deliberatione applicat se ad operandum. Sed de

fine

fine nulla est deliberatio, nullum consilium; nullus enim sanę mentis deliberat an debeat appetere sanitatem, aut vitam. Ergo in appetitione finis, voluntas non se mouet. Deinde, intellectus noster in assensu primorum principiorum non se mouet, sed mouetur ab autore naturæ, qui illuminat omnem hominem lumine rationis naturalis. Ergo voluntas in appetitione finis non se mouet, sed mouetur ex instinctu primi motoris. Consequentia inde probatur. Nã finis sic se habet in rebus agendis, sicut primum principium in scientijs; & quemadmodum intellectus suapte natura est inclinatus ad assensum primorum principiorum, sic voluntas ad appetitionem finis. Ad hęc, tribuere inclinationem naturalem eius est qui instituit naturam; qui enim instituit naturam lapidis, tribuit lapidi inclinationem & pondus, vt in locum inferum descendat. Ergo inclinare voluntatem in finem & bonum, Dei optimi maximi opus est, qui instituit, & condidit humanam voluntatem.

Item, descensus lapidis ob id tribuitur autori naturæ, quoniam ex inclinatione naturali proficiscitur. Sed appetitio finis oritur ex inclinatione naturali voluntatis. ergo in autorem naturæ referenda est. Certè si in principio Deus non tribuisset nobis inclinationem in bonum, sed recenter & de nouo nobis eam conferret, in Deum reduceremus. ergo etsi dedit in initio, in Deum referenda est. Item, si hæc inclinatio mala esset, Deo autori tribueretur. ergo si bona est, Deo autori tribuenda est.

Cotola. ¶ Ex his argumentis conuincitur, quòd voluntas nostra non se inclinauit in bonum, sed Deus vt autor naturæ dedit talem inclinationem, quam non habemus ex nostra deliberatione, non ex nostro consilio, non est opus nostrę inuentionis, sed nobiscum nata est, & indita ab autore naturæ.

¶ Sed dicet Theologus, prædictas rationes nó omnino esse despicabiles, sed nulla ex parte attingere, neque declarare probationem D. Tho. probatio enim Diui Thomæ alio modo omnino procedit, vt patebit considerati. Vt igitur probatio Diui Thomæ diligenter examinetur, sciendum est, quòd finis non solùm est causa ipsius effectus, sed est quodammodo causa ipsius agentis. Non enim finis concurrit ad effectum aliquem cum agente, sicut aliud agẽs particulare, veluti duo ignes concurrunt ad vnum calorem. ¶ Sed tota causalitas finis est mouere agentem ad operandum, & solùm per hoc concurrit ad effectum, & hoc suprà probatum est, quòd omne agens, agit propter finẽ; & qui hoc negaret, negaret aliquam causam finalem esse necessariam. Si enim non oportet vt ædificator agat propter finem, vel moueatur à fine, ædificator poterit facere domum cum sola materia, inducendo formam; quod esset corrumpere totam philosophiam; cùm finis non solùm sit causa, sed causa causarum. Si ergo omne agens agit propter finem, agit ex appetitu finis: nihil enim aliud est architectum agere propter finem, nisi agere ex appetitu finis. ¶ Illud etiam animaduersione dignum est, quòd mouere se ad operandum, est aliquo modo agere (loquendo de motione quantum ad operis exercitium) hoc enim nihil aliud est, quàm applicare se ad actum, sicut mouere lapidem, mouere baculum. Ex his duobus principijs sequitur in primis, quòd mouere se, est agere. Secundò sequitur, quòd si aliqua res mouet se, propter aliquem finem mouet se; mouetur enim à fine ad agendum. Tertiò sequitur, si mouetur à fine ad agendum, ergo ex appetitu finis mouet se ad agendum. Quartò sequitur, si mouet se ad primam volitionem finis; ergo ex appetitu finis mouet se ad illam, & non ex appetitu naturali, quia tunc non moueret se, vt patet de lapide, vel etiam de bruto. Ergo ex appetitu animali, & sic in voluntate ante primã volitionem erit alia volitio, quod est omnino impossibile; relinquitur ergo, postquam voluntas non potest se mouere nisi ex appetitu finis, quòd ad illum appetitum finis non moueat se, alioqui (vt Diuus Thomas bene deducit) esset processus in infinitum. Hoc idem confirmatur. Nam non potest voluntas mouere quodcunq; aliud, nisi ex præcedenti appetitione finis. ergo nec seipsam: nam quantum ad hoc nihil refert vtrum moueat se, vel aliud. ¶ Tota ergo vis rationis est in hoc, quòd omne mouens, mouet ex appetitione finis; hæc enim est causalitas causæ finalis, & motor non incipit mouere, vel agere, nisi ex appetitu finis. Si ergo voluntas mouet se ad primam volitionem, ergo mouet se ex prę cedenti appetitu finis, & sic non est illa prima operatio. Fiat ergo argumentum secundum formam syllogismi hoc modo. Omne agens, agit propter finem appetitum. Sed voluntas mouendo se agit. ergo iste motus est ab ea, appetitu naturali, vel animali. Ex quo cõsequens est, quòd si voluntas se mouet cùm appetit finem, quòd talis motus sit ab ea, vel appetitu naturali, vel animali ipsius finis. Sed non potest esse ex appetitu animali præcedenti; nam sic sequitur euidens cõtradictio, quòd ante primam volitionem sit alia volitio; relinquitur ergo quòd appetitio finis fiat ex instinctu primi motoris. Sic sanè sentiendum est & secundum philosophiam, & veritatem diuinæ Theologiæ. Ex hoc enim principio educunt Theologi, quòd prima operatio angeli non potuit esse peccatum, quia oriebatur

Expenditur probatio D. Thom.

Causalitas finis.

Visrationis

ex

ex inclinatione naturali, quam habuit angelus ex instinctu autoris naturæ. Simili de causa dicunt, quòd assensus fidei Christianæ non potest esse falsus, quia ad eum inclinat prima veritas, quæ neque fallere, neque falli potest. Ad idem
Pro.21. facit illud Prouerb.21. Cor regis in manu Domini, quocunque voluerit, vertet illud. Simile est
Esa.65. illud Esai.65. Inuentus sum à non quærentibus me, palàm apparui his qui me nō interrogabāt. ¶ Sed explicandum est, quemadmodum quādo incipimus velle non solùm vltimum finem, in quem ab autore naturæ inclinamur, sed etiā in alijs negotijs particularibus moueatur nostra voluntas à Deo. Sentiunt enim viri doctissimi, quòd non solùm in prima volitione, quam habemus in exordio vitæ circa bonum in communi, & circa finem vltimum humanæ vitæ, verùm etiam in prima volitione quam habemus de negotijs gerendis, moueatur nostra voluntas ex instinctu primi motoris.
Aristot. Certè Aristotel. 6. Ethicorum ad Eudemum circa finem docet, quòd sæpenumero nobis nihil cogitantibus venit in mentem cogitatio efficax & impetuosa, quæ secum trahit voluntatem, quam motionē non possumus nobis tribuere, neque in nostram inuentionem referre, cùm de hac re nihil vnquam cogitauerimus: neque verò possumus eam referre in substantiam angelicam, quæ nō potest efficaciter mouere nostram voluntatem: vnde talis cogitatio in Deum reducenda est.
Caiet. Eandem sententiam propemodum docet Caietanus 1. parte, quæstione 82. articulo 4. circa tertium argumentum, & probatur per experientiam. ¶ Nam sæpenumero accidit, quòd veniat in mentem cogitatio, aut desiderium rei, de qua nunquam cogitauimus, neque deliberauimus, neque meminimus, & voluntas fertur in rem illam impetu quodam & instinctu. ergo appetitio illa ex instinctu Dei mouentis prouenit. Cuius rei alterum argumentum habemus. ¶ Nam voluntas tunc se mouet, quando mediante consilio & deliberatione se mouet, vt antea dictum est. Sed qui deliberat, aut consultat, non priùs deliberauit, alioqui in deliberationibus esset processus in infinitum. Ergo deueniendum est ad vnam cogitationem, vel volitionem, quam non referas in tuam deliberationem, sed in Dei instinctum, & motionem. Et certè hæc ratio, quæ est Aristot. in loco adducto, & Diui Thomæ in præsentia, concludit efficaciter, quòd quando incipimus velle absq; præuio iudicio, & absque præcedenti deliberatione, talis motio non sit ex nobis, sed ex superiori natura. Sanè quemadmodum Deus, vt est autor gratiæ, interdum mouet hominē ad fines supernaturales, de quibus nulla præcesserat hominis cogitatio, iuxta illud superiùs citatū; Cor regis in manu Domini, quocunq; voluerit vertet illud; & illud Esaiæ; Inuentus sum à nō quærentibus me; palàm apparui his qui me non interrogabant: in quibus operibus homo cognoscit se mouere, sed nescit vnde illa motio originem trahat, iuxta illud Ioan.3. Spiritus vbi vult
Ioan.3. spirat, & nescis vnde veniat, aut quò vadat: non dissimiliter quatenus Deus est autor naturæ, mouet aliquando nostram voluntatem ad opera quædam, de quibus nihil antea meminimus. Et admonet rectè Caietanus, quòd hoc efficit Deus vt demonstret particularem prouidentiam, quam gerit erga naturam intellectualem, & rationalem. Vnde sicuti primi motus consequentes naturam tribuuntur Deo autori naturæ; sic isti motus & instinctus immittuntur à Deo, quatenus habet de natura intellectuali & rationali peculiarem prouidentiam. Rectissimè ergo & verissimè dixit S. Thomas, quòd quando voluntas incipit velle non ex præuia deliberatione, mouetur ex instinctu primi motoris.
Solut.arg. ¶ Sed iam tempus est vt argumentis in contrarium positis satisfaciamus. Certè argumenta quæ vsque ad quartum proponuntur, tantùm probant, quòd nostra voluntas concurrit efficienter ad volitionem finis; ex quo non sequitur, quòd se mouet ad illum, vt abundanter & copiosè probatum est.
Ad quartū ¶ Ad quartum dicendū, quòd homo mouet se ad consequendum finē; dirigit enim media necessaria ad consequutionem finis, in quo præcipuè differt à bruto; cæterùm non se mouet in appetitione finis, sed ab autore naturæ excitatur. Itaque homo mouet se ad finem, non per actum quo vult finem, sed per actum quo refert & dirigit media ad finem.
Ad quintū. ¶ Ad quintum dicendum, quòd licèt voluntas moueatur ex instinctu Dei mouentis ad volendum finem, non indè consequitur, quòd illa volitio sit necessaria, & minimè libera. Deus enim mouet vnumquodq; secundum conditionem proprię naturæ: liberum arbitrium mouet liberè, agentia verò naturalia mouet necessariò, & naturaliter; & nunc certum est quòd Deus actualiter mouet meam voluntatem ad scribendum, & tamen non necessitat. Prophetę rursus à Deo inspirati loquebantur, at liberè operabantur. Itaq; inclinatio nostræ voluntatis in bonum, quædam inspiratio Dei est, quæ non aufert nostram libertatem.
Not. August. ¶ Illud tamen non est prętereundum, quòd Deus aliquando illuminat, excitatque nostram voluntatem absq; consensu nostrę volūtatis, & absq; vlla libertate: vnde inquit Augu. impossibile est quin visis tangamur. Hos motus subitos, & corruscationes instantaneas, appellant Theologi motus primo primos, quos

Ambros. agnoscit D. Ambr. lib. 2. de Cain c. 1. & li. 1. de Iacob c. 1. & D. Aug. 3. lib. de libero arbitrio. ¶ Ad

Ad sextum. sextum dicendum, quòd secundum considerationē physicam, voluntas mouet se in finē; nā habet in se principium actiuum illius actionis; at secundum considerationem moralem, nō mouet se in finem. Nā tunc dicitur se mouere, quādo agit ex præcedenti deliberatione, vel ex præcedenti appetitu finis, prout suprà explicatū est. ¶ Ad

Ad rationes contra probationem D. Thom. rationes quibus impugnatur probatio D. Thom. dicendū est. Nā ad primam dicitur, tantùm probare, quòd appetitio finis sit actus elicitus voluntatis, cæterū non probat, quòd nō proficiscatur ex inclinatione naturali. Est enim valde, & inter prima animaduertendū, quòd licèt

Ad primā. appetere finem sit actus elicitus à voluntate, tamē nō est voluntarius, sed naturalis; quoniā nō proficiscitur à voluntate applicante se ad volendum, sed Deus autor naturæ inclinat & excitat

Ad secundā voluntatem vt velit finem suum. ¶ Secunda ratio sic confutatur, vt dicamus primam volitionem finis esse voluntariā, quia est in potestate nostra velle & non velle, amare & non amare; cæterū ex hoc non sequitur quòd non sit à Deo excitāte. Rursus ex hoc nō sequitur, quòd si voluntas moueat se ad illam, non debebat esse volita ex præcedenti volitione; nam certè si voluntas mouet se ad eliciendam primam volitionē, iam prima volitio est volita ex appetitione alicuius finis. & sic bene concludit D. Tho. quòd esset processus in infinitum. ¶ Tertiam sic refelli

Ad tertiam to, vt dicas, quòd aliud est loqui de volitione finis, aliud est loqui de volitione quatenus oritur ex voluntate applicante se ad volendū. Nā ad primam volitionem satis est voluntas, & obiectū propositum per intellectū; volitio enim nihil aliud est quàm actus voluntatis in bonū: cæterùm ad secundam oportet quòd voluntas per propriam operationem applicet se ad volendū finem. Cùm autem illa propria operatio sit propter finem, necesse est dicere quòd prius vult finem, quàm moueatur in illum. Bene ergo concludit S. Tho. quòd si voluntas moueat se in finem, mouet se per præcedentē volitionem; & cùm non sit procedere in infinitum, necessum est deuenire ad vnam volitionē quā habemus ex instinctu Dei mouentis. ¶ Ad quartam ratio

Ad quartā. nem dicito, rationem D. Tho. efficaciter id ostēdere, vt satis probatum est. Ad Arist. verò dicēdum est, quòd pro eodem valet reducere volitionem finis primam in Deum autorem naturę, & intellectum motum à Deo autore naturæ, ex qua motione sequitur in voluntate efficax volitio finis; nam vtraque excitatio est à Deo, qui est benedictus in secula. Amen.

Quomodo ex diuinis impulsibus dicātur homines benè aut malè fortunati. ¶ Sed non erit ab re disputare in præsentia, quo modo ex his impulsibus, quos Deus animis nostris imprimit, dicantur homines benefortunati, aut malè fortunati. Quam disputationem sic aggredior vt adhuc explicem diligentiùs, quomodo mens nostra & voluntas ex instinctu Dei moueatur: quòd si longiùs disputationem protraxero, boni & æqui consulat lector: nam ex hac disputatione doctior euadet, nostramq; diligentiam non condemnabit. Explicat hāc quæstionē Arist. libro de bono fortunæ, & li. de mū

Arist. do ad fi. & 7. lib. Ethi. ad Eudem. ad finem & 2. magnorum moralium c. 3. & 8. & in Rhetoricis, & alibi sæpenumero. Scotus in quodlib. q. 21. In

Scot. cuius rei expositionē primùm explicabo quid sit fortuna, deinde quæ sunt bona illius, proximo loco in quibus inueniatur bona aut mala fortuna, vltimò vnde proueniat bona aut mala fortuna. ¶ Vt igitur explicetur quid nam sit for

Quid sit fortuna. tuna, sit ne omnino aliquid, aut verò inane tantum nomen; sciendum est, in hac re explicanda Philosophorum variare sententias, alijs quidem eam è medio tollentibus, & omnium rerum certas ac definitas causas reddere conantibus; alijs omnia fortuna fieri asserentibus; sunt qui inter hos medij, neque omnia fortuna fieri asserant, neque tamen nulla: quorum omnium particulatim nunc referre sententias minimè necessariū arbitror, solùm sciat Theologus, hanc vltimam sententiam esse Aristotelicam, vt videre est in 2. lib. physic. ex cuius doctrina constituuntur sequentes conclusiones. ¶ Prima est. Fortunam es-

Prim. cōcl. Fortunā esse certū est. se, manifestum est. quod probatur ex omnium consensu. Omnes enim homines tum docti, tum indocti incunctanter asseruut multa fortuna fieri. Idem confirmatur euidenti ratione. Nam illa dicimus fortuna fieri, quæ fiunt prętер intentionem operantis; vt cum agricola fodiēs terram vt agrum coleret, inuenit thesaurum; hunc euentum dicimus fortuitum, & eius causam dicimus esse fortunam. Sed multa eueniūt præter intentiouem operantis, tum commoda, tum incommoda, vt constat experientia. Vnde manifestum est, fortunam esse.

¶ Secunda conclusio. Fortuna re ipsa non di-

Secūd. cōcl. Fortuna secundū rem non distinguitur à natura neque ab intellectu. stinguitur à natura, & ab intellectu, siue à proposito voluntatis. Nam voluntas comparata ad effectum per se intentum, causa voluntaria est, & libera; at comparata ad effectum per se non intentum, est fortuna. itaque fodiens terram est causa per se agriculturæ, at respectu inuentionis thesauri, est causa fortuita. Ex quo destruitur error paganorum, asserentium fortunam esse

D. Aug. Deam. propter quod D. Augustinus lib. 1. retractationum, c. 1. dicit non sibi placere quòd tam sæpenumero in suis libris nominauerit fortunā.

¶ Tertia conclusio. Fortuna non est causa tota

Tert cōcl. lis.

Fortuna nō est causa talis. lis. Volo dicere, quod nihil est tam fortuitum in rerum euentu, cuius non sit causa certa, & definita, intendens illum effectum. Vnde Plato re
Plato, Aug. ctissimè dixit, nihil esse cuius ortum non præce dat causa legitima. Augustus. 5. de ciuitate Dei c. 9. adducit propemodum eandem sententiam
Cicero. ex Cicerone, quæ certè verissima est. Omnis enim effectus cadit sub intentione primæ causæ, & diuina prouidentia est ordinatus. Ex quo patet quomodo de fortuna debeant loqui Do
Respectu Dei non est fortuna, nec fortuitus effectus ctores Christiani. Nam respectu diuinæ prouidentiæ, nullus effectus est fortuitus, & nulla est fortuna, cùm vel passer nō cadat in terram sine Dei prouidentia, & omnes capilli capitis nostri numerati sint. Cęterùm nonnulli effectus respectu primæ causæ sunt per se intēti, qui respectu causarum inferiorum sunt fortuiti, quod explicat optimè & singulariter D. Th. 1. p. q. 116. ar. 1.
D. Thom. exemplum Quemadmodum, inquit, si Dominus mittat eo dem tempore duos seruos, vtrumq; separatim, ea intentione vt sibi fiant obuij, quam intentio nem illis non patefecit; certè occursus istorū respectu Domini præuisus fuit, & prudenter ordi natus; at respectu seruorum, fuit fortuitus. Ex his sequitur, quòd Deus non est fortuna, neq; debet appellari fortuna; siquidem non fortè, ne que fortuitò operatur, sed omnia summo cōsi-
Quomodo fortuna sit intelligēda Aug. lio prouidentiæ suæ gubernat & regit. ¶ Quomodo autem fortuna sit intelligenda, explicat Aug. lib. quæstionum in Genesim q. 91. & 1. retract. c. 1. & 1. de ciuitate Dei c. 1. & super Genesim lib. 5. ca. 21. & 22. Sequitur rursus, quòd hæc aduerbia, fortè, fortasis, ex more sanctæ scriptu ræ sępenumero ponūtur pro rebus certissimis. Itaque licèt Deus videatur sub dubio loqui, tan quam de re fortuita, tamen de rebus certis ab æterno definitis facit sermonem. Huius cōsuetudinis diuinæ scripturæ varias reddunt ratio-
Hieron. nes sancti Patres: Hieronymus super Ezechielē c. 2. & Hieremiæ c. 26. & super Ioan. c. 3. & Mat.
Orig. Aug. Chrysost. Theophil. Greg. Arist. 21. Origē. homilia 16. in Numeros, Aug. in Psal. 2. & in Ioan. tractu 37. Chrysostomus homilia 17. in Ioannem, & in Matthæum 78. & homilia 4. de pacientia Iob. Theophila. super Lucam c. 20. Gregorius super Ezechielem homil. 9. Ambrosius lib. 5. de Fide ad Gratianum ca. 8. Sed vt ad nostrum propositum reuertamur, Aristot. 2. physicor. fortunam causam per accidens esse, in his quæ secundum electionem alicuius fiunt gratia, statuit. Idem indefinitè eam esse inquit, hominibusque incertam: atque adeò si quis diligenter perpendat ea quæ ab Aristot. de fortu na differuntur loco nunc citato, inueniet profectò nihil aliud eam esse quàm priuationem quā dam & consilij, & prudentiæ, ac omnino rationis inopiam. Neque verò hoc modo fortunam aliquid esse, constituisse absurdum videatur, sed rationi maximè consentaneum, ex ijs quæ dicta sunt aliquomodo constare potest, quanquàm clariùs ex sequentibus intelligitur. Cæterùm ipsam vel Deam facere, vel alio modo in causarum numerum referre, aut omnino aliquid esse statuere, præter omnem rationem esse videtur. Atque hoc ipsum & veterum plerique tum Philosophi, tum Poëtæ significare voluerunt, dum ipsam cæcam faciunt, insanam, surdam. Sed operæpretium existimo, horum singula, quæ ab autoribus tribuuntur fortunæ, quid sibi velint diligentiùs examinare. ¶ In primis, quòd mulier esse fingitur, & in lapide globoso insistere, ipsius mutabilitatem & inconstantiam designat. Quod verò cæca, insana, surda, temeritatem, & amentiam: neque enim quisquam est qui ignoret mulieri inconstantiam fere tribui. Sed & hoc sensui manifestum, nullam figuram sphærica volubiliorem esse. Cæterùm quod ad insaniā pertinet, id certè constat, quòd mentis & rationis quædam sit priuatio; & quoniam visus, & auditus præcipui sunt ad sapientiam comparandam sensus, vt omnino nullus prudentiæ, aut rationi locus videretur reliquus, hos & ipsi sensus adimunt autores. Atque ex omnibus his manifestè patet, non antea fortunæ locum esse, quàm ad eam ætatem sit peruentum, qua rationis vsum homo iam habere incipit, & actionis compos redditur. Nam priuatio non tribuitur propriè, nisi quando subiectum aliquid natura sua habere debet, & quod dicūt physici, quando subiectum est aptum, & natum habere, & non habet. Vnde lapidem nemo cæcum esse dixerit, nam visum nunquam habere debet. Et hęc in ea sententia eorum quæ fortunæ tribuuntur, vis est & significatio. Ex quibus eruitur, hominis amentiam, consilijque inopiā, aut fortunam, aut certè huius præcipuam esse causam: quod Arist. primo metaphysices euidēter declarauit, cùm inquit; Experientia artē produxit, imperitia verò fortunam. Sed etiam Poëtę hoc ipsum explicarunt: nam Iuuenalis Satyra. 10. sic fortunam alloquitur;

Cōditiones fortunæ explicantur.

Arist.

Iuuenal.

Nullum numen abest, si sit prudentia: sed te
Nos facimus Fortuna Deam, cœloq; locamus.

¶ Sed breui ratione ostendamus, quòd fortuna sit causa per accidens, & quòd sit prudentiæ & consilij inopia, & priuatio quædam. Effectus enim tunc dicitur fortuitus, & fortuna fieri, quā do est præter intentionem operantis, & quòd sit præter intentionem operantis, & ab operante minimè præuisus effectus, ex inopia consilij & prouidentiæ oritur. Vnde in Deo, qui omnia præuidet, regit, & ordinat, fortuna non est, neque aliquis effectus fortuitus respectu diuinę

prouidentiæ accidit, vt retrò probatum eſt.

Quodnam ſit opus fortunæ.

¶ Sed fortunę præmiſſa deſcriptione, deinceps quod nam ſit eius opus oſtendendum eſt; nam hoc in ſecundo loco propoſitum fuit ad explicã dum. Et quidem vulgus Philoſophorũ inquit ipſam circumire quaqua verſus, & his quidem facultates eripere, alijs largiri; rurſus ab eiſdem ſtatim auferre, & alijs dare; ſed omnia hæc incõſultò, & temerè facere, atq́ue adeò parùm conſtanter, ſiquidem eſt cauſa per accidens, & cæca, conſilij & rationis inops. Neq́ue verò diuerſa ab his ſunt, quæ Ouidius lib. 5. Triſtium, fortunæ opera aſsignat, cùm inquit;

Ouidius.

Paſsibus ambiguis fortuna volubilis errat,
Et manet in nullo, certa, tenaxq́; loco.
Sed modò læta manet, vultumodò ſumit acerbos,
Et tantùm conſtans in leuitate ſua eſt.

¶ Ex his patere facilè poteſt, quid ſit bona fortuna, quid verò mala; nam res fortuitæ ſunt, ex quarum euentu, bono vel malo, fortunatos homines, vel infortunatos eſſe dicimus. Huius generis ſunt, proſperè nauigare, inuenire theſaurum, & his ſimilia. ¶ Quod vt exactè intelligatur, dico primò, manifeſtum eſſe quòd ſit bona vel mala fortuna; nam operanti ex propoſito voluntatis ſuæ, aliquando accidit ingens bonum, aliquando verò ingens malum, præter eius intẽtionem, & opinionem. Quando euenit ingens bonum, fortunatum dicimus; quando malum inexpectatum, infelicem & infortunatum appellamus. ¶ Deinde dico, quòd bona fortuna conſiſtit in duobus; tum, in conſequendo bonum; tum, in fugiendo malum, præter operantis intentionem. Sunt qui dicunt fortunam etiã verſari in his, quę noſtræ poteſtati non ſubduntur; vt quòd homo naſcatur nobilis, pulcher: ſed hæc potiùs ſpectant ad caſum, quàm ad fortunam; nam fortuna tãtùm habet locum in his qui operantur ex propoſito & electione. ¶ Vltimò dico, non eum appellãdum eſſe felicem aut fortunatum, cui ſemel atq́; iterum res feliciter eueniũt, præcipuè ſi non ſunt res magni momẽti: nam, vt dicitur, vna hirundo non facit ver. Neq́ue verò eum dicimus fortunatum, cui omnia feliciter & fortunatè cedunt præter eius intentionem: nam hoc ſecundum cõmunem curſum fieri impoſsibile eſt. Eum igitur appellamus fortunatum, cui plerumq́; res accidunt fortunatè atq́; feliciter. ¶ Sed vt ad vltimam quæſtionem veniamus (nam cæteræ omnes iam ſunt explicatę) quæramus exquiſitè; Quæ nam ſit cauſa bonæ vel malæ fortunæ; explicemus, quemadmodùm rerum fortuitarum cauſa ſit Deus, ſit angelus, ſit cœlũ, ſit homo, deniq́; ſit fortuna. Et quidem Ariſt. 1. Ethi. c. 9. & libro de mundo ad Alexandrũ ad finẽ in ſententia hæc dicit: quòd ſi humana curant Dij, aut angeli, nemo dubitabit, homines ab angelis inſtigatos ea facere ſæpè, quæ ſibi ſunt ignota, & improuiſa, ab angelis verò ſumma cognitione diſpoſita. Excitat angelus agricolã interno impulſu vt fodiat agrũ, in quo inuenit theſaurũ; & id quidẽ quod agricolę eſt fortuitũ, angelo eſt præuiſum, & definitum. Hoc expendens Aug. 5. de ciuit. c. 9. ſic ait; Nos fortuitas cauſas, vnde fortuna nomẽ accepit, nõ eſſe dicimus nullas, ſed latentes, quas tribuimus vero Deo, vel quorũlibet ſpirituum voluntati. Nõ cõmemorat tantũ ſpiritus bonos; nã & hos effectus, tam boni, quàm mali efficere valent; in his enim omnia quæ poſsunt boni, poſsunt & mali; ſed differt ex fine. Nã bonorũ finis eſt, hominẽ adiuuare; malorum verò eſt, hominẽ perdere. Quòd verò Deus ſit cauſa, pateſcit hoc exẽplo. Dormierat Petrus nihil cogitans quod foris ageretur, excitatur ſubitò, & propoſuit efficaci impulſu è domo exire; cõtinuò atq; egreſſus eſt ruit domus; felicem & fortunatum omnes appellitant, quoniã cauit magnũ periculum prẽter eius intentionem & prẽuidẽtiam. Cuius rei cauſam ſi à Philoſopho ignorante requiras, dicet eſſe fortunã, ſi ab Aſtrologo, dicet eſſe fauorabilẽ & benignam ſtellarum conſtellationẽ. Sed fallũtur omnino: nã iſtius euentus cauſam oportet eſſe intelligentẽ, & dato quòd ſtellæ & ſydera potiùs inclinent hominem ad motũ, quàm ad quietem; verùm efficaci impetu mouere voluntatem, ſolius Dei opus eſt, prout infrà demonſtrabitur. Præterea, ſicut accidentariũ eſt, & fortuitum, quòd egreſſus è domo Petrus effugiat illud periculum, ſic ſanè accidentarium eſt illi cõſtellationi, inclinanti Petrum ad motum, quòd egreſſus è domo effugiat periculum. Vnde quãquam Aſtrologi cognoſcerent omnium ſyderũ cõſtellationem, & influxum, non poterant cognoſcere, quòd egreſſus Petrus è domo, debebat periculum effugere. Sed de hoc, artic. ſequenti. Cõcluditur ergo quòd vna ſit cauſa huius euentus, ſcilicet diuina virtus, excitans Petrum efficaci impulſu, vt egreſſus effugeret ruinam, quam Deus præuidebat. Vnde Ariſt. hanc quæſtionẽ ediſſerens, nunquã meminit conſtellationũ, neq́ue ſyderum, ſed diſtinctè & apertè quæſtionẽ definiens cõcludit, quòd bonæ, vel aduerſæ fortunæ duplex eſt cauſa; aut quòd incidũt homines in aliquod bonum, præter eorum intentionẽ, vel præuidentiã; aut quòd impetu quodam animi trahuntur ad aliquid, cuius rationẽ prorſus ignorãt, ſine eorũ cõſilio aut deliberatione; quod Hiſpano & vernaculo ſermone dicimus, *diome al coraçon*. Illud primũ ad fortunam refert Ariſt. ſecundũ verò ad diuinã motionem, & inſtinctũ primi motoris, quo humana volũtas occultis

Aug.

Ouid.

Hieron.

Aug.

Theophil.

Ariſtot.

Cauſa bonę vel malæ fortunęque ſit.

Ariſtot.

cultis impulsibus immutatur: vnde his inspirati, dicũt homines, nescio quid præsagit animus. quo in loco expresse docet Aristo. Deo nostra omnia esse cognita, & solum Deũ nostrã efficaciter mouere voluntatẽ. Hos impetus (sicut ego arbitror) vocant Theologi dona Spiritus sancti quibus filij Dei aguntur; de quibus loquitur fre Pro.21. quẽter sancta scriptura. Pro.21. Cor regis in manu Domini, quocunq; voluerit, vertet illud. & il Esa.65. lud; Inuentus sum à non quærentibus me. & illud. Nõ vos me elegistis, sed ego elegi vos. cui si Rom.9. mile illud; Nõ est volẽtis, neq; currentis, sed mi Ephes.1. serentis Dei. & Ephes.1. In quo sorte vocati sumus. Diuina electio vocatur sors. Nã sicut in mitẽdis sortibus nihil cõfert industria humana, aut hominis ingeniũ, sed sors à Domino dirigitur: ita in electione diuinitatis nihil valet industria hominum, neq; bonũ meritũ, sed diuina gratia, secundum propositum voluntatis suæ. ¶ Ex dictis sequitur, humanã voluntatẽ frequenter cõcitari impetu quodam diuino, quem si volumus habere, oratione assidua petẽdus est. Deus enim Abulen. scit dare bonũ spiritũ petentibus se. vide Abulẽsem super Exod.c.21.q.15. De hoc impetu solẽt disputari inter Doctores variæ quæstiones; prę cipua illa est; Num imponat necessitatẽ nostræ voluntati? de qua edisseritur quæstione sequẽti artic. vlt. Secunda quęstio solet moueri; An quã do anima nostra hoc impulsu agitur, feratur in rẽ cognitã: nã quòd non feratur cũ cognitione, ex hoc videtur probari. Nã fertur sine ratione, & sine cõsilio; talis etenim impulsus est à Deo, & nõ ab intellectu, vt retrò expositũ est. Quòd verò feratur in rem cognitã, illud euidẽter demõstrat. Nã talis impulsus est actus voluntatis elicitus; actus autẽ voluntatis fertur in rem cognitã: volũtas enim est appetitus cũ ratione; vnde nihil est volitũ, quin præcognitũ. Certè talis impulsus est ab intellectu & voluntate, sed nõ est ab intellectu deliberãte & cõsultante; rapitur enim intellectus, rapitur etiam voluntas à Deo, in quibus operibus potiùs istæ potentiæ agũtur, quã agant. Sed & illud quæri solet à plerisq; An talis impulsus sit à casu, & fortuna fiat? Nã cũ non fiat à ratione, neq; à cõsilio, videtur in fortunã esse referendũ. Sed iã dictum est non esse à fortuna, neq; à casu, sed ex Deo. Neq; verò desinũt theologi litem mouere, & dubitant; an ne intellectio, quam habemus ex instinctu diuino, sit huiusmodi, quòd eã producamus volendo, aut nõ volendo. Primũ dici nõ potest; nam tũc esset abitio in infinitũ. Nã si est volita prima intellectio, cũ nihil sit volitũ, quin prius fuerit cognitũ cõsequens est, vt fuerit cognita priùs, & sic ante primã cognitionẽ erit anterior cognitio. Siverò dicas secundũ, videbis te incidere in magnũ incõmodum, si exactè rem cõsiderabis. Dicendũ tamen arbitror, quòd primam intellectionẽ habemus volendo; nam simul atq; Deus nostrũ mouet intellectum, inuenit voluntatem pedissequam, quę cõsentit, & approbat. Vltimò quęri solet; Vtrùm iste impetus impellat nostrã voluntatem in quouis negocio, in quauis electione, & arte. Nam deliberãs, nõ priùs deliberauit, & consultans, non prius consultauit, alioqui esset processus in infinitum. Ergo quando aggredimur negocium, artem, & electionem, necessum est ex instinctu primi motoris rem auspicari. Certè argumentum conuincit, quòd in omni opere nostro nos non incipimus, sed Deus dat nobis & incipere, & velle, & perficere pro sua voluntate. vnde Arist. lib. de fortuna ad finem dicit, quòd fortunatus non oportet vt deliberet; nam habet principium suorum operum melius intellectu & ratione. & paulò pòst scribit, quòd rationis principium est nobilius, & perfectius ratione & intellectu; videlicet vt ego interpretor, Deus optimus maximus, qui operatur omnia in omnibus, quoniã est Alpha, & O, principiũ & finis. Illud tantũ nõ cõcedat Theologus, quòd in auspicatione & exordio malorũ & scelerũ, incipiat nos Deus mouere; nã in his à dæmone communiter exordium sumitur.

ARTIC. QVINTVS.

¶ *Vtrùm voluntas moueatur à corpore cœlesti.*

SVMMA TEXTVS.

PRior Conclusio. Volũtas directè non mouetur à corporibus cœlestibus. Nam res incorporeæ sunt formalioris, & vniuersalioris virtutis quã corporeę. Vnde nullum corpus agere potest in rem incorpoream; & sic impossibile est quòd corpus cœleste imprimat directè aliquid in intellectu, aut voluntate, cùm prædictæ potentiæ sint incorporeæ. Prior cõcl.

¶ Posterior Conclusio. Voluntas à corporibus cœlestibus indirectè potest moueri ex parte obiecti. Cùm enim appetitus intelle- Poste. cõcl.

ctiuus quodammodo à sensitiuo moueatur ex parte obiecti, vt superiùs expositum est, indirectè redundant motus corporum cœlestium in voluntatem, in quantum per passiones appetitus sensitiui, ipsam voluntatem moueri contingit. Motus verò & affectus appetitus sensitiui, corporibus cœlestibus esse subiectos nemo est qui ignoret, cùm sint & ipsi corporei. Mouent etiam corpora cœlestia voluntatem, prout mouent quædam voluntatis obiecta, & corporalia organa, ex quibus voluntas disponitur, sed non cogitur. Vnde dicitur, Sapiens dominabitur astris.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Bifariã corpora cœlestia possunt voluntatẽ mouere ex parte obiecti.

EX doctrina huius articuli facilè intelligitur, quemadmodum corpora cœlestia possint mouere nostram voluntatem ex parte obiecti, duobus modis. Primùm, faciendo quòd aliquod obiectum sit conueniens, aut disconueniens nostræ voluntati; & inde concitatur, & allicitur nostra voluntas ad amandum, vel refutandum; veluti ex impressione corporum cœlestium causatur in hyeme frigus, ex quo fit vt calor in hyeme sit homini conueniens, & sic inclinatur voluntas in eius appetitionem; cuius contrarium contingit in æstate. atqui hic est primus modus quo corpora cœlestia mouẽt nostram voluntatem ex parte obiecti. Sed & aliò modo id efficiunt, immutando organa potentiarum sentientium; nam ex impressione, & influxu cœlorum, potest organum gustus taliter disponi, quòd iudicet id, quod reuera dulce est, amarum esse, & viceuersa. Atque ex constellatione corporum cœlestium proficiscitur, quòd homines talis nationis calidiores sint, & ad bella magis proni, alij verò frigidiores sint, & ad delicias procliues.

Corpora cœlestia nõ impellunt aut necessitant voluntatem.

¶ Sed quanquam corpora cœlestia his modis dicantur mouere meam voluntatem, non tamen imprimunt aliquid in eam, neque impellunt, aut constringunt, sed solùm sunt in causa quòd voluntati proponatur obiectum amandum, vel fugiendum; ipsa tamen voluntas libera manet, absque vlla coactione aut necessitate. Quò fit, vt electiones nostræ, bonæ vel malæ, nullo modo debeant in constellationes cœlestes, tanquam in causas efficaces referri. Nam vt dicitur in prima assertione, cœlum non mouet voluntatem, quantum ad exercitiũ, sed solùm ex parte obiecti; neque imprimit aliquid in voluntate. quæ est veritas fidei infallibilis, & diuina. Si enim corpora cœlestia directè influerent, & efficaciter mouerent nostram voluntatem, cùm corpora cœlestia sint agentia naturalia, & operentur necessariò, consequens est, quòd voluntas nostra necessariò moueretur, & sic periret in nobis liberum voluntatis humanæ arbitrium. At quòd homo liberum habeat arbitrium, & experientia docet, & fidei doctrina persuadet: dicitur enim in Eccle- Eccles. 15.
siast. decimoquinto. c. Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui. & Hieremiæ decimo capitulo. A signis cœ- Hier. 10.
li nolite metuere, quæ timent gentes, quoniam leges populorum vanæ sunt. & Deuteronom. Deut. 4.
quarto capitulo. Ne fortè eleuatis oculis in cœlum videas solem & lunam, & errore deceptus adores ea, & colas quæ creauit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus. Ex quibus verbis constat, quòd mens nostra, atque voluntas super omnia corpora cœlestia eleuata sit: verissima enim est illa sententia Ptolomęi; Ptolom.
vir sapiens dominabitur astris. & illud antiquissimum, & celebratissimum prouerbium; Nemo lædit ur, nisi à seipso, de quo eleganter in primis edisserit D. Chrysost. homil. 9. inter. 18. tom. 5. Porrò, quanquã corpora cœlestia diuersas causent complexiones, atque diuersos effectus in appetitu sensitiuo, ex quibus indirectè voluntas inclinatur & propenditur ad aliquid faciendum, vel refutandum; nihilosciùstamen voluntas libera manet ad resistendum passionibus appetitus sensitiui; iuxta illud Genes. 4. Subter te Gen. 4.
erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. Veritatem istam multis, ijsque elegantissimis rationibus demonstrat Diuus Thomas 3. contra D. Thom.
gentes, capitulo 84. & 85. & 1. parte, quæstion. 115. & 116. in hoc articulo tantùm posuit vnicam huius rei demonstrationem, quæ sic habet. Res corporeæ non possunt agere in spiritum. Corpora cœlestia sunt res corporeæ. Ergo non possunt agere in spiritum: at voluntas animi nostri, spiritualis, & immaterialis est. ergo corpora cœlestia non possunt aliquid in nostrã voluntatem imprimere.

¶ Sed contra hanc probationem sic arguitur. Arg. contra probationẽ D. Thom.
Primò, phantasmata cùm sint res corporeæ, producunt speciem in intellectu; imò videtur quòd ipsum Primum.

ipsum obiectum concurrat effectiuè ad speciē, & notitiam producendam.

Secundum. ¶ Deinde potest fieri argumentum de Sacramentis, & igne inferni, quorum vtrumque agit in animam. Sacramentum causat gratiam in animam, ignis inferni cruciat spiritus.

Confir. ¶ Hoc idem confirmatur. Nam non potest reddi ratio quare possunt plus mouere corpora cœlestia nostram voluntatem obiectiuè, quàm effectiuè; nam si effectiuè, non possunt mouere; quia corpora non possunt agere in spiritum, cū spiritus sit nobilior, & immaterialior; certè eadem ratione comprobatur, quòd non possunt mouere animam nostram obiectiuè: motio enim formalis obiectiua non est imperfectior quàm motio effectiua, imò apparet præcipua magis, cùm tota nobilitas & perfectio potentię ex ordine ad obiectum sumenda sit.

Tertium. ¶ Præterea, voluntas nostra mouet, quantum ad exercitium, intellectum, vt ostensum est primo articulo huius quæstionis. At intellectus perfectior est quàm voluntas, prout demonstrat

D. Thom. Diuus Thomas, prima parte, quæstione 82. articulo tertio. Ergo ex eo quòd corpus cœleste sit inferioris naturæ, non rectè sequitur quòd non possit nostram voluntatem directè mouere.

Argu. solu. ¶ Ad hæc argumenta respondendum est.

Ad primum Ad primum dicendum, quòd phantasmata nō concurrunt effectiuè ad mouendum intellectū,

D. Thom. sic docere videtur Diuus Thomas, prima parte, quæstione 84. articulo sexto, vbi affirmat apertè, quòd tota cognitio sensitiua, non est causa intellectualis notitiæ, sed præbet tantùm materiam, ex qua intellectus agens abstrahit species intelligibiles. Itaque phantasmata propriè non concurrunt effectiuè, sed dicuntur concurrere, & mouere; quia concurrunt ad mouendum inchoatiuè, & tanquam materia: sed intellectus agens mouet obiectiuè phantasmata. Aliter potest dici, quòd phātasmata mouēt quidē intellectū, sed non propria virtute, sed virtute intellectus agentis. Verū est tamen, quòd esse obiectū non est propriè mouere, nam satis est terminare actum potentiæ; veluti obiectum voluntatis non mouet effectiuè voluntatem, si vera sunt quæ in superioribus sunt demonstrata; terminat tamen actum voluntatis.

Ad secundū ¶ Ad secundum argumentum dicendum est, quòd corpora ex virtute supernaturali bene possunt eleuari vt agant in spiritum.

Ad tertium ¶ Ad tertium argumentum dicēdum est, quòd corpora cœlestia, nec quantum ad exercitium, neque ex parte obiecti possunt mouere nostrā voluntatem directè; quòd si mouent ex parte obiecti, hoc est indirectè & mediatè: & ideo Diuus Thomas in litera dicit, quòd corpora cœlestia mouent ex parte obiecti, ex eo, quòd res corporeæ quę cœli motui subduntur, continentur veluti infra materiam obiecti formalis voluntatis. Etenim obiectum formale, & primarium nostræ voluntatis est bonum per intellectum vniuersaliter, & immaterialiter repræsentatum; res verò corporea est veluti materia illius obiecti. & ita cœlum influēns in res corporeas, dicitur indirectè, & mediatè mouere voluntatem ex parte obiecti. Vnde ad argumenti confutationem dico, quòd actus voluntatis, & cuiusuis potentiæ, non sumit suam speciem, & perfectionem ab obiecto secundum se considerato, sed ex ordine, & habitudine ad illud obiectum; qui ordo æqualiter perfectus est cū ipso actu. Ipsum verò obiectum, qua ratione terminat ipsum actum, non est necesse vt habeat tantam perfectionem, & immaterialitatem, quā tam habet ipsa potentia: nam sub hac ratione potentiæ se habent sicut superiores, quia ad talia obiecta tendunt; & quæ tendunt sub perfectiori ratione, perfectiores censentur & existimantur. Et hinc patere potest, quomodo voluntas spiritualis cùm sit, corporeas res, & naturas appetat. Vel dicat Theologus breui sermone, quod obiectum primarium, à quo voluntas sumit & nobilitatem, & speciem, est bonum vniuersale per intellectum propositum; cętera sunt obiecta secundaria, & mediata.

Ad vltimū. ¶ Ad vltimum dicendum, quòd voluntas in ratione immaterialitatis est eiusdem ordinis cum intellectu: vtraque enim est animæ nostræ spiritualis potentia, sed & quadam tenus ratione voluntas est superior intellectu, quia respicit tanquam finem bonum vniuersale; qua de causa habet in officio mouere vniuersas potentias ad exercitium suorum operum: nam vniuersæ aliæ potentiæ respiciunt fines quosdam particulares, qui sub obiecto voluntatis comprehendū tur, & sic voluntas potest mouere intellectum, quantum ad operis exercitium; quanquam intellectus absolutè nobilior sit, & perfectior.

Vtrū ex cœlestiū corporū influxu, hominū mores dependeant. ¶ In solutione tertij argumenti magna mouetur quæstio; vtrùm corpora cœlestia sic influāt, & imprimant in animos nostros, vt ex eorum constellatione, & influentia, hominum mores, & ingenia dependeāt? Partem affirmantem huius quæstionis conantur persuadere Astrologi varijs rationibus, sed potissimæ hæ sunt.

Primū arg. ¶ In primis, Theologorum & Philosophorum vna vox est, mundum inferiorem à Deo per cœlum gubernari.

Arist. Hoc Aristotelis illa vulgatissima sententia docet; necessariò mundum hunc inferiorem, superioribus motibus esse contiguum, vt omnis eius virtus inde gubernetur. Vnde videtur sequi, quòd omnis virtus nostra

è cœlo dependeat,& sic cœlum ad omnia opera virtutis nostræ nos impellat,sic adeò, vt virtutes, & vitia, in potestate nostra non sint ; si quidem omne id quod operamur, ex corporum cœlestium constellatione veluti constricti facimus.

Secundum. Arist. ¶ Deinde in alio loco docet Aristotel.summus philosophus,quòd si cœlum mouetur necessariò, & à sempiterno , ea quæ sunt in inferioribus,necessariò mouentur. Ex quo eruitur tale argumentum.Causæ secundæ eo modo mouent,quo mouentur. Sed causæ secundæ mouentur necessariò . Ergo necessariò mouent, ex quo consequitur, quod omnia eueniant necessariò,& id quidem ex cœlorum impulsu , & agitatione.

Tertium. ¶ Præterea,id quod est causa causę,est causa causati,vt de se manifestè liquet. At corpora cœlestia sunt causæ complexionis nostræ , ex qua oriuntur humani mores, diuersaque hominũ ingenia. Ergo ex corporibus cœlestibus mores hominum & ingenia dependent.Quòd corporis humani complexio sit causa humanorum morum,experientia comprobatur.Homines enim complexionis cholericæ,sunt cholerici;& Aristotel.docet,quòd molles carne, aptiores sunt ad scientias. Mens igitur & ingenium, complexionem sequitur, & corporis constitutionem. Cæterùm quòd corporis complexio è cœlo veniat, & inde deriuetur , manifestiùs est quàm vt probari indigeat. Ex quo sequitur, quòd astrologi ex cœlo possint de vita & moribus hominum facilè dijudicare,& diuinare.

Aristot.

Quartum. ¶ Ad hæc,experientia compertum est , quòd quamplurimi,quos constabat ex syderum constellatione in aliquem casum, aut infortunium esse destinatos, omnibus viribus procurarunt vt id effugerent, at non profecerunt: sicut Æschylus poëta,cui ab astrologo prædictum fuerat, ex ruina domus esse periturum , propter quod in Sicilia mœnibus vrbis egressus in qua morabatur,aprico in loco resedit, super quem aquila testudinem ferens,elusa splendore capitis(erat enim capillis vacuum)perinde atque lapidi eam illisit, vt fractæ testudinis carne vesceretur,eoque ictu occidit illum, vt syderum constellatio, & significatio minimè frustaretur. Omitto in præsentia commemorare quæ accidere in morte Philippi Macedoniæ regis; & de Annibale Carthaginensi, & de alijs innumeris, qui nulla ratione,ea,quæ ex syderibus immine bant pericula, effugere potuerunt. Videmus etiam multos homines sic ad furta, & latrocinia ex syderum constellatione esse instigatos, vt nulla ratione, nullo periculo,nullo supplicio inde auerti valeant, eò quòd ex corporibus cœlestibus ad id sceleris inclinati esse videntur.

Quintum. ¶ Iam verò quis non videt alios homines sic voluptatibus & libidini esse addictos, vt inde nulla persuasione separari valeant? & si videant turpissimè & sceleratissimè se agere, causantur ex syderum influentia ad id flagitij se adigi,& compelli.

Astrologorum potissimũ argumẽtum. ¶ Sed potissimum argumentum Astrologorum hoc est. Nam vt constat ex probatissimis historijs, certissima astrologi de natiuitatibus, vita, morte,imperijs, euentibus, bellis, victorijs, cæterisque tam fastis quàm infastis prænuntiarunt, sicque euenisse in omni ætate compertum est. Atqui in patrocinium istorum hominum , magnam autoritatis molem adhibere volo.Origenes namque (quemadmodum testatur Eusebius sexto libro , de præparatione euangelica,capitulo nono) elucidans illud Geneseos. Posuit stellas in firmamento; stellas dixit à Deo positas in cœlo, vt essent in signa, hoc est, vt per varios earum aspectus , & coniunctiones, significarent vniuersas, & singulas humanarum rerum causas, non tamen efficerent . Depinxit enim Deus in stellis significationes, & rationes omnium futurorum humanæ generationis euentuum, vt supernorum spirituum virtutes in eis, veluti in libris , legerent, quæcunque hominibus , citra tamen vllam liberi arbitrij coactionem , per singula temporum interualla essent euentura , & inde aliquam huius scientiæ partem , quæ humani ingenij vires excellit , hominibus stellarum obseruatoribus reuelaret. Atque iuxta hunc sensum putauit Origenes intelligendam esse sententiam quandam ex libro,cui titulus,Narratio Ioseph,olim apud multos catholicos in autoritatem recepto , in quo Iacob Patriarcha inducitur ad filios suos hæc dicens; legi in tabulis cœli quæcunque ventura sunt vobis, & filijs vestris.

Orig. Euseb.

¶ Hæc sunt argumenta Astrologorum, quibus conantur mentes nostras corporibus cœlestibus subijcere: quibus vt vera, & solida adhibeatur confutatio , sciendum est, quòd effectus, qui proueniunt ex corporibus cœlestibus , varij sunt & multiplices . Quidam necessariò eueniunt, vt eclypsis lunæ, oppositiones syderum, ortus & occasus solis ; & de his possunt Astrologi certissima prænuntiare: cognita enim causa, necessariò cognoscitur effectus, qui inde naturaliter deriuatur. Vnde est quòd Astrologi defectiones solis,itemque lunæ prædicunt in multos annos certitudine infallibili.

De quibus effectibus possint astrologi certissima prænũtiare.

¶ Sed

¶ Sed hic aduertat Theologus, quòd quanquam Deus neceſsitatem impoſuit aſtris, vt ſem per ſecundum idem moueantur, ipſe verò ſupra omnem neceſsitatem non ſolùm conſiſtit, ſed & Dominus, & factor eius eſt. Omnipotens enim exiſtens, & ſuapte natura ipſa poteſtas, ni hil neque naturæ neceſsitate, neque legis diſpo ſitione facit; quapropter omnia ſunt ei contingentia, id eſt libera, etiam neceſſaria. Et vt hoc monſtraret, curſus ſolis & lunæ, quæ neceſsitate feruntur, & ſemper vno modo ſe habent, quandoque ſtare fecit, vt legitur Ioſue decimo, Ioſue 10. & quarto Regum vigeſimo, & defectionem ſo 4.Reg.20. lis tempore paſsionis Dominicæ miraculoſam, & Aſtrologis incognitam introduxit. Hoc facit Deus, vt oſtendat nihil à ſe ſecundum neceſ ſitatem fieri, ſed omnia per poteſtatem liberè pro ſua voluntate. Semel autem & iterum has mutationes fecit, veluti ſcriptura ſignificauit, non verò diſpoſitionem neceſſarij aſtrorum motus, quam à principio poſuit, diſſoluit. Atque ex his quidem diſcent aſtrologi, Deum neceſsitati minimè eſſe ſubiectum, & potiùs aſtrorum neceſsitatem diuino numini parere, & Deum dominari aſtris; ne ſit princeps omnium, deterior quàm mortalis in republica princeps, quem legibus ſolutum, non ſolùm Iuriſperitorum communis ſtatuit conſenſus, ſed etiam Ariſtotelis libro tertio po- Ariſtot. lyticorum confirmauit demonſtratio. Ex his facilè eſt intelligere, quàm deceptorium & nugatorium ſit hoc argumentum. Defectio ſolis, quæ tempore Dominicæ paſsionis accidit, ex regulis aſtrologorum non proceſsit. ergo vera non fuit. Sed his explicatis, redeamus ad illud vnde diuertimus, & reliquos ſyderum effectus ac conſtellationes conſimili ratione examinemus, vt videamus, quid Aſtrologi diuinare valeant.

¶ Sanè ſunt alij effectus, qui ex ſyderibus vt in plurimum eueniunt, vt ſunt ſiccitates, humiditates, pluuiæ; de quibus poſſunt aſtrologi prænuntiare: ſed in hac aſtrologia diuinante plerumque falluntur; tum, quoniam prædicti effectus non ſolùm ex ſyderum conſtellatione dependent, ſed etiam ex elementis, & mixtis, & corporum varia diſpoſitione, quæ habent aliquando qualitates contrarias, quas aſtrologi non conſiderant, & ideo vano decipiuntur ſpiritu. quàm verò ſit efficax hæc ratio, inferiùs demonſtrabo. Tum verò; quoniam Deus, qui miniſterio angelorum mundum gubernat, diſponit mundum hunc inferiorem, prout expedit homini, qui eſt omnium finis. Homo verò aliquando conuertitur ad malum, peccando; aliquando ad bonum, per orationem, pœnitentiam, humilitatem; propter quod Deus immittit miniſterio angelorum varias rerum diſpoſitiones, vnde oriantur peſtilentiæ, mortes, bella, fauſta, infauſtaue, vt ſignificauit ſcriptura in Pſal- Pſal.106. mo centeſimoſexto. Poſuit flumina in deſertum, & terram fructiferam in ſalſuginem à malitia inhabitantium in ea.

¶ Sed & alia de cauſa errant aſtrologi cùm de his effectibus prænuntiant; quoniam exactè cognoſcere omnium ſtellarum concurſus, coniunctiones, & oppoſitiones, & omnium cauſarum vniuerſalium connexionem, ſuperat humanum ingenium, & induſtriam; quòd ſi aliquid ex his ignoratur, omnis iſtorum aſtrorum interpretum vana eſt diuinatio. Quòd verò pleraque de ordine cœli ignorant Aſtrologi, autoritate ſcripturæ didicimus, vt patet ex illo Iob trigeſimo octauo. Nunquid noſti or- Iob 38. dinem cœli, &c. Sed dato omnem ordinem cœ li perſpectum habeant, errant in ſuis prænuntia tionibus; nam quę prędicere debent per coniecturas, pronuntiant euentura certiſsimè; quod faciunt contra ipſius artis decreta, ſecundum quæ, hæc non deriuantur ex corporibus cœleſtibus neceſſariò & infallibiliter, ſed plerumque & pro maiori parte. ¶ Porrò alij ſunt effectus, qui ex cœlorum conſtellatione dependent, qui hominibus tantummodò conueniunt; vnde ſunt hominibus tam diuerſæ inclinationes: alij ſunt iucundi, alij triſtes, alij cholerici. Atqui hæc eſt diuinantis aſtrologiæ ampliſsima profeſsio, quo ex natalibus mortalium, inclinationes hominum varias, imò totius vitæ decurſum colligit. Quòd autem hæc profeſsio vaniſsima ſit, in ſequentibus, ex ſententijs Patrum, euidenter oſtendam. Tantùm huic profeſsioni concedo, quòd ex ſyderum conſtellatione poſſunt aſtrologi per coniecturas dignoſcere varias hominum complexiones, & inclinationes; cęterũ ſi ex his certò volũt prędicere electiones humanas, mores & ingenia hominum, impium eſt, & nefarium ſcelus. Nam non obſtante quocunq; ſydere, ſupereſt liberum arbitriũ, per quod adiutum diuina gratia, & Dei timore conterritũ, poteſt omnia vincula ſyderea diſrũpere. ¶ Illud etiam dogma iſtorum hominum non probandũ, ſed improbandum maximè. Dicunt enim ſydera inclinare, & inſtigare hominem ad fraudes, adulteria, homicidia. Hoc falſiſsimum eſt, & à vera doctrina alienum. Nam natura corporis cœleſtis bona eſt. ergo eius inclinatio in bonum eſt, & in bonum tendit; alioqui Deo Opt. Max. qui naturam, & inclinationem inſtituit, tribuendum eſt, quòd ad malum inclinet, & ſollicitet. Præterea, corpora cœleſtia operantur

Sydera ad malũ nequaquam inclinant.

opera ſua, ſecundum Dei præceptum, quod nũquam tranſgrediuntur. Si ergo inclinent ad malum, ſecundum præceptum Dei ad malum inclinant. Certè in multis locis demonſtratum eſt à nobis, quomodo Deus non poſsit facere naturam, quæ de ſe inclinet, & ſollicitet ad malum. Errant igitur Aſtrologi, dicentes, ſydera ad fraudes, & adulteria inclinare. Sanè Venus inclinat ad hilaritatem; at ex noſtro abuſu eſt quòd ad libidinem propendat. & ſic de cæteris ſyderibus ſentiendum eſt.

¶ Sed de effectibus fortuitis, & qui ex hominũ libera voluntate dependent, explicandum eſt, quemadmodum ſyderibus ſubijciantur. Profectò de his certum prædicere ſolus Deus poteſt. Sic enim ſcribitur Eſaiæ quadrageſimoprimo. Annuntiate quæ ventura ſunt nobis, & dicemus quòd Dij eſtis vos. & capitulo quadrageſimoquinto. Ventura interrogate me, ſuper filios meos, & ſuper opus manuum mearũ mandate mihi. & capitulo quadrageſimoſeptimo. Stent, & ſaluent te augures cœli, aſtrologi, qui contemplabantur ſydera, & ſupputabant menſes, vt ex his annuntiarent ventura tibi. Ecce facti ſunt quaſi ſtipula, ignis combuſsit eos: & multa ſequuntur in hanc ſententiam, quibus Dominus manifeſtè irridet aſtrologorum vanitatem, qui nunc temporis apud Chriſtianos in pretio ſunt. & capitulo quadrageſimo octauo. Prædixi tunc, antequam fierent indicaui tibi, ne fortè diceres, idola mea fecerunt hæc. & Sapientiæ octauo, Signa & monſtra ſcit antequam fiant. Similis propemodum ſententia habetur Danielis ſecundo. ¶ Certè potiſsimum argumentum ad probãdum, religionem noſtram eſſe veram, eſt, quoniam ea quæ credimus, multò antè tempore fuere prædicta, & per prophetas prænuntiata. Hoc argumento vtitur D. Petrus in ſecunda canonica capitulo primo, dum dicit; Habemus firmiorem propheticum ſermonem, cui benefacitis attendentes, quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco. & Diuus Paulus eodem vtitur argumento in exordio epiſtolæ ad Romanos, cùm inquit; Paulus Apoſtolus ſegregatus in Euangelium Dei, quod ante promiſerat per prophetas ſuos de filio ſuo.

¶ Sed & idem demonſtratur alio efficaci argumento. Nam Dominus grauiſsimè prohibet ne accedamus ad diuinos, & ariolos, vt nobis ventura pronuncient, vt ſanctæ ſcripturæ in innumeris locis teſtantur. Ergo non eſt aliqua aſtrologia, quæ de his diuinare certò poſsit. Nã profectò ſi ventura poſſent ex regulis certæ ſcientiæ prænoſci, & præmonſtrari, Deus nunquam huius veræ ſcientiæ vſum aut interdixiſſet, aut nobis inuidiſſet.

Eſa. 41.
Eſa. 45.
Eſa. 47.
Eſa. 48.
Sap. 8.
Dan. 2.
D. Pet. 2. canonic. c. 1.
Rom. 1.

¶ Sed quid dicendum eſt de aſtrologis, qui audent certò definire ex ſyderum conſtellatione, de cordium cogitationibus, de alijſque rebus occultiſsimis, quæ cuique creaturæ ſunt abditæ? Profectò de his conſulere aſtrologum, impium eſt; nam ſolus Deus hæc nouit, dicente ſcriptura ſecundo Paralipomenon, capitulo ſexto, & Iob vigeſimoſexto, & ad Hebræos quarto. Tu ſolus noſti corda hominum. & Hieremię capitulo decimoſeptimo; Prauum eſt cor hominis, & inſcrutabile, & quis cognoſcet illud? Ad hoc prædicamentum reducendi ſunt alij aſtrologi, qui ex ſyderum influentia & prænotione gloriantur ſe cognoſcere quædam opera exteriora, omnis humanæ probationis experti a, vt ſunt occulta furta, adulteria, & his ſimilia; in quibus rebus, aſtrologis minimè credẽdum, & eos conſulere, impium & iniuſtum eſt. Quòd ſit impium, probatur. Nam hæc non poſſunt cognoſci niſi ex diuinatione dęmonum. Quòd ſit iniuſtum, patet. Nam fratris tui crimen reuelare ſine correptione fraterna, & ſine ordine iuris præſcripti à Domino in Euangelio, iniuſtum eſt. Sed in vltimo genere ſunt quædam opera, omnem naturam & conſtellationem ſyderum excedentia; vt ſunt myſteria fidei noſtræ, incarnationis Dominicæ ſacramentum, & cætera myſteria gratiæ, & arcana fidei noſtræ; & hæc ab ſtellis requirere, magna dementia eſt; nam hæc ex corporum cœleſtium conſtellatione neque fiunt, neque dependent, ſed ex libera Dei voluntate, & ex propoſito voluntatis ſuæ & fecit hæc, & nobis reuelauit per ſpiritum ſuum. Ex his patet, in quanto errore verſetur Petrus Aliacus presbyter Cardinalis, qui quæſtione in Geneſim tertia, & in libro de legibus & ſectis, ſuper ſtella Magis in Oriente conſpecta diſputans, oſtendit, Magos illos ſyderalis ſcientiæ peritiſsimos, potuiſſe ex aſtrologicis contemplationibus prænoſcere futuram Chriſti natiuitatem, & vitam, non tamen ea certitudine, qua poſtea ortum Chriſti, noua ſtella prænonſtrante, cognouerunt. Nam etſi Chriſti conceptio, & natiuitas omnes cœlorum vires, atque omnes naturæ facultates in pleriſque excedant; in aliquibus tamen naturæ cœlorum, & aſtrorum virtutes, tanquam ancillæ Domino ſuo famulantes, amica lumina, & benignos influxus, quos à Chriſto acceperant, naſcenti Chriſto largiſsimè ſuppeditarunt. Ea propter poſsibile fuit Magos, præter hanc recentis aſtri apparitionem, etiam duobus alijs indicijs præſciſſe, naſciturum inſignem religione, imperio, & gloria virum. Primò, ex magna quadam coniunctione Iouis & Saturni, qui anno ante ſeruatoris noſtri ortum

2. Paral. 6.
Iob 26.
Heb. 4.
Hier. 17.
Aliacus.

ſexto,

sexto, in signo Cancri coierunt, præcedentibus cunctis illorum temporũ Astronomis, portendi magnam religionum mutationem. Secundò ex obseruatione constitutionis cœli, quam habuit ipsa Christi natiuitas; ea incidit in annum Octauij Augusti 42. octauo Kalendas Ianuarij, ante noctis dimidium: fuitque in ea horoscopus pars virginis octaua, quæ religionisim mutationem significat, & in culmine cœli Saturnus, imum cœli tenente sole, cæterisque planetis eo ordine dispositis, vt idem significarent.

Aliacus. Albe. Mag: Hæc Aliaci sententia est, quam longè antea prosessus fuerat Albertus suo seculo magnus, qui in libro, cui speculi titulum imposuit, referens descriptionem signi virginis, ab Albumasare Astronomo traditam, ita scriptum reliquit. Albumasar in suo maiori introductorio, tractatu sexto; ascendit (inquit) in prima facie illius signi virgo pulchra, habens in manu sua duas spicas, & nutrit puerum, & vocat ipsum puerum quædam gens Iesum: & ascendit cum ea stella virginis. Hæc ille. Nos autem scimus, quòd sub ascendente eiusdem virginis natus fuit Dominus noster Iesus Christus, cum hoc, quòd æquatio motus octauæ sphæræ in tempore eiusdem fuit octo graduum, & triginta minutorum, secundum calculationem certissimam; & quòd ipsa erat tunc minuenda de locis planetarum inuentis per canones: non quòd subiaceat stellarum motui, aut earum iudicio natorum desideratissimus, qui creauerat ipsas stellas; sed quia cùm extenderet cœlum, sicut pellem, formans librum vniuersitatis, noluit literis eiusdem deesse ex his, quæ secundum prouidentiam suam in libro æternitatis sunt scripta. Etiam illud elegantissimum à natura, quòd de virgine nasceretur, vt profectò per hoc inueniretur homo carnalis, & verus, qui non naturaliter nascebatur, non quòd cœli figura causa esset quare nasceretur, sed potiùs significatio: imò & vero verius ipse erat causa, quare modus admirandæ suæ natiuitatis significaretur per cœlum. Hactenus Albertus, siue alius quispiam eius nomine; nam is liber ab eruditis Alberti esse negatur.

Aliacus. Idem Petrus Aliacus presbyter Cardinalis in quæstionibus in Genesim, disputans super hanc sententiam; Cataractæ cœli apertæ sunt; asseuerat, quòd quanquam Noë futurum diluuium ex prophetica reuelatione Deo annuntiante prænouerit, id ipsum tamen longè antè quàm eueniret ex regulis astronomicis præuidere potuit, ex cognitione videlicet constellationum, quæ vniuersalem illum cataclysmum non solùm præsignauerunt, sed etiam iussu Dei effecerunt; non tanquam primæ causæ, sed tanquam famulæ & ministræ, adhibentes in obsequium omnipotentis Domini sui vires & facultates quas ab eo acceperant inundandi, & demergendi orbem terrarum. Has constellationes, inundationum productrices, appellauit Moyses cataractas cœli: per apertionem illarum significans tempus illud, in quo Deus omnes inundatrices vires, atque influentias, prædictis constellationibus conclusas, veluti reseratis claustris ad totius terræ alluuionem emisit. Hanc sententiam non solùm rident catholici scriptores (vt solent alia deliramenta astrologorum) sed tanquam hæreticam damnant. Certè ego extra controuersiam damnandam esse decerno; nam mysteria hæc quæ commemorata sunt, superant omnem naturam, & vniuersam potentiam corporum cœlestium, & ex sola Dei voluntate dependent. Quomodo ergo ex stellarum constellatione dependent? quid? an non satis magna audacia est mentem nostram cœlestibus corporibus subijcere? Sed adeò temerarij sunt astrologi isti, vt etiam ipsum Deum, & ea quæ nemo nouit nisi Spiritus Dei, qui in ipso est, nobis autem reuelauit per Spiritum suum, constellationibus syderum subijciant; vel saltem ex eorum consideratione se posse cognoscere gloriantur. Certè eadem ratione possent cognoscere ex stellis diem iudicij vniuersalem, cùm totus orbis igne sit conflagraturus; cuius contrarium asseritur planè in scripturis sanctis, videlicet quòd de die illo nemo scit, neque filius hominis. Sed desino contra istam hæresim pugnacissimè dimicare; nam ipsa se prodit quàm sit temeraria. Quid enim magis temerarium, & hæreticum, quàm dicere, nos posse mysteria religionis nostræ ex facultate humani ingenij, & per scientias naturaliter comparatas cognoscere? cùm vniuersa scriptura testetur, hæc mysteria ex sola Dei reuelatione teneri. Ex dictis patet quid sit censendum de prædictionibus Astrologorum, ad quæ prænuntianda sese astrologia diuinans possit extendere.

no. no.

¶ Sed ne quis existimet me propriam secutum fuisse sententiam, libet hic referre quid sancti Patres de hac re scriptum nobis reliquêre. Diuus Augustinus quinto de ciuitate Dei, capitulo primo, postquam confutauit eos, qui dicunt stellas in genituris infantium effectrices causas esse, & suas cuique nascenti sortes, fataque distribuere; demum eos quoque refellit, qui docent, positiones astrorum in natiuitatibus infantium non esse causas, sed signa tantùm, quæ futuram nascentis vitam, mores, fortunasque significent, ita scribens; Si dicuntur stellæ significare potiùs ista, quàm facere, vt quasi loquutio quædam sit illa positio,

Aug.

præ-

prędicens futura, non agens; (non enim medio criter doctorum hominũ fuit ista sententia) vt verbi gratia. Mars ita positus, homicidam significat, sed homicidam non facit: qui fit vt nihil vnquam dicere potuerunt mathematici, cur in vita geminorum, in actionibus, in euentibus, in professionibus, artibus, honoribus, cæterisque rebus ad humanam vitam pertinentibus, atque in ipsa morte sit plerumque tanta diuersitas, vt similiores eis sint, quantum ad hæc attinet, multi extranei, quàm ipsi inter se gemini, per exiguum temporis interuallum in nascendo separati, in conceptu autem per vnum concubitum, vno etiam momento seminati. Et infrà capit. 3. eiusdem libri coarguit eos, qui ex responso Nigidij Figuli referebant disparitatem illam geminorum, ad vertiginem cœlestis rationis, quæ sua pernicitate vtriusque infantis horoscopum exigui temporis momento mutaret. Sic autem loquitur; Frustrà affertur nobile illud commentum de figuli rota, quod respõdisse ferunt Nigidium hac quæstione turbatum; vnde & Figulus appellatus est. Dum enim rotam Figuli vi quanta potuit intorsisset, currente illa bis numero de atramento tanquam vno eius loco summa celeritate percusit: deinde inuenta sunt signa, quę fixerat desistente motu, non paruo interuallo in rotæ illius extremitate distantia. Sic, inquit, in tanta cœli rapacitate, etiam si alter post alterum tanta celeritate nascatur, quanta rotam bis ipse percusi, in cœli spatio plurimum interest. Hinc sunt, inquit, quæcunque dissimillima perhibentur in moribus, casibusque geminorum. Hoc figmentum fragilius est quàm vasa, quæ illa rotatione finguntur. Nam si tam multum in cœlo interest, quod constellationibus comprehendi non potest, vt alteri geminorum hęreditas obueniat, alteri non obueniat; cur audent cæteri, qui gemini non sunt, cùm inspexerint eorum constellationes, talia pronuntiare, quæ ad illud secretum pertinent, quod nemo potest comprehendere, & momentis annotare nascentium. Idem persequitur Augustin. libro 4. confess. capit. 3. vbi dicit, quòd astrologos & planetarios damnat Christiana & vera pietas. & 5. confess. cap. 3. & 7. cap. 6. agit gratias Deo, qui eum ab hac vanitate liberauit. Idem facit libro 2. super Genes. c. 16. 17. & 2. de doctrina Christiana à cap. 21. vsque ad 29. & cap. 21. dicit esse magnam superstitionem considerare dies natalitios. & alibi sæpe, & in calce enarrationis super Psalm. 61. decernit mathematicum in Ecclesia non esse recipiendum, nisi publica, & solenni pœnitentia præmissa. Epiphanius libro de ponderibus & mensuris scribit; Aquilam, primum diuinæ scripturæ interpretem, non alia de causa fuisse à patribus ex ecclesia pulsum, nisi ob eam, quòd astrologiæ diuinanti vacaret. Et Diuus Basilius sermone in principiũ Prouerbiorũ dicit, hanc scientiam esse occupatissimam vanitatem. Ambros. libro 4. hexame. capit. 4. dicit esse inutilem, & impossibilem. Idem Chrysostom. & Hieronym. & habetur 26. quæst. 2. cap. Sed & illud. Alexand. 3. cap. 2. de sortilegijs, idem sentit, & punit contrarium facientes. & cap. non liceat 26. quæstion. 5. dicit non esse Christianos, qui obseruant tempora pro domibus ædificandis. & c. quicunque, ibidem damnantur astrologi. & l. 2. C. de maleficijs, damnatur hæc ars. l. 3. 5. 7. idem asseritur. Sed & Diuus Thomas breui sermone quid sit sentiendum de prædictionibus astrologorum explicauit; nam simplex est veritatis ratio. Is enim in quodam opusculo sic ad quendam respondet; Quia petisti vt tibi scriberem, an liceret iudicijs astrorum vti: petitioni tuæ satisfacere volens, ea quæ à sacris doctoribus super hoc traduntur, scribere curaui. In primis ergo oportet te scire, quòd virtus cœlestium corporum, ad immutanda corpora inferiora se extendit. Dicit enim Augustin. 5. de ciuitate Dei, non vsquequaque absurdè dici potest, ad solas corporũ differentias afflatus quosdã sydereos peruenire: & ideo si aliquis iudicijs astrorũ vtatur ad prænoscendum corporales effectus, putà, tẽpestatem, & serenitatem aëris, sanitatem, vel infirmitatem corporis, vel vbertatem, vel sterilitatem frugum, & similia, quæ ex corporalibus, & naturalibus causis dependent, nullum videtur esse peccatum; nam omnes homines circa tales effectus aliqua obseruatione vtuntur corporum cœlestium, sicut agricolæ seminant & metunt certo tempore, quod obseruatur secundum motum solis; nautæ nauigationem vitant in plenilunio, vel etiam in lunæ defectu: Medici circa ægritudines criticos dies obseruant, qui determinantur secundum cursum solis & lunæ. vnde non est inconueniens secundum aliquas alias occultiores stellarum obseruationes, circa corporales effectus vti astrorum iudicio. Hoc autem omnino tenere oportet, quòd voluntas hominis non est subiecta necessitati astrorum, alioquin periret liberũ arbitriũ, quo sublato, non deputarentur homini nec bona opera ad meritum, neque mala ad culpam. Et ideo certissimè tenendum est cuilibet Christiano, quòd ea quę ex voluntate hominis depẽdẽt, qualia sunt omnia humana opera, nõ ex necessitate astris subdũtur. & ideo dicitur Hier. 10. A signis cœli nolite metuere, quę gentes timẽt. Sed diabolus, vt omnes pertrahat in errorẽ, immiscet se operationibus eorũ, qui iudicijs astrorum

Basil. Ambros. Chrysost. Hieron. Alexan. 3. D. Thom. Aug. Hier. 10.

Epiphanius

D. Aug. rum intendunt. Ideo Aug. dicit 2. super Genes. ad literam c. 17. Fatendū est quando ab astrologis vera dicuntur, instinctu quodam occultissimo dici, quem nescientes humanę mentes patiūtur; quod cùm ad decipiendos homines fit, spirituum immundorū & seductorū operatio est, quibus quædam vera de temporalibus rebus nosse permittitur. Et ideo Augustinus dicit 2. de doctrina Christiana, quòd tales astrorum obseruationes referendæ sunt ad quædam pacta cum dæmonibus habita. Est autem omnino Christiano vitandum, pactum, vel societatem cum dæmonibus habere, secundum illud Apostoli 1. Cor. 10. 1. ad Corinth. 10. Nolo vos fieri socios dæmoniorum; & ideo pro certo tenendum est, graue peccatum esse, circa ea quæ à voluntate hominis dependent, iudicijs astrorum vti. Quæ omnia confirmātur ex definitione Concilij Tridentini, cuius definitio sic habet in indice voluminum à Synodo damnatorum, regula 9. Episcopi diligenter prouideant, ne astrologiæ iudiciarię libri, tractatus, indices legantur, vel habeantur, qui de futuris contingentibus, successibus, fortuitisve casibus, aut ijs actionibus quæ ab humana voluntate pendent, certò aliquid euentu rum affirmare audent.

Cōcil. Trid

1. Cor. 10.

¶ Sed iam tempus est vt argumenta astrologorum dissoluamus, & demonstremus quoniam vana sunt. ¶ Ad primum dicendum, quòd Aristoteles in loco adducto, per mundum inferiorem non intelligit omnia quæ sublunaria sunt, sed quatuor elementa, quæ corporibus cœlestibus sunt contigua, & ideo corpora cœlestia, in corporibus inferioribus operari non valerent, neque eorum virtus ad inferiora penetraret, nisi elementa priùs virtutem, & influentiam cœlestium corporum in se susciperent, indeque omnis virtus deriuaretur. ¶ Ad secundum dicendum, quòd cœlum mouet hæc corpora inferiora necessario suo motu & agitatione, sic vt non possimus effugere eius alterationes; ex cœli motu frigemus aliquando, interdum calemus, nō nunquam humectamur, & siccamur aliquando; sed cœlum non mouet nos necessariò, motu locali. Nam quanquàm alterationes prædictæ ex corporibus cœlestibus nobis obueniant, & quanquàm sine motu cœli non possumus aliquem motum habere, nihilominus non constringit nos vt nos moueamus potiùs ad vnum locum quàm ad alterum; sed motum hunc pro nostra voluntate operamur. Itaque corpora cœlestia, non trahunt corpora inferiora ex necessitate ad omnem motum, etiam corporum, & multò minùs possunt imprimere aliquid in nostris animis, qui spirituales sunt, vt demonstrat D. Thom. in articulo.

Ad astrologorū argu.

Ad primum

Ad secundū

¶ Ad tertium dicendum; quòd mores, & ingenia humana sequuntur complexionem, & corporis constitutionem, sed non adeò necessariò, vt non possit homo facere contra id, ad quod complexio inclinat & solicitat, maximè si sit bene & probè institutus. Et magna asseueratione decerno, quòd quamuis rationalis anima mortalis esset, (quod non est verum) cœlum non poterat constringere eam, vt necessariò sequeretur syderum constellationem, & corporis complexionem, sed adhuc haberet suam libertatem; vnde bruta animantia non adiguntur & necesitantur vt sequantur suas complexiones, quin potiùs possunt eis resistere, & repugnare. Si quis enim vna manu ostenderet cani famelico cibum, & altera teneret baculum, certè isto metu detineret canem, & eius impetum naturalem, vt non auderet cibum apprehendere. Itaque ego pernego quòd non possimus resistere naturali complexioni. Certè de Stilpone philosopho acuto, & sua ætate in magno pretio habito, scribitur, quòd erat in ebrietatem, & luxuriam inclinatus, quam inclinationem sic ipse compescuit, sicque suam naturam deficientem frænauit, vt nemo videret eum ebrium, aut in eo libidinis signum deprehenderet. Zopyrus Physiognomon, cuius professio erat de moribus & vita cuiusque ex signis quibusdam decernere, cùm vidisset Socratem, stupidum eum & bardum esse dixit, mulieribusq; deditum; quam inclinationem ex decretis philosophiæ Socrates perdomuit, atque frænauit.

Ad tertium

Stilpo philosophus.

Zopyrus Physiognomon.

Socrates.

¶ Sed & illud addo ad confutationem argumenti, quod apprimè est notandum, complexiones quidem corporum è cœlo venire, sed non tantùm è cœlo; nam è cœlo veniunt tanquam à causa vniuersali, ab alijs verò tanquam à causis particularibus: vnde dicit Aristot. quòd sol & homo generant hominem; ad generationem quippe Socratis necessarium est vt concurrat sol, vt causa vniuersalis, sed non sufficit; quin potiùs est necessaria causa particularis, quæ determinet causam vniuersalem ad generationem huius in diuidui. Propter quod Astrologi ex consideratione causarum vniuersalium, nō possunt de moribus hominum iudicare; neque de honoribus, neque dignitatibus. Quando enim multæ causæ concurrunt ad aliquem effectum, non possumus exactè cognoscere effectum ex causis, nisi cognitis vniuersis causis, quarum quæ sunt magis particulares, inuestigantur difficiliùs quàm vniuersales. Propter quod docuit Aristoteles, quòd ex causis vniuersalibus necessum est vt ad causas particulares descēdamus, si volumus verè esse sapiētes. Vnde si quispiam Astrologus, & astrorū

Arist.

Aristot.

inter-

interpres aspexisset cœlum in eo temporis punc-
to, quo Socrates natus est, & aspectus syderũ
benignè faueret, si tamen Socrates natus fuis-
set ex parentibus complexionis deficientis, nõ
possumus ex syderibus benè fauentibus, de vi-
ta & moribus Socratis dijudicare; siquidem
quanquam aspectus syderum & eorum coniun
ctiones promitterent Socrati vitam felicem, &
bene longam, causæ tamen particulares sunt tã
malè dispositæ & affectæ, vt non sint aptæ ad
recipiendum illum cœli influxum. Quod vt me
liùs intelligatur, adhibeo exemplum satis accõ-
modum. Si agricola velit duas arbores plantа-
re, quarum vna sicca sit, altera viridis, & aspexit
cœlum ad plantationis opus aptissimum, plan-
tetque vtramque in vno temporis articulo, vi-
ridis nascetur, sicca verò minimè; cœlum enim
operatur secundum materiæ dispositionem, &
sicca arbor nõ est apta vt cœli influentiam alio-
qui benignam recipiat. ¶ Sed interrogabit me
Theologus quid ego sentiam de influentijs sy-
derum, qua vnus nascitur ad honores, alius ad
ignominias, & cætera huiusmodi. Certè vt bre-
uiter explicem quod sentio, dico, credo, imò de
cerno esse fabulas, & nugas meras. Nam nos si
de naturis rerum facimus sermonem, nisi illud
quod sensus & ratio demonstrat non debemus
credere: ratio verò & sensus demonstrat, quòd
cœlum tantùm operatur suo motu, & lumine,
vnde cõsequens est, quòd omnia quę operatur
cœlũ, operatur mediãte motu, & lumine: Reli-
quas influẽtias irrideo, & oẽs sapiẽtes meritò irri
dẽt. Propter quod placet mihi magnopere do-
ctissimi cuiusdã viri distinctio, qua astrologię
diuinantis duo genera distribuebat; physicũ, &
fictitium. physicum, physicas tantùm stellarum
influentias obseruat, quæ non solùm imagina-
tionis excogitatione, sed re ipsa in rerum natu-
ra existant; veluti sunt lumen, motusq; syderũ.
Fictitium verò, neglectis physicis influentijs,
obseruat influxiones quasdam constellationũ
imaginarias, & commentitias, hoc est, afflatus ali
quos sydereos, qui nusquam sunt, sed solùm
sunt astrologorum vanitate introducti; veluti
quòd Venus mittat afflatum libidinis, Mars de-
fluxionem iræ, Luna influxum insaniæ, Capri-
cornus vim quandam occultam vt nascentes
sub eo reges efficiat, & cætera huius generis de
liramenta. ¶ Ad quartum dicendum, quòd
ea quæ commemorantur ab astrologis euenire
ex syderum constellatione, veniunt fortuna, &
à casu; veluti cum quis è domo egressus, pergẽs
in forum, cadente lapide occiditur. Quomodo
autem in his fortuitis prænunciandis vera dicãt
astrologi, confestim explicabo. ¶ Ad aliud, de
hominibus qui ad furta, vel libidinẽ sunt ex sy-
deribus inclinati, dico id vanum esse, & nugato
rium, sed inclinantur adhæc ex praua institutio
ne, & improba consuetudine, quam acquirunt
praue & improbè viuẽdo: cõsuetudo verò quæ
altas radices mittit, iam velut in naturã versa, dif
ficillimè extirpatur. ¶ Sed inquit aliud argumen
tum quod sequitur, si eiusmodi astrologorum
studium vanitas est, & inane figmentum, qua
ratione fit, vt hi ex constitutione syderum de
natiuitatibus, morte, euentibus, verisima prędi
cant? Hæc est illa singularis, ac præcipua diuina
torum demonstratio; ea verò quàm labilis & in
firma sit, palàm dextrè Basilius, Chryso. Aug.
& alij prisci Doctores contra vanitatem hanc
disputantes, demonstrarunt. ¶ Itaque censent
patres, veritatem illarum prædictionum nõ es-
se referẽdam ad obseruationes constellationũ,
quæ mera sunt somnia, sed ad alias quatuor po-
tiores & euidẽtiores causas, nimirum ad sortẽ,
ad pacta, ad prudentiam consultorum, & stulti-
tiam consulentium. Vim sortis hoc facere testa
tur Aug. li. 4. confess. c. 3. Si enim de paganis poẽ
tæ cuiuspiam longè aliud canentis atq; intendẽ
tis, cũ sorte quis cõsuluit, mirabiliter cõsonus ne
gocio sæpe versus exiret; mirandum non est, si
ex anima humana superiore aliquo instinctu
nesciente quid in se fieret, non arte, sed sorte so
naret aliquid, quod interrogantis rebus, factis-
que concineret. hæc Augustinus. Secundò, mul
ta ab astrologis dicta certissime eueniunt, non
ex astrologia diuinante, quæ nulla est, sed ex so
cietate & fœderibus inter eos & Dæmones con
stitutis. de quibus D. Aug. lib. 5. de ciuitate Dei,
c. 7. sic loquitur. His omnibus consideratis, non
immeritò creditur, cùm astrologi mirabiliter
multa vera respondent, occulto instinctu fieri
spirituum non bonorum, quorum cura est has
falsas ac noxias opiniones de astralibus fatis in-
serere humanis mentibus atque firmare; nõ ho
roscopi notati & inspecti aliqua arte, quæ nulla
est. & lib. 2. de Genesi ad literam ca. 17. idipsum
latiùs explicat, sed propemodum in eandem sen
tentiam, & tandem cõcludit, quòd viro Chri-
stiano mathematici maximè dicentes vera cauẽ
di sunt, ne consortio dæmoniorum animam de
ceptam pacto quodam societatis irretiant.
¶ Tertiò, implentur sæpenumero quæ astrolo-
gi prenũtiant absq; vlla stellarũ inspectione, sed
sola animi prudentia, ad quam attinet non so-
lùm intueri præsentia, sed præterita reminisci, &
futura prospicere, & quæ ventura sunt longè
antè præuidere. Sunt autem homines quidam
tam natura, quàm exercitatione ita prudentes,
vt ex negotiorum, & hominum circunstantijs
ritè consideratis, multa eis euentura præui-
deant, eaque asseuerationis cõstantia proferant,

vt

Interrogatio.

Duplex astrologiæ genus physicum & fictitium.

Ad quartũ

Ad quintũ.

Ad vltimũ.

Basil.
Chrysost.
August.

Quare quæ prędicũtur futura, certo eueniãt.

D. August.

hæc sunt ꝓpria mutuata ex a Pico Mirãdulano, et a Michaele Authrima medico fidei.

vt rarò fallantur. Sic Hannibal prudentiſsimus dux, perſpecta temeritate ac imperitia Terentij Varronis Romani conſulis, Afris victoriam, Romanis cladem ingenti fiducia prædixit, & prędictionem rerum euentus confirmauit.

¶ Quarta ac poſtrema cauſa, ob quã diuinationes huiuſmodi veræ eſſe deprehendantur, eſt conſulentium ſtultitia, ſiue ſtulta credulitas: ſolet enim ea credulitas immittere credulis cõſulentium animis, aut ſpem felicitatis à diuinatore promiſſæ, aut metum calamitatis ab eo denuntiatæ. Hi autem duo affectus crebrò efficiunt, vt humana negotia prænũtiatos effectus ſortiãtur. Nã quẽadmodũ ſpes & fiducia, ardua quęque opera audenter aggrediuntur, & feliciter magnificęq; abſoluunt: ita pauor ac metus, res pauidè incipiunt, & inceptas turpiter & infeliciter deſerunt. ¶ Sed dum hæc ex alijs autoribus tranſcriberem, alia cauſa ſeſe mihi obtulit, quæ fortaſsis nonnullis vt incerta & vacillans videbitur, ſed mihi maximè probatur; ea eſt, quòd iſti ſtellarum interpretes tot prædicunt euentura, tamque varia pronuntiant, vt neceſſum ſit in aliquod verũ incidere: quod re vera accideret, ſi fortè fortuna nullis inſpectis ſyderibus prænuntiarent. Hæc autem eſt vulgi temeritas, & ſtulta credulitas, vt aſtrologo ſæpe falſa dicenti, ſi in vno verum dicat, fidem adhibeat veluti diuinam, cùm tamen hominem alioqui probum, ſi ſemel in mendacio deprehendat, indignum cui credatur omnes arbitrentur. ¶ Ad Origenis teſtimonium dicendum eſt, quòd meretur condemnationem, ſicut alia dogmata, quæ hic autor ſuis operibus inſeruit, quam proinde ſententiam, vt periculoſam, & fabuloſam, improbat Aug. lib. 5. de ciuitate Dei locis ſuperiùs citatis.

Ad Orig.

ARTIC. SEXTVS.

¶ *Vtrùm volũtas à ſolo Deo moueatur tanquam ab exteriori principio.*

SVMMA TEXTVS.

Concluſio. Oncluſio ſic habet. Solus Deus, vt principiũ exterius, poteſt mouere voluntatem per modum efficientis, & quantum ad exercitium. Sed videamus quomodo Diuus Thom. hoc probat; nam eius probationes non ſunt vſque adeò euidẽtes. Prima probatio D. Thom. ſic procedit. Nam voluntas eſt potẽtia animæ rationalis, quę à ſolo Deo creatur. Ergo voluntas eſt potẽtia animæ, quæ à ſolo Deo mouetur. Secunda ſic: Voluntas habet ordinẽ ad vniuerſale bonum; particularis autem cauſa non poteſt dare inclinationem vniuerſalem ad bonũ: vnde neque materia prima, quæ eſt in potentia ad omnes formas, poteſt cauſari ab aliquo particulari agente. Ergo ſolus Deus, qui eſt vniuerſale bonũ, eſt cauſa noſtræ voluntatis. Ex quo cõſequens eſt, quòd ſolus Deus poſsit mouere noſtram voluntatem. Sed adhuc (vt verum fatear) vis probationum D. Thom. non demonſtratur; prædicta enim tantùm probãt, quòd ſolus Deus cauſat noſtram voluntatem, non quòd ſolus Deus efficiẽter moueat. Sed ecce validiſsimam & certiſsimam probationem D. Th. Nam motus voluntatis eſt ab intrinſeco, ſicut motus naturalis. Sed motum naturalẽ rei motæ nemo poteſt cauſare, niſi qui eſt aliquomodo cauſa naturæ. Ergo motum voluntariũ nemo poteſt cauſare, niſi ſit cauſa noſtræ voluntatis: volũtatis autẽ cauſa nihil aliud eſſe poteſt quàm Deus, vt antea probatum eſt. Ergo ſolus Deus poteſt mouere noſtram voluntatem. Maior huius probationis certiſsima eſt; Minor verò probatur euidẽti exemplo. Non enim poteſt aliquis facere quòd lapis concurrat ad motum ex inclinatione naturali, licèt poſsit homo mouere

uere lapidem; non enim est in potestate cuiusque principium naturale ad mouendum lapidem, & si ad omnem motum lapidis oporteret lapidem concurrere, nullus homo posset mouere lapidem. Cum igitur voluntas concurrat ad omnem actum voluntarium, impossibile est vt moueatur nisi à solo Deo, qui est eius autor.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Deus causa est operationū voluntatis.

IN hoc articulo obseruet Theologus non solùm esse certum, Deum causare nostram voluntatem, quæ est potentia, & vis animæ ad volendum, sed etiam causare omnes voluntatis humanæ operationes; quasdam quidem generali auxilio, quasdam verò ex speciali. Dicitur enim Esa. 26. Vniuersa opera nostra operatur in nobis Dominus. & Prouerb. 21. Cor regis in manu Domini, & quocunque voluerit, vertet illud. & ad Phil. 2. Deus est qui operatur in nobis & velle, & perficere. Deinde illud obseruet Theologus, quòd Deus solus mouet nostram voluntatem efficiēter quantum ad exercitium actus; nam in citatis testimonijs hoc vendicat sibi Dominus tanquā proprium. Sed demonstrare huius rei causam difficile est, & opus laboriosum. ¶ Diuus Thomas 3. contra gentes c. 88. varias huius rei conatur demonstrare rationes. Prima sic habet. Nam lex est prouidentiæ, vt vnumquodque moueatur à sua proxima causa, & quòd superior causa prætermisso hoc ordine nihil possit efficere. Ergo intellectualis substantia non potest mouere nostram voluntatem, nisi mediante bono apprehenso. Antecedens huius argumenti probatur. Nam cùm omnes actiones rerum creatarum contineantur intra ordinem prouidentiæ diuinæ, non possunt illius leges & decreta præterire. Consequentia argumenti inde probatur. Nam bonum apprehensum est proxima causa quæ mouet nostram voluntatem; ex quo consequens est, quòd intellectualis substantia non possit mouere nostram voluntatem, nisi per modum persuadentis; mouere enim voluntatē mediante bono apprehenso, nihil aliud est, quàm patefacere aliquid esse conueniens, aut disconueniens ad agendum; quod nihil est nisi persuadere. ¶ Sed in hac ratione illud animaduersione dignum est, quòd solum summum bonum, & vniuersale, rapit efficaciter, & trahit necessariò

Esa. 26.

Pro. 21. Phil. 2.

Quare solus Deus moueat voluntatem efficiēter quā tū ad exercitium. D. Thom.

nostram voluntatem; quod Deus solus potest ostendere, cùm videtur à beatis per essentiam: iuxta illud Exo. 33. Ego ostendam tibi omne bonum: cætera verò bona, à quacunq; creatura demonstrata & proposita nostræ volūtati, nō possunt illā trahere necessariò; quia in quouisbono particulari potest ratio inuenire aliquid, quod appareat discōueniens, aut incōmodum, siquidē non est vniuersale bonū. ¶ Secūda causa est, quoniā volūtas nostra nō sedatur, neq; saturatur nisi in adeptione summi boni, tāquā in eius fine, ad quē tendit. Ergo solum summum bonū mouet nostram voluntatem per modū efficientis. Cōsequentia inde probatur. Nā vt in præcedentibus ostensum est, in quouis alio bono potest intellectus noster inuenire aliquā rationem incōmodi, propter quod non trahatur ab illo. ¶ Tertia ratio sic habet. Nā dare inclinationem naturalē, solū est illius qui instituit naturā. Ergo inclinare voluntatē in hoc, vel in illud bonum, eius solius est qui cōdidit voluntatē. Cōsecutio argumenti sic probatur. Nā sicut se habet in re inanimi inclinatio naturalis, quā appetitū naturalem appellamus; sic se habet in natura intellectuali voluntas, quam appellamus appetitum rationalem. Hoc ipsum confirmatur. Nā licèt quisque possit proijcere lapidē sursum, at non cuiq; cōtinget efficere quòd lapis concurrat ad illum motum efficiēter; hoc solùm potest efficere autor lapidis, qui dedit inclinationem lapidi, vt cō currat suo pondere ad suum motum. Sed volūtas nostra concurrit efficienter ad quamuis appetitionem. Ergo tantummodo Deus, qui instituit naturam voluntatis, potest mouere illā efficienter. ¶ Quarta ratio. Violētum est, quod est à principio extrinseco, passo nō cōferente vim; sic enim omnes definiūt violētum, nominatim Arist. 3. Ethic. Ex quo consequens est, quòd si motus voluntatis est à principio extrinseco, violentus erit. Ex quo rursum concludo; quòd solus Deus potest mouere voluntatem ad actum suum per modum efficientis (solus enim Deus est intimè in omnibus rebus per essentiam, præsentiam, & potentiam) quare solus ille illabitur animis nostris. Quod esse verum, demonstratū existimo in materia de angelis. Itē, violētum est aduersum & cōtrariū, tū naturali, tū volūtario; vtrumq; enim oportet quòd sit ab intrinseco. Illud igitur agens extrinsecum causabit motum sine violentia, quod causat in re mobili principium intrinsecum illius motus; sicut generans dicitur mouere naturaliter, & non violentè grauia & leuia in suum locum; aliud verò agens extrinsecum non potest mouere corpus naturale absq; violentia, nisi fortè per accidens, remouēdo prohibens; sed hoc non est causare motum,

Exod. 33.

Arist.

sed

sed vti motu alterius. Deus igitur solus, qui instituit, & creauit voluntatem, & dedit illi principium intrinsecum ad volendum, mouet illam per modum efficientis, & inclinãtis ad bonum.

Obiectiones. Prima. ¶Sed contra hanc sententiam, tot argumẽtis stabilitam, non desunt argumenta. In primis fit argumentum de habitibus, qui sunt in voluntate, qui efficienter mouent voluntatem ad exercitium, & ad operandum; sunt enim habitus principia operatiua. Secunda. ¶Item potest fieri argumẽtum de intellectu, de quo diximus in 1. art. huius quæstionis, quòd mouet volũtatem efficienter. ergo non solùm Deus potest mouere voluntatem efficiẽter. Tertia. ¶Præterea Angelus mouet efficienter cœlum (vt satis constat) & ad motum naturalissimum. At angelus non causat naturam corporis cœlestis. ergo quanquam angelus non causet naturam nostræ voluntatis, potest eam efficienter mouere. & sic labefactatur probatio D. Thom. in articulo. Dubium aliud. ¶Item potest enasci dubitatio ex conclusione proposita, an sit vera tantùm de lege, & ex natura rei; an verò sic vera sit, vt fieri non possit etiam de potentia Dei absoluta, quòd aliqua creatura moueat voluntatem efficienter. Solutiones ad primã. ¶Sed hæc argumenta facillimam solutionem habent. Nam ad primam obiectionem dicendum, quòd habitus quidã sunt supernaturales, & diuinitus infusi, & hi mouent voluntatem virtute diuina; quare eorum motio, & energia, in Deum referenda est; alij sunt habitus facultate naturæ cõparati, & horum motio præcipuè attribuitur voluntati, quæ habitus acquisiuit, & cõtulit illis virtutem ad operandum. Vel dicat Theologus, quòd D. Thom. loquitur de efficaci motione, quę efficaciter trahit voluntatem: hanc non habent habitus, nisi dependenter à voluntate; quia habitibus vtimur cum volumus. Ad secũdã. ¶Ad secundum dicendum, quòd si intellectus mouet voluntatem, est dependenter à voluntate: propter quod vniuersa eius motio & vis, in voluntatem est referenda. Vel dicatur, quòd intellectus est in eadem essentia animę, & ideo non censetur principium extrinsecũ. Ad tertiã. ¶Ad tertium dicendum, quòd cœlum non concurrit efficienter ad suum motum, sicut voluntas; sed solùm concurrit passiuè suscipiẽdo illum motum: vnde non est mirãdũ, quòd Angelus concurrat efficienter ad illum motum. D. Thom. in sua probatione loquitur de mobili, quod efficienter concurrit ad suũ motum; vel de mobili, quod est determinatum à natura ad talem motum, sicut graue, vel leue. Ad dubiũ. ¶Ad vltimũ, in quo quæritur, an aliqua creatura possit per Dei omnipotentiam mouere voluntatem nostram ad operandum per modum efficientię, vel inclinando voluntatem, vel imprimẽdo in ea aliquid; dico, quod subtiliùs quæritur quàm vtiliùs. Ego tamen non dubito, quin creatura, diuina virtute possit imprimere aliquid in animam nostram: possunt enim sacramenta, quæ sunt res creatæ, imprimere in animis nostris gratiam, & virtutes supernaturales, & id quidem efficienter. de hoc nihil dubitandum est. Sed illud non audeo definire, an creatura aliqua posset sic applicare nostram voluntatem ad operandum, vt necessitet illam ad operandum, sicut Deus necessitat ad amandum in patria; hoc sub lite maneat, vt excogitent exquisitè diuini Theologi.

QVAESTIO X.

De modo quo voluntas mouetur, in quatuor articulos diuisa.

ARTIC. PRIMVS.

¶ Vtrùm voluntas moueatur naturaliter ad aliquid?

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Conclusio sic habet. Voluntas fertur naturaliter in bonum in cõmuni, & in finem vltimũ, atque adeò ad omnia bona quæ conueniunt volenti secũdum naturam suam; cuiusmodi sunt cognoscere verum, viuere, & esse. Probatio D. Thom. inde sumit exordium, vt explicet variam significationem huius nominis, natura. Natura, inquit, multipliciter dicitur: nam in rebus mobilibus, pro principio intrinseco, forma, vel materia vocatur natura; alio modo quælibet substantia, vel quodlibet ens, & quod

conuenit ei secundum suam substantiam, naturale dicitur, & naturaliter conuenire. His explicatis, prima ratio D. Thom. hæc est. Sicut se habet primum principium in scientijs, sic se habet vltimus finis in rebus agendis. Sed prima principia intellectualis cognitionis sunt naturaliter cognita. Ergo principium primum voluntariorum oportet esse aliquid naturaliter volitum, quod est bonum in communi, vel vltimus omnium finis. Secúda ratio conclusionis. Quælibet potentia naturaliter fertur in suum obiectum. Sed obiectum voluntatis est bonum in communi. ergo voluntas naturaliter fertur in bonú in communi; & non tantùm vt natura, cum per voluntatẽ appetimus non solùm ea quæ pertinent ad volũtatẽ, sed etiam ea quæ pertinent ad singulas potentias, & ad totum hominem: ideo naturaliter homo vult non solum obiectum voluntatis, sed etiam alia quæ conueniunt alijs potentijs, vt cognitionem veri, esse, & viuere, & similia, quæ comprehenduntur sub obiecto voluntatis, sicut quædam particularia bona.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Arguitur cótra rationem articuli. Prim. arg.

Videtur certè quòd conclusio articuli vera non sit. ¶ Nam volitio boni, & volitio vltimi finis, libera est, & non determinata ad vnum, atque adeò meritoria. ergo non est naturalis.

Secũdum. Tertium.

¶ Deinde, multi sunt qui nolunt sapere, & quàmplurimi se interficiunt, & damnati volunt non esse. Ergo homo non desiderat naturaliter cognoscere verum, viuere, & esse. Præterea probatio D. Thom. in articulo videtur inanis: nam ex eo quòd voluntas non solùm vult bonum in communi, sed etiam ea quæ pertinent ad alias potentias, & ad consistentiam hominis, ratiocinatur D. Tho. quòd naturaliter velit ea quæ pertinent ad cæteras potentias, & ad consistentiam hominis. quæ ratiocinatio inanis esse videtur. Nam ex ea probatur, quòd omnia quæ vult voluntas, naturaliter velit; nam omnia comprehendúntur sub obiecto voluntatis, sicut quędam particularia bona. ¶ Vt veritas explicetur, & dissoluantur argumenta in contrarium, scire oportet, quòd quæstio proposita in hoc articulo, magna ex parte exposita est suprà. q. 5. artic. 8. vbi commonstratum est, quomodo voluntas fertur necessariò, quantum ad specificationem, in beatitudinem in communi. Idem docet D. Tho. hoc in loco, & eadem est sententia Scoti, in. 4. distin. 49. q. 9. quanquam in modo loquendi sit differentia. Nam D. Tho. dicit, quòd volitio boni, & beatitudinis, est voluntati naturalis. Scotus docet, quòd non est naturalis, sed in natura. Sed profectò modus loquendi D. Thom, est conformis modo loquendi Philosophorum, & rectæ ratioi. Vnde Aristot. in principio metaphysicæ sic inquit; Omnis homo naturaliter scire desiderat, eò quòd tale desiderium ex inclinatione naturali proficiscatur. Certè cupiditas pecuniæ in auaro, in natura voluntatis est: at nemo dixerit talem cupiditatem esse naturalem voluntati. Vt ergo volitio boni & beatitudinis dicatur naturalis, sat fuerit quòd proficiscatur ex inclinatione naturali voluntatis, & quòd voluntas sit suapte natura instituta, & condita ad volendum bonum, & quòd necessitetur ad id, quantum ad specificationem. Sic enim est instituta, vt velit bonum, & nullo modo possit trahi vt nolit bonum; veluti ignis, quia natura sua est calidus, & non potest frigefacere, naturaliter est calidus, & naturaliter calefacit, licèt non semper calefacit; & graue, quoniam ex sua natura descendit, & ex sua natura non potest ascendere, naturaliter descendit, quanquam non semper descendit: simili ratione voluntas suapte natura est inclinata ad bonum, licèt non semper sit in appetitione boni. ¶ Ad primum argumentum in contrarium dicendum est, quòd vt volitio boni sit naturalis, satis est quòd proficiscatur ex inclinatione naturali, & quòd necessitetur voluntas, quantum ad specificationem. Nam sicut visus inclinatur vt videat colorem, sic, vt oppositum videre non valeat; sic voluntas instituta est vt velit bonum, & nulla ratione trahi potest vt nolit bonum. Pro quo sciendum

Explicatur veritas.

D. Thom. Scot.

Aristo.

Soluuntur argumẽta. Ad primũ.

sciendum est (quod alio in loco est à nobis explicatũ) duplicẽ esse libertatẽ; cõtradictionis, & contrarietatis. Cõtradictionis est, qua possumus velle, & non velle; operari, & non operari; Contrarietatis est, qua possumus velle vnũ; & cõtrariũ; sicut possumus velle diuitias & paupertatem: possumus velle ducere vxorẽ, atq; etiam sequi vitã cœlibẽ. Libertas plena, quæ est verè & propriè libertas, vtrũq; requirit; & ideo naturale non solùm dicitur quod nullo modo est in potestate agẽtis, sed etiãsi sit in potestate agentis quantũ ad exercitiũ, si sit necessariũ, quantũ ad specificationẽ dicitur naturale, & nõ propriè liberũ: licèt enim voluntas possit velle bonũ, & nõ velle; operari, & non operari, quæ est libertas cõtra dictionis, sed non habet libertatẽ contrarietatis: si enim, vult bonũ vult, & non potest velle id quod bonũ non est. quemadmodũ visus si videt, coloratũ videt, & non potest videre id quod coloratũ non est. Ex quo ratiocinari licet, quòd voluntas de sua natura sit inclinata ad bonũ, quamuis nõ semper prosequatur bonum, neque semper sit in actuali appetitione boni. ¶ Ad secũdũ dicendum ex Domino Cajetano, quòd sicut in rerum vniuersitate sunt quidam effectus, qui necessariò omnino eueniunt, ita vt oppositi nũquam possint euenire; vt quòd sol oriatur, cœlum moueatur; alij sunt qui eueniũt vt plurimũ & ferè semper, vt hominẽ habere duos oculos, duas manus; quorũ oppositũ aliquando contingit, sed rarò: & in hoc genere dicendũ est quòd homines naturaliter desiderãt scire, viuere, & esse, & quando hoc non contingit, est cõtra naturam, vel præter naturam: idq; rarenter contingit, quemadmodũ monstra naturæ. Aliter dicitur, quòd homo ex æquo & æqualiter inclinatur ad volendã beatitudinẽ, & ad volendã vitam, & suppositi subsistentiam. Quare sicut non potest absolutè nolle beatitudinẽ, sic nemo potest absolutè nolle vitam, sed bene per accidens ratione adiuncti, propter adiunctam miseriã, & ærumnã: sic etiã potest quis nolle beatitudinẽ propter adiunctũ laborẽ, & difficultatẽ. Sed certè difficile est explicare, quomodo volũtas amet necessariò beatitudinẽ, & nõ necessariò velit esse: quoniã si vult homo esse beatus, necessum est vt velit esse; est enim euidẽs contradictio, non esse, & habere beatitudinis bonũ, ex hoc quòd nõ esse, sequitur nõ esse beatũ, & si beatus est, necessum est vt sit: sed de huius rei difficultate satis (vt opinor) diximus suprà. q. 5. ad fin. ¶ Ad tertiũ dicendũ est, non esse rectã argumẽtationem, ex eo quòd aliqua bona cõtineantur intra obiectũ volũtatis, concludere & ratiocinari, quòd volũtas ea naturaliter prosequitur: nec in hoc sensu procedit argumentatio D. Tho. sed tantùm procedit de ijs, quæ cõueniunt volenti secundũ naturam suã; ad hoc enim assumit D. Tho. illud principiũ, quòd voluntas est appetitus, & inclinatio totius hominis, data à Deo, vt homo velit quæ sibi secundũ naturã cõueniunt. & sic rectè procedit probatio S. Tho. Volũtas, inquit, est appetitus totius hominis, datus in bonũ ipsius hominis. Sed esse, & viuere, & scire verũ, conueniunt homini secũdum naturã suã. Ergo ad hæc bona volũtas suapte natura inclinata est. ¶ In solutione argumẽti primi, admodũ notanda est illa distinctio famigeratissima de voluntate, vt natura est, & de volũtate, vt voluntas est, id est, vt liberum arbitriũ est. Voluntas enim potest cõsiderari multipliciter, sed quòd attinet ad nostrũ propositũ, dupliciter cõsideratur; tum, vt est res quædam habens talem naturam, & vt est apta nata vt velit; tum verò, vt causa est libera, quę liberè operatur. ¶ Quando. 2. Physicorũ, &. 9. metaph. distinguitur natura contra voluntatem, non distinguitur vt res talis contra talẽ rem, sed solùm est distinctio in ratione causandi. Etenim voluntas, secundũ quòd est res, suam naturã habet, & ideo natura cõtra volũtatem secundum istam cõsiderationẽ distingui non debet; sed in ratione causandi differũt, quia res illa quæ causat per modũ naturę, causat secundũ naturã suã, & secundum quod talis res est determinata ad vnũ: voluntas verò secundũ quod est potẽtia libera, nõ causat per modũ naturæ; neq; verò quia talis res est, neq; vt determinata ad vnũ, sed potiùs causat, quia vult, & quia est indifferẽs ad vtrumlibet, & sic non causat naturaliter: quicquid enim causat quia vult, nõ causat naturaliter. Ex hoc ratiocinari possumus, volũtatẽ habere vtrumq; modũ operandi, & causandi; vt natura quædã est, & vt libera est: & modus causandi, vt natura est, cõsequitur ad voluntatẽ, vt res quædam est habens talẽ naturã: modus verò causandi vt est libera potentia, cõsequitur ad voluntatẽ, vt est indifferens ad vtrũlibet. Atqui isti duo modi non cõstituunt duas res, aut duas causas, sed solùm sunt duæ rationes diuersæ in genere causandi; quemadmodũ vnus intellectus habet duos modos operãdi; nam conclusionibus assentitur per discursum, principijs verò assentitur sine discursu, mediãte lumine rationis naturalis. Itaq; volũtas, vt est res quędã, causat naturaliter, & determinatur ad vnum; vt verò est liberũ arbitriũ, operatur liberè. Cùm autem in vnaquaq; re

Ad secũdũ.

Ad tertiũ.

Volũtas cõsideratur vt natura est, & vt voluntas est.

Quomodo distinguatur natura contra voluntatem.

Volũtas duplicem modum operãdi habere potest.

prius ſit natura, quàm operatio, hinc eſt, quod priùs intelligimus voluntatẽ habere naturã, quàm vt operetur: ad naturam verò ſequitur modus operandi ad modum naturæ, & ideo priùs intelligimus in voluntate modum cauſandi naturalem, quàm modum cauſandi liberum; ac proinde naturaliter determinatur voluntas ad ea quæ primò vult: eius enim volitio fundatur in natura, quæ eſt principium aliarum operationum, quas liberè producit. Hæc doctrina animaduerſione digna eſt, ad intelligendum, quomodo Spiritus ſanctus licèt procedat per actum voluntatis, non tamẽ procedit liberè, ſed naturaliter, & neceſſariò: procedit namq; (vt dicunt Theologi) à voluntate, vt natura eſt, nõ vt libera eſt. Sed de hoc in prima. p. q. 41. ar. 2. cõpetentiùs ediſſeritur.

Doctrina D. Tho. notanda in ſolut. 2.

¶ In ſolutione ſecundi argumenti non indiligenter legas doctrinam, quæ ibi traditur: docet enim D. Tho. quòd ea quæ conueniũt naturaliter rebus, ſi conſequuntur formam, ſem per actu inſunt; ſicut calidum igni, rationale homini: quod autem eſt naturale, tanquã conſequens materiam, non ſemper actu ineſt, ſed quandoq; ſecundum potentiã tantùm; ſicut ignis non ſemper fertur ſurſum, ſed quando eſt extra locum ſuum. Ratio huius eſt differẽtia inter actum, & potentiam: forma enim eſt actus, materia verò eſt potentia; motus autem eſt actus exiſtentis in potentia: vnde ea quæ pertinent ad motum in rebus naturalibus, nõ ſemper inſunt, niſi in certa diſpoſitione, quando ſunt extra locum ſuum. Ex hoc non colligat Theologus, quòd motus naturalis competat rebus, ratione materiæ, & non ratione formæ; hæc enim eſſet magna deceptio. Accipit enim hîc D. Tho. materiam pro potentia, & vult dicere, quòd motus grauis, aut leuis, competit ſecundum quod eſt in potentia, non ſecundum quod eſt in actu. Intelliget tamen Theologus, quòd non ſolum aptitudo ad motum, & ad operationem, competit ſubiecto naturaliter, vt grauitas, & riſibilitas, ſed etiam deſcenſus, & riſus.

Caiet.

¶ In ſolutione tertij argumẽti meritò Caietanus cõmendat, & amplificat doctrinã D. Th. nẽpe quòd vnũ indiuiduũ immaterialis ordinis, propter ſuã excellentiã & perfectionẽ eximiam, æquiualet multis indiuiduis materialibus, contẽtis ſub vna ſpecie, imo ſub vno genere etiã analogo. Cùm enim natura determinata ſit ad vnũ, ſecundũ proportionẽ; naturæ enim genericæ, correſpõdet vnũ in genere, & naturæ ſpecificę, correſpõdet vnũ in ſpecie, & naturæ indiuiduæ, correſpõdet vnũ in indiuiduo, ex hoc poterat quis ratiocinari, quòd cùm bonũ in cõmuni, quod eſt obiectũ volũtatis, ſit quoddã genus analogũ, cõprehendẽs ſub ſe varia ac diuerſiſsima bona, oporteret conſtituere vnã potentiã voluntatis in genere, quæ ſub ſe varias atq; diuerſas potẽtias volendi contineret: vel viceuerſa, cùm voluntas ſit vna potẽtia ſpecie, oportebat vt vnũ obiectũ in ſpecie ei correſponderet. Sed fallit ratiocinatio, vt docet hic D. Tho. Nam cùm volũtas ſit potẽtia immaterialis, vna cũ ſit, prẹhabet in ſe quidquid genus, aut ſpecies haberet, præcipuè cũ tendat in vniuerſa bona ſub vna ratione formali; quemadmodũ intellectus tẽdit ad omnia ſub vna ratione veri. Eſt autem ratio huius, quia quæ ſunt diſperſa in inferioribus, in ſuperioribus ſunt coniuncta, qua de cauſa tanta eſt amplitudo immaterialis potentiæ, vt vniuerſi ſit capax.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ Vtrùm voluntas moueatur neceſſariò à ſuo obiecto.

SVMMA TEXTVS.

PRior Concluſio. Volũtas quantum ad exercitiũ actus, à nullo obiecto de neceſsitate mouetur; quia poteſt aliquis de quocunq; obiecto nõ cogitare, ac per conſequens illud non velle. Prior con.

¶ Poſterior Conclu. Volũtas quã tũ ad ſpecificationẽ actus, quæ eſt ex obiecto, ab aliquo obiecto mouetur neceſſariò, ab aliquo verò minimè. Nam ſi proponatur aliquod bonũ vniuerſale, & ſecũdũ omnẽ cõſiderationẽ, tũc bonum hoc de neceſsitate appetit voluntas, ſicut viſus, quod eſt ex omni parte coloratũ nõ poteſt nõ videre, niſi viſum auertat: ſed ſi proponatur aliquod bonũ particulare, in quantũ deficit ab aliquo bono, poteſt accipi vt non bonũ ex illa parte; & ſecũdũ hãc cõſiderationẽ poteſt repudiari à voluntate. Poſterior.

EXPLI-

EXPLICATIO ARTICVLI.

DE prima cõclusione est dubitatio, num vera sit: nam videtur falsa hisce argumentis. ¶ In primis, Beati necessitantur ad amandum Deũ, quantum ad exercitium, sic vt non possint non amare. quòd esse verum, satis probatum existimo in. q. 4. Ergo malè dicit D. Thom. quòd à nullo obiecto necessitatur, quantum ad exercitium. ¶ Deinde, in motibus primo primis (quos admittunt Theologi in. 2. d. 24. propter autoritatem D. Aug. dicentis, non est in facultate nostra quin vltis tangamur) mouetur nostra voluntas necessariò, cum nõ sint in potestate voluntatis, & nõ nisi ab obiecto. ergo aliquod obiectum trahit volũtatem nostram necessariò. ¶ Item, si alicui admoueatur ignis subitò, fieri non potest quin voluntas statim refugiat, & refutet; & si videtur pulcherrima mulier, subitò trahitur voluntas ad complacentiam; & viso inimico, confestim mouetur voluntas, & cor incitatur. ¶ Demũ, in pueris, & amentibus videtur quòd volũtas moueatur necessariò ab obiecto proposito, & præsentato, siquidem eorum voluntas non mouetur liberè, alioqui peccarent. ¶ Ad hæc argumẽta breuiter dicẽdũ est. Ad primũ resp. quod fortasis D. Th. loquitur de statu naturali volũtatis. & patet, quia dicit quòd potest de quocũq; obiecto non cogitare: quæ probatio planè procedit vel in hac vita, vel de voluntate in statu suo naturali: cæterùm in vita beata optimè concedit D. Tho. quòd volũtas necessitatur ad amandum, vt videre licet. 1. p. q. 60. in vltimo articulo ad vltimum argumẽtum. Vel dicatur (& hæc est vera & solida cõfutatio argumenti) quòd hæc necessitas non prouenit ex obiecto, sed ex natura ipsius voluntatis proficiscitur. Est enim natura & inclinatio voluntatis, vt quando habuerit præsens bonum, secundum omnem rationem boni, sic vt nulla ratio mali in eo apparere possit, perfectè & euidenter propositum per intellectum, sicut habet in vita beata, ex necessitate moueatur in illud; sicut natura lapidis ex postulat, quòd ablato impedimento naturaliter feratur in centrum. Præterea prouenit hæc necessitas ex Deo, non qua ratione obiectum est, sed qua ratione est causa efficiens: tum secundum quod est autor naturæ voluntatis; tum verò secundum quod est causa gratiæ, infundens lumen gloriæ, quo lumine stante, non potest ex parte intellectus non esse hoc imperium efficax, ama, dilige; quo imperio efficaci rapta voluntas, non potest non amare. Profectò sic est naturale volũtati videntis Deum, amare Deum, sicut bruto indigenti, & volenti aquam, appetere aquam, & sicut lapidi descendere deorsum: sed lapis non necessitatur à loco infero, nec brutum ab aqua, sed à natura: simile ergo est de voluntate videntis Deum, ad amorem Dei. ¶ Sed si quæras ex me, quid est quòd voluntas in vita præsenti quando ei proponitur bonum vniuersale, quod vndique bonum est, non necessariò mouetur, & in vita beata necessariò mouetur? Respondeo facilè, quòd contemplatio summi boni in hac vita non semper accipitur vt bonum & conueniens, quin potiùs sæpe accipitur vt inconueniens propter nostram imperfectionem, & imbecillitatem, & impedimenta occurrentia. quare voluntas potest diuertere animum à tali cogitatione, & sic poterit non amare. Certè propter impedimenta oportet sæpenumero à summi boni cogitatione animum amouere. Beatus verò nullum habet impedimentum, quo constringatur auertere cogitationem & contemplationem. His accedit, quòd vel ex errore, vel ex certa scientia potest homo se conuertere ad alias res contemplandas, & habere hoc iudicium; bonum est mihi à contemplatione summi boni desistere: at in vita beata tollitur hæc imperfectio; tum, quoniam visio beata est necessaria; tum verò, quoniam illa est iudicium certum & euidẽs, eam esse summum bonum, & ab ea desistere, esse miseriam & malum; tum demum, quoniam simul est imperium efficax, cui voluntas non potest non obedire. ¶ Ad secundum argumentum dicatur, quòd illa necessitas non prouenit ex obiecto; quod sic ostenditur. Nam idem obiectum paulò pòst non necessitat, & cum maiori cognitione sui. verbi gratia. priùs cognoscebat iste hanc mulierem esse pulchram, & delectabilem, & ex hoc mouebatur necessariò ad volendum eam; postea aduenientе vsu rationis, cognoscit etiam quòd est honesta, & quòd sit sua, & quòd sit vtile accedere ad eam, & tamen nõ necessitatur, vt in articulo sequẽti dicetur. Ergo necessitas illa nõ est ex parte obiecti, sed ex parte voluntatis, cuius natura est vt sine deliberatione moueatur atque si esset brutum. Sicut ergo in bruto necessitas non prouenit ex obiecto, sed à natura; ita in voluntate naturaliter agente: naturalia siquidem sunt à generante; qui enim dat formam, dat consequentia ad formam. Ad tertiũ argumentum idem dicendum est. ¶ Ad quartum argumẽtũ doctissimus Victoria aiebat, quòd volũtas ad nullum actum necessitatur in via, etiam in pueris, & amẽtibus, ac somniãtibus.

Argumẽta cõtra priorem D. Th. conclusionem.

Prim. argu.

Secundum.

Auguſt.

Tertium.

Quartum.

Solutio argumẽtorũ.

Ad primũ.

Quare voluntas in vita præsenti nõ necessario mouetur ad bonũ vniuersale sibi præsentatum.

Ad secũdũ & tertium.

Ad quartũ.

Magist. Victoria.

Rationes quibus nitebatur suadere hanc sententiam, nō sunt omnino inualidæ, de quibus articulo sequenti. Potissima ratio hæc videbatur. Nam (vt statim tangebatur) obiectum cū maiori cognitione non necessitat, ergo neq; cū minori. & certè est mirū quòd ante deliberationē necessitabatur, & post deliberationē, manentibus omnibus causis prioribus, & adiuuantibus alijs, vt patuit in casu posito in cōfutatione precedentis argumenti, non potest necessitari. Et si arguas; ergo pueri & amentes peccarent per actum voluntatis. Respōdebat esse negandam consequentiam; quia nō sunt actus deliberati: non enim prædicti possunt deliberare. Sed quia S. Th. articulo sequenti docet, quòd idem est iudicium de amētibus, & furiosis, sicut de brutis, quæ sequuntur ex necessitate impetus suos; ideo teneatur cōmunis opinio, quòd homo, etiam habēs vsum rationis, necessitatur ad motus quosdam subitos, vt pueri & amentes; sed tota ista necessitas est à natura, sicut dudum expositū est. Hactenus de cōclusione articuli dictum est.

Examinatur ratio D. Tho. Prim. arg.

¶ Sequitur vt examinemus probationem D. Tho. vtrum rectè procedat. Ratio D. Thom. hæc est. Potest homo non cogitare de quocunq; obiecto. ergo potest non velle illud, & sic non necessitatur vt velit. Hæc ratio inualida esse videtur, & falsum statuere. ¶ Nam aliquando homo necessitatur ad cogitandū, vt experientia docet: aliquæ enim sunt cogitationes adeò vehementes, & importunæ, vt non possit eas nostra voluntas compescere. Certè non potest nostra voluntas primam cogitationem obiecti repræsentatiuam aut diuertere, aut refutare. Potissimè fit argumentū de prima intellectione quæ necessaria omnino est quātum ad exercitium. Nam si statuas illam esse liberam, & voluntariam, incidis in magnum incommodum, & præcipitium. Si enim est voluntaria, cùm nihil sit volitū, quin prægnitum, necessum est dicere, quòd primæ cognitioni alia antecedit anterior, & sic

Secundum.

erit abitio in infinitum. ¶ Sed & hæc probatio D. Th. aliud habet vitium. Nam non explicat, an manente cogitatione, necessitetur voluntas quantum ad exercitium. Nam ex vna parte videtur insinuare quòd necessitetur; nam videtur significare quòd voluntas possit suspendere actum, quoniam potest diuertere cogitationem; ergo si non diuertat, non

Caiet.

potest suspendere actum. Dominus Caiet. vt explicet propositas difficultates, videtur concedere, quòd voluntas omnino necessitatur ad primum actum, quantum ad exercitium, sicut & voluntas videntis Deum; sed ista necessitas non est ab obiecto, sed à natura, sicut & illa quæ est in vita beata. Deinde dicit, quòd S. Thom. non intelligit, quòd quandocunque, & in quacunque dispositione possit voluntas aliò diuertere cogitationem, vel nō cogitare de obiecto, quia hoc manifestè falsum est; sed tantùm docet, quòd nullum obiectum habet de se quòd possit necessitare potentiam ad agendum, sed posita potentia in tali dispositione necessariò cogitat. Hoc autem verum est; nam si obiectum haberet illā virtutem necessitandi potētiam, semper posset necessitare, cùm obiectum semper sit idē. Vult ergo dicere S. Tho. quòd nullum obiectum, saltem in via, habet in se vt possit necessitare voluntatem ad agendum, quia neq; respectu cogitationis hoc habet: & sic videtur concedere Caiet. quòd manente cogitatione saltem de aliquo obiecto, non potest voluntas non velle. Sed fortè Cai. intelligit de motu primo solùm: & quanquam hîc videtur concedere, quòd voluntas necessitatur ad primum actum, quoad exercitium, tamen in articulo sequenti videtur negare actus primos naturales, & necessarios. Sed multò euidentiùs possumus sententiam D. Tho. elucidare: dicimus enim in primis quòd id quod adducitur in obiectione de prima intellectione, quę anteuertit omnem actum voluntatis, non subuertit quod hic dicit D. Thom. Nam hic non asseuerat quòd ante omnem cogitationem antecedat actus voluntatis, sed solùm dicit, quòd postquam habuerimus aliquam cogitationem, possumus eam amouere pro nostra libertate, quod verissimum est. Illud etiam dicendum, quòd quando cogitatio est vehemens, possumus eam abijcere, si tamen manet libertas, licèt hoc fiat cum magno labore, & cum ingenti difficultate, vel iam quòd in principio non possumus, in progressu tamen possumus aliò diuertere, licèt aliquando sit necessarium diuinū auxilium implorare, & hoc sat fuerit vt voluntas non necessitetur quoad exercitium. ¶ Sed iam tempus est vt declaremus, an manente cogitatione necessitetur voluntas. Pro quo recolendum est ex superioribus, quòd simplex apprehensio boni non sufficit ad mouendum voluntatem; neque verò iudicium practicum. quod explicatur his verbis. Bonum est sectari virtutem, ex quo euidenter sequitur, quòd manente cogitatione, non necessitatur voluntas. Et D. Th. nō cōficit hāc argumentationē: cogitatio manet de rei bonitate, & cōueniētia. ergo sequitur volitio in voluntate: sed sic ratiocinatur; Non est cogitatio in mente. ergo nō sequitur

Autoris explicatio.

volitio

volitio in voluntate. quã argumentandi ratio nem esse euidentem, compertum est; nam ni hil est volitum, quin sit cognitum.

¶ In solutione tertij argumenti exponendum erat, quomodo cohęreãt inter sese, quòd dam nati velint esse beati, & tamen secundum rectam electionem desiderant non esse. Sed de hoc abundanter dictum est. q. 5. art. 8. Caie. vi detur dicere, quòd si sit medium necessarium viuere, & esse ad consecutionem vltimi finis, non potest quis secundum rectam rationem desiderare non esse, sed ex passione, vel ignorantia potest quis desiderare non esse.

ARTIC. TERTIVS.

¶ *Vtrùm voluntas de necessitate moueatur à passione.*

SVMMA TEXTVS.

Prior con. PRior Conclusio. Quãdo passio sic dominatur, quòd tollit, & perturbat omne iudicium rationis, tunc voluntas necessariò mouetur. Nam in amẽtibus & furiosis, quos perturbat passio appetitus sensitiui, eadẽ est ratio sicut de brutis, quæ ex necessitate sequũtur impetum passionis, in quibus proinde nullus est rationis motus.

Posterior. ¶ Posterior Conclusio. Quando non absorbetur ratio à passione, sed aliqualiter obtenebratur, remanente, quoad aliquid, libero rationis iudicio, tunc voluntas resistere potest: vnde si homo est sui compos, nulla necessitate sequitur passionem.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Vtrùm in pueris, amẽtibus, &c. sit aliquis actus volũtatis. Prim. argu. VT prima elucidetur cõclusio, dubitatio est non parua; Vtrùm in pueris, amẽtibus, furiosis, atq; somniãtibus sint aliqui actus voluntatis. A parte assertiua sic arguitur. ¶ Nã habent actus circa res spirituales, quæ nõ cadũt sub sensu, & desideriũ rerũ spiritualiũ, vt experiẽtia patet ex his quæ tum faciũt, tum dicunt: loquuntur enim de Deo, & angelis, disputãt de dialecticis. Idem confirmatur de pueris, & somnianti bus: somniãtes enim postea meminerũt se habuisse actus intellectus, & voluntatis. ¶ Certè D. Tho. in innumeris locis suę doctrinæ testatur apertè, quòd amẽtes, & somniãtes, habent actus intellectus, & volũtatis. In 1. p. q. 84. art. 8. ad. 2. scribit, quomodo sensus & imaginatio plùs vel minùs ligãtur, vel soluũtur in dormiẽtibus; & concludit. sic ergo permodũ quo sensus soluitur, & imaginatio, dormiendo ligatur iudiciũ intellectus, nõ tamẽ ex toto. vnde aliqui dormiẽdo syllogizãt, sed cũ excitãtur, semper recognoscunt se in aliquo errasse. Idẽ & clariùs ponit in. 4. d. 9. q. 1. arti. 4. ad. 3. & 4. in quo loco etiã dicit, quòd aliquãdo in somno cõsentit quis turpitudini. & 2. 2. q. 154. art. 5. vbi quærit de pollutione nocturna, dicit, quòd idẽ est iudiciũ de somniãtibus sicut de amẽtibus. & ibidẽ ad. 2. & 3. clarè docet, quòd somniantes possunt habere aliquos actus rationis, quãuis ratio sit ligata; neq; negat quòd habeant actus volũtatis, imo satis insinuat: ait enim quòd ideo nõ imputãtur, quia nõ habẽt vsum liberi arbitrij. Sed apertissimè de veritate. q. 28. artic. 3. ad. 6. dicit, quòd in somniantẽ sunt actus volũtatis. ¶ Sed idẽ demonstratur ratione; quia in amẽtibus, & somniãtibus obiectũ voluntatis proponitur sufficiẽter. ergo volũtas potest habere actũ. Consequẽtia inde probatur; quia omnis potẽtia potest agere, si obiectũ sufficienter proponatur. Antecedens probatur; quia amẽs iudicat etiã secundũ intellectũ, bonũ esse comedere, & similia, vt clarè patet ex S. Tho. vbi suprà. imo dicit, quòd syllogismũ cõstruit, licèt cum errore: & experientia docet quòd de multis iudicat, de quibus sensus nõ potest iudicare. Hæc argumẽta euidẽter cõuincũt, quòd in pueris, amẽtibus, & somniantibus sunt aliqui actus voluntatis. propter quòd quando dicit D. Tho. quòd in amentibus, & furiosis nullus est rationis motus, aut volũtatis, loquitur de volũtate, quæ est liberũ arbitriũ, non de voluntate, vt natura. Vel dicendũ, quòd non manet motus volũtatis actiuè, sed bene passiuè; nam amentes & furiosi quodam impetu mouentur, & aguntur, veluti bruta ex instinctu naturæ mouentur.

Confir. D. Tho. Secundum D. Tho. sentẽtia exponitur.

¶ Sed ex hoc magna oritur cõtrouersia; num amẽtes, & pueri necessitẽtur in suis operibus, an potiùs habeãt actus liberos. Nam videtur quòd habeãt actus liberos. ¶ In primis, videmus amẽtes, & pueros multa agere rogatos, & admonitos, ad modũ aliorũ hominũ. ergo nõ necessitãtur in illis. ¶ Deinde, prædicti cõparant inter duo vt alterum illorũ eligant: pueri

Num amentes & pueri habeant actus liberos. Prim. arg. Secundum

enim comparant ex vna parte an eant in ſcho
las ne verberẽtur, ex altera parte ne eant, quo
Tertium. niam frigent. ¶Præterea motus ſubiti, quos
Theologi vocant primos, omnino non impu
tabiles, nó ſunt neceſſarij, ſed liberi. Ergo nec
motus amẽtium. Aſſumptum probatur. quia
omnis notitia quæ eſt in primo inſtanti, poſt
modum non neceſsitat. ergo nec tũc neceſsi-
tat. Nec valet dicere quòd poſtmodum nó ne
ceſsitat, quia ſuperuenit nouum iudiciũ; nam
ſtat quòd iudicium ſuperueniens magis mo-
Quartum. ueat, quàm retrahat à tali motu. ¶Itẽ mania-
ci qui talem paſsionem habent, quòd circa ali
quam materiam particularẽ non habẽt vſum
rationis, cùm habeãt circa omnes alias, iſti nó
videntur neceſsitari circa materiam illam, ſed
errare. Ergo amentes & furioſi non neceſsitã
Quintum. tur in ſuis operationibus. ¶Adhæc, pueri, &
amentes habent actus volũtatis, & nihil eſt in
illis vnde neceſsitetur voluntas. ergo non ne-
ceſsitatur. Probatur minor. Nam non neceſsi
tatur ab obiecto, nó à ſenſu, nó à paſsione ap
petitus ſenſitiui, non à iudicio intellectus, nó
à natura, non à Deo. Hæc omnia probantur
inductiuè. Et de obiecto quidem patet mani
feſtè: nam nullum obiectum ex ſe neceſsitat
voluntatem, vt dictum eſt artic. 2. Patet etiam
vberiùs: nam obiectum non mouet voluntа-
tem, niſi mediante iudicio intellectus, quo iu
dicamus aliquid eſſe bonum & pulchrum: at
tale iudicium non neceſsitat voluntatẽ, prout
infrà demonſtrabimus. Nec verò poteſt vo-
luntas neceſsitari à ſenſu, quia ſenſus non po
teſt mouere voluntatẽm, niſi per intellectũ,
Ariſto. vt teſtatur Ariſt. 3. de Anima. & ratio euidens
id oſtendit. Nam obiectum voluntatis, eſt bo
num propoſitum per intellectum. Quòd ve-
rò paſsio appetitus ſenſitiui non neceſsitet
eorum volũtatem, vel exinde probatur; quia
aliquando amentes agunt ſine paſsione; vel
ſaltem poteſt eſſe tanta paſsio in homine ſa-
no, ſicut in amente, & puero, & ſomniante.
Neque ex parte intellectus neceſsitatur vo-
luntas; quia quæcunq; notitia eſt in amente,
vel puero, poteſt eſſe in homine cordato, &
adulto: & in hoc non neceſsitat. ergo nec in
Confir. illis. ¶Hoc ipſum confirmatur. Nam ſi notitia
intellectus neceſsitat, vel eſt ſimplex apprehẽ
ſio, vel iudicium perfectum, vel imperfectum.
Non ſimplex apprehenſio; quia talis notitia
non ſolùm non neceſsitat, ſed neq; poteſt mo
Ariſto. uere volũtatem: nam teſte Ariſt. 3. de anima,
intellectus ſpeculatiuus non mouet, ſed practi
cus. Neque neceſsitat iudicium imperfectum;
nam tale iudicium in homine ſano non ne-
ceſsitat: iudicium autem perfectum nó poteſt
eſſe in homine amente; & dato quòd eſſet, nó
neceſsitaret, ſiquidem non neceſsitat homi-
nem cordatum. ¶Vltimò ſic arguitur. Ani- Vltimum.
ma ſeparata hominis inſani, aut pueri, tamet-
ſi maneat cum eodem iudicio, & cum eadem
notitia ex parte intellectus, certè non neceſsi
tatur. ergo dum erat corpori coniuncta non
neceſsitabatur ex iudicio intellectus.
¶In contrarium eſt ſententia D. Tho. in arti- D. Tho.
culo; dicit enim quòd operantur ſicut bruta,
quæ non habent actus liberos. Propter argu-
menta ſuperiùs commemorata, doctiſsimus
Pater Victoria, quem ſemper honoris cauſa Victoria.
nomino, exiſtimauit, quòd amentes, & pueri
habent actus liberos, & quòd poſitis omni-
bus requiſitis ad operandum, poſſunt opera-
ri & non operari, velle & non velle. Docuit
hanc ſententiam in relectione, cuius titulus
eſt; ad quid tenetur homo peruenies ad vſum
rationis. ¶Sed ad huius rei explicationem eſt Prima con.
prima Concluſio. Amentes, pueri, atque ſom
niantes, habent actus intellectus, & volunta-
tis. Hæc cõcluſio in ſuperioribus ſatis ſuperq;
eſt demonſtrata argumẽtis irrefragabilibus,
& ideo maioris confirmationis non indiget.
¶Secunda Concluſio. Certum mihi videtur Pueri & a-
quòd pueri, & amentes nõ habent actus libe- mentes nõ
habẽt actus
ros, falſumq; eſt, quòd poſitis omnibus requi liberos.
ſitis ad operandum, poſsint operari, & non
operari. Hanc concluſionem quoniam auto-
ritate non poſſum probare, argumentis effica
citer probare conabor. Certè ſi habent actus
liberos, ergo habent in poteſtate ſua ope-
rari, & non operari. Ex quo conſequens
eſt, quòd ſint domini ſuorum actuum, & ſui
compotes; nam habere dominium noſtrorũ
actuum, nihil aliud eſt, quàm habere in pote
ſtate noſtra, operari & non operari, velle &
non velle. Deinde ad confirmationem eiuſ-
dem ſententiæ ſic argumentor. Nam ex ſentẽ
tia omnium Theologorum, & Philoſophо-
rum, vt ſit peccatum, ſat fuerit quòd ſit opus
liberum contra legem. At amentes, ſecũdum
iſtam ſentẽtiam quam ſubuertere conamur,
habent actus liberos contra legem. ergo pec-
cant. Præterea autore D. Auguſtino libro. 1. Auguſt.
retract. ca. 9. malum quod caueri non poteſt,
peccatum non eſt; malum verò quod caueri
poteſt, peccatum eſt. Ergo ſi amentes non ca-
uent, cùm in manu ſua ſit cauere, peccato te-
nentur: & ca. 10. ſcribit ad peccatum ſatis eſſe
voluntarium; quòd explicatur his verbis; ſi
noluiſſem, non feciſſem. Atſi amentes non ne
ceſsitantur in ſuis operibus, ſi noluiſſent, non
feciſſent. ergo peccant. His accedit ex ſacra
ſcriptura aliud argumẽtum. Nam ad laudem
virtutis,

virtutis, & operis ſtudioſi ſat fuerit potuiſſe tranſgredi, & non fuiſſe tranſgreſſum : id enim tribuitur laudi in diuina ſcriptura. Ergo ſi amentes habent actus liberos, merentur laudem virtutis: potuerunt enim tranſgredi, & non ſunt tranſgreſsi. Præterea, ſi voluntas amentium non neceſsitatur, nec eſt determinata ad vnum; eſt itaque capax vitij, & virtutis; nam virtus, vel vitium ad hoc conſtituitur in voluntate, vt determinet eam ad bonũ, vel malum. Ad vltimum, ſi habent actus liberos, poterunt certè conferre de circunſtantijs operum, ratione quarum moueãtur ad operandũ, vel deſiſtant: & ſic non ſolum habebunt actus liberos, ſed etiam deliberatos, qui ex deliberatione, & conſilio rationis proueniunt. ¶ Tertia concluſio. Amentes & furioſi in ſuis operibus ſunt magis bruta, quàm beſtiæ. Refertur enim de quodam religioſo, quòd oblatis duobus pomis, & ob oculos poſitis, non ſe poterat ad alterum determinare, ſed manebat in ancipiti; & quòd non ſe inclinabat ad ingreſſum parui oſtij, neſciebatque aſcendere, neque deſcendere per ſcalas; quæ opera non conueniunt ipſis beſtijs. Cuius rei rationem ſi quis vellet exquiſitè conſiderare, hanc inueniet. Nam cùm bruta non habeant ab autore naturæ vim rationis, habent inſtinctus quibus reguntur, & gubernantur: ſed homo cùm habeat ab autore naturæ vim rationis, & vſum, ſi priuetur rationis vſu, fit magis brutus quàm beſtia, ſiquidem non habet inſtinctus naturæ, quibus regatur. ¶ Ad argumenta in contrarium ſatisfaciendum eſt. Nam ad primum dicendum eſt, quòd elephas multa agit rogatus, & perſuaſus, ad modum quo homines ſolent operari; & canes aſſueſcunt ad opera quæ videntur eſſe ſimilia ijs, quæ fiunt à ratione, & conſilio: ſed certè amẽtes aliqui ſunt adeò ſtupidi, quòd potius cum beſtijs, quàm cum ipſis agendum ſit. ¶ Ad ſecundum dicendum, quòd tantùm conuincit, quòd amentes, & pueri habent imperfectum modum ratiocinandi, & comparandi vnum alteri: cæterum habere talem modum rationis, non ſufficit ad peccandum, neque ad merendum, neque verò ad liberè operandum. ¶ Ad tertium dicendum, voluntatem neceſsitari in motibus ſubitis, vel ex natura voluntatis, quæ talis eſt vt operetur neceſſariò, quando intellectus non eſt capax deliberationis, & conſilij; aut verò prouenit hæc neceſsitas ex motione phantaſiæ, quæ anteuertit omne iudicium rationis; & ſic non paret ipſi rationi; cæterùm poſtmodum aduenente vſu rationis pleno, frænatur, & compeſcitur illa motio, & vltrà iam non neceſsitat. Profectò in his motibus neceſsitatur voluntas, ſicut brutum ex inſtinctu naturæ neceſsitatur. ¶ Ad quartum dicendum, quòd fortaſsis quis poteſt in amentiam incidere circa vnam materiam, & non circa aliam. de quo alio in loco lucidiùs ediſſeretur. Vel dicat Theologus, quod maniaci non ſunt verè amentes, ſed habent errorem in intellectu ſpeculatiuo de re aliqua; videlicet, exiſtimat aliquis vehementiſsimè ſe ægrotare, cùm rectè valeat. ¶ Ad quintum dicendum, quòd amentia, & in vniuerſum priuatio vſus rationis, præcipuè proficiſcitur ex læſione, vel imperfectione partis ſenſitiuæ, potiſsimè ſenſuum interiorum; & hæc ſola cauſa poteſt deſignari in pueris. Libertas enim oritur ex intellectu, intellectus verò in hac vita dependet naturaliter ex miniſterio ſenſuum, ſine quibus nihil intelligere poteſt: vnde perturbatis ſenſibus, perturbatur iudicium rationis: ſed hæc perturbatio ſæpe ſæpiùs oritur ex vehementiſsimis paſsionibus vel libidinis, aut iræ, aut timoris: prædictæ enim paſsiones immutant corpus, ac ſubinde immutant ſenſus, qui corporei ſunt, & mox lędunt phantaſiam, qua læſa, & perturbata, perturbatur intellectus, & fit delirium. ¶ Dicendum itaque ad confutationem argumenti, quòd poſito iudicio intellectus in amente, neceſsitatur eius voluntas; quoniam intellectus in amente eſt determinatus ad vnum, propter ligamem ſenſus, veluti brutum determinatur ex inſtinctu naturę: at in homine cordato per ſimile iudicium non neceſsitatur, quia iudicium tale non eſt determinatum ad vnum. ¶ Vltimò dicendum eſt, quòd ſi anima hominis inſani à corpore ſeparetur, eo modo ſe haberet atque ſi eſſet hominis cordati: anima enim ſeparata non poteſt eſſe amẽs; at cùm eſt corpori coniuncta propter ligamen partis ſenſitiuæ, non poteſt diſcurrere, neque rectè iudicare, & ſic delirium accidit. Sed de his plus ſatis. Ad examen ſecundę concluſionis progrediamur.

¶ De ſecunda concluſione hoc in primis ſtatuere oportet, quòd ſit certa ſecũdum fidem catholicam. Pro certo enim habendum, quòd paſsiones appetitus ſenſitiui non auferunt libertatem. patet hoc luce clarius ex diuinis literis. Gene. 4. Subter te erit appetitus ſenſitiuus, & tu dominaberis illius. Ad Rom. 7. appellat Paulus paſsiones appetitus ſenſitiui, peccatorũ paſsiones, ex eo quòd peccata cauſant: at ſi funditus tollerent libertatem, peccata non cauſarent: nam vbi non eſt libertas, peccatum non eſt. Et ad Gal. 5. dicitur, quòd caro con-

Tert. conc. Amẽtes in ſuis operibus ſunt magis bruta, quàm beſtiæ.

Argumentorum ſolutio.

Ad primũ.

Ad ſecũdũ.

Ad tertiũ.

Ad quartũ.

Ad quintũ.

Paſsiones ſenſitiui appetitus libertatẽ nõ adimunt.

Gene. 4.

Roma. 7.

Galat. 5.

concupiſcit aduerſus ſpiritum: non dicitur
1. Ioan. 2. quòd caro vincit ſpiritum. & Ioan. 1. cap. 2. habetur illa memorabilis ſentẽtia; Omne quod eſt in mundo, aut eſt concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vi
Iacobi. 1. tæ. & Iacobi. 1. Vnusquiſque tentatur à concupiſcentia ſua &c. Ex his patet, eſſe certum ſecũdum reuelationes diuinas, quòd paſsiones cauſant peccatum: ex quo conſequens eſt,
Nota. quòd prorſus non tollant libertatem. ¶ Sed hoc in loco obſeruet Theologus contra Lutheranos, quòd quanquam non ſit in poteſtate noſtra, quòd motus concupiſcentiæ inſurgant, de quo conqueritur Paulus, cùm ait; Nó quod volo bonum, hoc facio, ſed quod odi malum, hoc ago, ideſt concupiſco: cæterùm in voluntate mea eſt vt voluntas non velit cõcupiſcere, & vt non conſentiat concupiſcentiæ. Et hoc nobis præcipitur illo præcepto, Non concupiſces: non enim prohibet Dominus concupiſcentias ne ſint, neve eas habeamus; id enim in hac vita eſt impoſsibile; neq; prohibet Dominus primos motus concupiſcentiæ, qui non ſunt in noſtra poteſtate, ſed prohibet vitioſos affectus, & vitioſa deſideria, ad quæ accedit voluntatis conſenſus, vt non concupiſces idem eſſe videatur, quod
Eccle. 18. Eccleſiaſtici. 18. dicit ſcriptura, poſt concupiſcentias tuas non eas, hoc eſt, non ſequaris,
Roma. 6. nec aſſentiaris eis. cui conſonat illud Rom. 6. Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore, vt obediatis concupiſcentijs eius. Ioan-
Chryſoſt. nes Chryſoſt. Homilia. 52. operis imperfecti in Matthæum, & Homilia. 13. in epiſtolam ad Rom. aliud eſſe vult cõcupiſcere, aliud velle concupiſcere. Cõcupiſcere, inquit, paſsionis, velle autem arbitrij eſt: frequenter enim con
Hierony. cupiſcimus quando nolumus. Eandem prope
Proſper. modum ſententiam ſcribit Proſper libr. 3. de vita contemplatiua. c. 2. Ex hoc ratiocinari licet, quòd concupiſcentia, quatenus vel vrit, vel etiam delectat, nihil aliud eſt quàm pugna, in qua ſiquis victor euaſerit, æternæ vitæ præmia promeretur. Hoc explicat in primis
Auguſt. eleganter D. Aug. ſermone 43. de verbis domini. Huic doctrinæ concinit illud quod di-
Galat. 5. cit Paulus ad Gal. 5. Spiritu ambulate, & deſideria carnis non perficiatis. non dixit deſideria carnis non habebitis; hoc enim eſt impoſsibile; neque dixit deſideria carnis non facietis: cõcupiſcere enim, facere eſt; ſed ne perficiatis, id eſt, ne cõſentiatis deſiderijs carnis.
Anſelm. vide de hac re D. Anſelmum, elucidantem
Origen. illud Pauli Rom. 6. Nõ regnet peccatum, &c.
Baſil. Origen. homilia. 27. in Numeros. Baſilium in inſtitutione illorum, qui vitam cupiunt duce-

re perfectam. Atqui hãc doctrinã fuſiſsimè à Patribus traditã, tribus, quod aiũt, verbis concluſit hic D. Th. in ſolutione primi argumẽti.

¶ Sed aduerſus concluſionem D. Tho. ſolent fieri duo aut tria argumenta quorum primum ſic habet. Nam libertas noſtræ voluntatis ſinita eſt, & prima paſsio tollit libertatem, vt vnũ, ſecunda vt duo; ergo in tãtum poſſunt paſsiones excreſcere vt funditus tollant omnem libertatem. Vel conficiatur ſic argumentũ. Reſiſtentia voluntatis eſt finita, ſit ergo vt decẽ ſi ſit paſsio vt quatuor, voluntas indiget aliqua reſiſtentia ad reſiſtẽdum illi paſsioni, creſcat ergo paſsio in duplo, triplo, & ſic conſequentèr: vnde poterit tantum creſcere, quòd voluntas non poſsit reſiſtere. ¶ Deinde ſic arguitur. Nam videtur profectò quòd fieri non poſsit abſque miraculo, vri ab igne, & non dolere; vnde quando B. Laurẽtius proijciebatur in ignem, ex ſubito dolore non poterat volũtas non reſutare, & refugere, ſi miraculum ſecludamus. ¶ Vltimò fieri poteſt argumentum ex illo Apoſt. 1. Corint. c. 10. Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari vltra id quod poteſtis. ex quo videtur, quòd ſi Deus non cõcurreret per auxilium ſuum ſpeciale, quòd quantum eſt ex natura rei, paſsiones poſſent ſuperare voluntatem. Propter hæc argumẽta Gregor. Arim. in. 1. d. 1. q. 2. artic. 2. ad. 3. exiſtimat, quòd tam vehemens poteſt eſſe paſsio, quòd non poſsit voluntas abſq; miraculo non neceſsitari ad conſentiẽdum. Caiet, verò docet hîc, non eſſe neceſſarium ad miracula recurrere, quæ ſententia mihi maximè probatur.

Argumẽta contra ſecũdam cõcluſionem. Primum. Secundum. Vltimum. 1. Corin. 10 Greg. Ari. Caieta.

¶ Pro cuius declaratione ſciendum eſt primò, quòd ſi paſsio ſic dominatur, & regnat, quòd obruat iudicium rationis, certè neceſsitatur voluntas; nam tunc nulla manet libertas: ſi verò paſsio non omnino extinguit iudicium rationis, voluntas non neceſsitatur vt obediat paſsioni; nam cùm maneat libertas in voluntate, poteſt paſsioni reſiſtere. Cùm enim paſsio (vt ſupra dictum eſt) non moueat voluntatem niſi mediante iudicio, quando manet iudiciũ rationis liberum, quantumcumq; creſcat paſsio, voluntas poteſt reſiſtere. Itaq; paſsio pugnat cum intellectu; ſi illum omnino ligat & vincit, ligat etiam & neceſsitat voluntatem, & captiuam trahit; ſi ſecus, liberam relinquit voluntatem. Illud etiam dicendum eſt, quòd aliquando poteſt eſſe tam vehemens paſsio appetitus ſenſitiui, vt requirat voluntas diuinum auxilium ſpeciale ad vincendam illam. Nam certè Abraham quando audacter parabat ſacrificare filium ſuum, auxilio ſpeciali indigebat ad vincendas affectiones tenerrimas

erga

erga filium suum Isaac, quem suauissimè diligebat. Nihilominus aio, quòd hoc non debet appellari miraculum, in quo fallitur Gregorius: nam ad diuinam prouidentiam spectat ferre auxilium afflictis, & laborátibus, & cum suis affectibus pugnantibus. ¶ Et sic ad argumentum primum dicendum, quòd cùm passio tantum habeat bellum cum intellectu, quando iudicium intellectus manet liberum, quantumcumque crescat passio, vel per vnũ gradum, potest voluntas resistere: ablato autẽ iudicio rationis, concedimus quòd voluntas necessitatur; & ex hoc patet confutatio ad secundum argumentum. ¶ Ad vltimum ex Diuo Paulo concedimus, quòd ad resistendum passioni vehementissimæ, requiritur auxiliũ diuinum, etiam speciale. Apostolus autẽ non solùm vult dicere, quòd Deus non permittet nostentari supra vires nostras absolutè, sed etiam quòd non permittet nos venire ad extremas angustias, & necessitates, quæ ex passionibus possent prouenire.

Ad argumenta. Ad primũ & secundũ. Ad tertiũ. Volũtas nõ mouetur à bono apprehenso per sensum.

¶ In solutione tertij argumenti ne decipiaris, credens, quòd voluntas moueatur aliquando ex bono apprehenso per sensum: hæc enim deceptio est apertissima. Nam res materialis, & corporea, non potest immediatè agere in voluntatem, quæ est potentia animæ immaterialis. His accedit: nam obiectum voluntatis est bonum apprehensum per intellectũ, quo distinguitur maximè ab appetitu sensitiuo. ergo non potest voluntas moueri à bono sensibili apprehenso per sensum; siquidem non est eius obiectum. Sensus itaque S. Thom. est clarissimus: vult enim dicere, quòd voluntas non solùm appetit bonum vniuersale, sed etiã singulare, & sensibile, cognitum directè & immediatè per sensum, indirectè verò & mediatè per intellectum.

ARTIC. QVARTVS.

¶ Vtrùm voluntas moueatur necessariò ab exteriori principio, quod est Deus.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio.

COnclusio est negans. Nã Deus omnibus naturam suam seruat, & secundum eorum conditionem mouet: vnde ex causis necessarijs, necessarij sequuntur effectus, ex contingentibus, contingentes. Voluntas autem est actiuum principium, non determinatum ad vnum, sed indifferenter se habet ad multa. Ergo fieri non potest vt Deus necessariò moueat voluntatem. Sed & aliam huius rei probationem annectit D. Thom. Nam diuina voluntas non solùm se extendit vt aliquid fiat, sed etiam vt fiat eo modo, quo congruit naturæ voluntatis quam mouet, & eo modo quo Deus statuit, & voluit. Sed Deus voluit, statuitque vt voluntas nostra liberè moueretur, & vt quidam effectus prodirent necessariò, alij liberè, alij contingenter. Ergo repugnat diuinæ motioni si voluntas ex necessitate mouetur. Itaque ad efficaciam diuinæ motionis spectat vt voluntas nostra liberè moueatur.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Hæretici liberũ arbitriũ auferre nitũtur, ex varijs causis.

HÆretici Valdenses, & Lutherani tollunt liberum arbitriũ ab homine, dicentes omnia ex mera necessitate euenire. Sed intelligendũ est, quòd qui hominem libera voluntate spoliant, id est, nihil in eius potestate relinquunt, varias huius rei causas demonstrare conantur. Alij hoc referunt ad certitudinem diuinæ scientiæ; alij verò in diuinæ prouidentiæ, & prædestinationis ineuitabile decretum; sunt qui hoc referant ad efficaciam diuinæ motionis, cui nemo resistere valet: sed & alij ad peccatum primi parentis hoc referunt, dicentes, mentem humanam & rationem ob primi parentis lapsum tantis tenebris oppressam, vt nihil cernere queat, voluntatem ita cupiditatibus, & reliquis irrationalibus affectibus, ac eorum auctori diabolo subiectam esse, atque seruam, vt in sua potestate nunquã sit homo. Sed potissimè statuunt hominem à Deo necessariò moueri, & agitari, ita vt nullam portionem, neque ad hunc, nec ad illum motum ipse conferat homo; aut si quid confert, non

aliter

aliter atque iumentum quoddam, quod ad sessoris arbitrium impellitur. Quanquam & sic nonnulli hæretici humanis actibus nimiũ tribui existimant, si homo iumento compare tur; quare ipsum potiùs rotæ inanimi, conferunt, quæ ab aqua circumagitur. In summa hominem ex Dei impulsu semper necessariò moueri, & nunquam suasponte aut liberè, asserunt, tantum abest vt liberum hominem constituant, vt actionum suarum sit autor & dominus. Sed contra hæreticos in præsentia toto agmine dimicare non statui, quin potiùs vniuersam hanc disputationem ad primam partem D. Tho. refero, vbi ex professo de libero arbitrio hominis differitur; nunc verò tantum hoc argumentum commemorabo. Nam cùm hæc argumenta de certitudine diuinæ præscientiæ, & prædestinationis amplificant, non considerant quòd eadem impietate Deum adigunt ad similes angustias: nam sicut nos non possumus resistere voluntati diuinæ, itaque neq; ipse suæ voluntati, qua ab æterno voluit agere quæcumq; agit, & sic ad istorum rationẽ non liberè ageret quicquã.

Quomodo Dei motio efficax, necessitatem non imponat voluntati.

¶ His constitutis, aggrediamur ad explicandum, quomodo cohæreat quòd nostra volũtas liberè mouetur, & tamen Dei motio efficax sit, cui voluntas nostra resistere non valeat? videtur certè quòd hæc duo inter se maximè repugnent.

Prim. arg.

¶ Nam causa libera est, quæ positis omnibus requisitis ad operandum, potest operari & non operari; sic enim definitur causa libera ab vniuersis Theologis. Sed si ponatur Dei concursus, & Dei motio, quæ vnum est de necessarijs ad operandum, volũtas necessitatur ad agendum, alioqui motio Dei non esset efficax, neque esset omnipotens, contra illud, Omnia quæcumq; voluit fecit in cœlo, & in terra. ergo voluntas nostra semper necessariò mouetur, & operatur. Itaq; sic concludo argumentum. Quando adest diuina motio, voluntas nostra non potest nõ operari, siquidem necessitatur; quandò verò non adest, non potest operari; nam sine Dei motione nemo valet operari. ergo nunquam

Secundum

libertatem habet. ¶ Præterea, quando ponitur Dei concursus & motio, non potest volũtas nostra nõ moueri. ergo si modò ponitur, modò necessitatur. Certè si quando sol oritur non possum non diligere amicum, si modò sol oritur, modò necessitor ad diligẽdum

Tertium.

amicum. ¶ Ad hæc, siquis moueret manum meam ad scribendum, cui ego resistere non valerem, certè scribere non esset liberum, sed necessarium. Sed ad singulas, & vniuersas operationes mouet nos Deus, cui resistere non valemus. Ergo vniuersa opera nostra nõ sunt libera, sed necessaria. In summa, vis argumentorum in hoc consistit. Nam si Deus mouet nostram voluntatem, certè volũtas mouetur, siquidem mouere & moueri sunt correlatiua: itaque posita Dei motione, voluntas mouetur, & non potest non moueri. ergo voluntas necessitatur cùm mouetur à Deo.

Vltimum.

¶ Ad vltimum, Deus potest necessitare voluntatem. ergo semper necessitat. Antecedens relinquo pro certo, cùm de facto necessitat ad visionẽ beatificam, & ad amorem beatificum. Consequentia verò inde probatur: quia Deus non necessitat voluntatem aliter quàm mouendo voluntatem, vt efficaciter agat: sed quandocumque voluntas vult, Deus vult vt efficaciter agat; est enim impossibile quòd voluntas velit, nisi Deus velit eam velle. Certè cùm Deus necessitat voluntatem, nõ agit per alias potentias, neque habet alias, nisi intellectũ, & voluntatem; & suum velle, est suum agere. Ergo ad necessitandum voluntatem ad agendum, non aliud adhibet Deus nisi volitionẽ, qua vult ipsam agere. Neque videtur quomodo Deus necessitet Angelum ad essendum, nisi volendo vt sit; nec lapidem ad motum, nisi volendo vt moueatur. Hæc sunt argumẽta fortissima, quibus impugnatur nostrum liberum arbitrium.

Soluũtur argumenta.

¶ Sed videamus eorum cõ futationes. Nã quòd homo liberè moueatur in suis operationibus, ex ipsa experientia liquidò constat, & rationes quas hic produxit S. Thom. euidenter hoc ipsum demonstrant.

Quorundã explicatio.

Dicunt igitur quidam viri docti, qui sibi acuti videntur, quòd posito Dei concursu, quo Deus concurrit mecum ad loquendũ, possum non loqui; imo de facto sæpenumero non loquor. Imaginantur enim prædicti autores, quòd Dei concursus semper est paratus, & applicatus eodem modo, siue ego loquar, siue non loquar, & sicut ego habeo linguam quãdo taceo, & sicut corpus cœleste semper est in actuali motione, qua concurrit cum his inferioribus; sic adeò, quòd licèt corpora inferiora non operentur, corpus cœleste semper mouetur: ad eundem modum Deus semper suppeditat motum & concursum suum, quo concurrit cum his inferioribus, licèt secundæ causæ non semper operentur, neque semper hoc concursu diuino vtantur. Et hac ratione acutè & subtiliter saluatur, quomodo Deus concurrit nobiscum, & non necessitat nos ad operandum.

Impugnatur solutio

¶ Hæc ratio defendendi liberũ arbitrium cum Dei concursu & motione, meritò ab omnibus improbatur: quoniam mouere & moueri sunt correlatiua, quæ mutuò

se

se consequuntur: sed Deum concurrere cum causis secundis, est mouere illas ad operandum. ergo fieri non potest vt Deus concurrat cum causa secunda, & quòd causa secũda non moueatur ad operandum. Deinde, Deus non solùm est causa partialis omnium horũ effectuum, qui fiunt mediantibus causis secũdis, sed etiam totalis in suo genere. Ergo impossibile est hæc duo esse vera, quòd Deus concurrat mecum ad loquendum, & quòd ego non loquar: posita enim causa totali, quę impediri non potest, necessum est poni effectum. Adhæc, certa & immobili fide tenendum est, quòd non solùm Deus est paratus ad concurrendum cum omnibus causis, verùm etiam quòd mouet, & applicat vniuersas causas ad operandum, & quòd ex Deo est initium operis nostri. ergo impossibile, est quòd Deus moueat concurrendo, & quod ego non mouear. Tandem secundum imaginationem istorum, quod est perfectionis in nostris operibus, tribuimus nobis: tribuimus enim nobis quòd moueamur, quòd operemur, quòd velimus: Deo autem tribuimus quod est imperfectionis, nempe quòd confe rat nobis auxilium potentiale & habituale.

¶ Sic ergo labefactata & expugnata istorum opinione, Almaynus in suis moralibus. c. 1. &. 2. alia via pergit: opinatur enim quòd posito Dei concursu, non potest homo non operari: negat tamen inde concludi, quòd homo nõ liberè operetur; & dat definitionem libertatis, & liberi pro sua phantasia, dicens, quòd ad libertatem sufficit, & requiritur, quòd positis omnibus præuijs necessariò requisitis ad agendum, sit in potestate voluntatis agere & non agere, & sic putat se satisfeciſſe omnibus argumentis superiùs adductis. Nam cùm dicitur, posito Dei concursu homo non potest non agere, ergo necessitatur ad agendum: negat consequentiam, quia concursus diuinus non est de præuijs, sed de concomitantibus: posito enim Dei concursu, necessum est nostram poni actionem; siquidem necessariò se concomitantur, & consequuntur. Sed iste autor cum suis sequacibus putat satis esse respõdere ad verba, & quocunque modo se expedire ne capiatur in sermone, alioqui parùm rem explicat; imo grauissimè errat. Certè vt à facilioribus exordiamur, errat in eo quod dicit concursum Dei inter prærequisita non esse annumerandum: nam Dei concursus est causa nostræ volitionis: ergo prærequiritur ad nostram volitionem; omnis enim causa prærequiritur ad effectum. Deinde si cõcursus Dei generalis non est de præuijs, & requisitis ad operandum, sequitur quòd nunquam dabitur sufficiens numerus prærequisitorum ad operandum, quibus positis, possit voluntas agere & non agere. Quod rectè sequatur, patet. Nam ante Dei concursum voluntas non potest agere, posito autem Dei concursu voluntas necessariò agit. ergo nunquam dabitur numerus sufficiens prærequisitorum, quibus positis, possit voluntas agere, & non agere. Præterea, quando Deus necessitat suo cõcursu voluntatem, quæro, vtrùm concursus sit de præuijs, vel de concomitantibus? si de præuijs; contrà sic argumentor. Nam benè sequitur, Deus mouet voluntatem, ergo voluntas mouetur: & certum est quòd posito hoc concursu, necessum est actionem voluntatis sequi. Vnde mutuo se consequuntur, & concomitantur; non ergo est de præuijs, sed de concomitantibus, si argumenta Almayni aliquid probant. Si est concomitans, ergo voluntas adhuc liberè agit; quia definitio libertatis ab Almayno confícta, ei competit: nam positis omnibus præuijs, voluntas potest non agere; non enim necessitatur nisi à concursu concomitante; & hoc non impedit libertatem, vt ipse arbitratur. Item, vel motus & concursus quo ego moueo lapidem est de præuijs, vel de concomitantibus. Si de præuijs, quare ergo concursus Dei non erit de præuijs, cùm concursus meus ad motum lapidis non sit prior concursu Dei? si est concomitans concursus meus, ergo non necessitatur ad motũ ipse lapis; imo liberè mouetur, iuxta definitionem istorum autorum; quia si necessitatur, hoc est à concursu meo; at ille non est de præuijs, sed de concomitantibus; & positis solis præuijs, lapis potest non moueri: inter præuia enim non ponitur concursus meus, neque Dei. Errat ergo Almaynus, existimans, quòd concursus Dei non debeat numerari inter præuia, & requisita ad operandum. Sed turpiùs errat & grauiùs, cùm dicit, quòd posito Dei concursu non potest voluntas non agere, & quòd tunc necessariò mouetur: nam ex hac sententia sequitur, quòd voluntas nunquam liberè agat; nam sine concursu Dei non potest quicquam agere, posito Dei concursu necessariò agit, ergo nunquam liberè agit. Deinde vt volũtas necessitetur in opere suo, satis est mouere illam, sic vt non possit non agere. Sed cùm Deus mouet voluntatem nostram, sic mouet vt non possit nõ agere. ergo semper necessitat. Præterea eodem modo sicut posito cõcursu voluntas non potest non agere, ita posita volitione Dei ab æterno, qua voluit me scribere, non possum nõ scribere:

Almayn.

Impugnatur Almay.

sicut

ſicut enim motio Dei efficax eſt, ſic & Dei voluntas omnipotens eſt; & tunc non poteſt dicere Almaynus, quòd illa voluntas eſt de concomitantibus, cum manifeſtè ſit de præuijs. Itaque conficiatur ſic hoc argumentū. Priùs Deus voluit me ſcribere, quàm quòd ego ſcribam, voluit enim ab æterno: cæterùm hoc non tollit quin ego liberè ſcribam, & poſita illa volitione poſſum ſcribere & non ſcribere. ergo licèt Deus me moueat priùs ad ſcribendum, quàm quòd ſcribam, nō tollit quin liberè ego ſcribam, & quòd poſsim non ſcribere. In ſumma iſti autores quos impugnauimus, aſſerunt quòd eſt aliquid, quo ſtante, noſtra voluntas neceſsitatur, & quòd illud non ſit in poteſtate noſtra. quid refert vtrùm ſit præuium, vel concomitans? certè nihil ad tollendam noſtram libertatem. ¶ Sed iam tempus eſt vt veram huius nodi diſſolutionē perſequamur. Certè D. Tho. hoc in loco &. 1. p. q. 83. art. 1. in ſolutione ad tertium dicit, quòd poſito Dei concurſu, non eſt poſsibile quòd homo non moueatur ſtante diuino concurſu; cæterùm abſolutè, & ſimpliciter poteſt nō moueri. quod perinde eſt atque ſi diceret; nō eſſe poſsibilem hanc copulatiuam eſſe verā; Deus concurrit mecum, & mouet meam voluntatem, & mea voluntas non mouetur. Cæterum hæc copulatiua eſt vera, Deus concurrit mecum ad volendum, vel loquendum, & ego poſſum non velle, vel non loqui. Cuius cauſa eſt; nam Deus concurrit cum cauſis ſecundis, ſic vt non deſtruat earum naturas; cū cauſis liberis, liberè; cum cauſis neceſſarijs, neceſſariò ſe accommodat, & attemperat. Explicatur hæc ſolutio. Sicut enim poſito imperio efficaci intellectus, neceſſum eſt vt obediat voluntas; cæterùm non neceſsitatur ad operandum, ſiquidem poteſt imperium ceſſare pro noſtro arbitratu. Idem explicatur alio exemplo aptiſsimo. Nam ſi ego diſputo, neceſſum eſt quòd loquar; verùm nō neceſſariò loquor, quoniam non neceſſariò diſputo: ad eundem modum, ſtante Dei concurſu & motione, non poſſum non moueri, ſed non neceſſariò moueor, quia Deus liberè me mouet: hæc enim eſt neceſsitas conditionalis, nō abſoluta, non conſequentis, ſed conſequentiæ. Ex his facilè erit intelligere quid ad argumēta propoſita ſit reſpondendum. ¶ Nam ad primum concedatur maior argumenti, & ad minorem dicendum, illam eſſe falſam: nam adhuc poſito Dei concurſu, liberè agit, & poteſt non agere, licèt non ſtet quòd Deus concurrat, & quòd non agam in ſenſu compoſito: ſicut non ſtat quòd Deus ſciuerit ab æterno

D. Tho. expoſitio.

Argumēto rū ſolutio. Ad primū.

Petrum peccaturum, & Petrus non peccet, tamen adhuc poteſt non peccare: & omnino conformiter oportet reſpondere de vtroq;: & mirùm eſt, quòd iſti maiorem difficultatē inueniant in vno, quàm in alio, cùm ſit prorſus eadem. Sed & alijs exemplis confirmatur hæc ſolutio, quæ retro commemorata ſunt. ¶ Ad ſecundum argumentum idem per omnia reſpondendū eſt. Nam cùm dicitur, quòd poſito Dei concurſu non poteſt non agere, negandum eſt omninò. ¶ Simili ratione confutatur tertium argumētum. Nam cùm adeſt diuinus concurſus, poſſum non agere, & non operari, vt ſatis probatum eſt. ¶ Ad quartum dicendum eſt, non eſſe ſimilem rationem in exemplo adhibito: nam Deus non mouet noſtram voluntatem ſicut habitus naturales, aut ſicut impetus ſagittam; nec verò vt mens noſtra membra exteriora, nec ſicut mouet nos, qui trahit nos inuitos, ſed mouet nos liberè, vt nati ſumus moueri: mouet, inquā, nos atq; ſi ſolus homo eſſet in mundo, in manu conſilij ſui conſtitutus: & hoc eſt quod dicit Salomon, quòd cum magna reuerentia diſponit nos. ¶ Ad vltimum argumentum nego conſequentiam: nec volo in præſentia in litem vocare, an velle Dei, ſit ſuum agere, de quo in prima parte abundè diſputatur. Sed dico pro confutatione argumenti, quòd Deus nunquā vult præciſè hominem agere; ſed agere liberè, vel agere neceſſariò, ſaltem hoc eſt verum de agente indifferente ad agendum liberè, vel neceſſariò. Vnde ſi Deus vellet ſolùm voluntatem agere, & non determinaret modū agendi, non eſſet maior ratio quòd ageret neceſſario, quàm liberè, & ſic non ageret. Itaque ad hoc quòd Deus neceſsitet voluntatem, requiritur quòd velit voluntatem neceſſariò agere. ¶ Sed iam ſequitur vt exponamus aliā quæſtionem; Vtrùm voluntas neceſsitet ſe ipſam? hoc eſt, dato quòd voluntas ſit libera ad volendum, an neceſſariò velit pro tempore pro quo vult. Pars affirmatiua huius quæſtionis ſic oſtenditur. ¶ Nam voluntas quando vult, neceſſariò vult. ergo nunquam liberè vult. Conſequentia argumenti euidēs eſt. Sed probatur antecedens ex Ariſt. 1. periher-menias; Omne quod eſt, quando eſt, neceſſe eſt eſſe. & D. Tho. infrà q. 14. art. 6. ad tertium cōcedit, ſortem ſedere cùm ſedet, eſſe neceſſarium. ¶ Deinde voluntas quando amat, nō liberè amat, ſed neceſſariò, vt dictum eſt; & quando non amat, non liberè amat, ſiquidem non amat. ergo nunquam liberè amat. ¶ Præterea hæc propoſitio conſtat ex repugnantibus; amat, & non amat. ergo quando amat, non

Ad ſecūdū.

Ad tertium

Ad quartū.

Ad vltimū.

Vtrùm voluntas neceſſario velit, pro tēpore quo vult.

Prim. arg.

Ariſto.

D. Tho.

Secundum

Tertium.

non potest non amare: alioqui si hoc posito sibi le ponatur in esse, sequitur euidens contradi ctio, quòd amat, & non amat. Neq; satis diffi cultas huius quæstionis subterfugitur, dicendo, quòd est necessitas ex suppositione, & ne cessitas ex suppositione non tollit libertatẽ; siquidem beati necessariò amant Deum; at hæc necessitas ex suppositione venit, videlicet suppositò quòd sunt beati, & habent lu-

Quartum. men gloriæ. Deinde quòd præteritum fuerit præteritum, necessarium est omnino, sic vt fieri nulla ratione possit vt præteritum non fuerit præteritum: cùm tamen hæc necessitas ex suppositione proueniat, suppositò quòd fuerit præteritum. ergo necessitas ex suppositione, vera necessitas est, & quæ tollit libertatem

Vltimum. ad agendum. ¶ Ad vltimum sic argumentor. Vel est libertas in instanti quo operatur voluntas; vel antè, vel pòst. Non antè, vel pòst, vt satis patet: neque verò quãdo operatur; nam si quando operatur, potest non operari, sequitur Petrum non teneri habere contritionem de peccato, quod nunc peccat: quod est absurdum. probatur sequela. Nam Petrus potest esse in gratia sine contritione: ergo non tenetur habere contritionẽ. Antecedẽs probatur. Nam potest nunc non habere peccatũ quando peccat, siquidem potest operari, & non operari. ergo potest esse in gratia sine contritione. His argumentis persuasi quidam autoOcham. res, vt Ocham quodlib. 1. q. 16. & 1. d. 38. q. 1.
Gabriel. & Gabriel in eadem distinctione. q. vnica. & in. 2. d. 25. q. vnica. sentiunt, quòd pro instanti quo volũtas vult, & operatur, necessariò vult,
Arguitur cõtra istam sentẽtiam. & non liberè. ¶ Sed istorum opinio est falsa, & omnino improbabilis. Nam secundum istorum Doctorum dogma, voluntas quãdo vult, non liberè vult, sed necessariò. ergo nunquam liberè vult. Deinde si vera sunt quæ isti dicũt, sequitur hominẽ nũquã mereri corã Deo; nõ enim meretur cùm operatur, nã necessariò, & nõ liberè operatur, & necessarijs non meremur, nec demeremur; nec verò meretur cùm nõ operatur; nam nullo existente opere, nullũ est meritum. Præterea, voluntas non liberè amat quando amat, vt prædicti autores definiunt: neque verò quando non amat; quia si non amat, non liberè amat. ergo nunquam liberè amat. Item voluntas quando amat, necessariò amat, & quando non amat, necessa-

Magist. Victoriæ argumenta. riò non amat. nunquam ergo libera est. ¶ Sed & sapientissimus Victoria varia excogitauit argumenta ad subuertendam hanc imaginationem, quorum nonnulla in medium proferam. In primis, eadem ratione qua homo, quãdo vult, necessario vult, eadem ratione inquã Deus quando vult, necessariò vult, & quando creabat mundum, necessario creabat; & Christus quando patiebatur, necessariò patiebatur. quod asserere impium est. Deinde, si Socrates viueret per vnum diem, & pro medietate temporis Deus necessitaret ad standum, & pro medietate ad currendum, nullo modo esset liberum Socrati currere. Sed sic est de facto; ponimus enim quòd non necessitante aliquo currat per vnam medietatem, & per aliam non currat, tunc, vt ista habet opinio, pro toto tempore quo currit, necessariò currit, & pro toto tempore alterius medietatis necessariò non currit. Ergo ita ei est necesse currere, sicut si à Deo necessitaretur. ¶ Sed videamus quid Doctores huius opinionis ad nostra hæc argumenta respondeant. Dicũt sanè, quòd homo pro instanti quo operatur, liberè operatur, cæterùm non potest non operari: itaque duo concedunt; vnum est, quòd in eo instanti liberè operatur; alterum est, quòd in eodem instanti necessariò operatur. Nam ad hoc quòd homo liberè operetur, satis est, quòd immediatè ante illud instans potuit nõ operari, & immediatè post illud instans potest ab actu cessare. Sed isti autores acutissimi non vident, quòd ex eorum sententia sequuntur omnia inconuenientia, quæ superiùs sunt commemorata: quæ si non vident, videant obsecrò quæ sequuntur. In primis sequitur, quòd in primo instanti sui esse, non possit aliquis, vel angelus, vel homo habere actum liberum; quia nũquam plùs potuit vitare illũ. Item si Deus pro hoc instanti necessitaret voluntatem, & postmodum relinqueret eam liberam, postmodum nũquam libera est; siquidem priùs actum vitare nequiuit. Item si Socrates esset insanus per vnum instans tantùm, iam in toto tempore præcedenti esset liber, & non tamen in hoc instanti esset liber; quanquam priùs actum vitare poterat. Imo subiti motus, quos vocant Theologi primo primos, essent liberi, quia priùs potuit eos vitare. Item arguitur pro eodem. Si odium proximi est nunc liberum, quia licèt necessariò nunc sit, tamen potuit priùs non haberi. Ergo homo priùs peccat non impediendo pro nunc, & nunc non peccat. Item si Deus produxisset mundum ab æterno, non liberè produxisset; quia non priùs potuit non produxisse. Hæc, & multa alia inconuenientia possunt inferri ex hac positione, & ideo tenenda est vera & solida doctrina, quòd pro eodem tẽpore quo voluntas agit, potest non agere. ¶ Argumẽta verò in contrarium adducta facillimè exoluẽtur. Dicendum est enim, quòd necessitas ex

Argumentorum solutio.

suppo-

ſuppoſitione non tollit libertatem; quemadmodum ſi ego curro, neceſſum eſt moueri: ſed abſolutè, non neceſſariò moueor, quia nõ neceſſariò curro. Rurſus ſi diſputo, neceſſum eſt me loqui, at non neceſſariò loquor, quia non neceſſariò diſputo. Ad eundem modũ, ſi amo, neceſſum eſt vt habeam actum amandi, ſed non neceſſariò amo, quia poſſum ceſſare ab opere amandi: prædictę enim neceſsitates non ſunt abſolutæ, ſed conditionales: neceſſum namque eſt has conditionales eſſe veras, ſi curro, moueor; ſi diſputo, loquor; ſi amo, habeo actum amandi: verùm neque antecedens, nec conſequens eſt neceſſarium. Itaque potiùs in his eſt neceſsitas conſequẽtię, quàm conſequentis. ¶Sed vt diligẽtius elucidetur, intelligendum eſt, quòd quædam neceſsitas ex ſuppoſitione aufert libertatẽ, veluti cùm id quod præſupponitur, iam eſt neceſſarium: quemadmodum ſi Adam fuit, non eſt poteſtas vt non fuerit, ſiquidem ad præteritum nõ eſt potentia. Cæterùm ſi id quod præſupponi tur, & ſtatuitur, adhuc manet liberum, & contingens, non aufert libertatem: vt ſi præſuppo nitur & ſtatuitur Petrum currere, aut eſſe, nõ tollitur facultas vt non currat, vel vt non ſit. Itaque differt inter præteritum, præſens, & futurum; quod ſi Adam fuit, neceſſe eſt fuiſſe; verùm ſi Petrus eſt, non eſt neceſſe vt ſit, & ſi Petrus naſciturus eſt, non eſt neceſſe vt naſcatur. Hæc documenta diligenter animaduerſa, vniuerſa argumenta propoſita labefactant.

Neceſsitas ex ſuppoſitione duplex.

Explicatur Ariſtot.

¶Nã cùm adducitur illud axioma Ariſtoteli cum; omne quod eſt, quando eſt, neceſſe eſt eſſe; cui incumbunt omnia argumenta, dicendum eſt, quòd loquitur de neceſsitate ex ſuppoſitione, & de neceſsitate conditionali, quæ non aufert libertatem. Vel dicendum, quòd cum dicit, neceſſum eſt eſſe, id eſt, determinatè, ad quem ſenſum negat propoſitiones de futuro eſſe determinatè veras. In ſenſu ergo in quo negat propoſitiones de futuro contingenti eſſe determinatè veras; concedit omnes de præſenti eſſe determinatè veras. & hoc intelligit, cùm dicit, omne quod eſt, quãdo eſt, neceſſe eſt eſſe. Cùm vero vrget Ocham; ſi voluntas pro tempore quo agit, poteſt non agere, ponatur in eſſe, & tunc ſequetur euidens contradictio, quòd agit, & non agit. Reſpondetur, hoc argumentum procedere eodem modo contra præſcientiam diuinam, ſicut cõtra libertatem voluntatis. Nam poſito quòd Deus ſciuit Petrum peccaturũ, Petrus potuit non peccare; ponatur itaque in eſſe, quòd Petrus non peccet: tunc habebitur, quòd Deus ſciuit Petrum peccaturum, & tamen Petrus non peccat: & ſic Deus deceptus eſt. Eodem ergo modo ſoluendum eſt argumentum, dicendo, quòd non poteſt poni in eſſe ſimul cũ alia; ſicut iſtæ propoſitiones ambę ſunt poſsibiles, Petrus currit, Petrus nõ currit: cæterùm non poſſunt poni ſimul in eſſe. Vnde dicunt dialectici, quòd vna poſita, deponitur alia. Itaque dico, quòd quando voluntas diligit, poteſt non diligere; ſicut quando Petrus currit, poteſt non currere. Ad aliud argumẽtum ex neceſsitate ſuppoſitionis iam ſatis arbitror dictum eſſe.

Obiectio Ocham.

Solutio.

¶Sed adhuc ſupereſt dubium; vtrùm voluntas aliàs neceſsitetur ſcilicet ad cõtinuationẽ ſui actus. Videtur certè quòd voluntas poſtquam elicuit actum, neceſsitetur vt cõtinuet illum per aliquod tempus: nam actus humanus non poteſt durare tantum per inſtans; nõ enim poteſt deſinere eſſe in eodem inſtanti in quo eſt productus; neque verò in inſtanti immediato; nam non dantur duo inſtantia immediata, vt cõſtat ex phyſica. Ergo neceſſum eſt dicere, quòd durat per aliquod tempus. Ex quo conſequitur, in illo tempore non eſſe libertatem ad reuocandum talem actũ. Ex quo rurſus ſequitur, hominem non poſſe iuſtificari in inſtanti; nam actus iuſtificationis requirit tempus ad ſui continuationem. Item dato quòd tempus ad continuandum odium Dei ſit dimidia hora, conſequens eſt, quòd eo in tempore non ſit libertas, aut facultas ad deponendum odium Dei. Has, & ſimiles rationes adducit Greg. de Arimino in. 1. d. 38. q. 1. art. 3. & in. 2. d. 4. & 5. quæſtione vnica ad quartum, quibus ſibi perſuaſit, quòd etſi homo liberè eliciat actum ſuum in primo inſtanti quo incipit operari, verùm quoniam nullus actus durat tantùm per inſtans, docet magna aſſeueratione, quòd neceſſariò continuat actum per certum temporis ſpatium.

Vtrùm voluntas neceſsitetur ad cõtinuationẽ actꝰ.

Greg. Ari.

¶Vt verò breuiter dicam quid in hac controuerſia tenendum ſit, conſtituo primum aſſertum, & decerno, quòd moraliter & ferè ſemper omnis operatio humana durat per aliquod tempus, & nulla eſt quæ duret tantùm per inſtans. Quod eſſe verum, vel ſola experientia demonſtratur, oſtenditurq; hoc argumento. Nam actus voluntatis communiter, & ferè ſemper reſcinditur per actum contrariũ, aut diuerſum, quo volumus aliò diuertere cogitationem, vel alijs negocijs vacare: at verò iſte actus non poteſt eſſe in eodem inſtanti, alioquin duo actus contrarij poſſunt eſſe in eodem, & non poſſunt eſſe duo inſtantia immediata, vt ſtatuo pro certo ex phyſica. ergo neceſſum eſt vt actus duret & continuetur

Prima cõc. Omnis actio humana durat per aliquod tempus.

per

per tempus. Hoc ipsum confirmatur. Nam isti duo actus sunt immediati, siquidem vnus alterum expellit, sed non dantur duo instantia immediata, vt constat. ergo necessum est vt interueniat tempus. ¶ Neque ex hoc ratiocinetur Theologus, quòd operatio humana requirat certum tempus, & determinatum, vt continuetur: nam aliud est quòd motus requirat tempus, quod est certissimum, & euidentissimum; aliud est quòd requirat certum & definitum tempus, quod est falsissimum. Itaque sentio, quòd quocumq; tempore dato, in minore potest desistere ab actu suo, neque datur certum tempus continuationis.

Nota.

Secũda cõ. Non oportet actũ humanũ continuari per aliquod tẽpus. Ezech. 18.

¶ Sed veniamus ad secundum assertũ, quod tale est. Non est necesse quòd actus humanus continuetur per aliquod tempus; & contrarium dogma non videtur mihi quòd sit sana doctrina: nam alioqui sequeretur, non posse hominem iustificari in instanti: cuius contrarium docet fides. Ezech. 18. &. 33. In quacũq; die ingemuerit peccator, &c. vbi illud verbũ, in quacũq; die, significat quamcumq; horã, quodcunq; momentum, vt docet fides diuina. Quod autem hoc rectè sequatur ex dogmate quod impugnamus, probatur. Nam autore Gregorio, ad actum iustificationis necessum est certum tempus in quo continuatur. ergo in instanti non potest esse iustificatio. Deinde constituamus tempus, quo voluntas necessitatur ad continuãdum odium Dei esse dimidiam horam; rursus constituamus hominem in prima parte illius tẽporis facere quod in se est, & quod debet ad deponendũ odium Dei: tunc sequitur, Deum denegare gratiam suam homini facienti quicquid potest, & quicquid debet. Præterea sequitur, hominem facientem quicquid potest, condemnari: tum sequitur, hominem viatorem in illo interstitio temporis esse extra statum salutis, & nullum habere remedium, vel quòd poterit vitã æternam consequi habens Dei odium.

Tertia cõc. Sententia Grego. absurda.

¶ Vltimò aio & decerno, hanc sententiam Gregorij esse absurdam, & erroneam: vniuersi enim doctores in quarto sententiarum elucidãtes materiam de pœnitentia, condemnant Scotum, & Gregorium erroris, quòd dixerint ad veã contritionem esse necessariam certam temporis continuationem.

Argumentorum solutio.

¶ Ad argumenta Gregorij sic respondendum, vt dicamus, quòd res spirituales, cuiusmodi sunt volitiones, & intellectiones, bene possunt durare solùm per instans; non enim corrumpuntur à contrario agente, sed per solam cessationem ab opere, & per absentiam conseruantis; sicut animaduertere licèt in lumine quod dependet à præsentia solis: vnde in eodem temporis momẽto in quo sol occultatur, totum lumen corrũpitur. Similiter dicendum est, quòd actus voluntatis dependet à voluntate in esse, & conseruari; & sic si voluntas subtrahit suã actionem, statim desinit esse. Neque de hac re dubium esse potest. Certum est enim quòd instans ipsum, in quo voluntas habet actum suum instantaneum, solùm durat per instans: non est ergo reuocandum in dubium, quin actus voluntatis solùm duret per instans. Vel dicat Theologus, quòd dato quòd operatio humana requirat tẽpus vt desinat esse, cæterùm non est consequens quòd requirat certum tempus, vt antea dictum est. Motus enim in sui inceptione requirit tempus, sed non requirit certum tempus: motus enim incipit hoc modo: nunc non est motus, & immediatè pòst erit motus: itaq; quocũq; tempore dato post hoc instans in minori iam est motus, nec datur certum tempus, ante quod non est motus. Et profectò videtur quòd operatio humana requirit tempus vt desinat esse: nam non potest desinere esse in eodem instanti in quo est: & non dantur duo instantia immediata. ergo requiritur tempus vt desinat esse.

cũ scot. dicit requiri tps, &c. ceterũ stat mẽ ynte, i. nõ fit instãs, Loquit' moraliter, ut Sco. et multi sui hui. Cyrus. Adria. Cas. si Sed. briquot.

Obiectiones contra superius dicta.

¶ Sed contra hanc veritatem tot argumentis stabilitam & confirmatam, fiunt argumenta quædam, quæ cuique Theologo facessunt negotium.

Prim. arg.

¶ In primis, si non est certum tempus quo necessitamur ad cõtinuandũ actum nostrum, consequens est quòd in quolibet opere meritorio, quod durat per tempus, sit infinitum meritum: quod asserere ab omni Theologia videtur alienum. Quod rectè sequatur, patet. Nam in quolibet instanti illius temporis meremur, cùm non sit maior ratio de vno, quàm de alio; & sunt infinita instantia. ergo ad finem illius temporis meritum erit infinitum.

Confir.

¶ Hoc ipsum confirmatur. Nam vel in nullo instanti meremur, vel in quolibet. Si in nullo, non erit meritum; si in aliquo, cùm non sit maior ratio de vno quàm de alio, sequitur quòd in quolibet meremur, & sic erit infinitum meritum.

Secundum

¶ Deinde alterum profertur argumentum ad impugnandam propositam sententiam. Quælibet res mundi, inquit Gregorius, resistit suæ corruptioni. ergo actus voluntatis resistet suæ corruptioni. ergo ratione huius resistentiæ debet durare per aliquod tempus.

Vltimum.

¶ Ad vltimum sic arguitur. Actus voluntatis non desinit esse per vltimum sui esse, hoc est, non est verum dicere, nunc est, & immediatè post hoc non erit: vnde consequens est quòd desinit esse per primum non esse, vt sit

verum dicere, nunc non eſt, & immediatè ante fuit. ergo requirit tempus vt deſinat eſſe, vt ſit verum dicere, nunc non eſt, & immediatè antea fuit. ergo requirit tempus vt deſinat eſſe. Probatur conſequentia. Nam res continuæ, & res ſucceſsiuæ, & quæ corrumpuntur per actionem ſucceſsiuam, vt homo, deſinunt eſſe per primum non eſſe.

Confir. ¶ Hoc ipſum confirmatur. Nam actus contrarius per quem diſsipatur actus voluntatis præcedens, incipit eſſe in inſtanti: eſt enim verum dicere, nunc eſt amor Dei in voluntate, & antea non fuit. ergo odium Dei non deſinit eſſe per vltimum ſui eſſe, ſed per primum nō eſſe: ſi enim deſineret per vltimum ſui eſſe, eſſet verum dicere, nunc eſt odium Dei, & poſtmodum non erit; & ſic odium & amor Dei eſſent ſimul. Ad hęc argumenta ſatisfaciendum eſt. ¶ Ad primum dicendum, hoc argumentum eſſe leue & nugatorium vel ex hoc probari. Nam hoc genere argumenti vtebatur Zeno Philoſophus, vt dicitur. 6. Phyſi. tex. 77. ad probandum non poſſe dari motum: nam ſic ratiocinabatur. Mobile priùs debet pertranſire medium quàm vt perueniat ad extremum, & priusquàm tranſeat medium, oportet vt pertranſeat primam, tertiam, quartam, & octauam partem, & ſic in infinitum, cùm ſpatium ſit in infinitum diuiſibile. Ex hoc concludebat non eſſe motum, vel ſi eſſet motus, quòd infinita ſpacia oporteat pertranſire in breuiſsimo temporis ſpatio. Simile eſt argumentum propoſitum, cui ſic reſpondendum eſt; quòd ſicut ſunt infinita inſtantia temporis, ita eſt vnum meritum quod poteſt diuidi in infinitas partes correſpondentes infinitis portionibus temporum; ſicut in motu locali datur continuum ſpatium pertranſitum, quod poteſt diuidi in infinitas partes, correſpondentes infinitis partibus temporis in quo fit motus. Sed & illud, ſecundum veram Theologiam, confutat argumentum, quòd quantitas meriti non debet expendi penes multitudinem inſtantium in tempore, aliàs quodcunque peccatum, vel leuiſsimum, eſſet infinitæ grauitatis, quia durat per infinita inſtantia, ſed oportet expendere meritum ex obiecto, & ex actu voluntatis: & quoniam eſt idem obiectum, & eadem volitio numero in quouis inſtanti, & in toto tempore adæquato, hinc eſt, quòd eſt vnum meritum, neque oportet quòd ſingulis inſtantibus temporis, correſpondeant ſingulæ meritorum portiones, ſicut eſt liquidum in omni motu.

Solutiones Ad primū.

Zeno.

Ad ſecūdū. ¶ Ad ſecundum argumentum dicendum, illud tantùm probare quòd omne ens reſiſtit ſuæ corruptioni, quando corrumpitur à ſuo contrario, ſed ſi dependeat in fieri, & conſeruari ab alio, ſubſtracto illo, deſinit eſſe, vt patet de lumine, vt in ſuperioribus ſatis probatum exiſtimo. ¶ Ad tertium dicēdum, quòd probatio deficit in multis; nam primū omnium res ſpirituales deſinunt eſſe per vltimum ſui eſſe, vt patet in Angelis, ſi Deus eos annihilaret; & in lumine idem animaduertere licet, quod quadam tenus ratione eſt ſpirituale: in eodem prædicamento conſtituuntur volitiones, & intellectiones animi noſtri. Sed & dato quòd actus voluntatis deſinat eſſe per primum non eſſe, non probatur quòd requirat certum & definitum tempus vt deſinat eſſe, ſed tantùm quòd requirat tempus, de quo retro ſatis dictum eſt. Siquis autem cupiat ſcire, quomodo volitiones, & intellectiones animi noſtri deſinant, aut incipiant eſſe, legat doctiſsimum patrem Soto libr. 1. poſteriorum. q. 1. ſolutione ad ſextum, nos enim ad noſtrum autorem conuertimur. Nam aliud dubium quod ſolet in hoc articulo moueri, num confirmati in gratia neceſſitentur in bono? competentiùs in alio loco diſputabitur.

Ad tertiū.

QVAESTIO XI.

De fruitione, in quatuor articulos diuiſa.

Introductio Quæſtionis.

Quo conſilio Doctores de fruitione diſputent.

DE fruitione ediſſerūt Theologi in primo. diſt. 1. quo in loco occaſionem huius diſputationis acceperunt, ex eo quòd Magiſter Sententiarum in exordio ſui operis Theologiam vniuerſam in res, & ſigna diſtribuit; priores quidem tres libros rebus aptans, poſtremum verò ſacramentis, quæ ſigna ſacroſancta ſunt. Res, quæ in diuina Theologia inueſtigantur, rurſus diſtribuit: alias dicens eſſe quibus fruendum, alias quibus vtendum ſit. Priores ſunt beatiſſimæ perſonæ diuinæ, quæ ſunt vnus verus Deus, immenſus, infinitus, incom-

prehen-

prehensibilis: posteriores autem sunt vniuersæ creaturæ, quibus vtendum est, non fruendum. Vnde Theologi disserendi occasionem de fruitione acceperunt. Sed D. Thom. certiori methodo hoc in loco de fruitione tractatum interserit: cùm enim de actibus voluntarijs inuestigare instituerit, methodus & ratio disputationis expostulat, vt de fruitione, quæ est potissimus nostræ voluntatis actus, sermonem instituat. Sed quo pacto de fruitione disputet, videamus.

ARTIC. PRIMVS.

¶ Vtrùm fruitio sit actus appetitiuæ potentiæ.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. COncluſio eſt affirmãs. Fruitio namq; nomen ſumpſit à fructibus, qui tanquam vltimi ex arbore expectantur, & cum quadam ſuauitate percipiuntur. Vnde fruitio pertinere videtur ad amorem, vel delectationem quam aliquis habet de vltimo bono expectato: & quia finis & bonum eſt obiectum volũtatis, fruitio eſt actus potentiæ appetitiuæ.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Quid ſit fruitio, & cuius potẽtiæ actus. IN hoc articulo in primis quid ſit fruitio explicandum eſt, & cuius nam potentiæ ſit, intellectus ne, an voluntatis; de hac enim re diſſident Theologorum ſententiæ. Scotus enim in. 1. diſt. 1. quæſt. 3. & in. 4. diſt. 49. q. 5. exiſtimat fruitionem eſſe amorem rei præſentis: quam ſententiam ſibi perſuaſit ex diuerſis ſententijs D. Auguſt. perperam intellectis, quæ in ſequentibus adducentur. Doctiſſimus pater Soto in. 4. diſt. 49. quæſt. 1. articu. vltimo docet, quòd fruitio eſt actus intellectus, & ipſa Dei viſio. Rationes verò quibus conatur hanc ſententiam perſuadere, hæ ſunt potiſſimæ.

Scot.

Mag. Soto.

Prim. argu. ¶ In primis ex ipſo nomine ſic ratiocinatur. Nam frui cibo, eſt guſtare cibum; frui pulchro, videre pulchrum; frui muſica, audire muſicam. Ergo frui Deo, eſt videre, & poſſidere Deum.

Secundum ¶ Deinde, frui (vt conſtat ex nominis ſignificatione) eſt capere fructum rei deſideratæ. Sed intellectus eſt qui capit & apprehendit; voluntas namque non eſt potentia apprehenſiua, vt ſuprà diximus. Ergo frui eſt intellectus, non voluntatis.

Tertium. Auguſt. ¶ Præterea D. Auguſt. 1. de doctrina chriſtiana cap. 32. &. 33. docet apertè, quòd ſumma merces eſt fruitio. & lib. 1. de Trinitate cap. 9. ſcribit, quòd in viſione Trinitatis tota merces promittitur delectationis, & deſiderij noſtri. & in libro de moribus Eccleſiæ capit. 3. ſic inquit; Quid eſt frui niſi præſto habere quod amas? habere verò & poſſidere, eſt actus intellectus, vt retro monſtratum eſt. Certè apud D. Auguſt. vt patet ex locis adductis, idem eſt fruitio, & viſio Dei. Adducit præterea in patrocinium huius ſententiæ S. Thom, is nanque. 1. p. quæſt. 26. articulo. 2. in argumento quod adducit in contrarium, dicit expreſſè, quòd fruimur Deo per intellectum. & in hoc articulo in ſolutione primi docet, quòd viſio Dei, ſecundum quandam conſiderationem, eſt fruitio: & in tertio articulo ſcribit, quòd fruitio eſt adeptio vltimi finis. Sed & in Clementina ad noſtrum, de hæreticis, definitur lumen gloriæ eſſe perneceſſarium ad viſionem & fruitionem diuinam. At ſi fruitio non eſſet actus intellectus, ad eam non exigeretur lumen gloriæ, quod reſidet in intellectu.

D. Tho. Clemẽt. ad noſtrum de hæreticis.

Vltimum. ¶ Ad vltimum, ſi poſt ſanctos patres lubet audire Grammaticos, Laurentius Valla libro. 5. eleg. capitul. 5. dicit nonnulla quæ huic fauent ſententiæ. Ex hoc ſequitur, quòd fruitio ſit ipſa Dei viſio, quæ eſt actus vtriuſque potentiæ, tum intellectus, tum voluntatis; intellectus, vt elicientis; voluntatis, vt mouentis. Itaque ſicut voluntas eſt quæ laborat, & ſatagit vt ſummum bonum conſequamur, ſic & voluntas eſt quæ fruitur ſummo bono, ſed per intellectum; quemadmodum voluntas eſt quæ deſiderat cibum, ſed fruitur eo per guſtum. Huic ſimile eſt id quod dictum eſt ſuprà quæſt. 4. art. 3. de comprehenſione. His poſitis, Pater Soto veluti re iam confecta gloriatur, dicendo, quòd ſi hanc ſententiam intellexiſſent ſcholaſticorum pleriq́ue, non fuſtra digladiarentur de verbis S. Auguſt. qui in diuerſis locis

Lau. Valla.

de beatitudine, diuersa videtur sentire: alicubi dicit, quòd summa merces est fruitio; alicubi verò quòd summa merces est visio: nulla est contrarietas, aut diuersitas in D. Augustino: nam apud D. August. idem est fruitio & visio. Hactenus de sententia doctissimi Patris Soto, quam etiam magna asseueratione docet in commentarijs super Epistolam ad Romanos capit. 6. Sed Capreolus, & Caietanus, & alij multi Doctores existimant, quòd fruitio est actus voluntatis, quo de summi boni adeptione & possessione delectatur, & congaudet. ¶ Vt ergo veritas huius quæstionis elucidetur, de nomine fruitionis pauca pertractanda sunt: deinde quid sit sentiẽdum de eius definitione, & cuius potẽtiæ actus sit, breui sermone explicandum. Certè Arist. 1. libro Rhetor. capit. 5. distinxit, quædam esse amœna in rebus, alia verò frugifera: illis fruendum esse, quippe non alij vsui nisi capiendæ sunt voluptati, vt qui gaudet in pulcherrimis cernendis figuris, aut curiosis videndis spectaculis: sed fructifera sunt, quæ commodo cedũt, & vtilia sunt, & non solùm illis gaudemus, sed ad vtile nostrum conuertimus, vt equus, fundus. Simile docet August. libr. 83. quæstionum. q. 30. dicens; fruimur illis, ex quibus voluptatem capimus. ¶ Fruitio itaque secũdum propriam significationem est perfecta in suo genere delectatio, quam Hispano sermone, *gozo*, appellamus. In qua significatione hæc vox in sanctis scripturis varijs in locis obuia est: nam Sapien. 2. dicitur; Venite, & fruamur bonis quæ sunt, id est, in bonis delectemur, & iucunditate afficiamur. & illud ex Prou. 7. Inebriemur, & fruamur cupitis amplexibus, hunc habet sensum, delectemur ex mutuis amplexibus, & illud ad Phile. Ita frater ego te fruar in domino, hanc interpretationem habet, ita tecum condelecter in futura beatitudine. & ad Roman. 15. inquit Paulus in eodem sensu; si vobis primùm ex parte fruitus fuero, id est, si vestra præsentia & consuetudine priùs ex parte fuero delectatus, & animi mei desiderium expleam. & Cic. 3. Tuscu. Zenonem indicat acutissimum, contendentem illum esse beatum, qui præsentibus voluptatibus frueretur. & illud Terentij, in Adelphis præcipuè significationem huius nominis aperit, cùm dicit, agellum ei demus, quo fruatur, id est, in cuius possessione delectetur, & conquiescat. Atque hæc est legitima huius vocis significatio, quã veteres & diuini Theologi, in Theologicam transtulerunt significationem, vt tantummodo pro delectatione, quam ex Dei visione & possessione percipiũt beati, vsurpetur & accipiatur: fecerunt́que id sapientissimè. Nam si fruimur illis quæ delectationem & voluptatem secum trahũt, cùm nulla voluptas vera, nulla sincera delectatio nisi in solo Deo sit, nulla profectò fruitionis nomen promeretur, nisi voluptas illa, quam de summi boni acquisitione & possessione percipimus. quod sacræ literæ nobis apertè significant cùm dicunt. Torrente voluptatis tuæ potabis nos Domine. rursus apud Hieremiam secularia bona cisternis dissipatis cõsecruntur; Dereliquerunt me, ait, fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quę continere aquas non possunt. In Deo autem sunt vera gaudia, & plenissima, testante hoc ipsum Domino Ioan. 16. Gaudium vestrum nemo tollet à vobis. & alio in loco; Euge serue bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui. ¶ His constitutis, quæ ad definitionem nominis pertinere videbantur, est prima conclusio. Fruitio est actus voluntatis. Hanc sententiam docet apertissimè D. Tho. in præfatione super quæstionem octauam dicit planè, quòd fruitio est actus voluntatis præcipuus. idẽ docet constanter in hoc art. & in art. 2. scribit in brutis non esse perfectam fruitionem, quoniam in eis perfecta voluntas non inuenitur. & in art. 3. clarissimè docet, fruitionẽ esse delectationem, & gaudium, idem docet Aug. lib. 10. de Trin. c. 10. & libr. 11. de Ciuitate Dei cap. 25. & lib. 1. de doctrina Christiana cap. 33. & 12. de genesi ad literam capit. 26. Huic sententiæ fauent scripturæ diuinæ, quas suprà produximus, in quibus omni dubio procùl fruitio significat gaudium, & perfectam delectationem: nec diuinæ literæ habent aliam commodam explicationem. Eandem sententiam confirmat vsus loquendi receptus: tunc enim frui aliquare dicimur, cùm in eius adeptione delectamur, & voluptate afficimur. Vltimò, hanc sententiam docent vniuersi viri docti, qui linguam Latinam optimè callent: dicunt enim frui esse delectari, & cum suauitate fructum desideratum percipere. Sic docet Laurentius Valla vbi suprà. Manet ergo certum & exploratum, quòd fruitio sit voluntatis, non intellectus. Sed proximum est vt exponamus, num fruitio amor sit, num delectatio: nam D. Thom. in hoc articulo tantùm docuit, quòd est actus voluntatis vel ad amorem, vel ad delectationem spectans, secutus in hac re D. Augustinum, qui aliquãdo refert fruitionem ad amorem, aliquando ad delectationem. Pro quo sit secũda cõclusio. ¶ Fruitio non est amor rei præsentis, sed delectatio: nam frui Deo (vt nomẽ ipsum præsefert) non est

Capreo. Caieta.

Quæstionis explicatio.

Arist.

Fruitionis significatio.

Sapien. 2.

Prou. 7.

Roma. 15.

Cicero. Zeno.

Terentius.

Hiere.

Ioan. 16.

Matth. 25.

Prima conclusio.

Fruitio est actus voluntatis. D. Tho.

August.

August. Secũda cõ. Fruitio nõ est amor, sed delectatio.

est amare Deum, sed delectari de eius præsentia,& intuitu:frui cupitis amplexibus, nō est amare amplexus,sed delectari,& voluptatem capere ex amplexibus. Certè D.Thom. suprà quæstione.4.art.3.fruitionem, delectationem esse decreuit:tria enim asseruit esse in beatitudine perfecta;visionem, amorem,& delectationem,id est fruitionem. Quòd verò ita se res habeat,vt S.Th.decreuit, omnia argumenta quæ superiùs producta sunt ad probandum esse actum voluntatis, probant efficaciter.Cum verò D. Augustinus dicit libro.1.de doctrina christiana.c.4.frui,est amore inhærere alicui rei propter se;vbi fruitionē refert ad amorem. quod idem facit D. Tho. in commentarijs Epistolæ ad Hebræos. ca.12. lectione.4.hunc habet sensum, vt fiat sensus causalis,id est ex præsentia rei amatæ causatur fruitio & delectatio. Vel dicatur, quòd aliud est amare, aliud amore inhærere alicui rei:nam inhærere alicui rei ex amore,est capere delectationem,vel est cum suauitate ei cōiungi. Sed operæpretium est argumenta illa depellere, quæ probant fruitionem esse actū intellectus. ¶Ad primum dicendum,quòd frui cibo,nō est gustare cibum, sed in cibi gustu delectari:& idem dicēdum est ad alia exēpla. ¶Ad secundum dicendum, quòd frui est delectari, & delectari est voluptatem capere: hæc omnia pro eodem accipiuntur apud omnes Latinos. Quòd verò delectatio pertineat ad voluntatem,notiùs est quàm vt sit ostendēdum. Vt verò meliùs intelligatur,obseruandū est, quòd in adeptione & possessione summi boni,intellectus est veluti manus apprehendens bonum & fructū, voluntas est veluti stomachus, qui in rei adeptione delectatur, & fruitur: & quemadmodum voluntas est quæ tristatur de summi boni absentia, sic & ipsa est quæ de boni præsentia delectatur,& fruitur. ¶Ad tertium dicendum est, quòd illę sententię D.Augustini,quibus affirmat,quòd fruitio est tota merces, habent commētarium vt fiat sensus causalis, id est fruitio causatur ex summi boni adeptione & consecutione.Eandem interpretationem habet illa sententia D. Augustini.10.confessionum.c.21.&.22.beatitudo est gaudium de veritate. Vel dicatur, quòd fruitio duo requirit,& visionem,& delectationem:quapropter sancti Patres nunc referunt ad visionem, nunc ad delectationem. quemadmodum sacra scriptura beatitudinē nunc appellat visionem,nunc gaudium,nunc delectationem.Idem dicendum est ad S.Th. ¶Ad quartum dicendum, quòd illa definitio si rectè intelligatur,potiùs est à nobis: si enim

D. Tho. Auguſt. D. Tho. Ad priora argumēta. Ad primū. Ad ſecūdū. Ad tertium D. Auguſt. Ad quartū.

visio & fruitio penitus essent idem,superuacaneè esset additum,lumen gloriæ esse necessarium ad visionem & fruitionem. Itaq; lumen gloriæ est necessarium ad fruitionem, non quòd fruitio sit actus intellectus, sed quoniā est necessarium ad visionem,ex qua sequitur fruitio & gaudium.

ARTIC. SECVNDVS.

¶Vtrùm frui tantùm conueniat creaturæ rationali.

SVMMA TEXTVS.

PRima Conclusio. Ea quæ non cognoscunt finem,vt grauia, & leuia, non fruuntur quādo suum consequuntur finē:nam frui,non est actus potentiæ perue nientis ad finem,sed potentiæ imperantis executionem;dictum est enim quòd est actus appetitiuæ potentiæ. In rebus autem cognitione carentibus,inuenitur quidē potentia pertingens ad finem per modū exequentis,sicut graue tendit deorsum, & leue sursum;sed potentia ad quā pertinet finis per modū imperantis, non inuenitur in eis, sed in aliquo superiori, qui mouet vniuersam naturam per imperium. Prima con.

¶Secūda Conclusio. Bruta habēt imperfectam fruitionē cùm suos fines adipiscuntur; nam cognoscūt bonum & finē: sed quoniam per naturalē instinctū feruntur in suos fines,non perfectè fruuntur. Secunda.

¶Tertia Cōclusio. Rationales naturæ,secūdum rationē perfectam fruuntur,quia non solùm cognoscunt finem & bonum, sed etiam rationē vniuersalis finis & boni, quæ nullo modo est in brutis. Tertia.

EXPLICATIO ARTICVLI.

D. Tho. VT hic articulus facilè intelligatur (quãquam ipse de se est facillimus) scire oportet ex D. Tho. infrà q. 31. art. 3. quòd rebus cognitione carentibus cùm ad suos fines perueniunt, competit quies: quiescunt enim cùm suos fortiũtur fines, neq; amplius inquietæ manẽt: delectatio verò propriè competit brutis; gaudium autẽ propriè non cõuenit nisi creaturæ rationali, quemadmodũ etiam lætitia, quę vltra gaudiũ importat redundantiam exteriùs patefactam in corporis gestu, & motu. Itaq; quies latiùs patet quàm delectatio, & delectatio quàm gaudium, & gaudium quàm lætitia. ¶ Fruitio verò non solùm est quies in bono adepto, sed delectatio, & gaudium perfectum. quod quidem in resurrectione corporum habebit coniunctam lætitiam per redundantiam ad corpus, quando implebitur perfectè illud vaticiniũ Esaiæ. 9. Lætabuntur coram te sicut qui lætantur in messe; & cætera quæ sequũtur. Vt autem nihil prætereatur, illud etiam est sciendum, quòd Scotus in. 1. d. 1. q. 5. dicit, quòd naturalia nullo modo fruuntur, quoniam non inhærent, sed potiùs à natura affiguntur ad suos fines. Sed certè cõsideratio S. Tho. in articulo longè efficacior est, vt patebit rectè cõsideranti: sagitta enim non fruitur quãdo scopum attingit, siquidem sagitta non se mouet per proprium imperium, sed à sagittatore colineatur, qui cum scopum attingit, fruitur, & voluptatem capit. Sic de rebus alijs cognitione carentibus iudicandum est.

Quies. Delectatio Gaudium. Lætitia. Fruitio. Esaiæ. 9. Scot.

ARTIC. TERTIVS.

¶ Vtrùm fruitio sit tãtùm vltimi finis.

SVMMA TEXTVS.

Prior con. PRima Conclusio. Propriè fruitio est vltimi finis, qui propter se, & nõ propter aliud appetitur: vnde cùm quadã delectatione appetitum quietat, sic vt nihil aliud desideretur.

Secunda. ¶ Secunda Conclusio. Nullo modo est fruitio eius quod in se nullã habet delectationẽ, sed solùm propter aliud appetitur: nullus enim fruitur potione amarissima, quã propter sanitatem accipit.

Tertia. ¶ Tertia Conclusio. Eius quod in se habet delectationẽ, tametsi nõ sit vltimum, fruitio est aliquo modo, sed non propriè; quia non simpliciter appetitũ quietat, quia semper manet in suspenso voluntas, donec habeatur id quod vltimũ expectatur.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Vtrùm Deo fruamur, an potiùs visione beata. HIc aggreditur D. Th. ad disputãdũ, quod nã sit fruitionis obiectũ; qua in re disputatio est cũ Durando; vtrùm fruitio vitæ beatæ habeat pro obiecto immediatè Deum, vel visionem beatificã? Durand. nãq; in. 1. d. 1. q. 2. existimat fruitionẽ beatã non Deũ, sed Dei visionẽ habere in obiectum: idq; sibi persuasit his argumẽtis. ¶ Primò, idẽ est obiectum fruitionis, & delectationis; delectatio enim & fruitio idem sunt. Sed obiectũ delectationis nõ est Deus, ergo neq; fruitionis. Minor argumẽti sic probatur. Nã obiectũ delectationis nõ est res separata ab eo qui delectatur; qui enim delectatur circa vinum, de vsu & fructu vini delectatur, nõ de vino separato. ¶ Deinde, dãnati nõ tristãtur nisi de carẽtia diuinæ visionis. ergo beati summè delectantur in visione beatifica. ¶ Præterea autore Arist. 10. Ethic. c. 5. delectatio habet quòd sit laudabilis, vel vituperabilis ab operatione. ergo operatio est obiectũ delectationis, & nõ res ipsa. ¶ Præterea, fruitio succedit spei; sed spes nõ habet Deũ pro immediato obiecto, sed Dei visionẽ, & possessionẽ: qui enim vinũ, aut cibũ exoptat, immediatè nõ nisi vsum & possessionẽ talium cupit. ergo qui Deũ desiderat per virtutẽ spei, immediatè nõ desiderat nisi visionẽ Dei, & possessionem. ¶ Sed hæc sentẽtia Durandi quàm falsa sit, & improbabilis, hæc argumẽta persuadẽt. In primis Arist. 2. de Anima tex. 28. sic definit sitim, vt sit appetentia frigidi, & humidi: famen verò definit esse appetẽtiã calidi, & sicci. ergo fames, quæ est cõcupiscentia appetitus, pro obiecto immediato habet calidũ & siccũ, non gustationẽ calidi aut sicci. ergo desideriũ beatitudinis nõ habet pro obiecto immediato fruitionẽ; quę est actus volũtatis, sed ipsum Deũ summè bonum. Et profectò qui delectãtur in visione spectaculorũ, delectatio illorũ nõ quiescit in visione, quia visio est; sed quia spectaculũ est: non enim quiescit videns spectacula in visione quæ est intra oculũ suũ; in hac enim visione spectacula non celebrãtur, sed

Argumẽta Durandi. Primum. Secundum. Tertium. Aristot. Quartum. Arguitur contra Duran. Aristo.

sed in foro. Certè qui ex rebus amœnis delectationem & voluptatem capit, non delectatur immediatè ex ipsa visione: etenim visio ipsa non est amœna, nec virens, neq; florens: & qui voluptatem capiunt audientes musicam, non delectantur immediatè ex ipsa audi tione, sed ex musica, & vocum consonantia: ipsa verò visio, vel auditio, sunt veluti quædã instrumentariæ actiones, quibus potentiæ consequuntur quod desiderant. Hæc omnia confirmantur. Nam qui amat possidere episcopatum, aut ecclesiasticam dignitatem, profectò ipsam dignitatem immediatè amat, quã uis intelligat citra possessionem non posse illi contingere: sic sanè viri iusti & amici Dei, quod desiderant, Deus est; vnde est illa vox Dauidis; Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum. & rursus; Sicut ceruus desiderat ad fontem aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. at possidebunt hoc quod desiderant, quando facie ad faciem videbunt. Præterea mens nostra in vita beata immediatè videt Deum. ergo consimili ratione voluntas nostra diuina bonitate immediatè fruitur. Verum est tamen quòd eget ostensione huius bonitatis, quam illi demonstrat lumen gloriæ, & visio beata. Certè visus ostendit gustui hoc esse pomum, nec propterea consequens est vt gustus non immediatè pomo fruatur.

Nota. ¶ Vt verò hæc quæ diximus verissima esse comprobentur, intelligat Theologus, & sciat sapienter discernere inter rem desiderabilẽ, & rationem desiderandi siue delectandi, & effectum inde subsecutum. Res desiderata ab ægroto est sanitas; ratio desiderandi vel delectandi est bonitas; effectus inde subsecutus, est possessio, vel delectatio: quemadmodum in igne calefaciente est agens, & ratio agendi, & effectus: & licèt intermediet actio, ignis est qui immediatè calefacit. Igitur res quæ beatos in vita beata lætificat, & iucunditate afficit, est ipsemet Deus; ratio delectationis & fruitionis est bonitas summa; visio verò diuinitatis est huius summi boni possessio, ex qua sequitur delectatio, quæ est immediatè de bono summo, quod in hac vita desideramus.

Ad argumenta Durandi. ¶ Ad argumenta Durandi satisfaciendum est, ad primum neganda est minor syllogismi.

Ad primũ. Nam causa proxima & præcipua quare voluptatem capimus, est bonitas rei quam desideramus; sed possessio & coniunctio est veluti conditio, sine qua nunquam poterimus delectationem capere, vel est instrumentaria actio, qua potentia consequitur finem suum.

Ad secũdũ. ¶ Ad secundum neganda est consequentia argumenti; non enim est recta ratiocinatio: nã damnati habent peruersam voluntatem, & ideo nõ summè dolent de malo culpæ, quod est contra Deum ipsum, sed de malo pœnæ, quod est contra ipsorum bonum. at beati habent rectam voluntatem, & ideo magis iucundantur de bono ipsius Dei, quàm de bono per participationem.

Ad tertium. ¶ Ad tertium dicendum, quòd operatio est causa efficiens delectationis, ipsa verò res est causa obiectiua & finalis, de cuius possessa bonitate delectamur, & voluptate afficimur.

Ad quartũ. ¶ Ad quartum dicendum, spem, Deum ipsum obtinendum sperare: est autem Deus sibi proprium bonũ, quando per visionem mẽtis voluntas summa fruitione Deo copulabitur, de quo fusiùs solet tractari in. 2. 2. q. 17. artic. 5.

Facilior solutio ad argumẽta Duran. ¶ Ad omnia verò argumenta Durandi faciliùs potest Theologus satisfacere in hũc modum, si dicat, quòd apud D. Thom. & viros doctissimos idem est dicere, Deum esse obiectum spei, vel delectationis, & visionem Dei, & possessionem, esse obiectum spei, vel fruitionis; non enim est aliud obiectum summum bonum, & consecutio summi boni: sicut auaro idem est pecunia, & consecutio pecuniæ, & pro fine habet pecuniam, & possidere pecuniam. Et quòd sit idem obiectum summum bonum, & consecutio summi boni, hoc argumento efficaci demonstratur: alioqui possit voluntas appetere summum bonum, & quod non haberet appetitum habendi summum bonum, quod est prorsus impossibile. Certè S. Tho. sæpissimè replicat, quòd finis dupliciter dicitur, nempe & ipsa res, & adeptio rei, vel possessio, & quod pro eodem valet dicere, finem esse rem aliquam, vel eius adeptionem. Vide S. Tho. q. 3. art. 1. & in hoc articulo expressè idem repetit; quare inaniter laborat Durandus ad probandum, quòd obiectum fruitionis sit visio Dei, & non ipse Deus: nam ex hoc quòd visio Dei sit obiectum fruitionis, non est consequens quòd ipse Deus non sit obiectum eiusdem.

D. Tho.

ARTIC. QVARTVS.

¶ *Vtrùm fruitio sit finis iam habiti.*

SVMMA TEXTVS.

Prima conclusio. PRima Conclusio. Fruitio perfecta, est finis iã habiti in re; nam tunc appetitus perfectè quietatur, & exaturatur.

Secunda. ¶Secunda Concluſio. Fruitio imperfecta eſt finis habiti in ſpe. Probatio vtriuſque concluſionis hæc eſt. Quoniam fruitio ex adeptione finis quem deſideramus, oritur & dimanat: quando finis habetur in re, perfectè habetur; quãdo finis habetur in ſpe, nondum perfectè habetur: & ideo ex priori finis adeptione, ſequitur fruitio perfecta; ex poſteriori, ſequitur imperfecta.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Vtrùm in vita beata poſsit quis frui vna perſona ſine alijs.

IN hoc articulo in primis quęritur, vtrùm in vita beata, in qua eſt perfecta fruitio de ſummi boni, & vltimi finis adeptione, ſit vna fruitio trium perſonarum, patris, & filij, & Spiritus ſancti? vel an poſsit eſſe fruitio vniùs perſonæ ſine alterius fruitione? Hanc quæſtionem ediſſerit Scotus in. 1. diſt. 1. quæſtione. 2. & in. 4. diſtin. 49. quæſt. 7. Et à parte affirmatiua quæſtionis ſic arguitur. ¶ Nam quælibet perſona eſt ſummum bonum, & vltimus finis perfectiſsimus. ergo fieri poteſt, de potentia ſaltem Dei abſoluta, vt quis fruatur vna perſona abſque alia. ¶ Deinde, in hac vita poſſumus frui vna perſona abſque alia, vt planè conſtat; & in vita beata videtur quòd magis diligamus filium quàm patrem, ſiquidem apparet quòd ei ampliùs debeamus: factus eſt enim pro nobis homo, & pro nobis mortuus eſt, & cruci affixus, quod non fecit pater. ergo in vita beata poteſt quis frui vna perſona abſque alia. ¶ Præterea, in vita beata, beati iudicant filium factum eſſe hominem, & mortuum pro nobis, idque non iudicant de patre. ergo poſſunt frui filio abſque patre. Conſequentia inde probatur. Nam ad fruitionem requiritur iudicium. ¶ Ad hæc, poteſt videri vna perſona abſque alia, & eſſentia diuina abſq; perſonis. ergo poteſt eſſe fruitio vnius perſonæ, abſque fruitione alterius, & poterit eſſe fruitio eſſentiæ, abſque perſonarum fruitione. Conſecutio argumenti euidens eſt, ſed antecedens probatur; tum, quoniam poſſumus cognoſcere perſonam, quæ eſt pater, abſque eo quòd cognoſcamus filium determinatè, puta Paulum, vel Alfonſum: ſed ſatis eſt cognoſcere illum habere filium. ergo ad cognoſcendum patrem in diuinis, ſat eſt cognoſcere quòd habeat filium, licèt determinatè non cognoſcamus filium: tum deinde, quoniam pater ſine filio videri ſanè poteſt, quanquam intelligi non poſsit; aliud enim eſt viſio, aliud intelligentia. ergo quamuis factibile non ſit quòd pater intelligatur abſque filio (ſunt enim relatiua, & relatiua ſunt ſimul natura & intellectu) at factibile eſſe videtur quòd Deus oſtendat videndam ſuam paternitatem, & non filiationem: tum verò, quoniam ad cognoſcendum patrem in diuinis, ſatis eſt cognoſcere ſuam definitionem, & eius correlatiuum: at Spiritus ſanctus non eſt de definitione patris, neque eius correlatiuum: poterit ergo videri pater ſine Spiritu ſancto.

Scot.

Argumẽta. Primum.

Secundum

Tertium.

Quartum.

¶ Tum præterea, quoniam generatio patris terminatur ad verbum, & non ad eſſentiam diuinam, & vna diuina perſona potuit terminare vnionem carnis aſſumptæ, etiamſi neq; pater terminat, neque Spiritus ſanctus: poterit ergo videri vna perſona ſine alia. Conſecutio argumenti inde liquet; quia ſi actio realis terminatur ad vnum, & non ad aliud, actio intellectualis multò magis poterit terminari ad vnum, & non ad aliud: nam ea quæ re diſtinguuntur, intellectu ſeparantur. ¶ Quod verò diuina ſubſtantia poſsit videri ſine perſonis, hæc argumenta perſuadere videntur. Nam diuinitas habet ſubſiſte tiam abſolutam, perſonæ verò diuinæ habent perſonalitates, & ſubſiſtentias relatiuas. at abſolutum ſecundum rationem, prius eſt relatiuo. ergo poteſt Deus oſtendere ſubſiſtentiam abſolutam, non oſtenſa relatiua.

Quintum.

Argumẽta ad oſtendẽdum diuinam eſſentiam poſſe videri abſque perſonis. Primum.

¶ Deinde, paternitas, ſiue filiatio diuina, quãquam eſt diuinitas, non tamen ſignificat diuinitatis eſſentiam. igitur ipſa diuinitas ſe demonſtrare poterit, non demõſtrato eo quod non eſt de ſua eſſentiali ratione. Certè ſi de eſſentia diuinitatis eſſet pater, filius eſſet pater, ſiquidem filius eſt deitas, de cuius eſſentia dicitur eſſe pater: & fortaſsis Moyſes diuinam eſſentiam vidit in monte Sinai, & ſanctiſsimam Trinitatem non vidit; aſſeruabatur enim Moyſi Trinitatis demonſtranda gloria, quando in monte aſsiſtens Chriſto cum Elia, colloquebantur de exceſſu in Hieruſalem complendo.

Secundum

¶ Denique vt iam finiam, in aliquo priori ori ginis eſt pater quando non eſt filius; prius enim intelligimus perſonam patris conſtitutam & perfectam, quàm quòd habeat filium. ergo in illo priori poteſt cognoſci pater abſque filio.

Tertium.

¶ Ad

Prima con. In via pōt quis frui vna perſona abſque alia.

¶ Ad huius rei expoſitionem eſt prima concluſio. In via non eſt vna fruitio omnium perſonarū, & poteſt quis frui vna perſona abſq; alia, & eſſentia abſque perſonis: nam poteſt quiſpiam cogitare, & cum ſuauitate recolere Chriſtum dominum eſſe pretium noſtræ redemptionis, & nihil meminiſſe de patre, aut Spiritu ſancto. Rurſus poteſt quis ex ductu luminis rationis naturalis cognoſcere Deum eſſe vnum abſque Trinitate perſonarum, & in hac diuinitatis contemplatione maximè delectari. Ex his facilè eſt intelligere, quòd poteſt quis amare vnam perſonam abſque alia, poteritque ſuauiùs, & intenſiùs amare vnam perſonam abſque alia. Cæterùm habere iſtum actum comparatiuum, plus diligo filium quàm patrem, blaſphemia eſt non ferenda: nam tantum debemus patri atque filio, & tam eſt bonus atque filius; imò habent vnam eandemq; bonitatem, & perfectionē.

nō.

Secūda cō. Vna perſona non poteſt videri ſine altera.

¶ Secunda concluſio. In vita beata quando videbimus Deum ſicuti eſt, fieri non poteſt vt videamus vnam perſonam abſque alia, aut eſſentiam ſine perſonis: decernoque adeò hoc eſſe impoſsibile, vt numerari debeat inter ea quę continent euidentem contradictionem, & quæ factibilia non ſunt. Nam viſio Dei eſt notitia intuitiua, qua videtur Deus ſicuti eſt, docente S. Ioanne Euangeliſta. ergo fertur in rem, prout eſt à parte rei. Vnde cùm Deus ſit in tribus perſonis, videbitur neceſſariò in tribus. Deinde ſi Angelus cognoſcit me eſſe hominem, ex neceſsitate cognoſcit me eſſe animal, vt planè conſtat. Ergo qui videt diuinam eſſentiam, neceſſe eſt etiam videre tres perſonas. Conſequentia argumenti inde probatur. Nam maior identitas eſt inter eſſentiam, & perſonam, quàm inter hominem, & animal. Præterea qui videt eſſentiam Petri, neceſſariò videt Petrum. At magis vnū ſunt eſſentia, & diuinę perſonæ, quàm Petrus & ſua eſſentia. ergo viſa eſſentia Dei, ex neceſsitate perſonæ videntur. Ad hæc, ſi natura diuina eſſet tantùm vna perſona (ſicut gentes & Philoſophi arbitrantur) non poterit videri eſſentia, non viſa perſona. At eſſentia diuina, & tres perſonæ tam vnum ſunt, quàm eſſet diuina eſſentia cum illa perſona. ergo fieri non poteſt vt videatur eſſentia abſque perſonis. Certè quòd ſit omnino impoſsibile videri eſſentiam abſque perſonis, docent viri doctiſsimi. In primis S. Thom. 2. 2. queſtione ſecunda, articu. 8. ad tertium. & Caietanus elucidans eundem locum, ante quem Henricus Gandauenſis quodlib. ſecundo, quæſtione ſeptima idem docuerat; cum quo Ocham, & Gabriel in diſtinctione prima, primi Sententiarum, quæſtione quinta, manifeſtè conſentiunt. Ex hac concluſione ſequitur, quòd non poſsit vna perſona videri abſque alia, quod concludo efficaci argumentatione. Nam vna perſona non poteſt videri ſine eſſentia, & eſſentia non poteſt videri abſque perſonis: ergo vna perſona non poteſt videri ſine alijs.

1. Ioan. 3.

S. Thomas. Caietanus. Henricus Gan. Ocham.

Gabriel.

¶ Tertia concluſio. Secundùm legem ordinariam, & ſecundùm præſcriptum à Deo ordinem fieri non poteſt, vt fruatur quis vna perſona abſque alia. Nam ſecundùm legem ordinariam eſt nobis promiſſum in præmium noſtrorum laborum videre patrem, & filium, & Spiritum ſanctum, & in eorum viſione, & poſſeſsione ſummè delectari, & gaudere, vt planè teſtatur vniuerſa pagina noui teſtamenti.

Tertia cōc. Fieri nō poteſt vt fruatur quis vna perſona abſq; alia.

¶ Quarta concluſio. Probabilis videtur & credibilis illa ſententia, quæ aſſerit, quòd poſsit beatus videns Deum, iudicare de bonitate, & pulchritudine vnius perſonæ, & non alterius, & de bonitate eſſentiæ, & non de perſonis. Hanc ſententiam docet vir magni nominis Pater Soto libro quarto Sententiarum, diſtinctione. 49. quæſtione tertia, articulo tertio. & probat ſic. Nam poteſt Deus concurrere cùm eo qui videt Deum, ad iudicandum quòd Deus eſt vnus, & non concurrere ad iudicandum quòd ſit trinus. Rurſus poteſt Deus concurrere vt iudicet patrem producere filium, & non vt iudicet patrem producere Spiritum ſanctum. Sanè hoc non videtur eſſe omnino impoſsibile, vt dicamus Deum id non poſſe facere. Quæ ſententia ſi vera eſt, conſequens eſt ad eam, vt poſsit quis frui eſſentia abſque perſonis, aut vna perſona abſque fruitione alterius: nam ad fruitionem, & delectationem, neceſſarium eſt iudicium intellectus, & non ſatis eſt ſimplex boni apprehenſio, vt ſuprà probatum eſt. Ergo ſi videns Deum poteſt iudicare de vna perſona, & nō de altera, poterit frui vna, abſque fruitione alterius.

Quarta cō.

Soto.

¶ Sed percontabitur Theologus, num qui videret Deum, & non frueretur omnibus perſonis, eſſet perfectè beatus? eſſet profectò: nam videret Deum Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, in quorum viſione beatitudo eſſentialis conſiſtit. Sed & huius rei altera eſt probatio. Nam Deus eſt finis vltimus beatificans, ratione eſſentiæ, & bonitatis ſuæ, & non ratione relationum, & proprietatum perſonalium. Vnde acutè & ſubtiliter docet Sanctus Thomas in. 1. diſtin. 1. q. 2.

Dubium.

S. Thomas.

articul.2.quòd relationes diuinæ, vt ſunt ipſa Dei bonitas, fruibilia ſunt (vt ita dixerim) at non vt relationes ſunt.Sed tamen hæc ſententia,quanquam probabilis, & credibilis ſit, mihi profectò nō probatur, & ideò ſtatuitur

Quinta cō. Quinta concluſio. ¶Mihi videtur omnino impoſsibile quòd quis iudicet de vna perſona,& non de alia,aut de eſſentia,& nō de perſonis (loquimur de eo qui videt diuinā eſſentiam) & ſic decerno eſſe impoſsibile prorſus quòd non ſit vna fruitio omnium perſonarū, & diuinitatis.Quod mihi perſuadeo hiſce argumentis.Nam Pater,& Filius,& Spiritus ſanctus habent eandem eſſentiam,& bonitatē:& beatus hoc videt euidenter.ergo fieri non poteſt vt iudicet eſſentiam diuinam eſſe bonā, pulchram,& ſummè delectabilē, & idipſum non iudicet de tribus perſonis.Præterea,viſio diuinitatis,quæ eſt viſio beata,nō tantùm eſt ſpeculatiua, aut apprehenſiua, ſed eminenter iudicatiua,aliôqui beatitudo non eſſet, vt ſuprà oſtenſum eſt.ergo ſicut fieri nō poteſt vt videatur vna perſona abſque alia, aut eſſentia abſq; perſonis, ſic fieri non poteſt vt iudicet videns Deum de bonitate vnius perſonæ, & non alterius. Et eſt alia probatio apud S. Th. quæ non minùs vrget quàm præcedētes.Nam non ſolùm perſonæ ſunt relatiuæ, quarū vna non poteſt videri ſine alia, ſed etiā in eis eſt vna eademq; ratio fruitionis, nempe diuina bonitas; & ideo impoſsibile decernit S. Tho. quòd in vita beata poſsit eſſe fruitio vnius,

Ad argumenta in oppoſitū. abſq; alterius fruitione. ¶Argumēta verò in principio in contrarium obiecta,facilè(quantùm ego intelligo)enodabuntur. Nam ad primum dicendum, quòd quælibet perſona eſt

Ad primū. ſummum bonum, & vltimus finis ſufficiētiſsimus ad beandos homines,& ad perfectiſsimā fruitionē, ſi ſeorſum & ſeparatim videri poſſet:cæterū vna perſona abſq; alia, eſt euidens contradictio quòd videri poſsit, prout ſuprà probatū exiſtimo.Itaq; concedo id, quod veriſsimū eſt,ſi eſſentia videretur ſine perſonis, aut vna abſq; alia , perfectè bearet homines: quis negat,cùm ſit ſumma,& infinita bonitas? Sed quod dicimus eſt,id fieri non poſſe propter ſummā identitatem inter eſſentiā, & per-

Ad ſecūdū. ſonas. ¶Ad ſecundū dicendū eſt, probationē non rectè procedere:nam in vita beata videtur Deus facie ad faciem, & ſicuti eſt , in qua viſione vna perſona abſq; alia videri non va-

Ad tertiū. let.¶Ad tertium dicendum,quòd tātum debemus patri,atq; filio: nam pater dedit nobis filium,& omnia cum illo nobis donauit(teſtā

Rom.8. te D.Paulo.)Præterea dicendum, quòd iudicium,quod in vita beata nos beatificat,& felices efficit, non eſt niſi iudicium de ſumma ſummi Dei bonitate. ¶Ad quartum nego an Ad quartū. tecedens, & ad primam probationem, dico eam eſſe inualidam: nam non eſt conſimilis ratio de diuinis & humanis. In diuinis enim qui cognoſcit,& videt perſonam, ex neceſſario conſequio videt eſſentiam ; & qui videt eſſentiam, neceſſariò videt tres perſonas, vt dudum probatum eſt:in humanis verò pater & filius non habent eandem numero eſſentiam, & non oportet vt qui cognoſcit patrē, cognoſcat aut videat eſſentiam filij.Illud etiā non prætereundum, quòd etiam in humanis qui cognoſceret aliquem eſſe patrem, & non cognoſceret diſtinctè filium, nō cognoſceret diſtinctè patrem, ſed tantùm in cōfuſo.¶Ad ſecundam probationem dicendum, quòd in humanis poteſt videri pater,abſq; eo quòd videatur filius ; quāuis impoſsibile ſit quòd intelligatur pater abſq; filio,propter mutuā relationem:cæterùm in diuinis id non habet verum:nam pater æternus,& filius, habēt eandē numero eſſentiam,imo ſunt eadem numero diuinitas.Cùm ergo qui videt Patrē, neceſſariò videat eſſentiā diuinam,& qui videt eſſentiam diuinam, neceſſum eſt vt videat filium; planè conſequitur eſſe impoſsibile videri patrem non viſo filio.¶Ad tertiam probationē dicendum,quòd qui exactè, & per propriam definitionem cognoſceret patrem æternum, certè defineret illum ſic,vt in eius definitione conſtitueretur eſſentia diuina:nam de ratione patris æterni eſt quòd ſit Deus: at ſi quis definiat eſſentiam diuinam ,neceſſum eſt vt definiat per vnam perfectionem infinitam,& immenſam,quæ contineret in ſe quicquid in Deo relatiuum,& abſolutū eſt. Et ideò pater non poteſt perfectè intelligi abſq; filio,& Spiritu ſancto. ¶Ad quartam ratiocinationem dicendum eſt,eſſe inualidam, quāuis quibuſdam videatur eſſe palmaria. Nam Petrus abſq; homine intelligi non poteſt:at actio realis terminatur immediatè ad Petrum, & non ad hominem,& viceuerſa:Petrus enim immediatè recipit accidentia , & homo mediante Petro. Rurſus Petrus immediatè generatur à Paulo,& curatur à medico; homo verò mediante Petro.Dixit enim Ariſt. medicum curare Calliam,aut Socratem,non hominem in communi. Ratio ergo quare argumentatio inanis eſt, hæc eſt;quòd enim vnū non poſsit videri ſine alio,non proficiſcitur ex eo quòd vnum non poſsit operari ſine alio , ſed ex eo quòd vnū eſt de eſſentia , & ratione alterius: pater enim operari poteſt abſq; filio,at intelligi nequit ſine filio. ¶Ad quintā probationē,

qua

qua probatur diuinam essentiam videri posse absq; personis, dico esse nugatoriam: nam in Deo nihil est priùs, aut posteriùs; estque tanta identitas inter essentiam & personas, quanta est inter ea quę summè vnum sunt; & ideò fieri non potest vt essentia videatur absque personis. ¶ Ad sextam probationem ex præcedenti patet confutatio. Illud verò quod de Moyse additur, falsissimum est, & nulla ratione, aut probabilitate fulcitur. ¶ Ad vltimam probationem illud respondeo ex symbolo fidei, quòd in hac trinitate nihil priùs aut posteriùs secundùm se: verum est tamen quòd secundum nostrum modum intelligendi imperfectum, & imbecillum, quę habemus dum hic viuimus, priùs cognoscimus personam patris cõstitutam, quàm quòd generet, & quàm quòd habeat filium; sed in vita beata, vbi erit perfectus intellectus, omnia videbimus simul omnino vnico intuitu. Illa verò instantia originis quæ posuit Scotus, fictitia sunt, & non no asseruntur sine magno periculo: de quo accuratiùs dictum est suprà in prima parte. q. 14.

Vtrùm fruitio viæ & patriæ sint rationis eiusdem.

¶ Alia quæstio solet moueri de fruitione ab interpretibus S. Thomæ; vtrùm fruitio quam hic habemus dum viuimus, quam in nobis operatur charitas, sit eiusdem rationis cum ea fruitione, quam habent beati, videntes, & possidentes ipsum Deum? Ediserit hanc quæstionem Scotus in. 4. dist. 49. quæst. 7. & propendit magis in partem negatiuam, & suadetur sic esse. ¶ Nam fruitio in vita beata non est libera, sed necessaria; illic enim necessitatur voluntas tum ad amandum, tum ad fruendum (si vera sunt quæ superiùs dicta sunt) sed fruitio dum hic viuimus est libera, quam possumus habere, & non habere. ergo differunt non solùm numero, sed etiam specie, & genere: liberum enim & necessarium toto genere differunt. ¶ Deinde, omne finitum, per continuum incrementum potest venire ad quantitatem alterius finiti, si sunt eiusdem rationis. Sed fruitio quam habemus dum hic viuimus, quantumcunque crescat, non potest peruenire ad quantitatem fruitionis vitæ beatæ. Ergo non sunt eiusdem rationis. ¶ Vltimò, fruitio viæ sequitur cognitionem obscuram; fruitio beatitudinis sequitur cognitionem euidentem: ergo differunt, & nulla ratione conueniunt. ¶ Sed hæc argumenta verum non concludunt: veritas enim est, quòd fruitio viæ, & patriæ cœlestis, sunt eiusdem rationis; nam charitas viæ, & patriæ, sine dubio sunt eiusdem speciei; imo eadem charitas numero manet in eodem homine in via, & in beata vita: dicit enim D. Paulus, quòd charitas nunquàm excidit. ergo fruitio quæ charitatem sequitur, eiusdem rationis est in via, & in vita beata. Pro confutatione argumentorum sciendum est ex Caietan. 2. 2. quæst. 24. artic. 7. & 3. p. quæst. 7. artic. 11. quòd licèt charitas viæ & patriæ sint eiusdem speciei, sunt tamen diuersarum rationum, quantum ad modum essendi. Etenim status charitatis in patria, est veluti naturalis; est siquidem amicitia, cui naturale est conuiuere amico, & eius præsentia frui: status verò charitatis dum hîc viuimus, est præternaturalis: & S. Thom. Opus. 61. dicit, quòd est quodammodo violentus. quapropter D. Paulus. 1. Chorint. 12. appellat charitatem, viam, dicens, adhuc excellentiorem viam vobis demonstro. & ad Hebræos. 13. Non habemus hîc ciuitatem manentem, sed futuram inquirimus. Ex hoc sequitur, quòd charitas viæ, & eius fruitio, quãtumcunque crescat, non potest exæquare fruitionem patriæ: licet enim quòd obiectum sit clarè visum, vel obscurè, non mutet charitatis rationem, verùm in præsentia amati habet maiorem intensionem, & certam quandam perfectionem, quam charitas viæ exæquare non valet; vt si lapis haberet gaudium in centro, eiusmodi gaudium non habet extra centrum, licèt velocissimè, & suauissimè moueretur in centrum. Sed de his fusiùs agitur in locis citatis: nunc verò hæc documenta quæ dedimus, satis erunt ad argumentorum confutationem. ¶ Sed ex hoc alia nascitur dubitatio; Num beati in vita felici necessariò fruantur, & delectentur de Dei visione, an potiùs liberè? Præclara quæstio est, & digna theologico instituto, sed de ea diligenter satis edissertum est suprà quæstione. 4. articu. 1. & 4. & ideò ab eius tractatione supersedendum est, recolendaque sunt ea quæ in illo loco à nobis sunt disputata. Certè ex eo quòd charitas necessariò amet, & fruatur in patria, hîc verò dum viuimus liberè, non est consequens quòd re ipsa differant: nam suprà dictum est, quòd voluntas eadem nunc liberè operatur, & tunc consideratur vt liberum arbitrium; nunc verò necessariò, & sic consideratur vt natura, quæ ad modum naturæ necessariò operatur. Liberum ergo & necessarium non semper differũt re, sed tantùm ex modo operandi. Atqui hic sit finis explicationis; nam si liberet spaciari in quæstionibus serendis de fruitione, disputatio nunquam finem inueniret: disputant enim Theologi innumeras quæstiones; vtrùm ne Deus fruatur creatura; vtrùm ne qui peccat mortaliter, fruatur creatura, & in creatura

Scotus.

Prim. argu.

Secundum

Vltimum.

Responsio.

Paulus.

Caiet.

D. Tho.

Paulus 1. Cor. 12.

Hebræ. 13.

suum

ſuum vltimum finem conſtituat: & illud etiã interrogant, num in hac vita mortali cuiquã conceſſum fuerit frui Deo, & diuinitatis fruitione: & illud quoque, num anima Chriſti Domini in paſsione frueretur, & gaudium haberet, an potiùs ſummo mœrore propter nos homines, & propter noſtram ſalutem afficeretur. Sed prædictæ quæſtiones ex proprijs locis diuinæ Theologiæ ſunt furto ſublatæ, & in hunc locum tranſlatæ, vt Theologi diuitias ſuas oſtenderent: nos verò ad propria loca eas referimus, & ad id quod agimus, reuertimur.

QVAESTIO XII.

De intentione, in quinque articulos diuiſa.

DE hac re tractant nõnulla Theologi in 2. d. 38.

ARTIC. PRIMVS.

¶ *Vtrùm intentio ſit actus voluntatis.*

SVMMA TEXTVS.

Concluſio. Concluſio eſt affirmans. Nam intẽtio nihil aliud eſt quàm in aliud tendere: vnde intẽtio principaliter pertinet ad id, quod mouet ad finem. Voluntas autem eſt quæ mouet omnes alias vires animæ ad finẽ. Intentio ergo voluntatis eſt. Probatio ergo ad formam ſillogiſmi reducta, ſic habet. Intentio nihil aliud eſt, quàm in aliud tendere. Sed voluntatis eſt in aliud tendere, ſiquidem mouet omnes alias animæ vires ad finem. Ergo intentio voluntatis eſt.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Intentio quid ſit, & quomodo diuidatur. IN hoc articulo ſciendum eſt, quòd intentio accipitur bifariam; vno modo, pro tendentia in finem, ſiue res quæ tendit in finem cognoſcat finem, ſiue non; & in hoc ſenſu natura intendit finem: alio modo accipitur pro tendentia in finem, cum cognitione finis & mediorum, quæ ducunt in finem: & in hoc ſenſu ſolùm competit naturæ rationali. & hoc modo diſputant de intentione tum Theologi, tum Philoſophi morales. Secundò intelligendum eſt, quòd intentio eſt actus voluntatis circa finem: voluntas verò circa finem tripliciter negotiatur, vt optime aduertit S. Tho. ſolutione ad quartum. Primò reſpicit finem abſolutè, quatenus eſt amabilis propter ſe: reſpectu huius ponitur quidam actus in voluntate, qui appellatur voluntas. Deinde voluntas reſpicit finem iam habitum; & reſpectu huius conſtituitur in voluntate quidam actus, qui appellatur fruitio, de quo dudum dictũ eſt. Tertiò reſpicit voluntas finem tanquam terminum per certa media conſequendum; & reſpectu huius ponitur quidam actus in voluntate, qui eſt intentio. Itaq; qui deſiderat epiſcopatum, non intendit illum: rurſus qui iam habet epiſcopatum, non intendit, ſed fruitur iam illo. ille igitur intendit epiſcopatum, qui vult conſequi illũ per certa & ſtatuta media. ¶ Tertiò ſciendum, quòd quamuis omnis actus volũtatis preſupponat actũ intellectus; nihil enim eſt volitum, quin præcognitum; inter omnes tamen actus voluntatis nullus eſt in quo magis appareat ratio ordinis, & intelligẽtiæ, quã in intentione voluntatis. Nam voluntas quæ fertur in finem abſolutè, præſupponit quòd finis cognoſcatur tanquam poſſeſſus, & vltima quies noſtræ voluntatis: intentiò verò preſupponit quòd finis cognoſcatur tanquam terminus, & ſcopus eorum quæ in illum ordinantur; ordinare verò eſt opus rationis, vt manifeſtè conſtat. ergo in intẽtione apertiſsimè cernitur ordo rationis. Doctrina eſt D. Tho. de veritate. q. 22. arti. 13. Illud etiam obſeruandum eſt ex eodẽ S. Tho. vbi ſuprà, quòd hæc impreſsio rationis & ordinis, quę in intẽtione apparet, non conuenit voluntati ſecundum ſe, ſed quatenus mouetur ab intellectu. Hoc probat D. Tho. optimè. Nam ita comparatũ eſt, quòd quãdo duo agentia ordinata cõcurrunt ad operandum, in ſecundo agente eſt duplex motus; vnus competit ei ſecundum ſuam naturam; alter verò ei conuenit quatenus mouetur à ſuperiori agente. Quod animaduertere licet in corporibus cœleſtibus, quæ præter motum ſibi connaturalem, mouentur ad motum primi mobilis. Idem patet in aqua maris, quæ præter motum naturalem ipſius aquæ, habet motum fluxus & refluxus à ſuperiori agente. Non aliter in noſtro propoſito, quòd voluntas afficiatur ad finem, vel eius poſſeſsione fruatur, eſt

Volũtas circa finẽ tripliciter ſe habet. D. Tho.

D. Tho.

voluntati

voluntati connaturale: quòd aptè,& appositè per media statuta tendat in finem, hoc conuenit voluntati, quatenus ab intellectu dirigitur. Itaque intentio est actus voluntatis ex directione intellectus proueniens. ¶Hic verò adnotat Dominus Caietanus, quòd media tantùm habent vnam considerationem, nimirum quòd destinantur ad finem. Finis verò propter suam perfectionem habet triplicem considerationem: si enim consideretur vt est amabilis propter se, consideratione huius est voluntas: si verò consideretur quatenus saturat appetitum nostrũ, respectu huius, fruitio est: verùm si consideretur tanquam terminus per statuta media conquirendus, respectu huius, intentio est. ¶Sed videtur quòd volitio finis, qua afficimur ad finem absolutè, non sit actus circa finem. & idem apparet de fruitione. Nam finis (autore Aristote. 2. Physi.) est illud, cuius gratia aliquid fit. Sed hæc causalitas finis non reperitur in voluntate finis quãdo amatur propter se; nec verò in fruitione. Ergo non sunt actus circa finem. ¶Respondetur, quòd finis habet duo; & quòd appetatur propter se; & quòd alia appetantur propter ipsum; & ratio finis perfecta vtrumque complectitur: nihilominus tamen vt dicatur actus circa finem, satis est quòd feratur in finem, quatenus est amabilis propter se. ¶Ex hoc soluitur vnum difficile argumẽtum, quo aliqui vtuntur ad probandum, quòd detur actus in volũtate, qui nec sit volitio finis, nec mediorum. Si enim Deus statuisset ab æterno nullam creaturam producere, tunc amaret suam bonitatem; non tanquam medium, vt per se notum est; nec tanquam finem: nam de ratione finis est quòd propter seipsum alia fiant, & amentur: in tali verò casu Deus nullam creaturã amat propter seipsum. ergo non amat bonitatem suam vt finem; datur ergo actus neuter. Respondetur, quòd in tali casu amat bonitatem suã vt finem, nam amat eam propter se, licèt actu non amet alia propter illam. De quare vide Caietanum suprà. q. 8.

Caieta.

Arguitur contra ea quæ dicuntur. Aristo.

Solutio.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ *Vtrùm intentio sit tantùm vltimi finis.*

SVMMA TEXTVS.

Concluſio. Concluſio est. Intẽtio, tametsi finis sit, non tamen semper est vltimi finis: nã finis vltimus humanarũ voluntatum est beatitudo. Intentiones autem hominũ sunt plures atque diuersæ; ex quo consequens est, quòd licèt intentio semper sit finis, non tamen oportet quòd semper sit vltimi finis, sed est etiam finis medij.

EXPLICATIO ARTICVLI.

IN hoc articulo D. Thom. solutione ad tertium constituit discrimẽ inter fruitionem, & intentionem: quòd fruitio est tantùm vltimi finis; intentio verò est finis, licèt non sit vltimus. Cæterùm quæstione præcedenti arti. 3. dixerat S. Thom. quòd fruimur fine, etiamsi vltimus non sit: ergo D. Thom. non sibi constat. Respondetur, discrimen esse inter fruitionem, & intentionem; quòd fruitio per se, & simpliciter, tantùm est de vltimo fine, quoniam in sola possessione vltimi finis animus noster quiescit, & saturatur: cæterùm intentio fertur in finem, quatenus terminus est; & quoniam terminus propriè & simpliciter est, licèt vltimus non sit, ideo intentio propriè est finis, licèt non sit vltimus. Hæc est doctrina S. Tho. & Caietani in hoc commentario.

Fruitionis & intentionis discrimẽ.

ARTIC. TERTIVS.

¶ *Vtrùm possit quis simul duo diuersa intendere.*

SVMMA TEXTVS.

Prior con. Oncluſio prior. Potest simul homo diuersa intendere, si tamen sint illa plura adinuicem subordinata; intentio enim non solùm est finis vltimi, sed etiam medij: simul autem intendit aliquis & finem proximum, & vltimum; vt confectionem medicinæ, & sanitatem.

Posterior. ¶Posterior Concluſio. Tametsi non sint adinuicem ordinata, potest homo plura intendere. quod patet: quia homo vnum alteri

præeligit,

præeligit, prout est conducens ad plura, & sic plura simul intendit. Certè quis potest ex studio literarum intendere simul scire, & ditari.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Dubium. IN hoc articulo est vna parua dubitatio, quomodo verum est secundum omnem philosophiam quòd intellectus simul non potest plura intelligere, voluntas verò potest simul plura intendere, vt hîc habet S. Thom. Respondetur in primis, nullam esse differentiam: nam etiam sicut quando intellectus intelligit plura, intelligit per modum vnius, sic similiter voluntas intendit, vt dicit S. Tho. ad secundum. Secúdò dico esse discrimen; nam intellectus cognoscit res, prò vt in ipso intellectu sunt; in ipso verò sunt per species vnitas & ordinatas: voluntas verò fertur in res, prout sunt à parte rei; & quamuis ordinentur ad vnum, nihilominus in se sunt diuersæ, & differentes.

ARTIC. QVARTVS.

¶ Vtrùm sit idem actus intentio finis, & electio mediorum.

SVMMA TEXTVS.

Prior con. CONcluſio prior. Si voluntas feratur in finem seorsum, & seorsum vult media, non eodem actu vult finem, & media; & sic duo erunt vel motus, vel actus, & non vnus. Hæc concluſio non probatur, nã de se manifesta est.

Posterior. ¶ Posterior Concluſio. Quando voluntas vult medium propter finem, eodem actu fertur in medium, & in finem: finis enim est ratio volendi id quod est ad finem; vt cùm dico, volo medicinam propter sanitatem, vnũ motum designo; nam idem motus cadit super obiectum, & super rationem obiecti; sicut vna est visio, qua videtur color & lumen, cùm lumen sit ratio videndi colorem.

EXPLICATIO ARTICVLI.

DE secunda cõcluſione articuli magna nascitur controuersia; num possimus eodem actu velle media, & finem; nisi hæc quæstio disputata fuisset diligenter & copiosè suprà q. 8. articulo 3. contra Gregor. Arimi. qui in vniuersum negat posse voluntatem nostram vno eodemque actu appetere finem, & media; quo in loco varijs argumentis comprobatũ est, voluntatem eodem actu & motu ferri in medium, & finem, vt de hac re nulli possit esse dubium. ¶ Sed ex hac definitione alia oritur dubitatio; num possit concedi quòd intentio, & electio sint idem actus voluntatis. Ratio propositæ dubitationis hæc est; quoniam D. Thom. in doctrina huius articuli planè docet, quòd idem actus est intentio finis, & volitio mediorum: sed volitio mediorum, electio est: ergo intentio & electio, idem actus sunt, & ad eundem motum spectant.

Vtrùm intẽtio & electio sint vnus actus voluntatis.

¶ Ad huius rei expositionem est prima concluſio. Intentio, & electio distinguuntur realiter, & secundum suam speciem: nam intentio in rebus agendis habet se sicut assensus primorum principiorum in scientijs, vt habet axioma omnium philosophorum: & electio habet se veluti assensus concluſionis. Sed assensus principiorum, & assensus concluſionis distinguuntur realiter. Ergo intentio, & electio realiter distinguuntur. Deinde, intentio est veluti descensus de fine ad media; electio verò est veluti ascensus de medijs ad finem. At ascensus, & descensus realiter distinguuntur. ergo idem iudicium est de intentione, & electione.

Prima cõc. Intentio & electio realiter distinguuntur.

¶ Secunda concluſio. Intentio, & electio non hac de causa discriminantur, quòd intentio est circa finem, electio verò circa media; nam vtraque voluntatis operatio versatur circa finem, vt dudum expositum est.

Secũda cõ.

¶ Tertia cõcluſio. Intẽtio, & electio hac de causa distinguũtur, quòd intẽtio primò fertur in finem, deinde in media: electio verò primò attingit mediũ, deinde finẽ. ¶ Quarta concluſio. Intẽtio, & electio sunt idẽ motus; differũt tamẽ realiter, sicut actio & passio. Patet hæc concluſio exẽplo iam adhibito de actione, & passione.

Tertia cõc.

Quarta cõ.

passione. Quemadmodum enim idem motus comparatus ad agẽtem, est actio, comparatus ad passum, vocatur passio: sic idẽ actus & motus voluntatis respectu mediorum vocatur electio, respectu finis appellabitur intentio. Sanè ea quæ speciem habent, & rationem per respectum ad aliud extrinsecum, possunt distingui specie per ordinem ad distinctos terminos, licèt reipsa ad eundem motum pertineant. Intensio enim, & remissio sunt idẽ motus numero, respectu albedinis & nigredinis: eodem enim motu remittitur nigredo, & intenditur albedo; & idem motus est accessio, & recessio respectu principij, & respectu finis: nam eodem motu accedimus ad terminũ, ad quem, & recedimus à termino, à quo.

Quinta cõ. ¶ Quinta conclusio. Quando quis vult medium propter finem, vt cùm quis vult potionem amaram sumere propter sanitatẽ, eodẽ actu fertur in medium, & finem. Hæc cõclusio superiùs demonstrata est cõtra Gregoriũ Ariminensem; secundum quem sensum potest concedi, quòd electio mediorũ est intentio finis, non quòd formaliter sit intentio finis, sed quoniam virtualiter includit intentionem finis; quemadmodum assensus conclusionis, virtualiter includit assensum principiorum, quanquàm formaliter non est assensus principiorum.

Alterũ dubium. ¶ Sequitur alia dubitatio de probatione S. Tho. an rectè procedat, & de exemplo adhibito ad conclusionis probationem. Dicit enim quòd quemadmodum visus vnica visione videt coloratum, & lucẽ, sic voluntas vnica appetitione appetit medium propter finẽ. Hoc exemplum non videtur verosimile, nec probabile: nam actiones distinguuntur ex obiectis, vt testatur omnis philosophia Aristotelea; sed lumen & coloratum sunt duo obiecta distincta. ergo vnica visione videri nequeũt. Sed hoc dubium facilem habet expositionẽ; quamuis enim coloratum & lux differant in genere naturæ, at non differunt in genere visibilis, & ideo vnica visione videntur. Vel dicito, quòd coloratum est id quod videtur, lux verò est veluti ratio videndi, propter quod eodem actu cognoscuntur: sicut vna est notitia qua assentimur conclusionibus propter principia, sic docet S. Tho. in solutione secundi argumenti. Vel dicat Theologus, quòd quamuis coloratum, & lumen differant inter sese, possunt videri vnica visione, sicut vnica visione videmus colorẽ Petri, & eius quãtitatem: & quod ampliùs est (quantum mea fert opinio) vnica visione videmus albũ & nigrũ, licèt videamus diuersis speciebus; nam est tantùm vnica aduertentia, & vnicus conatus potentiæ, & fortassis in ratione obiecti visus nõ differunt specie, album, & nigrum. Sed hoc est nimis exilia sectari.

ARTIC. QVINTVS.

¶ *Vtrùm intentio conueniat brutis animantibus.*

SVMMA TEXTVS.

PRior Conclusio. Si capitur intẽtio prout aliquid ad aliud mouetur, cùm animalia bruta mouean tur ab instinctu naturali in finem, hoc modo dicuntur intendere, sicut cætera quæ naturaliter mouẽtur: quo in sensu dici solet, quòd natura intendit finem, sicut sagitta tendit in scopum. Prior con.

¶ Posterior Conclusio. Bruta animalia non propriè intẽdunt, quia intentio importat ordinationem in aliquid tanquam in finem: est enim intentio ordinatio aliquorũ in finẽ: hæc autẽ ordinatio, rationis est, & intellectus: vnde brutis animantibus cõpetere nõ potest. Posterior.

EXPLICATIO ARTICVLI.

IN solutione secundi obseruandum est, quòd minùs competit intentio brutis animantibus, quàm fruitio: quia fruitio importat capere delectationem, vel voluptatem ex fine habito, quod aliquo modo brutis conuenit: ordinare verò vnum in aliud, nullo modo conuenit.

¶ Hucusque S. Tho. ex penetralibus philosophiæ moralis explicauit, quid sit intentio, & circa quod versetur, & in quibus locum habeat. Super hanc doctrinam, & super documẽta quæ hîc docuit diuinus doctor, ædificant Theologi varias quæstiones, quæ in diuina Theologia principem locum obtinent. In primis disputant, vtrùm bona intentio, ex mala electione inde subsecuta, vitietur; vt siquis intendat subuenire pauperi, & ad hoc eligat furari, quæstio est vtrùm illa intentio mala sit, & vituperationem mereatur? De intẽtione variæ mouentur quæstiones.

Deinde

Deinde disputant, vtrùm bona intentio imminuat malitiam prauæ electionis: exẽpli gratia, elegit quis furari ex voluntate subueniendi pauperis, est ne minus & leuius peccatum quàm furari ex voluntate furandi? Sed & illã quæstionem mouent; vtrùm quantitas bonitatis vel malitiæ, sequatur quantitatem malæ vel bonæ intentionis? vt si quis in bono opere tantum mereatur, quantum intendit mereri. Ad vltimum disputant; num ad bonam intentionem habendam sit necessaria fides diuina, & supernaturalis, quæ ostendat verum finem nostrorum operum: arbitrantur enim quidam, omnia opera infidelium esse peccata, quia non habent rectam intentionem vltimi finis, quem sola fides demonstrat. Vniuersas has quæstiones, quas solùm volui indicare ne quis existimet doctrinam huius quæstionis esse inutilem, edisserit S. Thom. copiosissimè infrà. q. 18. quo in loco pro virili eas enodabimus; nunc ad sequentem quæstionem progrediamur.

QVAESTIO XIII.

De electione, in sex articulos diuisa.

Introductio Quæstionis.

POstquam diuinus Doctor egit de actibus voluntatis, qui circa finem versantur, hîc aggreditur disputationem de actibus volũtatis, qui sunt circa media: de qua re tractat Arist. 3. Eth. c. 2. & 6. Eth. c. 2. Sed dubitari potest circa ordinem & methodum doctrinæ, quid est quòd S. Tho. priùs disputat de electione, quàm de consilio, cùm tamen consilium præcedat electionem? Certè D. Thom. admirabilem sequitur ordinem & methodum doctrinæ; nam priùs agẽdum est de rei quidditate, & definitione; deinde de causa illius extrinseca: consilium autem & deliberatio est causa electionis. Vel dicatur, quòd licèt consilium sit prius quàm electio, at consilium est propter electionem, tanquam propter causam finalem: non enim est electio propter consilium, sed contrà: & methodus doctrinæ expostulat, quòd priùs inuestigemus de fine, quàm de medio quod ordinatur ad finem.

Arist.

Ordo doctrinæ.

ARTIC. PRIMVS.

¶ *Vtrùm electio sit actus voluntatis, vel intellectus.*

SVMMA TEXTVS.

PRima Conclusio. Electio aliquid importat pertinens ad rationẽ, & aliquid pertinens ad voluntatem: vnde appetitus intellectiuus, vel intellectus appetitiuus dicitur ab Arist. 3. Eth.

Prima conclusio.

¶ Secunda Conclusio. In electione, id quod pertinet ad intellectũ, est veluti formale, & id quod pertinet ad volũtatem, est veluti materiale. Quod vt exponatur, sciendum est, quòd quando duo concurrunt ad vnum constituẽdum, vnum eorum est veluti formale respectu alterius: quare electio nec est consilium rationis tantùm, neque appetitus tantùm, sed vtrũq; simul. Considerandum est enim quòd actus animæ recipiunt formam, & speciem à superiori potentia, vel habitu, prout inferius à superiori ordinatur: vt actus fortitudinis, quem habet aliquis propter Deum, materialiter est fortitudinis, formaliter est charitatis. Patet autem quòd ratio voluntatẽ præcedit, & ordinat actũ

Secunda.

eius;

eius; quia voluntas tendit in suum obiectum à ratione præsentatũ secundum ordinem eius. Sic ergo actus quo voluntas tendit in id, quod vt bonum proponitur, in quantum est per rationem ordinatum in finem, materialiter est voluntatis, formaliter est rationis.

Tert. cõcl. ¶ Tertia Conclusio. Electio substantialiter est actus voluntatis; nam substantia actus materialiter se habet ad ordinem, qui imponitur à potentia superiori; & ideo electio substantialiter nõ est actus intellectus, sed voluntatis: perficitur enim electio in motu quodam ad bonum quod eligitur.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Quid sit electio, & cuius potẽtiæ actus. Aristot.

QVid sit electio, & ad quam animæ potentiã pertineat, breuiter explicãdum est. Certè Aristotel. sexto Ethicorum capitulo secundo, non apertè definiuit, an electio sit voluntatis, an ne potiùs intellectus, sed tantùm dicit, quòd est aut appetitus intellectiuus, aut intellectus appetitiuus; quo significare videtur, vtramq; potentiã ad electionem concurrere: cæterùm tertio Ethicorum capitulo secundo, planè definit quòd sit voluntatis.

¶ Pro cuius declaratione sciendum est, quòd electio est appetitus consultatiuus, hoc est, qui sequitur consilium & deliberationem intellectus. verbi gratia. intellectus ratiocinatur, & deliberat, num cum Turcis bellum sit gerendum, & varijs rationibus hinc inde adductis tandem concludit bellum esse indicendum. Id verò quod consilio & deliberatione est definitum, voluntas appetit, & desiderat. Appetitus hic qui sequitur consultationem, & mandat executioni id quod deliberatum est, appellatur electio. vnde verissimè docet Aristotel. quòd electio sit appetitus intellectiuus, aut intellectus appetitiuus, siquidem sequitur deliberationem & consultationem intellectus. Quod vt exactiùs intelligatur, aduertendum est, quòd nomine electionis duo possumus intelligere; in primis resolutionem, seu sententiam selectam, quam in consultatione de rebus dubijs intellectus excogitat, quæ in intellectu nihil aliud est, quàm iudicium quo definitur aliquid esse faciendum, vel non faciendum; quod impropriè vocari potest electio, vsurpando electionem vt significet determinationem intellectus, qua amplectitur vnam partem contradictionis, & eam præponit alteri. Deinde accipitur electio vt significet appetitionem, siue actum voluntatis, qui sequitur consultationem & deliberationem intellectus; & hæc est propria huius nominis significatio. Quapropter verissimè & certissimè electio est actus voluntatis; nam obiectum electionis est bonum, quod est vtile, & conferens ad finis consecutionem: id enim medium eligitur, quod deliberatum est esse vtile ad finem consequendum. Sed obiectum voluntatis est bonum, vt apertè constat. ergo electio est actus voluntatis. Deinde, virtutes morales potissimè collocantur in voluntate, vt iustitia, religio: sed de definitione virtutis moralis est, quòd sit habitus electiuus in medio consistens. ergo electio voluntatis est. Præterea, ex operibus intellectus non dicitur homo bonus vel malus; sed intelligens aut ignorans, verax aut fallax: at ex recta electione dicitur homo bonus, ex improba improbus. ergo pertinet ad voluntatem. Ad hæc experientia compertum est, multos homines rectè consultare, & dijudicare quid sit faciendum, quidve refutand m: at isti ex corruptione affectus malè eligunt. electio ergo ad appetitum pertinet, non ad intellectum. Certè fuga, & prosecutio, voluntatis sunt, vt constat ex omnium philosophorum sententia: sed electio est prosecutio boni. ergo voluntatis est, vel appetitus. Atqui electionem voluntatis esse, satis probatum existimo.

Not. ¶ Nihilosecius tamen quanquam electio sit voluntatis secundum substantiam suam, præcipuè verò & formaliter pertinet ad intellectum: nam electio sequitur, tanquam regulam & normam, deliberationem & definitionem intellectus; vbi enim non est consultatio & deliberatio inter multa, electio non est: & hoc est quod explicat Sanctus Thomas in articulo.

Obiectio. ¶ Sed contra hanc doctrinam sic arguitur. Nam omnis actus voluntatis sequitur iudicium intellectus; nihil enim est volitum, quin præcognitum: & hoc præcipuè inuenitur in intentione, sicut in superiori quæstione expositum est, de qua tamẽ absolutè definiuit D. Th. quòd sit actus voluntatis, tum formaliter, tum materialiter. electio ergo nihil peculiare habet præ alijs

actibus voluntatis, vt dicatur quòd formaliter pertineat ad intellectum. In ſumma vis argumenti hæc eſt. Si electio pertinet præcipuè ad intellectum, quia ſequitur deliberationem & iudicium intellectus, etiam omnis actus voluntatis pertinet præcipuè ad intellectum, ſiquidem ſequitur iudicium intellectus. Quid eſt ergo quod Sanctus Thomas ſequutus Ariſtotelem dicit hoc de electione, & non de alijs actibus appetitus?

Solutio. ¶ Certè electio habet hoc peculiare; nam electio requirit conſultationem & deliberationem inter multa, quæ ſi non adeſt, volitio erit, at electio non erit: itaque appetitio habet quòd ſit electio per ordinem ad intellectum. Vel dicito ex Capreolo in primo, diſtinctione prima, **Capr.** quæſtione ſecunda, ad argumenta contra tertiam concluſionem, quòd motus aquæ in locum inferum non tribuitur cœlo, licèt cœlum ad illum motum concurrat: quoniam aqua ſuapte natura fertur in locum inferum, motus verò fluxus & refluxus in mari, lunæ tribuitur; nam huiuſmodi motus competit aquæ ex inſtinctu ſuperioris naturæ; non aliter in noſtro propoſito quòd voluntas afficiatur ad finem, non tribuitur intellectui, quoniam voluntas ſuapte natura fertur in finem, & approbat illum: cæterùm in media non fertur naturaliter, ſed determinatur potiùs ad hæc, quàm ad illa, ex definitione & deliberatione intellectus; & ideo electio præcipuè pertinet ad intellectum. Sunt qui facilè propoſitam dubitationem expediant dicentes, Ariſtotelem tantùm docuiſſe, quòd electio pertinet ad intellectum, & ad voluntatem, quia vocabulum electio, ad intellectus deliberationem, & ad appetitus proſecutionem ſe ſe extendit: ſed propriè electio eſt volũtatis; itaque Ariſtoteles tantùm diſtinxit vocabuli variam ſignificationem, & poteſtatem; nunquam tamen dixit electionem præcipuè pertinere ad intellectum, quia ſequitur deliberationem intellectus.

Alia obiectio. Aureolus. ¶ Sed alio modo inſurgit Aureolus apud Capreolum in loco allegato, & probat quòd electio ex omni parte pertineat ad voluntatem, & nullo modo ad intellectum. Nam, inquit Aureolus, voluntas dirigit media in finem, ordinat media in finem, refert media in finem; ſiquidem voluntas vult media propter finem. ergo intellectus in electione nullas habet partes; nam ſi quas haberet, ordinaret, dirigeret, referret. Ad hoc dicendum, quòd voluntas eſt quæ vult medium propter finem, at hoc non eſt ordinare, nec dirigere media in finem: voluntas enim non ordinat, vt dicit San- **D. Thom.** ctus Thomas quæſtione præcedenti, articulo primo ad tertium, & de veritate, quæſtione vigeſima ſecunda, articulo decimotertio, ad quartum, docet quòd ordinatio actiua eſt in intellectu, paſsiua verò in voluntate, ſicut in rebus artificioſis: ſagittator enim eſt qui dirigit ſagittam, ſagitta verò dirigitur in ſcopum. Ex quo argumentum Aureoli facillimè confutatur.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ *Vtrùm electio conueniat brutis.*

SVMMA TEXTVS.

Concluſio. Concluſio eſt negans. Electio eñ eſt pręacceptio vnius, reſpectu alterius; eligere enim eſt vnum præ altero approbare: vnde electio in his quę determinata ſunt ad vnum, non habet locum. Sed appetitus ſenſitiuus brutorum eſt determinatus ſecundum ordinem naturæ ad vnum particulare, quo maximè diſcernitur à voluntate, quæ eſt determinata ad bonum vniuerſale, ſed indeterminatè ſe habet reſpectu bonorum ſingularium. Ergo electio eſt proprium opus voluntatis, non autem appetitus ſenſitiui: quare brutis non cõuenit, ſed apparet in eis quædam ſagacitas, in quantum habent ordinationem naturalem ad quoſdam ordinatiſsimos proceſſus, vtpote à ſumma arte ordinatos; non autem eſt in eis aliqua ratio, aut deliberatio. quod patet: quia omnia quæ ſunt eiuſdem naturæ, ſimiliter operantur, vt patet in auibus nidum ædificantibus.

EX-

EXPLICATIO ARTICVLI.

Arg. contra cõclusionẽ.

CONtra conclusionem huius articuli arguitur vehementissimè, ad probãdum, quòd bruta animalia habeant electionem. ¶ Primò, si equo proponantur duo pabula in æquali distantia, ita quòd omnia sint paria; equus comedit alterum illorum, at non determinatur potiùs ad vnum quàm ad alterum, nisi ex libera electione. ergo bruta habent electionem.

Primum.

Secundum.

¶ Deinde, canis propositis duobus cibis, vel simul à duobus vocatus, primò quasi nutabundus existit, deinde veluti facta deliberatione ad alterum se habet.

Confir.

¶ Idem confirmatur exemplo apertissimo, quod hic adducitur à Diuo Thoma solutione ad vltimum. Canis enim insequens ceruum, si ad triuium venerit, odoratu quidem explorat an ceruus primam vel secundam viam tenuerit; quòd si inuenerit non transisse, iam per tertiam viam securus incedit, vt explorando, quasi vtens syllogismo discursiuo, quo concludi posset ceruum per illam viam transisse, ex eo quòd non incedit per alias duas, cum non sint plures. ergo videtur quòd electio brutis animantibus conueniat.

Tertium.

¶ Tertiò, ratio quam adducit Sanctus Thomas in articulo, ad probandum, quòd bruta non eligunt; est prorsus inualida: dicit enim Diuus Thomas quòd voluntas non est determinata ad vnum, & ideo eligere potest: appetitus vero sensitiuus est determinatus ad vnum, & ideo eligere non potest. Hæc ratio nulla est; quando enim dicit quòd appetitus est determinatus ad vnum, vel intelligit quòd est determinatus ad vnum singulare, & indiuiduum, & hoc falsum est; nam ouis nunc carpit vnam herbam, nunc alteram; & brutum nunc appetit cibum, nunc potum: si verò intelligit determinatum ad vnum genere vel specie, videlicet ad bonum delectabile secundum sensum, verum dicit, sed tunc eius ratio imbecillior manifestè apparet; nam sub bono delectabili, continentur multa bona delectabilia, inter quæ potest esse electio: & sic ratio Diui Thomæ tantùm demonstrat, quòd electio voluntatis latiùs patet quàm electio appetitus sensitiui in brutis.

Vltimum.

Caiet.

¶ Vltimò, appetitus sensitiuus in homine sine consensu voluntatis, habet liberam electionem, quæ proinde potest esse subiectum peccati venialis, vt arbitratur Dominus Caietanus infrà quæstione septuagesimaquarta, articulo tertio & quarto. ergo appetitus sensitiuus in brutis potest habere electionem. Probatur consequẽtia. Nam appetitus sensitiuus bruti, & appetitus sensitiuus hominis non differunt, sed sunt eiusdem rationis, si secludas consensum voluntatis.

Expl. dubij Arist.

¶ Pro explicatione articuli sciendum est, quòd conclusio Diui Thomæ est Aristot. tertio Ethicorum, capitulo secundo, vbi dicit, quòd voluntarium latiùs patet quàm electio: voluntarium namque inuenitur in brutis, & in pueris; electio verò non inuenitur. Idem habet Gregorius Nis

Greg. Nis.

senus, quem adducit Sanctus Thomas in articulo. Idem demonstratur euidenti ratione: nam si bruta habent electionem, habent certè liberum arbitrium; ex quo consequens est, quòd virtutis & vitij, beatitudinis & supplicij essent capacia: quod aduersatur omni philosophiæ, & Theologiæ. Idem ostendit ratio Sancti Thomę in articulo. Pro cuius dilucidatione intelligendum est, quòd voluntas, & appetitus bruti, in duobus conueniunt; primò, quòd sicut voluntas non fertur nisi in bonum propositum per intellectum, ita appetitus sensitiuus bruti nunquã fertur nisi in bonum apprehensum per sensum: deinde vtraque potentia est in aliquid commune & indifferens ad plura; nam appetitus sensitiuus bruti potest appetere plura delectabilia secundum sensum, sicut oculus plures colores videre potest, cæterùm in exercitio, & in actu appetendi multis differunt modis. Prima differentia est, quòd voluntas in exercitio potest ferri in bonum in communi, nõ determinatum ad hoc vel ad illud: possumus enim desiderare esse felices, & prosperè nos habere, & odio habere genus latronum, non determinando ad hoc vel ad illud. Cæterùm appetitus sensitiuus bruti nõ potest ferri in bonum delectabile in communi, sed semper fertur in bonum delectabile determinatum, & singulare; sicut oculus non videt colorem in communi, sed semper hunc vel illum determinatè.

Obiectio.

¶ Sed contra hanc differentiam est vna obiectio: quando enim equus in absentia aquæ siti cruciatur, desiderat aquam, non istam, vel illam: ergo appetitus bruti fertur in aliquid in communi.

Solutio.

¶ Respodetur, quòd equus appetit aquam, quam proximè viderat, vel appetit aquam, quã existimat in propinquiori loco esse constitutã. Secunda differentia est, quòd voluntas proposito bono per intellectum, potest ferri & non ferri in illud; itaque habet libertatem contradictionis. Ratio huius duplex est; prima, quoniam intellectus potest inuenire aliquam rationem, & circunstantiam, propter quam conueniens sit non ferri in tale obiectum; & ratio est, quoniam ferri & non ferri in tale obiectum, continetur vtrumque sub obiecto voluntatis, & potest habere rationem boni, & ideo voluntas vtrumque

prosequi potest. Appetitus verò sensitiuus bruti, proposito aliquo bono per sensum, non potest non ferri in illud; & ideo ouis non potest non fugere lupum. & ratio huius est; quoniam æstimatiua bruti est determinata ad vnum; tum etiam, quia non ferri in propositum obiectum, non continetur sub obiecto appetitus sensitiui bruti, quod est tantùm bonum delectabile secundum sensum. Tertia differentia est, quòd voluntas propositis duobus bonis, per intellectum potest vnum eligere, & alterum refutare: itaque habet libertatem contrarietatis: appetitus verò bruti necessariò fertur in bonum delectabile, quod vel propinquius fuerit, vel quod sensus præsentauerit vt conuenientius. & sic explicandus est Diuus Thomas, quando docet appetitum sensitiuum in brutis esse determinatum ad vnum. His positis, ad argumẽta in principio designata satisfaciendum est.

Solut. arg. Ad primũ. ¶ Ad primum dicendum est, quòd secundum quorundam opinionem, equus in tali casu determinabitur ad vnum pabulum potiùs quàm ad aliud, ex constellatione cœlesti; sicut accidit cùm filum ex omni parte vniforme, frangitur potiùs ex vna parte quàm ex alia; hoc enim nisi in sydeream constellationem nullo modo referri potest. Sed isti errant toto cœlo; nam effectus particulares, in causas particulares sunt referendi, vt docet vniuersa Philosophia; & oppositum esset miraculum: quanquam ego non intelligo, quæ syderea constellatio inclinat vt filum frangatur potiùs vna ex parte quàm ex alia. Alij verò dicunt, quòd in casu disputationis equus ad nullum pabulum moueretur, & sic fame periret. & hanc rem incredibilem, faciunt argumentando probabilem. Nam brutum non agit liberè, sed merè naturaliter; & non est potior causa quare ad hoc pabulum moueatur, quàm ad aliud. ergo nunquam mouebitur, sed manebit in suspenso. Tum verò, quoniam si esset corpus ex æquo graue, & leue, neque ascenderet, nec descenderet: siquidem non est potior ratio quare determinetur ad ascensum, quàm ad descensum. Tum præterea, quoniam autore Aristotele quarto Physicorum, corpus in vacuo nunquam mouebitur; quoniam non est cur magis determinetur ad istam partem spatij, quàm ad alteram. Tum vltimò, quoniam hoc euidenti rerum experientia comprobatum est, vt dicitur in asino Buridani; & ego noui amentem hominem, qui propositis duobus pomis in æquali distantia, cruciabatur vt comederet, & non poterat, nisi ab alio applicaretur potiùs ad vnum, quàm ad alterum. Vt igitur argumentum enodetur, & confutetur, dicendum est, casum esse impossibilem ferè: fieri enim non potest quòd omnia omni ex parte sint æqualia, & paria: nam vel equus potiùs videbit vnum pabulum, quàm aliud; vel species meliùs trahentur ad potentiam ex vno obiecto, quàm ex alio; vel equus sese mouebit sic, vt pabula non maneant in eadem distantia, vel nequit fieri vt maneant in æquali distantia in indiuisibili, vel aliquid apparebit in vno obiecto, quod non in alio. Sic habet Diuus Thomas articulo sexto in solutione tertij. Vel dicito, quòd equus in tali casu appetet aggregatum ex illis duobus pabulis tanquam vnum obiectum, & ad illud mouebitur; quòd verò determinetur potiùs ad hoc pabulum, quàm ad illud, fortè fortuna accidit; sicuti quando comedit hordeum, nulla potest demonstrari ratio quare incipiat potiùs ab ista parte, quàm ab illa; quinimo homo quando comedit panem, non priùs definit aut deliberat quam partem priùs mordere debeat. Ex his facilè patet confutatio secundi argumenti.

Ad tertium ¶ Ad tertium iam dictum est quemadmodum debeat defendi probatio Diui Thomæ vt rectè procedat.

Ad vltimũ. ¶ Ad vltimum respondetur, quòd illa sententia Caietani est falsa, & improbabilis, prout in loco citato videbimus. Sed quanquàm Caietani sententia diceret verum, non est consequens quòd appetitus bruti habeat aliquam libertatem ad eligendum; nam appetitus sensitiuus ex coniunctione ad rationem habet quandam libertatem participatam, quam non habet in bruto; sicut cogitatiua in homine (ex sententia doctissimorum) ratiocinatur, & syllogismum constituit, quam vim non habet in brutis.

ARTIC. TERTIVS.

¶ Vtrùm electio sit finis, vel potiùs eorum quæ sunt ad finem.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Conclusio est. Electio est mediorum, & non finis: electio enim sequitur iudicium, vel sententiam, quo aliquid reputatur meliùs vel deterius

rius per comparationem ad finem; igitur electio eorum est quæ sunt ad finem. Ex quo sequitur, quòd vltimus finis humanæ vitæ sub electione non cadit. Sequitur rursus, quòd finis medius, vt medium quoddam est ad vlteriorem finem, cadit sub electione. Consulite literam Diui Thomæ, quæ optima est.

EXPLICATIO ARTICVLI.

QVòd de fine non sit electio, hæc ratiocinatio Aristotelæa demonstrat. Nam voluntas quidem in id, quod absolutè & simpliciter bonum est, aut certè cuique videtur, suapte natura fertur; neque ad hoc indiget consultatione, aut animi deliberatione: electio autem non est nisi præcedente quadam deliberatione. Vnde Aristotel. tertio Ethicorum definit electionem, quòd sit appetitio deliberatiua eorum quæ in nostra sunt potestate. Cùm igitur finis vltimus sit absolutè & simpliciter bonum, & omnibus modis desiderabile, de fine vltimo neque deliberatio, nec electio poterit esse.

Aristot.

¶ Sed vt rectiùs intelligatur quomodo de fine vltimo non sit electio, animaduertendum est, quòd de fine vltimo possumus loqui tribus modis; tum, vt vsurpetur vltimus finis in particulari; vt Deus, vel visio Dei dicitur in Theologia finis vltimus, & beatitudo nostra: atqui de hoc fine vltimo rectissimè potest esse deliberatio & consultatio, ac subinde electio. Sic enim scribitur Deuteronomij vigesimosexto. En Dominum elegisti hodie. Ratio huius est gemina; altera est, quoniam finis vltimus in particulari consideratur à nobis vt medium ad consequendam beatitudinem in communi consideratam: altera ratio est, quoniam nobis non constat euidenter, aperteque, num Dei visio sit noster finis vltimus, sed id reuelatione diuina nobis innotuit, & sic deliberamus & consultamus num his reuelationibus sit assentiendum: sed postquam finem vltimum habemus constitutum, de eo ampliùs non deliberamus. Si verò vltimus finis vsurpetur pro vltimo fine in communi, quem omnes desideramus, vt est beatitudo, beatum esse, sic nullo modo est electio vltimi finis; quia nullo modo hoc potest habere rationem medij. Verùm si accipiatur vltimus finis pro eo quę quisque habet, & amplecti tur pro vltimo fine, siue in communi, siue in particulari, de eo neque est deliberatio, neque consultatio, neque verò electio.

De fine vltimo triplicitèr loquicõ tingit.

Deut. 26.

¶ In solutione primi affirmat Sanctus Thomas vnam sententiam ex Aristotele sexto Ethicorum, quæ indiget accurata explicatione, & defensione, nempè quòd virtus facit rectam electionem quantum ad intentionem finis; sed tamen electionem mediorum prudentia exequitur. Ex quo videntur nonnulla dogmata sequi improbabilia. Vnum est, quòd virtus moralis sit perfectior ipsa prudentia; siquidem virtus moralis facit rectam intentionem finis: prudentia verò versatur circa media. Alterum est, quòd virtus moralis, verbi gratia, temperantia, aut iustitia, non facit immediatè rectam electionem; & sic perperam definitur quòd sit habitus electiuus in medio consistens. Tertium est, quòd virtus moralis præstituat finem prudentiæ, quæ ex præstituto fine medita tur media, cuius contrarium est verum. Nam potiùs prudentia præstituit finem omnibus virtutibus moralibus, & eis imperat, eas dirigit, & illuminat: quod vel ex definitione virtutis manifestè commonstratur, quæ sic habet; Virtus est habitus electiuus in medio consistens, prout vir prudens determinauerit. Sed de his commodè hoc in loco disputari non poterit: hæc enim disputatio habet locum infrà quæstione quinquagesimasexta, & quinquagesima octaua, vbi agitur de virtutibus.

Solutio ad primũ impugnatur.

ARTIC. QVARTVS.

¶ *Vtrùm electio sit tantùm eorum quæ per nos aguntur.*

SVMMA TEXTVS.

Conclusio.

CONclusio est affirmans. Probatio huius conclusionis apud Sanctum Thomam obscura est, cùm tamen alioqui res sit clarissima. Probo ita cõclusionem veram esse, tum autoritate Aristotel. tertio Ethicorum, quam hic adducit Diuus Thomas, tum euidenti argumentatione. Nam nemo, si mentis compos sit,

Arist.

eligit nisi ea, quæ in potestate eius sita sunt: nemo ergo eligit ea quæ per alios agenda sunt, & quæ in sua potestate non sint constituta. Volumus (inquit Aristotel. in loco citato) actorem quempiam, aut athletam in certamine superiorem esse, at non eligimus; nam electio tantùm est circa ea quæ in nostra sunt potestate.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Differt inter electionẽ & voluntatem.

IN gratiã huius articuli scire oportet ex Aristotele tertio Ethicorum capitulo secundo, quòd inter electionem & volũtatem tribus modis differt. In primis differunt inter sese, quòd voluntas est impossibilium, electio verò minimè: volumus enim non mori, quod fieri certè non potest; & non eligimus non mori. Insuper voluntas est eorum quæ per nos minimè fiũt; vt vult quis se regem esse, at non eligit: quia hoc in eius potestate constitutum non est. Ad hæc voluntas, finis ipsius est potiùs, electio verò eorum quæ ad finem referuntur. Radix verò prima vnde prædictæ differentiæ oriuntur, hæc est; quoniam electio sequitur deliberationem & consultationem intellectus: at de re impossibili nulla fit consultatio; nemo enim consultat quomodo non moriatur; neque de rebus quæ in nostra potestate sitæ non sunt: omnis enim talis consultatio vana esset, & inanis: neque verò de fine, sed tantummodo de rebus, & medijs quæ ducunt ad finem.

Obiectio. ¶ Sed contra hanc doctrinam est vna obiectio perfacilis, quam hic dissoluit Diuus Thomas in solutione tertij. Nam eliguntur homines ad aliqua officia, vel secularia, vel ecclesiastica, ab his, qui nihil circa illos agunt. ergo electio non solùm est de his quæ à nobis aguntur.

Solutio. ¶ Cui obiectioni sic satisfacit Diuus Thomas vt dicat, quòd is qui eligit aliquem in Episcopum, vel Principem, eligit nominare ipsum in talem dignitatem, alioqui si nulla esset eius actio ad constitutionem Episcopi vel Principis, non competeret ei electio. Neque ex hoc inferat Theologus, quòd electores non eligant, sed nominant eligendum; neque enim hæc est sententia Diui Thomæ, sed dicit, quòd electio, quę est actus interior voluntatis in eiusmodi electionibus, est electio nominationis talis personæ; quia electio est eorum quæ sunt in potestate eligentis; cum ergo elector dicit, eligo talem, subintelligitur ius dare, vel nominare, vel aliquid simile quod est in potestate eligentis.

ARTIC. QVINTVS.

¶ Vtrùm electio sit tantùm possibilium.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. CONclusio est affirmatiua. Nam electio est eorum quæ per nos agun tur, & in nostra potestate sunt constituta, vt superiori articulo est demonstratum. ergo electio non est impossibilium. Quod etiam ex ratione eligendi patet: est enim electio mediorum vt consequamur finem, vel vt nos ducant in finem: per id autem quod est impossibile, non possumus consequi finem. ergo electio non est impossibilium. Quod & alia ratione ostenditur. Nam dum homines consultando perueniũt ad id quod est impossibile, quasi vlteriùs procedere non valentes, discedunt. Vltimò hoc ipsum ostenditur: nam finis non est possibilis, nisi id quod est ad finem fuerit possibile: ad impossibile autem nullus mouetur; non enim aliquis tenderet in finem, nisi per hoc quod apparet id quod est ad finem esse possibile. Vnde impossibile sub electione non cadit.

EX-

EXPLICATIO ARTICVLI.

Arg contra cõclusionẽ Scot. Primum. Aristot.

Videtur certè quòd electio sit impossibilium, vt existimat Scotus in secundo, distinctione sexta, quæstione prima. ¶ Nam voluntas est impossibilium, vt clarè docet Aristot. tertio Ethicorum, capitulo secundo. ergo etiam electio. Neque satisfacit solutio Diui Thomæ, quòd voluntas, quæ est impossibilium, est inefficax, & conditionata, quæ explicatur his verbis, vellem non mori si esset possibile; non inquam hæc solutio expedit rei difficultatem; nam obiectum voluntatis est finis & bonum, vt superiùs in locis minimè paucis ostensum est. Ergo si voluntas fertur in rem impossibilem, etiam per actũ conditionatum fertur in bonum & finem.

Confir. ¶ Hoc ipsum confirmatur. Nam in omni appetitione voluntatis, includitur appetitio vltimi finis: ex quo consequens est, quòd actus voluntatis, qui est circa rem impossibilem, sit appetitio medij, vel finis.

Secundum. ¶ Secundò sic arguitur. Damnati oderunt Deum, & volunt Deum non esse; quod est impossibile, vellentque Deum de regno deijcere: at prædictus actus est electio de liberata; cuius inditiũ manifestarium est, quòd est peccatum grauissimum.

Tertium. ¶ Deinde qui peccant mortaliter, vtũtur Deo, & fruuntur re creata, in qua constituunt suum vltimum finem, vt docet Augustinus libro 83. quæstionum. At impossibile est quòd creatura sit vltimus finis, aut quòd Deus sit medium. Ergo eligimus rem impossibilem.

Quartum. ¶ Præterea qui dolet se peccasse, & habet pœnitudinem sui peccati, vult non peccasse, sed non est possibile; nam ad præteritum nulla est potentia. ergo electio est de re impossibili.

Quintum. ¶ Ad hæc rationalis anima dum est à corpore separata, appetit vniri corpori, vt testatur omnis philosophia: sed hoc per naturam est impossibile, alioqui resurrectio mortuorum esset naturalis. ergo impossibilia cadunt sub electione.

Confir. ¶ Hoc ipsum confirmatur. Nam sententia est bonorum Theologorum, quòd est in animis nostris appetitio naturalis nobis insita videndi Deum: at videre Deum per facultatem naturæ, est de his quæ fieri nequeunt. Iam verò angelus appetiuit Dei æqualitatem, quod patet ex

Sextum. Esa. 14. Ezech. 28. illo Esaiæ decimoquarto. Similis ero altissimo. & Ezech. vigesimo octauo. Eleuatum est cor tuum, & dixisti, Deus ego sum. Sed quòd creatura habeat Dei æqualitatem, est prorsus impossibile. ergo de impossibili electio esse poterit. Certè, quòd voluntas recte instituta non eligat id quod est impossibile, videtur rationi consentaneum: cæterum quòd voluntas inordinata & peruersa non eligat id quod est impossibile, profectò nunquam probatur.

Scot. ¶ Ad huius rei expositionem Scotus dicit in primis, quòd ex ignorantia sæpenumero eligimus id quod fieri non potest; nam aliquando ex errore arbitramur esse possibile, quod reuera est impossibile; sicut aliquando eligimus incommodum, & inconueniens, quod existimamus esse commodum, & conueniens; & in hoc verissimè dicit Scotus. Addit verò, quòd ex passione interdum eligimus id quod est impossibile; interdum namque eligimus pugnare cum homine, quem non possumus superare, & id quidem facimus passione perturbati: imò tenet, quòd impossibile & quod implicat contradictionem absque ignorantia, & passione, voluntas potest eligere, & amare amore amicitiæ, & amore concupiscentiæ. Patet in angelo, qui cùm esset omnium rerum peritissimus, & omni errore intellectus careret, appetiuit Dei æqualitatem, quod est de his rebus quæ fieri nequeunt. Quod si obijcias ex autoritate aliorum, & potissimè ex autoritate Aristotel. quòd electio est tantùm possibilium; Respondet Scotus, quòd loquitur de electione quæ sequitur consultationem, & deliberationem: nemo enim deliberat, aut consultat de re, cuius consecutionem iudicat esse impossibilem; talis enim electio non est impossibilium: sed bene electio quę sequitur apprehensionem perfectã, secluſa ignorantia, & passione. Hæc Scotus: cuius placitum non probatur cæteris Theologis.

Expositio.

¶ Vt ergo vera doctrina intelligatur, sit primũ assertum. Ex ignorantia potest quis appetere atque eligere id quod est impossibile, cùm tamen existimat esse possibile. Hæc conclusio probata fuit suprà in assertionibus Scoti, & asserit eam D. Thom. in solutione secundi.

Prim. cõcl. Potest quis ex ignorantia eligere impossibile, iudicatũ possibile.

¶ Secunda conclusio. Voluntas est de re impossibili ex quadam prę suppositione. Pro cuius rei intelligentia scire oportet, quòd impossibile est duplex; vnum simpliciter, & absolutè, & omnibus modis impossibile, & quod implicat in se euidentem contradictionẽ, vt Deum esse creaturam, angelum esse Deo æqualem: alterum est ex quadam præsuppositione, vt quòd Adam non fuerit, suppositò quòd fuerit; & quòd homo non peccauerit, postquam peccauit. Asserit ergo secunda conclusio, quòd voluntas est de re impossibili ex præsuppositione; & verissimum dicit. Nam qui recolit peccata priora, & habet istum actum, vellem non peccasse, rectam habet voluntatem, & qua optimam laudem promeretur. Rursus cùm quis videt patrem suum mortuum, & apud sese sic statuit, vellem patrem meum non esse mortuum, studiosè facit; at

Secũd. cõcl. Volũtas est de re impossibili ex suppositione.

hæc voluntas est rei impossibilis secundi generis; nam ad præteritum non est potentia.

Tert.cõcl. Voluntas cõditionata potest esse de re omni no impossibili.

¶ Tertia conclusio. Voluntas conditionata potest esse de re impossibili omnino, & quæ inuoluit in se euidentem contradictionem. Itaq; voluntas conditionata est impossibilium, etiam primi generis, ad habendum aliquod bonum quod possibile est, ad quod illud impossibile existimatur cõueniens. verbi gratia. damnatus in inferno desiderat ab æterno supplicio liberari, & scit euidenter quòd non potest ab eo eripi, quamdiu Deus fuerit; desiderat Deum non esse, si esset possibile, vt ab illis tormentis liberaretur. Rursus homo impius in hac vita constitutus, desiderat non esse diuinas leges, si possibile esset, vt creaturis perfruatur. Sed est intelligendum, quòd istæ volitiones, de quibus dictũ est, sunt volitiones imperfectæ, & conditionatæ; nam voluntas tenet medium inter intellectum, & rei executionem. Quando ergo voluntas non solum sequitur bonum apprehensum per intellectum, sed perficit, & executioni mandat, tunc perfecta voluntas est; sed quando non perficit, & executioni nõ mãdat, imperfecta est.

Quar.cõcl. Electio nõ potest esse de re impossibili.

¶ Quarta conclusio. Voluntas efficax & perfecta, cuiusmodi electio est, non potest esse de re impossibili: nam voluntas efficax (vt constat ex sententia omnium philosophorum) est illa, ad quam sequitur opus. Sed nemo operatur circa rem quam arbitratur esse impossibilem. Ergo electio non potest esse de re impossibili. Deinde, quando desperamus de alicuius rei assecutione, continuò ac deuenimus ad aliquod medium impossibile, desistimus à consultatione, & electione. Ergo electio, & consultatio de re impossibili non constat. Vltimò, obiectum nostræ voluntatis est bonum, & conueniens. Sed id quod est impossibile, nec est bonum, nec potest esse conueniens. ergo voluntas non potest illud desiderare. Confirmatur idem. Nam bonum appetimus vt possideamus, & habeamus; sed impossibile non potest haberi. ergo non potest desiderari. Sanè electio videtur esse vltima vis animæ, quę exequitur id quod ab anima decretũ est, estque veluti animæ manus, qua rem appetimus, & volumus, & velut apprehendimus; & ideo non potest esse rei impossibilis: nemo enim exequitur id quod est impossibile, neque manu apprehendit.

Obiectio.

¶ Sed dicet Theologus; istæ rationes etiam ostendunt voluntatem non posse ferri in rem impossibilem, etiam per actum conditionatum; siquidem est res impossibilis.

Solutio.

Respondetur, quòd eo modo quo voluntas fertur in rem impossibilem, sic iudicamus esse bonam, & conuenientem. verbi gratia. peccator qui dolet de peccato, non iudicat esse bonum non peccasse, sed iudicat quòd fuisset bonum non peccasse; & sic non habet istum actum, volo non peccasse, sed vellem non peccasse. Vel dicatur, quòd impossibile est bonum, si esset possibile, & sic habet volitionem conditionatam.

Quin.cõcl. Volitiones imperfectæ sunt operationes morales.

¶ Quinta conclusio. Istæ volitiones imperfectæ, de quibus dictum est, quanquam excludantur à ratione electionis, non tamẽ excludũtur à ratione operationis moralis, & liberę; nam sunt capaces meriti & demeriti, laudis & vituperij. Et patet in homine qui desiderat Deum non esse, & in homine qui dolet se peccasse. Ex dictis sequitur, quòd Scotus in duobus errauerit, primò in eo quòd dixit electionem esse impossibiliũ: deinde in eo quòd dicit angelum appetisse Dei æqualitatem sine iudicio conuenientis aut disconuenientis: nam voluntas (vt monstratum fuit quæst. 9. artic. 1.) non mouetur ex simplici rei apprehensione, sed requirit iudiciũ, quo iudicamus aliquid esse conueniens aut disconueniens. Ex dictis etiam soluuntur omnia argumenta quæ in principio quæstionis adducta sunt.

ARTIC. SEXTVS.

¶ Vtrũ homo ex necessitate eligat, vel liberè.

SVMMA TEXTVS.

Prim.cõcl.

PRima Conclusio. Homo non necessariò eligit, sed liberè.

Secũ.cõcl.

¶ Secunda Conclusio. Homo in electione mediorum habet necessitatem contradictionis, & contrarietatis.

Tert.cõcl.

¶ Tertia Conclusio. Bonum perfectum, quod est vndequaque bonum, vt beatitudo, cùm nihil in eo apprehendi possit sub ratione mali, aut defectus, ex necessitate homo vult; sed de hoc non est electio, cùm de fine non sit electio, sed de medijs ducentibus ad finẽ. Probationes istarum conclusionum apud S. Thomam sunt certissimæ. Nam in electione mediorum

rum potest voluntas velle & non velle, agere & non agere hoc aut illud. ergo non necessariò eligit, sed liberè. Antecedens probatur. Nam quidquid ratio potest apprehendere vt bonum, in hoc ipsum potest voluntas tendere; potest autem apprehendere bonum, nõ solùm hoc quod est velle, aut agere, sed etiam hoc quod est nõ velle, & non agere; & in omnibus particularibus bonis potest considerare rationem boni alicuius, & alicuius boni defectum, quod habet aliquam rationem mali; & sic potest vnumquodque huiusmodi bonorum particularium apprehendere vt eligibile, vel refutabile. Ex qua probatione liquidum fit, quemadmodum in electione mediorum voluntas habet libertatem contradictionis, quia potest velle & non velle; & libertatem contrarietatis, quia potest velle vnum, & refutare, & contrarium eligere. Ex eadẽ probatione etiam patere potest, quemadmodum circa beatitudinem voluntas habet libertatem contradictionis, quia potest velle & non velle; sed non contrarietatis; quia non potest velle beatitudinem, & refutare illam, neque potest miseriam amare, aut appetere.

EXPLICATIO ARTICVLI.

QVæstio huius articuli in magnas nos conijciebat difficultates ad defendẽdum liberum arbitrium, & liberam electionem humanæ voluntatis, sed quoniam has difficultates in commentarijs diuinę Theologię D. Thom. spargit, cùm agit de diuina præscientia, de immutabili proposito diuinæ voluntatis, de prædestinatione, de prouidentia, de libero arbitrio, de efficaci Dei motione, tantùm statui inuestigare duas quæstiones, quæ nostro proposito videntur accommodatissimæ. Illa est prior; Num quando voluntas vult efficaciter finem, ex necessitate eligat medium, quod iudicat per intellectum esse vnicum medium, & necessarium ad illum finem. Exempli gratia. Ægrotus vult efficaciter sanitatem, & iudicat per intellectum esse vnicum remedium, & necessarium sumere potionem; quæstio est vtrùm posita volitione talis finis cùm iudicio de medio necessario, an necessariò velit mediũ? Pri. quæst. Nũ volũtas necessariò velit mediũ omnino necessariũ, cũ vult finem.

¶ A parte negatiua sic arguitur. Nam ægrotus, qui efficaciter cupit sanitatem, & iudicat per intellectum, vnicum & necessarium medium esse abscisionem manus, aut pedis, refutat tale medium; nam (vt ille dixit) non est tanto dolore digna salus. ergo qui cupit efficaciter finem, non necessitatur vt eligat medium, quod iudicat per intellectum esse necessarium. Argum. Primum.

¶ Deinde si volũtas necessitatur in electione medij, quod est iudicatum esse necessarium, certè talis necessitas prouenit ex electione finis. Sed voluntas non necessitatur ex fine, siquidem liberè vult finem. ergo non necessitatur ex medio. Secundum.

¶ Præterea voluntas dum hîc viuimus, non necessitatur quantum ad exercitium, vt superiùs satis demonstratum existimo. ergo voluntas efficaciter volens finem, non necessitatur vt medium eligat. Tertium.

¶ Ad hæc in omnibus bonis particularibus (excipio illud summum bonum, in quo nulla ratio mali, aut defectus apparere potest) valet certè intellectus noster apprehendere aliquam rationem mali, aut defectus, ratione cuius non necessitatur vt velit illud. At medium non est summum bonum, sed imperfectum. Ergo nunquam necessitatur voluntas ad medij electionem. Quartum.

Hac probatione vtitur D. Thom. ad ostẽdendum, quòd electio humanæ voluntatis libera sit: quæ si efficaciter probat, profectò probat quòd voluntas nunquam in electione medij necessitatur. D. Thom.

Vltimò, vnusquisque appetit beatitudinem in communi, seriò & efficaciter, & iudicat per intellectum, medium necessariũ ad beatitudinis consecutionem esse seruare diuina mãdata; sed non seruat. Ergo nõ omnis qui efficaciter vult finem aliquem, necessariò eligit mediũ iudicatum per intellectum esse necessarium. Vltimum.

¶ Hisce argumentis viri quidam doctissimi cõuicti tenent partem negatiuam quæstionis, & vt pugnacissimè eam tueantur, efficacioribus argumentis eam confirmant. Alia arg. in eandẽ sentẽtiam. Primum.

¶ Nam dicunt, qui efficaciter vult beatitudinem, & Deo Opt. Max. seruire cum iudicio intellectus, quòd seruare diuina mandata est medium necessarium ad beati-

titudinem consequendam, iuxta illud; Si vis ad vitam ingredi, serua mandata; non necessariò eligit seruare diuina mandata; alioqui in hac electione, & in obseruatione mãdatorum Dei nullum esset meritum: necessarijs enim non meremur, aut demeremur, vt est antiquum proverbium. ¶ Hoc ipsum confirmatur. Nam actus exterior nullam addit bonitatem, aut malitiam super actum interiorem; hac sola de causa, quoniam actus exterior non habet nouã libertatem, sed sequitur necessariò ad imperium actus interioris. Igitur si voluntas necessitatur in electione mediorum, & in hoc nullam habet libertatem, consequens est, vt in electione mediorum nullum sit meritum: quod quàm absurdum sit, nemo est qui non intelligat. ¶ Præterea constituamus duos seruos Dei, qui efficaciter & seriò proponunt Deo seruire, in quibus, quantum ad hoc, omnia sint æqualia, & vni illorum se offerat occasio moriendi pro Christo, in qua si vitam pro Christo nõ profunderet, peccaret mortaliter, tunc sanè sequitur (si vera est sententia quam subuertere conamur) quòd iste nihil mereatur coram Deo præ altero: nam iste iudicat esse medium necessariũ mori pro Christo; ergo necessariò eligit: ergo non meretur. ¶ Profectò videtur sequi euidentissimè, quod in electione mediorum, quæ iudicata sunt necessaria, nunquam sit meritum, sed tantùm inuolitione finis, quod apertè falsum est & erroneũ: nam meritum in vita Christiana præcipuè consistit in obseruatione mandatorum Dei; mandata verò non dantur de fine, sed de medijs. ¶ Iam verò si quis non vxoratus cupit sanitatẽ valde efficaciter, & dicant medici non esse aliud medium nisi accedere ad mulierem, sequitur quòd ille homo non peccet accedendo ad mulierem. Quod rectè sequatur, patet. Nam ille nõ peccat ex eo quòd sanitatem cupit; nec peccat ex eo quòd eligit accedere ad mulierem, siquidem necessitatur ad electionem medij, quod est iudicatum esse necessarium: ergo nullo modo peccat. Nec expẽditur satis argumenti vis si dicamus, quod requiritur vt iudicemus mediũ esse necessarium, & bonum, alioqui voluntas non poterit in illud ferri. Hæc solutio non explicat rei difficultatem; nam eadem ratione dicendum erit, quòd ægrotus cupit efficaciter sanitatem, licèt non velit sumere potionem amaram, quam iudicat per intellectum esse medium necessarium ad sanitatem consequendam: consimiliq́ue modo concedendum esse, quòd peccator vult efficaciter seruire Deo, quanquã non vult seruare eius mandata: nam hæc omnia reputant homines habere rationem incommodi & mali. ¶ Contrariam sententiam docet magna

Confir.

Secundum.

Tertium.

Quartum.

assẽueratione D. Thom. in 1. p. q. 82. artic. 2. & in hac p. q. 10. artic. 2. ad 3. & hic in solutione primi, & secundi; in his locis docet distinctè, quòd quando media habent necessariam connexionem cum fine, voluntas quæ efficaciter cupit finem, necessariò vult media quæ sunt necessaria ad illum finem. Eandem sententiam probant argumenta, pauca quidem numero, sed momento & pondere validissima. Nam volũtas efficax est ad quam sequitur opus, nisi sit impedimentum; sic enim definitur voluntas efficax. ergo si non apponis media necessaria ad finis consecutionem cùm possis, euidens est te non velle efficaciter finem. Deinde hæc argumentatio ex sententia omnium euidens & necessaria est; potes, & non facis. ergo non vis facere. Similiter hæc necessariò concludit; vis, & potes. ergo facies, si impedimentum non subsit. Ex quibus euidenter concluditur, quòd si vis audire missam efficaciter, & iudicas medium necessarium adire ecclesiam, necesse est adire ecclesiam; alioqui hęc duo repugnantia simul stabunt, quòd vis efficaciter audire missam, & possis, & non facias. Præterea cõstituamus disputationis causa, quòd homini valde diuiti occurrat pauper; si diues in tali euentu non elargiatur eleemosynam, conuincitur apertè non habere charitatem Dei, neq́ue proximi. Ita decernit D. Ioan. in 1. epistola c. 3. cùm dicit. Quomodo charitas Dei manet in illo? & rursus ibidem; Fratres non diligamus verbo, neq́ue lingua, sed opere, & veritate: in quibus verbis manifestè significatur, esse mendacem dilectionem, & minimè seriam, si media necessaria non adhibuerimus. Certè qui dicit se diligere Deum, & mandata eius non seruat, mendax est. Quod etiam confirmatur ex illo Ioan. 14. Qui diligit me, mandata mea seruabit. Propter quod omnes arbitrantur eos mentiri egregiè, quicunq́ue dicunt se velle seriò & efficaciter seruire Deo, & mandata eius non custodiũt. Iam verò qui agnoscit aliquam argumentationem esse necessariam, & assentitur præmissis, necesse est vt assentiatur conclusioni, vt docet Aristot. 1. posteriorum in principio. Ergo qui efficaciter vult finẽ, necessum est vt velit media quæ sunt iudicata esse necessaria ad finem. Consequentia argumenti probatur: nam sicut est necessaria connexio conclusionis cũ principijs, sic est necessaria cõnexio medij necessarij cũ fine. ¶ Ad huius quæstionis explicationem operæpretium erit explicare priùs, quid sit voluntas efficax, quid verò voluntas inefficax: quibus vocabulis in quæstione & proponenda, & explicanda vtuntur vniuersi Theologi. Certè voluntas finis, vel mediorum, quædam est absoluta & determinata, quædam verò conditionalis, & imperfe-

D. Thom. sententia.

Arg. efficacia.

Ioan. 3.

Ioan. 14.

Arist.

Quæst. expo

Volũtas absoluta & cõditionata.

perfecta. Prior solet explicari per hoc vocabulũ, volo; licèt aliquando vtamur hoc verbo, vt significet idem quod desidero, opto. Volũtas ergo absoluta & determinata est, quando sine cõditione expressa, vel subintellecta fertur in aliquod bonum, quod homo existimat esse possibile; vt volumus beatitudinem, volumus sanitatem. Voluntas verò conditionalis est, cui est annexa conditio expressa, vel subintellecta, si esset possibile, si non esset difficile; vt peccator nollet habere Deum inimicum quando peccat; & mercator nollet proijcere merces in mare, si esset possibile aliter saluare vitam, sed tamen absolutè & determinatè vult.

Volũtas efficax & ineffi cax.

¶ Ad hanc distinctionem volũtatis potest referri alia distinctio, qua vtuntur Theologi, dicentes, quòd volũtas quędam est efficax, quædam verò inefficax; sed tamen cùm explicant quando sit voluntas efficax, magnopere variant eorum sententiæ. Quidam dicunt tunc esse voluntatem efficacem, cùm est intensa, & vehemens: tunc verò inefficacem, quando est remissa, & non adeò concitata. Sed prædicti autores decipiuntur: nam accidit sæpenumero, quòd intensiùs volumus aliquid quod est impossibile, quàm multa quæ facimus voluntate efficaci: iuxta illud Apostoli; Ingemiscimus grauati, eò quòd nolumus expoliari, sed superuestiri: quæ quidem voluntas est inefficax, quæ explicatur his verbis; vellemus non expoliari, sed superuestiri: at est intensior voluntas, quàm voluntas qua quis efficaciter & seriò vult deambulare. Item actus charitatis, quàmlibet remissus sit & tenuis, est efficax & sufficiens ad seruanda diuini regis omnia mandata; at non est voluntas intensa, & vehemens. ergo voluntas efficax non est intensa voluntas. Alij definiunt illam esse voluntatem efficacem, qua posita, sequitur effectus. Sed neque hoc semper verum est: nam aliquando est voluntas efficax, & non sequitur effectus, veluti quis habet efficacem voluntatem moriendi pro Christo, sed non sequitur effectus; quia non se offert occasio moriendi pro Christo.

Mag. Soto.

Doctissimus pater Soto aiebat, quòd voluntas efficax est, quæ explicatur per verbum indicatiui modi, volo: voluntas inefficax est, quæ explicatur per verbum optatiui modi, vt vellem, nollem, & cętera huiusmodi, sed hoc potiùs est signum efficacis voluntatis, quàm eius definitio.

Propria sententia.

¶ Nobis videtur ita dicendum. Voluntas efficax est, quæ intendit, vel eligit facere aliquid quod existimatur possibile. Quare non est necessarium vt voluntas nostra dicatur efficax vt subsequatur effectus, sed satis est quòd subsequeretur effectus quòd est ex parte voluntatis determinatæ, nisi aliunde impediatur effectus, quemadmodum dicimus, quòd sacramenta nouæ legis sunt efficacia media ad conferendam gratiam, nihilosè ciùstamen aliquando ex parte suscipientium impeditur eorum effectus.

Prim. cõcl. Nullũ mediũ necessitat voluntatem absolutè.

¶ His explicatis est prima conclusio. Nullum medium, quàmlibet necessarium sit, necessitat volutatem necessitate absoluta: medium enim non mouet efficaciùs voluntatem quàm finis: Sed finis dum hic viuimus non necessitat voluntatem. ergo neque medium. Hanc conclusionem probant sufficienter argumenta, quæ pro parte negatiua quæstionis sunt adducta. Probat insuper, & quidem euidenter, ratiocinatio quã habet Diuus Thomas in articulo.

Secũ. cõcl. Quãdo nõ cognoscitur necessitas medij, illud nõ necessariò appetitur.

¶ Secunda conclusio. Quanquam medium sit necessarium ad finem, si non cognoscitur esse necessarium, potest quis efficaciter velle finem, absque eo quòd tale medium eligat. Ratio huius est, quoniam voluntas vt velit, requirit iudicium ex parte intellectus, nihil enim est volitũ, quin priùs sit cognitum. Deinde in rerum cognitione contingit sæpenumero quòd quis assentiatur principijs, & non assentiatur conclusioni, quando non scit quemadmodum conclusio ex illis principijs deducatur. poterit ergo accidere quòd quispiam velit finem, & non velit medium necessarium, quando non cognoscit illud.

Tert. cõcl. Volũtas aliquando necessitatur ad electionẽ medij.

¶ Tertia conclusio. Quando aliquis vult efficaciter finem, & iudicat aliquod medium esse necessarium ad finem, tunc necessitatur voluntas vt tale medium eligat, nihilominus liberè eligit. Prima pars huius propositionis efficaciter demonstrata est ex argumentis adductis pro parte affirmatiua quæstionis: secunda pars sufficiẽter probatur argumẽtis pro parte negatiua quęstionis; & patet euidentissimè. Nam hæc necessitas, si volo efficaciter finem, necesse est vt velim medium necessarium ad finem, est necessitas cõditionalis, qualis est ista, si curro, moueor; si disputo, loquor: talis autem necessitas non aufert libertatem. Rursus hoc idem demonstratur alio argumento: nam libertas humanæ voluntatis oritur ex eo quòd iudicium nostri intellectus non determinatur sic ad tale obiectum, quòd non possit oppositum iudicare, aut iudicare esse bonum à tali actu cessare: sed postquã voluntas nostra voluit efficaciter finem, adhuc est in facultate humanæ libertatis desistere à tali volitione, & apprehẽdere hoc sub ratione boni atque commodi. Poterit ergo agere & non agere, velle & non velle, tum finem, tũ media.

Obiectio.

¶ Sed si quis argumentetur in hunc modum; postquam voluntas vult efficaciter finem in sensu composito, necessum est vt velit medium, quod est iudicatum esse necessarium. ergo non

est

Solutio. est libera voluntas in sensu composito. Dicendū est, quòd vt sit vera libertas, sat fuerit quòd voluntas possit agere & non agere, eligere & non eligere in sensu diuiso: quamuis enim sit necessarium in sensu composito, quòd si disputo, loquor, at non necessariò loquor, quia non necessariò disputo: si enim necessariò disputarem, certè necessariò loquerer: ad eundem modum, si volo efficaciter sanitatem, necessum est vt velim medium necessarium ad sanitatem consequendam; sed quia non necessariò volo sanitatem, non necessariò volo mediū
Argu. solu. illud quod est iudicatum necessarium. His constitutis, argumenta proposita pro parte negatiua quæstionis sunt confutanda. ¶ Ad primum dicendum, ostendere euidenter, quòd medium non necesitat voluntatem necesitate absoluta, quod est verisimum: vel ostendit, quòd possumus velle finem voluntate inefficaci, absque eo quòd eligamus medium, quod etiam est certissimum, & à nobis comprobatum. Idem responsum adhibendum esse iudico ad alia quatuor argumenta, quæ post primum sequuntur. Sed & alia argumenta, quæ quidam doctores amplificāt, & maiora esse videtur, refutāda sunt.
Ad arg. secū do loco posita. ¶ Ad primum sunt qui dicant, quòd quando
Ad primum quis vult efficaciter finem, postmodum in electione mediorum nihil meretur, sed totum meritum præfuit in intentione efficaci quando voluntas voluit finem. Quorum sententia falsa est; tum, quoniam fraudat multa opera studiosa sua laude & merito; tum verò, quoniam dicere quòd in obseruatione mandatorum Dei, quę sunt media necessaria ad vitam æternam obtinendam, non sit meritum, periculosum dogma videtur: tum tertiò, quoniam non solùm meretur qui religionis gratia pergit in D. Iacobum, ex eo quòd voluntate efficaci vult peregrinari; verumetiam in omnibus laboribus quos subit in itinere conficiendo. Vnde ad argumentum dicendum est, quòd electio medij necessarij libera est, ac proinde meritoria: solùm enim est necessaria ex suppositione, & ex conditione, quæ necesitas non spoliat humanam electionem libertate: potest enim homo non cogitare de medio, & quando cogitauit, potest non velle finem. Doctissimus pater Victoria aiebat,
Victoria. quòd quamuis admitteretur in electione medij necessarij non esse nouum meritum, non inde esse consequens, quòd aliquid periret de merito; quia voluntas finis ex electione medij fit magis meritoria; vt volo subuenire pauperi, est meritorium vt quatuor, & delibero de medio, & iudico quod est necessarium tollere etiam mihi necessaria ad statum, & volo; iam voluntas subueniendi crescit in merito, & est vt octo. Sed hæc solutio quanquam acuta videtur, vera nō est, & ideo ad aliam est recurrendum, dicendūque est, quòd electio medij necessarij libera est, ac subinde meritoria est. ¶ Ad confirmationē argumenti dicendum est, esse notissimam differentiam inter actum exteriorem, & electionem medij necessarij. Nam actus exterior & interior in moralibus pro eodem reputantur, eò quòd habeant idē obiectū, & ideo habēt eandē laudē, & idem meritum. Deinde actus exterior in se liber non est, sed tantùm in ordine ad actum internum: electio verò medij necessarij libera est, & in potentia animæ libera, & à virtute libera producta. ¶ Ad secundum argumentum, qui dicunt, quòd in electione medij necessarij non est nouum meritum: dicunt subinde, quòd in tali euentu ille qui moritur pro Christo, nihil de nouo meretur, sed nihil perit de merito pro ut iam explicatum est. Sed nos qui decernimus electionem medij necessarij esse liberam, & meritoriam, nulla difficultate argumenti constringimur: dicimus enim quòd ille meretur tum in appetitione finis, tum in electione medij. Ad tertium idem responsum adhibendum est.

Ad confir.

Ad secundū & tertium.

¶ Ad quartum dicendum, quòd in tali casu tenetur homo cessare à voluntate finis absoluta & determinata, alioqui necessariò sequitur quòd vult fornicationem virtualiter, poterit tamen manere cum desiderio, & velleitate sanitatis, vt sic statuat, vellem sanitatem, sed si pollutione & fornicatione est obtinenda, malo mori: hoc enim est quod Dominus dicit; Qui amat patrē, aut matrem plus quàm me, non est me dignus, id est, qui ex inordinato amore parentum solli citatur, & mouetur ad aliquod peccatum committendum, non est me dignus. Atque hactenus de prima quæstione satis erat. ¶ Sed priusquam ab ea discedamus, oportet recolere ex superioribus vnum argumentū, quod facesit negotium contra ea quæ dicta sunt. Nam quisque
Obiectio. appetitu efficaci desiderat beatitudinem perfectam: sed ad habendam beatitudinem perfectā necessum est mori; nam hîc dum viuimus, non possumus habere beatitudinem perfectam. ergo vnusquisque appetit & desiderat mori, & id quidem appetitu efficaci, quod asserere falsissimum est. De hoc argumento satis dictum est, quæstio. 5. artic. 3. propter quod ad aliam quæstionem explicandam accedamus.

Ad quartū.

¶ Secunda quæstio est; Vtrùm si intellectus proponat voluntati duo bona ex omni parte æqualia, possit voluntas vnum eligere, & alterum refutare pro sua libertate? Quæstio est, quam edisserit D. Thom. in solutione tertij. A parte affirmante hæc sunt argumenta. ¶ In primis, obiectum voluntatis est bonum conueniens, iudica

Secū. quęst. Vtrū ex duobus bonis æqualiter, possit volū tas vnū eligere eorū. Prim. arg.

tum

tum tale: sed vtrumque est bonum conueniens propositum per intellectum. ergo potest voluntas eligere quod maluerit. ¶ Deinde, si intellectus proponat voluntati duo bona non æqualia, voluntas potest eligere minus bonum, refutato meliori; ergo potiori iure poterit voluntas ex duobus bonis æqualibus eligere quod maluerit. Antecedens huius argumenti sic ostenditur: tum, quoniam obiectum voluntatis est bonum, non magis bonum: ergo si illud minus bonum est obiectum voluntatis, potest voluntas in illud tendere: tum verò, quoniam si illud minus bonum proponeretur voluntati seorsum, voluntas posset illud appetere: quòd verò proponatur alteri comparatum, non tollit eius appetitionem: tum deinde, quoniam non semper eligimus meliora; neque verò ad id obligamur, imò sæpe numero iudicamus quòd non eligimus meliora, vt patet in pomis eligendis: & experientia compertum est nos frequentissimè dicere, nolo esse tam sanctus sicut ille: tum vltimò, quoniam Deus, in quo est perfectissima libertas ad eligendum, & infinita sapientia ad discernendum quod nam sit melius, & conuenientius, non semper eligit meliora: quando enim Deus voluit producere mundum ad suã bonitatem declarandam, ipse iudicabat se posse facere alios meliores, & pulchriores. ergo voluntas potest eligere id quod minus bonum est. Certè D. Thom. 1. p. q. 25. articu. 6. & 1. sententiarum d. 44. euidenter demonstrat, Deum posse meliora facere ijs quæ facit; idque ostendit ratio omnipotentiæ suæ, quæ in hoc potissimè cõsistit, vt quacunque re creata possit meliorem efficere. Ex his ergo colligitur, quòd voluntas ex duobus bonis propositis per intellectum, potest eligere minus bonum. Ex quibus necessariò consequitur, quòd ex duobus bonis ex omni parte æqualibus, possit eligere quod maluerit. ¶ Contrariam sententiam docet Conradus in commentarijs super istum articulum, & adducit in suum patrocinium D. Thom. in solutione tertij; vbi videtur asserere, quòd nisi consideretur aliqua præstantia vnius boni super alterũ, non potest voluntas vnum eligere: citatque Aristotelem dicentem, quòd electio semper est melioris boni. Præterea confirmat eandem opinionem argumentis non contemnendis. ¶ In primis, vt voluntas moueatur, necessum est vt ab intellectu determinetur: sed intellectus in casu nostræ disputationis non magis determinat voluntatem aduersum bonum quàm ad alterum. ergo nunquam mouebitur. Profectò si esset corpus æqualiter graue & leue, neque moueretur sursum, neq; deorsum; ad eundem modum cũ voluntas non habeat maiorem inclinationẽ ad vnum quàm ad alterum, nũquam sequetur motus. ¶ Præterea, si voluntas nulla proposita differẽtia ex parte obiectorum potest eligere vnũ, & refutare aliud, & determinare se potius aduersum quàm ad alterũ, nulla potest assignari ratio huius determinationis, nisi quia voluntas ita vult, & erit pro ratione voluntas. Ex quo sequitur quòd voluntas possit ferri in malũ sub ratione mali, hac sola ratione, quia vult. Quod rectè sequatur, patet: nã hæc sola causa, quia vult, sufficit ad mouendũ voluntatẽ, & est pro ratione voluntas. ¶ Deinde arguitur ex Arist. 3. eth. c. 5. vbi docet, quòd omnis peccãs, est ignorans: cuius ratio est (vt dicit D. Tho. ibidem lectione tertia) quia eligit minus bonum, reiecto & refutato eo quod melius est. Ergo si propositis duobus bonis ex parte intellectus, & omnibus rectè consideratis potest voluntas eligere id quod minus bonum est, sequitur quòd possit esse peccatum in voluntate, nullo errore existente ex parte intellectus: quod est alienum ab Arist. doctrina, & omnium Theologorũ. ¶ Ad huius rei expositionem sic ego decerno. In primis, in rebus agẽdis, & in materia morali ferè impossibile est, quòd intellectus proponat volũtati duo bona ex omni parte æqualia: nam ferè semper in vno inuenitur aliqua circunstantia, ratione cuius præmineat, & præeligatur, videlicet quia est minus laboriosum, magis paratum: & ideo in moralibus regula est, quòd electio est de meliori bono. Quæ regula vt meliùs intelligatur, scire oportet, quòd quando voluntas ex multis sibi æqualiter bonis, siue inæqualibus, eligit vnum, necessum est vt intellectus iudicet practicè præstantiã illius boni quod eligit super alterum: sed vt intellectus dicatur iudicare practicè aliquam cõditionem in vno obiecto, quã non iudicat in altero, non oportet quòd habeat hoc iudiciũ cõparatiuum; iudico hoc primum esse melius altero, sed satis est quòd precedente iudicio, quo iudicantur illa esse bona, & æqualia, postea intellectus cesset à consideratione bonitatis vnius, & in alio consideret bonitatem & conuenientiã; & hoc videtur asserere D. Tho. in solutione tertij. Quòd si aliquis percontetur, vnde proueniat quòd intellectus cesset à cõsiderationevnius, & non alterius? dicendũ est, aliquando hoc proue nire ex parte rei, quia est propinquior, vel facilior; aliquando ex libertate voluntatis, quæ mouet intellectũ ad exercitium circa vnũ obiectũ, & non circa aliud. Itaque sæpenumero voluntas eligit id, quod perus iudicat esse iudicio quodam speculatiuo; sed iudicio practico, ferè semper eligit id, quod iudicat esse melius, & conuenientius secundum omnes circunstantias. Illud etiam addendum est pro explicatione difficultatis,

Secundum.

Secundum.

Tertium. Aristot. D. Thom.

Autoris sententia.

D. Thom.

Oppositasententia. Conra.

Primũ arg.

tatis,

tis, quòd voluntas indiget ope intellectus vt determinetur ad eligendum; sed hoc opus intellectus non est iudicium (in quo maximè quidam falluntur) sed imperium efficax, de quo edisserit Diuus Thomas quæstione decimaseptima. Si igitur intellectus proponat voluntati duo æqualia bona, & imperium intellectus sit æquale, sic vt non propendat magis in vnam partem, quàm in aliam, nunquam mouebitur voluntas. Et hæc est sententia Diui Thomæ in solutione tertij, loquitur enim de iudicio intellectus cum imperio efficaci ipsius intellectus. Propositæ dubitationis ex his sequitur explicatio. Nam si intellectus proponat voluntati duo æqualia bona, & imperium intellectus sit inæquale, potest voluntas vnum eligere, & alterum refutare; nam iam habet imperium intellectus, à quo determinatur potiùs ad vnum quàm ad alterum. Imperium hoc explicatur his verbis; fac hoc, scribe, ingredere religionem, & similia: & non est iudicium quo iudicamus aliquid esse bonum, aut conueniens. Ex his (si rectè expendantur) soluuntur omnia argumenta pro parte negatiua proposita. Nam ad Diuum Thomam & Aristot. iam satis dictum est.

Més D.Th.

Ad arg. pro parte negatiua.

Ad primum ¶ Ad primum argumentum dicendum est, quòd intellectus in casu nostrę disputationis determinat voluntatem potiùs ad vnum bonum, quàm ad alterum; non quidem per iudicium de bonitate rei, sed per imperium efficax, de quo suprà dictum est.

Ad secundũ ¶ Ad secundum argumentum neganda est cõsequentia: nam quando ex duobus bonis æqualibus eligit vnum, quia vult, fertur in suum obiectum, quod est bonum, circa quod potest experiri suam libertatem: malum verò sub ratione mali, non est obiectum nostræ voluntatis, & ideo similitudo non consistit.

Ad tertium ¶ Ad tertium argumentum dictum est, quòd qui eligit minus bonum, refutato meliori, errat, & est ignorans, non quidem iudicando; nam verè iudicat esse minus bonum quod eligit, sed in imperio practico, quo iudicat, & decernit hîc, & nunc hoc esse eligendum. Sed iam tempus est vt ad aliam quæstionem progrediamur.

QVAESTIO XIIII.

De consilio quod præcedit electionem, in sex articulos diuisa.

ARTIC. PRIMVS.

¶ *Vtrùm consilium sit inquisitio.*

SVMMA TEXTVS.

Concluſio. Concluſio est affirmãs. Nam in rebus agendis multa incertitudo inuenitur, quia actiones sunt circa contingentia singularia: sed in rebus dubijs & incertis ratio non profert iudiciũ sine prę-cedente inquisitione, & ideo ante iudicium de eligendis, necessaria est inquisitio rationis, quæ consilium vocatur.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Circa hunc articulum, & circa totã quæstionem sunt parua dubia. Sed in primis quæritur, quid sit consilium, an sit inquisitio, an potiùs sententia, de re dubia & incerta, prolata & definita. Sanè consilium est deliberatio, & consultatio de medijs accommodis ad aliquem finem: diciturq; consilium, quasi consediũ, eò quòd plures debeant conuenire, & consedere ad rationes expẽdendas, & rem determinandã, & definiendã. Itaq; consiliũ est deliberatio, & inquisitio; sicut cõsultare est deliberare & inquirere. Sed quãquã hæc vox in prima significatione significat deliberationem, & inquisitionẽ, & cõsultationem, verùm in vsu frequentissimo vsurpatur pro sententia, & determinatione. Vnde Cicero lib. 1. de inuentione, ca. de confirmatione, definit consilium ad hunc modum; est alicuius rei faciendæ vel non faciendæ excogitata ratio. Certè consiliũ, quod datur inquirenti, vel dubitanti, non est inquisitio; vt cum dicimus, consulo tibi; sed sententia, & determinatio: quo in sensu diuinę literæ tribuunt Deo consiliũ. ad Eph. 1. Qui operatur omnia secundum consiliũ voluntatis suæ: in eodem sensu loquitur Paul. cùm dicit 1. Cor. 7. De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do. ¶ Sed vt de vocis significatione consulamus Ciceronem linguæ Latinæ parentem, scire oportet, quòd consilium Ciceroni vox est variæ & multiplicis significationis: significat enim deliberationẽ, cogitationem, animaduersionem, rationem, sentẽtiam, collegium: quarum rerum exempla plura possem in medium producere, sed satiùs erit ad res maiores explicandas nos conuertere: nunc satis

Quid sit cõsilium?

Cicero.

Epheſ. 1.

1. Cor. 7.

Consiliũ varia significat.

satis est admonuisse, quòd Cicero vtatur hac voce, consilium, pro inquisitione, & deliberatione.

Vtrũ consiliũ tantum hominibus competat.

¶ Sed dubitatur, num consilium, pro deliberatione, & inquisitione, competat tantùm hominibus? Fortasis competit etiam angelis, circa supernaturalia, & futura; sed non eo modo quo hominibus, in quibus omnia ferè sunt incerta, dubiaq;. Item fortasis competit angelis deliberatio, & inquisitio de rebus agendis: nam quanquam de rebus, quæ scientiarum cognitione cõprehenduntur, non habeant discursum, nec inquisitionem; omnia enim comprehenduntvnico intuitu sine ratiocinatione, aut discursu; at de rebus agendis fortasis per prudentiæ virtutem deliberant, quod hic, & nunc sit agendum; nam eorum intellectus ad hæc non est determinatus. quare nunc hoc eligunt, nunc illud. Sed hæc quæstio præsupponit alteram; num angeli circa supernaturalia, aut circa futura contingentia, aut verò circa res agendas discurrant, quæ in prima parte explicanda est, & elucidanda.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ *Vtrùm consilium sit de fine, vel de his quæ sunt ad finem.*

SVMMA TEXTVS.

Conclusio.

Oncluſio ſic habet. Conſilium non eſt de fine, ſed de his quæ ſunt ad finem: finis enim in rebus agendis habet rationem principij, quod ſub queſtionem non cadit. Sed in omni inquiſitione principium præſupponitur. ergo de fine nõ eſt conſiliũ, neq; deliberatio. Contingit tamẽ quòd id, quod eſt finis reſpectu quorundam, ordinetur ad alium finem; vt quod eſt principiũ vnius demonſtrationis, ſit concluſio alterius: vnde quod accipitur vt finis in vna inquiſitione, poteſt accipi vt mediũ in alia inquiſitione, & ſic de eo erit conſilium. v. g. ſanitas, quæ non cadit ſub conſultatione medici, poteſt cadere ſub cõſultatione viri probi: poteſt enim vir probus conſultare, num expediat perdere ſanitatem corporalem, vt ſaluti animæ conſulat.

EXPLICATIO ARTICVLI.

IN hoc articulo aggreditur D. Th. ad diſputandũ de obiecto cõſilij, & definit apertè, quòd obiectum, de quo capitur conſiliũ, non eſt finis, ſed medium quod conducit ad finem. Contra quam ſententiam (vt nihil intactum relinquatur) ſic arguitur. ¶ Nam de omnibus quę dubitationẽ habent, poteſt fieri inquiſitio, & deliberatio. Sed contingit de fine humanæ vitę eſſe magnã dubitationem. ergo de fine vltimo humanę vitę poteſt eſſe conſiliũ. ¶ Deinde, de omni operatione humana oportet vt ſit deliberatio, ne fiat quando nõ oportet, & ſicut nõ oportet. Certè de omni operatione humana deliberat vir prudens, vt fiat quando oportet, & ſicuti oportet, ſecundũ omnes circunſtantias. At appetitio vltimi finis, & beatitudinis noſtræ, eſt operatio humana. ergo de ea poteſt eſſe deliberatio & capi conſiliũ. ¶ Ad hæc argumẽta breuiſsima reſpõſione ſatisfacit D. Tho. in ſolutione primi dicens, quòd id, quod accipitur vt finis, eſt iã determinatũ & fixum; vnde quãdiu habetur vt dubiũ, non habetur vt finis, & ideo ſi de eo conſilium capitur, nõ erit cõſilium de fine, ſed de eo quod eſt ad finẽ: de appetitione verò beatitudinis certè nemo dubitat, aut deliberat, num beatitudo ſit appetenda, ſed deliberat vir prudens quando debeat habere talem appetitionem, & in ea ſe exercere; & ſic conſultatio non eſt de fine, ſed de eo quod eſt ad finem.

Arg. contra cõcluſionẽ. Primum.

Secundum.

Solutionem.

ARTIC. TERTIVS.

¶ *Vtrùm conſilium ſit de his quæ à nobis aguntur.*

SVMMA TEXTVS.

Concluſio.

Oncluſio eſt affirmans; quã probat D. Tho. in primis autoritate Greg. Niſſeni, dicentis, conſiliamur de his quæ fiunt in nobis, & per nos fieri poſſunt. Deinde probat: nam conſilium collationem inter plures habitam deſignat, quaſi ad conferendũ multi ſedeãt: in particularibus enim cõtingẽtibus aliquid occurrit vni quod nõ cõſiderat alter propter varias conditiones circunſtã

tes;

tes; quare plures rem certiùs perci piunt: quod nõ accidit in neceſſarijs, & in vniuerſalibus, in quibus vnus per ſe ſufficere poteſt, propter ſimpliciorem, & abſolutiorem cognitionem. Vnde propriè conſilium eſt circa ea quæ à nobis aguntur, & in poteſtate noſtra ſunt.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Nũ cõſiliũ poſsit eſſe de impoſsibilibus. Ariſt.

QVæritur in hoc articulo, num poſsit aliquis cõſultare de impoſsibilibus. Huic quæſtioni reſpondet Ariſto. 3. Ethic. c. 3. quo in loco percontatur, vtrùm ſit conſultatio de quolibet; & dicit, quòd non dicitur conſultabile, de quo aut inſipiens, aut mente captus conſultat: conſultamus autem de rebus agendis, quæ in noſtra ſunt poteſtate. vnde conſilium non verſatur circa rem impoſsibilem: continuò enim atq; deuenimus ad rem impoſsibilem, ceſſat omnis conſultatio, & vltrà non progreditur. Vnde etiam eſt quòd nõ conſultamus de rebus præteritis; nam ad præteritum non eſt potentia: nemo enim cõſultat vtrũ Troia ſit expugnanda: hoc enim ſolo priuatur Deus (vt dicit Agathon) vt id quod factum ſit, non ſit factum. Sed nunquid conſultamus de rebus amicorum? Ariſtoteles enim videtur dicere, quòd non dicimur eligere, niſi ea quę ad nos ſpectant: electio verò & deliberatio in eodem verſantur. Sed idem Ariſt. 3. Ethi. c. 3. docet huius dubitationis ſolutionem: dicit enim, quod per amicos facimus, per nos facere videmur; & bonum amicorum, vt bonum noſtrum exiſtimatur. ¶ Sed adhuc ſupereſt parua dubitatio, nũ conſilium & deliberatio ſit tantùm de bono vtili; itaq; non ſit conſultatio de bono honeſto, de virtutibus, de honore. Certè Ariſt. in Rhetoricis videtur aſſerere quòd conſilium ſit de bono vtili; & ratio idem perſuadet: nam conſilium eſt de medio quod ducit ad finem; medium verò inter bona vtilia cõmemoratur. In contrariũ eſt, quòd de virtutibus ſæpe deliberamus & conſultamus. Sed hæc dubitatio breuem meretur reſponſionem: dicat itaq; Theologus, quòd conſultatio propriè eſt de medijs ducentibus ad finem, ac ſubinde propriè eſt de bono vtili, quod confert ad finis conſecutionem: propter quod quando de virtutibus deliberamus, deliberatio eſt de eis, ſicuti de medijs maximè conſentaneis ad beatitudinem conſequendam, & ſic habent rationem medij vtilis: quando verò in laudibus virtutum verſamur, quod pertinet ad genus demonſtratiuum, tũ de virtutibus inueſtigamus, & earũ laudem, & meritum demonſtramus. Itaque tractare de virtutibus, contingit in genere deliberatiuo, & in genere demonſtratiuo: cùm deliberamus de medijs ad finem conſentaneis, fit deliberatio; cùm laudes virtutum demonſtramus, de eis differimus, non vt ſunt bona vtilia, ſed vt ſunt optima, & præclariſsima bona.

Agathonis ſententia. Ariſtot.

Ariſtot.

Vtrũ ſit cõſiliũ de bono honeſto Ariſt.

Solutio.

ARTIC. QVARTVS.

¶ Vtrùm conſilium ſit de omnibus quæ aguntur à nobis.

SVMMA TEXTVS.

Concluſio.

ONcluſio eſt. De his quę determinata ſunt quomodo fiant, ſiue per artem, ſiue per naturam, non conſultamus, neq; de rebus parui momẽti; nam conſilium & inquiſitio eſt de his, quæ in dubium veniunt: in rebus verò agendis contingit ex duobus aliquid non eſſe dubitabile, vt ſi quid parùm referat ſic vel alio modo fieri; & de hoc non capitur conſilium, quaſi parùm aut nihil adiuuans ad finem conſequẽdum. Aliud eſt quando per determinatas vias, proceditur ad determinatos fines, ſicut in artibus contingit, quæ vias certas habent operandi; vt ſcriptor non conſiliatur quomodo debeat literas trahere, cum per artem ſcribendi determinatus ſit modus.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Obiectio.

COntra concluſionem articuli poterit quis in hunc modũ argumentari. Nam circa omnia agenda à nobis ſumus liberi, & poſſumus agere & non agere, velle & non velle. ergo circa omnia quæ à nobis aguntur poteſt eſſe conſilium & electio.

Solutio.

Sed reſpondemus, quòd quanquã circa omnia ſumus liberi, cæterum non circa omnia ſumus dubij; conſultatio verò non habet locum niſi in his, quæ in dubium veniunt, & ſunt alicuius põderis

deris & momenti, & aliter quàm per consultationem definiri non valeat.

ARTIC. QVINTVS.

¶ Vtrùm consilium procedat ordine resolutorio.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Conclusio est affirmãs. Nam cum in omni inquisitione ab aliquo principio incipere oporteat, si illud est prius in esse, sicut in cognitione processus dicitur cõpositiuus, quoniã à causis est in effectus: sunt enim causæ simpliciores effectibus. Si autẽ id quod est prius in cognitione, sit posteriusin esse; vt cùm de effectibus manifestis iudicamus, resoluendo in causas simplices, dicitur processus resolutorius. Cùm autem in inquisitione consilij principium sit finis, qui prior est in intentione, posteriortamen in esse: secundũ hoc oportet, quòd inquisitio consilij sit resolutoria, incipiendo ab eo quod in futurum intenditur, quousque perueniatur ad id quod est agendum.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Arg. contra rationem D. Thom. Probatio D. Tho. qua vtitur ad demonstrandam conclusionem non satis aperta est, & videtur certè quòd non rectè procedat. Nam processus consilij est à causa ad effectum. ergo est compositiuus. Consequentia valida est ex definitione processus compositiui, quã hic adhibet D. Tho. Antecedens probatur. Nam inquisitio consilij incipit à fine, tanquam à principio, & causa eorum quæ sunt ad finem. ergo procedit à causa ad effectum. Sed vt probatio D. Tho. rectè intelligatur, scire oportet, quòd progressus rationis, tam in practicis, quàm in scientijs, duplex est; compositiuus, & resolutorius. Cõpositiuus est, quando proceditur à causis ad effectus; effectus namq; sunt magis compositi. Resolutorius est, quando proceditur ab effectibus ad causas. Exponitur probatio D. Thom. Processus cõpositiuus & resolutiuus. exempli gratia. quando ædificatur domus, progressus est compositiuus à causa ad effectum; priùs iaciuntur fundamenta, deinde eriguntur parietes, postremò ponitur tectum: cùm verò domum diruimus, progredimur viceuersa, & ordine resolutorio, ab effectu ad causam: sic in cõsilijs adhibendis, quando quærimus finem absentem per media adipiscendum, progredimur ordine resolutorio; ægrotus enim qui desiderat sanitatem, in hunc modum ratiocinatur; quærẽda est sanitas; ergo vocandus medicus; purgandum corpus, potio sumenda; est progressus ab vltimo effectu vsque ad vltimam causam: nam quanquam finis est prior in intentione, est posterior in esse, & vltimus effectus. Sed pergam idem planiùs explicare. Oportet igitur iterum animaduertere, quòd habitudo finis ad ea quæ sunt ad finem, duobus modis considerari potest; vno modo, secundum quod finis est ratio & causa finalis, & præcipua eorum quæ ducunt ad finem, siue sint agenda à nobis, siue nõ sint agenda à nobis, vt cùm reddimus rationem & causam quare dentes anteriores sunt acuti, videlicet ad diuidẽdum cibum: consimili ratione cũ in rebus artificiosis interrogamur, quare calamus habet talem figuram, respondemus, quia est factus ad scribendum; & hic progressus est resolutorius, quia progredimur ab effectu ad causam; & viceuersa esset compositiuus. Cæterùm iste progressus in inquisitione consilij non inuenitur; nam in progressu consilij considerantur ea quę à nobis sunt agenda, vel non agẽda: propter quod dicendum est, quòd est altera habitudo finis ad ea quæ sunt ad finem, quæ quidem addit supra illam priorem habitudinẽ, rationem assecutionis finis per ea quæ à nobis agẽda sunt: iuxta quam considerationem consideratur finis vt aliquid posterius, & veluti effectus mediorum; consideratur enim vt effectus per talia media consequendus. Igitur qui consultat & deliberat, supposita & statuta priori habitudine finis, quæ est veluti principium de quo non est consultatio, procedit ad media tanquam ad causas, per quas finem est consecuturus. Propter quod meritò dicit D. Tho. quòd consilium procedit modo resolutorio: quod hoc exẽplo elucidabitur. Domus est finis ædificatoris: consultat ex quibus domus sit construenda, & resoluit & definit quòd ex lapidibus. rursus ad lapides portandos consultat an vtatur curru, vel iumentis, & resoluit & definit quòd vtetur curru. Ecce in hac methodo, & in hoc progressu semper proceditur ab effectibus, & à fine efficiendo per alias causas, vsq; ad vltimum. ¶ Vnde ad argumẽtum propositũ dicendum, quòd progressus consilij non est à fine, tanquam à causa; præsup- Ad argum.

ponitur enim intentio finis tanquam causa cõsiliandi, sed non proceditur nisi à fine, quatenus per alias causas est efficiendus. Hæc magna ex parte ex Domino Caietano. Fortasis D. Tho. habet faciliorem explicationem; voluit enim cõstituere discrimen inter progressum, qui in alijs causis seruatur, quando comparãtur ad suos effectus: cæteræ enim causæ componunt suos effectus, & ingrediuntur ad eorum constructionem, vel saltem cooperantur; at in consilio adhibendo, cùm deliberatio fiat de fine qui nondum est, nõ progredimur modo compositiuo; finis enim qui nondum est, non potest componere, neque cooperari ad effectuũ compositionem, sed tamen de eo fit resolutio & definitio, quomodo debeat effici, & obtineri. Itaque consultatio tota est in resolutione, non in compositione.

Caiet.

ARTIC. SEXTVS.

¶ Vtrùm consilium procedat in infinitum.

SVMMA TEXTVS.

Prior cõcl. PRior Conclusio. Inquisitio consilij in actu infinita non datur: nam in inquisitione aliud est principium proprium in rebus agendis, & hoc est finis, de quo nõ est consilium, sed supponitur in consilio: terminus autem inquisitionis est id, quod est in potestate nostra vt faciamus. Et cùm singularia non sint actu infinita, consequens est quòd ex parte termini consilium non procedit in infinitum: sed ex parte principij explorata est quòd non sit processus in infinitum; alioqui nunquam inciperet consultatio, & nunquam finem haberet. Inquisitio ergo consilij non procedit in infinitum.

Poste. cõcl. ¶ Posterior Conclusio. Nihil prohibet in potentia cõsilium posse abire in infinitũ; possunt enim occurrere in infinitum quæ sunt inquirenda, & deliberanda.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Nũ liceat cõsulere malum.

CIrca totam quæstionem, potissimè de obiecto cõsilij existit quæstio difficilis; num liceat consulere malum. Ad cuius rei explicationem statuitur prima conclusio. ¶ Consulere peccatum, omni dubio procùl malum est, & iniquum; tum, quoniam est contra proximi charitatem, quem ad malũ inducimus; tũ verò, quoniã tale cõsilium est fraudulentũ: cõsilia enim impiorũ fraudulẽta sunt Pro. 12. tũ tertiò, quoniã cõsulere peccatũ, est mouere & inducere ad peccandũ, & consentire, & approbare peccatũ. Ad idẽ ostendendũ valet autoritas D. Aug. super Psal. 56. elucidãtis illud verbum, Filij hominum, dentes eorum arma, & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus; scribit Augustinus occisorem fratris esse qui alteri peccatum cõsulit, & persuadet. & tertio lib. de consensu euangelistarum c. 13. sic inquit; Ioánes dicit Christum hora sexta fuisse crucifixũ, Marcus verò hora tertia, ideo à Marco dictum est, vt ostenderet magis crucifixisse Dominum eos, quorum consilio crucifixus est, quàm illos qui in crucifigendo Dominum suum ministerium principi exhibuerunt. ¶ Contra istam cõclusionem sunt duo argumenta. Primum, si peccaret, maximè eodem genere peccati de quo est consilium; sed hoc est falsum. Maior patet: quia species peccati ab obiecto sumitur. Minor probatur: nam dans scandalum in materia intẽperantiæ, alio genere peccati peccat. Ad hoc argumentum dicendum est primò, consilium malum habet speciem distinctam à cæteris peccatis, quæ consulit; nam est nocere proximo in bonis spiritualibus, hoc verò nec est furtum, neq; intẽperantia. Secundò dico, videtur mihi quòd sit in specie scandali; nam qui consulit peccatũ, ponit scandalum, & offendiculum fratri vt ruat. Tertiò, omnia consilia mala sub ista consideratione sunt eiusdem speciei. Ex quo sequitur, quòd qui tenent non esse necessarium in confessione explicare circunstantias, nisi quæ variant speciem, tenent proinde non oportere explicare materiam consilij mali. Sed hæc sententia falsissima est: oportet igitur confiteri & consilium malum, & materiam consilij. ¶ Secundũ argumentum. Qui sequitur consilium, non peccat. ergo neq; qui dat consilium. Consequentia inde probatur. Nam si peccat qui dat consiliũ, est vel quia consentit in peccatum, vel quia nocet alteri: sed ille qui sequitur consilium, non peccat, neque habet detrimentum aliquod. ergo qui dat consilium, non peccat. Antecedens argumenti pãtet; quoniam excusatur ignorantia inuincibili. Hoc argumentum petit magnũ dubium;

Prim. cõcl. Consulere peccatũ malum est.

Pro. 12.

Auguſt.

Obiectiões Prima.

Solutio.

Secũ. obiectio.

dubium; an licitum sit consulere actum malum quando excusatur ignorantia inuincibili. Cuius rei difficultatem optimè tractat Adrianus in 4. fol.88.& in quodlibetis.fol.30. & Soto in 4.d. 18.vbi tractat de circunstantijs confitendis.

Adrianus. Soto.

Solutio. Vera solutio est,quòd quando quis ignorat inuincibiliter actum malum,si mea admonitione non possum prodesse, non teneor admonere, sed possum tacere:cæterùm non possum consulere actum malum;tum,quoniam cõsulere, est approbare:tum verò,quoniam consulere, est persuadere,&docere; docere autem malũ actũ, non licet aliquando:hîc enim habet verum illa regula D.Gregorij; Tutius scandalum oriri permittitur,quàm veritas relinquatur.

Greg.

Secũd.cõcl. Licet cõsulere minus malũ, ad cauendũ maius. ¶Secunda conclusio. Licitum est consulere minus malum,ad cauendum maius malum conditionaliter:si decreuisti libidinem explere, rogo te ab adulterijs saltem desistas. De hac materia sunt variæ sententiæ inter doctores,&profectò in vtramq; partem disputari potest.Sylvest.verbo,Matrimonium 7.§.5.ad finem, tenet negatiuè:cõsentit Caiet.in 2.2.q.78.art.4.& probatur sic esse optimis argumentis.

Sylvest. Caietan.

Primũ arg. ¶In primis,nõ sunt facienda mala vt veniant bona,vt dicit S. Paul. ergo non est faciendum minus malum, vt caueatur maius malum.ergo non est consulendũ minus malum.Probatur consequẽtia. Nam qui consulit,facit & inducit.

Secundum. ¶Secundò,non est licitum alteri facere minus malum,vt caueat maius malum,vt patet. ergo nec est licitũ cõsulere minus malum.

Tertium. ¶Tertiò,si licitum est alteri consulere minus malum , licebit hoc consilium mihi sumere.quod apertè falsum est. Nam non licet mihi facere minus malum,vt caueam maius.

Quartum. ¶Quartò,non est licitum petere quod alius nõ potest sine peccato exhibere:sed aliusnõ potest facere minus malum sine peccato,vt caueat maius malum.ergo non est licitum hoc petere,nec consulere.

Quintum. ¶Item,quod cadit sub consilio, potest cadere sub præcepto;sed implicat contradictionem quòd minus malum cadat sub præcepto,quoniam si cadit sub præcepto,licitum est, si verò est minus malum,illicitum est.ergo non cadit sub consilio.

Vltimum. ¶Vltimò, qui vult antecedens,vult consequens quod scit ex antecedente rectè sequi.Sed bene sequitur,est minus malum.ergo est malum.Rursus ergo rectissimè sequitur, consulo,& volo quòd fiat minus malũ: ergo volo quòd fiat malum,quod omnino illicitum est.

Secũ. cõcl. Caiet. ¶Contrariam sententiam,quæ est secunda propositio nostra,habet Dominus Caietanus in opuscu.17.responsionum,responsione 13.dubio 3.tom.3.& in sua summa, verbo,tyrannis.Idem habet Soto lib.6.de iustitia & iure.q. 1.ar.5.Adrianus in quodlib.9.fol.93.dicit fatuũ

Soto. Adrianus.

esse de hac redubitare.D.Au.33.q.2.c.si quodve rius,dicit expressè,si decreuisti homicidium,aut adulterium facere;adulterium committas, non homicidium.Idem habet Chrysost.homil. 26. ad populum Antiochenum,& dicit de homine assueto iuramentis,consulendum esse illi potiùs iurare per caput suum,quàm per Deum. Idem habet Greg.d.13.cap.Nerui,vbi est illa memorabilis sententia;ex duobus malis,minus est eligẽdum. Idem ostenditur euidentibus rationibus. In primis,licitum est, & est officium angelorũ, hominem adulterijs deditum ab eis retrahere, & ad simplicem fornicationem prouocare,non absolutè cohortando ad fornicationem simplicem;sed si decreuisti explere tuam libidinẽ, ne quæso sis iniurius in alienam vxorem.Rursus licitum est dicere inuadenti me,& volenti me occidere,ne me occidas,sed abscinde manum, & hac vindicta sis contentus.Certè, si quis velit à Pẽtro furari rem maximi pretij,licitum est cõsulere ne tantum damnum illi inferat,& quòd sit contentus eo,quod ad succurrendum suę necessitati sufficiat,& in hoc vtilissimè gero rem Petri.Præterea tale consilium est de obiecto,& fine bono,& non habet malam circunstantiam. ergo licitum est,& sanctum. Quòd sit de obiecto,& fine bono,liquet:nam finis est vt caueatur malum maius:obiectum verò non est vt fiat minus malum,sed retrahere hominem à maiori malo. Vltimò,tale consilium nõ inducit ad peccandum:non est ergo quare condemnetur. Antecedens probatur;nam ille,cui consulo minus malum,paratus erat aut occidere,aut percutere; ego tantùm suadeo vt sit contentus minori malo.Sed tempus est iam vt argumenta in aduersum posita confutemus.

Aug. Chrysost. Greg. Arg.soluũ.

Ad primum ¶Ad primum negatur consequentia:nam qui consulit minus malum, non consulit malum,sed illud minus(vt vtarverbis Caietani) Deinde qui consulit minus malũ, non consulit minus malum absolutè,sed conditionaliter:hoc est, si statuisti apud te interficere,vel percutere,obsecro ne occidas,& hoc tibi præbeo consilium.

Ad secundũ ¶Ad secundum nego consequentiam; nam in alterius potestate situm est neutrum malum facere,quare si alterutrum facit,peccat:cæterùm in consiliarij potestate non est situ vtrumq; malũ auertere, & ideo cõsulit vt à maiori malo desistat.

Ad tertium ¶Ad tertiũ itidẽ negãda est cõsequentia;nã in mea facultate situm est vtrumq; malũ cauere,&ideo si alterũ eligo,peccatũ est.

Ad quartũ. ¶Ad quartũ negandũ est, quod is qui consulit,petat id quod alius,cui consulit,præstare licitè nõ valeat:nã absolutè petit quod à maiori peccato desistat;quòd verò non acquiescat nisi impingẽdo & cadendo in minus malũ, sua culpa est.

Ad quintũ. ¶Ad quintũ dico in primis,falsum es-

se quòd omne quod cadit sub consilio, possit cadere sub præcepto. Deinde dico, quòd in casu nostræ disputationis potest Deus præcipere homini parato vel occidere, vel percutere, ne occidat; & tunc tenebitur nõ occidere duplici præcepto. ¶ Ad vltimum iam puto me dixisse satis, quẽadmodum qui consulit minus malũ, nõ cõsulit minus malũ absolutè, sed hoc pacto, si decreuisti occidere, ne quæso occidas, sed minori iniuria sis contentus. Itaq; non vult quòd fiat minus malum; & sic nõ sequitur quòd velit malũ. Ex hac doctrina sequitur, nusquã licere cõsulere mendaciũ, etiã ad cauendum immanissimũ scelus; sed tantùm docemus, quòd quando quis est paratus grauissimũ facinus perpetrare, licet illi consulere atq; persuadere ne tãtum facinus committat, sed minori malo suæ libidini satisfaciat. Hæc de consilio dixisse sufficiat.

Ad vltimũ.

QVAESTIO XV.

De consensu, in quatuor articulos diuisa.

ARTIC. PRIMVS.

¶ Vtrùm consensus sit actus appetitiuæ potentiæ, vel potiùs apprehensiuæ.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio.

Conclusio est. Cõsensus est appetitiuę potẽtię; importat eñ applicationẽ sensus ad aliquid; & quia propriũ est sensus quòd sit cognoscitiuus rerum præsentium, actus autẽ voluntatis est quędam inclinatio ad ipsam rẽ secundum quandam coniunctionẽ, hinc est, quòd applicatio volũtatis ad rem cui inhęret, cõsensus nomen accipit, quasi experiẽtiam de ea re sumens, prout cõplaceat sibi in ea. Intellectus autem magis dicitur assentire; non enim tendit ad ipsam rem, vt voluntas; quãuis vnum pro alio poni soleat. Sed hîc obseruet Theologus, quòd est mẽdum in litera Diui Thomæ: nam vbi legitur, quod actus appetitiuæ virtutis est inclinatio ad ipsam rẽ secundum quandam similitudinem, vera lectio sic habet, secundum quandam coniunctionem; & sic nos restituimus veram lectionẽ, quam habemus ex D. Tho. solutione ad tertiũ, vbi repetens eadẽ verba, posuit coniunctionem.

Textus D. Thom. depraua tus

EXPLICATIO ARTICVLI.

Conclusio huius articuli videtur cõprobari ex illo Roma. 1. Digni sunt morte non solùm qui faciũt, sed qui consentiunt facientibus. & 1. Cor. 7. Nolite fraudare adinuicem, nisi fortè ex consensu. Certè sentire, cognitionis est, vt videre est in illo Rom. 12. idipsum sentientes, & ad Phil. c. 2. vnanimes idipsum sentientes. Verùm consentire, est cum alijs sentire, & in aliorum sententiã descendere. Proprium autem est voluntatis applicare se ad opus, & ferri in res prout sunt à parte rei. Meritò ergo illa complacentia & approbatio mediorum, voluntatis consensus appellatur. Vtrùm verò consensus re ipsa ab electione distinguatur, quæstio est, quæ non magnã præ se fert vtilitatem, & ideo prætermittendã cẽsui, vt ad difficiliora, & vtiliora transeamus.

Rom. 1. 1. Cor. 7. Rom. 12. Phil. 2.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ Vtrùm consensus propriè in brutis inueniatur.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio.

Conclusio est negans. Nã bruta non habẽt in sua potestate motũ appetitiuũ, sed talis motus est in eis ex instinctu naturæ: consensus verò nõ solùm importat determinationẽ passiuam, sed magis actiuã; vnde proprium est rationalis naturæ cõsentire. Rationalis enim natura habet in potestate sua appetitiuum motum, & potest se applicare, vel non applicare ad hoc, vel ad illud.

EXPLICATIO ARTICVLI.

IN rebus clarissimis detinere discipulum, aut lectorem, hominis est ocio si, & non quærentis veram discipulorum vtilitatem, quibus ego omnes meos

meos labores consecraui & addixi. Igitur in hoc articulo nihil est quod nos detineat, nisi fortassis velit quis in disputationem reuocare, vtrùm in amentibus, & pueris, atque adeò in somnian tibus sit consensus voluntatis; nam certè appa-ret quòd approbant vnum ex multis, & quòd re probent, & dissentiant, & quòd consentiant ro gantibus. Nihilominus dicendum arbitror, quòd in eis consensus non inuenitur, non certè magis quàm in brutis; nam si vera sunt quæ superiùs adduximus, in suis operibus prędicti mo uentur ex instinctu & impetu naturæ, quemad modum & bruta, & sic non habent actus libe-ros, nec possunt agere & non agere, sed necessa riò agunt. Recolite ea quæ dicta sunt superius de istorum libertate.

ARTIC. TERTIVS.

¶ Vtrùm consensus sit de fine, vel de ijs quæ sunt ad finem.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Conclusio est. Consensus propriè nō est de fine, sed de his quæ sunt ad finem, sicut & consilium; nam consensus si est de vltimo fine, in quem natu raliter tendit appetitus, voluntas dicitur: vnde consensus propriè est de his, quæ sunt ad finem. Et differt ab electione, quia ele-ctio addit supra consensum quan-dam relationem, respectu eius, cui aliquid præeligitur: nam contin-gere potest quòd per consilium in ueniantur plura ducentia ad finē; quorum dum quodlibet placet, cō sentitur in quolibet eorum: ex multis autem quæ placent dum vnum prę alijs eligitur, electio est. Quare si vnum solùm inueniatur quod placet, non differunt consen sus & electio, nisi ratione.

ARTIC. QVARTVS.

¶ Vtrùm consensus in actum, pertineat ad rationem superiorem.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Conclusio est affirmatiua. Nam cōsensus in actum, est finalis sententia de agē dis; finalis verò sententia semper pertinet ad rationem superiorem: nam quamdiu restat iudicandum quod proponitur, nondum finalis datur sententia. Vnde consensus in actū, ad rationem superiorem spectat, secundum quod in ratione voluntas etiam includitur.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Quomodo cōsensus in mortale peccatū sit rationis su-perioris. IN hoc articulo ostendit Diuus Tho mas quemadmodum consensus in actum peccati mortalis, sit rationis superioris. Pro cuius declaratione obseruandum est, quòd de ratione superiori, & inferiori, differunt Theologi in secundo, distin ctione vigesimaquarta; D. Thomas prima par-te, quæstione septuagesimanona, articulo no-no. Illud etiam obseruandum est, quòd hic mo dus loquendi, quem habet D. Thomas, sum-psit initium ex Diuo Augustino; duodecimo de Trinitate, capitulo duodecimo, scribit Augu stinus, quòd in quocunq; peccato inueniūtur tria, sicut in illo antiquo parentum peccato fuit serpens, fuit mulier, atque vir. Sensualitas quæ suadet nos inordinato affectu, habet locum ser-pentis: ratio inferior habet locum mulieris; ra-tio superior locum viri. Rursus sensualitas quòd sit distincta potentia à ratione, certum est; nam sensualitas est appetitus sensitiuus, quatenus at teuertit rationem deliberantem. Cæterùm ra-tio est idem cum potentia intellectiua nostra, quæ dicitur intellectus, quatenus assentitur pri-mis principijs per se manifestis. Vocatur verò ratio, quatenus ex primis principijs deducit cō-clusiones per ratiocinationem, & discursum. Cæterùm ratio superior, & inferior, non sunt di stinctæ potentiæ: sed dicitur ratio inferior, quæ considerat rationes humanas, & inferiores. Ratio verò superior, quæ considerat rationes di uinas, & superiores. Ratio superior dicit, hoc non est agendum, quia displicet Deo: ratio ve-rò inferior, hoc non est agendum, quia turpe; quia incommodum. ¶ Est etiam alia diffe-rentia inter rationem superiorem, & inferiorē; quòd ad rationem superiorem pertinet vltimū iudicium, & finalis sententia: ad rationem infe-riorem pertinet vltimum iudicium imperfectū,

D. Thom. Aug. Sensualitas. Ratio. Ratio supe rior & infe rior.

& indeliberatum. ¶ Illud etiam aduertendum, quòd quando delectatio noxia & culpabilis incipit, ea habet locum serpentis, quæ suo inordinato aspectu sollicitat ad peccandum: deinde ratio inferior considerans rationes humanas, & ad vltimum non se extendens, paululum immoratur in rebus iudicandis, & tunc est veluti Eua, quæ persuasa à serpente incepit edere de ligno vetito: non tamen adhuc est consummatũ peccatum, sed est peccatũ veniale: at verò quando ratio superior, cuius est vltima sententia, cõsentit, consummatum est peccatum mortale, & assimilatur primo parenti, qui suo consensu perpetrauit illud graue peccatum, ratione cuius eiectus est de paradiso. Istum progressum peccandi explicat optimè Iacobus c. 1. cùm inquit; Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus: concupiscentia verò cùm cõceperit, parit peccatum, peccatum cùm consummatum fuerit, generat mortem. ¶ Vltimò sciendũ est, quòd consensus in mortale peccatũ semper pertinet ad rationem superiorem, saltem negatiuè, & imputatiuè; nam ad iudicem superiorem pertinet reuocare sententiam inferioris, si iniusta est; alioquin culpa in iudicem superiorem reducenda est. Ex hoc patet, quomodo consensus in delectationem morosam, pertineat ad rationem peccati mortalis, licèt ratio superior non consentiat directè, & positiuè: de qua re disputatur infrà, quæstione septuagesimaquarta, articulo septimo. ¶ Sed dubitatur, quid intelligendum sit per rationes humanas & inferiores, quas sequitur ratio inferior; quid per diuinas, quas sequitur ratio superior. In huius dubij explicatione multi multa dicunt, sed nobis videtur dicendum, quòd quantum colligitur ex Diuo Augustino, & Diuo Thoma, ratio inferior est, quæ procedit ex aliquo principio, vel humano, vel temporali, non deliberando cũ lege diuina, siue naturalis sit, siue supernaturalis, siue illud principium iudicetur conueniens propter sensualitatem (quod ferè semper contingit) siue propter honorem, vel vtilitatem aliquam temporalem: vt cùm venit inimicus obuiam, statim hæc ratio sese offert, bonum est superare malum meum; ergo inimicus est occidendus. Sed hanc ratiocinationem conficit ratio inferior, quæ sumitur ex amore proprij commodi quod nobis volumus. Sed confestim conficitur alia argumentatio ex principio æterno; melius bonum est obedire Deo, & malum maius Deo non subijci; sed occidendo inimicum, facio contra legem Dei. ergo non est occidendus inimicus. Hæc est probatio rationis superioris. Hinc sequitur, posse contingere, quòd ratio superior & inferior non sibi contrariẽtur; vt ratiocinatur aliquis ex appetitu cibi, nunc comedendum est, antequam aduertat, legi diuinę sit consentaneum, nec ne: postmodum ratio superior, consulens leges superiores, aduertit id esse consentaneum legibus æternis, tunc ratio inferior & superior consentiunt, & in idem conspirant: at si esset prohibitum comedere, quia est dies ieiunijs consecratus, si ratio superior consentiret, imputaretur ad peccatum. Ex dictis etiã sequitur, quòd nõ in omni peccato nostro sensualitas habet rationem serpentis, si nomine sensualitatis intelligatur appetitus sensitiuus: nam potest contingere vt homo peccet ex amore alicuius boni, quod per sensum non apprehenditur, ac proinde ab appetitu sensitiuo non expetitur; vt cùm aliquis mentitur propter appetitum honoris; bonum enim honoris tantùm mente percipitur: sed quia vniuersa bona temporalia, etiàm honorifica, ortum & originem trahunt ex sensibilibus, possumus nomine sensualitatis intelligere omnem appetitum boni temporalis. Ex his discere potest Theologus, quæ sint rationes humanæ, quas sequitur ratio inferior, quæ verò diuinæ, quas sequitur ratio superior. ¶ Dubitatur subinde, quomodo Diuus Thomas intelligat, quòd consensus pertineat ad rationem superiorem; an quòd nõ possit esse consensus sine ratione superiori, vel quòd non debeat esse consensus? Respondeatur primò, quòd non debeat esse consensus, licèt possit esse, si est malus consensus, vt interficere vxorem, interficere inimicum. Secundò, intelligit Diuus Thomas, quòd si quis per rationes humanas, antequam possit per rationes superiores, consentiat, non est perfectus consensus. Demum intelligit Diuus Thomas, quòd in agendis voluntas non debet consentire, nisi cõsultis rationibus superioribus; & si consulat, & consentiat peccato, imputatur ei ad peccatum; si consentiat, & non consulat, etiam imputatur ei, quia non consulit cùm commodè posset.

¶ In solutione primi argumenti asserit Diuus Thomas nonnulla, quæ expositionis accuratæ non sunt indigua. ¶ In primis asserit, quòd consensus in delectationem operis, ad rationem superiorem pertinet, sicut consensus in ipsum opus; de quo minimè potest esse dubium.

¶ Deinde asserit, quòd consensus in delectationem cogitationis, pertinet ad rationem inferiorem, sicut ad illam pertinet cogitare.

¶ Præterea inquit, quòd de eo, quod est cogitare, vel non cogitare, in quantum consideratur vt actio quædam, pertinet ad rationem superiorem de ea sententiam pronunciare, sicut de delectatione consequenti.

¶ Addit insuper, quòd in quantum cogitare vel

Iac. 1.

Quid ratio humana sit, quid etiam diuina.

Aug. D. Thom.

Quo pacto consensus pertineat ad rationẽ superiorẽ.

Explicatur solutio.

Ad primum Pri. assertũ.

secũ. asser.

Ter. assertũ

Quar. asser.

vel non cogitare, ordinabitur ad alteram actionem, sic pertinet ad inferiorem. Hæc omnia in hac breui responsione asseuerat D. Thom. quæ omnia (excipio primum, quod indubiè verum est) magnam dubitationem habent. ¶ Nam cõsensus in delectationem cogitationis, aliquando est peccatum mortale. ergo pertinet ad rationẽ superiorem. Consequẽtia inde probatur. Quia peccatum mortale non est sine consensu superioris rationis, & sine finali sententia. Hoc argumentum impugnat secundum assertum. ¶ Sed tertium assertum sic impugnatur. Nam quando quis vult delectari in cogitatione operis, absque proposito faciendi opus, imò habens propositum nunquam perpetrandi opus, tunc cogitatio accipitur vt actio quædam est, non ad aliud opus ordinata; nihilominus tamen talis delectatio pertinet ad rationem inferiorem, vt videtur asserere D. Augustin. lib. 12. de Trinitate, c. 12. Tunc, inquit, sic sentiendum est, atque si sola mulier comederet. ¶ Sed & vltima sententia D. Thom. vera non videtur. Nam ordinare cogitationem, vel delectationem cogitationis ad aliam actionem, est rationis superioris; nam ad ducem pertinet ordinare pugnam militis ad victoriam. ergo si cogitatio accipiatur vt ad aliam actionem ordinata est, ad rationem superiorem pertinet, non ad inferiorem, cuius contrarium asserit D. Thom. Ab his difficultatibus facillimè se expediebat doctissimus Victoria; aiebat namque quòd consensus in delectationem cogitationis, est circa minima, quæ non tribuitur superiori rationi, quando simul multa occurrunt: delectatio enim in cogitatione, vel in re, quando est cogitata, est præambulum ad opus; & sic quando accipitur vt præambulum, non accipitur vt præcipuum opus; secus autem est si per se capiatur, & consideretur, sicut humana actio: vel fortè intelligitur, quòd delectatio in cogitatione, est quodammodo naturalis, & sine deliberatione, & sic non cõsideratur vt principalis, nisi quando est deliberata. Hæc Victoria. Sed Dominus Caietanus profundè & acutè rem cõsiderans, alia via pergit; dicit enim, quòd cogitatio tunc habet rationem vltimi operis, & præcipui, quando sumitur vt est cognitio veri, veluti est cognitio scientifica, vel consideratio operis artificiosi; tunc verò cogitatio consideratur vt ordinata ad aliud, quando cogitatio operis suscipitur propter affectum ipsius operis, in quantum opus perpetrandum est, vel perpetrari poterit, tametsi homo habeat propositum nõ perpetrandi illud; & talis est consensus in delectationem cogitationis morosæ, de qua in sequentibus copiosè differendum est. Vt verò hæc res facilius explanetur, adhibebo exemplũ accommodum. Cogitat Petrus quomodo possit occidi Ioannes; non quia sibi inuisus est, sed potiùs est amicus; & delectatur in illa cogitatione propter industriam artis excogitatę: idem cogitat Paulus; sed quia Ioannes sibi est inimicus, cogitat cum affectu ad opus cogitatum, & in eo conquiescit, & delectatur, tametsi perpetrare homicidium non intendat. In tali casu, cogitatio Petri, & delectatio in cogitatione, habet rationem vltimi, & cuiusdam actionis humanæ secundum se consideratæ: nec est peccatum homicidij consentire in talem cogitationem, & delectationem; at cogitatio Pauli in consimili casu, est vt actio secundum se ordinata ad aliam actionem, & est peccatum consentire in talem delectationem: est enim consentire in homicidium vt perpetrabile, quamuis nõ vt re ipsa perpetrandum. ¶ His constitutis, ad argumentum contra secundum assertum dicẽdum est, quòd pertinere ad rationem superiorem, contingit dupliciter; vno modo explicitè, & expressè; alio modo implicitè, quãdo ratio superior nõ dissentit, cũ dissentire tenetur, & potest, vt D. Th. explicat hic solutiõe ad tertiũ: dicit enim quòd vt ratio superior dicatur cõsentire, sufficit quòd nõ dissentiat, & non consulat rationes æternas, & hæc est finalis sententia: propter quod concedo, quòd in tali casu consensus in delectationẽ pertinet ad rationem superiorem interpretatiuè. ¶ Ad aliud argumentum contra tertium assertum dico, quòd si homo delectatur in cogitatione propter ipsum opus ad quod afficitur, iam cogitatio accipitur vt est ordinata secundũ se ad opus; neque Diuus Thomas, nec Diuus Augustin. intelligendi sunt in tali casu, quando dicunt, tunc sentiendum est atque si sola mulier comederet; sed sunt intelligẽdi quando ipsa ratio superior neque consentit expressè, nec interpretatiuè, quia nondum potuit aduertere, neq; consulere leges æternas: at si ratio superior sciẽs & videns quod placeat rationi inferiori, permittit illam concupiscere, iam ipsi rationi superiori imputabitur, nam est illi voluntaria indirectè; tenetur enim compescere eam, & non compescit. ¶ Ad vltimum dicendum est, quòd cogitatio, aut delectatio cogitationis, quanquàm de se ordinatur ad opus quod sequitur ex cogitatione, non est consequens, quòd ratio inferior, vel superior semper ordinet ad opus. Quemadmodum æstimatiua bruti circa obiectum sibi conueniens ordinatur ad opus, etsi brutum ipsum non ordinet, ita sunt in nobis quædam cogitationes, quæ non sunt propter se, sed propter aliud; & de huiusmodi cogitationibus intelligit Diuus Thomas, quòd est rationis inferioris habere actum expressum circa illas, complacendo

Dubium. An consensus in delectationẽ cogitationis sit rationis superioris.

Argum. Arguitur cõtra assertum.

Aug.

Argu. cõtra quartum.

Victoria.

Caiet.

Solut. arg. cõtra secundũ assertũ.

Ad argum. cõtra tertiũ

Ad argu. cõ tra quartũ.

in illis, priusquam superior ratio aduertat, & cõsentiat expressa consensione, vel interpretatiua. Sed hæc dicta sunt per altissimas tenebras, satiùs puto recurrere ad explicationes doctissimi Victoriæ, vel expectare harum rerũ copiosum tractatum infrà q. 74.

QVAESTIO XVI.

De vsu, in quatuor articulos diuisa.

De hac re differunt Theologi in 1. d. 1. vbi Magister sententiarum interserit tractatum de fruitione, & vsu, docetq; quibus rebus sit fruendum, quibus vtendum.

ARTIC. PRIMVS.

¶ Vtrùm vti sit actus voluntatis.

SVMMA TEXTVS.

Prior. cõcl. PRior Conclusio. Vti, est actus voluntatis primò & principaliter, tãquam primi mouentis, intellectus tanquã dirigentis, aliarum verò potentiarum tanquam exequentium suas operationes.

Poste. cõcl. ¶ Posterior Conclusio. Vti, propriè est actus voluntatis. Probationes sic procedunt. Namvsus alicuius rei, applicationem illius ad aliquam operationem importat, vt equitare est vsus equi: sed voluntatis est applicare vniuersas potentias ad suas operationes. ergo vti est actus voluntatis tanquã primi mouentis, rationis verò tanquam dirigentis, aliarum verò potentiarum tanquam exequentium; habent namque se vt instrumenta ad principiale agens.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Vsus quid? Soto. QVid sit Vsus, à nemine ferè explicatur. Doctissimus pater Soto aiebat, quòd quemadmodum fruitio est actus intellectus, & per illam voluntas dicitur frui; sic vsus est actus proprius aliarum potentiarum, & per illas voluntas dicitur vti; vt vti oculis, nihil aliud est quàm videre oculis; vti intellectu, est intelligere per intellectum.

Aliorum placitum. ¶ Alijs videtur, quòd vsus sit actus exterior, & colligunt ex verbis D. Thom. inquit enim quòd est cæterarum potentiarum vt exequentium, & quòd actio tribuitur principali agenti, non instrumento. Clarum est quòd intelligit de actione exercita per instrumentum, quæ est actio exterior; imò expressè dicit, quòd equitare, est vsus equi, & percutere, est vsus baculi.

Propria sententia. Duplex vsus. ¶ Sed vt intelligatur quid sit vsus, scire oportet, quòd vsus est duplex; actiuus, qui explicatur hoc vocabulo, vti; & passiuus, qui explicatur hoc vocabulo, vsus. Vsus actiuus sine dubio est voluntatis; nam voluntas habet in officio applicare omnes potentias, tum interiores, tum exteriores ad suas operationes. Vsus verò passiuus est actus voluntatis vt imperantis: est autem elicitus ab alijs animæ potentijs; vsus enim intellectus, est intelligere, sicut vsus calami, est scribere. Itaque Theologus animaduertat differentiã inter vti, & vsum; vt vti sit applicare, vsus verò ipsa applicatio; vt vti gladio, est applicare ad scindendum; vsus verò, ipsa scissio.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ Vtrùm conueniat brutis vti.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. COnclusio est negãs. Nam vti, est applicare potentias ad operandum, quod non est nisi eius qui scit referre aliquid in alterum, & habet super illud arbitrium, quod ad rationem pertinet. Ex quo sequitur, quòd solùm natura rationalis consentiat, & vtatur.

EXPLICATIO ARTICVLI.

EX hoc articulo, & eius definitione colligũt Theologi, & efficaciter quidem, quòd nulla res, præter naturam rationalem, siue intellectualem, propriè dominium rerum habeat. Nam dominium est facultas vtendi re pro arbitratu domini: at nulla res, præter naturam rationalem, habet facultã-

cultatem vtendi. ergo nulla, præter naturam rationalem, dominium rerum habet. Vtrùm verò amentes & pueri habeant dominium & facultatem vtendi, quæstio est quæ inuestigatur ex professo in materia de dominio.

ARTIC. TERTIVS.

¶ *Vtrùm vti sit vltimi finis.*

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Oncluſio eſt negans. Nam vſus eſt eius rei quæ applicatur ad aliquid, ſed & quæ ſunt ad finem applicantur ad aliquid, & finis vltimus eſt ad quem omnia referuntur; vnde vſus eſt eorum quæ ordinantur ad finem: frui autem eſt vltimi finis. Aliquid tamen dicitur vltimus finis non ſimpliciter, ſed in aliquo genere, & de illo poteſt eſſe vſus, in quantum ad finẽ ſubliminorem refertur.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Quod ſit obiectum vſus. Magiſt. ſent. Aug. Vti fruẽdis, quid? Vod ſit obiectum vſus explicãdum eſt, nam de hoc multa in diſceptationem vocant Theologi in 1. ſenten. d. 1. quo in loco commemorat Magiſter ſententiarum duo axiomata celebratiſsima ex D. Auguſt. Summa, inquit, peruerſitas eſt vti fruendis, quæ ſunt beatiſsimæ perſonæ ſanctiſsimæ Trinitatis, quæ vnus Deus ſunt. Inſuper ſumma peruerſitas eſt frui vtendis, quæ ſunt vniuerſæ creaturæ. Ex quibus ſententijs, quæ in ore omnium circunferuntur, liquidò conſtat, quòd obiectum vſus non ſit vltimus finis, ſed id quod conducit ad finis vltimi conſecutionẽ; quanquã non omnino perſpicuum eſt, quid velit D. Auguſtinus eſſe vti fruendis. Deus enim ſummus non ſe dat vtendum, neque vt medium vtile ad alium finem referri poteſt; quid eſt ergo fruendis vti? Reuera qui ſacramenta diuina pretio vẽdit, & ea veluti pretio commutabilia exiſtimat, ſicut Iudas proditor vendidit Chriſtum, vtitur fruendis. Similiter qui animo ſtatuerat Deum colere, temporalia ſperans cõmoda, ita vt ſummum bonum referat ad bona non ſumma, id quod ordinem naturæ euertit, qui eſt, vt minora bona, id eſt, vniuerſæ creaturæ ſint propter creatorem, hic vtitur fruendis, & in magnã peruerſitatẽ incurrit: qui verò pretio conductus ſacramenta peragit, non in pretio ſuã beatitudinẽ collocãs, ſed ex opere ſuo pretio vtẽs, hic nõ vtitur fruẽdis. Sic explicant quidã charitatis amatores D. Aug. ſed rẽ vera ſententia D. Aug. ampliorẽ habet explicationẽ, nempè, quòd qui peccat mortaliter, in vniuerſum vtitur Deo, & fruitur creatura; quoniã conſtituit vltimũ finẽ in creatura, & nõ habet Deũ pro vltimo fine. Quomodo autẽ hoc verũ ſit, explicatũ dedimus ſuprà q. 1. ¶ Sed ſi quæratur; quid eſt frui vtẽdis? hoc explicãt quidã doctores exẽplis adhibitis. Hi omnes fruũtur vtẽdis, quos Paul. ad Rom. ſcribens cõmemorat, qui creaturas coluerũt tãquã Deos, quales ſunt idolatræ vniuerſi: hi enim ſuũ collocãt bonũ in bono creato, & illo fruũtur perinde atq; ſi eſſet ſummũ bonũ, cũ alioqui creatũ ſit ad ſummi boni laudẽ referendum. Sed nũquid qui ſuæ voluptati obſequẽs trãſgreditur diuinã legẽ, vtitur fruẽdis? quod ſi ita eſt, cõcedis ſubinde fornicationẽ vel ſimplicẽ, ſummã peruerſitatẽ eſſe; idẽ inferri licet de furto, & id genus criminib⁹, quę ad ſummã peruerſitatẽ nõ attingũt. Quod hoc ſit concedendũ, patet. Nã (autore D. Aug.) vti fruẽdis ſumma peruerſitas eſt. Vt hoc incõmodum effugiãt quidã nouitij Theologi, ſic diſtinguũt, vt dicãt, nõ omnes qui peccatum mortale cõmittunt frui vtẽdis, ſed eos ſolũ, qui in crimine ſuo beatitudinẽ, & ſummũ bonũ cõſtituunt; vt qui in voluptate, vel pecunijs, vel honoribus felicitatẽ ſuã eſſe cõſtitutam credant: hi vtiq; vtẽdis fruũtur, vt cõſtat ex D. Aug. li. 1. de doct. Chriſtia. c. 33. Hoc ipſum Paul. confirmat cũ dicit de hominibus plẽs nimio vẽtri deditis; quorum Deus venter eſt: & de auaritia dicit, quòd eſt idolorum ſeruitus. Cæterùm qui non amat pecuniam, vel voluptatem vt ſummum bonum ſuum, ſed furatur vt ſibi conſulat, aut ſuam leuet indigentiam, non ſummæ arguendus eſt peruerſitatis, neque vtendis fruitur.

D. Aug. Aug.

Propria ſententia.

¶ Ego verò diligenter conſiderans ſententias D. Auguſtini, & ſanctorum patrũ ſic decerno. Omnes homines qui peccatum mortale cõmittunt, vtendis fruuntur; nã in creatura conſtituũt vltimum finem ſuum, & amant creaturam plus quàm Deum; quod grauiſsimis argumentis cõfirmatũ eſt ſuprà q. 1. ex quo loco petenda ſunt ea, quæ ſunt huic veritati ſtabiliẽdæ, cõfirmandę; neceſſaria: nos ad alia progrediamur. ¶ Verumtamẽ antequam hinc diſcedamus, obſeruet Theologus quod D. Aug. ſcribit lib. 83. quæſtionũ, q. 30. Deo, inquit, nemo vtitur. ſed addit D. Tho. quòd fine vltimo, & Deo ipſo quodãmodo vtimur in noſtrũ cõmodũ, vt Deũ poſſideamus, & Deo fruamur. Hoc affirmat D. Aug. multis locis, nominatim 6. de tri. c. 10. & 10. li. de tri. c. 11. & D. Hilar. li. 2. de tri. paulo poſt principiũ,

Peccãs mortaliter vtendis fruitur.

Aug. D. Thomæ ſententia.

Aug.

Hilar.

Argu. prim. contra hoc vltimum.

¶ Sed hoc vltimum assertum videtur falsum; nam si vtimur Deo ad nostrum commodum, ergo referimus bonum infinitum, ad bonum finitum, quod peruersum est.

Secundum.

¶ Rursus sequitur, si vtimur Deo, quòd Deus absolutè non sit finis noster vltimus; nam vltimum quod expectamus de Deo, est aliquid creatum, nempè possidere illum, & de eo habere fruitionem.

Tertium.

¶ Vltimò sequitur ex isto modo dicendi, quòd beati in patria cœlesti non diligant Deum amore amicitiæ, sed amore concupiscentiæ; nam amant illum propter suum commodum, & ad hoc bonum vtuntur Deo.

Solutio.

¶ Pro explicatione huius quæstionis est primum dictum, quòd hęc sententia D. Thom. est D. Augustin. & D. Hilar.

Augustin.

Secundò dico, quòd hæc sententia potest habere duplicem commentarium; vnus est, quòd vtamur Deo sic, quòd referamus illum ad alium vltimum finem; & hic sensus est hæreticus; dicit enim Augustin. lib. 83. quæstionum, q. 30. quòd summa peruersitas est vti re fruenda, id est, vltimum finem ad alium finem ordinare tanquã medium. Secundus commentarius est, quòd vtimur Deo quodammodo in hoc sensu, quòd diligimus Deum non tantùm propter se, sed etiã propter commodum nostrum, quod inde deriuatur; & sic sensus est verissimus, in quo loquitur D. Augustin. & D. Thom. Itaque beati diligunt Deum amore amicitiæ purissimo; nam se, & omnia sua referunt in Deum, & sunt parati perdere se, & omnia sua pro Deo, si res postulauerit. Hunc purissimum amorem explicat Paulus ad Rom. 8. cum inquit. Quis nos separabit à charitate Christi? &c. certus sum quòd nec mors, nec vita, &c. Cum hoc tamen dico, quòd beati diligunt Deum amore concupiscentiæ, qui amor in suo genere est perfectissimus; nam diligunt illum vt proprium bonum.

Rom. 8.

Spei & charitatis discrimen.

¶ Ex hoc potest intelligi discrimen inter charitatem, & spem: nam charitas amat Deum amore amicitiæ propter seipsum, qui amor purissimus est: spes verò amat Deum vt bonum proprium, vt habeat, & possideat illum; & ideo est amor concupiscentiæ inferior charitate, sed in suo genere præstantissimus.

ARTIC. QVARTVS.

¶ *Vtrùm vsus præcedat electionem.*

SVMMA TEXTVS.

Conclusio.

Conclusio est. Vsus aliquando præcedit electionem, aliquando subsequitur: præcedit quidem, in quãtum volũtas applicat intellectum ad consultandum, & deliberandũ, ex quo sequitur electio: subsequitur verò, in quantũ applicat potentias ad executionem operis prędicti. Sed hæc de se perspicua sunt.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Vtrũ vsus ab electione distinguatur. Prim. argu.

Vtrùm vsus distinguatur ab electione disputant Theologi, & quòd nó distinguatur, sic suadetur. ¶ Nã electio efficax sufficit ad operandum: ergo superfluum est ponere alium vsum voluntatis.

Secundum.

¶ Deinde, si eligo ego efficaciter mouere manum ad scribendum, cõtinuò sequitur opus: ergo non est necessarius alius actus in voluntate.

Tertium.

¶ Vltimò, iste vsus voluntatis vel est circa finem, vel circa media: non circa finem; ergo circa media; ergo electio erit. Propter hæc argumẽta quidam Theologi reprehendunt D. Thom. quòd sine causa multiplicet actus voluntatis.

Solutio.

Pro explicatione tamen dico primò, quòd licèt ex electione necessariò sequeretur vsus voluntatis, non est consequens quòd non distinguatur ab electione: nam ex intentione efficaci finis, necessariò sequitur electio medij necessarij, sicut suprà dictum est: inde tamen non est consequens, quòd electio ab intentione non distinguatur. Secundò dico, mihi certissimũ est quòd electio distinguatur ab vsu voluntatis.

Progressus rationis in rebus agendis.

¶ Pro quo notandus est progressus rationis in rebus agendis. In primis ægrotus vult salutem, quæ est simplex volitio finis: deinde vult salutem acquirere per media; & hæc volitio est intentio finis. Tertiò, intellectus consultat de medijs conuenientibus. Quartò, voluntas eligit vnum medium præ altero, & in hoc completur ratio electionis. Quintò, est imperium efficax intellectus, quo dicit, fac hoc; ex quo sequitur vsus voluntatis, & applicatio ad operandum: si tamen voluntas consequitur finem præoptatum, fruitio est. Ex quo discursu manifestè patet quòd vsus distinguatur ab electione.

QVAESTIO XVII.

De imperio, in nouem articulos diuisa.

ARTIC. PRIMVS.

¶ *Vtrùm imperium sit actus rationis, vel voluntatis.*

SVM-

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Conclusio est. Imperare, est actus rationis, præsuppositio actu voluntatis. Quam conclusionem vt probet Diuus Thomas, supponit pro certo, quòd primum mouens ad exercitium operis est voluntas, quod sanè ex dictis satis probatum existimo. Deinde statuit D. Thomas, quòd actus voluntatis, & rationis supra seipsos ferri possunt, prout vna potentia aliam præuenit: nam ratio ratiocinatur de volendo, & voluntas vult ratiocinari, vult loqui, vult imperare. Præterea statuit Diuus Thomas, quòd secundum mouens, mouet in virtute primi mouentis: primum autem mouens in viribus animæ ad exercitium est voluntas. Ex his principijs talem eruit probationem. Mouere imperando, est mouere quantum ad exercitium: sed omne mouens quantum ad exercitium, mouet ex virtute voluntatis, quæ est primum mouens ad exercitium. ergo mouere imperando, est rationis essentialiter ex virtute voluntatis; quòd enim imperare sit rationis, nemini potest esse dubiũ, & idcirco Diuus Thomas tantùm probat, quòd sit rationis ex virtute voluntatis.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Almayn. Scot. Multi autores arbitrantur istum actũ præcipiendi superfluò esse excogitatum à Diuo Thoma, de quorum numero est Almayn. in suis moralibus tractatu tertio, capitulo secundo, & citat alios autores, idem sentientes. Scotus in secundo distinctione sexta, quæstione prima, & in quodlib. quæstione 17. obscurissimè loquitur de hac materia, & admittit hoc imperium animæ nostræ, sed refert illud ad voluntatem. Almaynus verò sic probat suum placitum.

Primũ arg. ¶ In primis, in intellectu non est nisi simplex apprehensio, compositio, vel diuisio, & discursus: at nullum istorum est imperium; ergo imperium non est intellectus.

Secundum. ¶ Deinde, vniuersa notitia intellectus vel est apprehensiua, vel iudicatiua; sed imperium non est notitia apprehensiua; omnis enim notitia apprehensiua, quę est in superiori, potest esse in inferiori; sed in inferiori non est imperium; ergo neque in superiori. Idem argumentum demonstrat, quòd notitia iudicatiua non sit imperium.

Tertium. ¶ Præterea, posito iudicio intellectus, possumus habere electionem, & operis executionem: ergo superuacaneum est ponere alium actum præcipiendi.

Quartum. ¶ Ad hæc, voluntas est regina, quæ habet efficaciam ad imperandum vniuersis potentijs; respicit enim vltimum finem, & habet in officio applicare omnes vires animę ad operandum: ergo si imperium est, ad voluntatem est referendum, non ad intellectum.

D. Thom. Certè Diuus Thomas in multis locis suæ doctrinæ apertè docet, quòd voluntas imperat omnibus potentijs, & etiam intellectui; signanter in quęstione septuagesimaprima, articulo sexto ad secundum, & in secunda secundę, quęstione quarta, articulo secundo ad secundum, & quæstione decima, articulo secũdo, & in titulo huius quęstionis statuit disputare de actibus imperatis à voluntate. Voluntas ergo imperat, non intellectus. Ad huius rei expositionem scire oportet, quòd qui in hac parte impugnant sententiã D. Thom. vel non legerunt Aristot. vel non intellexerunt.

D. Thom. placitũ est Arist. Is namque sexto ethicorum à capite octauo vsque ad duodecimum, loquitur locupletissimè de hoc imperio intellectus; scribit namque tres virtutes esse necessarias ex parte intellectus; εὐβουλίαν, quæ est bona consultatio de medijs, quæ tum nobis, tum alijs rectè consulere possumus; altera verò quam Græci vocant συνεσιν, quę est quædam sagacitas atque solertia ad iudicandum, quod medium sit magis ad finem consequendum consentaneum: reperies enim multos homines qui de medijs rectissimè consultant, semper tamen peiori consilio & sententiæ adhærent: præterea requiritur prudentia, cuius munus est imperare, & præcipere, vt id quod est deliberatum, executioni mandetur: & quòd hæc virtus sit necessaria præter eas quas commemorauimus, vel hoc argumento demonstratur. Nam sunt quàm plurimi homines qui rectè cõsulunt, & rectissimè

Tres virtutes ex parte intellectus.

ctissimè iudicant quid facto opus sit, qui tamen difficultate rei perterriti non imperãt operis executionem. Igitur (autore Aristot.) imperare est intellectus, in quo residet prudentia, quæ imperantis in nobis locum obtinet: atqui eadem ratione qua senator consilijs Rempublicam regit, prudentia in nobis, tum sibi, tum alijs modum agendorum præscribit, ac præcipit. Idem Aristotel. primo polyticorum, capitulo tertio, definit apertè & dilucidè, quomodo ratio imperat; corpori quidem, imperio seruili, veluti Dominus imperat seruo: appetitui verò sensitiuo, imperio polytico & ciuili, quemadmodum rex imperat ciui. & in decimo ethicorum, capitulo septimo & octauo, constituit summam felicitatem in actu intellectus, eò quòd intellectus sit præstantissima animæ nostræ potentia; præstantiùs verò est imperare. Cum Aristotele sentiunt vniuersi alij Philosophi, qui in hoc constituunt & definiunt virtutem esse positam omnem, vt voluntas obediat rationi.

Aristot.

¶ Sed prætermissis autoritatibus, idem demonstratur euidentissimis argumentis. Certè imperare, est loqui, & denunciare, facias hoc, ne facias: at loqui & denunciare, est opus intellectus. Deinde imperare, est regere & gubernare: regere verò est opus sapientiæ, iuxta illud. Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt: tum deinde, quoniam lex naturalis est lumen illud signatum super nos, de quo in Psalmo quarto legitur: lex verò quoddam imperiũ est, lumen verò ad intellectum pertinet. Item, non tenemur nos conformare voluntati diuinæ, aut prælatorum; at tenemur præcepto, vt docent vno consensu vniuersi Theologi, & ratio persuadet. Nam quanquam exploratum sit Deũ velle interficere patrem meum, possum certè de hac re dolere, & mœrore affici: & quanquã rectè intelligam prælatum meum velle vt ego permaneam in cellula, non teneor permanere nisi præcipiat. Hoc ipsum confirmatur. Nam potest iudex aliquid præcipere absque voluntate quod illud fiat, & est verum imperium. ergo imperium non est actus voluntatis, sed intellectus. Ad vltimum, si est actus voluntatis, vel est volitio, vel nolitio. non est volitio; nam licèt ego intelligam prælatum meum aliquid velle, nondum præceptum est mihi vt aliquid faciam; quod verò non sit nolitio, euidentiùs est quàm vt demonstrari opus sit. Idem argumentum euidenter demonstrat, quòd imperium non sit iudicium intellectus; nam licèt prælatus, aut rector iudicet aliquid esse conuenientissimum, & quidem iudicio certissimo, nondum præceptũ est cui ego teneor obedire.

Psal. 4.

¶ Sed iam est tẽpus vt argumenta contraria diluamus. Ad primum dicendum, quòd in intellectu speculatiuo tantummodo ponuntur illi actus commemorati: sed in intellectu practico necessarium est cõstituere actũ præcipiẽdi, vt satis probatũ existimo. Neque enim est incommodum aliquod, constituere in intellectu practico alios actus, quàm in intellectu speculatiuo; siquidem constituimus in intellectu practico aliam veritatem: veritas enim intellectus practici est conformiter se habere ad appetitum rectum; veritas autem speculatiua est conformiter se habere ad rẽ ipsam. Vel dicat Theologus, quòd imperium reducitur ad discursum & syllogismum: est enim velut conclusio syllogismi practici, qua concluditur, hoc vel illud esse faciendum.

Argum. Ad primũ.

¶ Ad secundum dicendum est, quòd imperiũ nõ est notitia apprehensiua, neque iudicatiua, sed imperatiua: multi enim actus inueniuntur in intellectu, qui nec sunt apprehensiui, nec iudicatiui: huiusmodi sunt oratio, promissio. Vel dicatur, quòd imperium reducitur ad iudiciũ; est enim veluti conclusio, & veluti iudicij vltima sententia.

Ad secundũ

¶ Ad tertium negatur antecedens; iam enim multis ostensum est quemadmodum imperiũ sit necessarium ad operationes humanas rectè dirigendas.

Ad tertium

¶ Ad quartum dicendum, quòd si voluntas est regina, intellectus est rex, & imperator, cuius officium est regere voluntatem, & illi modum agendorum præscribere, sine cuius ductu ambo in foueam cadunt. Hæc doctrina inuenitur apud omnes sanctos, apud omnes rectè sentientes, quòd prudentia imperat, voluntas debet obedire; nisi apud perditissimos homines, apud quos valet illud; Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas. Fateor tamen quòd voluntas habet in officio mouere omnes animæ potentias ad operandum: qua ratione dicunt sæpenumero Philosophi, & Theologi, quòd imperat vniuersis potentijs; cæterùm quoniam non imperat intimando, regendo, illuminando, non propriè dicitur imperare. de qua re loquitur optimè Diuus Thomas in secunda secundæ, quæstione 47. artic. 8.

Ad quartũ

D. Thom.

¶ Sed quærimus, si sic ita se habet quòd imperium præcipuè pertineat ad rationem, quid est quod dicit D. Thomas, quòd imperium sit actus rationis ex virtute voluntatis, tanquam primi motoris? ¶ Nam si intellectus imperat, & mouet ex virtute voluntatis: ergo vis & efficacia imperij præcipua, pertinet ad voluntatem. Quòd verò imperium sit ex virtute voluntatis, adhuc alijs argumentis præcipuis demonstratur esse falsum. Nam intellectus

Dubium.

Prim. arg.

est

est nobilior potentia quàm voluntas: ergo intellectus cum regit, & gubernat, non habet vim mouendi ex voluntate; alioqui voluntas superior est. ¶ Ad hæc, imperium est præcipuus actus prudentiæ, quo regit, & gubernat opera humana: motio verò voluntatis est actus virtutis moralis temperantiæ, vel iustitiæ, vel fortitudinis: at virtus moralis inferior est ipsa prudentia: ergo imperium prudentiæ non mouet ex virtute voluntatis, quasi voluntas sit primũ mouens, & intellectus veluti secundus motor.

Secundum.

Solutio. Volũtas in motione quo ad exercitium, excellit.

¶ Ad hæc argumenta dicendum, quòd volũtas in mouendo, quãtum ad exercitium operis, primas tenet, & ideo sub ista ratione & consideratione superior est, quàm sit intellectus, vel ratio; cæterùm intellectus superior est absolutè, & simpliciter; quia mouet imperando, dirigendo, illuminando: fateor tamen quòd nunquam regeret, aut gubernaret, nisi voluntas applicaret ad regendum. Et sic ad alia argumenta quæ sequũtur, concedendum est, quòd virtutes morales, quæ sunt in voluntate, quadamtenus ratione quo ad exercitium superiores sunt; at prudentia absolutè, & simpliciter superior est. Vel dicatur, quòd in voluntate geminus actus inuenitur, temperantiæ, aut iustitiæ; alter in communi, quo voluntas vult sobriè & temperatè comedere; alter verò, quo vult nunc temperatè & sobriè comedere: porrò hic actus secundus non mouet intellectum ad imperium, quin potiùs est actus imperatus à prudentia, sed ille primus actus efficaciter mouet intellectum ad imperium. Neque enim videtur inconueniens concedere, quòd temperantia, quatenus mouet intellectũ ad imperium, & ad exercitium, sit aliquo modo superior quàm prudentia: virtus enim temperatiæ versatur circa finem, efficitq; rectum appetitum ad finem, ad quem prudentia dirigit media, & imperat quemadmodum sunt opere cõplenda: itaque temperantia efficit vt homo sit rectè dispositus ad opera temperantiæ, & sobrietatis; prudentia verò statuta recta intentione finis, excogitat, & præscribit media, quæ ducunt ad finis consecutionem.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ *Vtrùm imperare conueniat brutis.*

SVMMA TEXTVS.

Conclusio.

Oncluſio eſt negans. Nam nihil aliud eſt imperare, quàm aliquem ordinare ad aliquid agẽdũ cũ intimatiua motione; quod propriè actus rationis eſt, vnde brutis non conuenit, niſi largè capiatur imperare, pro mouere.

ARTIC. TERTIVS.

¶ *Vtrùm imperium præcedat vſum.*

SVMMA TEXTVS.

Conclusio.

Oncluſio eſt affirmans. Nam prius eſt quod ratio præſcribat, & imperet quid ſit faciendum, quàm quòd applicentur potentiæ ad operandum: vſus verò accipitur pro applicatione potentiæ ad opus, ſicut ſuprà explicatum eſt: ſed electio prior eſt imperio, & electione prius eſt conſilium.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Ordo imperij, consilij, electionis, & vsus, inter se.

DE ordine quem inter ſe habeant, imperium, conſilium, electio, & vſus, breui ſermone diſſerendum eſt. Pro quo ſcire oportet, quòd vſus, quo voluntas applicat intellectum ad conſultandum, & deliberandum de mediis, præcedit imperiũ. hæc de ſe apertiſſima ſunt. Sed illud habet dubitationem; vtrùm iſte vſus vltimus neceſſariò ſequatur ex imperio intellectus efficaci? Certè Diuus Thomas, articulo primo ad tertium, & articulo quinto ad primũ, pro euidẽti habet, quòd poſito imperio efficaci ex parte intellectus, neceſſariò ponitur vſus, & actus: quæ ſententia abſque dubio vera eſt. Nam imperium efficax illud eſt, ad quod neceſſariò ſequitur opus, ſi impedimentum non adhibeatur: ſic enim definitur imperium efficax. Deinde ex volitione efficaci neceſſariò ſequitur opus, quod ſuperiùs eſt demonſtratum. Sed imperium ſequitur ad volitionem efficacem; ergo ex imperio efficaci neceſſum eſt vt opus ſubſequatur. Præterea ex imperio, & volitione efficaci, neceſſariò ſequitur membrorum motio, & potentiarum exequentium, ſi non ſit impedimentum; ſiquidem membra, & potentiæ exequentes, non habent libertatem vt contradicere valeant: ſed vſus voluntatis impediri non valet: ergo ex efficaci imperio, neceſſariò ſequitur vſus, & applicatio potentiarum. Propter quod

D. Thom.

quan-

Aug. quando dicit Aug. lib. 8. confess. c. 9. quòd animus imperat vt velit, neq; tamen facit: intelligendum est, quando imperat imperfectè. & ita testatur Augustinus eodem loco: sic etiam explicat D. Tho. ar. 5. ad 1. Sed hic obseruandum est, quod prius adnotauit Capr. in 3. d. 36. quòd quidam imponunt falsò D. Tho. quòd doceat in hac quæstione, quòd posito iudicio ex parte intellectus, quod explicatur his verbis, faciendũ est hoc; dignum est vt fiat hoc; necessariò sequitur opus. quod nunquam docuit D. Tho. tantũ enim asseruit hoc de imperio efficaci; imperium autem iudicium non est, & hanc doctrinam dãnat, & meritò, articulus Parisiensis. ¶ Sed ex hac definitione alia emergit dubitatio. Nã si ex imperio efficaci intellectus; necessariò sequitur vsus voluntatis, videtur esse consequens, quòd in vsu voluntatis non sit meritum, siquidem liber non est, & meritum non est, nisi opus liberum sit. Ad huius rei expositionem dicendum est, quòd vsus voluntatis, qui necessariò sequitur ex imperio efficaci, habet suum meritum, & suam laudem; nam prædictus vsus liber est, siquidem illa necessitas, est necessitas conditionalis, & ex suppositione, quæ non tollit libertatẽ. Idem dictum est superiùs de electione medij necessarij, quæ quanquam necessariò sequitur ex intentione efficaci finis, nihilominus sua laude & merito nõ fraudatur. Verùm si loquamur de vsu membrorum exteriorum, qui necessariò sequitur ex imperio, per se non habet meritũ, neq; laudem; tum, quoniam actus exterior de se non est liber; tum verò, quoniam actus exterior non addit aliquam bonitatem, vel malitiã super actum internum. Hactenus explicatũ est quomodo se habeat imperium ad vsum, superest disputare quemadmodum se habeat ad electionem. ¶ Pro cuius intelligentia animaduertẽdum est, quòd ratio, & prudentia, potest imperare voluntati vt eligat hîc, & nunc, & tale medium, putà, talem religionem; & eiusmodi imperium, liquidum est quòd præcedat electionem. Alio modo potest imperare voluntati, vt applicet vires animæ ad exequendum opus, & tale imperium consequitur electionem: nam postquam est deliberatum de medio, & voluntas eligit tale medium, sequitur imperium, quo applicantur potentiæ ad operandum. Ex qua doctrina consequens est, quòd imperium interdum præcedat electionem: quod esse verum, negat vehementer Soto lib. 1. de iustitia, q. 1. arti. 1. Sed probatur sic esse. Nam actus prudentiæ præcedit electionem: sed actus prudentiæ est præcipere; ergo præcipere præcedit electionem. Maior argumenti probatur ex definitione virtutis. Virtus enim est habitus electiuus, in medio consistens, prout prudens determinauerit. Minor argumenti euidens est. Hoc ipsum confirmatur. Nam prudentia est gubernatrix, & directrix omniũ virtutũ; ergo non potest esse actus virtutis sine actu prudentiæ: at electio est actus virtutis, præcipere est actus prudentiæ: ergo præcipere præcedit electionẽ virtutis. ¶ Illa verò quæstio, vtrũ electio subsequatur necessariò ex imperio efficaci intellectus, ex dictis solutionem habet. Namq; dicendum est, quòd necessariò & infallibiliter sequitur; neq; verò ex hoc cõsequẽs est, quòd ad electionẽ nõ sit necessaria virtus; neq; verò sequitur, quòd nõ sit meritoria, & laudabilis: nã quanquã necessariò sequatur, cũ hæc necessitas sit conditionalis, & ex suppositione, nõ spoliat humanam volũtatem libertate. Et tantũ de hoc articulo.

D. Thom. Capr. no. Obiectio. Solutio. Imperium aliquando præcedit electionem Soto.

ARTIC. QVARTVS.

¶ Vtrùm imperium, & actus imperatus, sint actus vnus, vel diuersi.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Conclusio sic habet. Imperium, & actus imperatus, sunt vnus actus humanus, sicut vnum totũ compositũ ex illis: sed tamen sunt diuersi, sicut partes totius. Probatio D. Th. non est omnino aperta, procedit tamen hoc modo. Imperium, inquit, & actus imperatus, simpliciter & secundum subsistãtiam suam non sunt vnus actus, sed plures, prout imperium præcedit actũ imperatum, & quandoq; prius est eo in tempore; cæterùm imperiũ, & actus imperatus, secundum quod sunt vnus actus humanus, sicut quoddam totum; quia actus inferioris potentiæ, materialiter se habet ad actum superioris, in quantũ inferior potentia agit in virtute superioris mouentis ipsã; sic & actus primi mouentis, formaliter se habet ad actũ instrumenti: vnde quãdo vna potentia est mouẽs alterã,

tunc

tũc actus earum sunt quodãmodo vnus; quia idem actus est mouẽtis, & moti; vt dicitur 3. physicorum.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Aristot. ARistot. 3. physicorum, cap. 3. tractat, & ostendit, quomodo actio agentis, & passio patientis, sint idem motus, & idem actus, & motio mouentis, & motio mobilis, idem motus, & idẽ actus doctio, & disciplina; licèt diuersis rationibus. Fortasis Aristot. in proposito diceret, quòd actus imperatus, est motus rationis, & motus alterius potentiæ, & non quòd imperium, & actus imperatus simul sint vnus actus: sed quia in materia morali pro eodem computantur, neque habent duas malitias, aut bonitates, ideo possunt dici vnus actus humanus, quanquam sunt duo entia. Et hoc est verum, siue teneamus quòd actus imperatus necessariò sequitur, siue non; quia quo ad bonitatem, vel malitiam, pro eodem reputatur: & potest adhiberi exemplum ad hoc elucidandum: sicut reserare seras, effringere fores, rapere aurum, vnus actus vocatur, & pro vno peccato computatur.

Conrad. ¶ Admonet hic Conradus, quòd Diuus Thomas non ponit aliquam vnitatem realem, nec ex natura rei in pluribus, sed solùm secundum rationem: vnde Diuus Thomas non dicit, quòd imperium, & actus imperatus, sit vnus actus simpliciter, sed vnus actus humanus, & vnum, sicut totum, prout explicat in solutione primi; quia est vnitas moralis & non naturalis. Hæc de isto articulo.

ARTIC. QVINTVS.

¶ Vtrùm actus voluntatis possit esse imperatus.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Concluſio affirmãs est. Nam actus nostræ voluntatis est in nostra potestate, & nostro subiacet imperio; potest enim ratio ordinare de actu voluntatis: sicut potest iudicare quòd bonum sit aliquid velle, ita potest ordinare imperando quòd homo velit. Ex quo patet, quòd actus voluntatis potest esse imperatus.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Dubium. IN hoc articulo videtur esse grauis & subdifficilis quæstio, quomodo Diuus Thomas in innumeris locis suæ doctrinæ magna assuetatione doceat, quòd intellectus non mouet voluntatem efficienter, neque ad exercitium actus, sed docuit quòd mouet quantum ad specificationem, proponendo illi obiectum. Sic di- D. Thom. cit apertè quæstione nona, articulo primo ad tertium. Hic verò docet, quòd actus voluntatis imperatur à ratione; constat autem ex articulo primo, quòd ratio mouet per imperium, quantum ad exercitium actus. Quomodo hæc non est contradictio, quòd intellectus non mouet voluntatem, quantum ad exercitium, & quòd actus voluntatis imperetur ab intellectu mouente, quantum ad exercitium? Ad hoc dubium quidam Theologi, ex his qui interpretantur Diuũ Thomã dicunt, quòd in quæstione nona loquebatur Diuus Thomas de motore extrinseco, & ita inficiatur voluntatẽ moueri ab alio extrinseco, nisi à solo Deo: potrò ipsa ratio per imperium non censenda est tanquam motor extrinsecus, præsertim cùm omnis virtus motiua, quam habet imperium, deducatur ex virtute voluntatis tanquam primi mouentis.

¶ Verùm contra istam solutionem sic arguitur. In primis D. Thomas quæstione nona, articulo primo ad tertium, comparat voluntatem cum intellectu, & omnino negat moueri ab illo ad exercitium. Deinde fieri nõ potest quòd idem sit mouens, & motum simul, respectu eiusdem, & secundum idem. Sed voluntas mouet intellectum ad exercitium actus, & ad imperiũ; ipsa enim est quæ applicat intellectum ad consultandum, definiendum, & imperandum. ergo intellectus per imperium non mouet voluntatem ad exercitium sui actus. Ad huius rei elu- Exponitur D. Thom. cidationem dicendum est, quòd cum in hoc loco dicit Diuus Thomas actus voluntarios imperari ab intellectu, sensus est, quòd actus volũtarij subduntur rationis imperio; cæterùm in imperio duo sunt, ordinare, & dirigere actum voluntatis circa id quod agendum est, & mouere ad tale exercitium: primum officium habet ratio circa actus voluntarios; secundum habet voluntas: voluntas enim mouet intellectum ad imperandum, & viceuersa intellectus mouet voluntatem, regendo, atque dirigendo. Itaque actus voluntatis dicitur imperari à ratione, quatenus ordinatur ad exercitium, sed non quia efficienter ratio moueat voluntatem: virtus enim mouendi non potest deriuari à ratione ad voluntatem, sed ècontrario: respectu verò aliarum potentiarum, quæ subia-

subiacent imperio rationis, vtrumque verificatur, & quòd ratio dirigit operis exercitium, & mouet per suum imperium ad illud. Sed multò melior solutio est, quòd quando dicit Diuus Thomas, quòd intellectus non mouet efficienter voluntatem, quantum ad exercitium, intelligit, quod est ex parte intellectus: at verò si intellectus consideretur vt motus à voluntate, tunc accipit virtutem & efficaciam mouendi, quantum ad exercitium alterius actus; nam efficacia & energia huius motionis tandem in voluntatem referri debet, vt ad primum motorem. ¶ Vnde ad argumentum quod fecimus (quia ex hoc sequitur, idem esse mouentem, & mobilem respectu eiusdem, siquidem intellectus mouet voluntatem, quantum ad exercitium, & voluntas mouet intellectum ad operis exercitium) dicendum est, quòd quando alterum mouens, non mouet propria virtute, sed in virtute alterius mouentis se, non est incommodum concedere, quòd sit mouens, & mobile respectu eiusdem; quod perinde est atque si dicemus, quòd mouens se mouet se ipso mediante aliquo instrumento quod ipse mouet; id quod in viuentibus verissimũ esse deprehenditur; vt cùm homo mouet efficienter cymbam mediante remo, & simul mouetur ab illa; & anima mouet corpus localiter, & mouetur ab ipso corpore. Vel dicatur, quòd quando motus non sunt eiusdem speciei, non est inconueniens quòd duo mouentia inuicem se moueant efficienter; vt cum duo agentia inuicem se alterãt, alterum secundum calorem, alterum secundum frigiditatem; sic voluntas mouet intellectum ad intelligendum, vel imperandum; intellectus verò per imperium mouet voluntatem ad exercitium vsus, & vt applicet potentias executiuas ad opus; quoniam vsus est quodammodo alterius speciei, sicut imperium & vsus differunt specie. Itaque in summa dico, non esse inconueniens quòd idem sit mouens, & motum, respectu diuersorum actuum.

Solut. arg.

ARTIC. SEXTVS.

¶ Vtrùm actus rationis imperetur.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Conclusio est affirmatiua. Nam ratio supra se ipsam reflectitur; & sicut de actibus aliarum potentiarum ordinat, ita etiam potest ordinare de suo actu. Itaque actus rationis cadit sub imperio ipsius rationis: & quidem quantum ad exercitium, semper quiuis actus rationis potest imperari; nam de quouis actu rationis potest ratio ordinare quando sit efficiendus, quando verò non: sed quantum ad obiectum, est aliquis actus tum rationis, tum voluntatis, qui sub imperio non cadit. Nam sicut cõsensus rationis ad principia prima existit naturalis, ita motus voluntatis est naturalis respectu boni in communi, & respectu vltimi finis: & ita imperio rationis non subiacet an bonum sit appetendum, & num prima principia vera sint; cæterũ quantum ad assensum eorum quę non conuincunt intellectũ, actus rationis subiacet imperio, vt in assensu fidei, & in opinione probabili.

EXPLICATIO ARTICVLI.

IN hoc articulo duo sunt animaduersione digna; vnum est, quòd ille actus rationis subiacet imperio rationis, qui est in potestate nostra. Et in vniuersum habendum est pro certo, & euidenti, quòd ea opera, quæ libera sunt, & in potestate nostra constituta, sic vt possimus operari, & non operari, sic, vel aliter operari, subiacent imperio rationis: nam de his potest ratio ordinare, & in his modum præscribere; cæterùm ea quæ non sunt in potestate nostra, sed veniunt ex necessitate naturæ, vel omnino à principio extrario, rationis imperio non subiacent. Alterum quod animaduertendum censeo, est, quòd ratio ipsa, atque adeò prudentia, quæ est directrix humanorum actuũ, tum sibi, tum alijs modum agendorum præscribit; quemadmodum dialectica vna cùm sit, docet rectè argumentari, tum in alijs scientijs, tũ in ipsamet dialectica. Sed hæc facilia sunt, ad alia procedamus.

AR-

ARTIC. SEPTIMVS.

¶Vtrùm actus appetitus sensitiui imperetur.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Conclusio est affirmatiua. Nã appetitus sensitiuus, est virtus particularis: ratio verò est veluti virtus vniuersalis, quæ in homine dominatur, & ideo subiacet imperio ratiõis. Sed quia est virtus organica, quæ depẽdet etiã ex dispositione corporis, ex hac parte impeditur quin motus appetitꝰ sensitiui totaliter subdatur imperio rationis: potest etiã subitò concitare motus appetitus sensitiui, ad apprehensionẽ imaginationis, vel sensus; & tũc ille motus est propter imperiũ rationis, quãuis à ratione potuisset impediri, si præuidisset: ratio enim præest appetitui sensitiuo, principatu politico, & non despotico, secũdum Arist. 1. Politicorum.

Aristo.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Examinatur conclusio articuli. Prim. argu. Secundum Roma. 7. QVæ hic dicũtur ab autore, subobscura esse videtur: nam cùm dicit, quòd actus appetitus sensitiui subiacet imperio rationis, vel intelligit in vniuersum, vel intelligit determinatè. Si intelligit in vniuersum, falsum dicit cõclusio articuli; quia interdũ vult quis tristari, & cõdolere amico, & tamẽ nõ tristatur. Præterea sæpenumero præcipit ratio vt nõ cõcupiscat appetitus sensitiuus, nihilominus cõcupiscit. quod apertè declarat Paulus in Epist. ad Rom. cum inquit; Sentio aliã legẽ in mẽbris meis, repugnantẽ legi mẽtis meæ, & captiuũ me ducẽtẽ in legem peccati. & paulò antè dicit; Quòd si quod nolo malũ, hoc ago, iam nõ ego operor illud, sed quod habitat in me peccatũ: ideſt, cùm nolo cõcupiscere, siue nõ sentire motus cõcupiscẽtiæ, & interim hoc non præsto, sed quod odi malũ hoc facio, id est cõcupisco secũdũ carnẽ, cõtradicẽte ratione, cõsequens est quòd ego non ago illud, sed quod habitat in me peccatũ, id est fomes peccati. Ex quibus verbis manifestè liquet, quòd motus cõcupiscẽtiæ nõ subiacẽt imperio rationis. ¶Ad huius rei expositionẽ sciẽdũ est, sentẽtiã D. Th. quæ etiã est fidei doctrina, esse, quòd motus appetitus sensitiui partim subiacet imperio rationis, partim nõ subiacet: subiacet sanè ex ea parte, qua est virtus particularis, quæ subditur rationi, veluti rectori vniuersali: subiacet insuper ex ea parte, qua sensus & imaginatio subiacent rationis imperio; nã appetitus sensitiuus nõ mouetur, nisi per imaginationẽ, & potentias sensitiuas: cùm ergo aliquo modo imaginatio, & cogitatio subdantur imperio rationis, cõsequẽs est vt appetitus sensitiuus subdatur imperio rationis. ¶Sed hic aduertat Theologus, quòd ipsamet apprehẽsio, & cogitatio, propter dispositionẽ organi corporalis, quæ turbatur ex aliquo motu interiori, nõ omninò subiacet imperio rationis. Experiẽtia enim cõpertũ est, q̃ sæpe volumus cogitationes turpes à nobis depellere, & nõ valemus: vnde verissimè dicitur, quòd appetitus sensitiuus ex vnaparte subiacet imperio rationis, ex alia parte nõ omnino subditur, prout iam expositum est. Sed & alio modo hæc eadẽ veritas explicatur. Certè motus cõcupiscẽtię nõ semper sunt in manu nostra, vt & D. Paulus docet, & experiẽtia comprobat: at cõsentire cõcupiscentijs, hoc est positũ in arbitrio volũtatis nostræ, & in imperio rationis: itaq; cõsensus in cõcupiscẽtiã subiacet imperio rationis; cõcupiscere verò non semper, propter dispositionẽ corporei organi, de quo in superioribus abundè me dixisse existimo. quapropter ad argumẽta deueniendũ. ¶Ad primũ dicendũ, quòd autore dño Caietano nũquã accidit, quòd aliquis perfecto imperio velit tristari, & nõ tristetur; quã quã cõtingit quòd aliquis vellet velleitate imperfecta tristari, & nõ tristetur: quia tũc imperiũ est imperfectũ: sed tamẽ profectò hoc nõ videtur verũ esse, quia sæpenumero accidit, quòd volũtas velit aliquid, & operetur illud ex imperio efficaci, & quòd appetitus sensitiuus contradicat, vel saltẽ operetur cũ tristitia; quod solet inueniri etiã in viris perfectis: hoc accidit ex dispositione organi corporei appetitus sensitiui, qui omnino nõ subiacet rationis imperio. Verũ est tamẽ, quòd perseuerãte imperio rationis, tandem vincitur concupiscẽtia, saltẽ adiuuãte diuina gratia. ¶Ex his patet solutio ad secundum argumentum. Necessariò enim concedendũ, quòd concupiscere nõ semper subiacet imperio rationis, sed cõsentire concupiscentijs, vel non cõsentire, subiacet rationis imperio. Sed quomodo imaginatio, & cogitatio subiaceat imperio rationis, est

Motus appetitus sensitiui partim subiacent rationi, partim non.

Nota.

Ad argumenta.

Ad primũ Caieta.

Ad secũdũ.

Quomodo cogitatio subdatur imperio rationis.

paucis explicandũ. In primis dico, quòd imaginatio ſubditur imperio rationis, nõ quorũcumq; , ſed conſideratorũ à ratione: nã ratio poteſt præcipere imaginationi quòd repræſentet triſtia, & ponat ob oculos cruciatus dã natorum, vt à peccãdo abſterreamur. Deinde dicendũ eſt, quòd imaginatio ſubditur imperio rationis, quòd eſt ex parte animæ: nam ex diſpoſitione corporis bene poteſt accidere vt non ſubſit rationis imperio, vt patet experientia. Demũ dico, quòd ablatis impedimentis corporis, in poteſtate noſtra, & arbitrio eſt poſitum excludere imaginationes turpes, & ſumere alias meliores propter perfectum imperium rationis: contingit tamen interdum in hominibus negligentibus, quòd perſiſtant iſtæ imaginationes importunæ, & dicant ſe illas pati, & mentiantur: nam hoc accidit ex negligentia, & ſocordia, & ex imperio rationis imperfecto, & minimè ſerio.

ARTIC. OCTAVVS.

¶Vtrùm actus animæ vegetabilis imperentur à ratione.

SVMMA TEXTVS.

Concluſio. Concluſio eſt negans. Quia appetitus naturalis nõ cõſequitur aliquã apprehẽſionẽ, ſicut appetitus animalis, & intellectualis: ratio verò imperat per mõdũ apprehenſiuæ virtutis, intimãdo, dirigẽdo: vnde quãtò aliquis actus eſt immaterialior, tantò eſt nobilior, & rationis imperio magis ſubditur. Sanè in confirmationem huius ſententiæ Greg. Niſſ. dicit Gregorius Niſſenus, quòd id, quod non perſuadetur à ratione, eſt nutritiuum, & generatiuũ.

EXPLICATIO ARTICVLI.

QVÆ hic habẽtur, obſcura admodum nõ ſunt, ſi quis quæ ſuperiùs ſunt dicta, ſatis aſſecutus eſt. Nã ea opera, quorum nõ habemus dominiũ, & quæ nõ ſunt in noſtra poteſtate, imperio rationis non regũtur: nutritio verò, digeſtio, augmẽtatio, opera ſunt naturæ, quæ non ſunt in noſtra poteſtate, neq; ſequũtur cognitionem: & ideo ratio nõ magis animæ vegetabili imperat, quàm lapidi, qui omnis cognitionis eſt expers. hæc igitur indubia ſunt. ¶Sed illud habet dubitationẽ, quod aſſerit D. Tho. quòd quãtò aliquis actus eſt immaterialior, tãtò magis ſubditur rationis imperio: vnde ex hoc ipſo quòd vires animæ vegetabilis non ſubdũtur rationis imperio, oſtẽditur eas eſſe infirmas, & materiales. Certè hæc ſentẽtia videtur falſa. ¶Nã mẽbra magis obediũt rationi, quàm paſſiones appetitus ſenſitiui: obediũt nãq; ſine cõtradictione, & , quod dicunt Theologi, ad nutũ: at mẽbra ſunt materialia magis, quàm appetitus ſenſitiuus, qui nõ tem per paret rationi; imo quàm vires animæ vegetabilis, quæ nullo modo ſubſunt rationis regulæ: ergo nõ eſt verũ quòd res, quãtò magis eſt immaterialis, tãtò magis ſubditur imperio rationis. Nã ſecũdũ iſtã rationẽ, paſſiones appetitus ſenſitiui, cùm ſint actus ſpiritualiores, deberẽt magis rationi ſubdi, quàm motus manus, aut pedis. Hæc obiectio habet duas expoſitiones; altera eſt ipſius D. Th. in articulo ſequẽti ad primũ: dicit enim, quòd mẽbra non mouẽt ſeipſa, ſed mouẽtur per potentias animæ, quarum quædã ſunt rationi viciniores, quàm vires animæ vegetabilis. Itaq; inſinuat D. Tho. his verbis, quòd potẽtiæ, quæ mouẽt mẽbra exteriora, ſunt magis immateriales, & viciniores rationi, quàm vires animæ vegetabilis, quæ omnino materiales exiſtũt. Alterã ſolutionem adhibet hic dominus Caietanus, quam ferè nemo intelligit: dicit enim, quòd obediẽtia oritur ex propinquitate aliqua; ſed propinquitas eſt gemina; ſimilitudinis, & proportionis: & ſecũdũ ſimilitudinẽ quidẽ quãtò actus eſt nobilior, tãtò propior eſt ſecũdũ naturã ſuã rationi, & aptior vt ſequatur eam: ſecundũ proportionẽ verò, quãtò bonũ propriũ ad quod aliquid ordinatur, eſt magis cõſonũ rationi, tãtò magis ſubditur eius imperio. Cõſtat autẽ quòd appetitus ſenſitiuus, & corpus aptũ natũ obſequi rationi, ſic ſe habẽt ad propria bona, quòd appetitus ſenſitiuus ex natura propria inclinatur ad bonũ contrariũ rationi; caro enim cõcupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnẽ: corpus verò ex natura ſua nõ inclinatur ad bonũ diſſonum rationi, imo à natura fabricatũ eſt habile ad motũ cõſonum rationi. Cuius duo ſigna ſunt; primũ, quòd corpora cœleſtia ad ſolũ rationalẽ motum habilia ſunt, nihil omnino habẽtia impedimenti ad obediendũ rationi motrici; ſecundum quod in nobis nullus nouus motus animalis membrorum noſtrorum ſubducitur ab obedientia, & imperio rationis, niſi ſolus motus pudendorum, qui ad maximè delectabile ſecundum ſenſum, quod eſt obiectum appetitus

Dubium. Vtrùm actus immaterialior magis ſubdatur rationi.

Arguitur.

Explicatur propoſitio D. Tho.

Caiet.

tus sensitiui ordinatur; de quo scriptum est; Video aliam legem in mẽbris meis repugnantem legi mentis meæ. Passiones ergo appetitus sensitiui, licèt magis obediant rationi ex nobilitate suæ naturæ, quàm corporis mẽbra, propter contrarietatem tamen annexam bono proprio ad rationem, non plenè rationi subduntur: membra verò quoniam non habent talem contrarietatem, omnino rationis imperiũ subsequũtur; quod intellige, quãdo disposita sunt naturali dispositione: si enim infirmitate, aut lassitudine indisposita sunt, non possunt rationis imperio omnino sub esse. Hæc Caietanus. Ego verò breui decerno, appetitum sensitiuũ nobiliori modo obedire rationi, quàm corporis membra: etenim appetitus sensitiuus in homine, quia liber est, & potest obedire & non obedire, suscipit in se (vt ita dixerim) formam obedientiæ; sicut ciuis obedit principi: membra verò corporis externa obediunt rationi ex quodam instinctu naturæ, sicut penicillus obedit pictori: secundum quem modum rationalis anima est magis obediens propriè, quàm anima bruti; quamuis anima bruti nunquam diuinum præceptum transgrediatur: anima enim bruti non est capax vt suscipiat formam obedientiæ, sed tantùm mouetur instinctu naturali. Ex his patet, quòd quantò aliqua res est immaterialior, tantò magis subditur imperio rationis, quod verissimè asseruit D. Tho.

Appetitus sensitiuus nobilius obedit rationi, quã mẽbra externa.

ARTIC. NONVS.

¶Vtrùm actus exterior obediat imperio rationis.

SVMMA TEXTVS.

Prima con. ¶PRima Cõclusio. Actus membrorũ exteriorũ quæ mouentur à potẽtijs sensitiuis, subduntur rationis imperio.

Secunda. ¶Secunda Conclusio. Motus mẽbrorum, qui consequũtur vires naturales animæ vegetabilis, nõ subdũtur rationis imperio. Probatio vtriusq; cõclusionis vna est. Nam mẽbra sunt organa potẽtiarũ animæ; ergo illa mẽbra obediunt rationi, quæ sunt potentiarum obedientium rationi; & illa non obediunt rationi, quæ sunt potentiarum non obedientium rationi.

Tertia. ¶Tertia Conclusio. Membrũ genitale ex pœna peccati non obedit rationi, secundum D. Augu. vt in illo membro pœnam inobediẽtiæ patiatur homo, per quod peccatum traducitur ad posteros. Sed & Arist. in lib. de causis motus animalium, dicit inuoluntarios esse motus cordis, & genitalis mẽbri, quia ex aliqua apprehensione hęc membra commouentur, in quantum intellectus & phãtasia repręsentant aliqua, ex quibus sequuntur passiones animæ, ad quas consequitur motus horum membrorum: non autem mouentur secundum iussum rationis; quia ad motum horum membrorum requiritur aliqua alteratio naturalis, videlicet caliditas, vel frigiditas, quæ alteratio non subiacet imperio rationis. Et specialiter in his duobus membris hoc accidit, cùm vtrũq; ipsorum sit veluti quoddã animal separatum, in quantum est principium vitæ; nam principium est totum virtualiter, & semen in virtute est animal: vnde naturaliter habent proprios motus, quia principia oportet esse naturalia.

EXPLICATIO ARTICVLI.

IN his articulis explicauit D. Th. & id quidẽ copiosè, quæ nã sint illa quæ subdũtur imperio rationis, quæ in nobis sunt, & quorũ dominiũ habemus, & quę ratione regi valeãt. Voluntas ipsa ratione regitur; intellectus imperio rationis, & prudẽtiæ subditur; appetitus sensitiuus à ratione compescitur; membra corporis ducatũ rationis sequũtur, vires animę vegetabilis ratione regi & gubernari nõ valẽt;

vt discas ex his documẽtis te ipsum cognoscere re,& à primo capite vsq; ad vnguẽ discernere:discas insuper,ea opera quæ imperio rationis subdũtur, & quorũ dominiũ habemus, si recta prudẽtia administrãtur, laudẽ mereri,si secus,vituperationẽ:quæ verò rationi nõ subduntur,nobis non imputantur, nec ad laudẽ, nec ad vituperiũ,neq; de his ratio potest aut deliberare,aut consultare. ¶ Quoniam verò D.Tho.in hoc articulo absoluit tractatum de actibus volũtatis,operæpretiũ erit percõtari; An omnes isti actus volũtatis, quos cõnumerauit D.Th. cõueniãt simul in omni operatione humana perfecta, iuxta ordinẽ à D. Tho. prescriptũ?est ne necessariũ vt velit quis priùs finẽ quàm intẽdat,& intẽdere quàm cõsultare,& cõsultare quàm cõsensus, & electio;electionem verò sequatur imperium,& imperiũ subsequatur vsus,& rei executio? Certè si ponãtur postremi actus, necessum est vt priores præcesserint vel ordine naturæ,vel tẽpore:postremi enim habẽt necessariã dependentiã à primis; non enim potest sequi opus, nisi præcesserit imperiũ; neq; imperiũ, nisi præcesserit electio;nec electio,nisi præcesserit intẽtio. Verumenimverò positis prioribus, non semper subsequũtur posteriores,quãquã aliquãdo ex necessario cõsequio deriuãtur:posita enim cognitione finis,nõ est necesse vt sequatur volũtas finis;& posita volũtate,& cupiditate finis, non est necesse vt sequatur intentio finis,nisi voluntas sit determinata & efficax.Sed tamen ex intẽtione efficaci necessariò sequitur cõsilium,vel propositũ cõsulendi;ex consilio autem perfecto statim sequitur cõsensus, vel electio, & ex electione efficaci sequitur imperiũ de præsenti,vel de futuro, ex imperio autem non statim sequitur vsus, & executio operis, nisi sit imperiũ perfectũ:at quãdo est imperiũ perfectũ,necessariò sequitur vsus,& executio operis, nisi mẽbra ab extrinseco impediãtur, vel propter aliquã indispositionẽ. Illud etiam addendũ est, non oportere quòd omnes isti actus sint necessariò distincti in numero; nam vt dictum est,electio, & intentio possunt esse vnus motus volũtatis,& cõsimiliter cõsensus, & electio : quin potiùs crediderim (& existimo esse verisimum) quòd vniuersi isti actus in genere moris,sunt vnus idemq; actus:quapropter siquis homicidiũ cõmittat volũtariũ, in quo omnes isti actus cõueniũt,vnũ peccatum cõmisit,non plura; nec oportet in cõfessione patefacere quòd intenderit,quòd cõsultauerit,quòd elegerit,quòd cõsenserit,quòd imperauerit,quòd opere adimpleuit, sed sat est dicere se commisisse homicidium.

An ad omnem operationem humanam cõueniãt omnes actus à D.Tho. numerati.

QVAESTIO XVIII.

De bonitate & malitia humanorum actuum in generali, in vndecim articulos diuisa.

DE hac re edisserũt Theologi in 2.d.40.Durandus.d.38.

ARTIC. PRIMVS.

¶Vtrùm omnis humana actio sit bona, vel aliqua sit mala.

SVMMA TEXTVS.

PRima Conclusio. De bono & malo in actionibus,loqui oportet sicut de bono & malo in rebus:nam vnaquæq; res talẽ producit actionem,qualis ipsa est,dicente Dño Matth. 7. Arbor bona non potest malos fructus facere. Prima cõc. Matth. 7.

¶Secunda Conclusio. Res tãtum habet de bono,quãtũ habet de esse: bonũ enim & ens cõuertũtur; & bonum est proprietas entis. Secunda.

¶Tertia Cõclusio. Solus Deus est summè bonus,qui secundum aliquid vnũ & simplex,est summum & infinitum ens. Tertia.

¶Quarta Cõclusio.Res verò aliæ tantũ habent de bonitate,quantũ habent de esse. Ex quo sequitur, quòd aliæ res dicũtur simpliciter bonæ,qñ habẽt plenitudinẽ essendi sibi debitã;vt homo tũc dicitur bonus & perfectus, qñ habet perfectionẽ humanæ naturæ debitã. Quarta. Corolariũ

¶Quinta Conclusio. Res creatæ ea parte qua habẽt entitatẽ,bonæ & expetibiles sunt;cæterũ inquãtum deficiũt à plenitudine essendi eis Quinta.

di eis debita, in tantum deficiunt à bonitate, & malæ sunt: vtpotè si deficit determinata quantitas, vel vis animæ aliqua, vt homo claudus, vel pusillus, homo cęcus: quę sententia non solùm dicit verum in naturalibus, sed etiam in moralibus, & artificialibus.

Sexta. ¶Sexta Conclusio. Actio humana, quatenus actio hominis est habens aliquid entitatis, bona est, siquidem ens est: quatenus verò deficit à rectitudine sibi debita, mala est, vt comedere quando nō oportet, & prout non oportet, malum est. Itaque non omnis actio humana bona est, sed aliqua mala, & deficiens est.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Quæstio Vtrùm omnis actio humana sit peccatum. Lutherani. Prim. argu.

VTea quæ hîc ab autore dicuntur, diligenter examinentur, duplex disputatio instituenda est; altera cū hæreticis, altera cum catholicis. Disputatio cum hæreticis hæc est; Num omnis actio humana mala sit, & peccatum? Lutherani hæretici omnem actionem humanam putant esse peccatum, idq; conantur persuadere ex innumeris testimonijs sanctæ scripturę. Ex veteri quidem testamento Gen. 6. Videns autem Deus quòd multa malitia esset hominū in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, pœnituit eum quòd hominem fecisset. & paulò antè præcesserat; Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est. &. c. 8. subditur; Nequaquā vltra maledicā terrę propter hominem; sensus enim & cogitatio cordis humani in malum prona sunt ab adolescentia sua. Ex his locis colligit Lutherus, eos, qui asserūt hominem posse aliqua bona opera facere, aduersari palàm scripturæ, quæ hominē carnalem, mortuū, & spiritu Domini destitutum nobis hîc declarat, & cunctas cogitationes, & operationes ipsius dānat. Quid (ait) boni queat caro operari? quid homo mortuus, & spiritu Dei destitutus? ex Psal. 142. citat illud præclarum testimoniū; Non intres in iudiciū cum seruo tuo Domine, quia non iustificabitur in cōspectu tuo omnis viuēs. Cùm enim bonū opus Deus dānare nō possit, liquidò cōstat omnia opera humana in hoc testimonio condēnari, aut multos viuētes corā Deo posse iustificari. & ex Eccles. c. 7. Non est homo iustus in terra, qui faciat bonū, & non peccet; & similia referuntur. 3. Reg. 8. &. 2. Paralip. 6. addunt ex Esaia dicente. c. 64. Facti sumus in mūdi omnes, & quasi pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ. item ex Iob. c. 9. Non iustificabitur homo compositus Deo. &. c. 25. Nunquid iustificari potest homo comparatus Deo, aut apparere mundus natus de muliere? Scripturę noui testamenti passim omnia opera humana damnant; Matth. 7. Arbor mala nō potest bonos fructus facere. Sed cōcupiscētia in malum procliuis, est mala arbor; ergo nō potest bonos fructus facere. & Rom. 7. Sentio aliam legem in membris meis, repugnantē legi mētis meæ, & captiuum me ducentem in legem peccati, & ibidem; Scio quod non habitat in carne mea bonū. & ad Phil. 3. Vt inueniar in illo, scilicet in Christo, non habēs meam iustitiam quæ ex lege est, sed iustitiā quæ ex fide est Iesu Christi. Item. 1. Chor. 1. Qui factus est nobis iustitia, sapientia, sanctificatio, &c. ad Titū. 1. Omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundū, sed inquinatæ sunt eorum mens & conscientia. Ex his eliciūt Lutherani, omnes nostras iustitias esse immūdas corā Deo, & omnia opera nostra esse peccata. ¶Quibus si addas testimoniū sanctorū Patrū, videtur esse verū quod dicunt. In primis, in patrocinium suæ sentētię producūt testimoniū D. Cypriani in sermone. 4. de mortalitate. Obsessa mens hominis, & vndiq; Zabuli infestatione vallata, vix occurrit, vix resistit; si auaritia prostrata est, exurgit libido; si libido cōpressa est, succedit ambitio, hęc cōtępta est, ira exasperat, superbia inflat, vino lentia inuitat, inuidia cōcordiā rūpit, amicitiā zelus abscindit. Augustin. 9. confessionū. ca. 13. Væ hominū vitæ quantūcumq; laudabili, si remota misericordia discutias eā. idē docet fusius super Psal. 142. & fusissimè sermone. 49. de tēpore elucidans illud, Non intres in iudiciū cū seruo tuo Domine. Quid est, inquit, nō intres in iudiciū, nisi nō stes mecū in iudicio exigendo omnia quæ iussisti; alioquin reū me inuenies: opus est igitur potiùs misericordia tua, quàm liquidissimo iudicio tuo. D. Greg. lib. 9. moralium ca. 2. Omne meritum virtutis nostræ vitium esse conspicitur, si ab interno arbitrio districtè iudicetur. & cap. 14. Omnis humana iustitia, iniustitia esse conspicitur, si districtè iudicetur. Idem habet Bernardus in sermone primo in festum omnium Sancto

Gene. 6. Gene. 8. Lutherus. Psal. 142. Testimonia sanctorum. Cypria. Augustin. Gregor. Bernard.

rum. Quin & ipsum præceptum diligendi Deum ex toto corde pro se allegat Lutherus. Item illud; Non concupisces; nemo enim dum hîc peregrinatur à domino, diligit quantum diligere debet, nempe ex toto corde, adeò vt ad nihil aliud cor afficiatur: nemo est sine concupiscentia, nemo sine peccato inhabitante in carne sua: imo si dixerimus quia peccatum nõ habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis est. ¶ Ad huius rei expositionem statuitur prima conclusio. Non omnis actio hominis peccatoris mala est. Hæc est definitio Concilij Tridentini Sessione. 6. Can. 7. & probatur in hunc modum. Nam timor inferni, quo dolentes de peccatis ad misericordiam confugimus, bonus est: ad illum namq; Dominus sæpenumero nos incitat, & commonet vt illum timeamus: Deus autem ad malum non mouet: ergo timor inferni bonus est; hic autem timor in peccatoribus inuenitur. Deinde sanctæ scripturæ (quarum magnos cumulos possemus coaceruare, si esset opus in re clarissima vti testimonijs) sæpissimè admonent peccatores vt dent operam assiduæ orationi, eleemosynis, si fortè conuertat illos Deus; quod non facerẽt, si hæc essent mala opera. Præterea deplorare amicorum & propinquorum calamitates, malum non est. ergo deplorare peccata, & mala inde subsecuta, malum non est.

Prima conclusio. Nõ omnis actio peccatoris est mala.

Concil. Trident.

¶ Secunda conclusio. Impudentissima hæresis est, asserere, omne opus iusti esse peccatũ mortale. Hæc sententia, quòd hæretica sit, conuincitur ex præcedenti. Nam si non omne opus peccatoris malum est, multò minùs omne opus iusti peccatum erit. Deinde hæc sentẽtia damnatur apertè in diuinis literis vtriusq; testamenti: nam vtrumq; testamentum adhortatur passim vniuersos homines ad bonas, & studiosas operationes. Esaiæ. 1. Lauamini, mũdi estote. Matth. 4. Pœnitentiam agite. Testatur insuper opera hominũ esse bona, & Deo accepta. Matth. 7. Bona arbor, bonos fructus facit. & 1. Corinth. 7. Qui iungit matrimonio virginem suã, non peccat; sed subiungit; hæc autem faciẽtes, non peccabitis. idẽ docet Ioãnes in. 1. Canonica, per totã ferè epistolam. & D. Paul. ad Ephe. 1 Prædestinauit nos in adoptionẽ filiorũ Dei, vt essemus sancti, & immaculati. &. c. 2. Creati in operibus bonis, vt in ipsis ambulemus. & ad Titũ. c. 2. Apparuit benignitas, & humanitas saluatoris nostri Dei, vt abnegãtes impietatẽ, & secularia desideria, sobriè, & iustè, & piè viuamus in hoc seculo, expectantes beatã spem, & aduentum gloriæ magni Dei, & saluatoris nostri Iesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mũdaret sibi populũ acceptabilẽ, sectatorẽ bonorum operũ. Vides certè quomodo opera virtutis à nobis exigantur. & apud Ezechielem. c. 11. sic habetur; Dabo eis cor nouũ, & spiritũ nouum tribuã in visceribus eorum, & auferam cor lapideũ de carne eorum, & dabo eis carneũ, vt in præceptis meis ambulent, & iudicia mea custodiant, faciantq; ea, & sint mihi in populũ, & ego sim eis in Deum. Deniq; hanc sententiam, vt dogma hæreticũ, condemnat sancta scriptura, execratur Ecclesia catholica, & consensus omnium christianorum abominatur.

Secũda cõclusio. Hæresis est dicere omnia opera iusti esse peccata.

Esa. 1.

Matth. 4.

Matth. 7.

1. Corin. 7.

Ioannes.

Ephes. 1.

Tit. 1.

Ezech. 11.

¶ Tertia conclusio. Iustitia, & sanctitas, quam habemus in hac vita, nõ habet eam perfectionẽ, quã habitura est in vita beata: nã pro isto statu admittit sæpe multas rebelliones, & impuritates, & peccata venialia non pauca; propter quod dicimus, Dimitte nobis debita nostra; & cũ D. Ioanne, Si dixerimus quia peccatũ non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. & cum D. Iacobo. In multis offendimus omnes. & cum Salomone; Septies in die cadit iustus. Propter quod dicũt sancti Patres, iustitiã nostrã comparatã ad diuinã, esse nullã. Sed obseruandũ est, quòd nõ dicit scriptura, in omnibus offendimus omnes, & semper cadit iustus, hoc dicit impius Lutheri spiritus. ¶ Ad argumẽta Lutheri vno verbo respõderi potest, quòd sicut scripturas, ita & verã earum interpretationẽ ab vniuersa Ecclesia catholica, Christi sponsa, accipere oporteat: proferũt quidẽ sexcẽta loca scripturarũ; at scripturæ nõ in legendo, sed in intelligẽdo cõsistunt, easq; hæretici in sensu deprauatas proferũt. Scriptũ est enim olim à sancto Propheta Dauid; Angelis suis mãdauit de te: sed cùm ea verba in aliũ sensum quàm Spiritus sanctus docuit, imo in eum finẽ Diabolus aduersus Christũ ea proferret, vt Christum in præcipitium iactaret, rectè respõdit Christus Dominus; scriptũ est, Non tẽtabis Dominum Deũ tuũ: atq; Lutherani præceptorẽ suũ diabolũ egregiè æmulãtur: quò enim aliò spectãt omnia ista, vt ab eis accipiuntur testimonia, quàm vt nos in omniũ vitiorũ barathrũ præcipitemus? quod enim grauius hominibus præcipitiũ contingere potest, quàm si istam sententiã ebibant, vt sentiant, virtutis viam esse impossibilẽ, & dum faciũt homines quod possunt, peccare mortaliter? sicq; omni virtutis cura posthabita, & fidei, & bonorũ operũ tessera confracta, in profundũ quoddã totius impudicitiæ, omniumq; facinorũ præcipites ruant? At sanè sæpe mecum admiratus sum, cum

Tertia cõc. Iustitia huius vitæ nõ habet perfectionem patriæ.

Ioannes.

Iacobus.

Salomon.

Ad argumenta Lutheri.

Hæretici deprauant scripturas. Psal. 90.

cùm ea, quæ isti aduersus bona opera producunt, considero, quòd hac vna sententia regnum Dei, eiusq; administrationem conculcent, Epicuream sectam sine Deo, sine prouidentia introducãt. Nam certè si opera omnia humana mala sunt, sine causa nos iustificamus, laboramus, obseruamus legẽ, præceptis paremus, Deũ colimus, Christum susci pimus. Sed veniamus iam ad explicationem, & cõfutationem argumẽtorum. ¶ Ad testimonia ex Genesi, ad primum est triplex cõmentarius; alter est, quòd loquitur de hominibus perditis illius ætatis: secũdus est, quòd loquitur scriptura per hyperbolen, ad detestanda scelera illorum hominum; qua forma locutionis vtũtur sæpenumero diuinæ scripturæ, præsertim cùm peccata populi reprehendũt: tertius est, vt explicetur de rebellione carnis, & cõtradictione ad rationem, de cuius contradictione & rebellione dicit Paulus Rom. 7. Sentio aliã legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ. & alio in loco; Caro concupiscit aduersus spiritum. ¶ Ad secũdum testimoniũ dico, quòd apud sanctos Patres inuenio tres huius sententiæ explicationes. Prima est, non vindicabit spiritus indignationis meæ homi nem in æternum, quia caro est, id est, imbecillus & infirmus. & hæc est explicatio D. Hiero nymi. Secunda explicatio, non permanebit spiritus meus, id est, spiraculum vitæ; hoc est, non viuet, quia caro est, & venũdatus sub pec cato. Tertia explicatio est, non rixabitur spiri tus meus cum homine, quia caro est. Sed licèt daremus Luthero quòd hæc sancta scriptura loquatur de Spiritu sancto, adhuc inane & friuolum conficit argumentum: nam scriptura tantùm dicit, non permanebit spiritus in homine in æternum; ex hoc verò non sequitur quòd aliquando non permaneat. ¶ Ad tertium testimonium dicendum, quòd loquitur de corruptela appetitus sensitiui: ex hoc verò non sequitur, omnia opera nostra esse peccata, sed duntaxat ea opera, quæ ratio à passione deuicta committit. quod explicat in primis eleganter D. Iacobus, cum inquit, Vnusquisq; tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus: concupiscentia autẽ cùm conceperit, parit peccatũ. ¶ Ad testimoniũ illud, quod isti maximè exaggerant ex Psal. 142. respondeo, quòd sancti, & viri iusti, multis de causis orant Deum, vt non intret cum illis in iudicium: tum, quoniam vix est hominũ qui non committat peccata mortalia, de quibus meritò dubitant an habuerunt legitimam pœnitentiam; tum propter dubium de sua salute: nemo enim scit vtrùm odio, vel amore dignus sit. Tertiam causam designãt Theologi, quoniam nostra merita non habent valorem ex proprijs viribus, sed ex Dei misericordia, & ideo nõ licet cũ Deo in iudicio cõtendere, sed dicere cum D. Paulo; Ego non abijcio gratiam. Quarta causa est, quoniam omnis nostra iustitia comparata ad diuinam, pro nihilo habetur. Quinta causa est, quoniam continuò atq; homo vult contendere cum Deo in strictissimo iudicio, arrogans est, & superbus, & sic omnia merita sua perdit. Vltima causa est, quoniam si Deus iudex esset, & non misericors, neq; apud illum esset propitiatio, non esset salua omnis caro. Sed vt ad interpretationem sanctæ scripturæ redeamus, cùm dicit Dauid; Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens, intelligitur ex his, quæ facit ex proprijs viribus: cæterùm ex his, quę in homine iusto, & per eum facit Spiritus sanctus per fidem, & alia dona diuinitus infusa, verè iustificatur coram Deo. ¶ Ad testimoniũ scripturæ ex Eccles. 7. dicendum est; nõ esse hominẽ qui nõ peccet dum peregrinatur à Domino; cui consonat illud ex D. Ioanne; Si dixerimus quòd peccatũ non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Ex hoc verò nugatorium cõficitur argumentũ, cuiusmodi est; non est homo qui non peccat: ergo in omni opere suo peccat. Omnes homines peccãt: ergo omnia opera sua sunt peccata. Cùm igitur dicit Salomon, nõ est homo qui faciat bonum & non peccet; ad naturam, auxilio Dei destitutam (iuxta quosdã pios, & doctissimos viros) hæc verba referũtur; estq; sensus, nemi nem deuitare peccata nisi ope diuina adiutũ, & suffultũ. Sic exponit D. Hieron. in dialogo cõtra Pelagianos, & in epistola ad Ctheſiphõtem. Alius cõmentarius est, vt referantur hæc verba ad peccata leuia, & venialia, sine quibus vita sanctissimi hominis vix transigitur. ¶ Ad illud Esaiæ; Vniuersæ iustitiæ nostræ quasi pannus mẽstruatæ, respondetur, quòd illis in verbis propheta inuehitur in scelera, & flagitia populi sceleratissimi: prædicatores verò quãdo reprehendũt populũ, ita inuehũtur in eius scelera, atq; si nullus in populo bonus esset. Hoc modo loquitur Paulus cùm scribit ad Philip. c. 2. Omnes quærunt quæ sua sunt: sciebat quidem D. Paulus esse in populo Christiano multos viros probos, & sanctos. Eadem phrasi vtitur Esaias capitulo. 1. dicens; A planta pedis, vsque ad verticem capitis non est sanitas in eo. In qua re obseruanda est regula Tychonij hæretici, quam probat Augustinus libro tertio de doctrina Christiana: Scriptura diuina quando condemnat impro-

Ad testimonia ex sacris literis. Ad primũ. Roma. 7. Ad secũdũ. Hierony. Ad tertium Iaco. 1. Ad quartũ. Ad quintũ. Ioannes. Hierony. Ad sextũ. Paulus. Esaias. Regula Tychonij. Auguſt.

improbos, videtur bonos damnare: rurſus quando commendat bonos, videtur impios
Oſeæ. 11. commendare; vt Oſeæ. 11. Puer meus Iſrael quem dilexi: & de malis patet ex ſententijs Eſaię cómemoratis. Vel dicatur, quòd Eſaias deſcribit ſtatum populi Iudaici poſt aduentum Chriſti, & poſt Euangelij ſufficientem promulgationem, ſignificatque vniuerſa ſacrificia, & oblationes, & ceremonias, futuras eſſe ſordes, & immũdas coram Domino. Vel loquitur Eſaias de iuſtitijs operum, quas populus Iudaicus operabatur ex obſeruatione legis, aliôqui immundus, iniuſtus, & fœtidus, neque in conſpectum hominum prodire dignus, nedum Dei. Lege textum, & me verum dixiſſe iudicabis; ſic enim habet; Ecce tu Domine Deus iratus es, & peccauimus, & in ipſis fuimus ſemper, & ſaluabimur (videlicet ſupereminente tua bonitate) & facti ſumus vt immundi omnes, & quaſi menſtruatę pannus vniuerſæ iuſtitiæ noſtræ, (ſcilicet quas ſecundùm legis obſeruationem colligimus nobis) & cecidimus quaſi folium vniuerſi, & iniquitates noſtræ quaſi ventus abſtulerũt nos, &c. An hîc loquitur propheta de iuſtitia fidei, qua iuſti ſumus coram Deo, & nõ potiùs de iuſtitijs operum, quas homo operatur implendo legis decretum, nihilominus permanens in iniquitatibus, & peccatis? ¶ Sed iam
Ad ſeptimum. ad ſcripturas ſanctas ex libro Iob ſatisfaciendum eſt. Sciat ergo Theologus, ſententiam Iob hanc eſſe, quòd homo operans, ea parte qua homo eſt, & omnibus viribus humanæ virtutis intendens bẽnefacere, deſtitutus diuinæ gratiæ ſubſidio, nõ poteſt apparere iuſtus coram Deo. Deinde dicit, quòd homo renatus ex Deo, & intus ſanctificatus viuẽs in hoc mundo, tot imperfectionibus, tot minutulis peccatis, tot defectibus inuoluitur, vt compoſitus Deo, potiùs iniuſtus quàm iuſtus, potiùs tenebræ quàm lux dici debeat; eò quòd in Deo prorſus nihil eſt impuritatis, nihil imperfectionis: cæterùm iuſtitia fidei deſuper cordibus noſtris infuſa, operatione Spiritus ſancti, qui datus eſt nobis, aliquid eſt, imo multùm comparata Deo; hoc ſiquidem eſt, quod eſt fœtus nouæ prolis, comparatus viro perfectæ ætatis, quod filius recens natus, comparatus ſuo parenti, quod lumen candelæ, comparatum luci Solis, quod ſemen comparatum
Ioannes. meſsi futuræ. Omnis (inquit Apoſtolus Ioannes) qui natus eſt ex Deo, non peccat, quoniam ſemen Dei in eo manet. audi ſemẽ Dei, quod eſt iuſtitia qua iuſti ſumus coram Deo: audis quoque nos natos eſſe ex Deo, per modum ſcilicet infantiæ, quia nondum apparuit quid erimus. Sicut igitur lumen candelæ verũ lumen eſt, præbens omnibus lucem qui domi ſunt; fœtus quoq; nouæ prolis, verus homo eſt, non obſtantibus, imperfectione, inæqualitate, diſſimilitudine, quas eſt inuenire in lumine candelæ, comparatione ad Solẽ, & in fœtu, comparatione ad parentem; vtiq; ſemen vera citer continet in ſe totam meſſem, cuius comparatione nihil eſſe videtur: ita iuſtitia operũ noſtrorum, quam efficit in nobis Spiritus ſanctus per fidem, & charitatem, in ſe in virtute continet illam abſolutam, & glorificâ iuſtitiã futuri ſæculi, qua quidem comparati ad Deũ, non vtiq; iam nihil dicemur, quin potiùs vnũ erimus cum Deo, dicente ſeruatore noſtro; Rogo pater vt omnes vnum ſint nobiſcum, ſicut ego & tu pater vnũ ſumus. ¶ Sed ad ſcri
Ad teſtimonia ex nouo teſtamẽto. pturas noui teſtamenti deueniamus. Certè ineptiſsimum eſt ad condemnanda humana opera producere illud; Mala arbor nõ poteſt bonos fructus facere: nam in eo teſtimonio non intelligitur nomine arboris humana voluntas, aut concupiſcentia, quemadmodum Manichæus, & Lutherus mentiũtur, ſed intelligitur intentio animi noſtri; ex bona namq; intentione non prodit malum opus, neq; ex praua, bonum. Et quòd hæc ſit intelligentia vera huius loci, patet ex antecedentibus, & ſubſequentibus. Nam præmiſit Dominus; aut facite arborem bonam, & fructus eius bonos facite; aut facite arborem malam, & fructus eius malos facite: exploratum autem eſt nos non facere voluntatem, aut concupiſcentiã; intentio verò animi noſtri, in noſtra facultate eſt. Vel dicatur, quòd mala arbor, quãdiu mala eſt, & qua ratione mala eſt, non poteſt bonos fructus facere; & bona, quãdiu bona eſt, nõ poteſt malos fructus facere. Iam verò illud Rom. 7. Sentio aliam legem in membris meis; quàm aptè, quàm accommodatè contra bona opera proponitur! dicendum nãq; eſt, verum eſſe quòd caro concupiſcit indeſinẽter aduerſus ſpiritum, etiam in homine iuſtificato, vt
docet Paulus ad Rom. 7. & ad Galatas. 5. cæ- Paulus. terùm hæc carnis concupiſcentia, non eſt prohibita lege Domini, ac proinde non imputatur ad peccatum: non enim dicit lex, caro tua nõ concupiſcet, aut in carne tua nõ habebis concupiſcentiam; verùm dicit lex, non concupiſces, id eſt, tu homo ea parte qua homo es, hoc eſt, ratione deliberata non concupiſces, non conſenties in concupiſcentias; quod alibi dicit Apoſtolus, Deſideria carnis non perficies
ad Galat. 5. & alio in loco, ne curam carnis in Galat. 5. deſiderijs perficias ad Rom. 13. & poſt concu- Rom. 13. piſcentias tuas non eas Eccleſiaſtici. 18. & ipſe Eccleſi. 18.

D. Paulus

Roma. 6. D. Paulus ad Rom. 6. non hortatur nos ne sit in nobis peccatum, sed ne regnet in nobis, vt

Dubitatio. obediamus eius concupiscentijs. ¶Sed inquies; qua ergo ratione vocatur concupiscentia peccatum? certè per figuram; tum, quia fomes est & incitamentum peccati; tum, quia ex peccato primi parentis relicta est, partim in pœnam inobedientiæ commissæ, partim in exercitium virtutis colendæ. Nec minùs ineptè citatur illud ex D. Paulo; Vt inueniar in illo non habens meam iustitiam, &c. Apostolus enim non dicit, vt inueniar in illo non habens iustitiam, sed vt inueniar non habẽs meam iustitiam quæ ex lege est, sed quæ ex fide est Iesu Christi, quæ ex Deo est, vtique in me, & diffusa in corde meo, quæ non contingit nobis nisi per Christum, & per gloriosa merita eius. Illud verò; Qui factus est nobis sapientia, iustitia, sanctificatio; interpretatur

Theophilactus. Theophilactus dicẽs, id est sapiẽtes nos, & iustos, & sanctos, & liberos fecit: & vt largitatẽ doni significaret, non dixit, fecit nos iustos, sed factus est nobis iustitia, id est, totalis ratio, & causa, quòd Deo donante sapientes simus, iusti simus, &c. Ad vltimum testimonium ex epistola ad Titum, dicẽdum, sermonem esse formalem de infidelibus, vt infideles sunt, & vt ex infidelitate operantur, his nihil est mundum. Sed & D. Augustinus explicat prædictam sententiam lib. 31. contra Faustum cap. 4. intelligens, quod hic dicitur non de eleemosyna, & id genus alijs actionibus, sed de cibis, hoc sensu; infidelis siue comedat, siue abstineat, non sanctè nec iustè comedit, vel abstinet; quia praua opinione vtrũq; facit. Vel loquitur de infidelibus, qui tempore reuelatæ gratiæ adhûc vmbras futurorum pertinaciter defendunt. ¶Ad sanctorum Patrum sententias non est admodùm difficilè respondere: nam D. Cyprianus pro nobis est, vtpotè qui cũ magna assueratione doceat, quòd libidinem nonnunquam superamus, ambitionem prostramus, auaritiam compescimus: has verò passiones vincere, bonũ est, atque laudabile: quòd verò in omnibus victores non euadamus, infirmitatis, & imbecillitatis est, pertinetq; hoc ad leuia peccata venialia, sine quibus vita hominis vix inuenitur. Ad D. August. & D. Gregorium non est operæpretium speciatim respondere; iam enim explicatum dedimus, quemadmodum omnis humana iustitia comparata ad diuinam nihil sit; quo in sensu sancti viri orant Deum, Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.

August.

Ad testimonia sanctorum.

¶ Ad argumentum de præcepto diligendi Deum, & non concupiscendo, sic dicendum est, quòd dum hîc viuimus, minùs perfectè diligimus quàm in patria; verè tamen diligimus, & quidem perfectè, quantùm satis est mandato Dei; quod vel vna autoritate Apostolica demonstrari potest: docet enim Ioannes, Qui dicit se nosse Deum, & mãdata eius non seruat, mendax est, & in eo veritas non est: qui autem seruat verbum, hoc est, mandatum eius, verè in hoc charitas Dei perfecta est: ita qui sic toto corde diligit Deum, vt nihil eorum quæ ille præcepit omittat, nihil etiam eorum quæ prohibuit faciat, ille verè satisfacit præcepto de diligendo Deo ex toto corde, & in eo charitas Dei perfecta manet. Ad illud autem quod obijciunt de præcepto, non concupisces, post ea quæ dicta sunt, non est opus satisfacere. Atque hæc de priori disputatione satis erunt.

Ad argumẽtum de præcepto dilectiõis Dei.

Ioannes.

¶Posterior disputatio est contra definitionẽ communem Theologorũ, quam hîc statuit S. Tho. quòd malitia est priuatio rectitudinis debitæ inesse. Hanc definitionem amplectũtur omnes Theologi in. 2. d. 40. Duran. d. 34. quæst. 2. & distin. 40. q. 1. acceperunt eam ex D. Dionysio. c. 4. de diuinis nominibus, dicente, bonum consurgit ex integra causa, malum autem ex particulari defectu. Sed Ocham quodli. 3. q. 15. & post eum Almaynus in suis moralibus tract. 1. c. 13. disputant contra hanc definitionem. In primis, rectitudo actus, non est accidens actus; ergo non potest inesse. Antecedens probatur: quia non distinguuntur ab actu. ¶Deinde, odium Dei est malum, & malitia eius non est priuatio rectitudinis debitæ inesse illi, quia non potest esse rectum: priuatio enim tantùm est in subiecto apto nato. Ex hoc argumento efficaciter cõcluditur (vt videtur) quòd malitia non sit priuatio rectitudinis debitæ inesse operationi. Neq; verò est priuatio rectitudinis debitæ inesse agẽti; stat enim, quòd pro tempore quo odit Deum, non teneatur diligere Deum. ¶Præterea sequitur ex prædicta definitione, quòd malitia cuiuslibet actus sit præcisè malitia omissionis, siquidem est priuatio rectitudinis debitæ inesse. Hoc ipsum confirmatur. Nam non facere quod debes, omissio est: ergo si operatio debet habere rectitudinem, & non habet, omissio est. ¶Ad hæc, habitus vitiosus prodigalitatis malus est, ex eo quòd contrariatur virtuti liberalitatis per excessum; non verò ex eo quòd priuet rectitudine virtutis, quæ est liberalitas, aliôqui prodigalitas & auaritia essent eiusdem speciei, siquidem priuãt rectitudine

Quæstio secunda. An malitia sit priuatio rectitudinis inesse debitæ.

Durandus. Dionysius. Ocham. Almay.

Prim. argu.

Secundum

Tertium.

Confir.

Quartum.

tudine eiusdem speciei, & priuationes ex rectitudine qua priuant, distinguuntur. ¶ Vltimò, actio humana ex eo mala est, quia lege diuina prohibita est, & interdicta; si enim non esset lex, neque præuaricatio dicit Paulus. Et D. Tho. infrà q. 71. artic. 6. ad quartum apertè docet, quòd omne peccatum est malum, quia lege diuina prohibitum: ergo ex eo est mala actio humana, quia est lege diuina prohibita, non quòd operationi humanæ debeatur rectitudo, vel non debeatur. ¶ Ad huius rei expositionem, intelligendum quòd D. Thom. interrogat hoc in loco, num omnis actio hominis bona sit, vel aliqua mala; non quòd hoc cadat in dubium, sed vt sumpta occasione explicet quid sit operationem esse bonam vel malam. Illud etiam scire oportet, quòd res naturæ sunt bonæ per aliquid absolutum existens in eis; vt aurum propter proprietates quas habet; homo propter naturam rationabilem: res verò artificiosæ dicuntur bonę per comparationem ad aliquid extrinsecum; vt imago bona est, & pulchra, quando regulæ artis, & normis est consentanea, mala verò, quando regulæ est dissentanea. Operationes verò humanæ (de quibus instituimus disputare) dicuntur bonæ per comparationem ad rectam rationem, quæ est regula, & norma humanarum operationum; & sic ea actio humana bona est, quæ est consentanea rectæ rationi; illa verò mala, quæ rectæ rationi dissentanea est. Rursus ea operatio bona est, quæ est de bono obiecto, omnibus circunstantijs debitis ornata; illa verò mala, quæ est de malo obiecto, vel cui deficit aliqua de debitis circunstantijs. Sed pergam alio modo explanare quæ sit operatio humana bona, quæ verò sit mala. Operatio bona (iuxta Aristotelæam doctrinam) ea est, quæ conformis est, & consentanea recto appetitui: illa verò mala, quæ à recto appetitu discrepat, & discordat. Sed vt magis Theologicè loquamur, id solùm appellatur opus bonum, quod est legi diuinæ conforme; illud malum, quod à lege diuina, quæ est regula humanorum actuum, abhorret, & disidet. Ex his constat, quòd bonitas, vel malitia moralis, variis definitionibus soleat explicari: cæterùm neque exactior, neque verior definitio vlla excogitari potest, quàm illa quâ hîc statuit S. Thomas: nam hac definitione comprehenduntur vniuersæ aliæ, si diligenter, & exquisitè examinentur. ¶ Est enim malitia moralis, priuatio conformitatis ad rectam rationem. Rursus, est priuatio conformitatis ad diuinam legem, est deuiatio, & obliquitas à lege præscripta, atque adeò est priuatio conformitatis ad rectum appetitum. Præterea est operatio de eo quod non habet conformitatem ad regulam rectæ rationis: quæ omnia comprehenduntur ista breuissima definitione; Malitia moralis est priuatio rectitudinis debitæ inesse. Qui ergo prædictam definitionem calumniãtur, vel ex malitia, vel ignorantia id faciunt: aut enim isti, cùm intelligerent sententiam doctorum, voluerũt arguere ad alium sensum, aut turpiter errârunt non intelligentes. Sed veniamus iam ad argumentorum confutationes. ¶ Ad primum dicẽdum, non esse Theologi, aut verò philosophi moralis disputare an rectitudo operis distinguatur ab ipso opere, vel non distinguatur, satis est intelligere, quòd est quædam dispositio, & ornatus ipsius operis: sic equidem omnes homines loqui solent; hæc operatio est recta, illa verò obliqua, & à sua regula deuians. Certè opus bonum vel malum, non est ipsa rectitudo, aut obliquitas, sed rectitudo est cõmensuratio illius ad suam regulam; & quanquam non sit distincta tanquàm alia res, sat fuerit quòd distinguatur sicut figura à quantitate, vt verè dicatur, quòd rectitudo, vel obliquitas competit operationibus humanis. ¶ Ad secundum dicendum est, quòd cùm dicimus claudicationem carere rectitudine debita, nõ est sensus, quòd rectitudo debeatur claudicationi: claudicatio enim recta esse non potest, sed debetur ambulationi. Ad eundem modũ asserimus odium Dei carere rectitudine debita, non quòd rectitudo debeatur odio Dei, sed operationi humanæ. Vel dicẽdum, quòd malitia est priuatio rectitudinis, non ipsius actus, sed agentis: quanquam enim agens nõ teneatur operari, iam quòd operatur, tenetur ad regulam rationis operari. Vel dicatur, satis esse vt actio humana dicatur mala, quòd actus humanus sit aptus natus habere rectitudinẽ; sicut talpa dicitur cæca ex eo, quòd secũdùm suum genus sit apta ad videndum; & equus dicitur esse animal irrationabile, quia in quantum animal, habet aptitudinem vt sit rationabile, non in quantùm equus. Sed si obijcias; ergo equus est animal deficiens, & vitiosum, quia caret ratione, quæ ex genere suo potest ei conuenire. Respondeo, quòd rationale nõ debetur ad plenitudinem essendi, vt animal sit; at actio humana ex natura sua expostulat vt regula rationis mensuretur; vnde deficere à regula, est operatio mala. ¶ Ad tertium dicẽdum est, quòd cùm dicimus malitiam moralem esse priuationem rectitudinis debitæ inesse, non est sensus quòd debeatur ex vinculo præcepti, sed secundùm suam regulam; prout

Vltimum.
Paulus.
S. Thomas.
Decisio quęstionis.
Humanæ operatiões quare dicãtur bonæ vel malæ.
Malitia moralis quid.
Ad argumẽta in oppositum.
Ad primũ.
Ad secũdũ.
Ad tertiũ.
Quis sensus definitionis malitiæ moralis.

prout dicimus claudicationem carere rectitudine debita, non quòd debeatur ex præcepti vinculo, sed secundùm suam regulam. Vel dicendum, quòd tametsi homo non teneatur semper diligere, tenetur tamen semper non odio habere; sicut quanquam non tenemur semper orare, tenemur semper non inattentè orare. ¶ Ad quartum dicendum, quòd licèt malitia moralis sit priuatio rectitudinis debitiæ inesse, non est consequens, actum commissionis esse illam priuationem; sed tantùm dicimus, actum commissionis esse malum ratione huius priuationis. Itaque actus cómissionis, est actus priuatus rectitudine debita: omittere verò, non est agere, sed potiùs non agere quod oportuit agere. ¶ Ad quintum argumentum dicendum est, quòd in eo argumento insinuatur difficilis quæstio, num malum morale ex sua differentia intrinseca sit aliqua natura positiua, an potiùs priuatio. Cuius rei difficultas ad quæstionem. 71. huius partis referenda est. Nunc verò tantùm definitur, operationem humanam dici malã, quia deficit ei aliquid de rectitudine sibi debita: vtrùm verò hoc contingat quia contrariatur virtuti, vel quia est priuatio virtutis, in loco dudum citato diligenter examinabitur. ¶ Ad vltimum argumentum dicendum, quòd si Deus non prohiberet adulterium, hoc constituto, adulterium non esset peccatum, prout argumentum propositum demonstrat; & esset peccatum, quia esset rectæ rationi dissentaneum, & careret rectitudine debita. Rursus siquis eo in casu committeret adulteriũ, odio haberetur à Deo; esset enim adulterium contra Dei voluntatem, quæ ad malum respicere non potest; præterea esset auersus ab vltimo fine: vnde qui in tali voluntate permaneret, non posset esse Dei amicus. ¶ Ex his efficaciter concluditur, esse euidentem contradictionem, quòd Deus non prohibeat adulterium, mendatium, & cætera id genus, quæ sunt de se mala: hac autem hypothesi constituta, sequitur illa euidens contradictio, quod adulterium esset peccatum, & non esset peccatum. Nonnulli doctores dicunt, quòd si Deus nõ prohiberet adulterium, esset quidem malum, quia rectæ rationi dissentaneum; sed non esset peccatum, propter argumentum superiùs adductum: atque secundum istos doctores, malum morale latiùs patet quàm peccatum.

Ad quartũ.

Ad quintũ.

Ad vltimũ.

Corolariũ.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ Vtrùm actio hominis habeat quòd sit bona vel mala ex obiecto.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio.

Concluſio est. Bonum & & malum in actibus moralibus attenditur ex obiecto conuenienti, vel non conuenienti: nam bonum & malum actionis, sicut & aliarum rerum, attenditur ex plenitudine essendi, vel defectu ipsarum. Primum autem quod pertinet ad plenitudinem essendi est id, quod dat rei speciem, sicut res naturalis habet speciem ex sua forma. Ita ergo actio primò dicitur bona vel mala ex obiecto; obiectum enim tribuit speciem actionibus humanis; vnde bonitas ex obiecto appellatur bonitas ex genere, id est ex specie sua: qua forma locutionis, speciem humanam, appellamus genus humanum, & malitia ex obiecto, appellatur malitia ex genere suo.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Argumẽta contra conclusionem. Primum.

Auguſt.

Confir.

Secundum

Tertium.

Vltimum.

Concluſio huius articuli falsa esse videtur. Nam obiectũ est res ipsa; in rebus autem ipsis non est malũ, sed in vsu peccantiũ, vt dicit Aug. lib. 3. de doctrina christiana cap. 12. ergo actio humana non habet bonitatem aut malitiam ex obiecto. ¶ Hoc confirmatur. Nam obiectum non est bonum aut malum morale, puta, res aliena, vel tua. ergo ab illo non accipitur bonitas aut malitia moralis. ¶ Secundò, obiectum operis interioris, est ipsa operatio exterior. verbi gratia. obiectũ volitionis, qua volo occidere hominem, est occisio exterior. Sed actus interior non habet bonitatem aut malitiam ex actu exteriori, quin potiùs actus exterior habet omnem bonitatem & malitiã ab actu interiori. Ergo non sumitur bonitas aut malitia ex obiecto. ¶ Tertiò, prima bonitas aut malitia ex lege sumitur, non ex obiecto. ¶ Vltimò, operatio humana primam bonitatem habet ex eo quòd à libera voluntate proficiscitur. ergo nõ habet eam ex obiecto. Antecedens est certum, quantum videtur, & affirmat

affirmat illud Scotus in. 2. distin. 40. q. 1. & in
Scot. quodl. q. 13. Itaque affirmat Scotus, quòd ope
ratio humana habet primam bonitatẽ ex eo
quòd à libera voluntate proficiscitur; secun-
dam habet ex obiecto; & hæc est bonitas ge-
nerica, non specifica, siquidem limitatur per
alias bonitates finis, & circunstãtiarum. Itaq;
quemadmodum Scotus in naturalibus con-
stituit formam corporeitatis genericam, quæ
ab alijs formis limitatur, & finitur; sic in
moralibus constituit bonitatem ex obiecto
genericam, per alias bonitates finis, & circun-
D. Tho. stantiarum determinabilem. D. Tho. in. 2. d.
36. articulo vltimo loquitur & sentit (vt vide
tur) cum Scoto: dicit enim quòd prima bo-
nitas est ex essentia actus, quæ est communis
actibus bonis & malis, vnde ipsa est quæ sub
sternitur alijs bonitatibus, inter quas secunda
superuenit bonitas ex materia debita. Dein-
de superueniunt aliæ bonitates ex fine, & cir-
cunstantijs. ergo prima bonitas autore D. Th.
non accipitur ex obiecto. In eodem loco di-
cit D. Tho. quòd bonitas ex obiecto, est boni
tas ex genere, quia est determinabilis per
alias bonitates finis & circunstantiarum. v. g.
pascere pauperem propter Christum, pascere
pauperem est; sed non conuertitur, quia ma-
Prima con. gis commune est. ¶ Pro explicatione verita-
Operatio tis est prima conclusio. Operatio humana nõ
non habet habet bonitatem aut malitiam ex eo quòd à
bonitatem libera voluntate proficiscitur: nam voluntas
aut malitiã per eandem potẽtiam producit operationes
quia profi- studiosas, & malas. ergo ex eo quòd operatio
ciscitur à li prodeat à libera potentia, non potiùs habet
bera volun bonitatem quàm malitiã. Deinde, illud quod
tate. est indifferens ad bonum & ad malum, non
confert bonitatem aut malitiam. Vltimò, ne-
mo laudatur aut vituperatur ex eo quòd libe
rè operatur, sed quoniam secundum rationẽ
operatur. certè domus non est artificiosè fa-
cta, quia liberè est producta, sed quia ad regu
las artis effecta est. Itaque libertas voluntatis,
quamuis sit prima radix operationis huma-
næ, inde non habet suam bonitatem aut ma-
litiam; alioqui omnis operatio, quantumuis
mala, haberet aliquam circunstantiam bonã,
Secũda cõ. nempe quòd liberè producitur. ¶ Secunda
Operatio propositio. Operatio humana habet bonita-
habet bo- tem aut malitiam ex obiecto. Hanc conclusio
nitatẽ aut nem adeò apertè probat D. Tho. in articulo,
malitiã ex vt alia confirmatione non sit opus. Huic sen-
obiecto. tentiæ quadrat omnis scriptura, & omnis phi
losophia moralis: nam tum in scriptura, tum
in Philosophia vituperantur omnes ex rebus
Oseæ. 9. quas diligunt, iuxta illud Oseæ. 9. Facti sunt
abominabiles sicut ea quæ dilexerũt. Sed hic
obseruandum est, quòd quanquam actus ex-
terior videatur esse obiectum actus interio-
ris; datio enim eleemosynę exterior, est ipsius
actus misericordiæ obiectum, quo volo elar-
giri eleemosynam. Sed cùm actus interior &
exterior in genere moris reputentur vt vnus
actus humanus perfectus, oportet omnino
designare obiectum commune vtrique: effi-
ciunt siquidem vnum actum humanum, &
vnum peccatum: occidere enim hominem vo
luntariè, vnum peccatum est. Dicimus ergo, Obiectum
quòd obiectum propriè est ipsa res, circa quã quod sit.
versatur actio, vt conueniens vel disconue-
niens regulæ rationis. Exemplis hoc illustra-
bitur. Certè obiectum homicidij est homo,
non quomodocunq;, sed prohibitus occidi;
obiectum furti est res aliena, non vtcumque,
sed vt prohibita vt accipiatur, & vt discordat
à norma & regula rectæ rationis: quemadmo
dum obiectum visus non est videre, sed co-
lor sub ratione visibilis. Sanè quemadmodũ
scientiæ distinguuntur ex rebus ipsis & obie-
ctis, non quidem vt sunt res naturæ, sed vt
sunt in genere scibilis, secundum maiorem
vel minorem abstractionem à materia, vt do-
cent dialectici; sic profectò actiones humanæ
ex obiectis suis distinguuntur, quæ sunt res
quædam, circa quas versantur, vel quas respi-
ciunt: non autem eas respiciunt vt sunt res
quædam naturales, sed vt sunt conuenientes
aut disconuenientes ad operationis & dire-
ctionis regulã. Et hoc est quod docet D. Th. D. Tho.
in solutione primi argumenti. ¶ Illud etiam
non est prætereundum, quòd ratio formalis
bonitatis vel malitiæ actionis humanæ, inti-
ma est in ipsa actione; ne quis existimet quòd
sit in ipso obiecto. Ratio enim bonitatis, est
proportio & commensuratio ad ipsum obie-
ctum, iuxta rationis regulam: propter quod
dicitur, quòd actio humana accipit bonitatẽ
vel malitiam ex obiecto. Contingit tamen in-
terdum, quòd ipsum obiectum sit effectus
ipsius actionis humanæ, & tunc ratio forma-
lis bonitatis erit proportio, & rectus ordo ad
talem effectũ. Et hoc est quod docet D. Tho.
solutione tertij quando dicit, quòd propor-
tio ad effectum est ratio formalis bonitatis:
voluit enim docere, quòd ratio bonitatis erat
intrinseca & intima operationi humanę, licèt
comparetur tanquam causa ad effectum. Sed
de hoc alio in loco dissertum est, quomodo
actus specificentur ex obiecto & fine, cùm Tertia cõc.
obiectum & finis extrinseca sint. ¶ Tertia cõ- Bonitas
clusio. Bonitas aut malitia, quæ sumitur ex aut malitia
obiecto, nõ est generica, vt arbitratur Scotus, ex obiecto
sed specifica: nam nullũ est bonum aut malũ specifica
est.

quod

quod in certa ſpecie non ponatur; ſicut nullum eſt animal quod in certa ſpecie non collocetur, niſi velimus fingere Platonis idæas. Secundò, actus amoris Dei, & odij, inſuper actus matrimonij, & actus adulterij, ex ſuo obiecto habent certam ſpeciem & determinatam. ¶ Quarta concluſio. Bonitas vel malitia, quam tribuit obiectum operationi humanæ, non eſt in obiecto formaliter, ſed cauſaliter. Pro cuius declaratione notandum eſt, quòd res exteriores, quæ ſunt obiecta humanarum operationum, dicuntur bonæ aut malæ, quia ſunt conuenientes aut diſconuenientes ad rectam rationem; & ipſa conuenientia eſt bonitas, & diſconuenientia, malitia. v. g. furtum eſt intrinſecè malum, quia de ſe eſt diſſonum rectæ rationi, & regulæ diuinæ: cæterùm voluntas qua quis vult rem conuenientem & conſentaneam rectæ rationi, eſt bona formaliter, & in exercitio: quare in ea virtus eſt, aut vitium. Item, voluntas qua quis vult furtum, mala eſt formaliter, & ideo eſt capax vitij; res verò ipſæ à parte rei neque ſunt peccatum, neque virtus. ¶ Quòd ſi mihi dicas, quomodo res exteriores cùm non ſint bonæ formaliter, conferant bonitatem aut malitiam actui humano? nemo enim dat quod non habet. Dicendum eſt, quòd res exteriores ſunt bonę aut malæ, cauſaliter, & originaliter: ſicut pomum, & medicina dicuntur ſana, quia efficiunt ſanitatem: itaque res exterior, ante omnem operationem voluntatis, dicitur bona vel mala dupliciter; primò quia eſt cõueniẽs, aut diſconueniens rectæ rationi: deinde, quia poteſt cauſare bonitatem aut malitiam operationis humanæ. Secundò dicendum eſt, quòd res exteriores ſunt bonæ vel malæ in eſſendo: potentia verò libera eſt bona aut mala tantùm in exercitio, aut in merito: quare in ſola libera potentia eſt virtus aut vitium in exercitio; quemadmodum ſecundum veram metaphyſicam res ſunt veræ in eſſendo, ſolus verò intellectus eſt verus in dicendo, & in aſſerendo. Ex his, vt arbitror, liquet Quarta cõcluſio. ¶ Ad argumenta in principio facta, & ad primum reſpondetur, quòd licèt res exteriores in ſe bonæ ſint, tamen non ſemper habent debitam proportionem ad hanc vel illã operationem; & ideo in quantũ conſiderãtur, vt obiecta illarum operationum, non habent rationem boni. ¶ Ad confirmationem iam dictum eſt, quòd obiectum eſt bonum aut malum, cauſaliter, & originaliter, ſicut pomum dicitur ſanum. ¶ Ad ſecundum breuiter reſpondetur, quòd operatio exterior, quæ eſt obiectum operationis interioris, tribuit boni

Quarta cõ. Bonitas aut malitia ex obiecto, non eſt formaliter in obiecto.

Obiectio.

Solutio.

Argumẽto ſũ ſolutio.

Ad primũ.

Ad confir.

Ad ſecũdũ.

tatem aut malitiam actui interiori, quatenus eſt conueniens, vel diſconueniens rectæ rationi: cæterùm eadem operatio exterior in exercitio poſita, eſt effectus interioris voluntatis, & ab ea omnem bonitatem aut malitiã habet. Videte de hac ſolutione D. Tho. ſolutione tertij. ¶ Ad tertium conceditur, bonitatem & malitiam in primis ex lege eſſe ſumendam, ſed idem eſt quod dicit D. Tho. eſſe accipiendam ex obiecto conuenienti ad rectam rationem: recta nanq; ratio informatur legibus diuinis. ¶ Ad quartum argumentum iam demonſtratum eſt, quomodo ſententia Scoti ex omni parte falſa ſit. Rurſus dico, quòd ſi eſt aliqua bonitas operationis humanę, quòd liberè producatur, eſt bonitas naturalis; bonitas autem moralis ex obiecto ſumenda eſt. ¶ Sed videtur ſententia Scoti eſſe vera, in quãtum dicit, quòd bonitas ex obiecto eſt generica, non ſpecifica: nam hæc actio, volo eſſe ſtudioſus, bona eſt ex genere ſuo, at non eſt in aliqua certa ſpecie virtutis; non enim eſt quare magis ad iſtam virtutem quàm ad aliã referatur. Deinde iſte actus, volo eſſe nequã homo, de genere ſuo eſt malus, at non eſt in aliqua certa ſpecie vitij. Reſpondetur, quòd reducitur ad iuſtitiam legalem, cuius officiũ eſt promouere omne opus virtutis: vel referendus eſt ad ſyndereſim, cuius officium eſt ſectari bonum & fugere malum: ſicut enim in ſpeculationibus eſt primum principium, quodlibet eſt, vel non eſt; ita in practicis ſimiliter eſt primum principium, bonum eſt ſectandum, malum fugiendum: habitus verò primorum principiorum in practicis eſt ſyndereſis. ¶ Sed ad extremum huius articuli notandum eſt, quòd non quæuis differẽtia obiecti conſtituit ſpeciem in moralibus, ſed illa tantùm, quæ dicit ſpecialem conformitatem ad rationem, vel difformitatem. Pro quo eſt prima regula. Quando vnus actus eſt conformis rectæ rationi, & alter difformis, differunt ſpecie; quoniam obiecta differunt in ordine ad rationem. Secunda regula. Quando vterq; actus eſt difformis rectæ rationi ex diuerſa cauſa, differunt ſpecie; ſicut habere rem cum muliere ſoluta, & cũ maritata. Tertia regula. Quando vterq; actus eſt conformis rationi ex diuerſa cauſa, differunt ſpecie in bonitate morum, ſicut credere, & amare. Quarta regula. Quando actus ſunt conformes aut difformes rectæ rationi, ex eadem cauſa, licèt maximè diſtent in genere naturæ, ſunt eiuſdẽ ſpeciei. v. g. vendere triticum iuſto pretio, & vendere piper, ſunt eiuſdem ſpeciei in genere moris, & pertinent ad eandem virtutem iuſtitiæ, licèt

Ad tertium.

Ad quartũ.

Obiectio.

Solutio.

Quæ differentia obiecti in moralibus cõſtituat ſpeciẽ diuerſam.

licèt differant in genere naturæ: item comedere perdices, & comedere arietem in die Veneris, in genere moris sunt eiusdem speciei, & vtrumq; opus est contra temperantiæ virtutem. Ex quo sequitur quàm malè doceāt quidam Philosophi & Theologi, esse tot temperantias, quot sunt genera ciborum, & esse tot iustitias, quot sunt genera rerum venalium.

ARTIC. TERTIVS.

¶ Vtrùm actio humana sit bona vel mala ex circunstantia.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. CONclusio est affirmans. Nam sicut in rebus naturalibus non sufficit forma substantialis quę dat speciem, imo accidentia quædam requirūtur ad perfectionem illarum, vt in homine est figura, color, & similia; sic etiam tota bonitas actionis non est ex obiecto, sed requiruntur quædam circunstantiæ, quæ si desunt, actio non erit bona. Itaq; probatio ad formam argumenti reducta, sic habet. In rebus non est tota plenitudo debita ex forma substantiali, quæ dat speciem, sed multum superadditur ex accidentibus: ergo ita est in humana actione, quòd tota plenitudo bonitatis non est ex obiecto, sed multùm additur ex circūstantijs, quæ sunt quædam accidentia humanarum actionum.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Argumētū contra conclusionē. CONtra conclusionem potest argui; quia sicut nihil est peccatū, nisi voluntarium, ita nihil videtur facere ad bonitatem vel malitiam, nisi quod est volitum: quicquid autem est volitum, est obiectum voluntatis. ergo omnis bonitas vel malitia est ex obiecto. Explicatur hoc euidentiùs. Nam omnis circunstantia quæ confert bonitatem vel malitiam actui humano, est obiectum volūtatis: ergo bonitas vel malitia ex circunstantia, ex obiecto sumitur. Antecedens probatur: nam omnis talis circunstantia est volita; omne autem volitum est obiectum voluntatis, sicut omne visum est obiectum visus. ¶ Ad huius rei expositionem aduertere oportet, quòd circunstantiæ sunt in duplici differentia: quędam sunt quæ intra eandem speciem augent bonitatem vel malitiam; vt furari rem maximi pretij, vel minimi, conferre eleemosynam paruam, vel magnam: & prædictæ circunstantiæ exploratum est quòd augent bonitatem vel malitiam, manentes circunstantiæ; aliæ sunt quæ transferunt actum ad aliam speciē, veluti furari in loco sacro: illa circunstantia loci sacri, transfert actum ad aliam speciem, videlicet ad speciem sacrilegij; item occidere maritum vt quis potiatur eius vxore, homicidium est; verùm illā circunstantia finis, transfert actum ad speciem adulterij, sic vt dicat Aristoteles summus Philosophus; quòd qui occidit maritum vt vxore eius potiatur, magis est adulter, quàm homicida. ¶ De istis circunstantijs quæ mutant speciem, dicunt doctores in primis graues, quòd non manent circunstantiæ, sed transeunt in rationem obiecti, idque suadent efficaci ratione, vt ipsi arbitrantur. Nam obiectum voluntatis est id, quod est præcipuè volitum, & habet specialē conformitatem, aut difformitatem ad rationis regulam: sed velle furari in loco sacro, est volitum, & habet specialem difformitatem ad rectam rationem; nam præterquam quòd est furtum, est sacrilegium, & iniuria quæ loco sacro irrogatur: ergo transit in rationem obiecti. De vtroque genere circunstantiarum loquitur D. Tho. in hoc articulo. Certè modus hic dicendi valde probabilis est. ¶ Sed mihi longè probabiliùs videtur, quòd etiam illæ circunstantiæ quæ mutant speciem, & transferunt actiones humanas ad aliud genus moris, semper sunt, & manent circunstantiæ, à quibus actiones humanæ habent suas species, sed accidentarias: itaq; circunstantia semper est accidens actionis humanæ; sed sicut est accidens, ita tribuit actioni humanæ speciem accidentariam, non essentialem: veluti homo à rationali anima habet speciem substantialem, ab albedine accidentariam. Cuius ratio hæc est, & meo iudicio euidens: nam actio humana ab obiecto immediato habet speciem essentialem, & inuariabilem, quę nunquam ab actione separatur, sed neq; separari potest ab aliis verò habet speciem, & rationem variabilem, & accidentariam, de cuius rationis efficacia diximus abundanter retro, quæst. 7.

Circunstantiarum duplex genus.

Aristot.

Quidā modus dicēdi.

Propria sententia.

Circunstantiæ mutantes speciē, nō sunt obiectum.

quæst. 7. articulo secundo, & tertio. Sed vt simus in huius rei explicatione abundantes, Caieta. scire oportet, quòd Caietanus in sequenti articulo sequitur singularem sententiam, & acutam quidem: scribit enim, quòd quando aliquis furatur in loco sacro, vel furatur vt adulterium committat, istæ circunstantiæ respectu actus interioris, non sunt circunstantiæ, sed transeunt in rationem obiecti. quod probat esse verum argumento superiùs adducto: cæterùm si referantur ad actum exteriorem, sunt veræ circunstantiæ; nam acceptioni rei alienæ accidentariè coniungitur, quòd sit in loco sacro, vel quòd fiat propter adulterium. Hæc sententia domini Caietani ferè ab omnibus approbatur, secundum quam facilè est respondere argumento proposito in initio articuli. Namq; dicendum est, quòd circunstantiæ vniuersæ, sunt circunstantiæ respectu actus exterioris, sed respectu actus interioris circunstantiæ non sunt, potissimè si loquamur de circunstantijs quæ mutant speciem. Verùm hæc sententia non potest esse vera, vt ego confestim demonstrabo in articulo sequenti, in quo contra Caietanum diligenter Solutio propria. rem & veritatem inuestigabimus. ¶ Vnde ad argumentum propositum dicendum arbitror, quòd vt circunstantia desinat esse circunstantia, non sat est quòd sit volita, etiamsi sit præcipuè volita, sed perneccessarium est, vt sit primum & immediatum obiectum, à quo tantummodo actio humana habet speciem essentialem, & inuariabilem: certè si vt desineret esse circunstantia, satis esset quòd esset volita, argumentum efficaciter cõcludit, quòd vniuersæ circunstantiæ desinerent esse circunstantiæ, siquidem vniuersæ sunt volitæ. Vel dicatur, quòd non omne volitum est obiectum voluntatis, sed illud quod est volitum propter se. Explicatur hoc adhibito exẽplo: vult aliquis occidere Petrum propter vindictam, sed fortè fortuna inuenit eum in loco sacro, & ibi occidit, tunc locus sacer est circunstantia occisionis, & ille actus est sacrilegium ex circunstantia loci: at verò si ex præcipuo destinatu vult irrogare iniuriam loco sacro, propter quod in loco sacro occidit Petrum, tunc locus sacer non est circunstantia, sed obiectum præcipuum actus interioris.

ARTIC. QVARTVS.

¶ Vtrùm actio humana sit bona vel mala ex fine.

SVMMA TEXTVS.

PRior Conclusio est affirmans. Nam quæ dependent ab alio, habẽt rationem bonitatis ex fine, à quo dependent, præter bonitatem absolutam, quæ in eis exi stit: vnde in diuinis personis, quæ non habent bonitatem dependentem, non consideratur aliqua ratio bonitatis ex fine. Sed actio humana dependet ex fine. ergo habet bonitatem vel malitiam ex fine: eadem enim videtur esse dispositio in bonitate, & in ratione essendi; propter quod in eis quorum esse est independens, bonitas ab alio non dependet: quorum autem esse est dependens ab alio, bonitas expendenda est per cõsiderationem ad causam, à qua dependent. Prior con:

¶ Posterior Conclusio. In actione humana quadruplex bonitas consideratur; vna secundum genus, prout est actio; quia quantum habet de entitate, tantum habet de bonitate: alia secundum speciem, quæ accipitur secundum obiectũ conueniens; tertia secundum circunstantias, quasi secundum quædam accidentia: quarta secũdum finem, quasi secundum habitudinem ad causam bonitatis. Hæc conclusio patet ex dictis. Posterior.

EXPLICATIO ARTICVLI.

VIdebitur fortasis alicui quòd conclusio huius articuli & falsum dicat, & quòd in eius definitione D. Tho. non seruet doctrinę methodum. Nam in superiori articulo definierat D. Tho. quòd actio humana est bona vel mala ex circunstantijs: finis verò est præcipua circun- Argumenta cõtra cõclusiones. Primum.

circunſtantiarum.ergo ſuperuacaneum & nugatorium eſt definire in hoc articulo, quod
Secundum in ſuperioribus apertè eſt definitum. Deinde, finis vel eſt obiectum, vel circunſtantia: ergo nullam aliam malitiam addit, niſi tanquam
Confir. D.Tho. obiectum, vel circunſtantia. Hoc ipſum confirmatur. Nam D.Tho.ſuprà q.7.art.3. in ſolutione tertij ſcribit, quòd finis, qui dat ſpeciem actioni humanæ, non eſt circunſtantia, ſed finis adiunctus veluti appendix, eſt circũſtantia; veluti cùm aliquis fortiter agit propter bonum fortitudinis, finis hic eſt obiectum formale ipſius actus, finis verò adiunctus, eſt circunſtantia, vt fortiter agere propter bonum religionis chriſtianæ. ergo finis tantùm dat bonitatem vel malitiam, tanquam obiectum
Tertium. vel circunſtantia. ¶ Demum, finis eſt omniũ circunſtantiarum præcipua, vt dictum eſt ſuprà.q.7.articu.4.ergo ſi actio humana ex fine habet bonitatem vel malitiam, oportuit certè de fine in primo loco diſputationem inſtituere,& non ad poſtremum locum eam reſeruare. Ex quibus omnibus videtur, quòd D.
Ratio ordinis D. Th. Tho.non ſeruet ordinem doctrinæ. ¶ Ad huius dubitationis elucidationem dicendum, quod D. Thom. ſpeciatim de fine loquitur; tum, quoniam finis præcipuam laudem & meritum tribuit actionibus humanis: tum deinde, ne quis ignorans exiſtimaret, quòd eadẽ bonitas vel malitia eſt quæ ſumitur ex obiecto, cum ea quæ ex fine deſumitur; tum verò, quoniam de circunſtantijs finis in operationibus humanis multi errauerũt turpiter, vt iam
Caietani ſententia. iam demonſtrabimus. Cardinalis Caietanus habet in hoc articulo ſingularem modum dicendi, quem ſequuntur plerique diſcipuli D.Tho.dicit ergo Caietanus, quòd finis eſt circunſtantia reſpectu actus exterioris, & eſt obiectum reſpectu interioris,& vtriuſque eſt finis: dat ergo actioni humanæ malitiam, vel bonitatem; interiori quidem, tanquam obiectum; exteriori, tanquam circunſtantia; vtriq; verò, tanquam finis: cùm enim quis furatur vt fornicetur, fornicatio eſt circũſtantia furti; cæterum reſpectu actus voluntatis interioris, non eſt circunſtantia, ſed præcipuum obiectum. Itaque finis poteſt comparari ad actũ exteriorem, & ad actum interiorem voluntatis: ad actum exteriorem comparatus, eſt circunſtantia: ad actum interiorem, eſt obiectũ,
Autoris opinio. à quo actus interior habet ſuam ſpeciẽ. Ego verò non poſſum intelligere, quomodo ſit aliqua circunſtantia actus exterioris, & eadem non ſit actus interioris. quam ſententiã quoniam autoritate perſuadere non poſſum, rationibus validiſsimis confirmare adnitor. In primis, actus interior & exterior apud philoſophos morales pro eodem actu reputantur. ergo quod eſt circunſtantia vnius, eſt circunſtantia alterius. Deinde, actus exterior in genere moris conſideratus, eiuſdem ſpeciei eſt cum actu interiori; ad eandem enim ſpeciem pertinet occidere hominem, & velle occidere; imo occidere hominem non addit aliquã malitiam ſuper actum interiorem, vt habet vera doctrina. ergo quicquid eſt circunſtantia actus exterioris, erit circunſtantia actus interioris, & viceuerſa. Præterea, ſicut accidit furto quòd fiat in loco ſacro, vel quòd referatur in alium finem adiunctum, ſic accidit volitioni furti quòd fiat in loco ſacro, vel quòd ad alium finem referatur, ergo prædictæ circunſtantiæ, etiam ſunt circunſtantiæ reſpectu actus interioris. Adhæc, quando Philoſophi & Theologi agunt de circunſtantijs actuum humanorum, agunt de eis quatenus augent, vel minuunt valorem operis: ſed valor & meritum operis præcipuè in actu interiori conſiſtunt. ergo circunſtantiæ præcipuè referũtur ad actum interiorem. Iam verò rem euidenter concludo; cum enim quis eligit furari vt fornicetur, non eſt intentio finis, vt planè conſtat, ſed electio medij ad talem finem: electio verò non ſpecificatur ex fine, ſed ex medio. ergo medium tribuit ſpeciem, non finis adiũctus, ac ſubinde finis adiunctus erit circunſtãtia. Sed inſpiciamus quibus argumentis fulciatur Cardinalis Caietani ſententia: certè argu
Argumenta Caietani. menta eius non ſunt contemnẽda. ¶ Primùm
Primum. ſic arguit. Nam cùm aliquis furatur vt fornicetur, ratio formalis quæ mouet illum vt velit furtum committere, eſt fornicatio: nam propter fornicationem furatur. ergo non eſt circunſtantia actus volendi: ratio enim formalis non eſt circunſtantia, ſed rei quidditas. ¶ Ex-
Secundum plicatur hoc apertiùs. Nam cùm quis vult furari vt fornicetur, primum quod vult, eſt fornicatio; vult enim furari, & vult fornicari, & vult furari propter fornicationem. ergo primò, & per ſe vult fornicationem. ergo ex fornicatione actus volendi deſumit ſuam ſpeciem: actus enim ſpecificatur ex obiecto immediato, & primario. ¶ Ad hæc, ſi quis exer-
Tertium. cet actum fortitudinis propter charitatẽ Dei, talis actus (autore D.Tho.ſuprà q.13. artic.1.)
D. Tho. materialiter eſt actus fortitudinis, formaliter verò charitatis. ergo obiectum charitatis, eſt obiectum formale illius voluntatis, qua quis vult fortiter agere propter charitatem Dei. non eſt ergo circunſtantia reſpectu actus interioris. ¶ Certè D.Tho.in articul.6. pro eui-
Quartum. denti habet, quòd actus interior habet pro
D. Tho. obiecto

obiecto immediato & primo, finem ipsum: & sic inquit, quòd sicut actus exterior habet speciem ex obiecto circa quod versatur, sic actus interior habet speciem ex fine, sicuti ex proprio obiecto. Huic sententiæ fauet Arist. dum ait, quòd qui furatur vt mœchetur, potiùs est mœchus, quàm fur, nimirum quia præcipuè & primò vult mœchari, & propterea vult furari. ¶ Ad hæc argumenta Caietani, quanquã despicabilia non sunt, non erit difficilè satisfacere. Nam ad primũ dicitur, quòd cùm quis furatur vt fornicetur, ratio præcipua & potissima quæ illum mouet vt velit furari, est fornicatio, sed ex hoc non sequitur quòd hæc sit ratio specifica, & essentialis, ex qua actus humanus speciem habeat. Nam actus humanus non habet speciem ex potiſsima ratione, sed ex immediato obiecto: constat autem, quòd cùm quis eligit furari propter fornicationẽ, electio primò & per se versatur circa media, & non circa finem. Certè si argumentum hoc non est nugatorium, conuincit, quòd omnis actus humanus sumat speciem ex fine, siquidem finis est qui principaliter mouet, & cuius gratia omnia fiunt. Sed & in rebus naturalibus, in superioribus ostensum est, quemadmodum non accipiunt speciem ex nobiliori ratione, sed ex forma substãtiali: meliùs enim est in homine, esse studiosum, & omnibus virtutibus ornatum, quàm esse rationalem; at nõ ex virtutibus, sed ex anima rationali speciem habet. ¶ Ad secundum argumentum dicito, quòd hic non quæritur de fine, vt est obiectum intentionis, sed vt est obiectum electionis, quæ versatur circa media; vnde cùm quis eligit furari vt fornicetur, electio illa immediatè versatur circa media; ratio verò volendi media, finis est, vt argumẽtum efficaciter persuadet. Itaque finis est ratio volendi; sed volitum est medium à quo actus humanus speciẽ recipit. ¶ Ad tertium dicito, esse verissimum, quòd quando quis furatur vt fornicetur, potiùs est fornicarius, quàm fur, & potiùs vult fornicari, quàm furari, & materialiter vult furari, formaliter verò vult fornicari. Ex his verò inscitè colligitur, quòd species actus substantialis ex fornicatione desumenda sit; nam species actus substantialis non sumitur ex eo quòd præcipuè intendatur, sed ex obiecto immediato circa quod versatur: finis autem est primum volitum, id est ratio volendi, non autem est primum circa quod versatur electio, sed medium. Illud etiam non est prætereundum, quòd electio materialiter pertinet ad voluntatem, formaliter verò ad intellectũ vt docuit D. Tho. in superioribus: at nemini dubium esse potest, quòd electio substantialiter & essentialiter sit actus voluntatis, & non intellectus. ¶ Ad quartum ex autoritate D. Thomæ dicendum est, posse in primis explicari de fine intrinseco operis, quod idem est cum obiecto immediato operis; non autem loquitur de fine adiuncto: vel si loquitur de vtroque fine, commentarius est, quòd finis sit primarium obiectum in quacumq; electione, eò quòd sit ratio volendi, & eligendi, & quòd det speciem primariam, non autem quòd tribuat speciem actui humano essentialem, & inuariabilem. Iam enim expositum est, quemadmodum longè aliud sit, quòd circunstantia tribuat speciem magis præcipuã, & quòd tribuat speciem actus essentialẽ: contingit enim sæpenumero, quòd species accidentaria in genere morum præcipua sit magis. Sed desino iam in re abstrusa, & minimè vtili versari: nam quando opinio Caietani non haberet aliud incommodum, nisi quod obscura est, & minimè necessaria ad doctrinã D. Tho. elucidandam, vel ob id reijciẽda est. Profectò sententia D. Tho. nostris elucidationibus perspicua est, quibus addo aliam explicationem euidentiorem ex doctissimo Patre Victoria, quam accepit ex D. Tho. in 2. d. 36. art. 5. ad quintum. & q. 2. de malo, arti. 4. ad. 9. Duplex, inquit, est finis; alter operis, alter operantis: finis operis dat speciem actui humano; est enim obiectum proximum; finis operãtis, est circunstantia operis: & de hoc fine loquitur D. Tho. in articulo.

¶ In solutione tertij notandum est, quòd operatio humana, vndecunque habeat aliquem defectum, simpliciter mala est: vnde ad operationem bonam, & studiosam, non sat fuerit quòd sit de bono obiecto, aut de fine bono. Verissimè enim dicit D. Dionysius ca. 4. de diuinis nominibus; bonũ ex integra causa, malum verò ex quocunq; defectu consurgere. In qua re errauerunt quidam turpiter, quos commemorat Magister Sententiarum in. 2. d. 40. c. 2. &. 3. Quapropter quando dicunt sancti patres, quòd actio humana expendenda est ex recta intentione finis, iuxta illud verbũ Domini; Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit; & iuxta illud, Bona arbor non potest malos fructus facere; intelligunt sancti, quòd actio humana præcipuè ex intentione æstimanda est; verùm vt sit studiosa operatio, non satis est quòd sit bona intentio, sed opus est recta electione, & cæteris circũstãtijs. Illud verò domini, Si oculus tuus fuerit simplex, habet istam sententiam, quòd siquis habeat rectam intẽtionem circa salutẽ

Aristo.

Solutio argumẽtorũ. Ad primũ.

Ad secũdũ.

Ad tertiũ.

Ad quartũ.

Victoria.

Non sufficit finis bonus ad bonam operationem.

Dionys.

Mag. Sent.

Luc. 13. Matth. 7.

ſpiritualem, Spiritus ſanctus ſuggeret de mediis conuenientibus ad illam conſequẽdam. Vel ſenſus eſt, quòd ſiquis habeat efficacem intẽtionem, neceſſum eſt vt velit media, quæ ſunt neceſſaria ad finis cõſecutionem. Alius commentarius eſt, quòd ſi quis habet rectam intentionem, & operatur aliquod opus prauum, illud opus non proficiſcitur ab illa recta intentione, ſed ex malitia & abuſu. Simile eſt
1. Ioan. 3. quod dicit Ioannes primæ epiſt. ca. 3. Qui ex Deo eſt, peccatum nõ facit. Ex qua ſententia eliciunt Theologi, quòd qui habet charitatem, quatenus mouetur ex ſpiritu Dei, non peccat, ſed ex ſua malitia, & ex libero arbitrio peccat. Sed quærunt Theologi, & in diſputationem vocant; Vtrùm qui furatur ex recta intentione, videlicet vt elargiatur eleemoſynam, grauius peccatum committat, quàm qui furatur ex intentione furandi? Illud quoque interrogant, vtrùm qui furatur ad dandam eleemoſynam, habeat rectam intentionem? Ratio ambiguitatis eſt: nam illa intentio eſt cauſa peccati. ergo mala eſt. Sed non quieſcunt, & aliam mouent quæſtionem; vtrùm furari propter dandam eleemoſynam, ſit in ſpecie boni, an in ſpecie mali; ſit de genere bonorum, anne de genere malorum? de quibus infrà accuratè & diligenter diſputandum eſt.

ARTIC. QVINTVS.

¶ Vtrùm actio humana ſit bona vel mala ex ſua ſpecie.

SVMMA TEXTVS.

SEnſus huius quæſtionis eſt; vtrùm actus humanus differat ſpecie ſecundum bonum vel malum. Itaque hæc ſit optima argumentandi ratio: hæc actio eſt bona, ergo diſtinguitur ſpecie ab operatione mala.

Concluſio. ¶ Concluſio eſt affirmans. Nam in actibus humanis bonũ vel malum dicitur per comparationem, ad rationem, quę eſt regula humanorum actuum, in quantũ aliquid ei conuenit, vel non conuenit; vnde bonum & malum diuerſificãt ſpecies actuum humanorũ, cùm ſpecies ex obiecto capiatur. Hæc eſt ratio D. Thom. in ſumma: ſed accuratiùs explicata ſic habet. Nã aliqua differẽtia ex parte obiecti, facit diuerſitatem ſpeciei in actibus, vt ex dictis liquidò cõſtat: ſed illa differentia obiecti, quæ per ſe cõſideratur ad principium, quod eſt regula & norma actuum humanorum, eſt differentia præcipua obiectorum. ergo ex tali differentia diuerſitas ſpecifica in actibus humanis expendenda eſt. Sed bonum & malũ ſunt obiecta quæ per ſe differunt in ordine ad rationem, quæ eſt regula humanorum actuum; bonum enim eſt conueniens rectæ rationi, malum verò diſconueniens, & diſcordans rectæ rationi. ergo bonum & malum ex parte obiecti diuerſificant ſpeciem in actibus humanis. Hoc ipſum confirmatur ex autoritate D. Dionyſij. c. 4. de diuinis nomi- Dionyſ.
nibus, dicentis, quòd bonum hominis eſt ſecundum rationem. & ratio idem perſuadet. Quia bonum dicitur ſecundum quòd obiectum eſt conueniens rectæ rationi, malum autem ſecundum quòd diſconueniens: ſed conueniens & diſconueniens dicũt per ſe differentiam ad rationem rectam; actus autem dicuntur humani ſecundum quòd à ratione proficiſcuntur: itaque differentia quæ per accidens ſe habet ad potentiam vel principium, non diuerſificat actus: differentia enim ſoni, & coloris, nõ per ſe ſe habet

ad

ad intellectum, & sic non diuersificat intellectum, licèt per se se habeat ad sensum, & sic diuersificat sensum: bonum verò & malum per se differunt in ordine ad rationem: vnde differentia secundum bonum & malum, constituit differentiam in actibus humanis.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Habit⁹ morales non differũt ex diuersis obiectis in esse naturæ.

EX hoc articulo patet, quàm parùm ex philosophia adepti sunt, qui habitus morales volunt distinguere ex differentia actuum, vel obiectorum, in esse naturæ, vt abstinentia à carnibus sit vnus habitus, & abstinentia ab ouis, alius; & è contrariò vnum habitum moralem circa actus distinctos in esse moris, vt idem habitus sit quo inclinamur ad comedendum carnes die Dominica, & die Veneris; quæ omnia absurda sunt: imo dare pecuniam intuitu necessitatis, & quia debita est, non sunt ab eodem habitu, sed vnum à misericordia, aliud à iustitia. Ratio huius est, quoniam differentia obiectorum, quæ constituit differentiam specificam in genere moris, sumitur per ordinem ad rectam rationem: vbi igitur fuerit eadem conformitas ad rectam rationem, erit eadem virtus; vbi diuersa, diuersa erit virtus: & quoniam eadem est conformitas ad rectam rationem, temperatè se habere in cibo & potu, eadem est virtus circa hæc omnia, quantumuis in genere naturæ distinguantur.

¶ In solutione primi & secũdi obseruet Theologus, quòd sicut specie differunt corpus viuum & mortuum, non propter priuationem vitæ, quæ est in corpore mortuo, sed propter formam cadaueris, quæ aliquid positiuum est, & in rerum natura existens: sic sanè habitus temperantiæ & intemperantiæ inter se discernuntur; non quòd intemperantia sit priuatio temperantiæ, sed quia est aliqua qualitas positiua, quæ sumitur ex obiecto per se intento, cui est annexa priuatio alterius boni, quod est in virtute temperantię: semper enim vnum contrarium (secundum doctrinam Aristot.) se habet vt priuatio alterius.

Aristo.

Caiet. In solutione secundi dicit Caietanus esse magnum dubium, quomodo cùm malum, secundum D. Diony. & D. August. sit priuatio, & nihil; bonum & malum morale constituant distinctas & contrarias species actuum humanorum. Respondet Caietanus cum magna trepidatione, quòd non auderet concedere, nisi priùs concessisset D. Thom. 1. p. quæst. 48. articulo 1. ad secundum, & tertio contra gentes cap. 9. quòd malum morale est aliqua natura positiua, & aliquod bonum in se, licèt sit malum homini; quemadmodum forma mortui in se quoddam bonum est, sed malum rei viuenti: itaque actus iniustitiæ est ens positiuum, contrarium iustitiæ. Secundò dicit Caietanus, quòd malum sumptum absolutè, priuatio est, & nihil; denominatiuè verò appellatur ens. Malum verò morale duplex est; primo modo, vt dicit priuationem rectitudinis debitæ, & hoc modo continetur sub malo absolutè sumpto, & priuatio est: secundò modo dicit malum contrariè, & hoc modo non continetur sub malo absolutè sumpto, sed est ens positiuum, contrarium bono. Itaque habitus iniustitiæ, & habitus iustitiæ, non opponuntur priuatiuè, sed sunt duæ qualitates contrariæ, in prædicamento qualitatis constitutæ. & idem dicendum est de actu iustitiæ & iniustitiæ. Ex hoc eliciunt Theologi differentiam inter malum naturale, & malum morale; quòd malum naturale est priuatio, vt cæcitas, &c. Rursus malum naturale non constituitur in aliqua specie, siquidem priuatio est; atque adeò non est cognoscibilis per se, sed per suum oppositum: malum verò morale est aliquid positiuum, constitutum in specie per differentiam intrinsecam, ex qua cognoscibile est. Hæc asserit Caietanus cum magna trepidatione; & meritò quidem: nam ex his concutiuntur vniuersa diuinæ Theologię fundamenta.

D. Tho.

Differentia mali moralis à malo naturali.

¶ Nam si malum morale est aliqua natura positiua, cùm nulla natura positiua sit, quæ à Deo non sit producta, consequens est, quòd malum morale ex Deo sit.

Arguitur cõtra Caiet. Primum.

¶ Rursum, si malum morale ex se natura positiua est: ergo habet aliquem autorem, & aliquod primum principium: non Deum bonum; ergo Deum malum: ergo incidimus in hæresim Manichæorum, qui dicebant, primum principium bonorum esse Deum bonum, primum principium malorũ, esse Deum malum.

Secundum

¶ Præterea, si malum morale est natura positiua, cùm huiusmodi malum sit contra Deum, & eius legem; sequitur esse aliquam naturam tam malè constitutam, vt sit contra eius autorem.

Tertium.

¶ Vltimò, si habitus iniustitiæ est quædam qualitas positiua producta à Deo, sequitur quòd eius inclinatio naturalis sit à Deo: qui enim dat formam, dat consequentia ad formam.

Quartum.

mani. Sed inclinatio huius habitus naturalis & essentialis est inclinare ad malum, & contra iustitiam; sequitur ergo quòd Deus inclinet ad malum: quod asserere alienum est à Theologia. Certè argumenta sunt difficillima, quorum expositiones prosecuturi sumus in materia de peccatis, cùm de peccatis agendum est. Dominus Caietanus non formidat concedere, quòd malum, quatenus contrariatur virtuti, à Deo est, vt est principium naturale. Sed quomodo hæc sententia sit falsa, & minimè secura, demonstrabimus loco citato. ¶ Vera solutio horum argumentorum est, quòd malum morale est entitas positiua deficiens, & ideo habet speciem ab obiecto deficienti, & disconuenienti ad rectam rationem; ob idque, id quod est perfectionis in malo morali, in Deum reducendum est; defectus verò in causam deficientem, hoc est in liberum arbitrium deficiens reducendi sunt. Sed de hoc dicendum est copiosiùs in loco commemorato. ¶ In solutione quarti tria sunt obseruanda; primum est, quòd cum D. Thom. dicit, quòd circunstantia interdum sumitur vt differentia essentialis obiecti, secundum quod ad rationem comparatur, non sic est intelligendum, vt ratio & causa quare sit, veluti differentia essentialis obiecti, sit ex eo quia comparatur ad rationem: nam hoc modo quælibet circunstantia cõstitueret differentiam essentialem; nam quælibet consideratur à ratione: sed tunc quando comparatur ad rationem, secundum specialem conuenientiam, aut disconuenientiam, vnde tũc circunstantia sumitur ex differentia essentialis obiecti, quando præsefert nouam deformitatem vel conformitatem ad rationem. exempli gratia. furari in loco sacro, ex illa circunstantia loci sacri denotat nouam deformitatem ad rationem, & distinctam disconuenientiam: nam præterquam quòd in furto fit iniuria proximo, est etiam iniuria quæ fit loco sacro. Sed & illud dignum est animaduersione, quod priùs admonuit S. Thom. hîc ad quartum, quòd circunstantia omnis quæ mutat actum de bono in malum, mutat speciem actus; nam facit aliam differentiam obiecti: prius enim erat conueniens rationi, postmodum verò disconueniens. Vltimò scire oportet ex D. Thom. de malo, quæstione secunda, articulo sexto, ad septimum, quòd cùm dicitur, circunstantiam quæ mutat actũ de bono in malum, præseferre differentiam specificam in genere moris, non ita intelligendum est, quòd actus prius existens in vna specie, ex circunstantia superueniente transeat in aliam speciem, & fiat hæc transmutatio; sed sensus est, quòd actus, qui secundum se consideratus absque illa circunstantia ratione cuius inficitur actus, erat bonus, ex illa circunstantia efficitur malus; non autem est necessarium, quòd idem actus numero, qui priùs bonus erat, transeat in aliam speciem, corrupta & disipata priore. Exemplo hoc illustrabitur. Nam reddere debitum vxori in loco sacro, est malum & sacrilegium, ex sola circunstantia loci, & hæc circunstantia mutat actum de bono in malum; non quia semel fuit bonus, sed quia fuisset bonus, nisi inficeretur ex tali circunstantia.

no

Vera solutio.

D. Tho.

ARTIC. SEXTVS.

¶ Vtrùm actio humana habeat speciem boni vel mali ex fine.

SVMMA TEXTVS.

Prior con.

PRior Conclusio. Interior actus voluntatis accipit speciem à fine, sicut à suo proprio obiecto. Probatio Diui Thomæ sic instituitur. Actus, inquit, humani dicuntur, vt sunt voluntarij: in actu autẽ voluntario duplex actus voluntatis inuenitur, scilicet interior, & exterior; & vterque habet suum obiectum; nam finis est proprium obiectum actus interioris voluntatis; id autem circa quod versatur actio exterior, est eius obiectum: sicut igitur actus exterior accipit speciem ab obiecto circa quod est; sic sanè actus interior accipit speciem à fine, sicut à suo proprio obiecto. Itaque argumentatio sic procedit. Actus exterior accipit speciem ab obiecto circa quod versatur: ergo actus interior à fine. Consequẽtia

inde

inde probatur: quia actus interior versatur circa finẽ, sicut exterior circa obiectum.

Posterior. ¶ Posterior Conclusio. Species actuum humanorum considerantur formaliter ex fine, materialiter verò secundum obiectum actus exterioris; vnde illa species quæ sumitur ex obiecto, habet se veluti materialiter respectu speciei, quæ sumitur ex fine: actus enim exteriores non habent rationem moralitatis, nisi in quantum sunt voluntarij: id autem quod præcipuè volumus, est finis; & ideo species actus humani considerantur formaliter, & præcipuè secundum finem, & materialiter secundum obiectum actus exterioris: vnde qui furatur vt mœchetur, magis adulter, quàm fur dicitur. Et id quidem confirmat alia ratio. Nam id quod se tenet ex parte voluntatis, consideratur vt formale comparatum ad actum exteriorem; voluntas siquidem vtitur membris ad agendum, & efficiendum actus exteriores, veluti instrumentis; sed illud quod se tenet ex parte agentis, principaliùs est, habetque se vt formale comparatum ad illud, quod se tenet ex parte instrumenti.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CRuciat hic articulus omnes prope modum interpretes D. Thom. & dum illum quisque in suam sententiam trahere adnititur, offundunt tenebras veritati, & falsam & improbabilem sententiam docent, cùm alioqui definitio Diui Thomæ (nisi velimus tenebras & latebras quærere,) sit perfacilis, & perspicua.

¶ In cuius rei interpretationem scire oportet, quòd omnis actus, tam interior, quàm exterior, habet suam speciem essentialem, & inuariabilem ab obiecto proximo, & immediato; tum, quoniam hoc est commune vniuersis potentijs, actibus, & instrumẽtis quòd sumant speciem ab obiecto immediato; tum verò, quoniam species essentialis, & inuariabilis in actibus humanis est ea, quæ nunquam variatur, neque transmutatur; sicut homicidium, quocunque fine fiat, siue propter furtum, siue propter adulterium, semper est homicidium: reliquæ verò malitiæ sunt accidentariæ, & mutabiles. ergo operatio humana habet suam speciem essentialem semper ab obiecto proximo. Secundò notandum est, quòd qui furatur propter mœchiã, potiùs est mœchus, quàm fur. Ita Aristote. 5. Ethicorum capitulo secundo. Itaque quando quis vult furari propter mœchiam, ille actus principaliùs est adulterium, sed substantialiter est furtum. Prima pars huius propositionis probatur. Nam actio humana in tantum mala est, in quantum voluntaria: sed qui vult furari propter mœchiam, potiùs vult mœchiam, vt per se notum est. ergo magis est mœchus quàm fur. Deinde, actus imperans, potior est quàm actus imperatus: sed quando quis vult furari propter mœchiam, ex volitione mœchiæ imperat sibi furtum: ergo est magis mœchus quàm fur. Secunda pars propositionis probatur. Nam maior vel minor malitia non sumitur ex forma essentiali, sed ex forma accidentali: vnde non dicitur homo perfectus simpliciter ex anima rationali, sed ex virtutibus superadditis: nec dicitur homo malus simpliciter ex defectibus naturalibus, sed ex peccatis superadditis. Deinde, bonum habet rationem vltimi & perfecti. ergo bonitas præcipuè ex fine sumenda est. Hæc omnia confirmantur autoritate Diui Thomæ, prima parte, quæstione quinta, articulo primo, ad primum; dicit enim expressè, quòd bonum & malum sumuntur potissimè à forma accidentaria superaddita. Tertiò & vltimò notandum est, quòd quando quis furatur propter mœchiã, & fur est, & mœchus: itaque ille actus est in duplici specie morali, in vna essentiali, & inuariabili, quæ est species furti; in altera accidentaria; sed magis principaliter & præcipua.

Actus humanus habet speciẽ à proximo obiecto.

Aristo.

D. Tho.

¶ Ex his annotationibus explicantur duæ difficultates, quæ maximè excruciant discipulos D. Thom. Prima est; nam superiùs dictum est, finem esse circunstantiam, tam

Dubiũ primum.

respectu actus exterioris, quàm interioris: hîc verò docet D. Thom. finem esse præcipuum obiectum actus interioris: ergo superiùs tradita doctrina vera non est. Respondetur, ex hoc quòd obiectum sit magis præcipuum, non demonstratur quòd non sit accidentarium; ostensum enim est, maiorem vel minorem bonitatem aut malitiam ex formis accidentarijs accipiendam esse. Secundò dico, quòd nomine actus exterioris appellat hic Diuus Thomas omnem actum imperatum, quanquam interior sit. verbi gratia. quando quis vult furari propter mœchiam, illa volitio interior furti, vocatur actus exterior, de qua dicit D. Thom. quòd accipit speciem ab obiecto immediato.

Solutio.

Secundum dubium.

¶ Secunda difficultas est, quomodo sit verum, quòd finis sit obiectum cuiuscunque actus voluntatis interioris; nam electio est actus voluntatis interior, quæ versatur circa media, & nõ circa finem. Respondetur, quòd finis in hoc casu est obiectũ actus voluntatis, quoniam est ratio volendi cætera; cæterùm si loquamur de obiecto proximo & inmediato, electio non versatur circa finem, sed circa media, ex quibus habet suam speciem inuariabilem, & essentialem.

Solutio.

ARTIC. SEPTIMVS.

¶ Vtrùm species quæ est ex fine, contineatur sub specie quæ est ex obiecto, sicut sub genere, aut econtra.

SVMMA TEXTVS.

Prima con.

¶ PRima Conclusio. Quãdo obiectum non ordinatur per se ad finẽ differentia specifica ex parte obiecti, non est determinatiua eius quæ est ex fine, nec econuerso; neque vna est sub alia: sed actus moralis est sub duabus speciebus disparatis; vnde qui furatur vt mœchetur, committit duas malitias in vno actu. Probatio Diui Thomæ subobscura est, sed his qui dialecticam callent, perfacilis: nam diuisio vt recta sit, debet fieri secundum ea quæ sunt per se, & non per ea quæ sunt per accidens; nam si quis diuidat hoc pacto; animalium aliud rationale, aliud irrationale; & animalium irrationalium aliud alatum, aliud non alatum; non rectè & exactè diuidit: nam alatum & nõ alatum, non sunt differentiæ determinatiuæ eius quod est irrationale. oportet autem sic diuidere; animalium aliud habens pedes, aliud non habens pedes; & habentiũ pedes, aliud habet duos, aliud quatuor, aliud multos: hæc enim per se determinant priorem differentiam. Sic igitur quando obiectum non est per se ordinatum ad finem, differentia quæ ex obiecto sumitur, non est per se determinatiua eius quod est ex fine, neque econuerso; vnde vna istarum specierum non est sub alia.

Secunda.

¶ Secunda Conclusio. Si obiectum sit per se ordinatum ad finem, vt bene pugnare propter victoriam, vna dictarum specierum continetur sub alia: nam quando obiectum per se ordinatur ad finem, vna prædictarũ specierum est per se determinatiua alterius.

Tertia.

¶ Tertia Conclusio. Species quæ est ex fine, in quem obiectum per se ordinatur, non continetur sub specie bonitatis quæ est ex obiecto, sed econtra: quia differentia quæ ex fine est, communior est, cùm volũtas, cuius obiectum

est

est finis, sit vniuersale motiuum omnium potentiarum, quarum obiecta, sunt particularia operationum obiecta; & quantò differentia sumitur à forma magis particulari, tantò est magis specifica; & quantò agens est magis cõmune, tantò est causa formæ magis vniuersalis. Rursus, quãtò finis est posterior, tantò respondet agenti magis vniuersali: sicut victoria, quæ est vltimus finis exercitus, est finis intentus à summo duce. Ex his patet quomodo species, quæ accipitur ex obiecto per se ordinato ad finem, contineatur sub specie quæ accipitur ex fine, tãquam sub genere, prout genus est formalis causa respectu speciei, & nõ prout species consideratur vt forma, & genus vt materia. Sic colligitur ex D. Thom. solutione ad tertium.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Argumẽta cõtra priorem cõclusionem. Primum.

CONtra conclusionem primam articuli sic arguitur. Nam quando aliquis exercet actum virtutis propter finem alterius virtutis, putà, si quis temperatè & sobriè comedat, vt ex his bonis quæ supersunt vitæ, soluat debita, tunc sanè obiectum temperantiæ virtutis nõ per se est ordinatum ad virtutem iustitiæ magis quàm furtum ad mœchiam. Sed actus hic humanus non est in duabus speciebus disparatis: dixit enim D. Tho. suprà quæstione. 13. articulo primo, quòd si quis exerceat actum fortitudinis propter finẽ charitatis, ille actus materialiter est fortitudinis, formaliter verò est charitatis: ex quo consequens est quòd altera species se habet vt materia, altera vt forma. Ergo non est in duabus speciebus omnino diuersis, disparatisque. ¶ Deinde D. Th. in sexto articulo apertè definiuit, quòd species actus humani consideratur formaliter, & præcipuè ex fine; materialiter verò ex obiecto circa quod operatio humana versatur: & adhibuit exemplum de eo qui furatur vt mœchetur. Ergo hic actus humanus non est in duabus speciebus disparatis, sed materialiter est furtum, formaliter verò est adulterium. At verò in hoc articulo, eodem exemplo vtitur, vt doceat quòd ille actus sit in duabus speciebus omninò diuersis. ¶ Præterea, dato quòd sit differentia inter obiectum & finem, quod dominus Caietanus negat, respectu actus interioris, nos verò constanter affirmamus, quod vel ex doctrina huius articuli apertissimè demonstratur; hoc inquam constituto pro certo, tunc non videtur quòd species ex obiecto contineatur sub specie ex fine, tanquam sub genere, sed tanquam sub differentia; nam species, quæ accipitur ex obiecto, est veluti materia sub forma determinante & specificante; siquidem species ex fine, se habet formaliter in actibus humanis comparata ad speciem quæ sumitur ex obiecto, si vera sunt quæ superiùs sunt commonstrata. Ad hæc argumenta satisfacere oportet, & quidem breui responsione: nam hæc persequi non præsefert magnam vtilitatem.

D. Tho.

Secundum D. Tho.

Tertium.

Solutio argumẽtorũ.

¶ Ad primum dicendum est, quòd obiectum vnius virtutis potest referri ad finem alterius virtutis, duobus modis; vno modo, quando finis pertinet ad aliam virtutem, quæ de se non habet rationem imperantis, comparata ad obiectum alterius virtutis, vt in exemplo superiùs adhibito, de iustitia comparata ad opus temperantiæ. Iustitia enim non habet de sua natura imperare actum temperantiæ, sed omninò sunt diuersæ virtutes, & tunc decernimus, quòd actus humanus, volo comedere temperatè vt soluam debita, est in duabus speciebus omnino diuersis; videlicet in specie iustitiæ, & temperantiæ: alio modo contingit quòd virtus, ad quam pertinet finis, ex natura sua sit imperans, habeatque in officio alijs virtutibus imperare, eò quòd finis huius virtutis est veluti vniuersalis causa, ad quam cæteræ virtutes particulares destinantur; vt cùm quis operatur fortiter propter charitatem Dei, tunc decerno, quòd actus hic verè & præcipuè est charitatis; quia charitas ex natura sua est imperans actus aliarum virtutum, quia versatur circa finem vltimum; & actus aliarum virtutum, præcipuè si sit sermo de virtutibus infusis, per se ordinantur ad finem charitatis. His constitutis ad argumentum primum dicito, quòd temperantia, & exolutio debiti, sunt actus omninò diuersi & impertinentes inter se, & ideo comedere temperatè & sobriè vt soluantur

Ad primũ. Dupliciter obiectum vnius virtutis refertur ad finem alterius.

uantur debita, eſt in duabus ſpeciebus omnino diuerſis, & diſparatis: nec eſt ſimile de eo qui fortiter agit propter charitatem Dei.

Ad ſecũdũ. ¶ Ad ſecundum dicendum eſt, quòd quando quis furatur vt mœchetur, actus humanus, ſiue exterior, ſiue interior, eſt in duabus ſpeciebus omnino diuerſis, & quæ inter ſe non habent ordinem neceſſarium: cùm hoc tamen rectè cohæret, quòd ille actus materialiter ſit furtum, & formaliter ſit mœchia: nam actus qui de ſe non ſunt connexi, à voluntate & ratione ordinantur, ſic vt alius ad alterum deſtinetur, & quòd vnum exerceant vt ad alium deueniant. Sed hic eſt obſeruandum, quòd virtutes vniuerſæ connexæ ſunt in vna prudentia: vnde quando actus vnus virtutis ad alium ordinatur, non ſunt ſpecies tam diuerſæ, & tam diſparatæ, ſicut in vitijs, quæ nullam habent connexionem ex natura ſua.

Ad tertiũ. ¶ Ad tertium dicito, quòd genus dupliciter poteſt conſiderari, & comparari ad ſpeciem; tum, vt quid confuſum, & imperfectum, & determinabile per differentias; tum verò, vt quid ſimplicius, & minus compoſitum in ſe. Priore modo, ſpecies quæ eſt ex obiecto, non continetur ſub ſpecie quæ eſt ex fine, tanquam ſub genere, ſed ſecũdo modo; quia finis quantò vniuerſalior, eſt ſimplicior & formalior; vnde ad finem vltimum fertur ſimpliciſsimus actus voluntatis, qui voluntas appellatur, qui quidem omnes alios ordinat, & mouet ad ipſum vltimum finem. Hæc eſt doctrina D. Tho. in ſolutione tertij.

ARTIC. OCTAVVS.

¶ Vtrùm aliquis actus ſit indifferens ſecundum ſpeciem ſuam.

SVMMA TEXTVS.

Prima con. PRima Concluſio. Ille actus humanus dicitur bonus ſecundum ſpeciem ſuam, quãdo obiectum eſt rationi cõſentaneum; ſicut conferre eleemoſynam pauperi.

Secunda. ¶ Secunda Concluſio. Ille actus humanus malus erit, cuius obiectum includit aliquid quod repugnat ordini rationis; vt furari, quod eſt tollere aliena.

Tertia. ¶ Tertia Concluſio. Ille actus erit indifferens ſecundum ſuam ſpeciem, quando eius obiectum non includit aliquid pertinens ad ordinem rationis; vt tollere feſtucam de terra, & ſimilia: quod de ſe non eſt conſonum rectæ rationi, neque diſſonum.

Quarta. ¶ Quarta Concluſio. Rectè diuiſerunt antiqui actus humanos, dicentes, quoſdam eſſe malos, quoſdam bonos, quoſdam verò indifferẽtes: nam obiectum actus humani vel includit conueniens rectæ rationi, & ſic actus erit bonus: vel aliquid quod repugnat ordini rationis, & ſic actus erit malus; vel aliquid quod nihil includit pertinẽs ad ordinem rationis, & ſic erit indifferens ſecundum ſpeciem ſuam.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Argumẽta cõtra quartam cõcluſionem. Primum. QVarta concluſio huius articuli magnis argumentis concutitur. In primis, inter ens, & non ens, non datur medium, vt apertè conſtat. ergo inter bonum & malum, non datur medium: non ergo datur actio quæ nec de ſe ſit bona, neque mala. Conſecutio argumenti inde probatur: nam bono nihil aduerſatur, niſi in quantum non ens.

Secundum Ariſto. ¶ Deinde, bonum & malum ſunt priuatiuè oppoſita; at inter priuatiuè oppoſita non datur medium in ſubiecto apto nato, autore Ariſtot. in poſtprædicamentis, in capite de oppoſitis. ergo non datur actus humanus indifferens inter bonum & malum. Conſecutio inde probatur: nam ſubiectum boni vel mali moralis, eſt actus humanus. Itaque vis huius argumenti in hoc conſiſtit, quòd cùm actus humanus ſit ſubiectum boni vel mali moralis, veluti homo eſt ſubiectum viſus,

vel

vel cæcitatis, valebit vtique hæc argumentatio; in hoc actu humano non est bonum. ergo malum; sicut rectè valet, in homine non est visus, ergo cæcitas. quòd verò bonum & malum opponantur priuatiuè, asserit Diuus Augustinus in Enchiridio, capit. 11.

Augusti.

Tertium. ¶ Præterea, operatio humana mala est, quæ caret conformitate ad rectam rationem: sed actus indifferens caret conformitate ad rectam rationem: ergo malus est.

Confir. primo. ¶ Confirmatur. Nam illud obiectum vel est consonum rectæ rationi, vel non est consonum. Si primum, est opus bonum: si secundum, malum. ergo non datur actus indifferens.

Confir. secundo. Secundò confirmatur. Nam actus voluntatis, qui non est conformis rectæ rationi, malus est: ergo obiectum quod non est conforme rectæ rationi, malum est.

Vltimum. ¶ Vltimò, leuare festucam, & ire ad agros, sunt actus indifferentes ex specie sua: ergo omnes actus eiusdem speciei erunt indifferentes. Ex quo sequitur, quòd ire ad agros propter Deum, vel propter animi recreationem, erunt opera indifferentia; quòd ab omni Philosophia alienum est.

Actus indifferens quid. Pro explicatione huius difficultatis sciendum est, quòd actus indifferens dupliciter definiri potest: primò, quòd sit actus bonus & malus, successiuè; & de hac indifferentia operis non loquitur Diuus Thomas in articulo: nam certissimum est, quòd omnis operatio bona, etiam dilectio Dei, potest esse mala, per appositionem alicuius malæ circunstantiæ. Secundo modo dicitur actus indifferens ex obiecto suo, hoc est, cuius obiectum nec est consonum rectæ rationi, nec dissonum: & de hac indifferentia actuum inuestigat Diuus Thomas in præsenti articulo. Secundò intelligẽdum est, quòd aliquem actum esse indifferentem secundum speciem, & ex obiecto suo, potest intelligi dupliciter: primò, quòd indifferentia debeatur tali operationi ex natura sua, & in hoc sensu nullus actus est indifferens: nam si hoc modo aliquod opus esset indifferens, nunquam posset esse bonum, vel malum: nam ea quæ competunt naturaliter & essentialiter, inseparabilia sunt. Alio modo potest intelligi actum esse indifferentem ex suo obiecto, negatiuè, id est, de se neque est consonus, neque dissonus rectæ rationi, sed aliunde potest esse consonus aut dissonus; sicut homo de se nec est albus, nec niger, cæterùm aliunde potest affici prædictis qualitatibus.

Prima con. ¶ His constitutis, est prima conclusio. Non omnis actus humanus est indifferens. Hæc conclusio statuitur contra quosdam Theologos, qui (vt refert Diuus Thomas quæstione secunda, de malo, articulo quarto,) arbitrantur omnem actum humanum esse indifferentem; quorum sententia falsissima est. Nam omnium hominum sententia, sunt quædam opera adeò intrinsecè mala, vt nulla ratione bona fieri valeant, vt mendacium, adulterium, &c. rursus sunt quædam opera, quæ de se omnem laudem merentur, vt diligere Deum, subuenire pauperi. Ratio est, quoniam obiectum operationis humanæ, aliquod est consentaneum rectæ rationi, aliquod est repugnans rectæ rationi. ergo non omnis operatio humana indifferens est: operatio namque humana ex obiecto suo habet bonitatem, aut malitiam: cæterùm in hoc sensu omnis operatio bona indifferens est, quoniam potest fieri mala per appositionem malæ circunstantiæ.

Nõ omnis actus humanus est indifferens. D. Tho.

¶ Secunda conclusio. Non omnis actus humanus est bonus aut malus, sed aliquis est indifferens. Hanc conclusionem demonstrat Diuus Thomas tum autoritatibus, tum firmissimis rationibus, & ideo nostra confirmatione non eget.

Secũda cõ. Aliquis actus humanus est indifferens.

¶ Tertia & vltima conclusio. Non omnis actus humanus est bonus, aut malus, aut indifferens, sed est alius actus in malum sonans. Hanc conclusionem Diuus Thomas constituit quodlibeto nono, articulo decimoquinto, & probat subiunctis exemplis; nam occidere hominem, de se non est malum; licet namque occidere aggressorem in propriam defensionem: item licitum est iudici occidere malefactorem. Deinde per se non est bonum, quasi per se expetendum, neque indifferens, vt apertè constat; est ergo opus in malum sonans: quod si vestiatur debitis circunstantijs, poterit bonum fieri. Secundum exemplum est, habere plura beneficia, non est de se malum; aliquando namque licitum est: nec de se est bonum, quasi per se expetendum; neque de se est indifferens, sicut habere plures calamos; ergo est opus quod in malum sonat. Itaque est hæc legitima distributio actuum humanorum: actus humani alij sunt boni, alij mali, alij indifferentes, alij in malum sonant.

Datur actꝰ in malũ sonans. D. Tho.

¶ Ad argumenta in principio facta, & ad primum negatur consequentia: nam licèt omne ens, in quantum ens, sit bonum, non tamen sequitur, quòd omne non ens, malum sit; nam non videre, non est malum lapidi, licèt sit non ens, & negatio: itaque licèt ens & non ens opponantur immediatè, nõ sequitur

Argumẽto rũ solutio. Ad primũ.

quòd bonum & malum opponantur immediatè. Secundò dico, quòd omne ens, in quantum ens, eſt bonum in genere naturæ, ſed non in genere moris: tabula enim non eſt bona in genere moris. itaque bonum & malum in genere moris non ſunt oppoſita immediatè.

Ad ſecũdũ. D. Tho. ¶Ad ſecundum reſpondet hîc D. Thomas ſolutione ad primum, quam reſponſionem defendit Caietanus. Secundò reſpõdetur, quòd bonum & malum morale non opponuntur priuatiuè, ſed contrariè, vt ſuprà dictum eſt. Tertiò dico, quòd ſubiectum boni vel mali moralis, eſt actus humanus in exercitio poſitus; actus verò humanus in exercitio poſitus, non eſt indifferens, vt demonſtrabitur articulo nono.

Ad tertium ¶Ad tertium reſpondetur, quòd vt opus aliquod ſit malum, non ſatis eſt quòd non habeat conformitatem ad rectam rationem, ſed opus eſt quòd careat conformitate debita ſecundum rectam rationem: tunc verò debetur actui ſecundum rectam rationem conformitas, quando ratio dictat eſſe faciendum, vel non faciendum: de actibus verò indifferentibus nihil dictat recta ratio: non enim dictat quomodo feſtuca ſit leuanda, quomodo barba fricanda. Itaque actus indifferens dicitur habere conformitatem ad rectam rationem negatiuè, non quòd ſit conformis aut difformis rectæ rationi, ſed quoniam recta ratio de eo actu nihil loquitur, & nihil dictat. Ex hoc ſoluitur prima confirmatio huius argumenti. ¶Ad ſecundam confirmationem negatur conſequentia; nam actus voluntatis de ſe dicit ordinem ad rationem, & ideo ſi non eſt conformis rectæ rationi, peruerſus eſt; obiectum verò indifferens de ſe nõ dicit ordinem ad rationem.

Ad quartũ. ¶Ad quartum iam demonſtratum eſt, quemadmodum actus ſint indifferentes ex ſpecie ſua, & ex obiecto negatiuè, id eſt, de ſe neque habent bonitatem, vel malitiam, aliunde verò habere poſſunt.

Obiectio. ¶Sed dicet Theologus; ergo hæc volitio, volo leuare feſtucam, non eſt opus indifferens, ſed bonum; ſiquidem aliunde habet bonitatem ex fine. Vniuerſus namque actus voluntatis (vt ex ſuperioribus perſpicuum eſt) eſt propter bonitatem in communi. Reſpondetur, quòd circunſtantia de beatitudine in communi, eſt communis omnibus actibus bonis & malis, & ideo ex tali circunſtantia bonitatem habere non poteſt.

Obiectio. ¶Sed iterum inſtabit Theologus; hæc volitio, volo leuare feſtucam, eſt actus voluntatis: ergo fertur in bonum, quod eſt obiectum voluntatis: vel ergo illud bonum, eſt bonum verum, vel apparens: ſi primum, erit operatio bona, ſi ſecundum, mala. Reſponde tur, conuincere argumentum quòd in exercitio, & in indiuiduo non datur actus indifferens, quod in ſequenti articulo demonſtrabitur. Videte de hoc articulo Durandum optimè diſſerentem in ſecundo, diſtinctione. 40. quæſtione prima.

Solutio.

Durand.

ARTIC. NONVS.

¶Vtrùm aliquis actus ſit indifferens ſecundum indiuiduum.

SVMMA TEXTVS.

Prima con. PRima Concluſio. Contingit aliquem actum ſecundum ſpeciem eſſe indifferentem, qui tamen cõſideratus in indiuiduo, bonus eſt, aut malus; nam actus moralis non ſolùm habet bonitatem ex obiecto, à quo habet ſpeciem, ſed etiam ex circunſtantijs: vnde aliquid conuenit indiuiduo hominis ſecundum accidentia in diuidualia, quod non conuenit homini ſecundum intentionem ſpeciei.

Secunda. ¶Secunda Concluſio. Neceſſum eſt omnem actum hominis à ratione deliberata procedentem in indiuiduo conſideratum, bonum eſſe aut malum: nam quilibet actus indiuidualis habet aliquam circunſtantiam, per quam trahitur ad bonum vel malum, ad minus ex parte intentionis. ergo concluſio vera eſt. Antecedens ſic oſtenditur. Nam quilibet actus dum exercetur, vel eſt ordinatus ad debitum finem, & ſic

habet

habet rationem boni, vel non ordinatur ad debitum finem, & sic habet rationem mali. Certè quilibet actus in indiuiduo deliberatus procedit à ratione: sed rationis est deliberare in finem: ergo si non est ordinatus in finem, peccatum est.

Tertia. ¶ Tertia Conclusio. Actus qui anteuertunt iudicium rationis, & deliberationem, in hoc sensu sunt indifferentes, quòd non sunt boni vel mali: nam tales actus propriè non sunt morales, neque humani: ergo propriè neque sunt boni, vel mali: bonum enim vel malum, laudabile & vituperabile, sunt proprietates actus moralis, & humani: actus autem humanus dicitur, quia à ratione deliberata proficiscitur.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Argumẽta contra secũdam cõclusionem. Primum. DE secunda conclusione est magna contentio inter Theologos: videtur enim falsissima. ¶ Primò, volo ire ad agros, hoc solo fine vt eam ad agros, non est opus malum, nec bonum: ergo datur actus indifferens in indiuiduo. quod non sit opus malum, patet; Nam non prohibetur lege. quòd non sit bonum, patet: quia non habet debitum finem. ¶ Secundò, velle ire ad agros propter delectationem, non est opus malum, vt manifestum est; neque bonum: ergo &c. Patet quod non sit bonum: nam cuius operatio est bona, delectatio est bona; cuius delectatio est mala, operatio est mala; & cuius operatio est indifferens, delectatio est indifferens. ¶ Tertiò, ducere lineas in papyro, aut facere lituras, nõ alio fine, non est opus malum; nullus enim vel scrupulosus de hoc opere se accusat: nec est opus bonum, nam non habet debitum finem. ¶ Quartò, actus qui antecedunt virtutem, ex quibus generatur virtus, non sunt boni nec mali: ergo indifferentes. quòd non sint mali, de se constat. quòd verò non sint boni, probatur: nam ad bonitatem operis

Secundum.

Tertium.

Quartum.

dicit Aristot. secundo Ethicorum, capitulo quarto, esse necessarium quòd procedat ex certa scientia, promptè & delectabiliter: sed hoc non habent isti actus. ergo non sunt boni. ¶ Vltimò est argumentum fortissimum contra D. Thom. constituamus hominem qui ex ignorantia inuincibili arbitretur opinionem Scoti & Bonauenturæ esse veram, quòd scilicet datur actus indifferens in indiuiduo. Rursus, constituamus quòd exercet istum actum, volo ire ad agros, hoc solo fine vt eam ad agros, tunc conficio tale argumentum. Iste actus de se non est bonus; nam non habet finem debitum; nec malus, quia non peccat exercens talem actum: ergo indifferens. Hanc sententiam docent Doctores Theologi in primis graues. Almaynus in suis moralibus, capitulo decimoquarto. Gabriel in secundo, distinctione quadragesimaprima, quæstione vnica. & Bonauentura quæstione tertia. Et est sciendum, quòd Bonauentura propiùs accedit ad veritatem: dicit enim quòd si actus indifferens referatur in bonum finem, bonus est; si in malum finem, malus; si verò non referatur in finem, vel hoc prouenit ex negligentia, & erit malus; vel ex imbecillitate & fragilitate naturæ humanæ, & erit indifferens. Scotus in secundo, distinctione quadragesimaprima. & in secundo, distinctione septima, quæstione prima, & quodlib. decimooctauo, articulo primo, in hac re exponenda dicit mirabilia, & ferè inintelligibilia: dicit enim tria; primum, quòd non datur actus indifferens ex specie sua: secundum, quòd datur actus indifferens in indiuiduo: tertium, quòd datur habitus indifferens, qui nec sit bonus, nec malus, ex actibus indifferentibus productus. Pro cuius explicatione notat Scotus, quòd malum est duplex; contrariè, & priuatiuè. Contrariè est, quando contrariatur virtuti, veluti cùm quis dat eleemosynam propter inanem gloriam; & hoc malum, est malum morale, & peccatũ. Aliud est priuatiuè, cùm quis dat eleemosynam non referens in aliquem finem; & hoc non est malum, sed indifferens: & ad hunc modum explicat Dionysium cùm dicit capit. 4. de diuinis nominibus; bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu particulari consurgit: exponit Scotus, priuatiuè, & negatiuè, non contrariè. Nihilominus sententia D. Thom. est certissima, cuius certitudinem hæc argumenta ostendunt. Primò, opus otiosum, est opus malum: sed exercere actum indifferentem absque alio fine, est opus otiosum, ergo. Maior probatur ex illo

Aristo.

Almayn.

Gabriel.

Bonauent.

Scot.

Dionys.

Sententia D. Th. probatur.

Matthæi. 12.

Matth. 12. Matthæi. 12. De omni verbo otioſo quod locuti fuerint homines, &c. Minor probatur: nam opus otioſum (autore Diuo Gregorio ſeptimo moralium, capitulo vigeſimoquinto. & in tertia parte paſtoralis, admonitione. 15.) eſt, quod caret iuſta neceſsitate, aut pia vtilitate: ſubdit enim ſtatim, quod ſcilicet ſine vtilitate & loquentis dicitur, & audientis, ſi omiſsis ſerijs, de rebus friuolis loquamur, & fabulas narremus antiquas, verbum otioſum eſt. Cæterùm qui ſcurrilia replicat, & cachinnis ora diſſoluit, & aliquid profert turpitudinis, hic non otioſi verbi ſed criminoſi tenebitur reus. Et Hieronymus, illud eſt, inquit, otioſum verbum, quod nequaquam ædificat audientes, non eſt abſque periculo eius qui loquitur; & in die iudicij reddet vnuſquiſque rationem ſermonum ſuorum: quantò magis vos, qui opera Spiritus ſancti calumniamini. Chryſoſtomus verò aliter exponit; otioſum, inquit, verbum eſt, quod mendax eſt, & calumniam habet. Quidam autem dicunt, quòd etiam & vanum, quale eſt quod riſum mouet inordinatum, vel turpe, vel inuerecundum. Hæc Chryſoſtomus. Idem Theophilactus ad verbum; Terret hic, inquit, nos, quoniam & pro otioſo verbo rationem reddituri ſumus, hoc eſt pro mendacio, calumnia, hoc eſt pro inordinatis & ridiculis. Tertullianus libro de patientia, columna ſeptima. Traditum eſt in doctrina Chriſti manere nos omnis vani & ſuperuacanei dicti reatum. Sed ad noſtram concluſionem redeamus, & confirmemus eam altero argumento. Certè opus otioſum apud omnes Philoſophos morales, eſt opus vanum, & inane: ſed exercere actum indifferentem abſque alio fine, eſt opus vanum: ergo otioſum. ergo malum. Tertiò, in naturalibus, & artificialibus, opus quod deficit à ſua regula, malum eſt: ergo ſi exerceas actum qui non ſit conformis regulæ, erit malus. Quartò, ſi ex defectu finis non redditur opus malum; ergo nec etiam ex defectu aliarum circunſtantiarum. quod aſſerere alienum eſt ab omni Philoſophia: nam ſi opereris quando non oportet, & prout non oportet, malum eſt. Item perdere pecunias ſine vtilitate, opus prodigalitatis eſt; ergo efficere opus humanum ſine vtilitate, eſt perdere bonas operas humanas. Deinde, colligere paleas ſine vtilitate per totum diem, eſt peccatum; ergo per horam: ergo ſemel. Hæc omnia confirmantur. Nam licèt artifex non teneatur facere ſtatuam, ſi tamen eam facit ſine membris neceſſarijs, malum opus eſt: ergo idem dicendum eſt in moralibus actionibus: ſicut enim ad ſtatuam hominis neceſſarium eſt quòd habeat caput, oculos, &c. ita ad operationem humanam neceſſarium eſt quòd habeat obiectum, & finem debitum, cùm debitis circunſtantijs. Et licèt ad hanc veritatem demonſtrandam non ſuppeteret alia demonſtratio, niſi ea qua vtitur Durandus in hac parte, illa euidens eſt, & præclara. Nam ſi datur actus indifferens in indiuiduo, ex actibus indifferentibus multiplicatis generabitur habitus indifferens, qui nec ſit bonus, nec malus: quod aſſerere ab omni Philoſophia alienum eſt. Nam hoc differt inter habitum, & potentiam; quòd potentia eſt qua poſſumus; habitus verò quibus bene vel malè poſſumus, vt teſtatur Ariſtot. 2. Ethi. c. 5. Certè cùm homo rationalis ſit, & eius proprium munus ſit operari ſecundum rationem, præcepto naturali tenetur quando operatur, operari ſecundũ rationem.

Hierony. Chryſoſto. Theophil. Tertullia. Ariſto.

¶ Ad argumenta in contrarium, ad primum reſpondetur, quòd velle ire ad agros, hoc ſolo fine vt eamus, eſt opus malum; tum, quia eſt vanum & temerarium opus; tum verò, quoniam eſt contra præceptum naturale, quo tenetur homo operari ſecundum rationem: tum tertiò, quoniam operari opus alioqui bonum ſine ratione, & temere, malum eſt; vt orare ſine attentione: ergo multò magis operari actum indifferentem ſine ratione, & temere. ¶ Sed dicet Theologus; in qua ſpecie vitij collocabitur actus indifferens in indiuiduo exercitus? Reſpondetur, quòd in ſpecie ocioſitatis ad minus. Quòd ſi iterum obijciat Theologus, iſtam circunſtantiam eſſe communem omnibus actibus; ergo non dat ſpeciem particularem. Reſpõdetur, quòd hæc circunſtantia, quanquam communis eſt, ſi transferat actum de bono, aut de indifferente ad malum, dat ſpeciem particularem, & reducuntur actus ad otioſitatem; quemadmodum leuare feſtucam propter Deum, licèt illa circunſtantia, propter Deum, ſit communis, dat ſpeciem particularem, religionis, ſiue virtutis.

Ad argumẽta. Ad primũ. Obiectio. Solutio.

¶ Ad ſecundum quidam reſpondent, quòd ire ad agros propter delectationem, eſt opus malum. quod probant argumento adducto, & autoritate Diui Gregorij. Mihi autem videtur diſtinguendum: nam ire ad agros propter delectationem tantùm, certè eſt opus malum, & otioſum; ſi verò referatur in opus honeſtum, ad recreandum corpus & animã, vt ad ſtudia remiſſa, ſeu omiſſa redire valeamus, ſine dubio eſt opus bonum.

Ad ſecũdũ.

¶ Ad

Ad tertiũ. ¶ Ad tertium quidam ex magistris nostris respondent, quòd licèt exercere actum indifferentem in individuo, ex genere suo sit opus malum, & otiosum, cæterùm ex paruitate materiæ potest accidere vt non sit peccatum, sicut in casu argumenti propositi. Hæc solutio mihi non satisfacit: Nam D. Thom. ponit exemplum in articulo, de homine leuante festucam de terra, & sacrum Euangelium nõ excusat verbum otiosum; ergo multò minùs excusandum venit opus aliud, etiam minimũ.

Ad quartũ. ¶ Ad quartum respondetur, quòd tales actus sine dubio studiosi sunt, nam sunt de obiecto bono, & cum debitis circunstantijs: quando verò Aristot. exigit commemoratas conditiones, loquitur de opere ex omni parte perfecto, & ex perfecta virtute prodeunte.

Ad vltimũ. ¶ Ad vltimum respondetur, quòd etiamsi excusetur ignorantia inuincibili, non inde sequitur quòd non sit peccatum: iudici enim semper est peccatum non iudicare secũdum allegata, & probata; excusatur tamen aliquando ignorantia inuincibili. Secundò respondetur, quòd licèt iste ignoret istum actum esse peccatum, cæterùm euidenter cognoscit actum otiosum esse peccatum.

Ad argumẽtum Scoti. ¶ Ad argumentum Scoti respondetur, quòd dare eleemosynam, licèt in alium finem non referatur, est opus bonum & studiosum; nam eleemosyna de se est congrua rectæ rationi, & desti natur secundum se ad miseriæ subleuationẽ.

Ad quẽ finẽ debeat referri operatio hominis. Gregor. ¶ Sed ex hoc nascitur alia quæstio optima; quis nam sit finis, in quem debeat referri humana operatio vt bona sit? Gregor. Arimin. in secundo, distinctione. 26. & 28. affirmat, vt bona sit humana operatio, esse necessariũ quòd referatur in vltimum finem, & in Deũ: itaque qui ignorat Deum, vel in Deum non refert opera sua, non potest bene moraliter operari. Hanc sententiam probat multis testimonijs D. August. quæ molestum esset, & superuacaneum referre.

Prima con. Ad opus bonum nõ requiritur relatio in Deum. ¶ Pro explicatione tamen est prima conclusio. Vt opus sit bonum, & studiosum, non est necessaria relatio in Deum, nec in vltimum finem. patet. Nam nusquam extat de hoc tale præceptum: illud enim verbum Diui Pauli 1. Cor. 10. 1. Corinthiorum. 10. Omnia in gloriam Dei facite; vel est consilium; vel si est præceptum, habet hunc sensum; quòd nihil faciamus contra Dei gloriam, & maiestatem, & quòd nostra opera sint eiusmodi, vt in Deum referri Matth. 5. valeant, iuxta illud Matth. 5. Sic luceat lux vestra, &c. Idem demonstratur necessario argumento. Nam vt opus sit moraliter bonum, satis est quòd proficiscatur à virtute morali: virtus enim moralis est, quæ facit bonum habentem, & opus eius bonum reddit. Sed virtus moralis non habet Deum pro obiecto. ergo non est necesse quòd opera istarum virtutum referantur in Deum, aut in finem vltimum. Probatur minor. Nam finis misericordiæ est leuare pauperis infirmitatem, & miseriam: finis iustitiæ, constituere æqualitatem. ergo non est necesse quòd opera istarum virtutum in alium finem referantur. Denique, opus honestum, & laudabile, suapte natura destinatur in finem vltimum, quemadmodum bonum imperfectum in bonum perfectum. ergo qui vult aliquod opus honestum, & laudabile, virtualiter vult propter vltimum finem: non ergo est necessaria alia relatio in vltimum finem. Ex hac definitione sequitur, hominem constitutum in puris naturalibus, etiamsi ignoret Deum, posse bona opera moralia exercere. Idem sequitur de puero peruenient ad vsum rationis. Rursus sequitur, quòd homo peccator, citra auxilium Dei speciale, possit operari aliquod opus bonum moraliter. Demum sequitur, infideles & paganos posse bona opera moralia peragere. Quare cùm D. August. dicit, sine auxilio Spiritus sancti non possumus aliquid boni agere, intelligendus est de bono beatificante, & de beatitudine æterna de condigno, vel de eo quod conducit ad vitam æternam. August.

Secũda cõ. Opus bonum moraleq requirit vt sit propter vltimũ finem. D. Tho. ¶ Secunda conclusio. Vt bonum sit opus moraliter, necessum est quòd sit virtualiter propter vltimum finem. imo Sanctus Thomas dicit suprà quæstione prima, articulo sexto, quòd quicquid appetit nostra voluntas, appetit propter vltimum finem. & ratio est euidens. Nam sicut intellectus noster nihil potest assentire, nisi ratione & virtute primorum principiorum: ita voluntas nihil potest appetere, nisi ratione vltimi finis: nam sicut se habet primum principium in scientijs, ita vltimus finis in practicis. Deinde, bonum honestum & laudabile suapte natura destinatur in vltimum finem, & est quædam participatio beatitudinis æternæ. ergo qui vult bonum honestum, virtualiter vult vltimum finem.

Aliud est referri in vltimum finem, aliud esse virtualiter propter illum. ¶ Sed est notandum, longè aliud esse quòd operatio humana sit virtualiter propter vltimum finem, & quòd debeat referri in vltimum finem: nam ad primum satis est quòd sit volitio boni, quod suapte natura ordinatur in vltimum finem: ad secundum verò necessarium est quòd præcesserit volitio vltimi finis, qua mediante cætera bona prosequamur, & dirigamus.

¶ Tertia

Tertia cõc. Ad operationem ſtudioſam nõ ſufficit finis delectabilis aut vtilis.

¶ Tertia propoſitio. Vt operatio ſit bona & ſtudioſa, non ſufficit finis delectabilis: nam actus humanus accipit bonitatem ab obiecto; ſed illud obiectum non eſt honeſtum: ergo nec actus. ¶ Quarta concluſio. Vt operatio ſit ſtudioſa, non ſufficit finis vtilis. Hæc concluſio demonſtratur eadem ratione ſicut præcedens. ¶ Quinta concluſio, Vt operatio ſit ſtudioſa, non eſt neceſſe quòd referatur formaliter, & diſtinctè in bonum honeſtum, & laudabile. Nam qui pietate naturali ductus confert eleemoſynam, licèt boni honeſti non meminerit, bonum opus operatus eſt. Satis ergo fuerit vt operatio ſit ſtudioſa, quòd ſit de bono obiecto rectæ rationi conuenienti. ¶ Eſt alia dubitatio multò difficilior, vtrùm detur actus indifferens in indiuiduo & in exercitio, quantum ad meritum & demeritum vitæ æternæ? id eſt, vtrùm ſit aliquis actus in indiuiduo, qui nec ſit meritorius, nec demeritorius vitæ æternæ.

Quid ſufficiat ad rectam operationem.

Vtrùm detur actus indifferẽs in indiuiduo ad meritũ vel demeritum.

Prima con. Omne op⁹ malũ demeritoriũ eſt coram Deo.

¶ In huius rei explicatione eſt prima concluſio. Omne opus malum, ſiue in homine peccatore, ſiue in homine exiſtente in gratia, eſt demeritorium coram Deo: probatur. Nam omne peccatum eſt demeritorium coram Deo, & meretur ſupplicium: ſed omne opus malum eſt peccatum; ergo meretur ſupplicium coram Deo. Sed eſt notandum, quòd hæc concluſio eſt exploratiſsima de peccato mortali; de peccato veniali non eſt adeò frequẽs apud ſanctos patres & Theologos quòd ſit demeritorium, eſt tamen certiſsimũ quòd meretur pœnam coram Deo.

Secũda cõ. Opus bonũ peccatoris eſt indifferens ad meritum vel demeritũ. 1. Cor. 13.

¶ Secunda concluſio. Opus moraliter bonũ in homine exiſtente extra gratiam, eſt indifferens quantum ad meritum & demeritum vitæ æternæ: nam cùm ſit opus bonum, non eſt demeritorium; cùm verò ſit ab homine non habente gratiam, & charitatem Dei, non eſt meritorium. Teſtatur hoc D. Pau. 1. Corinth. 13. cùm inquit; Si diſtribuero omnes facultates meas in cibos pauperum, & tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt. ¶ Sed hic naſcitur aliud dubium; vtrùm in homine exiſtente in gratia detur aliquod opus bonum indifferens, quantum ad meritum & demeritum vitæ æterna; ita vt ſit opus bonum, & tamen nec meritorium, nec demeritorium coram Deo. De hac quæſtione verſantur multæ opiniones inter Doctores. ¶ Prima dicit, quòd vt opus ſit meritorium vitæ æternæ, non ſatis fuerit quòd ſit opus bonum, & proficiſcatur ab homine exiſtente in gratia, & Dei amicitia; ſed præterea requiritur quòd referatur actualiter in finem ſupernaturalem noſtræ religionis. Hanc ſententiam docet Durandus in ſecundo, diſtinctione. 40. quæſtione ſecũda, & Scotus diſtinctione. 4. quæſtione prima, quæ etiam probari ſolet multis teſtimonijs ſacri eloquij, quæ longum eſſet commemorare. Ex hac opinione ſequitur, eſſe multa opera bona in homine exiſtente in gratia, quæ non ſunt meritoria vitæ æternæ; vt illa opera quæ facit homo iuſtus pietate naturali ductus, & vniuerſa quæ non refert in finem ſupernaturalem.

Vtrùm detur in iuſto opus bonũ indifferens ad meritũ vel demeritum.

Prima opinio.

Durand. Scot.

¶ Secunda opinio docet, nõ eſſe neceſſariam iſtam relationem actualem in finem ſupernaturalem vt opus bonum meritorium ſit, ſed ſatis eſt quòd ſit virtualis relatio: nam qui pergit in Diuum Iacobum religionis gratia, vel in ſatisfactionem ſuorum delictorũ, licèt non ſemper meminerit Diui Iacobi in conficiendo itinere, & in cæteris laboribus, abſque dubio meretur coram Deo, ſiquidem manet virtualis relatio, qua omnes labores illius itineris in honorem religionis, & D. Iacobi in principio retulerat. Ex hac opinione ſequitur, eſſe multa opera bona in homine iuſto, quæ meritoria vitæ æternæ non ſunt, videlicet illa, quibus deeſt illa virtualis relatio. Hæc ſentẽtia placuit D. Bonauent. in. 2. d. 40.

Secũda opinio.

Bonauent.

¶ Tertia opinio dicit, quòd omne opus bonum exiſtentis in gratia, eſt meritorium vitæ æternæ. Hæc opinio placuit doctiſsimo Victoriæ, & Soto libro tertio, de natura & gratia capitulo quarto. Huic fauet illud Geneſ. 4. Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius: quibus verbis ſignificat, quòd ex eo quòd perſona eſt grata & accepta Deo, munera eius ſunt Deo accepta & grata. Deinde huic ſententiæ fauet illud prouerbium in ſacro eloquio decantatum, quòd Deus reddit vnicuique iuxta opera ſua. Sed homo iuſtus ex pietate naturali aggreditur ſæpenumero opera ardua pro republica, pro amicis: ergo hæc opera non perdent mercedem ſuam. Ad hæc, omnia iſta opera ſunt amici, & filij Dei, in quibus obſequitur patri ſuo æterno: ergo non perdet mercedem ſuam. Hæc omnia confirmantur autoritate Diui Thomæ: is enim infrà quæſtione vigeſimaprima, articulo tertio, & quarto, docet expreſſè, quòd omnis actus bonus præmiatur à Domino Deo, & omnis malus à Deo punitur. Idem perſequitur fuſiùs quæſtione ſecunda, de malo, articulo quinto, in ſolutione ad ſeptimum argumentum.

Tertia opinio. Victoria. Soto. Geneſ. 4.

D. Tho.

¶ Quarta opinio dicit, quòd omne opus exiſtentis in gratia, eſt meritorium vitæ æternæ;

Quarta opinio.

tum

tum, quoniam quando homo primùm iuſtificatur per gratiam, refert ſe & omnia bona ſua in finem ſupernaturalem; & hæc relatio ſufficit vt omnia opera bona quæ deinceps homo iuſtus operatur, relata ſint in finem ſupernaturalem: tum verò, quoniam homo iuſtus ſæpiſsimè ſe, & omnia ſua refert in finem ſupernaturalem, in orationibus, & in alijs exercitijs virtutum, propter quod omnia opera hominis iuſti ſunt meritoria vitæ æternę, tam propter antiquam, quàm propter nouam relationem, & quotidianam. Sed ſcire oportet, verſari magnum diſcrimen inter tertiam, & quartam opinionem. Nam tertia opinio dicit, quòd omne opus moraliter bonum exiſtentis in gratia, eſt meritorium vitæ æternæ. Ex quo autores huius opinionis efficaciter (vt exiſtimant) inferunt, quòd aliquod bonum opus exercitum ex viribus naturæ, ſine adiutorio Dei ſpeciali, eſt meritorium vitæ æternæ: nam ad faciendum opus moraliter bonum, non eſt neceſſarium auxilium Dei ſpeciale. Quarta opinio dicit, quòd nullum eſt meritum vitæ æternæ, quod non ſit ſupernaturale, & ex ſupernaturali dono gratiæ productum. ¶ Quinta opinio dicit, quòd datur aliquis actus bonus ſupernaturalis in homine exiſtente in gratia, qui non ſit meritorius vitæ æternæ; vt eſt primus actus fidei in homine iuſto: & probant. Nam nullus actus eſt meritorius vitæ æternæ, niſi relatus in finem ſupernaturalem: Sed actus primus fidei non poteſt eſſe relatus in finem ſupernaturalem per charitatem: ergo non poteſt eſſe meritorius. Probatur minor: nam actus intellectus præcedit actum voluntatis; nihil enim eſt volitum, quin priùs cognitum: ergo priùs eſt quòd actus fidei oſtendat bonum ſupernaturale, quàm quòd charitas referat illum in finem ſupernaturalem. Hoc ipſum confirmatur. Nam alioqui charitas referret illum actũ fidei, per alium actum fidei, & ſic eſſet abitio in infinitum. De his placitis Theologorum exactè conſtituere, & definire, ſpectat ad quæſtionem vltimam huius partis, vbi de merito bonorum operum inueſtigatur: nunc ſatis fuerit inſinuaſſe, quid de hac re ſentiunt viri grauiſsimi. Mihi certè quarta opinio maximè probatur, ſed de hoc in loco citato. Hæc dicta ſunt in interpretatione ſecundæ concluſionis: ſequitur vt examinemus tertiam concluſionem: nam contra eam arguit Durand. in ſecundo, diſtinctione. 40. quæſtione prima. ¶ Nam actus qui prodeunt ab imaginatione, poſſunt impediri, vel non impediri à ratione deliberante: ergo non ſunt extra genus moris, & ſic dabuntur actus indifferentes in indiuiduo in genere moris, ſi illi ſunt indifferentes.

Quinta opinio.

Examinatur tertia concluſio D. Tho. Durand. Arguitur.

¶ Reſpondetur, quod licèt homo poſsit impedire illos actus qui anteuertũt rationis deliberationem, & procedunt ex imaginatione (quod tamen verum non eſt, vt aduertere licet in motibus ſubitis, quos Theologi primò primos appellant) nihilominus non eſſent voluntarij, neque humani. Certè non eſſent voluntarij directè; quia non eſt actus voluntatis, quo voluntas vult quòd tales actus fiant: neque verò indirectè; nam ad voluntarium indirectè (ſi documenta noſtræ ſententiæ habeantur in memoria) neceſſum eſt quòd poſsim prohibere tales actus, & tenear, & non faciam; at non ſemper tenetur homo impedire manum à fricatione barbæ; non enim tenetur homo ſemper ſe ab his operibus abſtinere. Concedo tamen quòd ſi tenetur homo impedire tales actus, & non impediat, tunc illi actus erunt voluntarij indirectè; vt ſiquis rem ſacram faciens fricaret barbam, aut caput, non excuſaretur à peccato. Solutio.

¶ In ſolutione tertij habet Diuus Thomas duas ſententias, quæ explicatione indigent. Prior eſt. Omnis finis à ratione deliberata intentus pertinet ad bonum alicuius virtutis, vel ad malum alicuius vitij. Poſterior eſt. Hoc ipſum quod aliquis agit ordinatè ad ſuſtentationem, vel quietem ſui corporis, ad bonum virtutis ordinatur in eo, qui corpus ſuum ordinat ad bonum virtutis. ¶ Sed hæc aſſerta videntur falſa: Nam quando homo iuſtus facit iſtos actus indifferentes ſecundum ſpeciem ſuam, putà, it ad agros, deambulat, & non ordinat illos in finem alicuius virtutis, ſed tantùm ad quietem corporis, tunc prædicti actus ad nullam virtutem pertinent: non enim poteſt demonſtrari ratio, quare potiùs ad vnam virtutem pertineant quàm ad aliam: ergo actus qui procedunt à ratione deliberante, ſunt indifferentes. Dubia circa ſolutionem tertij arg. D. Th. Prim. arg.

¶ Deinde ſequitur ex hac doctrina Diui Thomæ, quòd ille qui eſt in peccato mortali, cuius corpus non eſt ordinatum in finem virtutis, peccat ſi facit actum ſecundum ſpeciem indifferentem ex ratione deliberata, putà, ſi eat in campum animi gratia ad recreandum corpus. Quòd rectè ſequatur, patet. Nam ille actus vel ordinatur ad finem, ad quem corpus ipſum eſt ordinatum, & ſic erit peccatum; vel ad nullum finem, & ſic erit indifferens. ¶ Tandem arguitur. Nam quãdo in fidelis operatur opus bonum ſecũdum ſuam ſpeciem, Secundum. Tertium.

ſpeciem, manet actus bonus in indiuiduo, vt ex dictis patere poteſt. ergo cũ facit opus quod de ſe eſt indifferens, non apponendo bonam vel malam circunſtantiam, manebit actus indifferens in indiuiduo. ¶ Ad hæc argumenta dicendum eſt. Ad primum reſpondetur, quòd illa ſententia D. Thom. omnis actus à ratione deliberata intentus, pertinet ad bonum alicuius virtutis, vel ad malum alicuius vitij, debet intelligi, vel ad bonũ, quod eſt maius virtute. Vnde quando homo iuſtus pergit ad agros, non cogitans actu de alio fine, niſi de ſalute & quiete corporis, ille actus non pertinet ad aliquam virtutem ſpecialem, ſed pertinet ad finem illum, ad quem voluntas naturaliter eſt bene inclinata, ſcilicet ad corporis & vitæ bonum proprium: quòd ſi actualiter ordinatur ſalus corporis, & valetudo ad literarum ſtudia, vel etiam ad orationem, tunc ire in campum, pertinet ad virtutem ſtudioſitatis, vel religionis. Sed dubitabit fortaſſe aliquis; Quid ſi vir iuſtus ordinauit ſuam deambulationem ad omnes virtutes, ad quam rogo pertinebit virtutem? certè tunc pertinebit ad charitatem Dei; quia charitas Dei eſt quæ ordinat, & dirigit omnes virtutes in ſuum finem, & in illo fine omnes virtutes conueniunt. ¶ Ad ſecundum dicitur, quòd qui eſt in peccato mortali, non peccat eundo ad agros propter corporis valetudinem, & recreationem, niſi fortè actualiter, aut virtualiter ordinat ſalutem corporis ad peccatum: cæterùm habitualis relatio non violat actum bonum ex obiecto; neque tamen manebit actus indifferens, tametſi non ordinet ad aliam virtutem ſpecialem: ordinat enim ad ſalutem illum actum, quam naturali appetitione amat plurimùm. ¶ Et ex hoc patet quid dicendum ſit ad tertium argumentum. Certè in caſu argumenti commemorato, non manebit actus indifferens: nam exire ad agros propter ſalutẽ, iam eſt bonus actus ex obiecto.

Ad primũ. D. Tho. ſententia exponitur.

Ad ſecũdũ.

Ad tertium

ARTIC. DECIMVS.

¶ Vtrùm aliqua circunſtantia conſtituat actum moralem in ſpecie boni vel mali.

SVMMA TEXTVS.

Prima con.

PRima Concluſio. Res naturales nõ accipiũt ſpeciem ex forma accidentaria, ſed ſemper ex forma ſubſtantiali: nam natura determinata eſt ad vnum, neq; poteſt eſſe proceſſus naturæ in infinitum; vnde neceſſe eſt peruenire ad aliquam formam, ex qua ſumatur differentia ſpecifica: & inde eſt quòd in rebus naturalibus quod eſt accidens alicui rei, non poteſt accipi vt differentia cõſtituens ſpeciem.

¶ Secunda Concluſio. Actus morales præcipuè ſumunt ſpeciem ex forma accidentali: ſumũt enim ſpeciem ex formis, prout ſunt à ratione conceptæ.

Secunda.

¶ Tertia Concluſio. Illa circũſtantia tribuit ſpeciem actui humano, quæ reſpicit ſpecialem ordinem rationis, vel pro, vel contrà: nam ſicut ſpecies rerum naturalium conſtituuntur ex formis naturalibus, ita actus morales ex formis, prout ſunt à ratione conceptæ. Sed circunſtantia aliqua poteſt cõſiderari vt principalis conditio obiecti, & quaſi quædam ſpecifica differentia per ordinem ad rationem, videlicet illa quæ reſpicit ſpecialem ordinem rationis, vel pro, vel contrà; ſicut furari in loco ſacro, ex circunſtantia loci habet ſpecialem, & diſtinctam repugnantiam ad rationem; cæteræ verò circunſtantiæ quæ non conferunt nouam conformitatem, aut deformitatem, non tribuunt ſpeciem actui humano, vt furari in parua quantitate vel magna.

Tertia.

EXPLI-

EXPLICATIO ARTICVLI.

MVlta disputant interpretes D. Tho. super istum articulum, & præcipuè, vtrùm circunstantia manens circunstantia, tribuat speciem actibus moralibus; quæ omnia à nobis in superioribus exactè sunt constituta: nam explicauimus quèadmodum circunstantiæ, quæ tribuunt actui humano speciem, & præcipuam quidem, semper manent circunstantiæ; siquidem (vt nostra fert opinio) circunstantiæ semper dant speciem accidentariam, & nunquam essentialem. ¶ Sed dubitatur; vtrùm aliquis actus constituatur simul in specie moris bona, & in specie mala: putà, volo dare eleemosynam propter vanam gloriam; vel ècontrario, volo furari vt dem eleemosynã. Videtur quòd sic; nam finis est qui dat speciem formaliter: ergo ille actus, volo furari vt dem eleemosynam, est in specie misericordiæ.

Vtrũ idem actus sit in specie moris bona & mala simul.

Argum.

Solutio. D. Thom. ¶ Sed respondetur ex doctrina D. Thom. articulo 4. ad 3. quòd actus non est simpliciter bonus, nisi habeat omnes bonitatis circunstantias. Dico ergo, quòd nullus actus simpliciter est in specie boni, & in specie mali; quia nihil est in specie, nisi species prædicetur de illo, neque species prædicatur de aliquo, de quo non prædicatur genus: si ergo actus non est bonus, quod est genus, impossibile est vt sit in specie boni. Dico simpliciter, quia non est inconueniens quòd secundum quid pertineat ad speciem boni, sicut Æthiops ad speciem albi: sic ergo ille actus, volo furari propter eleemosynam, non est simpliciter in specie boni, sed in specie mali, scilicet furti. Et ad argumentum, quia finis dat speciem, respondetur verum esse, nisi impediatur, vel in materia disposita, quæ non est in proposito; non enim furtum est capax bonitatis, & sic non potest recipere speciem à bono fine.

Obiectio. ¶ Sed quæres, & instabis; ergo ille actus erit formaliter in specie furti, cuius contrarium superiùs definitum est, videlicet furari propter adulterium, materialiter est furtum, & formaliter adulterium, quia forma est à fine.

Solutio. ¶ Ad hoc dicendum est, fortasis posse concedi quòd actus positus neque accipit speciem à fine formaliter, quia impeditur; nec ab obiecto, quia se habet vt materia, & sic est in specie furti solùm materialiter. Vel potest dici, quòd illud obiectum postquam non potest recipere formam à fine, & per consequens neque speciem, manet formaliter in sua specie, & sic est formaliter furtum.

ARTI. VNDECIMVS.

¶ Vtrùm omnis circunstantia quæ auget bonitatem vel malitiam, constituat actum moralem in specie boni vel mali.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. COnclusio est negans. Probatur: nam circunstantia dat speciem boni vel mali actui morali, in quantum respicit ordinem rationis specialem, & distinctũ. Sed contingit aliquando quòd circunstantia non respicit specialem ordinem rationis in bono vel malo, nisi præsuppositа alia, à qua actus moralis habet speciẽ boni vel mali; ergo talis non tribuit speciem. Maior argumenti patet ex dictis. Minor probatur: nam tollere alienum in parua vel magna quantitate, non concernit ordinem rationis in bono vel in malo, nisi posita alia conditione, ex qua actus fit bonus vel malus, vt hoc quod est esse alienum, quod rationi repugnat: quare tollere alienum in parua vel in magna quantitate, nõ diuersificat speciem culpæ, quamuis illam aggrauet, vel minuat.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Regulæ ad totam quæstionẽ intelligendam. VT ea quæ in hac quæstione ab auctore fusiùs sunt explicata, meliùs intelligantur, operæpretium erit ad certas conclusiones, ea quæ sunt constituta, reducere.

Prim. cõcl. Vtilis circũstantiarũ disputatio. ¶ Prima conclusio. Disputatio de speciebus, & circunstantijs actuum humanorum, est valde vtilis viro Theologo; tum, vt cognoscat grauitatem peccati; tum verò, vt sciat adhibere medicinam pro qualitate criminum; tum verò, vt magis deterreat ab vno peccato quàm ab alio: tũ vltimò, vt cognoscat quæ sunt iuris ecclesiastici irregularitates, & excõmunicationes.

Secũ. cõcl. ¶ Secunda còclusio. Nõ est valde necessaria anxia disputatio de istis speciebus, & circũstãtijs; tũ, quoniã est potiùs metaphysicalis, quàm

moralis: tum verò, quoniam sancti, & Theologi parùm tractant de istis: tum tertiò, quia non oportet cognoscere grauitatem peccatorum in puncto, & in indiuisibili: tum deinde, quoniam Theologo, & confessario satis est cognoscere esse grauius peccatum furari de loco sacro, quàm de loco prophano. Vtrùm verò distinguantur specie, non multùm retulerit. Certè oportet vt Theologus intelligat, circunstantiam quæ non mutat speciem, sæpenumero augere magis peccatum, quàm circunstantia quæ mutat speciem: maius namque peccatum est furari rem magnã, & pretiosam de loco prophano, quàm minimã de loco sacro.

Tert. cõcl. ¶ Tertia conclusio. Actus moralis habet speciem essentialem, & inuariabilem ab obiecto proximo, & immediato. demonstrata fuit hæc conclusio suprà ar. 2. & 4. huius quæstionis.

Quar. cõcl. ¶ Quarta conclusio. Actus humanus præcipuè habet speciem ex fine. de hac conclusione dictum est copiosissimè articu. 4. & 6 huius quæstionis.

Quin. cõcl. ¶ Quinta conclusio. Non inconuenit quòd vnus actus humanus sit in duplici specie; vt qui furatur propter mœchiam, fur est, & mœchus. hæc conclusio patet ex articulo 6. huius quæstionis: tum verò ex tertia & 4. conclusione: itẽ optimo exemplo. Nam homo est in specie substantiæ, & in specie qualitatis, quatenus albus est, sed quoniam in moralibus id quod est intentum, principalius est, ideo denominatio potiùs

Arist. fit ex fine: propter quod dicit Aristot. quòd qui furatur propter mœchiam, potiùs est mœchus, quàm fur.

Sexta cõcl. ¶ Sexta conclusio. Quando obiectum est bonum de genere suo, & finis malus, talis actus solùm est in specie mali: vt cùm quis dat eleemosynam vt fornicetur. Ratio est, quia talis actus non est bonus; ergo non est in specie boni. An

D. Thom. tecedens probatur à D. Thom. artic. 5. ad 4. argumentum; nam actus non est bonus, nisi habeat omnia necessaria.

Septi. cõcl. ¶ Septima conclusio. Si obiectum sit malum, & finis bonus, veluti cũ quis furatur vt det eleemosynam, talis actus non est nisi in specie mali. Probatur eadem demonstratione: nam talis actus non est bonus; ergo non est in specie boni. Ex hoc sequitur, quod si obiectum est indifferens, & finis est bonus vel malus, talis actus solùm est in specie boni, vel mali. Hæ conclusiones manifestæ sunt, de quibus parua, aut nulla dubitatio suboriri potest. ¶ Sed proximum est vt exponamus in speciali, quando circunstantia mutat speciem, quando verò non mutat: quod fiet perspicuum his regulis.

Regulæ ad cognoscendũ quando circunstantiæ speciem mutent.

Pri. regula. ¶ Prima regula. Quando circunstantia dicit nouam conformitatem ad rectam rationem, constituit nouam speciem. Hanc conclusionem statuit D. Thom. in præsenti articulo. Ex hac regula concluditur efficaciter, quòd quando quis furatur in loco sacro, illa circunstantia loci, constituit nouam speciem; nam dicit nouam deformitatem ad rectam rationem, & dicit nouam iniuriam quæ fit loco sacro, præter iniuriam quam furtum secum trahit: furari verò rem magnam, vel paruam, non constituit nouam speciem; quoniam non dicit nouam deformitatem ad rectam rationem, sed auget præexistentem. D. Thom.

Secũ. regu. ¶ Secunda regula. Vniuersa circunstantia quæ mutat actum de bono in malum, tribuit nouam speciem. Hanc regulam statuit Diuus Thomas articulo 5. ad 4. & ratio huius regulæ est euidens, & firmissima. Nam si transfert actum de bono in malum, dicit obiectum repugnans rectæ rationi. ergo tribuit nouam speciem, quę ex obiecto præcipuè sumenda est. D. Thom.

Ter. regul. ¶ Tertia regula. Quando circunstantia, aut finis est operi intrinsecus, non tribuit nouam malitiam, aut bonitatem; veluti cùm quis pugnat propter victoriam, cùm orat Deum propter Dei cultum, & ieiunat ad extenuandum corpus, dico quòd in his operibus non est duplex bonitas; nam illa circunstantia finis, est intrinseca operi. Ex hac regula eliciunt Magistri nostri, quòd quando quis dat eleemosynam propter Dei amorem, & proximi, non est nisi vna bonitas; quoniam eleemosyna de se, & intrinsecè, ordinatur ad Dei amorem, & proximi. Hæc sen

Dare eleemosynã propter amorẽ Dei duplicẽ bonitatẽ habet. tentia videtur mihi falsa; nam misericordia, & charitas, sunt duæ virtutes distinctæ: ergo dare eleemosynam propter charitatem Dei, aut proximi, duplicem bonitatem habet, & duplicem laudem promeretur. Deinde, si quis non subueniat pauperi propter eius odium, duplex peccatum admittit; alterum, cõtra misericordiam; alterum, contra charitatem. Ratio huius est; nã vtrumque est opus malum, & neutrum, alterũ includit.

Quar. regu. ¶ Quarta regula. Circunstantia quæ confert speciem actui humano, semper transit in rationem obiecti. Hanc regulam habet Diuus Thomas articulo quinto ad quartum, & in articulo decimo ad secundum, & infrà quæstione septuagesimasecunda, articulo nono. Ratio regulæ est euidens; nam circunstantia quæ confert speciem nouam, semper dicit nouam conformitatem, aut deformitatem ad rectam rationem: semper igitur facit, quòd obiectum alio modo conueniat, aut disconueniat rectæ rationi. Itaque apud Diuum Thomam certissimum est, quòd nihil confert speciem, nisi obiectum, vel id

D. Thom.

quod

Obiectio. quod transit in rationem obiecti. ¶ Sed contra istam regulam est vnum argumẽtum valde molestum. Nam si quis vult interficere hominem in ecclesia, nolens quòd esset in ecclesia, talis circunstãtia loci tribuit speciem actui humano, at non transit in rationem obiecti voluntatis; siquidem non est volita formaliter. Idem patet in homine qui culpabiliter ignorat istam esse suam, & accedit ad eam. Item in eo qui sagittis

Solutio. temerariè occidit patrem. ¶ Hoc argumentum habet varias solutiones: vera tamen solutio est, quòd vt circunstantia veram conferat speciem actui humano, satis est quòd sit volita formaliter, aut virtualiter, aut interpretatiuè. Formaliter est, quando quis vult interficere hominem in ecclesia, volens quòd sit in ecclesia. Virtualiter est, quando quis vult interficere hominem, nolens quòd esset in ecclesia, sed omnibus consideratis vult illum occidere in ecclesia. Interpretatiuè est, quando quis vult occidere hominem in ecclesia, ignorans culpabiliter quòd sit in ecclesia. In omnibus his casibus, dico, quòd circunstantia loci mutat speciem. Quòd in primo casu mutet speciem, euidentiùs est quàm sit ostendendum. Quòd verò in secundo casu mutet speciem, patet: nam licèt iste nollet irrogare iniuriam loco sacro, absolutè tamen vult irrogare iniuriam loco sacro. Quòd vero in tertio casu mutet speciem, probatur: nam iste poterat cauere illud sacrilegium, & tenebatur, & non cauit, ergo sacrilegium commisit. Ex hac regula

Quinta regula. sequitur Quinta regula. ¶ Peccatum ex ignorantia culpabili admissum, est in eadem specie ac si fieret ex certa scientia. Ex hoc sequitur quid dicendum sit ad quæstionem difficillimã, quæ solebat magnopere perturbare Theologos, in qua nam specie constituatur peccatum ex ignorantia culpabili admissum. Quidam dicebant, quòd in specie ignorantiæ; sed certè decipiebantur; nam iste non tenebatur scire patrem suum esse absconditum in nemore. Alij dicunt, quòd est in specie negligentiæ: sed isti errabant propter rationem superiùs dictã. Dominus Caietanus in loco iam citato dicit, quòd po-

Caiet. nitur in specie incautæ sagittationis. Sed hæc solutio Caietani non satisfacit: nam qui occidit clericum, ignorans culpabiliter esse clericum, excõmunicatus est, & incidit in omnes pœnas cõtra sacrilegos pronunciatas; ergo verum sacrilegiũ commisit. Hæc igitur difficultas ex postrema regula adiecta à nobis, manifestam solutionem habet. Hactenus de articulo II. & de tota quæstione.

QVAESTIO XIX.

De bonitate & malitia actus interioris voluntatis, in decem articulos diuisa.

Introductio quæstionis.

IN quæstione præcedẽti loquuti sumus de actu bono, vel malo in genere, nũc descenditur ad actus interiores voluntatis, de quibus prima controuersia illa erat; num sint aliqui actus humanæ voluntatis studiosi, & boni, an potiùs vniuersi mali sint, & vitiosi. Sed hæc quæstio superiùs fuit inuestigata, nimirum quæstione præced. art. 1. Statuto igitur quòd sunt actus voluntatis, tũ boni, tum mali, quod ex superioribus est manifestum, quærit D. Thom. in præsenti quæstione, vnde actus voluntatis interni, bonitatem & malitiam habeant.

ARTIC. PRIMVS.

¶ Vtrùm bonitas voluntatis dependeat ex obiecto.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. COncluſio eſt affirmatiua, quã probat D. Tho. in primis autoritate Ariſt. dicit enim 5. eth. Ariſtot. c. 1. Iuſtitiam eſſe, qua iuſta volumus. Ex qua ſententia conſequẽs eſt, virtutem eſſe, qua bona, & ſtudioſa volumus. Sed bona voluntas ea eſt, quæ eſt ſecũdum virtutem: igitur bona, & ſtudioſa voluntas ea eſt, qua bona, & ſtudioſa volumus. Cuius rei aliam demonſtrationem adhibet Diuus Thomas. Actus, inquit, humani ex obiecto ſpeciem habent, vt ſuperiùs eſt de

monſtratum: ſed bona & mala operatio voluntatis differunt ſpecie; bonum igitur & malum in actibus voluntatis præcipuè attenditur ſecũdum obiectum. Quòd bona & mala operatio voluntatis differãt ſpecie, ſic probat: bonum enim & malum ſunt per ſe differentiæ actuum voluntatis, ſiquidem per ſe ad voluntatem pertinent, ſicut verum & falſum ad rationem, cuius actus per ſe diſtinguuntur ex differentia veri & falſi: quemadmodum igitur vera & falſa opinio ſpecie diſtinguuntur, ſic ſanè bona & mala operatio ſpecie diſcernuntur. Hactenus D. Thom.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CErtè D. Thom. plus reſpondet, quã quæſiuit: petiuit namque ſolùm de bono, & reſpondet de bono & malo: & de bono quidem non eſt dubium, quin ſi voluntas bona eſt, oportet vt boni ſit; ſed de ſecundo, quòd ſi voluntas mala eſt, oporteat vt mali ſit, non ita notum eſt, imò contrarium videtur. Voluntas enim qua quis vult dare eleemoſynam propter vanam gloriam, mala eſt, & obiectũ bonum eſt: ſed articulo ſequẽti videbimus quod obiectum malum eſt; ſiquidem quod eſt malum ex fine, ſimpliciter malum eſt. Vera enim eſt illa ſententia D. Dionyſ. à nobis ſuperiùs explicata; bonum conſurgit ex integra cauſa, malum ex quocunque defectu. Notandũ etiam quòd hîc non agitur, vtrùm tota bonitas ſit ex obiecto; ſed ſolùm ad hunc ſenſum, vtrùm requiratur ad hoc vt voluntas bona ſit, quòd ſit boni obiecti, licèt fortaſsis hoc ad bonitatem actus non ſufficiat. de quo in articulo ſequenti. Concluſio igitur D. Thom. indubitata eſt. Sed Dominus Caieta. magnum proceſſum format ſuper illud, quòd bonum & malum ſunt per ſe differentiæ actuum voluntatis, vtrùm intelligatur in eſſe naturæ, vel in eſſe moris; vtrũ ne faciãt opera ipſa differre ſecundum naturã, an potiùs idẽ actus poſsit eſſe ſucceſsiuè bonus, & malus. Cõra. ſuper iſtũ articulũ videtur tenere, quòd etiam in eſſe naturæ; & ideo non poſſunt eſſe actus eiuſdem ſpeciei in eſſe naturæ, vnus bonus, & alter malus; neque vnus actus ſecundum naturam poteſt eſſe bonus & malus ſucceſsiuè. Gabr. in 2. d. 41. quęſt. vnica, cõſtituit multas propoſitiones in patrocinium huius ſententię, quarum prima eſt; quòd actus nõ poteſt fieri ſtudioſus, qui priùs erat vitioſus, ſine nouo actu voluntatis; & infert corolarium, quòd per ſolum aduentum nouæ rationis non poteſt fieri ex bono malus, neq; ècontrario. Ponit deinde aliam propoſitionem, quòd actus qui eſt propter bonum finem, eſt intrinſecè, & ſuapte natura bonus; itaque non poteſt ſucceſsiuè eſſe malus; quia ſi mutatur finis, mutatur & actus. Sed & tertiam propoſitionem conſtituit, quòd actus indifferens, idem numero elicitus à voluntate, non poteſt fieri bonus, nec malus; & ſic ſecundum eum, actus maluselicitus, eſt intrinſecè malus, & bonus, intrinſecè bonus, & indifferẽs, intrinſecè indifferens. Ex quibus ſententijs, ſi rectè expẽdantur, cõſequẽs eſt, quòd actus bonus & malus, nõ ſolùm in genere moris, verùm etiã in genere naturæ differunt. Rurſus conſequens eſt, quòd idem actus numero, non poteſt eſſe ſucceſsiuè bonus & malus, quæ eſt opinio Conradi; & ſuadetur ſic eſſe optimis argumentis. In primis, bonitas & malitia actus, ex obiecto acci pienda eſt: ergo nõ poteſt ex bono fieri malus, niſi variato obiecto; quo variato, neceſſe eſt actum variari ſecũdum naturam; ſiquidẽ actus in eſſe naturæ, ex obiecto eſſentiam & naturam habet. Deinde, actus voluntatis intrinſecè depẽdet à rationis iudicio, & prẽnotione; nihil enim eſt volitum, quin priùs cognitum; at actus bonus & malus ex diuerſis iudicijs dependent; bonus ſiquidem eſt conformis vero & recto iudicio; malus verò, falſo, & erroneo: differunt igitur ſecundum naturam. Præterea, habitus generantur ex actibus, vt docet vniuerſa Philoſophia moralis: ſi igitur idem actus ſecundum naturã ſucceſsiuè eſt bonus & malus, ſequitur quòd ex talibus actibus generarentur habitus contrarij, vnus vitioſus, & alter ſtudioſus, vel vnus & idẽ erit, virtus, & vitium; ſequitur rurſum, quòd virtus inclinaret ad malum; quod ſic oſtendo: Cõſtituamus namq;, exempli gratia, temperantiam inclinare ad ſumendum cibum in tali tempore, & in tanta quantitate; tunc concludo argumentũ; temperantia elicit hanc volitionẽ, volo comedere in iſto tempore, & in tanta quantitate: ſed hæc volitio ſecundũ ſubſtantiam ſuam & naturam poſtmodum poteſt eſſe mala, vt ſi cõtinuetur propter vanam gloriã: ergo temperantia inclinat ad malum. Vltimò, ſi idem actus numero poteſt eſſe bonus & malus ſucceſsiuè, ſequitur quòd actus fidei ſupernaturalis, & diuinę poſsit fieri ſucceſsiuè actus fidei humanę, & errãtis & rectè ſequatur, patet euidẽti arg. Nã præcipua

ratio

Vtũ volũtas mala ſemper ſit mali

Dionyſ.

Caiet. Actus bon⁹ & malus an differant in eſſe naturę, an ſolũ in eſſe moris. Conrad.

Gabr.

Prim. arg.

Secundum.

Tertium.

Vltim.

ratio qua vtuntur Theologi ad ostendendum eundem actũ numero, posse per succesionem temporis esse bonum & malum; ista est; potest enim homo feria quinta ante horam duodecimam habere istam volitionem, volo comedere carnes, & continuare eandem volitionem vsq; ad horam duodecimam; quis prohibet, & tunc volitio quæ prius erat bona, postmodum efficitur mala. Sed hæc ratio, si bene expendatur, omnino persuadet, quòd idem actus numero, nũc sit fidei diuinæ, nunc verò fidei humanæ fallibilis. Etenim constituamus Iudæum parùm ante Christi natiuitatem habere hoc iudicium, Christus nascetur: rursus faciamus quòd continuet eundem actum nato Christo, quem ipse ignorat natum esse; tunc actus, qui prius erat fidei diuinæ, & infallibilis, postmodum fit actus fidei humanæ, & errantis: iam enim illud iudicium falsum est. Hæc omnia confirmantur. Nam ad actum bonum, præcipuè si sit actus supernaturalis virtutis, requiritur auxilium speciale, & supernaturale, vt habet sana doctrina, & non ad actum malum. ergo differunt secundum naturam. Contrariam sententiam tenent doctores in primis graues. Caietan. hîc. Durand. in 2. distin. 40. quæst. 2. & 3. Capreol. in eadem distinctione. Pro huius rei explicatione est prima propositio. ¶ Actus eiusdem speciei secundum naturã possunt esse, quorum vnus sit bonus, & alter malus. Probatur euidenti exemplo. Nam occidere hominem, si naturam, & substantiam operationis consideres, eiusdem speciei est, siue à iudice occidatur homo, siue à persona priuata: at verò occisio hominis à iudice facta, bona est, & laudabilis; à persona priuata effecta, mala est, & vituperabilis. ¶ Secunda conclusio. Diuersi actus in genere naturæ, sunt eiusdem speciei in genere moris, quantum ad bonitatem & malitiã, quod patet. Nam comedere perdices temperatè, & sobriè, & comedere oua, & pisces, ad eandem virtutem temperantiæ pertinet, quæ est virtus eiusdem speciei (nisi velis tot temperantiæ virtutes distinguere, quot sunt ciborum genera) Bonũ igitur & malũ, sunt differentię actuum humanorum in genere moris, sed non in genere naturæ. ¶ Tertia conclusio. Negari non potest quin idẽ actus numero, possit succesiuè esse bonus & malus. Probat hoc Caiet. ex comparatione, quã D. Thom. facit ad actus intellectus: clarum est enim, quòd vnus & idem actus intellectus, potest succesiuè esse verus, & falsus: assensus enim quo ego assentior Petrum scribere, aut rectè valere, succesiuè est verus, & falsus absq; sui mutatione: si enim Petrus desinat scribere, aut rectè valere, assensus qui antea verus erat, falsus est sine sui mutatione, per solam obiecti variationẽ.

Caiet. Durand. Capr.

Prim. cõcl. Actus eiusdẽ speciei secundũ naturam possunt esse vnus bonus, alter malus

Secũ. cõcl. Diuersi act⁹ in genere naturæ, sunt eiusdẽ speciei in genere moris.

Tert. cõcl. Bonũ & malũ sunt differẽtiæ actuũ humanorũ in genere moris, nõ in genere naturæ.

Idem actus numero potest succesiuè esse bonus & malus.

Idem patet; cùm volo cognoscere hanc fœminam ignorantia inuincibili, & postea cùm vincibili, & culpabili, tunc sanè volitio, quæ prius bona erat, postmodum mala, & vitiosa efficitur. Idem ostenditur exemplo superiùs adhibito, de eo qui vult comedere carnes feria quinta ante horam duodecimam, & persistit in eadem volitione vsque ad duodecimam. Hoc ipsum demonstratur esse verum, cùm sacerdos vult celebrare Missam in ecclesia, & perseuerat in eadem volitione, etiamsi interdicatur ecclesia ipso ignorante culpabiliter, tunc volitio quæ priùs bona erat, mala succesiuè efficitur. Ex his conclusionibus intelligitur apertè, quemadmodum bonum & malum non sunt per se differẽtiæ actuũ humanorum in genere naturæ, sed tantummodo in genere moris: quod esse verum, vel vltima conclusio manifestè conuincit. Si quidem vnus & idem actus numero, potest esse bonus, & malus succesiuè; quod esset impossibile prorsus, si differentia secundum bonum & malum, esset differentia in esse naturę. Ex eisdem conclusionibus planè concluditur, quòd aliæ sunt differẽtiæ actuum humanorum in esse naturæ, & aliæ in esse moris, quod explicat in primis eleganter D. Thom. solutione tertij argumenti. Bonum enim præsentatum voluntati per rationem, vt obiectum, & in quantum cadit sub ordine rationis, hoc est, in quantum est conforme aut difforme ad rectam rationem, ad genus moris spectat, & causat bonitatem, aut malitiam moralem in actibus humanis; ratio enim est principium humanorum actuum; in quantum verò est bonum quoddam naturale, aut malum, causat bonitatem, aut malitiam naturalẽ. Ex ijs argumenta omnia in contrarium proposita confutantur.

Aliæ sunt differentiæ actuũ in esse naturę, & alię in genere moris. D. Thom.

¶ Ad primum namque dicendum est, quòd cùm actus sit ex bono malus, variatur quidem obiectum in genere moris, at non in genere naturæ. ¶ Ad secundum argumentum duo dicenda sunt; primò aio manere idem iudicium in genere naturæ, variari verò in genere moris, propter quod prius erat verum, & postea falsum. Deinde dico pro solutione argumenti, quod licèt iudicium esset omnino diuersum, nõ fit consequens quòd actus voluntatis varietur: charitas enim viæ, & patriæ cœlestis, eadem permanet, cùm tamen (vt constat ex vera Theologia) iudicia sint longè diuersa: in via namque iudicamus per fidem, in patria cœlesti per speciẽ, & clarã visionem. Certè idem calor potest à sole, & ab igne procedere; non est ergo mirùm quòd eadem volitio à diuersis causis procedat. ¶ Ad tertium argumentum, concedo primùm quòd idem actus in genere naturæ potest gene-

Solut. arg. Ad primum

Ad secundũ

Ad tertium

rare duos habitus cõtrarios; vnum, vitioſum, & alterum, ſtudioſum: nam qua ratione eſt actus ſtudioſus, generabit habitum ſtudioſum, qua ratione eſt actus vitioſus, generabit habitum vitioſum: cæterùm non admittit vera Theologia illum vnum actum bonum vel malum in genere moris, producere vnum habitum, qui ſit virtus, & vitium. Itaque quanquam admittat Theologus, quòd idem actus poteſt ſucceſsiuè eſſe bonus, & malus, nunquam debet admittere, quòd idem habitus ſucceſsiuè poſsit eſſe bonus, & malus. Cuius rei differentiam operæpretium eſt diligenter explicare. Durandus in 2. diſtinctione 40. quæſtione 3. ſolutione ad primum, in huius difficultatis explicationem dicit, quòd quemadmodum vnus idemque actus poteſt ſucceſsiuè eſſe bonus, & prauus; ſic & habitus: opinio enim (autore Ariſtot. 3. Ethicor. cap. 2.) aliquando dicit verum, aliquando dicit falſum. Addit tamen Durandus quòd habitus ſtudioſi, qui prudentia diriguntur, nunquam ſunt mali; prudentia namque ſemper dicit verum: quæ explicatio mihi profectò non placet. Nam in primis opinio nunquam eſt habitus bonus; de ratione namque habitus boni, & ſtudioſi eſt, vt ſemper inclinet ad bonum: quod opinioni competere non poteſt; ſiquidem fallere nos poteſt, & ad falſum inducere. Rurſus aliud vitium habet ſententia Duran. non enim explicat, quid eſt quòd actus ſtudioſus poteſt eſſe malus ſucceſsiuè, & habitus ſtudioſus non poſsit fieri malus?

Idẽ habitus ſucceſsiuè nõ poteſt eſſe bonus & malus. Durand.

¶ Dicendum eſt igitur (& hæc, quantum exiſtimo, eſt vera ſolutio) quòd quemadmodum idẽ actus in genere moris, nunquam poteſt fieri ſucceſsiuè bonus & malus; ſi namque fiat ex bono malus, iam diſtinguitur ſpecie in genere moris: ad eundem modum habitus nunquam poteſt fieri ex bono malus, neque ècontrario; quoniam habitus ſemper ad genus moris ſpectat: acquiritur enim habitus vt determinet potentiam ad actum bonum, vel ad malum in genere moris, non ad actum bonum in genere naturę; nam ad tales actus potentia de ſe determinata eſt, neque habitu determinante opus habet.

Autoris reſolutio.

Sed vt ad ſolutionem tertij argumenti redeamus, addendum, quòd cùm virtus non inclinet niſi ad actum bonum ſecundum omnes circunſtantias, quando oportet, & prout oportet, quãuis actus maneat idem ſecundum naturam, ſi malus redditur in genere moris, virtus ad illum actum deinceps non inclinat. ¶ Ad vltimum argumentum confutandum, multa adduci ſolent, quæ à nobis alio in loco, nimirùm q. 63. explicabuntur: nunc illud breuiter dici poteſt, in explicatione argumentiva riare doctores: quidá enim concedunt, quòd actus virtutis infuſæ, & ſupernaturalis in genere naturæ, non diſtinguitur ab actu virtutis acquiſitæ; & ideo idẽ actus in genere naturæ poteſt eſſe fidei ſupernaturalis, & poſtmodum fidei humanæ. Quidam verò hoc putant eſſe falſum, & regulę fidei noſtrę aduerſum; quorum autorum diſſenſiones vſque ad locum commemoratum ſedare non poſſumus. Dicendum eſt igitur (ne argumentum ſine cõfutatione relinquatur) quòd licèt actus in Iudæo continuetur, & perſiſtat idẽ, non eſt cõſequens, quòd non differãt in genere naturę: multa ſiquidem continuantur, quæ in genere naturæ differũt; velut inſertum, atq; virga, cuius vna medietas eſt ſicca, & alia viridis. Vel dicendum, quòd multa videntur ad ſenſum continuari, & eadem perſiſtere, quæ ſi diſtrictè expendantur, eadem non permanent; vt patet in exemplis dudum cõmemoratis, & in motu canis de alta turri cadentis; cuius motus (ſi vera ſunt quę dicunt Philoſophi) in medio itinere cũ moritur canis, interrumpitur. His addendum eſt, quòd actus ſupernaturalis, & naturalis, continuari non poſſunt, ſiquidem differunt tota natura, & ſpecie: ea verò quæ natura differunt, nunquam continuantur: actus verò bonus, & malus, qui inter naturalia computantur, non eſt mirũ quòd cõtinuentur; ſiquidem in genere naturæ nõ adeò differunt: & ideo nunquam concedam, actũ ſupernaturalem continuari cũ actu naturali; quãuis id admittam in actibus moralibus, qui naturam nõ ſuperant. Hęc de iſto articulo, ad ſequẽtem articulum veniamus.

Actus naturalis & ſupernaturalis, nec poſſunt eſſe idẽ, neq; verò cõtinuari.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ *Vtrùm bonitas voluntatis dependeat ex ſolo obiecto.*

SVMMA TEXTVS.

Concluſio.

Oncluſio eſt affirmãs. Nam bonitas voluntatis ex eo per ſe dependet, quòd per ſe bonitatem facit: ſed obiectũ per ſe bonitatem facit in actu; circunſtantiæ enim ſunt accidentia actus humani. ergo bonitas voluntatis per ſe ex ſolo obiecto dependet. Cuius rei eſt altera probatio. Nam principium bonitatis vel malitiæ humanorum actuum, eſt ex actu voluntatis, & ideo bonitas &

ma-

malitia voluntatis ſecundum aliquod vnum attenditur, aliorum verò actuum bonitas & malitia poteſt ſecundum diuerſa attendi: illud autem vnum, quod eſt principium in aliquo genere, nõ eſt per accidens, ſed per ſe; quia omne quod eſt per accidens, reduci debet ad id quod eſt per ſe, ſicut ad principium; & ideo bonitas voluntatis ex ſolo vno illo dependet, quod per ſe facit bonitatem in actu, ſcilicet ex obiecto, & non ex circunſtantijs, quæ ſunt quædam accidentia actus humani.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Concluſio articuli examinatur.

Oncluſio huius articuli mirabilis eſt, & ſubuertere videtur omnẽ philoſophiã, tũ diuinã, tum humanã, quod ſic oſtendo. In primis, in articulo 4. ſuperioris quęſtionis demonſtratum eſt, actum voluntatis interiorem habere bonitatem & malitiam, laudem & vituperium, ex fine, & cæteris circunſtantijs; cui definitioni concluſio huius articuli omnino aduerſatur. Deinde, ſi quis furari vult de loco ſacro, ea volitio deterior fit ex circunſtantia loci ſacri; atque adeò qui ardentiori voluntate vult aliquid, ſi cætera ſunt paria, plus meretur, aut peccat; & hæc circunſtãtia tenet ſe ex modo operandi, & non ex obiecto. Idem confirmatur. Nam manente eodem obiecto omnino, ſi actus intendatur, & vehementior fiat, eſt peior, vel melior: ergo non tota bonitas, aut malitia pendet ex obiecto. Præterea, habeat laicus volitionem venandi, habeat eandem volitionem monachus; in laico ſtudioſa eſt, & laudabilis, in monacho verò mala, & vituperabilis; & hoc tantùm prouenit ex circunſtantia operantis. Vltimò, ad actum virtutis perfectiſsimum, non ſatis eſt operari ſtudioſa, & iuſta, ſed promptè, & delectabiliter: ergo bonitas non ſolùm pendet ex obiecto, ſed ex modo operandi. Pro huius dubij explicatione ſciendum eſt, quòd concluſio huius articuli varias habet explicationes. Conradus dicit, quòd cùm bonitas moralis ſit ex obiecto, & circunſtantijs, differentia inter actum exteriorem, & interiorem eſt, quòd circunſtantiæ ſunt obiectum actus interioris, quia ſunt volitæ; non autem ſunt obiectum actus exterioris: non enim actus exterior per ſe fertur in finem, ſed per actum voluntatis refertur in finem; & ſic totum quod habet actus exterior ab obiecto, & fine, & circunſtantijs, totum habet actus interior ab obiecto, quia obiectum omnia illa includit. Hæc explicatio mihi omnino non placet; tum, quoniam aduerſatur doctrinæ ſuperiùs traditæ; tum verò, quoniam apertè aduerſatur D. Thom. in hoc articulo: dicit enim ad finem articuli, quòd actus interior voluntatis accipit bonitatem ab obiecto, quod per ſe cauſat bonitatem actuum humanorum, non ex circunſtantijs, quę ſunt accidentia actuũ humanorum. Itaque obiectum quod tribuit bonitatem actui interiori voluntatis, non includit circunſtantias, vt falsò, & contra D. Thom. aſſerit Conrad. Doctiſsimus Victoria, quem honoris cauſa nomino, varijs modis propoſitam dubitationem diſſoluebat: duo tantùm mihi probantur. In primis dicebat Diuum Thomã loqui ſolùm de bonitate, & malitia ſpecifica, ita quòd tota bonitas, vel malitia prouenit ab obiecto; poteſt tamen aliunde eſſe maior vel minor in eadem ſpecie, vel ex intenſione, vel ex modo operandi: & hoc videtur de mente Sancti Thomæ. in articulo 1. & 2. ſemper dicit quòd bonitas, de qua loquitur, eſt per ſe, & non per accidens; bonitas autem quæ non pertinet ad ſpeciem, & ex circunſtantijs ſumitur, non videtur per ſe, ſed per accidens actibus humanis competere: manente enim eodẽ actu in genere moris, variatur actus ex circunſtantijs. Secundò dicebat, quòd Sanctus Thomas non intelligit, quòd tota bonitas actus interioris ſumatur ex ſolo obiecto, ſed ſolùm quòd ad bonitatem actus interioris ſufficit, & requiritur bonitas obiecti, & ad malitiam eius ſufficit, & requiritur malitia obiecti, non curando an aliunde poſsit talis actus fieri melior, vel peior. exempli gratia. Volo dare eleemoſynam, dico quòd ad bonitatem illius actus requiritur, & ſufficit, quòd datio illa eleemoſynæ bona ſit; & volo occidere hominem, ad malitiam illius requiritur, & ſufficit, homicidium illud malum eſſe; dato quòd in vtroque poſsit eſſe aliud, vnde poſsit eſſe bonitas vel malitia maior, & ideo malitia, vel bonitas ex obiecto per ſe dependet, quia iſtud requiritur; & ſufficit ad bonitatem actus, vel malitiam. Aliæ bonitates, & malitiæ ſunt accidentales, & ideo D. Tho. in concluſione non dixit, quòd tota bonitas actus ex obiecto eſt, ſed quòd bonitas actus interioris ex ſolo obiecto dependet: dependere verò eſt, non poſſe eſſe ſine illo: & ita eſt, quòd actus interior non poteſt eſſe bonus, ſine bono obiecto; & ſi obiectum eſt bonum, actus bonus eſt.

Secundum.

Tertium.

Vltimum.

Varię cõclusionis explicationes. Conrad.

Impugnatur Cõrad.

D. Thom.

Mag. Victo

Autoris resolutio. Certè aptæ & idoneæ sunt istæ explicationes; sed vt paucis explicationē veram comprehēdamus, dicendum est, quòd voluntas habet bonitatem primariam, & inuariabilem à solo obiecto, sed accidentariam, & superadditam habet ab alijs circunstantijs. & quòd hæc sit sana expositio, patebit intuenti literam articuli. Alij sunt qui mordicus defendunt istam sententiā, quòd bonitas voluntatis tantùm dependeat ex solo obiecto, sed loquuntur contra omnem Philosophiam, & contra veritatem; quapropter relinquendi sunt. D.Thom. Ex his patet quid intelligat S. Th. in solut. ad 1. quòd cùm actus habet plures fines, bonitas voluntatis ex vtroque prouenit, tāquam ab obiecto ab vno, ab alio tanquam à fine, licèt vtrumque sit obiectum; putà, si quis vult pecuniam propter honorem, & honorem propter nuptias sibi conuenientes, alia est bonitas quæ est ab obiecto, scilicet pecunia, & alia à nuptijs; sed prima est essentialis, secunda accidentalis: nam ad bonitatem actus interioris requiritur finis, sed non alius finis, & ideo si sunt duo fines, vnus illorum per accidens est: & idē est iudicium si vna volitio imperetur ex altera, vt cùm quis dat eleemosynam propter charitatem; volitio enim imperata habet bonitatem, sed accidentalem ex imperante. Pro quo aduertendum est, quòd id, quod est ad finem, vel habet ex se vnde appetatur, vel non; si non, tunc bonitas eius, est bonitas finis, & non alia, vt cùm volo medicinam propter sanitatem; & sic eadem est bonitas obiecti & finis: si autem habet vnde appetatur, tunc differt bonitas obiecti, à bonitate finis, & bonitas finis est accidentalis, quia non requiritur ad actum voluntatis bonum.

ARTIC. TERTIVS.

¶ *Vtrùm bonitas voluntatis dependeat à ratione.*

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Hilar. Conclusio est affirmās, quam probat in primis autoritate Hilarij 10. de Trinitate in principio libri. Immoderata est, inquit, omnis susceptarum voluntatum pertinacia, vbi non rationi voluntas subijcitur. Sed bonitas voluntatis consistit in hoc, quòd sit moderata: ergo bonitas voluntatis dependet ex hoc, quòd sit subiecta rationi. Deinde demonstrat ex ratione certissima: nam bonitas voluntatis dependet ex obiecto, vt dictum est superiori articulo: obiectum autem voluntatis proponitur ei per rationem; bonum enim intellectum, est obiectum voluntatis proportionatum; quo maximè ab appetitu sensitiuo discernitur, cuius obiectum est bonum particulare, quod apprehendit vis sensitiua: bonum ergo vniuersale quod ratio apprehendit, est obiectum proportionatum humanæ voluntatis, & sic illa voluntas bona erit, quæ fuerit conformis rectæ rationi, proponenti verum bonum.

EXPLICATIO ARTICVLI.

PRo huius articuli dilucidatione aduertat Theologus, quòd vt operatio humana recta sit, & studiosa, necesse est vt rectæ rationi sit conformis; recta namque ratio, & vera rerum agendarum intelligentia, regula est, & norma humanarum operationum, qua honesta & turpia iudicantur vniuersa. Itaque quemadmodum res artificiosæ tunc optimè, & affabrè constitutæ sunt, quando ad amussim, & regulam artis sunt compositæ; sic operationes humanæ tunc iudicantur studiosæ, & rectæ, quando rectæ rationi fuerint consentaneæ. Propter quod Aristot. Aristot. definit virtutem moralem, quòd sit habitus electiuus in mediocritate consistens, prout vir prudens determinauerit. Ex qua definitione intelligitur, definitionem prudentis esse regulam, & normam humanarum operationum: qua de re facit longum discursum Cicero lib. 1. de legib. Cicero. ¶ Illud etiam obseruandum est, rationem siue intellectum, duplicem esse; speculatiuam, & practicam; quæ non distinguuntur secundum essentiam, sed ex fine, vt præclarè docet D. Thom. 1. p. q. 79. artic. 11. Finis rationis speculatiuæ est, intendere veritati cognoscendæ; finis verò practicæ, dirigere operationem: quapropter

Duplex ratio. D.Thom.

Officiũ intellectus practici & speculatiui

propter vbi desinit speculatiua ratio, incipit practica. verbi gratia. officium, siue operatio intellectus speculatiui est hæc, demonstrare naturã, & pulchritudinem virtutum, & quàm sit laudabile, & honestum rationem sequi; hîc desinit speculatio, & incipit praxis, & sic concludit; bonum rationis in omnibus sequendum est. Ideóque verum est quod quidam dixit, intellectus speculatiuus extensione fit practicus. Ad hoc propositum dixit sapiens Prouer. 9. Scientia sanctorum, prudentia; id est, quidquid sancti speculantur, ad suas operationes dirigunt.

Pro. 9.

Verũ iudiciũ practici intellectus.

¶ Sed & illud considerandum est, quòd vt sit verum iudicium intellectus practici, satis est quòd sit regula, & norma ad studiosam operationem, licet speculatiuè falsum sit. Exempli gratia, quando Iacob accessit ad Liam ex ignorantia inuincibili, putans esse suam vxorem, habuit hoc iudicium practicum; accedendum est ad hanc fœminam; quod speculatiuè falsum erat: propositio verò ab eo quod res est, vel non est, vera, vel falsa, dicitur; at re ipsa vxor nõ erat; cæterùm practicè illud iudicium verum erat: erat enim regula dirigens ad rectam operationem, quam vir prudens approbaret. Vnde Aristot. 6. ethic. c. 2. inquit, quòd veritas intellectus practici est, cõformiter se habere ad appetitum rectum. Ex quibus principijs consequens est, veritatem intellectus practici non consistere in rerum cognitione, sed in directione ad rectam operationem. ¶ Sed contra est argumentum. Nam in hoc articulo definitur, appetitum, & vniuersam operationem humanam, studiosam esse, & rectam, ex eo quòd est conformis rectæ rationi: in principijs verò positis definitur, bonitatem & veritatem rationis practicæ esse, conformiter se habere ad appetitum rectum: videtur ergo in prædictis definitionibus esse circulum, & magnam confusionem. Hanc obiectionẽ laborat depellere D. Thom. hic ad secũdum; quæ vt euidentiùs confutetur, dicendum est, omnino esse idem quòd operatio sit conformis rectæ rationi, & quòd sit conformis recto appetitui: Sensus enim primæ sententiæ est, illam operationem esse bonam, & studiosam, quam determinat recta ratio & viri prudentis intelligentia. Sensus verò secundæ sententiæ est, illa operatio est studiosa, quam definit vir bonus esse studiosam: & certè istæ definitiones pro eodem valẽt. Vel dicendum, quòd prior definitio est ex propriis principijs, & quod aiunt dialectici, à priori; posterior definitio est ab effectu, & quod aiunt dialectici, à posteriori. Vltimò sciendum est, quòd Aristot. 2. ethic. c. 4. requirit tres conditiones ad actum virtutis; prima, quòd agens sit sciens; deinde vt eligat propter ipsum; tertia, vt stabili animo, & firmo operetur. Circa primam conditionem nolo disputare, quę scientia requiratur, scientia moralis, an prudentia; sed paucis explicabo sententiam meam. Dico primò, ad actum moraliter bonum, non est necessaria scientia moralis: nam iusti homines operantur iusta & recta, qui non habent scientiam moralem. Secundò dico; quòd non est necessarius habitus prudentiæ: nam peccatores nonnunquam operantur opera moraliter bona, vt docet fides catholica; at verò non habent prudentiam, nec cæteras virtutes semper. Tertiò dico, non esse necessariam actualem prudentiam, qua iudicatur de bono & honesto: patet de homine qui comedit hora consueta, & temperatè; vel de illo, qui reddit debitum vxori suæ sine tali actu; iudicium durissimum esset asserere quòd tales non bene facerent: nam si dicamus non bene agere, secundum D. Thom. sequitur quòd peccent; in individuo enim non datur actus indifferens. Quartò dico, satis esse quòd iudicet virtualiter de bono & honesto, hoc est, quòd prius in vniuersali, vel particulari iudicauerit, & contrarium iudicium non habuerit; vt cùm maritus proposuit cognoscere vxorẽ suã, quia honestũ est; cùm verò eã postea cognoscit, non iudicando an sit honestum, nec nè; dico illum rectè operari. probatur (sicut solet probare Arist. magnus philosophus) quoniam ita viri boni eò fuescunt operari. Vltimò dico, ad actum moraliter bonum, hoc iudicium etiã virtuale nõ esse necessarium: nam cùm quis ex pietate naturali dat eleemosynam, qui nunquam habuit tale iudicium, nec recordatur boni honesti, nec virtutis, bonum opus operatur; satis ergo est, & requiritur vt operatio sit recta, quòd sit conformis rectæ rationi, & in actu exercito, & non in actu signato. Sed Ocham in 3. sentent. q. 13. Almayn. in suis moralib. c. 6. Gabriel. in 2. d. 41. q. vnica, & in 3. d. 23. q. 1. non sunt contenti actuali prudentia, sed præterea dicũt, oportere quòd concurrat effectiuè partialiter, ac etiã obiectiuè: itaque sit talis actus, volo dare eleemosynã, quia sic à recta ratione dictatum est. ¶ Patet hæc sententia; primò, quoniam secundum philosoph. vt actus sit virtutis, necessum est quòd agens operetur sciens, & propter hoc, & quia scit, & sic dictat recta ratio. ¶ Secundò potest esse quòd aliquis iudicet pium esse dare eleemosynam & dare propter aliam causam: ergo oportet vt det, quia sic recta ratio dictat. ¶ Vltimò est argumentum apparens; sit homo qui habeat duo hæc iudicia, honestum est comedere, & delectabile est comedere; si comedat, absolutè talis actus non est magis conformis vni dictamini, quàm alteri. ¶ Ad hoc dicendum est, quòd

Aristot.

Obiectio.

Solutio D. Thom.

Aristot. Cõditiones ad actũ virtutis.

Ad actũm moraliter bonũ quæ scientia requiratur.

Ad actũm moraliter bonũ non est necessarius habitus prudentię.

Aristot.

Ocham. Almayn. Gabr.

Aristot. Prim. arg.

Secundum.

Vltim.

Dubij solutio. sine dubio ad actum moraliter bonum, non est necessarium quòd iudicium sit obiectum volũtatis, ita quòd exerceatur actus sub ista reflexione & titulo, quia dictat ratio. Patet argumento Aristotelæo; nam viri probi non solent sic operari: & certè isto pacto soli philosophi morales sic possunt facere. Deinde ad studiosam operationem satis est quòd præcesserit in virtute iudicium prudentiale, vt superiùs demonstratum est. ergo non requiritur quòd fiat actu, quia sic dictat ratio. Vltimò, vt sit studiosa operatio, satis est quòd sit conformis rectæ rationi in actu exercito, non requiritur in actu signato; sicut ad obedientiam famuli sat est quòd impleat iussa Domini sui, nec est opus quòd in executione dicat, quia sic Dominus meus iubet.

Ad argum. Ochan. ¶ Ad argumenta Ochanistarum respondetur;

Ad primũ. ad primum, veram intelligentiam illius sententiæ Aristot. esse, quòd vt quis rectè, & studiosè operetur, in primis requiritur vt sciens operetur id est, non ex ignorantia, vel à casu. Deinde necessarium est vt ex electione operetur, id est, non ex passione, timore, ira, &c. Præterea, oportet vt eligat propter hoc, scilicet, vt non propter inanem gloriam, aut lucrum, sed propter virtutem, & bonum. Vltimò requiritur, quòd firmo, & stabili proposito operetur, scilicet cõstanter. Hæc explicatio nihil iuuat opinionem Ochanistarum. Vel dicito, quòd istas conditiones exposulat Aristot. ad actum virtutis perfectum, non ad actum moraliter bonum, de quo est nostra controuersia.

Ad secundũ ¶ Ad secundum argumentum respondetur, quòd si quis habuit hoc iudicium, rectissimè operatur: nam datio eleemosynæ, est conformis recto iudicio.

Ad tertiam Victoria. ¶ Ad tertium doctissimus Victoria aiebat esse difficilis iudicij, & tantummodo respondebat, quòd si illud opus sequebatur ex iudicio de honesto bono, erat rectum opus, si verò sequebatur ex iudicio de bono delectabili, non erat rectum opus. Ego verò dico, quòd in tali casu erit rectum opus comedere; tum, quoniam bonum est fortius ad agendum, quàm malum: tum verò, quoniam opus quod de se est conforme rectæ rationi, suapte natura refertur in bonum honestum, licèt operans de honesto non cogitauerit; si nõ apponatur mala circunstantia. quod in superioribus sæpissimè est declaratum.

ARTIC. QVARTVS.

¶ *Vtrùm bonitas voluntatis dependeat ex lege æterna.*

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Oneluſio eſt. Multò magis dependet bonitas voluntatis ex lege æterna, quàm à ratione humana. Nam in omnibus cauſis ordinatis plus dependet effectus à cauſa prima, quàm à ſecunda: agit enim ſecunda in virtute primæ, habetque ratio humana vt ſit regula voluntatis humanæ, & eius menſura per participationẽ legis æternæ, quæ eſt ratio diuina; quod explicat Dauid cùm dicit Pſalm. 4. Quis oſtendet nobis bona? Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine. quaſi diceret, lumen rationis humanæ, quod in nobis eſt, poteſt nobis oſtendere bona, & noſtram voluntatem regulare, in quantum eſt lumen vultus tui Domine, id eſt, à vultu tuo deriuatũ. Ex quo ſequitur, quòd vbi deficit ratio humana, ad rationem æternam oportet recurrere. Pſal. 4.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Conclusio articuli expenditur. Prim. argu. Contra concluſionem huius articuli ſic arguitur. Nam ſunt quædam opera de ſua natura mala; non quia prohibita, vt adulterium, homicidium, &c. & ſunt alia opera de ſua natura bona, & ſtudioſa; vt dilectio Dei, &c. quæ abſque vlla lege bona ſunt. ergo bonitas aut malitia talium operum non pendet ex lege æterna Dei.

Secundum. Rurſus arguitur ex axiomate omnium Theologorũ: mala ſic diuiduntur, vt quædam ſint mala, quia prohibita, vt non ſeruare ieiunia eccleſiaſtica: quædam verò ſunt prohibita, quia mala, vt mendacium, adulterium. ergo talia opera, licèt nulla lex eſſet, mala eſſent. Idem confirmatur. Nam ſunt aliqui actus, qui licèt nulla lex eſſet, imò ſi per impoſsibile Deus non eſſet, mali ſunt ex ſua natura, vt mendacium.

Confir. ¶ Idem confirmatur. Nam mendacium de ſua eſſentia & natura eſt intrinſecè malum. ergo etſi nulla eſſet lex, malũ eſt. Difficultates horum argumentorum variè expli-

Mag. Victoria & Soto. explicant discipuli D. Thom. doctissimus Victoria & Soto. ¶ Prima explicatio, quòd in tali casu mendacium, & adulteria, peccata non essent, siquidem non essent contra legem: & vbi non est lex, peccatum non est; cæterùm essent mala moralia, quoniam essent disconuenientia rectæ rationi. & hanc sententiam videtur affirmare D. Thom. infrà q. 71. arti. 6. ad 4. vbi dicit, quòd si nulla esset lex, adulterium non esset peccatum. ¶ Secunda explicatio est, quòd de facto omnis actus conformis rectę rationi, est conformis legi æternæ, & omnis difformis rectæ rationi, est etiam difformis legi diuinæ: quapropter de facto omnis actus difformis rectæ rationi, peccatum est, & contra legem æternam: cæterũ si ponatur ille casus impossibilis, quòd nulla lex sit, adulterium esset difforme rectæ rationi, at peccatum non esset. ¶ Tertia explicatio est, omnem actum esse bonum, aut malum ex lege diuina: nam actus qui vocantur intrinsecè mali, sunt illi, qui habent hanc naturam vt Deus necessariò per suam legem reprobet illos. ¶ Ego verò dico, quòd si nulla esset lex quæ prohiberet adulterium, aut mẽdacium, dato hoc per impossibile, esset peccatum, & nõ esset peccatum. Itaq; admisso hoc impossibili, sequitur euidẽs cõtradictio, & quòd sequatur, ostensum est euidenter suprà q. 18. artic. 1. & in materia de legib. q. 90. in præambulo. Ex explicatione harum difficultatum sequitur quid dicendum sit, an liceant istæ cogitationes conditionatæ, ego haberem delectationem cum ista fœmina, nisi esset lex diuina quæ interdiceret: certè si verum est illud, quòd si non est lex, peccatum non est, licitæ sunt tales cogitationes, de qua re omnino est legendus Dominus Caietan. in opusculis in 1. de delectatione morosa, fol. 46.

D. Thom.

Propria sententia. Si lex nõ esset, nõ esset peccatũ, & esset peccatum.

Caietan. in opuscu.

ARTIC. QVINTVS.

¶ *Vtrùm voluntas discordans à ratione errante sit mala.*

SVMMA TEXTVS.

Prim. cõcl. PRima Conclusio. Idẽ est dicere an voluntas discordans à ratione errante sit mala, ac si quæratur, an conscientia erronea obliget. Conscientia enim est quoddam dictamen rationis, & quædam veluti applicatio scientię ad actum, quæ dictat aliquid esse faciendum, vel non faciendum: conscientia ergo errans, est dictamen errans. Quæritur ergo; an voluntas discordans à ratione errãte, id est, à conscientia errante, mala sit, sic vt sit peccatum non sequi conscientiam erroneam.

Secũd. cõcl. ¶ Secunda Conclusio. Si ratio, vel conscientia dicat alicui, quòd illa quæ sunt secundum se mala, homo teneatur facere ex præcepto; vel quòd illa quæ sunt secundum se bona, sunt prohibita, erit ratio, vel conscientia errãs: similiter si dicat, quòd id quod secundum se est indifferens, vt leuare festucam de terra, sit prohibitum, vel præceptum. Hæc conclusio liquida est; nam si ratio, vel cõscientia dicat aliquid esse faciendum quod sit bonum ex genere suo, non est ibi error: similiter si dicat aliquid non esse faciendum, quod est malum ex suo genere, atque adeò si dicat id quod est indifferẽs, nec bonum, neque malum esse, rectè iudicat, & nullus error est.

Tert cõcl. ¶ Tertia Conclusio. Omnis cõscientia erronea, de quacunque re habeatur, nos obligat, & obstringit vt sequamur illam; & sic omnis voluntas discordans à ratione errante, mala erit. patet. Nam bonitas voluntatis dependet ex obiecto: sed voluntas non fertur in aliquid nisi vt proponitur à ratione: ergo si proponitur à ratione vt malum, & voluntas amplectitur illud, iam peccat; non quòd amplectatur malum in re, & quod aiunt

mate-

materialiter, sed quòd sequatur malum formaliter, iudicatum tale. Vide literam D. Thom.

ARTIC. SEXTVS.

¶ *Vtrùm voluntas concordans rationi erranti, sit bona.*

SVMMA TEXTVS.

Prim. cõcl. PRima Conclusio. Sicut quæstio præcedentis articuli eadem est cum quæstione, qua quæritur, Vtrùm conscientia erronea liget; ita ista quæstio eadem est cum illa, qua quæritur, vtrùm conscientia erronea excuset.

Secũd. cõcl. ¶ Secũda Conclusio. Si conscientia erronea oritur ex ignorantia culpabili, & vincibili, non excusat: nam ignorantia quæ est aliquo modo volita directè, vel indirectè, non causat inuoluntariũ. Dicitur autem directè ignorantia volita, in quam directè fertur actus voluntatis; indirectè, quando per negligentiam aliquis non vult scire, quod scire tenetur; & tunc error rationis, vel conscientiæ non omnino excusat.

Tert. cõcl. ¶ Tertia Conclusio. Si conscientia erronea procedat ex ignorantia inuincibili, excusat, & tunc nullum est peccatum sequi illam. Exemplum est de Iacob, qui ignorabat inuincibiliter Liam esse alienam, qui sequens illum errorem, nihil peccabat. Ratio huius conclusionis est: nam talis ignorantia causat omnino inuoluntarium, vnde excusat omnino à peccato.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Quid sit cõscientia.

VTisti articuli diligẽtiùs exponãtur, est prima dubitatio; quid sit conscientia. Conscientia est dictamen rationis, applicatũ ad opus. sic definit D. Tho. ar. 5. suprà. Eandẽ definitionẽ prosequitur copiosiùs 1. p. q. 79. artic. 13. Itaque conscientia autore D. Thom. nec est potentia, nec habitus, sed actus qui dictat aliquid esse faciendum, vel fugiendum. Et quòd sit ita, patet ex actibus qui tribuuntur conscientiæ; conscientia dictat, accusat, reprehendit, defendit: de quibus actibus D. Paul. ad Rom. c. 2. & D. Thom. 1. p. loco citato, qui vniuersi actus manifestè pertinent ad intellectum, & dictamen rationis. Durand. in 2. d. 39 q. 4. aliter loquitur de conscientia, & dicit, quòd conscientia est habitus scientiæ, cum inclinatione voluntatis ad faciendum quod ratio dictauerit. Itaque apud Durand. conscientia est aliquid constans ex habitu intellectus, & inclinatione voluntatis. & probat quòd non sit actus.

D. Thom.

Rom. 2. D. Thom.

Durand.

Primũ arg. Solutio.

¶ Nam actus non agit; sed conscientia dictat, testificatur, accusat: ergo non est actus. Respondetur hoc argumentum esse puerile, & inane; nam sæpenumero dicimus, cogitatio hoc mihi dicit, cùm tamen cogitatio sit ipsamet dictio, & actio.

Secundum.

¶ Secundo arguit. Nam si conscientia est iudicium actuale, sequitur neminem posse operari contra conscientiam. quod sequatur, probatur. Nam stante iudicio ex parte intellectus efficaci, voluntas necessariò obedit, & paret, scilicet stante imperio efficaci ex parte intellectus, necessitatur voluntas vt illud sequatur, vt suprà demonstratum est. ergo stante hoc iudicio, nõ est faciendum, nunquam faciet.

Solutio.

Ad hoc argumentum respondetur, non esse eandem rationem de iudicio, & imperio efficaci: nam imperium efficax, efficaciter mouet ipsam voluntatẽ & hanc virtutem mouendi habet ab ipsa volũtate: iudicium verò non habet hanc virtutem à voluntate, quin potiùs iudicium allicit, & mouet voluntatem, vt sequatur quod iudicatũ est.

Vtrũ requiratur actuale iudiciũ, vt quis dicatur agere cõtra conscientiam.

¶ Sed nunquid vt quis dicatur operari contra conscientiam, requiritur quòd iudicium actuale sit? Respondetur minimè, sed sat est, quòd præcesserit, & quod in virtute perseueret. verbi gratia. habuit quis istum errorem, non mihi licet audire Theologiam scholasticam, & non reuocato isto errore audit Theologiam scholasticam, peccatum est illi; non quòd operetur cõtra iudicium actuale, sed quoniam agit contra iudicium quod in virtute perseuerat: cæterùm non sat est vt quis operetur contra conscientiã, quòd operetur contra habitum erroneum. verbi gratia. habet quis habitum erroneum ex multis actibus collectũ, quòd tenetur furari vt subueniat

ueniat pauperi,& vir doctus doceat illum veritatem,si operatur conformiter ad hanc doctrinam,non peccat,credens viro docto, at operatur contra habitum erroneum. quod est euidentissimum argumentum aduersus Duran. quòd

Obiectio. conscientia non sit habitus. ¶ Sed contra est vnicum argumentum. Nam ex hoc sequitur, quòd paganus qui habet idolum pro Deo,quid quid faciat,semper peccat;nam vel refert opera sua in idolum, vel non: si refert, euidens est quòd peccat:si non,operatur contra conscientiam erroneam, nam habet errorem quòd idolum Deus sit,in quem Deum omnia opera referre debet.

Solutio. Ad hoc argumentum dicendum est primò,quòd si paganus pietate naturali tribuit eleemosynam, virtualiter retractat intentionem præcedentem:nam dare ex pietate naturali,& propter idolum,repugnantia sunt. Secunda solutio,quòd illa generalis relatio in idolũ,si multum temporis intercedat,cessat,nec sufficit inficere opera quæ postea subsequuntur; præcipuè,quoniam opera bona de sua natura referũtur in Deum verum. est exemplum appositum ad hoc explicandum:Nam si quis statuat ire in D.Iacobum religionis gratia, & referat omnia opera itineris in D. Iacobum,si consumit multum temporis spacium in alijs negotijs impertinentibus,necessum est renouare illam præcedẽtem intentionem,vt opera vniuersa referantur in D.Iacobum.Est aliud exemplum ex naturalibus adductum:lapis quoniam mouetur violẽter in locum superum,vt moueatur,oportet vt semper assistat impetus proijcientis, quo cessante,continuò descendit in locum suum naturalem:ad eundem modũ opera de sua natura bona,violenter referuntur in idolum, quapropter vt referantur, oportet quòd intentio semper perseueret,qua cessante,referuntur in Deum verum,qui est finis bonorum naturalium,& supernaturalium.Ad istum modum definit D. Tho. conscientiam erroneam.

Quotuplex sit conscientia, & quomodo diuidatur. ¶ Est secunda dubitatio; quotuplex sit conscientia, & quomodo diuidatur.Conscientia quadruplex est, recta,erronea,dubia,& scrupulosa.

Cõscientia recta quid sit. Recta conscientia est,quæ per verum syllogismum,veram sententiam concludit; vt mandatum omne Dei seruãdum est:de dilectione Dei est mandatum;ergo seruandum.

Conscientia erronea. Erronea est,quæ per falsum syllogismum,falsam sentẽtiam concludit; vt si quis ita ratiocinetur:omne illicitum non est faciendum;iurare illicitum est,vt patet Matth.5. Noli te iurare omnino.ergo iurandum non est.Erronea conscientia est,decipitur in intelligentia illius;Nolite iurare omnino.

Matth.5.

Cõscientia dubia. Vel conscientia erronea est,quæ dictat esse verum, quod falsum est, vel è diuersò. Conscientia dubia est, quæ nec assentitur,nec dissentit,sed manet in ambiguo,& in ancipiti.

Cõscientia scrupulosa. Conscientia scrupulosa est, quæ alteri parti adhæret,sed cum formidine, & anxietate,quæ animum torquet. ¶ Sed videtur profectò quòd nulla sit conscientia erronea. Nam si ego existimo me hodie teneri ad audiẽdam rem sacram,quia arbitror esse diem festũ; vel teneor,vel non teneor:si non teneor, non obligat;si teneor,ergo vera est conscientia; nã dicit quòd teneor,& ita est quòd teneor. ¶ Respondetur quòd falsa est & erronea cõsciẽtia; nã dicit quia absolutè teneor audire Missam,at nõ teneor,nisi posito errore conscientiæ, quo deposito,nulla est obligatio. Deinde non teneor audire Missam,sed teneor deponere falsam existimationem, qua deposita,nulla manet obligatio.

Vtrũ cõsciẽtia erronea obliget. ¶ Est tertia dubitatio.Vtrùm conscientia erronea obliget vt sequamur eam.Pro parte negatiua sic arguo. Nam nemo obligatur contra legem Dei:sed conscientia erronea aliquando dictat contra legem Dei, vt quòd sit mentiendũ pro vita hominis seruanda: ergo non obligat.

Arguit pri. Secundum. ¶ Deinde, Deus maioris autoritatis est quàm conscientia nostra:sed Deus non potest obligare ad peccatum,ad mẽdacium,adulterium, &c. ergo nec conscientia.

Tertium. ¶ Tertiò, præceptum de non mentiendo,est omnino indispensabile, sic vt dicant Theologi doctissimi, Deum in hac re non posse dispensare.ergo conscientia erronea non potest obligare ad mentiendum.

Quartum. ¶ Item,qui habet conscientiam erroneam,& falsam existimationem,potest eam deponere. ergo absolutè non tenetur eam sequi.

Vltimum. ¶ Vltimò est argumentum;nam si tenemur sequi conscientiam erroneam, vel tenemur ex lege humana, vel ex diuina:primum dici non potest;nam nulla extat talis lex: si dicatur quòd oritur ex lege diuina,sequitur magnum inconueniens,scilicet quòd lex diuina,& eius autor,qui est Deus,obliget & inclinet aliquando ad mẽdacium. Quòd rectè sequatur,patet:nam lex diuina obligat cõscientiam erroneam sequi; sed conscientia erronea dictat quòd sit mentiendum pro saluanda vita hominis.ergo lex diuina obligat ad mẽtiendum in tali casu.

Cõscientiã erroneã tenemur sequi. ¶ Hæc argumenta videntur optima,sed veritas est,quòd tenemur sequi conscientiam erroneam: dicit enim Paulus ad Roman.14. Scio,& confido in Domino Iesu, quòd nihil est commune per ipsum, nisi ei qui existimat aliquid esse commune.Iudæi appellãt cibos communes,quibus passim vtebantur gentiles,qui vtebantur cibis immundis & vetitis in lege;& ideo commune,significat cibum immũdum,& vetitum.Dicit ergo D.Paulus in prædicta sententia,quòd ille qui existimat cibum aliquem esse immundum,si manducat, peccatum

Rom.14.

est

est illi, licèt falsa sit æstimatio; quoniam operatur contra propriam conscientiam, & credulitatem. & paulò pòst dicit Paulus; Qui discernit, si manducauerit, iam damnatus est, quia non est ex fide: & omne quod non est ex fide, peccatũ est, id est, omne quod fit reclamante conscientia, & credulitate, peccatum est. Hæc est explicatio Origenis, Ambrosij, Chrysostomi, Theophilacti. Ex quo liquet, istam sententiam D. Pauli nihil valere ad illam disputationem de vita infidelium, vtrùm omnis actio infidelium peccatum sit. Quomodo autem D. Augustinus accommodauerit hanc sententiam ad vitam infideliũ, videre licet 4. lib. contra Iulia. c. 3. & 4. Valet tamen hæc sententia ad demonstrandum, quòd conscientia erronea obligat vt sequamur eam: quod etiam affirmant omnes doctores scholastici in 2. d. 39. & ratio D. Thom. in articulo 5. est euidens demonstratio, quę superiùs posita fuit.

Orig. Ambros. Chrysost. Theop.

Aug.

¶ Sed pro maiori explicatione scito, quòd Durand. in 2. d. 39. q. 5. dicit, quòd conscientia erronea non obligat, sed ligat. quòd non obliget, probat argumentis superiùs adductis: quòd liget, patet: nam quemadmodum ligatus non potest alio tendere, sic conscientia falsa ligat voluntatem operantis, quòd sine difformitatis detrimento non possit aliò tendere. Hæc explicatio Durand. mihi profectò non probatur, quoniam est controuersia de solo nomine; nam rectè conuenit inter omnes, quòd est peccatum non sequi conscientiam erroneam, & quòd nõ possumus non eam sequi, disputatio est de nomine, an sit obligatio, an sit ligatio. Deinde argumenta Durandi æqualiter probant quòd nõ ligat, sicuti quòd non obligat. Tertiò, non placet quod dicit Durand. dicit enim, quòd quando est conscientia erronea ex ignorantia inculpabili, obligat, sed non ligat; qualis fuit in Iacob. hoc esse falsissimum patet ex argumentis ipsius. Nam Iacob non tenebatur absolutè accedere ad Liam, sed ex ignorantia inculpabili excusabatur. Alij verò doctores facilè se expediunt ab hac disputatione: dicunt namque, quòd conscientia erronea obligat, non vt faciamus secundum eam, sed vt non agamus contra eam. Hæc explicatio quamuis subtilis videatur, & acuta, falsa mihi videtur; nam si dictat conscientia erronea esse mentiendum pro seruanda vita hominis, & non teneor agere contra eam: ergo teneor agere secundum eam. Explicatur hoc euidenter; nam si dictat conscientia esse mentiendum in tali casu, & teneor non discordare ab ista conscientia, & nõ est aliud medium ex mea conscientia erronea, nisi mentiri; ergo teneor mentiri. ¶ Dicendum est ergo, quòd conscientia recta, & erronea, obligant coram Deo, sed diuersa ratione: nam conscientia vera, est conformis legi diuinæ, quæ vera lex est: conscientia errans, putatur esse lex Dei, sed non est; sicuti lex eius quem credo prælatum, obligat, licèt prælatus meus non sit. Rursus est alia differentia; nam lex diuina obligat absolutè, & simpliciter; conscientia erronea obligat ex suppositione cõditionaliter, suppositò quòd ego existimo esse legem Dei. Ex hoc sequitur, quòd conscientia erronea obligat virtute præcepti diuini, sicut asserit D. Thom. in 2. d. 39. q. 3. arti. 3. ad 1. & ad 3. & in corpore: nam quando conscientia dictat esse mentiendum pro seruanda hominis vita, non dicit hoc quia ita sibi videtur, sed quia existimat esse præceptum diuinum. Est exemplum appositum ad hoc explicandum; nam si præceptum regis non veniret ad populum, nisi mediante aliquo principe, si princeps diceret ali quod esse regis præceptum, licèt re vera non esset, populus obedire teneretur, & contemptores punirentur. Sequitur secundò, esse concedendum, quantum videtur, quòd lex diuina inclinet aliquando in malum, per accidens, per se verò, & formaliter semper ad bonum: nam etiam quando conscientia existimat esse mentiendũ, fertur in bonum formaliter; existimat enim esse bonum, & à Deo præceptum. Vltimò notandũ est, quòd in hoc articulo dicit Caietan. conscientiam erroneam per se non obligare, nec ligare, sed solùm quia acceptatur. Ex quo infertur, quòd quantum quis ex magna ratione & autoritate iudicet erroneè, potest illam conscientiá erroneam pro sua autoritate deponere: vt si prædicator dicat mulieri, quòd est peccatum mortale vti capillis alienis, & adducat rationem quæ conuincat mulierem, quam nescit soluere, ipsa tamen quia nimis cupit, credit sibi licere, & portat capillos, non peccat, quoniam re vera non operatur contra conscientiam à se approbatam; credit enim sibi licere: vtrùm verò peccet quia non adhibet fidem concionatori, alia quæstio est. His constitutis, respondetur ad argumenta superiùs adducta. ¶ Ad primum respondetur, quòd ille qui sequitur erroneam conscientiam, & falsam credulitatem, licèt materialiter faciat aliquid quod sit contra Dei legem, sed formaliter agit secundum Dei legem; existimat namq; esse diuinam legem, & præceptũ. ¶ Ad secundũ respondetur, quòd Deus non potest obligare ad peccandum, quia errare non potest; conscientia verò errare potest, & ideo similitudo non cõsistit. Secundò dicendum est, quòd conscientia erronea, quæ oritur ex ignorantia inculpabili, non obligat ad peccandum; nam qui sequitur talem conscientiam, non peccat. ¶ Ad tertium respondetur, quòd conscientia erronea potest obli-

Impugnatur Durand.

Sententia quorũdam impugnatur.

Resolutio autoris.

D. Thom. Cõscientia erronea obligat virtute præcepti diuini.

Lex diuina inclinat aliquando ad malũ per accidens, sed semper in bonum per se.

Caietan.

Arg. solut. Ad primum

Ad secundũ

Ad tertium

obligare ad mentiendum, licèt Deus non posſit ad mentiendum obligare, propter rationem cō memoratam. ¶ Ad quartum, concedo quòd cō ſcientia erronea abſolutè non obligat, obligat tamen ex ſuppoſitione, ſuppoſito quod manet falſa exiſtimatio, qua creditur eſſe Dei præceptū. ¶ Ad vltimum argumentum dicendum eſt primò, non eſſe inconueniens quòd diuina lex inclinet ad mendacium per accidens. Vel dicendum eſt, quòd lex illa quæ obligat vt ſequamur conſcientiam, non eſt diuina, neque humana, ſed exiſtimatur eſſe diuina, aut humana. Tertiò dicendum eſt, quòd Deus nulla ratione inclinat ad mendacium; conſcientia namque ad mēdaciū per accidens ex errore ſuo inclinat. Itaq; hęc argumentatio inualida eſt; Deus inclinat, & præcipit vt eius mandata ſeruemus; & ego exiſtimo eſſe diuinum præceptum vt mentiar pro ſeruanda hominis vita: ergo Deus inclinat vt mentiar: ſicuti non valet, fides diuina inclinat vt credamus religionis noſtræ myſteria, & agricola exiſtimat eſſe myſterium diuinum quòd Dominus non deſcenderit ad inferos: ergo inclinat fides ad aſſerendum quòd Chriſtus non deſcēderit ad inferos, nihil valet conſequentia. Alij doctores, quos ſuprà commemorauimus, facilè ſe ab hoc argumento liberant: dicunt namque, quòd conſcientia erronea obligat, non vt faciamus ſecundum eam, ſed vt non agamus contra eam. Sed hæc ſolutio ſuprà à me expugnata eſt. ¶ Quartum dubium eſt, quod peccatum ſit agere contra conſcientiam, eſt ne ſpeciale peccatū contra ſpeciale præceptum exiſtens? Ad hoc dicendum eſt primò, non eſſe ſpeciale præceptum; tum, quoniam nullum extat tale præceptum; tum verò, quoniam alioqui qui occideret hominem, peccaret duplex peccatum: vnū, contra præceptum, non occides; alterum, contra præceptum de non faciendo contra conſciētiam. Secundò dico, quòd ſi quis operetur contra conſcientiam, peccat contra illud præceptū quod exiſtimat ſe tranſgredi. verbi gratia. accedit quis ad ſuam vxorem, exiſtimans eſſe alienam, peccat peccatum fornicationis, aut adulterij. ¶ Sed quid dicendum eſt, ſi opus eſt indifferens, vt ſi exiſtimo me teneri ad leuandam feſtucam? Ad hoc reſpondet D. Thomas ar. 5. ſolutione ad tertium, quòd ratio quando proponit aliquid vt malū, ſemper proponit ſub aliqua ratione mali, ſicuti quando proponit aliquid vt bonum, ſemper ſub aliqua ratione boni proponit. Itaque ſi quis exiſtimat ſe teneri ad leuandam feſtucam religionis gratia, ſi non leuet, peccat contra religionem. Item ſi quis exiſtimat ſe teneri ad tollendum lapidem, ne ſequatur homicidium, ſi non tollit, peccat peccatum homicidij: quòd ſi fuerit tam ignarus, quòd exiſtimet eſſe malum, & non ſciat quare malum, dicendum eſt, quòd ſaltem peccat contra Dei obediētiam. Hactenus dictum eſt quid ſit conſcientia, & quomodo diuidatur, & quòd obliget, & quòd non eſt ſpeciale peccatum agere cō tra conſcientiam; ſupereſt modò explicare, quo modo, & ad quid obliget.

¶ Eſt igitur prima quæſtio; Vtrùm teneamur conſcientiam erroneam deponere, aut verò eam ſequi. Explicatio huius quæſtionis hęc eſt. Conſcientia erronea includit duo; conſcientiā, & errorem: ratione ſecundi, tenemur eam deponere, ſi eſt error culpabilis eorum quæ tenemur ſcire, & hoc quidem ex diuino præcepto: dicitur namque Epheſ. cap. 4. Deponentes ſecundum priſtinam conuerſationem veterem hominem, qui corrumpitur ſecundum deſideria erroris: ratione verò primi, tenemur eam ſequi; nam agere aliquid reclamante conſcientia, peccatum eſt, ſicut ſuprà dictum eſt.

¶ Ex hoc ſequitur, quòd qui habet conſcientiam errantem, ex errore culpabili, perplexus eſt; nam ſi operatur aliquid reclamante conſciētia, peccatum eſt; agere verò ſecundum conſcientiam, etiam peccatum eſt; nam error eſt culpabilis, & ideo non excuſat. Itaque qui exiſtimat ex errore culpabili ſe teneri ad fornicationem, ſi fornicatur, peccat; quia error culpabilis non excuſat; ſi non fornicatur, etiam peccat, quia operatur contra conſcientiam: cæterùm non eſt abſolutè perplexus; poteſt enim deponere conſcientiæ errorem. ¶ Sed contrà eſt vnum argumētum moleſtum. Volo quòd quis habeat ignorantiam vincibilem, quòd Deus odiendus eſt. Rurſus, ſtatuo eſſe neceſſarium certum tempus vt actus humanus continuetur: nullus enim actus durat per ſolum inſtans, & in illo tempore continuationis faciat quod in ſe eſt ad ſciendam veritatem: iam illa ignorantia inuincibilis eſt, & non potuit eam vincere, licèt faciat quod in ſe eſt; tunc ſequitur quòd odium Dei malum non ſit. Ad hoc argumentum reſpondetur, eſſe quædam peccata quæ ex ignorantia excuſari non poſſunt, vt odium Dei: deinde dico, quòd ſi talis faceret quod in ſe eſt, ſine dubio à Deo illuminaretur. Vltimò dico, non eſſe neceſſarium certum tempus vt actus humanus continuetur; nam actus humanus poteſt in inſtanti deſinere eſſe: quēadmodum enim illuminatio ceſſat in inſtanti per ſolam abſentiam corporis luminoſi, ſic actus humanus poteſt deſinere eſſe per ſolam ceſſationem ab opere. de quo diſputatur diligentiùs ſupra q. 10. ar. 4.

¶ Eſt ſecunda queſtio; quod ſit minus peccatū, agere ſecundum conſcientiam, an operari contra

Ad quartū.

Ad vltimū.

Quodnam peccatū ſit contra conſcientiam agere.

D. Thom.

Vtrū teneamur ſequi conſcientiā erroneam, aut eā deponere.

Epheſ. 4.

Quomodo homo non ſit omnino perplexus, vt quicquid faciat, peccet.

Obiectio.

Solutio.

Quod ſit minus peccatū, agere ſecundū conſcientiā, an eā deſerere cū adeſt ignorātia culpabilis.

tra eam, quando conscientia erronea oritur ex
Durand. ignorantia culpabili. Ad hoc Durand. in 2. d. 39. q. 5. respondet, quòd aliquando plus, aliquando minus, & rectè dicit. Nam si quis existimat se teneri ad mentiendum pro salute hominis, plus peccat non mentiens; nam mentiri, est tantùm peccatum veniale; est enim mendacium officio sum: si verò non mentitur, peccat peccatum homicidij; existimat enim se teneri hoc peccato nisi mentiatur: ècontrario verò si quis existimat se teneri ad occidendum hominem propter vindicandam iniuriam, plus peccat occidens, quàm non occidens. Hæc de se manifesta sunt.

Vtrũ cõsciẽtia erronea obliget plus quàm præceptum prælati? ¶ Tertia quæstio. Vtrùm conscientia erronea obliget plus quàm præceptum prælati? respondetur affirmatiuè. Nam conscientia erronea obligat virtute præcepti diuini, vt supra dictũ est: sed oportet obedire magis Deo quàm hominibus: ergo plus obligat. Sic affirmat D. Thom. in
D. Thom. 2. d. 39. ar. vltimo ad 3. Quidam autores, vt D.
Bonauent. Alexan. Alens. Bonauent. & Alex. Alens. obloquuntur contra istam sententiam D. Thom. sed nulla ratione apparenti mouentur. ¶ Est quarta dubitatio; Vtrũ
Vtrũ sit peccatũ contra conscientiã dubiã agere. sit peccatum agere contra conscientiam dubiã? Conscientia dubia est, quę nec habet assensum, nec dissensum, sed hæret in dubio; quo supposito, dicendum est ad propositam dubitationem ex certissima Theologia, quòd facere id de quo dubitamus an sit peccatum mortale, est peccatum mortale, & facere id de quo dubitamus an sit peccatum veniale, est veniale. Patet hoc ex
Roma. 14. illo Roma. 14. Omne quòd non est ex fide, peccatum est, id est, quod non est ex conscientia, quæ iudicat esse licitum quod operamur, peccatum est: sed iste qui dubitat, non iudicat ex fide & ex conscientia esse licitum quod operatur: er
Eccles. 3. go peccat. Idem patet ex illo Eccles. 3. c. Qui amat periculum, peribit in illo: sed qui dubitat, an quod operatur peccatum sit, & operatur, exponit se periculo peccandi. ergo peccat. Vltimò probatur ex lege veræ amicitiæ; nam ad veram amicitiam non solùm spectat quòd caueamus peccata, quæ directè sunt contra amicum, sed etiam ea de quibus dubitamus, an offendant
Obiectio. amicum. ¶ Sed certè videtur, & magno argumento, quòd aliquando liceat homini exponere se periculo peccandi mortaliter. Nam opus est præstantissimæ charitatis, exponere spiritualem vitam periculo propter salutem populi; vt disputando cum hæreticis, aut communicando cum mulieribus perditissimis: sed nemo potest exponere vitam spiritualem periculo, nisi exponendo se periculo peccandi mortaliter; nam vita spiritualis non perijt, nisi per peccatum mortale. Quòd verò licitum sit exponere vitam spiritualem periculo, præterquam quod videtur

euidens, asserit illud Soto 5. lib. de iustitia & iure, quæstione 1. articulo 6. Ad hoc ego vellem negare hoc esse licitum, nisi autoritas tanti Magistri obstaret. Vel dicendum est, quòd argu-
Mag. Soto. Solutio. mentum propositum non est contra nostram sententiam; nam nostra sententia dicit, quòd facere aliquid de quo dubito an sit peccatum, peccatum est: in casu verò proposiri argumenti nõ est dubium, sed est certum, & exploratum secũdum diuinam Theologiam, esse opus præstantissimæ charitatis; dubitat tamen ex sua imbecillitate & infirmitate, confidit verò in Deo adiutore. ¶ Sed vt regula proposita exponatur di-
Quid nã sit faciendum in re extra quę parte dubia. ligentiùs, sequitur dubium graue; quid faciendum est quando ex vtraque parte dubium est, ita vt necessarium sit in aliam partem incidere, quid nam sit faciendum, quid consulendum? exempli gratia. Dubitat mulier an iste quem possidet, sit maritus suus; quoniam audiuit sibi esse consanguineum in gradu prohibito; vel quoniam audiuit priorem maritum, quem existimat defunctum, adhuc viuere, quid consulendum est? nam si reddit debitum præsenti marito, exponit se periculo fornicandi; quia fortasis non est vir suus: atque etiam periculo adulterandi; nam fortasis prior maritus viuit: si verò non reddat debitum, exponit se periculo irrogandi grauem iniuriam marito, qui est in legitima possessione, quid ergo faciendum est? Est aliud exemplum. Præcipit prælatus vt detegam crimẽ fratris mei occultum, de quo ego dubito an iure præcipiat. Quid nam faciendum est? nam si non obedit, exponit se periculo inobedientię contra suum prælatum: si verò obedit, exponit se periculo infamandi fratrem suum in re grauissima contra ordinem iuris.

Dubiũ speculatiuũ & practicum. ¶ Pro huius rei explicatione aduertendum est, quòd dubium est duplex; speculatiuum, & practicũ. Speculatiuũ, vt cũ dubito hęc est mea, hic est meus fundus. Practicũ, faciẽdum est hoc, teneor facere. & vnico verbo definio; practicum est quando dubito hîc & nunc, operationem quam facio esse peccatum, vel non esse. Hoc constituto, est prima conclusio.

Agere contra dubium speculatiuũ nõ est peccatum. ¶ Facere contra dubium speculatiuum, non est peccatum. patet hæc conclusio exemplis, quæ nemo, nisi stultus, inficiari potest. In primis, milites possunt habere dubium speculatiuum; vtrùm bellum quod geritur cum Gallis sit iustum: exploratum tamen habent, quòd tenentur obedire præceptis sui principis, interim quòd de iniustitia belli non constat; nam hoc definire, ad eos non spectat. sic docet Diuus Au-
Auguſt. guſtinus 23. quæstione 1. cap. quid culpatur. Est alterum exemplum; possidet quis bona fide fundum, interim dum non scit esse alienum,

licèt

licèt incipiat dubitare, rectissimè possidet; nam in ijs melior est conditio possidentis. sic affirmat D. Augustin. 34. quæst. 2. canone si virgo. Aug. Itaque non valet hæc argumentatio; dubito an hic fundus meus sit; quod est dubium speculatiuum: ergo dubito an teneor reddere, quòd est dubium practicum. Est tertium exemplum; si vir qui celebrauit matrimonium cum Maria sana fide, incipit dubitare, an sit sibi consanguinea in gradu prohibito, est dubium speculatiuum tantùm; quapropter interim dum est in legitima possessione, iustissimè reddit debitum coniugale vxori suæ; nam possessio efficit illum securum. Hoc esse faciendum, definitur in c. Dominus. de secun. nup. & in c. inquisitioni de sententia excommun. Sed est considerandum, quòd in his casibus, & similibus, non agimus cõtra conscientiam, nec contra conscientiam dubiam; nam certa & indubia conscientia definimus, id quod agimus, esse faciendum.

Secũd. cõcl. Licet agere cõtra euidẽtẽ scientiã speculatiuã

¶ Secunda propositio. Non solùm licitum est agere contra dubium speculatiuum, sed etiam contra opinionem, & contra euidentem scientiam: nam iudex contra propriam scientiam & euidentiam tenetur condemnare innocentem, probatum nocentem, secundum allegata & probata, vt optimè ostendit Diuus Thomas 2. 2. D. Thom. quæstione 67. articulo 2. & inferiùs demonstrabitur quemadmodum licitum est agere contra opinionem propriam.

Tert. cõcl. In dubijs tutior pars eligẽda est.

¶ Tertia conclusio. Quando pro vna parte certum est, & pro altera dubium, peccatum est sequi id, quod dubium est: hic enim habet vim regula Magistralis; in dubijs tutior pars eligenda est. verbi gratia. scit Petrus quòd licitè ieiunare potest, dubitat verò an non ieiunando peccet; tenetur ieiunare; nam in hoc nullum est periculum, nullum dubium. Deinde, præcipit prælatus vt dem operam literis, vel vt seruiam infirmis, dubito an iure præcipiat; teneor obedire; nam in præstando obedientiam, nullum est periculum: quòd si non obedio, expono me periculo, & rei dubiæ. Item dubito an contractus quem celebro, vsurarius sit, teneor non celebrare contractum; nam in non celebrando, nullum est periculum, sed est certitudo quòd non pecco. ¶ Sed est aduertendum maximè, quòd hæc regula non semper est vera. exempli gratia. præcipit mihi prælatus rem difficillimam, ego dubito an iure præcipiat, non teneor obedire cum tanto periculo, & discrimine, donec constet quòd iure præcipiat, licèt in præstanda obedientia certum est quòd non pecco. Explicatur hoc euidentiùs. Nam si quis petat à me fundum, quem iure possideo, incipio dubitare an meus sit; non teneor reddere; nam in dubijs melior est conditio possidentis, licèt in reddendo certus sum quòd non pecco: quapropter quando dicit regula Magistralis, quòd in dubijs tutior pars est eligenda, intelligenda est, quando ex eo quòd sequor partem tutam, non sequitur mihi grande detrimentum, alioqui verum non dicit.

Regula illa quod tutior pars est eligenda non semper est vera.

Quar. cõcl. Regulę quibus animus informari debet.

¶ Quarta conclusio. Quando ex vtraque parte dubium est, & non potest deponi dubium, sequenda est tutior pars: quòd si neutra tuta fuerit, sequenda est minùs periculosa. Pro cuius declaratione aduertendum est, quòd quando dubium est in vtramque partem, quod deponi non potest, distinguendum est; aut est æquale dubium, vel est de æquali peccato, vel non: si non est de æquali peccato, regula est certissima, quòd minus malum est sequendum: vt si dubito in vtramque partem, si mentior pro salute hominis, pecco venialiter, si non mentior, pecco mortaliter peccatum homicidij; teneor mentiri; nam ex duobus malis, minus eligendum est. Secundò notandum est, quòd quando dubium æquale est, & in vtraque parte periculum æquale, licitum est dubitanti alteram partem amplecti; nam non est maior ratio quare vnam partem teneatur amplecti, quã aliam. Idem confirmatur. Nam alioqui homo esset perplexus sine culpa sua: quod recta ratio, & diuina Theologia non admittit. Tertiò notandum est, quòd quando est inæquale dubium, sed in vna parte est periculum peccati mortalis, in altera peccati venialis periculum, peccatum mortale est amplecti partem magis periculosam. Idem etiam est aduertendum, quòd vbi in vtraque parte est periculum peccati mortalis, & vnum peccatum valde excedit alterum, peccatum mortale est eligere partem magis periculosam. verbi gratia. præcipit prælatus ne huic conferam panem, & ego dubito quòd est in extrema necessitate; si do, expono me periculo inobedientiæ, contra prælatum; si verò non do, expono me periculo homicidij; teneor itaque dare: quòd si secus facio, pecco mortaliter, nam sequor partem magis periculosam in re graui. Quintò notandum est, quòd si in vtraque parte est periculum peccati mortalis, & vnum peccatum excedit alterum, sed non valde, sequi partem magis periculosam, est tantùm peccatum veniale. verbi gratia. dubito an tenear succurrere patri extremè indigenti, an matri; si eligo partem minus tutam, non est nisi peccatum veniale; quoniam excessus est paruus, & periculum leue, & ideo leue erit peccatum. Vltimò notandum est, quòd quando non est æquale periculum in vtraque parte, verùm pro vna parte sunt rationes vrgentiores

quàm pro altera, in illam partem propendendum est, quæ maioribus argumentis confirmatur; nam ille excessus rationis, facit illam partem præponderare. verbi gratia. mulier quæ dubitat an iste maritus sit suus, dubitat an reddendo debitum peccet, atque etiam dubitat, an non reddendo peccet; sed quoniam sunt vrgentiores rationes quòd teneatur reddere debitum, in hanc partem debet inclinare, licèt sit maius periculum fornicari, quàm semel negare debitum. Ex his patet explicatio quartæ conclusionis. ¶ Rursus patet explicatio primi casus, in initio dubitationis propositi. Dicendum namque est, quòd illa mulier, quæ dubitat an iste sit maritus suus, tenetur reddere debitum: nam si reddat debitum, exponit se periculo fornicandi, aut committendi adulterium; si verò non reddat, exponit se periculo inferendi grauem injuriam viro proprio, & legitimo possessori, & subit periculum mortis, & aperit ianuam omnium discordiarum inter virum & vxorem: tenetur itaque reddere debitum. Quod etiam ostendo alio argumento. Nam licèt sit maius peccatum fornicari quàm non reddere, cæterũ vrgentiores rationes sunt quæ confirmant istam mulierem obligari ad reddendum debitum; igitur tenetur reddere debitum. Sed hæc mulier non potest petere debitum; nam si petat, exponit se periculo fornicandi: si verò non petat, nullum est periculum. ergo tenetur non petere. Istæ definitiones habentur expressè in capitulo Dominus, de secund. nupt. & in capitulo inquisitioni de sententia excommun.

Mulier dubitãs an maritus quem habet, sit verè suus, nihilominus tenetur reddere debitũ illi.

Obiectio. ¶ Sed contra hanc doctrinam sunt argumenta importuna. In primis, ista mulier dubitat an accedat ad non suum; ergo dubitat an fornicetur. Consequentia valida videtur à definitione ad definitum, cum eodem addito: sic enim definitur fornicatio, quòd sit accessus ad non suum, vel ad non suam. Secundò, hæc est valida argumentatio, & rectè sequitur; est accessus ad nõ suum: ergo fornicatio. Antecedens est dubium huic mulieri: ergo & consequens. Hæc omnia confirmãtur. Ista mulier dubitat an fornicetur: ergo dubitat an peccet; ergo si reddat debitum, facit contra conscientiam dubiam.

Solutio. ¶ Ad hæc argumenta breuiter dicendum est. Ad primum negatur consequentia; nam dubium antecedentis est speculatiuum, dubium verò consequentis, est dubium practicum, vt suprà ostensum est. Secundò dico, quòd peccatum fornicationis, quod homini imputatur, tantùm est quando accedit ad non suam, & scitur non esse sua, vel de hac re est ignorantia culpabilis: atin casu nostrę dubitationis, hęc mulier dubitat inuincibiliter, & ignorat esse alienum, & ideo non committit fornicationem. Ad secundum in primis negatur consequentia: itaque hæc consequentia non est recta, est accessus ad non suam; ergo fornicatur: sed oportet addere, est accessus ad non suam scienter, vel ex ignorantia culpabili: ergo est fornicatio. Deinde transeat consequentia argumenti: Cũ verò infertur, sed antecedens est dubium, ergo & consequens; dicendum est, quòd ista mulier est dubia, quantum ad proprietatem, sed non quantum ad possessionem: possessio namque legitima reddit illam tutam in conscientia: deinde est dubia speculatiuè, sed non practicè. Vltimò dicendum est, non valere consequentiam, antecedens est dubium; ergo & consequens: nam sicuti ex falso sequitur verum, ita ex dubio sequitur certum: si ego enim videam à longè hominẽ, & ego dubito an disputet; hæc consequentia euidens est, iste disputat, ergo ens est; antecedens dubium est, & consequens certissimum. ¶ Ex his principijs facilè intelligitur, quid sit faciendum subdito, cui prælatus præcipit aliquid, quod credit esse contra Dei legem. Pro huius rei expositione multa documenta excogitauerunt Theologi, nominatim Adrianus quæstione secunda, doctissimus Soto in relect. de tegend. secret. memb. 3. quęstione 2. Sylvest. tractat hoc diligentiùs, verbo conscientia, verbo inquisitio §. 3. verbo obedientia §. 4. & dicit quatuor; Primum, si constat prælatum iure præcipere, subditus tenetur obedire. Secundum, si constat prælatum contra ius præcipere, non tenetur obedire. Tertium, si dubitat an iure præcipiat, tenetur obedire; nam in dubijs superior debet esse autoritas prælati; tum verò, quoniam subditus non est iudex ad definiendum, vtrùm prælatus iure præcipiat: tum vltimò, quoniam prælatus non semper debet manifestare subditis rationẽ quare hoc præcipiat, vel illud. Quartũ, si opinatur prælatum contra ius præcipere, si hoc credit ex leuibus causis, debet credulitatem deponere, & obedire; & idem est ei faciendum si probabiliter credit. Hæc sententia Sylvest. profectò mihi non placet in duobus dictis vltimis, & vera non est, sed vtendum est regulis superiùs constitutis. Nam in primis animaduertendum est, quod nam sit minus periculum, & in partem minus periculosam inclinandum est. Præcipit mihi prælatus quòd manifestem crimen fratris occultum, considerandum est, vtrùm ex mea manifestatione periclitetur vita, vel fama alterius in æternum; quod si ita est, non est obediendum prælato, nec iudici, quando dubito an iure præcipiat: nam maius damnum est mors alterius, aut infamia perpetua, quàm

Quid faciẽdũ sit subdito, cui aliquid præcipitur, quod putat esse contra Dei legem. Adria. Mag. Soto. Sylvest.

quàm semel non obedire prælato meo. Idem iudicium est si video pauperem fame pereuntem, & prælatus præcipit ne ei conferam panem, dubito an iure præcipiat; teneor non obedire: nam maius damnum est quòd moriatur homo, quàm quòd non obediam prælato semel, aut iterum.

Obiectio. ¶ Sed contra hanc definitionem est argumentum. Nam mulier quæ dubitat an iste sit maritus suus, tenetur reddere debitum, vt suprà demonstratum est; quia vir est in legitima possessione: sed prælatus meus est in legitima possessione: ergo subditus in dubijs tenetur obedire.

Solutio. Ad hoc dicendum est, mulierem illam teneri ad reddendum debitum, quoniam in non reddendo maius est periculum, quàm in reddendo. Secundò dicendum est, quòd quemadmodum prælatus est in legitima possessione, ita subditus in possessione suæ famæ; propter quod non constat prælatum iure præcipere; non enim possum illum in perpetuum infamare: verum est tamen, quòd in his negotijs consideranda est maximè qualitas prælati, aut iudicis: nam si prælatus est vir doctus, & pius, & exposita ratione mei dubij adhuc prælatus vrget imperando, certè teneor obedire.

Vtrũ liceat contra propriã opinionẽ agere. ¶ Est alia quæstio; vtrùm sit licitum agere contra propriam opinionem. verbi gratia. de aliquo actu, vel contractu versantur diuersæ opiniones inter doctores, an sit licitus, an non; an sit vsurarius, an non. confessarius tenet opinionem, esse vsurarium contractum; potest ne absoluere pœnitentem contra propriam opinionem? Similis quęstio est; Confessarius habet pro opinione, ad sacramentum pœnitentiæ esse necessariam contritionẽ, vel attritionem existimatam contritionem; pœnitens solùm habet attritionem, existimatam attritionem, poterit ne absoluere huiusmodi pœnitentem contra propriam opinionem?

A parte negatiua. ¶ A parte negatiua sic arguitur.

Argu. prim. Nam non licet agere contra conscientiam dubiam, vt suprà ostensum est: sed plus est agere contra opinionem propriam, quàm contra conscientiam dubiam: ergo non licet agere contra opinionem.

Secundum. ¶ Secundò, qui opinatur, assentitur, & iudicat, licèt cum formidine, contractum illum esse vsurarium, & illum hominem non esse absoluendum: ergo si operatur contra opinionem, operatur contra iudicium, & contra conscientiam. Idem confirmatur. Nam si quis credit hunc cibum esse prohibitum, & manducat illum, peccatum committit, vt planè asserit Diuus Paulus Romanorum decimoquarto: sed iste qui opinatur hunc contractum esse vsurarium, iudicat esse illicitum, & prohibitum. ergo

Rom 14.

non potest illum approbare.

Differt inter opinantẽ & dubitãtem. ¶ Pro explicatione huius difficultatis notandum est, esse discrimen inter opinionem, & dubium. Nam qui opinatur, assentitur vni parti cum formidine alterius: qui verò dubitat, nec habet assensum, nec dissensum, sed manet animus in dubio.

Opinionũ duplex genus. Secundò sciendum est, quòd opiniones sunt in duplici differentia, quædam sunt probabiles, quæ cõfirmantur magnis argumentis, & sapientium autoritate: vt quòd liceat exigere luctũ cessans: alię sunt opiniones omnino improbabiles, quæ nec firmãtur argumẽtis, nec maiorum autoritate; vt quòd liceat habere plura beneficia.

Contra. Tertiò notandum est, quòd Conradus in libro de contract. quæstione vltima ponit istam conclusionem, quæ est in ordine tertia, quòd alicui confessori licitum est contra propriam opinionem absoluere pœnitentem, qui egit contractum: de quo sunt contrariæ opiniones inter doctores; alteri verò non licet. Primam partem huius conclusionis probat de confessore ordinario, qui tenetur audire pœnitentem, vt si sit eius curatus, tenetur eum absoluere, licèt sit contrariæ opinionis; nam si non absoluerit, exponit se periculo faciendi iniustitiam, & negando sacramenta debita, cùm non constet esse peccatum mortale. Secundam partem probat de confessario extraordinario: nam tunc illæ causæ cessant, quæ mouebant ordinarium: non enim illi debet sacramentum. Item probo. Nam ordinarius confessor, siquidem est minister ecclesiæ, tenetur sequi iudicium ecclesiæ, quæ illum contractum non damnauit: extraordinarius verò debet sequi iudicium proprium. Hæc sententia mihi non placet; vt igitur veritas explicetur, Prima conclusio est.

Prim. cõcl. Qui agit secundũ opinionem, de qua dubitat an sit probabilis, peccat. D. Thom. ¶ Si quis agat secundum opinionem, de qua dubitat an sit probabilis, peccatum committit; nã qui sic operatur, dubitat an illud quod agit, licitum sit, an illicitum: ergo operatur contra cõscientiam dubiam: ergo tenetur non sequi talem opinionem. Hanc conclusionem constituit Diuus Thomas quodlib. octauo, articulo decimoquarto. Ex hac conclusione sequitur euidentissimè, peccare qui sequuntur opiniones, quas agnoscunt, vel cognoscere debent esse omnino improbabiles; vt qui habent plura beneficia; tales enim non se possunt tueri ista excusatione quòd sit aliquorum sententia: nam certè est contra ius diuinum, & contra omnes rectè sentientes.

Secũ. cõcl. Licitũ est se qui indifferẽter alterutrã opinionẽ, quando vtraq; est æquè probabilis. ¶ Secunda conclusio. Quando vtraque opinio, tam propria, quàm oppositа, est æquè probabilis, licitum est indifferenter vtramque sequi. Hanc conclusionem habet doctissimus Soto li-

Mag. Soto.

bro tertio de iustitia, quæstione sexta, articulo quinto ad quartum, & ratio euidens est. Nam non est maior ratio quare teneamur vnam potiùs sequi, quàm alteram; siquidem vtraque est æquè probabilis. Ex hac conclusione sequitur, quòd licet iudici aliquando pronuntiare sententiam secundum vnam opinionem, & aliquando secundum oppositam, quando in opinionibus est æqualis probabilitas. Sequitur rursus, quòd liceat medico curare infirmos, nunc secundum vnam opinionem, nunc secundum alteram. Sed hîc duo sunt cauenda; vnum est, ne iudex propter munera, & propter affectus particulares existimet esse opinionem probabilem, quæ omnino est improbabilis: cauendum est etiam scandalum; nam si populus scandalizatur, videns quòd iudex nunc iudicat secundũ vnam sententiam, nunc secundum oppositam, non est faciendum.

Tert. cõcl. Aliquando tenemur agere contra opinionẽ propriã.

¶ Tertia conclusio. Aliquando tenemur agere contra propriam opinionem; quod patet in casu commemorato de confessore, & pœnitente: sentio namque, quòd confessarius, tam ordinarius, quàm extraordinarius, debet illum absoluere contra propriam opinionem. quod sic ostendo. Nam talis confessor scit, vel scire debet, quòd pœnitens in tali casu non peccat: ergo non potest illi absolutionem denegare. Consequentia euidens est, & probo antecedẽs. Nam confessor scit, vel scire debet, quòd quando sunt duę opiniones probabiles de aliquo cõtractu, licitum est vtrique adhærere: ergo euidens est, quòd non peccat. Quòd verò dicit Conradus, quòd confessarius ordinarius exponit se periculo faciendi iniustitiam, extraordinarius minimè; falsum dicit; nam postquam vult audire confessionem, & omnia peccata audire, tenetur absoluere pœnitentem. Illud verò quod ait, quòd ordinarius debet sequi iudicium ecclesiæ, extraordinarius proprium; falsum est: nam vterque est minister ecclesiæ. & certè iste autor pugnantia dicit, nam tenet quòd pœnitens non peccat; ergo confessor hoc debet existimare: & tamen dicit quòd non debet illum absoluere.

¶ Cæterùm magna est controuersia, quando sunt opiniones de materijs, & formis sacramentorum, vtrùm liceat adhibere materias, & formas secundum opiniones probabiles? sunt enim viri doctissimi qui tenent hoc nunquam licere; quorum argumentum grauissimum est. Nam qui adhibet formas, & materias sacramentorum secundum opiniones probabiles, relinquendo certas, exponit se periculo faciendi graue sacrilegium. Rursus, qui baptizat sub ista forma probabili, In nomine genitoris, &c. exponit baptizatum periculo perpetuæ damnationis: nam fortasis non est baptismus, & relinquit certum baptismum, In nomine Patris, &c. Nihilosecius tamen hæc sententia non videtur mihi vera: nam in omnibus negotijs, etiam magni momenti, & in maximam iniuriam tertij, licitum est sequi opiniones probabiles: ergo etiam in materijs sacramentorum. Deinde in sacramento pœnitentiæ dicit opinio probabilis, quòd attritio, cognita attritio, ex parte materiæ sufficit ad sacramentum pœnitentiæ, quam doctores sine periculo peccandi sequuntur; at certum non est an conficiatur verum sacramentum. Item in eodem sacramento pœnitentiæ opinio probabilis dicit, quòd per Bullam Cruciatæ licitum est eligere confessarium, expositum à quocunque Episcopo ex toto orbe; quã opinionem sequimur sine periculo peccandi: at non est certum quòd conficiatur sacramentum: certum est quòd conficitur sacramentum si eligamus confessorem eiusdem diœcesis, sed de hoc fortasis in materia sacramentorum diligentiùs tractabitur.

Licitum est opiniones probabiles sequi in materijs & formis sacramentorũ ad ministrãdis

¶ Ad argumentum in contrarium dicendum est, euidenter conuincere, quòd quando necessitas, aut vtilitas non premit ministrum vt adhibeat formas, aut materias sacramentorum secũdum opiniones probabiles; si relinquit certas, est peccatum mortale: sed si est necessitas, aut magna vtilitas, vt si materia indubitata non inueniatur, nullum est peccatum.

¶ Ad argumenta in principio dicendum est, quòd qui in his casibus agit contra opinionem propriam, agit contra dubium, vel opinionem speculatiuam; cæterùm non agit contra conscientiam; nam certus est, & certum habet iudicium, quòd quando sunt duæ opiniones probabiles, licet vtrique adhærere indifferenter.

Arg. solut.

¶ Sed ex hoc nascitur magna quæstio; Vtrùm teneamur sequi opinionem probabiliorem, relicta probabili; an satis sit sequi opinionem probabilem? Hanc quæstionem difficilem satis explicat doctissimus Soto libro tertio de iustitia, quæstione sexta, articulo quinto ad quartum, in hunc modum: dicit enim, quòd licèt in speculatiuis, & in gymnasio licitum sit aliquando sequi opinionem probabilem, relicta probabiliori, cæterùm in moralibus, & in rebus quæ pertinent ad ius tertij, non est licitum sequi opinionem probabilem, relicta probabiliori. Sentiunt idem Sylvest. verb. opinio. §. 2. Conradus in libro de contract. quæstione vltima, & quod magis mouet, Dominus Caietanus in sua summa, verbo, opinio. Patet hæc sententia: nam qui sequitur opinionem probabilem, relicta probabiliori, exponit se periculo peccandi, & eligit id quod minùs

Vtrũ teneamur opinionẽ probabiliorẽ sequi, an verò sufficiat probabilẽ sequi. Mag. Soto.

Sylvest. Conra. Caiet. Prim. argu.

minùs certum est,relinquendo quod magis certum est:ergo peccat. ¶ Deinde, in dubijs tutior pars eligenda est, vt suprà demonstratum est:sed opinio probabilior, tutior est. ergo sequenda. Tertiò,superiùs dictum est,quòd quãdo ex vtraque parte periculum est, in eam partem est inclinandum, quæ maioribus rationibus confirmatur:Sed opinio probabilior maioribus rationibus confirmatur:ergo. Item in capitulo.Iuuenis,de sponsalib.definitur apertè,in dubijs,id quod certius existimamus,est sequendum. Vltimò, iudex qui pronuntiaret sententiam contra eum qui probabiliora testimonia adducit,certè peccaret mortaliter, & committeret iniustitiam,vt manifestum est. ergo qui sequitur opinionem probabilem, relicta probabiliori,absque dubio peccat.

¶ Certè argumenta videntur optima, sed mihi videtur,quòd si est opinio probabilis, licitum est eam sequi,licèt opposita probabilior sit: nã opinio probabilis in speculatiuis ea est, quam possumus sequi sine periculo erroris, & deceptionis. ergo opinio probabilis in practicis ea est,quam possumus sequi sine periculo peccandi. Secundò, opinio probabilis, ex eo dicitur probabilis,quòd possumus eam sequi sine reprehensione,& vituperatione:ergo implicat cõtradictionem,quòd sit probabilis,& quòd non possimus eam licitè sequi. Antecedens probatur : nam opinio non dicitur probabilis ex eo, quòd in eius fauorem adducantur rationes apparentes,& quòd habeat assertores,& defensores;nam isto pacto omnes errores essent opiniones probabiles : sed ea opinio probabilis est, quam asserunt viri sapientes, & confirmant optima argumenta,quæ sequi, nihil improbabile est. Ita definit Aristot.1.Topi.c.1.& 1.Ethico. cap.4.Tertiò,opinio probabilis est conformis rectæ rationi,& existimationi virorum prudentum &sapientum:ergo eã sequi nõ est peccatũ, consequẽtia euidens est,&probatur antecedẽs: nam si est contra rationem , opinio probabilis non est,sed error manifestarius. Sed dices , esse quidem rectæ rationi conformem,tamen quia opinio probabilior,est conformior,& securior, obligamur eam sequi . Contra est argumentum.Nam nemo obligatur ad id quod melius, & perfectius est; perfectiùs est esse virginem, quàm esse vxoratum;esse religiosum, quàm esse diuitem:sed nemo ad illa perfectiora obligatur. Quartò, licitum est opinionem probabilem in scholis docere, & proponere , vt etiam aduersarij nobis concedunt : ergo licitum est eam consulere.Idem confirmatur.Nam licitum est interiùs assentiri huic conclusioni: ergo licitum est exteriùs eam proponere.Item,non potest confessarius cogere pœnitentem vt sequatur opinionem probabiliorem : ergo non est obligatio ad sequendam opinionem probabiliorem . antecedens ex prædictis manifestum est.Vltimò, opposita sententia cruciat animos timoratos; nam semper oporteret inquirere, quæ nam sit opinio probabilior; quòd timorati viri nunquam faciunt.

¶ Ad argumenta in contrarium,& ad primum respõdetur,quòd cũ posse sequi opinionẽ probabilem apud viros sapientes certum sit, qui operatur secundum opinionem probabilem, non se exponit periculo peccandi.

¶ Ad secundum respondetur,verum esse quòd in dubijs tutior pars est eligenda, quando vtraque periculosa est; cæterũ licèt opinio probabilior,tutior sit, probabilis est secura, & tuta, & non habet periculum. ¶ Ad tertium argumentum respondetur,quòd illud, quod suprà dictum est, non aduersatur nostræ sententiæ; nam illud est verum,quando ex vtraque parte periculum est, sequi verò opinionem probabilem,non est periculum.& eodem pacto explicatur cap.Iuuenis,suprà commemoratum.

¶ Ad vltimum argumentum dicendũ est,quòd quando altera pars litigantium affert pro se probabiliora testimonia,non dicit opinio probabilis quòd liceat iudici contra eũ sententiam pronunciare;quod autem hactenus docuimus,hoc est, quòd quando sunt duæ opiniones in iure, altera probabilis, altera verò probabilior, licitum est iudici probabilem amplecti : at verò quando de facto adducuntur testimonia probabiliora,secundum ea pronunciandum est.

¶ Est vltimum dubium; Vtrùm sit licitum agere contra scrupulum?In explicatione huius quæstionis priùs exponendum est , quid nam sit scrupulus. Scrupulus non est idem quod dubium; nam qui dubitat, neutri parti assentitur, qui verò habet scrupulum, alteri parti assentitur,sed cum formidine , quæ animum eius excruciat. Rursus,scrupulus non est idem quod opinio;nam qui habet opinionem quòd in aliquo opere malè agat , non dicitur habere scrupulum. Scrupulus itaque est formido , & suspicio,quæ animum cruciat,an aliqua res licita sit,an illicita.verbi gratia.ego credo quòd mihi liceat vesci carnibus in quadragesima propter ægritudinem,& ita dicit medicus;sed quoniam non est de se euidens,quædam formido excruciat animum,an liceat;& hæc formido vocatur scrupulus;non secundum proprietatem,sed secundum metaphoram , ductam ex lapillulo, qui intra calceum manens,excruciat pedes : ad eundem modum hæc formido in animo manens,excruciat,& torquet:& in hac significatio

Secundum.

Vltim.

Possumus opinionem probabilẽ sequi relictã probabiliori.

Aristot.

Soluit. arg. Ad primum

Ad secundũ

Ad tertium

Ad vltimũ

Vtrũ liceat contra scrupulũ agere.

Quid nam scrupulus sit.

ne, hæc vox, scrupulus, latinissima est, qua Cicero sæpissimè vtitur in suis operibus. Præterea notandum est, quòd scrupulus non est quæcũque formido; significat namque scrupulus formidinem ex leuibus causis exortam, & nulla ratione habitam: scrupulosi enim appellantur homines, qui trepidant, vbi timor non est. Vltimò notandũ est, quòd hæc formido ex triplici capite oriri solet; primò, ex causis iustis, & maximè vrgentibus, quæ faciunt alteram opinionem omnino improbabilem, vt dum quis habens plura beneficia, scrupulo pungitur, vtrùm sit licitum. Secundò oriri potest ex causis leuissimis, & frequentissimè ex conditione naturali, & melancholia, ex infirmitatibus; & iste scrupulus potiùs est timiditas, siue pusillanimitas conscientiæ. Tertiò oriri solet ex causis iustis, sed non adeò vrgentibus vt oppositam opinionem improbabilem efficiant; & hæc formido propriè appellatur scrupulus. His positis, sit prima propositio. ¶ Si loquamur de scrupulo primi generis, non est agendum contra scrupulum. patet hoc in exẽplo dicto, de his qui habẽt plura beneficia, & in multis contractibus cambiorũ, in quibus pro scrupulo sunt adeò euidentes rationes, vt oppositam sententiam efficiant improbabilem. Idem patet ratione. Nam in dubijs quando vna pars est certa, & altera periculosa, tenemur sequi id quod certum est, vt suprà demonstratum est. ergo etiam in scrupulis. Præterea, in his scrupulis, de quibus loquitur prima conclusio, opposita opinio est omnino improbabilis: ergo non sequenda; ergo agendum est secundum scrupulum. Vltimò, hic scrupulus, plus est quàm scrupulus, imò plusquàm dubiũ: nam per tales homines stat, quò minùs certiores reddantur de eorum malitia.

Ex triplici capite oriri potest scrupulus.

Prim. prop.

Secũ. prop. ¶ Secunda propositio. Si loquamur de scrupulo secundi, & tertij generis, licitum est agere contra illum; imò consulendum est hominibus meticulosis vt agant contra illum; nam in scrupulo nullum est fundamentum, & ex alia parte inquietatur conscientia: ergo consulendum est vt agant contra scrupulum. Deinde, scrupulus est formido temeraria, & sine ratione suscepta. ergo non est agendum secundum scrupulum.

Nota. ¶ Sed in hac parte duo sunt consideranda: vnũ est, quòd cùm homo meticulosus consulueritvirum sapientem, & prudentem, absque alia dubitatione sequatur eius sententiam, & habeat illam pro euidenti ratione. Alterum est, quòd in hominibus meticulosis (quod optimè aduertit Caietanus in summa, verbo, scrupulorum medicina) illorum credulitas habenda est pro certitudine. verbi gratia. meticulosus homo pungitur scrupulo, an rectè confessus fuerit aliquod peccatum, vel de aliquo peccato; ex alia parte credit se rectè confessum fuisse, quia solet diligentem adhibere diligentiam; huius credulitas habenda est pro certitudine. Sed de remedijs scrupulorum loquitur optimè Sylvest. verbo scrupulus, quem lege: nos ad difficiliora transeamus.

Caiet.

Sylvest.

ARTIC. SEPTIMVS.

¶ *Vtrùm bonitas voluntatis dependeat ex intentione finis.*

SVMMA TEXTVS.

Prim. cõcl. PRima Conclusio. Bonitas voluntatis depẽdet ex intentione finis, quando intentio finis præcedit electionẽ, & est causa illius: nam bonitas voluntatis dependet ex bonitate obiecti, & voliti; sed si præcedat intentio finis, cùm aliquis vult ieiunare propter Deum, ex hoc, ieiunium habet rationem boni, quia fit propter Deum, & sic bonitas voluntatis, dependet ex bonitate voliti, quæ est ex intentione finis.

Secũ. cõcl. ¶ Secunda Conclusio. Quando intentio sequitur electionem, vel voluntatem, vt quando accedit aliquid voluntati præexistenti, putà, cùm vellet aliquid facere, & postea referat illud in Deum, bonitas primæ voluntatis, non dependet ex sequenti intentione, nisi quatenus actus voluntatis reiteratur cum sequenti intentione.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Vtrũ bona intẽtio minuat malitiã prauæ electionis.

IN hoc articulo est graue dubium, vtrùm bona intentio diminuat malitiam prauę electionis; vt cum volo furari propter dandam eleemosynam.

Secũda dubitatio. An intẽtio boni finis ex qua imperatur malum medium, mala sit.

nam. Hæc quæstio definiri non potest, priusquàm determinetur alia; an intentio boni finis, ex qua imperatur malum medium, mala sit; vt cùm quis vult dare eleemosynam, & eligit tanquam medium committere furtum, ad dandam eleemosynam.

Prim. argu.

¶ A parte affirmatiua quęstiõis sic argumẽtor. Nam hæc intentio mouet ad peccandum, & exponit periculo peccandi; imò quod plus est, est causa peccati: ergo mala.

Secundum.

¶ Deinde augetur dubium, & volo quòd Petrus velit efficaciter dare eleemosynam, & quòd iudicet non esse aliud medium, nisi furari, tunc hæc intentio necessitat ad peccandum. ergo mala est. Quòd necessitet ad peccandum, demonstro euidenti argumento. Nam quando voluntas efficaciter vult aliquem finem, necessitatur ad medium, quod iudicat esse necessarium: quod pluribus argumentis suprà fuit ostensum.

Tertium.

¶ Tertiò, talis tenetur deponere hanc intentionem: ergo est contra præceptum. consequentia euidens est, & probatur antecedens. Nã talis tenetur deponere electionẽ furti; sed in casu proposito non potest eam deponere, nisi deponat efficacem volitionem finis, & intentionem: ergo tenetur eam deponere.

Quartum.

¶ Præterea, talis fruitur illo fine: ergo peccat mortaliter. consequentia patet, & antecedẽs probo. Nam frui aliquo fine, & creatura, est amore illius diuina præcepta transgredi: sed talis propter dandam eleemosynam committit furtum: ergo fruitur illo fine.

Quintum.

¶ Item, amor mundanus ea de causa malus est, quoniam propter illum diuina præcepta transgredimur: sed propter amorem eleemosynæ, talis diuina præcepta transgreditur: ergo est amor mundanus.

Vltim. D. Thom.

¶ Vltimò, eodem actu ferimur in media, & in finem, vt autor est Diuus Thomas, suprà quæstione 8. articulo 3. ergo eodem actu vult quis furari propter dandam eleemosynam: sed ille actus est malus, & est volitio finis: ergo volitio finis mala est.

Arg. in cõtrarium.

¶ In contrarium pugnant maiora argumenta. Nam ista volitio est de bono obiecto, & non habet malam circunstantiam, siquidem medium non est circunstantia respectu finis, sed è diuerso: ergo bona est. Deinde potest accidere quòd sit in præcepto; vt si proximus sit in necessitate constitutus: ergo mala non est. Vltimò, falsitas conclusionis non corrumpit veritatem principij, ex quo infertur, vt apertè constat: ergo malitia electionis non efficit intentionem finis malam. Consequentia probatur ex illo axiomate celebrato; sicut se habet primum principium in scientijs, sic se habet finis in practicis. Reuera hæc quæstio dubia est.

Intentio boni finis dupliciter potest esse causa malæ electionis.

¶ Pro cuius explicatione sciendum est, quòd intentio boni finis dupliciter potest esse causa malæ electionis. Primò, vt sit causa malæ electionis, necessitans ad malam electionem; vt cùm quis vult efficaciter subuenire pauperi, & non habet proprias facultates vnde hoc faciat, nec habet aliquod remedium, nisi furtum committere; hæc intentio efficax necessitat ad eligendum medium, quod existimatur necessarium. Secundo modo accidere potest, quòd ex intentione boni finis, non necessariò, nec efficaciter sequatur mala electio; vt cùm quis vult subuenire pauperi, & habet proprias facultates vt hæc faciat, sed ex sua malitia facit, & subuenit ex alienis. His positis, sit prima conclusio.

Intentio boni finis mala non est, quãdo non necessitat ad malum mediũ eligendum.

¶ Quando ex intentione finis non necessariò sequitur mala electio, illa intentio mala non est. hoc probant argumenta dudum adducta; hoc affirmat Diuus Thomas, infrà quæstione 20. articulo 2. & 2. sentent. distinctione 38. articulo 5. & in distinctione 40. articulo 2. dicit in prædictis locis Diuus Thomas, quòd potest esse intẽtio bona, & electio mala. Et ad illud argumentum, quia mouet ad peccandum, distinguendũ est; per se negandum est, per accidens ex malitia operantis concedendum est, & dicendum est, quòd potiùs est occasio peccandi, quàm causa; sicuti si ego seruo ieiunium, & inde sumo occasionem superbiæ, non ideo ieiunium malum est. Et ad illud argumentum, quòd eodem actu volo furtum ad dandam eleemosynam; & ille actus malus est, dicendum est, quòd talis actus habet duplicem rationem formalem; tum intẽtionis, tum electionis; quatenus electio, malus actus est; quatenus intentio, bonus actus est; sim pliciter tamen & absolutè malus actus est, vt hic asserit Diuus Thomas solutione ad tertium: nam verissima est illa sententia D. Dionysij; Malum ex quocunque defectu, bonum verò ex integra causa. ¶ Secunda propositio. Quando ex intentione boni finis necessariò sequitur mala electio, illa intentio mala est. hoc probant efficaciter argumenta in principio adducta.

D. Thom.

D. Dionys.

Intentio boni finis, ex qua necessariò sequitur mala electio, mala est.

¶ Ad argumenta in oppositum; & ad primũ dicendum est, quòd illa intentio est mala ex circunstantia temporis; nam cùm non habeo vnde subueniam pauperi, nisi ex alieno, non est tẽpus subueniendi pauperi. Item dico, quòd illa intentio est mala, quia inducit ad peccandum: rursus est mala, quia inordinatus est amor, ratione cuius transgredior diuina mandata.

Ad primum in oppositũ.

Ad secundũ.

¶ Ad secundum argumẽtum respõdetur, quòd cùm non habeam vnde subueniam pauperi, nisi ex alieno, non est præceptum de subueniendo pauperi, nisi fortasis in extrema necessitate,

vbi omnia sunt communia. ¶ Ad tertium argumentum negatur consequentia. Ratio discriminis est; nam principium verum per bonã argumentationem, non infert conclusionem falsam: virtus namque argumentationis non cõsistit in mea voluntate, sed in naturis rerum; propter quod licèt ego vellem per malam consequentiam ex principio vero concludere falsum, falsitas non est referenda in principium, sed in malam consequentiam: sed intentio efficax finis per se, & necessariò infert malam electionẽ in casu superiùs posito ex intentione operantis, & ad hoc impertinens est bona, aut mala cõsequentia. Vel dicendum est, quòd ista intentio non est mala, quia infert malam electionem, sed quia in se mala est, & inordinatus amor creatur æ. ¶ Ex his, si bene intelligitur, patet via ad explicandam illam dubitationem propositam; vtrùm ex bono fine diminuatur aliquid de malitia prauæ electionis; est ne minus peccatum furari propter amorem vxoris, an propter libidinem furari? Almayn. in suis moralib. capitulo 12. & 13. constituit de hac re longam disputationem, & dicit esse communem sentẽtiam, quòd nihil minuitur de malitia prauæ electionis. & probat in primis autoritate Diui Augustini cuius sententia refertur, 14. quæstione 5. c. Fortè. dicit Augustinus, si quis dicat apud se, volo furari à diuitibus, vt dem pauperibus; ista cogitatio ex diaboli calliditate suggeritur; nam totũ quod ablatum est, & datum pauperibus, non minuit, sed duplicat peccatum: ergo furari ad dandam eleemosynam, non minuit peccatum.

Ad tertium

Vtrùm bonitas finis diminuat aliquid malæ electionis.

Almayn.

Argu. prim. Aug.

¶ Secundò, si ex bono fine diminuitur de malitia electionis, consequens est posse dari mendacium, quod omni culpa careat: quod asserere, absurdum est, & aduersatur diuinæ Theologiæ. quòd verò rectè sequatur, patet; nam sit malitia mendacij vt quatuor, si referatur in bonum finem, aufert duos gradus, & si referatur in alium finem meliorem, aufert alios duos.

Secundum.

¶ Tertiò, prohibitum est diuina lege ordinare malum medium in bonum finem: ergo inde non minuitur peccatum, sed potiùs augetur. Probatur antecedens: nam est prohibitum diuina lege furari ad dandam eleemosynam.

Tertium.

¶ Vltimò est argumentum quod maximè exaggeratur; qui furatur propter dandam eleemosynam, peccat duplex peccatum; qui verò furatur propter libidinem, & ex libidine peccandi, peccat tantùm vnum peccatum: ergo ille grauiùs peccat. consequentia euidẽs est, vt videtur, & patet antecedens. Nam suprà dictũ est, quòd quãdo intentio boni finis necessitat, & impellit ad malam electionem, illa intentio mala est, & peccatum mortale. Eodem argumento vti possumus ad ostendendum, quòd qui omittit horas canonicas propter amorem studij immoderatum, grauiùs peccat, quàm qui omittit, quia vult. Hæc argumenta adeò magna videntur quibusdam Theologis, vt sentiant cum Almayno esse grauius peccatum furari propter alendam familiam, quàm furari ex libidine furandi: quibus ego non consentio; nam opposita sententia sine dubio vera est, quàm habet Diuus Augustinus, libro contra mendacium capit. 8. Peior, inquit, est qui concupiscendo, quàm miserando furatur. Idem habet in Enchiridio cap. 18. & Magister in 2. distinctione 40. & allegat ibidem sententiam Diui Augustini. Idem docet Gratianus 22. quæstione 2. per multos canones, præcipuè in canone qui incipit, primum; vbi congerit octo gradus mendacij, & conferens vnum alteri, dicit mendacium tantò leuius esse, quantò meliorem habet finem: & ratio euidens est; quia peiùs est mentiri ex libidine mentiendi, quàm recreationis causa; & peiùs recreationis causa, quàm pro salute hominis: ergo ex fine bono diminuitur praua electio. consequentia nota est, & antecedens patet ex consensu hominum omnium. Deinde, si quis occidat hominem propter defensionem amici, leuiùs peccat, quàm si occideret absque aliqua honesta causa: ergo consimili ratione leuiùs peccat qui furatur ad alendam familiam, quàm qui furatur ex libidine peccandi, & furandi. Vltimò, quodcunque peccatum excusatur ex circunstantijs, vt planè constat: ergo potissimè ex circunstantia finis: sed hoc non fit quando finis est malus: ergo quando finis est bonus.

Peius est furari propter concupiscẽtiã, quã propter miseri cordiam. Aug.

Mag. sentẽ.

Gratianus.

¶ Ad argumenta, & ad primum respondetur, quòd Diuus Augustinus nunquam dicit, quòd nunquam minuitur furtum ex intentione dandæ eleemosynæ, sed tantùm docet, quòd si quis ea quæ furatur, tribuat pauperibus, auget peccatum; quoniam reddit se impotentem ad restituendum; veluti si quis statuit apud se non dicere horas canonicas, & proijcit Breuiarium in mare, nouum peccat peccatum, quia reddit se impotentem ad dicendum officium horarium. ¶ Ad secundum argumentum dicendum est, quòd cùm bonitas finis finita sit, & nõ progrediatur in infinitum, & ex alia parte mendacium suapte natura sit malum, quantumcunque crescat bonitas finis, nunquam ex toto absoluet mendacij malitiam; sicut in aqua calida, quoniam aqua ex sua natura frigida est, quantumcunque augescat calor, si tamen aqua permanet, semper habet frigiditatem. Vel dicatur (& fortasis meliùs) quòd est grauiùs sine illa circunstantia, quàm cum illa; quia mutatur finis; & sic cessat calculatio; peius est mentiri pro libidine

Ad argum. Ad primum

Ad secundũ

dine mentiendi, quàm mentiri pro salute homi nis; quoniam habet peiorem finem: & peius est peierare ex libidine peierandi, quàm peierare pro vita propria, quoniam habet peiorem fi-né. Quòd si dicat Theologus; in quot gradibus grauius est? dico, quòd in duobus. & cum argumentor. ergo si referatur in duplo meliorem finem, aut triplo auferetur malitia: negatur consequentia; nam tantùm sequitur quòd erit minus graue, nunquam tamen sequitur, quòd non erit malum; nam semper habet malum finem.

Ad tertium ¶ Ad tertium argumentum respondetur, quòd illa prohibitio referendi furtum in eleemosynam, non est alia à prohibitione furti, & ideo non habet aliam malitiam, à malitia furti, quæ quodammodo ex bonitate finis extenuatur.

Ad vltimũ. ¶ Ad vltimum argumentum quidam dicunt, quòd quando intentio boni finis necessitat ad prauam electionem, argumentum conuincit, quòd augeat peccatum: quando verò non necessitat ad prauam electionem, negandum est antecedens. Sed hæc solutio mihi nõ probatur; nam vniuersi homines iudicant grauius peccare qui furatur ex libidine furti, quàm qui furatur ad alendam familiam, vel vt tribuat pauperi. Dicendum est igitur, quòd illa intentio non minuit peccatum, quia bona est, sed quia mutat finem: & reuera peius est sagittare vt occidas, quã sagittare propter vanam gloriam. Secundò respondetur, quòd duo peccata, faciunt plura peccata, sed non semper maius peccatum: qui enim occidit hominem in ebrietate constitutus, minùs peccat, quàm qui occidit mentis compos. at qui occidit hominem in ebrietate, duo peccata habet, peccatum homicidij, & peccatũ ebrietatis. Solutio est D. Thom. infrà. q. 76. arti. 4. ad 2. argumentum.

D. Thom.

ARTIC. OCTAVVS.

¶ Vtrùm quantitas bonitatis vel malitiæ in voluntate, sequatur quantitatem boni vel mali in intentione.

SVMMA TEXTVS.

SEnsus quæstionis est; Vtrùm tantum quisbo ni vel mali faciat, quantum intendit facere. Probationes, & conclusiones Diui Thomæ difficiles sunt, & subobscuræ.

Prim. cõcl. ¶ Prima Conclusio. Si consideretur intentio per se, & electio per se ex parte obiecti, electio vel voluntas non est tã bona, quã ipsa intentio: nam volũtas potest velle aliquod obiectum non proportionatum fini intento; vt si quis daret decem libras, non posset conse qui suam intentionem, si intende ret temere rem valentem centum: idque etiam contingit propter impedimentũ, vt si intenderet ire Romam, & subuenire amico, & illud proponeret; possunt tamen multa oriri impedimẽta circa exteriores actus, quæ non est in potestate nostra remouere. Sed in actu interiori tantùm potest esse defectus ex parte obiecti, videlicet quã do obiectum non est proportionatum; vt intendo subuenire patri, & confero obolum: cæterùm ex parte impedimenti non potest esse defectus, quoniã actus interiores voluntatis in nostra potestate sunt positi.

Secũd, cõcl. ¶ Secunda Conclusio. Si intẽtio consideretur vt ratio, & forma electionis, bonitas intentionis redundat in electionem, vt si intendo facere aliquod magnum opus, putà, defendere Christianam Rem pub. & do tantummodo duos argenteos, illa volitio habet magnã bonitatem, ex magno obiecto. Probatur sic; quoniam intẽtio est causa, & ratio actus voluntatis, & sic pertinet ad ipsum actum voluntatis, vt suprà declaratum est: certè ratio volendi, deriuat suam bonitatem in id quod est propter talem rationem.

Tert. cõcl. ¶ Tertia Conclusio. Si loquamur de perfectione ex parte operantis, sic intensio intentionis deriuatur ad electionem, & ad actum exteriorem: itaque qui intensè amat sanitatẽ, intẽsè amat medicari, & curari. Ratio est, quoniã intẽtio est ratio, & forma electionis.

Quar. cõcl. ¶ Quarta Conclusio. Accipiẽdo conatum, & intensionem ex parte obiecti, & non ex parte operantis, multoties intendimus habere magnam intensionem, & conatum circa finem, & non habemus; vnde aliquando intendimus intensissimè mereri, & meremur exiliter, & tenuiter: nam quantitatem boni intenti, non sequitur bonitas actus exterioris, vel interioris, vt iam dictum est.

Quin. cõcl. ¶ Quinta Conclusio. Nõ tantum boni quis facit, quantum intendit facere. Hæc conclusio sequitur ex dictis.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Pri. distinctio D. Th. PRo explicatione constituit Diuus Thomas duplicem distinctionem: Prior est de bonitate tam electionis, quàm intentionis. Dupliciter loqui possumus, & ex parte obiecti, scilicet quia aliquis vult magnum bonum; & ex modo operandi, scilicet quia aliquis intensè vult. Secunda distinctio est, de intentione, & electione dupliciter loqui possumus: primò, secundum se, & seorsum; alio modo vt vna refertur ad aliam, electio ad intentionem, & intentio est ratio volendi electionem. His constitutis, est prima conclusio. ¶ Si loquamur de bonitate ex parte obiecti, non est necesse quòd tanta sit bonitas ex parte electionis, quàm ex parte intentionis. quę sententia habet verum in electione interiori, & exteriori, sed diuersimodè; nam in exteriori propter duas causas, in interiori propter vnam tantùm. Patet hoc, & explicatur. Nam in electione exteriori vna causa est, quia non eligitur medium proportionatum tali fini. verbi gratia. intendit quis emere rem valentem centum, dat tamen quinquaginta, non potest consequi suã intentionem: alia causa est propter impedimenta quæ superuenire possunt circa actum exteriorem; vt cum quis intendit ire Romam, & propter impedimenta quæ occurrunt, impeditur ne hoc faciat. In actu interiori solùm inuenitur prima causa, quando eligitur medium nõ proportionatum tali fini. Secunda verò causa in actibus internis locum non habet; nam actus interni sunt in nostra potestate, & impediri non valent.

Secunda. Regulæ ad cognoscẽdũ quando ex intẽtione meliori finis, crescat electionis bonitas.

Prim. cõcl.

¶ Secunda propositio. Quando intentio est ratio, & causa electionis, tota bonitas intentionis redundat in electionẽ, vt cum quis intendit liberare populum Christianum à Turcarum tyrannide, & ad hoc eligit dare duos argenteos, tota bonitas intentionis communicatur electioni; & quò melior est intentio, electio melior est. Secũd. cõcl.

¶ Tertia conclusio. Si loquamur de bonitate actus ex modo operandi, scilicet ex intensione, aut remissione, & intentio sit causa electionis, tota bonitas intentionis communicatur electioni. Itaque quantitas electionis, sequitur quantitatem in intentione; vt cùm quis intensè vult sanari; si hoc vult efficaciter, intensè vult medicari. Tert. cõcl.

¶ Quarta conclusio. Quando intentio, & electio sumuntur materialiter secundum se, ita vt vna non sit ratio alterius, bonitas intentionis non communicatur electioni: stat bene quòd quis velit intensè sanari, & remissè medicari; quia intentio illa non est causa electionis. Quar. cõcl.

¶ Vltima conclusio, pro qua statuit Diuus Thomas fundamentum, stat quòd intensio non sit modus actus; sed obiectum voluntatis, vt cùm quis vult intensè operari, aut mereri, tunc intensio est obiectum voluntatis; siquidẽ est volita, & intenta, & tunc est quinta conclusio. Quando intensio se tenet ex parte obiecti, tunc quantitas electionis, non sequitur quantitatem intentionis: nam stat optimè quòd quis velit intensè operari, & quòd non intensè operetur; ex quo sequitur, quòd non quãtum quis intendit mereri, tantum meretur: nam meritum non consistit in hoc, quòd quis velit intensè operari, sed quod intensè operetur. Hæc habet Diuus Thomas in hoc articulo. Vlti. cõcl.

¶ In isto articulo est primum dubium: nam videtur quòd prima & secunda assertio sibi aduersentur: Prima enim dicit, non esse necesse quòd tota bonitas quæ se tenet ex parte obiecti, communicetur electioni: secunda conclusio asserit contrarium; ergo ambæ conclusiones non cohærent rectè. Hæc obiectio habet duas solutiones; Prior est, quòd prima conclusio est intelligenda de intentione, & ele- Dubiũ primum, circa priores duas cõclusiones

electione,quando sumuntur materialiter,& secundum se,& vna non est causa alterius. Secunda verò conclusio intelligitur de electione,& intentione,quando intentio est causa electionis & impellit ad illam. Sed hæc solutio quamuis perspicua est,non mihi probatur:nam D.Tho. in 1.& 2.conclusione(vt patet intuenti) manifestè loquitur de intentione,prout est causa electionis:& ideo est secunda expositio,& pro eius declaratione sciendum est,quòd aliud est loqui de bonitate intentionis,& aliud est loqui de bonitate,& perfectione boni intenti:vt cum intendit quis consequi tantam gloriam,quantam habet D.Dominicus;obiectum huius intentionis est magnæ perfectionis; at intentio non habet tantam laudem,& bonitatem,sicuti obiectum: ratio est;nam obiectum non tribuit totam suã bonitatem actui, sed secundum quòd actus est capax bonitatis,prout egreditur ab agente perfectè,aut imperfectè.Certè quando quis diligit Deum,illud obiectum,Deus,non tribuit totam suam bonitatem actui humano, alioqui dilectio Dei quælibet esset tam perfecta,sicuti dilectio beatæ Virginis,imò sicuti dilectio Dei.

Hoc statuto,dicendum est,quòd prima conclusio intelligenda est de bonitate, & perfectione boni intenti: itaque non tam bona est electio semper, sicut bonum intentum; vt cum quis vno ieiunio vult satisfacere pro vniuersis peccatis suis,& in hoc sensu verum est quòd non tãtum quis meretur,quantum intendit mereri,& non tantum quis facit,quantum intendit facere.Secunda conclusio loquitur de bonitate intentionis,& de hac certissimum est, quòd communicat electioni.Sed est adnotandum, quòd quando quis intendit ingens bonum, & eligit medium improportionatum, illa electio videtur esse indiscreta,& minimè sobria,&ideo quodammodo perditur meritum: cæterùm si quis intendit magnum finem, putà, martyrium,& ponit media possibilia, & impeditur aliunde ne illum consequatur,non perdit magnum meritum:nam hîc habet verum illud; voluntas pro facto reputatur; & in sequentibus dicendum est,Domino concedente, quòd actus exterior in tali casu nullam addit bonitatem super actũ interiorem. ¶ In solutione ad tertium habet D.Thom.vnam sententiam quæ indiget expositione; constituit namque discrimen inter actus malos,& bonos; quòd in actibus malis, tam mala est electio,sicut intentio; in actibus bonis non semper hoc habet verum, vt superiùs expositum est.Hæc sententia videtur falsa. ¶ Nam contingit aliquem intensè velle adulterium, & remissè velle diruere murum, quod est medium necessarium vt adulteratio fiat.ergo illa sententia falsa est. ¶ Deinde, si quis intendat emere episcopatum,& ad hoc faciendum offerat preces, certum est quòd non est tam praua electio,sicuti intentio.

¶ Vltimò,nam si quis per vnum actum adulterij,aut blasphemiæ,intendat demereri, quantũ omnes dæmones demeriti sunt,non tantum demeretur;tum,quia medium est improportionatum ad tantum demeritum;tumverò,quoniam non est tanta intensio in actu, sicut fuit in actibus omnium dæmonum. ¶ Certè argumenta euincunt,quòd non tantum quis demeretur, quantum intendit demereri: & in hoc eadem est ratio de actibus bonis,& malis.D.Th. tamẽ constituit discrimen inter operationes bonas& malas,in hoc,quòd si intentio est mala, tribuit suam malitiam semper electioni; quoniam malum consurgit ex quocunque defectu,&ideo si electio est mala ex intentione,simpliciter mala est:cæterùm bona intentio,non semper tribuit suam bonitatem electioni,quando electio alioqui est mala ex obiecto,vel ex circunstantijs;sicuti furari propter dandam eleemosynam, illa intentio bona,nõ tribuit bonitatem illi electioni.Itaque non rectè sequitur, intendit bonum, ergo vult bonum;at rectè sequitur,iste intendit malum,ergo malè agit.

Secundum dubium,de expositiõe sententiæ D.Thom.

Prim.arg.

Secundum.

Tertium.

Solutio.

ARTIC. NONVS.

¶ *Vtrùm bonitas voluntatis dependeat ex conformitate ad voluntatẽ diuinã.*

SVMMA TEXTVS.

Conclusio.

COnclusio est affirmãs. Nam bonitas voluntatis, ex intentione finis dependet; Deus autem est vltimus finis. Deinde, vnumquodque verè dicitur bonum, & rectum, in quantum attingit ad propriam mensuram: at voluntas diuina est mensura voluntatis humanæ; nam primum in quolibet genere est mensura,& ratio omnium quæ sunt in illo genere:voluntas autem diuina est summum & primum bonum, habetque pro obiecto summum & primum bonum.

AR-

ARTIC. DECIMVS.

¶ Vtrùm necessum sit voluntatem humanam conformari voluntati diuinæ in volito, vt bona sit.

SVMMA TEXTVS.

IN hoc art. D. Tho. statuit quatuor principia, ex quibus eruit tres cõclusiones, quibus ad propositã quęstionẽ abũ dãter satisfacit. In primis statuit ꝓ certo, fieri posse quòd duæ voluntates velint oppositа, & quòd vtraque bona sit, & laudabilis; vt cùm iudex vult suspendere latronem, & vxor illius latronis non vult; vtraque voluntas bona est: nam diuersis rationibus quod est bonũ respectu vnius, est malum respectu alterius; iudex enim vult occidere latronem propter bonum cõmune, cuius curam gerit; & vxor vult illum viuere propter bonum suæ familiæ. Deinde statuit secundum principium. Secũdum quod ratio boni apprehensi, propter quod volũtas operatur, fuerit vniuersalior, secundum hoc voluntas fertur in bonum communius, & vniuersalius: patet. Nam voluntas sequitur bonum apprehensum. His subnectit D. Tho. tertium principium. Deus quicquid vult, vult sub ratione boni vniuersalissimi totius vniuersi; creatura verò vult sub ratione boni particularis, & proprij; & ideo fieri potest, quòd voluntas bona creata, velit aliquid sub ratione boni particularis, & Deus nõ velit illud sub ratiõe boni vniuersalis; sicut filius vult viuere patrẽ suum, quia pater est benefactor; Deus autem vult vt nõ viuat, sed moriatur propter ordinẽ naturæ seruandũ, & propter debitũ peccati originalis: & vtraq; volũtas est bona, prout sub diuersis rationib⁹ volũt hoc esse, vel nõ esse. Quartũ principiũ. Volũtas creata, bona nõ est, nisi referat bonum particulare, in bonũ diuinum, & cõmune, quod particulari anteponitur: ratio est; nã appetit⁹ naturalis partis sic ànatura est institut⁹, vt sit propter bonũ vniuersale, & cõmune. Ex his principijs sequitur prima conclusio. Volũtas creata vt bona sit, necessariũ est quòd cõformetur volũtati diuinæ in volito formaliter, id est, debet velle, quicquid vult, propter bonũ diuinũ, & vniuersale quod particulari bono anteponitur; vnde cũ pater moritur & Deus vult vt moriatur, potest filius velle vt nõ moriatur, & in hoc dissidere àvolũtate diuina in volito materiali: cæterũ quoniã hoc quod volo, honestũ est, ordinatur etiã in bonũ diuinũ, & ita volitũ à me, formaliter est finis vltimus, quod est obiectũ diuinę volũtatis. ¶ Secũda conclusio. Quãquã nostra volũtas bona possit discordare à diuina volũtate in volito materiali, in ipso tamẽ volito materiali, quadã tenus ratione cõcordat; quia secundũ rationẽ volẽdi vniuersalẽ, cõcordat in volito, scilicet in fine vltimo: & quatenus discordat materialiter, eõcordat secũdũ causam efficiẽtẽ; quia hęc inclinatio, qua volo patrẽ meũ viuere, & nõ mori, est à Deo efficiẽter; & sic dicitur cõmuniter, quòd

Prim. cõcl.

Secũd. cõcl.

quòd debemus cõformari Deo in eo, quod Deus nos vult velle, dando inclinationem, vel præceptũ.

Tertiũ cõcl.

¶ Tert. cõcl. Alius modus est quo magis cõformatur humana volũtas diuinæ volũtati secũdũ rationẽ formalem volendi, quando ex supernaturali charitate prosequitur aliquod bonum: sed non asserit D. Tho. quòd istam conformitatem teneamur ex speciali pręcepto charitatis, sed tantùm docet, quod est magna & eximia concordia.

EXPLICATIO ARTICVLI.

QVæstio in his duobus articulis proposita, difficillima est, in cuius expositione variant doctores Theologi, in primo, distinctione quadragesimaoctaua. Gregor. Arimi. quæstione vltima 1. sentent. constituit duas propositiones. Prima est, quòd homo tenetur non discordare à volũtate beneplaciti Dei. Secunda est, homo tenetur voluntati beneplaciti Dei conformari. Gabri. super Can. lect. 68. explicans illud, fiat voluntas tua; tenet, quòd homo tenetur conformare suam voluntatem, voluntati diuinæ in volito materiali; quòd si aliud fiat, peruersa erit voluntas. Diuus Thomas in his articulis apertè docet, quòd homo non tenetur conformare volũtatem suam, voluntati diuinæ, in volito materiali, nisi quando fuerit speciale præceptum. Sed probatur quòd opinio Gregor. vera sit optimis argumentis. ¶ In primis, qui agit aliquid, aut vult contra voluntatem diuinam, agit contra legem æternam: ergo peccat. Consequentia argumẽti sic probatur ex definitione peccati. Peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum cõtra legem æternam. Probatur antecedens ex Diuo Augustino vigesimosecundo libro, contra Faustum, capitulo vigesimoseptimo, vbi postquam constituit definitionem peccati, continuò subiungit; lex æterna est ratio, vel Dei voluntas. ergo Dei voluntas, est lex æterna.

Gre. Arim.

Gab.

D. Thom.

Argu. pro opinione Gregorij. Primum.

Aug.

Secundum.

¶ Secundò, nolle id quod iustum, & bonum est, peccatum est: sed quicquid Deus vult, bonum, & iustum est: ergo nolle illud, peccatum est. Confirmatur hoc ex Diuo Paulo, 1. ad Timotheum cap. 2. vbi postquàm præceperat fieri obsecrationes, & orationes pro Regibus, continuò subiungit rationem præcepti; hoc enim bonum est, & acceptum coram Deo. ergo quod est acceptum, & beneplacitum coram Deo, tenemur amplecti.

Confir. 1. Tim. 2.

¶ Tertiò, vniuersi tenemur velle in communi & vniuersali quòd diuina voluntas in omnibus, & super omnia adimpleatur: ergo quando nobis constat istam esse voluntatẽ diuinam in particulari, tenemur velle vt illa adimpleatur; alioquin otiosæ essent voces, fiat voluntas tua. Idem confirmatur ex illo Matth. c. 6. Fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra. Sed beati in cœlo conformant suam voluntatem, voluntati diuinæ in volito formali, & etiam materiali, vt affirmat hic Sanctus Thomas solutione ad primum: ergo etiam tenemur conformare voluntatem nostram in volito materiali. Quartò, impium est omnibus modis; contrà niti, & resistere diuinæ voluntati: sed si pater meus moritur, euidenter cognosco quòd hęc est diuina voluntas; ergo non licet contrà niti, & resistere. Quintò, nõ minus tenemur seruare legem amicitiæ diuinæ, quàm cæterorum hominum: sed lex amicitiæ præcipua hæc est, idem velle, & idẽ nolle; vt asserit Cicero lib. de amicitia; & est cõmunis vox omnium philosophorum. Vltimò, qui vult oppositum eius quod Deus vult, vult aliquid contra bonum commune; ergo peccat: nam quod Deus vult, semper est pro bono cõmuni: ergo oppositum eius non erit pro bono communi.

Tertium.

Mat. 6.

D. Thom.

Cicero.

¶ Pro huius rei expositione, & argumentorum confutatione sciendum est, quòd in Deo est duplex voluntas; nam vna nominatur beneplacitum Dei, & hæc est vera volũtas, qua Deus vult aliquid fieri, vel non fieri; & hæc voluntas semper impletur, iuxta illud Rom. 9. Voluntati eius quis resistet? & illud ex Psalm. 134. Omnia quæcunque voluit Dominus fecit, in cœlo, & in terra: & hæc voluntas innotescit nobis per diuinas reuelationes, & ex effectibus. Nam statim atq; vidimus aliquid fieri in rerum vniuersitate, colligitur euidenter, quòd illud fiat aut Deo volente, aut Deo permittente. Alia est voluntas signi, & hæc non est vera voluntas, sed figura, & innotescit nobis per præcepta, & consilia diuina; quemadmodum literas principis, vocamus eius voluntatem, cùm potiùs eius rei signa sint: eadem figura sceptrum dicimus imperium, quoniam eius rei signum existit. ad eundem modũ dicimus voluntatem Dei esse ne quis furetur, vt vniuersi diligant Deum. Sed est aduertendum, quòd hæc volitio, non est vera volitio in Deo; nam si Deus haberet istum actum, volo vt nullus furetur, certè nullus furaretur; quod si Deus haberet istũ actũ, volo vt vniuersi me diligãt, certè vniuersi diligerẽt. Aduertẽdũ est secundò, q̃ pręceptũ, aut cõsiliũ diuinũ, nõ est signũ alicui voli-

Duplex Dei volũtas, beneplaciti & signi.

Rom. 9. Psal. 134.

Voluntas signi quid sit.

volitionis beneplaciti, quæ in Deo existat: nam si esset tale signum, cùm esset verax, & non fallax, Deus haberet illum actum, volo vt nullus furetur, &c. & volo vt vniuersi seruent mandata mea: hunc actum tamen non habere, satis demonstratum est. Præceptum itaque & consilium diuinum, dicitur signum voluntatis diuinæ, per figuram & metaphoram: & hæc metaphora consistit in hoc, quòd quemadmodum inter homines, quando quis consulit, aut præcipit, signum est quòd velit illud quod præcipit, aut consulit; ad eundem modum Deus quando iubet, aut consulit, habet se ad modum volentis; veluti dicitur irasci, & pœnitere, quoniam se habet ad modum irati hominis, & pœnitentis. Vel dicitur voluntas signi, quia significat quid ab omnibus faciendum sit, non tamen significat quòd Deus efficaciter velit illud fieri. Quidam Theologi ponunt aliam voluntatem in Deo, propriam quidem, sed in significatione minùs vsitata, pro cupere, & optare: & in hac significatione hoc vocabulũ reperitur in Euãgelio Ioãnis, vt in illo; Dne, volumus Iesum videre, & in illo; Pater, quos dedisti mihi, volo vt vbi ego sum, illic sint. & in hoc sensu explicant illud ad Timotheum capitulo secundo. Qui vult omnes homines saluos fieri; sensus est, Deum, quantum in se est, cupere omnium salutem. Istum affectum explicant illæ scripturæ. Nolo mortem peccatoris; &, Quoties volui congregare filios tuos, &c. & illud Esaiæ. Vtinam attendissent ad mandata mea. Quomodo autem hic affectus Deo tribuatur, tractatur diligentiùs prima parte, quæstione 19.

1. Tim. 2.

¶ His constitutis, quæ verissima sunt, in hac explicanda quæstione primò separanda sunt certa ab incertis. Primũ omnium verum est, quòd tenemur conformari diuinæ voluntati, tam in præceptis affirmatiuis, quàm negatiuis: nam omnes tenemur colere Deum, non furari, &c. Præterea exploratum est quòd non tenemur se qui virginitatem, aut vitam cœlibem: de hoc enim Dominus in Euangelio dicit. Qui potest capere, capiat. & Diuus Paulus primæ Corinthiorum septimo. Præceptum Domini non habeo, consilium autem do, &c. Rursus, non minus euidens est quod non tenemur conformari diuinæ voluntati, quantum ad ea quæ nec præcipit, nec consulit, nec vult, sed permittit; eiusmodi sunt peccata: nemo enim tenetur velle vt peccata fiant; imò tenetur ea impedire. Item dico esse certum quòd tenemur conformari diuinæ voluntati in volito formali, id est, quòd quemadmodum Deus omnia vult sub ratione boni veri, ita etiam homo, quidquid vult, velit sub ratione veri boni, & quemadmodum Deus vult omnia propter vltimum finem, ita etiam homo, quicquid vult, tenetur velle propter vltimum finem.

Tenemur cõformari diuinæ voluntati in præceptis affirmatiuis & negatiuis, non tamen in consilijs.

1. Cor. 7.

Non tenemur cõformari diuinæ volũtati quantũ ad ea quæ tantũ permittit

Tenemur cõformari diuinæ voluntati in volito formali.

¶ Quæ sententia vt ampliùs explicetur, sciendum est, quòd volitum formale, respectu diuinæ voluntatis, est ratio propter quam Deus omnia vult, & hæc est summa eius bonitas: teneri ergo hominem in volito formali ad istam conformitatem, est teneri vt vniuersam suam operationem referat in finem vltimum, & in summum bonum.

Quid sit cõformari Deo in volito formali.

¶ Sed aduersus hanc doctrinam, offerunt se duo argumenta. In primis sequitur ex hac doctrina, quòd omnis operatio infidelis, potissimè qui ignorat Deum, mala sit. quòd rectè sequatur, ostendo. Nam talis infidelis non refert opera sua in finem vltimum, nec in Deum, quem penitus ignorat. Secundò sequitur ex eadem doctrina, quòd quicunque frangit diuinum præceptum, peccet duplex peccatum. quod asserere absurdum est. quòd sequatur, probo. Nam qui furatur, peccat vnum peccatum contra præceptum negatiuum de non furando, & peccat illud peccatum contra præceptum affirmatiuum de conformitate ad diuinam voluntatem. Hæc argumenta confutantur facillimè: nam ad primum iam superiùs dictum est contra Gregor. de Arimino, quòd vt operatio sit bona moraliter, non est necesse quòd explicitè referatur in Deum, aut in finem vltimum, nec formaliter, nec virtualiter, sed satis est quòd implicitè. Implicitè autem refertur, cùm quis vult bonum honestum, & nullam adhibet malam circunstantiam: bonum autem honestum sua pte natura in Deum relatum est, & in hoc sensu conformatur etiam diuinæ voluntati in volito formali. Ad secundum argumentum respondetur negando sequelam; nam illud præceptum de conformitate ad diuinam voluntatem, non est præceptum speciale ab alijs distinctum, sed est generale mandatum quod per omnia diffunditur. Vel dicatur, quòd non est vnum præceptum, sed multiplex: in materia furti est præceptum quòd conformemur diuinæ voluntati non furando, & sic de cæteris: & ita non committitur duplex peccatum furando, ad eum modum quo tenemur seruare diuinam amicitiam, & præstare Deo obedientiam seruando præcepta decalogi; & ideo qui furatur, non peccat duplex peccatum; alterum, contra præceptum de nõ furando; alterum, contra præceptũ de seruanda obediẽtia. Ex his patet quomodo teneamur conformari diuinæ voluntati in volito formali.

Obiectiões duæ.

Solutio.

Illud

Illud etiã certissimum est, quòd tenetur homo non repugnare diuinæ voluntati, scilicet non murmurare: nam qui murmurat contra Deum, impatienter agit, & quodammodo culpam in Deum reijcit, & de tali dicitur. Quis ei restitit, & pacem habuit? & Diuus Paulus. O homo tu quis es, vt respondeas Deo? & in hoc sensu verissimè dicunt Theologi, quòd tenetur homo in nullo difformari diuinæ voluntati.

Quomodo teneamur conformari diuinæ voluntati in volito materiali.

¶ Sed illud difficile est ad explicandum, quomodo teneamur conformari diuinæ voluntati in volito materiali. In cuius rei expositione sit prima conclusio.

¶ Vbi non constat de diuina voluntate beneplaciti in aliquo negotio particulari, non est peccatum agere contrarium eius quod Deus vult.

Prim. cõcl.

2. Reg. 7. Hæc conclusio patet ex illo 2. Regum ca. 7. vbi scribitur, quòd Dauid voluerit ædificare domum Domini; cuius voluntas maximè laudatur 3. Regum 8. at voluntas diuina beneplaciti erat in contrarium, vt asseritur locis allegatis, quod Dauid penitus ignorabat. Idem ostenditur: nam Daniel. cap. 10. scribitur, quòd angelus regni Persarum volebat detinere captiuum populum Dei, nitebaturque alius angelus in contrarium, & vtriusque voluntas studiosa erat, quamuis ex necessitate, altera debebat esse contra voluntatem diuinam beneplaciti, quam angelus Dei ignorabat. Vltimò probatur; nam omnes tenemur velle & orare vt omnes fideles salutem consequantur æternam, quoniam ignoramus qui nam sint prædestinati, qui verò reprobati; & tamen certissimum est de fide, quòd Deus aliquibus vult denegare vitam æternam: ergo nostra conclusio verum habet.

3. Reg. 8.

Dan. 10.

Secũd. cõcl. ¶ Secunda conclusio. Quamuis nobis constet de diuina voluntate beneplaciti in particulari, non tenemur illi conformari secundum appetitum sensitiuum, nec secundum voluntatem, vt natura quædam est. Probatur sic: Nam quando quis infirmatur, euidenter cognoscit esse voluntatem diuinam vt infirmetur, & tamen non tenetur secundum appetitum sensitiuum complacere sibi in illa infirmitate, & eam appetere; quoniam appetitus sensitiuus naturaliter refugit nociuum, & destructiuum suppositi; & hæc inclinatio bona est, & à Deo: eodem pacto de voluntate vt natura est; nam voluntas vt natura est, naturaliter fertur in bonum suppositi, & detestatur eius nociuum, & destructiuum. Propter quòd Christus Dominus, cuius rectissimæ sunt operationes, fugiebat mortem, cùm tamen certò sciebat esse diuinam voluntatem beneplaciti vt moreretur.

Tert. cõcl. ¶ Tertia conclusio. Quamuis nobis constet de diuina voluntate beneplaciti in particulari, non tenemur conformari in volito materiali, id est, non tenemur velle quidquid Deus vult, & secundum voluntatem deliberatam possumus contrarium velle. Hæc conclusio, quoniam difficillima est, & habet aduersarios, magnis argumentis confirmanda est. In primis Diuus Augustinus in Enchiridio capit. 101. manifestè habet nostram sententiam: dicit enim, quòd homo aliquando bona voluntate potest velle oppositum eius quod fieri vult Deus; vt cum bonus filius dolet de morte patris. Idem habet super Psalmum centesimum explicans illud. Non adhæsit mihi cor prauum.

Aug.

Eandem sententiam habet Magister in primo, distinctione quadragesima octaua, in exordio distinctionis. Secundò probatur exemplis sanctorum Patrum. Dauid optimè sciebat esse voluntatem diuinam vt viueret; at verò orabat dicens: Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est. Diuus Paulus ad Philippens. capitulo primo aiebat: Cupio dissolui, & esse cum Christo; & tamen certò sciebat esse diuinam voluntatẽ vt in carne maneret: subiungit namque continuò; Permanere autem in carne, necessarium propter vos. Sanctus Augustinus cùm diem vltimum ageret, certò sciebat esse diuinam voluntatem vt ciuitas Hipponensis à barbaris obsideretur, at verò hoc ægerrimè idem ferebat. Et quòd amplius mouet, Christus Dominus sciebat optimè esse voluntatem diuinam quòd ciuitas Hierusalem penitus destrueretur, at videns ciuitatem fleuit super illam. Tertiò probatur argumentis quæ sunt insolubilia. Nam ex opposita sententia sequitur, quòd existens in peccato mortali, tenetur velle carere gratia; si quidem Deus vult quòd peccator careat gratia. Rursus sequitur, quòd si Deus reuelaret alicui suam damnationem, teneretur eam velle; quod est contra charitatem propriam. Præterea sequitur, quòd si viderem patrem meum mori, & perire in sempiternum, quòd teneor illud velle, & de eo gaudere; & si video ciuitatem incendio ardere, teneor illud velle: & si cognosco quòd pestis omnia deuastat, teneor illud velle; nam vniuersa hæc mala certum est ex diuina voluntate prouenire. Nullum est enim malum in ciuitate (loquendo de malo pœnæ) quod Deus non facit, inquit scriptura diuina. Præterea sequitur, quòd nullum sit opus consilij: nam si ingredior religionem, iam est voluntas diuina quòd ingrediar; ergo teneor ingredi. Item sequitur, quòd tenemur velle omnia quæ fiunt in mundo, quæ ferè sunt infinita; pisces natare, aues volare, &c. Præterea sequitur, quòd quilibet potest mihi imponere præceptum diuinum: nam si Petrus sedet,

Mag. sentẽ.

Phil. 1.

teneor

teneor velle quòd sedeat; si surgit, teneor velle quòd surgat. Præterea sequitur, quòd idem homo teneatur velle, & nolle idem pro tempore eodem. Quòd rectè sequatur, probatur. Nam pono casum, quòd me nolente quòd pluat antequam pluat, deinde veniat pluuia me perseuerante in eadem nolitione; tunc teneor nolle quòd pluat: nam Deus vult me nolle, & teneor velle quòd pluat; nam Deus vult vt pluat. ¶ Ad eandem veritatem demonstrandam valent Durand. duo argumenta, quæ habet Durandus in 1. distinctione vltima, quæstione 2. quorum primũ est. Nam nullum extat præceptum de conformitate ad diuinam voluntatem, nec enim Christus iuueni interroganti, quid faciendo vitam æternam possidebo? respondit vt se conformaret diuinæ suæ voluntati, sed serua mandata, & mandata nosti, non adulterabis &c. ¶ Secũdum argumentum; quoniam Deo eodem pacto tenemur obedire, quo tenemur obedire prælatis, per quos nos regit, & gubernat. Sed licèt ego intelligam esse voluntatem prælati vt legam, aut prædicem, non teneor obedire, donec precipiat mihi; ergo eodem pacto licèt intelligam voluntatem diuinam, non teneor obedire donec accedat præceptum. Sed quidam Gregoristæ glossant Gregoriũ dicentes, quòd non teneor velle quicquid Deus vult, sed teneor velle quicquid Deus vult me velle. Verùm hæc explicatio falsissima est; nam Deus modò voluntate beneplaciti vult me legere, & velle legere, at non teneor velle legere. Rursus si ego habeo istam volitionem, volo comedere, euidens est, me comedere, Deum velle, at non teneor comedere. Vltimò, hoc præceptum in tali sensu nemo hominum potest transgredi; ergo ridiculum est. Patet antecedens; nam si Deus vult voluntate beneplaciti me velle, necesse est me velle; impossibile est enim quòd Deus velit me currere, quin curram. Quapropter moderni Theologi fermè vniuersi errant, dicentes, quòd tenemur nos velle quicquid Deus vult nos velle, nisi addant de voluntate præceptiua, & Diuus Thomas in 2. conclus. non dicit quòd tenemur ad istam conformitatem.

Quar. cõcl. Non quicquid homo vult, tenetur ex charitate velle

¶ Quarta conclusio. Non tenetur homo quicquid vult, velle ex charitate: nam modus charitatis non cadit sub præcepto. Certè hæc conformitas secundum charitatem, est necessaria vt opera sint meritoria coram Deo, sed non ad præceptorum impletionem: nam si quis in peccato mortali existens, ieiunet in Quadragesima, verissimè implet præceptum ieiunij. His constitutis, ad argumenta proposita respondetur. ¶ Ad primum negatur antecedens, & ad eius probationem dicendum est, quòd lex æterna, est diuina voluntas, non vtcunque, sed vt præcipiens. Et de hac voluntate fatendum est, quòd qui agit contra eam, agit contra legem æternam. Hæc est explicatio Diui Augustini. Aug. Lex, inquit, æterna, est voluntas diuina, ordinem naturalem seruari iubens, perturbari vetans. ¶ Ad secundum argumentum negatur maior, imò aliquando licet nolle id quod sanctum est; vt patet in consilijs diuinis: licet namque nolle esse virginem, nolle esse religiosum; at esse religiosum, optimum & iustum est. Ad confirmationem ex Sancto Paulo, respondetur, quòd ille locus potest dupliciter intelligi; primò, vt sit sermo de obseruationibus quę sunt in præcepto: & tunc supposito tali præcepto, ratio Diui Pauli est, quia hoc est bonum, & acceptum de præcepto: si verò fiat sermo de obsecrationibus, & petitionibus, quæ sunt in consilio, tunc ratio Diui Pauli non ducit ad obligationem præcepti, sed ad perfectionem virtutis. ¶ Ad tertium argumentum respondetur, non esse mihi certum, nec exploratum, quòd teneamur velle in vniuersali quòd voluntas diuina in omnibus adimpleatur; fortasse satis est, quòd diuina voluntas præceptiua adimpleatur. Secundò, quicquid sit de hoc, dico quòd non tenemur velle in particulari quicquid Deus vult; nam potest contingere quòd id quod Deus vult in ordine ad voluntatem diuinam, & in ordine ad bonum commune, bonum sit; sed si referatur ad voluntatem particularem, & ad finem particularem, malum sit, sicut patet in exẽplo superiùs adducto, de iudice, & vxore latronis. Ad confirmationem respondetur, quòd illa sententia variè explicatur; primò, de voluntate præceptiua: deinde vt fiat voluntas Dei, quæ (autore Sancto Paulo) est nostra sanctificatio. Itaque sensus est, diuina voluntas in ordine ad nostram sanctificationem, præualeat & vincat nostram voluntatem. Tertiò, vt intelligatur de voluntate diuina, quantum ad volitum formale, vt quicquid homo agat, & velit, cedat in diuinam gloriam, & honorem.

Arg. diluũtur. Ad primum

Ad secundũ Licet aliquando nolle id quod sanctũ est.

Non tenemur velle in particulari quicquid Deus vult.

Ad tertium

¶ Ad quartum argumentum dicendum est, quòd filius qui dolet de morte patris, non est impius, nec stultus: tum, quoniam Deus vult illum de morte patris dolere: tum verò, quoniam licèt cognoscat esse voluntatem Dei vt moriatur suus pater, propter rationes vniuersales, sed propter rationes particulares, & propter pietatem videtur esse dolendum: tum tertiò, & potissimè, quoniam bonus filius non habet voluntatem efficacem, & absolutam vt pater non moriatur, sed habet istam volitionem, vellem si possibile esset: cuiusmodi habuit Christus Dominus: Pater si possibile est, transeat à me calix iste.

Ad quartũ.

Ad quintũ, & sextum.

iste. ¶ Ad quintum respondetur, quòd illud prouerbium non est tam crassè intelligendũ, quòd si amicus meus habet paratum cibum domi suæ, quo libenter vescitur, vt amicus comedat illum cibum; & si amicus febricitans petat aquam, non est lex amicitiæ vt ei conferatur. Itaque vera intelligentia hæc est, quòd amicus nihil agat quod veræ amicitiæ aduersetur, quòd gaudeat de bonis amici, & de aduersis tristetur, quòd nihil ei deneget petenti, dum tamen iustum petat. Ad sextum argumentum ex dictis patet quid sit dicendum.

Vtrùm sit laudabile velle quicquid Deus vult.

¶ Sed ex his omnibus oritur magna controuersia; vtrùm saltem sit laudabile velle quicquid Deus vult? Pro parte affirmante sunt optima argumenta.

Primum.

Nam beati volunt quicquid Deus vult, & concordant in voluntate diuina, tum in volito materiali, tum in volito

D. Tho.

formali, vt constanter affirmat Sanctus Thomas ad primum. ergo hoc laudabile est.

Secundum

Deinde, quicquid Deus vult, sanctum, & iustum est, vt apertè constat: ergo velle illud, est laudabile.

Tertium. D. Tho.

Tertiò, diuina voluntas, est regula nostræ voluntatis, vt apertè asserit S. Thom. in articulo nono huius quæstionis: ergo illi concordare, bonum & laudabile est.

Abulensis.

¶ Contrarium docet Abulensis super Iosue capitulo. 2. quæstione. 38. super libro Iudicũ. c. 3. q. 3. dicit

Aliquando est peccatũ mortale velle quicquid Deus vult.

Abulensis, quòd aliquando est peccatũ mortale conformare se diuinæ voluntati in volito materiali. In eandem sententiam inclinat doctissimus Victoria super hunc articulum, &

Victoria.

probatur optimis argumentis. Nam voluntas diuina beneplaciti est, quòd existens in peccato mortali careat gratia; at non est laudabile peccatori vt velit carere Dei gratia. Rursus, si quis videat patrem suum mori, & interire in sempiternum, cognoscit euidenter esse voluntatem diuinam vt pereat in sempiternũ; at non est laudabile quòd filius velit patrem in sempiternũ perire; imo tenetur ex charitate de hac re dolere, & contristari. Item, si quis videat ciuitatem incendi, cognoscit certò esse diuinam voluntatem vt incendatur; at verò non est laudabile, velle quòd incendatur, quin potiùs tenetur incendium extinguere quantum potest. Vltimò, si Deus mihi reuelet propriam damnationem, certus sum esse diuinam voluntatem vt condemner; at non est laudabile velle propriam damnationem, quin potiùs de ea re vehementer debeo tristari. Et quod in eo casu non sit laudabile velle propriam damnationem, alio argumẽto ostendo. Nam quicquid volumus, volumus vt finem, vel tanquam medium: sed propriam damnationem non possumus velle vt finem nostrum, quandoquidem de se bona non est; nec verò vt medium ad finem vltimum, quoniam propria damnatio, & vltima miseria opponitur fini creaturæ rationali debito. Certè hæc quæstio dubia est.

Autoris resolutio.

¶ In expositione eius dico primò, vt voluntas nostra bona sit, non sat est quòd conformetur diuinæ voluntati in volito materiali, nisi adsit bona circunstantia: Nam Iudæi crucifigentes Christum, conformabantur diuinæ voluntati in volito materiali; at illorum voluntas mala erat, quia faciebant hoc ex mala intentione. Secundò dico, quando res volita à Deo non habet rationem mali, nec in ordine ad finem vniuersalem, nec in ordine ad finem particularem, laudabile est cõformari diuinæ volũtati in volito materiali. v. g. cùm quis scribit, aut legit, hæc opera vult Deus voluntate beneplaciti, & in his operibus nullum est incommodũ; dico, quòd in his conformari, laudabile est. imo sit Regula generalis; Quando est consilium, vel præceptum diuinum de aliquo volito in particulari, in ea re cõformare, laudabile est. Vltimò dico, quando res volita à Deo habet rationem mali, si referatur ad finem particularem, non semper est laudabile cõformari diuinæ voluntati in volito materiali. hoc probant argumenta secundo loco adducta, quæ mihi sunt probabilissima.

Quãdo sit laudabile diuinæ voluntati conformari.

¶ Ad argumenta in contrarium, ad primum dico, esse discrimen inter homines beatos, & viatores; quòd homines beati cognoscunt omnes fines particulares, quos Deus intendit in eo quod vult, & visione beatifica & diuina dirigũtur in suis operibus: viatores verò non cognoscunt omnes fines particulares, nec diriguntur tali cognitione. Item est aliud discrimen: nam motus volũtatis in viatore, perturbatur ex motibus inferioribus; & ideo si Deus vult patrem meum damnare, sat est quòd non contradicam, & patienter me habeam, sicut dicit Arist. 3. Eth. de

Solutio argumẽtorũ. Ad primũ.

Aristo.

viro forti, satis est quòd in periculis mortis non vehementer contristetur: beati verò quoniam perfectum volũtatis actum habent, nec perturbantur ex inferioribus, conformantur diuinæ voluntati perfectè, etiam in volito materiali. Vltimò dico, quòd in viatore habet locum compassionis affectus cum quadam tristitia; in beatis verò non habet locum hic affectus cum tristitia, & ideo perfectissimè conformantur iudici diuino, & omnipotenti.

¶ Ad secundum argumentum respondetur, posse optimè accidere quòd operatio, quatenus egreditur ab vno, bona sit, & quatenus egreditur ab alio, bona non sit; sicut patet in exemplo adducto de iudice, & vxore latronis.

Ad secũdũ.

¶ Ad tertium argumentum, admitto diuinam voluntatem eſſe regulam humanæ voluntatis, ſed Deus non vult quòd ego velim patris mei condemnationem, & interitum, & ideo non eſt laudabile illud velle. Atque hæc de quæſtione. 19. dicta ſufficiant, ad quæſtionem.20.progrediamur.

QVAESTIO XX.

De bonitate & malitia actuũ exteriorum, in ſex articulos diuiſa.

ARTIC. PRIMVS.

¶ Vtrùm bonum & malum priùs inueniantur in actu exteriori, quàm in actu interiori.

SVMMA TEXTVS.

Prima con. ¶ PRima Concluſio. Bonitas vel malitia quæ ſumitur ex fine, primò & per ſe cõuenit actui interiori, & per illum competit actui exteriori: nam illi actui per prius conuenit bonitas quæ eſt ex fine, qui habet immediatum ordinem ad finem: ſed actus interior voluntatis eſt qui immediatè reſpicit finem; finis enim eſt proprium obiectum voluntatis: ergo bonum vel malum ex fine, per prius inuenitur in voluntate, ſiquidem mediante actu interiori, actus exterior tendit in finem.

Secunda. ¶ Secunda Concluſio. Bonitas & malitia actus exterioris ex obiecto, & circunſtantijs, ſi conſideretur ſecundum quòd eſt in ordinatione, & apprehenſione rationis, eſt prior quàm bonitas, vel malitia actus voluntatis; nam hæc bonitas non deriuatur à voluntate, ſed potiùs à ratione.

¶ Tertia Concluſio. Actus exterior, ſi conſideretur ſecundum quòd eſt in executione operis, ſequitur bonitatem vel malitiã voluntatis, quæ eſt eius principium. Tertia.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Vtrũ bonitas vel malitia priùs conueniat actui exteriori quàm interiori. DVbium eſt, vtrùm bonitas vel malitia priùs conueniat actui exteriori, quàm interiori. Et videtur primum eſſe verũ: nã cùm volo dare eleemoſynam, ideo eſt bona voluntas, quia dare eleemoſynam bonum eſt, & rationi cõſentaneũ; & velle tollere alienum ideo mala eſt voluntas, quia tollere alienum eſt malum, & contra legem Dei. In contrarium eſt quòd actus exteriores non ſunt liberi, nec digni laude aut vituperio, nec capaces vitij aut virtutis, niſi ex libera voluntate: ergo ex voluntate libera, actus externi habent omnem bonitatem vel malitiam; de qua veriſimè dicit Auguſt. lib.1. retractationum, capitulo nono. Voluntate peccatur, aut rectè viuitur. In hac quæſtione eſt varietas doctorũ: nam Gabriel in ſecũdo, diſt.42.quæſtione.1. tenet, quòd bonitas aut malitia primò cõuenit actui interiori, & deinde ad actum exteriorẽ deriuatur. Probat ſuã ſententiam ex illa ratione ſuperiùs adducta. Deinde, quoniam actus exterior, eſt effectus actus interioris: ſed bonitas priùs eſt in cauſa quàm in effectu: ergo priùs eſt in actu interiori. Tertiò, ex illo Matth.5. argumentatur, Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt in corde ſuo. & primę Ioã. cap.3. Qui odit fratrem ſuum, homicida eſt. in quibus ſententijs manifeſtè malitiæ mœchiæ, & homicidij in voluntatem referuntur interiorem, veluti in primum fontem. Quartò ſic ex illo Matth. 7. Bona arbor non poteſt malos fructus facere, &c. in qua ſententia, nomine arboris, ex intelligentia omnium ſanctorum patrum intelligitur bona, vel mala voluntas; nomine fructuum, intelliguntur operationes exteriores, quæ ex voluntate ſuam perfectionem habent. Ex his argumentis Gabriel duo concludit; vnum eſt, quòd vniuerſa præcepta Decalogi dantur primò, & per ſe de actibus interioribus, ſecundariò verò de actibus exterioribus: nam præcepta affirmatiua præcipiunt bona, negatiua verò prohibent mala. Sed bonum & malum præcipuè inueniuntur

Auguſt. Gabrielis ſententia. Prob.1. Secundo. Tertio. Matth. 5. 1.Ioan.3. Quartum argu Matth.7.

muntur in actibus internis : ergo præcepta præcipuè dantur de actibus internis. Alterum est, quòd actus exterior nullam addit bonitatem super actum interiorem. Contrariam sententiam habet S. Thom. in hoc articulo secunda conclusione. ¶ Pro cuius explicatione aduertendum est, quòd nomine actus interioris S. Thom. in præsentia tantùm intelligit actum voluntatis elicitum; cæteros actus non solùm potentiarum sensitiuarum, sed etiam intellectus, nominat actus exteriores. Secundò notandum, quòd mens S. Tho. tantùm est inuestigare, quid bonitatis aut malitiæ habeant actus exteriores, vel interiores ex se, non ex participio, & communicatione alio rum. Tertiò est aduertendum, quòd hîc non quærimus de prioritate temporis, sed de prio ritate naturæ. Itaque sensus quæstionis est, an furari malum sit; quia furari velle, malum est; vel potiùs è contrario, velle furari, malum sit, quia furari malum est. His constitutis, Colonienſis in Commentarijs multa inuoluit, sed in summa videtur dicere, quòd actus dupliciter est bonus, vel malus; inchoatiuè, & cõpletiuè. Inchoatiuè est in apprehensione; completiuè, in executione. Itaque actus exterior in esse apprehenso, tribuit bonitatem realem actui exteriori; in executione verò è diuerso actus interior, tribuit bonitatem realem actui exteriori, & cõsequẽter: videtur dicere, quòd actus qui primò, & formaliter bonus est, est actus interior voluntatis, à quo actus exterior habet bonitatem omnem realem. Sed iste autor omnia inuoluit. Dominus Caietanus in hoc articulo, & sequenti, etiam obscurissimè loquitur: in summa videtur docere, quòd actus exterior potest considerari dupliciter; vno modo, quatenus est obiectum interioris; & sic bonitas priùs reperitur in actu exteriori, quàm in actu interiori: alio modo, vt est actus humanus, & liber; & sic se habet res è contrario: nam actus exterior nihil aliud est, quàm effectus actus interioris. Tandem dicit, quòd bonitas primò & per se conuenit actui exteriori, & per illum voluntati, etiam in executione, quòd ostendit optimo argumento. Nam velle dare eleemosynam, ideo bonum est, quia dare eleemosynam bonum est; & velle tollere alienum, ideo malum, quia tollere alienum malum, & contra legem. Doctissimus Victoria aiebat in hunc modum; Actus interior dupliciter potest intelligi quòd sit causa exterioris actus; primò, vt causa sit quòd actus sit in rerum natura, & quòd sit moralis; & in hoc sensu non dubium est quin actus interior sit causa vt actus bonus sit, & moralis sit. Secundò potest intelligi, quòd actus interior sit causa quòd actus exterior bonus sit, aut malus; & hic sensus est falsissimus: Nam loquendo de bonitate ex obiecto, & ex circunstantijs, dare eleemosynam ideò bonum, quia Deus præcipit, & recta ratio dictat; & furtum ideò malum, quia est contra legem diuinam, & dissentaneum rectæ rationi. Consequenter dicit, quòd bonitas primò reperitur in actu interiori, quantum ad executionem, & existentiam; in actu verò exteriori, quãtum ad rationem obiecti, id est, quia actus exterior malus est, actus interior malus est. Sed quanquam hæc acutissima videantur, non videntur esse ad mentẽ S. Tho.

D. Tho.

Quid nomine actus intelligatur.

Conradus.

Caieta.

Victoria.

¶ Pro explicatione huius dico primò, quòd actus externi dupliciter possunt considerari; vno modo, ex obiecto suo, & ex sua specie, etiamsi nullus eos exerceat. verbi gratia, dare eleemosynam, ex sua natura bonum opus est, quia est consentaneum rectæ rationi: rursus furari, etiamsi nemo furetur, malum opus est de sua natura, quia difforme est rectæ rationi, & regulæ diuinæ. Secunda consideratio istorum actuum est, quatenus sunt in exercitio, & in vsu voluntatis amantis, vel non amantis: & hæc distinctio est lux ad propositam dubitationem explicandam.

Autoris sententia.

Prima propositio.

Actus externi duplex consideratio.

¶ Secundò dico, quòd in actibus humanis duplex est bonitas, vel malitia: vna est in essendo, quæ nihil aliud est quàm conformitas, vel difformitas ad rectam rationem: altera est in exercitio, vel in vsu, amando vel non amando; quemadmodum metaphysici solent distinguere duplicem veritatem; vnam, in essendo, quæ competit vniuersis rebus; alteram, in cognoscendo, & dicendo; & solùm hæc competit intellectui: intellectus namque solus cognoscit, & dicit veritatem: ad eundem modum sola voluntas est bona in amando, & in exercitio.

Secũda propositio. Duplex bonitas vel malitia in actibus.

¶ Tertiò dico, quòd bonitas, vel malitia actus exterioris (quam ego voco bonitatem vel malitiam in essendo) nihil aliud est quàm conformitas, aut difformitas ad rectam rationem: cùm igitur voluntas vult aliquid conforme rationi, efficitur bona, & studiosa in actu exercito, & habet formalem bonitatem virtutis: cùm verò vult aliquid difforme rectæ rationi, efficitur vitiosa. Ex qua doctrina sequuntur duo; alterum est, quòd primum subiectum bonitatis in actu exercito est voluntas: sequitur secundò, quòd actus exterior est veluti causa æquiuoca respectu bonitatis, quam tribuit actui interiori; nam dat bonitatem virtutis, quam ipse non habet,

Tertia cõc. Quid sit bonitas vel malitia actus exterioris.

Primũ subiectum bonitatis in actu exercito est voluntas.

veluti medicina causat sanitatem, quam non habet, & res exteriores causant veritatem in intellectu.

Quarta assertio. Bonitas obiecti ex natura sua prius reperitur in actu exteriori.

¶ Quartò dicendum est, quòd bonitas considerata ex obiecto, & ex natura sua, priùs reperitur in actu exteriori, quàm in actu interiori. Quod patet: primò ex sententia omniũ philosophorum dicentium, velle furari, esse malum; quia furari malum est. Deinde actus interior voluntatis habet primariam bonitatem aut malitiam ex obiecto, vt suprà definitum est: sed actus exterior est obiectum voluntatis: ergo. Rursus, furari, etiamsi nullus furetur, aut velit furari, malum est; quia est difforme rationi: ergo malitia actus exterioris, non venit à voluntate interiori, sed è contrario venit. Præterea idem probatur ex illo Oseæ nono. Facti sunt abominabiles sicut ea quæ dilexerunt. Vltimò probatur ex forma decalogi: vniuersa namque præcepta decalogi præcipuè referuntur ad actus exteriores; sabbatha sanctifices, honora parentes, &c. Quapropter inopinabile est quod dicit Gabriel, præcepta decalogi præcipuè referri ad actus interiores; nam præcepta quæ respiciunt proximum, vtilitatem proximi conspiciunt, sed proximis potissimè sumus vtiles per actus exteriores, in tantum, quòd si volitio furandi non esset de se causa actus exterioris inferentis damnum proximi, mala non esset. Et hic est legitimus sensus illius sententiæ Matth. 5. Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, &c. sensus est, quòd Iudæi arbitrabantur fornicationem exteriorem malam esse tantùm; hanc sententiam damnat Dominus, & dicit, quòd concupiscentia mulieris mala est; tum, quoniam est de obiecto malo; tum, quoniam est causa operationis malæ.

Oseæ. 9.

Matth. 5.

Vltima assertio. Actus exterior in executione, habet bonitatẽ ab interiori.

¶ Vltimò dicendum est, quòd actus exterior in executione, & vsu, habet omnem bonitatem, & laudem ab actu interiori. Probatur hoc; tum, quoniam actus exterior tantum nobis imputatur ad meritum, & demeritum, quantum actus interior meretur, & non amplius, vt constat; tum verò, quoniam actus exterior nullam addit bonitatem aut malitiam super actum interiorem, vt postea demonstrabitur: tum tertiò, quoniam actus exterior de se nullam habet libertatem, vt ostensum fuit antea, quæstione decimaseptima: tum vltimò, quoniam actus exterior, est effectus actus interioris. Hanc sententiam probant argumenta quæ sunt adducta in fauorẽ Gabrielis. Ex ijs annotationibus patet explicatio huius articuli.

Quid probent argumẽta Gab.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ Vtrùm tota bonitas vel malitia actus exterioris dependeat à voluntate.

SVMMA TEXTVS.

Prima cõ.

¶ Prima Conclusio. Bonitas quæ est ex fine, tota depẽdet ex voluntate, prout probatũ fuit in præcedenti articulo.

Secunda.

¶ Secunda Conclusio. Bonitas actus exterioris quæ est ex obiecto, & circunstantijs, non dependet ex voluntate, sed ex ratione; ex hoc enim dependet bonitas voluntatis, secundum quòd fertur in bonũ rationi conforme.

Tertia.

¶ Tertia Conclusio. Si voluntas sit bona ex obiecto proprio, & fine, & debitis circunstantijs, consequens est actum exteriorem esse bonũ: nam ad hoc quòd actus sit simpliciter bonus, requiritur integritas bonitatis.

Quarta.

¶ Quarta Conclusio. Non sufficit ad hoc quòd actus exterior sit bonus, bonitas voluntatis quæ est ex intentione; nam ad malum sufficit vnus singularis defectus.

Quinta.

¶ Quinta Conclusio. Si voluntas sit mala, siue ex intentione finis, siue ex actu volito, consequens est, actum exteriorem malum esse: sufficit enim vel mala voluntas ex parte operantis, vel malitia ex obiecto; malum enim consurgit ex singulari defectu.

EXPLI-

EXPLICATIO ARTICVLI.

Vtrũ prior conclusio D. Tho. vera sit.

IN hoc articulo dubium est de prima conclusione. Nam videtur esse falsa, & quòd non rectè consentiat cum secunda cõclusione. Quòd sit falsa, probatur sic. Nam omnis bonitas actus humani, siue ex obiecto, siue ex fine, dependet ex ratione; ergo falsum asserit prima conclusio, quòd bonitas quæ sumitur ex fine, tota dependet ex voluntate. Antecedens probatur: nam sicut dare eleemosynam, est rectum opus; quia est conforme rectæ rationi; & furari malum, quia dissonum rationi: ita sanè dare eleemosynam propter Deum, bonum est ex fine, quia est conforme rectæ rationi; & dare eleemosynam propter fornicationem, malum est ex fine, quia est dissentaneum rectæ rationi, & regulæ diuinæ. ergo bonitas, & malitia, quæ ex fine est, ex ratione dependet, & non ex voluntate. Secundò, quòd hæc conclusio non rectè consentiat cum secunda, sic probatur. Nam secunda dicit, quòd bonitas quæ ex obiecto, & circunstantijs est, dependet à ratione, & non à voluntate: sed finis est præcipua circunstantia actus humani; ergo bonitas finis dependet ex ratione, & non ex voluntate. Hæc duo argumenta dissoluit hîc Caietanus obscurissimè, cùm tamen, mea sententia, perfacilem habeant explicationem. Nam ad primum dicendum est, negari non posse quin bonitas vniuersa actus humani, ex ratione, tanquam ex prima regula dependeat, vt argumentum primum ostendit: cæterùm quoniam bonitas ex fine, quæ inuenitur in actu exteriori, non solùm pendet à ratione, sed ab ipsa voluntate quæ dirigit operationem in talem finem, ideo hæc bonitas reducitur in voluntatem, tanquam in proximam regulam, non in rationem, quæ prima regula est. Ad secundum argumentum respondetur, quòd actus exterior non habet alias circunstantias à voluntate, vt quòd occisio sit mala, quòd fiat in templo, &c. cæterùm quòd fiat propter furtum, hoc habet à voluntate, sicut si quis occidat hominem vt illius bona furetur. certè ire ad agrum sanitatis gratia, non esset opus rectum, nisi ratione finis, quem voluntas posuit: itaque non est idem iudicium de alijs circunstantijs, & de fine. Cætera quæ hic Caietanus dicit, & obscura sunt, & minimè necessaria.

Caiet.

ARTIC. TERTIVS.

¶Vtrùm bonitas vel malitia sit eadem exterioris & interioris actus.

SVMMA TEXTVS.

PRima Cõclusio. Actus interior & exterior in genere moris sunt vnus actus, prout expositum est in quæstione decimaseptima. & ratio est: nam actus interior est veluti forma actus exterioris: vnde quamuis sint diuersi actus in genere naturæ, ex ipsis tamen cõstruitur vnus in genere moris. Prima con.

¶ Secunda Conclusio. Fieri potest vt vnus actus habeat plures bonitates vel malitias, quandoq; verò vnam tantùm; vt cùm quis occidit hominem propter deprædandum, tunc & homicidium est, & latrocinium. Secunda.

¶ Tertia Conclusio. Quãdo actus exterior est bonus vel malus solùm ex ordine ad finem, tunc eadem est bonitas vel malitia actus exterioris, & interioris; vt potio amara, quæ nihil appetibile habet nisi sanitatem. Tertia.

¶ Quarta Conclusio. Quando actus exterior habet bonitatem vel malitiam per se, secundum obiectum, vel circunstantias, tũc bonitas actus exterioris est vna, & bonitas voluntatis quæ est ex fine, est altera; vt potio dulcis quæ est delectabilis, & sanatiua. Certè quando quis dat eleemosynam propter Deum summè dilectum, duplicem bonitatem habet actus, & duplicem laudem meretur; & quia subuenit pauperi, & quia id refert in Dei honorem & gloriam. Quarta.

Quinta. ¶ Quinta Concluſio. Licèt ſunt diuerſæ bonitates vel malitiæ, bonitas voluntatis quæ eſt ex fine, redundat in actum exteriorem, & bonitas actus exterioris, redundat in voluntatem.

EXPLICATIO ARTICVLI.

DE quæſtione huius articuli diſſerũt Theologi in ſecundo, diſtinctione quadrageſimaſecunda, & Almaynus in ſuis moralibus tractatu. 3. capitulo decimoſeptimo, &. 18. Sed in alio ſenſu, & in alia ſententia quàm S. Thom. Nam S. Thom. vocat hîc bonitatem actus interioris, bonitatem quæ ex fine dimanat, & ortum habet: bonitatem autem actus exterioris, appellat bonitatem ex obiecto, & circunſtãtijs. Sed moderni Theologi in alio ſenſu hãc quæſtionem tractant; vtrùm velle occidere, & occidere actui interiori coniunctum, ſint duo peccata? Gregorius Arimin. in quæſtione vltima ſecũdi tenet, quòd ſunt duo peccata: nam occidere eſt peccatum, & non eſt velle occidere, ergo diſtinctum peccatum eſt. Gabriel in. 2. diſtin. 42. quæſtione vnica, tenet, quòd ſunt plura peccata, & quòd plus peccat extenſiuè qui vult occidere, & occidit, quàm qui vult occidere. & probat: Nam ſunt duo actus realiter diſtincti, ab inuicem ſeparati; ergo ſunt duo peccata. Conſequentia videtur eſſe valida. Nam peccatum nihil aliud eſt, quàm actus contra legem: ergo ſi ſint duo actus contra legem, ſunt duo peccata. Item arguit Gabriel. Nam dato quòd eſſet vna albedo in duobus ſubiectis, eſſent duo alba: ergo dato quòd eſſet vna malitia in actu interiori & exteriori, eſſent duo peccata. Præterea, illa quæ prohibentur diuerſis præceptis, ſunt diuerſa peccata: ſed actus interior & exterior prohibentur diuerſis præceptis: ergo ſunt plura peccata. Probatur Minor: nam actus exterior furti prohibetur illo præcepto, nõ furtum facies: actus verò interior prohibetur alio præcepto, non concupiſces rem proximi tui. Item, nihil punitur iuſtè, niſi tantùm peccatum: ſed Deus punit actum interiorem, tametſi reperiatur ſine actu exteriori, iuxta illud Euangelij. Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt in corde ſuo. Reſpublica verò punit actum exteriorem ſine actu interiori; nam de interioribus Eccleſia non iudicat: ergo actus interior & exterior ſunt diſtincta peccata. Vltimò, cauſa & effectus idem eſſe non poſſunt: nihil enim eſt cauſa ſui ipſius: ſed bonitas & malitia actus interioris, eſt cauſa bonitatis & malitiæ actus exterioris, & econtrario, vt ſæpe dictum eſt: ergo impoſsibile eſt quòd actus interior & exterior habeant eandem malitiam, & ſint idem numero peccatum. ¶ Contrarium docent Doctores in primis graues; Magiſter in ſecundo, diſtinctione. 42. Durandus in eadem diſtinctione, quæſtione prima. & Bonauentura ibidem S. Thom. quæſtione prima, articulo. 1. hîc, & probatur. Nam nemo hominum explicat in confeſsione ſi occidit, quòd voluerit occidere, ſed tantùm explicat ſe occidiſſe. ergo argumentum euidens eſt, quòd actus interior, & exterior ipſi coniunctus, non ſunt duo peccata. Deinde, actus exterior de ſe non habet meritum, aut demeritum, non laudem, aut vituperium, niſi ratione actus interioris, vt apertè conſtat. ergo actus exterior non eſt diſtinctum peccatum ab interiori. Idem confirmatur. Nam actus interior, & exterior ipſi coniunctus, eodem præcepto prohibentur, vt videre licet in his præceptis, non occides, non adulterabis: & ratio eſt euidens; quoniã actus exterior non prohibetur, niſi quatenus eſt voluntarius. Similiter eodem præcepto præcipitur actus interior, & exterior ipſi coniunctus, vt animaduertere licet; ſabbatha ſanctifices, honora parentes. Præterea, vbi vnum eſt propter aliud, ibi eſt tantùm vnum, autore Ariſtotele ſecundo topicorum, capitulo. 2. Sed actus exterior eſt bonus vel malus propter actum interiorem, vt ſæpe demonſtratum eſt: ergo tantùm eſt vnum peccatum. ¶ Sed explicare quomodo in diuerſis actibus ſit eadem malitia numero, & idem peccatum, difficillimum eſt. Id quomodo fieri poſſit, explicant Doctores dupliciter. Durandus in loco citato ſic explicat. Peccatum, inquit, nihil aliud eſt, quàm defectus actus, vel actus defectuoſus, & difformis ad rectam rationem. Itaque peccatum eſſentialiter nihil aliud eſt, quàm defectus, ſiue deformitas. Ex hoc ſtatim ſequitur, quòd ſi in aliquo actu reperiuntur duæ deformitates, neceſſum eſt in eodem actu inueniri duas malitias; vt cùm quis cognoſcit alienam mulierem in loco ſacro; in tali opere inuenitur duplex malitia: eſt enim vna deformitas cognoſcere alienam vxorem, quæ reducitur ad ſpeciem luxuriæ; eſt alia difformitas, nam infertur iniuria loco ſacro, quæ reducitur ad ſpeciem ſacrilegij. Secundò ſequitur, quòd ſi in diuerſis actibus poteſt eſſe eadem deformitas numero, conſe-

Almay.

Gregor. Gabriel.

Arguitur pro iſtorũ ſententia.

Primũ arg.

Secundum

Tertium.

Vltimum.

Mag. ſent.

Durand.

Bonauent.

D. Tho.

Ariſto.

Quomodo eadem malitia numero ſit in diuerſis actibus.

Expoſitio Durand.

consequens est quòd erit idem peccatum numero : id autem quomodo sit possibile, inuestigandum est. Pro quo sciendum est, plura & distincta subiecta non posse denominari ab eodem accidenti secundum numerum, denominatione intrinseca, benè autem denominatione extrinseca. Vocat Durandus denominationem intrinsecam, quæ est per inhærentiam; extrinsecam verò, quæ non est per inhærentiam. verbi gratia. aër dicitur calidus, & animal sanum, denominatione intrinseca; quia est per aliquod sibi inhærens: & hoc modo impossibile est quòd plura & distincta subiecta denominentur intrinsecè ab eodem accidenti secundum numerum: nam impossibile est quòd idem accidens sit in duobus subiectis distinctis. Rursus, sol dicitur calidus, & medicina dicitur sana, denominatione extrinseca : non enim dicitur sol calidus, propter calorem: & idem est iudicium de medicina, respectu sanitatis: & in isto sensu plura ac distincta subiecta ab eodem accidenti denominari valent: aër namque dicitur calidus, & sol itidem calidus, ab eodem calore numero, qui in aëre est subiectiuè, & intrinsecè, & in sole effectiuè: similiter animal, medicina, diæta, vrina, denominantur vniuersa hæc ab eadem sanitate, quæ est in animali, quam medicina causat, diæta conseruat, vrina significat. Ad eundem modum, actus interior & exterior denominantur boni vel mali, eadem bonitate, vel malitia, quæ in actu interiori intrinsecè est, in actu exteriori extrinsecè, & obiectiuè. Et quòd ita sit, probat Durandus: nam nulli actui humano potest competere bonitas vel malitia moralis, nisi quatenus est voluntarius, dicēte Sancto Augustino, peccatum adeò est voluntarium, quòd si non est voluntarium, peccatum non est. Sed actui interiori conuenit voluntarium intrinsecè; velle enim, est in voluntate; actui verò exteriori, obiectiuè, & extrinsecè; actus enim exterior ideo est voluntarius, quia est obiectum voluntatis. ergo bonitas vel malitia competit actui interiori intrinsecè, & subiectiuè, actui vero exteriori extrinsecè, & obiectiuè: talia verò possunt ab eodem denominari, vt dictum est. Idem confirmatur; Nam posito solo actu voluntatis, habetur vera ratio culpæ, aut virtutis; positis verò actibus exterioribus absque actu voluntatis, nihil inuenitur culpabile: ergo euidens est, quòd actus exterior in se nullam habet bonitatem aut malitiam, alio qui maneret in ipso, secluso omni actu voluntatis. Hæc explicatio Durandi mihi ex omni parte non placet : nam licèt dicat verum in actu exteriori, qui in membris, & potentijs executiuis consistit, in quibus nulla prorsus est libertas; sed non dicit verum in actibus intellectus exterioribus, & etiam appetitus sensitiui, in quibus oportet exponere, quomodo sit eadem bonitas, credere, & velle credere, vouere, & velle vouere: idem peccatum numero, errare contra fidem, & velle errare; & temerariè iudicare, & velle iudicare. Vterq; enim actus, tam interior, quàm exterior, est bonus formaliter, & malus, & non tantùm denominatione extrinseca: oportet ergo exponere, quomodo eadem malitia sit in duobus actibus malis formaliter. Quare S. Thom. in loco allegato aliter explicat propositam difficultatem, dicens, quòd actus non constituitur in genere moris, nisi propter voluntatem, in quantum à voluntate est elicitus, vel imperatus. Ex quo statim sequitur, posse accidere, quòd idem actus in genere naturæ sit multiplex, & diuersus in genere moris; vt cùm quis incipit motum continuum bona intentione, & finit mala intentione, variatur actus in genere moris, quia variatur voluntas. Rursus, potest contingere quòd sint multi actus in genere naturæ, & sint vnum in genere moris: vt patet in eo qui furatur: omnes enim actus qui ordinantur ad furtum, qui possunt esse valde multi, reputantur vnum peccatum, propter vnam voluntatem, à qua referuntur in finem furti peruersi: ad eundem modum actus interior, & exterior ipsi coniunctus, reputantur vnum peccatum, propter vnitatem voluntatis. ¶ His positis, ad argumentū Greg. negatur consequentia; non enim rectè sequitur, medicina est sana, & non est idem sanum quod animal, ergo diuersa sanitas est in medicina, atque in animali. Secundò, alia de causa negatur consequentia: nam potest contingere quòd aliquid sit multiplex in vno genere, & vnum in alio genere; sicut domus in genere substantiæ multiplex est, habet enim plures lapides, & plura ligna, sed in genere qualitatis vna est; nam dicit vnam figuram, ad quā conficiendam vniuersa hæc ordinantur. Non dissimiliter, actus interior, & exterior in genere naturæ diuersi sunt, sed in genere moris vnum sunt, propter vnitatem voluntatis, sicut suprà dictum est. Ex hac solutione confutantur duo argumenta Gabrielis. ¶ Ad tertium argumentum dicendum est, quòd actus interior, & exterior ipsi coniunctus, nō prohibentur diuersis præceptis, sed vno, vt est illud, nō furtū facies, nō occides: & ratio euidēs est; nam actus exterior nō prohibetur, nisi quatenus est volūtarius: itaq; homicidiū voluntariū

Augus.

D. Tho. explicatio.

Argumēta Gregorij dissoluuntur.

Ad primū, & secūdū.

Ad tertium

vno præcepto prohibetur. Verum eſt tamen, quòd actus interior, non prorumpens in exteriorẽ, & ipſe exterior, diuerſis præceptis prohibẽtur, & ſunt plura peccata; nõ propter diuerſitatẽ actus interioris, & exterioris, ſed propter diuerſitatẽ actus interioris. Sed de explicatione horũ præceptorũ in articulo ſequenti diligentiùs tractatur. ¶ Ad quartum argumentum dicendum eſt, quòd nec Deus, nec reſpublica punit actum exteriorem ſine interiori, ſed Deus qui intuetur corda hominum, punit interiorem ſine exteriori, reſpublica verò punit interiorem, quatenus prorumpit in exteriorem; ex hoc verò non eſt conſequens, quòd actus interior, & exterior ipſi coniunctus, ſint duo peccata. ¶ Ad vltimum argumentum reſpondetur, quòd licèt eſſet diſtincta malitia in actu interiori, & exteriori, nihilominus ſecius computatur vnum peccatum, propter vnitatem volũtatis. Secundò dico, quòd eadẽ eſt malitia in actu interiori, & exteriori, ſed in actu interiori, intrinſecè, & formaliter, in actu verò exteriori, extrinſecè & obiectiue. ¶ Sed hæc ſolutio petit grauem difficultatem, vtrùm actus exteriores dicantur boni vel mali tantùm extrinſeca denominatione? Ad id explicandum, dico primò, quòd actus exteriores dicuntur boni vel mali formaliter, & intrinſecè, ad hunc ſenſum, quoniam ſunt conformes, aut difformes rationi rectæ; quã bonitatem, vel malitiam, ego in ſuperioribus appellabam bonitatem, vel malitiam in eſſendo. Secundò dico, actus exteriores ſunt boni vel mali cauſaliter, quoniam cauſant bonitatem, vel malitiam in volũtate: ideo enim velle furari, malum, quia furari malũ. Tertiò dico, actus externi in exercitio, & in vſu tantùm dicũtur boni vel mali denominatione extrinſeca, à bonitate vel malitia quæ eſt in volũtate; nam actus exterior non eſt liber, niſi à voluntatis libertate: rurſus non imputatur ad meritum aut demeritum, niſi propter actum voluntatis. Ex his conſtat, quòd bonitas in executione, tantùm competit actui interiori voluntatis per intrinſecam denominationem.

Ad quartũ.

Ad quintũ.

Vtrùm actus exteriores dicãtur boni vel mali extrinſeca tãtum denominatione.

ARTIC. QVARTVS.

¶ Vtrùm actus exterior addat de bonitate vel malitia ad actum interiorẽ.

SVMMA TEXTVS.

Prima con.

PRima Concluſio. Bonitas actus exterioris, quæ eſt ex bonitate finis, non addit ad bonitatem, niſi contingat meliorem fieri bonitatem in bonis, & in malis peiorẽ. Quod tripliciter occurrit; vno modo, ſecundum numerum, vt ſi quis bono, vel malo fine vult aliquid facere, tamen tunc non facit, poſtea verò & vult, & facit, duplicatur tunc actus, & eſt duplex bonũ, & duplex malum: alio modo, ſecundum extenſionem, vt ſi vult facere malum, & deſiſtat, alius verò cogitat, & perſeuerat, tunc quantò cogitatio diuturnior, tantò eſt peior: tertio modo, ſecundum intenſionem, quia in quantum actus ſunt pœnoſi, vel delectabiles, in tantum intendunt, vel remittunt voluntatem: & prout intenſiùs tendit voluntas, melior & peior dicitur voluntas.

¶ Secunda Concluſio. Si loquamur de bonitate actus exterioris, quæ eſt ex obiecto, & circunſtantijs, ſi comparatur ad volũtatem, vt terminus & finis, hoc modo addit ad bonitatem voluntatis: quia omnis inclinatio, vel motus perficitur, in quantum finem conſequitur; vnde perfecta dicitur voluntas, quæ opportunitate data operatur. Sed nõ decipiatur Theologus, vt ex hac concluſione colligat contra veram doctrinã, quòd actus exterior addit ad bonitatem actus interioris; inſpiciat diligenter quomodo probatio procedat: tantùm enim vult docere, quòd quando fit conſenſus efficax in actum exteriorem, tunc completur, & perficitur actus interior, &

Secunda.

fit peior

fit peior quàm sit ante cõsensum: veluti cùm quis incipit dubitare, an ne occidat inimicum; & sit iam Augusti. Eua seducta (vt vtar verbis D. Augustini) & postea sequitur illa conditionalis, occiderem, si non timerem, cuiusmodi opera mala sunt, & sæpenumero peccata mortalia; & tandem sequitur consensus efficax, & absolutus in opus externum; & dicit, volo occidere: & de hac efficaci volitione asserit S. Th. in secũda cõclusione, quòd est peior præcedentibus, & quòd actus exterior efficaciter volitus, addit bonitatem vel malitiam ad actum voluntatis interiorem, reddendo illum efficacem, & serium.

Tertia. ¶ Tertia Conclusio. Si deest facultas operandi, voluntate perfecta existente, talis defectus perfectionis, qui est ex actu exteriori, est simpliciter inuoluntarius, & sic nihil tollit de præmio, aut de pœna.

Quarta. ¶ Quarta Conclusio. In casu tertiæ cõclusionis actus exterior nullam addit bonitatem, aut malitiã super actũ interiorẽ. Hæc conclusio liquidò concluditur ex tertia.

Vtrùm voluntas efficax ad aliquid operãdũ, tam bona sit, vel mala, quando nõ ponitur act⁹ exterior, ex eo quia nõ datur facultas, acsi poneretur talis actus. Scotus. Primũ arg. Exod. 20.

EXPLICATIO ARTICVLI.

DE quæstione huius articuli est ingens concertatio inter Theologos in. 2. d. 42. & hæc concertatio continet hanc quæstionem præcipuã; Vtrùm quando est voluntas efficax perficiendi aliquod opus, si non datur facultas illud perficiendi, tam bona, vel mala sit, atque si actus exterior poneretur? A parte negatiua huius quæstionis, quam solus sustinet Scotus in quodlibetis. q. 18. existunt optima argumẽta. ¶ In primis, actus interior, & exterior in diuina lege diuersis præceptis præcipiuntur: habetur enim Exod. 20. Non furtum facies, & iterum; Non concupisces rem proximi tui; ergo euidens est, quòd actus exterior secundum diuinam legem, habeat distinctam malitiam. ¶ Deinde, autore D. Augustino. 13. de trinitate. c. 5. miser efficitur homo mala voluntate, sed miserior potestate, qua malum desiderium adimplet. ergo autore D. August. actus exterior, addit magnam miseriam ad actum internum. ¶ Tertiò, inter errores ab Ecclesia damnatos Petri Abailardi, hic est præcipuus, quòd Deus solùm præmiat, aut punit voluntatem, & quòd propter opera non efficitur homo melior, aut peior, nisi fortè in ipso opere volũtas augeatur. ¶ Quartò, qui moritur pro Christo, melior est quàm ille qui habet voluntatem efficacem moriendi pro Christo, nec hoc assecutus est; ergo actus exterior magnã addit bonitatem ad actum internum. Patet antecedens: tum, quoniam ille qui moritur pro Christo, est verè martyr; alius verò minimè: mors enim est de essentia martyrij: ergo qui moritur, melior est; actus enim martyrij est actus virtutis præstantissimus: tum deinde, quoniam ille qui moritur, plus præmiatur; habet enim coronam martyrij: tum vltimò, quoniam ille qui moritur, per opus martyrij habet remissionem omnium peccatorum sine pœnitentia, vt sentiunt plerique Theologi. Sed voluntas efficax moriendi pro Christo, non obtinet remissionem peccatorum sine pœnitentia: ergo qui moritur pro Christo, melior est, & meliorem virtutem habet. Hoc argumentum est magni momenti, si sentiamus quòd martyrium ex opere virtutis, & charitatis habet remittere peccatum, & non ex aliquo priuilegio. ¶ Quintò, recipere baptisma melius est quàm velle recipere, & recipere Eucharistiam meliùs est, quàm velle suscipere; quod ostendo euidenti argumento: nam hęc sacramenta actu susceptа, conferunt gratiam ex opere operato, & illam augent: velle verò recipere non est sacramentum. itẽ occidere clericum, peius est quàm velle occidere; cuius euidens argumentum est: nam qui occidit, est excommunicatus, & irregularis; qui verò vult occidere, non est excommunicatus, nec irregularis. ¶ Præterea, qui occidit hominem, dedit damnum irreparabile; qui verò voluit efficaciter occidere, & non occidit, nõ intulit damnum irreparabile, nec aliquam iniuriam: ergo minus peccat. ¶ Vltimò, in confirmationem huius sententiæ adducuntur varia rerum exempla. Primum, constituamus, inquiunt Scotistæ, duos homines, qui æquali voluntate constituant in testamento decem missarum sacrificia pro se celebrãda; pro vno

Secundum argu. August.

Tertium argu.

Quartum argu.

Quintum argu.

Sextũ arg.

Vltimum argu.

celebrantur,& exijt à purgatorio; pro altero non celebrantur, & non exijt ex purgatorio: ergo operis executio addit bonitatẽ ad actũ interiorem. Proferunt aliud exemplum. constituamus quòd vnus vult ieiunare, vel se flagellare in satisfactionem suorum delictorũ; sed non ieiunat, nec se flagellat: alius verò opere complet; euidens est, quòd iste vltimus plus satisfecit pro suis delictis coram Domino. Aliud exemplum proferunt de peccatis ebriorum, quorũ actus exteriores mali sunt, interiores verò minimè; quoniam nullam habent libertatem. Denique adducunt exemplũ de Iudæo homine, qui arbitrabatur ex errore, actum exteriorem esse malum, interiorem verò minimè: ex quo tale concluditur argumentum. Actus exterior apud Iudæum malus est, interior verò nõ erat malus: ergo actus exterior addit malitiam. Quòd siquis respondeat, actum interiorem apud Iudæum esse etiam malum, quoniam illa ignorantia erat culpabilis. contra; ignorantia culpabilis licèt non excusat à toto, excusat à tanto, vt habent Theologi: ergo actus exterior peior erat. Quòd si Theologus non admittat aliquam excusationem in Iudæo, saltem Scotista, qui arbitratur actum exteriorem esse peiorẽ actu

D. Tho. cõtrarium docet. interiori, aliquo modo excusabitur. ¶ Contrarium docet S. Thom. in tertia conclusione huius articuli, cuius sententia magnis argumentis est confirmanda. In primis

Augusti. D. Augustinus primo lib. de libero arbitrio. c. 3. scribit in hũc modum. Siquis habet voluntatem concubandi cum vxore aliena, & non datur facultas, coram Deo tam reus est atque si opere compleuisset. Refertur hæc sententia D. Augustini de pœnitentia. d. 1. idem docet constanter idem Augustinus Epistola. 49. in expositione quartæ quæstionis, exponẽs illud Matth. 7. In quacunque mensura mensi fueritis, remetietur vobis, id est, in quacunque voluntate feceritis, remetietur vobis. & in sequẽtibus dicit; quòd voluntatis affectus, est mensura factorum, &

Chrysosto. meritorum omnium. Idem habet Chrysost. homil. 26. in Matthæum, dicens; Sola volũtas remuneratur pro bono, aut cõdemnatur pro malo: opera verò exteriora, sunt signa huius

Bernard. voluntatis. Idem probatur ex D. Bernardo Epistola. 77. vbi scribit; Quid pleniùs, quàm quòd voluntas pro facto reputatur, vbi factũ

Gregor. excludit necessitas? Idem docet D. Grego. homilia. 5. super Euangelia: Nemo dicat, imitari volo huius mundi contemptores, sed quod relinquam, non habeo: exteriora enim nostra Domino, quantumlibet parua, sufficiunt; cor namque, & non substantiam pensat, neq; pendit quantum, sed ex quanto profertur. Sanè videtur hæc sententia confirmari ex sacris scripturis; ex Apostolo. 2. Corinth. 8. Vt quẽ- 2. Corin. 8.
admodum promptus est animus voluntatis, ita sit & perficiendo ex eo quod habetis: si enim voluntas prompta est, secundũ id quod habet, accepta est, non secundum id quod nõ habet, id est, non minùs acceptatur à Deo eius promptitudo, etiamsi pauca operetur, quàm si magna, quæ vult, operaretur; quia nõ potest maiora operari. Idem habet Richardus de Richar. de S. Vict.
Sancto Victore, lib. 2. de sacramentis. 4. p. c. 6. dicit in hunc modum; Quando tanta est voluntas in eo qui non operatur, quãta in eo qui operatur, dissimile meritum esse non potest. Quod si quis obijciat; si ita se res habet, vt quid Deus expostulat opus post voluntatem? respondetur, quòd in ipso opere exardescit voluntas, & augetur. Deinde dicitur, quòd sola voluntas remuneratur à Deo, aut damnatur: sed si facultas datur, & non operatur, non est perfecta voluntas, sed velleitas. Cum D. Tho. tenẽt omnes Theologi scholastici in. 2. dist. 42. Greg. quæstione vltima. Duran. q. 1. Gregor. Durand. Gabriel.
& 2. Gabriel quæstione vnica vbi optimè, & fusissimè de hac re dicit; solus Scotus tenet oppositum. ¶ Præterea probatur nostra sentẽtia argumẽtis ex diuina Theologia adductis. Primo, vbi non est noua libertas, non est nouum meritum, aut demeritum, vt apertè constat: sed quòd in actu exteriori non sit noua libertas, sic ostendo. Nam actus exterior necessariò sequitur ex efficaci volũtate, sic quòd membra exteriora obediunt voluntati ad nutum, & resistere non valent. ¶ Deinde, si actus Secundo.
exterior addit aliquid de bonitate & malitia super actum internum, consequens est, in facultate alterius esse adimere bonam partem nostrorum meritorum nobis inuitis. quod asserere, aduersatur sanæ doctrinæ. Bona enim virtutis ea de causa appellantur maxima bona, quia nobis inuitis eripi non possunt: in quibus habet verum illud; nemo læditur, nisi à se ipso. & illud; omnia bona mea mecum porto. Quòd hoc recte sequatur, patet: nam in facultate alterius est impedire actum exteriorem; ergo si actus exterior, addit bonitatem vel malitiam ad actum interiorem, in facultate alterius est adimere bonam partem nostrorũ meritorum nobis inuitis. Hoc argumentum amplificat maximè D. Tho. in articulo. ¶ Tertiò, Tertio. D. Tho.
electio medij, quãdo est mala tantùm ex fine, non est peior quàm intentio finis; vt cùm quis vult dare eleemosynam propter inanem gloriam, non est maius peccatum, quàm inanis gloriæ: sed actus exterior non imputatur ad meritum,

Prima probatio sentẽtiæ D. Tho.

meritum, aut demeritum, nisi ratione actus interioris, & propter actum interiorem; ergo actus exterior peior non est, quàm actus interior. Quarto. ¶ Quartò, sanum quod est in vrina, non addit aliquam sanitatem ad sanitatem animalis; quia vrina dicitur sana, denominatione extrinseca, quia est signum, vel effectus sanitatis: sed actus exterior (vt antea dictum est) dicitur bonus vel malus, denominatione extrinseca; quia est effectus bonæ vel malæ voluntatis liberæ: ergo nō addit bonitatem aut malitiam, &c. Quinto. Item, si addit bonitatem vel malitiam ad actum interiorem, vel illa malitia est æqualis, vel maior, vel minor. Non maior; nā si occidere est malum vt quatuor, velle occidere est malum vt quatuor: bene enim valet, volo vt quatuor peccare, ergo pecco vt quatuor. Nec minor, propter eandem causam; quoniam si occidere est malum vt tria, velle occidere est malum vt tria. Quòd vero non sit æqualis, probatur: nam si æqualis est; sequitur quòd actus exterior, addat duplam malitiam cum actu interiori; quod est inopinabile, quòd ille qui impeditur ne audiat rem sacram contra suam voluntatem, in duplo minus mereatur, quàm qui audit rem sacram. Vltimo. ¶ Vltimò, ad intelligendam doctrinā D. Tho. & Theologorum omnium, oportet considerare actum interiorem coniunctum cū actu exteriori, & tunc facilè est intelligere, quemadmodum actus exterior omnem suam bonitatem habeat ab actu interiori. ¶ Sed ad argumenta in contrarium, ad primum respōdetur, hoc esse peculiare in his præceptis, non furtū facies, non concupisces rem proximi tui, non adulterabis; & non concupisces vxorem proximi tui: tum, ne quis arbitraretur opus tātùm esse prohibitum, & non operis voluntatem; Matth. 5. quem errorem cōdemnat Dominus Matth. 5. dicens; Ego dico vobis, quicūque viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est in corde suo: tum verò oportuit esse in his speciale præceptum, quoniam homines natura trahūtur ad res venereas, & ad res alienas appetendas: in reliquis verò eadem prohibitione prohibentur actus interior, & exterior. Itaque longè aliud iudicium est de appetitu homicidij, de voluntate dehonorandi parentes, aut diffamandi proximos: quāuis enim non inferant iniuriam dum solùm manent in corde, tendunt contra naturalem inclinationem hominis. D. Tho. De qua re legēdus est. D. Tho. 2.2. q. 122. articulo vltimo, ad vltimum. Secundò dico, nō rectè sequi, hoc prohibetur diuersis præceptis, ergo dicit distinctam malitiam, nisi diuersa præcepta trahant actum ad diuersam virtutem: furtum namque prohibetur lege diuina, ecclesiastica, & ciuili, & non habet propterea distinctam malitiam.

¶ Ad secundum argumentum respondetur, quòd frequentissimè & regulariter accidit id quod argumentum probat: nam (vt rectè admonet D. Thom. in articulo) in operis executione exardescit voluntas, & intenditur, vel continuatur, vel reduplicatur. Secundò dico, quòd ex actu exteriori sequuntur maiora dāna, quàm ex actu interiori, scandalum, damnū fratris, & aliquando malefactor suspenditur. Tertiò dico, hanc esse sententiam D. Augustini, esse infelicissimum quòd homo adimpleat desiderium suum; hoc enim supplicio Deus punit eos quos maximè odit, vt patet ex illo Rom. 1. Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum: itaque summa felicitas est non habere potestatem, nec occasionem peccandi.

¶ Ad tertium argumentum respondetur, esse impudentiam asserere sententiam D. Thom. esse damnatam in ecclesia, cùm sit etiam sanctorum Patrum, & Theologorum, vt antea visum est. Secundò, non est certum quòd Abailardus docuerit hanc sententiam: nam D. Bernardus, qui in Epistola. 187. & in Epistola. 194. diligenter refert errores huius hæretici, non meminit huius dogmatis; & Alphonsus de Castro, qui in recensendis hæreticis diligentissimus est, non meminit huius sententiæ: fortè docebat iste hæreticus, satis esse ad salutem æternam habere rectam intentionem, quod est dogma hæreticum: nam si quis peierat pro salute hominis seruanda, grande peccatū committit: vel fortasis docuit, satis esse ad salutē æternam habere voluntatem sterilē sine operibus, quod dogma hæreticum est.

¶ Ad quartum argumentum respondetur, quòd ille qui moritur pro Christo, non est melior coram Deo, quàm ille qui non moritur, si hoc nō est consecutus, quia nō datur facultas: itaque voluntas moriendi pro Christo, si non datur facultas, tam bona & laudabilis est, atque martyrium opere consummatum. quapropter de Diuo Martino cātat Ecclesia; O beata anima, quam etsi gladius persecutoris non abstulit, martyrij palmam non amisit. & de D. Ioanne habetur in Euangelio, Calicem quidem bibetis. & de Virgine Maria; Tuam ipsius animam pertranſibit gladius. Verum est tamen, quòd qui opere complet martyrium, habet coronā, & insigne martyrij, sed hæc corona ad præmium accidentale spectat, non ad præmium essentiale, quod in Dei visione consistit: tale enim æquale est in eo qui voluntate martyr est, vt dicunt Theologi in. 4. d. 49. Illud etiam

dicendum

Ad argumēta respōdetur. Ad primū.

D. Tho.

Ad secūdū.

D. Tho.

Augusti.

Roma. 1.

Ad tertiū.

Bernar.

Castro.

Ad quartū. Voluntas moriēdi pro Christo si nō adest facultas, tam bona est sicut martyrium.

dicendum eſt pro confutatione argumenti, quòd fortaſſe martyrium opere conſummatum, habet ex priuilegio remittere peccatum ſine pœnitentia, quod non habet voluntas martyrij efficax. Si verò teneamus quòd martyrium opere conſummatum, habet remittere peccatum ſine pœnitentia ex virtute charitatis perfectæ, magnum eſt defendere quomodo voluntas martyrij efficax ſit tam perfecta, cùm non poſsit remittere peccatum ſine pœnitentia: dicendum eſt tamen, quòd martyrium opere completum, eſt actus perfectæ charitatis, & fortitudinis, etiamſi non habeat adiunctam pœnitentiam: nam tempus moriẽdi pro Chriſto, non eſt tempus pœnitentiæ, non requirit planctum, ſed animi fortitudinem: voluntas verò efficax martyrij, quando non premit perſecutoris gladius vt ſit actus charitatis, requirit peccatorum pœnitentiam; nam nulla ratione à peccatorum pœnitentia impeditur. Itaque quod hactenus docuimus, hoc eſt, quòd martyrium opere conſummatum, non eſt plus meritorium, quàm voluntas efficax martyrij; ſed voluntas efficax martyrij non eſt ſine pœnitentia peccatorum, propter rationem ſuperiùs commemoratam.

Ad quintũ argum. ¶ Ad quintum argumentum reſpondetur, quòd ſi conſideremus opus virtutis ex parte operantis, æquale eſt meritum, non eſt diſsimilis bonitas: cæterùm quoniam ſacramenta in actu ſuſcepta ex opere operato conferunt gratiam, fatendum eſt, melius eſſe ſuſcipere ſacramenta, quàm velle ſuſcipere. ¶ Ad ſextum argumentum reſpondetur, quòd ille qui occidit clericum, excommunicatus eſt; ille verò qui voluit occidere, & non occidit, excommunicatus non eſt: nam eccleſia, quæ tantùm iudicat de exterioribus, excommunicat pro actu exteriori, & non pro interiori; Deus verò, qui æqualia delicta æquali pœna compenſat, æquali ſupplicio vtrumque punit.

Ad ſextũ.

Ad ſeptũ. Vtrùm occidẽs homi nem corporaliter, grauiùs peccet, quàm occidens ſpiritualiter. ¶ Ad ſeptimum argumentum reſpondetur, eſſe valde difficile: nam ex eo colligunt quidã Theologi non indocti, quòd qui occidit alterum ſpiritualiter, perſuadendo illi peccatum mortale, minus peccat, quàm qui occidit corporaliter: nam qui occidit corporaliter, eſt efficax cauſa damni irreparabilis: qui verò occidit alterum ſpiritualiter, non eſt cauſa efficax damni; nam id non poteſt fieri ſine alterius conſenſu, & tandem damnum eſt reparabile. Nihilominus dicendum eſt, conſequentiam argumenti nonvalere: nam damnum in re ſubſecutum, non imputatur nobis ad peccatum, niſi ratione voluntatis interioris: quapropter ſi ego inuoluntarius intuli damnum, nihil peccaui, nihil teneor reſtituere: itaque tota malitia damni ſubſecuti, in voluntate conſtituta eſt. Ex quo ſtatim ſequitur, apud Deum eſſe idem demeritũ, velle efficaciter intuliſſe damnum, & actu intuliſſe. Illud verò quod inferũt Theologi ex hoc argumento, non eſt adeò certum, imo contrarium docet Caieta. infrà q. 73. art. 8. Sed licèt verum ſit, non militat contra noſtram ſententiam. de qua re fortaſsis erit ſermo in articulo ſequenti. ¶ Ad exempla qui bus Scotiſtæ nituntur ſubuertere doctrinam D. Tho. ſatisfaciendum eſt. Ad primum exemplum iam dictum eſt, quòd miſſarum ſacrificia ex opere operato habent valorem, ſicut ſacramenta: & ideo hoc exemplum non militat contra noſtram ſententiam: loquimur enim de valore operis, quem habet ex ipſa virtute. ¶ Ad ſecundum exemplum dicendum eſt, quòd voluntas pro facto reputatur, quantum ad præmium eſſentiale; cæterùm quantum ad alias vtilitates, & quantum ad præmium accidentale, non reputatur pro facto, vt antea diximus de martyrio: ſatisfacere verò pro pœnis, eſt præmium accidentale, ſicut dicunt vniuerſi Theologi in materia de indulgentijs. ¶ Ad tertium exemplum reſpondetur, quòd quemadmodum actus exterior malus eſt, ſic & interior: fuit enim liber in ſua cauſa, quando liberè, & voluntariè ſe inebriauit. ¶ Ad quartum exemplum reſpondetur, quòd D. Thom. loquitur cum ſcientibus, & non cum ignorantibus, quando nõ excuſantur ex ignorantia. Vel dicendum eſt, quòd hic eſt vnus caſus, in quo ignorantia non excuſat: nam certè ſi quis arbitratur occidere eſſe malum vt quatuor, conſequens eſt vt ſentiat, quòd qui vult occidere, vult peccare vt quatuor: itaque ignorantia excuſat, quando arbitramur obiectum eſſe bonum, vel minus malum, quæ excuſatio in præſentia non habet locum. Ex his omnibus patet, ſententiam D. Tho. & Theologorum eſſe veram. ¶ Sed ad huc non quieſcit animus diſputantis, & arguit in hunc modum. Nam maximum argumentum in moralibus, eſt communis ſenſus omnium hominũ: ſed omnes homines magis deteſtantur actus exteriores, quàm interiores; deteſtamur magis eum qui occidit, quàm qui voluit occidere; puellam quæ commiſit ſtuprum, quàm quæ voluit committere; & maiorem imponimus ſatisfactionem in pœnitentia, ſecluſo vinculo reſtitutionis: ergo euidẽs eſt quòd actus exterior addit malitiam ad actum interiorẽ. Et confirmatur; nam qui dicit in confeſsione ſe occidiſſe, ſatis explicat quòd voluerit occidere: ſed qui dicit in confeſsione ſe voluiſſe occidere,

Caieta.

Ad exẽpla.

Obiectio.

occidere, non satis explicat quòd occiderit: ergo addit. ¶ Ad hoc respondetur, rarissimè euenire quòd quis habeat voluntatem efficacem ante operis executionē: multi enim arbitrantur se habere voluntatem efficacem, & in articulo operis deficiunt: facilè est dicere in lectulo, volo mori pro Christo, & præsente tyranno fugimus; & qui decreuit occidere inimicum, videns illum, terga vertit; de quibus potest dici illud, filij venerunt ad partum, & virtus non est pariendi. Item difficiliùs est mori pro Christo præsente tyranno, quàm velle mori in lectulo pro Christo, & ideò regulariter addit magnum meritum. Propter quod dicebat quidam clericus, qui ab Episcopo reprehendebatur quòd negauerat Christum, si tu habuisses caput inter saxum, sicuti ego habui, aliter sentires. Item dicendum est pro argumenti confutatione, esse omninò necessariū explicare in confessione actum externū; tum propter satisfactionem, & restitutionem iniūgendam, cuius vinculū ex actu exteriori exoritur, non ex interiori: tum verò, quoniam (vt rectè admonet D. Tho. in articulo) ex actu externo voluntas mutatur sæpissimè, vel secundum intensionem, vel secundum continuationem, aut etiam secundum numerum. Secūdò sic argumentor: qui efficaciter vult vno odio voluntatis tantum demereri, quantum omnes dæmones, non tantum demeretur, quantum omnes, vt diximus suprà: ergo voluntas non semper pro facto reputatur. Respondetur quòd non tantum demeretur: nam iste actus voluntatis interior, non habet proportionem cum tanto demerito, & idem prorsus accidit in actu exteriori: nam si quis vno periurio aut homicidio vult tantum demereri, quantū omnes dæmones, non tantum demeretur, propter rationem suprà assignatam. Ex quo euidens est, idem esse iudicium de actu exteriori, & de actu interiori. ¶ Tertiò sic arguitur. Velle furari, malum est, quia furari malū est. ergo furari peius est. Consequentia probatur ex illo axiomate Aristotelæo; propter quod vnumquodque tale, & illud magis. Respondetur, quòd furari est malum, causaliter, & obiectiuè, & non formaliter, & ideo argumentatio non procedit: sicut non sequitur, corpus est album propter albedinem, ergo albedo magis alba; nam albedo non est alba. ¶ Vltimò, quando non datur facultas, voluntas efficax nō est: dictum est enim in superioribus, quòd voluntas efficax non est circa rem impossibilem: ergo non est tam meritoria, sicuti quando adiungitur opus. Consequentia probatur: nam quando sequitur operatio, voluntas efficax est. Ad hoc argumentum dicendum est, quòd conatus voluntatis de se efficax est, & alioqui fertur in rem possibilem, ex aliquo accidenti, quòd non datur opportunitas, caret effectu; hoc verò quoniam inuolūtarium est, præmium adimere non valet. ¶ Sed ad finem huius disputationis explicandum est, quid est quod asserit D. Thom. quòd omnis inclinatio, & motus, perficitur ex hoc, quòd consequitur finem suum & terminū; & post pauca dicit, quòd defectus perfectionis, quæ est ex actu exteriori, voluntate existente perfecta non tollit aliquid de merito, vel de premio? in quibus sententijs videtur esse euidens contradictio; quæ vt explanetur, quæstio est; Vtrum voluntas parata secundum se ad opus perficiendum, & per impotentiam non perficiens opus, sit perfecta voluntas. In huius rei expositionem notat Caietanus ex superioribus, quòd duplex est habitudo voluntatis ad bonum amatum; altera est, secundum quod amatum est in volente secundum quandam proportionem, vel ordinem, & coaptationē ad bonum: & ista habitudo completur in electione, quæ est vltima proportio voluntatis appetentis aliquem finem: sed isto modo habere finem, est imperfectè habere finem. Sed est altera habitudo secundum quam finis est in reali assecutione, & hoc est perfectè habere finem. Dicit ergo Caietanus, quòd secundum priorem habitudinem dicitur quis velle perfectè, iuxta posteriorem dicitur habere perfectè. Ex quo clarè deducitur, quòd velle, perficitur per secundam habitudinem, & sic nulla est contradictio in doctrina D. Tho. nam secundum diuersas habitudines voluntas dicitur perfecta, & imperfecta: verum est tamen, quòd simpliciter, & absolutè voluntas dicitur imperfecta, quando non peruenit ad hoc vt realiter habeat bonum quod desiderat. Hæc solutio Caietani viris doctis non probatur, nam non explicat distinctè mentem D. Tho. & quomodo non sit contradictio in eius sententijs; & ideo alia explicatio est, quòd iuxta doctrinam D. Tho. illa voluntas est perfecta simpliciter, quæ absolute vult aliquid, etiamsi non operetur, quia non est opportunitas vel possibilitas. v.g. vult aliquis conferre eleemosynam, & non inuenit pecunias quas existimabat secum deferre, voluntas illius perfecta est. ¶ Sed duplex perfectio voluntatis considerari potest, vna moralis, alia naturalis. Moralis consurgit ex libero arbitrio, & ex intēsione actus, & ex obiecto bono. Naturalis verò consurgit in quantum inclinatio voluntatis est quidam motus realis, sicut motus lapidis ad centrum.

Dico

Solutio.

Exponendus est in cōfessione actus externus.

Altera obiectio.

Solutio.

Tertia obiectio.

Arist.

Solutio.

Quarta obiectio.

Solutio.

Dubium in litera D. Tho.

Vtrum voluntas parata ad opus, quodex impotētia nō perficit, sit perfecta. Caiet.

Alia explicatio. Voluntas pfecta quæ sit.

Duplex voluntatis perfectio.

Dico itaque, quòd secundum priorem cõsiderationem, voluntas est perfecta in genere moris, tametsi bonum non fuerit consecuta, ex eo quòd non est opportunitas, vel possibilitas operandi: & propterea dicit D. Thom. quòd nullam iacturam aut detrimentum habet in merito, aut præmio, etiamsi non sit operatio exterior; quia ille defectus est inuoluntarius, & ideo non facit voluntatem imperfectam: cæterùm naturaliter non est perfecta, siquidem realiter non peruenit ad id quòd desiderabat, & ideo dolet quòd non fuerit finem assecuta. hæc est secunda explicatio propositæ dubitationis. Sed vera, & germana explicatio est, quam nos suprà insinuauimus, nimirum, quòd quando voluntas non se exerit in opus cùm potest, euidenter concluditur quòd sit imperfecta, & quòd sit velleitas quædam, quæ explicatur his verbis, vellem hoc facere; & non fortis & determinata voluntas: perfecta enim voluntas, & in vniuersum motus perfectus tunc est, quãdo peruenitur ad terminum: cæterùm si voluntas ab opere ad implendo impeditur per impotentiam, non eius imperfectioni, aut imbecillitati tribuendum est.

Resolutio autoris.

Dubiũ circa solutionem ad tertium.

¶ In solutione ad tertium dicit D. Tho. vnam sententiam, quæ habet difficilem explicationem: dicit enim, quòd vniuersa bonitas creaturæ nihil addit supra bonitatem diuinam; quoniam vniuersa a bonitate diuina deriuatur. Ex quo cõsequens est, quòd Deus, & vniuersum, nõ sit aliquid perfectius quàm Deus.

Durand.

Contrarium huius docet Durandus in. 1. dist. 44. q. 3. de cuius sententiæ impugnatione agitur plenissimè. 1. p. q. 4. quapropter ab eius impugnatione supersedendum est.

ARTIC. QVINTVS.

¶ Vtrùm euentus sequens addat ad bonitatem vel malitiam voluntatis.

SVMMA TEXTVS.

Prima con.

PRima Cõclusio. Si euẽtus est præuisus, manifestum est quòd addit: nam si aliquis cogitat quòd ex opere suo multa mala sequi possunt, nec propter hoc dimittat, patet voluntatem eius esse valde inordinatam.

¶ Secunda Conclusio. Quando euentus non est præuisus, si sequitur per se, & vt in plurimum, ex tali opere manifestum est quòd addit. Secunda.

¶ Tertia Conclusio. Si euentus non est præuisus, nec solet sequi frequenter ex tali opere, non addit. Ambæ conclusiones probantur eodem medio: nam res iudicatur secundum quod est per se, & non secũdum ea quæ sunt per accidens. Tertia.

EXPLICATIO ARTICVLI.

DEfinitiones huius articuli sunt certissimæ regulæ in moralibus. Sed videtur quòd prima falsa sit. Nam ex ea sequitur, quòd mulier quæ solatij gratia egreditur in hortum, præuidẽs quòd amasius debet in eam exardescere, peccaret mortaliter: quod asserere absurdum est; alioqui semper deberet domi manere. Idem sequitur de his qui vendunt arma factiosis hominibus, & de his qui vendunt chartas lusorias, & taxillos: atque adeò idem erit iudicium de his qui vendunt res infidelibus, quibus sciunt abusuros ad immolandum suis idolis. Simile erit de vxore, quæ reddit debitum marito petenti, quando scit ea in re maritum peccare, propter votum castitatis quod habet. Simile est quando quis petit sacramentum à sacerdote, quem scit in peccato mortali sacramentum administraturum. Præterea Apostoli Domini præuidebant ex prædicatione Euãgelij grauissima incommoda peccatorum esse subsequutura, imo Christus Dominus præuidebat quia ex sua manifestatione grauissima scelera Iudæorum essent subsequutura. Ergo prima regula D. Thomæ falsum dicit. Secunda regula etiam videtur falsa optimis argumentis. Nam ex venditione officiorum publicorum in republica frequentissimè sequuntur grauissima incommoda, vt apertè constat: ea tamen venditio, iniusta, aut illicita non est. Deinde ex matrimonio clandestino ante Concil. Trident. vt in plurimum sequebantur grauissima incommoda: sed matrimonium clandestinũ illicitum non erat: ergo, &c. Vltimò. Bellum in republica iustum est, atque necessarium: sed ex bello semper sequuntur grauissima facinora. ergo regula falsa est.

Vtrũ prior cõclusio sit vera, & arguitur contra illam.

Dubiũ de secũdæ cõclusionis veritate.

¶ Ad

Exponitur prima regula D. Tho.

¶ Ad argumenta contra primam regulam dicendum est, quòd illa regula habet triplicem commentarium. Primus est, vt intelligatur quando euentus est præuisus, & intentus. Ita se exponit D. Tho. in solutione argument. & infrà. q. 73, art. 8. Quapropter Dominus Caie. existimat esse mendacium in litera articuli; nam vbi debebat legi, præuisus & intentus, dicit, intentus. Secundus commentarius est, vt intelligatur, quando euentus est volitus directè, vel interpretatiuè. De directè volito, euidens est. Sed ille euentus dicitur interpretatiuè volitus, qui licèt non intendatur, placet tamen: vt cùm mulier exit ad audiendam rem sacram, non intendit quidem adamari, sed placet adamari: hæc complacentia mala est. Rursus in alio sensu dicitur euentus interpretatiuè volitus, quando teneor cauere, & possum, & non caueo. verbi gratia. Si ego do gladium furioso, vel parato ad homicidium, mihi imputatur; nam teneor illud cauere ex charitate. Rursus, si Prætor it dormitum prima nocte, & sequuntur in republica furta, & scelera alia, hæc omnia imputantur illi ad delictum, quoniam tenetur ex officio custodire ciuitatem. Tertius commentarius est, si euentus malus est præuisus, quem potes cauere sine tuo incommodo; si nō caues, imputatur tibi ad peccatum. Quòd hæc sit mens D. Tho. patet intuenti literam articuli: & quòd sit vera, demōstro. Nam si quis potest cauere iniuriam sui amici sine aliquo incommodo, & non cauet, certè lædit eius amicitiam. Rursus, si quis potest euitare homicidium futurum vel solo verbo, sine incommodo, si non vitat, peccatum committit: ergo si quis potest cauere iniuriā, & offensam Dei sine aliquo suo incommodo, si non cauet, charitas Dei non manet in illo. Ex hoc statim sequi videtur, quòd si mulier, quæ scit se amandam à suo amatore, quādo egreditur domum, si egreditur sine causa, peccat mortaliter; si verò ex aliqua necessitate, vel vtilitate, non peccat: nam malitia alterius, non debet esse bonis grauamen. Sed quibusdam hæc sententia dura, & falsa videtur, & dicunt, mulierem illam peccare tantùm venialiter, dum otiosè exit spaciari; quia non tenetur vitare scandalum quod sequitur ex malitia aliorum, neque se priuare sua libertate exeundi domo quoties voluerit, etiāsi exeat ad furandum. Est tamen aduertendū, quòd quando esset euentus, qui sequeretur ex actu exteriori secūdum quòd ab illa muliere exercetur, siue ex natura ipsius actus, vt si aspiceret oculo impudico, & impudicis nutibus; vel etiam ex conditione indiuiduali ipsius actus exterioris, vt si aliquis equitans transiret per viam, & conculcaret dormientem, aut transeuntem, tunc malus euentus faceret actum peiorem, si malus erat; aut malum faceret, si erat bonus. Idem etiam, si scandalum esset pusillorum, vel infirmorum, tunc teneretur mulier non apparere in publico ornata, sed occultare faciem, si credit probabiliter futurū scandalum alicuius infirmi: & in tali casu etiam tenebitur missam non audire. Cæterum quando teneatur homo vitare scandalum proximorum, & cum quanto detrimento proprio, non est huius loci, sed agitur de hac materia. 2.2.q.43.art.7. &. 8. & certè horum sententia nequaquam improbabilis nobis videtur.

D. Tho.

Euentus volitus directè, vel interpretatiuè.

Euētus malus præuisus imputatur ei qui cum facilè potuerit cauere nō cauit.

¶ Ex his soluuntur argumenta contra primā regulam facta. Nam ad argumenta contra secundam regulam, dicendum est, regulā illam debere intelligi, quando incommoda sequuntur ex opere per se, & vt in plurimum. Qua de causa affirmant Theologi, fornicationē esse intrinsecè malam; quoniam ex tali opere per se sequitur damnum proli nasciturę: quamuis aliquando per accidens contingat, quòd proles ex fornicatione suscepta, multò meliùs instituatur quàm ea quæ ex legitimo habetur matrimonio. In casibus verò commemoratis, incommoda non sequuntur per se, sed ex malitia hominum.

Quomodo secunda D. Th. regula intelligenda sit.

ARTIC. SEXTVS.

¶ Vtrùm idem actus exterior possit esse bonus & malus.

SVMMA TEXTVS.

Prima con.

PRima Cōclusio. Idem actus simul non potest esse bonus & malus. Hæc cōclusio habetur in argumento, sed contrà, & patet euidenti demōstratione. Nam contraria non possunt esse in eodem simul: sed bonum & malum sunt contraria: ergo vnus actus non potest esse bonus & malus.

Secunda.

¶ Secunda Conclusio. Idem actus in genere naturæ potest esse bonus & malus successiuè. Pro cuius declaratione aduertēdū est, nihil

prohibere

prohibere aliquam actionem eſſe vnam, ſecundum quòd refertur ad genus naturæ, quæ tamen ſit multiplex, ſi referatur ad genus moris: vt ambulatio continua, eſt vnus actus ſecundum genus naturæ, & poteſt cõtingere quòd ſint plures ſecundum genus moris; vt pote ſi mutatur ambulantis voluntas, quæ eſt principium actuũ moraliũ. Vnde ſi accipiatur vnus actus prout eſt in genere naturæ, poteſt eſſe bonus & malus ſucceſsiuè.

Tertia. ¶ Tertia Concluſio. Idem actus in genere moris non poteſt eſſe bonus & malus ſucceſsiuè: nam ſi mutatur de bono in malum, aut ècontrà, iam non eſt idem actus in genere moris.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Vtrũ vnus act⁹ poſsit eſſe bonus & malus ſimul in eodem tẽpore.

IN hoc articulo prima dubitatio eſt; vtrum idem actus poſsit eſſe ſimul bonus, & malus in eodem tempore. Quæſtionem hanc diſputat Almayn. in ſuis moralib. tract. 1. c. 12. & ſuſtinet affirmatiuam partem quæſtionis eſſe veram; quæ ſuadetur his argumentis.

Primo. ¶ Nam ſi quis habeat duas intentiones, placẽdi Deo, & conſequẽdi vanam gloriam, & iudicat eleemoſynam eſſe medium cõueniens ad vtrũq;, ſi conferat eleemoſynam ex vna, & ex altera intentione, tunc illa eleemoſyna eſt bona & mala: ergo idem actus numero, ſimul & ſemel

Secundo. eſt bonus, & malus. ¶ Præterea: nam ſi ſeruus dat eleemoſynam ad mandatum domini ſui propter vanam gloriam, quam dominus iuſsit recta intentione conferri, talis eleemoſyna mala eſt, ſiquidem à mala intẽtione procedit: rurſus bona eſt, quoniam ſatisfactoria eſt.

Tertio. ¶ Idẽ demonſtro de miſſa mali ſacerdotis: nã certè quòd malus ſacerdos celebret miſſam, mala operatio eſt; rurſus ex alia parte miſſa mali ſacerdotis bona eſt, ſiquidem ſatisfactoria eſt. Profectò D. Tho. ſolutione ad. 2. &. 3.

D. Tho. apertè docet, quòd idem actus ſimul ſit bonus & malus à diuerſa voluntate. & in. 4. ſent. diſt. 45. q. 2. arti. 1. q. 3. dicit de eo qui facit ſuffragia in peccato mortali, ex mandato exiſtentis in gratia, quòd illa operatio eſt meritoria, & non eſt meritoria. Idem habet in. 2. d. 40. artic. 4. ad. 4. ¶ Sed probatur maioribus argumentis quòd idem actus ſimul ſit meritorius & demeritorius: ex quo euidens eſt, eundem actum numero, ſimul eſſe bonum & malum.

Primo. In primis, qui dicit officium diuinum, referẽs in Deum, prout debet, ſi poſtea ſubintrat quędam leuis incuria, aut diſtractio mentis, hoc opus demeritorium eſt, ſiquidem peccatum veniale eſt. Rurſus ex alia parte meritorium eſt, ſiquidem refertur in finem ſupernaturalẽ ex vera charitate.

Confir. ¶ Idem confirmatur: nam hæc leuis incuria, & negligentia, non tollit relationem actualem, aut verò virtualem, in finẽ ſupernaturalem: nam peccatum veniale non contrariatur fini charitatis.

Secundo. ¶ Secundò, Deus pronior eſt ad miſerendum, quàm ad punien dum, vt habet prouerbium Theologorum omniũ: ergo ſi punit propter illud opus, quia efficitur peccatum veniale, certè præmiabit illud opus, ſiquidem ab affectu charitatis proficiſcitur. Cuius rei exemplum in humanis inuenitur: nam Rex maximis beneficijs afficit militẽ, vel eum, qui cum ingenti vitæ ſuæ periculo liberat rempublicã, quamuis nonnullam iniuriam leuem contra Regem commiſerit: ergo Deus miſericors illum hominẽ qui pro ſe moritur, afficiet præmio vitæ æternæ, licèt aliquam leuem culpam in ſuo martyrio adiũctam habeat.

Tertio. ¶ Tertiò, omnes ferè Theologi in materia de Euchariſtia conſtãter affirmãt, quòd ſiquis ad hoc ſacramentum accedat cũ imperfecta diſpoſitione, ſic quòd ille actus ſit veniale peccatum, affirmant inquam, quòd talis acceſſus non impedit gratiam ſacramenti. Ex quo tale conficio argumẽtum. Iſte acceſſus eſt peccatum veniale; ergo demeritorium opus. Rurſus, ratione huius acceſſus, & receptionis ſacramenti, datur mihi gratia, & præmium vitæ æternæ. ergo eſt meritorius.

Vltimo. ¶ Vltimò, ex oppoſita ſententia ſequuntur grauiſsima incommoda. In primis ſequitur, quòd vt in plurimum vix homines habeant aliquod meritum coram Deo: nam (vt præter mittamus viros ſanctiſsimos) illi qui non admodum feruidi ſunt, rariſsimè ſe gerunt in bonis operibus ſine aliqua negligentia: cuius rei efficacius argumentum non inuenio, quàm quotidianum experimentum. Hoc autem videtur ſignificare Eſai. capit. 64. cùm ait. Facti

Eſai. 64. ſumus immundi omnes, & quaſi pannus menſtruatæ vniuerſæ iuſtitiæ noſtræ. In qua ſentẽtia oſtenditur apertè, quòd vniuerſæ iuſtitiæ noſtræ, quæ apud Deum laudem merentur,

maculatæ

maculatæ sunt,& infectæ,& leuibus culpis respersæ. Huic concinit alia sententia Iob ca. 9. Verebar,inquit,omnia opera mea,sciēs quòd non parceres delinquenti. Si lotus fuero quasi aquis niuium, & effulserint veluti mūdissimæ manus meæ, tamen sordibus intinges me, & abominabuntur me vestimenta mea: id est,in operibus externis,quamuis mundissima appareant, inuenit Deus quòd correctione indigeant,& quòd culpabilia sint. Igitur quamuis in operibus bonis maculæ sint, vel ex concupiscentia,vel ex negligentia,non perdunt mercedem suam. Sequitur secundum inconueniens, quòd in orationibus negligenter effusis,& in sacrificijs aliqua negligentia celebratis,nullum sit meritum. quòd asserere,durissimum est. Vltimum sequitur inconueniens, quòd adultus possit consequi vitam æternam absque aliquo bono opere & merito, reclamantibus vniuersis scripturis, in quibus legitur; Qui reddet vnicuique iuxta opera sua: & iterum;Et procedent qui bona egerunt in resurrectionem vitæ.& rursus; Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit,siue bonum, siue malum. Quòd rectè sequatur,probo. Nam volo quòd aliquis accedat ad baptismum cum dolore, qui ex aliqua negligentia adiuncta efficiatur peccatum veniale,non impedit tale peccatum effectum sacramenti,vt affirmant Theologi: quapropter si iste continuò ab hac vita discedat,cōsequetur vitam æternam absque aliquo bono opere,& merito. His argumentis, & alijs huiusmodi,facilè ostenditur quòd idem opus sit meritorium, & demeritorium simul: ergo idem opus est simul bonum,& malum.

Prima con. Idem actus proutab eodem egreditur, non pōt simul esse bonus & malus. D. Tho. Durand.

¶Pro huius dubij explicatione sit prima assertio. Idem actus humanus,siue exterior,siue interior sit,non potest esse bonus, & malus simul,prout ab eodem egreditur. Sic docet D. Tho. hîc conclusione prima: sic habet Duran. in.2.d.40.q.3. Probatur ita esse;tum,quoniam bonum & malum sunt contraria, & mutant speciem,vt prius dictum est;tum verò,quoniā idem actus intellectus non potest esse verus, & falsus simul, vt apertè constat: ergo idem actus humanus non potest esse bonus & malus simul: tum vltimò,quoniam bonum cōsurgit ex integra causa,vt habet prouerbiū Theologorum: ergo si opus ex defectu alicuius circunstantiæ malum est,licèt ex alijs mille titulis bonum sit, absolutè & simpliciter malum est. De hac conclusione plura dicentur in sequentibus.

Secūda cō.

¶Secunda conclusio. Idem actus exterior respectu diuersorum,prout à diuersa voluntate egreditur,potest esse simul bonus, & malus. Patet hoc in passione Christi Domini,quæ respectu Iudæorum inferentium, mala fuit,respectu verò Christi patientis,studiosa fuit,& nostræ redemptionis pretium. Idem patet in seruo qui tribuit eleemosynam propter vanam gloriam,quam dominus recta intentione præcepit dare;atque adeò de eo qui in testamento instituit opera bona & pia,quę hæredes propter vanam gloriam adimplent: denique patet in sacerdote, qui in peccato mortali offert sacrificium; huiusmodi namq; sacrificium, quatenus à sacerdote egreditur, non est Deo acceptum,sed quatenus nomine Christi,& Ecclesiæ offertur,est Deo gratissimum.

Idem actus prout à diuersis egreditur, potest esse simul bonus & malus.

¶Tertia conclusio. Idem opus non potest simul esse meritorium, & demeritorium. Pro huius conclusionis intelligentia aduertendum est primo loco, quòd hæretici Lutherani affirmant,omnia opera nostra, quantūuis iusta,esse peccata mortalia;sed quoniam ex diuina misericordia non imputantur nobis ad damnationem, sunt grata, & accepta coram Deo. Sed hæc sententia omnium Sanctorum Patrum suffragijs, & sacri eloquij testimonijs confutata est in Concil. Triden. Sess. 6. cano. 25.de qua re nos suprà diligentiùs mētionem fecimus,quæst.18.artic.1. Alij verò Theologi, qui inter catholicos computantur, opinati sunt, peccata quæ nominantur venialia, ex proprijs meritis esse mortalia, sed ex diuina misericordia imputari tanquam venialia. Hęc sententia ab vniuersis Theologis vno consensu reiecta est,vt in materia de peccatis videbimus. Sunt alij Theologi primarij,qui arbitrantur,quòd opera alioqui egregia,& illustria, licèt ex adiuncta negligentia inficiantur,& efficiantur peccata venialia,habent meritum magnum coram Deo.

Tertia cōc. Idem opus non potest simul esse meritoriū & demeritorium.

Conci. Trident.

¶Pro cuius declaratione sciendum est,quòd si quis exerceat opus alioqui egregium propter vanam gloriā,sic,quòd illa vana gloria sit finis illius operis, sine dubio talis non meretur præmium, sed supplicium;quoniam illud opus caret debito fine, & non progreditur ex charitatis affectu, sed ex vanitatis cupiditate. Quod apertè testatur Dominus Matt.6.cum dicit; Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis,alioqui mercedem non habebitis. Cæterùm si quis exerceat opus alioqui egregium propter bonum finem,& ex affectu charitatis, habet tamen adiunctam negligentiam,vel mentis distractionem,habet hęc opinio, quòd non perdet mercedem suam corā Deo. Hanc opinionem subuertit tertia nostra conclusio, cùm dicit esse impossibile vt idem

Matth.6.

actus ſimul ſit meritorius, & demeritorius coram Deo. Patet hæc concluſio in primis au-
Caiet. toritate maiorum. Dominus Caieta. in opuſc. decem & ſeptem quæſtionum, reſponſione 14. dicit hanc cõcluſionem eſſe ſanam doctrinam, & oppoſitam fauere hæreſi Lutheranæ; nam ex ea ſequitur, quòd iuſtus in quolibet bono opere propter incidentem imperfectio nẽ mereatur ſimul, & peccet venialiter. quod ſolus Lutherus affirmat, & propterea cõdemnatur in Concil. Trident. Seſſ. 6. cano. 25. Et tandem ad finem reſponſionis Caietanus cõcludit, meritum, & peccatum veniale in eodẽ actu inueniri non poſſe: nullus enim peccando meretur. Eſt ſiquidem tantæ vis peccatum veniale, vt ab actu quem afficit, tollat præmium vitæ æternæ, non tamen tollit meritum vitæ æternæ à perſona: viri enim ſancti abſq; eo quòd perdant vitæ æternæ meritũ, peccant venialiter, verùm per actus, qui ſunt peccata venialia, vitam æternam non meren-
Baſilius. tur. Eandem ſententiam confirmat D. Baſil. in ſermo. 2. de Baptiſmo, præcipuè ca. 7. & 8. vbi multis argumentis demonſtrat, quòd vt opus ſit gratum coram Deo, neceſſe eſt, vt vndique bonum ſit; quòd ſi deficiat vel ex circunſtantia finis, vel temporis, vel loci, vel negligentiæ, non eſt acceptum coram Deo. In
Hiere. 48. huius rei confirmationem adducit illud Hier. 48. Maledictus homo qui opus Dei facit negligenter. Ex quo concluditur, quòd opus alioqui egregium, ſi negligenter fiat, maledictionem meretur, non laudem. Item adducit illud Euangelij; Nemo poteſt duobus dominis ſeruire. & iterum; Non poteſtis Deo ſeruire, &
2. Corin. 6. mãmonæ. Præterea citat illud. 2. Cor. 6. Quæ conuentio lucis ad tenebras? quæ participatio iuſtitiæ cum iniquitate? Quibus verbis declaratur eſſe omninò impoſsibile quòd idem opus ſit gratum Deo, & quòd malum
2. Corin. 7. ſit. Denique illud. 2. Corinth. 7. Habentes has promiſsiones chariſsimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & ſpiritus, perficientes ſanctificationem in timore Domini. In quibus verbis manifeſtè declaratur, quòd opus, quod fuerit infectum aliquo inquinamento carnis, aut ſpiritus, non erit gratum
Auguſt. coram Deo. D. Auguſt. in ſua Regula ſcribit, quòd inanis gloria maximè cauenda eſt, quia bonis operibus inſidiatur, vt pereant. & D.
Chryſoſto. Chryſoſto. homil. 13. in Matthæum in opere imperfecto dicit, quòd inanis gloria ingreditur occultè, & omnia quæ intus ſunt inſenſibiliter aufert. Ergo opera alioqui egregia, ſi
D. Tho. inficiantur ex vana gloria adiuncta, meritum non habent coram Deo. D. Thom. eſt perpetuus in iſta ſententia; nam ſuprà quæſt. 18. art. 4. ad. 3. & quæſt. 19. articu. 7. ad. 3. dicit, quòd vt operatio bona ſit, debet habere omnes circunſtantias debitas: ex quo concludit, quòd operatio, cui deficit aliqua ex circunſtantijs adiunctis, ſimpliciter mala eſt. Et allegat in ſuum patrocinium D. Dionyſium, dicentem, Dionyſ.
bonum conſurgere ex integra cauſa, malum verò ex particulari defectu. Præterea eſt ſingularis locus D. Tho. 2. 2. quæſt. 132. artic. 3. ad. 1. vbi dicit, quòd nullus peccando meretur vitam æternam: ex quo ſtatim concludit, quòd opus alioqui ſtudioſum, ſi vana gloria inficiatur, amittit merẽdi virtutem. Certè dominus in Euangelio tantùm promittit regnum cœlorum bonis operibus, at iuſtitiæ noſtræ quæ ex adiuncto habent maculam, ſimpliciter nõ ſunt bona opera, ſed mala, & peccata: ergo pro illis mercedem non habebimus apud patrem. Secundò probatur noſtra concluſio ex rationibus euidentibus, quas adduximus in probationem, & confirmationem primæ concluſionis, ad oſtendendum, eſſe impoſsibile eundem actum ſimul eſſe bonum, & malum. Tertiò demonſtratur: nam ex oppoſita opinione ſequuntur grauiſsima incommoda. In primis ſequitur, quòd idem opus ſit bonum & malum ſimul, meritorium, & demeritoriũ. quod eſt manifeſta contradictio, vt antea dictum eſt. Rurſus ſequitur, quòd idem opus ſit ſecundum legem, & voluntatem diuinam, & idem opus ſit prorſus contra legem, & voluntatem diuinam. quod eſt euidens contradictio. Præterea ſequitur, ſi illud ſit bonum, & meritum vitæ æternæ, quòd illud Deus amet: quòd ſi idem opus malum eſt, euidens eſt quòd Deus illud odio proſequitur. ¶ Quòd ſi dicat Theologus, quòd illud opus ex præcipuo obiecto eſt præclarum, & ideo meretur laudem coram Deo; quoniam verò habet adiunctam malitiam, meretur vituperium. Contrà. Nam vt opus ſit gratum coram Deo, neceſſe eſt vt vndique bonum ſit; aut concedere oportet, actum qui ex vna parte habet bonitatem, & ex alia malitiam, eſſe meritum coram Deo; vt cùm quis furatur ad dandam eleemoſynam. quam ſententiam aduerſari ſanæ doctrinæ demonſtrat optimè Magiſter Mag. ſent.
Sententiarum in. 2. diſt. 40. Item ſequitur alia abſurditas, quòd homo iuſtus in quolibet opere bono propter imperfectionem incidentẽ mereatur ſimul, & peccet venialiter. quod damnatur in Concil. Trident. Vltimò ſequi- Conc. Tri.
tur, quòd idem actus prodeat à virtute, & à vitio, augeat virtutem, & vitium ſimul. Sequitur etiam, quod opus malum, ſiquidem meritorium

torium est, proficiscatur à charitate, & diuino auxilio supernaturali: omne namque meritũ proficiscitur à charitate, & diuino auxilio supernaturali.

Argumẽto rũ solutio. Ad primũ. ¶ Ad argumenta in principio, & ad primum respondetur in primis, quòd talis actus exterior, est simul bonus & malus, quia proficiscitur à diuersa voluntate; & tunc non esse inconueniens eundem actum esse bonum & malum simul, dictum est in secunda conclusione. Vel dicendum est, quòd in tali casu actus non est bonus, sed simpliciter malus: nam licèt actus sit de bono obiecto, si referatur in malum finem, malus est simpliciter; vt dare eleemosynam propter inanem gloriam: ergo licèt actus sit de aliquo bono fine, si referatur in alium malum finem, simpliciter malus est. certè dare eleemosynam propter Deum, & propter vanam gloriam, totus iste actus non est conformis recto iudicio.

Ad argumenta secũdo loco ad ducta. ¶ Ad alia tria argumenta dicendum est breuiter, confirmare maximè nostram secundam conclusionem; in ea namque dictum est, quòd idem actus exterior respectu diuersorum, si ad diuersam voluntatem referatur, simul est bonus & malus, meritorius, & demeritorius.

¶ Ad alia argumenta, quibus probabatur eundem actum esse meritorium, & demeritorium simul, diligentius satisfaciendum est.

Ad primũ. Et ad primum dicendum est, quòd quando quis fundit preces ex incuria, vel distractione culpabili, vel dicit horas canonicas, sine dubio durante illa incuria, perdit meritum: nullus enim peccando meretur vitam æternam. Et cùm dicitur, quòd peccatum veniale non contrariatur charitati, verissimè dicitur; ideò enim non tollit meritum vitæ æternæ à persona, nec facit eam Dei inimicam: cæterùm ab actu quem afficit, tollit meritum vitæ æternæ: nullus enim peccando meretur. Itaque cùm dicitur, peccatum veniale non contrariari charitati, sensus est, quòd non tollit, nec diminuit charitatem, nec auertit ab vltimo fine: sed non est sensus, quòd mereatur augmentum charitatis, aut gloriæ: nec verò quòd sit medium quod aptè referri possit in vltimum finem charitatis. Certè si hoc argumentum aliquid probaret, probaret subinde, quòd mendacium officiosum in homine iusto esset meritorium vitæ æternæ, atque etiam quòd dare eleemosynam propter inanem gloriam, esset meritorium coram Deo. quod contrariatur sententiæ Christi Domini, dicentis; Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis, alioqui mercedem non habebitis.

¶ Et pro argumenti maiori confutatione sciẽdum est, quòd cùm quis incipit fundere preces ex bona intentione, & ingreditur occultè vana gloria, hæc vana gloria non perdit meritum præcedens, nec verò subsequens, si retractatur; sed tantùm inficit illud opus interim dum durat vana gloria. Notan. 1.

¶ Item sciendum est, quòd cùm quis fundit preces ex recta intentione, vt debet, & ex alio incidenti ingreditur vana gloria, tunc reputatur gemina operatio in genere moris; vna est fundere preces recta intentione; & hæc non perdit meritum suum: altera est vana gloria commoueri; & hæc quoniam peccatum est, non est meritoria coram Deo. Quod hactenus docuimus, est, quòd quando opus alioqui studiosum inficitur ex vana gloria, vel ex aliquo adiuncto, non habet mercedem coram Deo. Notan. 2.

¶ Ad secundum argumentum respondetur, quòd ex eo quòd Deus sit pronior ad miserendum, quàm ad puniendum, non est consequens quòd illi sit gratum, & acceptum, quod reuera malum est. Et ad exemplum ex rebus humanis adductum, dico, non consistere similitudinem; nam Dei oculi mundissimi sunt, & ad iniquitatem respicere non valent; homines verò ab hominibus pro turpi obsequio mercedem merentur, vt patet in meretricibus. Ad secũdũ.

¶ Ad tertium argumentum respondetur, non constare inter Theologos de ista quæstione, vtrùm quando quis peccat venialiter in susceptione sacramenti, præsertim Eucharistiæ, conferatur gratia virtute sacramenti. Caietanus id negat tertia parte quæstione. 79. articulo primo: negat rursus Durandus in. 4. distinctione duodecima, quæstione quarta, ad secundum argumentum: idem Paludanus in. 4. distinctione quarta, quæstione quinta, & D. Bonauent. in eadem distinctione. Soto doctissimus tenet contrarium in. 4. distinct. sexta, quæstione prima, articulo septimo, & distinctione vndecima, quæstione secunda, articulo octauo. Sed definire, vtra istarum opinionum probabilior sit, non est præsentis instituti. Nunc pro confutatione argumenti dicendum est, quòd si sentiamus cum Patre Soto, asserendum est, quòd peccatum veniale non est meritorium vitæ æternæ: nó enim confertur gratia ex merito peccati venialis, sed ex virtute sacramenti, cui peccatum veniale obicem non ponit: & sic confutatur Ad tertium. Caieta. Durand. Palud. Bonauent. Mag. Soto.

fatatur argumentum. Et quòd hoc argumentum nihil faueat propositæ opinioni, patet
Soto. euidenti ratione. Nam doctissimus Soto affirmat, quòd si quis suscipiat baptismum propter vanam gloriam, recipit effectum sacramenti: at recipere baptismum propter vanam gloriam, non est meritorium, vt testatur Dominus Matthæi. 6.
Matth. 6.
Ad quartũ. ¶ Ad quartum argumentum respondetur, quòd ex vera & sana doctrina quæ superiùs posita fuit, nullum sequitur incommodum. Nam ad primum quod obijcitur, dicendum est, quòd homines iusti sæpenumero operantur opera studiosa, quæ vndique bona sunt, & habent circunstantias debitas, quando oportet, sicut oportet, &c. & contrarium non probat quotidianum experimentum. Ad illud Isaiæ respondetur, quòd loquitur de iustitijs operum, quas populus Iudaicus ex obseruatione legis sibi conquirebat, alioqui immundus, & extra gratiam Dei longè positus. Et quòd hæc sit explicatio debita, patebit legenti. Alias explicationes dedimus huic sententiæ suprà quæstione. 18. articulo. 1.

¶ Ad testimonium beati Iob dicendum est, sententiam huius dicti esse istam, quòd homo operans ex facultate naturæ suæ, non potest apparere iustus coram Domino. Rursus, homo iustus, & habens gratiam in hac vita præsenti, quoniam multis defectibus, & peccatis venialibus inuoluitur, compositus Deo potiùs debet dici iniustus, quàm iustus: cæterùm si consideretur iustitia fidei diffusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum ex merito Christi, multùm valet in conspectu Dei; nam est iustitia filij sui, quæ est iustitia de omni rigore.

¶ Ad secundum incommodum respondetur, esse verissimum, quòd qui opus Dei facit negligenter, meretur maledictionem, & non laudem apud Deum. ita affirmat Hieremias capitulo quadragesimooctauo. ¶ Ad vltimũ incommodum respondetur, quòd secundum sententiam eorum qui dicunt, quòd quando quis peccat venialiter in susceptione sacramenti, recipit gratiam sacramenti; concedendum est quòd in aliquo casu adultus consequitur gloriam, sine proprio merito. Et quòd sit concedendum sine dubitatione, patet: nam si quis adultus eat dormitum cum attritione, & voluntate recipiendi baptismum, si baptizetur dormiens, & continuò ab hac vita discedat, consequitur vitam æternam, & tamen nunquam habuit meritum vitæ æternæ. Ad idem confirmandum est aliud exemplum. Nam si quis in peccato mortali existens eat dormitum cum aliquo dolore imperfecto, & cum voluntate moriendi pro Christo imperfecta, si occidatur dormiens pro Christo, sentiunt plerique Theologi quòd consequitur gloriam; non ex merito sui operis, sed ex martyrij priuilegio. Est alia dubitatio; vtrùm idem actus interior voluntatis in genere naturæ possit esse bonus & malus successiuè: nam de actu exteriori nulla potest esse dubitatio. Difficultatem huius quæstionis elucidauimus suprà quæstione decimanona, articulo primo, & sustinuimus partem affirmatiuam quęstionis: recolenda sunt quæ eo in loco sunt adducta; hæc enim pro ista quæstione dicta sufficiant.

QVAESTIO XXI.

De his quæ consequuntur actus humanos ratione bonitatis & malitiæ, quæ habet quatuor articulos.

ARTIC. PRIMVS.

¶ Vtrùm actus humanus, in quantum est bonus vel malus, habeat rationem rectitudinis, vel peccati?

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. CONclusio est affirmãs. Nam in tantum actus voluntarius dicitur malus, in quantum recedit ab ordine rationis, & legis æternæ; & in tantum bonus, in quantum his concordat. Malum enim est quæcunque priuatio boni, quæ in plus se habet quàm peccatum, quod propriè est cum aliquis deficit à debito fine; quia non sequitur regulam suam: regula verò in his quæ naturaliter agunt, inclinatio naturalis est; in rationalibus, ratio, & lex æterna. Ex his consequitur, quòd actus humanus,

manus, in quantum malus est, habet rationem peccati; & in quantum bonus, habet rationem rectitudinis.

EXPLICATIO ARTICVLI.

IN hoc articulo aduertendum est, quòd hîc non inquirimus de bonitate, aut malitia actus humani naturali, sed de bonitate aut malitia morali: nam inuestigare de bonitate, aut malitia naturali, non pertinet ad doctrinam moralem. Secundò aduertendum est ex doctrina doctissimorum hominum, Victoriæ, & Soto, quòd licèt opus malum morale, & peccatum, re idem sunt, & pro eodem valeant, nihilominus differunt ratione formali. Dicitur nãque opus malum morale, quia est dissentaneum suæ regulæ: peccatum verò, quia est contra legem, & regulam. Ex quo prædicti autores eliciunt duo dogmata; vnum est, quòd si nulla esset lex, & homo non haberet superiorem, si diceret mendacium, faceret opus moraliter malum, sed non peccaret; quia vbi non est lex, nõ est pręuaricatio, vt asserit Pau. Rom. 4. rursus, vbi non est superior, non est inobediẽtia. Secundum est, quòd si quis ignoraret inuincibiliter Deum, & legem aliquam constitutam, si diceret mẽdacium, faceret opus moraliter malum; at non peccaret, propter rationes superiùs adductas. Contrarium huius habet hic D. Thom. expressè: nam dicit, quòd actus malus, ea ratione quia est difformis suæ regulæ, habet rationem peccati; & nos in superioribus, quæstione. 19. articulo. 4. apertissimè ostendimus, esse manifestam contradictionem, quòd sit opus moraliter malum, & quòd peccatum non sit: quapropter istorum autorum sententia amplectenda non est.

Victoria. Soto. Opus malum morale & peccatum differũt ratione formali. Roma. 4. D. Tho.

¶ Sed contra conclusionem est vnum argumentum. Nam si Deus nullam statuisset pœnam, nullum esset peccatum, vt apparet; si quidem nihil esset supplicio dignum. ergo actus humanus habet quòd sit peccatũ, ex eo quòd ad pœnam ordinatur, & non ex eo quòd malum sit. Ad hoc argumentum respondetur, falsum esse antecedens: nam sicut dantur actus boni sine præmio, vt patet in beatis; ita dãtur peccata sine nouo supplicio, vt patet in damnatis. Et quanquam nulla esset pœna statuta, odium Dei esset peccatum, & vituperabile: quapropter peccatum veniale non est ordinatio ad pœnam temporalem, vt falsò arbitratur Scotus. De qua re diligentiùs dicetur in materia de peccatis.

Obiectio. Solutio.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ Vtrùm actus humanus, in quantum est bonus, vel malus, habeat rationẽ laudabilis, vel culpabilis.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio.

CONclusio est. In solis actibus volũtarijs est laus, vel culpa. Dicitur enim actus laudabilis, vel culpabilis, ex hoc, quòd imputatur agenti: nam nihil aliud est laudari, vel culpari, quàm malitiam, vel bonitatem sui actus alicui habẽti eum in sua potestate imputare. Sed homo per voluntatem dominus est suorum actuum; vnde in solis actibus voluntatis constituitur ratio laudis, vel culpæ.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Duo axiomata.

EX his definitionibus colligũt Theologi duo axiomata; alterũ est, quòd necessaria, & naturalia non sunt laudabilia, vel vituperabilia: alterũ est, quòd opera, quæ progrediuntur ex libero arbitrio hominis, qui habet dominium suorum actuum, laudem, vel vituperationem, merentur. ¶ Videtur certè quod primũ axioma falsum sit. Nam visio beata est laudabilis, & omni laude digna; at est necessaria, vt Theologi affirmant: ergo intentum. Rursus, amor Dei in patria, laudabilis est, & omni laude dignissimus: at necessarius est, vt constat ex Theologia. ergo. Præterea, Christi opera laudabilia sunt, & laudem promerẽtur; at necessaria fuerunt: tum, quoniam non potuit peccare; tum verò, quoniam non potuit diuinæ voluntati contradicere; tum verò, quoniam vniuersa opera Christi procedebant ex dilectione Dei beatifica, quæ in beatis necessaria est. Idem argumentum potest fieri de confirmatis in gratia, qui non possunt diuina mandata transgredi, neq; peccare. Quartò, pueri baptizati, qui continuò discedunt à vita, habent laudem coram Deo; at non habent actum liberi arbitrij. Rursus, pueri non baptizati, qui discedunt cũ peccato originali, condemnantur, & vituperationẽ habent, & tamẽ non habent actũ liberi arbitrij. ¶ Hæc argumenta confutanda sunt, si prius ostendamus axioma illud esse verum.

Vtrùm necessaria laudẽ pro mereantur. Primo. Secundo. Tertio. Quarto. Necessarijs nõ meremur.

Ariſto. In primis illud aſſerit Ariſt. 3. Ethi. c. 5. quo in loco dicit, naturalia, & neceſſaria, non eſſe laudabilia, aut vituperabilia. Conſimilem ſententiam repetit D. Aug. ſæpenumero in ſuis operibus, cuius eſt illa celebris ſententia. Peccatũ adeò voluntarium, quòd ſi non eſt voluntarium, peccatum non eſt, neque vituperationem meretur. Simile eſt illud in eodem D. Auguſt. Nullus peccat in eo, quod nulla ratione caueri poteſt. Ex quo concludit Aug. peccatum eſt; caueri igitur poteſt. & item; peccatũ eſt facere quod iuſtitia vetat, in quibus liberum eſt abſtinere. habet D. Aug. hæc teſtimonia. 1. de lib. arb. c. 12. 13. 14. 16. ſecundo lib. de lib. arb. c. 1. & 16. & 3. de lib. arb. c. 1. 16. 17. 18. & 1. retrac. ca. 9. & 15. & lib. de duab. animab. cap. 10. & 11. & rationes euidentes ſuffragantur. Nam actus, qui expers eſt libertatis, non eſt actus vitij, aut virtutis: ergo non meretur laudem, aut vituperationem. Rurſus, opera neceſſaria, quæ non ſunt poſita in noſtra facultate, impoſsibile eſt quòd mereantur reprehenſionem: ergo impoſsibile eſt quòd laudẽ mereãtur. Tertiò, certè ille non peccaret, neq; mereretur reprehenſionem, cuius dormientis manu alius ſcriberet aliquid flagitioſum. Rurſus, ſi homo valentior apprehenſa mea manu me inuito percutiat alium, non mererer ego aliquam reprehenſionem. Præterea ſi quis reprehenderet lapidem, vel laudibus proſequeretur, quoniam magno impetu in ſuum locum deſcendit, ipſo lapide ſtultior eſſet; ea nimirum de cauſa, quoniam lapis neceſſariò, & non liberè deſcendit in locum ſuũ. Verum eſt igitur illud prouerbium, neminem mereri laudem aut vituperium, niſi in operibus liberis, & volũtarijs. Certè Roffenſ. optimè argumẽtatur aduerſus Lutherũ, aſſerentem quòd omnia ex neceſsitate eueniant, & non eſſe in facultate hominis vias ſuas bonas, aut malas facere. ſi ita res ſe habet, inquit, quid nos reprehẽdis, quòd ſimus Papiſtæ, quòd tuis dogmatibus contradicimus? ſiquidem aliter fieri non poteſt, & in his operibus neceſsitamur. Eadem ratione poteris componere inuectiuas contra ignem quòd comburit. ¶ Ad argumenta in contrarium, & ad primum reſpondetur, quòd viſio beatifica, quanquam eſt immutabilis, & neceſſaria, eſt laudabilis, & omni gloria digniſsima, quoniam in ſua cauſa fuit voluntaria, & libera: ſiquidem actibus voluntarijs, & liberis fuit acquiſita vt præmiũ noſtrorum laborum. ¶ Ad ſecundum argumentum idem dicendum eſt de dilectione beatifica. ¶ Ad tertium argumẽtum reſpondetur, quòd Chriſtus Dominus non meruit nobis per dilectionem beatificam, quæ in illo neceſſaria erat, ſicut in alijs beatis; ſed per dilectionem illam, quam habuit in quantum viator; ſed de hoc diligentiùs tractatur in materia de Merito. De cõfirmatis in gratia dicendũ eſt, quòd abſolutè, & ſimpliciter poſſunt peccare, & diuina mandata tranſgredi: verum eſt tamen, quòd ſuppoſito priuilegio confirmationis, nunquam peccabunt mortaliter. ¶ Ad vltimũ argumentum reſpondetur, quòd ſicut pueri damnantur, & vituperantur ex malo merito primi parentis, ita ſaluantur, & laudantur ex bono merito Chriſti Domini, quod in baptiſmate illis applicatur. Sed de his omnibus diligentiùs in materia de merito. De ſecũdo axiomate, quàm verũ ſit, dictum eſt ſuprà. q. 1. ar. 1.

Argumentorum ſolutio. Ad primũ. Ad ſecũdũ. Ad tertiũ. Ad vltimũ.

ARTIC. TERTIVS.

¶ Vtrùm actus humanus, in quantum eſt bonus, vel malus, habeat rationẽ meriti, vel demeriti.

SVMMA TEXTVS.

Concluſio. Oncluſio eſt affirmãs. Nam meritum, vel demeritum, dicuntur in ordine ad retributionem, quæ fit ſecundum iuſtitiam: talis autem retributio ſecundum iuſtitiam, fit ex eo, quòd quis agit in nocumẽtum, vel profectũ alterius: vnde prout aliquis in ſocietate viuens, eſt aliquo modo pars, & mẽbrũ totius ſocietatis, ita quod agit in bonũ vel malũ alicuius exiſtentis in ſocietate, in totam ſocietatẽ redundat: ſicut qui lædit manũ, per cõſequẽs totũ lædit hominem. Et ſi aliquid agit in bonũ vel malũ alicuius ſingularis perſonæ, duplex cadit ratio meriti, vel demeriti: vno modo, ſecundũ quod debetur ei retributio à ſingulari perſona, quæ læditur, aut iuuatur: alio modo, prout debetur à toto collegio: nam ſi directè ordinatur

in bonum

in bonum vel malum in totũ collegium, debetur ei retributio, principaliter à toto collegio, & secundariè ab omnibus collegij partibus. Sed si in bonum vel malum proprium aliquis operatur, ei debetur retributio, in quantum vergit in bonum cõmune, prout ipse pars est collegij, licèt nõ debeatur ei retributio in quantum est bonum vel malũ singularis personæ, quæ est eadem agenti, nisi secundum quãdam similitudinẽ, prout est iustitia hominis ad seipsum.

ARTIC. QVARTVS.

¶ Vtrùm actus humanus, in quantum est bonus, vel malus, habeat rationẽ meriti, vel demeriti apud Deum.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Conclusio est affirmans. Nam qui facit actum malum, non seruat Dei honorem, qui ei, vt vltimo fini, debetur: ipse enim est vltimus finis, ad quem omnia referri debẽt. Etiam ex parte communitatis pertinet ad Deum retribuere de his quæ benè vel malefiunt, cum sit ipse rector, & gubernator totius communitatis. Et quamuis ex nostris actibus nihil ei accrescat, vel diminuatur; tamen homo, in quantum in se est, aliquid Deo subtrahit, cùm non seruat ordinem quem ipse instituit.

EXPLICATIO ARTICVLOR.

Vt isti articuli explicentur, non est necesse explicari à nobis de meritis bonorum operum in ordine ad homines, aut rempublicã. De meritis verò bonorum operum in ordine ad Deum, multas Theologi mouent quæstiones. In primis disputant; vtrùm homo ex facultate naturæ possit mereri apud Deum; Rursus, vtrùm homo existens in gratia, propriè mereatur coram Deo? Tertiò, vtrùm omnè opus bonum existentis in gratia, sit meritoriũ vitæ æternę. De his quæstionibus diligentiùs tractatur in quæstione vltima huius partis in mat. de merito, propter quod in illum locum referendæ sunt. ¶ In his articulis duo solùm volo disputare; vnum est, Vtrùm opus malum sit meritorium coram Deo. Pro parte affirmatiua sunt optima argumenta. In primis, accessus Iacob ad Liam fuit meritorius, vt planè constat; sed fuit actus malus, siquidẽ obiectũ reuera erat malũ, & prohibitũ: & actus (autore D. Th.) habet malitiam ex obiecto: ergo actus malus est meritorius apud Deũ. Idẽ ostendo ex sanctis scripturis: nam Ezech. c. 29. scribitur. Fili hominis, Nabuchodonosor rex Babylonis seruire fecit exercitũ suũ seruitute magna contra Tyrum: & merces nõ est reddita ei. In qua sententia manifestè significatur, Regem Babylonis, alioqui iniustũ, & qui mala intẽtione obsederat Tyrum, mercedem meruisse apud Dominum. imo dicit textus sacer, quòd decreuit illi Dominus Ægyptũ in mercedẽ. Idẽ demõstratur Exod. c. 1. quo in loco narrat textus sacer, quòd obstetricibus Hebræis benefecerit Dominus, & ædificauerit domos illarum, pro mendacio quo mentitæ sunt. Idẽ argumentũ fieri potest de Raab meretrice, quã Dominus pro mẽdacio, quo occultauit filios Israel, præmiauit mercede magna, vt habetur Iosue. 2. Hoc argumentum adductũ ex sacra scriptura exaggerat multùm D. Aug. lib. contra mẽdac. ca. 15. 16. & lib. quæstionum Exod. q. 1. Tertiò sic argumentor. Idẽ Aug. 5. de ciuit. c. 12. & 15. asserit apertè, Deum concessisse Romanis Imperium propter eximias virtutes, amorem patriæ, zelum iustitiæ, beneuolentiam ciuilẽ: at idem Aug. scribit eisdem locis, Romanos non habuisse veras virtutes, sed omnia egisse gloriæ cupiditate, & ambitu: Ergo opera mala habent mercedem apud Deum. Hæc argumẽta statim confutanda sunt; nam non est necesse probari à nobis, quòd opus malum nõ habeat mercedem apud Deum, cùm euidẽs sit, quòd mereatur supplicium coram Deo. Certè præclarè dicit Augu. Quid merebaris ô peccator? peccator quid merebaris? vide si tibi occurrat nisi supplicium, si tibi occurrat nisi pœna.

Vtrũ opus malũ sit corã Deo meritorium. Primo. Secundo. D. Tho. Ezechi. 29. Exod. 1. Iosu. 2. Augusti. Tertio.

¶ Ad argumentum primũ multa dicũt Theologi; quidam dicũt, illum actum fuisse malum moraliter, sed non fuisse de meritoriũ; siquidẽ ignorantia inculpabili fuerit excusatus. Alij dicunt, illum actũ esse rectum & studiosum;

Argumentorum solutio. Ad primũ.

nam volitio, qua quis vult reddere debitum vxori ſuæ, ſtudioſa eſt; ex qua neceſſariò proceſsit volitio, qua Iacob congreſſus eſt cum Lia; ſiquidē exiſtimabat bona fide eſſe vxorē legitimā. Alij verò dicunt, illum fuiſſe rectum, nam erat conformis iudicio huic recto, reddē dum eſt debitum vxori, quam bona fide exiſtimo eſſe legitimam vxorem. Et hæc eſt vera ſolutio argumenti: nam, vt anteà dictum eſt, veritas intellectus practici, nō ſumitur ab eo, quod res eſt, vel non eſt, ſed ex eo, quia dirigit ad rectam operationem, ſecundū prudentiam, & eſt conformis recto, & ſano appetitui. quod ſuperiùs declaratū eſt. ¶ Ad ſecūdū argumentū, de rege Babylonis, in primis dicē dum eſt, quòd quoniam in illo opere ſeruiuit Domino, promiſit illi Deus mercedē tēporalem, nempe terrā Ægypti. Non enim habent Theologi pro incōmodo, aſſerere, quòd peccatores, propter opera quæ faciūt ex motione diuina, licèt mala intentione faciant, mereantur à Deo mercedē temporalē. Ita videtur aſſerere D. Tho. q. vlti. art. vlt. huius partis. Alia ſolutio eſt, quòd Deus tribuit in mercedē temporalem terram Ægypti, non concedēdo, ſed permittēdo iuſto iudicio, vt illo Imperio poti retur; quemadmodū dicit Dominus Matt. 6. Receperunt mercedem ſuam, nimirum ab hominibus, Deo permittente, iuſto iudicio. Et hoc modo contulit Dominus Romanis Imperium, non quidem concedendo ex munere ſuo, ſed permittendo. Illud verò quod eſt ſcriptum de Hebræis obſtetricibus, & de Raab, non ideo factum eſt, quia ſunt mentitæ, ſed quia in Dei homines fuerunt miſericordes: non itaque fuit remunerata fallacia mentientis, ſed benignitas mentis. Verba ſunt D. Aug. loco citato contra mendacium.

¶ Ad tertium argumentum iam antea dictum eſt, cùm de Imperio regi Babylonis conceſſo, diſputatum eſt. ¶ Sequitur aliud dubium breue; Vtrùm opera bona exiſtentium in peccato mortali, mereantur aliquid apud Deū? Pro parte affirmatiua ſunt hæc argumenta. In primis illud prouerbium; Deus nullum opus bonum relinquit irremuneratū: tum verò, quoniam ſi opera bona impiorum nullam habent vtilitatem, non eſſet conſulēdum hominibus impijs vt darent operam ſtudioſis operationibus: tum vltimò, quoniam omnis actus bonus (autore D. Tho. in hoc articulo) eſt meritorius coram Deo. ergo opera bona impiorum merentur apud Deum. In cōtrarium eſt illud 1. Corint. 13. Si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt. ergo opera bona, ſine charitate, nihil valent coram Deo. Hanc quæſtionem propoſitam exponit optimè Dominus Caiet. in opuſculo de fide & operibus. c. 10. In huius rei expoſitionem dico primò, non omnia peccatoris opera, mala ſunt, ſed aliqua bona, & ſtudioſa. Sic definit Concil. Tridēt. Seſſ. 6. canone. 7. idque in ſuperioribus oſtēſum eſt, & rationibus confirmatum. Secundò, pro certo ſtatuendum eſt, quòd opera bona exiſtentium in peccato mortali, non merentur vitam æternam, neque peccatorum remiſsionem. Hoc eſſe verum, vel vna autoritas D. Pauli ſuperiùs adducta apertè conuincit. Tertiò dico, opera bona exiſtentium in peccato mortali, eſſe valde vtilia; tum, quoniam excuſant noua delicta: qui enim ſe exercet in bonis operibus, non inuoluitur nouis delictis: tum verò, quoniam hæc opera mercedem aliquam temporalem merentur, ſicut ſuprà ex verbis Ezechielis oſtenſum eſt: potiſsimè verò, quoniam hæc opera ſunt vtilia ad conſequendā, & impetrandam remiſsionem peccatorum, non per modum meriti, ſed per modum impetrationis, & ſupplicationis. De orationibus quidem teſtatur Dominus Luc. 18. inducens publicanum orātem, Propitius eſto mihi peccatori; & ſic veniam conſecutus eſt. De ieiunio teſtatur Ioel. c. 2. dicens in perſona Domini; Conuertimini ad me in ieiunio, fletu, & planctu: quis ſcit ſi conuertatur Dominus, & ignoſcat? De eleemoſynis teſtatur Daniel. 4. conſulēs Nabuchodonoſori, Peccata tua eleemoſynis redime. & D. Pau. ad Hebræ. 13. Beneficientiæ, & cōmunionis nolite obliuiſci: talibus enim hoſtijs reconciliatur Deus. Eſt inſigne teſtimonium Eſa. capite. 1. ad oſtendendum, quantam vim habeant opera miſericordiæ ad remiſsionem peccatorum impetrandam: habet in hunc modum; Lauamini, mundi eſtote, &c. ſubuenite oppreſſo, iudicate pupillo, defendite viduam. & venite, & arguite me, dicit Dominus. Si fuerint peccata veſtra vt coccinum, quaſi nix dealbabuntur. Ecce offert ſe Deus arguendum ſi non dimiſerit peccata præterita propter opera miſericordiæ. Habemus ergo ex diuinis reuelationibus, quòd opera bona impiorum non ſolùm conducunt ad impetrandam remiſsionē peccatorum, ſed etiam habent comitem diuinam miſericordiam, ita vt veluti lege infallibili impetrent illam. Certè de oratione dicit S. Doctor. 2. 2. q. 83. art. 7. & 16. quòd peccator, ſi petit pro ſe neceſſaria ad ſalutem, piè, & perſeueranter, infallibiliter exaudietur. Idque confirmat autoritate D. Aug. & Chryſoſt. Ex omnibus his patet, inducendos eſſe peccatores ad

opera

Ad ſecūdū.

Per actum malum poteſt quis mereri præmium temporale. D. Tho.

Matth. 6.

Sic de Soto. de iuſt. et iu.

Ad tertiū.

Vtrùm opera peccatoris aliquid mereantur corā Deo. Primo Secundo.

Tertio. D. Tho.

1. Cor. 13.

Caieta.

Conc. Tri.

Peccator non meretur vitam æternam.

Opera peccatorū bona, vtilia.

Luc. 18.

Ioel. 2.

Daniel. 4.

Hebræ. 13.

Eſai. 1.

D. Thō.

opera bona, quandoquidem maximè conducunt ad remissionem peccatorum impetrandam. Cùm ergo dicit D. Paulus, quòd opera, extra charitatem, nihil prosunt, intelligendus est per modũ merit; iat verò prosunt, modis iam expositis ex diuina Theologia. Ex his facilè explicantur proposita argumenta.

Exponũtur quædã D. Th. verba.

¶Sed operæpretium erit explanare, quid est quod dicit D. Tho. ad finem art. quòd omnis actus bonus, quãtum est ex ipsa ratione actus, meritorius est coram Deo? Adhoc elucidandum dicit Caieta. actum bifariam dici meritorium; vno modo, ex ipsa ratione actus, qui bonus est ex obiecto, & circunstantijs: alio modo, ex parte agentis, quatenus est in gratia, vel non est in gratia. Priori modo, omnis actus bonus, meritorius est coram Deo: posteriori consideratione, non est meritorius corã Deo, sed solùm actus bonus existentis in gratia.

Caiet.

Obiectio.

¶Sed contra est breuis obiectio. Nam nullus actus videtur esse meritorius, nisi operans meretur: sed nullus, nisi existens in gratia, potest mereri apud Deum: ergo non omnis actus bonus, de se est meritorius apud Deum.

Solutio.

Respondeo est, quòd quemadmodum albedo non denominat subiectum album, nisi sit extẽsa per totum, vel per maiorem partem, sic actus meritorius, quantum est de se, non denominat agẽtem, qui est auersus ab vltimo fine, & Dei inimicus, & dona impiorum nó probat altissimus. Quòd si daretur homo in puris naturalibus, & operaretur bonum morale, & studiosum opus, certè mereretur aliquod præmiũ à Deo, licèt non visionem beatificam: hoc enim est præmiũ supernaturale, ad quod bona merita hominis ex gratia destinantur.

IN TRACTATVM D. Thom. de Pasionibus Præfatio.

Operis distributio.

VNIVERSAM tractationem de pasionibus animæ diuidit D. Tho. in partes quinque: primùm docet, quidnam pasio sit, deinde quo in loco sit ponenda; mox quomodo distribuatur, præterea vtrum omnis animæ pasio sit laude, aut vituperatione digna; postremò, de singulis animæ pasionibus disputat, ac fusissimè disserit.

Quid pasio sit, & quot modis accipiatur.

Quoniam igitur de pasionibus futura disputatio est instituenda, operepretium erit, quid pasio sit, definire. ¶Pasio, seu animi affectio (quam Græci πάθος vocant) non est vnius significationis, sed multiplicem habet sensum. Primò namque id omne quod quis patitur, pasionem vocare solemus, siue in subiecti ruinam tendat, siue ad eius salutem, & perfectionem spectet. In hac significatione, sentire, & intelligere, pasiones nuncupantur, quas sanè affectiones ad subiecti perfectionem tendere compertum est. Huic significationi, quæ comprehendit omnes pasiones, tum noxias, tum salutares, correspondet alia ex parte, quam Græci ἐνέργειαν vocant; hanc nos operationem, vel efficientiam, aut actionem appellare solemus. Vsurpatur itidem pasionis nomen pro receptione, cum expulsione, & iactura alterius: quod quidem duobus modis accidit. Quandoque enim abijcitur, & deperditur illud, quod in subiecti nocumentum erat; vt cum quis sanitatem adipiscitur cum morbi expulsione: aliquando verò deperditur illud, quod erat in salutem, & subiecti perfectionem: & hoc modo, ægrotare, & morbo affici, pasiones sunt; nam abijcitur illud, quod ad subiecti perfectionem maximè conducebat: isteque est modus proprijssimæ pasionis. Et quòd omnes istæ pasiones in anima reperiantur, manifestum est: etenim secundum receptionem tantùm sentire, & intelligere pasiones vocantur. Pasio verò cum deperditione alterius, atque abiectione illius, non contingit animæ nostræ, nisi secundum corporalem transmutationem; & ideò in hoc sensu, pasio animæ nostræ competere non potest, nisi ex eo, quòd corpori est coniuncta, cùm corpus patitur. Est tamen differentia: nam quando est transmutatio in deterius aliquid, proprijssimè est pasio; quando verò in melius, non ita propriè pasio censenda est. Hinc Aristoteles primo de generatione docuit, quando ex ignobiliori nobilius generatur, generationem esse simpliciter, & secundum quid corruptionem; quando verò opposita ratione, ex nobiliori, id quod ignobilius est gignitur, simpliciter quidem corruptionem, secundum quid autem generationem esse existimandam. Notandum est insuper, hoc nomen pasionis non solùm pro affectibus immoderatis, sed etiam aliquando pro rectè compositis vsurpari. Qua in re Stoici lapsi sunt, pasionem definientes, & eam dicentes animi perturbationem, à recta ratione auersam, & contra animi naturam commotionem. Alij breuiùs definiunt, esse vehementiorem appetitum; vehementiorem autem appetitum illum esse volunt, qui à recta ratione recedit. Ex qua nominis definitione minùs aptè colligit Cicero in quarta

Aristo.

Tuſc. in virum ſapientem haud quaquam animi paſsionem cadere. ita namq; argumẽtatur. In quem cadit paſsio, in eo animi perturbatio à recta ratione auerſa inueniri valet: at in ſapienti viro talis perturbatio à recta ratione auerſa minimè reperiri poteſt; non igitur in eum cadit aliqua paſsio. Ineptum quidẽ argumentum: hoc etenim paſsionis nomẽ, nõ tantùm immoderatos affectus, ſed eos, qui optimè ordinati, atq; compoſiti, ſunt quandoque

Seneca. deſignat. In eodem ſalo hęret Seneca lib. 1. de ira ad Nouatum, cùm probare nititur, iram in ſapientem virum cadere minimè poſſe. Ira etenim, breuis inſania eſt, & quædam animi temeraria perturbatio: ſed inſania virũ ſapientem tenere non poteſt; ergo neque ira in eo inueniri valet. Fallax equidem argumentatio, quippè quæ æquiuocum nomen nequaquam

Hieron. Paſsio & propaſsio. diſtinguit. Verum eſt tamen D. Hiero. in illud verbum, quod habetur Matth. 5. Qui viderit mulierem, &c. diſtinguere inter paſsionem, & propaſsionem; quòd paſsio perfecta ſit, quando rationi dominatur; propaſsio verò, quãdo inchoata eſt in appetitu ſenſitiuo, neque vlteriùs progreditur. Eandem diſtinctionem ap-

D. Tho. probat D. Thom. 3. p. q. 15. artic. 4. & deinceps vſque ad vltimum. Hactenus de nomine. Proximũ iam eſt, vt quid res ipſa ſit, definiamus. ¶ Paſsio eſt quædam inclinatio, ſiue coaptatio quædam, relicta ab agente in paſſo; aut verò eſt inclinatio, & impetus, quo agens trahit paſſum ad ſe. v. g. Ignis, ignem generans, relinquit calorem, & leuitatem in igne genito, quibus qualitatibus, impetu quodam in ſuperum ducitur locum, quem ſubſtantiæ igneæ inhabitant, & dum illic eſt, quieſcit, dum verò illuc tendit, impetu ducitur naturæ, oditque locum inferum, tanquam aduerſum, ac ſibi minimè conſentaneum: Non aliter homo alicui affectus bono, ſi illud eſt iam adeptus, lætatur, & quieſcit; ſin minus, cupit & deſiderat, inimicitiaq; contrarium proſequitur, tanquã ſibi aduerſum, & minus aptum, odioq; habet appropinquare illi: quòd ſi aliquando fortè fortuna appropinquat, dolet, & mœrore afficitur. Iſtæ ſunt animi noſtri paſsiones, quas quidem nonnulli perturbationes, alij inclinationes, doctiores verò affectus nuncupare ſo-

Omnis paſsio cognitionem aliquam ſequitur. lent. ¶ Sed vt hæc definitio exactiùs elucidetur, eſt aduertendum, omnem paſsionem, ſiue inclinationem, cognitionẽ aliquã ſequi, ſiue coniunctam, vt in rebus cognitione præditis, ſiue ſeparatam, vt in rebus tali cognitione carentibus. Habet itaque vniuerſa natura, quantumuis rudis ſit, & cognitionis expers, ſuas inclinationes naturales ab ipſo naturæ autore inditas: operatur etenim Deus in omnibus rebus, tanquã ſummum bonũ ſui diffuſiuum, & omnia propter ſemetipſum conſtituit, vtpote qui finis eſt rerum omnium vltimus. Quapropter in omnibus rebus reliquit Deus inclinationem, & impetum, quo in finem vltimũ, per proximos, & immediatos fines ducãtur. Hæc autem naturalis inclinatio varijs nominibus appellatur: nunc ſiquidem impetus naturalis, nunc naturæ pondus, nunc impulſus, nonnunquam verò inſtinctus, & aliquãdo lex naturæ dicitur & vocatur. De quibus nominibus videndus eſt Cicero lib. 1. de finibus. ¶ Eſt tamẽ mente repetendum, impetum hunc naturæ, non eſſe accidens, neque verò qualitatem aliquam ipſi naturæ ſuperadditam, qua in ſuum trahitur commodum, ſed eſſe ipſammet naturam, ſic à Deo inſtitutam, vt finem ſuũ conſequi valeat; quem ſi adeſſe conſpiciat, quieſcit; ſi abeſſe contempletur, in illum fertur, odioq; contrarium proſequitur; quòd ſi ei aliquãdo appropinquet, inquieta manet. Et in hoc ſenſu dixit Heraclytus Philoſophus, omnia per litem, & amicitiam fieri. Paſsio verò quæ coniunctam ſequitur cognitionem, eſt tantùm in natura cognoſcente; Et in hunc modum definitur. Eſt inclinatio, ſiue motus, ex alicuius cõuenientis, aut diſconueniẽtis cognitione procedens. Iſtum autem ſeruat ordinem, & proportionem, vt ſi naturam conſequatur, non cognitionẽ, ſit naturalis paſsio, ſi verò cognitionem ſequatur ſenſitiuam, ſit animalis paſsio; ſi cognitionem rationis deliberantis, rationalis ſit; ſi verò cognitionẽ ſupernaturalẽ, ſiue fidei, ſiue diuinæ ſapiẽtię ſequatur, erit paſsio diuina. Paſsiones itaq; omniũ hominum, in quatuor diſtribuũtur genera; in naturales, animales, rationales, & diuinas. Ex his iam ſatis definitio paſsionis conſtare poterit. Hæc pro huius diſputationis introductione dicta ſint.

Cicero.

Heraclytus.

Humanæ paſsionis diuiſio.

QVAESTIO XXII.

De ſubiecto paſsionum, quæ habet articulos tres.

ARTIC. PRIMVS.

¶ *Vtrùm aliqua paſsio ſit in anima.*

SVMMA TEXTVS.

Prior con.

PRior Concluſio. In anima nra reperitur paſsio, impropriè accepto paſsionis nomine.

¶ Poſterior

Poſterior. ¶Poſterior Concluſio. Paſsio pro priè ſumpta, non reperitur in anima, niſi per accidens, ratione corporalis tranſmutationis.

ARTIC. SECVNDVS.

¶Vtrùm paſsio magis ſit in parte appetitiua, quàm in apprehenſiua.

¶Concluſio eſt affirmans.

ARTIC. TERTIVS.

¶Vtrùm paſsio ſit magis in appetitu ſenſitiuo, quàm in intellectiuo, qui dicitur voluntas.

¶Concluſio eſt affirmans.

EXPOSITIO HVIVS Quæſtionis.

QVM in anima noſtra variæ inueniantur potentiæ inter ſeſe diſtinctæ atque diuerſæ, vtpote appetitiuæ, intellectiuæ, ſenſitiuæ, atq; aliæ, quæ nutritioni, & vegetationi deſeruiunt, præcipuum quod in tota hac quæſtione D. Tho. vocat in controuerſiam, eſt, an paſsiones animæ inueniantur tantùm in parte appetitiua ſentiente, an verò etiam in voluntate, & intellectu collocari poſsint. ¶ Et quidem quòd in intellectu paſsiones ſitum habeant, & locum, manifeſtum apparet: tum, quoniam intelligere, quoddam pati eſt, ſi Ariſto. fides adhibeatur. 3. de anima. cap. 4. tum verò, quoniam D. Dionyſ. c. 2. de diuinis nominibus, laudãs præceptorem ſuum virum ſanctiſsimum Hierothæum, inquit, ipſum diuina didiciſſe, cùm diuina pateretur: at diuina pati non poterat in parte ſentiente, quippe quæ diuinæ perpeſsionis capax non eſt: ergo patiebatur ſecundum partem intelligentem. ¶Deinde, paſsio (teſte Damaſc. lib. 2. c. 22.) nihil eſt aliud, quã motus quidam ex vno in aliud: at intellectus ex vno in aliud mouetur, cùm ex principijs ad cõcluſiones diſcurrendo, & ſyllogizando progreditur; igitur, &c. ¶ Præterea, paſsio etiam proprijſsimè ſumpta, ibi locũ habet, vbi receptio vnius, cum alterius expulſione inuenitur: ſed in intellectu receptio vnius, cum alterius abiectione conſpicitur, vt cum deſtructo errore, ſcientia recipitur, & vitioſis habitibus deſtructis, ſtudioſi gignuntur; ergo, &c. ¶ Inſuper, potentiæ rationales (teſte Ariſt.) habent ſe ad oppoſita: ſed in intellectu reperitur ſumma beatitudinis delectatio, vt demõſtrat Ariſt. 1. & 10. Ethic. ergo in intellectu poteſt reperiri triſtitia, & conſequenter in eo eſt conſtituenda paſsio. ¶ Tandem, anima noſtra in operationibus intellectus, in quibus mouetur per dona Spiritus ſancti, vtpote per donũ ſapientiæ, intellectus, & conſilij, in his inquam operationibus potiùs mouetur quodam Spiritus ſancti impetu, quàm ſe moueat, potiùſq; dirigitur, quàm ſeipſam dirigat: iſti ergo Spiritus ſancti impetus inter paſsiones recẽſendi ſunt. Idem demonſtratur de prima intellectione noſtri intellectus, quæ antecedit omnẽ voluntatis actum; ſi etenim alius fuiſſet voluntatis actus, iam prima intellectio non eſſet; nihil namque volitum eſt, quin priùs fuerit cognitum. In hac ergo intellectione, noſter intellectus potiùs mouetur, quàm ſeipſum moueat, & agitur potiùs, quàm ſe agat. ¶ Quòd verò in voluntate paſsiones inueniãtur, manifeſtũ apparet: in ea ſiquidem reperitur delectatio, & gaudium; delectatio verò (autore Ariſt.) nõ eſt operatio, ſed paſsio operationem conſequens. Huiuſmodi argumento Scot. in. 1. d. 1. q. 3. &. 4. d. 49. q. 2. labefactare conatur D. Th. ſententiam, quã aſſerit in hac quæſtione, paſsiones tantùm inueniri in parte appetente ſenſitiua. ¶Idem ex ſacra Theologia comprobatur, quæ apertè docet, ex actu, ſiue amore voluntatis, naſci quendam impetum, & afflatum erga rem amatam. Ex quibus probant Theologi, patrem, & filium ſe amando, producere impulſum, & ſpiritum, quo mutuò ſe amãt. In voluntate ergo, præter actum, eſt quidam impulſus quo trahitur in rem amatam. In contrarium eſt ſententia omnium philoſophorum, tam Peripateticorũ, quàm Stoicorũ, dicentiũ, paſsiones animæ tãtùm in parte ſentiẽte eſſe collocandas. Subſcribunt etiam his ſancti Doctores, Damaſcenus, Gregorius Niſſenus, D. Tho. vt in hac quæſtione videre eſt. Suffragatur etiã ſancta ſcriptura, quæ appellat paſsiones carnis, quę operantur in membris noſtris. ¶Pro huius quæſtionis expoſitione recolendum eſt ex his quæ dicta ſunt, Paſsionis nomen multiplicem habere ſignificationem. Quò ergo clariùs quæſtio elucidetur, ſit prima concluſio. ¶Si paſsio vſurpetur pro quauis receptione, in intellectu noſtro paſsiones inueniuntur: intelligere namque, quoddam pati eſt, & recipitur in intellectu, à quo proficiſcitur: & in eadem ſignificatione, velle, eſt quoddam pati; imò omnis actio immanens hac ratione eſt quædam paſsio; recipitur enim in agente, à quo producitur. ¶Secũda cõcluſio. Si paſsio ſumatur pro receptione vnius

Vtrũ paſsiones in intellectu reperiantur. Ariſto. — Dionyſ. — Damaſc. Secundo. — Tertio. — Ariſto. — Quarto. — Vltimo. — Vtrũ in voluntate collocetur paſsio. Primo. Ariſto. Scotus. — Secundo. — Damaſc. Gregor. D. Tho. — Quomodo paſsiões reperiãtur in intellectu. Prima con. — Secũda cõ.

vnius, cum abiectione contrarij, certiſsimè in intellectu conſtituitur: nam, vt demonſtratum eſt, intellectus aliquando abiecto errore recipit ſcientiam, & deſtructis vitijs, ſuſcipit habitus ſtudioſos. ¶ Tertia concluſio. Si vſurpetur paſsio pro inclinatione, & propẽſione, qua res naturæ in proprium commodũ inclinantur, hac ratione paſsio in quauis natura inuenitur, ſiue cognitione prædita ſit, ſiue illius ſit expers. quod in ſuperioribus demõſtratum eſt. ¶ Quarta concluſio. Si paſsio accipiatur pro paſsione animali, ex cognitione cõueniẽtis, aut diſconuenientis prouenientè cum quadam corporis tranſmutatione, tantùm inuenitur in parte appetitiua ſenſitiua. Ad quod intelligendum, cõſiderare oportet, animam noſtram, licèt ſpiritus ſit, propter cõiunctionem quam ad corpus habet, compati ipſo corpore patiẽte & perturbato. Quod quidem duabus de cauſis euenire poteſt: Prima, quoniam anima, forma eſt, quæ corpori vnitur; quare debilitato corpore, debilitatur vnio animæ ad corpus, ac ſubinde ipſa anima. Et ita hoc paſsionis genus, initiũ ſumit à corpore, & in anima habet finem & terminum: cõburitur corpus, mœror tranſit ad animam. Itaque prædicta paſsio ingreditur vſque ad potentias rationales: rationales namque potentiæ radicãtur, & habent fundamentum in eſſentia animæ: debilitata igitur eſſentia animæ, debilitantur ſubinde potentiæ animæ. Alio modo paſsiones corporis ad animam tranſeunt; nam læſo, & perturbato organo, perturbantur facultates potentiarum, quæ à tali organo dependent, ac ſubinde per accidens, & ex conſequenti læditur facultas rationalis, in quantum recipit auxilia à potentijs, quæ organo corporeo vtũtur; nihil enim eſt in intellectu, quin priùs fuerit in ſenſu; & neceſſum eſt intelligentẽ phantaſmata ſpeculari; læſa ergo parte ſenſitiua, læditur intellectus, ſequunturque deliria, & inſaniæ.

¶ Secunda cauſa ob quam contingit animam noſtram pati cum corporis perturbatione, exponenda eſt; hæc namque ad noſtrum inſtitutum maximè ſpectat. Eſt ergo aliud genus paſsionis, quod quidem initium ſumit ab anima, & finitur in corpore; & hæc paſsio vocatur animalis: oritur enim ex apprehenſione, & appetitione animalis, ad quam conſequitur perturbatio corporis; ſicut tranſmutatio mobilis, ſequitur ad operationem motoris. Quare ex diuerſis animalis affectionibus, variæ in corpore oriuntur perturbationes. In lætitia & gaudio dilatatur cor, quaſi velit illud bonum ſuis manibus ſuſcipere; in mœrore & triſtitia conſtringitur, & retrahitur, quaſi velit illud malũ fugere: in ira feruet; in timore frigeſcit. Quare autem tam variæ cordis palpitationes ex animi noſtri affectibus oriantur, alia quæſtio eſt, quæ in alio loco commodiùs exponetur: Nunc rem concludentes, dicimus hoc genus paſsionis in parte rationali collocari non poſſe; nam facultas rationalis non vtitur organo corporeo, neque eius officium eſt immutare corpus immediatè. Hoc igitur genus paſsionis, quod ſecum affert perturbationem corporis, in parte rationali non debet collocari. Rurſus dico, hoc genus paſsionis in facultate nutritiua, aut verò vegetatiua collocari non poſſe; nam hæc facultas tantùm eſt in exterioꝛem materiam agens. Mox definio, hoc genus paſsionis in parte apprehenſiua ſenſitiua non poſſe conſtitui. ¶ Pro cuius explicatione notandum eſt, organum corporeum dupliciter pati; vno modo, tranſmutatione ſpiritali, veluti cùm viſus recipit intentionem, & ſpeciem coloris, non recipit colorem, ſed intentionem coloris: alio modo, tranſmutatione naturali tranſmutatur, vt cùm caleſcit, aut frigeſcit plus nimio: & hæc tranſmutatio per accidens ſe habet ad operationem partis ſenſitiuæ apprehenſiuæ. Cæterùm hoc tranſmutationis genus per ſe ſpectat ad operationem partis appetitiuæ; quapropter in definitione motus appetitiuæ partis ponitur hæc tranſmutatio: definitur enim ira, quòd ſit accenſio ſanguinis circa cor. Alia huius rei demonſtratio eſt. Nam ex apprehenſione facultatis ſenſitiuæ nunquam ſequitur corporis perturbatio, niſi ratione appetitionis, quæ eſt veluti primus motus. Quamuis enim exiſtimemus malum mortis eſſe terribiliſsimum, nunquã fugimus, & timemus, niſi adſit appetitus, qui ad illam rem ſe habeat tanquam ad terribiliſsimam, & maximè incommodam. Vltima demonſtratio eſt. Nam paſsio nihil aliud eſt, quàm quædam inclinatio, qua agens trahit paſſum ad ſe: ſed anima noſtra magis trahitur ad res ipſas per vim appetitiuam, quàm per vim apprehẽſiuam; trahimur enim appetitu ad res ipſas, prout ſunt à parte rei; in cognitione verò trahimur ad res ipſas, prout ſunt in cognoſcente. Ex dictis conſtat, hoc genus paſsionis tãtùm in parte appetitiua ſenſitiua eſſe collocandum. Sed quanquam iſta certiſsima ſint, & Philoſophorum, & Theologorum ſententijs confirmata, & ea vera eſſe, & ratio, & fides conuincit, dicimus etiam in parte rationali inclinationes quaſdam eſſe, quas iure optimo paſsiones appellare poſſumus, & iſtæ ſunt potiſsimæ.

Tertia cõ.

Quarta cõ. Quæ nam paſsiones tantũ reperiantur in appetitu ſenſitiuo.

Quare anima patiatur cũ corpus patitur.

Deciſio quæſtiõis.

¶ Pro

Quatuor principia quibus homo in sua cognitiõe dirigi põt.

¶Pro cuius expositione notandum est, quatuor esse principia quibus homo dirigitur, & & ordinatur in suis operationibus ex parte facultatis cognoscentis; scilicet, sensus, ratio, fides, Spiritus sancti inspiratio extraordinaria, & præter legem communem. Primum principium, nobis, ac brutis commune est: secundum constituit nos homines: tertium constituit nos christianos, & pios: quartum constituit nos diuinos, & Deos. Præterea est notandum, vnumquodque istorum principiorum habere suum regnum, & imperium, vltra quod non progreditur. Sensus extendit se vsque ad sensibilia; quòd si in perceptione sensibilium fallatur, à ratione corrigitur, & emendatur, vt est videre in baculo in aqua immerso, qui fractus apparet, cùm reuera non sit. Ratio verò extendit se vsque ad veritates humanas: quòd si in earum cognitione erret, à fide corrigitur, quæ intellectum captiuat in Christi obsequium, & destruit omnem scientiam, quæ aduersus Dei scientiam se extollit. Tertium extendit se vsque ad cœlos, & vsque ad interiora velaminis, & vsque ad ea, quæ nemo nouit, nisi spiritus Dei qui in ipso est, nobis autem reuelauit per spiritum suum: de quo lumine dicit Paulus; Iustus meus ex fide viuit. Quoniam autem hoc principium imperfectè à nobis participatur, necessum fuit vt à Deo varijs illuminationibus illustraremur, sicuti pupillus à pædagogo dirigitur. Qua de causa oportuit quartum statuere principium, scilicet diuinam inspirationem, de quo Paulus ad Romanos. 8. Quicunque spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt. ¶ Illud insuper consideratione dignum est, quòd quemadmodum ex cognitione sensitiua oritur inclinatio, & propensio ad sensibile bonum, quam passionem appellare solemus; ita ex cognitione rationis humanæ oritur in nobis quædam inclinatio longè purior, qua natura trahimur ad beatitudinem appetendam, ad diligendum Deum super omnia, ad omneque genus virtutis colendum. Vnde inferunt Theologi, virtutes esse secundum inclinationem naturalem, vitia verò contra naturam. De his inclinationibus animo nostro insitis ab autore naturæ, vide Diuum Basil. in ascetics capitulo secundo, & tertio. Ex cognitione sapientiæ diuinæ, aut fidei supernaturalis oritur in nobis, liberè tamen, quidam affectus amoris diuinus, quo inflammata sponsa dicebat; Quoniam dilectione vulnerata sum. & iterum; Quoniam amore langueo. Simili modo affectus dicebat Regius vates; Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est. & iterum, Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei mei? De hoc incendio intelligitur illud; Fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio. Præterea ex inclinatione diuina extraordinaria, & præter legem communem, oritur in nobis quidam Spiritus sancti impetus, quo ducimur in operibus nostris. De hoc impulsu intelligitur illud, Trahe me post te, & curremus, &c. & illud Romanor. 8. Qui spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt.

Roma. 8.

Basil.

¶Sed de his impulsibus magna controuersia est, vtrùm possimus cognoscere quòd à Deo sint. Et videtur cognosci posse: nam ad Romanos. 8. dicitur; Ipse spiritus testimonium perhibet spiritui nostro, quòd filij Dei simus: testimonium verò Spiritus sancti est infallibile. ergo. Deinde. 1. ad Corinthios. 2. dicitur; Nos spiritum Christi accepimus, vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis: ergo per spiritum Christi certissimè cognoscere possumus Spiritus sancti dona, quibus mouemur. Præterea. 1. ad Corinthios. 12. dicitur inter fideles esse facultatem ad discernendũ vtrùm spiritus ex Deo sint. &. 2. ad Corinthios vltimo. Vosmetipsos tentate si estis in fide, ipsi probate: an non cognoscitis quòd Christus habitat in vobis? nisi fortè reprobi sitis. Cui consonat illud. 1. Ioan. 4. Probate spiritus vtrùm ex Deo sint. In contrarium militat illud quod dicitur. 2. Corinthiorum. 11. Angelum Sathanæ sæpenumero transformare se in Angelum lucis.

Vtrũ possimus cognoscere Dei impulsus.

Primo. Roma. 8.

Secundo. 1. Corin. 2.

Tertio. 1. Corin. 12

Vltimo. 2. Cor. vlti.

1. Ioan. 4.

2. Corin. 11.

¶Pro huius quæstionis expositione sit prima conclusio. Quilibet fidelis certò & infallibiliter cognoscit se illuminari à Deo fide supernaturali. id est, certò cognoscit se habere fidem supernaturalem. Probatur ex illo D. Pau. 2. ad Corinthios vltimo. Vosmetipsos tentate si estis in fide. Probatur insuper illustrium virorum autoritate. D. Thom. in illum locum Pauli docet, posse nos cognoscere quòd fidem informem habeamus. idem asserit infrà quæstione. 112. articulo quinto, ad secundũ. D. Ambros. Diuus Chrysostomus, Theophilactus, Lyranus, explicantes adductam sententiam, dicunt nos posse certò cognoscere fidem miraculorum, quæ non minus diuina est, quàm catholica. Deinde omnes Doctores qui nostra ætate scripserunt contra Lutherum, pro comperto habent, quòd si homo esset tam certus se habere gratiam, sicut est certus Deum esse trinum & vnum, certò & infallibiliter cognosceret se habere gratiam. Præterea homo christianus

Prima con. Fidelis certò cognoscit se habere fidem.

2. Cor. vlti.

D. Tho.

Ambros. Chrysosto. Theophi. Lyranus.

paratus

paratus eſt negare omnem ſenſum, ſcientiam, & euidentiã, potiùs quàm à perſuaſione fidei diſcedat. ergo habet in ſe certitudinem, omni alia certitudine certiorem; alioqui qua poterit ratione animum ita habere præparatum? Sed & illud videtur euidens argumentum ad idem confirmandum. Si namque chriſtianus non habet certitudinem infallibilem, ſe habere fidem ſupernaturalem, ſequitur poſſe illum meritò dubitare, vtrùm ſuus aſſenſus ſit falſus; quòd quidem falſum eſſe, ex eo patet: quoniam dubius in fide, infidelis eſt. Quòd benè ſequatur, patet. Nam chriſtianus poteſt dubitare, an fides quam habet, ſit diuina, an humana; quæ fallax eſſe poteſt: ergo poteſt dubitare, vtrum ſuus aſſenſus ſit fallax. Si dicas, chriſtianum dubitare poſſe, vtrùm credat tanta firmitate & certitudine, quantã requirit fides diuina; cæterùm ex parte obiecti certum eſſe, quòd Deus eſt trinus & vnus. Contra; nam rogo, quiſnam confert eam certitudinem, omni certitudine maiorem, qua chriſtianus credit ex parte obiecti Deum eſſe trinum & vnum? certè tantummodo à lumine ſupernaturali, & diuino poteſt talis certitudo prouenire. Mox, ab eo quod res eſt, vel non eſt, propoſitio dicitur vera vel falſa, aſſenſus dicitur verus vel falſus: ſed quilibet chriſtianus eſt certus abſque hæſitatione & infallibiliter, Deum à parte rei eſſe trinum & vnum: ergo habet certitudinem infallibilem, qua certus redditur, aſſenſum ſuum eſſe certum, & infallibilem. Denique lumen fidei ſupernaturale ad hoc ponitur, vt præſtet nobis certitudinem, qua diuinis eloquijs adhærere poſsimus; præcepit namque nobis Deus vt diuinis reuelationibus certò, & infallibiliter hæreamus: ergo concedit etiam nobis lumen aliquod in nobis talem certitudinem producens, alioqui deficeret in neceſſarijs.

Obiectiones. ¶ Sed contra iſtam ſententiam ſunt magna argumenta. Fides tantùm reddit nos certos de his quæ proponit Eccleſia credenda; eſt enim fidei magiſtra: ſed Eccleſia non proponit, quòd iſte, vel ille habeat fidem diuinam: ergo non eſt certitudo infallibilis, quemlibet chriſtianum habere fidem diuinam. Deinde, quòd habeamus fidem diuinam, non pendet ſolùm ex diuina reuelatione, ſed ex noſtro corde, & ex noſtro conſenſu, atque ex firmitate qua credimus: ſed nemo poteſt certò cognoſcere, ſe credere ea firmitate qua oportet; ſæpe enim mens humana mentitur ſibi, vt patet in hæretico, qui conſtantiſsimè credit ſe habere fidem chriſtianam: atque etiam patet; quoniam aſſenſus fidei humanæ, eſt ſimilis maximè ſecundum ſubſtantiam, aſſenſioni fidei diuinæ. Præterea, peccatum infidelitatis ex ignorantia culpabili procedens, diſsipat fidem, vt patet in hæretico, qui arbitratur ſe habere fidem diuinam: ſed nemo hominum cognoſcere poteſt ſe non verſari in aliquo errore culpabili circa fidem, iuxta illud. Delicta quis intelligit? &c. De his peccatis loquitur Paulus, quando inquit; Miſericordiam conſequutus ſum, quoniam ignorans feci in incredulitate mea. Inſuper potiſsimum teſtimonium ad cognoſcendum nos habere fidem diuinam, eſt, mortem oppetere pro ea: ſed hoc teſtimonium eſt fallax, vt patet in hæretico, qui pro errore defendendo moritur. ergo. Poſtremò, probabilis eſt Theologorum opinio, quòd fides nunquam infunditur ſine ſpe, & charitate: atque adeò certum eſt fidem diuinam ſemper comitari ſpem, niſi per deſperationem auferatur: ergo ſi chriſtianus eſt certus certitudine infallibili ſe habere fidem, aliquando erit certus eadem certitudine ſe habere charitatem, & ſpem; quod eſt hæreticum: nemo enim ſcit, vtrùm odio, vel amore dignus ſit.

Solutiões. ¶ His argumentis reſpondetur primò, cuique chriſtiano euidentiſsimum eſſe ſe credere, nam hoc in ſe experitur: vnde Auguſtinus. 13. **Auguſt.** de Trinitate inquit; Video me credere, ſi credo. Secundò reſpondetur, non eſſe certum certitudine infallibili quòd chriſtianus credat per infuſum fidei habitum: non enim eſt certum certitudine infallibili tales habitus eſſe conſtituendos, vt infrà demonſtrabitur. Tertiò reſpondetur, eſſe certum quemque chriſtianum habere aſſenſum fidei diuinæ, quapropter non petimus à Deo vt det nobis fidem, ſed vt augeat eam nobis; neque deprecamur illum vt illuminet nos, cùm iam veram habeamus fidem, ſed vt radicetur, & confirmetur in nobis fidei cognitio. Dico quartò, inter gratiam, & fidem, eſſe latum diſcrimen quoad certitudinem: primò, ſiquidem fides habet regulam externam, per quam examinatur an ſit vera, ſcilicet, Eccleſiã Chriſti viſibilem: at gratia non habet eiuſmodi regulam per quam expendatur, & examinetur. Deinde, fides conſtituitur in intellectu ad dandam certitudinem, cæterùm gratia non collocatur in intellectu, neque ad illam attinet certos nos reddere. Præterea, gratia dependet ex Dei acceptatione, fides verò minimè. Hæc tamen cùm in diſputationem de gratia inciderimus, fuſiùs exponentur.

¶ Secunda

Secũda cõ. De quibus impulſibus nos nõ poſſimus cognoſcereeos eſſe à Deo.

¶ Secunda concluſio. De alijs impulſibus, quibus anima noſtra à Spiritu ſancto mouetur, non poteſt nobis certò conſtare vtrùm à Spiritu ſancto ſint, niſi per reuelationem; vt patet ex illo Ioan. 3. Spiritus vbi vult, ſpirat, & vocem eius audis, & neſcis vnde veniat, aut quò vadat. cui conſonat illud Iob. 4. Quaſi furtiuè ſuſcepit auris mea venas, id eſt vias ſuſurri eius. & iterum capitulo nono. Si venerit ad me, non videbo eum, & ſi abierit, non intelligam. rurſus; Si fuero ſimplex, hoc ipſum ignorabit anima mea. Denique, ſi aliqua demonſtratione poſſet nobis conſtare quòd Spiritus ſancti habeamus impulſum, eſſet præcipuè quando parati ſumus pro Deo ſubire mortẽ: hoc autem ſignum fallax eſt; dicit namque Paul. Si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt. 1. ad Cor. 13.

Ioan. 3. Iob. 4. 1. Corin. 3.

Tertia cõ. Oportet virũ eſſe prudentẽ in ſpirituum approbatiõe.

¶ Tertia concluſio. In ſpirituum approbatione oportet virum prudentem cautiſsimum eſſe; tum, quoniam Angelus Sathanæ ſæpiſsimè ſe in angelum lucis transformat; tum verò ob multorum vtriuſque ſexus experimentum, qui dæmonis illuſionibus ſunt decepti, varijque Theologi graues in eorum approbatione fuerunt infeliciſsimè lapſi, ſpiritus diſcernere neſcientes: tum etiam propter ſanctorum Patrum doctrinam, qui experientia, & bellis ſpiritualibus maximè fuere inſtructi: iſti autem grauiſsimè admonent, huiuſmodi ſpiritus, & impetus, communiter eſſe reprobandos: tum præterea, quoniam ſpiritus hi, ſi ſunt diuini, debent eſſe ſupernaturales, & miraculoſi, quando ſunt extraordinarij: miracula autem non fiunt à Deo nulla neceſsitate poſita, neque publicè patrantur, niſi in fidei confirmationem: iſti verò impulſus præter communem legem, ſunt ſecreti, iuxta illud; Secretum meum mihi. Præterea, perſonæ quæ patiuntur hos impulſus, ſæpiſsimè eos alijs manifeſtant, quæ manifeſtatio eſt contra diuinã ſcripturam, contra ſanctorum doctrinam, & contra humilitatis virtutem.

Triplex dę monum im pulſus.

¶ Pro maiori huius explicatione ſciendum eſt, impulſum dæmonis triplicem eſſe; violentum, fraudulentum, & malignum. Impulſu violento afflixit Iob permiſſione diuina, à qua violentia ſola humilitate eſt liberatus, vt patet; Dominus dedit, Dominus abſtulit, &c. & ex illo, Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc: atque etiam ex illo; Si bona ſuſcepimus, &c. Eadem ratione liberatus eſt Paulus à dæmone colaphizante eum. Fraudulentus impulſus, violentò perniciоſiоr eſt, cùm ſit magis occultus. Iſte verò impetus fallit hominem ſecundum omne genus deceptionum dialecticarum, & iuxta quemque ſtratagematum modum, atque omni induſtriæ & nequitiæ differentia; celat ſe, nonnunquam ſe Theologum oſtendit, aliquando prælatum, iterum confeſſarium, & nonnunquam ſolitarium. Quando Euam decepit, perſonam induit Theologi; & ſimili ratione quando allegans ſcripturas Chriſtum tentauit: in actibus etiam Apoſtolicis virum agebat Theologũ cùm in pythoniſſa dicebat; Iſti homines ſunt ſerui Dei excelſi, qui vobis annuntiant ſalutis viam: quam prohibuit Paulus, faciebat enim hæc pythoniſſa magnum domino ſuo quæſtum. Itaque dæmone impellente, & Deo permittente, alijs datur ſermo ſapientiæ, alijs ſermo ſcientiæ, alijs verò donum linguarum, &c. Quòd verò dæmon poſsit iſta inducere, D. Pau. loquens de Antichriſto docet; Quapropter diabolus habet ſuos Apoſtolos, ſuos Prophetas, ſuos Euangeliſtas, & Doctores, Martyres, & Virgines, ad confirmationem corporis reprobi. Quò verò Sathanas transformetur in Angelum lucis, & poſsit opera ſua executioni mandare, primum ſeminat ſpiritum ſuperbiæ, vt decipiat hominem, ac eum ambulare efficiat in magnis, & ſupra ſe mirabilibus: hac fraude & dolo ſemetipſum decepit, cum dixit; Similis ero altiſsimo: eademque nequitia primos decepit parentes, cum dixit; Eritis ſicut dij, &c. & alios miſeros ita infeliciſsimè decipere conſueuit: quibus cùm ſint innumeris complicati miſerijs, præcipit vt ſemetipſos tanquam Deos adorent, & colant. Alio modo decipit, inducendo, & ſuadendo carnis peccata; quòd ſi expulſum ſemetipſum viderit, prouocat ad peccata ſpiritualia, ſcilicet ad ſuperbiam, & inanem gloriam, &c. Aliam præterea fraudem nectit; reficit namque ſuos cibis delicatiſsimis, & ex adipe ſanctarum ſcripturarum, & meditationum: hoc autem præſtat, vt in ſuperbiæ ſpiritum inducat; atque huiuſmodi infinitis vtitur captionibus. Malignus ſpiritus eſt, quando ex pura, & cogitata malitia prouocat hominem ad peccandũ. Illud tamẽ aduertendum eſt, malignum ſpiritum nõ poſſe ferri in malum ſub mali ratione; quoniam nemo intendens ad malum (vt ait Dionyſ.) operatur. Hoc igitur impulſu dæmon malignus quærit phantaſticam, & ſuperbam libertatem. Exponit hoc D. Auguſt. 2. confeſsio. à cap. 4. vſque ad. 8. de pomorum furto, quod cum ad huc puerulus eſſet, commiſit: concludit enim; peccatum haudquaquam delectationi ſibi fuiſſe, ſed libertatem falſam peccãdi. Impulſu

Paulus. Dionyſ. Auguſt.

iſto

istò trahuntur, qui cùm malefecerint, delectantur, & exultant in rebus pessimis. Atque hæc de dæmonis impulsu dicta sufficiant.

Quarta cō. Spiritus nō sunt temerè reprobādi.

¶Quarta conclusio. Impetus, temerè, & sine ratione, non sunt reprobandi: dicit namque Paul. 1. ad Thessalo. 5. Spiritum nolite extinguere, prophetiam nolite contemnere, omnia probate, quod bonum est tenete, ab omni specie mala abstinete vos. cui consonat illud. 1. Ioan. 4. Probate spiritus vtrùm ex Deo sint. Et certè negari non potest, quin aliquando huiusmodi impulsus à Deo deriuentur.

1. Thess. 5.

1. Ioan. 4.

Quinta cō. Regulæ ad probandos spiritus.

¶Quinta conclusio. Ad probandum spiritus vtrùm ex Deo sint, multis rationibus vtuntur sancti Patres. Primum est, per doctrinam sacrarum scripturarum: docent enim sacræ scripturæ quemadmodum spiritus discernantur, & quo nam modo veri prophetæ à falsis discriminentur. Secunda via est, per inspirationem quandam internam, de qua loquitur copiosè D. Augustinus. 3. confessionum. c. 11. & 12. & Hugo de Sancto Victore, in soliloquio de arrha animæ. Admonent tamen Doctores, hoc esse manna quoddam absconditū, quod nemo nouit, nisi qui accipit. Tertius modus pertinet ad officium hierarchicum; nam in Ecclesia (vt ait Paul. 1. Corinth. 12.) alijs datur sermo scientiæ, &c. Quarta ratio ad exercitiū assiduum in opere virtutum, & in spiritualibus pugnis attinet: oportet enim discretorem spirituum experiri in se pugnam diuersarum affectionum spiritualium, & quòd nunc in cœlum ascenderit, nunc descenderit in abyssos, & viderit mirabilia Dei in profundo; qui enim nauigant mare, narrant pericula eius: qui hæc experimento minimè comprobauit, quid nouit? Ille itaque iudicatur idoneus ad spiritus discernendos, qui in sacra Theologia apprimè eruditus, in pugnis spiritualibus est optimè versatus. Quintus modus est ex operibus; dicit namque Dominus; A fructibus eorum cognoscetis eos. Istæ regulæ generales præ oculis habendæ sunt in spirituum discretione: regulæ verò particulares, sunt infinitæ, quas prosequitur Gerson in tracta. de impulsibus, & in alio tractatu de approbatione spirituum, & de visionibus, & de veris, & falsis reuelationibus. Atque hactenus de passionū subiecto. In cuius quæstionis disputatione, alij nonnullas immiscent quæstiones, vt vtrū in Christo Domino fuerint passiones; vtrùm anima corpore exuta verè patiatur, atq; adeò vtrùm anima in corpore existens, verè ex corporis coniunctione patiatur. Has tamen quæstiones optimè pertractat D. Thom. de verit. quæst. 26. art. 1. 2. & 3.

Augustin. Hugo de S. Vict.

1. Cor. 12.

Gerson.

QVAESTIO XXIII.

De differentia passionum ab inuicem, quæ habet articulos quatuor.

ARTIC. PRIMVS.

¶Vtrùm passiones, quæ sunt in concupiscibili, diuersæ sint ab his quæ sunt in irascibili.

¶Conclusio affirmatiua.

ARTIC. SECVNDVS.

¶Vtrùm contrarietas passionum irascibilis, sit secundum contrarietatem boni & mali.

¶Conclusio est affirmatiua.

ARTIC. TERTIVS.

¶Vtrùm sit aliqua animæ passio non habens contrarium.

¶Conclusio est affirmans.

ARTIC. QVARTVS.

¶Vtrùm sint aliquæ passiones differentes specie in eadem potentia, non contrariæ ad inuicem.

Conclusio est affirmans, tam loquendo de irascibili, quàm de concupiscibili.

CIRCA TOTAM HANC Quæstionem annotationes & argumenta.

De numero passionum.

Disputat D. Tho. in hac. q. XXIII. de numero, & contrarietate passionum. Vt verò passionum numerum inuenire possimus, est primò intelligendum; Passionum quasdam esse summas, ac veluti in isto genere primas; alias verò sub his supremis positas, & constitutas. Quidam sane duas tantùm passiones statuerunt, voluptatem scilicet, & dolorem; alij, vt Stoici, his alias duas copulantes, metum, & cupiditatem, quatuor passiones intellexerūt, & quidē hoc consilio: Nam vniuersam passionem ex boni & mali opinione proficisci dicebant, ita sanè,

Stoici.

ſanè, vt ex opinione boni præſentis, voluptatem procedere prædicarent; ex opinione abſentis, cupiditatem; ab ea verò quæ eſt mali præſentis, dolorem, ſicuti ab illa quæ eſt abſentis, metum. Galenus, quinario numero paſsiones cõplexus, eas dicebat; dolorem, iram, excandeſcentiam, metum, & cupiditatem; qua verò ratione paſsiones diuiderentur, intactum reliquit. Diuus Thomas, paſsiones, ſumma ingenij dexteritate, partitur ex earum ſubiecto, obiecto, & cæteris adiunctis. A ſubiecto quidem diuerſitatem paſsiones ſortiuntur; quoniam earum, quædam in concupiſcentia, ſeu concupiſcibili, aliæ in iraſcibili locantur; inter ſe diuerſæ, quippè cùm ſubiecta diſtincta ſint, vt prima parte, demõſtratione comprobatum eſt; diuerſarum namque potentiarum, diuerſi ſunt actus, vt in viſu, & auditu contemplari quis poteſt. Eadem diſtinctio alia confirmatur ratione: diuerſas namque potentias, in diuerſa obiecta ferri eſt neceſſe, vt liquidò conſtat. Ergo diuerſarum potentiarum paſsiones, in diuerſa obiecta tendere debent: paſsio namque in obiectum ſuę potentiæ fertur: ſed luce clariùs apparet, paſsiones obiecto diſsidentes, ſpecie etiam diſtinctas eſſe, vt amor, & odium: ergo paſsiones in diuerſis potentijs ſitæ, inter ſe diuerſæ, & condiſtinctæ ſunt. Idipſum tertiò probatur: Actus enim diuerſarum potentiarum, non ſolùm ſpecie, ſed genere etiam diſtinguuntur, vt videre & audire, velle & intelligere: velle ſiquidem & intelligere, longiùs inter ſeſe diſtant, quàm intelligere hominem, & leonem; quæ opera cum intra eiuſdem obiecti amplitudinem contineantur, tantùm ſpecie diſtinguuntur: at paſsiones iraſcibilis, & concupiſcibilis, ſunt actus diuerſarum potentiarum: non ergo ſola ſpecie, ſed genere etiam diſtinctæ ſunt. Ex quibus facilè diſcrimen inter ſpem, & deſiderium percipietur. Spes namque in iraſcibili conſtituitur, deſiderium verò in concupiſcibili collocatur. Præcipua tamen paſsionum differentia ex obiecto ſumitur; omnis enim animæ affectio, actio quædam eſt; actio verò, à principio agente ſpeciem ſumit, vt à calore calefactio, & illuminatio à lumine. Rurſus, omnis animæ affectio, paſsio quædam eſt; paſsioni verò competit ex obiecto, & fine ſpeciem ſortiri; vt calefactio paſsio nihil aliud eſt, quàm motus ad calorem; amor nihil eſt aliud, quàm motus quidam, & inclinatio in bonum. Itaque paſsiones animæ, ſiue vt actiones conſiderentur, ſiue vt paſsiones, ab obiecto differentiam vbique retinent. Obiectum ſiquidem appetitus noſtri eſt ſenſibile bonum, & conſequenter ratio, & cauſa ipſum appetitum mouens. Rurſus compertum eſt, finem eſſe illum, cuius adipiſcendi gratia laboramus. ergo paſsio animæ, ſiue vt actio, ſiue vt paſsio conſideretur, ab obiecto ſpeciem ſumit. Eſt deinde aduertendum, actiuorum differentiam duplicem habere conſiderationem; conſiderari enim poſſunt iuxta naturam ſuam, qua ratione ignis ab aqua differt: poſſunt etiam conſiderari ſecundum diſtinctum operandi modum: & ex vtraque differentia, diuerſi proficiſcuntur effectus; idem enim obiectum diuerſis conſiderationibus propoſitum, diuerſas animæ producit paſsiones. Conſideratione præterea illud eget, diuerſitatem actuum, vel motuum, quæ ſecundum diuerſam operandi virtutem deſumitur, poſſe reperiri in paſsionibus ſecundum agentium naturalium ſimilitudinem: omne ſiquidem naturale agens, trahit ad ſe paſſum, & à contrario expellit: Trahendo effectum, tria circa illum operatur; ignis namque generans ignem, in igne genito, calorem, & leuitatem producit, quibus in locum ſuperum illum pertrahere valeat: deinde illi motum, & impetum tribuit, quo in locum naturalem, ſi extra illum eſſe contigerit, feratur: tandem ſi locum naturalem eſt adeptus, vt in illo quieſcat, concedit. Eadem ratione in expulſione res ſe habet: nam ignis generans, igni genito inclinationem quandam tribuit, qua veluti implacabili quodam odio locum inferum proſequatur, qua inſuper illi appropinquare horreat, & ſi aliquando appropinquet, quaſi mœrore afficiatur, & triſtitia. Non aliter delectabile bonum, & eius voluptas trahit vnumquemque ad ſe appetitum, ſicuti ex oppoſito malum, & diſconueniens illum à ſemetipſo repellit. Delectabile igitur bonum ſub ratione conuenientis appetitui obiectum, allicit & mouet illum, & in amorem ſui trahit, eique ad tale bonum conſequendum, inclinationem concedit. Hæc eſt prior appetitus paſsio, quæ amor vocatur. Quòd ſi tale bonum adeptum minimè fuerit, inclinationem ei confert vt illud conſequatur; & affectio hæc deſiderium appellatur: ſi verò bonum conſequutum iam fuerit, conſurgit in appetitu paſsio gaudij, atque delectationis. Eſt tamen aduertendum, ad gaudij paſsionem non referre quòd bonum ſit actu præſens, aut verò ſit propinquum, & certum quod poſsidetur: nam (iuxta Ariſtotelis ſententiam) quod parùm diſtat, nihil diſtare videtur. His

Galenus.

D. Thom.

Paſsiones diſtinguuntur ex ſubiecto.

Potiſsima differentia paſsionum ſumitur ex obiecto.

Quomodo delectabile bonũ ex diuerſitate actus cauſet diuerſas paſsiones.

tribus passionibus, correspondent tres alię, quę circa malum versantur: nam cum obijcitur appetitui obiectum disconuenieris, mouetur quadam displicentia, & auersione, quæ passio odiũ vocatur: cum verò disconueniens illud non aduenit, sed imminet, & propè est vt veniat, alia in appetitu oritur passio, quæ est fuga: cùm verò malum illud prędens extiterit, causat in appetitu passionem mœroris & tristitiæ. Exemplo id clariùs apparebit: canis namq; videns aliquem flagella adducentem ad illum verberandũ, primo aspectu odit, & auertitur; quòd si aduertit hęc sibi parari, fugam arripit; cùm autem iam flagellum in caput fuerit expertus, dolore afficitur & tristitia. Hæ sunt passiones quæ in concupiscibili collocantur. ¶ De passionibus verò irascibilis ad hunc modum cẽsendum est; nam in eis semper præsupponitur inclinatio ad bonum sectandum, & ad malum fugiendum, quæ se tenet ex parte concupiscibilis. Est enim irascibilis, veluti propugnatrix cõcupiscibilis. In hac igitur parte quinque passiones collocãtur; spes, desperatio, audacia, timor, & ira: à qua, vt à manifestiori, irascibilis nominatur. Omnes istæ passiones obiectum habent arduum, & difficile: respectu boni nondum consequuti, est spes, quasi amor boni ardui, & difficilis, desperatio verò quasi odium & auersio ardui propter rei difficultatem: si verò malum imminens sit, sed nondum præsens, versantur duæ passiones circa illud, timor scilicet, atque audacia: timor est veluti fuga mali ardui; audacia, prosequutio ad malum arduum superandum: cæterùm ex malo iam præsente oritur ira, quæ est tristitia mali ardui; at verò ex bono præsenti etiam habito, nulla in irascibili nascitur passio; nam bonum cum præsens est, nullam habet rationem ardui, neque difficilis.

Vndecim animæ passiones in appetitu referuntur.

¶ Ex his constat, vndecim animæ passiones in appetitu reperiri; sex quidem in concupiscibili, quinque verò in irascibili; quarum distinctio vt commodiùs exponatur, libet eam breuibus comprehendere. Cùm ergo bonum est appetitui propositum, sequitur in appetitu sensitiuo amor, si verò vt incommodum, & noxium, odium. Ex futuri boni æstimatione oritur in appetitu sensitiuo desiderium; ex mali verò absentis æstimatione procedit fuga; atque adeò ex præsentis boni opinione oritur voluptas, & mali præsentis, tristitia. Simili methodo sunt passiones irascibilis distribuendæ. Atque hæc ratio est, qua artificiosè Diuus Thomas omne genus passionum animæ distribuit. Est alia diuisio passionum ex adiunctis, sicuti zelus est vehementissimus amor, atque excandescentia est furor iræ; cæterùm hæc diuisio, accidentaria est.

Vtrũ irascibilis & concupiscibilis sint distinctæ potẽtiæ

¶ Sed operæpretium est vt ea quæ diximus diligentissimè examinemus. In primis namque circa primam diuisionem subiecti est difficultas, vtrùm irascibilis, & concupiscibilis sint distinctæ virtutes. Apparet siquidem non esse.

Primò. Aristot.

¶ Nam vna & eadem animæ facultas est circa vnam contrarietatem, dicente Aristotele 2. de anima, sicut visus, albi & nigri est: sed commodum & incommodum, aut disconueniens, sunt contraria; ergo eadem animæ vis circa vtrumque versatur; sed concupiscibilis versatur circa bonum, illud prosequendo, irascibilis autem circa incommodum, illud fugiendo: ergo est eadem animæ facultas.

Secundò.

¶ Deinde, per eandem potentiæ vim abscedit quis ab vno extremo, & ad alterum accedit; sicuti graue, sua grauitate deserit locum superum, & appropinquat deorsum: sed irascibilis discedit ab incommodo, illud fugiendo, concupiscibilis verò ad commodum accedit, illud prosequendo; non ergo sunt diuersæ potentiæ.

Tertiò.

¶ Præterea, per eandem virtutem appetimus aliquid, fugimus contraria, & oppositis repugnantibus validissimè resistimus, vt in naturalibus videre est, atque in moralibus. Nam eadem charitas, eademque amicitia, & amicum diligit, & detestatur eum offendere: & eadem iustitia reddit iustum vnicuique, & cauet alterius iniuriam. Ergo in appetitu sensitiuo non est ponenda vna potentia quæ bonum prosequatur, & altera quæ contrarijs obsistat.

Quartò.

¶ Ad hæc, sensitiuus appetitus, supponit cognitionem sensitiuam; mouetur enim à bono apprehenso per æstimatiuã: sed eadẽ est vis animæ cognoscitiua sensitiua, quæ apprehẽdit cõmodum & incommodũ, & quæ apprehẽdit bonum & arduum: ergo in potentia appetitiua nõ est nisi vna facultas. Et confirmatur. Nam in appetitu intellectiuo (vt apud omnes est notum) non constituuntur duæ facultates, vna ad bonum prosequendum, altera ad contrarijs obuiãdum.

Confir.

¶ Insuper, potentię ex actione, & officio distinguuntur, vt constat: sed in officio irascibilis, continetur semper formaliter concupiscibilis munus & officium; ira enim, quę maximè spectat ad irascibilem, includit formaliter in se vindictę appetitum; spes includit in sẽ desiderium præmij; non igitur distinguuntur.

Quintò.

¶ Tandem, animę potentię ex obiecto distinguuntur; sed concupiscibilis, & irascibilis, habent prorsus idẽ obiectum: ergo non distinguũtur. Probatur minor. Nã vtraque potentia habet pro obiecto bonũ. Quòd si respondeas concupiscibilẽ habere pro obiecto bonũ delectabile secundũ sensum, irascibilẽ verò bonũ arduum. Cõtra; nã in appetitu intellectiuo est bonũ secundũ intellectum,

Sextò.

&

& eſt bonum arduum,& tamen iſta diuerſaspo tentias haud quaquam expoſcunt.ergo,&c.

¶ Vt quæſtio hæc exactiùs exponi poſsit, duo declaranda ſunt ; alterum eſt, quonam modo iſtæ potentiæ diſtinguantur;ſecundum eſt,qua ratione inter ſe inuicem affectæ ſint. Et primi quidem probatio non eſt difficilis: Nam qua ratione Hippocrates, Medicorũ princeps, demonſtrauit corpus humanum ex pluribus ele mentis eſſe compoſitum , eadem ratione id, quod probare intendimus , confirmari poſſet . Si namque iſtæ potentiæ diuerſæ non eſſent, nequaquam in anima noſtra tam variæ perturbationes inuenirentur: in ea autem infinitas penè conſpicimus perturbationes : illæ ergo in diuerſa principia ſunt reducendæ. Aliam proſequitur demonſtrationem Plato quarto libro de Repub.in hunc modum. Manifeſtum eſt,idem,ſecundum idem,&ad idem, contraria ſimul pati non poſſe:ſed appetere, & contemnere,allicere, & depellere,ſunt contraria,vt conſtat: non ergo poſſunt ad idem pertinere , ſecundum idem. In huius rei confirmationem varia ac diuerſa afferens Plato , in hunc modum concludit . Anima igitur ſentiens,quatenus ſitit,non quærit aliud,neque ap petit niſi bibere : ſi ergo in anima noſtra aliquid eſt, quod eam à potu abducat, manifeſtum eſt, eſſe diſtinctum; vt timor , triſtitia, &c. Itaque ſicut in ſagittario non rectè dicitur,ipſum eadem manu propellere ſimul , & abducere arcum , ſed vna propellere, & altera abducere; ita in manu noſtra , vna facultas eſt quæ retrahit à bello , altera quæ ad pugnam prouocat. Profert aliud exemplum Plato de quodam Leontio Agaſonis filio,qui cum iacentibus apud carnificem cadaueribus voluiſſet ea videre, ſimul indignabundus oculos auertit, & tandem cupiditate victus, oculis apertis dixit; Ecce miſeri , ſaturamini tam pulchro ſpectaculo. Ex qua ratione concluditur,in anima noſtra,cupiditatem,&iraſcibilem, quæ ſibi opponuntur, inueniri . Aliam demonſtrationem habet in eodem loco. Sæpè, inquit, aduertimus cùm voluntas rapit quempiam contra rationem, ſe increpare, ſibique iraſci, & quaſi ſint duo diſsidentes,iraſcibilem rectæ rationi fauere. Itaque quemadmodum in republica ſunt homines quæſtuarij , auxiliares, & conſulares; ita in anima , cupiditas quæſtuoſa eſt,pars verò iraſcibilis,auxiliaris, & rectam rationem adiuuans. Iſtæ ſunt Platonis demonſtrationes,quæ ſi rectè conſiderentur, tantùm ſunt topicæ : ſi namque quod intendunt demonſtrarent, oſtenderent etiam in appetitu intellectiuo eſſe duas facultates, cupiditatem, & iraſcibilem, quod falſum eſt.Ariſto teles autem harum paſsionum diuerſitatem in hunc modum oſtendit. Primò, potentiæ diſtinguuntur per actus: ſed iraſcibilis, & concupiſcibilis habent diuerſos actus. ergo. Minor probatur; nam appetitus ſenſitiuus, ſimilis eſt appetitui naturali; vterque enim tendit in appetentis commodum. Præterea, appetitus naturalis duo habet officia; vnum eſt, tendere in id quod ſibi eſt commodum , vt illud acquirat, ſicut graue deorſum tendit, vt ibi conſeruetur: alterum officium eſt , ea quæ tendunt in perniciem appetentis deſtruere, quod per qualitatem actiuam , quam ab autore naturæ ſuſcepit, præſtat. Et hoc quidem rei corruptibili perneceſſarium eſt : niſi enim virtutem haberet , qua contraria ſibi, & repugnantia deſtrueret , actum eſſet de illa. Prius officium appetitui competit per modum receptionis, poſterius verò per modum actionis : qua de cauſa diuerſa requiruntur principia ; recipere namque ,& agere , ab eodem principio nequaquam procedunt: Ignis enim leuitate ſurſum tendit , vt commodum ſibi locum poſsideat , at combu rit , & operatur caliditate : non aliter hæc duo officia reperiuntur in ſenſitiuo appetitu ; animal enim per cupiditatem deſiderat ſibi commodum , cuius obiectum bonum eſt delectabile ; cupitque vincere , & ſuperare per iraſcibilem facultatem , cuius obiectum bonum arduum eſt. Secunda ratio ita habet. Diuerſa obiecta, diuerſas expoſtulant potentias ; at iraſcibilis , & concupiſcibilis habent diſtincta obiecta. ergo. Probatur minor. Nam aliam rationem habet quare bonum delectabile appetatur , & aliam quare appetatur bonum arduum: ſæpe enim arduum auertit animal à iucunditate percipienda ,& conſtituit eum in magnas anguſtias : taurus enim iucundi tate relicta , aggreditur cum altero pug nam , ne ob nimium dolorem delectatione priuetur. Tertia ratio. Cupiditas , aut concupiſcibilis , videtur eſſe condita ad recipiendum , laborat namque vt ſibi commodum coniungatur ; at iraſcibilis , effecta videtur ad agendum , & ſuperandum : quapropter in iraſcibili conſtituitur fortitudo, & conſtantia animi , quæ virtutes ad bel lum paratæ ſunt: contrà verò in concupiſcibili ponimus dilatationem , & conſtrictionem , quæ ad recipiendum idoneæ ſunt. Quarta,iraſcibilis, animanti eſt eſt tributa, vt partem concupiſcibilem tueatur; ad hoc enim perneceſſarium fuit amanti victoriam de ſuis

Quomodo iraſcibilis & cõcupiſcibilis differant.

Hippocrat.

Plato.

Ariſt.

aduersarijs consequi, vt cupiditas absque impedimento desideratis potiretur: quapropter sunt implacabiles pugnæ inter animantia, propter veneris, & cibi delectationem, vt autor Alexand. est Alexander, sexto de animalibus capitulo decimo octauo. Ex quo demonstratur, omnes passiones irascibilis, ex concupiscibili originem trahere, & in ea habere terminum. Ira namque ex tristitia initium sumit, quæ in concupiscibili moratur, quæ victoria parta, vindictaque suscepta, in gaudium terminatur. Spes similiter initium ex amore habet, & terminum delectatione sortitur. Quinta, vires animi, vt suprà dictum est, ex obiectis potissimè distinguuntur: sed irascibilis, & concupiscibilis habent distincta obiecta. ergo. probatur minor. Concupiscibilis habet pro obiecto bonum per sensum delectabile, irascibilis verò tendit in bonum insensibile.

¶ Pro cuius expositione est notandum, animantibus, tum ex parte potentiarum cognoscentium, tum ex parte potentiarum appetentium, duo conuenire posse: vnum est, quod competit animæ sensitiuæ ex propria natura; alterum verò, quod sibi ex coniunctione ad superiorem naturam tribuitur. verbi gratia. facultas imaginatrix competit naturæ sensitiuæ suapte natura; nam in ea formæ recipiuntur sensibiles; cæterùm cogitatiua, siue æstimatiua, per quam animal consequitur intentionem, per sensum minimè acceptam; vt ouis percipit amicitiam filij, & inimicitiam lupi: hæc quidem potentia competit naturæ sensitiuæ, quatenus particeps est cuiusdam rationis imperfectæ; cuius æstimationis causa, quædam animalia prudentiam habere dicuntur, Aristot. vt docet Aristoteles primo Metaphysicor. in principio. Hinc prouenit, cogitatiuam, quæ in homine est, ex participatione rationis quam habet, discurrere, atque ex singularibus syllogismos conficere. Non aliter se res habet in appetitiuis potentijs: nam quòd animal desiderat bonum delectabile secundum se acceptum, naturam sensitiuam non exuperat; at quòd relicto bono delectabili, appetat aliquid, quod ad victoriam pertinet, & cum dolore consequitur, hoc competit appetitui ex commercio naturæ superioris, & quatenus habet tale participium rationis imperfectæ. Ex his definitionibus patet, quomodo istæ potentiæ diuersæ sint, & quod nam sit illarum obiectum, quod officium, & qua ratione sint inter se affectæ.

Ad argum. Ad primum ¶ Argumentis satisfaciendum est. Ad primum respondetur, concupiscibilem, conuenientis esse, & disconuenientis, sic tamen, vt alterum prosequatur, alterum odio habeat: cæterùm irascibilis munus & officium est, pugnare, & vincere ea quæ aduersantur.

Ad secundũ & tertium. ¶ Ad secundum respondetur, eandem esse facultatem quæ accedit ad commodum, & abincommodo recedit, sed habere altitudinem quãdam circa vtrumque, & vincere rerum difficultates vt contraria superentur, & vt habitum bonum securius possideatur, hoc officium est irascibilis. Ex quo ad tertium quid dicendum sit, patet.

Ad quartũ ¶ Ad quartum respondetur, etiam in virtutibus apprehensiuis partis sensitiuę geminam esse potentiam: vna est eorum, quæ non immutant sensum, & hæc est æstimatiua; altera verò est illorum quæ sensum immutant, quæ imaginatiua vocatur. Eadem ratione statuimus duas in parte appetitiua sentiente facultates, irascibilem scilicet, & concupiscibilem: hanc constituimus ad bonum delectabile secundum sensum, illam verò ad insensibile bonum, sicuti paulò antè expositum est. Est tamen attendendum, non tot esse potentias, ac facultates in parte appetente sensitiua, sicuti in apprehensiua: appetitus namque, non ordinatur in bonum potentiæ apprehensiuæ, sed appetitiuæ. Rursus, inter ea bona quæ in sensibilibus appeti possunt, tantùm duo genera inueniuntur; vnum est eorum, quæ sensu percipi possunt; alterum eorum, quæ sensum non immutant: & ideo duæ tantùm constituuntur potentiæ in parte appetente sensitiua.

Ad quintũ. ¶ Ad quintum respondetur, in definitione passionum irascibilis, poni actum potentiæ appetitiuæ communem, non qui tantùm spectet ad concupiscibilem; irascibilis enim etiam appetitus est: verum est tamen, aliquando in definitione passionum irascibilis, poni actum pertinentem ad concupiscibilem, antecedenter, vel consequenter; vt si quis iram definiat esse vindictæ appetitum, propter præcedentem tristitiam; & spem esse amorem prę̃mij, propter delectationem habendam.

Ad sextum. ¶ Ad sextum respondetur, demonstratum iam esse, quonam pacto passiones hæ, obiecto & officio discriminentur: vide tamen Dominum Caietanum in hac quæstione, art. 1. vbi refellit Scotum, asserentem obiectum irascibilis non esse bonum arduum, sed offendens. Quomodo autem istæ duæ potentiæ diuersæ non sint in appetitu intellectiuo, explicat copiosè D. Thom. 1. p. q. 82. art. vlt. & de verit. q. 25.

Caiet. D. Thom.

Obiectiões cõtra secundã rationẽ D. Thom. Pri. difficul. ¶ Circa rationem secundam, qua Diuus Thomas diuidit animæ passiones, sunt ingentes difficultates. Prima quidem, quoniã D. Th. suppo nit appetibile mouere appetitũ nostrũ efficiẽter

&

& actiuè; quod maximè controuerſum eſt.

Secunda. ¶ Deinde ſupponit, actionem, ſpeciem habere ab actiuo principio; quod eſſe falſum, probatũ eſt ſuprà quæſtione prima, articulo tertio: nam ignis per calorem comburit, & liquefacit ceram, atque etiam lutum indurat, & tamen iſtæ operationes à principio actiuo ſpeciem non habent, alioqui ſpecie non diſtinguerentur. Præterea compertum eſt apud omnes philoſophos, actionem, ab obiecto ſpeciem habere, ergo non ab actiuo principio.

Tertia. ¶ Eſt tertia difficultas. Nam Diuus Thom. aſſerit, diuerſitatem actionum animæ noſtræ, penſandam eſſe ex principij actiui diuerſitate, ſecundum diuerſam virtutem: at nõ explicat quę ſit iſta virtus diuerſa operandi.

Quarta. ¶ Quarta difficultas eſt. Nam in naturalibus eadem eſt inclinatio, qua res in ſuum commodum accedit, & qua ab incommodo recedit: ignis enim eadem leuitate aſcendit ſurſum, & locum inferiorem deſerit. ergo in paſsionibus animalis eadem eſt inclinatio, qua in bonum fertur, & qua contrarium fugit. Itaque eadem paſsio erit amor boni, & odium contrarij; ſicuti eadem inclinatio eſt in leui corpore amor ſuperioris, & odium inferioris loci. Et confirmatur. Nam quæ in inferioribus ſunt diſperſa, in ſuperioribus ſunt vnita: ſed agens naturale eadem appetitione fertur in bonum, & fugit contrarium: ergo in paſsionibus animæ noſtræ eadem erit inclinatio, qua in bonum tendimus, & contrarium fugimus. Id ipſum confirmatur. Nam eadem eſt in nobis virtus qua aliquid appetimus, & odio contrarium proſequimur: ſicuti eadem amicitia, & amat amicum & cauet eius offenſam.

Quinta. ¶ Quinta difficultas eſt. Nam Diuus Thomas docet, malum repellere à ſe, & abducere: contrarium cuius manifeſtum videtur: nam omne agens trahit ad ſe paſſum, & nititur illud ſibi ſimile efficere. Et ipſe Diuus Thomas tertio, diſtinctione vigeſimaſexta, quæſtione prima, articulo ſecundo ad tertium & quintum, dicit, delectationem collocandam eſſe in iraſcibili: at in diuiſione dictum eſt, collocandam in concupiſcibili. ergo Diui Thomæ doctrina non ſibi conſtat. Atque adeò Scot. in 3. diſtinctione 34. opinatur, triſtitiam in iraſcibili eſſe conſtituendam, diſtribuitque duplicem triſtitiam; quandam, quæ in concupiſcibili ſedem habet, quæ in cordis conſtrictione conſiſtit; alteram, quæ in iraſcibili collocatur, quæ in accenſione ſanguinis circa cor operatur.

D. Thom. Scot.

Solutiones Ad primam ¶ Primæ difficultatis expoſitio tradita iam eſt ſuprà quæſtione nona, articul. 1. recole quæ ibi dicta ſunt.

¶ Ad ſecundam verò difficultatem reſpondetur, in moralibus idem eſſe actionem habere principium ex actiuo principio, & ex obiecto: nam obiectum, ſcilicet appetibile bonum, eſt ratio quæ mouet, & appetitum allicit; & rurſus eſt finis, cuius adipiſcendi gratia laboramus. vide quæ dicta ſunt ſuprà quæſtione prima, articulo tertio. Ad ſecundã.

¶ Ad tertiam difficultatem reſpondetur, actiua dupliciter inueniri; tum in eſſe naturæ, tum in eſſe apprehenſo. Et in agentibus quidem naturalibus manifeſtum eſt, aliam eſſe diſtinctionem ſecundum naturam, & aliam ſecundum virtutem operandi; vt conſtat in elementis, & animalibus: in agentibus verò per apprehenſionem, diſtinctio ſecundum naturam aperta eſt; vt cum talis cibus ab alio ſpecie differens, mouet appetitum. Diſtinctio verò ſecundum virtutem, ex diuerſa ratione apprehenſionis ſumenda eſt, & non ſub quacumque diuerſitate ſed ſub diuerſitate bonitatis, aut malitiæ futuræ, aut verò præſentis. Præſens namque malum alia ratione mouet, quàm malum futurum; illud mouet ad triſtitiam, hoc ad timorem, & fugam. Itaque paſsiones odij, iræ, & timoris non ſunt diuerſæ, ex diuerſo malo, circa quod verſantur, verbi gratia, mortis, aut carceris, ſed ex diuerſa operandi virtute: hoc enim vult ſignificare Diuus Thomas cum inquit, diuerſitatem paſsionum non eſſe ſumendam ex agentium diuerſitate, ſed ex diuerſitate virtutis mouentium. Ad tertiam

¶ Sed quæret aliquis, qua nam ratione agens naturale, diuerſa virtute trahat paſſum ad ſe, cuius ſimilitudine vſus eſt Diuus Thomas hoc in loco. Pro huius expoſitione eſt annotandum, agentia naturalia dupliciter conſiderari poſſe, & quatenus agunt, & quatenus trahunt paſſum ad ſe. Si quatenus agunt cõſiderentur, eodem modo ſe habentia, efficiunt omnia; vt ignis, generans ignem, eadem actione producit leuitatem, & motum quo in ſuum locum tendat, & inclinationem, qua ibi delectetur. At verò ſi cõſideretur quatenus trahit paſſum ad ſe, alio atque alio modo ſe habet; nam abſolutè conſideratus, trahit ad ſe paſſum per quã dam conuenientiam, & coaptationem; conſideratus verò vt abſens, trahit paſſum ad ſe per motum; ſi verò vt præſens, trahit ad ſe per quietem. Non aliter bonum apprehenſum, ſi abſolutè conſideretur, efficit in nobis paſsionem amoris, apprehenſum verò tanquam futurum, efficit in nobis paſsionem deſiderij, ſed vt præſens efficit gaudium, & delectationem. Obiectio. Solutio.

¶ Ad quartam difficultatem exponendam, no- Ad quartã.

tiæ destitutam: ergo potentię dono iustitiæ originalis destitutæ, inclinant ad malum. Confirmatur. Nam si homo conditus esset in purisnaturalibus, scilicet absque peccato & gratia, eodem modo ex parte appetitus sensitiui inclinaretur ad malum, sicuti modo. ¶ Quintò, tam in voluntate, quàm in appetitu sensitiuo consurgunt motus quidam in malum, quos Theologi vocant primò primos, & isti motus nihil aliud sunt, quàm quædam in malum inclinationes: ergo. Probatur minor. Nã isti motus vel sunt liberi, vel naturales: si liberi, ergo imputantur ad culpam, quòd est falsum; ergo sunt naturales.

Quintum.

¶ Mox, quando caro concupiscit aduersus spiritum sine ipsius consensu, vel illa concupiscentia, aut contradictio est naturalis, aut libera: & certè non est libera; quia non est peccatum: ergo naturalis. Et patet hoc manifestè; nam si homo consentit in illud quod caro concupiscit, peccat; igitur illa naturalis concupiscentia carnis erat in malum. De hac naturali inclinatione, & quæ non est in hominum potestate, conqueritur Paul. ad Roman. 7. Si quod nolo, operor, iam ego non operor illud, sed quod habitat in me peccatum; scio enim quòd non habitat in carne mea bonum.

Sextum.

Rom. 7.

¶ Experientia insuper cõstat, multos homines procliuiores esse ad vitia, & hoc ex propria complexione, aut verò ex syderum constellatione: ergo est in homine prauа in malum inclinatio sibi congenita.

Septimum.

¶ Octauò, virtus (autore Aristot. 2. Ethic.) versatur circa difficile; at si natura humana de se nos traheret ad bonum virtutis, huiusmodi bonum non esset difficile, neque molestum nobis, atque adeò non essent nobis necessariæ virtutes superadditæ: proprium enim virtutum munus, & officium est, reddere facile & iucundũ id quod in opere virtutum erat difficile. Certè qui probabiliùs philosophantur, docent, virtutes non esse necessarias ad ea, ad quæ natura ducimur, & trahimur; nemo enim est tam hebes ingenij qui existimet virtutem esse necessariam vt homo desideret felicitatem, & odiat miseriam.

Octauum.

Aristot.

¶ Insuper Theologi omnes hac de causa constituunt originalem iustitiam in parentibus primis, vt contineret in virtutum officio appetitũ sensitiuum, & vt pareret rationi sine difficultate: at si appetitus sensitiuus suapte natura non aduersaretur rationi, neque virtuti, non erat necessarium tale donum. ergo. &c.

Nonum.

¶ Tandem, secundum virtutem, & secundum legem Dei tenetur homo diligere Deum plusquàm se, & bonum commune præferre priuato: sed homo suapte natura in bonum proprium inclinatur: ergo in homine est inclinatio naturalis contra legem Dei. Et in huius confirmationem sunt quàm plurima scripturæ testimonia, vt est illud Genes. 8. Sensus & cogitatio humani cordis prona sunt ad malum ab adolescentia sua, id est, ab origine sua. & Sapien. 12. Naturalis malitia eorum. Et illud. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. & rursus sunt testimonia D. Paul. suprà citata. Est etiam Aristot. testimonium. 2. Ethico. dicentis, oportere vt homo sit studiosus, quòd se abducat à vitijs, ad quæ natura maximè inclinatur. Hoc testimonium refert D. Thom. 2. 2. q. 166. artic. 2. ad 3. His rationibus, & testimonijs quidam autores innixi, sentiunt naturam humanam de se inclinare ad malum: vnde aduersus eam mille exortæ sunt querelæ, vt dicant eam esse nouercam, & inimicã, scelerum effectricem: vnde etiam ortum habuit illud abominandum dogma, hominem de se non posse, nisi malum: & etiam aliud; omnium hominum vniuersa opera peccata esse mortalia, perpetuoque supplicio digna. Item & illud naturæ humanæ iniurioſum, & eius autori, quo dicitur, Deum nos ad peccandum necessitare, & inducere ad malum, Deumque nobis impossibilia præcipere, ac contra naturæ inclinationem.

Gen. 8.

Sap. 12.

Aristot.

D. Thom.

¶ In huius quæstionis explicationem, sit conclusio. Omnis inclinatio naturalis, cuiuscunque creaturę, est bona, neque inclinat in malum, neque rationi aduersatur. Probatur primò. inclinatio naturæ est à Deo; ergo non inclinat ad malum. Antecedens est notum; nam cùm Deus sit autor naturæ, consequenter etiam est eorum quæ naturam consequuntur conditor, & productor; qui enim dat formam, dat etiam consequẽtia ad formam. Consequentia probatur; quoniam motus naturalis, etiam qui ex inclinatione naturæ procedit, autori naturæ tribuitur, vt probat Aristot. 8. physicor. Grauia enim & leuia, hac sola de causa à generante, & autore naturæ mouentur, quoniam à Deo talem susceperе inclinationem, & necessitatem talem ad motum. Itaque si peccatum esset lapidi deorsum descendere, & igni tendere sursum, in autorem naturæ esset referendum. Simili ratione, si homini esset peccatum felicitatem appetere, in autorem naturæ esset referendum, qui fecit hominẽ cum tali inclinatione. Hæc ratio efficax est ad demonstrandum, actum illum non esse peccatum, qui ex inclinatione à Deo tributa procedit: qua ratione vtitur D. Thom. ad probandũ, primum Angeli actum non potuisse esse peccatum; nam primus actus est amor sui, qui ex inclinatione naturæ progreditur.

Omnis inclinatio naturalis, bona est.

Conclusio.

Primò.

Aristot.

D. Thom.

¶ Deinde, Deus non potest producere in anima habitum inclinantem ad peccatum; hoc enim diuinæ bonitati repugnat, vt ad peccandum inducat: ergo neque

Secundò.

que inclinationem naturalem in malum. Proba tur conſequentia. Nam non minùs cauſa eſt actus vitioſi inclinatio naturalis, quàm habitus vitioſus. Tertiò. ¶ Tertiò, Deus non poteſt in intellectu condere habitum inclinantem ad falſum: ergo neque poterit inclinationem in malũ producere. Probatur antecedens. Nam hac ratione demonſtrant omnes Theologi, fidei diuinæ nõ poſſe falſum ſubeſſe, quia à Deo infuſa eſt, qui neque fallere, neque falli poteſt. Et eadem ratione poſſumus demonſtrare; prima principia non poſſe eſſe falſa; nam ſi reſpiciamus Deum fallere non poſſe, aut verò falli, atque etiam humanam naturam ab eo cum neceſsitate hac, vt primis aſſentiatur principijs, eſſe conditam, hac ratione manifeſtè concluditur, prima principia eſſe vera: ſi enim falſa eſſent, & Deus neceſsitatem intellectui humano imponeret vt eis aſſentiretur, manifeſtè conſtaret Deum hominem fallere. Quartò. ¶ Præterea, ſi homo induceret ad peccandum, peccaret vtique; ergo ſi Deus induceret hominem ad peccandum, etiam peccaret: quamuis enim hæc conſequutio non valeat, Deus cõcurrit cum homine ad peccãdum, ergo peccat: nihilominus hæc conſequentia bona eſt; Deus ſe ſolo inducit hominem ad peccandum, ergo peccat, licèt antecedẽs ſit impoſsibile. Deus autẽ ſe ſolo producit inclinationem hominis; ergo ſi illa inclinat ad peccandum, Deus ſe ſolo inclinat ad peccandum. Quintò. ¶ Quintò, ſi eſt inclinatio naturæ bona; ergo conſentanea eſt rectæ rationi; ergo eſt recta, & per conſequens non in malum: tum vltrà, illa eſt conſentanea rectæ rationi, & diuinæ ſapientiæ; ergo operari ſecundum eam, erit diuinæ ſapientiæ conſentaneum, ergo bona. Sextò. ¶ Ad hæc, operari ſecundum impetum, & Dei impulſum, eſt opus rectum; Deus enim non inducit ad malum: ſed inclinatio naturalis eſt Dei impetus naturæ impreſſus; ergo operari ſecundum inclinationem naturalem, non erit malum. Septimò. ¶ Septimò, Deus vult, & inſtituit vt omnis natura conſequeretur illud, ad quod naturalem habet inclinationem; nõ ergo inclinat ad malum, alias Deus voluiſſet malum.

¶ Confirmatur hæc ſententia ſacræ ſcripturæ teſtimonijs. Primùm ex illo Iacob. 1. Deus intẽtator malorum eſt: at ſi Deus tribueret talem inclinationem ad malum, profectò tentaret, & induceret ad malum. Certè ſi dæmon talem induceret inclinationem ad malum, eſſet perſuaſor, & tentator ad malum: ergo ſi Deus hæc facit, tẽtator malorum eſt. Eccleſ. 7: Præterea Eccleſ. 7. Fecit Deus hominem rectum, &c. at ſi homo conditus eſſet cum peſsima inclinatione, nequaquam rectus eſſet. Sap, 8. & Sapient. 8. Attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter. At non eſſet ſuauis Dei diſpoſitio, condere hominem vt eum diligeret, & tribuere naturalem inclinationem in contrarium. Architectus ſapiens quando opificium conficit, tribuit media accommodata ad finis conſequutionem; quemadmodum ſi facit ſerram, quoniam inſtrumentum eſt ſcindendi, facit eam dentatam, neque in contrarium inclinationem confert. Huic ſententiæ cõſonat id quod habetur Ge. 1. Gen. 1: Vidit Deus cuncta quę fecerat, & erãt valde bona. & illud; Dei perfecta ſunt opera. atque illud; Omnis creatura Dei bona eſt. Certè ſi inclinatio naturæ humanę eſſet peruerſa, natura humana eſſet peruerſa.

¶ Ad argumenta, & ad primum reſpondetur, habitum iniuſtitiæ eſſe qualitatem quandam deficientem, quapropter non eſt à Deo, ſed à voluntate noſtra deficiente, & ideo non mirum ſi ad malum inclinet. Arg. ſoluũ: Ad primũ & Ad ſecundũ ¶ Reſpondetur ſecundò, magnam eſſe inter Theologos quæſtionem, an malum morale ſit aliqua natura poſitiua: de qua infrà, in materia de peccatis. Hoc tamen certum eſt, Deum ſe ſolo habitum iniuſtitiæ producere non poſſe, quemadmodum neq; poteſt producere actum iniuſtitiæ. Ratio eſt, quoniam eſt quædam natura deficiens, & talis natura in cauſam deficientem eſt referenda. Itaque quemadmodum operatio homicidij eſt à Deo, quatenus habet aliquid de perfectione, quatenus verò in malum tendit, à deficiente cauſa; ſimiliter de iniuſtitiæ habitu dicendum eſt; & ſicut operatio homicidij non eſt à Deo immediatè, licèt concurrat Deus ad ſubſtantiam operis cum cauſa ſecunda deficiente; ſic vt perfectio Deo, deformitas verò peccatori tribuatur: hoc modo de iniuſtitiæ habitu cenſendum eſt. Itaque malum morale intrinſecè includit ordinem ad cauſam deficientẽ, ſicut actio vitalis ad principiũ vitale; vnde ſicut Deus ſe ſolo non poteſt producere actionẽ vitalem, ita nec peccatum, ſeu malum morale. Ad ſecundum idem reſpondetur. Ad tertium reſpondetur primò, licèt appetitus ſenſitiuus inclinet ad malum, illam inclinationem non eſſe malam morali malitia, ſi intra ipſius appetitus terminos contineatur: ſicut enim appetitus ſenſitiuus inclinat ad malum, ita bonum delectabile, vt vinum ſuaue, &c. & tamen vini natura bona eſt, & nemo conqueritur, quòd effecerit Deus vinum ſuaue. Itaque iuxta ſolutionem hanc iudicandum eſt de appetitu ſenſitiuo, ac ſi eſſet à nobis ſeparatus, veluti mũdus ac dæmon; cuius proinde inclinatio nobis non imputatur ad culpam, niſi adſit voluntatis conſenſus. Ad ter. vſq; ad ſextum. Secundò reſpondetur, appetitum ſenſitiuum non inclinare ad malum ipſius appetitus, ſed hominis; omnis enim appetitus eſt bo-

tiæ destitutam: ergo potentię dono iustitiæ originalis destitutæ, inclinant ad malum. Confirmatur. Nam si homo conditus esset in purisnaturalibus, scilicet absque peccato & gratia, eodem modo ex parte appetitus sensitiui inclinaretur ad malum, sicuti modo. ¶ Quintò, tam in voluntate, quàm in appetitu sensitiuo consurgunt motus quidam in malum, quos Theologi vocant primò primos, & isti motus nihil aliud sunt, quàm quædam in malum inclinationes: ergo. Probatur minor. Nã isti motus vel sunt liberi, vel naturales: si liberi, ergo imputantur ad culpam, quòd est falsum; ergo sunt naturales.

Quintum.

Sextum. ¶ Mox, quando caro concupiscit aduersus spiritum sine ipsius consensu, vel illa concupiscentia, aut contradictio est naturalis, aut libera: & certè non est libera; quia non est peccatum: ergo naturalis. Et patet hoc manifestè; nam si homo consentit in illud quod caro concupiscit, peccat; igitur illa naturalis concupiscentia carnis erat in malum. De hac naturali inclinatione, & quæ non est in hominum potestate, conqueritur Paul. ad Roman. 7. Si quod nolo, operor, iam ego non operor illud, sed quod habitat in me peccatum; scio enim quòd non habitat in carne mea bonum. ¶ Experientia insuper cõstat, multos homines procliuiores esse ad vitia, & hoc ex propria complexione, aut verò ex syderum constellatione: ergo est in homine prana in malum inclinatio sibi congenita. ¶ Octauò, virtus (autore Aristot. 2. Ethic.) versatur circa difficile; at si natura humana de se nos traheret ad bonum virtutis, huiusmodi bonum non esset difficile, neque molestum nobis, atque adeò non essent nobis necessariæ virtutes superadditæ: proprium enim virtutum munus, & officium est, reddere facile & iucundũ id quod in opere virtutum erat difficile. Certè qui probabiliùs philosophantur, docent, virtutes non esse necessarias ad ea, ad quæ natura ducimur, & trahimur; nemo enim est tam hebes ingenij qui existimet virtutem esse necessariam vt homo desideret felicitatem, & odiat miseriam.

Rom. 7.

Septimum.

Octauum.

Aristot.

Nonum. ¶ Insuper Theologi omnes hac de causa constituunt originalem iustitiam in parentibus primis, vt contineret in virtutum officio appetitũ sensitiuum, & vt pareret rationi sine difficultate: at si appetitus sensitiuus suapte natura non aduersaretur rationi, neque virtuti, non erat necessarium tale donum. ergo. &c. ¶ Tandem, secundum virtutem, & secundum legem Dei tenetur homo diligere Deum plusquàm se, & bonum commune præferre priuato: sed homo suapte natura in bonum proprium inclinatur: ergo in homine est inclinatio naturalis contra legem Dei. Et in huius confirmationem sunt quàm plurima scripturæ testimonia, vt est illud Genes. 8. Sensus & cogitatio humani cordis prona sunt ad malum ab adolescentia sua, id est, ab origine sua. & Sapien. 12. Naturalis malitia eorum. Et illud. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. & rursus sunt testimonia D. Paul. suprà citata. Est etiam Aristot. testimonium. 2. Ethico. dicentis, oportere vt homo sit studiosus, quòd se abducat à vitijs, ad quæ natura maximè inclinatur. Hoc testimonium refert D. Thom. 2. 2. q. 166. artic. 2. ad 3. His rationibus, & testimonijs quidam autores innixi, sentiunt naturam humanam de se inclinare ad malum: vnde aduersus eam mille exortæ sunt querelæ, vt dicant eam esse nouercam, & inimicã, scelerum effectricem: vnde etiam ortum habuit illud abominandum dogma, hominem de se non posse, nisi malum: & etiam aliud; omnium hominum vniuersa opera peccata esse mortalia, perpetuoque supplicio digna. Item & illud naturæ humanæ iniuriosum, & eius autori, quo dicitur, Deum nos ad peccandum necessitare, & inducere ad malum, Deumque nobis imposs sibilia præcipere, ac contra naturæ inclinationem.

Gen. 8.

Sap. 12.

Aristot.

D. Thom.

¶ In huius quæstionis explicationem, sit conclusio. Omnis inclinatio naturalis, cuiuscunque creaturę, est bona, neque inclinat in malum, neque rationi aduersatur. Probatur primò. inclinatio naturæ est à Deo; ergo non inclinat ad malum. Antecedens est notum; nam cùm Deus sit autor naturæ, consequenter etiam est eorum quæ naturam consequuntur conditor, & productor; qui enim dat formam, dat etiam consequẽtia ad formam. Consequentia probatur; quoniam motus naturalis, etiam qui ex inclinatione naturæ procedit, autori naturæ tribuitur, vt probat Aristot. 8. physicor. Grauia enim & leuia, hac sola de causa à generante, & autore naturæ mouentur, quoniam à Deo talem susceperе inclinationem, & necessitatem talem ad motum. Itaque si peccatum esset lapidi deorsum descendere, & igni tendere sursum, in autorem naturæ esset referendum. Simili ratione, si homini esset peccatum felicitatem appetere, in autorem naturæ esset referendum, qui fecit hominẽ cum tali inclinatione. Hæc ratio efficax est ad demonstrandum, actum illum non esse peccatum, qui ex inclinatione à Deo tributa procedit: qua ratione vtitur D. Thom. ad probandũ, primum Angeli actum non potuisse esse peccatum; nam primus actus est amor sui, qui ex inclinatione naturæ progreditur. ¶ Deinde, Deus non potest producere in anima habitum inclinantem ad peccatum; hoc enim diuinæ bonitati repugnat, vt ad peccandum inducat: ergo neque

Omnis inclinatio naturalis, bona est.

Conclusio. Primò.

Aristot.

D. Thom.

Secundò.

que inclinationem naturalem in malum. Proba tur conſequentia. Nam non minùs cauſa eſt actus vitioſi inclinatio naturalis, quàm habitus vitioſus. Tertiò. ¶ Tertiò, Deus non poteſt in intellectu condere habitum inclinantem ad falſum: ergo neque poterit inclinationem in malũ producere. Probatur antecedens. Nam hac ratione demonſtrant omnes Theologi, fidei diuinæ nõ poſſe falſum ſubeſſe, quia à Deo infuſa eſt, qui neque fallere, neque falli poteſt. Et eadem ratione poſſumus demonſtrare; prima principia non poſſe eſſe falſa; nam ſi reſpiciamus Deum fallere non poſſe, aut verò falli, atque etiam humanam naturam ab eo cum neceſsitate hac, vt primis aſſentiatur principijs, eſſe conditam, hac ratione manifeſtè concluditur, prima principia eſſe vera: ſi enim falſa eſſent, & Deus neceſsitatem intellectui humano imponeret vt eis aſſentiretur, manifeſtè conſtaret Deum hominem fallere. Quartò. ¶ Præterea, ſi homo induceret ad peccandum, peccaret vtique; ergo ſi Deus induceret hominem ad peccandum, etiam peccaret: quamuis enim hæc conſequutio non valeat, Deus cõcurrit cum homine ad peccãdum, ergo peccat: nihilominus hæc conſequentia bona eſt; Deus ſe ſolo inducit hominem ad peccandum, ergo peccat, licèt antecedẽs ſit impoſsibile. Deus autẽ ſe ſolo producit inclinationem hominis; ergo ſi illa inclinat ad peccandum, Deus ſe ſolo inclinat ad peccandum. Quintò. ¶ Quintò, ſi eſt inclinatio naturæ bona; ergo conſentanea eſt rectæ rationi; ergo eſt recta, & per conſequens non in malum: tum vltrà, illa eſt conſentanea rectæ rationi, & diuinæ ſapientiæ; ergo operari ſecundum eam, erit diuinæ ſapientiæ conſentaneum, ergo bona. Sextò. ¶ Ad hæc, operari ſecundum impetum, & Dei impulſum, eſt opus rectum; Deus enim non inducit ad malum: ſed inclinatio naturalis eſt Dei impetus naturæ impreſſus; ergo operari ſecundum inclinationem naturalem, non erit malum. Septimò. ¶ Septimò, Deus vult, & inſtituit vt omnis natura conſequeretur illud, ad quod naturalem habet inclinationem; nõ ergo inclinat ad malum, alias Deus voluiſſet malum.

¶ Confirmatur hæc ſententia ſacræ ſcripturæ teſtimonijs. Primùm ex illo Iacob. 1. Deus intẽtator malorum eſt: at ſi Deus tribueret talem inclinationem ad malum, profectò tentaret, & induceret ad malum. Certè ſi dæmon talem induceret inclinationem ad malum, eſſet perſuaſor, & tentator ad malum: ergo ſi Deus hæc facit, tẽtator malorum eſt. Eccleſ. 7: Præterea Eccleſ. 7. Fecit Deus hominem rectum, &c. at ſi homo conditus eſſet cum peſsima inclinatione, nequaquam rectus eſſet. Sap, 8. & Sapient. 8. Attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter.

At non eſſet ſuauis Dei diſpoſitio, condere hominem vt eum diligeret, & tribuere naturalem inclinationem in contrarium. Architectus ſapiens quando opificium conficit, tribuit media accommodata ad finis conſequutionem; quemadmodum ſi facit ſerram, quoniam inſtrumentum eſt ſcindendi, facit eam dentatam, neque in contrarium inclinationem confert. Huic ſententiæ cõſonat id quod habetur Ge. 1. Gen. 1. Vidit Deus cuncta quę fecerat, & erãt valde bona. & illud; Dei perfecta ſunt opera. atque illud; Omnis creatura Dei bona eſt. Certè ſi inclinatio naturæ humanę eſſet peruerſa, natura humana eſſet peruerſa.

¶ Ad argumenta, & ad primum reſpondetur, habitum iniuſtitiæ eſſe qualitatem quandãm deficientem, quapropter non eſt à Deo, ſed à voluntate noſtra deficiente, & ideo non mirum ſi ad malum inclinet. Arg. ſoluũ. Ad primũ & Ad ſecundũ. ¶ Reſpondetur ſecundò, magnam eſſe inter Theologos quæſtionem, an malum morale ſit aliqua natura poſitiua: de qua infrà, in materia de peccatis. Hoc tamen certum eſt, Deum ſe ſolo habitum iniuſtitiæ producere non poſſe, quemadmodum neq; poteſt producere actum iniuſtitiæ. Ratio eſt, quoniam eſt quædam natura deficiens, & talis natura in cauſam deficientem eſt referenda. Itaque quemadmodum operatio homicidij eſt à Deo, quatenus habet aliquid de perfectione, quatenus verò in malum tendit, à deficiente cauſa; ſimiliter de iniuſtitiæ habitu dicendum eſt; & ſicut operatio homicidij non eſt à Deo immediatè, licèt concurrat Deus ad ſubſtantiam operis cum cauſa ſecunda deficiente; ſic vt perfectio Deo, deformitas verò peccatori tribuatur: hoc modo de iniuſtitiæ habitu cenſendum eſt. Itaque malum morale intrinſecè includit ordinem ad cauſam deficientẽ, ſicut actio vitalis ad principiũ vitale; vnde ſicut Deus ſe ſolo non poteſt producere actionẽ vitalem, ita nec peccatum, ſeu malum morale. Ad ſecundum idem reſpondetur. Ad tertium reſpondetur primò, licèt appetitus ſenſitiuus inclinet ad malum, illam inclinationem non eſſe malam morali malitia, ſi intra ipſius appetitus terminos contineatur: ſicut enim appetitus ſenſitiuus inclinat ad malum, ita bonum delectabile, vt vinum ſuaue, &c. & tamen vini natura bona eſt, & nemo conqueritur, quòd effecerit Deus vinum ſuaue. Itaque iuxta ſolutionem hanc iudicandum eſt de appetitu ſenſitiuo, ac ſi eſſet à nobis ſeparatus, veluti mũdus ac dæmon; cuius proinde inclinatio nobis non imputatur ad culpam, niſi adſit voluntatis conſenſus. Ad ter. vſq; ad ſextum. Secundò reſpondetur, appetitum ſenſitiuum non inclinare ad malum ipſius appetitus, ſed hominis; omnis enim appetitus eſt bo-

ni,& conuenientis,vt suprà demonstratum est, quando lupus occidit ouem,ille appetitus non est in malum lupi,sed ouis. Tertiò respondetur, Deum non creasse hominem cum ista inclinatione,induit enim illum iustitia originali, quæ habebat continere in officio appetitum sensitiuum in opere rationis,quòd si postea homo in hunc incidit laborem,sibi potiùs quàm diuinæ sapientiæ imputandum est, quemadmodum si oculos sibi eruisset. Quartò respondetur,appetitum sensitiuum inclinare suapte natura in bonum hominis,& esse institutum vt rationi obediat,verum est tamen sæpe illum inducere hominem ad malum per accidens, ex nostræ naturæ defectu,& ex abusu nostræ considerationis. ¶Pro cuius expositione notandum est,quòd sicut potentiæ sensitiuæ suapte natura ordinantur ad perfectam hominis intellectionem,&cognitionem;omnes namque sensus,tam interiores,quàm exteriores,intellectui deseruiunt;accidit tamen nonnunquam vt sint occasio errãdi, vt patet in collo columbæ,& in baculo immerso in aquam;iudicamus enim per sensum aliter quàm sunt. Et sicut naturæ corporales sunt à Deo institutæ propter hominis bonum,quæ tamen sunt aliquando in ipsius tentationem,&laqueum,vt dicitur Sapien.14.non aliter appetitus sensitiuus natura sua est institutus ad officia sensibilia,& corporalia, in quibus omnibus paratus est rationi obedire:cæterùm per accidens sæpenumero in malum inducit,& per nimiam adhæsionem ad bona sensibilia,cum quibus nascimur,alimur,& crescimus, atque etiam propter imperfectionem nostræ conditionis.Itaq; secundum diuinam Theologiam definiendũ est, omnem inclinationem appetitus sensitiui naturalem,esse in hominis bonum.Quod probatur.Nam in hoc appetitu est inclinatio naturalis ad congressum cum muliere, quæ optima est , & ad speciei conseruationem necessaria: quòd verò inclinet ad alienã mulierem, hoc ex nostro defectu est. Rursus,in hoc appetitu est impetus naturalis ad resistendum cõtrarijs, qui ad conseruandam rem corruptibilem pernecessarius est;quòd si inclinet ad vindicandam iniuriam propria autoritate, hoc nobis imputandũ est. ¶ Quòd si dicas, motus subitos in malum, esse naturales,& non liberos.Respondetur esse naturales,id est,non liberos,non tamen esse naturales quia à naturali inclinatione proueniũt; quemadmodum errores intellectus,& sensusali quando sunt naturales,id est,non liberi, cæterùm non sunt naturales,quasi à naturali inclinatione intellectus dimanent.Atque hæc sufficiãt pro argumentis,quæ ad inclinationem appetitus sensitiui pertinebant. ¶ Ad aliud, de inclinationibus quas contrahimus,vel ex consuetudine,vel ex constellatione syderum,respondet Dominus Caietanus 2.2.q.141.artic.1.inclinationem speciei non esse ad malum, cæterùm indiuiduantes inclinationes sæpenumero trahere ad malum.Quæ opinio non est absurda admodùm:nam istæ inclinationes non prodeunt à Deo immediatè,sed mediantibus causis secũdis deficientibus.Veritas tamen est;omnem inclinationem, siue specifica sit, siue indiuidua, dummodò sit naturalis,& ab autore naturæ indita,non posse esse in malum,vt probant argumenta superiùs facta;sola inclinatio peccati est ad malum. ¶ Ad octauum verò argumentum vt respondeatur,notandum est,hominem compositum esse ex duabus naturis repugnantibus; rationali,& sensitiua,quas Paul.ad Roma.7.appellat interiorem,& exteriorem hominem. Est insuper aduertendum , quòd quia homo est, quatenus rationalis est,nõ quatenus sensitiuus, illa inclinatio quæ competit homini quatenus rationalis est, competit homini quatenus homo est;cæterùm illa inclinatio,quæ homini cõpetit quatenus sensitiuus,non competit illi nisi secundum quid. Sentimus igitur difficultatem in opere virtutum, nõ quòd homo ex rationali inclinatione in opera virtutum non inclinetur, sed propter pugnam,qua caro concupiscit aduersus spiritum. ¶ Ad vltimum, quanquam viri docti sentiant,hominem inclinari ad diligẽdum se plusquàm Deum,id tamen à veritate videtur deuiare;membrum namque magis inclinatur ad bonum totius,quàm ad bonum propriũ; periclitatur enim manus pro corporis salute;ergo homo quem Deus constituit Reipub. partem, plus inclinatur ad bonum vniuersale, quàm ad priuatum , & magis ad diligendum Deum,quàm seipsum,cùm Deus sit vniuersale bonum,sine quo creaturæ subsistere non possunt.Non enim consentaneum est , Deum rebus inanimis,& membris externis inclinationẽ suo fini conuenientem concessisse,& vnico homini eam denegasse. Quòd verò homo cum difficultate & mœrore,vitam,aut bona temporalia exponat pro Deo,non ostendit hãc inclinationem naturalem non esse; nam mercator maximo cum mœrore proijcit merces in mare pro vita tuenda,quem tamen plus amat vitam, quàm diuitias,compertum, atque manifestum est.

¶ Ad testimonia scripturarum respondetur,optimè ea posse interpretari de appetitu sensitiuo, qui de se ad sensualia bona ducit,quæ vt in plurimum aduersantur rationi;vel de appetitu rationali,consuetudine scelerum deprauato; consuetudo enim altera natura est. Quòd verò

Caiet.

Ad octauũ.

Rom.7.

Ad nonum.

Sap.14.

Ad septimũ

Paul.

Paul. appellat concupiſcentiam malam, non eſt ſenſus, quòd ſit mala formaliter, ſed quoniá eſt effectus mali, ſcilicet peccati originis, vel quoniá eſt origo, & fomentum malorum.

Vtrũ omnis paſsio mala ſit moraliter.

¶ Alia ſe offert quæſtio; vtrùm omnis animæ paſsio, ſit mala moraliter; quod alijs verbis philoſophi antiqui interrogabant, dum quærebãt, an in virũ ſapientem caderent animæ paſsiones.

Primò.

¶ Et primùm probatur, omnes animæ paſsiones, neque bonas eſſe, neque malas: tum, quoniam bonum aut malum hominis eſt ſecundũ rationem eſſe, aut eſſe præter rationem, autore

Dionyſ.

D. Dionyſ. 4. cap. de diui. nominib. Sed paſsiones animæ non collocantur in ratione, ſed in appetitu ſenſitiuo; ergo non pertinent ad bonum vel malum hominis. Deinde, paſsiones tantùm collocantur in appetitu ſenſitiuo, vt ſuprà expoſitum eſt; ſed appetitus ſenſitiuus non habet libertatem: ergo non eſt capax boni aut mali moralis. Probatur minor. Nam ſi appetitus ſenſitiuus haberet in homine libertatem, in eo poſſet eſſe virtus, aut vitium ſine rationis conſenſu,

Ariſtot.

quod eſt falſum. Tertiò, autore Ariſtot. 2. ethicor. paſsionibus neque vituperamur, neque laudamur: ergo paſsiones non ſunt vituperio, aut laude dignæ. Quòd autem in viro ſapiente paſsiones nequaquam inueniantur, ita probatur. Paſsio enim eſt quædam animi perturbatio, à recta ratione auerſa; id namque ſignificat hoc nomen, Paſsio: ſed in virum ſapientem non cadit animi perturbatio, à recta ratione auerſa. ergo.

Secundò.

¶ Deinde, omnis animi perturbatio, & paſsio, eſt motus præter naturam: ſed huiuſmodi motus in virũ ſapiẽtem non cadit. ergo. Probatur maior. Nã in omni animæ paſsione additur aliquid, vel minuitur à motu naturali cordis: mouetur enim cor, vel vehementiùs, vel remiſsiùs, dilatatione, vel conſtrictione.

Tertiò.

¶ Tertiò, id quod perturbat rationis iudicium, ſapienti viro non euenit: ſed omnes animi paſsiones perturbant rationis iudicium, vt experientia conſtat, &

Salluſt.

Salluſtij ſententia confirmatur, qua ait; Omnesqui de rebus dubijs conſultant, ab ira, odio, &c. vacuos eſſe debere.

Quartò.

¶ Quartò, id omne quod nos in malum inducit, cauendum eſt; ſed paſsiones inducunt ad malum, qua de cauſa ad

Rom. 7.

Rom. 7. vocantur paſsiones peccatorum. ergo. ¶ Hoc etiam ſacræ literæ videntur deſignare, vt ex ſuprà dictis conſtat: atque etiam

Mat. 5.

Matth. 5. ira prohiberi videtur, dum dicitur; Ego autem dico vobis, omnis qui iraſcitur fratri, reus erit. &c.

Sentẽtiæ Peripatetico-rum, & Stoicorum.

¶ In huius quæſtionis ſolutionem duę ſunt ſententiæ: vna aſſerit paſsiones cadere in virum ſapientem, ſed moderatas, rationique ſubiectas; quæ ſententia Peripateticorum eſt. Alia dicit paſsiones in virum ſapientem haud quaquam cadere, quæ ſententia Stoicorum eſt. Sed quãuis hæ ſententiæ differre videantur, potiùs habẽt de verbis, quàm de rebus ipſis controuerſiam. Ità docet D. Auguſtin. 9. de ciuit. cap. 4. & lib. 14. c. 9. Stoici enim arbitrantur, hoc nomen, Paſsio, tantùm ſignificare motum animæ noſtræ turbulentum, & à recta ratione auerſum.

Aug.

Ex qua ſignificatione colligit Cicero 3. Tuſcula. paſsiones in virum ſapientem non cadere; nã in eum cadit animi paſsio, in quem cadit animi perturbatio à recta ratione auerſa. Rurſus, in eũ cadit paſsio, in quẽ cadit morbus, & animi ęgritudo; hæc verò ſapienti accidere non poſſunt.

Cicerõ.

Simili argumento concludit, mediocritatẽ paſsionum non eſſe approbandã; nam mediocris morbus, mediocre malum eſt, & mediocris ęgritudo, ęgritudo eſt. Ex eadem ſignificatione colligit Seneca lib. 1. de Ira ad Nouatum, iram in virum ſapientem non venire. Cæterùm Peripatetici ſentiunt, paſsionem eſſe omnem motum appetitus ſenſitiui, qui ſi moderamine rationis fuerit compreſſus, laude erit dignus, ſin minùs, vituperio.

Seneca.

Paſsiones cõſiderantur & ſecundum ſe, vt & ſubduntur rationi.

¶ Vt verò materia hæc exactiùs intelligatur, notandum eſt, paſsiones duobus modis conſiderari poſſe; & ſecundum ſe, & quatenus ſubduntur rationis imperio, & deliberationi voluntatis. Priori ratione, neque laude, neque vituperio dignæ cenſentur, quoniam ſunt motus quidam appetitus irrationalis, quibus cum alijs animantibus communicamus. Si verò ſecundo modo conſiderentur, ſunt laude, aut vituperio dignæ: appetitus enim ſenſitiuus, propinquior eſt rationi, quàm exteriora membra: actus autẽ exteriorum membrorum, boni ſunt, aut mali, ea ratione, qua voluntarij ſunt: ergo etiam motus appetitus ſenſitiui. Præterea, licèt appetitus ſecundum ſe libertate careat, ex coniunctione tamen ad rationem, libertatem habet; quapropter in eo virtutes collocantur, vt fortitudo, & temperantia, &c. Paſsiones itaque, quatenus voluntariæ ſunt, laudem merentur, vel vituperiũ. Sunt autem voluntariæ bifariam; directè, quando imperantur à ratione, aut voluntate; & indirectè, cùm non prohibentur quando prohiberi deberent. Ex his argumenta primo loco facta, quibus probari videbatur, animæ affectiones neque laude, aut vituperio dignas eſſe, ſoluta manent.

¶ Eſt præterea annotandum, paſsiones animæ noſtræ moderatas, rationique ſubiectas, laudabiles eſſe. Quod ſecundum fidem verum eſſe probatur; quoniam ipſa docet, Chriſtum Dominum, qui peccata non fecit, nec dolus inuentus eſt in ore eius, humanos habuiſſe affectus; eſurijt enim, & ſitiuit, &c. cœpit pauere, ac tædere, & turbatus eſt. Huius rei demonſtrationem vide

Ambros. de apud D. Ambros. tracta. de obitu Gratiani, & lib. de incarnatione Domini c. 7. & commentarijs super Lucam lib. 10. exponens illud; si possibile est, trāseat à me calix iste. & in tracta. de prima interpellatione Dauid, & lib. 2. de fide ad Aug. Gratianum cap. 3. Et D. Augustin. 14. de ciuita. c. 9. ita loquitur; Quamobrem etiam ipse Dominus in forma serui vitam agere dignatus humanam, sed nullum habens omnino peccatum, adhibuit eas, vbi adhibendas esse iudicauit: neque enim in quo erat verum hominis corpus, & verus hominis animus, falsus erat humanus affectus. Apud Christianos itaque, qui iuxta scripturas sacras sanam doctrinam bibunt, metuunt, cupiunt, dolent, gaudent; metuunt pœnā æternam, cupiunt vitam perpetuam, dolent in re aduersa, ingemiscunt expectantes adoptionem, & redemptionem corporis sui, gaudent in spe, quia fiet sermo, absorpta est mors in victoria: dolēt propter alios si perierint, & gaudēt si liberāntur. Qua de causa admonet Paul. gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus.

Paul.

Prim. ratio Quare passiones animæ moderatæ, laudabiles sint. ¶ Probatur insuper hæc veritas rationibus. Primò, ex communi omnium hominum consensu. Quis enim humanos affectus, quibus ad virtutem exercemur, damnabit? dolor enim de malo, timor de supplicio, desiderium de promisso, gaudiumque de præmio, quædam sunt exercitationes virtutum. Propter hoc datus est nobis dolor, vt turpitudinem detestemur, & timor, vt malum fugiamus.

Secunda. ¶ Deinde, omnis virtus est productiua rectæ affectionis: non autem est iustus, qui iusta operando non delectetur; non sobriùs, qui sobriè operando non gaudeat, &c. igitur virtus non excludit animæ passiones.

Tertia. ¶ Tertiò, virtus non excludit suum obiectum; at obiectum virtutis circa quod negotiatur, sunt animę passiones, quas moderatur. ergo. Cōfirmatur. Nam virtus moralis, quæ circa passiones versatur, absque passionibus esse non potest, alioqui faceret appetitum sensitiuum ocio sum. Rationi autē consonum non est, vt ea quę rationi subiecta sunt, à suis operationibus desistant, sed vt exequantur sua officia ex imperio rationis. Itaque quemadmodum virtus mouet exteriora membra ad actus debitos; ita mouet appetitum sensitiuum ad actus ordinatos secūdum rationem.

Quarta. ¶ Præterea, appetitus sensitiuus datus est nobis ab autore naturæ; sed virtus nō dissipat naturam, imò eam perficit: ergo nō tollit funditus passiones, sed moderatur, & regit.

Quinta. ¶ Ad hæc, virtus non destruit id quod est rationi consentaneum; sed est consentaneum rectæ rationi, vt compatiatur homo amico dolenti. ergo. Concludimus itaque, eos qui nullo excitantur affectu, humanitatem totam potiùs amisisse, quàm animi tranquillitatem possidere. In hac re optimè loquitur Cicero in oratione pro Murena, & Galenus tracta. de curatione affectuū & cognitione, & Plato primo de legibus ait, huiusmodi affectiones humanas, esse veluti neruos, & musculos ad contrarias actiones trahentes & retrahentes. Quemadmodum itaque sunt nerui quidam in brachio ad eius dilatationē, sunt & alij ad eius contractionē; non aliter in anima nostra sunt affectiones aliæ ad istas operationes, aliæ ad alias institutæ; omnes tamen, si modum seruēt, suo tempore, & loco vtiles sunt. Quod optimè exponit Horatius his verbis; Spe rat infestis, metuit secundis, alteram sortem bene præparatum pectus. Alius philosophus præclarè docet animi affectus non esse totaliter dissipandos, sed potiùs ad mediocritatem esse reducendos. Neque enim sanitas in eo posita est, vt calidum & frigidum, humidum & siccum exi mantur, sed in illorum temperie, & compositione consistit; est enim eorum temperies. Neque verò musicæ concentus tunc reperitur, quando acutum eximitur, & graue, sed in acuti, & grauis soni conuenientia continetur: non aliter virtus nequaquam in passionum extirpatione est constituta, sed in earum moderamine, & cōpositione. Loquitur optimè hac in causa Aristo. 2. ethicor. c. 3. & 6. quo in loco dicit esse quasdam animi passiones, quæ ipso nomine, malum & vitium præ se ferunt, vt impudentia, inuidia, maleuolentia: alias verò esse, quæ ipso nomine bonitatem, & laudem declarant, vt misericordia, verecundia, &c. alias esse, quæ indifferentes apparent, vt tristitia, concupiscentia. vide ibi quæ ad hanc attinent disputationem.

Cicero. Galenus. Plato. Horat. Arist.

Passiones meritoriæ sunt & demeritoriæ. ¶ Est vltimò aduertendum, animæ nostræ passiones meritorias esse, aut demeritorias; tum, quoniam actus exteriorum membrorum, si voluntarij sint, sunt meritorij; ergo si affectus humanus voluntarius sit, meritorius aut demeritorius erit; tum, quoniā appetitus sensitiuus, vt suprà dictū est, habet libertatē quandā participatā, quapropter in eo collocari quasdā virtutes diximus. Ergo in opere appetitus sensitiui potest esse meritū aut demeritum.

Tripliciter se potest habere passio ad voluntatem. ¶ Quod vt percipiatur, est intelligendum, passionem in ordine ad voluntatem tribus modis posse se habere: Vno modo, vt obiectum; qua ratione passiones meritoriæ sunt, aut demeritoriæ, quatenus sunt volitæ; Alio modo, vt principium; passio enim appetitus sensitiui nonnunquam mouet, & excitat voluntatem, vt cum quis ex concupiscentia trahitur ad consentiendum ipsi concupiscentiæ, & ira ad appetendam vindictam. Tertio modo, vt effectus; aliquando siquidem ex efficaci voluntate excitatur passio in appetitu sensitiuo; vt cùm quis

quis voluntate detestatur peccati turpitudinẽ, nascitur continuò in appetitu verecundia. Atque his omnibus modis passiones animæ sunt meritoriæ, aut demeritoriæ, sed potissimè tertio modo. Qua autem ratione passio augeat, vel minuat voluntarium, quo item modo augeat, vel minuat liberum, suprà. q. 6 expositum est.

Ad argum. ¶ His constitutis, ad argumenta secundo loco opposita, quibus probabatur passionem in virum sapientem non cadere, respondendum est.

Ad primum Ad primum respõdetur, passionis nomen non tantùm eas designare passiones, quæ immoderatæ sunt, & à recta ratione auersæ, sed moderatas, & rationi etiam subiectas. Cuius nominis æquiuocatio, occasionem errandi Stoicis præbuit.

Ad secundũ ¶ Ad secundum respondetur, quamuis omnis animi passio, motus naturalis limites exeat, non proinde omnem passionem nocuam esse, aut contra naturam: nam consentaneum maximè naturæ est, vt motus cordis varius sit. Dico insuper, consentaneum esse vt inferatur aliquod detrimentum corpori propter bonum virtutis: in ambulatione enim, & exercitijs belli cis, vehementior est motus cordis, quàm esset naturalis ipse motus, quæ tamen exercitia nemo damnare potest.

Ad tertium ¶ Ad tertium respondetur, passiones, quæ antecedunt vsum rationis, perturbare nostrum intellectum; cæterùm illæ quæ rationis iudicium sequuntur, & moderatæ sunt, ac rationi subiectæ, non perturbãt rationis iudicium, imò sunt

Ad quartũ. ei obedientes. ¶ Ad quartum respondetur, passiones immoderatas inducere ad peccandũ, at passiones benè dispositæ ad virtutis officium maximè conferunt. Diuina verò scriptura non condemnat omnes passiones, sed passiones carnis eas, quæ ratione moderatæ non sunt: iram etiam non omnem improbat, sed eam, qua fratri irascimur; non sanè illam, qua aduersus peccatores, & eorum peccata irascimur.

QVAESTIO XXV.

De ordine passionum ad inuicem.

ANNOTATIO BREVISSIma circa totam Quæstionem.

VT vniuersa passionum, & affectionum descriptio in conspectu ponatur, has tabulas subijciendas duximus, ex quibus facilè erit intelligere, quem ordinẽ inter sese habeant, & quæ nam sint inter eas præcipuæ: quas vt commodiùs quilibet intelligere possit, quæ sequuntur attendenda sunt.

¶ Passionum animæ origo prima, est amor: amor enim est animalis quędam inclinatio, ex boni apprehensione consurgens, atque in bonum tendens. Cùm igitur bonum malo prius sit, (malum namque non dicitur, nisi priuatio boni, & habitus perpetuò priuationem antecedit; qua de causa nihil odio habetur, nisi quia alicui bono quod diligitur, contrarium esse intelligitur) supereſt, vt omnes passiones, quæ in bonum tendunt, præcedant eas, quæ in malum destinantur, siue in concupiscibili sitę sint, aut verò in irascibili. Inter eas autem quæ in bonũ tendũt, vt sunt desiderium, delectatio, spes, desperatio, amor primum tenet locum, quippe qui absolutè in bonum fertur. Ex quo consequens est, eum præcedere eas animæ passiones, quæ tendunt in bonum, vt absens, vel vt iam adeptum, vel vt futurum, & arduum, aut sub alia quacunque limitatione. Ex his colligi etiam potest, concupiscibilem, priorem esse origine, atq; etiam dignitate, irascibili. Quòd prior origine sit, patet: nam amor, qui est potentiæ concupiscibilis, prior est, antiquiorque quàm irascibilis operatio, vel affectio. Quòd verò dignitate sit prior, liquet: nam irascibilis vniuersa, cum omnibus suis affectibus, instituta est propter concupiscibilem, vt concupiscibilis obtineat bonum quod desiderat, & eo fruatur: vnde prouenit, quòd passiones irascibilis, ad passiones concupiscibilis destinantur, vt spes atque audacia ad delectationem terminantur, si vincant; desperatio & metus ad tristitiam cadunt, si vincantur.

Amor passionum origo.

¶ Inuenimus prętera, omnes passiones ad quatuor præcipuas reduci posse; quarum duæ in concupiscibili sunt, quæ sunt delectatio, & dolor; & duæ in irascibili, quas, spem & metum appellamus. Præterea etiam sub quadam ampliori ac latiori consideratione, omnes ad duas reduci posse asserimus, secundum duplicem boni, & mali rationem; istæ sunt, delectatio, & dolor: imò verò ad vnum fit omnium passionum reductio, scilicet ad amorem, licèt principalior, & consummatior passio sit delectatio, hunc amorem consequens, qua in re amata quiescimus. Ampliùs verò, licèt amor sit prima passionum, sortitur tamen concupiscibilis nomen, à concupiscentia, siue cupidine, sic adeò, vt etiam secundum fictionem poëticam, Cupido Deus amoris nuncupetur. Cuius ratio est, quia bonum absens, aut desiderio habitum, quando abest, maiorem in animo generat læsionem, magisque animus eius carentia tristatur, atque ampliùs eius sentit in semetipso defectum, licèt in corpore non ita res perpetuò habeat. Sed diligentiùs ostendamus quatuor esse præcipuas animę

Quatuor passionum præcipuæ.

passio-

paſsiones,ſcilicet delectationem, dolorem,ſpē, & timorem. vnde illud Boëtij decantatum; Gaudia pelle,pelle timorem, ſpemque fugato, nec dolor adſit. Hæ nimirùm ſunt paſsiones præcipuæ. ¶ Paſsiones ſiquidem præcipuæ,duas conditiones expoſtulant; prima eſt,vt ſint per ſe,nihilque accidentarij admittant,quod ſtatim exponetur. Secūda eſt,vt ſint vltimæ in ſingulisgeneribus. Sunt autem,ſi res expendatur,quatuor paſsionum genera,ſcilicet motus in bonum,motus à malo,quies in bono,inquietudo in malo. Vltima in priori genere eſt ſpes: in primis enim ex bono generatur amor, deinde deſiderium, tandem ſpes accenditur ad vincendum bonum arduum. In ſecundo,timor; nam malum, quàm primum conſpicimus,abominamur,& tandem ſequitur timor imminentis mali. In tertio genere,vltimas & præcipuas partes tenet delectatio; nam omnes concupiſcibilis paſsiones, imò & iraſcibilis, ordinantur ad delectationem. In quarto genere collocatur triſtitia. Omnes iſtæ paſsiones ſunt per ſe,tam in ſe,quàm in ſuis cauſis: quod propter iram dictum eſt, quæ vlterior motus in bonum eſt,quàm ſpes, & exiſtit poſt ſpem, ſed ira conſurgit veluti per accidens; eſt enim effectus quidam audaciæ,& ideo non poteſt eſſe præcipua paſsio. Dicuntur itaque prædictæ paſsiones,principales, quia vnaquæque in ſuo genere præcipuas partes obtinet.

Boëtius.

Paſsionis præcipuę cōditiones.

¶ Sed antequā hinc diſcedamus,aduertat Theologus,quàm incongruè,ne dicam ineptè,de paſsionibus animæ ediſſerat Scot. in 1.d.1.q.4. ſcribit enim,in appetitu ſenſitiuo amorem propriè non collocari: cùm namque amor ſit prima paſsio appetitus ſentientis, ſi amare non conuenit propriè appetitui ſentienti, ergo nec delectari, neq; timere propriè conueniet; ab amore enim cætera pendent, & amorem cæteræ paſsiones includunt; nam delectamur amato, timemus malum amati: vnde ſi amor eſt impropriè, cæteræ erunt paſsiones impropriè. Sed & aliud incommodum ſequitur longè maius; nam ſi paſsiones propriè non ſunt in appetitu ſentiente, & in appetitu intellectiuo ſecundum rei veritatem non reperiantur, nullibi propriè erunt. Illud etiam aduertat Theologus, quod dicitur omnem appetitum eſſe boni, & neminem ad malū intendēdo operari, nō opponi ei quod in litera dicitur, obiectum concupiſcibilis eſſe bonum vel malum. Dicendum ſiquidem eſt, malum non eſſe obiectum appetitus vt proſequendum, ſed vt fugiendum, & eadem ratione qua bonum expetitur, malum refutatur. Vel dici poteſt, bonum eſſe obiectum appetitus per ſe primò, malum verò propter bonum, nā ideo refutamus & odio habemus malum, quia bono eſſe contrarium exiſtimamus, quod bonum nos diligimus. Hæc ſufficiant pro principiorum declaratione: nunc ſequitur duplex tabula, vt iſta memoria poſsint retineri.

Scot.

Prima tabula, qua paſsionum ordo deſcribitur.



Secunda

Secunda tabula, qua passionum ordo describitur.



SEd præstabit, breuiter, & distinctè numerũ, & ordinem passionum animæ nostræ hic constituere. Ex documentis superiùs positis cõstat, vndecim animæ passiones in appetitu reperiri, quarum numerus & ordo sic colligitur. Nã cùm bonum est appetitui propositum, sequitur in appetitu sensitiuo amor; si verò vt incommodum, & noxium proponitur, sequitur odiũ: ex futuri boni æstimatione, oritur in appetitu sensitiuo desideriũ: ex mali verò absentis æstimatione, procedit fuga; atque adeò ex præsentis boni opinione oritur voluptas, & mali præsentis, tristitia. Sex istæ passiones collocantur in concupiscibili. Simili forma passiones quę constituũtur in irascibili, sunt distribuendę. Nã respectu boni nondũ consecuti quod habet rationẽ ardui, est spes, quasi amor boni ardui, & difficilis; desperatio verò, quasi odium, & auersio ardui, propter eius difficultatẽ: si verò malũ imminens sit, sed nondũ præsens, versantur duæ passiones circa illud, timor scilicet, & audacia; timor est veluti fuga mali ardui, audacia, prosecutio ad malũ arduũ superandum. Verũ ex malo iã præsenti, oritur ira, quæ est tristitia mali ardui; sed ex bono præsenti etiam habito, nulla in irascibili ponitur passio; nam bonum, cùm præsens est, nullã habet rationem ardui, neque difficilis.

IN TRACTATVM DE AMORE Præfatio.

MVlti doctissimi scriptores existimârũt rẽ esse difficillimã de amore disserere; quippe qui habeat obscuras, & occultas sententias, pluraq; cõprehendat mysteria, quàm quæ sermone explicari valeant. Rursus arbitrati sunt, huius rei disputationẽ esse periculosissimã; hypocrita enim verba amatoria tantummodò apprehendes, inde occasionẽ pernicioſe errandi aucupatur: luxuriosus, & libidini deditus, luxuriandi, & turpibus amoribus inseruiẽdi. Sed amor ipse ab vtroq; incõmodo nos liberat, ac defendit; nã ex fine amor vel vituperationẽ habet, vel laudẽ. Nos de amore honesto disserere curabimus, sed & de amore turpi pauca indicabimus, non vt illũ sequamur, sed vt vehementer fugiamus. ¶ Vt verò quàm necessaria sit huius rei disputatio deprehendatur, illud est aduertendũ, quòd ex amore exeũt

omnes

omnes cogitationes, & studiosæ, & prauę, ex eo prodeunt operationes vniuersę, in amorem tẽdunt, & terminantur: nobiscum nascitur, nobiscum crescit, noscq; semper comitatur; sic adeò vt natura nostra sine amore, & amor sine natura nunquam existat. Amor nos docet vt fugiamus quęcunq; incommoda sunt, & nociua, vtque sequamur quę salutaria sunt, & amica.

Encomium amoris.

Hęc est lex immutabilis, non ab hominibus inuenta, neq; à legislatoribus scripta, non ex cęlestibus inspirata, non ex aliorum exemplo deducta, nobiscum nata est, nobiscum alitur, adolescit, & vsq; ad senium perseuerat. Itaq; vt quisq; se amet, lex est, quę nullam persuasionem requirit, neq; rhetorica, aut artificiosa oratione opus habet, cui literati contradicere non valent, neq; ignauia aut negligentia aduocatorum amitti potest, nec tempus nocet, neq; cõtradictio delet, neq; falsitas eius splendidissimã claritatẽ obscurare potest. Vt igitur iterum repetam, sicuti figura circularis inter omnes, capacior est, & vniuersas alias in se continet, & includit; sic amor vniuersos alios affectus in se comprehendit, vt omnium origo, & fons perennis: de quo in sequentibus copiosiùs edisseretur. ¶ Illud sanè in huius argumẽti limine obseruare oportet, quòd sanato, & in ordinẽ redacto amoris affectu, vniuersi alij pectoris nostri affectus, & impulsus, sanitatem habent, robur obtinent, ad pacem redi guntur, & morigeri efficiuntur. Hoc sanè Spiritus sanctus significare (vt ego existimo) voluit,

Cant. 2.

cùm dixit Cant. 2. Introduxit me rex in cellam vinariam, & ordinauit in me charitatem, id est, introduxit me in penetralia, & arcana sua reuelauit mihi, & in primis, & præcipuè ordinauit in me charitatẽ; docuit me quẽadmodũ amare illum debeam, & in quo charitatem, & amorem constituere, & collocare oporteat, quo rectè cõstituto & composito, omnia tranquilla sunt, & quieta, gaudium & pacem afferũt ineffabilem. Amor enim inordinatus, nostra turbatio est, anxietatis, & timoris plena, ordinatus verò, & rectè cõstitutus, gaudiũ est, & pax in Spiritu sancto.

QVAESTIO XXVI.

De amore, habet articulos quatuor.

Introductio quæstionis.

HIc aggreditur D. Tho. ad disputandum de amore, & vniuersum tractatum in partes tres distribuit: primum definit quid sit amor, deinde de eius causis perueſtigat, tandem de amoris effectu edisserit.

ARTIC. PRIMVS.

¶ *Vtrùm amor sit in concupiscibili.*

SVMMA TEXTVS.

Prim. cõcl.

PRima Cõclusio. Amor est aliquid pertinẽs ad appetitũ; vtriusq; enim obiectum, bonũ est; cõtinuò enim ac bonũ appetitui oblatũ est, mouet eũ, & allicit ad se cõgruentia, & coaptatione quadã naturali; qualis est veri cũ mẽte, formosi cũ oculo. Itaq; amor est inclinatio, siue progressus ad bonum.

Secũd. cõcl.

¶ Secunda Cõclusio. Triplex est amor; naturalis, sensibilis, & intellectualis; nã secundũ differentiã appetituũ, est etiã differẽtia amoris: quidã emm est appetitus naturalis, per quẽ res naturaliter appetunt quod eis cõuenit secundũ naturã, vel per apprehensionẽ propriã, vel per apprehensionẽ instituẽtis naturã. Alius est appetitus sensitiuus brutorũ, qui sequitur apprehensionẽ, & cognitionẽ ipsorũ appetentiũ; ex necessitate tamẽ, & nõ ex libero iudicio, qui in hominibus aliquid libertatis participat, in quantũ rationi obedit. Ex quo colligũt Theologi (vt in sequẽtibus videbitur) quòd in appetitu sensitiuo potest esse peccatũ, potestq; esse electio, vt paret, & obedit rationis imperio. Nã vt sic, libertatẽ habet, & potest operari, & nõ operari ad rationis præscriptũ. Alius est appetitus cõsequens apprehensionẽ, siue cognitionẽ secũdũ liberũ iudiciũ,

qui

qui rationalis appetitus, seu voluntas dicitur: & in vnoquoq; horũ appetituũ amor est id, quod est principiũ motus tẽdẽtis in finẽ amatũ. Nã in appetitu naturali, principiũ motus est cõnaturalitas, & cõgruẽtia appetẽtis id in quod tẽdit, & dicitur amor naturalis: sed aptatio appetitus sensitiui, vel voluntatis ad aliquod bonũ, est cõplacẽtia boni, quę dicitur amor sensitiuus, vel intellectiuus. Qui sensitiuus est, est in appetitu sensitiuo, sicut intellectiuus, in intellectiuo. Ex quo discursu sequitur triplicẽ esse amorẽ, naturalẽ, sensibilẽ, & intellectualẽ.

Tert. cõcl. ¶ Tertia Conclusio. Amor ad cõcupiscibilem pertinet, non ad irascibilem; quia bonũ absolutè respicit, & nõ per respectũ ad arduum.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Quid sit, & vnde dicatur amor.

Hic aggreditur D. Tho. ad explicandum, & definiendum quid sit amor. Vt verò ex nominis etymologia rẽ exordiamur, intelligẽdum est, quòd amor Græcè vocatur Eros, scriptum, o, paruo, aut magno, significatq́ue desiderium boni, aut pulchri: deducitur q́ue (vt existimat Plato) à verbo quodam quod significat furari, siue prędari, eò quòd amantis cor deprædetur, & in potestatẽ alterius traducat: aut verò deducitur ex alio verbo, quod significat obstringere, siue vincire, aut ligare, eò quòd amantes vinciat, & in vincula trahat: Aut ex alio verbo quod sequi significat, eò quòd amans rẽ amatã vehementer sequatur. Alij verò deducunt ex alio verbo quod fortitudinẽ designat, vt significetur amorem super omnia fortẽ esse. Nonnulli verò aliam huius vocis etymologiã sequuntur, dicuntq́; trahere originẽ à verbo quod dicere significat; amor enim amantes, dicaces, & eloquentes facit. Sed & aliã commemorant deriuationem, deducũtq́; à verbo, quod est videre; amor enim exvisu nascitur.

Plato. Plato in Cratyllo disputãs quid significet Eros, qui amor interpretatur, dicit nõ esse difficilem huiusrei inuestigationẽ; nã deriuatur ab Erotos, vnde deriuatur nomẽ, Heroes, id est hominesdiuini, maximi pretij, qui omnes alios excellãt, qui ex amore geniti sunt, quę Dij erga mulieres habuêre. Fortasis alludit ad illud Gen. 6. Vidẽtes filij Dei filias hominum, quòd essent pulchræ, acceperunt sibi vxores ex omnibus quas elegerant. & paulò inferiùs. Postquam ingressi sunt filij Dei ad filias hominum, illæq́; genuerunt, isti sunt potentes à seculo viri famosi. Gen.

¶ Hebræi deducunt hoc vocabulũ à verbo Haba, quod est amo. Latini, à verbo amo, quod significat vehementer amare. Ex hoc deriuatur nomen Amicitiæ sacrosanctũ. At quæ nã sit prima origo huius verbi, amo, à Latinis prorsus ignoratur: hoc tamẽ certissimũ est, quòd quoties volunt affectum, vel desideriũ appetitus exprimere, hoc nomine declarant, & patefaciũt. Græci dicunt, Eros cum ,, scriptum, in malũ accipi partẽ, pro turpi amore; Eros verò per ,, pro honesto, & laudabili sumi. Ex hoc verbo phileo q́ pro amare accipiũt, mille cõficiunt verborũ cõpositiones, philozoos, amatorem vitæ. Sed iam de etymologia nominis sat sit, nunc rem ipsam aggrediamur.

¶ In omni rationis discursu optimè dispositio, inuestigari tria solent; si res sit, quid, & qualis sit: ad hæc quæsita, omnia referri solent. Si quispiã percontetur an amor sit, rerũ omniũ vẽ ignorãtia eum teneat, necesse est: est enim luce ipsa clarius, amorẽ esse. Quid verò sit amor, difficilẽ habet explicationẽ. Stoici dicunt amorẽ esse cupiditatẽ boni, & pulchri. Academici verò, esse desideriũ fruẽdi eo quod quisq́; iudicat bonũ, & pulchrũ esse. Theophrastus inquit; Amor est animi cõcupiscentia, quæ celerẽ habet ingressum, tardũ verò regressum. Alij verò dicũt, quòd est impetus, & inclinatio ad id quod pulchrũ, & formosum est. Sed nõnulli addũt hãc definitionẽ, esse desideriũ obtinẽdi id q́ pulchrũ est, & eo fruẽdi. At omissis his definitionibus, quæ planè & exactè rem nõ explicãt, Amor sine dubio est gustus ille, & cõplacentia, illa (inquã) inclinatio, quæ manet postquã videmus rẽ aliquã q́ue nos recreat & delectat. Hic est amor desiderij, & spei pater. Cuius rei definitio vt exactius explicetur, sciendũ est ex D. Aug. quòd amor est principiũ omniũ nostrorũ affectuũ, & actionũ, habetq́ue clauẽ, & gubernaculũ nostræ voluntatis; qui nihil aliud est quàm immutatio prima, q́uę in animo nostro imprimitur ex re appetibili, & desirabili quæ atrahit, & mouet ad se appetitum nostrũ; quæ nihil aliud est quã cõplacentia appetibilis, ex qua quidã motus in animo nro oritur, qui desideriũ appellatur. Græci (secundũ Platonẽ) vocãt hymeros, quoniã impellit animũ impulsu, & impetu suo, facitq́; vt vehementer ad rẽ amatã deferatur, & ex hoc impetu hymeros appellatur. Desideriũ, secundũ Theologos, est motus in bonũ, & velle quod absens est, & nondũ

Definitio amoris.

Aug.

possidetur. Ex quo sequitur, quòd amor, & desiderium, mutuò se cõsequuntur circa rẽabsentẽ, & fraterna necessitudine cõnectũtur, ex eodem semine procreãtur, sed in primis amor producitur vt desiderij causa. ¶ Differtq; inter desideriũ & amorẽ: nã desideriũ fertur in bonũ nõ habitũ; amor verò & in rebus possessis, & habitis, & in rebus absentibus locũ habet. Ex qua doctrina, si rectè inspiciatur, cõsequens est, omnẽ affectũ animi nri ex amore habere originẽ. Amor primus impetus est, procedit per desideriũ, & per spẽ vires accipit, & tandẽ in delectatione sedatur, & quietẽ habet. Quòd vt explicatiùs intelligatur, aduertat Theologus, quòd bonũ, simul ac appetitui est oblatũ, mouet eũ cõtinuò, & allicit ad sese. Motus hic appetitus, exhilaratio illius quædã est, qua appetitui placet illud, quasi bonũ, & sibi cõgruens: allubescẽtia appetitus poterit appellari: itaq; allubescẽtia cõfirmata, amor est. Hũc licet definire, volũtatis, siue appetitus inclinationẽ, siue progressum ad bonũ: exijt eñ volũtas obuiã bono venienti, vt id cõplectatur, vnde nascitur cõiunctiõis expetitio. Sed ex hoc illa nascitur quæstio nõ contẽnẽda, ea est; Vtrũ postquã rẽ amatam adepti sumus, cesset amoris impetus? Videtur quòd cesset. ¶ Nã omnis motus habet suũ terminũ, & finẽ, quo adepto, quiescit, & vltrà nõ progreditur. ¶ Deinde, rerũ naturaliũ augmentũ, terminũ habet, & finẽ, ad quẽ cũ accesserint, nõ vltrà crescũt, sed statim diminutio succedit, & paulatim, & sensim deficiunt, & exiccãtur, & tãdẽ pereũt. ¶ Demũ prouerbiũ est, quòd omnis actio adepto fine quiescit, & finẽ habet. Quòd si quispiã dicat; hæc omnia probare q̃ desideriũ animi debilitetur, & deficiat in rei adeptione, quod est verisimũ; at nõ probare quòd amor desit, & diminutionẽ habeat. Huic obijci potest, q̃ imminuto desiderio, imminuitur subinde amor, qui est desiderij fundamẽtũ & pater. Hęc dubitatio sic explicatur; nãq; dicẽdũ est, exẽpla esse optima, sed in nro proposito minimè cõcludere. Nã solũ cõcludunt in rebus naturalibus, quę semper habẽt eundẽ, & vniformẽ tenorẽ; sed in amore, & desiderio nõ sic accidit: amor enim est ignis quidã ardẽtissimus, qui tãtò magis inflãmatur, & ardet, quãtò de re amata plus gustamus. Quòd si ardet, & incendi tur in absentia, quomodo nõ ardebit in præsentia? Propter quod Socrates scribit, amorem esse mortalẽ, & immortalẽ, iuuenẽ, & senẽ, rẽ nouã, & veterẽ: sicut enim post stomachi repletionẽ sequitur fames, & eiusdẽ vacuitas, & post potũ quo homo extinguit sitim, recurrit eadẽ, & desiderũ, & cupiditas iterũ bibendi; nõ aliter desiderũ expletur fruitione rei quã exoptabat, cuius rei gustus incẽdit desideriũ, & cupiditatẽ eiusdẽ

Differentia inter amorẽ, & desiderium.

Allubescentia.

Vtrũ adepta re amata cesset amoris impetus. Aug. Primò. Secundò.

Tertiò.

Obiectio.

Explicatur.

Socrates.

boni: & sic cõcluditur, quòd adeptio rei amatę, amorẽ & desideriũ nõ extinguat. Cuius rei aliã rationẽ ex diuina Theologia demõstrare possũmus. Certè nõ est cur amor in adeptiõe rei amatæ deficiat, & interrũpatur, quin potiùs crescit. Nã amor (vt dictũ est) à desiderio sic differt, q̃ desideriũ est rei absentis, amor verò potissimũ est rei præsentis: est enim amor cõplacentia ex re amata, quæ sine dubio in rei adeptiõe maior, & suauior est: sed & desideriũ crescit, nõ vt habeatur, sed vt in perpetuũ, & sine intermissione possideatur. Hactenus de rei definitione, quę in sequentibus articulis accuratiùs explicabitur.

¶ De diuisione amoris nõnulla cõmemorat D. Tho. in hoc art. vt definitionẽ amoris nobis explicet. Est quidã (inquit) amor naturalis, qui nihil aliud est, quã quædã naturalis inclinatio ad id quod sibi cõuenit, & cõsentaneũ est secũdũ naturã suã; quo amoris impetu fertur lapis in locũ suũ. Alius est amor sensitiuus, qui est inclinatio in id quod sensus iudicat esse bonũ. Tertius est intellectualis, qui sequitur rationis iudiciũ, & arbitriũ. ¶ Sed libet hîc annotare differẽtias quę versantur inter amorẽ naturalẽ, & animalẽ, qui per sensitiuũ, & intellectualẽ diuiditur. In primis differũt. Nã amor naturalis cõuenit omnibus rebus, animalis verò tantũ cognitionẽ habẽtibus. Deinde differũt, quòd naturalis sequitur formã naturalẽ; animalis verò sequitur formã præcõceptã, & apprehẽsam. Tertiò distãt, quòd amor naturalis in actũ prodit, absq; actuali cognitione, vel apprehẽsione, sed per solã naturã: animalis verò nõ se exerit in actũ, nisi præeũte cognitione. Sed & alio modo differũt: Nã amor naturalis nõ est operatio, & quod dicũt Theologi, nõ est actus elicitus: grauitas enim lapidis, & inclinatio, eí amor appellatur: amor verò animalis, est operatio, & actus elicitus, à volũtate progrediens. Quintò differũt: Nã amor naturalis est ad vnũ determinatus, & semper eodẽ modo se habẽs, & necessarius: animalis verò præcipuè in homine est liber, quippe qui sequitur ex deliberatione, & cõsultatione rationis. In brutis verò licèt varius sit & incõstãs; nũc enim ouis carpit hãc herbã, nũc verò alterã, nũc cupit bibere, nũc comedere; liber nõ est; nam sequitur ex impetu, & instinctu naturæ, nõ ex rationis deliberatione. Ratio huius differẽtię est. Nã amor naturalis, sequitur naturã, quę est determinata ad vnũ: animalis verò sequitur cognitionem, quæ varia est, & ad vnũ minimè determinata. Ex hac differẽtia cõsequitur & alia; quia naturalis amor est ab extrinseco, scilicet ab autore naturæ; animalis verò ab ipso animali: oportet enim quòd amans cognoscat, & in bonũ cognitũ deferatur. Vltimò, differũt maximè: nã appetitus naturalis, est potẽtia re

Amoris diuisio.

Amoris animalis & naturalis differentiæ.

spectu

ſpectu rei cõuenientis ſibi; animalis verò eſt rei cõuenientis toti cõpoſito. Sic viſus appetit naturaliter viſibile ad actũ ſuũ, vt cõſentaneum, & cõueniens viſui: ſed appetitus animalis appetit, & amat viſibile ad bonũ amãtis. Quomodo autẽ omnes iſti amores ſint collocãdi in cõcupiſcibili, & nõ in iraſcibili, ex dictis in ſuperioribus manifeſtũ euadit: fuſiſsimè enim explicauim⁹ quo modo diuidatur appetitus, in concupiſcibilẽ, & iraſcibilẽ, & quę ſint vtriuſq; partis officia & munera: conſulat lector quæ ibi annotata ſunt.

D.Thom. Nos verò ad aliã quæſtionẽ difficilẽ trãſeamus quã inſinuat D.Tho. ſol. ad 2. ¶ Vtrũ amor ſit omniũ aliorũ affectuũ, & paſſionũ animi prima cauſa, & origo. A parte negatiua ſic arguitur.

Vtrũ amor ſit omnium paſſionum prima cauſa Argum. ¶ Nã amor eſt quædã paſsio animi nr̃i, vt planè cõſtat: ſed nõ omnia quę agit homo, agit ex paſſione, ſed quædã ex electione, quędã ex ignorãtia, vt dicitur in 5. eth. c. 8. Ergo nõ omnia quæ homo agit, agit ex amore. ¶ Præterea, appetitus eſt principium motus in animalibus, vt teſtatur Ariſt. 3. de anim. tex. 48. ſi igitur omnia quę agit homo, agit ex amore, alię paſſiones appetitus erũt ſuperuacaneæ, & ocioſæ. ¶ Deinde, nihil cauſatur ſimul à cõtrarijs cauſis, ſed quædã fiũt ex odio: nõ ergo omnia ſunt ex amore. ¶ Deinde, cauſa eſt prior effectu; at delectatio eſt quoque cauſa amoris; quidã enim propter delectationẽ amãt, vt dicitur 8. eth. c. 2. & 3. ergo delectatio eſt prior amore. Nõ ergo prima inter affectiones eſt amor. ¶ Deinde, amor vnionẽ quandã importat: eſt em̃ vis vnitiua vt dicit D.Dion. c. 4. de diuin. nominib. ſed deſideriũ eſt motus ad vnionẽ rei deſideratę: ergo deſideriũ eſt pri⁹ amore. ¶ Vltimò, nõ videtur planè intelligi quo modo odiũ, & deſperatio ex amore naſcantur. ¶ In huius rei expoſitionẽ eſt cõcluſio certiſsima, quòd omnes alię affectiones animę ex amore naſcãtur. ſic probat D.Aug. li. 14. de ciui. Dei c. 7. Amor, inquit, inhiãs habere quod amatur, cupiditas eſt: id autẽ habẽs, eoq; fruẽs, lętitia eſt; fugiẽs quod ei aduerſatur, timor eſt, idq; ſi acciderit ſentiẽs, triſtitia eſt, proinde mala ſunt iſta, ſi malus eſt amor; bona, ſi bonus. & in alio loco dicit; Amor efficit vt timeamus nõ poſſe nos acquirere id quod deſideram⁹; amor efficit vt ſperemus nos poſſe obtinere id quod deſideramus. ſi hoc accidit, voluptas ſubſequitur, ſi contrariũ euenit, dolor. Huius verò cõcluſionis demõſtrationes varias excogitauit D.Th. Prima ſic habet. Omnis alia animæ noſtrę affectio importat motũ ad aliquid, vel quietẽ in aliquo, omnis autem motus in aliquod, vel quies in aliquo, ex aliqua connaturalitate, vel coaptatione procedit, quæ pertinet ad rationẽ amoris. Vniuerſa ergo animi affectio ex amore procedit, & cõſurgit. Sed

Cõcl. reſpõ. Omnes paſſiones ex amore naſcuntur. Aug.

Quartò. Ariſtot. Quintò. Dionyſ. Vltim.

Primò. Ariſt. Secundò. Ariſtot. Tertiò.

ſi cui hæc ratio nõ ſatis perſuaſit, adhibet ſecundã rationẽ D.Tho. dicẽs. Omne agẽs, agit propter finẽ aliquẽ, vt ſuperiùs dictũ eſt; finis autẽ eſt bonũ deſideratũ, & amatũ vnicuiq;; vndemanifeſtũ eſt, quòd omnis affectio, & operatio ex amore procedit. Sed manifeſtiorẽ & euidentiorẽ perſequitur D.Tho. demonſtrationẽ, dũ inquit; Affectiones, quarũ obiectũ eſt bonũ, ſunt illis priores, quarũ obiectũ eſt malũ: bonũ enim prius eſt malo, cũ malũ ſit priuatio boni; priuatio autẽ poſterior eſt perfectione quã priuat: id quod manifeſtè patet. Nã quia bonũ quæritur, ideo refutatur cõtrarium malũ; vnde fit quòd amor ſit prior odio, triſtitia, & cæteris affectib⁹, qui malũ reſpiciũt. Ideo enim iraſcimur, quia impeditur bonũ quod deſideramus; triſtamur, & dolemus, quia bonis optatis priuamur; & nihil odio habemus niſi per hoc quòd bono & cõuenienti cõtrariatur. Sed pergit D.Tho. demõſtrare, quòd in affectibus, qui circa bonũ verſantur, prima origo ſit amor: Nã bonũ habet rationem finis; manifeſtũ eſt autẽ quòd omne quod tendit in finẽ aliquẽ, primò habet aptitudinẽ ad ipſum, ſecũdò tẽdit in illũ, tertiò quieſcit in ipſo. Sed aptitudo, ſeu proportio appetitus ad bonũ, eſt amor, qui nihil aliud eſt quã cõplacentia boni: motus autẽ ad bonũ, eſt deſideriũ; quies verò in bono, eſt gaudiũ, ſeu delectatio. Ex his ergo liquet quẽadmodum amor ſit omniũ affectionũ animę noſtrę fons, & origo. ¶ Ex qua doctrina ſequitur, amorẽ eſſe generale vocabulum ad vniuerſam affectionẽ, & appetitionẽ; nomẽ tantæ amplitudinis & capacitatis, vt omnia deſideria, omnes animæ noſtrę affectiones contineat; quidquid homo deſiderat, & ab homine deſiderari poteſt, in amore occultum, & abditum eſt. Amor omniũ deſideriorũ & affectuũ clauis, origo, fons, & finis eſt. Imò apertè ſequitur, hominẽ in omnibus ſuis effectibus, & actionibus, nihil cogitare, nõ aliud efficere quã vt amet, & felicitatẽ ſuã amore proſequatur. Vnde rectiſsimè & veriſsimè D.Dion. c. 4. de diui. nomi. ſcribit, quòd propter amorẽ boni, omnia agũt, quęcũque agũt. Ex eadẽ doctrina conſequitur, quòd origo, fons, & principiũ omnium bonorum, eſt amor. Rurſus, finis, & ſcopus omniũ operũ humanæ vitæ eſt amor. Itaq; eſt principiũ, mediũ, finis. Si igitur cupit Chriſtianus vitã ſuã rectè inſtituere, id curet in primis, vt charitatẽ, & amorẽ rectè cõponat; nã vera & breuis definitio virtutis, eſt ordinatus amor; ſic vt Aug. definire non dubitet, quòd tẽperantia ſit amor integrũ ſe prębẽs ei quod amatur: fortitudo, amor facilè tolerãs omnia ppter quod amatur. Iuſtitia amor, ſoli amato ſeruiẽs, & propterea rectè dominans: prudẽtia amor, ea quibus adiuuatur, ab his à

Amoris amplitudo.

Vide Bern. ſerm. 81. in Cant.

Dionyſ.

Aug. li. 1. de moribus c. 15.

quibus impeditur, sagaciter seligens. ¶ Hinc
Vtrũ amor sit principiũ bonorũ an malorũ. ctiam facilè est dissoluere quæstionem illam, quæ felicissima ingenia vehemèter torsit, vtrũ amor sit principiũ, & origo omniũ malorũ, an verò omniũ bonorũ? Nã si disputatio instituatur de amore sui immodico, & inordinato, qui philautia solet appellari, omnium malorum, & amaritudinum origo, & puteus est. Hinc enim inimicitiæ, iniuriæ, ambitiones, & cætera peccatorum lues oritur, & nascitur; cuius amoris insaniã, pulcherrimè describit Plautus, dum inquit.

Plautus in Cist. *Credo ego amorem primùm apud homines carnifici nam commentum,*
Hãc ego de me cõiecturã domi facio, ne foras quærã,
Qui omnes homines supero, atq; antideo cruciabilitatibus animi, (ta miser,
Iactor, crucior, agitor, stimulor, versor in amoris ro
Exanimor, feror, differor, distrahor, deripior, ita nullam mentem
Animi habeo: vbi sũ, ibi nõ sũ: vbi nõ sũ, ibi est animꝰ.
Ita mihi omnia ingenia sunt, quod lubet, non lubet iã
id continuò. (petit.
Ita me amor lapsum animi ludificat, fugat, agit, ap=
Raptat, retinet, iactat, largitur, q; dat, nõ dat, deludit
Modò quod suasit, dissuasit: quod dissuasit, id ostẽtat.

Theophil. ¶ Theophilus dicit amorẽ è cœlo à Dijs, quòd seditionẽ inter illos agitaret, expulsum fuisse effractis alis, ne rursus ad superiora volaret. Sed si de amore summi boni sermo habeatur, omniũ bonorũ fons est, & origo; ex eo namq; nascitur gaudiũ, pax, quies ineffabilis. Sed quoniã hoc ad recõditiorem Theologiã spectat, in aliũ locum
Ad argum. differatur. ¶ Nũc restat argum. obiectis satisfaceAd primum re. Nã ad primũ dicẽdum est, quòd obiectio illa procedit de amore, qui est affectio appetitus sentiẽtis; nos autẽ cũ diximus amorẽ esse fontẽ, & originẽ omniũ affectuũ in anima nra, loquuti sumus de amore in genere, & in cõmuni, vt cõprehẽdit sub se amorẽ intellectualẽ, rationabilẽ, sen
Dionys. sibilẽ, naturalẽ: sic em̃ loquitur D. Dion. de amoAd secundũ re c. 4. de diui. nomi. ¶ Ad secundũ dicẽdũ est, quod ex amore, vt iã dictũ est, causatur & desideriũ, & tristitia, & delectatio, & in vniuersum aliæ aĩę nr̃æ affectiones. Ex quo cõsequẽs est, quòd omnis actio, quæ ex quauis affectione progredi tur, ꝓgreditur etiã ex amore, veluti ex causa primaria: vnde aliæ animæ affectiones otiosæ nõ sunt, nec superuacaneæ; qũippè quæ sunt actionis proximæ causæ, licèt amor primatũ teneat.
Ad tertium ¶ Ad tertiũ dicendũ, quòd odiũ etiã ex amore causatur, sicut iã dictũ est, & in sequentibus diligẽtiùs explicabitur. ¶ Ad quartũ dicẽdũ, quòd
Ad quartũ cũ quis amat aliquid ꝓpter delectationẽ, amor quidẽ ille causatur ex delectatione, sed rursus delectatio causatur ex alio amore præeũte; nullus enim delectatur, nisi in re quodãmodo amata, & dilecta. ¶ Ad quintũ sic dicendũ est, duplicẽ
Ad quintũ. Duplex vnio amati ad amantẽ. esse vnionem amati ad amantem; vna est realis, secundũ cõiunctionẽ ad rẽ ipsam, & eiusmodi vnio ad gaudiũ, vel delectationẽ pertinet, quæ ad desideriũ cõsequitur: Alia autẽ est vnio affectiua, quæ nascitur ex hoc, quòd aliquid habet aptitudinẽ ad alterũ, & inclinationẽ, ex qua reiã participat aliquid eius; & sic amor vnionẽ importat, quę quidẽ vnio præcedit motũ desiderij.
Ad vltimũ. ¶ Ad vltimũ iã patet ex dictis, quomodo odiũ ex amore nascatur: & qui desperãtes se morti tradũt, hoc ipso se amãt; nã id faciũt, vt à miseria, & calamitate aliqua asserãtur; fugere verò miseriã, quædam portio felicitatis ab ipsis existimatur. ¶ Sed antequã hinc discedamus, operę pretiũ est explicare, quo genere causæ amor sit origo, &
Amor ingẽnere causæ efficiẽtis est causa passionum. fons omniũ animæ affectionũ. Certè in genere causæ efficiẽtis. Sicut enim cognitio principiorũ, est causa cognitionis cõclusionis; sic amor finis, est causa omniũ aliarũ affectionũ, quæ ex finis amore nascũtur. Sicut enim intellectus ex cognitione principij colligit conclusionẽ, sic sanè voluntas ex amore finis, inducit se in volitionẽ mediorũ. Sed & alio modo est causa efficiens, sicut subiectũ est causa efficiẽs passionũ, quæ inde deriuãtur; & sicuti effectus prior, est causa alterius effectus, qui ex priori deriuatur: & quẽad modum vna potentia animæ, est causa alterius. Agẽs enim nulla ratione posset producere secũdũ effectũ, nisi primo producto. De hoc habet nónulla Capr. in 1. d. 1. q. 1. ad argum. cõtra tertiã
Capr. cõclusionẽ. Nõ tm̃ hoc, sed & amor est causa impellens ad operandum vsq; dum finẽ suum cõsequatur. Sed & illud verũ est, esse causam finalẽ omnium, vt superiùs demonstratum est.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ *Vtrùm amor sit passio.*

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Conclusio est, Amor est passio, propriè quidẽ secũdũ quod est in cõcupiscibili, cõmuniter autẽ & extẽso nomine secundũ quod est in volũtate. Probatur sic. Nã passio est effectus agẽtis in patiẽte: sed amor, tã sensitiuꝰ, quã intellectiuus, est effectus agẽtis, scilicet appetibilis; & appetitus sensitiuus habet annexã trãsmutationẽ corporalẽ, nõ verò appetitꝰ intellectualis; solũ enim immuta-

tur

tur ab appetibili. Igit amor vniuersus, passio est: præcipuè verò & ꝓpriè amor appetitus sensitiui, q̃ habet adiũctã trãsmutationẽ corporalẽ. Vt verò hæc ꝓbatio explicetur vberiùs, sciẽdũ est, q̃ agẽs naturale duplicẽ effectũ inducit in patiẽs; primò dat formã, secũdò dat motũ cõsequẽtẽ ad formã; sicut generãs dat corpori grauitatẽ, & motũ cõsequentẽ ipsam; & ipsa grauitas, quę est principiũ motus ad locũ connaturalẽ, potest dici quodãmodo amor naturalis: sic etiam ipsum appetibile dat appetitui primò quidẽ quandã coaptationẽ, & cõgruẽtiã ad ipsum, quæ est quædã cõplacentia appetibilis, ex qua sequitur motus ad appetibile; nã appetitiu⁹ motus circulo agitur, vt dicit 3. de ani. tex. 55. appetibile enim mouet appetitũ, & appetitus tẽdit in appetibile realiter cõsequendũ, vt sit ibi finis motus, vbi fuit principiũ. Prima ergo immutatio appetitus ab appetibili, vocatur amor, quę nihil aliud est, quã cõplacentia appetibilis, & ex hac complacẽtia sequitur motus in appetibile, qui est desideriũ, & vltimo quies, quę est gaudiũ. Sic igit cũ amor cõsistat in quadã immutatiõe appetit⁹ ab appetibili, manifestũ est, q̃ amor est passio, ꝓpriè q̃dẽ secũdũ q̃ est in cõcupiscibili; nã habet transmutationẽ corporalẽ adiũctã, q̃ est necessariũ vt ꝓpriè & verè passio sit, vt visũ est retrò q. 22. ar. 3. Cõmuniter aũt & extẽso vocabulo, est passio in volũtate, secũdũ q̃ appetibile immutat appetitũ, & reducit de potẽtia ad actũ

Agẽs naturalis duplex effectus.

In quo cõsistat amor.

EXPLICATIO ARTICVLI.

ID quod dicit D. Tho. appetibile essi ciẽter mouere, & allicere appetitũ, à pleriſq; negatur: quod certè in magnã conijciebat nos disputationẽ, nisi iam de hoc sensum meũ apertè explicuissem.

¶ Sed & illud habet dubitationẽ, quomodo statuat D. Tho. pro certò, quòd amor sit cõplacentia; nã ex eo videtur sequi, amorẽ, & delectationẽ nihilo differre: Cõplacentia enim nihil aliud videtur esse quã delectatio, & gustus de re amata. Nõ desunt Theologi qui arbitrẽtur delectationẽ, & amorẽ, idẽ prorsus esse, idq́; cõfirmant autoritate D. Tho. sed fallũtur omnino. Nã D. Tho. expressè hoc negat in innumeris locis, & in hoc art. minimè obscurè: asserit enim quòd cõplacentia, quę est amor, est prior ipsa delectatione: amor enim per desideriũ procedit, & ad delectationẽ vsq́; peruenit. Quod idem cõfirmatur exẽplo rerũ naturaliũ. Nã (autore D. Th.) grauitas in lapide, est amor respectu loci inferi; quies verò in naturali loco, delectationis ratione habet. ¶ Quòd autẽ nõ sit idẽ cõplacentia, & delectatio, patet sic. In primis, dãnati cõplacent sibi, & amãt se maximè, tanquã in se cõstituentes finẽ vltimũ, & tamẽ in seipsis nõ delectãtur, neq́; vlla afficiũtur iucũditate. Rursus, beata virgo tẽpore passionis Dominicę summè diligebat Christum; at cõstat quòd nõ summè delectabatur. Cõsimiliter sancti martyres summè amabãt; at parũ, vel in nullo delectabãtur. Sed & fortis vehemẽter diligit actũ fortitudinis in periculo mortis cõstitutus, at ea in re parũ delectatur. Ex his constat, falsum esse quòd amor sit delectatio, quin potiùs ex amore rei præsentis sequitur delectatio. Vtra verò affectionũ, videlicet amor, an delectatio, principalior sit, & potior, in sequẽtibus explicandũ est. Nũc verò ad expositionẽ literæ redeamus. ¶ Scribit S. doctor, quòd appetitiuus motus circulo agitur: idq́; cõfirmat autoritate Arist. 3. de ani. tex. 55. In cuius rei declarationẽ dixit quidã magnus philosophus, amorẽ esse circulum, à bono & pulchro, in pulchrũ procedẽs, & in pulchro cõmorans. Amor enim est quædã fascinatio, quæ per oculos ad cor ingreditur; est ignis qui intrat per visum, & postmodũ interne adurit: est splẽdor potẽtissimus, qui penetrat vsq́; ad cordis intima, & ea ardere facit, neq́; quiescit vsq́; dũ bonũ ipsum, à quo dimanauit, amplectatur, cõsequatur, & teneat. Itaq́; à bono, & pulchro causatur amor, & irrequietus manet, vsq́; dum ad bonum, & pulchrũ perueniat, & in eo commoretur: & sic ibi est finis motus, vbi fuit principium.

Quomodò amor cõplacentia dicatur.

D. Thom. amor nõ est delectatio

Differentia inter cõplacentiã & delectationẽ.

Amor non est delectatio.

Amoris motus circulo agitur. Arist.

ARTIC. TERTIVS.

¶ Vtrùm amor sit quædam dilectio.

SVMMA TEXTVS.

Concluſio. Concluſio eſt. Amor, dilectio, charitas, & amicitia, non ſunt idem. Nã amor magis communiter accipitur, quã charitas, & amicitia, quę quaſi habitus eſt ſecundũ philoſophũ. 8. eth. c. 5. dilectio autẽ addit ſupra amorem, præcedentẽ electionẽ; quare in voluntate eſt, & nõ in cõcupiſcibili. Sed amor, & dilectio in hoc cõueniunt, quòd per modum actus, vel paſſionis ſignificãtur; charitas verò addit ſupra amorem, quandã amoris perfectionem, in quãtum id quod amatur, magni pretij ęſtimatur, vt ipſum nomen deſignat.

Ariſtot. Quomodo differunt amor & dilectio & in quo conueniunt.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Amor & dilectio in bonũ & malũ ſumuntur. IN explicationẽ huius artic. illud in primis aduertendũ eſt, amorem, & dilectionẽ, indifferenter & in bono, & in malo apud ſacras literas inueniri. Quod conuincit eſſe verum D. Auguſt. 14. de ciuit. Dei c. 7. quem locum inſpiciendũ eſſe omnino cenſeo. Pſal. 10. Qui autem diligit iniquitatẽ, odit animã ſuã. & in eodẽ Pſal. Iuſtus Dñs, & iuſtitiam dilexit, vbi diligere, aliquando in bonũ, aliquando in malũ accipitur 1. Ioa. 2. Si quis diligit mundum, nõ eſt charitas patris in eo; vbi diligere accipitur in malũ, charitas verò in bonũ. Quòd verò amor etiam indifferenter ſumatur, probatur: nã Ioan. 21. dicitur; Simõ Ioãnis amas me? vbi accipitur in bonum: ecõtra verò in malũ accipitur 2. ad Timot. 3. Erunt homines ſeipſos amãtes: & ſubdit ſtatim, voluptatis amatores magis quã Dei; vbi & in bonũ, & in malũ accipitur. Sed & illud aduertendũ eſt quod dicit Orig. hom. 1. in Cant. quę habetur tom. 7. operũ D. Hieron. Videtur, inquit, mihi, quòd diuina ſcriptura volẽs cauere ne lapſus aliquis legentibus ſub amoris nomine naſceretur, pro infirmioribus quibuſq;, eũ, qui apud ſapiẽtes ſeculi, cupido, ſeu amor dicitur, honeſtiore vocabulo, charitatẽ, vel dilectionẽ nominauit. Dionyſ. quoq; 4. c. de diui. nom. dicit, quòd quibuſdã ſanctorũ viſum eſt, diuinius eſſe nomẽ amoris, quã dilectionis: cuius ſancti patris ſententiam in hunc modũ explicat D. Tho. Amor, inquit, quandã paſſionẽ, ſiue affectionẽ animæ noſtræ importat, & veluti impulſum, & afflatũ cordis noſtri;

Rom. 8.

Cicero.

Dilectio verò prærequirit rationis noſtræ iudiciũ, & deliberationẽ; eſt enim amor cũ electione: magis autẽ in Deũ homo poteſt tẽdere, & ferri paſſiuè, quodãmodo ab ipſo attract⁹ & inſpirat⁹ (de hac eñ tractione dicit Pau. qui ſpiritu Dei agũtur, ij filij Dei ſunt) quã ad hoc eũ propria ratio, & deliberatio poſſit ducere, quod pertinet ad rationẽ dilectionis, vt dictum eſt: & propter hoc diuinius eſt amor, quã dilectio. Hęc diuiniſſimi Theologi de amore, & dilectione Dei excogitabãt. Aliã Latini ſcriptores lõgè diuerſam faciũt in iſtis vocabulis differentiam, vt diligere ſit remiſsiùs, amare ardẽtiùs, vt apud Cicer. Do lobellã antea diligebã, nunc amo. & ad Brutũ apertiùs; Clodius Tribunus plebis deſignatus, valde me diligit, ſeu vt emphaticoteron dicam, valde me amat. Sed præſtat ſentire cũ patribus, loqui verò cũ multis. Quomodo autẽ amicitia, & charitas inter ſeſe differãt, nõ eſt præſentis inſtituti: nã de hoc competentiùs in materia de charitate ediſſerendum eſt, quo in loco etiã videndum eſt, an amicitia ſit habitus, & inter virtutes connumeratus: propter quod hisdimiſsis, ad ſequentem articulum veniamus.

ARTIC. QVARTVS.

¶ Vtrùm amor diuidatur in amorẽ amicitiæ, & concupiſcentiæ.

SVMMA TEXTVS.

Concluſio. Concluſio eſt. Amor conuenienter diuiditur in amorem amicitiæ, & concupiſcentiæ. Probatur ſic. Nam motus amoris in duo tendit; in bonum, quod quis vult alicui, vel ſibi, & in illud cui vult bonũ. Ad illud bonũ q̃ quis vult alteri, habetur amor cõcupiſcentiæ; & motus ille, vt reſpicit illud bonum, dicitur amor concupiſcentię. Ad illud autẽ cui quis vult bonum, habetur amor amicitiæ, & motus ille dicitur amor amicitiæ, atq̃ id quod amatur amore amicitiæ, ſimpliciter, & per ſe amatur; quod autem amatur amore concupiſcentiæ, non ſimpliciter, & ſecũdũ ſe amatur, ſed alteri.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Diuisio articuli nō est in diuersas res, sed in diuersas rationes

OBseruet Theologus in primis, quòd hæc diuisio amoris nō est diuersarū rerū, sed secundū diuersas rationes, vel habitudines eiusdem actus ad diuersa obiecta, in quæ fertur. Cū enim volo alicui bonū, respectu illius cui volo bonū, dicitur amor amicitiæ, sed respectu boni quod alteri volo, & cupio, dicitur amor cōcupiscentiæ. Et prima quidē cōsideratione dicitur amor amicitiæ, nō quòd semper quādo cupio alteri bonum, sit amicitia, sed quoniā habet similitudinē amicitiæ. In amicitia enim perfecta, amicus vult bonū amico propter seipsum, & amor est actus ille quo volumus bonū alicui propter seipsum, & vocatur amor amicitiæ, nō amicitia: quia iuxta

Aristot. philos. 8. eth. c. 5. amor actū amādi designat, sed amicitia significat habitū. Illud verò bonū quod volo alteri; dicor amare amore cōcupiscentiæ, nō quòd sit cōcupiscentia, sed ꝙ habeat similitudinē cū cōcupiscentia: illud nāq; dicimur concupiscere, quod volumus nobis. ¶ Sed ex hoc

Nū in brutis sit amor amicitiæ & cōcupiscentiæ. existimabit aliquis, in brutis esse amorē amicitiæ, & cōcupiscentiæ; nā brutū, alteri bruto vult bonū. Sed profectò existimatio hęc nō ex vero est; nā cū amor amicitiæ, ex amicitia deriuetur, quæ brutis cōpetere nō potest, ideo quantū ad nominis appellationē, hæc diuisio tantūmodò cōuenit amori humano, siue intellectuali, quan quam & appetitus brutorū appetat bonū sibi, &

Amor amicitiæ & concupiscentiæ quid. alijs. Deinde obseruandū est à viro Theologo, quòd de amore cōcupiscentiæ, & amicitię, in diuerso sensu solet à Theologis, & sapiētibus inue stigari. Amor enim cōcupiscētiæ appellatur, cū amamus aliquid propter nos, & in nostrū cōmodū, & bonū referimus. Amor amicitiæ nūcupatur, cū bona amato cupimus & procuramus propter seipsum, & nō propter nos. Hic est germanus amicitiæ amor, qui nunquā est mercenarius, nō petit præmiū sui, nō expectat; quod esset cōtra amoris ingeniū, & proprietatē. Nā si expectaret, iā nō amaret amicū, quia bonus est, sed quia sibi expediēs, consideratione boni habet amor in amico vnde nascatur, nō vtilitatis quò tēdat. Exēplū est manifestū in filijs, quos parētes absq; vllo prorsus respectu suarū vtilitatū, mercedis, fructus, amāt propter ipsos tantū. Talis est amor Dei erga nos, talis debet esse noster erga illum.

Obiectio. ¶ Sed si quis dicat, quòd vnionē, & coadunatio nē desiderat amicus cū amico; iā ergo videtur quòd amicus ex amico cōmodū aliquod requirat, & expectet.

Solutio. Respondendū est, quòd hanc vnionē nō desiderat, tāquā amoris, & operis sui mercedē, sed est meta, & finis ad quē amās suapte natura fertur, vt vnus efficiatur cū amico, nō propter vtilitatē, aut fructū, sed propter amoris ingeniū, & proprietatē. Quēadmodū enim non amas te vt tibi prosis, sed prodes, quia amas; sic nō amas vt velis coniungi, sed vis cōiungi quia amas; nec desideras cōiungi vt delecteris, sed ad id sequitur delectatio, ex possessione, atq; complexu boni nostri. Sed ex hoc magna sequitur controuersia, quis istorū amorū primas teneat; amor ne cōcupiscentiæ, an amicitiæ? Nā quanquā amor cōcupiscentiæ malè audiat, & à plerisque vt infamis reprehendatur, quòd is potissimus sit, & primas teneat, hæc argumēta suadēt.

Num amor cōcupiscentię præstet amori amicitiæ.

Argum. Primum. ¶ In primis, Deus qui in amādo principatū habet, & leges veræ amicitiæ præcipuè obseruat, amat omnia, amicos quoq; propter semetipsū, quod ad amorē cōcupiscētiæ pertinet. Et quòd hoc ita sit, planè cōstat; tū ex sanctis scripturis, ex illo; Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus; tū verò euidēti ratione. Deus enī est vltimus finis, Alpha, &, Ω, principiū, & finis, & in ipso, & per ipsum, & ad ipsum omnia referūtur: hæc enim est proprietas vltimi finis, vt ametur propter se, & omnia propter ipsum. Igitur Deus amat omnia amore concupiscentiæ.

Secundum.

Tertium. Ex quo nō obscurè infertur, quòd amor cōcupiscētiæ, præcipuus sit. ¶ Id ipsum demōstrat sequēs argumentū. Nā (vt inquit Arist. 9. c. 4. eth. & est prouerbiū omniū ore decātatum) Amabile quidē bonū, vnicuiq; autē proprium. Cui simile est illud quod vulgo etiā iactatur; Amicabilia quæ sunt, ad alterū veniūt ex amicabilibus, quæ sunt ad se. Ex quibus sentētijs liquidò constat, quòd amor hominis ad seipsum, maior sit, & potior quā ad alterum: causa enim potior est suo effectu.

Arist.

Quartum. ¶ Quartò, vnūquodq; diligitur in quātum est bonum propriū: sed id quod est ratio, & causa diligēdi in amore, prēcipuū locum tenet; præcipuè enim diligitur id quod est ratio diligēdi, quā id quod propter hāc rationē diligitur. Igitur amor cōcupiscentiæ primas partes obtinet: amare enim bonū propriū, ad amorē concupiscētiæ spectare certissimum est.

Vltim. ¶ Vltimò, quātò quis magis diligit amicū, tātò magis diligit frui eo: sed quantò aliquis magis diligit frui amico, tantò magis diligit seipsum; hoc enim est summū bonū, quod aliquis sibi optare potest, frui scilicet amico: ergo in amore amicitiæ præcipuè quæritur bonū propriū, quod pertinet ad

Duplex amor sui. amorē cōcupiscentiæ. ¶ Ad huius rei expositionē scire oportet, quòd amor sui potest esse duobus modis; tū, secundū partē irrationalē, & brutā, quæ est vis animæ sensitiua, qua cū bestijscō uenimus; tū verò secundū partē intellectiuam, quæ in homine primatū tenet. Illi maximè seipsos amant secundū partē irrationabilē, qui quęrūt superabundantiā bonorū corporaliū, vt pecuniarū, honorū, delectationū, circa quas est in-

temperantia,&libido;&hanc superabundantiã si adipisci valent,applicãt vt suis cõcupiscentijs satisfaciant;si adipisci non valent, cõuertunt se ad lites,& pugnas:& quoniam homines prope modũ ex maiori parte sequũtur bona hæc sensibilia & caduca(viuunt enim secundũ sensum,& nõ secundũ rationẽ) ideo homines pro maiori parte amãt seipsos secundũ partẽ irrationabilẽ: propter quod amator sui præ se fert malũ,& nõ bonũ. Illeverò est amator sui secũdũ partẽ intellectiuã, qui studio virtutũ, sciẽtiarũ, bonarũq; artiũ tenetur, laboratq; in omnibus viuere secũdũ normã rectæ rationis,& legis diuinæ. ¶ His cõstitutis,facilè est intelligere,quomodo amor sui sit vituperabilis,quomodò verò sit laudabilis.Nã amor sui,secundũ partẽ irrationabilẽ, & sensitiuã,vituperationes meretur: nam appetit plus iusto bona hæc tẽporalia,& caduca,&cupit excellere in his bonis,quæ brutorum sunt, non propria hominis;& de hoc amore loquimur,cũ vituperamus amantes semetipsos,&cũ dicimus, quòd amor sui,qui à Græcis Philautia appellatur,est principiũ,&fons malorũ omniũ. Verùm enim verò amor sui,secundũ partẽ intellectiuã, laudes promeretur egregias; qui enim cupit in bonis animæ intellectualibus excellere, qui in exercitio virtutũ gnauiter laborat,amat semetipsum;at hic laudes meretur insignes.Certè quanto quis magis abundat bonis spiritualibus,tãtò melior ab omnibus existimatur, eò quòd quærit,& possidet ea,quæ sunt absolutè,& simpliciter bona.Imò si rẽ accuratè examinamus, videmus apertè,quòd qui quærit abundantiã bonorũ spiritualiũ,est magis amator sui,quã qui quærit bona hæc sensibilia,voluptates,honores, diuitias;nã desiderat sibi maiora;quin potiùs optima bona,qualia sunt virtutes,& earũ opera, & in eis excellere.Et quòd sint optima bona, vel ex eo maximè demõstratur,quòd quãtò magis habẽtur,magis proficiũt,& nunquã nocẽt,& nemo eis malè vtitur:bona autẽ corporalia,si excedãt certũ terminũ,admodũ nocẽt:vnde qui festinãt ditari,aut delectari,aut in honoribus exaltari,perierũt. ¶ Profectò vnũquodq; videtur esse illud,quod in eo primas tenet: at in homine ratio,& intellectus primas tenet. Qui sequitur ergo rationis,& intellectus regulã,& secundum eã viuere studet,is maximè,&præcipuè se amat. Cõtra verò,prauus,& carnalis, diligit sensum, obedit ei,viuit secundũ ipsum,&ideo nõ est maximus amator sui,vt homo est,quin potiùs vt bestia est; qua de causa D.Tho.in locis suæ doctrinę minimè paucis,docet,quòd qui amat animã suã secundũ partẽ sensibilẽ,odit eã,& quòd peccatores, qui videntur se maximè amare, vero odio se prosequuntur.Patet igitur,quòd amare seipsum secundũ partẽ intellectiuã,est maximè laudabile. ¶ Sed videbitur fortasis alicui, quòd si vir studiosus,est sui amator maximus, quòd vir studiosus sibi præcipuè intẽdit,sua bona potissimè amat,& cupit.Sed errat toto cœlo, qui sic existimat:nã amans seipsum secundũvirtutẽ, multa agit(vt inquit Arist.)gratia amicorũ, & patriæ;& si oportuerit pro illis mori,nõ deserit amicũ,nec patriã prodet;pecunias,honores,cæteraq; bona fortunæ pro illis abijciet,& pro nihilo habebit vt amicũ à periculo eripiat,& asserat;& in his omnibus procurat sibi maius bonũ, scilicet bonũ honestum,& virtutis,quod maius est omnibus prædictis,& sic in omnibus maximè se amat.Hæc dicta sunt ex sentẽtia Aristotelæa,quã Arist.summus philosophus docet plenissimè 9.li.eth.Cui sentẽtiæ simile docet doctrina Christiana,quãdo præcipit vt diligamus proximũ sicut nosmetipsos.Regula itaq; amoris proximi,est amor suiipsius:ergo amor suiipsius primas tenet.Et sanè in bonis spiritualibus adeò certũ,& exploratũ est hoc,vt vitã spiritualẽ propriã præponere oporteat omnibus rebus mũdi,sicvt pro seruãda vita spirituali totius reip. nõ liceat vel mendaciũ leue dicere,neq;verò bonorũ spiritualiũ aliquã iacturã facere. ¶ Sed hoc explicato,& probato,operæpretiũ erit explicare vtrũ amare seipsum,referatur ad amorẽ amicitiæ,vel ad amorẽ cõcupiscentiæ?in cuius rei explicatione multi decipiũtur.Dicendũ est ergo, quòd diuisio amoris,in amorẽ amicitiæ,&cõcupiscẽtiæ,nõ tã est diuisio amoris,quã amatorũ: seu,&in idẽ redit,nõ est diuisio amoris secundũ se,sed secũdũ diuersimodè amata.Cũ enim omne concupitũ,alicui cõcupiscatur, nullus amor cõcupiscentiæ est sine amore amicitiæ illius,cui cõcupiscitur: & rursus, cũ omni amico aliquid bonũ velimus,nullꝰ est amor amicitię,sine amore cõcupiscentiæ boni illius,quod amico cõcupiscimus.Hæc Caie.hic subobscurè:sed adnitar id explicare,& distinctè cõplecti. ¶ Cùm enim amare nihil aliud sit,quã velle bonũ;cũ quis seipsum amat,vult sibi bonũ,putà,honorẽ, voluptatẽ,bene valere,pecuniã:hic amor includit in se amorẽ cõcupiscentiæ,quo cõcupiscimus bonum,& commodum:ad illud ergo bonũ quod quis cupit,habetur amor cõcupiscentiæ; ad me autẽ cui ego volo bonũ,habetur amor amicitię Cõsimili ratione,cũ quis amat amicum,vult illi bonũ,putà,honores,diuitias,rectè valere;ad illud bonũ quod cupit amico,habetur amor concupiscẽtiæ;ad amicũ verò cui vult bonũ, habetur amor amicitiæ:amare ergo meipsum,nõ refertur ad amorẽ concupiscentiæ, sed potiùs ad amorẽ amicitiæ;imò amare seipsum,est regula, & norma amoris erga amicũ:oportet enim diligere

Quis nam sit amator sui.

Philautia.

Pecatores non se diligunt.

D.Thom.

Arist.

Arist.

Amare seipsum si referatur ad amorẽ amicitiæ,vel cõcupiscẽtiæ.

Auto.expl.

gere amicũ vt nos diligimus. Vnde præceptũ diuinæ legis sic habet; Dilige proximum, sicut teipsum: quemadmodum enim non amas te, vt tibi prosis, & vtilitatem inde capias, neq; vt mercedem recipias, neq; verò vt delecteris, sed prodes, delectaris, quia amas; sic non amas amicũ, vt velis delectari, vt vtilitatem accipias, vt operemercedem expostules, sed vis coniungi amico, delectari, miscere sermones cum illo, quia amas illum; & in hoc consistit quòd amemus amicũ propter seipsum, sicut nos amamus propter nosmetipsos. ¶ Ex his infertur differentia inter obiectum amoris amicitiæ, & amoris concupiscẽtiæ: Nam obiectum amoris amicitiæ, est amabile secundum se, & bonum separatum subiecto, & per consequens bonũ per se amantis, vel amici; non enim diligimus amicũ propter aliud bonum, sicut diligimus equum propter bonũ vtile quod speramus: & sic etiam amico volumus bonum propter se, sicut volumus nobis: absolutè enim volo amico honorem, non referendo in me, vel in aliud; sed sicut volo mihi. Obiectum autem amoris concupiscentiæ, non est absolutè propter se amatum, sed amatum alteri. Itaq; cõcupitum amore cõcupiscentiæ, habet rationẽ finis, & termini, nõ simpliciter, sed secundũ quid; sicut quodlibet medium in motu, habet rationem termini, & finis, non simpliciter, sed respectu partis motus præcedentis, respectu illiuscui concupiscitur, habet rationem medij: semper enim ille cui cõcupiscitur aliquid, est finis illius quod concupiscitur: semper enim oportet saluare in omni concupito amorẽ amicitiæ, quo magis amatur cui concupiscitur, quàm concupitũ. ¶ Sed contra hanc doctrinam est argumẽtum. Nam possumus alicui dare aliquid, non propter ipsum, tanquam propter finem: ergo etiam concupiscere aliquid alicui non propter ipsum, tanquam propter finẽ. Antecedẽs patet; quia Deus dedit vnigenitũ suum hominibus, & in hoc maximè cõmendatur charitatis diuinæ excellẽtia; & Deus dat seipsum beatis, & tamen non datur Deus hominibus tanquã propter finẽ, vt certũ est: ergo eadem ratione potest cõcupisci aliquid alicui, nõ tanquã propter finẽ. Hoc ipsum cõfirmatur. Nã possum ego cõcupiscere amico, & mihi, finem vltimũ, absq; derogatione illius finis, quæ fieret, si ordinaretur finis vltimus in me, vel in amicũ, tanquã in finẽ: ergo aliud est cõcupiscere aliquid alicui, & cõcupiscere aliquid propter alterũ, tanquã propter finẽ. Hoc ipsum probat euidens argumentũ ex diuina Theologia erutũ. Nã per virtutẽ spei quisq; Christianus desiderat sibi Deũ, tanquã bonũ nostrũ; at nõ desiderat propter se, tanquam propter finem. ¶ Ad hæc argumenta dicendum est, quòd semper ille cui concupiscitur aliquid, est finis illius quod cõcupiscitur; vel simpliciter, si secundum se sit ordinabile in illud; vel secundum quid, si non sit ordinabile; itaq; si concupitum non est ordinabile in illum cui concupiscitur, tanquam in finẽ, ordinatur in illum non secundum se, sed secundum aliquem effectum destinatur. exempli gratia. Filius Dei ad hominem, non tanquam ad finem, sed vt illum liberet, redimat, destinatur, tanquam causa ad effectum, tanquam medicus ad infirmum: & sic patet, quòd concupitũ amore concupiscentiæ, non dicit amatum propter aliud absolutè, sed amatum alteri, quod amatur amore amicitiæ. Ex his patet, quid sit amor concupiscentiæ, quid amor amicitiæ, & quomodo amare seipsum secundum rectam rationem, nõ sit amor concupiscentiæ. Nunc verò argumenta in contrarium consutanda sunt.

¶ Ad primum, quòd Deus amat omnia amore concupiscentiæ, siquidem amat omnia propter se: dicendum est, quòd Deus non amat nos amicitia vtili; siquidem bonorum nostrorum non indiget. Rursus, non amat nos amicitia iucundi; ex se enim habet omnem iucunditatem, relinquitur ergo quòd nos amat amore amicitiæ: sed quoniam est vltimus finis rerum omnium, fieri non potest, quin omnia amet propter se. Itaque sic ego decerno, quòd Deus nos amat amore amicitiæ, & amore concupiscentiæ eminenter; sic enim amat nos propter semetipsum, vt exerceat omnia opera propter amicum, ac si operaretur tantùm propter amicum: & quidem vt ego iudico, fuit singulare, & indicibile beneficium, quòd Deus amet nos propter semetipsum in laudem gloriæ gratiæ suæ: si enim nos diligeret propter nos, cùm innumeris defectibus, & infirmitatibus, & impuritatibus circundemur, sæpissimè amorem, & beneficia denegaret. ¶ Ad alia argumenta dicendum, bene, & competenter probare, quòd homo post Deum plus se debeat diligere, quàm vniuersos alios homines, etiam amicos: vnde amor sui ordinatus, & studiosus, est regula, & norma dilectionis erga amicos. ¶ Ad vltimum dico, quòd amicus, non quia amat, quærit conuiuere amico, delectari cum amico, miscere sermones cum amico, deniq; frui amico, sed vult coniungi cum amico, & delectari cum illo, quia amat: delectatio verò, & suauitas quæ in amicitia est maxima, consequitur ex amicitia, non quæritur præcipuè; coniunctionem rursus quærit amor, non tanquam operæ mercedem, sed est veluti meta, & finis amoris, quo amor suapte natura fertur, vt ex duobus fiat vnum.

Obiectum amoris amicitiæ & concupiscentiæ differunt.

Obiectio.

Solutio.

Arg. solut.

Ad alia arg.

Ad vltimũ.

QVAESTIO XXVII.

De causa amoris, habet articulos quatuor.

ARTIC. PRIMVS.

¶ Vtrùm bonum sit solùm causa amoris.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Conclusio est affirmatiua, quam probat D. Tho. in primis autoritate magni Augustini 8. de trinitate c. 3. Non amatur certè nisi bonum. Sed & ratio idem demonstrat. Nam bonũ, est proprium obiectum amoris: ergo est propria causa motus, vel actus ipsius. Amor autem est actus potentiæ appetitiuæ, quæ est potẽtia passiua; trahitur enim ad obiectum. Antecedens verò probatur. Nam amor importat quandam cõnaturalitatem, vel complacentiã amantis ad amatum: vnicuique autem est bonum, quod est sibi connaturale & proportionatum: igitur bonum, est proprium amoris obiectum.

Aug.

EXPLICATIO ARTICVLI.

SÆpissimè mihi de amore cogitanti, maximè illud considerandum videri solet, quod & D. Tho. in hac quæstione inuestigare adnititur; vnde nã amor originem trahat, & quæ huius vera causa existat. ¶ Quidam causam huius diuini affectus in Deũ referunt, qui vniuersis rebus inclinationes, & impulsus naturæ cõsentaneos distribuit. Neq; verò hæc sententia à veritate omnino videtur aliena. Quòd enim à natura oriatur amor etiã in bestijs quibusdã animaduerti potest, quę ex se natos ita amãt ad quoddã tẽpus, ab eisque ita amãtur, vt facilè earũ sensus appareat. Quod idẽ in homine multò est euidentius. Primũ ex eo amore, qui est inter natos, & parentes: deinde admirabilis quædam exardescit amoris magnitudo, ex bonitate, & pulchritudine perspecta, cuius inclinationis vim in solum autorẽ naturæ referri posse certum est. Neque enim potest certior causa reddi, quare amor ex bonitate, & pulchritudine perspecta statim gignatur, producaturq; Hoc ipsum euidenter demõstrãt amores, & cupiditates diuersæ, atq; variæ inclinationes, quas hominibus à natiuitate insitas esse cernimus: alios enim ad Musicam, alios ad Dialecticam, alios ad Geometriam inclinatos esse contemplari licet. Sed & illud admirabile videtur, & in solum autorem naturæ referri posse manifestissimum est. Nam in quibusdam hominibus tanta animorum congruentia est, quæ illos occulto quodam naturæ concentu statim coniungit, vt quos anteà nunquam videramus, ad primum conspectum diligamus: sicut contrà inconuenientia, & incommoda auersamur, & odio prosequimur quosdam prorsus ignoratos: alios etiam de nobis benemeritos, adduci nullo modo possumus vt bona fide diligamus. Ex his patere arbitror quomodo à natura amor originem trahat. Itaq; antiquissima, & pulcherrima est amoris causa, & ab autore naturæ nostri sanimis insita. ¶ Alij referunt causam amoris in sydera, & stellarum constellationes: alij verò in parentes, & progenitores reducunt. Sunt qui in rectam, & prauam institutionem. Diuinus Plato in similitudinem, & congruentiam animorum causam retulit: existimabat namq; magnus philosophus, animam nostram esse harmoniã, siue numerorum cõcentum, sicq; inter animas, alias ad primum gradum, alias verò ad secundũ pertinere: porrò quæ magis inter se conueniebant, maioris amoris glutine coniungebantur. Quò fit, vt non rarò homines diuersissimis ingenijs, maximaque contraria corporum constitutione, fidelissimè sese amauerint. Itaque inter eas animas conciliabatur amor, inter quas harmonia maximè conueniebat, qualis est sonorum in concentu musico, & proportionis humorum in sano corpore. Diuus Thomas excellentissimus tum Philosophus, tum Theologus, in hoc articulo causam amoris in bonitatem, & pulchritudinem sapientissimè reduxit. Amor enim ex bono gignitur, & in bonum tendit. Ex hac opinionum varietate liquidò constat, quàm occulta sit, & recondita amoris causa: propter quod de amore Plutarchus rectissimè inquit; Nescias vnde venerit, aut quomodo irrepserit. In huius rei expositionẽ est prima conclusio. ¶ Prima, & præcipua causa amoris, est bonum; itaq; gignitur amor omnis ex bono, & in bonũ tendit. Huius probationem euidentissimam affert D. Th. in art. Sed & aliã non minùs euidentẽ producere in medium libet. Deus namq; qui omnia cõdidit in numero, põdere, & mẽsura, vniuersis rebus

De causa amoris variæ sententiæ.

Plato.

D. Thom.

Plutarch.

Prim. cõcl. Prima, & præcipua amoris causa est bonũ.

bus ſuas leges, atque inclinationes diſtribuit: Intellectui dedit ad intelligendā veritatē naturę ſuæ inclinationem: Voluntati verò, cuius potiſſimus actus eſt amor, hanc inclinationē tribuit, & conceſsit, vt bonum, & pulchrū amaret. Itaq; ſicut obiectum viſus, color eſt, obiectū verò auditus, ſonus; ſic ſanè ſcopus, & obiectū volūtatis, eſt bonū quod mouet eam, & allicit ad ſeſe cōgruentia quadam naturali, qualis eſt inter verū, & mentē, & inter pulchrum, & oculum: tantaq; eſt coniunctio inter voluntatem, & bonum, vt nunquam voluntas, etiam ſi velit, poſsit amplecti, niſi bonū, neq; in alio poteſt affectū amoris ſui cōſtituere. Quòd ſi aliquando cōtrariū agit, & malum amplectitur, & contra voluntatē adulterium cōmittit, id fit ſub ſpecie pulchri, & boni. Ex hac inclinatione proficiſcitur, vt diligamus etiam ignoratos homines, quando eorū virtutes nobis cōmendantur. Bonum autem hominis, & verū, & ſolidū, eſt Deus. Itaq; vſq; ad Deū amandū ſeſe extendit voluntas: qui, quoniā eſt immenſus, fit vt amoris noſtri affectus ſit immēſus, neq; re alia expleri queat, præterquam Deo ipſo, ibiq; demum ſiſtit, & conquieſcit. Ex hac rurſus inclinatione oritur, vt res, quæ melior videtur, & pulchrior, hæc vehemētiùs expetatur, & diligētiùs ametur: Sed in bonitate rerū iudicā da variant hominū ſentētiæ: iuuenili animo optimū bonū videtur voluptas; viro perfecto, decus; ægro, ſanitas; ſeni, victus; principi, gloria; cuique, vt eſt vel corpore, vel animo affectus. De his autē amoris affectibus quare in infinitū varij ſint, diſſerit optimè Ariſt. in ſua Rhetorica.

Sed nos ad noſtrā concluſionē confirmandā reuertamur. Certè bonitas eſt obiectū voluntatis: bonitas autē ex operibus colligitur. Bonos cēſemus eos, qui probè ſunt officio ſuo perfuncti erga Deū, patriā, parētes, principē, amicos: habentur etiā pro viris bonis, qui cōplurimis profuerunt, proſunt, proderūt; hos omnes amore proſequimur, propter eorū perſpectā bonitatē. Ex quo liquidò cōſtat, quòd amor omnis ex bono gignatur, & in bonū tendat. ¶ Secūda cōcluſio. Pulchrū etiā eſt cauſa amoris præcipua. ſic docet Dionyſ. c. 4. de diui. nom. ſic etiā D. Th. hīc ſol. ad 3. & ratio eſt manifeſta: Nā pulchrū, idem eſt cū bono, ſola ratione differēs: cū enim bonū ſit quod omnia appetūt, de ratione boni eſt, q̄ in eo appetitus quietetur, & quieſcat. Sed ad rationē pulchri pertinet, quòd in eius aſpectu, ſeu cognitione quietetur appetitus: vnde illi ſenſus præcipuè reſpiciūt pulchrū, qui maximè cognoſcitiui ſunt; nēpè, viſus, auditus, rationi deſeruiētes: dicimus enim pulchra viſibilia, & pulchros ſonos; nō autem dicimus pulchros ſapores, aut odores. Ex quibus patet, quòd bonū dicitur id, quod ſimpliciter placet appetitui: pulchrū autē dicitur id, cuius ipſa apprehēſio placet. Sed ſunt etiā cauſæ aliæ cur amorē ad ſe pulchritudo attrahit, quas ex Platone, & Platonicis deſumem⁹. Plato.

¶ Nā pulchritudo eſt veluti radius quidā, & veſtigiū immēſæ illius pulchritudinis, ob idq; pro magno bono accipitur, illamq; admiramur. Sed & pulchritudo corporū, pulchritudinē noſtrorū animorū refert: perfectio enim interior, perfectionē exteriorem gignit; illa vocatur bonitas, hæc pulchritudo, quæ eſt veluti flos quidam bonitatis. Præterea, animus noſter in pulchritudinē, tanquam in ſimilē, propēdit; aſpernatur deformitatē, tanquā diſſimilē, & à ſe alienā: eſt em̄ in animo cuiuſq; ſpecies quædam, vel à natura, vel ab arte, vel à cōſuetudine depicta bonitatis, aut pulchritudinis, & cōtrà, malitię, aut deformitatis. Pictura ergo rei exterior, picturā illam interiorem cōtingens, ſi congruit cū noſtro bono, & pulchro, amatur; ſi cū malo, & turpi, reijcitur: vnde exiſtit tanta in iudicijs, boni & mali, pulchri & deformis varietas, & diſſenſio. Vnde illa ſentētia Hieron. in prolog. ſuper 11. cōmen. Eſa. Hieron.

Difficilè, imò impoſsibile eſt placere omnibus, nec tanta vultuū, quāta ſentētiarū diuerſitas eſt. Ad hunc modū philoſophantur Platonici philoſophi, diuiduntq; pulchritudinē, in pulchritudinē corpoream, quæ viſu percipitur, quæ oculos ad ſe attrahit, & mouet; & in pulchritudinē vocis, & ſoni, quæ auditum ad ſe pertrahunt; & pulchritudinē animæ, quæ animū ad ſeſe allicit. Plotinus verò duas tantū ſpecies facit, ſcilicet, pulchritudinē corporis, & ſpiritus. Pulchritudinē corporis ita definit Cicer. 3. Tuſcul. quæſt. Pulchritudo eſt partiū cōgruentia, cum quadā coloris ſuauitate. Ipſe verò Cicer. 1. offi. duo pulchritudinis cōſtituit genera, in quorū altero venuſtas inſit, in altero autē dignitas. Sed Ariſt. 1. Rheto. c. 5. varias pulchritudinis cōſtituit rationes; alia eſt ſiquidem pueri pulchritudo, alia viri, alia autem ſenis. Verus amator, videns corporis pulchritudinem, exiſtimat, quod reuera eſt, illam eſſe radium immenſæ, & infinitæ pulchritudinis, quæ eſt archetypus, & exēplar, ex quo omnis pulchritudo exterior deriuata eſt, ex quo ſtatim exardeſcit animus ad amandam illam immenſam, & immutabilem pulchritudinem, cuius comparatione cætera pulchra non ſunt. De qua re diuinus Plato elegantiſsimè in primis diſſerit in Dialogo, quī conuiuium appellatur, vbi varijs oſtendit argumentis, veram pulchritudinem in ſolo Deo inueniri poſſe. Sed de his aliàs; nunc enim tantūm explicatum eſt, quēadmodū bonū, & pulchrū ſint cauſę amoris pręcipuę. ¶ Sed & illud explicare oportet, an bonū, & pulchrū, cauſent amorē efficiēter; an ſolū ad-

Plotinus.

Cicero.

Ariſtot.

Plato.

Pulchrum cauſa eſt amoris. Dion. D. Thom.

An bonum causet amo rẽ efficiẽter Caietan.

ad modum causæ finalis. Quæstio est, quę solet viros in primis doctos remorari satis, ac detinere, & in cuius explicatione variant eorum sentẽtiæ. Caietan. pro certo habet in hoc artic. (quod mihi magnopere placet, & semper placuit) bonũ causare efficienter amorẽ, rapereq́; efficaciter ipsam voluntatẽ. Itaq́; bonũ, vt imprimit voluntati inclinationẽ, ad se mouet efficienter; vt verò tẽdit volũtas sic affecta ad boni consequutionẽ, mouet per modũ finis; sicq́; amor omnis ex bono gignitur, & in bonum tẽdit, & circulo quodã peragitur. Hãc sententiã cõfirmat Caiet.

D. Thom.

ex his quę dicit D. Th. in isto art. scribitque quatuor esse memorię cõmendãda, videlicet, quòd vis appetitiua, est potẽtia passiua, & quòd obiectũ eius, est causa actiua; insuper quòd bonũ effectiuè causat amorẽ, & quòd in vniuersum obiectũ propriũ cuiuscũq́; actus appetitus, est causa actiua illius. Certè nisi bonũ perspectũ causet efficiẽter amorẽ, nõ poterit Theologus vnquã demõstrare, quæ nã sit causa amoris efficiẽs, nisi velit fingere, aut sydera, aut humanã cõplexionẽ, amoris causam existere; quod philosophãdi genus à vera philosophia, & Theologia alienũ esse, manifestũ est. Vide de his suprà q. 9. arti. 1.

Tert. cõcl. Prima causa amoris est autor naturæ.

¶ Tert. cõclusio. Absq́; dubio causa prima amoris nostri est autor naturæ, qui dedit istã inclinationẽ nostræ volũtati, vt bonitatẽ amet, & diligat; quã etiã inclinationẽ ex syderibus, ex recta, aut praua institutione, & cõsuetudine, & beneficijs acceptis augeri, certissimũ est. Hãc cõclusionẽ manifestè probãt argum. quæ initiò disputationis sunt posita. Sed antequã hinc discedam, non abs re erit explicare mysterium in diuina Theologia reconditũ; Deũ talẽ naturæ nostræ cõtulisse ad summi boni amorẽ inclinationẽ, vt nulla ratione in re quapiã conquiescere valeat, nisi in ipsomet, qui talẽ cõcesit propensionem.

Augustí. lib. 1. cõfes. c. 1.

Qua de causa dicebat Aug. Fecisti nos Dñe ad te, & inquietũ est cor nostrũ donec requiescat in te. Ille nãq́; sapiẽtissimus conditor in nostro immisit pectore spiritũ quendã, vt ita dicã, & desideriũ summi boni tale, vt inquietet, & sollicitũ reddat ipsum hominẽ, quod quidẽ quasi viscera eius perpetuò corrodẽs, nunquã quiescere valet, quoad vsq́; in suũ perueniat terminũ, ac in propriũ deueniat centrũ. Nã etiã si oẽs simul adiũctæ, & in vnũ redactæ creaturę sibi offerrẽtur, neq́; decimã quidẽ cordis sui portionẽ adimplere valẽt: vnde etiã si maria nauiges, terram percurras, omnia perlustres loca, nusquam inuenies regionẽ vbi quietus huiuscemodi maneat appetitus. Id quod elegãtissimis sententijs explicat D. Aug. in multis locis suarũ confessionũ, vt in li. 3. Amare, de vena amicitiæ est; sed quò vadit? quò fluit? vt quid decurrit in torrentẽ piscis bulliẽtis, & in ęstus immanes libidinũ, in quo ipse homo mutatur, & vertitur per nutũ propriũ, de cœlesti serenitate detortus, atque deiectus? & li. 4. Miser erã, & miser est omnis animus, vinctus amicitia rerũ mortaliũ, & dilaniatur cũ eas amittit, & tunc sentit miseriã, quia miser est, & antequã amittat eas. & iterum in eodẽ lib. loquẽs de amore erga amicum sic scribit; Itaq́; suspirabam, æstuabã, flebã, turbabar, neq́; requies erat, neq́; cõsilium. Portabam enim conscissam, atq́; cruentã animã meã, impatientem à me portari, & vbi eam ponere non inueniebam; non enim in amœnis nemoribus, nõ in ludis, atque cãtibus, neq́; in suaue olentibus locis, neq́; in cõuiuijs apparatis, neq́; in voluptate cubilis, & lecti, nõ deniq́; in libris, atq́; carminibus acquiescebã, nõ in te vera requies: nã si conabar eã ibi ponere vt requiesceret, per inane labebatur, & iterũ ruebat super me & ego mihi remanseram infelix locus, vbi neq́; esse possem, neq́; inde discedere. Certè elegantiùs describi nõ potuit nostrũ amorẽ, nostrum pectus in amore rerũ mortalium nunquã quiescere. Idẽ prosequitur li. 6. cũ inquit. O tortuosas vias; væ animæ audaci, quæ sperat, si à te recesserit, se aliquid meliùs habituram, versa, & reuersa in tergũ, & in latera, & in vẽtrẽ, & dura sunt omnia, & tu solus requies.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ *Vtrùm cognitio sit causa amoris.*

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Aug. Aristot.

Conclusio affirmat: & quòd ita sit, probat in primis D. Th. autore Aug. 10. de tri. statim in principio sic dicẽtis; nullus potest amare id quod incognitũ est. Arist. 9. eth. c. 5. sic habet; Visio corporalis, est principiũ amoris sensitiui. At cõtẽplatio spiritualis pulchritudinis, vel bonitatis, est principium amoris spiritualis. Cui sententiæ ratio euidens suffragatur. Bonũ enim est causa amoris, quoniã est amoris obiectũ, & scopus; sed bonum nõ potest esse scopus, & obiectum amoris, nec voluntatis, nisi sit apprehensum, & cognitum; & ideo amor requirit

rit cognitionē boni quod amatur.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Multæ huius articuli difficultates.

IN hoc articulo nō paruę quęstiones ſeſe offerebāt, niſi alijs in locis iā eſſent à nobis expoſitę. In primis nāq; occurrebat illa quæſtio; vtrū cognitio ſit cauſa amoris per ſe, an verò per accidens, itavt cognitio ſe habeat, veluti approximatio ignis ſe habet ad cōburendum. Res enim explorata eſt, quòd hæc approximatio eſt cauſa per accidēs combuſtionis: calor verò, & forma ignis, ſunt cauſæ præcipuæ cōbuſtionis. Ad eundem modū quidā philoſophi, & magni Theologi cōſtanter affirmāt, quòd bonitas eſt cauſa amoris præcipua; cognitio verò eſt cauſa veluti proponēs, & quaſi per accidēs, veluti cōditio requiſita: quorū ſententia in ſuperioribus à me vehemēter cōfutata eſt, & ex hoc art. nō ineuidēter refellitur. Nā cū D. Th. numerat cauſas amoris, certū eſt, eū nō numeraſſe cauſas per accidēs; nam ea quæ ſunt per accidēs, arte, & ſciētia cōprehendi nō poſſunt. Igitur cognitio, cauſa amoris eſt, nō per accidēs, ſed præcipua. Quòd ſi D. Th. de verit. q. 25. ar. 1. ad 6. videtur dicere, quòd apprehēſio per accidēs ſe habet ad appetitiuas vires; illud intelligitur de apprehēſione ſecundū ſe: nā ſi apprehēſio cōſideretur ſecundū quod eſt via ad dilectionē, ſic per ſe cōcurrit: & ita ille locus potiùs eſt pro noſtra ſententia: dicit enim, diuerſitas apprehenſionū per accidēs, ſe haberet ad appetituas vires, niſi diuerſitati apprehenſionū, cōiungeretur diuerſitas apprehenſorū. Itaq; cognitio, ſecundū quòd eſt via ad oſtendēdas diuerſas bonitates, per ſe cōcurrit. quod elegātiſimè explicatur à D. Th. 2. 2. q. 26. ar. 2. ad 1. vbi dicit quòd dupliciter eſt aliquid cauſa dilectionis: primò, ſicut id quod eſt ratio volēdi: & hoc modo bonū eſt ratio volēdi; vnumquodq; enim diligitur in quantū habet rationē boni. Secūdo modo, quia eſt via quædā ad acquirendā dilectionē; & hoc modo cognitio eſt cauſa dilectionis, nō quidē quòd ea ratione ſit aliquid diligibile, quia eſt cognoſcibile, ſed quia per cognitionē ducimur ad dilectionē. ¶ Sed ex hoc alia oriebatur non parua cōtrouerſia, vtrū ad cauſandū amorē ſufficiat ſimplex boni apprehēſio; an verò requiratur cognitio iudicatiua, qua iudicemus aliquid eſſe bonū, & nobis cōueniens. Sed de hoc alio in loco copioſiſsimè, & fuſiſsimè à me diſputatum eſt, & definitū veriſsimè, ad cauſandum amorē, nō ſatiseſſe boni ſimplicē apprehenſionē, ſed eſſe perneceſſariā cognitionē boni, & pulchri iudicatiuā. Ex hoc verò quòd amor ex iudicio boni oritur, & nō aliàs, ſequitur in primis, in manu noſtra eſſe eū nō admittere: nihil enim eſt tā ex celletī, & pura bonitate præditū, quin admixtū habeat aliquid, quod nobis poſsit diſplicere, aut nō expedire; qua in ratione ſolū Deū excipio, in quē beati, qui vidēt illū ſicuti eſt ſummū, & infinitū bonū, abſq; nocumēti vllius admixtione, veheměti amore & neceſſario ferūtur; cætera omnia aliquid ſemper præ ſe ferūt, aut incluſum cōtinēt, propter quod poſsint vel iudicari incōmoda, aut minus bona: ſed & quantūcunq; aliquid bonū iudicetur, poſſumus nihilominus ab eius intuitu, & cognitione auertere animi attētionē, & quod aiūt Theologi, ſuſpēdere actū. Quocirca elici amor poteſt, vt ille dixit, exprimi nō poteſt: & Claudianus dixit. Nō extorquebis amari. Claudianus

¶ Ex eodē principio facilè eſt intelligere, quid eſt, quòd cupiditates, & amores rerū naturaliū, terminū habēt aliquē; amores noſtri, & cupidines in infinitū tendāt, & nullā habeāt metā, nullū modū? Hęc eſt euidētiſsima cauſa: nā amores noſtri nō ex natura, ſed ex noſtro iudicio, & cogitatione, alioqui fallaci, oriūtur, & prodeūt: qua de cauſa, nō vitæ neceſsitates pariūt, & augent amores, & cupiditatē, ſed falſa noſtra de illis perſuaſio: quēadmodum Cato Ciceronianus meritò obiurgat ſenes, q̄ parent eò plus viatici, quò minùs reſtet viæ; ſed metus id facit, & opinio fallax neceſsitatū; & ſic cupiditas nullū inuenit exitū, nuſquā cōſiſtit. ¶ Ex eodē principio ſequitur huius dubitationis expoſitio; quid nā ſit in cauſa, quòd amor cæcus dicatur, cū ex cognitione ortū & originē ducat? Certè amor, vt dictū eſt, ex cognitione gignitur, ſed genitus ac productus, iudiciū perturbat, efficitq;, vt res, quā diligimus, pulchrior appareat, quā re ipſa ſit. Sciūt qui dē amatores quod diligunt, ſed quid ſibi expediat, ignorāt: offuſcat amor interiores ſenſus, ſed nō exteriores. Hęc itaq; duo in ipſum cōueniūt & cōiunguntur, quòd cęcus ſit, atq; ex cognitione oriatur. Et ſicut amor ex iudicio, & cognitione naſcitur, ita vbi vires eſt nactus, idē ipſum iudiciū cōfirmat, vt iā ampliùs ſtatuere nō poſsit de bono, aut pulchro q̄ amat. Hinc etiā amans apud animū ſuū, & amati bona auget, & vitia, vel deformitates extenuat: & ſicuti ex crebra cogitatione augetur; ita ſi animi attentionē aliò diuertas, omnino depellitur, vt in occupationibus, & negotijs varijs. Quòd ſi in rei amatæ ſcrutatione, malitia inſignis occurrat amanti, refrigeſcit amor, & retardatur impetus, & tandem eum diſſolui neceſſe eſt.

Claudianus

Quare amor noſter terminū non habeat.

Cato.

Quare amor dicatur cæcus.

¶ Clariſsimè deinde infertur ex his, non ſecus amorē diuinarū rerū in anima noſtra gigni, quā ſenſitiuus amor in eadē producitur. Quēadmodū enim corporeus viſus, amoris ſenſitiui cauſa eſt, & ex illo initiū, ac exordiū accipit: eadē penitus ratione, animæ noſtræ cognitio, ſpiritualis amoris

Quomodo amor diuinarū rerū in noſtra anima gignatur.

amoris est principiũ, causa, & origo. Qua de causa, his, qui parũ, aut nihil res contẽplantur diuinas, & nullũ in earũ cognitione tẽpus insumũt, amorẽ ipsarũ in semetipsis neq; experiuntur, neq; verò habere possunt. De qua re optimè D. Tho. loquitur 2.2.q.82. cum de deuotione disputat, quo etiam in loco legendus est Caietan.

D. Thom. Caietan.

¶ Illud tamẽ dubitationẽ habet nõ paruã, vtrũ cognitio sit amoris causa, sic vt cognitio maior, maiorẽ causet amorẽ, & quòd maior amor, maiorẽ exigat cognitionẽ. Ratio exquirẽdi est: Nã in vita præsenti magis Deus amatur, quã cognoscitur: in hac enim vita Deus per seipsum amatur, cũ tamen per seipsum haud quaquã cognosci possit. Idẽ aduertere licet in sciẽtijs, quas quidã amãt propter aliquã summariã cognitionem quã de eis habẽt, videlicet quia sciũt Rhetoricã esse scientiã, per quã persuadere possumus, & in hoc Rhetoricã amant. In cõtrarium est; nam cũ cognitio amoris sit causa, videtur profectò minorẽ cognitionẽ, minorẽ etiã amorẽ producere, sicuti maior, maiorem producere videtur.

Vtrũ cognitio sit amoris causa. Argum.

Huius rei causam elegãter in primis explicat D. Tho. sol. ad 2. scribit enim discrimen esse inter cognitionẽ, & amorẽ, & inter potentiã apprehẽsiuã, & appetitiuã. Cognitio enim ad rationem pertinet, cuius est discernere, atq; distinguere inter ea, quæ re ipsa cõiuncta sunt, & coniungere quodãmodo, ea quæ diuersa sunt, vnũ alteri cõferendo: & idcirco ad rei exactã cognitionẽ, necessum est vt cognoscatur sigillatim quidquid est in re, siue ad substantiã, siue ad virtutes, proprietates, aut partes pertineat. Verũtñ amor est in vi affectiua, & appetitiua, quæ fertur in rẽ, secundum quod in se est: vnde ad perfectionem amoris sat fuerit, quòd res, prout in se apprehenditur, & cõspicitur, ametur, atq; diligatur. Hæc igitur causa est quòd aliquid plus amatur, quàm cognoscatur: quia potest perfectè amari, etiã si nõ perfectè cognoscatur; sicut maximè patet in exẽplo scientiarũ, quod suprà cõmemoratũ est.

D. Thom.

¶ Sed tamẽ si obijciat Theologus in hũc modũ: Cognitio est propria causa amoris: ergo minor cognitio, minorẽ causabit amorẽ. Dicendũ est, amoris perfectionẽ duplici ex capite prouenire posse; ex parte scilicet amãtis, & ex parte rei amatæ. Porrò cognitio est causa amoris, ex parte rei amatę, & sic perspicitur, quomodo absq; augmẽto cognitionis, potest augeri amor ex parte amãtis. Nõ igitur bonũ, neq; bonũ cognitũ, est propria causa amoris, nisi ex parte rei amatæ. Qua de causa, alia causa amoris ex parte amãtis exigitur, & ideo minor cognitio, nõ causat minorem amorẽ. explicatur hoc subiecto & adhibito exẽplo. Nã passió, absq; dubio auget amorẽ, & cupiditatẽ, efficitq; vt amãs vehemẽtiùs in rẽ amatã propẽdeat, & feratur. Quapropter dicũt Theologi, eã augere voluntariũ: idq; verisimè; quippè quę auget volũtatis inclinationẽ, cũ tamẽ passio perturbet iudiciũ rationis, & cognitionẽ imminuat. Itaq; amor nõ solũ crescit ex cognitione; sed potiſsimè ex volũtatis inclinatione. Ex quo cõsequens est, hãc argumentationẽ inualidã esse: cognitio est causa amoris; est minor cognitio, ergo est minor amor. Iudico hãc efficaciter nõ cõcludere, quãuis cõtrariũ asserat Caiet. hoc in loco. Cognitio est causa amoris; est maior cognitio; ergo maiorem gignit amorem, potest enim accidere vt maior cognitio non inferat maiorem amorem, propter minorem voluntatis inclinationem. Hæc de isto articulo.

Obiectio. Solutio. Caiet.

ARTIC. TERTIVS.

¶ *Vtrùm similitudo sit causa amoris.*

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Eccle. 13. Cicero.

Conclusio est affirmatiua, quã probat potiſsimè ex illo Eccle. 13. Omne animal diligit sibi simile, sic & omnis homo proximũ sibi. Vt igitur Salomõ ostẽdat, qua ratione similitudo sit mater amoris, adducit animalium exẽpla, quæ docẽt, id maximè esse naturale vt similia iũgantur, nõ dissimilia. Omne, inquit, animal, diligit animal, secũdũ genus sibi simile, ideoq; iũgitur ei, & cõgregatur cũ illo: nõ enim gallina cũ aquilino genere consociatur, sed cũ suo genere; &, vt dicitur, aues cõcolores simul volãt; &, cõueniunt pecudes, & iũctę pabula carpũt. Vtitur hac ratione Cice. li. de amicitia; Si (inquit) hoc apparet in beſtijs, vt requirãt, atq; appetãt ad quas se applicent animantes, idque faciunt cum desiderio, & cum quadam similitudine amoris humani, quantò id magis in homine? & in eodem libro; Dispares mores, dispar studia sequuntur; quorum dissimilitudo dissociat amicitias: neq;

ob

ob aliam causam vllam boni improbis, improbi bonis amici esse non possunt, nisi quòd tanta est inter eos, quanta maxima esse potest morũ, studiorumq; distantia. Hæc ille. Certè illud in veteribus celebratũ, in omni animantiũ genere vim habet; simile, amicũ simili; vel simile gaudet simili. vnde est & illud; Similitudo mater amoris.

EXPLICATIO ARTICVLI.

QVòd similitudo sit mater amoris, satis superq; vel sola experientia exploratũ est. Sed quęnãsit huius rei ratio, nõ facilè explicant diuini Theologi. Caiet. enim mirũ in modũ se torquet, & in omne latus vertit vt rationẽ huius rei nobis patefaciat. Quinque, inquit, modis intelligi potest similitudinẽ esse amoris causam: In primis, vt bonũ quoddã particulare, sicut cætera bona; veluti cũ quis vult assimilari alteri, vel alterũ sibi similẽ efficere: & sic similitudo est mater amoris, sicut quodvis aliud bonũ. Quo in sensu nõ asserunt doctores similitudinẽ esse causam amoris, vt planè cõstat. Altero modo potest intelligi vt simili tudo sit causa amoris, sic, vt bonum non causet amorẽ, nisi simile sit. Itaq; similitudo sit veluti ratio afficiẽs, & determinãs bonũ vt causet amorẽ. Sed neq; hic sensus verus esse potest: nã bonũ, secundũ se amabile est, & desiderabile, vt omnis philosophia testatur. Tertiò intelligi potest vt similitudo sit causa amoris, quasi determinãs bonũ vt huic efficiatur amabile. Itaq; bonũ vt sic sit amabile, & desiderabile, sed in quantũ bonũ simile, sit huic amabile: iuxta illud Arist. Amabile bonũ, vnicuiq; autẽ propriũ: sicq; dicendũ est, bonũ esse amabile absolutè, & sic absolutè, & simpliciter esse obiectũ amoris; sed bonum simile, esse amabile huic. Sed neq; hæc expositio cõsentanea videtur, siquidẽ hîc D. Tho. causas amoris perue stigat, in genere, & in cõmuni. Propter quod Caie. adhibet quartũ, vt similitudo sit causa amoris, vt cõditio requisita ad amandũ; sicut singularitas est cõditio vniuersæ causę naturalis: quæ expositio neq; apparentẽ rationẽ præ se ferre videtur. Postremò intelligi potest, vt similitudo sit veluti dispositio ex parte subiecti, sic vt bonũ sit propria causa amoris ex parte obiecti; similitudo ad bonũ sit propria causa amoris, vt propria dispositio ex parte subiecti: propter quod obiectũ idẽ, causat modò amorẽ, modò odiũ in eodẽ diuersimodè disposito, vt patet de Thamar respectu Ammõ. Hãc vltimã expositionẽ amplectitur Caie. Sed vir acutissimus dũ rem in tã varias partes distinguit, & diuidit, veritatis cognitionẽ mihi adimere videtur; nam res ipsa euidẽtissima est. ¶ Cũ enim vnusquisq; sibi sit charissimus, præcipuè seipsum amat; atqui ex hoc amore nostri, oritur amor erga cõsimiles: similitudo enim, amoris causa est, tanquã in alterũ ipsum: quoniã similitudo idẽ quodam modo efficit, eòq; animãtes omnes ad similes sibi formas facilè aggregãtur, & pueri cõplectuntur, ac deosculãtur specula, in quibus imaginem sui aspiciũt, quoniã inesse intus arbitrãtur puerũ aliquẽ sibi similẽ. Quantã existimari cõuenit fuisse illã amoris flãmam, quæ in animo Adę ad primũ Euæ conspectũ excitata est? in qua illeve lut semetipsum est intuitus nouo penitus aspectu. Sed ad amorẽ cõciliandũ fortior est animorũ similitudo quã corporum. ¶ Addit tamen D. Tho. in hoc artic. quòd similitudo nonnunquã est discordiæ causa, & huius rei elegantẽ rationẽ reddit. Nã amans, præcipuè seipsum amat, & magis quã aliũ; quia sibi vnus est in substantia, alteri verò in similitudine alicuius formæ, & idcirco si ex eo quòd quis est sibi similis in participatione formæ, ipsemet impediatur à cõsequutione boni quod amat, odiosus, & inuisus ei efficitur, nõ in quantũ similis est, sed in quantũ est proprij boni impedimẽtum: & propter hoc figulus figulo inuidet, quia se inuicẽ impediunt in proprio lucro; & inter superbos sunt iurgia, quia se inuicem impediunt in propria excellentia. Vnde est quod Prou. 13. dicitur. Inter superbos semper sunt iurgia. Hæc de isto articulo.

Caiet. expositio.

Quinque modis potest intelligi similitudinem esse causam amoris.

Aristot.

Caiet.

Autoris explicatio.

D. Thom.

Pro. 13.

ARTIC. QVARTVS.

¶ Vtrùm aliqua alia passionum animæ sit causa amoris.

SVMMA TEXTVS.

PRior Cõclusio. Impossibile est quòd aliqua alia passio animę inueniatur sit causa amoris: neq; enim aliqua alia passio animæ est, quæ non supponat amorẽ aliquem; quia omnis alia passio importat motum ad aliquid, vel quietem in aliquo, ex connaturalitate, vel coaptatione, quæ ad rationem amoris pertinet: & hinc est, quòd omnes aliæ affectiones animæ ex

Prior cõcl.

amore

Aug. amore causantur, vt dicit Aug. 14. de ciuit. Dei c. 7. & 9.

Poste. cõcl. ¶ Posterior Conclusio. Accidit aliquam aliam passionem esse causam amoris alicuius, sicut etiã vnũ bonum est causa alterius, veluti bonus artifex, vt Rhetor, vel Dialecticus, causat delectationem, & delectatio amata, amorem artificis causat; & bonum desideratum ab aliquo, gignit amorem eius à quo illud bonum obtinetur.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Qua ratiõe ex amore omnes affectus nascantur.

EX hoc articulo, si rectè inspiciatur, inueniet quilibet, qua ratiõe ex amore omnes affectus animæ nostræ originem habeant. Sequimur, & concupiscimus videlicet quæ amamus; fugimus, & odimus contraria ijs quæ amamus; vt morbum quia diligimus sanitatem; dedecus, quia diligimus decus. Ideoq; qui non norunt bona, neq; ea diligunt, neq; contraria mala vel oderũt, vel reformidant, vt pueri gladios, aut præcipitia: & ille Satyrus, qui cum igne volebat ludere, nunquam antea sibi viso, ignarus nocumenti illius. Sed de hoc diligentiùs in quęstione sequenti articulo vltimo, quo in loco percontatur D. Tho. vtrùm amor sit causa eorũ quæ amans agit; nũc enim tantùm inuestigatur, quæ sint veræ amoris causæ; quas D. Tho. ad tres fontes præcipuos reduxit; ad bonum, cognitionẽ, & similitudinẽ: hoc aduertat Theologus, ne existimet D. Tho. suscepisse negotium enumerandi omnes causas amoris particulares. Certè inter particulares causas, præcipua est ipse amor: nihil enim est amore fortius, ac validius; nihilq; amorẽ æquè cõciliat, vt amor; nulla certiora sunt, aut potentiora philtra. Quapropter optimè inquit ille in Epigrãmate; Marce, vt ameris, ama. quod priùs commemorauerat Seneca. Modò verè, ac bonâ fide; nã ficta, & simulata, nihil obtinent viriũ. Ignis in tabella pictus nõ calefacit, neq; rugit, aut sæuit Leo marmoreus. ¶ Sed vnde hæc amoris reciproca generatio originẽ habeat, nõ facilè explicant Theologi. Quidã huius rei causam reddũt. Nã à quo nos amari cognoscimus, hũc bonũ esse virũ arbitramur, eaque de causa vt bonus redamatur: qua de causa amans sæpenumero non redamatur, quòd amatus amari se non sentit. Platonici verò huius altiùs rationes inquirunt; aiunt enim, matrem amoris, esse similitudinem: hincque sequitur, vt quæ similitudo, te, vt me ames, inducit, eadem ipsa, me, ad te amandum, adducit. His accedit, quòd amans amanti faciem atque imaginem in animo suo insculpit: qua de causa amantis animus, speculum quoddam redditur, in quo amati relucet forma: cùm ergo amatus in amantis se animo intuetur, & recognoscit, amare illum compellitur, quemadmodum infantes imagines suas in speculis deosculãtur. Ad hæc, amans seipsum sibi aufert, & dedit, ac mancipat amato: hunc ergo iam amatus, vt rem suam, charam habet, curatque. Si conspici à nobis voluntas sua posset, ex ea de amore iudicaremus, quod solus facit Deus scrutator cordium: sed quoniam volũtas nostra multiplicibus est inuolucris contecta, ex operibus de illa statuimus, prout sunt magna, crebra, gratuita, prompta. Sed quanquam varias huius rei causas adduximus, nondum vera & legitima huius rei causa exposita est. ¶ Pro cuius rei explicatione illud præmeditandum est, aliquem alium diligere, nihil esse aliud, quàm traditionem efficere quandam, qua amans credit semetipsum, ac bona sua, amato; qua inquam, si bi semetipsum aufert, vt sui totius possessione res amata perfruatur. Huius quidem vel illud magnum est argumentum, quòd amor est, id, quo voluntas amato conceditur, creditur, ac traditur; quo quidem dono, nihil melius, aut excellentius amato restat communicandum. Est namque voluntas, regina, ac princeps, hominẽ mouens, atque dirigens, & mutans cuncta quæ in ipso homine inueniri possunt. Quapropter amare dicetur ille, qui semetipsum totum amato tradidit; illi enim suam contulit voluntatem, quæ omnium suorum rationem habet, atque virtutem. Et quidem si rerum communi vti velimus experimento, idipsum luce clariùs agnoscemus: amantem enim non in se, sed in amato viuere, continuò de amato cogitare, cum illo perpetuò colloqui, voluntatem suam cum illius affectu habere ita coniunctam, vt nihil velit, nisi quod dilectus amat, nihil odiat, nisi quod dilecto malum apparet, euidentissimè ostendit, amantem, non iam sui dominiũ habere, sed amati potestati iam subditum esse, ac omnino tradi tum. Hinc elicere possumus, quàm sit à ratione dissonum, non redamare eum, quẽ quis sui amatorem intelligit: qui namque ita est, volũtatem amantis accipit, ac in semetipso retinet, cùm tamen nullam amato referat condignam satisfactionem, aut restitutionem; quod non modicam in amante pœnæ habere rationem dicitur. Si nãq; cuiq; molestũ est maximè, semetipsum honore, ac proprijs bonis destitutum contẽplari, quonã æquo animo ferre poterit, cũ omnibus bonis

D. Thom.

Quare ex amore vnius ad alterum, reciprocus oritur amor.

Platonici.

Amãs seipsum amato tradit.

Rationi dissentaneum, nõ redamare amantẽ.

bonis suis orbatum, ac eorum principio, propria scilicet volũtate, destitutum semetipsum aspiciet? Huius sanè doloris causam auget, si amans, continua animi meditatione, intelligat, id non propria culpa, sed alterius vitio, ac ingratitudine prouenire, qui optimis acceptis, nihil reddit, aut verò restituere curat. Vnde compertum esse potest, quàm sit rationi absonum, amantem non redamare, aut verò ipsum de nostra ingratitudine certiorem non reddere, vt se, & omnia sua, quæ apud nos, malè, ac iniustè retinebamus, iterũ accipiat, atque recuperet. Si namque pessimum est facinus, alterius apud nos pallium, honorem, famam, aut aliud quoduis iniustè retinere bonum, quàm quæso intolerabile erit alterius in nobis detinere, iniustè quidem, ac impiè, voluntatem, quæ tam longo interuallo omnia alia excedit, atque exuperat? Qui namque ita est, alterius famam, vitam, animam, ac alia bona in se habet, imo & totum amantem in iustè possidet: ipse namque amans, liber à natiuitate ortus, huic se totum mancipauit, cùm suam voluntatem ei tradidit, vt hoc dato pretio, istius emeret amorem, ac redamationem: iste verò accepto dono, nihil de mercede reddenda cogitat, sed veluti iniquus venditor, pretium, ac merces sibi accipit, & retinet. Hoc sanè vile quid est, nobilitati maximè oppositum: Est namque nobilitatis verè proprium, non solùm cognitos, & nobis coniunctos, verùm etiam inuisos, & inimicos diligere, eis benefacere, atque bona opera impendere: ignobilitatis ergo, imò & bestialitatis erit, amorem alterius, odio, aut non æquali amore coæquare, neque redamare amantem, sed mille cauillationes, & sophismata pro amore casto reddere. Hac certè de causa omnes in æquali sumus voluntate constituti, licèt variè exteriora fortunæ bona sint diuisa, vt æquum redderemus bonum, cum alterius apud nos positam voluntatem conspiceremus, ipsam scilicet voluntatem nostram, quæ æqualis est valoris, ac libertatis, cum ea, quam accepimus ab alio, voluntate, animique affectione. Quod quidem adeò verum est, vt quamuis Deus ipse ab hac se posset continere regula; quippè qui in infinitum excedit voluntatem nostram, cùm sit totius boni fons, & origo; nihilominus nobis semetipsum in hac lite æqualem reddit, iusteque sibi satisfactum putat, cùm voluntatem suam, pro nostra concedit, ac mutuat: qua de causa dicit; Ego diligentes me, diligo. & alibi; Qui diligit me, diligetur etiam à me. Liquet ergo, ac satis ex his constat, quamobrem amor, amoris causa sit. Cùm enim quis alterius in semetipso voluntatem contemplatur, imò totum alterum in seipso videt, vt aliena bona iniustè non retineat, vtque dato pretio mercedem reddat, suam alteri tradere voluntatem, ac iuxta Terentianum præceptum, par pari referre tenetur. Vera igitur, vt in eadem persistamus sententia, amoris causa est, amare.

Deus diligẽtes se diligit.

Terent.

¶ Coram Alphonso Rege Tarraconensi ventilata fuit quæstio gratis, à gratissimis viris; an sententia illa, & regula, quam tradidit Seneca, cum dixit; Si vis amari, ama; aliquam pateretur exceptionem: an scilicet posset quis inueniri, qui amatus, non redamaret? Alijs autem sententiam tanto autori dignam, ac maiori ex parte veram laudantibus, ac probantibus, tandem rex; Salua (inquit) æstimatione vestræ cuiusque sententiæ ostendam ego vobis apertè, vbi nam regula fallax inueniatur, & vbi nam reperiatur, qui non amatus, amet. Num quis reperietur, qui veriùs, & perfectiùs quemque amet, quàm ipse orbis conditor creaturam suam, præsertim hominem, cuius gratia cætera cuncta creauit? cùm igitur res ita se habeat, vt nemo eam ignoret, aut de ea dubitet, non est tamen qui illi rependat vices: imo experientia docente comperimus, (quod mirabile dictu est, vel potiùs horrendum, & detestandum) amare hominem, & creaturas, & fieri posse (quod sæpissimè contingit) vt fraudetur, nec similem gratiam recipiat: cùm autem sciamus, & certissimi simus, si Deum amamus, non solùm ipsum redamaturum nos, sed maximis beneficijs affecturum, adeò sumus obdurati, aut cæci, vt nec ipsum amati redamemus: quod haud dubiè ex debilitate fidei nostræ prouenit: Nam voluptatibus præsentibus capti, non solùm negligimus cœlestia, sed vix fidem illis habemus, illorum similes, qui sitibundi malunt turbidam, & cœnosam, modò præsentem, aquam bibere, quàm longiusculè ire, & diutinam sitim, amœnissimo fonte sedare. Hæc ille.

Rex Alphõ sus.

Seneca.

QVAESTIO XXVIII.

De effectibus amoris; hæc quæstio habet articulos sex.

ARTIC. PRIMVS.

¶ Vtrùm vnio sit effectus amoris.

SVMMA TEXTVS.

Concluſio. Concluſio eſt. Amor eſt virtus vnitiua: Nã duplex eſt vnio amantis ad amatum; vna, ſecundum rem, vt cùm amatum præſentialiter adeſt amanti, quam effectiuè facit amor, quia mouet ad quærendam præſentiam amati, quaſi ad ſe pertinentis: alia verò ſecundum affectum, quæ vnio conſideranda eſt ex apprehenſione præcedente: omnis enim appetitus ſequitur apprehẽſionem. Cum ergo duplex ſit amor, concupiſcentiæ, & amicitiæ; vterque procedit ex quadam apprehenſione vnitatis amati ad amantem. Nam cùm aliquis amat aliquid, & illud concupiſcit, apprehendit ipſum quaſi pertinens ad ſuum bene eſſe: eodem modo cùm aliquis amat aliquem amore amicitiæ, vult ei bonum, ſicut & ſibi vult bonum; apprehendit enim eum vt alterũ ſe: & inde eſt, quòd Auguſt. amicus dicitur alter ego. & Aug. in. 4. conf. capitu. 6. benè quidem dixit de amico ſuo, dimidium animæ meæ. Et hanc vnionem ſecundam facit amor formaliter; primam verò facit efficienter, vt dictum eſt. Auguſt. Vnde Aug. ſcribit. 8. de Trinitate capi. vlti. quòd amor eſt quaſi iunctura quædam, duo aliqua copulans, vel copulare intendens, ſcilicet amantem, & quod amatur. Quòd enim dicit Augu. copulans, refertur ad vnionem affectus; quod verò dicit, copulare intendens, pertinet ad vnionem realem; hoc ipſum accuratiùs explicat Diuus Thomas, in ſolutione ſecundi; dicens, quòd vnio tripliciter ſe habet ad amorem: quę- D. Tho. dam enim vnio eſt, quæ eſt cauſa Tribus modis ſe habet vnio ad amorem. amoris, & hæc quidem eſt vnio ſubſtantialis, quantum ad amorem, quo quis amat ſeipſum; quãtum verò ad amorem, quo quis amat alia, eſt vnio ſimilitudinis, vt dictum eſt. Quædam verò vnio eſt eſſentialiter ipſe amor, & hæc eſt vnio ſecũdum coaptationem affectus, quæ quidem aſsimilatur vnioni ſubſtantiali, in quantum amans ſe habet ad amatum; in amore amicitiæ, vt ad ſeipſum; in amore concupiſcentiæ, vt ad aliquid ſui. Quædam verò vnio eſt effectus amoris, & hæc eſt vnio realis, quam amans quærit de re amata: vt enim Philoſophus re- Ariſto. fert. 2. Polit. capitu. 2. Ariſtophanes dixit, quòd amantes deſiderant ex ambobus fieri vnum; ſed quia ex hoc accideret, aut ambos, aut alterum corrumpi, quærunt vnionem quæ conuenit, & decet, vt ſcilicet ſimul conuerſentur, ſimul loquãtur, & in alijs huiuſmodi coniungantur. Ariſtophanes.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Certè amor vnit, vnit & intellectio; ſed in dubium reuocari poteſt, vtra magis vniat. Et quòd intellectio magis vniat, hoc argumentum ſuadet. Nam (autore Ariſto. 3. de anima. tex. 17.) intellectus in actu, eſt intellectum in actu: & Auerrois dicit, quòd magis fit vnum ex intellectu, & intellecto, quàm ex materia, & forma: At amans in actu, non fit amatum in actu: Ergo intellectio magis vnit, quàm amor. Nihilominus tamẽ aſſerendũ eſt, quod & etiam Vtrùm magis vniat amor quã intellectio Ariſto. Auerrois.

& etiam asserunt vniuersi sapientes, amorem esse virtutem vnitiuam præcipuè: amoris enim finis,& meta est, coniungi vsque ad vnitatem,quantum effici potest. Quapropter sapienter admodùm, & aptè à Platone ficta est fabula, quòd cum Vulcanus duobus inter se amicissimis occurrisset, quique amoris mutui magna ederent signa, delectatus illorum inter se beneuolentia, iussit à se petere donum, Dei munificentia dignum: cui responderunt illi;O Vulcane,faber Deorum, oramus te, vt tuis istis instrumẽtis,& camino, refringas nos ambos, & ex duobus vnum facias. Sed differentia est: nam corporis amor, corporaliter vult iungi;amor animorum, animis, vt sit in duobus corporibus animus vnus; vnde existit idem velle,& idem nolle; & amicus est alter ipse. Aptissimè Horatius, dimidium animi sui Virgilium appellauit,cui erat amicissimus. Cui consentiens D. Augu.libro quarto, conf. cap.6.& libro.2.retract.capitulo.6.vocat amicum suum, dimidium animæ suæ; quam sententiam idem August.sic explicat; dum enim de amico,morte sublato,dolet grauissimè, in hæc verba prorumpit. Nam ego sensi animã meam,& animam illius, vnam fuisse animam in duobus corporibus, & ideò mihi horrori erat vita, quia nolebam dimidius viuere; & ideò fortè mori metuebam,ne totus ille moreretur,quem multùm amaueram. Hinc prouenit, vt quæcunque ad amicum pertinent, amicus vocet sua. Vnde Pythagoræorum lex, Amicorum esse communia omnia. Ex quo prouerbio Socrates colligebat, omnia bonorum esse virorum, non secus quàm Deorum. Deorum,inquit, sunt omnia:boni viri Deorũ sunt amici; & amicorum inter se communia omnia; bonorum ergo virorum sunt omnia. Hinc etiam originem traxit prouerbiũ illud; Amicitia, æqualitas; amicus, alter ipse: hoc quoque prouerbium ad Pythagoram autorem referunt,significatque,in amicis esse eandem animam; & amicum, alterum ipsum. Neque enim quicquam non commune, vbi fortunarum æqualitas;nec dissensio,vbi idem animus;neque diuortium, vbi coagmentatio duorum in vnum. Aristot. magnorum mor. libro.2. Vna,inquit,anima est in duobus amicis.Idem in eodem libro. Est enim, vt dicere solemus,amicus, alter ego. Plato libro de Legib.6.citat,tanquam vetus dictum, & ceu prouerbium iactatum; Amicitia, æqualitas; amicus, alter ipse. Sed rationes, & causas huius rei demonstrare, cuique non in promptu est. ¶In primis,amor est appetitus fruendi bono, id est,se illi adiungendi,vt ipsum amans, amati,hoc est, boni contactu fiat bonum: amor concupiscentiæ, adiungi vult ea coniunctione,qua satisfiat,vel desiderio, vel detentioni: vinum bibo, cibũ edo: quod olfacturus sum, non tam propè admoueo; longiùs etiam sonos, & quæ aspicimus,applicamus; vestem adiungimus corpori, aut seruamus in vestiario:amici, quà datur, adiunguntur præsentia corporum, conspectu,colloquio, conuersatione,mentione,memoria: cùm non possunt, quantum cupiunt,vnà esse, ac conuersari, sequitur molestia,& mœstitia: atque eò maior, si parùm sit quod coniunctioni obstet: ita, quò absunt propiùs, & destinentur, hoc ægriùs, atque impatientiùs ferunt separationem. Quin etiam qui defunctos vita diligunt,quatenus datur,cum illis versantur,crebra illorum recordatione visendo loca vbi soliti erant conuiuere, & congredi; aspectu denique earum rerum, quæ memoriam illorum renouent:quæ omnia, erga absentes amicos facimus. Isthæc in amore coniunctionis expetitio,data est homini, vt cum vero bono suo vniri velit,qui est Deus: quo, velut Deus quidam,effectus (vt sic loquar) consors sit sempiternæ beatitudinis illius. Hæc demum vera est,solida,& fructuosa coniunctio: coniunctiones reliquæ, inanes sunt, & absque fructu; vt si quis ad examen reuocet, quid amici in mutuo illo amore quærant, nihil inueniet esse magis vacuum, nempe esse vnà, conspicere se, colloqui. Huius etiam rei alteram rationem assignant viri sapientes. ¶Hęc, inquiunt, differentia est inter intellectum, & voluntatem; quòd cognitio perficitur per hoc, quòd vnitur cognoscenti secundũ suam similitudinem:itaque intellectus, cùm res intelligit, efficit res sibi simillimas, sic adeò, vt ex rebus materialibus, efficiat spirituales, & intellectuales, aptasq; vt intelligantur; sed voluntas quando rem amat, fertur ad rem, ipsam sequitur, in eam se transformat, eam amplectendo, illique se copulando. Ex quo consequens est, quòd intellectus assimilatur sigillo, quod certè omne quod tangit, sibi simile efficit: cæterùm voluntas ceræ similis est, quæ statim figuram recipit eius rei, ad quam adiungitur. Propter quod sapientissimè dicit D.August. idque creberrimè; Si terram amas,terra es; si Deum amas, quid vis vt dicam? Deus es. ¶Sed vt exactiùs res hæc demonstretur,intelligẽdum est,quòd hæc vnio, & transformatio amantis in amatum, naturalis non est, sed spiritualis: neque enim amor vnam naturam in aliam trãsmutat,sic vt metamorphosim naturarũ efficiat, sed trãsformat

Plato.

Horatius.

August.

Pythagoræorũ lex.

Socratis collectio.

Aristo.

Plato.

Quare amor vniat.

Differentia inter intellectum,& voluntatẽ.

August.

corda, hoc est, affectus, desideria, vitam omnem. Dic mihi obsecro, quid facit filius sui amore, quod mater eius non faciat propter ipsum? filius, quoniam se amat, semper quod sibi commodum, & vtile est, procurat, & vniuersam vitam in ea re insumit: nihilo minus mater facit, quæ eum charum habet, de illo cogitat, pro illo laborat, quod illi commodũ & vtile existimat, diligenter curat; dolet, si quid triste accidat, solicitudo illius eam vrit, affligunt illam illius dolores, flet cum flente, gaudet cum gaudente, iniurias filij, vt proprias existimat, infirmitates, vt suas sustinet. Itaque quemadmodum vmbra sequitur corpus, facitq́ue, & imitatur id, quod ipsum corpus facit, sequiturq́ue illius motum, & figuram; sic sanè, si corda duorum amantium conspiceremus, inueniemus absque dubio, quòd quemadmodum & vnum est, sic & alterum se habet, quodq́ue vnum, alterius affectus, & motus alterius sequatur. Quod adeò amanti est naturale, & consuetum, vt facilè appareat, quòd amans prorsus sui sit oblitus, totus extra se sit, totus in amato; & amans paulatim moritur in se, viuit autem in amato. Præclara illa Platonis vox ab omnibus commendatur quòd amatoris animus in proprio corpore mortuus est, in alieno viuit. Hæc transformatio amantis in amatum, alia ratione demonstratur. Nam ita comparatum est natura, vt homines summè adnitantur mutari, & conuerti in ea quæ amant: vnde qui nimis amat virtutes, adnititur vt studiosus euadat; qui literas, vt literatus; qui sanctitatem, vt sanctus efficiatur. Hoc ipsum euidẽtiùs patebit: Nam voluntas est animi vniuersi dominatrix, & rectrix: quod enim est Rex in regno, hoc est voluntas in animo: propter quod quando voluntas in aliquid propendet, & inclinatur, secum rapit omnia quæ in suo regno existunt. Certè quemadmodum primum mobile secũ trahit, & rapit omnes alios cœlos, & sidera vniuersa; sic voluntas secum rapit vniuersas animi nostri potentias, & vires; rapit secum intellectum, memoriam, desideria, membra etiam corporea, & omnia quæ in nobis sunt. Cum igitur voluntas sit animi nostri dominatrix, & rectrix, & voluntatis amor; in id enim, ad quod amor inclinat, voluntas propendet; sequitur, quòd id, ad quod amor inclinat, voluntas lubenter amplectatur; hoc ipsum sequitur homo, & vniuersæ vires quæ in homine sunt prosequuntur, sicq́ue accidit, vt vniuersus homo in ea, quæ amat, transformetur. Quamobrem dixit Propheta Oseas cap. 9. de improbis hominibus; Facti sunt abominabiles sicut ea quæ dilexerunt. Ex hac transformatione amantis in rem amatam, sequitur quòd habeat amãs idem velle, & idem nolle, & id prorsus displiceat, quod amico displicet, & quod amicus odio habet, amans ipse odio prosequatur: si ait, ait; si negat, negat; & sic in omnibus, & per omnia habeat idem velle, & idem nolle, & vnam prorsus voluntatem: & voluntate in hunc modum transmutata, continuò vniuersa vita transmutatur, & inuertitur, & alios mores habet. ¶ Sicuti enim abscisso arboris ramo, alteroq́ue illius loco insito, fructus, qui inde nascuntur, naturam huius secundi consequuntur, & eius habent speciem: eadem ratione, voluntate hominis mutata, atque in voluntate ipsius amici insita, opera quæ inde consequuntur, non hominis naturam, & mores sapiunt, sed amici consuetudinem, ac modum redolent: quemadmodum ignitum ferrum, licèt ferrum esse non sinat, proprietates tamen & conditiones ignis in se possidet. Verũ igitur est quod D. asserit Dionysi. amorem esse virtutem vnitiuam. Cuius rei breuissimam rationem tradit D. Thom. in hoc articulo refertq́ue vniuersam causam in rei similitudinem; quoniam amicus, inquit, est alter ego. Inde probat, quòd sit idẽ velle, & idem nolle; & quòd amor sit nexus, & vnio quædam. ¶ Argumentum verò quod de intellectione adductum est in contrarium, ex dictis, ni fallor, habet solutionem: & addendum est quod hic scribit Caieta. Dicit namque, quòd cognitio videtur magis vnitiua formaliter, amor autem effectiuè: quærit enim præsentiam amati, & ei copulari realiter: & quia vnio apud omnes nota non est, nisi realis, dicitur quòd amor est vis vnitiua, & quòd vnit magis, quàm cognitio. Quæ omnia sunt vera, si referantur ad vnionem realem. Vel dicendum, hoc differre inter intellectionem, & amorem, quòd intellectus vnit res sibi, amans verò, extra se exiens, ad res amatas se adiungit, & copulat.

Plato.

2ª ratio.

Simile.

Oseæ. 9.

Sic.

Dionys.

D. Tho.

Argumentum initio positũ, soluitur.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ *Vtrùm mutua inhæsio sit effectus amoris.*

SVMMA TEXTVS.

Conclusio est affirmatiua. Itaq; effectus amoris est mutua inhæsio; quæ intelligi potest, & quantum

Conclusio.

quantũ ad vim apprehensiuam,& quantũ ad vim appetitiuam. Nam quantũ ad vim apprehẽsiuã, amatum dicitur esse in amante, in quã tum amatum immoratur in apprehensione amantis: amans verò dicitur esse in amato, secũdum apprehensionem, in quantũ amãs non est contentus superficiali apprehensione amati, sed singula ad amatum pertinentia nititur disquirere,& sic ad eius interiora ingreditur. Quò ad vim autem appetitiuam, amatum dicitur esse in amante, prout est per quandam complacentiam in eius affectu, vt vel delectetur in eo, aut in bonis eius apud præsentiam, vel in absentia per desiderium tendat in ipsum amatum per amorem concupiscentiæ, vel in bona quæ vult amato, per amorem amicitiæ: nõ quidem ex aliqua extrinseca causa, sicut cùm aliquis desiderat aliquid propter alterum, vel cùm aliquis vult bonum alteri propter aliquid aliud, sed propter complacẽtiam amati interiùs radicatam. Econuerso autẽ amans est in amato, aliter quidem per amorem concupiscentiæ, aliter verò per amorem amicitiæ. Amor enim concupiscentiæ, non requiescit in quacunq; extrinseca adeptione amati, sed quærit amatum perfectè habere, & quasi ad intima illius peruenire: in amore verò amicitiæ amans est in amato, in quantum reputat bona vel mala amici, vt sua. Potest etiam mutua inhæsio intelligi in amore amicitiæ, secundum viam redamationis, in quantum mutuò se amant amici, & sibi inuicem bona volunt, & operantur.

EXPLICATIO ARTICVLI.

IN hoc articulo explicat D. Thom. eleganter, quemadmodum amans sit in amato; tum, secundum apprehensionem; tum verò, secundum appetitionem: & mutua conuersione amatũ in amante: quam sententiam accuratiùs,& diligentiùs elucidat Caiet. Sed nos tantummodò exponamus, qua ratione inter amicos sit mutua adhæsio, & amoris reciprocatio. Hoc explicauit eleganter in primis diuinus Plato; Amator, inquit, animus, in proprio corpore mortuus, in alieno corpore viuit, ac in se mortuus, in alio reuiuiscit. Vna verò duntaxat in amore mutuo mors est, reuiuiscentia duplex: moritur enim qui amat in seipso semel, cùm se negligit; reuiuiscit in amato, cùm statim amatus eum ardenti cogitatione complectitur. Reuiuiscit iterum, cùm in amato se recognoscit, & amatum se esse non dubitat. Felicem certè mortem, quam duæ vitæ sequuntur: mirum commertium, quo quis seipsum tradit pro alio, neque habet, neque habere se desinit: inæstimabile lucrum, quãdo duo ita vnum fiunt, vt quisque duorum, pro vno solo duo fiat,& tanquam geminatus, qui vnam habuerit vitam, vna interueniente morte, duas habeat. Scitè admodum,& sapienter à Themistio ficta est fabula, quòd tẽpore, quo Venus genuit Cupidinem, puer nimis gratiosus erat, & pulcher, suprà quàm dici, aut intelligi poterat, venustatemq; matris exuperabat, verùm semper erat statura pusillus. Mater verò desiderans vt in conuenientem exurgeret staturã, oraculum Apollinis petijt, & de remedio interrogans, huiusmodi habuit responsum; Potest quidem amor solus enasci: at crescere solus non potest,& ideò si vis vt crescat, necessum est vt Anterotem habeat, qui amore reciproco beneuolentiæ correspondeat, eritque conditio, & proprietas fratrum talis, vt alter alterum adiuuet,& crescant pariter: sicq; Venus peperit Anterotem, quo vix nato, continuò Cupido creuit. Quo significatur, quòd amor, vt crescat, debet esse mutuus, & reciprocus. Sed hãc mutuã adhęsionẽ inter amantem,& amatũ, perfectiùs multò exponũt diuinæ literę. In primis, Ioãnes ille dilectus sic scribit in prima Epist. ca. 4. Qui manet in charitate, in Deo manet,& Deus in eo. Nam animus

D. Tho.

Caieta.

Qua ratione inter amicos sit mutuus amor.

Plato.

Themistio.

1. Ioan. 4.

verè amator, desinit in se esse, de se cogitare, se curare, sibi prospicere, de amato cogitat, illum curat, amato prospicit, ad gloriam amati viuit; moritur vbi est, & viuit vbi non est; suus cogitatus, desiderium, suum cor in amato est. Verè ergo dicit Ioannes; Qui manet in charitate, in Deo est. Sed audi mutuam, & admirabilem adhæsionem, quam mens Angelica, ne dum humana, comprehendere minimè valet; Et Deus (inquit) in eo: Nam Deus de amico cogitat, atque si nihil aliud considerandum haberet. Itaque totus ipse, toto tempore, & ante tempus, quemlibet singularem amicum, simul, semperque considerat, ac si nihil aliud considerandum habeat, sicut si omniū oblitus sit, & cuilibet singulari soli intendere velit. Rursum, quemlibet amicum amat amore vnico & singulari: quapropter ita singulariter quemlibet curat, ac prospicit, ac si totius creaturæ, cœli, & terræ oblitus, tantum singularem quenquam amet, vt nihil ei sit curæ de

Hugo. alijs. Qua de causa venerabilis Hugo sic dicit; Nihil priuilegio singularis amoris tui, societas aliorum præscribit, quia sponsus tuus in omnibus diligit te, quos & quæ diligit propter te, ac per hoc, & singulariter, & vnicè di-

Augusti. ligit te, quia nihil diligit sine te. & D. Augusti. in libro conf. sic habet; Vnumquemque curat, tanquam si solum curet, & sic omnes, tanquam si vnum: cuius doni magnificentia ex alio manifestatur, quòd non ab æterno habitualiter nos amauerit, & de nobis cogitauerit, sed semper actuali amore, & perseueranti cogitatione, absque vlla momenti interpolatione super nos fertur, alioqui non esset Deus, neque actus purus, & haberet aliquid imperfectionis admixtum, amatque nos ab æterno, amore infinito, amore ex tota voluntate, & ex toto corde, omni conatu, & virtute sua: neque enim diuina simplicitas partitionem admittit. Sed & D. Pau. explicat eleganter,

Galat. 2. quomodo amatum sit in amante, ad Galat. 2. cùm inquit; Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus, id est, ego iam Christo confixus sum cruci, & mortuus, sed pro morte hac, vitā habeo: non enim iam viuo, sed viuit in me Christus; id est, actiones vitales meæ, intelligere, cogitare, amare, delectari, tristari, cupere, desiderare, iam non sunt meæ, iam non procedunt à me, sed ex spiritu Christi qui in me viuit, qui me regit, me pascit, me alit. Beatus qui tam bono, tamque diligenti pastori se custodiendū, pascendum, imo viuificandum

Philip. 1. tradiderit. Eiusdē sentētiæ est illud ad Phil. 1. Mihi viuere Christus est, & mori lucrum. Sed & in Canticis hanc mutuam adhæsionem, inter amantem, & amatum, explicat Spiritus sanctus duobus in locis. Nam cap. 2. inquit. Dile- Canti. 2.
ctus meus mihi, & ego illi. &. c. 7. Ego dilecto Canti. 7.
meo, & conuersio illius ad me: sensus est. Dilectus meus, est mihi totum quod amo, quod cupio, quod quæro, quod cogito. & rursum. Ego illi sum totum quod amat, quod cupit, quod quærit. Vel alio modo. Dilectus meus mihi, id est, tota eius vita, vniuersus cogitatus est propter me: & ego illi, id est, ad gloriā eius, & honorem viuam. Vel in alio sensu; Omne bonum quod in me est, & esse potest, seruit dilecto meo, totum ei debetur, totū ei dedico, siquidem omnia ab illo habeo; neque est cur amorem meum in alium constituā; sum enim illius tota, ac totus meus est ipse, & in eo quod me amat, vniuersum bonum meum consistit: hoc igitur plurimi facio, quòd me amat, quòd conuersio illius ad me, & conuersio mea ad illum. Vel vt sit sensus planissimus; Dilectus meus mihi, & ego illi, id est, meus dilectus, & meus amator, & ego vicissim dilecta sua, & eius dilectrix. Hanc etiā mutuam adhæsionē inter amantem, & amatū, agnosco in illis verbis Domini; Qui manducat meam carnem, in Ioan. 6.
me manet, & ego in illo.

ARTIC. TERTIVS.

¶ *Vtrùm ecstasis sit effectus amoris.*

SVMMA TEXTVS.

Concluſio. Oncluſio est affirmans. Pro cuius declaratione obseruandum est ex D. Tho. quòd ecstasim pati aliquis dicitur, cùm extra se ponitur: quod quidem cōtingit, & secundū vim apprehensiuam, & secūdum vim appetitiuam. Secūdum vim apprehensiuam aliquis dicitur extra se poni, quando ponitur extra cognitionem, sibi propriam; vel quia ad superiora sublimatur; sicuti homo dū eleuatur ad apprehendēda aliqua quæ sunt supra sensum, & rationē, dicitur ecstasim pati, in quā tū ponitur extra cōnaturalē apprehensionem rationis, & sensus; vel quia ad inferiora deprimitur, vt

Quid sit ecstasim pati & quot modis contingat.

cùm

cùm aliquis in furiâ, vel amẽtiam cadit, dicitur ecstasim passus. Cæterũ secũdũ appetitiuã partẽ dicitur aliquis ecstasim pati, quando appetitus alicuius, in alterum fertur, exiẽs quodammodo extra seipsum. Primã quidẽ ecstasim facit amor dispositiuè, in quãtũ scilicet facit de amato meditari, vt dictũ est. Intensa autem & vehemẽs meditatio vnius, abstrahit ab alijs: & secundam ecstasim amor directè efficit, simpliciter quidem amor amicitiæ: amor autem concupiscentiæ, non simpliciter, sed secũdum quid. Nam in amore concupiscentiæ, quodammodo fertur amans extra seipsum, in quantum scilicet non contẽtus gaudere de bono quod habet, quærit frui aliquo extra se: sed quia illud extrinsecum bonum quærit sibi habere, non exit simpliciter extra se, sed talis affectio in fine ad seipsum cõuertitur. Verùm in amore amicitiæ, affectus alicuius simpliciter exit extra se, quia vult amico bonum, & operatur, quasi gerẽs cau sam, & curam, atque prouidẽtiam ipsius propter amicum ipsum.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Ecstasis quid.

QVid nomen hoc ecstasis significet, in primis exponendum est; deinde ad rei explicationem deueniẽdum. Ecstasis, est affectus eorum, qui mente sunt emota; vt inquit Lactantius; quos Plinius mente commotos appellat lib. 23. c. 1. Ecstasis nomen variæ interpretationis esse scribit Epiphan. lib. 2. contra hæres. capit. 48. In primis, dicitur stupor, propter admirationis excellentiam; deinde dicitur insania, eò quòd à proposito, & libertate emoueat: significat etiam soporem grauem, qualem immisit Dominus in Adam. Nam dum dormit homo, transferuntur omnes sensus ad quietem conuersi. D. Augu. in Psal. 30. in principio sic inquit; Ecstasis, vocabulum Græcum est, Latinè dicitur excessus, qui fit duobus modis; vel pauore terrenorum; vel mente rapta ad superna, & inferiorum oblita. D. Hierony. in Epist. ad Suniam & Fratellam, ecstasim, transfert mentis excessum. Alij verò interpretantur pauorem. Sed iuxta Hebræos dicendum est, in stupore, & admiratione mea, vbi nos legimus in excessu meo. Sed iam ad rẽ ipsam explicandam proficiscamur. In primis quæritur; Vtrùm ecstasis pertineat ad vim cognoscitiuam, an potius ad vim appetitiuam; deinde explicãdum est, quomodo inter sese ecstasis, & raptus differant; Vltimò, vtrùm in Dei amore erga nos ecstasis inueniatur. ¶ Vt ergo prima quæstio explicetur, videbitur fortasis alicui, ecstasim præcipuè ad vim cognoscitiuam pertinere. Nam ecstasim pati, idem est quod extra se poni. At per intellectum, & mẽtem ponitur homo extrà seipsum, cùm fertur videlicet in aliquod obiectum, quod non est intellectui connaturale, & proportionatũ. ¶ Deinde, prophetæ, in prædicendis futuris, & in mysteriorum reuelatione, ecstasim patiebantur: eleuabantur enim eorum mentes ad abditissima arcana, & occultissima reuelationis mysteria: & prophetia ad intellectum pertinet; nam est occultarum rerum, & futurarũ reseratio. Vnde ecstasis ad mentem pertinere videtur. ¶ Tertiò, ecstasis, & raptus, nulla ratione videntur differre, si vtriusque natura rectè consideretur: sed raptus manifestè pertinet ad vim cognoscitiuam, vt apertè docet D. Thom. 2.2. q. 175. ergo: In oppositum est D. Tho. sententia in hoc arti. dicẽtis, ecstasim esse amoris effectum: sed effectus amoris in voluntate consistunt, sicuti ipse amor, à quo originem trahunt. Certè ecstasis, tam ad vim cognoscitiuam, quàm ad vim appetitiuã pertinere dignoscitur: amor enim facit, vt amans paulatim moriatur in se, viuat autem in ipso amato. Itaque moritur, vbi est, & viuit, vbi non est. Viuo ego, iam non ego, ait Apostolus, viuit autem in me Christus: desinit enim de se cogitare, se curare, sibi prospicere; de amato cogitat, amatum curat, amato prospicit: quæ omnia intellectus esse, non voluntatis, manifestum est. Sed hæc omnia, vt scribit D. Thom. pertinent ad amorem dispositiuè: amor enim vrget vt hæc fiant. Illa verò ecstasis ad volũtatẽ propriè, & directè pertinet, qua volũtas ardet, vritur, æstuat, sic adeò, vt in se deficiat, à se exeat cor, optet, desideret pro amico mori, apud ipsum cõmorari, & viuere, nullam

Lactant. Plinius.

Epiphan.

Auguſt.

Hiero.

Prima quæstio. Vtrùm ecstasis pertineat ad vim cognoscitiuam.

Prim. arg.

Secunduma

Tertium.

D. Tho.

Ecstasis ad vim appetitiuam & cognoscitiuã pertinet.

Paulus.

D. Tho.

nullam requiem in ſe habeat, in amato ſolùm conquieſcat. Has ecſtaſis differentias exponit
2. Corin. 5. D. Paul. 2. Corinth. 5. cùm inquit; Siue mente excedimus, Deo, ſiue ſobrij ſumus, vobis; charitas enim Chriſti vrget nos. In qua ſententia, duplex ecſtaſis commemoratur; tum voluntatis; tũ intellectus. Charitas ecſtaſim habet, & charitatis ecſtaſis, mẽtis exceſſum cauſat. Huius ſententiæ D. Pauli explicatio, hæc eſt. Si quid, inquit, ſublime hactenus ſum loquutus, (ecſtaſim enim ſiue inſaniam hoc vocat, ſicut in aliquo loco vocat inſipientiam) propter Deum hoc facio, cuius amore inſanio, qui nõ in me, ſed in Chriſto viuo: ſi verò modeſtum, & humile loquor, propter vos hoc facio, vt diſcatis humiliter, & abiectè de vobis ſentire. Vel alio modo. Inſanire quis nos exiſtimet, nihil mea rẽfert, ſobrij, an inſipientes, & inſani ab hominibus iudicemur, nihil intereſt: charitas enim vrget nos, iudicantes, & ſciẽtes, quoniam ſi Chriſtus pro omnibus mortuus eſt: ergo omnes mortui ſunt; & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, vt qui viuunt, iam non ſibi viuant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit. Quis, inquit Paul. nõ extra ſe exeat? quis non amore ardeat, inſaniatque hoc beneficium conſiderans? Chriſtus pro impijs mortuus eſt, vt impij vitam habeãt: ille vitam, animamque poſuit, propter illũ impij viuimus, quia pro nobis mortuus eſt; quomodo non ipſi viuimus propter quem vitam habemus? quomodo non illum deſideramus? quomodo non cupimus diſſolui, & cum illo eſſe? quomodo videtur vobis miraculum quod dixerim; audeo, & bonam voluntatem habeo peregrinari à corpore, & præſens eſſe ad Dominum? Præterea, ſi tanta re oſtenſa, ſi tãta redemptione oblata, ſi tam pretioſo ſanguine redemptus eſt mundus, quomodo non extra me exeam? quomodo non ardeam? quomodo nõ vrar? quomodo non exæſtuem amore ineffabili, inſania amatoria, deſiderans quòd tam copioſa redemptio, quòd tam grande pretium ad cunctos homines deriuetur? O quantum deſidero! ô quantum opto, inſanus licèt iudicer, pro mundo iſto mori, pro quo Dominus meus in cruce pependit. Veniat mors, veniat crux, veniat aculeus, veniat ſartago, veniat infernus; nihil timeo, omnia ſubibo diſcrimina pro amico Chriſto, qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me. Ex his patere arbitror ſatis, quemadmodum ecſtaſis, intellectus ſit, & voluntatis. ¶Sed & in alio ſenſu dicitur à quibuſdam, ecſtaſim eſſe effectũ amoris, qui non eſt indignus, vt à me commemoretur. Amor ecſtaſim facit, id eſt, inſaniam, & mentis exceſſum cauſat: vnde prouerbium eſt, Amare, & ſapere, vix à Deo conceditur. Hæc de prima dubitatione dixiſſe ſufficiat.

Secũda quæſtio. Quare differant raptus & ecſtaſis. D. Tho.

¶Vt ergo ſecunda dubitatio exponatur, intelligendum eſt ex D. Thom. 2. 2. q. 175. articu. 1. & 2. quòd raptus addit aliquid ſupra ecſtaſim: Nam ecſtaſis importat ſimpliciter exceſſum à ſeipſo, non per violentiam aliquam, ſed per quandam inclinationem, & propenſionẽ voluntatis, cui nulla vis inferri poteſt: at raptus, ſuper hoc addit violentiam quandam. Violentum autem dicitur, cuius principium eſt extrà, nihil conferente eo quod vim patitur, vt dicitur. 3. Ethico. & ideò oportet, quòd ille qui rapitur, ab aliquo exteriori rapiatur in aliquid, quod eſt diuerſum ab eo in quod eius inclinatio tendit. Quæ quidem diuerſitas attenditur dupliciter; vno quidem modo, quantum ad finem inclinationis, vt ſi lapis, qui naturaliter inclinatur in locum inferum, proijciatur in ſuperum. Alio modo, quantum ad modum tendendi, vt ſi lapis velociùs proijciatur quàm ſit eius motus naturalis. Sic igitur & anima hominis rapi dicitur in id quod eſt præter naturam; vno modo, quantum ad terminum raptus, putà, quando rapitur ad pœnas, ſecundum illud Pſal. Ne quando rapiat, & non ſit qui eripiat. Alio modo, quantum ad modum homini connaturalem, qui eſt, vt per ſenſibilia intelligat veritatem; & ideo quando abſtrahitur à ſenſibilium apprehenſione, dicitur rapi, etiamſi eleuetur ad ea, ad quæ naturaliter ordinatur; dum tamen hoc non fiat ex propria intentione, ſicut accidit in ſomno, qui eſt ſecundum naturam. ¶Huiuſmodi autem abſtractio, ad quæcunque fiat, poteſt ex quadruplici cauſa contingere: Vno modo, ex cauſa corporali, ſicut accidit in his, qui propter aliquam infirmitatem, alienationẽ patiuntur. Secundo modo, ex virtute dæmonum, ſicut patet in arreptitijs. Tertio modo, ex virtute diuina. Quartò modo, ex vehementia amoris, ſiue intentionis animæ: loquimur autem nunc de raptu, prout ſcilicet, aliquis ſpiritu diuino eleuatur ad aliqua ſupernaturalia, cum abſtractione à ſenſibus, ſecũdũ illud Ezec. 8. Spiritus eleuauit me inter cœlum, & terram, & adduxit me in Hieruſalem in viſione Dei. Sed præcipuè, & antonomaticè dicitur raptus, quando homo corporaliter eleuatur à terra, cuiuſmodi raptus & D. Paulo, & Diuo Thomæ contigiſſe certiſsimum eſt. Sed explicare, quomodo hic raptus fiat, difficillimum eſt; hoc tãtum ſcimus, quòd fit virtute diuina: Deus enim tanta virtute, & fortitudine animum ad ſeſe trahit, vt ſecum etiam corpus deferat,

Ariſto.

Abſtractio à ſenſibus quibus modis contingat:

Ezech. 8.

Raptus Pauli quomodo fuerit & D. Tho.

deferat, non aliter atque Sol è terra vapores colligit, & aquila fortis & magnarum alarum, animal aliquod secum trahit. Huic autem tractioni nullo modo anima resistere valet, quãquam raptus, & suauissimè, & dulcissimè fiat; manetque corpus veluti emortuum, calore destitutum: sicque eleuatus homo à terra, introducitur in cellam vinariam Domini, ibiq; ostenduntur illi secreta cœlestia, & ordinatur charitas; sic vt vilescat iam mundus omnis cum suis delectationibus. Sed hoc nullus explicare, vt par est, poterit, nisi qui rem ipsam expertus fuerit, & ideo huius rei expositionẽ Doctioribus relinquentes, ad tertiam dubitationem explicandam procedamus. Hanc sic explicat D. Dionys. c. 4. de diui. nom. vt dicat, quòd amore ecstatico Deus creaturas diligat, cuius verba sic habent. ¶ Audendum autem & hoc pro veritate dicere, quòd etiam ipse omnium causa, pulchro, & bono omniũ amore per abundantiam amatiuæ bonitatis extra seipsum fit, ad omnia existentia prouidentijs, & sicut bonitate, & dilectione, & amore trahitur, &c. In quibus verbis manifestè declarat, qua ratione ecstasis ad diuinũ amorem comparetur: ex eo enim quòd virtus diuina in varios effectus deriuatur, per creationem, & gubernationem, vel per suauem omnium rerum dispositionẽ, ideò ecstasis in Deo inuenitur, quia extra se fit per boni proprij communicationem. Sed non est ecstasis in diuino amore sic intelligenda, vt in Deo summa sapientia, sit aliqua mentis alienatio, neque aliqui effectus, sine præuia consideratione, dispositi, sed tantùm quòd se exerit diuina virtus, vt exteriùs se communicet, & res creatas amare velit. Non est præsentis instituti disserere, quem admodum in Dei amore, quo voluit fieri homo propter homines, ecstaticus amor præcipuè reperiatur; hoc enim explicatur à diuinis Theologis, cùm de mysterio incarnationis Dominicæ disputationem instituunt.

Tertia quæstio. Vtrũ in Dei amore erga nos, sit ecstasis. Dionys.

¶ His elucidatis, ferè omnia argumẽta in principio posita confutata sunt, nisi quòd in secũdo argumento quædam mouetur quæstio, quam explicare oportet; Vtrùm Prophetæ, in suis prædictionibus, & vaticinijs, ecstasim passi fuerint, saltem illam, quæ ad vim cognoscitiuam spectat? ¶ Pars affirmatiua suaderi videtur ex sanctis scripturis. Nam Dauid, eximius Propheta, ecstasim patiebatur, cùm dicebat in Psal. Ego dixi in excessu meo, omnis homo mendax. & illud. Ego dixi in excessu mentis meæ, proiectus sum à facie oculorum tuorũ. & iterum in alio Psal. 67. Beniamin adolescentulus in mentis excessu: hunc autem mentis excessum, ecstasim interpretatur D. Hiero. in loco superiùs citato. Deinde Prophetia sæpenumero facta est in somnijs, vt patet ex multis sacræ scripturæ locis, & ex omnium autorum sententia: at in somnijs maxima est mentis alienatio, quam ecstasis importat: nõ ergo est absurdum concedere, quòd Prophetæ in ecstasi vaticinia sua eloquebãtur. ¶ Oppositũ huius asserit D. Hieron. in Prolog. super Esai. contra Montanum hæreticum sic scribens. Non, vt Montanus somniauit, Prophetæ in ecstasi loquuti sunt, vt nescirẽt quid loquerẽtur, & cum alios erudirent, ipsi ignorarent quod dicerent; de quib. Apostolus ait. 1. ad Timoth. 1. Nescientes quæ loquebantur, nec de quibus affirmant; sed, iuxta Salomonem, sapiens intelligit quæ profert de ore suo, & in labijs suis portabit scientiam. Itaque ipsi Prophetæ sciebant, quid dicerent. Loquitur etiã de hac re D. Hiero. super Epist. ad Ephes. c. 3. & in Prolog. Abac. & quoniam longum esset nimis recensere ea quæ ad hoc propositum referuntur, videatur D. Tho. 2. 2. q. 173. articu. 3. Nos etenim in huius rei explicatione approbamus eam sententiam, quam habet D. August. lib. q. in Gene. q. 80. quòd cùm ecstasis fieri soleat in magnarum rerum reuelationibus, nemini dubium esse debet, quin Prophetæ ecstasim nonnunquam paterentur. Sed D. Hiero. negat Prophetas esse passos, sic vt omnino ne scirent quid loquerentur: nam hæc fuit Montani insania, de qua legendus est Euseb. lib. 5. histor. Eccles. c. 16. & 17. & D. Thom. in loco dudum citato. Hæc de isto articulo dixisse satis erat. ¶ Sed fortasis non abs re erit hîc commemorare effectus, qui in amantibus ex hac ecstasi oriri solent. Nam ex eo, quòd amans in perpetua est cogitatione de amato, & cura, auocatur calor à ventriculo, ad cerebrum, vnde sequitur cruditas, & sanguinis exhaustio, & in ore pallor, simul ac in totõ corpore anhelitus, item cõpressio, tum ex intentione vehemẽti animi suspiria, potissimùm verò ad aspectum, aut mentionẽ rei charæ, tanquam videatur spiritus, ceu graui onere, leuari: accedunt quoque non raro lachrymæ, quoniam ex calore illo capitis colliquescit humor à cerebro distillans per oculos: cantillant sæpè amantes ad refocillandum animum contentione imaginationis defessum: intentissimè, & inconuenienter expectant rem charam, neque aliò deflectunt oculos, vtique ne cogitationem: eadẽ de causa, modò feruent, modò frigent, nesciũt loco consistere, perpetua querimonia, laudationes importunæ, atque ineptæ. In amore, inquit Terentius, hæc omnia insunt, iniuriæ, suspi-

Argumentorum solutio.

Vtrùm Prophetæ ecstasim fuerint passi.

Pro parte affirmatiua arguitur. Dauid.

Hieronym.

Hieronym.

Soluitur quæstio.

1. Tim. 1.

Hieronym.

D. Tho.

Augustin.

Euseb.

D. Tho.

Ecstasis effectus.

Terentius.

ſuſpitiones, inimicitiæ, inducię, bellum, pax rurſum: & quæ à Plauto in Ciſtellaria deſcribuntur amoris actiones, & opera: Credo, inquit, ego primùm amorem apud homines carnificinam commentum. Iactor, crucior, agitor, ſtimulor, vertor in amoris rota miſer, & quæ ſequuntur. Sunt quibus vel perturbata, vel nimium intenta mens non ſinit longos ſermones facere, vnum, aut alterum verbum dicunt longis interuallis, vt, ô amores, vita, ſpes, ſuauitas, ô formam cœleſtem, ac diuinam. Mirabiles ſunt huius amatoriæ inſaniæ effectus, & inter ſe veluti contrarij. Homines grauiſsimi, ſi quid valde amant, ſeruiunt etiam indignis; & fortiſsimi timent, & impudentiſsimi reuerentur, & auari mittunt munera, & demittunt ſe ſuperbi: cupiunt enim quacunque ratione animum explere, & deſiderio ſatisfacere. Dominari vt poſsint (inquit Auſonius) ſeruire volunt: quales ſunt qui in Principum comitatibus miſerrimam patiuntur ſeruitutem, vt aliquando dominatum exerceant. Reges quoque ipſi exercitibus ſuis, hominibus inſolentiſsimis, & perditiſsimis, ſeruiunt, vt per illos latiùs poſsint regnare. Prętera, dum amor eſt in ſqualore illo ingenti, impellit ad grandiora opera edenda, & admiranda, quæ vires, ingenium, & facultatem excedunt; aggrediuntur res magni animi, pericula ſubeunt, atque ſuſtinent, profundunt patrimonia, nec pluris faciunt quàm ſtipulas; & ſi dederit homo vniuerſam ſubſtantiam pro charitate (ſicut eſt in Canticis Salomonis) hoc pro nihilo æſtimabit. Auget idem calor ingenium, excogitans rationes acutas, inueniunt conſilia, fundunt verſus, exiſtunt repentè facundi. Hæc, & omnia alia opera, efficit hęc inſania amatoria, de qua D. Tho. ediſſerit in hoc articulo.

Plautus. Auſonius.

ARTIC. QVARTVS.

¶ *Vtrùm zelus ſit effectus amoris.*

SVMMA TEXTVS.

Concluſio. Concluſio eſt affirmans quæ probatur in primis autoritate D. Dionyſ. dicentis cap. 4. de de diui. nom. quòd Deus appellatur Zelotes, propter multum amorem quem habet ad exiſtentia. Eadem veritas comprobatur euidenti ratione: Nam quantò virtus aliqua intenſiùs tendit ad aliquid, fortiùs repellit omne cõtrarium, & repugnans. Cum igitur amor ſit quidam motus in amatum, vt Auguſt. dicit lib. 83. q. q. 35. & 36. hinc fit, quòd intenſus amor, & feruens, quærat excludere omne quod ſibi repugnat, & aduerſatur. Sed aliter hoc contingit in amore concupiſcentiæ, aliter in amore amicitiæ. Nam in amore concupiſcentiæ, qui vehementer, & intenſè aliquid concupiſcit, mouetur contra id omne, quod repugnat & aduerſatur conſequutioni, vel fruitioni, vel etiam quieti eius quod amatur: & hoc modo dicuntur viri zelare vxores: Si eſt amor amicitiæ, præcipuè quærit bonum amici; vnde ſi vehemens eſt, & intenſus, facit hominem moueri contra omne illud quod repugnat, & aduerſatur bonis amici, & iuxta hoc dicitur aliquis zelare pro amico, vel pro Deo, quando ea quæ ſunt contra honorem, vel voluntatem Dei, repellere pro virili conatur.

Dionyſ. Auguſt. Zelus aliter eſt de amore amicitiæ aliter de amore concupiſcentiæ.

EXPLICATIO ARTICVLI.

ARticulus eſt perfacilis, & qui noſtræ explicationis non eſt indigus; oportet tamen explicare, quid ſit zelus, & vnde originem trahat, & quomodo à zelotypia differat, & vtrùm Deo noſtro competere poſsit. ¶ Zelus dupliciter ſumitur, vt hic ſcribit Caiet. cauſaliter, pro feruenti dilectione; & formaliter, pro triſtitia deficientium ſibi, vel amicis. ſic definit Ariſt. 2. Rhetori. c. 8. in hoc verò articulo ſumitur formaliter, & propriè; ad huiuſmodi namque triſtitiam ſpectat & zelus concupiſcentię, & amicitiæ: Ille enim triſtatur de defectu ſingularitatis, vel excellentiæ, vel fruitionis, aut quietis: iſte de defectu alicuius boni in amico; & vtriuſq; triſtitia, ex amore oppoſiti boni proficiſcitur,

Quid zel. Caiet. Ariſto.

ficiſcitur, & contra ingerentes huiuſmodi mala ſolicitat. Itaque zelus concupiſcentiæ, eſt triſtitia animi, ſiue metus, vt aliquis potiatur eo, quod ille ipſe concupierit. Zelus verò amicitiæ, eſt triſtitia animi, ſiue metus, ex eo, quòd aliquis bonum amici impediat, vel impugnet. Differtque inter zelum concupiſcentiæ, & amicitiæ: nam zelus concupiſcentiæ conatur repellere omne illud quod cõtrariatur, & impedit fruitionem, & plenam delectationem boni amati, in quantum eſt bonũ ſuum; & ſic viri dicuntur zelare vxores ſuas, vel alias fœminas. Sed zelus amicitiæ, quoniam præcipuè quærit bonum amici, adnititur repellere omne quod contrariatur bonis amici; nõ propter ſe, id eſt propter vtilitatem amantis, ſed propter bonum amici. ¶ Sed hic obſeruãdum eſt, quòd bonum, quod quis amat, geminum eſt; vnum eſt perfectum, quod poteſt à multis poſsideri ſimul, & ex amore eiuſdem boni, non cauſatur zelus inuidiæ, vel indignationis: nullus enim alteri inuidet cognitionem veritatis, vel viſionem lucis, quæ ſimul à multis cognoſci, & videri poſſunt: verumtamen de excellentia huiuſmodi cognitionis poteſt eſſe zelus, ex eo, quòd vnus præ alijs honoratur; ſed hoc iam pertinet ad bona imperfecta & temporalia. Aliud eſt bonum imperfectum, & deficiens, atq; exiguum quod ſimul à multis poſsideri non poteſt, & ex amore talis boni, quando eſt immodicus, & inordinatus, gignitur zelus, vt de honoribus, & delectationibus, ac cæteris id genus. ¶ Quomodo autẽ differat zelus, & zelotypia, vel ex ipſo nomine euidentiſsimum eſt: Nam zelotypia, vt nomen ipſum ſonat, zelus eſt, de forma: itaque eſt triſtitia ex eo, quòd quis potiatur forma aliqua, quam ille ipſe concupierit. Zelus verò nomen commune eſt, vt ſignificet triſtitiam, quæ cauſatur ex eo, quòd quis potiatur bono quod nos ipſi concupiſcimus. Et quidem zelo mouemur, tum pro Deo, tum pro amico, tum pro bono proprio. Et pro Deo quidem dicitur quis zelare, quando ea quæ ſunt contra honorem, vel voluntatem Dei repellere pro virili conatur; ſicut legitur de Helia. 3. Reg. 19. Zelo zelatus ſum pro Domino exercituum, quia dereliquerunt pactum Domini filij Iſrael. & Numer. 25. de Phinees dicit Dominus; Auertit Phinees iram meam à filijs Iſrael, quia zelo meo ſuccenſus virum Iſraelitam, & mulierem Madianitã interfecit, coëuntes ſimul. Ad idem pertinet illud; Zelus Domini exercituum comedit me. Pro amico autem zelare dicitur aliquis, quando ea quæ fiunt, vel dicuntur contra amicum, depellere, & auertere ſtudet. Zelus tertij generis oritur pro bono proprio, quo quis indignatur aduerſus eos, qui habent, vel quærunt habere conſortium in re amata: & iſte zelus eſt ſuſpitionibus plenus, & propriè zelotypia nuncupatur, de quo dicitur Num. 5. Si ſpiritus zelotypiæ concitauerit virum contra vxorem, &c. ¶ Sed iam ratio expoſtulat vt explicemus; Vtrùm zelus Deo competere poſsit? Et quidem ſi accipiatur zelus propriè, pro triſtitia, & ægritudine animi, quæ cauſatur ex eo, quòd quis potiatur illo, quod ipſe concupierit, euidentiſsimum eſt quòd in Deo non inueniatur; ſiquidem in Deo nulla eſt triſtitia, nulla animi ægritudo: ſi verò zelus accipiatur pro feruẽti amore, abſque dubio zelus proprijſsimè in Deo inuenitur, imo Dei proprium epithetum eſt, & appoſitum, dici Deus zelotes. Vnde Exod. 20. ait Dominus. Ego Deus zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem, & faciens miſericordiam in millia his qui diligunt me. Sed zelum hunc amoris diuini erga nos explicauit Dominus Cant. vlt. cùm dicit; Fortis eſt vt mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio, lampades eius lampades ignis atque flammarum; aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam. Si dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihilum deſpiciet eam. His verbis explicat elegantiſsimè ſanctam zelotypiam erga genus humanum, & ſponſam ſuam Eccleſiam. Quorum verborum ſenſus vt nobis innoteſcat, aduertendum eſt, ſponſum, vſque in hunc locum, non oſtendiſſe, neque verò manifeſtaſſe ſponſæ amorẽ, quo eam proſequebatur, quin potiùs inter nõnulla dilectionis, & ſuauitatis verba, quædã alia, non ita ſuauia proferebat, vt paulatim ipſa ſponſa amorem, quo à ſponſo diligebatur, aduerteret, & contemplaretur: poſtquam autem id iam ſponſæ animo manifeſtum agnouit, decreuit clariſsimis verbis, omnibus relegatis ambagibus, dilectionem ſuam pateſacere, vt ab incepto amore ſponſa non deſiſteret; qua de cauſa ante prædicta verba ſubiungit; Pone me vt ſignaculum ſupra cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum: quaſi diceret; Attẽ de iam, quæſo, quibus te dilectionis ſignis fuerim proſequutus; memento qua ratione te ipſam dilexerim; in cuius rei rationem id à te exopto, vt nunquam ab incepto amore retrocedas, ſed me ipſum in corde tuo deſcriptum habeas, in eo mei ſimilitudinem, ac imaginem geras, atque nullius alterius effigiem ibi repræſentari permittas: ita effigiem meam in corde tuo

Duplex bonum.

Quaratione differãt zelus & zelotypia.

3. Reg. 19.

Numer. 25.

Num. 5.

Vtrũ zelus Deo competat.

Exod. 20.

Cant vlt.

tuo vt scribas, ac depingas volo, quasi sigilli figuram ceræ liquefactæ hærere videmus: & sicut à sigillo in ceram vna tantùm prouenit imago, atque figura, quę scilicet in ipso sigillo sculpta, ac depicta est; ita in te mea tantùm effigies locum habeat, nullam admittas aliam, & meam ita in te hærere volo, vt potiùs cor tuum in diuersas partes diuisum sit, quàm ab eo mei similitudo separari possit, in eoq; alia imprimi, atque describi; pone me igitur vt signaculum super cor tuum. Neque hoc contẽtus, eodem amoris merito desidero, atque exopto, vt ponas me tanquam signaculum super brachium tuum; desidero siquidem vt non solùm cogitatione mihi semper adsis, sed etiam vt operibus exterioribus me ipsum quęras, ad me tẽdas: quod præstare poteris, si me tanquam signaculum super brachium tuum ponas, ac deferas. Quemadmodum qui literis, aut scriptis suis sigillo fidem facere consueuerunt, secum sigillum in manu deferunt, ne alij literas falsificare, aut immutare possint; ita à te peto vt me in operibus tuis, tanquam figuram, & effigiem, imprimas: & nè alius his se admiscere possit, in manu me, in signum, deferto, in manu inquam, quæ semper nobis adest, præstò conspectui repræsentatur: pone me ergo vt signaculũ super brachiũ tuũ. Neq; immeritò id me à te exigere intellige: amor namque tuus ita cordi meo impressus manet, ita animo meo inhæsit, vt nec mortem, quam nullum mortalium superare posse intelligis, eo fortiorem esse videam: imò me ipsum ea subiecit ratione, qua mors cunctos viuentes solet, in omnibus voluntatis suæ decretũ opere mandans, absque eo, quòd eius vis ab aliquo rescindatur: Fortis enim est vt mors dilectio. His vt adiungas vnicum erga me amorẽ volo, ac desidero: Dura est enim sicut infernus æmulatio. Amatoribus namque id commune est, vt molestissimè ferant amoris habere consortem. Qua de causa maiori lætitia erunt affecti, & magis pacato ferent animo, si eis dicatur, ecce sepulchrum vbi statim es sepeliendus; quàm si audiant, quam diligis, aliorum delectatur dilectione, atque amore. Hac igitur de causa me solum amato, sicuti etiam amor meus, quem erga te habeo, id ipsum meretur, & exposcit. Vt autem amoris sui magnitudinem exponeret, subdidit; lampades eius lampades ignis atque flammarum: ac si diceret; sunt carbones, non cuiusuis ignis, sed fortissimi, ignem nostrum longo superantis interuallo: ignis siquidem noster, aqua extingui tur; amoris autem ignis non superatur, sed omnes exuperat aquas, ac vincit: imo verò aquis aduenientibus magis ac magis accenditur. Aquæ siquidem multæ non potuerunt extinguere charitatem, neque flumina obruent illam. Adeò est amoris ignis fortis, vt nec etiam donis, aut muneribus flecti vlla ratione possit: non enim ad hæc inclinatur qui magnificus est, atque nobilissimus ignis: quapropter si dederit homo omnem substantiam suam pro dilectione, tanquam nihilum despiciet eam. Cum igitur amor, quo te prosequutus sum, ait sponsus, has habeat perfectiones, iustissimum existimo futurum, si æquo animo vicem reddas. Optimè ergo dictum est, zelũ, pro amore feruentissimo acceptum, in Deo inueniri.

ARTIC. QVINTVS.

¶Vtrùm amor sit passio læsiua amãtis.

SVMMA TEXTVS.

Prima cõ. PRima Cõclusio. Amor boni conuenientis, est perfectiuus, & vt ita dixerim, melioratiuus amantis: vnde homo maximè perficitur, & melioratur per amorem Dei. Probatur hæc Conclusio. Amor enim significat inclinationem, vel coaptationem appetitiuæ virtutis ad aliquod bonum, vt anteà dictum est: nihil autẽ ex eo, quod coaptatur ad aliquid quod est sibi conueniens, læditur, aut detrimentum habet, sed magis, si sit possibile, perficitur, & melioratur.

Secũda cõ. ¶Secunda Conclusio. Amor boni, quod non est conueniens amãti, est læsiuus, & deterioratiuus amantis: vnde maximè lędit ur homo per amorem peccati, secundũ illud Oseæ. 9. Facti sunt abomina biles sicut ea quæ dilexerunt. Hæc conclusio patet manifestè: Nam quod coaptatur ad aliquid, quod nõ est sibi conueniens, ex hoc ipso Oseæ. 9.

læditur,

læditur, & detrimentum habet. Itaque si sit sermo de amore, quãtum ad id quod in eo formale est, quantum scilicet ex parte appetitus, vtraque cõclusio superiùs posita, verum habet: si verò fiat sermo de eo quod est materiale in passione amoris, quod est immutatio aliqua corporalis, veluti dilatatio cordis, aut constrictio, accidit, quòd amor sit læsiuus, propter excessum immutationis, sicut accidit in sensu, & in omni actu virtutis animæ, qui exercetur per aliquam immutationem organi corporalis.

Tertia cõc. ¶ Tertia Conclusio quam habet D. Thom. in solut. 1. Amori tribui possunt quatuor effectus proximi, scilicet, liquefactio, fruitio, languor, & feruor: inter quę primum est liquefactio, quæ opponitur congelationi: ea enim quæ sunt cõgelata, in seipsis cõstricta sunt, vt non possint de facili subintrationem alterius pati. Ad amorem autem pertinet quòd appetitus coaptetur ad receptionem boni amati, prout amatum est in amante, sicut iam dictum est: vnde cordis congelatio, vel duritia, est dispositio maximè amori repugnãs: Sed liquefactio importat quandã cordis mollificationem, qua exhibet se cor habile vt amatum in ipsum subintret. Si ergo amatum fuerit præsens, & habitum, causatur delectatio, siue fruitio; si autẽ fuerit absens, consequuntur duæ passiones, scilicet tristitia de absentia, quæ significatur per languorem. Vnde Tullius in 3. Tusc. maximè tristitiam, ægritudinem nominat. Deinde etiam consequitur ex absentia amati, desiderium intensum de consequutione amati, quod significatur per feruorẽ. Hæc D. Tho.

Quatuor amoris effectus.

Liquefactio.

Delectatio

Languor.

Cicero.

Feruor.

EXPLICATIO ARTICVLI.

HAEC quæ hic ab autore dicuntur, facillima sunt, & euidenter explicata. Sed non erit ab re paucis explicare, quomodo languor sit effectus amoris; hoc enim & ad ædificationem morum erit necessarium, & ad intelligentiam articuli non inutile.

¶ Quòd languor sit effectus amoris, patet ex illo Cant. 2. Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. &. c. 5. Adiuro vos filiæ Hierusalem si inueneritis dilectum meum vt nuncietis ei, quia amore langueo. Hic effectus ex amore nascitur, vel ex eo, quod vulgò dici solet, & in prouerbium iam ore decantatum asseritur; Animã potiùs ac præcipuè esse vbi amat, quàm vbi animat. Quando ergo id quod diligitur, longiùs ab amante recedit, magisque ab eo elongatur, amãs, desiderio, mente, ac cogitatione rem prosequitur dilectam, & ideò minus corpori suo communicat: quin potiùs amatum prosequendo, à corpore suo elongatur, atque ita ipsum corpus vel derelinquit, vel saltem ita languidum, ac infirmum reddit, vt id sensibilibus, ac perspicuis appareat signis. Id enim ostendit faciei pallor, cordis subiti motus, & alia quæ ab hac alienatione procedunt. Hinc prouenit illud, quòd amãtes de re amata conquerentes, dicere solent, quod & apud Poetas vsitatum est, cùm rem amatam, animam suam vocant, ac profitentur cor suum à se substractum, libertate sua esse destitutos, viscera deprædata: quod non hyperbolicè dictum existimes, sed verè ita accidit ad modum à me superiùs explicatum. Ex quo consequens est, propriam huius animi deliquij, & infirmitatis, atque languoris medicinam esse, præsentia rei amatæ frui: hæc sola potest tanto malo mederi. Sed iam operæpretium erit verba sponsæ superiùs posita breui exponere. Fulcite, inquit, me floribus. Hebræi legunt, fulcite me vinis: sed quo ad sensum, nihil refert; nam odores, & vinum, reuocant deliquium animi: vnde per metaphoram dicit, fulcite. Si legatur, fulcite me vinis, siue vasis, fortè alludit ad vinum illud, quod gustauit in conclaui

Quomodo languor sit amoris effectus.

Cant. 2.

Cantic. 5.

Cant. 2.

conclaui ſui ſponſi. Stipate me malis, id eſt, roborate me malis, quia amore langueo: hic languor, propriè corporis non eſt, ſed animi grauis afflictio, & hinc ſequitur corporis infirmitas, & defectio: & quòd huius languoris remedium præſentaneum ſit, præſentia rei amatæ, explicat Sponſa cum ſubiungit, Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Hoc, inquit, eſt mei languoris remedium, hoc antidotum efficax, ſi dilectum meum coram me habeam, ſi ſigna dilectionis oſtendat, ſi mihi ex animo condoleat; ab eo ſalutem, & vitam expecto, ſi veniret, ô ſi me ſuis brachijs amplecteretur. Neque Sponſus, videns Sponſæ ſuæ animi deliquium, diu diſtulit remedium, continuò adfuit, & brachijs eſt illam amplexatus; quod cùm feciſſet, Sponſa inter amplexus ſuauiter obdormiuit: at Sponſus, ne quis illam à ſomno excitaret, his verbis admonuit. Adiuro vos filiæ Hieruſalé per capreas, ceruoſque camporum, ne ſuſcitetis, neq; euigilare faciatis dilectam, quòad vſque ipſa velit. Adiuro vos, inquit, per capreas: eſt venatorium iuramentum: ne ſuſcitetis dilectam, id eſt, amores meos, delitias meas. Hæc de iſto articulo dixiſſe ſatis eſt, ad alium articulum accedamus.

ARTIC. SEXTVS.

¶ Vtrùm amor ſit cauſa omnium quæ amans agit?

SVMMA TEXTVS.

Concluſio. Concluſio affirmat, quã probat D. Th. in primis ex autoritate D. Diony. Dionyſ. qui capit. 4. de diui. nomi. ſcribit, quòd propter amorem boni omnia agunt, quæcunq; agunt. Deinde ſic probat: Nam omnis agens, agit propter finem aliquem, vt antè dictum eſt: finis autem eſt bonum deſideratum, & amatũ vnicuique; vnde manifeſtũ eſt, quòd omne agens, quodcũque agit, ex amore agit.

EXPLICATIO ARTICVLI.

IN hoc articulo explicãdum erat, quemadmodum omnis motus, & affectus animi noſtri ex amore gignatur, & in amorem tendat, niſi prolixè ſatis ſuperiùs eſſet à nobis explicatum. Ex qua doctrina ſequitur (quod nonnunquam docent & diuinæ literæ, & ſancti Patres) quòd ordinato, & benè conſtituto animi amore, omnes cæteri animi noſtri affectus morigerati ſunt, & ex ordine conſtituti; verùm ſi hic affectus animi noſtri non ſit rectè compoſitus, omnia noſtra tam interiora, quàm exteriora, perturbata ſunt, atque confuſa. De huius amoris inordinati remedijs, pauca documenta, ex multis, quæ apud autores inueni, proponam. ¶ In primis minuitur amor, inter initia, haud magno negotio: ideo amorum magiſter principijs monet abſtinere; & in Tragœdia; Quiſquis primò obſtitit, depulitque amorẽ, tutus, ac victor fuit. Deinde, ſicut crebra cogitatione augetur amor; ſic ſi aliò conuertas cogitationem, minuitur, & tandem deteritur. Remedia ad immoderatum amorem minuendum.

Otia ſi tollas (inquit ille) *periêre Cupidinis arcus.* Amatori, cuius præ amore mens ferè emota eſt, opus eſt vt paulatim animus, tanquam ex peregrinatione, domum reuocetur, per muſicen, per conuiuia, per epulas, per vinum ferè vſque ad ebrietatem, vt non immeritò dixerint veteres; Sacra Liberi pertinere ad animi purgationem; per omne genus luſionum, & exhilarationis. Conducit etiam aperire venã, quò prior ſanguis effluat, & nouus ſuccedat, vnde & noui ſpiritus oriantur. Conducit etiã maximè rem amatam nunquam videre, de ea nunquam proloqui, & omnino ab ea fugere: adiuuat etiam, & potiſsimùm, Deum precari. Hæc de amore, quæ potuimus; cuius vires vt ſunt magnæ, & incredibiles, ita & nobis inextricabiles. Amore ſumus conditi, amore perficimur, amore beamur, maxima ſunt amoris, profundiſsima, reconditiſsima, & incomprehenſibilia myſteria: Sint tamẽ à nobis hæc in præſentia explicata.

QVAESTIO XXIX.

De odio, hæc quæſtio habet articulos ſex.

ARTIC. PRIMVS.

¶ Vtrùm cauſa, & obiectum odij, ſit malum?

SVMMA TEXTVS.

Concluſio. Concluſio eſt affirmatiua quæ probatur in argumẽto, Sed contra, optima ratione.

tione. Nam odium, amori oppositum est, atque contrarium: sed obiectum amoris est bonum: ergo obiectum odij, malum est. Exponit D. Tho. hanc rationem in corpore: sicut enim amor est consonantia quædam appetitus, in id, quod vt conueniens, atque cõsentaneum apprehenditur; ita odiũ est quædam ipsius appetitus dissonantia, erga id, quod vt malum, & nocuum concipitur. Quapropter sicut omne quod conueniens iudicatur, boni rationem habere dicitur; ita etiam quod dissonum, & nocuũ videtur, rationẽ habet mali: & propterea sicut bonũ, amoris obiectum cõstituitur, ita malum, ipsius odij nũcupatur obiectum.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ Vtrùm odium ex amore causetur.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Conclusio est affirmans, cuius rationem breuissimam D. Tho. assignat. Nihil etenim odio habetur, nisi ex eo quòd contrarium iudicatur rei amatę: ergo odium ex amore, quẽ ad rem aliquam habemus, oritur. Augusti. Qua de causa dixit D. Aug. 14. de ciui. omnes animæ affectiones ex amore, tanquam ex causa, originem habere.

ARTIC. TERTIVS.

¶ Vtrùm odium sit fortius amore?

SVMMA TEXTVS.

Prima con. Prima Cõclusio. Odiũ non potest esse fortius amore. Probatur. Nullus effectus fortior est sua causa efficiente: sed amor est causa odij, vt dictũ est: ergo odiũ non potest esse fortius amore.

¶ Secunda Conclusio. Simpliciter loquendo, amor fortior est odio. Probatur: quoniam fortiùs mouetur aliquid in finem ipsum, quàm in id quod est circa finẽ: sed amor est motus in ipsum finem; & bonum; & odium, quod est recessus à malo, ordinatur ad consequutionem finis: ergo simpliciter loquẽdo, amor odio fortior est. Confirmat hanc concl. D. Tho. in argumento, sed contra. Nam bonum, fortius est malo, quippè cùm malum non agat, nisi in virtute boni, vt docet D. Diony. c. 4. de diui. nom. Sed odium, & amor differunt secundũ boni, & mali differẽtiam: ergo amor fortior est odio. Dionys.

¶ Tertia Conclusio. Aliquando fortius videtur odium ipso amore: primò quidem, quia odium est magis sensibile, quàm amor, cùm perceptio sensus sit in quadam immutatione; & quãdo aliquid immutatum est, non ita sentitur, sicuti quando immutatur; & ideò repugnantia eius quod odio habetur, magis est sensibilis, quàm conuenientia eius quod amatur, vt patet in febre hectica, cuius calor, quamuis maior sit calore tertianæ, non tamẽ ita sentitur, quoniã calor hecticæ versus est in habitũ, & quasi in naturam. Deinde, quia non comparatur odium ad amorem sibi correspondentem: nam secũdum bonorum diuersitatem, est diuersitas amorum, in magnitudine,

tudine, & paruitate, quibus odia oppoſita proportionantur: vnde odium, quod maiori amori correſpondet, magis mouet quàm minor amor.

ARTIC. QVARTVS.

¶ An aliquis poſsit odio habere ſeipſum.

SVMMA TEXTVS.

Prima con. ¶ PRima Concluſio. Impoſsibile eſt vt aliquis per ſe loquendo, odio ſeipſum proſequatur. Probatur. Vnuſquiſque enim appetit id, quod ſibi bonum iudicat, adeò vt nihil niſi ſub ratione boni Dionyſ. poſsit appetere, vt docet D. Dionyſ. c. 4. de diui. nom. Ergo vnuſquiſque amat ſeipſum, & ex conſequenti nõ poteſt ſeipſum odire.

Secũda cõ. ¶ Secunda Concluſio. Per accidẽs poteſt ſeipſum aliquis odio habere: primò quidem, quia per accidens poteſt aliquis ſibi malũ velle, atque deſiderare, ex eo quòd illud, quod reuera malum eſt ſibi, tanquam bonũ ſibi appetit: Deinde verò, quoniam hominum aliqui amant id quod non ſunt, & odio proſequuntur id quod ſunt: homo enim prẽcipuè eſt mens, & anima, ea ratione, qua id quod prẽcipuũ eſt in aliqua re, dicitur ipſa res, ſicut ciuitas dicitur rex, quia eſt in ea præcipua pars: præcipua autem hominis pars, eſt mens, & anima. Aliqui verò exiſtimant ſe eſſe illud, quod ſunt ſecũdum corpoream, & ſenſibilem naturam, & ſecundum hanc rationẽ amant ſeipſos, & ſecundum aliam, iuxta quam eſſe dicuntur, ſeipſos odio habent, dum volunt contraria rationi: & vtroque modo, ille qui diligit iniquitatem, odit non ſolùm animam ſuam, ſed etiam ſeipſum.

ARTIC. QVINTVS.

¶ Vtrùm aliquis poſsit odio habere veritatem.

SVMMA TEXTVS.

Prima con. ¶ PRima Concluſio. Bonũ, cum ipſum omnia appetant, non poteſt odio haberi, neque in vniuerſali, neque in particulari. Vnde ſi quiſpiam odio habeat bonum aliquod in particulari, ex eo prouenit, quia habet aliquod malum admixtum.

Secũda cõ. ¶ Secunda Concluſio. Neq; ens, neque verum poteſt odio haberi in vniuerſali: quia diſſonantia, eſt cauſa odij; conſonantia verò, eſt cauſa amoris: in ente verò, & in vero in vniuerſali, omnes conuenimus.

Tertia cõs. ¶ Tertia Concluſio. Nihil prohibet in particulari quoddam ens, & quoddam verum odio haberi: nam contingit, quoddam ens, & quodam verum tripliciter voluntati repugnare, vel contrariari bono amato: vno modo, prout eſt originaliter in ipſis rebus, & ſic homo odit aliquam veritatem, dum vellet non eſſe verum, quod eſt verum: alio modo, prout veritas eſt in cognitione ipſius hominis, quæ impedit ipſum à conſequutione amati, videlicet ſi velit non cogno-

cognoscere fidei veritatem, vt liberiùs peccaret: tertio modo, odio habetur veritas particularis, in quãtum est in intellectu alterius, putà, cùm aliquis vult iacere in peccato, & odit quòd aliquis veritatem circa peccatum suum cognoscat, & ipsum redarguat, vt scribit D. Augustus. Augustus.

ARTIC. SEXTVS.

¶ Vtrùm vniuersale possit odio haberi?

SVMMA TEXTVS.

Prima con. PRima Conclusio. Si sit sermo de odio, quod est appetitus sensitiui, tunc dicendũ est, quòd si vniuersale capitur pro eo, quod abstractum à conditionibus indiuiduãtibus, & separatum sit à materia indiuiduali, in quod nulla potentia partis sensitiuæ potest, odiũ appetitus sensitiui, nõ potest esse ad aliquod vniuersale.

Secunda. ¶ Secunda Conclusio. Si accipiatur vniuersale pro eo, cui potest accidere abstractio vniuersalitatis, sicut dicitur de colore, quòd secundum genus est obiectum visus, nõ vt hic color; sic odium sensitiuæ partis potest respicere aliquid in vniuersali, siue vniuersaliter; quia ex natura communi aliquid aduersatur animanti, & non solùm ex eo quòd est quædam natura particularis, sicut oui lupus, vnde semper eum fugit; & furem, & calumniatorẽ odit vnusquisq;, secundum Arist. 2. rhetor. Sed ira semper causatur ex aliquo actu particulari, lædente, & iniuriante; Aristo.

& sic semper respicit aliquod obiectum particulare.

¶ Tertia Conclusio. Si sermo sit de odio partis intellectiuæ, potest esse vtroque modo respectu vniuersalis: nam intellectiua pars, vniuersalium comprehẽsionem consequitur. Tertia cõ.

EXPLICATIO ARTICVLORVM.

VT ea quæ hîc ab autore dicuntur, meliùs intelligantur, paucis explicandum, quid sit odium, & quomodo diuidatur, & in quę sese possit extendere, tandem in quibus possit inueniri; anne Deus propriè aliquem odio habeat. Vt igitur à definitione exordiamur, odium varie definitur; Odium (inquit D. Tho.) est dissonantia quædam appetitus, ad id, quod apprehenditur vt repugnãs, & nociuum: sic ouis odit lupum, quatenus apprehẽdit eum vt suæ naturæ repugnantem, & nociuum. Sicuti autem omne conueniens, in quantum huiusmodi habet rationem boni; ita omne repugnans, in quantum huiusmodi habet rationem mali; & ideo, sicut bonum est obiectum amoris, sic malum est obiectum odij. In huius definitionis explicationem scribit Caieta. quòd obiectum, & causa odij, non est malum simpliciter, sed malum huic, quod est quoddam ens, quod non est malum huic, in quantum ens, sed in quantum tale ens, quia sic repugnat; percutiens enim me, quoddam ens est, repugnans mihi; non in quantum ens, sed solùm in quantum tale, scilicet offendens me; sicut aqua est mala igni, in quantum cõtraria igni, non in quantum ens. ¶ Illud etiam obseruandum est, autore Caiet. quòd in rebus, quæ cognitione carent, & habẽt tantummodò appetitum naturalem, vt lapis, & elementa, eodem actu numero discedunt à loco sibi disconuenienti, & accedunt ad locum sibi consentaneum; lapis enim eodem motu deserit locum superum, & accedit ad locum inferum: itaque in his rebus eadem est consonantia ad bonum, & dissonantia ad malum. At res quæ cognitionem habent, & sequuntur apprehensionem potentiæ cognoscitiuæ, alio actu amant id, quod sibi conueniens existimant, alio actu odio habent, quod sibi nociuum esse arbitrantur, sicut copiosè dictum est, cùm actum est de passionibus in vniuersali, & in communi. Alij verò Doctores sic (& id quidem explicatiùs) definiunt odium; Odium est offensio Quid odiũ sit. D. Tho. Caiet. Quid sit obiectum odij. Caiet. Alia definitio odij.

animi ex malo apprehenſo: eſt porrò malum, quod nos offendit, quicquid eſt aduerſum nobis, ac inconueniens, & congruentiæ noſtræ inimicum; quemadmodum offendimur, cùm deforme aliquid intuemur, vel abſurdos ſonos audimus. Congruentia autem hęc, vel eſt in corpore, vel in animo. In corpore congruentia, eſt harmonia illa, & congrua compoſitio, qua rectè valemus; quæ cùm aduerſo motu attingitur, offendimur, vt plaga, vulnere, fame, ſiti, & eiuſmodi. In animo verò congruentia eſt, primùm in ſenſibus: habẽt enim ſinguli ſenſuum, cum certis rebus conuenientiam, à quarum contrarijs, & repugnantibus offenduntur, & ſic ea auerſantur, & odio habent. Eſt altera congruentia in interioribus ſenſibus, veluti in imaginatione, atque æſtimatiua: vnde in ſomnijs & delectationes verſantur, & terrores, quos, vt res à natura noſtra alienas, refugimus, & auerſamur. Eſt item congruentia in ratione, & hæc duplex: altera, circa veritatem, & id quod ſolùm ſcitur; altera, circa id quod agitur, quod verſatur in adminiſtratione, & vſu prudentię. Mendaciũ omnes odio habemus, & eo offendimur, alioqui autem delectat compoſitio, & artificium in mentiendo. Circa vitæ actiones, in quibus prudentia potiſsimè locum habet, & imperium, tanta eſt diuerſitas in iudicando, vt ſit incredibile dictu, quàm variè exiſtant ex eo offenſiones, vt vix duos reperias, quibus idem placeat. Quarta proportio, & conſonantia, eſt voluntas, de eo quod iudicatum eſt cuique bonum: ex quo ſequitur offenſio, & odium in contrarium, tanquam damnoſum, & repugnans noſtro bono. Odium autem, & offenſio voluntatis eò eſt grauior, quò interiùs penetrat: præcipua enim pars cuiuſcunque eſt, quod eſt in ea intimum; voluntas autem, & cor, in nobis intimum eſt: vnde grauiſsimæ omnium offenſiones ſunt in voluntate, minùs graues in ratione, tum in ſenſibus, poſtremò in ſenſu corporeo: vnde etiam eſt, quòd neque offendimur ijs quæ lædunt corpus, ſi voluntas non auerſetur. ¶ In ſenſatione eſt offenſio, vel odium: quod enim non ſentitur, neque offendit, neque diſſonat; vt homo muſcis offenditur, non elephantus, qui eas non ſentit. Ex his patere ſatis arbitror, quid ſit odiũ, ſiue offenſio animi noſtri. De varietate autem iſtarum offenſionum dicemus diligenter in ſequentibus. ¶ Nunc oſtendendum eſt, quemadmodum odium diſtribuatur, & in varias ſpecies diſcindatur. Pro quo ſciẽdum eſt ex Domino Caiet. quòd quemadmodum amor diuiditur in amorem amicitiæ, & concupiſcentiæ; ita odium, in odium oppoſitum amori concupiſcentiæ, quod nomen proprium non habet, & vocatur hîc à Domino Caie. odium abominationis; & in odium inimicitiæ. Et ſicut amare, eſt velle bonum alicui, ex quo duo in ſe includit, bonum quod amatur, & amicum cui benè volumus: ſic ſanè in odio duo includuntur; malum, quod abominamur, vel auerſamur, & perſona, cui illud malum cupimus, vel à qua illud malum abeſſe deſideramus. Odiũ igitur, quod opponitur amori concupiſcentiæ, eſt offenſio animi, vel diſſonantia ad id quod apprehendimus vt repugnans, & nociuum; & ſic odio habemus flagella, vulnera, famem, ſitim: & de hoc odio potiſsimè loquitur D. Thom. in præſenti quæſtione, quòd eſt paſsio animi, contraria amori; dataque eſt homini hæc animi offenſio, ſiue odium, vt ad primum veluti mali guſtum, & apprehenſionem, ſtatim reſiliat, & nõ progrediatur vltrà, ne in perniciem ſuam, & exitium pergat. Odium verò inimicitiæ, eſt diſſonantia ad id quod apprehendimus vt malum, & nociuum: ſed id quod apprehendimus vt malum, & nociuum, inimico volumus, qui maximè nobis diſſonat, & quem maximè auerſamur. Itaque differt inter odium concupiſcentiæ, quod vocatur offenſionis, ſiue abominationis, & inter odium inimicitiæ; quòd in odio offenſionis auerſamur, fugimus, nolumus malum quod exiſtimamus nobis nociuum, aut repugnans: in odio inimicitiæ, volumus malum, & nociuum inimico, quem maximè auerſamur, deteſtamur, fugimus. Quæ ſi rectè intelligantur, perſpicietur facilè, quomodo odium ſemper in diſſonantia, & offenſione conſiſtat. Sed nunc (vt ego iudico) non diſputat S. Tho. ex profeſſo de odio inimicitiæ, ſed de odio offenſionis, ſiue abominationis. Offenſiones verò cuique peculiares, in infinitum variæ ſunt: alij ferræ ſtridorem ferre non poſſunt, alij grũnitum ſuis, alij morderi linteum, alij frangi prunam ardẽtem forcipe; ſunt quos offendit geſtus ad certum modum compoſitus, ſeſsio, inceſſus, motio manus, locutio; ſunt quos ruga alienæ veſtis: quis valeat explicare faſtidia, & odia huius animãtis? nec ipſe tolerabilis eſt cuiquam, nec poteſt alia tolerare. ¶ His explicatis, proficiſcamur vt explicemus, quæ ſunt illa, quæ odium, aut faſtidium generare non poſsint, quibus nunquam homines offenduntur? Pauciſsima ſunt illa, & quæ paucis enumerari poſſunt. In primis, nemo poteſt odio habere ſeipſum, per ſe loquendo: naturaliter enim vnũquodq; appetit bonum, neque poteſt aliquid ſibi appetere, niſi ſub ratione

Prima congruẽtia animi quomodo ſit in ſenſibus.

Secunda cõgruentia in ſenſibus interioribus.

Tertia congruẽtia in ratione.

Quarta cõſonãtia eſt voluntas.

Odij diuiſiones.

Caiet.

Odiũ offenſionis.

Odium inimicitiæ.

D. Tho.

Quæ ſint illa, quæ odio haberi nõ poſſunt.

ratione boni: nam malum est præter voluntatem, vt Diony. dicit capitulo quarto. de diui. nomi. Amare autem aliquem, est velle ei bonum, vnde necesse est quòd aliquis amet seipsum, & impossibile est quòd aliquis odiat seipsum, per se loquēdo. Vnde est quod Apostolus dixit ad Ephes. 5. Nemo carnem suam odio habuit. Deinde, nemo potest odio habere bonum sub ratione boni; quia bonum est quod omnia appetunt: & ideo quod appetitur, sub ratione boni appetitur. Ex quo liquidò concluditur, quòd bonum, secundū rationem boni, nō potest odio haberi, neq; in vniuersali, neque in particulari. ¶ Quod vt intelligatur apertè, obseruandum est, quòd aliud est odio haberi, aliud non amari: quodcūq; enim bonum possum non amare; at bonum sub ratione boni, non potest odio haberi: non enim habet dissonantiam, aut repugnantiam propter quam odio habeatur. Item obseruare oportet, quòd aliud est per se, aliud est per accidens: nullum enim bonum, quantumcunq; bonum, vel minutissimum, sub ratione suę bonitatis repræsentatum, odio habetur, per se loquendo; quia odium in malum respicit: ex quo sequitur, quòd odio contrariatur vniuersa boni latitudo. Per accidens verò potest particulare bonum odio haberi, per adiunctam aliquam imperfectionem, aut malitiam, quam secum affert, vt quotidie experimur. In vniuersali verò, odio haberi bonum impossibile est; quia quilibet odiens, aliquid amat, ac per hoc non omne bonum odit. ¶ Sed & aliud est in rerum vniuersitate, quod nemo hominum odio habere potest, neque auersari, nempè ens, & verum in vniuersali: cùm enim dissonantia, sit causa odij, & conuenientia, causa amoris, ens autem & verum in communi, omnibus conueniant, & consentiant, inde est quòd vniuersi homines amant veritatem lucentem, & etiam mendaces homines nollent quòd alij sibi mentirentur, quamuis quidam homines odio habeant veritatem redarguentem, vt optimè dicit Augustinus. 10. conf. capit. 23. Tandem, vt finiamus, nemo potest odio habere beatitudinem in vniuersali, & in communi: omnes enim beati esse volumus & miseri esse nolumus, testante D. Augustino. 13. de Trinitate capit. 3. & in alijs locis, minimè paucis. quod quemadmodum verum sit, superiùs satis prolixè explicatum dedimus. ¶ Sed hic duæ quæstiones sunt explicandæ; Prior est; Num Deus odio haberi possit: Posterior; Num ipsum esse odio haberi queat: sic adeò, vt damnati velint non esse, & meliùs sit illis non esse, quàm sic esse. ¶ Quæritur itaque, vtrùm odio habeant, & abominentur ipsum esse. Vt prima Quæstio explicetur, sciendum est, quòd ea habet varias sententias inter Patres; & à parte affirmante sic arguitur ex diuinis literis. Nam Psal. 73. scribitur, Et gloriati sunt qui oderunt te in medio solemnitatis tuæ. & in Psal. 138. Nonne qui oderunt te, Domine, oderam? & illud quod præcipuè confirmat nostram sententiam Psal. 73. Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper. In huius rei confirmationem D. Augustinus libro. 1. retract. capit. 19. ita loquitur; Quod dixi (scilicet. li. 2. de sermone Domini in monte.) Nullius enim ferè conscię tia Deum potest odisse. Video non fuisse dicendum; multi enim sunt de quibus scriptum est; Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper. & explicando in Ioannem hæc Christi verba; Qui me odit, & patrem meum odit; ostendit, damnatos, propter æterna supplicia quibus plectuntur, odire Deum, quem arbitrantur esse iniustum. ¶ Neque desunt rationes ad hanc sententiam comprobandam: Potest enim intellectus damnati errans, apprehendere, Deum sibi esse nocentissimum & iniustissimum, quòd pro vno peccato mortali, æternam infligat pœnam, à qua liberaretur, si non esset; & erroneè credit possibile Deum non esse; cuius iudicio voluntas consentit, nolens Deum subsistere: hoc autem est odium Dei. ¶ Adde, qtiòd potest damnatus vindictam appetere, volens malè esse Deo, quod pariter est odium Dei. Sed efficacioribus argumentis hoc ipsum ostendit Caieta. 2.2. quæstione. 34. articu. 1. ¶ Nam potest homo velle ex iniqua voluntate quòd Deus non sit, quamuis cognoscat id esse impossibile: voluntas enim peruersa, est etiam impossibilium: inquit enim peccator, quamuis sciam hoc non posse esse, tamen ego vellem, & exopto quòd sic esset. Nec obstat quòd hæc voluntas impossibilium, sit velleitas, & non efficax voluntas: nam hæc velleitas, & voluntas optatiua, maximum peccatum est, & testificatur quàm mala voluntas esset efficaciter, si posset, vt patet in damnatis. ¶ Deinde, odium Dei opponitur, & aduersatur charitati, vt de se patet: constat autem opposita versari circa idem: constat rursum, charitatem amare Deū propter seipsum: est enim amor amicitiæ: ergo odium, tali amori oppositum, est velle malum Deo propter seipsum, & in seipso, & propterea est maximum peccatorum, sicut charitas est maxima virtutum. ¶ In contrariū pugnant hæc argumenta quæ sequuntur. In primis, D. Dionys. capitulo. 4. de diui. nomi. dicit, quòd omnibus, amabile, & diligibile, est primum

Dionys. Ephe. 5. Aliud est odio haberi, aliud nō amari. Bonum sub ratione boni non potest odio haberi. Augustin. Augustin. Prima quæstio. Num Deus possit odio haberi. Prim. arg. Psal 73. Psal. 138. Psal 73. Confirmatur. Augustin. Secūdò arguitur ratione. Tertium. Caieta. Quartum. Quintum. Dionys.

primum bonum, & pulchrum: Sed Deus eſt ipſa bonitas, & pulchritudo: ergo à nemine odio habetur. Deinde in Apochriphis Eſdræ dicitur, quòd omnia inuocant veritatem, & diligunt illam: ſed Deus eſt ipſa veritas, vt dicitur Ioan. 14. ergo omnes diligunt Deum, & à nemine odio habetur. Præterea, odium eſt auerſio quædam: ſed (ſicut D. Diony. dicit. 1. cap. de diui. nomi.) Deus omnia ad ſeipſum conuertit: ergo nullus eum odio habere poteſt. ¶ Huius quæſtionis difficultatem ſic explicat D. Thom. vt dicat, Deum, ſecundum ſui eſſentiam ab homine apprehenſum, non poſſe odiri; quia Deus per ſuam eſſentiam eſt ipſa bonitas, quã nullus poteſt inſectari odio, quandoquidem ratio boni efflagitat vt ametur, & ideò impoſsibile eſt, vt qui Deum vident per eſſentiam, eum odio habeãt. ¶ Idem confirmatur: Nam in Deo nulla eſt imperfectionis, aut odij ratio, ſed totus Deus, eſt totus deſiderabilis, & amabilis: Si verò apprehendatur ab homine per effectus, qui voluntati humanæ poſſunt eſſe contrarij; ſicut inflictio pœnarum, prohibitio peccatorum per legem diuinam; hæc autem refugit deprauati hominis voluntas, & quantum ad huiuſmodi effectus, Deus poteſt odio haberi, vt inflictor pœnarum, prohibitor peccatorum. ¶ Hæc ſententia D. Thom. vera eſſe videtur; ſed vt meliùs intelligatur, intelligere oportet ex Domino Caietano, quòd voluntas hominis non poteſt exire in actum odij Dei, quando homo videt Deum, clara Dei viſione, & faciali, quod dicunt Theologi; quia tunc obiectum quod mouet voluntatem, eſt vndique bonum, & ratio boni ſummi apertè videtur, & intuitiuè cognoſcitur: ſed ex apprehenſione ipſius Dei, vt autor eſt effectuum diſplicentium, poteſt voluntas hominis viatoris exire in actum odij Dei: itaque apprehẽſio ſumit exordium, tum ab effectu, tum à Deo, vt cauſa talis effectus eſt: odium tamen terminari poteſt ad ipſum Deum, ſecundum ſe, & prout in ſeipſo eſt, & tunc propriè eſt odium Dei. Quia igitur odij obiectum malum eſt, vel malum apparens, ideò ratio, vel cauſa quare Deus habetur odio, redditur ex eo, quia Deus homini improbo apparet ſeuerus, & rigidus iudex, & inflictor pœnarum: ſed ex hoc motiuo mouetur homo improbus vt Deum ipſum odio habeat, & velit non eſſe. Itaque (vt in ſumma ſententiam D. Thom. referam) Deus, ſecundum ſe in ratione motiui, non poteſt odio haberi, quoniam ſecundum ſe, eſt ipſa bonitatis eſſentia, præhabens in ſe omnem perfectionem; ſed in ratione terminatiui poteſt odio haberi, ex eo, quòd concipitur vt cauſa effectuum hominibus diſplicentium, propter quam cauſam ipſemet Deus ſecundum ſe odio habetur. Et hæc de iſta quæſtione ſufficiant.

¶ Sed proximum eſt, vt exponamus; An damnati odio habeant ipſum eſſe, ſic vt velint non eſſe, potiùs quàm miſeri eſſe. Hæc quæſtio non habet paruam dubitationem: potiſsimè enim redditur dubia propter autoritatem Magni Patris Auguſt. ſcribit enim Auguſt. lib. 3. de lib. arb. capitulo. 7. & 8. Conſidera, inquit, quàm magnum bonum ſit ipſum eſſe, quod etiam beati, & miſeri volunt. Neque defuerũt Auguſtino rationes ad ſuam aſſertionem confirmandam. ¶ Is qui deſiderat eſſe, etiam perpetuis afflictus tormentis, ei qui ſummè eſt, appropinquat: is autem qui abſurdè appetit non eſſe, non cupit ei qui ſummè eſt, propinquare, ſed ab eo quàm maximè diſcedere; & per conſequens, meliùs eſt appetere eſſe, etiã in miſeria, quàm non eſſe. Adde quod nemo poteſt rectè eligere quòd non ſit, quandoquidem electio eſt eorum quæ ſunt: non igitur quis poteſt rectè eligere vt nihil ſit. ¶ Hoc ipſum confirmatur. Cùm quis aliquid rectè eligit appetendum, & ad id peruenerit, melior efficitur: melior autem eſſe non poteſt qui nõ erit: nemo itaque rectè poteſt eligere vt non ſit. Ampliùs libro. 11. de ciuit. capitu. 27. dicit naturam refugere non eſſe; ex aduerſo igitur, natura appetit eſſe: nemo igitur odio habet eſſe, ita vt deſideret non eſſe. ¶ Sed euidentioribus argumentis conabor eandem ſententiã confirmare, ſi priùs ſtatuatur pro certo, quòd idem eſt deſiderare nõ eſſe, & fugere, & odio habere ipſum eſſe. ¶ Nam qui vnum oppoſitum deſiderat, alterum fugit, & auerſatur: Cùm igitur perſuaſum fuerit, neminem poſſe velle non eſſe, ex conſequio neceſſario probatur, neminẽ poſſe odio habere ipſum eſſe. Hoc autem ſic oſtendo: Nam nihil appeti poteſt, niſi ſub ratione boni, ſaltim apparentis: in eo autem quod eſt ſimpliciter non eſſe, nulla poteſt apparere ratio boni; nam fundamentum bonitatis eſt ens: id igitur quod non eſt, nulla ratione appeti poteſt. ¶ Deinde, ſi quis deſiderat non eſſe, deſiderat ſubinde non eſſe beatus: at nullus poteſt velle non eſſe beatus, omnes enim, natura duce, volunt eſſe beati, & miſeri eſſe nolũt, ſicut docet D. Aug. in multis locis ſuæ doctrinæ: nemo igitur poteſt velle non eſſe. ¶ Præterea, quicunque vult aliquid, vult ſubinde illud quod ſcit ex neceſsitate inde ſubſequuturum: Sed quilibet euidenter intelligit, quòd ſi non eſt, non poteſt eſſe beatus: ergo qui vult non eſſe, vult ſubinde

Eſdras. Ioan. 14. Dionyſ. D. Tho. explicatio. Caiet. Sententia D. Tho. Secũda quæſtio. Vtrum damnatio odio habeãt ipſum eſſe. Ex Aug. arguitur primò. Primaratio. Confirmatur. Auguſt. Ratione arguitur ſecundò. Tertium. Auguſt. Quartum.

subinde non esse beatus. Hoc ipsum confirmatur: Nam esse accidentale, præsupponit esse substantiale: itaque esse hominem beatum, præsupponit hominem esse: ergo qui desiderat se esse beatum, desiderat esse: ergo à contrario, qui desiderat non esse, desiderat non esse beatus. Quintum. ¶ Sed & hoc argumentum demonstrat, quòd nemo possit desiderare non esse: Nam remoto esse substantiali, remouetur ex consequio esse accidentarium: ergo qui cupit non esse, cupit non esse beatus; & qui odio habet esse, & beatitudinem odio prosequitur. Sextum. ¶ Item quicunque cupit aliquid, cupit illud vt beatus efficiatur: itaque quicquid cupit, cupit sub ratione beatitudinis, vt voti compos reddatur: Sed hoc est prorsus impossibile, si desiderat non esse: nam impossibile est prorsus, quòd si homo non est, beatus sit, & beatitudinem sibi acquirat. Septimum ¶ Sed ex alio principio sic argumentor. Est enim theologorum axioma, quòd Deus punit damnatos citra condignum. quod axioma sic exponitur à diuinis Theologis (neque enim potest habere aliam commodam explicationem) quòd peccator offendens Deum, meretur annihilationem: vnde, quia meritò potuisset eum in nihilum redigere, & acerbius hoc supplicium statuere, nec facit, dicitur citra condignum punire. Ex quo axiomate, & eius explicatione, euidenter concluditur, quòd esse, miseris & damnatis est melius, quàm nihil esse. Igitur damnati non rectè eligunt non esse; nec verò quispiam rectè eligere potest. Ex quo rursus consequitur, quod nemo odio habet suum esse.

In oppositum. ¶ In contrarium pugnant maiora argumenta, quæ probant, non esse, melius esse, quàm in perpetua miseria esse, atque adeò recta ratione posse appeti non esse. Ex quo consequens est, quòd esse, odio possit haberi. Hoc probat D. Hierony. validissimis sacræ scripturæ argumentis. Hieronym. Hieremias ¶ In primis, enarrans illum Hieremiæ locum; Maledicta dies in qua natus sum, dies in qua peperit me mater mea non sit benedicta: Maledictus vir qui annũtiauit patri meo dicens, natus est tibi filius masculus; sic scribit Hierony. Qui putant animas fuisse in cœlestibus, & de meliori, in peiorem statum præcipitatas, hoc, & huiusce modi vtuntur testimonijs, quòd scilicet melius fuerit in cœlestibus, quàm in terrenis commorari, & corpus humilitatis assumere: noua quædam, imo iam vetera hæreseos suæ argumenta quærentes. Iob. Nos verò legentes illud Beati Iob; Maledicta dies in qua natus sum, & nox illa, in qua dixerunt; Ecce masculus: & maledictus homo qui annunciauit patri meo dicens, natus est tibi puer; huic testimonio coaptamus, quòd scilicet melius sit non esse, quàm viuere in supplicijs, iuxta illud quod scriptum est; Mors viro requies, cui clausit Deus viam suam: & iterum; Quare data est misero lux, & vita his, qui in amaritudine animæ sunt: & in Euangelio simpliciter dictum legimus; Melius ei fuerat si natus non fuisset homo ille; quia melius sit non esse, quam malè esse. & in Matthæum, eundem de Iuda proditore locum exponendo, dicit; Multò melius est non subsistere. Origenes. Eandem sententiam videtur approbare Origenes, explicans idem Euangelij testimoniũ. Hæc omnia confirmãtur argumentatione ex diuina Theologia eruta. ¶ Non esse, bifariam considerari potest; vno modo, per se, & absolutè; & sic non est eligibile, quia nullam habet rationem boni, neque in illo apparere potest, quoniam est mera priuatio, & merum nihil: alio modo potest considerari, tanquam remedium, per quod homo à miseria eripitur; & sic, non esse, accipit illam rationem boni, nempe carere illa miseria: Nam (vt quinto Physi. ait Philosophus) carere malo, bonum est: & sic potest etiam recta ratione optari. Aristo. Itaque cum quis desiderat non esse, & in nihilum redigi vt à summa miseria liberetur, bonum desiderat, & quodammodo desiderat esse. Videtur enim esse euidens contradictio, quòd desideret bonum, & non desideret esse, cùm vnumquodque sit bonum, in quantum habet esse. Vnde sic statuo, fortasse is alicui res incredibilis videbitur, quòd cùm damnatus desiderat non esse, quodammodo desiderat esse; desiderat enim se miserum non esse, & abijcere, esse, miseriæ coniunctum; & quia euidenter cognoscit se non posse abijcere esse miseriæ, nisi desinat omnino esse, desiderat non esse, vt miserum esse abrumpat, & sic quodammodo desiderat esse absq; miseria coniunctum. Qui enim odio prosequitur esse miseriæ coniunctum, conuincitur se velle esse absque miseria, & ærumna; qui ergo desinit esse, vt miser non sit, certè non est: verum hoc, quod est non esse, vt careat miseria, est quodammodo esse absque miseria, & melius est non esse, quàm miserum esse. Sententia autoris. ¶ Ad argumenta in aduersum, & ad D. August. duplex est responsio. Altera est, quòd D. Augu. sequutus est contrariam sententiam, quæ omni dubio procul, probabilis est: Altera est, quòd cùm dicit D. August. quòd esse, adeò per se bonum est, vt etiam miseri illud cupiãt, loquitur tantùm de miseria huius vitæ, & præcipuè loquitur contra eos, qui se interficiunt: Argumentorum solutio.

sed illud esse, quod tanti facit August. vt ab omnibus appetatur, non est intelligendum de
Aristo. esse malo miseriæ, & ærumnæ, vt. 9. Ethicor. ait Philosophus, sed de bene esse, & bona vi-
Ad primã rationem. ta. ¶ Ad rationes breuiter respondendum est. Ad primam dicendum, quòd miser, & infelix, qui desiderat non esse vt ab vltima miseria liberetur, magis appropinquat Deo, quàm qui in vltima miseria constitutus manet: nam desiderat carere summa miseria; carere autem malo, bonum est; & carere summa infelicitate, beatitudo quædam est. Sed & illud addendum est in argumenti confutationem, quòd nõ semper ille qui magis appropinquat Deo, secundum esse naturæ melior est; nam qui moritur pro Deo, melior est eo, qui in vita hac mortali perseuerat: at qui in vita mortali perseuerat, secũdum esse naturale magis Deo appropinquat, quàm ille qui vitam pro Deo
Ad secũdã. profundit. ¶ Ad secundam rationem dicendum est, (& hæc confutatio secundi argumenti accuratè animaduersa, omnia argumenta euidenter enodat, & dissoluit, excipio vltimũ) dicendum itaque est, quòd cùm aliquis vult à se miseriam summam remoueri, vtitur se vt termino à quo, qui non est necesse vt permaneat in motu; & ideo potest aliquis appetere, & eligere non esse, vt careat miseria: sed cum aliquis appetit aliquod bonum sibi, vtitur se tanquam termino ad quem; huiusmodi autem terminum necessum est saluari in motu, & ideo non potest aliquis appetere, aut eligere sibi aliquod bonum, quo habito, ipse non
D. Tho. maneat. Solutio est D. Thom. in disputatis. q. 16. de Dæmonibus artic. 3. ad quintum; secundum quam dicendum est, quòd cùm electio est eorum quæ ducunt nos ad alicuius boni cõsequutionem, semper est eorum quæ sunt: at cùm electio est, vt miseria, vel malum remoueatur, non est necesse vt sit eorum quæ sunt, sed potest quis eligere non esse, vt à miseria liberetur. Vel dicito, quòd cùm quis eligit non esse vt miseriam effugiat, electio est eorum quæ sunt; nam eligit inter ea quę sunt, deliberatque vtrùm sit melius, nõ esse, vel miserum esse. ¶ Ad tertiã. Ad tertium argumentum dicendum ex superiori documẽto, quòd cùm quis eligit aliquid appetendũ ad alicuius boni consecutionem, cùm illud obtinet, melior efficitur: at cùm quis appetit aliquid vt à miseria liberetur, non est necesse vt melior efficiatur,
Ad quartã. sed pro bono habet à miseria liberari. ¶ Ad quartum argumentum dicendum, quòd natura omnis refugit non esse, & appetit esse; &
Aristo. bonum quod omnia appetunt, est esse: & Aristote. 10. Ethicor. capitulo. 7. dicit, omnibus delectabile est esse: non oportet autem accipere malam vitam, & corruptam in tristitijs; hæc enim est mala simpliciter, & simpliciter fugienda. Itaque, esse, miserijs coniunctum, detestabile est, & omnino fugiendum. ¶ Ad omnia alia argumenta (excipio vltimum) si documenta superiora exquisitè sunt animaduersa, euidens patet confutatio. Nam cùm quis appetit summam miseriam à se remoueri, non est omnino impossibile quòd appetat nõ esse vt à miseria liberetur: in appetitu enim remotionis miseriæ, non est necesse, vt qui appetit à se malum remoueri, permaneat; cæterum in appetitu prosecutionis, quando aliquod bonum possideri, & consequi appetimus, fieri non potest quòd appetam aliquod bonum per modum prosecutionis & quòd desiderem nõ esse. Cuius rei euidentissimam rationem demonstrauimus superiùs ex doctrina D. Thom. argumenta verò proposita procedunt de appetitu prosecutionis, quo quisq; desiderat sibi bonum. ¶ Ad vltimum argumẽtum non est omnino facilè satisfacere; neque enim facilè explicatur illud prouerbiũ; Quod Deus punit citra condignum. Citra condignum ab aliquibus Deus punire dicitur, ex eo, quòd cum iustè nos eodem temporis articulo, quo delinquimus, possit in tartara conijcere, indulget nihilominus pro sua misericordia tempus vitæ, quo possimus resipiscere. At verò hæc interpretatio non constat in Angelis, qui simul & in culpam lapsi sunt, & supplicio traditi: ob idque secunda potest adhiberi expositio, quòd quamuis in inferno, ex lege iam posita, ad iustum Deus agat cum reprobis, nihilominus quia meritò potuisset acerbiora in illos statuere supplicia, dicitur citra condignum punire. Ad vltimũ.

¶ Sed supereſt iam vt exponamus vltimam quæstionem; An odiũ in Deum cadere possit? Quæritur ergo; Vtrùm Deus sic omnia amet, vt sceleratissimos etiam homines odio vero non prosequatur. Certè D. Tho. 1. cõtra gent. c. 96. multa argumenta producit, vt demonstret, quòd in Deo non est odiũ, nisi per metaphoram: in quam sententiam ipse lubens descendit. Sed in 1. p. q. 20. art. 2. in solut. vlti. distinctè cõcedit, quòd Deus odio habeat peccatores, & sic sanctæ scripturæ loquuntur, & ita ratio persuadet. Nam Deus vult homines reprobos funditus perire, & vult illis malum sub ratione mali, & vt male habeant: ergo verè illos odio habet. Fateor tamẽ, quòd odium ex maleuolentia, & indignatione, in Deum non cadit: sed de hoc infrà erit abundantior sermo. Hæc de ista quæstione dicta sunt. Quæstio tertia. Vtrũ in Deo odium reperiatur. D. Tho.

QVÆ-

QVAESTIO XXX.

De concupiſcentia; hæc quæſtio habet articulos quatuor.

ARTIC. PRIMVS.

¶ Vtrùm concupiſcentia ſit in appetitu ſenſitiuo.

SVMMA TEXTVS.

Concluſio. CONcluſio eſt. Concupiſcentia propriè eſt in appetitu ſenſitiuo, & in vi cõcupiſcibili, quę ab ea denominatur. Nam ſicut duplex eſt delectatio; vna, in bono intelligibili, quod eſt bonum rationis, & hæc eſt animæ tantùm; ſic alia eſt in bono ſecundum ſenſum, quæ eſt animæ, & corporis, cùm ſenſus ſit virtus in organo corporeo; vnde eſt totius coniuncti: & talis delectatio appetitus ſenſitiui, dicitur concupiſcentia. Interdum autem ſapientiæ, vel ſpiritualium bonorum appetitus ſic nominatur, propter quandam ſimilitudinem, vel propter intenſionem partis ſuperioris in inferiorem, vt etiam in ſpirituale bonum tendat, & ipſum corpus in ſpiritualibus deſeruiat. Vnde in Pſal. 83. dicit Dauid; Cormeum, & caro mea exultauerunt in Deũ. Itaque vt ſummatim ſententiam D. Thom. complectar, concupiſcentia bonorum ſpiritualium, eſt animæ tantùm; concupiſcẽtia verò bonorum ſenſibilium cũ quadam trãſmutatione corporali, eſt totius coniuncti, id eſt, animæ, & corporis, reſidetque in appetitu ſenſitiuo, cuius officium eſt, bona ſenſibilia proſequi.

Pſal. 83.

D. Tho.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ Vtrùm cõcupiſcẽtia ſit paſſio ſpecialis.

SVMMA TEXTVS.

Concluſio. CONcluſio eſt affirmans. Nam reſpicit bonum ſenſibile, ſecundum ſpecialem rationem, prout eſt abſens, & trahens affectum vt tendat in ipſum. Bonum enim ſenſibile, quod eſt obiectum appetitus ſenſitiui, aliter mouet appetitum, in quantum eſt præſens, & aliter in quantum eſt abſens. Nam quando eſt præſens, facit quieſcere appetitum in ipſo; ſed quãdo eſt abſens, facit illum in ſe tendere, quod ad concupiſcentiam, ſeu deſiderium ſpectat.

ARTIC. TERTIVS.

¶ Vtrùm concupiſcentia diuidatur in naturalem, & non naturalem.

SVMMA TEXTVS.

Concluſio. AFfirmans eſt Concluſio. Nam naturalis eſt, quæ eſt cõueniẽs naturæ animalis, vt cibus, potus, & ſimilia: & iſtæ communes ſunt hominibus, & alijs animalibus, cùm vtriſq; ſit aliquid conueniens, & delectabile ſecundum naturam: & in his omnes homines cõueniunt. Non naturalis concupiſcẽtia dicitur, quæ propriè hominis eſt; & magis cupiditas appellari ſolet, cùm excogitatur, & apprehẽditur aliquid, vt bonum, & conueniens, præter id, quod natura requirit.

ARTIC. QVARTVS.

¶Vtrùm concupiſcentia naturalis poſſit eſſe infinita in actu.

SVMMA TEXTVS.

Prima con. PRima Concluſio eſt negans. Nã concupiſcẽtia naturalis, eſt eius, quod natura requirit: natura verò ſemper tendit ad aliquid finitum, & certum: vnde nũquam homo infinitum cibum, vel potum concupiſcit. Sed ſicut in natura cõtingit eſſe infinitum in potentia per ſucceſsionem: ita talis concupiſcentia ſecundum ſucceſsionẽ, poteſt eſſe infinita, vt ſcilicet poſt adeptum cibum iterum alia vice quis deſideret cibũ, quia eiuſmodi corporalia bona, cùm adueniunt, nõ perpetuò manẽt, ſed deficiũt.

Secunda. ¶ Secunda Concluſio. Concupiſcentia non naturalis, omnino eſt infinita, cùm rationem ſequatur, quæ in infinitũ procedere poteſt; vnde diuitias ſine termino aliquis concupiſcit.

Tertia. ¶Tertia Concluſio. Concupiſcentia finis, eſt infinita: hoc aſſerit

Ariſto. Ariſt. 1. Politi. c. 6. & rationem huius hanc demõſtrat; quia finis per ſe appetitur, vt ſanitas; vnde maior ſanitas, magis concupiſcitur, & quiſque appetit ſanitatem ſine termino: concupiſcentia verò eorum quę ſunt ad finem, non eſt infinita; nam ſecundum illam menſurã appetũtur, quę conuenit fini. Quare qui appetit diuitias, vt honeſtè viuat, ſufficientes ad id cupit, ſecus autem de his, qui concupiſcunt diuitias, finem in illis ponentes.

EXPLICATIO QVAESTIONIS.

Quid nomine cõcupiſcẽtiæ intelligatur.

COncupiſcentię nomine multa ſignificantur, quæ oportet diſtinctè explicare, ne quis ignarus decipiatur. In primis, intelligitur nomine cõcupiſcentiæ, vis concupiſcendi, quæ concupiſcibilis appellatur, & eſt præcipua portio appetitus ſenſitiui, quæ ab iraſcibili diſtincta eſt, prout ſuperiùs expoſitũ eſt. Deinde intelligitur hoc nomine (& hæc eſt huius nominis creberrima vſurpatio in diuinis literis) praua inclinatio naturę corruptę, quam nos fomitem, D. Paul. vocat peccatum habitãs in carne, aut legẽ membrorũ, repugnantẽ legi mentis noſtræ. Ad Rom. 7. eiuſmodi etiam appellatione Roma. 7. vocantur affectiones, ſiue actus eiuſdẽ prauæ inclinationis, quibus caro cõcupiſcit aduerſus ſpiritum, aut aduerſus iuſsiones diuinas, quærens quæ ſua ſunt, non quæ aliorũ. De hac cõcupiſcẽtia dicit Iacob. c. 1. Concupiſcẽtia cùm Iacobi. 1. conceperit, parit peccatum. &. 1. Ioan. c. 2. Omne quod eſt in mundo, aut eſt concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorũ, &c. ſermo eſt de affectibus, & cupiditatibus inordinatis qui militant aduerſus ſpiritum. Sed in præſentia, concupiſcentia vſurpatur pro deſiderio, ſiue cupiditate, quæ non ſemper mala eſt; quę ad hunc modum definitur. Concupiſcentia, ſiue cupiditas, eſt appetitio boni, quod cõducibile videtur, vel aſſequendi, ſi abſit, vel cõſeruandi, cùm adeſt. Vel alio modo, Concupiſcẽtia, eſt appetitio boni ſecũdum ſenſum, quod abſens eſt, & ſic deſideriũ, ſiue cupiditas appellatur. ¶Itaque cõcupiſcentia ſic differt ab amore & delectatione; quòd amor eſt prima inclinatio in bonum, primus ille guſtus, vel cõplacentia, quæ ex bono, pulchroque naſcitur. Ex hac inclinatione amoris in bonũ, naſcitur deſiderium, ſiue concupiſcentia adipiſcendi illud; poſtmodum ſequitur ſpes conſequutionis, & tandem ſequitur delectatio de bono iam adepto. Vel alio modo differunt; quòd amor eſt prima inclinatio in bonũ, & pulchrũ, cui accidentariũ eſt quòd ſit præſens, vel abſens: concupiſcentia, ſiue cupiditas, eſt in bonum abſens; delectatio eſt de bono iam adepto. ¶Sed certè ex hoc non omnino facilis oritur dubitatio. Nam abſens, & præſens, videtur ſe habere vt elongatio, & approximatio in agentibus naturalibus, quæ ſunt veluti conditiones ſine quibus actio nõ fit: ergo ex abſentia boni, & preſentia, non differunt deſideriũ, & delectatio; neque enim bonum abſens, &

Cõcupiſcẽtia differt ab amore & delectatione.

Obiectiones.

Arguitur primo.

bonum

bonum præsens, habent se sicuti differentiæ specificæ, sed sicut conditiones sine quibus actio non fit. Hoc ipsum confirmatur: Nam videtur omnino quòd bonū absens nō possit præbere desiderio suam speciem, sic, vt desiderium habeat suam speciem ex absentia boni. Quòd enim bonum sit absens, est ens rationis, sicut quòd sit futurum: sed ex ente rationis, non potest haberi species entis realis, cuiusmodi est desideriū, & cupiditas. ¶Ex alia etiam parte augescit difficultas: Nam D. Tho. in artic. 2. statuit pro certo, quòd bonū apprehensum agat in voluntatem, & quòd aliter trahit quando est absens, aliter quando est præsens, quod magnopere dubiū est. Nam pleriq; Doctores sentiunt, quòd bonū apprehensum non agat in voluntatem, neque moueat illam efficienter, sed tantùm cōcurrit in genere causæ finalis. ¶Ad huius rei expositionem, nō est necesse edisseri à nobis, quomodo sit de essentia desiderij bonum absens; hoc enim notiùs est quàm vt cōfirmatione opus sit: quod enim habet quis, non desiderat: sed aduertere oportet, hoc in vniuersum verum esse, quòd principium actiuum oportet vt sit præsens vt agere valeat, neque ab hoc abhorret bonū, cùm trahit appetitum; præsens enim est secundū apprehensionem, & intellectionem. Illud etiam considerare oportet, quòd hæc approximatio agentis ad passum, quicquid sit, non est virtus actiua, neq; verò ratio agendi, sed conditio, sine qua, actio non esset: quod enim ignis applicetur ad comburendā stuppam, nō est virtus ad comburendum. Sed & illud nō est prætereundum, quòd hîc loquitur D. Th. de præsentia, & absentia reali: definit namque, quòd bonum absens aliter trahit appetitū, aliter bonum præsens; & sic habent se veluti partiales rationes agendi, quæ distinguūt animi nostri passiones: integratur enim ratio passionis appetitus sensitiui, ex bonitate, vel malitia, quòd alia affectio sit ad bonum, alia ad malum; & bonitas quidem, vel malitia, ex natura appetitus exigitur: omnis enim appetitus per se appetit bonum, & refugit malum. Rursus integratur ex rei præsentia, vel absentia, vel indifferentia: amor enim indifferens est ad absentiā, vel præsentiam: desiderium est boni absentis, delectatio boni præsentis. Denique aduertat Theologus, quòd hic est sermo de distinctione passionū in genere naturæ, non in genere moris: concupiscere enim delectabile, in aliena, vel in propria vxore, in genere naturę non distinguūtur nisi solo numero, & sub eadē specie passionis existūt. Sed in genere moris, sunt diuersarum specierum, imo pertinent ad diuersa genera, scilicet ad virtutē, & ad vitium.

Confirmatur.

Arguitur secundo. D. Tho.

Solutiones

Ex hac doctrina sequitur, quàm absurdè errauerit Grego. in. 1. d. 1. q. 2. artic. 2. dicens, quòd nullus Doctorum, quos vidit, tenet cupiditatem, seu desiderium distingui essentialiter ab amore. ¶Ad argumenta in cōtrarium. Ad primum argumētum, iam dictum est, quomodo absentia, vel præsentia boni non se habeant veluti approximatio, vel elongatio, sed vt rationes partiales boni: quod attrahit appetitum. ¶Ad secundum dicendū, quod bonum mouet, & trahit voluntatē, seu appetitū, vt finis; vt verò finis moueat, non est necesse vt sit in rerū vniuersitate, imo quādo iam finis adest, cessat motus, sed sat fuerit quod sit in apprehēsione. Certè negari nō potest, quin bonū futurū sit de essentia spei: obiectum enim spei, est bonū futurū arduū: sic dubitari nullo modo potest, bonū futurū esse de essentia, & definitione desiderij. ¶Ad tertiū dicendū, q̄ quāquā bonū nō moueat actiuè, trahit tamen appetitum, aliter absens, aliter præsens: & hæc tractio est per modū finis, nō per modū actiui principij: cōstat autē quòd finis aliter finalizat, quādo est prę̄sens, aliter, quādo est absens. ¶Constituta igitur definitione, proximū est vt distribuamus genera, & species cōcupiscentiæ. Distribuitur itaq; cōcupiscētia, quòd alia sit spiritus, alia carnis. Nā spiritus concupiscit aduersus carnē, & caro aduersus spiritū. Cōcupiscētia spiritus, persequitur bona spiritus, & animi; concupiscētia carnis, persequitur bona corporis caduca, & incerta. Rursus, alia est naturalis, alia præter naturā. Naturalis est eorum bonorū, quæ pertinēt ad necessitates vitæ tuēdæ, ac propagandæ; cuiusmodi sunt, cibus, potus, potio medicina, ignis, tectū, indumētū: qui appetitus, potiùs dicitur cōcupiscentia, quàm cupiditas: in quibus rebus appetendis impetu rapitur animus, tacito naturæ stimulo incitatus, & cōmotus. Nō naturalis est, cùm excogitatur, & apprehēditur aliquid vt cōueniēs, & cōducibile, præter id quod natura requirit, vt cibus aptè apparatus, vinū in potionē, lana, & linū textū; tum voluptates, & deliciæ; cōfingimus etiā nos, multa, & innumerabilia, vt nobilitatē, decus, famā, dignitatē, opes, gloriam; & hæc omnia nō solùm numero, sed ingēti mole ac magnitudine adauximus: vnde examen erupit cupiditatū, sine terminovllo, ac modo; vt meritò dicat Plinius I I. Nulli animantiū libidinē esse rerū omniū maiorē, quàm homini, cùm alioqui pauciſsimis indigeat. Dehac cōcupiscētia nō naturali dicit S. Th. quòd est infinita, & sine termino; nā sequitur rationē, quæ in infinitū procedere potest. Prę̄terea, cōcupiscē-

Ad primū.

Ad secūdū.

Ad tertiū.

Cōcupiscētiæ distributio.

Gregor.

Plinius I I.

S. Thom.

tia alia eſt mediorum, alia finis. Mediorum concupiſcentia, finita eſt; nam ſecũdum eam menſuram appetuntur, quæ fini conuenit; finis verò concupiſcentia, infinita eſt; nam ſanitatem quiſque appetit ſine termino, neque in hac appetitione modum adhibet vllũ. ¶Sed hinc naſcitur non parua dubitatio: Nam concupiſcentia finis, eſt naturalis: at concupiſcentia naturalis, infinita non eſt, ſi vera ſunt quæ in his articulis docuit D. Thom. Ergo concupiſcentia finis, non eſt infinita, aut naturalis non eſt. Vt hanc dubitationem explicet Caie. producit nonnulla, quæ explicationis indiga ſunt. In primis docet, dupliciter poſſe intelligi concupiſcentiam eſſe infinitam, vel ex parte actus, vel ex parte obiecti. Ex parte actus poſſet eſſe infinita, vel intenſiuè, vel ſecũdum ſucceſsionem: & quidem in præſentia non quæritur de infinita concupiſcentia ex parte actus; nam hæc infinita concupiſcentia, communis eſt etiam naturalibus. Ex parte autem obiecti eſſet infinita, ſi haberet obiectum infinitum, vel ſecundum perfectionem, vel ſecundum numerum; & in hoc ſenſu quæritur, num concupiſcentia ſit infinita. ¶Illud etiam notare oportet ex Domino Caieta. quòd duplex ratio infinitatis concupiſcentiæ à D. Th. demonſtrata, duplicem cauſam inſinuat in obiecto concupiſcibili; altera, quæ ſe tenet ex parte concupiſcentiæ; altera, quæ ſe tenet ex parte concupiti. Et ex parte concupiſcentiæ duplex cauſa deſignata eſt; diſpoſitio naturæ, & diſpoſitio rationis, ex differentia inter naturam, & rationem: quia natura determinata eſt ad certum, ratio in infinitum procedit, & ſic obiectum correſpondens rationi, infinitatem compatitur, quemadmodum ratio apprehendere poteſt, vt conducibile, & bonum, infinitum honorem, infinitas diuitias, & ſimilia. Ex parte verò concupiti, duplex eſt obiectum prædeclaratum, videlicet finis, & id quod eſt ad finem: & ex eorum differentia, redditur ratio infinitatis concupiſcentiæ, quæ ſequitur rationem. Ex eo enim quòd id, quod eſt ad finem, debet eſſe commenſuratum fini, omne concupitum propter finem, eſt finitum; ac per hoc omne naturaliter concupitum, eſt finitum, quia propter naturam, vt finem. De finis verò concupiſcentia ſic definit D. Tho. vt dicat, quòd finis ſine menſura appetitur; addit inſuper, quòd cùm ratio de eo quod eſt ad finem, faciat finem, conſequens eſt, quòd cõcupiſcentia rationalis ſit quãdoque infiniti. Sed aliter eſt infinita cõcupiſcẽtia, cùm quis appetit honorem infinitũ, & cùm quis appetit honorem vt finẽ: primo enim modo infinitas eſt veluti pars rei appetitæ; in ſecundo modo eſt veluti quidam modus, quo res terminat appetitũ; nã cùm res appetitur vt finis, appetitur ſine mẽſura, ſine determinatione, aut termino.

Dubium. Obiectio. Caieta. D. Tho. Duplex cauſa in obiecto concupiſcentiæ. D. Tho. Quomodo appetatur finis.

¶His explicatis, & conſtitutis, ad dubitationẽ propoſitam reſpondet Caiet. quòd concupiſcentia naturalis tendit in aliquid dupliciter, ſcilicet vt apprehenſum, & vt inditum à natura. certè hirundo appetit apprehenſam paleã, vt bonum vtile ad nidum; appetit verò bonũ delectabile in cibo, & generatione, propter ſe, & vt finem. Ex quo conſequens eſt, quòd conſiderando bonum delectabile propter ſe, tendat in finem, ſed non totaliter exercẽtem rationẽ finis, quæ omne bonũ quod apprehẽdit, ſubordinat naturæ, vt fini; & propterea cõcupiſcentia naturalis infinita non eſt; concupiſcit enim bonum delectabile, vt finis naturalis concupiſcentiæ, modificatum tamen commenſuratione ad naturam, & ſubordinatum fini indito, qui eſt natura, propter quod cõcupiſcentia naturalis ipſius delectabilis ſatiatur. Concupiſcentia verò quę ſequitur rationem, & intellectum, inſatiabilis eſt, vt patet in perſonis deditis Venereis. ¶Ex his documentis, ad argumentum ſic reſpondeat Theologus, vt dicat, quòd concupiſcentia finis, quæ ſequitur rationem, non eſt naturalis, quia nõ ſequitur inſtinctum, & impetum naturæ; ſed eſt rationalis, quia ſequitur rationem: concupiſcentia autem quæ ſequitur rationem, dirigitur à ratione, quæ poteſt procedere in infinitũ: ex eo enim quòd in voluptate conſtituit quis finem, voluptas nõ commenſuratur illius rationi, vt appetibile, ſed vt infinitè appetibile, vt patet. Eſt igitur diſcrimen inter obiectum cõcupiſcentiæ naturalis, & eius, quæ ſequitur rationem; non quòd alterius finis, alterius verò id quod eſt ad finem, obiectum ſit, ſed quòd concupiſcentiæ, quæ rationem ſequitur, obiectum eſt finis, & habet totaliter rationẽ finis; concupiſcẽtię verò naturalis obiectũ eſt finis, non tamen habet totalem rationẽ finis: tum, quia habet modificationem, & limitationẽ ex natura; tum, quia ordinatur ad alium finẽ, inditum ſcilicet ad naturam. Hæc Caiet. obſcuriſsimè, quæ ego vix intelligere poſſum. Sed breuiter complectar ego ſententiam D. Tho. cum dicit, cõcupiſcentiã nõ naturalẽ, eſſe infinitã; naturalẽ verò finitã: ſenſus eſt, quòd appetitus bonorũ, quę ſunt neceſſaria ad vitę cõſeruationẽ, & propagationẽ, eſt cõcupiſcentia naturalis, quæ paucis, & definitis bonis determinata eſt, ac definita. Cęterũ appetitio bonorũ, quę nos cõfingimus vt cõducibilia ad finẽ conſequendũ, infinita eſt, & terminũ non habet;

Ad dubiũ reſpondetur. Ad argumentum. Autoris ſolutio.

bet; ſicut ratio, & excogitatio noſtra, terminum non habent: quod nunc fingimus eſſe conducibile, poſtea refutamus vt malum, & nociuum, & in horas, & momẽta examen erũpit diuerſarum cogitationum, & diuerſorum bonorum, quæ nos nobis confingimus, ex quo examen erumpit cupiditatum, ſine modo, ſine termino, ſine menſura. Concupiſcentia verò finis dicitur infinita, non quòd non ſit determinata à natura, ſed quoniam appetitur finis, ſine termino, ſine modo, & menſura. Itaque appetit homo ſanitatem, & quidem naturali appetitione; neque enim hæc appetitio, ex noſtra cogitatione, aut fictione enaſcitur; ſed dicitur infinita appetitio, quia eſt appetitio finis, cuius proprietas eſt, vt appetatur ſine termino: quod potiſsimè verificatur de fine vltimo omnium rerũ, qui eſt Deus. Itaq; noſtra anima vſque ad Deum concupiſcendũ ſeſe extendit, qui quoniam eſt immenſus, fit, vt cupiditas noſtra etiam infinita ſit, neque alia re expleri queat, præterquam Deo ipſo; ibi demum ſiſtit, & conquieſcit. Sed pergamus, vt exponamus varia cupiditatis genera, & eiuſdem proprietates deſignemus. ¶ Certè cupiditatis obiectum, bonum, & conducibile eſt; & quæ res nobis conducibilior videtur, vehementiùs concupiſcitur, & diligentiùs cõſeruatur. Sed in conducibilium exiſtimatione variant hominum ſententiæ: iuuenili animo conducibiliſsima videtur voluptas; viro decus; ægro ſanitas; ſeni victus; principi gloria. Ex parte etiam ſubiecti variant animi cupiditates; calidi, acutas habent cupiditates, vehementeſque & quas celerrimè vellent explere, ſed mirabiles & varias; frigidi autem, pauciores, & ſegnes, ſed pertinaces, intenti in illam vnam quam ſibi delegerunt. Qui ſecuri ſunt, concupiſcentia rerum non ſollicitantur, veluti adoleſcentes, & viri animoſi, & ebrij, quibus multus, & feruidus eſt ſanguis circa cor. Adde etiam eos, qui neceſsitatem non ſunt experti; ſed metus auget cupiditatem; vnde qui metuunt ne deſit, auidè quærunt, & cuſtodiunt. Denique, quibus ſanguis ad cor eſt exiguus, & rarus, & tepidus, naturaliter hi anxij ſunt, & ſolliciti ne deſit, metu, & ſollicitudine premente cor; quo fit, vt ex leuiſsima, & profuſiſsima iuuenta, naſcatur ſæpenumero ſenectus perparca, & nimis tenax: ſobrij, & auari, liberales fiunt cùm mero incaluerunt. Præter hos omnes, qui quod concupierant, nõ abſq; magnis laboribus comparârunt, arctiùs id retinent, vel timore ſuſcipiendi rurſus labores, ſeu quòd cũ labore parta, chariora ſunt, quaſi magnò empta; ſicut induſtrio mercatori pecunia; matri filius, & nos Chriſto, qui redemit nos vniuerſo ſuo ſanguine. Porrò cupiditates acceperunt ex rebus nomina particularia, veluti ex ære, auaritia; ex honore, ambitio; ex guſtu, gula; ex venere, libido. Vniuerſas has concupiſcentias D. Ioan. pauciſsimis verbis comprehendit, dicens; Omne quod eſt in mundo, aut eſt concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitę. Ioan.

QVAESTIO XXXI.

De delectatione, & habet articulos octo.

ARTIC. PRIMVS.

¶ Vtrùm delectatio ſit paſsio.

SVMMA TEXTVS.

Concluſio affirmat. Nã eſt motus quidã in animali, conſequẽs apprehenſionem ſenſus: & ſicut cùm res naturales conſequũtur ſuas perfectiones naturales, quieſcunt, quãuis id non ſentiant; ita animalia, quando conſtituuntur in eo, quod eis conuenit ſecundum naturã, id ſentiũt, & ex hoc ſenſu cauſatur quidam motus animæ in appetitu ſenſitiuo: talis motus delectatio dicitur, quæ paſsio eſt; fit enim cum quadam trãſmutatione corporali, ſiquidem hilarescit cor, & dilatatur. Concluſio.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ Vtrùm delectatio ſit in tempore.

SVMMA TEXTVS.

Prima Concluſio. Delectatio ſecundum ſe, nõ eſt in tempore; quia in bono adepto conſiſtit, quod eſt quaſi terminus motus. Prima con.

¶ Secunda Concluſio. Delectatio per accidens, eſt in tempore: nam Secunda.

ſi illud

si illud bonum adeptum subiacet trãsmutationi, talis delectatio per accidens erit in tempore: quia in tempore ea dicũtur esse, quorum esse est successiuum; & de eorum ratione est successio, vt motus, quies, locutio, & similia. Per accidens verò id in tempore est, de cuius ratione non est successio, sed tantùm alicui successioni subiacet, sicut esse hominem, de sui ratione non habet successionẽ, cùm non sit motus, sed terminus generationis ipsius: sed quia humanũ esse subiacet causis transmutabilibus, secundum hoc hominem in tempore esse accidit: sic de delectatione decernendum est.

Tertia. ¶ Tertia Conclusio. Quando bonum adeptũ omnino est intransmutabile, delectatio talis, neque per se, neque per accidens erit in tempore, siquidem nulla ratione subiacet tempori.

ARTIC. TERTIVS.

¶ Vtrùm gaudium differat à delectatione?

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Conclusio est affirmãs. Sicut enim dictum est de concupiscentijs naturalibus, & non naturalibus, quæ à ratione proficiscuntur, sic de delectationibus dicẽdũ; quia quædã sunt corporales, cùm delectamur his, quę naturaliter cõspicimus; & hæ sunt communes etiam brutis: alię verò sunt animales, quæ rationẽ sequuntur; & istæ gaudij nomen sortiũtur, quæ brutis nõ tribuũtur; Vnde latiùs patet delectatio, quàm gaudiũ: nam quãdo sentitur aliqua delectatio secũdũ corpus, de qua non gaudemus secũdum rationem, est delectatio, sed non est gaudiũ: sed tamen omne gaudium est delectatio, non tamen omnis delectatio, gaudium est, vt ex dictis patet.

ARTIC. QVARTVS.

¶ Vtrùm aliqua delectatio sit in appetitu sensitiuo.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Conclusio est affirmans: Nam delectatio, quæ sequitur rationem, est in appetitu intellectiuo, quæ dicitur gaudiũ: nam ad apprehensionem nõ solũ cõmouetur appetitus sensitiuus per applicationem ad aliquod particulare, sed etiã volũtas, in qua est gaudium. Hæc autẽ est differentia inter vtrũq; appetitũ; quòd delectatio appetitus sensibilis fit cũ aliqua corporali transmutatione; delectatio verò appetitus intellectiui nihil aliud est, quàm simplex motus volũtatis, quæ sic sumpta, est in Deo, & in Angelis.

ARTIC. QVINTVS.

¶ Vtrùm delectationes intelligibiles sint maiores sensibilibus.

SVMMA TEXTVS.

Prima con. Prima Conclusio. Delectationes intelligibiles, maiores sunt sensibilibus, si comparatio fiat prout in earum actionibus delectamur, videlicet in cognitione intellectus, & in cognitione sensus:

sus: nã multò magis delectatur homo de hoc quod cognoscit intelligẽdo, quàm de hoc, quod cognoscit sentiẽdo; quia perfectior est intellectualis cognitio, & magis reflectitur intellectus supra actum suũ, quàm sensus, & est etiã magis delectabilis; quia nullus est qui nõ vellet magis carere visu corporali, quàm intellectuali, eo modo, quo bestiæ, vel stulti carent.

Secunda. ¶Secunda Conclusio. Delectationes spirituales, secũdum se, & simpliciter loquendo, sunt maiores sensibilibus: nam spirituale bonũ, maius est, & magis dilectũ: quod patet; quia à maximis voluptatibus corporalibus abstinent homines, ne perdant honorem, quoniã est bonum intelligibile, nobiliorq; est cognitio intellectiua, quàm sensitiua; atque intimior; cùm sensitiua consistat circa exteriora accidentia, intellectus verò penetret vsque ad rei essentiam: estque etiã perfectior, quia cognitioni sensitiuæ adiũgitur motus, qui est actus imperfectus. Vnde delectationes sensibiles, nõ sunt totæ simul, sed in eis aliquid pertransijt, & aliquid restat consummandum, vt patet in delectatione ciborum, & venereorum. Sed delectationes intelligibiles sunt totæ simul, & sine motu. Est etiam firmior; quia corporalis delectatio citò deficit, & corrũpitur, bona verò spiritualia sunt incorruptibilia.

Tertia. ¶Tertia Cõclusio. Delectationes corporales, quo ad nos, sunt magis vehemẽtes, propter tria: tum, quia sensibilia nobis magis nota; tum, quia delectationes sensibiles semper sunt cum aliqua transmutatione corporali; quod non contingit in spiritualibus, nisi fortè per quandam redundantiam à superiori appetitu; tum vltimò, quia delectationes corporales appetuntur vt medicinæ contra corporales molestias, vel defectus; quare contra tristitias aduenientes magis acceptantur, quàm spirituales, quæ non habent tristitias contrarias.

ARTIC. SEXTVS.

¶Quæ nam sit potior inter delectationes corporales?

SVMMA TEXTVS.

Prima cõ. PRima Conclusio. Contingit delectatio secundum sensum, & propter cognitionẽ, & propter vtilitatem: vnumquodque enim eatenus delectabile est, quatenus diligitur; diligitur autẽ sensus, & propter cognitionem, & propter vtilitatem.

Secunda. ¶Secunda Conclusio. Delectatio sensualis, quę est secundum cognitionem, est propria hominis, quatenus homo est: ea autem quæ est propter vtilitatem, communis est omnibus brutis.

Tertia. ¶Tertia Conclusio. Delectatio, quę est ratione cognitionis, prout intellectui deseruit, maior est secundum visum, quàm secundum alium sensum; sicut & delectationes intelligibiles, sunt potiores sensibilibus.

¶Quarta

Quarta. ¶Quarta Concluſio. Delectatio ſenſus, quæ eſt ratione vtilitatis, maxima delectatio eſt ſecundum tactum: quia vtilitas ſenſibilium attenditur ſecundum ordinem ad conſeruationem naturę animalis, ad quam propinquiùs ſe habent ſenſibilia tactus: vnde animalia, quæ non habent delectationem ſecundum ſenſum, niſi rationevtilitatis, non delectantur ſecũdum alios ſenſus, niſi in ordine ad ipſum tactum; ideoque non gaudẽt canes odore leporum, ſed comeſtione; & leo non delectatur viſu cerui, ſed comeſtione. Delectatio igitur tactus, eſt maxima, ſimpliciter; quia quod naturale eſt, in vno quoque eſt potiſsimum.

ARTIC. SEPTIMVS.

¶Vtrùm aliqua delectatio ſit non naturalis.

SVMMA TEXTVS.

Prima con. PRima Cõcluſio. Naturales delectationes hominis dici poſſunt, quę conueniunt homini ſecundum rationalem naturam; vt delectari in actibus virtutum, & contemplatione veritatis: quia ſecundum rationalem naturam, homo in ſpecie conſtituitur, & hæc eſt propria hominis natura.

Secunda. ¶Secunda Concluſio. Ea quæ pertinent ad conſeruationem corporis; vel ſecundum ſpeciem, vt venereorum vſus; vel ſecũdum indiuiduum, vt cibus & potus, & ſimilia, naturales cauſant delectationes, & aliquando non naturales. Dicuntur cauſare naturales delectationes, quãdo ſunt commoda, & apta ad conſeruationem corporis. Et vocantur naturales à natura, vt condiuiditur rationi, ſecundum id quod eſt commune homini, & alijs, præcipuè quæ non obediunt rationi: ſed ſcire oportet, quòd id, quod eſt contra hominis naturam, vel quãtum ad rationẽ, vel quantum ad corporis ſuſtentationem, fieri huic homini connaturale, propter aliquam corruptionem naturæ in eo exiſtẽtem, quæ corruptio poteſt eſſe ex parte corporis, ſicut ex ægritudine, vt in febricitantibus, quibus dulcia, amara videntur, & contrà: & ex mala complexione, vt in his qui delectantur comedere carnes, & ſimilia: & ex parte animæ, vt in his, qui ex conſuetudine comedunt homines, coeunt cum beſtijs, aut cum maribus; quia corrumpitur in aliquo indiuiduo, aliquod principium naturale ſpeciei: vnde id quod eſt contra naturam ſpeciei, per accidens fit naturale huic indiuiduo; ſicut huic aquæ calidæ, calefacere, quæ ſecundum naturam propriam infrigidaret.

ARTIC. OCTAVVS.

¶Vtrùm delectatio poſsit eſſe alteri contraria?

SVMMA TEXTVS.

Concluſio. ONcluſio eſt affirmãs: proportionatur enim delectatio quieti corporum naturalium. Sunt autem

autem contrariæ quietes, in contrarijs terminis; videlicet ea quæ ſurſum eſt, & ea quæ eſt deorſum. Quod tamen in bono virtutis eſſe non poteſt; quia bonum virtutis non capitur, niſi per conuenientiam ad aliquid vnum; in alijs nihil prohibet duo bona eſſe contraria, vt calidum, bonum eſt igni, & frigidum, aquæ.

EXPLICATIO QVAESTIONIS.

VNiuerſam explicationem Quæſtionis in partes quatuor diſtribuo: Nam primùm, quid ſit delectatio, ſiue voluptas, demonſtrabo: deinde verò, in quo ſubiecto conſtituatur, oſtendam: ad hæc, quomodo differat à gaudio, lætitia, iubilatione, perquiram: ad vltimum, de comparatione delectationum ſpiritualium, & ſenſibilium inueſtigabo.

Delectatio quid.

¶ Quod igitur ad primum attinet, ſcire oportet, minimè facilè eſſe delectationis definitionem inuenire: Quidam enim ſic definiunt delectationem. Delectatio, inquiunt, eſt quies, ſeu acquieſcentia in bono ſibi congruenti. Verùm hæc definitio, exacta non eſt: nam lapis, igniſque, & cæteræ res inanimæ, quieſcunt in ſuis locis conuenientibus: at res inanimæ non delectantur: quies itaque latiùs patet, quàm delectatio: omnis enim delectatio eſt quies, at non omnis quies eſt delectatio. Cicero. Cicero varijs modis definit delectationem, ſiue voluptatem. Voluptas eſt quæ ſuauitate aliqua naturam ipſam mouet, & cum iucunditate quadam percipitur ſenſibus. & alio in loco. Voluptas eſt cùm percipitur ea, quæ ſenſum aliquem moueat, iucunditas. & alibi. Voluptas eſt iucundus motus in ſenſu. Ariſto. Ariſtot. 1. rhetor. capitulo. 10. ſic definit delectationem; Eſt quidam motus animæ, & conſtitutio, ſimul tota, & ſenſibilis, in naturam exiſtentem: quam definitionem explicat optimè Diuus Thomas in articulo. 1. dicens. D. Tho. Sicut contingit in naturalibus aliqua cõſequi ſuas perfectiones naturales, ita hoc contingit in animalibus: & quamuis moueri ad perfectionem, non ſit totum ſimul, tamen conſequi naturalem perfectionem eſt totum ſimul. Hæc autem eſt differentia inter res naturales, & animalia; quòd aliæ res naturales, quando conſtituuntur in eo, quod conuenit eis ſecundum naturam ſuam, hoc non ſentiunt, ſed animalia hoc ſentiunt, & ex iſto ſenſu cauſatur quidam motus in anima in appetitu ſenſitiuo, & iſte motus eſt delectatio. His igitur principijs ſtatutis, explicatur definitio Ariſtotelæa. Nam in eo quod dicitur, delectationem eſſe motum animæ; declaratur genus delectationis: eſt enim paſſio, ſiue motus animæ: cum verò dicitur, & conſtitutio in exiſtentem naturam; ſignificatur cauſa delectationis, ſcilicet præſentia connaturalis boni. Per hoc autem quod dicitur, ſimul tota; deſignatur, quòd conſtitutio non debet accipi ſecundum quod eſt in via, ſed prout eſt in termino motus, prout iam bonum connaturale eſt adeptum. Non enim delectatio eſt generatio, prout Plato exiſtimauit, ſed magis conſiſtit quando iam bonum eſt adeptum, vt docet Ariſtot. 7. Ethicor. cap. 12. & libro. 10. capitulo. 3. Per id autem quod dicitur, ſenſibilis; excluduntur perfectiones rerum inſenſibilium quarum adeptiones non cauſant delectationem. Hæc D. Thom. in explicationem definitionis Ariſtotelicæ. Plato. Ariſto.

¶ Sed contra hanc definitionem obijcitur, in hunc modum. Obiectio. Nam Ariſtot. 10. Ethicor. capitulo quarto, vbi diſtinctè, & exquiſitè inueſtigat definitionem delectationis, demonſtrat multis argumentis, quòd delectatio non ſit motus; & tandem conſtituit definitionem delectationis. Delectatio, inquit, ſiue voluptas, eſt operationis perfectio, non ſicut habitus, qui intraneus eſt, & forma, & principium operationis, ſed veluti finis, qui ex operatione proficiſcitur, ſicut decor ex iuuentute. Vnde Ariſtot. ſcribit, delectationem efficere operationem humanam perfectam. Inde etiam proficiſci ait, quòd homines perfectiſsimè operentur ea opera, in quibus delectantur. Ex quibus conſequens eſt, quòd delectatio non ſit motus. Propter hoc argumentum quidam dicunt, definitionem illam in libris Rhetoricorum poſitam, non eſſe Ariſtotelæam, ſed Platonicam, eamque ſecutum fuiſſe Ariſtotelem eo in loco, quoniam erat famoſa, & in ore omnium peruagata; quam argumentis ſubuertere non erat inſtitutum Ariſtot. in libris Rhetoricorum, impugnauit tamen in libris Ethicorum vbi ſuprà. Sed non eſt neceſſe propter argumentum leue, definitionem illam reprobare, quod facillimam habet ſolutionem.

¶ Dicendum namque eſt, quòd in animali duplex motus conſiderari poteſt; vnus, ſecundum intentionem finis, qui pertinet ad appetitum; alter, ſecundum executionẽ, qui pertinet Solutio.

ad

ad exteriorem operationem. Licèt ergo in eo qui iam consequutus est bonum, in quo delectatur, cesset motus executionis, quo tendit in finem, nõ tamen cessat motus appetitiuæ partis, quæ sicut priùs desiderabat non habitum, ita postea delectatur in habito. Et licèt delectatio sit quies quædam appetitus, considerata præsentia boni delectantis, quod appetitui satisfacit, tamen adhuc remanet immutatio appetitus, ab appetibili, ratione cuius delectatio, motus quidam est, & fit cum quadã corporali transmutatione. Ex his patet, quomodo delectatio sit motus, & non sit motus, & quomodo sit perfectio operationis. Sed & aliam definitionem posuit Arist. 10. Ethi. c. 3. Delectatio, est operatio non impedita: quæ definitio hunc habet sensum: Delectatio, est perfectio operationis non impeditæ. Vel delectatio, est passio quæ sequitur ex operatione non impedita. Itaque cum dicitur, delectatio est operatio non impedita, non est prædicatio per essentiam, sed per causam; quemadmodum dicimus eclypsim lunæ esse interpositionem terræ, inter Solem & Lunam; hoc est, Eclypsis causatur ex interpositione terræ inter Solem & Lunam. Vt igitur in pauca verba definitionem delectationis comprehendamus, sic definitur delectatio. ¶Delectatio, est quies in bono congruenti iam adepto, sensibilis, id est, quæ sensu percipitur: quod alijs verbis dixit Cicero: iucundus motus in sensu. Itaque ad delectationem istæ conditiones requiruntur. In primis, coniunctio, & adeptio boni congruentis, vel quod existimetur coniunctum, siue adeptum. Sæpe enim admonui, ad affectus, & animæ nostræ passiones non referre rem ita esse, nec ne, modò esse existimetur. Quidam enim sola phantasiæ actione id consequuntur, vt in maximis sibi bonis videantur versari: sicut ille apud Horatium.

Aristo.

Definitio delectationis.

Cicero.

Horatius.

Haud ignobilis, Argis
Qui se credebat miros audire Tragœdos,
In vacuo solus sessor, plausorq; theatro.

Nota est fabula. Deinde exigitur, quòd bonũ adeptum sit congruens: congruentiam verò inuenire sine proportione non possumus. Itaque debet esse proportio, & congruentia inter facultatem animæ, & obiectum; vt quædam sit quasi similitudo inter illa; tum, ne notabiliter sit maius, quod adfert delectationem neque notabiliter minus, quàm ea vis quæ recipit voluptatem. Ideò mediocris lux gratior est oculis, quàm ingẽs, & subobscura sunt gratiora hebeti visui: eundem in modum de sonis; quò fit, vt notis carminibus voluptatẽ potiùs capiamus, quàm ignotis; alijs auribus ijdẽ soni vasti sunt, alijs moderati. Requiritur præterea ad delectationem, vt cognoscatur, tum bonum adeptum, tum eius congruitas, tum verò eius adeptio; nam si hæc latent, delectatio non causatur. Vltimò requiritur immutatio appetitus, cum quadam suauitate, quæ est delectationis essentia. Et de definitione delectationis hæc hactenus. ¶Proximum est vt explicemus, in quo subiecto delectatio animi nostri consistat. Certè delectatio, & voluptas, in appetitu sedem habent: appetitus enim vertatur circa bonum; voluptas autem, & delectatio, maximè circa bonum versantur, & ex boni consecutione causantur: ergo delectatio, & voluptas, in appetitu consistunt. Sed duplex est appetitus; intellectiuus, & sensitiuus: ille, gaudet de bonis secundum rationem, & intellectum apprehensis; iste, de rebus quæ sensu percipiuntur. Inter quos est etiam alia euidentior differentia, quòd delectatio appetitus sensibilis est cum aliqua transmutatione corporali; dilatatur enim, & exagitatur cor cùm hilarescit, & cùm repentè delectatio contingit præter opinionem, vel expectationem nostram, exagitatur & dilatatur, adeò, vt etiã mors interdum consequatur, veluti in illis mulieribus bello secundo Punico, quæ cum filios suos, quorum esset mors nunciata, repentè viuos aspexissent, exanimatæ sunt: celeriùsque ex ingenti delectatione expirauerit quis, quàm ex immodica ægritudine. Cæterùm delectatio volũtatis nihil aliud est, quàm simplex motus voluntatis, quo hilarescit animus. ¶ Sed ex hoc quæstio nascitur non parua; Vtrùm delectatio, & tristitia in voluntate, passiones sint, an operationes? Scot. in. 3. sententiarum. d. 15. ex proposito probare nititur, quòd delectatio, & tristitia animi, non sunt operationes voluntatis, sed passiones: ponit enim hic autor in voluntate, tum operationes, vt amor, odium; tum passiones, vt delectatio, tristitia: operationes dicit esse liberas; passiones naturales esse docet. Cuius opinionis hæc sunt argumenta. ¶Primum; si tristitia est operatio voluntatis, aut est velle, aut nolle: sed non est velle, vt patet: neque nolle, quia Deus, & beati, possunt nolle, at tristari non possunt. Deinde, summè nolente aliquid Petro euenire, si illud eueniat, tristabitur; at in eo non fit aliqua operatio, quia iam ponitur quòd summè noluit. ¶ Tertiò, operatio est immediatè in potestate voluntatis & dominio, vt patet de volitione, & nolitione: tristari autem non est in potestate voluntatis, cùm id quod nolumus, aduenit. ¶Denique, operatio voluntatis, est à voluntate, & in voluntate: tristitia

Quod sit delectationis subiectum.

Vtrùm delectatio voluntatis sit passio vel operatio. Scotus.

Prim. argu.

Secundum

Tertium.

Quartum.

triſtitia autem eſt quidem in voluntate, ſed nó à voluntate; eſt enim de his, quæ nobis nolenti bus accidunt. Ad expoſitionem huius difficultatis eſt prima cõcluſio. ¶ Tam delectatio, quã triſtitia voluntatis, eſt à voluntate, & in voluntate; nam omnis motus voluntatis, eſt ab intellectu proponente bonum, & à voluntate exercente, & proſequente, ſiue refutante: ergo omnis motus voluntatis, cauſatur à voluntate, quo ad exercitium; & ab intellectu, quo ad ſpecificationem, ſiue apprehenſionem. Delectatio igitur, & triſtitia, cùm ſint animi motus, ſecundum appetitum intellectiuum, à voluntate ſunt, & in voluntate; ſunt enim actus immanentes. Hoc ipſum confirmatur. Nam voluntas eſt inclinatio, & appetitus ad bonum propoſitum per intellectum; ſicut appetitus ſenſitiuus eſt inclinatio ad bonum propoſitũ per ſenſum: ergo omnis motus voluntatis, cuiuſmodi eſt delectatio, ſiue triſtitia, eſt actus exercitus voluntatis circa bonum apprehenſum per intellectum. Certè in definitione delectationis probatũ eſt, quòd vt in voluntate ſequatur delectatio, neceſſum eſt vt cognoſcatur bonum adeptum, & eius adeptio: ergo delectatio eſt actus voluntatis exercitus, ſequens intellectus apprehenſionem. ¶ Secunda concluſio. Delectatio, propriè loquendo, non eſt velle, nec triſtitia, nolle. Probatur ſic. Nam fruitio (vt ex dictis patet) eſt actus diſtinctus contra velle; conſtat autem quòd fruitio in voluntate, aut eſt delectatio, aut eius ſpecies: & conſimili ratione, triſtitia diſtinguitur à nolle, ſi propriè loquendum eſt; nam largo vocabulo, per velle, omnis acceptatio voluntatis; & per nolle, omnis refutatio ſignificatur. Vnde Auguſtinus decimoquarto de ciuitate Dei, capitulo ſexto dicit, quòd lętitia nihil aliud eſt, quàm voluntas in eorum conſecutione, quę volumus. ¶ Tertia concluſio. Tam delectatio, quàm triſtitia eſt à voluntate, vt natura, ſeu naturaliter, ad eum modũ, quo ſuperiùs eſt dictum, quòd aliqua operatio voluntatis, eſt naturalis, vt velle beatitudinem, & amare Deum in patria, & fruitio Dei clarè viſi, eſt etiam naturalis. Probatur concluſio: quia non in poteſtate noſtra eſſe videtur, triſtari, vel delectari apprehęſis delectabilibus & triſtabilibus. ¶ Quarta cõcluſio. Delectatio, & triſtitia, habent magis de ratione paſsionis, quàm amor, odiumve: nã delectatio, & triſtitia, ſemper videntur eſſe à voluntate, vt natura; odium verò, & amor, minimè: & ideo voluntas ad amorem, & odium ſe habet magis actiuè, quàm ad triſtitiam, vel delectationem; & ad amorem, & odium, cum dominio; ad delectationem, & triſtitiam, ſine dominio. ¶ Quinta concluſio. Delectatio, & triſtitia voluntatis, propriè paſsiones appellari non debent: nam paſsio, ſi propriè loquendum eſt (vt ex dictis conſtat) ſemper fit cum tranſmutatione corporali: at delectationes, ſiue triſtitiæ voluntatis, non ſunt cum tranſmutatione corporali, ſunt enim in anima ſeparata, & in angelis: ergo propriè paſsiones non ſunt. ¶ Ad argumenta Scoti: ad primum dicendum, quòd triſtitia, propriè neq; eſt velle, neq; nolle, ſed operatio voluntatis, contraria fruitioni: communiter loquendo, eſt nolle; non tamen ſequitur, quòd poſsit eſſe in Deo; quia non eſt omne nolle: nõ enim ſe habent cõuertibiliter, ſed ſicut animal, & homo. ¶ Ad ſecundum dicendũ, quòd ſummè nolente Petro aliquid euenire, eueniente eo, triſtabitur certè, reſultante ex euentu apprehenſo, in volũtate nouo motu triſtitiæ. Neq; incõuenit, communicando cum Scoto in abuſu vocabuli, quòd cum ſumma nolitione obiecti, abſolutè, vel futuri, adueniat alia nolitio eiuſdem, iam præſentis, ſic enim cauſat triſtitiam; aliter enim mouet preſens, aliter abſens obiectum, vt dictum eſt. ¶ Ad tertium dicito, eſſe negandum quòd omnis operatio voluntatis ſit immediatè in poteſtate voluntatis; imò aliqua nunquam, vt prima; aliqua mediatè, vt delectatio, mediãte ſcilicet apprehenſione, vel amore obiecti. ¶ Ad quartum dicendum, quòd cum hoc, quòd triſtitia ſit de his, quæ nobis nolentibus accidũt, ſtat quòd ſit à voluntate, vt natura immediatè: his addo, quòd cùm adueniũt ea quæ nolebamus, triſtitiam voluntariè ſuſcipimus, & in ea voluntariè immoramur. Atq; ſic explicata quæſtione ſecunda, ad tertiam veniamus, in qua de differẽtia inter delectationem, gaudium, lætitiam, agebatur. ¶ Sanè delectatio, & gaudium in hoc differunt; quòd delectatio ſequitur quamcunque cognitionem; gaudium verò ſequitur cognitionem intellectualem. Vnde gaudium eſt affectio appetitus intellectualis in earũ rerũ conſecutione, quas volumus. Ex quo ſequitur, quòd delectatio latiùs pateat, quã gaudiũ; omne enim gaudiũ eſt delectatio, at nõ oĩs delectatio gaudiũ. Veruntamen inter gaudiũ, & lætitiã, ſecundum nominum propriam ſignificationem, hoc differt, quòd gaudium eſt affectio animi, dum ad menſuram rationis exhilaratur, & iucundatur: lætitia verò, cùm ita mouetur animus, vt exteriùs, præcipuè in vultu, immodicè appareat, & egrediatur. Vnde Stoici, qui omnes animi paſsiones, vt noxias, reijciebant, gaudium permittebant viro ſapienti; lætitiam verò in virum ſapientem cadere omnino negabant. Vnde Cicero quarta Tuſculanarum. Cùm ratione, inquit, animus mouetur, placidè, atque conſtanter, tunc gaudium dicitur; cùm autem

Prim. cõcl. Delectatio voluntatis cauſatur à voluntate.

Secũd. cõcl. Delectatio propriè nõ eſt velle.

Aug.

Tert. cõcl. Delectatio eſt à volũtate vt à natura.

Quar. cõcl.

Quin. cõcl.

Delectatio voluntatis propriè paſsio non eſt.

Solut. arg. Ad primum

Ad ſecundũ

Ad tertium

Ad quartũ

Quomodo differãt, delectatio, gaudium, & lætitia.

Stoici.

Cicero.

inaniter, & effusè exultat, tunc lætitia nuncupatur. Alia sentēt. Sed & alij viri bene docti dicunt, delectationem, & lætitiam in hoc discriminari; quòd lætitia est veluti primus aduentantis boni motus, post illum autem, cùm resedit animus, & bono sibi congruenti fruitur, & acquiescit, delectatio, siue voluptas est. Sed quidquid sit de hac vocabulorum differentia, certum sit, & exploratum, quòd hæc differentia non seruatur in diuinis literis: illa enim exuberantia gaudij in patria cœlesti, nunc appellatur lætitia, nunc delectatio. Psal. Dicitur enim in Psalmo. Delectationes in dextera tua, vsque in finem, & in alio Psalmo. Adimplebis me lætitia cum vultu tuo. Hæc de tertia quæstione dixisse sufficiant.

Quænā maior sit delectatio. ¶ Ad quartam progrediamur; cuius explicatio in duabus, aut tribus assertionibus consistit.

Prim. cōcl. ¶ Prima conclusio. Delectationes, quæ sunt in appetitu intellectiuo, secundum se sunt maiores, & suauiores, quàm quæ sunt in appetitu sensitiuo; vnde dicitur in Psalmo 118. Psal. 118. Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo. & Aristoteles dicit decimo ethicorum capitulo septimo, quòd maxima delectatio est, quæ est secundum operationem sapientiæ: & in sacro libro Sapientiæ, de iucunditate, & suauitate sapientiæ mirifica dicuntur, capitulo sexto, septimo, & octauo. Sap. 6. 7. & 8. ¶ Et probatur ratione euidentissima. Probatur cō clu. ratione Nam ad delectationem tria exiguntur, scilicet bonum coniunctum, & id, cui coniungitur, & coniunctio vtriusque, quæ requirit cognitionem; vt ad delectationem gustus requiritur cibus delectabilis, & gustus bene dispositus, atque adeò coniunctio vtriusque cum cognitione: si enim res delectabilis coniungeretur gustui dormientis, non sequeretur delectatio; quia non esset cognitio. At verò bonū spirituale, ex cuius adeptione iucundatur voluntas, est præstantius omnibus bonis sensibilibus, & est magis dilectum; cuius indicium est, quòd homines, vel perditi, nonnunquam absti nent à maximis voluptatibus corporis, propter honorem, qui est bonum intelligibile. Rursus, pars intellectiua, cui fit coniunctio, perfectior est, & nobilior, quàm sit pars sensitiua; atque adeò operatio, quam sequitur delectatio, nobilior est in parte intellectiua, quàm in parte sensitiua. Similiter coniunctio vtriusque intimior est, perfectior, & firmior, quàm in parte sensitiua. Intimior quidem, quia sensus persistit circa accidētia externa, intellectus verò penetrat vsque ad rei essentiam, & vsque ad medullam cedri. Item perfectior est, quoniam coniunctioni sensitiuæ admiscetur motus, qui est imperfectus. Item est firmior: nam bona delectabilia, sunt bona corruptibilia, & citò deficiūt, bona verò spiritualia, sempiterna, & perpetua. Certè vel ex hoc demonstratur, quàm tenuis, & caduca sit delectatio sensualis; nam durat tantùm per instans, & subita est: nō enim est in tempore, vt dictum est artic. 2. Delectatio verò spiritus, de se perpetua est. Et confirmatur. Confir. Nam iudicium de rebus, debet sumi ex decreto sapientum: sed vox illa est viri sapientis, & iusti; Melior est dies vna in atrijs tuis, super millia. & illa; Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum. Quòd si hæc non videā tur vera hominibus carnalibus, nō est mirandū: nam homines carnales non suscipiunt delectationes spirituales, nec gustāt quàm suauis sit spiritus Domini: sed lauentur peccatores, & mundi fiant, auferāt malum cogitationum suarū, quiescant agere peruersè, & discant bene agere, & veniant, & arguant nos, nisi ea quæ diximus vera esse comprobauerint: certè narrant iniqui fabulationes, & delectationes suas, sed non vt lex Domini Dei nostri. ¶ Secunda conclusio. Delectationes sensus, quo ad nos, vehementiùs mouēt. Secūd. cōcl. Delectationes sensus vehementius nos mouent. Primò, quoniam bona delectabilia sunt nobis magis cognita, nobiscum crescunt, nobiscū nutriuntur, & coalescunt. Secundò, quoniam præmiū boni delectabilis, continuò gustatur, & obiectum præsens magis mouet. Tertiò, quoniam homines indigemus delectationibus, tanquam medicinis, contra tristitias, & diuersos mœrores. Cùm igitur plures homines nō possint pertingere ad delectationes spirituales, declinant ad delectationes carnales. Quartò, homines mortales inchoamus nostram perfectionem à bono sensus, & consummamus illam in bono spiritus: & cùm sint plures inchoantes, quā consummātes, plures sunt qui delectationes sensus sectantur. Tert. cōcl. Plato. ¶ Tertia conclusio. Plato, & vniuersi philosophi, tum ethnici, tum Christiani, escā omnium malorū, voluptatem sensus appellant. De qua re sentētias philosophorum in medium producere lubet. Seneca. Seneca in quæst. sic seueriſimè pronūciat. Plerique; etiam nunc ex hominibus ita voluptatis imaginem concipiunt, vt illam in solio statuant regio, veluti humanarum planè reginā rerum. Quod verò ferendum minus est, virtutes ei subijciunt, vt famulas; nutum quoque, ne quid indignationi desit, obseruantes, vt è vestigio, quicquid visum illi fuerit, exequantur, tanquam illud demum productio hominis spectet, vt cibum, potumque, delectamentis implicitus, percolat. Hactenus Seneca. Antisthenes. Antisthenes aiebat libro septimo. apophtegm. tertio, insanire se malle, quàm voluptariè deliniri: & rectè ille quidem. Nam libro decimoquinto apud Silium Italicum legimus;

Quip-

Quippe nec ira Deũm tantũ, nec tela, nec hoſtes,
Quantum ſola noces animis illapſa voluptas.
Ebrietas tibi fida comes, tibi luxus, & atris
Circum te ſemper volitans infamia pennis.

Ariſtot. Ariſtoteles; Voluptatum initia obliuioni mandãda ſunt, & ſoli exitus memorandi, pœnitentia
Prou. 23. pleni. Cui conſonat illud Prouerbiorum 23. Ne intuearis vinum cùm flaueſcit, cum ſplenduerit in vitro color eius: ingreditur blãdè, ſed in nouiſsimo mordebit vt coluber, & ſicut regulus venena diffundet: loquitur de voluptaAriſt. te per vinum ſignificata. Idem Ariſtoteles primo ethicorum capitulo primo ſcribit; Vita voSocrates. luptuoſa, eſt vita pecudum. Socrates dicebat, eos, qui ſe ad continentiam, & frugalitatem exercuiſſent, & longè plus habere voluptatis, & minus doloris, quàm qui ſumma cura vndique pararent oblectamenta: quòd voluptates intemperantium, propter animi ſibi male conſcij cruciatum, propter infamiam, ac paupertatem, frequenter ipſi etiam corpori plus afferant moleſtiæ, quàm delectationis. Contra verò, quæ ſunt optima, eadem ſunt iucundiſsima, ſi quis aſſueſcat. Aiebat etiam eſſe turpe, ſi quis ſua ſponte ſeruiens voluptatibus, talem ſe faceret, quales nemo domi ſuæ vellet habere ſeruos. Talibus autem nullam ſalutis ſpem reliquam eſſe, niſi pro eis Deos comprecarentur alij, vt bonos dominos nanſciſci poſſent, quando prorſus decretum erat ſeruire. Exiſtimabat enim, nullos fædiorem, miſerioremque ſeruire ſeruitutem, quàm qui, & animo, & corpore ſeruirent voluptatibus, libro tertio. apoph. octauo & nono. Idem, eo die, quo bibiturus eſſet venenum, cum detractis compedibus ex frictu ſenſiſſet voluptatem, dicebat amicis; quàm mirè hoc natura comparatum eſt, vt hæ duæ res ſeſe inuicem comitentur, voluptas, ac dolor; niſi enim præceſsiſſet moleſtia, non ſentirem hanc voluptatem. Apoph. 73. libro tertio, idem admonebat, voluptates non aliter, quàm ſyrenas eſſe prætereundas, ei, qui properat vt virtutem, veluti primam conſpiciat: alluſit ad Vlyſſem, qui cera obturatis auribus præternauigauit ſyrenas, vt Ithacæ fumum ſubſilientem cerneDiog. ret. Apoph. nono Diogenes aiebat, quòd qui ſcopum non attingunt, hi vulgò, ἁμαρτάνειν, id eſt, fruſtrari dicuntur: at ipſe negabat illos fruſtrari, qui aberrarent ab ſcopo, ſed eos, qui curas ſuas ad voluptates, velut ad ſcopũ dirigerent: nã ab his petunt beatitudinem, cum per eas deueniant in ſummam miſeriam. De hoc ſcribitur libro tertio apophtegm. nonageſimoſexto poſt
Alexand. primum centenarium apophtegm. Alexander Darij Regiam ingreſſus, cùm videret ſublime cubiculum, & in eo ſtratum, menſas, cæteraque omnia mirifico ornatu inſtructa; Hoccine, inquit, erat imperare? ſentiens non eſſe regium habitum, delicijs indulgere. Idem lectum ingreſſus, excuſsis accuratè pallijs, dicere ſolebat; Nunquid hîc delicatum, aut ſuperfluũ mater addidit? adeò abhorrebat à muliebribus delicijs. Apoph. quinquageſimoprimo, & quinquageſimoſecundo, libro 4. folio 247. pag. ſecunda. Hieronymus libro ſecundo contra Iouinianum, tomo tertio, folio 34. & 35. Horatius irri- Hieron. det appetitum ciborum, qui conſumpti relin- Horat. quunt pœnitentiam.

Sperne voluptates, nocet empta dolore voluptas.

Et cum in amœniſsimo agro in morſum voluptuoſorum hominum ſe pinguem, craſſumque deſcriberet, luſit his verſibus;

Me pinguem & nitidum bene curata cute viſes,
Cùm ridere voles Epicuri de grege porcum.

¶ Solon, vnus de ſeptem ſapientibus, dixit, vo- Solon. luptatem fuge; ipſa namque poſtremò dolorem parit. Et vide ſi non hæc ſententia cum Prouerbio Salomonis conueniat, qui dicit de Salomon. vino, vel magis de voluptate, per vinum ſignificata; Ingreditur blandè, & in fine mordet vt coluber. Periander, ex eodem numero, volu- Periander. ptates mortales eſſe dicebat, veritatem autem æternam. Epictetus; Nil, inquit, vilius, quàm Epictetus. amare voluptatem, aut quæſtum, aut iactantiam: nil magnificentius manſuetudine, & humanitate. Dionyſius in libris, quos de regno Dionyſ. ſcribit, inter cætera præcipit regi, vt labores amplectatur, ſpernatque voluptatem, quæ, inter cætera mala, poſsidentem ſe non diu perfrui ſinit; at labor, diutiùs laborantem ſuſtinet, atque adiuuat. Iſocrates; Ducas, in- Iſocrat. quit, non ducaris à voluptatibus. Voluptates mundanæ, ſunt opera luti, & lateris, quibus affligebantur filij Iſrael in Ægypto, admixtis paleis, id eſt, ſubſtantia temporali, quam vndique conuerrunt, vt pendant penſum Pharaoni regi Ægypti, id eſt, dæmoni, Regi tenebrarum, quia ſic admiſcent, & perdunt peccatores in opere luteo ſubſtantiam, id eſt, in voluptatibus obſcœnis, vt ædificent Pharaoni duas ciExod. 1. uitates tabernaculorum, vt dicitur Exodi 1. vel theſaurorum, ſecundum aliam literam; quia ibi recondit dæmon vniuerſam annonam ſuam. Sunt autem nomina ciuitatum; Phytõ, quod interpretatur, os abyſsi; & Rameſſes, malitia. vide quàm quadrant nomina; quia ſic peccatores per opera ſua ædificant os inferni, in quo ſunt; à cuius ventre non abſunt, niſi paſſum mortis vt glutiantur, & malitiam tineæ; hoc eſt, vermis conſcientiæ, qui corraſurus eſt viſcera eorum in perpetuum: quia vermis eorum non moritur, vt ait Propheta. Ibi in Propheta.

operibus luti conſiſtit annona, & reditus demonis recondendi in inferno, quem ædificant illi, tanquam in horreo proprio. Huius eſt naturę
Muſonius. voluptas (ait Muſonius) vt paulatim illecta, & ſubrepens quotidie maiores campos acquirat, priuſque totum occupet, quàm ex parte ſentiatur.
Epictetus. Epictetus apud Arrian: Quòd ſi te voluptatum phantaſia fortè rapuerit, eam alijs dele phantaſijs, vt ſpatio interpoſito, poſsis reminiſci vtriuſque temporis; cùm videlicet victus quādoq; à voluptate fueris, magnopere te pœnitebit, & cùm abſtinueris, magnum fuiſti gaudium aſſequutus. Si autem voluptas aderit tolerabilis, ea ſic vtere, vt tui ſis compos, habenaſque manibus teneas.
Epicurus. Epicurus apud Diogenem, frugalem victum, pane, aquaque contentus amabat, non vt aduerſus voluptati, ſed quòd maiorem voluptatem in minima victus cura reperiret: ſumptus enim, & delitias, animi
Cicero. dolores, ac moleſtias gignere. Cicero de ſenectute inquit. Sequitur tertia vituperatio ſenectutis, quòd eam carere dicunt voluptatibus. O, inquit, præclarum munus ætatis, ſiquidem id aufert nobis, quod eſt in adoleſcentia vitioſiſſimum. Accipite enim, optimi adoleſcentes, ve-
Architas. terem orationem Architæ Tarentini, magni in primis, & præclari viri, quę mihi tradita eſt, cùm eſſem adoleſcens Tarenti cum Quinto Maximo: nullam capitaliorem peſtem, quàm corporis voluptatem hominibus dicebat à natura datam: cuius voluptatis auidæ libidines, temerè, & effrænatè ad potiundum incitarent. Hinc patriæ proditiones, hinc Rerumpublicarum euerſiones, hinc cum hoſtibus clandeſtina colloquia naſci dicebat: nullum deniq; ſcelus, nullum magnum facinus eſſe, ad quod ſuſcipiendum non libido voluptatis impelleret: ſtupra verò, adulteria, & omne tale flagitium, nullis alijs illecebris excitari, niſi voluptate. Cumque homini, ſiue natura, ſiue quis Deus nil mente præſtabilius dediſſet, huic diuino muneri, ac dono, nil tam eſſe inimicum, quàm voluptatem. Nec enim libidine dominante temperantiæ locum eſſe, nec omnino in voluptatis regno virtutem poſſe conſiſtere. Quod quò magis intelligi poſſet, fingere animo aliquem iubebat, tanta incitatum voluptate corporis, quanta percipi poſſet maxima, nemini cenſebat forè dubium, quin tamdiu, dum ita gauderet, nil agitare mente, nil ratione, nil cogitatione conſequi poſſet. Quo circa nil tam deteſtabile, tamque peſtiferum, quàm voluptatem: ſiquidem ea cùm maior eſſet, atque longior, omne animi lumen extingueret.

QVAESTIO XXXII.

De cauſa delectationis, articulos habet octo.

ARTIC. PRIMVS.

¶ Vtrùm delectatio conſequatur operationem.

SVMMA TEXTVS.

Conclu. AFfirmans eſt concluſio. Nam ad delectationem duo exiguntur, conſecutio videlicet boni cõuenientis, & cognitio conſecutionis. Vtrumque autem iſtorum in quadam operatione conſiſtit: cognitio enim actualis, eſt quædam operatio; bonumque adipiſcimur per aliquam operationem.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ Vtrùm motus ſit cauſa delectationis.

SVMMA TEXTVS.

Concluſio. AFfirmanseſt concluſio. Efficitur namque delectabilis ſecundum illa tria, quæ concurrũt ad delectationem; bonũ videlicet delectans, coniunctio delectabilis, & ipſa coniunctionis cognitio. Natura autem noſtra ſic inſtituta eſt, quòd motus eſt ſibi conueniens; & ex parte noſtra trãſmutatio efficitur delectabilis, ita quòd aliquid nunc conuenit, quod non conueniet poſtea; ſicut in hyeme calefieri, quod non conueniet in æſtate. Patet etiã ex parte boni delectabilis, quod cõiungitur nobis: ex hac enim parte fit delectabilis tranſmutatio: nam actio continuata alicuius agentis, auget effectum: quãtò enim quis diutiùs appropin

quat

quat igni tantò magis calefit. Naturalis autem habitudo in quadam mensura consistit; vnde si actio excedit mensuram, delectabile transiret, & sequeretur labor, & sic remotio efficeretur delectabilis. Patet etiam ex parte cognitionis, quòd desiderat homo cognoscere aliquid totum, & perfectum, quod cùm totum simul apprehendi non potest, delectat in his transmutatio, vt vnum trãseat, & aliud succedat, & sic totum sentiatur.

ARTIC. TERTIVS.

¶ Vtrùm spes, & memoria sint causæ delectationis.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Conclusio est affirmans. Nam delectatio causatur ex præsentia boni conuenientis, prout sentitur, vel alio modo percipitur; fitque nobis aliquid præsens, vel secundum cognitionem, prout cognitum est in cognoscente secundum suam similitudinem; vel secundum rem, prout vnum realiter alteri coniungitur, vel actu, vel potentia. Cumque maior sit coniunctio secundum rem, quàm secundum cognitionem, quæ est secundum similitudinem; & maior sit coniunctio rei in actu, quàm in potentia, ideo maxima est delectatio, quæ fit per sensum, quæ requirit præsentiam rei sensibilis. Secundum gradum tenet delectatio spei, in qua est cõiunctio, non solùm secundum apprehensionem, sed etiam secundum possibilitatem adipiscendi bonum, quod delectat. Tertium gradum tenet delectatio memoriæ, quæ habet solam coniunctionem apprehensionis.

ARTIC. QVARTVS.

¶ Vtrùm tristitia possit esse causa delectationis.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio est. Tristitia per accidens potest esse causa delectationis, in quãtum memoratur homo se euasisse ab aliquibus tristibus, & dolorosis, & sic ei accrescit gaudij materia: & secundum quòd est in actu, causat delectationem, in quantum facit memoriam rei dilectæ, de cuius absentia aliquis tristatur, & tamen de sola eius apprehensione delectatur. Conclusio.

ARTIC. QVINTVS.

¶ Vtrùm actiones aliorum, possint esse causæ delectationis.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Conclusio affirmans est. Nam tripliciter potest alterius operatio esse causa delectationis. Primò, cùm per alicuius operationẽ aliquod bonũ cõsequimur. Secũdò, cùm per aliorũ operationem causatur in nobis aliqua cognitio, vel aliqua æstimatio proprij boni; vnde homines delectantur in hoc, quòd laudãtur, vel honorantur ab alijs, maximè à sapientibus. Tertiò, prout aliorũ bonæ operationes æstimantur vt propriæ, propter vim amoris, qui facit æstimare amicũ quasi sibi eũdem.

ARTIC. SEXTVS.

¶ Vtrùm benefacere delectet.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Concluſio affirmat, in quã tum alterius bonum, propter vnionem amoris, ſicut proprium reputamus, & alijs benefaciendo ſperamus à Deo, vel ab hominibus bonum nobis conſequi. Spes autem eſt cauſa delectationis; fitque in nobis imaginatio quædam abundantis boni in nobis exiſtentis, ex quo alijs communicare poſſumus, ex qua delectamur; & ideo liberaliter alijs tribuimus, maximè amicis, cùm amor ſit cauſa delectationis.

ARTIC. SEPTIMVS.

¶ Vtrùm ſimilitudo ſit cauſa delectationis.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Concluſio eſt affirmans. Nam ſimilitudo eſt quædam vnitas; & vnũquodque ſic eſt delectabile, ſicut & amabile; & ſi id quod eſt ſimile bonum, proprium non corrumpit, ſimpliciter eſt delectabile; ſiverò corrumpit, per accidens efficitur contriſtans, non in quantum eſt ſimile, & vnum, ſed in quantũ proprium bonum corrumpit: vno modo, per exceſſum, ſicut accidit inſuper abundantibus cibis, qui faſtidium generãt: alio modo, per directã cõtrarietatem ad ipſum bonum propriũ, prout vnus figulus aliũ odit, nõ vt figulus eſt, ſed in quantũ per alium amittit propriam excellentiam, ſiue proprium lucrum.

ARTIC. OCTAVVS.

¶ Vtrũ admiratio ſit cauſa delectationis

SVMMA TEXTVS.

Concluſio. Concluſio eſt affirmans. Habet enim adiunctam ſpem conſequendi cognitionem eius, quod ſcire deſiderat: propter hoc enim admirabilia ſunt delectabilia, in quantum ſunt rara; & habet aliquis deſiderium addiſcendi cauſam, cùm videat effectum, & ipſam ignoret; non ergo ex ignorantia habet delectationem, ſed in quantum admirans aliquid nouum addiſcit, gaudet enim anima in collatione vnius ad alterum: quia eſt hic proprius actus, & connaturalis rationis.

EXPLICATIO QVAESTIONIS.

OMnes natura trahimur ad delectationem, & voluptatem ſolidam, & veram; ſed vbi nam ſit conſtituta, pleriq́ue ignorant. Pleriq́ue enim mortales voluptatem ſenſualem perſequuntur; pauci verò, quos Deus amat, voluptatem animi diligentiùs perquirunt: Sed vbi nam ſit pax, tranquillitas, & voluptas vera animi noſtri, explicat in primis eleganter D. Thom. in hac quæſtione. In mentis, inquit, perfectiſsima operatione; nã delectatio ſequitur operationem: ergo perfectiſsima delectatio, perfectiſsimam operationẽ. In mente itaq́ue ſunt puriſsimæ, ac perfectiſsimæ delectationes, quibus illa non fatigatur, ſed reficitur; tales illic ſunt, quales nemo, niſi exper tus, adduci poſsit vt credat. Sed documento poſſunt eſſe, hi, qui rerum omnium iacturam, facilè, ac libenter pertulerunt, vt liberè illis, atq́ue ex animi ſui ſententia liceret perfrui. Quæ in contemplatione ſunt voluptates, ex natura illarum ſunt, quibus nos in vita beata beatiſsimi reddemur; & ideo Pythagoras eam vitam dicebat eſſe omnium præcellentiſsimam, & Ariſtoteles finem bonorum omnium in contemplatione, & eius delectatione collocauit. Vnde Ariſt. 10. ethicor. c. 5. ſic ſcribit. Cæteris quidem animalibus in propria ſpecie, ſua eſt voluptas, & proprius cibus; homini tamen diuerſa ineſt volu-

Vbi nã ſit vera voluptas. D. Thom.

Pythago.

Ariſt.

voluptas: in causa est electio quam habet. Inter eius quoque voluptates præstantior illa, quæ contingit homini studioso, & secundum virtutem viuenti; cæteræ verò secundariæ. Habet etiam hęc delectatio animi nostri, habet (inquã) aliam præexcellentiam, quòd nemo eam tollet à nobis, neque impedire poterit; nemo enim in hac parte læditur, nisi à seipso; nunquam excidit, semper nos comitatur, & vbicunque sumus, omnem delectationem, veram, & solidam circumferimus. Itaque si quæris fontem, vnde læti tia vera, & gaudium solidum exhauriatur, studiosa vita, & operatio virtutis; potissimè verò diuina sapientia, & diuinarum rerum contemplatio est. Sed & alium fontem, longè vberiorem, fontem lætitiæ, & delectationis tibi demonstrabo, ipse est, Deus meus, & glorificabo eum. De qua re lubet hic cuiusdam doctoris, bene docti, & pij, afferre sententiam, quæ propemodum his verbis scripta est. Cùm Deus solus, qui est summum, & incommutabile bonum, possit desideria animæ rationalis satiare, quietaque reddere, meritò ad hoc ardenti auiditate adspirare deberet omnis homo, vt obtenta vitæ perfectione, ipsi Deo in hoc exilio intimè vniretur. Nã si hùc pertingeret homo, illũ reuera intus inueniret, sentiretq; qui sua iucũda prętentia omnem ab ipso profligaret egestatem, & cum verissima opulentia locupletaret, ineffabilique repleret gaudio. Vnde iam homo euagari, & adultera oblectamenta à creaturis emendicare prohiberetur: illi enim insipidum, amarumque esset, quidquid Deus non esset. Planè spiritus rationalis tam nobilis est, vt nullum bonum caducum ei satisfacere queat. Non enim his, quæ se inferiora sunt, expleri, & beatus esse potest: ipso autem inferiora sunt, cœlum, terra, mare, & quidquid visibile, sensibileque est. Itaque conditore Deo dumtaxat (qui incomparabiliter ipso melior, digniorque est) contentus, ac beatus esse potest; sine quiete, vagus, sine refectione famelicus homo oberrat, quàm diu brachijs charitatis illum perfectè non constringit, qui propter suam dignitatem non potest non concupisci. Quibuslibet diuitijs, ac delitijs affluat, quibuslibet honoribus abundet, satiari nequit, nisi per contactum amoris Deum consequatur. Quo, in præclarissima sui portione, nempè in mente, semel inuento, creaturis omnibus libenter vale dicit, & cum Psalmista cantat; Mihi adhærere Deo, bonum est; atque cum beato Iob ait; In nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies. Non iam aliqua solatia exteriùs requirit; quia illi intùs copulatur, qui est torrens, & pelagus inæstimabilium voluptatum, exuberansque plenitudo omnium, quæ pulchra, amœna, suauia, præcellentia, & desiderabilia sunt, atque cordi humano placere possunt.

Sententia cuiusdam viri docti.

Dauid. Iob.

¶ Sed iam deueniamus ad explicandum, quomodo sit verum, quòd cognitio, quæ est intellectus operatio, & consecutio, siue coniunctio boni congruentis, & conuenientis, causet delectationem: Nam quòd cognitio requiratur, vt sequatur delectatio, per se notum, & euidens est. Si enim cibus poneretur in ore dormientis, non efficeret delectationem. Si rursus imperium iure hæreditario adueniret alicui ipso nesciente, non propterea delectaretur. Vtrùm verò cognitio sit causa per se delectationis, an verò tantùm conditio requisita, alia quæstio est, varijs in locis à me explicata. Sed quomodo consecutio boni sit causa delectationis, à Domino Caiet. difficilè explicatur: cùm tamen, quantum mea fert opinio, nullam præ se ferat difficultatem; sed est nodum in scirpo quærere, quod aiunt. Arguit igitur Caietanus.

Quomodo cognitio ad delectationem requiratur.

Cõsequutio quomodo causet delectationem. Caiet.

¶ Nam proprium esse, & viuere, & alia huius generis, maximè delectant: at esse, & viuere, non consequimur per nostram operationem: delectant quoque nos multa, in quibus constituimur, non per operationes, sed potiùs per hoc quod recipimus, & patimur, vt patet cum delectationem, & voluptatem capimus, quando refrigeramur, vel calefimus, & conueniens locus nos delectat, in quo constituimur per esse in loco, & non per operari. Hæc obijcit Caietanus, quæ facilem habent solutionem. Nam Diuus Thomas loquitur de delectatione, quæ aduenit ex bonis, quæ nostro marte, & nostris operibus conquirimus. Pro cuius explicatione nouisse oportet, quòd in bonis, quæ nostro marte, & nostris operibus consequimur, necessum est vt bona cõsequamur cõgruentia, vt sequatur delectatio: delectatio enim est quies, quæ vsque ad boni adeptionem non exist it. Sed sunt quædam bona nobis insita, siue nobiscum congenita, & nata, quæ delectant nos, non quia consequimur, sed quia habemus illa: & quoniam hæc delectatio est etiam naturalis, & nobis insita, de ea D. Thomas minimè fuit solicitus. Loquitur igitur Diuus Thomas de delectatione ex bonis superuenientibus.

Argum. Caiet.

Solutio.

¶ Sed illud habet difficiliorem tractatum, de causa delectationis ex parte obiecti. Scribit enim Diuus Thomas, quòd debet esse bonum congruum, & conueniens quod causat delectationem, & delectabile appellatur. De hoc dubitat Caietanus, an bonum causet delectationem, ratione bonitatis, an ratione conuenientiæ. Et videtur quòd ratione bonitatis. Nam

An bonum causet delectationem ratione bonitatis.

Arguitur. ratio, quæ causat delectationem, est ratio agendi: ratio autem agendi, non est relatio: ergo non est conuenientia; siquidem conuenientia relatio est, sed erit bonitas conueniens. Quòd autẽ sit ipsa conuenientia, probatur: quia nisi ratio apprehenderet aliquid vt conueniens, non causaret delectationem. In hac quæstione explicanda, Scot. in 3. d. 15. docet, quòd bonum conueniens, ratione bonitatis, & secundum rationem absolutam, causat delectationem, & delectabile dicitur: secundum verò relationem conuenientiæ, dicere causam, sine qua non causaret delectationem. Itaque conuenientia, est veluti approximatio agentis, ad agendum. Caietano verò placet, quòd relatio conuenientiæ, aut disconuenientiæ in actu exercito, concurrat ad causandam delectationem, vel tristitiam, vt ratio agendi. Et mouetur ex eo, quòd delectatio, & tristitia de eodem, differunt specie; quippe quæ contrariæ sunt: Ergo delectabile, & tristabile, earum obiecta propria, & per se positiuè actiua, differunt specie, secundum rationes agendi illas, sed non secundum rationes absolutas: Ergo secundum rationes respectiuas conuenientiæ, aut disconuenientiæ; siquidem in re nulla est differentia, cùm sit idem obiectum. Et confirmatur. Nam oportet omnino contrarias actiones, à contrarijs rationibus agendi proficisci, in naturaliter agentibus proprijs, qualia sunt, delectabile, vel tristabile. Sed constat, quòd idem absolutum, putà, calor, modò causat delectationẽ, modò tristitiam, apprehensus, vel perceptus vt conueniens, vel disconueniens. Existente igitur forma absoluta eadem, & facto transito de delectabili in tristabile, propter variationem de conuenientia in disconuenientiam, videtur sequi euidenter, quòd ratio conuenientiæ, vel disconuenientiæ, sit ratio causandi delectationẽ, vel tristitiam. Sed & exemplo rerum naturaliũ idem comprobatur. Quis enim nunquam fugeret lupum, nisi apprehenderet ipsum vt disconuenientem: & continuò experimur, propter varias relationes, importantes conuenientiam, vel disconuenientiam, apprehensas de aliquo, variè immutari à delectatione in tristitiam, & ècõtra. Certè, inquit Caietan. decipiuntur contrarium docentes, existimantes quòd relationes non sunt principia actiua: nam quanquam relationes nõ sunt principia actiua, vt relationes sunt, sunt tamẽ vt apprehensæ sunt: & qui negat hoc negat quoque æstimatiuam, cuius obiectum sunt intentiones non sensatæ, elicitæ ex sensatis, vt vtile, amicum, inimicum. Sed altera causa deceptionis potest esse, quòd non distinguitur inter apprehendere relationem alicuius in actu signato, & in actu exercito. Exemplum sit; quis nouit agnum, vt terminũ lactationis, non quòd oporteat eam apprehendere ipsam relationem termini, quod esset apprehendere in actu signato; sed quia apprehendit agnum, vt exercentem relationem termini, lactationis; & simile est in alijs: ex talibus enim apprehensionibus relationum causatur, vel delectatio, vel tristitia, & cæteræ animi passiones. Hactenus Caietan. ¶ Sed vt meam sententiam paucis explicatam reddam, ego sic statuo. Bonum, sub ratione conuenientiæ, & congruitatis, causare delectationem; & disconueniens, sub ratione disconuenientiæ, causare tristitiam: quod adeò certum est, vt probatione alia non sit opus. Sed dico, quòd hæc ratio conuenientiæ, quanquam explicatur vocabulo relatiuo, non significat relationem, sed perfectionem, aut pulchritudinem rei absolutam. Beati enim non delectantur in vita beata, de relatione, sed de bonitate, & pulchritudine diuinitatis: qui dulcedine mellis, & suauitatis delectatur, certè non de relatione, sed de perfectione dulcedinis voluptatem capit. Idemque est animaduertere in cæteris bonis. Itaque cùm dicit D. Thom. quòd delectatio causatur ex adeptione boni cõuenientis, sensus est, quòd delectatio causatur ex adeptione boni, quod mihi est bonum, & conueniens: stat enim, quòd id, quod alijs bonum est, mihi bonum non sit. Certè sicut delectamur de bono conueniente, sic amamus bonum conueniens: Sed nemo dicat quòd amamus relationem conuenientiæ: ergo à nemine dicatur, quòd delectamur de relatione cõuenientiæ: id enim quod amatur, est delectabile. Sed iam finio quæstionem, & ad aliam quæstionem progredior.

Scot. Caiet. Ratio Caiet. Confir. Exemplum est in naturalibus. Autoris sententia.

QVAESTIO XXXIII.

De effectibus delectationis, articulos habet quatuor.

ARTIC. PRIMVS.

¶ *Vtrùm delectatio dilatet cor.*

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Conclusio est affirmans. Nam delectatio, nomen est, quod motum ad latitudinem significat; quæ cùm dimensio magnitudinis corporalis sit, metaphoricè sumitur in affecti

bus

bus animæ. Et ex parte virtutis apprehensiuæ, apprehendit homo, ex coniunctione boni congruentis, perfectionem quandam se esse adeptum, quæ spiritualis magnitudo est, & secundum hoc animus magnificari dicitur, seu dilatari per delectationem. Ex parte etiam virtutis appetitiuæ, quæ assentitur rei delectabili, & in ea quiescit, præbens se ei, ad interius ipsam capiendam; hominis affectus per delectationem dilatatur.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ Vtrùm delectatio causet sitim vel desiderium.

SVMMA TEXTVS.

Prim. cõcl. PRima Conclusio. Quãdo delectatio est perfecta, tunc omnimodam habet quietem, & nullum habet motum, seu desideriũ tendens in non habitum, cùm nihil superfit desiderandum.

Secũ. cõcl. ¶ Secunda Conclusio. Omnes ferè delectationes corporales, sitim, & desiderium excitant. Contingit enim rem non perfectè habere, quia res habita non est tota simul, quando recipitur successiuè, vt sunt propemodum omnes delectationes sensus.

Tert. cõcl. ¶ Tertia Conclusio. Delectationes spirituales contrarium pariunt effectum, atque sensuales; quia corporales, & sensuales per excrescentiam naturalis habitudinis efficiuntur fastidiosæ, vt patet in delectatione ciborum; sed spirituales non superexcrescunt naturalem habitudinem animi nostri, imò perficiunt naturam: vnde cũ peruenitur ad consummationem in ipsis, tunc sunt magis delectabiles; nisi per accidens operationi contemplatiuæ, adiungantur aliquæ operationes virtutum corporalium, quæ per assiduitatem operandi lassentur. Quare in Eccles. dicitur. Qui bibit me, adhuc sitiet. Eccles.

¶ Quarta Conclusio. Si consideratur delectatio, prout est in memoria, & non in actu, sic causat sitim, & desiderium, quando homo redit ad illam dispositionem, in qua erat sibi delectabile id quod præterijt; si autẽ immutatus ab ea dispositione sit, memoria non causat delectationem, sed fastidium, sicut ei, qui plenus est cibis, memoria cibi generat fastidium. Quar. cõcl.

ARTIC. TERTIVS.

¶ Vtrùm delectatio impediat vsum rationis.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. COnclusio sic habet. Delectationes corporales impediunt vsum rationis. Pro cuius expositione scire oportet, quòd delectationes propriæ, adaugent operationes; extraneæ verò impediunt. Est ergo quędam delectatio, quæ habetur de ipso actu rationis; sicut cùm aliquis delectatur in contemplando, vel ratiocinando; & talis delectatio non impedit vsum rationis, sed adiuuat; quia illud attẽtiùs operamur, in quo delectamur: attentio autem adiuuat operationem. Verùm

delectationes corporales impediunt vsum rationis triplici de causa: primò quidem, ratione distractionis; quia cùm fortiter inhæret intentio alicui rei, debilitatur circa alias res, vel ab alijs reuocatur. Deinde, ratione contrarietatis: quædam enim delectationes, maximè superexcedentes, sunt contra ordinem rationis: & per hunc modum dicit Aristotel, 6. ethicor. Aristot. quòd delectationes corporales corrumpunt æstimationem prudentiæ, non autem existimationem speculatiuam, cui non contrariantur; putà, quòd triangulus habet tres angulos: secundum autem primum modum, vtramque impediunt. Impediunt etiam, in quantum ad delectationes corporales, sequitur quædam transmutatio corporalis, maior, quàm in alijs passionibus: quātò vehemētiùs afficitur appetitus ad rem præsentem, quàm ad absentem; & tales perturbationes impediunt vsum rationis, vt patet in vinolentis, qui eum ligatum habent.

ARTIC. QVARTVS.

¶ Vtrùm delectatio perficiat operationem.

SYMMA TEXTVS.

Conclusio. CONclusio affirmat: Nam certè delectatio perficit operationem per modum finis, secundum quod omne bonum completiuè superueniens potest dici finis: super istud enim bonum, quod est operatio, superuenit aliud bonum, quod est delectatio, importans quietationem appetitus in bono adepto. Perficit etiam indirectè, in quantū agens delectatus in sua actione, vehemē tiùs attendit ad ipsam, & sic diligē tiùs eam operatur.

EXPLICATIO QVAESTIONIS.

DE effectibus delectatiōis breuiter, & strictè edisseram, siquidem res est de se manifesta satis. Certè nemo est qui non sentiat, in delectatione, & lętitia exagitari cor, & dilatari: à qua cordis dilatatione existit risus, & exultatio: cùm enim iam pectus coercere non potest suum cor, tunc risus, & gesticulatio, & quoque dementia. Risus & exultatio. Qui molles sunt corde, facilè delectationem, & mœrorē susc ipiunt, vt sigillum in cera: qui duro, & calido, lætitiam citò capiunt, & diu retinent; sicut contrà, qui duro, & frigido, mœrorem, vt in atra bili. Est enim mœror affectus terrestris, frigidus, & aridus. Lætitia autem, calidus, & humectus. Idcirco ea facilè in pueris, iuuenibus, & beneualentibus nascitur. Mœror lętitia. Ex hac igitur cordis dilatatione existit risus, & exultatio. Risus verò, affectus non est, sed actus exterior, ab interiori manans: nam ex delectatione dilatatur cor, ad cuius motum, & facies extenditur, eaque potissimùm pars, quæ est circa os, qui rictus nominatur, vnde risus. Itaque risus exteriorem sedem habet in ore primùm, hinc in oculis, & toto vultu: interiorem autem philosophi affirmant esse in præcordijs; in his præcipua hilaritatis, & delectationis sedes; quod titillatu maximè deprehenditur alarum, quas subit; & gladiatores, qui eo loco essent sauciati, ridentes obierunt. Sedes exterior risus. Interior risus sedes. Risus aliquando omnino corporalis, & ex affectu non nascitur, sicut in titillatione sub axillis, aut alijs in locis: Aliquando nascitur ex indignatione, & mœrore, qualem fuisse Annibalis in curia Carthaginensi à Scipione victi ferunt; sed hic non risus, sed simulatio risus fuit. Risus Annibalis. Risus qui ex affectu nascitur, de lætitia est, aut delectatione noua; nascitur enim primo illo cōtactu, quo delectatio recens mouet animum; insperata verò, & subita plùs delectant, & citiùs commouēt risum, & maiorem; nam de veteribus, & assuetis non ridemus: vehemens cogitatio, vt affectum impedit, ita etiam risum. Quibus de causis prudentes, & sapientes viri non ita frequenter rident; cùm, ob magnas, intentasque cogitationes; tum, quòd illis ob prouidētiam, pauca sunt noua, aut insueta: accedit his constitutio corporis in præstantibus ingenio viris ad atram bilem incli-

Inter animãtes ſolus homo ridet

inclinans. Inter animantes ſolus homo ridet, quoniam is ſolus habet vultum, quo riſum teſtetur; cæteris autem facies immoto habitu torpet; non quòd animalia ad ſenſum boni, & voluptatis non concitentur, & edant ſigna quædã, quæ riſus vim, & vicem obtinent, vt exultationes, & voces in ſuo illo genere inconditas, ſed quia vultum, vti nos, non mutant, ridere non dicuntur. Qui autem Græca voce Agelaſti nominantur, quaſi non ridentes, non ideo, quia ridere non poſſunt, ſic dicũtur, ſed quia rarò, vel ex natura melancholica, & duro corde, vel occupati cogitatione maiorum malorum, qua excluditur delectatio, non prorumpunt in riſum. Sed de hoc ſatis ſit. ¶ Illud tamen habet dubitationẽ non partuam ad explicandum ſecundum articulum, quid eſt quòd beati ſemper videntes Deũ, & ex Dei viſione voluptatem perpetuam capiẽtes, faſtidio, & ſatietate non alienẽtur? Ita enim comparatũ eſt, vt faſtidio ſit quòd in vita ſemper eiſdem rebus vtendum ſit, & omnino iucunditas in quadam permutatione poſita eſt: neq; enim in eo voluptas ſita eſt, ſi perpetuò eiſdem fruaris rebus. Atque Lucianus in quodam dialogo perquàm eleganti, introducit quendam, qui cum Deus eſſet, optauit mortem: iam enim illi deſierat eſſe iucundum, Deum eſſe; hac ratiocinatione perſuaſus. Nam quod iucundum vocant, id non ſimplex, ſed varium eſt: cum verò ſemper viuerem, inquit, & eiſdem perpetuò rebus vterer, ſolẽ, luce, cibo; & cùm omnia quæ contingunt in vita, reciproco quodam orbe recurrerent, ſaturitas eorum me cœpit: neq; enim voluptas in eo ſita eſt, vt perpetuò fruaris eiſdẽ rebus, ſed omnino in permutando poſita eſt. Hac itaque ratiocinatione perſuaſus, mortem ſibi conſciuit, & vita diuinitatis faſtidium peperit. Sic ergo ratiocinantur quidam homines ineruditi de viſione beata, & timent ne faſtidio, & ſaturitate alienentur, ſi ſemper videant Deum, neque in alio negotio ſint occupati. Sed hanc rationem dubitandi vulgarium hominum ſatis diſtinctè explicat D. Thomas in 2. articu. conſtituens differentiam inter delectationes corporales, & ſpirituales, deſignans veram rationẽ, quare delectationes corporales, faſtidium, & ſatietatem pariant, ſpirituales minimè. Eandem differentiam conſtituit Gregor. hom. 36. in Euang. & Auguſt. tom. 3. in quibuſdam ſententijs, ſententia 270. Temporalia (inquit Auguſt.) plus diliguntur antequam habeantur, vileſcunt autem cum aduenerint; æternum verò ardentiùs diligitur adeptum, quàm deſideratum. Quare idem Auguſt. ſuper Pſalm. 85. in illud quod dicitur de beatis. In ſæcula ſæculorum laudabunt te, dicit, quòd in patria hæc erit actio noſtra, laus Dei; amas, & laudas; non autem deſinis amare; quia talis eſt quem vides, qui nullo te offendet faſtidio, & ſatiat te, & non te ſatiat. Mirum eſt quod dico: ſi dicam quia ſatiat te, timeo ne quaſi ſatiatus velis abſcedere; quod dico, non te ſatiat, timeo ne indigens videaris. Quid ergo dicam? non quod dici poteſt, cogitari vix poteſt: & ſatiat te, & non te ſatiat: quia vtrumque inuenio in ſcriptura Matth. 5. Beati qui eſuriunt, quia ipſi ſaturabuntur. & Eccleſiaſt. 24. dicitur; Qui edunt me, adhuc eſurient, & qui bibunt me, adhuc ſitient. vbi aduertit Auguſt. quòd non dixit, iterum, quaſi primò ſaginatus diſceſſerit, & digeſſerit, & redierit bibere; ſed adhuc, ſcilicet cùm edunt, eſuriunt, & cùm bibunt, ſitiunt. Quid eſt bibendo ſitire? nũquam faſtidire. Sed diſtinctiùs, & euidentius idem perſequitur D. Thom. in 3. contra gentes c. 62. Diuinæ, inquit, ſubſtantiæ viſio non corrumpit, ſed magis perficit intellectum: neque ad hanc viſionem beatificam concurrit actus, qui per organa corporea exerceatur: ergo non poteſt faſtidio, & ſatietate aliquem à viſione beatifica alienare. Probatur conſequentia: quia faſtidium alicuius, quo priùs aliquis delectabiliter fruebatur, accidit propter hoc, quòd res illa aliquam mutationem facit in re, corrumpendo, vel debilitando virtutem ipſius; vt patet in operatione virium ſenſitiuarum, & in operatione intellectus noſtri in hac vita, quæ ſine potentijs organicis compleri non poteſt, quæ laſſantur, & defatigantur. Deinde, diuina ſubſtantia, à quolibet intellectu creato, ſemper cum admiratione videtur, cùm eam non comprehendat. Ergo diuinæ ſubſtantiæ viſio nõ poteſt faſtidium parere; nihil enim quod cum admiratione conſideratur, poteſt eſſe faſtidioſum. Sed vltima huius rei demonſtratio mihi admodum probatur, ea eſt, quòd licèt viſio beata vna ſit, & ſimplex, cæterùm in virtute continet omnia bona, & in ea omne deſiderium hominis completur, vt ſit verum, quòd beatitudo ſit ſtatus, omnium bonorum aggregatione perfectus. De qua re elogium D. Tho. libet hic propemodum ad literam tranſcribere ex 3. contra gentes c. 63. In illa (inquit) beatifica viſione omne deſiderium hominum impletur, ſecundum illud Pſalmi; Qui replet in bonis deſiderium tuum: & omne humanum ſtudium in ea felicitate conſummationem accipit. Eſt enim quoddam deſiderium hominis, in quantum intellectualis, de cognitione veritatis, quod quidem homines adimplent per ſtudium contemplatiuæ vitæ; & hoc quidem maximè in viſione beatifica conſummabitur, quandoquidem per viſionem primæ veritatis, omnia, quæ intellectus naturaliter ſcire deſiderat, ei innoteſcẽt. Eſt etiam

Agelaſti.

Vtrũ beati aliquod faſtidiũ patiãtur in viſione Dei.

Lucianus.

D. Thom.

Greg.

Aug.

Mat. 5.

Eccleſ. 24.

D. Thom.

Pſalm.

Cognitio veritatis.

Deſideriũ dominandi & gubernãdi.

etiam quoddam hominis desiderium, secundũ quod habet rationem, qua inferiora disponere potest; est, inquam, homini desideriũ dominãdi, & gubernandi: quod quidem consequuntur homines per studiũ actiuæ, & ciuilis vitæ; quod desiderium principaliter ad hoc est, vt tota hominis vita secundum rationem disponatur, & gubernetur; quod viuere secundum virtutem cuiuslibet viri studiosi finis est in operãdo propriæ virtutis bonum, sicut fortis, vt fortiter agat. Hoc autem desiderium tunc omnino complebitur, quando ratio in summo vigore erit diuino lumine illustrata. Desiderant insuper homines, honores, sublimitatem, quam homines inordinatè appetentes, superbi, & ambitiosi fiũt. Ad summam autem honoris altitudinem, per illam visionem Dei homines sublimantur, in quãtum Deo quodammodo vniũtur, vt suprà ostẽsum est: & propter hoc, sicut ipse Deus, rex sęculorum est; ita & beati, ei coniuncti, Reges dicuntur. Et Christus Apocal. 19. dicitur Rex Regũ; quoniam beati omnes, Reges sunt. & Apocal. c. 20. Regnabunt cum Christo. Consequitur etiã ciuilem vitam aliud appetibile, quod est famæ celebritas, per cuius inordinatum appetitũ, homines inanis gloriæ cupidi dicuntur. Beati autẽ per illam visionem redduntur celebres, non secundum hominum, qui decipi, & decipere possunt, opinionem, sed secundum verissimam cognitionem, & Dei, & omnium beatorũ; & ideo illa beatitudo in scriptura sacra frequentissimè gloria nominatur, sicut in Psalmo dicitur. Exultabunt sancti in gloria. Est etiam & aliud in ciuili vita appetibile, scilicet diuitiæ, per quarũ inordinatum amorem, homines illiberales, & iniusti fiunt. In illa autem beatitudine est bonorũ omnium sufficientia, in quantum beati perfruuntur illo, quod comprehendit bonorum omniũ perfectionem. Propter quod dicitur Sapien. 7. Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa. & in Psal. dicitur; Gloria, & diuitiæ in domo eius. Est etiam tertium hominis desiderium, quod est sibi, & alijs animalibus commune, vt delectationibus perfruatur, quod homines maximè cõsequuntur secundum vitam voluptuosam, & per eius immoderantiam, intemperati, & incontinentes fiunt. In illa verò felicitate est delectatio perfectissima, tantò quidem perfectior ea, quæ secundum sensus est, qua & bruta animalia perfruuntur, quantò intellectus est altior sensu; tantò etiam illud bonum, in quo delectabimur, maius est omni sensibili bono, & magis intimũ, & magis continuè delectans, quantò etiam illa delectatio est magis pura ab omni permixtione contristantis, aut sollicitudinis alicuius molestãtis: de qua dicitur in Psalmo. Inebriabuntur ab

Sublimitas honoris.

Apo. 19.

Apo. 20.

Famæ celebritas.

Psal.

Diuitiæ.

Sap. 7.

Psal. 110.

Desideriũ perfruendi delectationibus.

Psalm.

vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuę potabis eos. Quartò est etiam naturale desiderium omnibus rebus commune, per quod conseruationẽ sui desiderãt, secundum quod possibile est; per cuius immoderantiã homines timidi redduntur, & nimis à laboribus sibi parcẽtes; quod quidem desiderium tunc omnino complebitur, quando beati perfectam sempiternitatem consequentur, ab omni nocumento securi, secundum illud Esa. 49. & Apocap. 21. Non esurient, neque sitient, & non percutiet eos æstus & sol. Sic igitur patet, quòd per diuinam visionem consequuntur substantię spirituales veram felicitatem, in qua omnino desiderium quietatur, & in quo est plena sufficientia omnium bonorum; quæ secundum Aristot. ad felicitatem requiritur. Hæc de ista quæstione dicta sufficiant.

Desideriũ propriæ cõseruationis

Esa. 49. Apoc. 21.

Arist.

QVAESTIO XXXIIII.

De bonitate, & malitia delectationum, articulos habet quatuor.

ARTIC. PRIMVS.

¶ Vtrùm omnis delectatio mala sit.

SVMMA TEXTVS.

Concluſio.

Oncluſio est. Aliqua delectatio bona est, & aliqua mala. Pro cuius rei elucidatione scire oportet, quòd respicientes aliqui ad solas delectationes corporales, quæ sunt magis manifestæ, neque distinguentes inter sensum, & intellectum, omnes malas esse posuerunt. Quorũ æstimationem patet non esse conuenientem, cùm nullus viuere possit sine aliqua corporali delectatione, ac sensibili. Vnde dicendum est, cùm delectatio sit quies appetitiuæ virtutis in aliquo bono amato, & consequens aliquam operationem, aliquas delectationes esse bonas, secũdum quòd rectæ rationi,

ni;& legi Dei concordant; & aliquas esse malas, secundum quòd à suprà dictis discordant. Et sicut in rebus naturalibus, id naturale dicitur, quod conuenit naturæ; innaturale verò, quod naturæ disconuenit: idem patet ex parte operationum, quarum quædam sunt bonæ, quædam malæ: sed operationibus sunt coniunctę delectationes, ideoque bonarum actionum delectationes, bonæ sunt, & malarum, malæ.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ Vtrùm omnis delectatio bona sit.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Conclusio est negans, quę satis euidenter ex præcedenti articulo comprobatur. Sed probat etiam accuratiùs D. Thom. inquiès, non esse dicendum omnes delectationes esse bonas, vt posuerunt Epicurei, Stoicis omnino aduersantibus; quia non distinguebāt inter id, quod est bonum simpliciter, & id, quod est bonum secundum quid. Cùm ergo delectatio sit quies in bono, si id, in quo quiescit appetitus, est simpliciter bonum, delectatio erit bona; sed si sit bonum secundū quid, putà, conueniens sensui, sed contrarium rationi, erit delectatio bona secundum quid, id est sensui, sed mala simpliciter, licèt apparēs bona, vt fornicatio.

Epicurei.

ARTIC. TERTIVS.

¶ Vtrùm aliqua delectatio sit optimum.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Concluſio est. Aliqua delectatio potest dici optimū inter bona humana. Nam optimum in vnoquoque est finis eius, qui est ipsa res, & vsus rei; sicut finis auari est pecunia, & possessio pecuniæ: ita etiam vltimus finis hominis est Deus, qui est summum bonum, & est etiam fruitio eius, quæ importat delectationē quandam in vltimo fine. Qua in re errauit Plato, existimans delectationem non posse habere rationem vltimæ perfectionis, cùm videret eas in quodam motu consistere; motus enim, & generatio, sunt actus imperfecti. Sed hæc existimatio est manifestè falsa in delectationib⁹ spiritualibus, cū aliquis delectetur nō solū in acquisitione scientiæ, quando addiscit; sed etiā in contemplando, secundum scientiam acquisitam. Decipitur alio modo Plato, quia arbitratur bonū summum, quasi abstractum, & separatum, sicut est ipse Deus; nos autem loquimur de optimo in rebus humanis.

Plato.

ARTIC. QVARTVS.

¶ Vtrùm delectatio sit mensura, vel regula boni & mali moralis.

SVMMA TEXTVS.

Prior cōcl. PRior Conclusio. Delectatio voluntatis, est regula boni & mali moralis: vnde bonus est, qui gaudet in operibus virtutum; & malus, qui in operib⁹ malis. Probatur hæc conclusio. Nam bona, vel

mala

mala voluntas ex fine cognoscitur: finis autem est ille, in quo voluntas conquiescit: vnde secundum delectationem voluntatis iudicatur homo bonus, vel malus.

Poste. cõcl. ¶ Posterior Conclusio. Delectationes appetitus sensitiui non sunt regula, & mensura bonitatis, vel malitiæ moralis: nam cibi communiter delectabiles sunt secundum appetitum sensitiuum, & bonis, & malis; boni verò delectantur secundum conuenientiam rationis, quam mali non curant.

EXPLICATIO QVAESTIONIS.

EX doctrina horum articulorum examen quæstionum emergere videtur. Nam in 1. & 2. articulo D. Tho. statuit pro certo & euidenti, quòd si operatio est bona, & studiosa, eius delectatio erit bona & studiosa: rursus, si operatio est mala, eius delectatio est mala. Quod principium diuinæ Theologiæ mouet de se has quæstiones, quas subiungam. In primis hanc; Vtrùm liceat delectari in actibus excusatis per ignorantiam inuincibilem, & inculpabilem? Licuitne Iacob complacere, & delectari quòd cognouisset Liã? Certè ex principio, & documento Diui Thomæ videtur esse licitum: siquidem operatio illa bona fuit, & meritoria coram Deo: ergo & eius delectatio studiosa erit. Sed & illam quæstionem mouet; Vtrùm liceat complacere & delectari in fornicatione, aut in adulterio, si non esset lege diuina prohibitum? Ratio huius quæstionis ex proposito documento locum habet. Nam si adulterium, aut fornicatio non esset lege diuina prohibita, peccatum non esset, sed studiosa operatio, vt sentiunt pleriq; Theologi, & Diuus Paulus dicit Roman. 4. Vbi non est lex, neque præuaricatio. Tertiam quæstionem mouet non minùs difficilem; Num delectatio de cogitato actu licito conditionaliter, sit peccatum? verbi gratia. cogitat quis de actu coniugali cum tali muliere, si esset vxor sua, & voluntariè de eo delectatur; quæritur, an sit in crimine, postquam operatio, de qua delectatur, studiosa sit, & inculpabilis? accedere enim ad mulierem, si esset vxor propria, peccatum non est. Deinceps oritur alia quæstio; Num vidua, quę voluntariè delectatur de actu coniugali præteri-

An liceat delectari in actibus excusatis per ignorantiã inuincibilẽ

secũ. dubi.

Paul. Tertia.

Quarta.

to, in crimine teneatur? Deniq; quærit; Num voluntaria delectatio, de visa pulchra muliere, sit computanda inter peccata; siquidem videre pulchram mulierem, peccatum non est. Has & similes quæstiones in præsentia examinare non statui, quoniam earum exquisita indagatio ad materiam de peccatis spectat, vbi concedente Domino eas inuestigabo. Nunc sciat Theologus regulã D. Thom. in articulo 1. & 2. constitutam, esse certissimam, atqui per eam propositas dubitationes habere euidentem solutionem, prout infrà videbimus.

Vltim.

¶ Circa 3. & 4. artic. difficilis oritur quæstio, & irrecõciliabilis dissensio in doctrina D. Thom. Nam si delectatio, & fruitio in vita beata, est optimum, & perfectissimum bonum: ergo in delectatione consistit beatitudo hominis, siquidem in optimo & perfectissimo beatitudo hominis constituenda est. Hoc ipsum confirmatur. Nam Diui Thomæ euidens sententia est, quòd visio diuinæ essentiæ, est optimum, & perfectissimum in vita humana: ergo non delectatio. Sed illud magis subit mirandum, quod docet Diuus Thomas in vltimo articulo, delectationem esse regulam bonitatis, & malitiæ moralis: Nam si hoc verũ est, vincit Epicurus, quando docet summum bonum esse delectationem, & propter delectationem omnia esse subeunda, & ex delectatione, & voluptate, bona & mala esse mensuranda, beatitudinem & miseriam. Certè Diuus Thomas non solùm in innumeris locis suæ doctrinæ, sed in hac quæstione articulo 1. & 2. bonitatem, vel malitiam delectationis ad operationem reduxit, tanquam ad regulam, & normam, dicens, illam delectationem esse bonam, quæ consequitur ad operationem bonam; illam malam, quæ consequitur ad operationem malam. Ad hæc Caietan. sic respondet, vt dicat, quòd visio diuinæ essentiæ, est optimum, & perfectissimum in genere naturæ; delectatio verò, est optimum, & perfectissimum bonũ in genere moris, id est, id quod magis est consonum rationi; quia nihil est melius moraliter ipsa, si quidem operatio, & delectatio consequens ipsam, eadem numero bonitate morali, bonæ sunt, eadem quidem consonantia, vel dissonantia, consonant, vel dissonant rationi. Delectatio enim non habet aliam bonitatem, nisi quam habet ex operatione ad quam consequitur: & sic arbitratur Caietan. satis conciliâsse sententias D. Thom. quæ aliquo modo pugnare videntur. Sed, quantùm ego sentio, meliùs ipse D. Tho. explicat mentem suam in solutione secundi, inquiens, quòd delectatio nõ est aliquid extraneũ ab operatiõe, sed cõcomitãs ipsam; & ideo pro eodem bono reputatur, videre diuinam

Quæstio perdifficilis, an in delectatione sita sit beatitudo.

Epicurus.

Caiet.

Vera explicatio dubij & legitima

diuinã essentiam, & delectari de visione diuinæ essentiæ. Quapropter, sicut stultum est quærere quare homo velit esse beatus; sic stultũ est quærere quare homo velit beatitudine delectari. Ad id verò quod magna asseueratione docet Diuus Tho. delectationem esse mensuram bonitatis, vel malitiæ, sic respõdeo, vt decernam D. Tho. tantùm voluisse dicere, quòd qui gaudet in bonis operationibus, bonus est; qui verò in malis, malus. Non tamen voluit dicere, quòd prima norma bonitatis sit delectatio. Hęc est mea sententia. D. Caiet. alia pergit via, sed illi probatur sua, nobis nostra; vtra sit melior, penes legentes erit arbitrium.

QVAESTIO XXXV.

De dolore, seu tristitia secundum se, articulos habet octo.

ARTIC. PRIMVS.

¶ Vtrùm dolor sit passio animi.

SVMMA TEXTVS.

Prim. cõcl. PRima conclusio. Sicut ad delectationem duo requiruntur; coniunctio boni, & perceptio coniunctionis: sic ad dolorem duo requiruntur; coniunctio alicuius mali, quod malũ est, quia priuat aliquod bonum, & ipsius coniunctionis perceptio; vnde quando aliquid coniungitur, quod non habet rationem boni, vel mali respectu eius cui coniungitur, non causat delectationem, Secũ. cõcl. vel dolorem. ¶ Secunda cõclusio. Bonum, & malum sunt obiecta delectationis, & doloris; bonum causat delectationem, malum, dolorẽ. Tert. cõcl. ¶ Tertia cõclusio. Dolor pertinet ad appetitum: quod sic ostẽditur. In primis ex eo, quòd bonum, & malum, circa quæ versatur dolor, & delectatio, sunt obiecta appetitus, & ipsum mouent: tũ verò, quoniam omnis motus, consequẽs apprehensionem, pertinet ad appetitũ; appetitus enim est de bono apprehenso. Cũ igitur dolor, seu delectatio præsupponat in eodem subiecto sensum, vel apprehensionẽ, vt dictum est; euidens est, quòd dolor sit appetitus. ¶ Quarta conclusio. Dolor, prout est in appetitu sensitiuo, proprijsimè passio dicitur: tũ, quoniam semper fit cũ quadam transmutatione corporali; tũ deinde, quoniam omnis motus appetitus sensitiui, maximè qui in malũ sonat, passio dicitur. ¶ Quinta cõclusio. Motus doloris semper est in anima; dicitur autem esse in corpore, quia eius causa est in corpore, cum aliquid corpori nociuũ patimur. Quar. cõcl. Quin. cõcl.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ Vtrùm tristitia sit idem quod dolor.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio est. Dolor latiùs patet, quã tristitia; sic, vt omnis tristitia dolor sit, nõ aũt omnis ~~tristitia~~ tristitia dolor est. Nã tristitia ex interiori apprehensiõe causatur, sicut gaudiũ: dolor verò ex duplici apprehensione, exteriori sensus, vel apprehensione intellectus, vel imaginationis causari potest; sicut & delectatio: quamuis hoc nomine, doloris, in corporalibus magis vtamur, cùm magis sint nobis noti, quã spirituales dolores Est & alia differentia inter dolorẽ & tristitiã; nã cũ sensus exterioris apprehensio sit solũ præsentiũ, vis autẽ cognitiua interior potest percipere Conclusio

cipere præteritum, præsens, & futurum; tristitia potest esse de præsenti, præterito, & futuro; dolor aũt corporalis, qui sequitur apprehensionem sensus exterioris, non potest esse, nisi de præsenti.

ARTIC. TERTIVS.

¶ Vtrùm tristitia, seu dolor sit contraria delectationi.

SVMMA TEXTVS.

Prior cõcl. PRior conclusio. Tristitia, & delectatio, quæ sunt de eodem, habent oppositionem adinuicem. Nam præsens bonum, & præsens malum, sunt obiectum delectationis, & doloris, siue tristitiæ: sed hæc sunt contraria: ergo delectatio, & tristitia, contraria sunt. Per accidens verò vnum contrarium potest esse causa alterius; vnde ex magno desiderio non recusat aliquis ferre tristitiam, vt ad delectationem perueniat: sic luctus, & similia, ad gloriam perducunt.

Poste. cõcl. ¶Posterior conclusio. Tristitia, & delectatio de diuersis, non habent oppositionem secundum rationẽ speciei adinuicẽ, sed disparatæ dicuntur: sicut tristari de morte amici, & delectari de contemplatione: imò quãdoque habent cõuenientiam, & affinitatem, sicut gaudere de bono, & tristari de malo. Atqui ex hoc patet Articulus 4.

ARTIC. QVINTVS.

¶ Vtrùm delectationi contemplationis sit aliqua tristitia contraria.

SVMMA TEXTVS.

Prior cõcl. PRior conclusio. Contemplatio, si capiatur pro causa delectationis, potest habere tristitiam contrariam; tunc enim delectatio non est de ipsa cõtẽplatione, sed de re contemplata: contingit namque contemplari aliquid nociuum cõtristans, sicut aliquid conueniens, & delectans.

Poste. cõcl. ¶Posterior conclusio. Si accipiatur delectatio contemplationis, vt contemplatio est eius obiectũ (vt cùm aliquis delectatur de hoc ipso quòd contemplatur) tunc cõtemplationi non opponitur aliqua tristitia, per se loquendo; sed neq; aliquam tristitiam habet annexam, cùm secũdum seipsam sit delectabilis, & perfecta operatio. Per accidẽs verò admiscetur tristitia; vno modo, ex parte organi partis sensitiuæ, quod lassatur; alio modo, ex impedimento apprehensionis.

ARTIC. SEXTVS.

¶ Vtrùm magis sit fugienda tristitia, quàm delectatio appetenda.

SVMMA TEXTVS.

Prior cõ. PRior conclusio. Fortior est appetitus delectationis, quàm fuga tristitiæ; quia causa delectationis est bonum cõueniens; causa verò doloris, vel tristitiæ, est malum, & disconueniens; quod malum non potest esse totaliter absque omni conuenientia, bonum verò cõtingit absque omni dissonantia. Vnde delectatio potest esse integra, & perfecta; tristitia autem semper est secundum partem. hinc sequi-

tur

Poste. cõcl. tur posterior cõclu. ¶ Naturaliter maior est appetitus delectationis, quàm fuga tristitiæ. Patet certè: quia obiectum delectationis per seipsum appetitur; malum autem vitatur, quia priuatio boni est. Sed id quod est per se, potiùs est eo quod est per accidens, & ideò vehementiùs tendit appetitus in delectationem, quàm fugiat tristitiam. Per accidens verò contingit aliquem magis fugere tristitiam, quàm delectationem appetere; ex parte quidem apprehensionis, cũ ex indigentia amati procedat tristitia; nam ex amissione illa magis sentitur amor; ex parte etiam causæ contristantis, vel dolorem inferentis, quæ repugnat bono magis amato, quàm sit illud bonum in quo delectamur; sicut magis amatur consistentia corporis, quàm delectatio cibi; vnde propter vitæ conseruationẽ à cibis abstinemus; ex parte etiam effectus, in quantũ tristitia impedit oẽs delectationes.

ARTIC. SEPTIMVS.

¶ Vtrùm dolor exterior, sit maior, quã interior.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. COnclusio sic habet. Maior est dolor interior, quã exterior: quia licèt in hoc conueniant, quòd vterque est motus appetitiuæ virtutis, differunt tamen quantum ad causam, quæ est bonum coniunctum, vel malum, & quantum ad apprehensionem. Nam causa doloris exterioris, est malum coniunctum quod repugnat corpori, & sequitur apprehensionem sensus, maximè tactus: causa verò doloris interioris, est malum coniunctum appetitui, & sequitur apprehensionem interiorem, imaginationis, vel rationis. Si ergo comparẽtur causæ illæ, quæ pertinent ad dolorem interiorẽ, per se sunt, quia ipsi appetitui repugnant; aliæ, scilicet exterioris doloris, quia corpori repugnant, per aliud sunt: semper autem id quod per se est, & priùs, & potiùs existit eo quod est per aliud: vnde ex hac parte interior dolor, præeminet exteriori. Patet etiam ex apprehensione rationis, & imaginationis, quæ altior est apprehensione tactus, cuius signum est, quòd aliquis voluntariè susci pit exteriores dolores, vt vitet interiorem, qui exterior quodammodo fit delectabilis, & iucundus, propter interius gaudium, vt fuit in martyribus. Sed quandoque exterior dolor est cum interiori, & tunc dolor augetur: vnde quicquid est repugnans corpori, potest esse repugnans interiori appetitui; & quicquid apprehenditur sensu, potest apprehendi imaginatione, & ratione, sed non è conuerso. Quare dicitur Eccles. 25. Omnis plaga, tristitia cordis est. Eccles. 25.

ARTIC. OCTAVVS.

¶ Vtrùm sint tantùm quatuor species tristitiæ.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Conclusio affirmat tantùm esse quatuor, videlicet misericordiã, quæ est tristitia de malo alieno, in quantũ æstimatur, vt proprium: alia est inuidia, quæ est tristitia de bono alieno, in quãtum aliquis bonum alterius existimat vt nociuum sibi. Sed quando animus ita deprimitur, vt non videatur esse refugium, anxietas, siue angustia vocatur; quæ aggrauatio, si in tantum procedit vt etiam exteriora membra ab opere immobilitet, dicitur accidia, quasi vocem amputans: est enim vox inter omnes exteriores motus magis exprimens cõceptus, & affectus, non solùm hominum, sed etiam aliorum animalium.

EXPLICATIO QVAESTIONIS.

COmmentarium huius quęstionis in quinque partes distribuo. Primum, quid sit dolor definiam: deinde de diuisione subiungam; tum de contrarietate pauca subijciam: proximo loco de speciebus tristitiæ edisseram: vltimò, de lachrymis, quæ ex dolore proficiscuntur, definiam.

Definitio doloris. ¶ Dolor est animi, vel corporis cruciatus. Deducitur autem à dolando, quod significat, minuo; quippe lætitia augentur corpora, dolore minuuntur. Cicer. in 2. Tusc. sic definit dolorem. Cicero. Dolor est motus asper in corpore, à sensibus alienus, & 4. Tuscul. Dolor est ægritudo crucians. Quas autem ille ægritudinis partes constituat, ex placitis Stoicorum facilè esset hùc adducere, si ab Stoicis essent rectè tradita, & à Cicerone animaduersa: sed neutrum videtur mihi; si cui autem placent, equidem non impedio, in promptu sunt in 4. lib. Tuscul. quæstion. Vt ergo certa definitione, quid sit dolor, siue tristitia, circumscribamus, sic definitur dolor à Diuo Thoma. D. Thom. ¶ Dolor est motus appetitus, siue sensitiui, siue intellectiui, de malo præsenti, vel de eo quod iam habetur pro præsenti. Sanè dolor, delectationi contrarius est, & ideò definitionibus contrarijs finiri debent. Vnde quẽadmodum delectatio est quies in bono adepto, sensibilis, id est, quæ sensu, vel cognitione percipitur, sic dolor est motus de malo præsenti, sensibilis, id est, qui sensu, vel cognitione percipitur. Igitur ad hunc modum definitione doloris constituta, ad diuisionem progrediamur.

Duplex est dolor. Dolor, alius appetitus sensitiui, alius est appetitus intellectiui, qui propriè tristitia dicitur. Differuntque prædicti dolores admodum inter se; tum, quia dolor corporis semper fit cum aliqua transmutatione corporali; tristitia verò appetitus intellectiui, non semper est cum corporea trãsmutatione, vnde est in angelis, & animabus separatis; tũ deinde, quoniam causa doloris sensitiui est in corpore, cùm aliquid corpori nociuum patimur: tristitia verò appetitus intellectiui non est in corpore, sed in anima. Præterea differunt; nam cùm sensus exterioris apprehensio sit solùm præsentium, intellectus verò possit percipere præteritum, præsens, & futurum; tristitia animi potest esse de præsenti, præterito, & futuro; dolor autem corporalis, qui sequitur apprehensionem sensus exterioris, non potest esse nisi de præsenti. Sed & aliam differentiam colligo ego ex articulo septimo, vbi dicit Sanctus Thomas, quòd tristitia interior, est maior quàm exterior, quæ venit ex corporis læsione. Nam obiectum doloris exterioris, est malum coniunctum corpori, ex quo ad animam redundat; malum verò, quod est obiectum tristitiæ interioris, est coniunctum intimè ipsi appetitui, & animæ. Sed ex dictis magna oriebatur quæstio, & à nemine ferè Theologorum explicata; Quomodo angeli, & animæ separatæ, spiritus cùm sint, ab igne corporeo patiantur, & tristitiam, & mœrorem inde concipiant, cùm ignis non sit potens agere in spiritum, neque aliquã impressionem immittere, quæ afferat secum dolorem? Sed de hac quæstione in quarto sententiarum ad finem disputatur. Suboritur difficultas.

Quæritur quomodo delectatio & tristitia opponãtur. ¶ Porrò nunc ad tertiam partem nostræ disputationis progrediamur, in ea quæritur, quomodo tristitia, & delectatio opponantur. Certè vt delectatio, & tristitia opponantur, necessum est quòd sint de eodem: nam quòd quis gaudeat de vno, & de alio contristetur, nulla cõtradictio, aut oppositio est. Ex hoc documento soluit Diuus Thomas argumentum quoddam, quod pleriſque Theologis difficillimum est; quomodo anima Christi Domini in passione tota erat plena fruitione, & gaudio, & tota patiebatur dolorem; quomodo in eadem anima simul erat summa tristitia, & summa delectatio. Sic enim scribit tertia parte, quæstione 46. articulo 8. ad primum, quòd gaudium fruitionis, D. Thom.

tionis, non contrariabatur directè dolori passionis, quia non erat de eodem: nihil autem prohibet contraria eidem inesse, non secundum idē: & sic gaudium fruitionis pertinet ad superiorem partem rationis per proprium actum; dolor autem passionis, secundum subiectum. Itaque gaudium fruitionis pertinet ad animum, ex parte potentiæ cui subijcitur: dolor verò pertinet ad essentiam animæ, ex parte corporis cuius est forma. Eandem solutionem persequitur Diuus Thomas quæstione de passionibus animæ, articulo decimo ad nonum. Contraria, inquit, non posse esse in eodem subiecto, per se quidem; bene autem per accidens; vt cùm quis in naui deambulans fertur in contrarium eius ad quod nauis mouetur; ita inquit in superiori ratione animæ erat gaudium per se, quia per actum proprium; dolor autem per accidens, quia per corporis passionem. Deinde respondet, quòd gaudium illud, & dolor, non erant contraria, quia non erant de eodem. Sed hæc solutio non satisfacit quibusdam viris doctis; quorum improbatio hæc est. Nam anima Christi, videns rationes in Dei essentia diuinas, de sua morte lætabatur, quam cernebat rationi, & voluntati diuinæ esse conformem; tristabatur autem de eadem, quia erat malum naturæ contrarium: quare de eadem gaudebat, & tristabatur, eratque idem obiectum gaudij, & tristitiæ materiale. Nam formalis gaudij, tristitiæque ratio, semper, siue de eadem re, siue de alia tristemur, & gaudeamus, diuersa est: gaudij enim obiectum est res sub ratione conuenientis; tristitiæ verò, res sub ratione disconuenientis, licèt sit eadem res. Non ergo negare possumus, si in Christi voluntate gaudium summum, & tristitia de morte sua fuit, quin duo simul in eodem fuerint contraria. Propter hoc argumentum aiunt tripliciter prædictam difficultatem dissolui posse. Primò, si dicamus in appetitu intellectiuo Christi nullam penitus tristitiam extitisse; quoniam illa animi portio Deo fruebatur plenissimè. Itaque quemadmodum à superiori potentia non deriuabatur gaudium ad inferiores, vt salutis mysterium in Christi passione transigeretur, sic ab inferiore potentia non perueniebat ad superiorem dolor: non fuit itaque in Christi voluntate tristitia, sed in appetitu sensitiuo, qui propriè tristitiæ subiectum est. Altera explicatio propositæ difficultatis est, si dicamus, quòd in voluntate Christi intellectuali fuit etiam tristitia: & tunc dicendum est, quòd per potentiam supernaturalem factum est, vt gaudium summum, & summa tristitia in eodem fuerint simul: tum, quia nec propriè contraria erant, cùm non essent de eodem, neque circa idem: tum, quoniam per miraculum fieri potest vt duo contraria simul in eodem inueniantur. Tertiam adhibent solutionem, quòd sicut per totam vitam Dominus gloriam animæ per miraculum detinebat ne in corpus redundaret; sic saltem in cruce tenuit gaudium visionis beatificæ ne redundaret ad animam, vt summam tristitiam pro nobis pateretur, & sine aliqua consolatione subiret mortem. Sed acutæ licèt sint istæ solutiones, solidæ mihi non videntur; non enim habent fundamentum in doctrina scripturæ, nec sanctorum, nec philosophorum: mihi sententia D. Thom. maximè probatur.

Argu. cõtra solut. D. Thom.

Prima aliquorũ difficultatis solutio.

Secunda.

Tertia.

Reprobantur istæ solutiones.

¶ Sed iam opus est vt breuiter explicemus species tristitiæ. Misericordia est prima species tristitiæ, quam Aristoteles definiuit dolorem de malo, quod nobis videtur accidere indigno, vt morbus, mors, fames, sitis, tormenta, plagæ, spoliatio, & quæ sunt eiusmodi. Sed, vt breuiter dicam, omnium malorum genera in misericordiam incidunt: miseramur infames, mancos, & tardos, stultos, & improbos. Indigni sunt malis, nostra opinione, boni viri, & qui rectè sunt officio functi; tum innocentes ad eam pœnam quam perferunt, simplices, vt infantes & pueri: adde his illos, qui magna fortuna sunt deturbati; illos etiam, quibus non licuit bonis suis frui. Eò autem crescit magis miseratio, si pro bonis speratis, incidit quis in mala inopinata; vt regni hæres in captiuitatem. Similitudo & sympathiam efficit, & misericordiam mouet; vt erga similes ætate, moribus, constitutione, studijs, dignitate, & genere, sympathia est; veluti tactus vnius facultatis, cui aliæ facultates similes concinunt, quemadmodum ferunt in duas chordas diuersarum lyrarum ad eundem tonum extentas, alteram alterius tactui correspondere. Nihil est æquè secundum naturam, quàm afflictos miserari: quem affectum, mirandum est Stoicos à bono viro reuellere, cùm nascatur ex similitudine quadam, & ex congruentia animorum. Nec aliter potest animus facere, quàm vt dum aliena mala intuetur, vel de seipso cogitet, seque illis malis esse subiectum, vel certè compatiatur, & similem sui naturam afflictari incommodis doleat. Quòd si amor non solùm reddit omnia communia, sed vnum; quomodo potest amicus non dolere dolente amico? quomodo potest idem animus dolere in vno amicorum, & non in alio? Certè si sapientiæ, ac bonitatis præceptum est vt amicitiam colamus, & obseruemus, profectò & natura, & sapientia, & bonitas misericordiam nobis inducunt, & præcipiunt. Sed non est opus longiori disputatione, lega-

De speciebus tristitiæ Arist. Definitio misericordiæ.

Sympathia

Cicero pro Muræna.

tur Cicero, optimè & elegantissimè de hac re disserens contra Stoicos in orat. Pro Muræna.

¶ Opera misericordiæ, amoris operibus sunt similia; & misericordia ex amore profluit. Nullus affectus adeò habet promptas lachrymas, ac miseratio; adeò, vt qui suis malis non illachrymant, ad aliena, quasi victi, lachrymantur. Fit etiam sæpenumero vt qui suis malis non lachrymantur, tunquam oppressi mali magnitudine in alienis malis dant lachrymas. Dicunt misericordiam oculis maximè commoueri, quemadmodum Horatius inquit.

Horatius.

Segnius irritant animos demissa per aurem
Quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus.

¶ Et ideo olim Romani ad captandam misericordiam paruos liberos producebant in forum, & prodibat reus sordidatus, & ostendebat cicatrices, & plagas in pectore denudato, & vestes cruentatas, imaginem rei gestæ in tabella depictam. Sed de misericordia hæc dixisse sufficiat, si admonuero, Deum sic esse misericordem, sicque adiuuare afflictos, & miseris opem ferre, vt tamen non habeat dolorem, & miseriam animi, quam nos passionem misericordiæ nuncupamus. Sicque in Deo misericordia est virtus præstantissima, & præexcellentissima; at passio non est, sicut in nobis accidit.

Quomodo misericordia sit in Deo.

Quid inuidia.

¶ Secunda species tristitiæ, est inuidia, quæ sic definitur. Inuidia est animi dolor de bono alieno, in quo inest morsus quidam, & cruciatus. Itaque est doloris species, & tristitiæ. Bona autem quibus potissimùm inuidemus, ea sunt, ad quæ consequuntur, pretium, æstimatio, honor, decus, gloria: alijs non perinde inuidetur. Inuidia ferè ex superbia nascitur: superbus enim sublimia hæc, & speciosa magis ambit, quàm vera bona & solida: quocirca superbi natura sunt inuidi; ex cupiditate enim præexcellendi, inuidia oritur, & eò magis inuidet quis, quò inanior est à bonis quæ concupiscit. Sed ex alia parte pusillanimi sunt inuidentes, vnde Iob capitulo quinto inquit: Paruulum occidit inuidia: & prę-

Iob 5.

Cicero.

clarè Cicero. Neminem alterius, qui suæ virtuti confideret, inuidere bonis. Inuidia res est abiecta & seruilis: quoniã quisquis inuidet, maiora, aut potiora iudicat alterius bona, quàm sua, aut certè id ne contingat, metuit. Quocirca nemo audet fateri, se inuidere alicui. Itaque qui odit, qui irascitur, qui metuit, qui amat, affectũ suum alijs audet detegere; vnde maxima cordis sequitur alleuatio: sed qui inuidet, comprimit animi miseriam ne se proferat; vnde magna corpori accidunt incommoda, pallor, macies, oculi profundi. Rectè illi, qui inuidiam dixerunt esse iustissimam; quippe quæ inuidenti esset meritum supplicium. Inuidia cùm creuit, deprauat iudicium magis quàm affectus cæteri, & minuta, censet ingentia, & turpissima quæque, pulcherrima. Habet præterea inuidia odium atrocissimum; odium enim ex ira mitigatur facilè; ex offensione verò, satisfaciendo tollitur: inuidia verò nunquam mansuescit, neque patitur sibi satisfieri; imò irritatur beneficijs, vt ignis qui infusione aquæ maius excitat incendium. Vnica ratione amittit vires, si felicitas, quam inuita vidit, tollatur. Sed de inuidia hæc sufficiunt, nam de ea disputat latissimè D. Thom. in 2.2.

D. Thom.

¶ De anxietate, & accidia, quæ sunt aliæ duæ species tristitiæ, non est necesse edisserere à nobis, cùm ab omnibus teneantur, & explicationem perfacilem habeant.

¶ De lachrymis breuiter edisserendum. Lachrymatio non est animi affectus, sicut neque risus. Est enim lachryma, humor ex calefactione cerebri distillans per oculos, quando est magna calefactio, sic, vt cerebro exiccato, non manant lachrymæ, vt in ira virorum; vel cùm iam anteà exiccatum, longo mœrore, ac luctu; vel cùm siccum est ex se, veluti in melancholicis. Profluunt autem lachrymæ, cùm cerebrum est humectatum, vt in ebrijs; cùm molle, ac tenerum, vt in pueris, mulieribus, ægris. Existunt quoque ex vento valido, ex fumo, ex aduersa aliqua valetudine, ex amore, ex desiderio fruendi aliqua re: potissimum verò ex miseratione profluunt lachrymę. Tributæ sunt simul hominilachrymæ ad testandum nostrum dolorem, vt alios in nostri miserationẽ, atque ad ferendum opem adduceremus, vt auxilio mutuo iuuemur nos inuicem.

Quid lachryma sit.

QVAESTIO XXXVI.

De causis tristitiæ, seu doloris, articulos habet quatuor.

ARTIC. PRIMVS.

¶ Vtrùm causa doloris sit bonum amissum, vel malum coniunctum.

SVMMA TEXTVS.

SIc habet conclusio. Doloris magis est causa malum coniunctum, quàm bonum amissum. Nam in operibus animæ ita se habet motus appetitus

Conclusio.

petitus animalis, sicut in rebus naturalibus motus naturalis. Si ergo in motibus naturalibus accipimus accessum, vel recessū; accessus per se respicit id quod est cōueniens naturæ, recessus verò per se, id quod est contrarium naturæ, sicut graue per se recedit à loco superiori, accedit autem naturaliter ad locum inferiorem: sed si accipiamus causam vtriusque motus, videlicet grauitatem, per prius grauitas inclinat ad locum deorsum, quā retrahat à loco sursum, à quo recedit vt tendat deorsum. Sic ergo cùm tristitia in motibus appetitiuis se habeat per modum fugę, vel recessus, delectatio autem per modum prosecutionis, vel accessus, sicut delectatio per prius respicit bonū adeptum, ita tristitia respicit malū coniunctum, quod detestatur: causa tamen delectationis, & tristitiæ, scilicet amor, priùs respicit bonū, quàm malum: sic ergo eo modo, quo obiectum est causa passionis, eo magis est causa tristitiæ, siue doloris malum coniunctum, quàm bonum amissum.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ Vtrùm concupiscentia sit causa doloris.

SVMMA TEXTVS.

Prim. cōcl. PRima conclusio. Si cōcupiscentia consideretur secundum propriā rationē, est causa tristitiæ, in quantum ex retardatione, vel ablatione boni concupiti tri-

Secūd. cōcl. stamur. ¶ Secunda conclusio. Cōcupiscentia non potest esse causa vniuersalis tristitiæ, quia magis dolemus de subtractione bonorum præsentium, in quibus delectamur, quàm futurorum bonorum, quæ concupiscimus. Augustinus verò aliquando ponit concupiscē tiam pro amore, & sic vniuersalem causam eam dicit. ¶ Tertia con- Tert. cōcl.
clusio. Concupiscentia potest esse delectabilis, quamdiu manet spes adipiscendi quod concupitur.

August.

ARTIC. TERTIVS.

¶ Vtrùm appetitio vnitatis, sit causa doloris.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. COnclusio est. Appetitus vnitatis, sicut concupiscentia, vel cupiditas, ponitur causa doloris: nam bonum vniuscuiusque rei in quadam vnitate consistit, prout vnaquæque res habet illa vnita, ex quibus perfectio eius consistit. Vnde Catholici posuerunt vnum esse principium, sicut & bonum. Quare naturaliter vnumquodque appetit vnitatem, sicut bonitatem; & propterea sicut amor, vel appetitus boni, est causa doloris, sic appetitio, vnitatis.

ARTIC. QVARTVS.

¶ Vtrùm potestas maior, sit causa doloris.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. COnclusio est. Potestatem maiorem ponit Augusti- Aug.
nus causam doloris; quia per ipsam compellitur aliquis ad

faciendum ea, quæ propriæ volun tati repugnant. Quod autem adue nit contra inclinationem alicuius, non est nisi per actionem alicuius fortioris. Ergo maior potestas est causa doloris. Sed si fortior potestas tantum inualescat, quòd contrariam inclinationem mutet in propriam, iam non erit aliqua repugnantia; vt si fortius agens corrumperet aliquod corpus graue, tunc ferri sursum, nõ esset ei violẽtum, sed connaturale; sic igitur si maior tantum inualescat, quòd auferat inclinationem volũtatis, vel appetitus sensitiui, non sequitur dolor, sed tunc solùm, quando remanet inclinatio in contrarium.

EXPLICATIO QVAESTIONIS.

VNde nascatur tristitia, & animi dolor, explicat D. Thom. in hac quæstione, quod scire operępretium erit his, qui huic malo mederi volunt.

Vnde oriatur tristitia.

Nascitur in primis ex malo præsenti, & coniuncto, quod maximè, & præcipuè cruciat. Deinde ex boni amissione, imò ex boni absentia, vt matri, cùm vnicus filius discesserit. Multi quoq; post delicias, & conuiuia, & dies festos, ac lætos tristantur: est enim rei amissæ desiderium, & animus inquietus aliquid semper requirens; ex tristitia atra bilis gignitur, & ex hac vicissim tristitia ingrauescit sine alia mali opinione. Videas melancholicos tristes, quibus alioqui nihil accidit mali, neque ipsi tristitiæ suæ causas possunt reddere. ¶ Potestas etiam maior, cui resistere nõ valemus, tristitiam inferre solet; quippe quæ nostrum bonum aufert, vel impedit. Ex parte verò nostri, siue ex parte subiecti, tres causas referam, quamuis Sanctus Thomas duas tantùm commemorat. Prima, est cupiditas boni, in quãtum vel ex ablatione, vel ex retardatione boni concupiti tristamur. Secunda, est cupiditas vnitatis, quæ propter eandem rationem, tristitiam & dolorem secum trahit. Tertia, est ipsamet anima, multis laboribus afflicta, vel alioqui melancholię ex propria complexione subiecta: quam causam explicat in primis eleganter Augustinus quarto libro confessionum his verbis. Suspirabam, æstuabam, flebam, turbabar, neque requies erat, neque consilium: portabam enim conciſſam atque cruentam animam meam, impatientem à me portari, & vbi eam ponerem non inueniebam, & ego mihi remanseram infelix locus, vbi neque esse possem, nec inde discedere. ¶ Sed circa hæc documenta dubitatio quædam parua suboritur. Dictum est enim quòd malum coniunctum, & bonum amissum, causant tristitiam; dubitatio est. Nam malum coniunctum, & bonum amissum, in re coincidunt, & sunt penitus idem: malum enim in priuatione, & amissione consistit. Ad hoc respondet Caietanus, quòd inter malum coniunctum, & bonum amissum, hoc differt: quanquã enim in re, vtriusque ratio consistit in priuatione boni, verùm tamen ratio boni amissi consistit in priuatione, ratio verò mali consistit in positione: amissio enim boni præsentatur in ratione priuationis boni, & conuenientis, vt patet: malum verò coniunctum, præsentatur vt disconueniens, & vt nociuum, quod constat habere rationem contrarij bono amisso quod desiderabatur. Itaque illamet priuatio, quæ in re est priuatio boni, & malum, apprehensa vt priuatio boni, offertur vt priuatio, & mouet appetitũ vt priuatio conuenientis; apprehensa verò vt malum, offertur, & mouet appetitum vt disconueniens, ac subinde vt ens contrarium. Et hoc experimur in nobis, dũ priuati rebus, amico, honore, & priuationẽ conuenientis, & appositionem disconuenientis diuersimodè flemus; illud referendo ad ea quæ habebamus, vel sperabamus; & hoc ad ea quæ patimur, vel timemus. Vsque adeò verò malum habet mouere ad tristitiam, vt etiam ipsa priuatio boni non moueat ad tristitiam, nisi vt induit rationem mali, & disconuenientiæ. Malum ergo coniunctum per se primò causat tristitiam, amissio boni, secundariò. Hæc Caietanus acutè, & exquisitè.

Obiectio.

Caiet.

¶ Sed nos aliam solutionem huius dubitationis adhibemus, ea est, quòd malum coniunctum, non est priuatio boni: in hac enim sumus opinione, quòd malum est contrarium bono, vt docet Aristotel. in postprædicamentis, & in capite de oppositis. Certa enim res est, quòd vulneratio quæ causat tristitiam, priuatio non est; febris, famis, sitis, plagæ, inter priuationes non numerantur: & quanquam malum morale à pleriſque priuatio censeatur (quorum sententia mihi non probatur) malum verò pœnæ, quod cruciat, & affligit animum, non semper priuatio est, sed ens quoddam bono contrarium, & à Deo est, iuxta illud; Si est malũ in ciuitate quod non fecerit Dominus. ¶ Sed ex hoc alia emergit dubitatio. Nam suprà multis in locis dictum est,

Auto. solut.

Aristo.

Alia dubitatio.

Tres causæ tristitiæ ex parte nostri

Augu. li. 4. cõf. c. 7

eſt, actum appetitus nunquam eſſe in malum, ſub ratione mali; hîc tamen docetur, quòd triſtitia, quæ affectio eſt appetitus noſtri, eſt de malo coniuncto, & ſub ratione mali. Sed hoc facilem habet explicationem; nam malum, quod eſt obiectum triſtitiæ, ponitur finis appetitui motus, non vt proſequendus, ſed vt fugiendus. Itaque quando diximus, actum appetitus non ferri in malum, ſub ratione mali, intelligimus motu proſecutionis, & amoris; at motu diſſenſionis, & deteſtationis fertur in malum, ſub ratione mali; vnde odium deteſtatur malum, ſub ratione mali. ¶ Sed deniq; dubitabit Theologus; quomodo malum ſub ratione mali ſit obiectum triſtitiæ, & tamen melancholici triſtantur, & mœrore conficiuntur, nullam volentes reddere ſuæ triſtitiæ cauſam, quibus nihil accidit mali? Reſpondeo, dicendum eſſe, quòd ex praua diſpoſitione melancholici ſic ſunt affecti, vt omnia, quæ occurrunt, & incidunt, mala illis videantur, & diſconuenientia, ſic quòd illis nihil placet, nihilque illis, vt delectabile proponitur.

Solutio.

Vltima dubitatio.

Solutio.

QVAESTIO XXXVII.

De effectibus doloris, ſeu triſtitiæ, articulos habet quatuor.

ARTIC. PRIMVS.

¶ Vtrùm dolor auferat facultatem addiſcendi.

SVMMA TEXTVS.

Concluſio.

Concluſio affirmat magnum dolorem auferre facultatem addiſcendi. Cũ enim potentiæ animæ in vna ipſius eſſentia radicentur, ideo neceſſe eſt quando eius intentio vehementer trahitur ad operationẽ vnius potentiæ, retrahatur ab operatione alterius; vnde ſiquid ad ſe trahat totam animę intentionem, vel magnam eius partem, non cõpatitur ſecum aliquid, quod magnam intentionem requirat. Ideo ſi dolor fuerit intẽſus, impeditur homo à diſcendo. Dolor autem, & triſtitia per accidens, ſi erit moderata, itavt cordis diſſolutionem, & euagationem non patiatur, poterit conferre ad doctrinam capeſſendam.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ Vtrùm aggrauatio animæ ſit effectus triſtitiæ.

SVMMA TEXTVS.

Concluſio.

Affirmans eſt concluſio: quia motus appetitus ani malis, ſunt ſimiles inclinationibus appetitus naturalis; ideò effectus paſsionum animæ aliquando metaphoricè nominantur ſecundum ſimilitudinem corporum ſenſibilium; ſic feruor attribuitur amori, dilatatio delectationi, & aggrauatio triſtitiæ, quia aggrauatur homo ex aliquo pondere, per quod impeditur à proprio motu. Contingit enim triſtitia ex aliquo malo præſenti, quod cum repugnet motui voluntatis, aggrauat animum, in quantum impedit ipſum, ne fruatur eo quod vult. Sed ſi non ſit tanta vis mali contriſtantis, vt auferat ſpẽ euadendi, quamuis aggrauetur animus, quantum ad hoc quod in præſenti non potiatur eo quod vult, remanet tamen motus ad repellendum nociuum contriſtans. Si verò tantum creſcat vt ſpes euaſionis excludatur, tunc ſimpliciter impeditur interior motus animi anguſtiati, & quandoque etiam exterior corporis motus, vt

ſtupidus in ſeipſo remaneat homo.

ARTIC. TERTIVS.

¶ Vtrũ triſtitia, vel dolor debilitet omnem operationem.

SVMMA TEXTVS.

Concluſio. AFfirmans eſt concluſio. Nunquam enim ita bene aliquid operamur cũ triſtitia, ſicut cum delectatione: quia voluntas eſt cauſa operationis, quæ mouetur præcipuè ex bono, & delectabili. Sed ſi comparatur operatio ad triſtitiam, ſicut ad principium, & cauſam, ſic augetur operatio ex triſtitia; quia quantò aliquis magis triſtatur de aliquo, tantò magis conatur ad expellendam triſtitiam quæ impedit, ſi remanet ſpes, alioqui nullus motus, vel operatio ex triſtitia cauſatur.

ARTIC. QVARTVS.

¶ Vtrùm triſtitia magis noceat corpori, quàm aliæ paſſiones.

SVMMA TEXTVS.

Concluſio. COncluſio eſt affirmans. Illæ enim quæ importãt motum appetitus cum fuga, ſeu retractione, quædam repugnant vitali motioni, non ſolùm quantum ad quantitatem, & menſuram, ſed etiam ſecundum ſpeciem motus; ſicut timor, & deſperatio, & ſuper omnes triſtitia, quæ aggrauat animum ex malo præſenti, quod eſt fortius quàm futurum. Sed paſſiones animæ, quæ important motum appetitus ad proſequendum aliquid, non repugnant vitali motioni ſecundum ſpeciem, ſed ſolùm poſſunt repugnare ſecundum quantitatem: vnde deſiderium, amor, gaudium, & ſimilia, ſecundum ſpeciem iuuant naturam corporis, quamuis ſolum propter exceſſum poſsint nocere. Vnde magis nocet triſtitia, quàm aliæ paſsiones. Et ideo Eccleſiaſtici. 38. dicitur. A triſtitia feſtinat mors, & ſpiritus triſtis exiccat oſſa. Eccleſ. 38. Pro. 17.

EXPLICATIO QVAESTIONIS.

IN explicatione huius quæſtionis pauca adducenda ſunt. Triſtitiæ, ac doloris eſt obtenebrare ſpiritus; vnde hæc exiſtunt incommoda: adimitur animo ſua alacritas, eademque ex cauſa obſcuratur ingenium. Moleſtiæ (inquit Cicero) me hebetarunt: & Niobe in ſaxum dicitur eſſe ex luctu conuerſa. Inducit etiam triſtitia refrigerato cerebro ſomnum, quemadmodum eſt apud Pſalmiſtam. Dormitauit præ tædio anima mea. Suboritur odium, tum hominum, tũ lucisipſius, rerumq́; omniũ humanarũ, iuuatque altiùs in mœrorem demergi, neque hilariora, nec conſolationes admittuntur. Augetur præterea triſtitia in meticuloſis, qui longiſſimè ſuſpitiones mittunt, & diffulam texunt malorum telam: ex hoc damno, illud, ex illo, aliud, deinde aliud naſcitur: tranſit poſtremò in odium ſui ipſius, in deſperationem, & rabiem. Corpus autem triſtitia exiccatur, & contrahitur cor, adeò vt in quibuſdam triſtitia extinctis, repertum ſit non latius membrana. Affectio hæc frigida eſt, & ſicca, & ideo inualeſcit in frigidis temporibus, & locis, & in ijs, qui diſpoſitionem habent melancholicam, vt in autumno, hyeme, & tempore nubilo, & nocte. Sed & ſapiens Eccleſiaſt. 38. explicat optimè, quæ incommoda ex triſtitia ſubſequantur, dum inquit; A triſtitia feſtinat mors, & cooperit virtutem, & cordis flectit ceruicem. Senſus eſt; triſtitia facit vt mors feſtinanter, & ante tempus adueniat, ipſaque triſtitia vires hominis tegit, ita vt ſe non prodant, ſed obſcurentur, ac ſupprimantur: flectitque ceruicem hominis, ita vt curuus, atque triſtis incedat. Vnde autem prouenìat quòd ſit in homine noxia triſtitia, ſequens ſenten- Cicero. Pſal. 118. Eccleſ. 38.

sententia indicat: subiungitur enim; In abductione permanet tristitia, & substantia inopis secundum cor eius. Sensus est, tristitia permanet in homine per hoc quòd abducit animum suũ à consolatione, & consideratione eorum quæ dolorem mitigare possent; & subsistentia pauperis, vel afflicti est secundum cor eius: quia quale est cor eius, talis est & vita, atque subsistentia, vt si cor eius sit mœrens, verè misera sit eius vita, & breuis futura. Vel alius sensus; ex corde pendet, diues ne sit quis habendus, vel pauper: si enim modico contentus est, & vitam viuit iucundam, reputandus est verè diues: si verò tristitia, & mœrore conficitur, etiam si multas possideat diuitias, verè pauper est. Itaque secundũ istum sensum significatur tristitiam esse ingens malum, quæ diuitem facit egenum, & pauperẽ bis infelicem.

QVAEST. XXXVIII.

De remedijs tristitiæ, seu doloris, articulos habet quinque.

ARTIC. PRIMVS.

¶ Vtrũ quælibet delectatio mitiget dolorem.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Oncluſio est. Quælibet delectatio remedium affert ad mitigandam tristitiam, seu dolorem: quia delectatio est quædam quies appetitus in bono conuenienti: tristitia autem est ex malo, quod repugnat appetitui. Vnde sic se habet delectatio ad tristitiam, sicut quies corporis se habet ad fatigationem, quæ accidit ex aliqua transmutatione innaturali: nam & ipsa tristitia fatigationem quandam, siue ægritudinem animæ importat. Sicut igitur quælibet quies corporis remedium affert contra quamlibet fatigationem, ex quacunque causa innaturali prouenientẽ; ita quælibet delectatio remedium affert ad mitigandum quamlibet tristitiam, ex quo cunque procedat. Neque obstat quòd nõ omnis delectatio contrarietur omni tristitiæ secundũ speciem, cùm contrarietur secundũ genus: ideo ex parte dispositionis subiecti, quælibet tristitia, per quãlibet delectationẽ mitigari potest.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ Vtrùm fletus mitiget dolorem.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Est affirmans cõclusio: quia omne nociuum interius clausum magis affligit, cùm intentio animæ circa ipsum multiplicetur: sed quãdo ad exteriora diffunditur, quodammodo disgregatur & minuitur interior dolor. Est & alia ratio; quia operatio conueniẽs homini, secundum dispositionem in qua inuenitur, delectabilis est; fletus autem, & gemitus, sunt operationes conuenientes dolẽtibus.

ARTIC. TERTIVS.

¶ Vtrùm compassio amicorum mitiget dolorem.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Est affirmans cõclusio: tum, quia in eo qui tristitia afficitur, fit imaginatio, quòd amici cum ipso ferunt onus tristitiæ: tũ, quia ex hoc percipit se amari, quod est delectabile.

ARTIC. QVARTVS.

¶ Vtrùm veritatis contemplatio mitiget dolorem.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. CONclusio est affirmans. Quia in contemplatione maximè consistit delectatio, præcipuè in sapientiæ amatoribus. Vnde in contemplatione futuræ beatitudinis maximè gaudemus in tribulationibus. Quare Tyburtius martyr, cum nudis plantis super ardentes prunas incederet, dixit; videtur mihi quòd super flores roseos incedam in nomine Iesu Christi.

D. Tyburtius martyr.

ARTIC. QVINTVS.

¶ Vtrùm somnium, & balnea mitigent dolorem.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. CONclusio est affirmans. Quia ea quæ reformant naturam corporalem in debitum statum, repugnant tristitiæ, & ipsam mitigant, quæ secundum se vitali motioni repugnat: per ista igitur remedia, natura reducitur ad debitum statum, & sic ex his causatur delectatio, quæ tristitiam dissipat.

EXPLICATIO QVAESTIONIS.

DE remedijs tristitię haud inutile erit pauca subijcere. Diluitur tristitia, vel malo sublato, vel reddito amisso bono, aut rebus lætis maioribus affluēti bus, quas nos pluris æstimamus, quã illas, quarũ absentiam dolem⁹. Discutitur quoq; auersione cogitationis, vt negotijs, & narrationibus iucundis, recto iudicio, nempè reputatione non esse tantum malum, non tanti æstimandum esse vt nos affligamus, plùs nos in eo quod agimus perdere, quàm sit in eo quod dolemus deperditum: hanc esse communem sortem, & ab illo fieri, cuius voluntati, & iudicio non parere nefas esset; mœrore remedium non parari. Item, vt in alijs animi morbis clauus clauo retunditur; sic etiam diluitur tristitia, cùm ostenditur, vel periculum maius quod imminet, vt illud quod iam adest, pro nihilo sit habendum: sicut qui dolet amissam pecuniam in discrimine captiuitatis, vel mortis: aut cùm demonstratur maximorum bonorum spes, vt famæ, immortalitatis, vel dignitatis, aut illius, quod omnia superat bona, beatitudinis sempiternæ. Diluitur etiam tristitia his, quę humectant atram bilem, vt cibis calidis, & humentibus; vino potissimùm, de quo est in sacris literis; Da vinum mœrenti. Delectatione quoque quauis mitigatur tristitia, potissimè visus, vel auditus, vt cælo aperto, campo, & pratis patentibus, musica; tametsi musicæ est genus quoddam, quod mœstis maiorem mœrorem infert. Sed & luctu, & lachrymis, & suspirijs mitigatur doloris tristitia, vt optimè ostendit D. Th. art. 2. Sed quomodo luctus, & lachrymæ, quæ res tristes sunt, tristitiam diluant, haud facilè est explicare, maximè cũ nullus effectus diminuat suam causam; sed fletus, & gemitus sunt effectus tristitiæ; quomodo ergo minuũt tristitiam? Sed soluitur, si rerum ordinem rectè aduertamus. Nam in eo qui flet, tria sunt consideranda; ipse, qui tristitia afficitur, & res, quæ tristitiam causat; & effectus tristitiæ, putà, flere. Et sunt duæ contrariæ habitudines inter eum qui tristitia afficitur, & inter rem quæ tristitiam causat: & inter eum qui tristatur, & effectum. Nam prima habitudo, est habitudo disconuenientiæ: Secunda verò habitudo, est conuenientiæ; & propterea effectus ipse, putà, fletus, habens vtrumque, quia est effectus conueniens mœsto, & tristi, & præsentat obiectum contristãs vt causam; quanquam ratione obiecti tristitiam augeat, propter quod & fletus continuatur: ratione tamẽ sui delectat, & recreat, & tristitiam minuit; & quia res magis est ratione sui, quã ratione alterius, ideo simpliciter cõceditur, quòd fletus mitigat tristitiã. Sed & cõpassio amicorũ mitigat doloré, propter rationes quas cõmemorat D. Tho. in ar. 3. Hîc tamẽ scire oportet, quòd aliena lętitia, tristitiã nostrã exauget; sicut festi dies, & celebritates publicæ: cohibetur ab introrsum, & augetur tristitia per appositionẽ cõtrarij; quemadmodũ calor viuẽtium corporum in hyeme. Sed & alterã huius rei causam demonstrare possumus; cum enim videamus alios lætitia perfrui, nostra mala diligentiùs consideramus, & ex amissione bonorum, & ex impedimento lætitiæ cruciamur. Sed quomodo cõtemplatio veritatis tristitiã diluat, ostendit D. Thom. eleganter, & efficaciter in litera; de quo oritur parua dubitatio. ¶ Nam intellectus speculatiuus non mouet voluntatem, vt crebrò docet Aristo. Sed speculatio veritatis pertinet ad intellectum speculatiuum: quomodo ergo mitigat dolorem, & tristitiam voluntatis? Sed hæc obiectio facillimè depellitur: nã licèt contemplatio, ex parte rei contemplatæ, non

Quomodo fletus & gemitus minuant tristitiam.

Responsio.

D. Thom.

Obiectio.

Aristot.

Solutio.

non moueat animum; qui enim contemplatur triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, nihil dicit vnde appetitus moueatur: mouet tamen animum ex parte ipsius contemplationis, quæ est quoddam bonum hominis, & natura sua delectabilis. Hæc de remedijs tristitiæ dixisse sufficiat; qui plura desiderat, legat Petrarcham, in lib. de remedijs aduersæ fortunæ. Petrarch.

QVAESTIO XXXIX.

De bonitate, & malitia tristitiæ, seu doloris, articulos habet quatuor.

ARTIC. PRIMVS.

¶ Vtrùm omnis tristitia mala sit.

SVMMA TEXTVS.

Prior cõcl. PRior cõclusio. Tristitia, secundum se, & simpliciter, mala est: anxiari enim appetitum hominis ex malo præsenti, malum est, quia impeditur quies in bono. ¶ Posterior conclusio. Supposito aliquo contristabili, & doloroso, ad bonitatem pertinet quòd aliquis de malo præsenti tristetur, vel doleat; nã si non tristaretur, procederet, vel quòd non sentiret, vel non reputaret illud malum sibi repugnans; quorum vtrumque est manifestè malum. Quare supposita præsentia mali, ad bonitatem pertinet, quòd sequatur tristitia, vel dolor. Vnde aliqua tristitia est bona ex suppositione, sicut verecundia alicuius turpis commissi. Poste. cõcl.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ Vtrùm tristitia possit esse bonum honestum.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. COnclusio est. Tristitia potest habere rationem boni honesti: nam secũdum illam rationem, qua tristitia potest esse bonum, potest esse bonum honestum. Dictum est enim quòd tristitia est bonum, secundum cognitionem, & recusationem mali; quę quidem duo in dolore corporali attestantur bonitati naturæ, ex qua prouenit quòd sensus sentit cruciatum, & natura refugit læsiuum, quod causat dolorem: in interiori verò tristitia, cognitio mali, quandoque est secundum rectum iudiciũ rationis; & recusatio mali per voluntatem bene dispositam, detestantem quod verè malum est. Omne autem bonum honestum ex his duobus præcedit, scilicet ex rectitudine rationis, & voluntatis: vnde manifestum est, quòd tristitia potest habere rationẽ honesti. Conclusio.

ARTIC. TERTIVS.

¶ Vtrùm tristitia possit esse bonũ vtile.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. AFfirmanse est conclusio. Nam ex malo præsenti duplex motus appetitus cõsurgit: vnus, quo appetitus contrariatur malo præsenti; & ex hac parte tristitia non habet vtilitatẽ: quia quod præsens est, non potest non esse præsens: alius, quo repellit tristabile; & quãtum ad hoc, si est de aliquo quod fugiendũ sit, tristitia habet vtilitatem; fugiendum autem est aliquid propter seipsum ex contrarietate quam habet ad bonum, vt est peccatũ. Alio modo fugiendum est aliquid, quia est occasio mali. Vtroq; modo tristitia habet rationem vti-

lis

lis in omni malo fugiendo: nam si cut delectatio de bono, facit vt bo num auidiùs quęratur; ita tristitia de malo, facit vt malum vehemen tiùs fugiatur.

ARTIC. QVARTVS.

¶ Vtrùm tristitia, siue dolor, possit esse summum hominis malum.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. NEgans est conclusio. Nã culpa est maius malum, quàm pœna, vt in prima parte habitum est. Sed tristitia pertinet ad pœnam peccati, sicut frui rebus mutabilibus est malum culpæ. Dicit enim Diuus Augustinus in libro de vera religione. Quid est dolor, qui dicitur animi, nisi carere mutabilibus rebus quibus fruebatur, aut frui se posse sperabat? & hoc est totum quod dicitur malum, id est, peccatum, & pœna peccati: ergo tristitia non est summum ho minis malum. Deinde, omnis tristitia aut est de hoc, quod verè est malum; aut est de aliquo apparenti malo, quod est verè bonum. Tristitia autem quę est de vero malo, non potest esse summum malum: est enim aliquid eo peius, vel non iudicare esse malum, quod verè est malum; vel etiam non refutare illud; tristitia autem de apparenti malo, quod verè est bonum, nõ potest esse summum malum; quia peius est omnino à vero bono alienari: vnde impossibile est quòd aliqua tristitia sit summum hominis malum.

Aug. lib. de ve. rel. c. 12.

EXPLICATIO QVAESTIONIS.

DVo tantũ sunt explicanda in præsenti quęstione: alterũ est, quomodo tristitia secundũ se, & simpliciter, mala sit: alterũ est, quomodo tristitia, seu dolor, potissimè damnatorũ, summũ hominis malũ nõ sit. Primũ assertũ habet D. Th. in 1. art. secundũ verò, in vltimo. ¶ Et quidẽ primũ assertũ falsum dicere videtur: Nã id, quod secũdum se, & simpliciter malum est, nulla ratione potest rectè fieri; sicut mendacium, & adulteriũ, quę secũdũ se mala sunt, nulla ex causa honestari possunt, vt habet sana doctrina: ergo si tristitia secũdum se, & simpliciter, mala est, nulla ex causa potest esse bona: cuius contrariũ docet D. Tho. in articu. 2. & 3. Deinde, recta ratio docet, & dictat, quòd appetitus quandoq; priuetur quiete in bono, & anxietur de præsenti malo, vt patet in volũtariè assumẽtibus luctũ propter Deũ in suorũ criminũ satisfactionẽ. ¶ Alterũ assertum ex eo Theologis potest facessere negotiũ; Nã optimũ opponitur pessimo, vt docet Aris. 8. eth. c. 10. sed quędã delectatio est summũ bonũ, vt delectatio beatitudinis: ergo aliqua tristitia est summũ malũ. Iterũ, summũ bonum est videre Deum, & de eius fruitione delectari: ergo summum malũ est carere visione beatifica, & de eius amissione cõtristari. Hoc ipsum confirmatur. Nã summa miseria, est summum malum: at vltima, & summa miseria est esse infelicem: esse autem infelicem, est carere visione beatifica, & eius delectatione priuari: ergo aliqua tristitia est summum hominis malum. ¶ Ad defensionem, & explicationẽ primi asserti, nouisse oportet ex S. Doctore in quodlib. quòd actus humani quadripartiti sunt: quidam semper mali, vt mentiri; quidam per se boni; vt colere Deum; quidam indifferentes, vt leuare festucam de terra; quidam solitariè sumpti sonant in malum, qui tamen possunt ex circunstantijs honestari, vt occidere hominem; hoc enim solitariè sumptum, importat aliquid inconsonum rationi. Violenta enim priuatio vitæ humanæ, rationi dissonat; sed si addatur circunstantia propter maius bonum, propter conseruationem, & liberationem Reipublicæ à nefarijs hominibus, efficitur consentanea rationi. Nec propterea actus malus moraliter fit bonus moraliter; sed actus qui, si secundum se, id est solitariè sumptus, fieret esset malus, quando fit circundatus honestatis conditionibus, est bonus moraliter. In hoc quarto genere constituitur tristitia, quæ in litera primi articuli dicitur secundum se mala, id est, solitariè sumpta, in malum sonat; quia si appeteretur, & haberetur sola, mala esset; at si illa appetatur, & habeatur ex malo coniuncto, bona mora-

Quomodo tristitia simpliciter sit mala. Argu. prim.

D. Thom. Secundò.

Vtrũ dãnatorũ tristitia sit summũ malũ. Prim. arg. Aris. Secundò.

Confir.

Responsio primi dubij D. Thom.

Quadruplices actus humani.

Secũ. reſpõ. moraliter eſſe poteſt. Vel dicito, quòd triſtari temerè, & ſine cauſa, ex nullo malo adiacenti, malum eſt: & hoc eſt quod dicit Diuus Thomas, quòd triſtitia ſecundum ſe, mala eſt, & non eſt de genere eorum quæ per ſe appeti debeãt: Cæterùm triſtitia præſuppoſitâ præſentia mali, bona eſt, & rationi conſona: ſicut ſumere medicinam, niſi in infirmitate, aut neceſsitate, malum eſt; at in infirmitate, & neceſsitate, bonum eſt, & laudabile.

Ad primum Argum. Dupliciter eſt aliquid malum per ſe. ¶ Ad argumenta in aduerſum, ad primum dicendum, quòd eſſe malum per ſe, contingit dupliciter: quod enim eſt malum per ſe, id eſt, de ſua ratione, aut proprietate naturali, habet malitiam inſeparabilem, & ſic nunquam perdet illam: quod autem eſt malum per ſe, id eſt ſolitariè ſumptum, habet malitiam ſolitariè, quam perdit ex coniunctione cum alio, & hoc modo triſtitia dicitur ſecundum ſe malã.

Ad ſecundũ ¶ Ad ſecundum dicendum, quòd noſtram ſententiam admodum confirmat: nam oſtendit, quòd triſtitia eſt mala moraliter, ſi ſolitariè ſumatur: nam importat aliquid ſolitariè ſumptũ rationi diſſonans, ſcilicet priuationem boni, & inquietudinem appetitus: at ex coniunctis efficitur bona, atque laudabilis. Certè, vt ego exiſtimo, nihil aliud vult docere Diuus Thomas, niſi quòd ſunt quædam actiones, ſiue animi affectiones, quæ bonę non ſunt, niſi ex aliquo præſuppoſito; veluti pœnitentia, bona non eſt, niſi præſuppoſito peccato: medicina, neceſſaria non eſt, niſi morbo præſuppoſito.

Solutio dubij ſecũdi. ¶ Sed ad defenſionem alterius aſſerti progrediamur, & quidem non immorabimur in confirmanda ſententia Diui Thomæ, quòd triſtitia non ſit hominis ſummum malum; nam hoc adeò efficaciter demonſtrat Diuus Thomas, vt noſtra comprobatione non indigeat: ſolùm cõfutabimus argumenta in contrarium. Nam ad

Ad primum Argum. primum dicẽdum eſt in primis, illud axioma ex Ariſtotele citatum, non ſemper dicere verum, prout demonſtratum eſt ſuperiùs in materia de beatitudine. Meliùs eſt enim eſſe ſtudioſum, quàm habere inclinationem naturalem ad virtutum ſtudia; at peius eſt non habere inclinationem ad virtutum ſtudia, quàm non eſſe ſtudioſum: nã ſi nõ habeas iſtam inclinationẽ, homo non eris, ſiquidem hæc inclinatio eſt inſita naturæ humanæ. Itaque non ſemper optimo opponitur peſsimum. Sed & illud addendum eſt in confutationem argumenti, quòd non eſt eadem ratio de delectatione beatitudinis, & triſtitia miſeriæ. Nam aliqua hominis delectatio poteſt eſſe ſummum hominis bonum, cùm in ea nullum ſit malum, eo modo, quo ſuprà dictum eſt de delectatione, & beatitudine: triſtitia autẽ non poteſt eſſe ſummum hominis malum; nã in ea eſt aliquid bonum, ſcilicet verum iudicium de vero malo, & ordo debitus voluntatis, approbantis bonum, & reprobantis malum. Et ſic patet, quòd in dolore, vel triſtitia eſt aliquod bonum; quod ex eo vel maximè confirmatur. Nam triſtari de vero malo, tantum abeſt vt ſit malum, quòd ſecundum ſe ſit bonum, & laudabile: quòd ſi in damnatis bonum non eſt, id ex ſua praua voluntate contingit.

Ad alia arg. ¶ Ad alia argumenta concedatur, me iudice, ſummam miſeriam, & ſummum hominis malum eſſe, carere viſione beatifica, & priuari fruitione beatæ vitæ; ex hoc tamen non inferatur, quòd dolor inde ſubſecutus ſit ſummum hominis malum: nam peius eſt carere ſummo bono, quàm triſtari de carentia ſummi boni; quin potiùs hæc triſtitia ſecundum ſe, bona eſt, & laudabilis. Hæc de quæſtione.

QVAESTIO XL.

De paſsionibus iraſcibilis, & primò de ſpe, & deſperatione, articulos habet octo.

ARTIC. PRIMVS.

¶ Vtrùm ſpes ſit idem quod deſiderium, vel cupiditas.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Conclusio. Spes differt à deſiderio: nã ſpecies paſſionis ex obiectis conſiderantur. Quatuor autem conditiones ſpei attenduntur. Prima, Quadruplex ſpes. ſpes eſt de bono; & ſic differt à timore, qui eſt de malo. Secunda, ſpes eſt de futuro; vnde differt à gaudio, quod eſt de præſẽti. Tertia, requiritur quòd ſpes ſit de aliquo arduo cum difficultate adipiſcẽdi: non enim quis ſperat aliquod minimum, quod in promptu eſt; & ſic differt à deſiderio, quod eſt de bono futuro abſolutè, & ad concupi-

cupiscibilem pertinet, spes verò ad irascibilem pertinet. Quarta, quod illud arduum sit possibile adipisci; quia non sperat quis id quod adipisci non potest: & sic differt à desperatione, & præsupponit desiderium, sicut omnes passiones irascibilis, præsupponunt passiones concupiscibilis.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ Vtrùm spes pertineat ad vim appetitiuam.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Concluſio est affirmans: Importat enim extensionem quãdam appetitus in bonum; motus autem ad res pertinet propriè ad appetitum. Virtutis enim cognitiuę actio perficitur secundum quòd res cognitæ sunt in cognoscente, & non secundum motum cognoscentis ad res. Sed quia intellectus mouet appetitum repræsentando ei suũ obiectum secundum diuersas rationes obiecti apprehensi, ideo in appetitu sequuntur diuersi motus, alius videlicet ex apprehensione boni, alius ex apprehẽsione mali, & similiter alius ex apprehensione præsentis, & alius ex apprehẽsione futuri, absoluti, & ardui, possibilis & impossibilis; & secundum hoc spes est motus appetitiuę virtutis, consequens apprehensionem boni futuri, ardui, possibilis adipisci.

ARTIC. TERTIVS.

¶ Vtrùm spes sit in brutis.

SVMMA TEXTVS.

Concluſio. Concluſio est affirmans. Nam spes, est passio irascibilis: at in brutis est irascibilis: ergo & spes. Deinde, interiores passiones animalium ex exterioribus deprehendi possunt; ex quibus apparet quòd in brutis est spes: si enim canis videat leporem, aut accipiter, nimis distantẽ, non mouetur, quasi non sperans adipisci posse; si verò est de propinquo, mouetur vt capiat.

ARTIC. QVARTVS.

¶ Vtrùm spei contrarietur desperatio.

SVMMA TEXTVS.

Concluſio. Concluſio est affirmans. Nam in mutationibus inuenitur duplex contrarietas; vna secundũ accessum ad contrarios terminos: & talis contrarietas sola inuenitur in passionibus concupiscibilis, sicut amor & odiũ contrariantur: alio modo, per accessum, & recessum, respectu eiusdem termini: & hæc contrarietas in passionibus irascibilis inuenitur. Obiectum enim spei, quod est bonum arduum, habet rationem attrahendi, in quantum considerat tur cum possibilitate adipiscendi, prout autem cum impossibilitate obtinendi consideratur, est desperatio, quæ repulsiui rationẽ habet.

Concluſio. Duplex cõtrarietas in mutationibus.

ARTIC. QVINTVS.

¶ Vtrùm experientia sit causa spei.

SVMMA TEXTVS.

Concluſio. Respondetur affirmatiuè: vel, quia homo per experientiam acquirit facultatem aliquid faciendi:

ciendi: vel saltem experientia facit eum existimare aliquid esse possibile. Primo modo, causa spei sunt diuitiæ, fortitudo, & omnia quæ augent hominis potestatem; & hoc modo experientia causat spē, quia facultatem facit aliquid de facili faciendi. Secundo modo, causa spei sunt, doctrina, persuasio, & experientia; nam ex his fit existimatio, quòd aliquid sit possibile quod prius reputabatur impossibile: & hoc modo ex diuersa experientia potest causari defectus spei. Quare duobus modis causat spem experientia, & vno modo defectū spei: vnde magis dicere possumus eam esse causam spei.

ARTIC. SEXTVS.

¶ Vtrùm iuuenes, & ebrij, sint magnæ spei.

Prior cōcl.

SVMMA TEXTVS.

PRior conclusio. Iuuentus est causa spei: & hoc propter tria, quæ requiruntur ad spem, scilicet; arduum, futurum, adipiscibile. Nam iuuenes habent multùm de futuro, & parùm de præterito: spes enim de futuro est, & memoria de præterito; & ideo multum viuunt in spe iuuenes. Etiam propter caliditatem naturæ habent multos spiritus, vnde in eis cor ampliatur, & sic in ardua tendunt, & sunt animosi, & bonæ spei. Iuuenes quoque, quia non sunt passi repulsam, neque experti sunt impedimenta in suis conatibus, ideo de facili arbitrantur aliquid esse possibile. ¶ Posterior concluſio. Ebrietas est causa spei, propter caliditatem cordis ex vino, & inconsiderationem periculorum: & hac eadem ratione omnes stulti sunt magnæ spei.

Post.concl.

ARTIC. SEPTIMVS.

¶ Vtrùm spes sit causa amoris.

SVMMA TEXTVS.

PRior concluſio. In quantum spes, speratum bonum respicit, spes causatur ex amore; quia non est spes, nisi de bono amato, & desiderato. ¶ Posterior concluſio. Spes, in quātum respicit illum, per quem nobis fit aliquid possibile, est causa amoris: cùm enim speramus per aliquem nobis prouenire posse bonum, in ipsum mouemur, sicut in nostrum bonum, & amare incipimus; & ex eo quòd amamus per accidens ex amore causatur spes, quia credimus ab eo redamari. Itaque spes est causa, & effectus amoris.

Prior cōcl.

Post.concl.

Spes est causa, & effectus amoris.

ARTIC. OCTAVVS.

¶ Vtrùm spes conferat ad operationem, vel magis impediat.

SVMMA TEXTVS.

CONcluſio est. Spes adiuuat ad operationē: & hoc duobus modis; tum, ratione obiecti, quod est arduum possibile: arduum autem excitat attentionem; & id quod est possibile, non retardat conatum; tum, ratione effectus, quia causat delectationem; delectatio autē adiuuat operationem.

Concluſio.

EXPLI-

EXPLICATIO QVAESTIONIS.

IN gratiam huius quæstionis duo tãtummodò explicabo; nã cętera de se sunt manifesta satis. Primũ illud est, quomodo sit de ratione spei bonũ futurũ arduũ: Secundò, de causis spei, breuiter, & summatim dicã. De definitione spei haud parua mouetur quæstio; Nũ sit de definitione spei bonũ futurũ. Quòd nõ sit, duo argumenta, nequaquã imbecilla, suadent. Alterũ, quòd bonũ sit futurũ, non est ens reale, sed rationis; id enim quod nõ existit in rerũ vniuersitate, nõ est ens reale, sed ens rationis: Sed spes est affectus animi nostri, verus, & realis: ergo nõ rectè definitur per id, quod nõ est. Deinde, si affectus spei, exactè, & rectè definitur ex bono futuro arduo, cõsequens est, quòd in brutis non sit spes, cuius cõtrariũ definit D. Tho. in art. 3. Quòd hoc rectè sequatur, sic ostendo. Nam bruta animantia nõ cognoscunt futura, siquidem habent solùm cognitionem sensitiuam, quæ nõ est futurorũ: ergo nõ expectant futura; ergo si spes est de futuro bono, bruta animantia non habent spem.

Vtrũ de ratione spei sit bonũ futurum. Argu. prim.

Secundò.

D. Thom.

¶ Vt proposita dubitatio exponatur, scire oportet, quòd spes variè à doctoribus definitur. Cicero sic definit; Spes, est expectatio boni. Alij verò sic definiunt; spes, est fiducia euenturum esse quod cupimus. Sed D. Tho. sic definit spem; Spes, est motus appetitiuæ virtutis, sequens apprehensionẽ boni futuri, ardui, possibilis adipisci. Porrò in vniuersis his definitionibus, futurũ bonum in definitione spei collocatur, propter quod operæpretium erit diligenter exponere, quomodo spesper bonum futurum definiatur. Certè cũ spes sit motus appetitus, qui fertur ad res, prout sunt à parte rei, & ad res ad extra, hinc prouenit, ꝙ aliter se habeat ad rẽ prẽsentẽ, quã ad futurã, & aliter trahatur ad præsentiam boni per delectationẽ, aliter verò ad rem futurã, per spem, & inquisitionẽ; & ideo spes, sicut desideriũ, respicit futurũ per se: quod enim habet quis, non sperat. Vnde ad argumẽta proposita dicendũ est. ¶ Ad primũ dicito, quòd aliquid spectat ad rationem formalem obiecti, ex parte rei obiectę, alio modo ex parte subiecti. Obiectũ spei, ex parte rei, est bonum quod expectamus, ex parte nostra redundat in obiectum esse futurũ nobis; sicut in obiectum fidei, vel humanæ, vel diuinæ, non visum; si enim videretur, non crederetur. Nihil autem prohibet huiusmodi conditiones esse de ratione formali obiecti, sic vt separatis his conditionibus non permaneat species: obiectum enim priùs comparatur ad subiectũ, quàm ad actum, & propterea conditiones redundantes in obiectum ex subiecto, præueniũt actum, & ad integritatem formalis obiecti pertinere possunt. Nec obstat, quòd entia rationis sint eiusmodi denominationes: habẽt enim reales causas, quibus repugnant aliæ reales conditiones in eodem, ex quibus redundant oppositæ denominationes in obiectis. verbi gratia. in obiecto fidei, & spei, non videri, est conditio denominatiua, quæ nihil reale ponit, sed causa eius, putà, talis dispositio subiecti realis est, & huic dispositioni reali contrariatur alia dispositio realis in eodem, putà, esse affectum lumine gloriæ, ex qua in obiectum redundat oppositа denominatio, esse visum. ¶ Ad secundum argumentum priusquàm Dominus Caietanus respondeat, longam, & prolixam habet disputationem; Vtrùm animalia bruta cognoscant futura. Et à parte affirmante sic disputat. Nam bruta mouentur ad futura, & appetunt illa, timent futura, & cauent ab illis: ergo cognoscunt futura. Deinde, ad perfectionem animalis perfecti, requiritur quòd cognoscat futura; exigitur namque quòd cognoscat conueniens, & disconueniens, inter ea quæ cognosci possunt per sensum. Sed pars sensitiua extendit se ad tẽporis perceptionem, vt patet in memoria: ergo cognoscunt futura. Ad huius rei expositionem statuit in primis Caietanus, quòd ex exterioribus motibus manifestè demonstratur in brutis animantibus esse appetitum respectu futuri boni, vt patet de spe, & desperatione, atque etiam de timore. Deinde statuit, quòd hæc rerum euidentia necessariò ducit intellectum ad alteram duarum causarum, videlicet, ad naturam, vel ad apprehensionem, & cognitionem boni futuri. Et quidem D. Thom. in solutione primi, tertij articuli, apertè reducit has demonstrationes ad naturam: inquit enim, quòd quamuis bruta animalia non cognoscant futura, tamen ex instinctu naturali mouentur ad aliquid futurum, atque si futurum præuiderent: huiusmodi enim instinctus est inditus ab intellectu diuino præuidente futura. Ad hæc statuit Dominus Caietanus, quòd quando disputamus de cognitione sensitiua; vtrùm sese extendat ad futura, nõ disputamus de cognitione sensitiua, prout in nobis est; nam vt in nobis est ex coniunctione ad partem intellectiuam, plus aliquid sortita est quàm ex natura sua habere possit, vt patet de reminiscentia, quæ est actus partis sensitiuæ, vt dicitur in libro de memoria, & reminiscentia; & tamen soli homini conuenit, propter causam dictam. Præterea statuit pro certo Caietanus, quòd futurũ, quatenus tempus est, potest percipi à potentia sensitiua: nam memoria tempus præteritum cognoscit determinatè, vt heri; & indefinitè, & indeterminatè, vt olim. Ex quo etiam sequitur, quòd futurum, ex hoc quod nõ est

Variæ spei definitiones. Cicero. D. Thom.

Ad argum. Ad primum

Ad secundũ Caiet.

Vtrũ bruta futura cognoscant. Caiet.

est in seipso, non repugnat quòd sensu percipiatur: in hoc enim conuenit cùm præterito; neutrum enim est in ipso, & tamen præteritum percipitur memorando. Denique, vt rem iam definiat, docet proprium esse futuri vt distinguitur contra præteritum, & contrà præsens non esse, nec fuisse. Itaque quod futurum est, nec est, nec fuit: ac per hoc neque immutauit, neque immutat sensum. Et quoniam tempus à potentia sensitiua non aliter percipitur, nisi per immutationem, futurũ repugnat perceptioni sensitiuæ. Cùm enim tempus sit numerus motus secundum prius, & posterius; non aliter percipitur sensu tempus, nisi percipiendo quandam distantiam succesiuam ab vna mutatione vsque ad aliam: & ideo temporis præteriti meminimus, quia aliqua immutatio tẽporis in memoria retinetur. Vnde cùm rerum futurarum immutationes non sint in anima, quandiu futurum, imperceptibile erit in parte sensitiua: & propterea D. Thom. docuit, quòd bruta non cognoscunt futura, sed spes, & timor in eis, est motus animalis appetitiuus secundum substantiã, quia est actus secundus, elicitus ex cognitione, & ex obiecto cognito. Deniq; est motus sequens apprehensionem boni, aut mali, & ex præsenti cognito sperant secundum proprietatem, quia expectant futurum, sed non ex futuro ab eis cognito: & ideo eorum spes est naturalis secundum quid, quia natura supplet cognitionem futuri. Hæc sufficiant pro confutatione argumenti secundi, atque adeò pro explicatione illius quæstionis, vtrùm bruta animantia cognoscant futura. Plura dicit Caietanus, sed qui voluerit ea legere, apud autorem inuenientur, nos ad explicandas causas spei accedamus.

D. Tho.

Causæ spei quæ.

¶Spes in primis vt nascatur, non est opus euidentia scientiæ, quòd sit res futura, aut possibilis, sed satis est coniectura opinionis, vel probabilitatis. Certè, hæ persuasiones, & similes, valent ad spem concipiendam, quòd sæpe factum est simile, quòd aliquando, quòd in pari euentu idem accidit, quòd aliqua ratione, & causa debeat fieri, quòd par est vt fiat, quòd credibile est futurum hoc tempore, hoc loco, hoc negotio. Nulla est tam leuis, tam minuta, tam friuola ratio, dũmodo apparens sit, quæ non satis habeat virium ad spem sustinendã: iucundissima est spei persuasio, & homini in primis necessaria inter tot ærumnas, & calamitates, ferè intolerabiles: omnia enim fierent sine spei condimento, non solùm fatua, sed etiam insuauissima: prudenterque effictum est in fabulis, quòd in Pandoræ pyxide effusis rebus omnibus, ac perditis, spes sola resederat in fundo, quæ est imago humanæ vitæ: ideóq; ab artifice mundi effectum est, vt spes leuissimis de causis, & nascatur, & sustentetur. Huc pertinet illud prouerbium; Ægroto, dum anima est, spes est: sententia est prouerbialis, admonens, ne in afflictissimis quidem rebus abijciendam esse spem. Sumptum videtur adagium ex Theocriti Batto, quod non inelegãter transtulit Philelphus ad hũc modũ;

Commune prouerbiũ.

Philelphus.

Fidere Batte dẽcet, melius cras forsan habebis;
Sperandum est viuis, non est spes vlla sepultis.
Nunc pluit, & claro nũc iuppiter æthere fulget.

Lege emblema Alciati de spe, in quo eleganter conditiones, causasque spei, & eius comites describit.

Alciatus.

QVAESTIO XLI.

De timore secundum se; articulos habet quatuor.

ARTIC. PRIMVS.

¶Vtrùm timor sit passio animæ?

SVMMA TEXTVS.

Affirmãs est Conclusio. Nam ad rationem passionis primò requiritur quòd sit motus passiuæ virtutis, ad quam comparetur suum obiectum per modum actiui mouentis; eò quòd passio est effectus agentis, & per hunc modum, sentire, & intelligere, pati dicuntur. Vel magis propriè, passio dicitur motus appetitus habentis organum corporale, qui fit cum aliqua transmutatione corporali. Proprijssimè verò dicũtur passiones, quæ aliquod incommodum important. Timor ergo est passio appetitus; quia est de malo; & bonum, & malum ad appetitum pertinent: & fit cum corporali transmutatione, scilicet cum

Conclusio.

contractione quadam. Vnde proprijssimè conuenit ei ratio passionis post tristitiam, quæ est de præsenti malo; quia timor est de malo futuro, quod non ita mouet, sicut præsens.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ Vtrùm timor sit specialis passio?

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. AFfirmans est Conclusio. Nam passiones recipiũt speciẽ ex obiecto. Quare specialis passio est, quæ habet speciale obiectum: sed obiectum timoris est speciale, scilicet malum futurum difficile, cui resisti non potest; sicut obiectum spei est bonum futurum, arduum adipisci: ergo timor est specialis passio.

ARTIC. TERTIVS.

¶ Vtrùm sit aliquis timor naturalis?

SVMMA TEXTVS.

Prima con. PRima Conclusio. Timor de malo corruptiuo, quod natura refugit propter naturale dẽ sideriũ essendi, est naturalis, siquidem natura refugit tale malum.

Secunda. ¶ Secunda Conclusio. Timor de malo contristatiuo, quod non repugnat naturæ, sed desiderio appetitus, non est naturalis, sicut est timor qui nascitur ex opinione mali futuri: sæpissimè enim timemus ea, quæ naturaliter timenda non sunt.

ARTIC. QVARTVS.

¶ Vtrùm sint sex species timoris?

SVMMA TEXTVS.

Concluſio. COncluſio. Sex ſunt ſpecies timoris; videlicet, ſegnities, erubeſcẽtia, verecũdia, admiratio, ſtupor, & agonia. Nam timor eſt de malo futuro, quod excedit poteſtatem timentis, ita vt ei reſiſtere non poſsit: tale autem malum conſideratur, vel in operatione hominis, vel in exterioribus rebus. In operatione hominis duplex malum timeri poteſt; primũ, labor grauans naturam, & ſic cauſatur ſegnities; quia fugit aliquis operari propter timorem excedẽtis laboris. Secundò, turpitudo lædens opinionem; quæ ſi timetur in actu committendo, erit erubeſcentia; ſi de actu turpi facto, eſt verecundia. Malum autem quod eſt in rebus exterioribus, tripliciter poteſt excedere facultatem hominis ad reſiſtendum: primò, ratione ſuæ magnitudinis; quia conſiderat aliquis magnum aliquod malum, cuius exitum perſpicere non ſufficit, & ſic eſt admiratio. Deinde, ex deſuetudine, quia aliquid malum noſtræ conſiderationi offertur, & ſic noſtræ exiſtimationi magnũ malũ eſt, vnde ex tali inſolita imaginatione ſtupor cauſatur. Tertiò, cùm aliqua eximpro uiſo accidũt, quę pręuideri nõ poſſunt, ſicut futura infortunia timẽtur, & talis timor dicitur agonia.

EXPLICATIO QVAESTIONIS.

TImor, eſt mali expectatio, vt vult Chryſippus: vel animi, ob mali expectationem, contractio, vt alijs doctoribus viſum eſt; aut etiam (vt Ariſtot. Chryſip.

Aristo. Aristot. libro. 2. rhetoricorum statuit) est perturbatio ex futuri mali pernitiosi, aut molesti imaginatione: & alibi dicit, quòd timor, est
D.Tho. mali appropinquantis phantasia. Sed D. Tho. exactius, & plenius definit timorem, quòd sit motus appetitus de malo futuro difficili, cui resisti commodè non possit; sicut spes est confidentia de bono futuro, arduo, possibili adipisci. Verùm vt prædictæ definitiones exactiùs intelligantur, scire oportet, non solùm in malum incidere, in malis esse habendum, sed etiam à bono sperato decidere malum esse iudicandum. Itaque metus non solùm nascitur ex opinione mali futuri appropinquantis, sed etiam ex opinione amittendi, vel non consequẽdi bonum speratum; quod quidem cùm verum sit, rationi consentaneum esse videtur, in plurimis spem, metumque concurrere, & metuunt, sperantque simul. Illud etiam nouisse oportet, quòd cùm timor oriatur ex periculi consideratione, qui plus considerant, plus timent, prudentes, sobrij, experti. Sed & cùm timor ex malo iam appropinquante ortum habeat, mala longinqua minùs nos perturbant, vt mors incerta, quam etiam senes homines abesse procùl adhuc sperant. Ex opinione futuri mali, vtique molesti, vel corruptiui, nascitur timoris perturbatio: non enim omnia mala expauescimus, quale est, siquis sit iniquus futurus, aut ignarus; sed quæ magnas molestias important animo, aut corruptionem corporibus. Ex his, definitiones pro
De timore Dei sententiæ scripturæ. positæ facilè intelligentur. ¶ Illud tamen aduertendum est, quòd cùm de timore Domini tam præclarè loquitur scriptura, cùm dicit; Timor Domini, initium sapientiæ; & iterum; Timor Domini, gloria, & gloriatio, & lætitia, & corona exultationis; &, Timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam, & gaudium, & longitudinem dierum; &, Timenti Dominũ bene erit in extremis, & in die defunctionis suæ benedicetur; &, Plenitudo sapientiæ est timere Deum; non de timore loquitur, quo expectamus malum futurum; neque de timore mali pœnæ, quem perfecta charitas foras
Quid sit timor Domini. mittit; sed secũdum phrasim scripturæ, timor Domini, est reuerentia Dei, & eius cultus, & vera pietas. ¶ Sed contra eam definitionem,
Obiectio. quæ sic habet; Timor est perturbatio de malo futuro appropinquante; est vnum argumentum; Nam omnis passio est ex præsentia agentis prouenies: sed timor non est de aliquo præsenti, sed futuro: ergo timor non est
Solutio. animi passio, neque perturbatio. Ad hoc dicendum est, quòd sicut passio corporalis naturalis prouenit ex corporali præsentia agentis, sic & passio animæ prouenit ex animali præsentia agentis, absque præsentia corporali, vel reali, in quantum malum, quod est futurum, realiter est præsens secundum apprehensionem animæ. Hæc de ista quæstione dixisse sufficiat: nam vniuersæ aliæ quæstiones, quæ huc facilè adduci poterant, sparsim in libris diuinæ Theologiæ inuestigantur; videlicet de diuisione timoris, in initialem, filialem, mundanum, seruilem, tractatur in secunda secundæ, in materia de spe. De alia quæstione, vtrùm timere pœnas malũ sit, tractatur in diuersis locis diuinæ Theologiæ, præcipuè cùm tractatur de pœnitentiæ sacramento. Item alia, quomodo in Christo fuerit timor de offensa Dei; quomodo rursus in beatis, cùm tamen non sit futura, nec possit esse in Christo, neque in beatis offensio culpæ, & timor semper sit de futuro malo, & difficili, tractatur etiam in secunda secundæ, in materia de spe: nos istis quæstionibus prætermissis, ad aliam quæstionem progrediamur, & fortasis in sequenti quæstione pauca attingemus.

Aliæ quæstiones quę hic poterãt disputari.

QVAESTIO. XLII.

De obiecto timoris; articulos habet sex.

ARTIC. PRIMVS.

¶ *Vtrùm obiectum timoris sit bonum, vel malum.*

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Oncluſio eſt. Timor, primò, & per ſe reſpicit malum, vt proprium obiectum: timor enim eſt fuga; fugimus autem, & deteſtamur id quod malum eſſe exiſtimamus. Deinde, timor eſt de eo, quod eſt priuatiuum eius quod amamus. Cùm ergo amor ſit boni, conſequens eſt, quòd priuatiuum, & corruptiuum boni, ſit malum: ergo timor eſt de malo. Timemus etiam eos qui poſſunt infligere malũ; & per hũc modũ timetur poteſtas hominis, maximè

quando eſt lęſiua, vel iniuſta, quia in promptu habet nocumentum inferre.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ Vtrùm de malo naturæ poſſit eſſe timor?

SVMMA TEXTVS.

Concluſio. Concluſio eſt affirmatiua: Nam timor prouenit ex phantaſia futuri mali, corruptiui, vel cõ

Ariſto. triſtatiui, vt docet Ariſtot. 2. rhetoricorum. Sicut autem contriſtatiuum malum eſt, quod eſt contrarium voluntati; ita corruptiuum malum eſt, quod contrariatur naturæ; & hoc eſt malum naturæ; vnde de malo naturæ poteſt eſſe timor. Certè mors eſt inter omnia

Ariſto. mala terribiliſsimum, vt dicit Ariſtote. 2. rhetoricorum: at mors, eſt malum naturæ. Sed ſcire oportet, quòd id, quod excludit phantaſiã, ſiue credulitatem futuri mali, timorem etiam remouet. Duobus autem modis contingit quòd futurum malum non appareat; vno modo, quòd futurum ſit valde remotum, & diſtans: tale enim æſtimatur vt non futurum. Vnde Ariſtote. in. 2. rhetoricorum: quæ valde longè ſunt, non timẽtur: Sciũt enim omnes quod morientur, ſed quia non propè eſt, nihil curant. Alio modo exiſtimatur aliquid malum futurum, vt non futurum; quia reputatur vt præſens: vnde

Ariſto. in loco citato ſcribit Ariſto. quòd qui iam decapitantur, non timẽt, videntes ſibi neceſsitatem mortis imminere: ſed ad hoc quòd timeatur, oportet adeſſe aliquam ſpem ſalutis, quia licèt malum ſit propinquum, cùm aliqua adeſt ſpes euaſionis, tunc adeſt timor.

Dupliciter futurũ malum nõ apparet.

ARTIC. TERTIVS.

¶ Vtrùm timor ſit de malo culpæ?

SVMMA TEXTVS.

Concluſio. Concluſio eſt. Timor proprièdemalo culpæ eſſe non poteſt: nam timor eſt de malo futuro arduo, quod de facili vitari non poteſt. Vnde quod voluntati noſtræ ſubiacet, non habet rationem terribilis: ſed malum culpæ ſubiacet noſtræ voluntati; peccatum enim eſt voluntarium: ergo de malo culpæ non eſt timor. Sed quia voluntas ab aliquo exteriori poteſt inclinari ad peccandum, ſi illud inclinans habeat magnam vim ad inclinandũ, ſecundum hoc poterit eſſe timor de malo culpæ, in quantum eſt ab exteriori cauſa, vt ſi quis timeat in ſocietate malorum permanere, ne ab eis ad peccandum inducatur, quamuis hoc magis ſit timere ſeductionẽ, quàm culpã ſecũdũ propriam rationẽ, vt eſt voluntaria.

ARTIC. QVARTVS.

¶ Vtrùm timor ipſe poſſit timeri?

SVMMA TEXTVS.

Concluſio. SIC habet Concluſio. Timor ipſe timeri poteſt: nam rationem terribilis habet, quod ex cauſa extrinſeca prouenit, & non quod ex noſtra voluntate: at timor eſt paſsio quædã conſequens

phanta-

phantasiam mali imminentis ex causa extrinseca: ergo timor ipse timeri potest, quãdo imminet necessitas timendi, propter ingruentiam alicuius excellentis mali. Sed in quãtum appetitus interior obedit rationi, & homo repellere potest timorem, secũdum hoc timor timeri non potest.

ARTIC. QVINTVS.

¶ Vtrùm repentina magis timeantur?

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. AFfirmat Conclusio. Nã malũ imminens sic maius apparet. Omnia enim corporalia, & bona, & mala, quantò magis considerantur, minora apparent: & ideo sicut propter diuturnitatẽ dolor præsentis mali mitigatur; ita etiã ex præmeditatione minuitur timor futuri mali. Patet secundò; quia cùm aliquid est insolitum, & repentinum, facit ad debilitatem timentis, in quantum subtrahit remedia, quæ homo potest præparare ad repellendum malum futurum, quæ præparare non potest, quando ex improuiso malum occurit.

ARTIC. SEXTVS.

¶ Vtrùm quæ non habent remediũ, magis timeantur?

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. COnclusio est affirmatiua: Nam cùm malum sit obiectum timoris, quod auget malum, certè auget timorẽ: sed diuturnitas, vel perpetuitas mali, auget malũ. quod patet: Nam si pati malum tanto tempore, malum est, pati idem in duplicato tempore, est duplicatum malum: & secundum hanc rationem pati idem in infinito tempore, erit quodammodo infinitum malum. Sed irremediabilia, quorum non inuenitur auxilium, accipiuntur vt perpetua.

EXPLICATIO QVAESTIONIS.

Obiectũ timoris comprehẽdit in se tria.

VT ea, quæ hîc ab autore dicuntur, rectiùs intelligantur, nouisse oportet, quòd obiectum timoris comprehendit in se tria; malum, arduũ, futurum. Ex his demonstratur ratio timendorum, & non timendorum, & magis, & minus timendorum. Ex ratione namque futuri excluduntur multũ distantia secũdum tempus, & præsentia, & quæ ineuitabilia sunt: quæ enim apprehenduntur aliquo horum modorum, vt minùs futura habentur, vt patet ex secundo articulo. Ex ratione verò ardui, seu difficilis ad euadendum, siue resistendum, excluduntur mala culpæ; & insolita, & repentina magis timentur. Ex ratione verò mali non timetur per se, nisi malum, & magis timetur interminabile, vt in vltimo articulo dictum est.

¶ Sed circa ea quæ timentur, duas, aut tres quæstiones inuestigare decreui, quæ cuique Theologo sunt difficillimæ. Prima; Nũ Deus immediatè possit timeri? Secunda, vtrùm malum culpæ propriè timeri possit? Denique, Vtrùm beati habeant, vel habere possint malum, quod possint timere; vel quomodo in vita beata, cùm omnis mali sit expers, timor habere locum possit? ¶ Et quidem prima quæstio sic disputatur à parte affirmatiua. Nam Deus est bonum nostrum; quia confert nobis bona: ergo cum inferat nobis mala pœnæ, erit malum nostrum; ac proinde poterit immediatè timeri. Secundò, Deus immediate, secundum seipsum, potest odio haberi: ergo potest immediatè timeri. Consequentia inde patet: quoniam vtrumque est de malo. Antecedens probatur; nam damnati in inferno, odio prosequuntur Deum propter seipsum, sicuti amici Dei diligunt Deum propter seipsum. Tertiò, in Psalmo decimoseptimo dicitur; Cum sancto, sanctus eris, & cum peruerso peruerteris, cuius sensus est, quòd Deus, cùm bonis, est bonus, & cum peruersis,

An Deus immediatè timeri possit.

Arguitur primo.

Secundo.

Tertio. Psal. 17.

est peruersus: ita explanant sancti, & nominatim D. Hieronymus super hunc Psalmũ, & super Ecclesiastem capitulo. 7. enarrans illud verbum; Considera opera domini, quod nemo corrigit quem Deus despexit. Ergo Deus potest timeri, tanquam peruersus nobis. Denique S. Thom. in officio corporis Christi dicit, quòd Eucharistia est mors malis. ¶ In contrarium est, quod magna asseueratione docet D. Thom. 2.2. quæstione. 19. articulo. 1. scribit enim, Deum immediatè non posse timeri: in cuius sententiæ confirmationem tale conficit argumentum. Timor, inquit, duplex obiectũ habere potest; quorum vnum, est ipsum malum, quod homo refugit; aliud autem est illud, à quo malum prouenire potest. Primo igitur modo, Deus, qui est ipsa bonitas, timeri non potest; nam obiectum timoris est malum. Deus autem est ipsa bonitas: ergo Deus immediate timeri non potest. Sed secundo modo potest esse obiectum timoris, in quantum ab ipso potest nobis imminere malum pœnæ; & secundum hoc dicitur Hieremię. 10. Quis non timebit te ô rex regum? & Malachiæ. 1. Si ego dominus, vbi timor meus? Hæc sententia D. Thom. mihi certa videtur; quapropter ad argumenta in contrarium satisfaciendum est. ¶ Ad primum dicendum, negando Deum nostrum esse bonũ nostrum, quia confert nobis bona, imo quia est bonum nostrum, largitur nobis bonum: atque etiã quia est bonum nostrum, infert nobis mala pœnæ in bonum nostrum: malum enim pœnæ non auertit nos ab vltimo fine, nec nos à Deo separat, quin potiùs ducit nos ad Deum: vnde in Psal. 72. Quàm bonus Israel Deus his qui recto sunt corde! Dauid recensens mala pœnæ, quibus Deus affligit suos iustos, non vocat Deum malum, sed Deum bonum, quàm bonus Israel, &c. ¶ Ad secundum respondetur, quòd Deus, secundum seipsum, nec potest odio haberi, nec timeri, quemadmodum demonstrat D. Tho. 2.2. quæstione. 34. Quare ad argumentum negatur antecedens: at verò damnati per magnum errorem, & deceptionem, reputant Deum summum malum suum, & sic illum odio habent, & timent. ¶ Secundò respondetur, quòd Deus immediatè potest odio haberi, & timeri. Quod verò D. Thom. dicit. 2.2. quæstione. 19. articu. 1. & quæstione. 34. habet hanc intelligentiam, quòd motiuum nullum est in Deo, quare timeatur, aut odio habeatur: sed omne motiuum est, quia infligit nobis pœnam, ex quo nobis displicet: hoc autem motiuo posito, timor, & odium in Deum, terminari possunt;

Hierony. Vltimo. D. Tho. In oppositum. D.Tho. Hiere. 10. Malach. 1. Ad primũ argumẽtũ. Psal. 72. Ad secũdũ primo. D.Tho. Secundo respondetur.

ita explicat Caietanus D. Thom. 2.2. quæstione. 34. ¶ Ad tertium dicendum, quòd non est sensus illius sententiæ, quòd Deus cum peruersis sit peruersus, sed intelligentia est, cum peruerso peruerteris, id est peruerse ages, & peruersum te monstrabis; hoc est, seuerum, & durum vltorem, & iudicem his, qui peruerso sunt corde: cui consonat illud quod vulgo dici solet, malo nodo, malus quærendus est cuneus. Vel alio modo, quòd Deus, sancto, sanctus; & peruerso, peruersus existat, id est, vt qualis vnusquisque est, talis ei videtur esse Deus. Ex hoc autem non colligitur, quòd Deus in seipso possit timeri. ¶ Ad quartum dicendum, quòd Eucharistia non est mors, sed salus, & vita nostra: dicitur autem afferre mortem impijs, ôccasionaliter; quoniam indignè sumentes, iudicium sibi manducant, & fiunt omnium hominum pessimi. ¶ Sed iam ad secundam quæstionem accedamus; vtrùm malum culpæ sit obiectum timoris. Et à parte negante sic arguitur. In primis D. Thom. in hac quæstione articulo. 3. pro euidenti habet, quòd malum culpæ non possit timeri: idque confirmatur ex autoritate Aristot. 2. rhetoricor. capitulo quinto. Deinde, timor est de ijs, quæ nobis nolentibus accidunt, & peccatum committitur nobis volentibus, & consentientibus: ergo timeri non potest. Præterea, obiectum timoris est malum arduum, & terribile: sed peccatum non est arduum; nam consistit in nostra voluntate, & facultate: ergo peccatum timeri non potest. Timemus certè ea mala, quæ vix, & cum magna difficultate depelli possunt: at peccatum sola nostra voluntate depellitur; timeri ergo non potest. ¶ In aduersum est: Nam vniuersi Theologi, secundum sanam doctrinam, asserunt indubiè, esse ponendum timorem filialem, cuius officium est timere culpam, & offensam aduersus Deum, de qua re loquitur optimè D. Thom. in. 2. 2. quæstione. 19. Ad huius rei expositionem examinare oportet diligenter, quod sit obiectum timoris filialis: nam hinc vniuersa huius rei difficultas pendet: in qua re variant doctorum sententiæ. Quidam enim doctores existimant, quòd per timorem filialem Deus immediatè timetur, & non culpa, iuxtà illud; Timor Domini sanctus permanet in seculum seculi: timor, inquit, Domini, non culpæ. Sed Durand. in. 3. dist. 34. quæstione. 4. opinatur, quòd obiectũ timoris filialis sit pœna damni, id est, separatio à Deo: sed D. Tho. 2.2. q. 19. art. 2. pro comperto habet, quòd obiectum timoris filialis præcipuum, est offensa Dei; quæ sententia haud

Caiet. Ad tertium Ad quartũ. Vtrùm culpa sit timoris obiectũ Arguitur primo. Aristo. Secundo. Tertio. In contrarium. D.Thom. Obiectum timoris filialis. Psal. 18. Durand. D.Tho.

haud dubiè vera est, in primis ex Magistro Sententiarum loco citato.3. distinct.34.& D. Aug.de verbis Apostoli, tractatu.13.18.&.19. & super Ioannem tractatu.43.&.85. & in epistola.120.& super epistolam ad Roma. cap.8. in illa verba; Non accepistis spiritum seruitutis in timore. Estque pulcherrimum exemplũ D.August.ad explicandum differentiam, inter timorem seruilem, & filialem, de duabus mulieribus, quarum vna cauet adulterium, timore pœnæ; cuius timor est seruilis; alià verò detestatur adulteriũ, amore viri, cuius timor est castus, ac filialis. Hæc sententia D. Thom. consonat illis verbis D.Pau.2.Corinth.12. Timeo ne non vos inueniam quales desidero, id est, timeo ne Deum offenderitis. Pręterea probatur grauissimis rationibus. Prima ratio. Malum culpæ, est grauissimum malum nostrum, arduum, atque terribile: ergo meritò debet timeri: & nõ timore seruili; ergo filiali. Secũda ratio. Timor filialis crescit, crescente charitate; diminuitur autem timor pœnæ: ergo timore filiali non timetur pœna, sed culpa. Tertia ratio. Timor pœnæ oritur ex amore proprio: at timor filialis oritur ex perfecta charitate: sed qui habet perfectam charitatem, magis timet offensam Dei, quàm omnes pœnas damni, & sensus; ergo timor filialis non habet pœnam pro obiecto, sed offensam Dei. Ex his sequitur planè, quòd malũ culpæ possit timeri.

Mag. sent. August.

2.Corin.12

Argumẽtorũ solutio. Ad primũ.

¶ Ad argumenta in contrarium, ad primum respondetur, quòd culpa dupliciter potest cõsiderari; tum, vt à libera voluntate dependet: peccatum enim spontaneè, & voluntariè committitur; & hoc pacto est obiectum odij, non timoris: nam obiectum timoris, est malum arduum, & quod vix depelli potest, & terribile omnino: terribile autem est, quod à causa extrinseca prouenit. Deinde verò potest considerari malum culpæ, ex parte causarum, quæ inclinant, & incitant hominem ad peccãdum: si enim causa inclinans habet vim ad inclinandum, secundum hoc poterit esse timor de malo culpæ, in quantum est ab exteriori causa, vt cùm quis timet in societate malorum permanere, ne ab illis ad peccãdum trahatur: hac enim ratione consideratur peccatum vt malum arduum, & difficile, & quod vix depelli potest: cuius difficultatem considerãs sanctus Paulus, dicebat; Infelix ego homo, quis me liberabit de morte corporis huius? Et ex his documentis, si rectè expendantur, cætera argumenta euidenter confutantur. ¶ Sed iam succedat tertia disputatio, Num in beatis maneat timor? Hanc quæstionem versat D. Tho. varijs in locis suæ doctrinæ; in hac parte. q. 67. art.4. in solutione secundi &.3.parte, quæstione.7.articulo. 6.&.2. 2. quæst. 19.articulo. 11. D.Augustinus tractatu. 9. in primam Epistolam Ioannis, & copiosè, & fusissimè.14. de ciuitate Dei, capitulo.9.& D.Grego. 17. moralium. Sed prædicti sancti patres non sibi satisfaciunt in huius quæstionis explicatione: non enim potest satis lucidè explicari, quomodo timor habeat locum, vbi malum non est, neque esse potest, cùm obiectum timoris, malum futurum sit: non ergo subibit mirandum, si nos in eadem salebra hæreamus. ¶ Vt ergo ostendatur euidentiùs quæstionis difficultas, arguitur sic. In vita beata non est timor pœnæ; quoniam quòd pœna sit in beatis, omnino est impossibile: non ergo in vita beata erit timor filialis, quo malum culpæ timemus: siquidem malum culpæ, quod est eius obiectum, non est possibile quòd sit in vita beata. Quòd si dicas malum culpæ esse possibile secundum naturam, quanquam non est possibile secundum beatitudinis statum: contra hoc sic arguitur; Nam etiam malum pœnę est possibile secundum naturam nostram: ergo si propterea malum culpæ in vita beata timeri potest, poterit etiam malum pœnæ. ¶ Deinde, ablato obiecto formali, & essentiali actus, certè actus permanere non potest; neque verò habitus: obiectum enim formale, est veluti forma, quæ constituit rei essentiam: sed in vita beata non manet obiectum formale timoris, quod est malum futurum imminens: ergo non manet timor. Præterea, beati non timent malum pœnæ, quia sunt securissimi de sua felicitate, cui omnis pœna repugnat; sed etiam beati sunt securissimi de diuina amicitia, à qua excidere non possunt per culpam: ergo non timent malum culpæ. ¶ Ad hæc, Christus Dominus non potuit timere culpam: licèt enim naturæ esset possibilis, erat tamen prorsus impossibile quòd persona Christi Domini culpam committeret, vt apertè docet D. Thom. 3. parte loco dudum citato: ergo beati non possunt timere culpam: quanquam enim culpa naturæ nostræ sit possibilis, in statu tamen beatitudinis fieri non potest vt sit culpa. ¶ Ad huius rei expositionem statuendum est pro certo, quòd in vita beata non est timor, qui solicitudinem secum afferat: nam beati, securissima in pace, & trãquillitate viuunt. Deinde statuatur etiã pro certo, quòd timor filialis manet in vita beata: sic enim videntur asserere sanctæ scripturæ, sic & sancti patres, sic & Theologi vniuersi: de qua re fusissimè solet tractari in.2.2.q.19. Sed explicare, quomodo perseueret timor in patria, hoc

Roma.7.

Nũ in beatis sit timor. D. Tho.

August.

Gregor.

Arguitur primo.

Secundo.

Tertio.

Solutio quęstionis.

Timor filialis in patria

opus, hic labor est; admitat tamen id distincte explicare, non de habitu, de quo præsens disputatio non instituitur, sed de actu. Manet ergo timor Domini castus, qui permanet in seculum seculi; manet, inquam, timor Domini, id est, reuerentia Dei, & eius cultus, & vera pietas: hoc enim significat hoc nomen in sanctis scripturis, sicut suprà commemoratum est. Non enim timor in beatis, est expectatio futuri mali, non respicit separationem à Deo per culpam, nec punitionem pro illa, sed diuinam excellentiam, & maiestatem, quam subditi reuerentur; quæ reuerentia ex hoc nascitur, quòd apprehendunt excellentiam diuinæ maiestatis, & concipiunt tanquam summum malum, æqualitatem cum Deo: propter quod continuò contrahunt alas suas, & procidentes in facies suas, timent, reuerentur, adorant summam Dei excellentiam, & maiestatem. Sed & alium actum habet timor in vita beata; execratur videlicet, & abominatur culpam, quæ abominatio, non incongruè appellatur timor. Præterea, timor, sicut superiùs à me commemoratum est, ex præterito nascitur; quale est illud Virgilij; Namque animus meminisse horret. Narrant, Iudæum quẽdam in Gallia, qui cùm ex agro domũ de nocte reuertisset dormiens in asino, transisséque ruptum pontem, per angustam tabulam, postridiè considerato periculo quod euaserat, exanimatum esse. Sic beati horrent, considerantes quàm grande malum sit Deum offendere, & in quantis peccatis iacuerunt, à quibus per diuinam misericordiam sunt liberati. Qui enim liberatus est à profundissima fouea, cùm illam considerat, horret animus, tremetque mens: nam imaginatio facit rem veluti præsentem, atque si modò gereretur: & sic timor est veluti de futuro repræsentato: cõsiderat namque animus quid nunc fieret, si id accideret. Sed pergo explicare alium actum, quem habet timor: dictum namque est in superioribus, quòd timores extendunt se ad possibile, commemoratumq; est, quemadmodum duo coniuges miserabiliter sint lamentati, quòd ad focum essent collocuti, quid ipsis foret si vnicum suum amitterent, qui illis erat sanus, & valens. Cùm igitur culpa naturæ sit possibilis, considerant beati quid de ipsis fieret, si incidissent in culpam, quæ separasset illos à Deo: & hinc nascitur timor, inhorretque animus. Nec est eadem ratio de malo pœnæ: nam malum pœnæ non decet illum statum. Deinde, timor pœnæ oritur ex amore proprio: beati, si timent, propter amorem Dei timent. Hæc de ista quæstione satis erunt.

Virgilius. Huius rei exemplum notabile.

QVAESTIO XLIII.

De causa timoris, articulos habet duos.

ARTIC. PRIMVS.

¶ Vtrùm causa timoris sit amor?

SVMMA TEXTVS.

¶ PRima Conclusio. Obiectum timoris est malum futurum propinquum, cui resisti de facili non potest. Ex quo infertur, quòd causa, veluti formalis, timoris, est tale malũ: nam obiecta passionum animę ad ipsas se habent, sicut formæ, cùm passiones ab obiectis speciem recipiant. Prima con. ¶ Secũda Conclusio. Quidquid est causa obiecti, est causa passionis. Hæc conclusio liquidò concluditur ex præcedenti. Secunda. ¶ Tertia Conclusio. Qui potest inferre malũ, quod est obiectum timoris, est causa efficiens obiecti timoris, & per consequẽs ipsius timoris. Tertia. ¶ Quarta Conclusio. Amor, est veluti causa dispositiua timoris: nam ex eo, quòd aliquis amat aliquod bonum, sequitur quod priuans eum tali bono, sit ei malum, & tanquam malum timeatur. Ad hoc etiã facit quod dicit D. Augustinus lib. 83. quæstionum; Nulli dubium est non esse aliam causam metuendi, nisi, ne illud quod amamus, aut adeptum amittamus, aut non adipiscamur speratum. Quarta. Augustin.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ Vtrùm defectus sit causa timoris?

SVMMA

SVMMA TEXTVS.

Concluſio. Concluſio eſt affirmans. Nam cõtrariorum ſunt contrariæ cauſæ: ſed diuitiæ, robur, multitudo amicorũ, poteſtas, excludunt timorem, vt Ariſto. docet Ariſt. 2. rhetori. ergo ex contrario defectus horum bonorum cauſat timorem. Idem oſtenditur alia ratione. Nam obiectum timoris, eſt malum, quod de facili vitari non poteſt: ſed ex defectu virtutis contingit, quòd aliquis repellere non poſsit malum iam propinquum, & imminens: ex defectu ergo virtutis naſcitur timor.

EXPLICATIO QVAESTIONIS.

NON eſt neceſſe ediſſeri à nobis, quomodo amor ſit cauſa timoris; nam retrò ſæpenumero admonuimus, quomodo amor ſit omnium affectuum animæ origo & fons. Neque verò in præſentia immorandum eſt, vt oſtẽdamus, quomodo defectus virtutis, ſit timoris cauſa, quod notiùs eſt quàm vt explicari indigeat.

Timor augetur auctis cauſis ex quibus naſcitur. Illud tamen non eſt prætereundum, quòd augetur timor, auctis cauſis, ex quibus naſcitur metus. Naſcitur ex periculi cõſideratione; qui plus conſiderant, plus timent, vt prudentes, ſobrij, experti: inexperti verò parùm timent; vnde illud prouerbium, Dulce bellum inexpertis. Rurſus augeſcit timor ex magnitudine periculi: tum verò, ex periculo iam iam imminẽti, vbi præſidiũ noſtrũ debilitatur, vbi populus conturbatur, quando magiſtratus timent, vel hi, qui ſoliti ſunt periculis ciuitatis proſpicere. Timor quoq; ex præterito malo enaſcitur, prout in ſuperiori articulo oſtenſum eſt: imaginatio enim facit rem præſentẽ, atque ſi nũc gereretur. Extendunt ſe etiã timores ad poſsibile. Coniuges quidam miſerabiliter cœperũt lamentari, quòd eſſent ad focũ collocuti, quid ipſis fieret ſi vnicum filium ſuum amitterent, qui illis erat ſanus, & valens: ſed hoc imaginationis, & cogitationis regnum, per affectiones omnes patet, prout ſuprà diximus. Diſsipatur timor, & ſecuritas naſcitur, cùm nullum credimus eſſe periculum; idque vel ex conſideratione, vel ex ignorantia. Ex conſideratione, cùm reuera omnibus conſideratis, nullum periculum reſtare cognoſcimus. Ex ignorãtia verò, cùm id, quod verè periculoſum eſt, non eſſe periculoſum exiſtimamus. Præterea, qui curã abiecerunt illius boni, quod periculo impetitur, vt diuitiarum, famæ, vitæ, non timent: nihil enim ampliùs habent de quo ſint ſoliciti, & quod amittere formident.

QVAESTIO. XLIIII.

De effectibus timoris; articulos habet quatuor.

ARTIC. PRIMVS.

¶Vtrùm timor faciat contractionem?

SVMMA TEXTVS.

Concluſio. Concluſio eſt. Timor cõtractionem quandã facit: Nam timor prouenit ex phantaſia alicuius imminẽtis mali, quod de facili repelli non poteſt. Iſta autẽ difficultas ex debilitatione virtutis procedit, quæ quantò eſt debilior, tantò ad pauciora ſe poteſt extendere: vnde ex ipſa imaginatione, quæ cauſat timorem, ſequitur quædam contractio in appetitu; ſicut patet in morientibus, in quibus propter debilitatem virtutis, natura ad interiora retrahitur; & ciues, quando in ciuitatibus timẽt, ab exterioribus ſe retrahunt, & quantum poſſunt ad interiora recurrũt: qui motus, non eſt idem in timentibus, & iratis: nam in iratis, propter calorẽ, & ſubtilitatem ſpirituum, qui proueniunt ex appetitu vindictæ, interiùs fit motus ſpirituum ab inferioribus ad ſuperiora, & ideo congregantur ſpiritus, & calor eſt circa cor: vnde irati, prompti, & audaces redduntur ad inuadẽdum: ſed in timentibus, propter frigidi

tatem ingroſſantem, ſpiritus mouentur à ſuperioribus ad inferiora; quæ frigiditas procedit ex imaginatione defectus virtutis, & ſic non multiplicantur calor & ſpiritus circa cor, imo magis à corde refugiunt; & propter hoc timentes non promptè inuadũt, & per hoc etiam tacent, & tremunt; quia fit motus caloris, & ſpirituum à corde ad inferiores partes; & ſic formationi vocis contrariatur, quæ fit per emiſsionem ſpirituum ad ſuperiora, per os.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ An timor faciat conſiliatiuos?

SVMMA TEXTVS.

Prima con. PRima Concluſio. Timor cõſiliatiuos facit. Homines enim in timoribus maximè quęrunt conſiliari: quæ enim timorẽ incutiunt, apprehenduntur vt mala, quæ cum difficultate vix repelli poſſunt, & quaſi iamimminentia, vnde cõſiliari oportet ex parte ſolicitudinis. Secunda. ¶ Secunda Concluſio. Si conſideretur facultas bene conſiliandi, nec timor, nec aliqua paſſio conſiliatiuos facit; imo pertur bat: nam homini affecto ſecũdum aliquam paſsionem, videtur illud eſſe maius, vel minus, quàm ſit ſecundum rei veritatem; prout amãti, ea, quæ amat, videntur meliora, Tertia. & timenti, terribiliora. ¶ Tertia Concluſio. Magis pertinet ad conſilium timor, quàm ſpes: quia ſpes eſt de bono, prout ipſum cõſequi poſſumus; timor autem de malo, prout vix repelli poteſt; vnde timor magis reſpicit rationem difficilis, quàm ſpes: in difficilibus autem, in quibus nobis non confidimus, conſiliamur.

ARTIC. TERTIVS.

¶ An timor faciat tremorem?

SVMMA TEXTVS.

Concluſio. COncluſio eſt. Timor cauſat tremorẽ. Nam in timore fit quædam contractio ab exterioribus ad interiora, ideo remanentibus exterioribus frigidis, in eis accidit tremor, qui cauſatur ex debilitate virtutis continentis membra. Ad huiuſmodi autem debilitatem maximè facit defectus caloris, qui eſt inſtrumentum, quo anima mouet: vnde reuocato calore ab exterioribus ad interiora, multiplicatur ipſe calor interiùs, & maximè verſus inferiora, id eſt, circa nutritiuam partem: & ideo conſumpto humido, cauſatur ſitis, & interdum ſolutio ventris, vrinæ emiſsio, & quãdoque ſeminis. Et quia in timentibus calor deſerit cor, à ſuperioribus ad inferiora tẽdens, in timentibus maximè tremit cor, & membra, quæ habent aliquam cõnexionem ad pectus, vbi eſt cor: tremit etiam labiũ inferius, & tota inferior mandibula, propter continuationẽ ad ipſum cor, vnde & ſtrepitus dẽtiũ ſequitur; & eadẽ ratione, brachia, & manus tremunt; vel etiam, quia eiuſmodi ſunt magis mobilia, propter quod & genua tremũt timẽtibus.

ARTIC.

ARTIC. QVARTVS.

¶Vtrùm timor impediat operationem?

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. AFfirmat Cõclusio. Nam operatio exterior hominis causatur quidem ab anima, sicut à primo motore, sed à corporis membris, sicut ab instrumentis. Contingit autem operationem impediri, & propter defectum instrumenti, & propter defectum principalis mouẽtis. Nam timor, quantum dese est ex parte instrumentorum corporaliũ, semper natus est impedire operationem exteriorem, propter defectũ caloris, qui ex timore accidit in membris exterioribus: sed ex parte animæ, si sit timor moderatus, non turbans multùm rationem, confert ad bene operãdum; quia causat solicitudinem, & facit attẽtiùs considerare, & operari: sed si in tantùm crescit timor, vt rationem perturbet, impedit operationem, etiam ex parte animæ.

EXPLICATIO QVAESTIONIS.

NON admodum obscura sunt quæ hic à D. Tho. dicuntur, quapropter in difficultatibus explicandis, quæ ferè nullæ sunt, parùm immorabimur: tantùm statui explicare distinctè, & exquisitè effectus, qui ex timore nascuntur. Metus opera in corpore hæc sunt: Metus primũ omnium contrahit cor, & debilitat, ad cuius opem, & auxilium, superiorem calorem natura illi summittit; isque cùm non sufficit, etiam inferiorem eôdem rapit: vnde pallor, & frigus, tremẽte corde, tremit vniuersum corpus; motum enim cordis sequitur; vnde linguæ titubatio, atque hæsitantia: quod in alijs animi affectionibus est animaduertere, in quibus cor celerrimè agitatur; veluti in ira, & lætitia, & in exercitatione: sed in metu vox est exilis, quia calor à corde, & superioribus descendit: in ira grauior, quia ascẽdit: ex metu etiam inhorrent capilli, quòd ex frigore comprimuntur meatus: vnde pilorum rigor. Calor naturalis, si descendat, crescit metus, deserto corde: vnde & aluus soluitur; & ex naturali ratione Homerus de timido dixit, cor illi ad calcaneũ descendisse. In animo verò metus hæc operatur: perturbat, & confundit cogitationes: vnde rectè ille; Quomodo poterit cœlos, & elementa scrutari, qui perpetuò incumbit paupertatis, seruitutis, mortis metus? Tum illud Ciceronis; Pauor mihi sapiẽtiam omnem expectorat. Vnde in periculis adesse animo, & consilia ex re nata posse rectè excogitare, & inspicere (vt de Annibale Liuius, & de Iugurtha Sallustius memoriæ tradunt) non solum fortissimorum est, sed etiam acutorum, magnique ingenij. Proueniunt etiam ex metu, demissio, abiectio suiipsius, assentatio, adulatio, suspitiones, quæ extimulant ad quærenda in malis remedia in animis firmis: in infirmis verò existit consternatio, perturbatio, & exanimatio, pigritia, desperatio, prostratio, vt supra iacentem ingruat quidquid impendit, & minatur. Quapropter nulla est animi miseria, quæ frequentius excruciet hominis animũ, quàm metus; nulla seruitus fœdior. Sed de his satis est.

Timoris effectus.

Homerus.

Cicero.

Titus Liuius. Sallustius.

QVAESTIO XLV.

De audacia; articulos habet quatuor.

ARTIC. PRIMVS.

¶Vtrùm audacia contrarietur timori?

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. AFfirmans est Cõclusio. Nam ea inter se sunt cõtraria, quæ maximè inuicem distant: audacia autem maximè distat à timore; quia aggreditur periculum imminens, vt vincat ipsum periculum: timor verò refugit nocumentum futurum, propter victoriam eius super ipsum timentem.

ARTIC. SECVNDVS.

¶Vtrùm audacia consequatur spem?

SVMMA

SVMMA TEXTVS.

Concluſio. CONcluſio eſt affirmans. Ex hoc enim quòd aliquis ſperat ſuperare terribile imminens, ex hoc audacter inſequitur ipſum; ſicut ad timorẽ ſequitur deſperatio. Ideo enim aliquis deſperat, quia timet difficultatem, quæ eſt circa bonum ſperandum. Omnis enim motus appetitiuus, reducitur ad proſecutionem, vel fugam, quæ ſunt, vel alicuius per ſe, vel per accidens. Per ſe proſecutio boni eſt, quæ ad ſpẽ pertinet; per ſe fuga mali, ad timorem. Per accidens proſecutio mali eſſe poteſt propter aliquod bonum adiunctum, quod ad audaciã ſpectat: fuga autem boni ad deſperationem, propter aliquod malũ adiunctum.

ARTIC. TERTIVS.

¶Vtrùm defectus aliquis ſit cauſa audaciæ?

SVMMA TEXTVS.

Prima con. PRima Concluſio. Quæcunque ſunt nata cauſare ſpem, vel excludere timorem, ſunt cauſa audaciæ: audacia enim conſequitur ſpem, & contrariatur timori.

Secunda. ¶Secunda Concluſio. Cauſatur ſpes ex parte appetitiui motus, qui ſequitur apprehẽſionem, per ea quæ faciunt exiſtimare, quòd poſsibile ſit adipiſci victoriam, vt eſt fortitudo corporis, experiẽtia in periculis, multitudo amicorũ, aliorum auxilium, & maximè diuinum. Nam qui bene ſe habent ad illud, audaciores ſunt, vt etiam dicit Ariſt. 2. rhetoricorum. Ariſto.

¶Tertia Concluſio. Cauſatur etiã audacia per excluſionem timoris, & per remotionem terribiliũ appropinquantium; vel quia homo non habet inimicos; vel quia nulli nocuit, & ſimilia. Tertia. ¶Quarta Concluſio. Ex parte tranſmutationis corporalis cauſatur audacia, per prouocationem ſpei, & excluſionem timoris, vel ex ijs, quæ faciũt caliditatem circa cor: vnde habentes paruum cor, ſunt magis audaces; quia calor naturalis citiùs id calefacit: ſic etiam habentes magnum pulmonem ſanguineum, ſunt audaciores, propter caliditatem. Quarta. ¶Quinta Concluſio. Nullus defectus virtutis cauſat audaciã, niſi per accidens, in quantum habet adiunctam aliquam excellentiam veram, vel exiſtimatam ex parte alterius, vel ex parte ſui: vnde ebrietas cauſat audaciam, non in quantũ eſt defectus, ſed in quãtum facit exiſtimationem cuiuſdam magnitudinis. Quinta.

ARTIC. QVARTVS.

¶Vtrùm audaces in principio ſint prõptiores, quàm in fine?

SVMMA TEXTVS.

Prima con. PRima Concluſio. Qui audaces ſunt ex motione appetitus ſenſitiui, qui ſequitur apprehenſionem ſenſitiuæ virtutis, promptiores ſunt in principio, quàm in fine in periculis: nam cùm audacia ſit motus appetitus ſenſitiui,

ſequitur

sequitur apprehensionem virtutis sensitiuæ; virtus autem sensitiua, non est collatiua, neque habet inquisitionem singulorum, quæ circunstant rem, sed subitum habet iudicium. Sed contingit aliquando secundum subitam apprehensionem non cognosci omnia quę difficultatem habent, vnde surgit audaciæ motus ad aggrediendum periculum, in quo existentes, maiorem sentiunt difficultatẽ, quàm existimarent, & ideo deficiunt.

Secunda. ¶Secunda Conclusio. Fortes, qui ex iudicio rationis aggrediuntur pericula, in principio videntur remissi; quia nõ ex passionibus, sed cum deliberatione debita, pericula aggredientes, cùm in ipsis non experiuntur aliquid improuisum, sed quandoque minora illis, quæ præcogitauerunt, ideo magis perstiunt; vel quia aggrediuntur pericula propter bonum virtutis, & sic in eis perseuerat boni volũtas.

EXPLICATIO QVAESTIONIS.

QVÆ in hac quæstione dicuntur, manifesta sunt: illud solùm habet dubitationem, ad definitionem audaciæ pertinens; vtrùm audacia habeat pro obiecto bonum, an malum. Nam si malum est, aut est obiectum audaciæ per se, aut per accidens: si per se, ergo motus appetitus prosecutiuus est per se ad malum: cuius oppositum sæpissimè dictum est; & omnes fatentur malum esse quod omnia fugiunt, & bonũ esse, quod omnia appetunt. Ex quo in superioribus efficaciter comprobatum est, voluntatem, & appetitum motu prosecutiuo nõ posse ferri in malum, sub ratione mali. Si verò dicas, quòd malum est obiectum audaciæ per accidens; oportet ergo demonstrare aliud obiectum per se, sicut inuenitur in omnibus operationibus intellectus, & sensus: & tunc inquiram, an illud obiectum, sit bonum, vel malũ. Et augetur difficultas; quia autor variè videtur

Quod sit audacię obiectum.

loqui in huius rei expositione: nam in arti. 2. ad tertium expressè docet, quòd audacia respicit malum; in articulo. 4. ad secundum dicit, obiectum audaciæ esse compositum ex bono, & malo. Ad huius rei expositionẽ Cardinalis Caietanus adducit nonnulla, quæ obscura sunt admodum, vt solent esse huius Doctoris acuta, & subtilia responsa. In primis dicit, quòd in cõcupiscibili, cuius est obiectum bonum, vel malum, absolutè omnis motus respectu boni, est prosecutiuus, & omnis motus respectu mali, est refugitiuus: in irascibili verò potentia, seu animosa virtute (quod dicunt alij) audacia, & desperatio similem habẽt difficultatem: nam audacia est ad malum, desperatio est à bono; & sic contra ordinem à natura institutum videntur se habere. Deinde docet, quòd istæ duæ animi affectiones, audacia, & desperatio, habent hoc ex eo, quia versantur circa arduum, & difficile, quod est obiectum irascibilis: propterea enim in concupiscibili nulla eiusmodi passio reperitur. Quid autem sit difficile, & arduum, non est difficile explicare: quoniam sicut ædificationes, structuræ, & picturæ, non collocantur in alio extraneo genere ex difficultate, sed modũ quendam sortiuntur illius eiusdem naturæ, quæ difficilis dicitur: difficultas enim ædificationis ad artem ædificandi, & difficultas picturæ ad artem pingendi spectat; ita bonũ difficile, ex difficultate non intrat rationem mali, sed infra boni latitudinem consistit. Quia tamen arduum, & difficile in re dicitur bonum difficile excedens mensuram in maius, & eo ipso, quia difficile est, habet vnde à se auertat, & repellat illum in cuius virtutis cõparatione excedit; & hoc modo arduum, est obiectum desperationis: consimiliter malum arduũ non excedens mẽsuram in maius, licèt ex eo quòd malum est, habet vnde auertat, ex eo tamen quia est veluti quoddam magnum, non excedens mensuram, habet vnde trahat, non concupiscibilem potentiam, cuius est fugere, sed irascibilem, cuius est tam bona, quàm mala prosequi, vt oportet. Et hoc modo saluatur, quomodo audacia respicit per se suum proprium obiectum. Quòd enim obiectum audaciæ sit difficile malum, ex eo demonstratur; quia sicut nullus desperat, nisi à bono desiderato; sic nullus audet, nisi ad timenda. Sed pergit Caietanus, & explicat, quomodo verificetur quod obiectum audaciæ malum est per accidens, quòd docet D. Tho. in litera: scribit itaque, quòd audacia, vt includit, & participat spem, habet pro obiecto bonum, & malũ, vt etiam D. Tho. docet: respicit igitur audacia, prout

D. Tho.

Caieta. Sic respondet.

prout participat ſpem, bonum victoriæ, ſeu repulſæ ſubiectionis imminentis: reſpicit autem malum, ratione ſui: eſt enim audacia, motus ſpei ad conſequendum bonum: malum autē reſpicit ratione ſui, quia inſurgit aduerſus mala imminentia, forti, & infracto animo, vt tandem conſequatur bonum deſideratum. Hactenus Caietanus, quam ſententiam in preſentia non reprobo; ſed videor mihi (vel ego fallor) aliam ſolutionem euidentiorem, neſcio an veriorem inueniſſe: ea eſt, quòd audacia reſpicit malum, & inſurgit aduerſus mala imminentia, motu quidem proſecutiuo: non enim timet, aut fugit mala: ſed iſte motus proſecutiuus non eſt vt conſequatur malum, ſed vt deſtruat, & ſuperet mala. Quando dicitur in diuina Theologia, quòd motus proſecutiuus eſt tantum boni, ſenſus eſt de motu proſecutiuo, vt conſequamur bonum: motus verò proſecutiuus, vt deſtruatur malum, & expellatur, ad malum fertur modo iam expoſito. Ad eundem modum dicendum eſt de deſperatione, quòd non eſt diſceſſus, & fuga à bono, quaſi odio habeat illud, ſed quia non audet proſequi illud propter rei difficultatem. Itaque fuga à bono ſtat dupliciter, ſic vt bonum odio habeamus, aut nolimus; & ſic fuga à bono inueniri nequit: alio modo fugimus à bono, & diſcedimus ab illo, quia deſiſtimus ab eius proſecutione, propter rerum difficultates. His explicatis, facilè erit definitionem audaciæ cōſtituere. Quidam ſic definiunt Audaciā, quòd ſit confidentia in periculis, aduerſus mala apparentia depellenda, vel bona ardua conſequēda. Alij ſic; Audacia eſt ſecuritas, qua quis malum, neque futurum expectat, neque præſens horreſcit. Vel ſic; Audacia eſt fiducia, ſeu ſecuritas, qua quis aliquid audet, etiam cum periculo. Et plerunque accipitur in malā partem, pro nimia confidētia, qua quis ſine vllo, aut periculi metu, aut pudoris reſpectu rem aliquam aggreditur. Et audacia, & audentia hoc differunt, vt Latini volunt; quòd audētia ſit fortitudinis; audacia, temeritatis, vt Salluſtius in Catilinam; Audacia pro muro habetur. Audaciā, ab auidè, id eſt cupidè agendo dictam eſſe tradit Feſtus. Sed D. Tho. ſic definit audaciam: Audacia eſt paſſio iraſcibilis potentiæ, qua ad depellenda mala ardua, & bona proſequenda animus erigitur. Audacia enim, & timor, contraria ſunt: timor refugit nocumentum futurum; audacia aggreditur periculum imminens, vt vincat ipſum. ¶ Sed obſeruandum eſt, quòd audacia vocabulum eſt ambiguæ ſignificationis: aliquando vſurpatur pro vitio oppoſito fortitudinis virtuti, & ſic ſonat in malum, iuxta quem ſenſum audaces reprehendimus: aliquando audacia ſignificat affectionem, & paſſionem animi, qua aduerſus mala erigitur animus: & iuxta hunc ſenſum, aſſeritur, fortitudinem verſari circa timores, & audacias, vt eas animi affectiones, alioqui violētas, ad mediū reducat, frænet, & cōpeſcat. Sed iā de ira ſermo ſuccedat; nā ea quę dicta ſunt, parùm expoſitionis ſunt indiga.

Autoris ſolutio.

Duplex eſt fuga à bono.

Audaciæ definitio.

Audacia & audētia differunt. Salluſtius.

Feſtus. D.Thom.

Audacia dupliciter.

QVAESTIO XLVI.

De ira ſecundum ſe; articulos habet octo.

ARTIC. PRIMVS.

¶ *Vtrùm ira ſit ſpecialis paſſio, an generalis.*

SVMMA TEXTVS.

PRima Concluſio. Si generale ſumatur pro eo quod generale eſt ſecūdū prędicationem, ſicuti animal dicitur generale ad omnia animalia; ira nō eſt paſsio generalis, & cōmunis. Probatur hęc cōcluſio. Nam ira cōdiuiditur potiùs alijs paſsionibus, & non eſt ad eas communis. Prima con.

¶ Secūda Conclu ſio. Si generale dicatur id quod eſt generale in cauſando, ſicuti ſol reſpectu inferiorum; ira non eſt generalis paſsio. Ratio eſt; quoniam ira non eſt cæterarum paſsionum cōmunis, aut generalis cauſa, ſed amor, qui (vt ait D. Auguſt. 14. de ciui. Dei. c. 7. & 8.) eſt radix prima omnium paſsionū. Has rationes communes & generales attēdentes D. Damaſc. lib. 2. c. 16. & etiam Cicero. 4. Tuſcul. quæſt. dixerunt; iram, ſpecialem paſsionē eſſe, non verò generalem, aut communē. Secunda. Auguſt. Damaſce. Cicero.

¶ Tertia Concluſio. Si generale dicatur Tertia.

dicatur ea ratione, qua effectus ille generalis dicitur, qui ex multis ac varijs causis in actu procedit; ira potest dici passio generalis: sicuti enim causa, quæ multos producit effectus, dicitur generalis; ita effectus, qui à multis causis in actu existentibus prouenit, potest etiã generalis dici. Probat D. Tho. hanc conclusionem ex eo, quòd ira à multis passionibus producatur: motus etenim iræ haud quaquàm insurgit, nisi adsit tristitia ab alio illata, & nisi adsit etiam desiderium, & spes vlciscendi.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ Vtrùm obiectum iræ sit bonum, vel malum?

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. COnclusio D. Tho. ita habet. Ira semper respicit duo obiecta; bonum scilicet, & malum. Explicat autem eam optimè. Duobus etenim modis aliquid ad rationem pertinet; vno modo, vt simplex est; veluti cum quis intelligit, aut considerat quidnam homo sit; alio modo, vt dicit quãdam compositionem, sicuti quando intelligimus album inesse homini. Cùm verò motus appetitiuæ potentiæ, motum rationis sequatur, duobus etiam modis in bonum, & malum tendere poterit; vna quidem ratione, per modum rei simplicis, vt cum absolutè appetitus sequitur, aut inhæret bono, aut verò cum malum refugit: alia ratione potest tendere per modum rei cõpositæ, vt cùm appetitus ad hoc fertur, vt velit aliquod bonum, vel malum circa aliquem fieri, aut verò idipsum refutat. Quibus positis, probat D. Tho. conclusionem propositam, hac ratione. Ira tẽdit in vindictã, & in illum, de quo vindicari desiderat: in vindictam autem fertur vt in bonum; eam nãque, vt quoddam bonum, appetit, & sperat, ac delectatur; in eum verò, de quo vindictam quærit, tendit vt in malum, cõtrarium, & noxium. Ergo duo obiecta sunt iræ, bonum videlicet, & malum. In quo sanè ab odio, & amore distinguitur: nam ira semper hæc duo obiecta respicit; amor verò, & odium, quãdoq; vnum tantum obiectũ respiciunt.

ARTIC. TERTIVS.

¶ Vtrùm ira sit in concupiscibili, an verò in irascibili?

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. REspondet D. Tho. vnica propositione, quæ ita habet. Ira nõ est in concupiscibili, sed in irascibili: quam in argumento sed contra, ita probat. Si ira esset in cõcupiscibili, nõ dominaretur ab ea vis irascibilis: at oppositum experientia comperimus; ergo non habet sedem in concupiscibili, sed in irascibili. Eandem in corpore arti. elegãti ratione confirmat. Passiones siquidem concupiscibilis hac potissimum ratione ab his, quę in irascibili collocantur, dissident; quòd illarum obiectum sit absolutè aut bonum, aut malum; harum verò

verò ſit bonum, vel malum vt habent quandam ardui, & difficilis rationem. Atqui ira non ſolum reſpicit bonum & malum abſolutè, ſed ſub quadã ratione ardui; quippe cùm habeat pro obiecto & vindictam, & eum, de quo vindicari vult; quæ duo quãdam rationem habent ardui, atq; difficilis, reſpectu iræ; quoniam (vt dicit Ariſt. 2. rhet. c. 2.) quæcunque nihil ſunt, aut modica valde, nullo modo digna æſtimamus. Ira igitur non ad concupiſcibilem pertinet, ſed ad iraſcibilem.

Ariſto.

ARTIC. QVARTVS.

¶ Vtrùm ira ſit cum ratione?

SVMMA TEXTVS.

Concluſio. Concluſio ita habet. Ira eſt quodammodo cum ratione. Probatur in argumento, ſed contra, ex eo quod ait Ariſt. 7. Ethi. c. 6. ira conſequitur rationem aliqualiter. Eandem concluſionem in corpore arti. ita probat. Ira eſt appetitus quidam vindictæ. Talis autem appetitus collationem quandam importat pœnę infligendæ, pro nocumẽto, & dãno illato: cùm ergo talis collatio ad rationẽ pertineat, procul dubio ira cũ ratione eſſe dicitur.

Ariſto.

Ariſto.

ARTIC. QVINTVS.

¶ Vtrùm ira ſit naturalior, quàm concupiſcentia?

SVMMA TEXTVS.

Prima con. Prima Concluſio. Si cõſideretur natura iræ, & concupiſcentiæ ex parte obiecti, concupiſcẽtia naturalior eſt, quàm ira. Probat D. Tho. hanc concluſionem, ex eo quòd obiectum concupiſcẽtiæ, præſertim ſi ſit ciborum, aut venereorum, naturalius eſt homini obiecto iræ. Naturale autem illud dicitur ab Ariſt. 2. Phyſ. tex. 4. quod à natura efficitur, & cauſatur. Vnde paſsionem eſſe magis vel minus naturalem, ex ſua cauſa prouenire poteſt. Cum ergo concupiſcentia habeat cauſam magis naturalẽ, quàm ira, magis erit naturalis ipſa concupiſcentia, quàm ira. ¶ Secunda Concluſio. Si conſiderentur ira, & concupiſcentia ex parte ſubiecti, ira aliquo modo eſt naturalior concupiſcentia, & è diuerſo. Hanc concluſionem explicat D. Tho. tali ratione. Quælibet res poteſt conſiderari, & ſecundum rationem generis, & ſecundum rationem ſpeciei, & ſecũdum rationem indiuidui. Quod quidem in homine manifeſtũ eſt, qui cõſiderari poteſt, vt animal, vt homo, & vt habet aliquas indiuiduantes conditiones. Si ergo homo ſecundũ naturam genericã cõſideretur, ea videlicet ratione, qua animal eſt, naturalior eſt ſibi concupiſcẽtia, quàm ira: ex ipſa enim natura communi habet quandam inclinationẽ, qua appetit ea, quæ vitam conſeruare poſſunt. Si autem naturam hominis ſpecificam attendamus, quatenus ſcilicet rationalis eſt, ira magis naturalis eſt homini, quàm cõcupiſcẽtia; quippe cùm ira magis cum ratione ſit, quàm cõcupiſcẽtia. Qua de cauſa

Ariſto.

Secunda.

dixit

Aristo. dixit Aristo. 4. Ethic. ca. 5. humaniùs esse punire, quod ad iram pertinet, quàm mansuetum esse. Et eadem ratione, si homo consideretur ratione indiuidui, naturalior est sibi ira, quàm concupiscentia: nam ira faciliùs sequitur habitudinem naturalem ad irascendũ, quæ est ex aliqua peculiari complexione, quàm concupiscentia habitudinem ad concupiscendum. Cholera enim, per quam homo est dispositus ad irascendũ, citiùs mouetur; qua de causa igni assimilatur.

ARTIC. SEXTVS.

¶ Vtrùm ira sit grauior, quàm odium?

Conclusio. SVMMA TEXTVS.

COnclusio D. Thom. ita habet. Odiũ, deterius, & grauius est, quàm ira. Hanc cõclusionem probat in argumento, sed contra, August. autoritate Aug. & in corpore arti. eleganti ratione. D. enim Aug. in regula, odium comparat trabi, irã verò festucæ: at grauius, & maius quid est trabes quàm festuca. Ratio verò talis est. Quando malum appetitur sub ratione mali, deterius, & grauius est, quàm cùm appetitur sub ratione iusti: qui autẽ odit, appetit malum inimici, sub ratione mali; qui verò irascitur, appetit malum eius contra quem irascitur, vt habet quandam rationem boni, prout scilicet illud æstimat iustum, quatenus est vindicatiuum. Ergo deterius, & grauius est odire, quàm irasci.

ARTIC. SEPTIMVS.

¶ Vtrùm ira sit ad illos solùm, ad quos est iustitia?

SVMMA TEXTVS.

RESpondet D. Thom. tali propositione. Ad eosdẽ pertinet ira, ad quos pertinet iustitia, & iniustitia: inferre enim vindictam, ad iustitiam pertinet; & lædere aliquem, pertinet ad iniustitiam. Quapropter tam ex parte causæ, quæ est læsio illata ab alio, quàm ex parte vindictæ, quam quis ab altero sumere desiderat, ira pertinet ad eos, ad quos pertinet iustitia, & iniustitia. Conclusio.

ARTIC. OCTAVVS.

¶ Vtrùm conuenienter assignentur species iræ.

SVMMA TEXTVS.

COnclusio est. Optimè numerãtur tres iræ species; quarũ prima dicitur fel; secunda, mania; tertia, furor. Probat D. Tho. hanc conclusionem; primò quidem autoritate Damas. lib. 2. ca. 16. & Grego. Nisse. lib. 4. ca. 13. Deinde eandem ita explicat. Nam species iræ, quas Damasc. & Grego. Nisse. commemorant, secundum ea attendendæ sunt, quę iræ præbent aliquod augmẽtum. Hoc autem tribus modis accidere potest: primò quidem ex facultate ipsius motus, quę sanè ira, felvocatur, quia citò accenditur: deinde ex parte tristitiæ, quæ iram efficit, & causat, quæ diu in memoria manet; atque hæc ideo mania dicitur; quoniã manet; dicitur enim à Conclusio. Damascen. Greg. Niss.

manendo: tandem ex parte vindictæ, quam iratus appetit; & hæc ad furorem pertinet, qui nũquam quieſcit, donec puniat. Qua de cauſa Ariſto. 4. Ethico. ca. 5. quoſdam iraſcentiũ vocat acutos, quia citò iraſcuntur; alios amaros, quia diu iram retinent; alios difficiles, quoniã nó quieſcunt, quoaduſq; vlciſcantur, & puniant.

Ariſto.

EXPLICATIO QVAESTIONIS.

IN hac quæſtione breuiter definiã quid ſit ira, & in quo ſubiecto conſtituatur, & qua ratione ab odio differat; nã cætera perſpicua ſunt.

Quid ſit ira.

Ira dicta eſt ab eo, quod eſt ire; nam à ſe it qui iraſcitur: vnde & qui iram deponit, ad ſe redire dicitur. Vnde Terent. in Adelphis, Tandé, inquit, reprime iracundiã, & ad te redi.

Terent.

Eſt autem ira (autore Cicerone) appetitus puniendi eum, à quo iniuria offenſi ſumus.

Cicero.

Vel, ira eſt cõcitatio animi acerba, quòd bona ſua videt cõtẽni, quæ putat nó eſſe contẽnẽda, cũ appetitione vindictæ. Vel, ira eſt accẽſio ſanguinis circa cor, cũ appetitu vindictæ.

Vbi ſit ira.

Ira verò, in ira ſcibili, ſiue in animoſa potentia conſtituitur. Paſsiones enim iraſcibilis in hoc differunt à paſsionibus cõcupiſcibilis, quòd obiecta paſsionũ cõcupiſcibilis, ſunt bonũ vel malũ abſolutè; obiecta autẽ iraſcibilis, ſunt bona, vel mala, cũ quadã eleuatione, vel arduitate. Ira autẽ reſpicit duo obiecta, ſcilicet vindictã, quã appetit, & eum, de quo vindictã quærit: & circa vtrũq; quãdã arduitatẽ expoſtulat. Non enim inſurgit motus iræ, niſi aliqua magnitudine circa vtrũq; exiſtẽte: quęcũq; enim nihil ſunt, aut parua valde, nullo modo digna æſtimamus, vt dicit Philoſo. 2. rhet. c. 2. propter quæ iraſci oporteat. Ex quibus principijs liquidò colligitur, quòd ira ſit in iraſcibili. Quomodo autẽ differat ab offenſione, & odio, paucis explicabo.

Ariſto.

Ira differt ab odio & offenſione.

¶ Ira omnis ex offenſione naſcitur, nõ autẽ omnis offenſio, ira eſt. Differũt enim duo hęc, vt generale, & ſpeciale; cómuni tamẽ ſermone cõfundũtur, adeò vt altera pro altera ſumatur: tãtùm diſtãt, quòd ira addit rationẽ cõtẽptus, & vindictæ appetitionẽ, vnde ira ſine cõtẽptu nõ eſt, offenſio eſſe poteſt. Itaq; offendimur ex rebus inanimis, & inſantibus, cùm nõ ad arbitriũ noſtrũ nobis parẽt; nobiſmetipſis quoque, cùm facti alicuius pœnitet, aut cum agere aliquid conamur, nec ſubſequitur: offenſio autẽ eſt hæc, propriè loquẽdo, nõ ira. Eſt etiã quoddã genus inflammationis in pectore, cùm cõcitat ſe animus, magnoſq; ardores ad grãde aliquid efficiendum cõcipit, quod ſine ira, & offenſione cõtingit, cùm nulla ſit ſpecies mali, neq; appetitio vindictæ; ira ſci tamẽ vocãt omnes, imò & Ariſt. ipſe: & grã dia opera ad partẽ iraſcibilẽ referũt, abutẽtes nomine, quòd omnẽ accẽſionẽ ſanguinis ſub ira cõprehendũt, cũ potiùs ſit inflãmata cupiditas ad aliquid grãde perficiendũ, ſed ira nõ eſt.

Ariſto.

Porrò D. Tho. aliquot ponit ex Ariſto. diſcrimina inter odiũ, & iram. Odiũ, inquit, creſcit tẽpore; ira minuitur: deponitur ira cũ vindicta ſumitur; vltio, & vindicta odij, eſt malefacere, & valde nocere. Ira vult ſentiri ſuã vindictã; odiũ id nõ curat, modò malefaciat: itaq; mortẽ inimico adfert, vel truncationẽ mẽbri, morbũ, egeſtatẽ, carcerẽ, exilium, dementiam quoque; vt olim Cretẽſes, qui inimicis ſuis nihil imprecabãtur aliud, quã vt rebus malis delectarentur, & aſſueſcerent. Iratus dolet, odiẽs nó dolet. Ira ſemper reſpicit duo obiecta, vindictã ſcilicet, & hominẽ ſibi nociuum, de quo vult vindictã ſumere. Odium verò quãdoque reſpicit vnũ obiectum, velut cùm quis odit vinũ. Præterea ira reſpicit vnũ obiectũ, ſecundũ rationẽ boni, ſcilicet vindictã, quã appetit; & aliud ſecundũ rationẽ mali, ſcilicet hominem nociuũ, de quo vult vindicari: ſed odiũ vndiq; reſpicit malũ; vult enim odiens malum alicui, quẽ exiſtimat malũ, & ſibi incómodũ. Sed potiſsimæ differẽtiæ inter odiũ, & irã ſunt, quas aſsignat D. Tho. art. 6. Differũt certè ex obiecto: nã iratus vult malũ ei, cõtra quẽ iraſcitur; ſicut odiẽs ei quẽ odit: ſed differunt ratione: nam odiens appetit malũ inimici, in quantum eſt ei malũ; iratus autẽ appetit malũ eius, cõtra quẽ iraſcitur, non in quantũ eſt malum, ſed in quantũ habet quandã rationẽ boni, prout exiſtimat illud eſſe iuſtũ, in quantũ eſt vindicatiuum. Vnde odiũ eſt per applicationẽ mali, ad malũ; ira autẽ per applicationẽ boni, ad malũ.

D. Tho.

Obiectio Caietani.

¶ Sed contra hanc differentiã ſic obijcit Caie. Nam in hac differẽtia, vel eſt ſermo de malo illi cui appetitur, vel de malo ſimpliciter: ſi primo modo, non eſt differẽtia inter irã, & odiũ; quoniã vtrobiq; appetitur malũ illi; vindicta enim eſt malũ punito: ſi ſecundo modo, ſequitur impoſsibile, quòd ad malũ, vt malũ, poſsit eſſe proſequutio appetitus, & actus volũtatis: patet enim quòd odiẽs affectat malũ illi, quẽ odio proſequitur. Quòd autẽ hoc ſit omninò impoſsibile, ſuperiùs eſt demonſtratum. Sed reſpondet Caiet. quòd odium reſpicit malũ, ſub ratione mali, in quo ab ira prẽcipuè diſcernitur:

Reſponſio Caieta.

nitur: neque enim est impossibile appetitum ferri in malum, & illud affectare cõtrario; nullus enim operatur aspiciens ad malum sibi, sed bene ad malum contrario: hoc autem fit in odio, non primum: & sic soluitur argumentum propositum, quod alijs etiam solutionibus superiùs cõfutatum est. Postremò differt inter odium, & iram; quòd odium est insatiabile; ira verò mensuram, & modum habet. Ratio huius differentiæ inde sumitur: Nam odiũ appetit malum alterius secundum se; at ea quę secundum se appetuntur, sine mensura appetuntur, vt Philoso. dicit. 1. Polit. ca. 6. vt auarus diuitias. Vnde dicitur Eccles. 12. Inimicus si inuenerit tempus, nõ satiabitur sanguine: sed ira non appetit malum, nisi sub ratione iusti vindicatiui: vnde quando malum illatum excedit mensurã iustitiæ, secundum æstimationẽ irascentis, tunc miseretur. Vnde Philo. 2. rhet. c. 4. ait, quòd iratus, si fiant multa, miseretur, odiens autem pro nullo. ¶Sed quòd hęc differentia non consistat, probat Caieta. hoc argumento. Contingit enim odio habere aliquẽ, quo ad aliquid, putà, prælationem, vel dignitatem, vel potestatem supra se; & velle ei solum hoc malum, scilicet priuationem illius. Hoc ipsum confirmatur: quia contingit odio habere aliquem, solùm quia excedit in re aliqua, putà, in diuitijs, & velle ei hoc solum malũ, vt non sit tam diues. Præterea contingit odio habere aliquem, quoad vitam, ita quòd velit ei mortem, & tamen non velit ei alia mala, alia videlicet mortis genera. Ergo odium nõ semper est insatiabile. Sed hæc argumenta facilè confutantur: Nam hic est sermo de odio inimicitiæ simpliciter, & non secundum quid. Odium autem inimicitiæ simpliciter est, quo persona, non secundum quid, sed simpliciter odio habetur: argumenta verò proposita procedunt de odio secundum quid. Vel alio modo euidentiùs confutatur argumentum, si dicamus, quòd differentia inter odium, & iram, attenditur secundum ipsum proprium obiectum. Vnde proprium obiectũ odij, nõ habet de se mensurã, neq; modũ; quòd si habet, hoc est per accidens. Proprium autẽ obiectum iræ de se habet mensurã, & si in aliquo casu fortè nõ habet, hoc est per accidens: propriũ enim obiectum iræ est vindicta, quæ cùm respiciat offensam receptam, manifestè per se includit proportionẽ, saltem secundum æstimationẽ irati; ex quo consequens est, quòd ira mẽsurã habet. Proprium autem obiectum odij inimicitiæ est sola persona quæ odio habetur, & sic secundum se refutatur, & abnegatur ab affectu, ac per hoc, non secundum aliquid sic, & secundum aliquid non; ac per hoc non in ordine ad aliud cui commensuratum sit; & propterea odium insatiabile est. Neque obstat, quòd id, quod odio habetur, sit mensuratum quoddam, putà certus gradus potentiæ; hoc enim est per accidens. Quicquid enim, & quãtumcunque sit illud quod odio habetur, sine mensura refutatur: obijcitur enim odio, quicquid obijcitur, vt quoddam totum, & non vt certa mẽsura ab alijs discretum. Propter quod non sufficiẽs signum distinctionis odij ab ira accipiunt confessarij ex hoc, quòd pœnitens dicit se non appetijsse, nisi certum malum illis, quos odisse se dicit: stat enim, & frequentissimè, quòd cum odio habemus aliquem, & appetimus illi certi mali genus, odio prosequamur illum inimicitiæ secundum quid: veluti cùm prælationem alicui nolumus, & oppositum malum illi volumus, & desideramus vt malum hoc illi eueniat. Ex his differentijs inter odium, & iram, si rectè considerentur, manifestum fit, quemadmodũ Deus propriè neminem odio habeat. Atque de ista quæstione hæc dixisse sufficiat.

Aristo. Eccle. 12. Aristo. Caieta. Autoris explicatio. Deus propriè neminem odio habet.

QVAESTIO. XLVII.

De causa effectiua iræ, & de remedijs eius; articulos habet quatuor.

ARTIC. PRIMVS.

¶Vtrùm motiuũ iræ sit semper aliquid factum contra eum qui irascitur?

¶Conclusio est affirmans. Conclusio.

ARTIC. SECVNDVS.

¶Vtrùm sola paruipensio, vel despectio, sit motiuum iræ?

REspondet D. Tho. hac propositione. Ad paruipensionem reducuntur omnes causæ iræ. Conclusio.

ARTIC. TERTIVS.

¶Vtrùm excellentia irascentis, sit causa iræ.

¶Conclusio est affirmans. Conclusio.

ARTIC. QVARTVS.

¶Vtrùm defectus alicuius ſit cauſa vt contra eum faciliùs iraſcamur?

SVMMA TEXTVS.

Prima con. ¶ PRima Concluſio. Defectus, vel paruitas eius contra quem iraſcimur, iram auget, quatenus auget indignam deſpectionem.

Secunda. ¶ Secunda Concluſio. Defectus eius cui iraſcimur, iram minuit, quando minuit indignam deſpectionem.

EXPLICATIO QVAESTIONIS.

Seneca. Plutarchus ¶ SEneca totam iram ſubitò dicit exiſtere: cui meritò Plutarchus refragatur. Creſcit enim ex ſuis cauſis, ſicut ignis ſubiecta materia. Creſcit verò eiſdem de cauſis, quibus erat orta, nempe ex contemptus opinione, per loca argumentorum omnia. Ex eo, in quo eſt, creſcit ira, vel quia eſt delicatus, tener, laſſus, æger, famelicus, amans, iuxta vetera prouerbia; Amãti, & animo cupienti nihil ſatis eſt feſtinare; à laſſo rixam quæri, fame, ac mora bilem concitari. Qui inſueti ſunt accipere iniuriam, ijs offenſio eſt intolerabilior. In imbecillibus acuta eſt ira, & prompta; putant enim ſe deſpici, quia inualidi. Omnis etiam infirmitas magnã habet ſuſpitionem de contemptu ſui à ſuperiore; vnde ſenes, ægri, inopes, ignobiles, & ignominioſi, facilè iraſcuntur. Aquæ potores, vehementes, & iracundi ſunt; quia tenues habent ſpiritus, qui citò ardent incẽdio iræ. Qui vinum potant, vel ceruiſiam, craſſiores habẽt ſpiritus, & vt ardeant, minùs faciles. Studioſi homines, quòd ob laborem cogitãdi calor ad cerebrum rapitur, vbi ſedes eſt iracundiæ, huic affectioni ſunt obnoxij. Teneri quoque, & delicati, quibuſque multum indulgetur: ideo grauiſsimæ ſunt iræ Principum, & diuturnæ, quibus omnes non ſolùm indulgent, ſed adulantur. Ex loco ira naſci ſolet, vt cùm magiſter contemnitur in ſchola, & Prætor in ſua ciuitate. Ex his qui ſunt in loco, etiam apud hos, vel apud illos: multum enim refert apud quos fiat contemptus: moleſtiùs enim patimur ſi apud illos contemnamur, apud quos cupimus eſſe quàm honoratiſsimi. Ex tempore, cùm iret ad petendam dignitatem, cùm coronatus. Ex ſtatu rerum etiam creſcit ira, & grauior ducitur contumelia, ſi propter præſentem fortunam ſimus deſpectui, cùm aliàs fuerit proſperior. Ex contradicente etiam iraſcimur, quia videtur paruifacere noſtrum iudicium, maximè ſi amicus ſit, ſi affectus beneficijs, ſi ſubditus, ſi filius, ſi familiaris. Ex inſtrumento, vt ſi quis percuſsit pugno, vel palma, aut arundine. Ex modo actionis iraſcimur vehementer, vt planè conſtat. Incandeſcimus etiam, ſi paruipendatur id, quod nos plurimi facimus; vt philoſophus, ſi philoſophia vituperetur; homo militaris, ſi militia; atque eò magis, ſi ab hominibus inexpertis id fiat. Ex fine etiam oritur, & creſcit ira; vt, ſpoliauit, vt irrideret, aut illuderet. Ex contingentibus, cùm contemptus, præter, aut contra opinionem accidit, eò ira acerbior eſt. Deſino huius mõſtri innumeras cauſas referre; nam certè dolẽdum eſt, tot ex cauſis naſci, augeriq́ue viperam hanc, adeò perniciosam humano generi.

Cauſæ iræ.

DE REMEDIIS IRÆ.

MIrum alicui forſitan videbitur, quòd cùm D. Tho. de remedijs iræ ſe diſputaturum in titulo quæſtionis diſpoſuerit, in tractatu quæſtionis, de remedijs, nec verbum quidem fecerit. Sed non eſt cur miretur: nam cùm cauſas omnes iræ diligenter tractauerit, de remedijs huius morbi, ſatis ſuperq́ue dixit. Cùm enim vniuerſa iræ cauſa ſit opinio iniuriæ, & perſuaſio, vniuerſale remedium iræ erit, opinionem iniuriæ, vel contemptus ex animis noſtris euellere. Itaque vt hoc remedium peculiariter admoueatur, ſciẽdum eſt, quòd deferueſcit ira, minuta opinione contemptus; ſedatur omnino, ablata opinione contemptus. Item deferueſcit ira, vel quia nos ſumus obliti; vel quia auertimus cogitationem. Quapropter vtile eſt ſeſe ad lætiora transferre. Ceſſat ira, cùm declaratum eſt, non fuiſſe contemptum, quem credebamus. Accedit his, cùm nouo honore opinio contemptus adimitur, & cùm animad uertimus amiciſsimos noſtros, rectè ſentiendi iudices, non iraſci, & iudicare non eſſe contumeliam. Sed, vt ſemel finiam, auſertur contumelia, & diſsipatur omnino, ſi humilitatem amplectamur, aſſequamurq́ue; nam verè humilis à nemine hominum arbitratur ſe iniuriam, aut contemptum pati.

QVÆ-

QVAESTIO XLVIII.

De effectibus iræ; articulos habet quatuor.

ARTIC. PRIMVS.

¶ *An ira cauſet delectationem?*

Concluſio. ¶ Concluſio eſt affirmans.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ *An ira maximè cauſet feruorem in corde.*

Concluſio. ¶ Reſpondet D. Tho. concluſione affirmante.

ARTIC. TERTIVS.

¶ *Vtrùm ira maximè impediat vſum rationis?*

Concluſio. CConcluſio eſt. Ira, inter cæteras paſsiones, manifeſtiùs impedit iudicium rationis.

ARTIC. QVARTVS.

¶ *Vtrùm ira maximè cauſet taciturnitatem.*

Concluſio. CConcluſio D. Tho. ita habet. Ira, tã ex eo quòd cũ ratione eſt, quàm ex eo, q̃ rationem impedit, poteſt taciturnitatẽ cauſare.

EXPLICATIO QVAESTIONIS.

Caiet. IN hac quæſtione in primis D. Caieta. explicat eleganter definitionem iræ; deinde proponit nonnulla dubia, in quibus inueſtigat, num ſint plures actus voluntatis, quàm à D. Tho. ſint in hoc tractatu commemorati. Dicit igitur Dominus Caietan. quòd ira eſt appetitus cum triſtitia, ac ſpe punitionis apparentis, propter apparentem paruipenſionem eorum, quæ in ipſum, aut in ipſius aliqua non conuenientem. quæ definitio accepta eſt ex Ariſtot. 2. rhetoricorum. Ex qua definitione intelligitur in primis, iram eſſe compoſitã ex triſtitia, & ſpe, & cauſis, & conſequenter ex bono & malo; ac per hoc, ex parte triſtitiæ, mala, defectus, & in vniuerſum contriſtantia diſponunt ad iram; & in quibus triſtitia accepta permanet, aut renouatur, ira quoque facilè conſurgit. Ex parte verò ſpei, audacia, delectatioq̃ cõſequitur, tam in cogitãdo, quàm in ſperatæ præſentia vindictæ. At ex parte ſuc ceſſus ſperatæ vindictæ, delectatio tantò eſt maior, quantò vindicta medicinæ contrapoſitæ habet rationem. Deinde ira habet obiectum vtrumq́ue, ſcilicet rem, & perſonam. Res, eſt punitio apparens: perſona eſt, qui paruipendit. Ex parte punitionis appetitæ, & ſperatæ intelligitur quòd non eſt ira ad excellentes perſonas, quas non ſperamus poſſe punire, niſi in quantum cum adiutorio diuino confidimus nos poſſe vindictam ſumere; & tunc, quamuis eſſet excellens perſona ad iratum comparata, non tamen comparata ad Deum adiutorem: quæ enim per amicos poſſumus, per nos poſſumus, vt dicitur. 3. Ethicorum. Ex eadem definitione habetur, quòd ira non eſt, niſi ad quos eſt iuſtitia; punitio enim ad iuſtitiam ſpectat, & quòd eſt finita & menſurata: punitio enim, & vindicta iniuriæ commenſuratur. Ex parte vero apparentiæ colligitur apertè, quòd ira non eſt ad mortuos ſecundum ſe, neque ad inuiſibilia, quibus non poteſt apparere punitio, & quòd iratus appetat punitionem, ſic vt ſciat punitus, quid, à quo, & pro quo patitur, vt in. 2. rhetoricorũ dicitur. Ex perſona verò habes, quòd ira non eſt, niſi ad ſingulares perſonas; quoniam ſingularium eſt paruipendere. Habes deinde cauſam iræ apparentem paruipenſionem. Sed & illud diſces, ex parte irati aliquam excellentiam, quam lædit paruipenſio, cauſam iræ eſſe, & ex parte eius cui iraſcimur, defectus, quẽ dedecet paruipendere excellentẽ. Denique intelligitur, iram non ex qualibet, ſed ex contra ſe, vel contra ſua, exiſtimata paruipenſione cõſurgere. Vindicta enim pro ſe, vel pro ſuis fit: extraneas enim iniurias non magnopere curamus. Sed etiã oportet, quòd paruipenſio ſit inconueniens, & iniuſta, ſaltem ſecundum noſtram exiſtimationem: quæ enim iuſta pati credimus, non quærimus vindicare, vt experiẽtia ſæpe teſtatur in iudicijs. Ex quibus manifeſta differentia, inter iram, & odium declaratur: quòd ira eſt appetitus mali, ita quòd ſentiat ſe punitum pro tali iniuria: in odio autem appetitus eſt ſolius mali. Quòd ſi homines rudes neſciunt exprimere affectus ſuos, ſaltem in hoc diſcriminantur, ſi appetunt malum pro vindicta, vel punitione, aut ſimpliciter, vt habeat malum; illud ad irá ſpectat, hoc ad odium pertinere dignoſcitur. Hæc de paſsionibus in particulari dixiſſe ſuffi ciat. Sed ad extremum huius quæſtionis diſputat Caiet. vtrùm omnes actus appetitus reduxerit S. Tho. conuenienter ad. 17. actus, an verò ſint plures, vel pauciores: quę diſputatio ſic

Ariſto.

Ariſto.

Quid ſit ira.

Ariſto.

Vtrùm conuenienter numeret D. Th. omnes actus appetitus.

planè & ex ordine est à D. Caiet. disputata, & exposita, vt nostrã operam non requirat; & ideo ad quæstionem. 49. explicandam progrediamur.

QVAESTIO. XLIX.

De habitibus in generali; articulos habet quatuor.

PRÆFATIO.

HIC agitur de principijs humanorum actuum, vel diuinitus infusis, vel nostris actibus acquisitis. Et licèt habitus prior sit ordine generationis, quàm actus, tamen in consideratione Theologica, prior est actus: nam per actus peruenimus ad finem supernaturalem, & vitam beatam; & habitus sunt propter actus. Vniuersum tractatum de habitibus distribuit D. Th. in quatuor partes: in primis definit, quid sit habitus; deinde, de subiecto habituum disserit; tertiò, de eorum acquisitione, & deperditione; vltimò, de eorum distinctione. De hac materia disputant Theologi. 3. d. 23.

Huius tractatus distributio.

ARTIC. PRIMVS.

¶ Vtrùm habitus sit qualitas?

SVMMA TEXTVS.

Conclusio.

Aristo.

CONclusio est affirmans, quam asserit Aristot. in prædicam. & D. Tho. ita explicat. Habitus, cùm ab habendo dicatur, duobus modis sumi potest, sicut & ipsum habere: vno modo, secũdum quòd homo, vel quæcũque alia res dicitur aliquid habere: alio modo, secundũ quòd aliqua res aliquo modo habet se in seipsa, vel ad aliquid aliud. Priori ratione, habere, commune est ad diuersa genera; quamuis si inter habens, & id quod habetur, aliquid per modũ actionis, & passionis mediet, cõstituat vnũ peculiare genus rerũ, quod prædicamẽtum habitus dicitur; de quo verba facit Arist. cum inquit; inter habẽtem indumentum, & indumentũ ipsum, esse habitum mediũ. Si autem posteriori modo, habere, sumatur, prout scilicet res aliqua dicitur quodammodo se habere in seipsa, vel ad aliquid aliud, cùm iste modus se habendi sit secundũ aliquam qualitatem, hac ratione, habitus, quædam qualitas est, de quo loquitur Aristo. cùm ait, habitum dici dispositionem, secundum quam benè, vel malè disponitur dispositum, aut secundum se, aut ad aliud. Cum ergo secundũ hanc rationem de habitu loquamur, dicendum est, habitum esse qualitatem.

Ari. 5. met. tex. 25.

Arist. ibid.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ Vtrùm habitus sit determinata species qualitatis.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio.

Simplicius

CONclusio est affirmatiua: in cuius probatione D. Tho. colligit numerũ specierum qualitatis, quẽ Simplicius non optimè colligebat. Dicebat enim, ex qualitatibus, quasdã esse naturales, quæ semper insunt, à naturaq́; sunt; alias, aduentitias, quæ ab extrinseco efficiuntur, & amitti possunt. Aduentitiæ qualitates sunt habitus, & dispositiones, secundũ facilè & difficilè mobile differentes. Naturaliũ autẽ qualitatũ quędã sunt, secundũ quòd aliquid est in potẽtia, & sic est secũda species qualitatis: quædam verò secũdũ quòd aliquid est in actu: & hoc duobus modis; vel in profundum quidem,

quidem,& sic est tertia species;vel secundum superficiē,& est quarta species qualitatis, quæ dicitur forma, & figura. Sed hæc distinctio ex eo inutilis est,quòd quędā sunt figuræ non naturales,sed aduentiatiæ; multæ autem sunt dispositiones,non aduētitiæ,sed naturales, vt sanitas, & pulchritudo. Quare alia via incedendum est. Qualitas nihil est aliud,quàm modus quidā substantiæ: quot ergo modis poterit substantia modificari, tot erūt qualitatis species. Substantia autē quatuor modis modificari potest; primò, ratione quantitatis, & sic est quarta species qualitatis, quæ est figura,vel forma, quæ quantitatem sequūtur:deinde, quoad obiecta operationum, & quoad principia operationum, secūdum quā rationem attēditur secunda & tertia species qualitatis: tandem potest substantia modificari quoad bonam vel malam operationem, in ordine ad naturam rei,secundū quam rationem cōstituitur prima species qualitatis. Habitus ergo, determinata species qualitatis est.

Impugnatur sentētia simplicij.

Quid sit qualitas.

EXPLICATIO ARTICVLORVM.

VT intelligantur rectè quæ D. Tho. habeat in his duobus articulis, prætermisis quæstionibus dialecticis, & in alium locum relegatis, sciendum est ex D. Aug. quòd multis modis habitum dicimus; vel habitum animi, sicut est cuiuscunque disciplinę perceptio,vsu roborata, atque firmata;vel habitum corporis,secūdum quem dicimus alium alio esse luculentiorē, & validiorem; quæ magis propriè habitudo dici solet; vel habitum eorum, quæ membris nostris accommodantur extrinsecus, secundum quem dicimus vestitum, calceatum, armatū, & si quid eiusmodi est. In quibus omnibus generibus (siquidem nomen hoc deductum est ab illo verbo, quod est habere) manifestū est in ea re dici habitum,quæ accidit alicui, vt ita possit eam etiam non habere. Nam & doctrina accidit animo,& succus, ac robur corpori, & vestis,atque arma non dubium est quin accidant membris nostris, ita vt & imperitus possit esse animus, si ei doctrina non accideret;& exile atque languidum corpus,sine succo viscerum,& robore:& nudus sine veste,& inermis sine armis,& pede nudo, sine calceamentis esse homo potest. Habitus ergo in ea re dicitur,quæ nobis,vt habeatur, accidit. Ex his principijs colligit D. Augu. intelligentiam illius loci ad Philip. In similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. In explicatione huius loci variāt Doctores tum Græci,tum Latini. Chrysosto. accipit nomen habitus,pro figura, & specie:& rectissimè quidem: nam Græcè habetur σχῆμα, quod idem est atque figura, & species. Itaque commentarius Chryso. iste est. Caro Christi habuit eādē figurā,& speciē, quam natura humana habet. D. Ambros. ponit speciem in exteriori cōuersatione,ita vt sit commentarius; Christus Dominus nobiscum conuersabatur atque cæteri homines. D. Augu. loco citato arbitratur esse rem vltimi prædicamenti:itaque commentarius est;quòd natura humana se habuit ad verbum diuinum,veluti vestimentum: quemadmodum enim homo videtur per vestimentum, ita verbum diuinum videtur per naturam humanam: & quemadmodum vestimentum,quando induitur,mutatur; ita sanè natura humana, ex vnione ad Verbum diuinum, est mutata, & meliorata, Verbum diuinum permansit immutatum;& in his consistit similitudo. Sed Augustini interpretatio (vt videre est apud Magistrum in.3.d.6.)quibusdam occasionem dedit, vt dicerent, vnionem Verbi cum natura humana accidentalem esse, quæ disputatio cessat si sequimur Chrysost. Sed vt ad nostrum propositum reuertamur, aduertendum est secundo loco ex doctrina Aristotelæa, quòd nomen habitus, æquiuocum est; aliquando est postprædicamentum, continens varia rerum genera; vt habere animam, habere amicum,habere albedinem; aliquādo verò significat ornatum,vt esse vestitum, calceatum,armatū;& sic est vltimū prædicamentū:aliquando verò significat qualitatē, vel dispositionē,qua bene,vel malè disponimur; & in hac vsitata significatione, habitus scientiæ, appellatur qualitas, qua rectè disponimur ad rerum cognitionem: & in hoc sensu de habitibus statuimus disputationem. Tertiò aduertendum est,quòd habitus, in hac tertia signi-

Augu. lib. 83.q.q. 37. Habitus multis modis dicitur.

Aug. Philip. 2.

Chryso.

Ambros.

Aug.

Mag. sent.

Arist.

Habitus nomen æquiuocum.

Quomodo hic loquamur de habitu.

Habitus definitiones.

Ariſto 1.de finitio. 7. phy.tex.17

ficatione,variè definitur à Doctoribus. Ariſt. definit habitum in hunc modum; Eſt diſpoſitio perfecti ad optimum; id eſt, eſt diſpoſitio perfecti ſubiecti, & perfectæ naturæ ad optimam operationem. ¶ Hæc definitio Ariſt. videtur certè quòd habeat duplex vitium; vnũ eſt, quòd non comprehendit niſi ſolummodo habitus bonos; de habitibus vitioſis nullã fecit mentionem. Aliud vitium eſt in prædicta definitione; nam ex ea ſequitur, quòd fides ſupernaturalis non ſit virtus, neque habitus; non enim diſponit ad optimam operationem, ſed ad obſcuram, & inetidentem. Idem argumentum poteſt confici de ſpe ſupernaturali: ſpes namque non diſponit ad optimum actum; melius eſt enim habere, & frui, quàm ſperare. Videtur ergo certè quòd illa definitio Ariſtotelea vitioſa eſt; propter quod Ariſto. conſtituit aliam definitionem, quæ ſic ſe habet. ¶ Habitus eſt diſpoſitio, qua bene, vel malè diſponimur in ordine ad nos, vel in ordine ad alios. Hæc eſt definitio generalis, quæ comprehendit omnes habitus, tam bonos, quàm malos: & ea ſemper vtendum eſt, præcipuè ſi ei addatur, claritatis gratia, difficilè mobilis; vt diſcernatur à diſpoſitione, qua etiam ſubiectum bene vel malè afficitur. ¶ Sed hæc definitio videtur vitioſa, & nó eſſe vera. Nam character ſacramentalis eſt habitus infuſus ad recipienda, vel adminiſtranda ſacramenta: ſed iſte habitus non diſponit ad bene vel malè operandum, & adminiſtrandum, ſed ad ſimpliciter, & abſolutè adminiſtranda ſacramenta: ergo illa definitio habitus, vitioſa eſt. ¶ Præterea quòd non ſit difficilè mobilis, ſic oſtendo: Nam habitus opinionis, habitus eſt, ſed facilè dimouetur; fundatur enim in rationibus apparentibus, & minimè firmis, quæ facilè cõfutantur. Rurſus, habitus charitatis facillimè dimouetur à ſubiecto; perditur enim perquod libet peccatum mortale. ¶ Tertiam definitionem habet Ariſtote. Potentia, inquit, eſt qua poſſumus: habitus verò, quò bene vel malè poſſumus. Hæc definitio euidẽtius cõfutatur: Nam habitus infuſi, hoc eſt, fides, ſpes, charitas, non dantur, vt rectè, aut vt meliùs operemur, ſed ad ſimpliciter operandum. Quod cõ iuncunt eſſe verum Patres in Concilio Mileui tano, & Arauſicano, ex illo Domini; Sine me nihil poteſtis facere. Non dixit Dominus, ſine me difficiliùs, aut non rectè poteſtis facere, ſed ſinè me nihil poteſtis facere. ¶ Quartam definitionem habet Comment. Habitus, inquit, eſt quo quis agit cum voluerit. Similem definitionem habet D. Aug. Habitus, inquit, eſt quo quis agit cùm opus fuerit. ¶ Hæc definitio facillimè cõfutatur. Nam habens gratiã, neceſſariò vtitur illa quando operatur bene moraliter. Vnde eſt ſentẽtia bonorum Theologorum, quòd omne opus bonum exiſtentis in gratia, eſt meritorium. Deinde, habitus charitatis in vita beata habet actum neceſſarium, & non liberum; vt habet doctrina Theologorum: ſentiunt namque, quòd beati nõ poſſunt ſuſpendere actum amoris. Vltimò, lumen gloriæ, habitus eſt, quo intellectus beati illuſtratus, neceſſariò videt Deum: ergo non bene definitur habitus, quòd poſſumus eo vti pro noſtra voluntate. ¶ Vltimam definitionem habitus habet Gabri. in 3. d. 23. q. 1. cui conſentiunt neotherici Theologi. Habitus enim eſt qualitas ex frequentatione actuum genita, inclinãs in ſimiles actus, ex quibus genita eſt. Hæc definitio peſsima eſt, & non habet defenſionẽ. Nam habitus primorum principiorum, eſt verus habitus; at non acquiritur noſtris actibus, ſed eſt à natura inſitus. Rurſus, habitus infuſi ſunt præſtantiſsimi habitus, ſed non acquirũtur noſtris actibus, ſed diuinitus infundũtur. Præterea, omnium Philoſophorum ſententia aliqui ſunt habitus, qui proximè non inclinãt ad actus, vt pulchritudo, ſanitas. Vltimò, non eſt omnino certum quòd habitus inclinet ad actus; nam id negant Duran. & Scot. vt videbimus in articulo ſequenti: ergo hæc particula non debet poni in definitione: definitio enim eſt veluti communis animi conceptio. ¶ Pro explicatione veræ definitionis ſciendum eſt ex communi omnium cõſenſu, quòd habitus malus eſt, quo malè afficimur: habitus bonus eſt, quo bene afficimur. Ex quo primò facilè intelligitur quæ ſit definitio habitus in genere: eſt enim habitus, qualitas, qua rectè, vel malè afficimur. Ex quo rurſus patet, quemadmodum Ariſtot. de definitione habitus toties loquens, nunquam à ſeipſo diſſentiat; ſemper enim dicit, quòd ſit diſpoſitio, qua bene, vel malè afficimur. Secundò aduertendũ eſt, verſari differentiam inter potentiam, & habitum. Nam potentia eſt principium operandi, ſiue bene, ſiue malè: habitus diſponit, & afficit ipſum cuius eſt habitus, vt rectè, vel malè ſe habeat. ¶ His conſtitutis, quæ facillima ſunt, dico primam definitionem Ariſtoteleam eſſe optimam: nam ad primum argumentum ſatendum eſt prædictam definitionem non cõprehendere, niſi habitus bonos, & ſtudioſos, cæterùm ex ea facilè poteſt conſtitui definitio, quæ comprehendat habitus malos, in hũc modum: Habitus malus eſt diſpoſitio imperfecti ad malam operationem. ¶ Ad ſecũdum argumentum reſpondetur, quòd fides & ſpes, ſunt

Obiectiones.

Arguitur primo contra iſtã definitionẽ.

Secundo arguitur.

Arguitur primo contra ſecũdã definitionem.

Obiectiones.

Secundo.

Confirmatur.

Tertia definitio Ariſ. 2. Ethica. 5. & 6. Obiectio.

Cõc. Mile.

Cõc. Arau.

Comment. 3. de anima tex 18.

Aug. li. de bono. coniugali. c. 21.

Obiectio Arguitur primo.

Secundo.

Tertio.

Gabriel.

Impugnatio Gabr.

Durand. Scot.

Habitus bonus & malus.

Diſcrimen inter potẽtiam & habitum.

Solutio obiectionũ.

Ad primũ argumẽtũ.

Ad ſecũdũ.

sunt veri, & præstantissimi habitus: nam ad rationem habitus, non est necesse quòd disponat ad præstantissimam operationem, sed ad præstantissimam in suo genere; alioqui liberalitas, & temperãtia non essent veri habitus; nã in eisdem potentijs sunt aliæ virtutes longè præstantiores, vt fortitudo, & magnificentia. Sed de difficultate huius argumenti in sequentibus diligentiùs tractandum est. ¶ Deinde dico, secundam definitionem Aristotelicã esse optimam: Nam ad argumentũ primum dicendum est, quòd D. Tho. in 3. p. q. 63. art. 2. reducit characterem ad secundam speciem qualitatis, hoc est ad potentiam, vel impotentiam: nam character est potentia ad administrãda, vel recipienda sacramenta absolutè, non vt rectè administrentur: neque ex hoc quòd est donum Dei, rectè colligitur quòd sit habitus ad rectè operandum; nam etiam intellectus est donum Dei, & non est habitus, sed potentia.

Ad secundã obiectionem. D. Tho. Ad primũ argumẽtũ.

¶ Ad secundum argumentum, de habitu opinionis, Pater Soto in prædicamento qualitatis dicit, quòd non est verus habitus, quoniam innititur infirmo fundamento: quod facillimè refutatur. Sed si hæc solutio aliquid valeret, probaret etiam quòd habitus vitiosus nõ sit habitus; nam innititur infirmo fundamento, quod facillimè confutatur. Dicendũ ergo, quòd habitus opinionis, & vitiosus, sunt veri habitus, nam ex consuetudine, & ex vsu roborantur, & firmantur. ¶ Ad tertium argumentum respondetur, quòd habitus charitatis de se est difficilè mobilis à subiecto, sic vt dicat Ioan. Qui natus est ex Deo, non peccat, quia semẽ Dei manet in illo, sed neque peccare potest. Semen Dei nominat gratiam, & charitatem: cæterum ex parte liberi arbitrij, quod est flexibile in vtranque partem, facilè perditur. Hæc de secũdæ definitionis defensione dicta sint. Proximum est, vt tertia explicetur & defendatur, quod est facillimum. ¶ Nam ad argumentum in contrarium dicendum est, esse verissimum, quòd habitus infusi commemorati dant potestatem, ad credendum, operandum, amandum; sed præterea tribuunt vt rectè credamus, speremus, & diligamus, & ideo inter habitus præcipuos numerantur. Quartam tamen definitionem dico non esse propriam definitionem, sed esse proprietatem conuenientem omnibus habitibus operatiuis: vnde natum est illud prouerbium, Habitibus vtimur cùm volumus: non tamen habet veram intelligentiam in habitibus non operatiuis, pulchritudine, & sanitate, &c. ¶ Ad primum argumentum respondetur, quòd hæc sententia vera est de habitu operatiuo; gratia verò non est habitus operatiuus, vt sentiunt omnes Theologi. Deinde dicendum est, quòd gratia possumus vti & non vti, operari & non operari pro nostra voluntate; cæterum dato quòd bene moraliter operemur, necessarium est quòd opus bonum sit Deo acceptum; nam est opus filij, & amici Dei. Vltimò dico, multos Theologos asserere quòd non omne opus bonum existentis in gratia sit meritorium apud Deũ, nisi referatur in finem supernaturalem; quibus ego libenter subscribo. ¶ Ad secundum argumentum respondetur, quòd habitus charitatis de se, habet actum liberum, sed ex coniunctione ad visionem beatificam habet actũ necessarium, sicuti habitu scientiæ possumus vti cùm volumus; cæterum si quis habeat in intellectu hæc principia; omnis homo est risibilis; Petrus est homo; necesse est assentiri cõclusioni, quòd Petrus sit risibilis. Secundo respondetur, quòd charitas in vita beata necessariò amat Deum, alia verò libere; sicut Deus necessariò amat suam bonitatem, alia verò diligit liberè. ¶ Ad tertium argumentum respõdetur, quòd videntes Deum per lumen gloriæ, necessariò illum vident, non propter habitum, sed quoniam habent Deum præsentẽ. Secundò dicendum est, quòd lumen gloriæ non est habitus, licèt se habeat per modum habitus, potiùs se habet veluti lumen externum, quo illustratus oculus necessariò videt. Vltimã definitionẽ nõ defendo: nã omnino vitiosa est, vt argumenta adducta efficaciter demõstrant. Et tantũ dictũ sit de his articulis.

Ad secũdũ. Respondet Soto. Autoris solutio. Ad tertium 1. Ioan. 3. Ad tertiam obiectionẽ Ad argumentum. Cõtra quartam definitionem. Ad primũ argumẽtũ. Ad secũdũ. Ad tertiũ.

ARTIC. TERTIVS.

¶ Vtrũ habitus importet ordinẽ ad actũ.

SVMMA TEXTVS.

Prima cõclusio. Prima Cõclusio. Omni habitui cõpetit secũdũ rationẽ habitus, aliquo modo habere ordinẽ ad actũ. Hãc in argumẽto, sed cõtra, probat D. Th. autoritate D. Augu. qui inquit; Habitũ esse quo aliquid agitur, cùm opus est. In corpore autẽ art. sic probat. De ratione habitus est vt importet habitudinẽ quãdã in ordine ad naturã rei secũdũ quã conuenit, aut nõ cõuenit: natura autẽ rei ordinatur vlteriùs ad aliũ finẽ, qui vel est

Aug. lib. de bono coniug. c. 21.

operatio,vel aliquid operatum,ad quod quis per operationem peruenit: ergo habitus etiã importat ordinem ad operationem, quatenus eſt finis naturæ, vel perducẽs ad finem. Quod ſane cõfirmatur ex definitione Ariſtotelica, cùm ait,habitum eſſe diſpoſitionem,ſecundũ quam bene vel malè diſponitur ſubiectum; aut ſecũdũ ſe, id eſt in ordine ad naturã ſuã; aut ad aliud,ideſt in ordine ad finẽ. ¶Secunda Concluſio.Aliqui habitus, peculiari ratione, ex parte ſcilicet ſubiecti, primò, & præcipuè important ordinem ad actum,vt illi qui ſunt in potẽtijs operatiuis: nã habitus, primò,& per ſe importat ordinem ad naturã rei;ſi igitur natura rei cõſiſtat in ordine ad actũ, habitus præcipuè importabit ordinem ad actum: talis eſt autẽ natura potẽtiarum:habitus ergo qui ſunt in illis, præcipuè dicunt, & important ordinem ad actum.

Ari.5.met. tex.25.

Secunda.

EXPLICATIO ARTICVLI.

An habitus producant operatiões efficienter.

IN hoc arti.dubium eſt, an habitus ſint principia, & cauſæ efficientes operationum ſimul cum ipſa potẽtia. ¶A parte negatiua ſic arguitur. Nam potentia, priuſquam habeat habitum, poteſt producere bonam vel malam operationem : ergo operatio tribuenda eſt potentiæ, non habitui. ¶ Deinde,habitus concurrit ſæpenumero ad actum alterius potentiæ : ergo non poteſt efficere actum alterius potentiæ. Conſequentia inde probatur. Nam habitus, qui eſt in vna potentia, non poteſt efficere alterius potentiæ actum.Antecedens probatur. Nam habitus iuſtitiæ,qui eſt in voluntate, facit vt rectè iudicemus ſecundum iuſtitiam: iudicium verò eſt actus intellectus.Rurſus,habitus religionis,qui eſt in voluntate, facit vt rectè,& debitè fundamus preces; oratioverò eſt actus intellectus,& quędã collocutio cũ Deo. ¶In contrarium eſt.Nam potentia eſt principium operandi:ergo habitus qui perficit potẽ tiam,perficit,& adiuuat ad operandũ.Scot.in 1.d.17.q.2. dicit,quòd habitus nõ cõcurrit effectiuè ad actum.Dur.in.3.d.23.q.1.docet,habitus ex neceſsitate eſſe conſtituẽdos: In qua re nullum habet contradicentem.In. q.2. docet, quòd habitus non facit ad intenſionem actus:& probat his argumentis. ¶Nam habitus ſcientiæ non facit quòd actus ſcientificus ſit clarior,aut euidentior:ergo non facit ad intenſionẽ actus. Conſequentia indẽ probatur. Nam quòd aſſenſus ſit intẽſior, & perfectior, nihil aliud eſt,quàm quòd ſit clarior, & euidẽtior.Probatur antecedẽs:nã in hac demonſtratione;omne animal rationale eſt riſibile; omnis homo eſt animal rationale:&c. tota euidẽtia & claritas reducẽda eſt in cauſam,& in medium per quod demõſtratur, quod eſt veluti lumen,quod licèt ſæpiſsimè repetatur,nõ cauſat maiorem euidentiam : conſtat autẽ quòd ex repetitione demonſtrationis nõ intẽditur habitus. ¶Secundò, ſi habitus adiuuat potentiã,& perficit eam ad operãdum, vel eſt, quia intẽdit ipſam potentiam, & hoc ſine falſitate dici nõ poteſt:nam potentia non intenditur, neque remittitur, ſicut neq; eſſentia: vel eſt, quia potẽtia, & habitus cõcurrunt vt duo agẽtia particularia eiuſdẽ ordinis,ſicut duo portãtes lapidem:& hoc affirmari non poteſt.Nam quãdo ſunt duo agentia partialia eiuſdẽ ordinis, vnũquodq; per ſe poteſt efficere effectũ, vel partem effectus:ſed habitus ſine præſidio potẽtiæ nihil poteſt efficere:ergo nõ ſe habẽt iſto pacto.Quòd ſi dicat Theologus,quòd ſe habẽt veluti cauſæ ſubordinatæ, ſicut ſol, & homo,generãt hominem;& intellectus,& ſpecies,producũt notitiã: cõtra eſt argumẽtũ.Nã in cauſis ſubordinatis, neutra ſine aliqua poteſt efficere aliquid : ſed potentia ſine habitu poteſt habere bonas, aut malas operationes: ergo non ſe habent ſicut cauſæ ſubordinatæ. ¶Tertiò, actus ꝓducit habitũ,vt apud omnes eſt in confeſſo:ergo habitus viceuerſa nõ producit actum. Conſequẽtia inde probatur. Nã cùm cauſa ſit perfectior ſuo effecto,cõſequẽs eſſet,quòd actus eſſet perfectior habitu, & viceuerſa. ¶Vltimò, habitus ſe ſolo non poteſt producere actum, vt de ſe patet : ergo neque intendere. Ex his argumentis concludit Dur. quòd habitus per ſe non facit ad intenſionem actus,licèt per accidens concurrat ad intenſionem actus:qui enim diu ſe exercet in operibus temperantiæ,moderatur paſsiones,quibus moderatis, intellectus meliùs, & fortiùs proponit obiectum voluntati,& ſic voluntas perfectiùs mouetur.

Arguitur primo pro parte negatiua.

Secundo.

In oppoſitum.

Scot.

Durand.

Vtrùm habitus faciat ad intenſionem actus.

Arguitur primo.

Duran.

Secundo.

Tertio.

Quarto.

¶In.q.3.

Habitus nõ determinat potentiam ad bonum, vel malum secundum Durãdum.

¶In quæst.3.docet Duran.quòd habitus non determinat potentiam ad bonum vel malum in genere moris, sed vniuersam determinationem referendam esse ad voluntatem,& intellectum simul. Et probat sic. Nam actus antecedentes habitum,sunt singulares, & determinati ad bonum,vel malum: ergo oportet ponere vnam causam, quæ determinet potentiã ante habitũ.

Probatur primo.

Secundo.

¶Secũdò,bonũ vel malũ morale, est relatio: ergo habitus nõ est principiũ boni vel mali moralis.Consequẽtia inde probatur. Nam relatio non habet causam, & ad relationem non est per se motus.Antecedens probatur.Nã bonitas,vel malitia moralis,nihil aliud est,quàm conformitas, aut difformitas ad rectã rationẽ: hæc verò cõformitas,relatio quædã est.

Tertio.

¶Vltimò,habitus est relatio: ergo non est operatiuus.Cõsequẽtia inde patet.Nã relatio, operatiua non est. Probatur antecedens:

Ari.7.phy. tex.17.

nam Arist.dicit, quòd ad habitus non est per se motus,quoniã sunt relationes.Ex quo concludo sic argumentum. Vel intelligit Aristot. quòd sunt relatiua secundum dici, & non secundum esse; & tũc eius argumentũ est inane & friuolum:nam ad vbi, & ad calorẽ est per se motus,quæ sunt relatiua secundũ dici:ergo intelligit quòd sunt relatiua secundum esse.

¶In.q.4.docet Duran.quòd habitus non concurrit, vt facilè,& promptè, & delectabiliter operemur:& probat eisdem argumentis, quibus probat quòd non facit ad actus intensionem.Dicunt tamen Scot.& Dur. quod loquũtur de habitibus acquisitis;nã de infusis aliud

Resolutio autoris.

sentiendum est. Ego verò dico, quòd prædicti autores dedita opera non legerunt autores,vel potiùs neglexerunt.

Aristo.

Arist.namque perpetuò docet, quòd habitus iuuat ad operationem,& actus perfectionem, promptitudinẽ, & stabilitatem ei accommodando.In.2. Ethi. ca.1.dicit, quòd habitus generatur ex actibus, & iam genitus producit similes, & meliores operationes.&.ca.2. scribit, quòd sicut virtus corporis facit hominem robustum, & laborũ patientem,sic virtus animæ facit vt homo studiosus, opera, alioqui ardua aggrediatur, & vincat. &in.c.3. quòd signũ generati habitus est delectatio, & voluptas, quam homo studiosus in opere virtutis accipit.&.c.4. constituit conditiones veræ virtutis,quòd agẽs operetur sciens & prudens cum delectatione propter finem virtutis,firmo, & stabili animo. & ca.5.constituit differentiam inter potentiam, & habitum; quòd potentia est indifferens ad bonum vel ad malũ: habitus verò determinat ad vnum tantum.&.c. 6.constituit duas definitiones virtutis;vna est, Virtus est quæ bonũ facit habentẽ,& opus eius bonum reddit: altera est, virtus est habitus electiuus, in medio consistens, prout sapiens determinauerit. In vltimo ca.docet,virtutẽ versari circa difficile; nam eligit medium inter duo extrema:pertingere verò medium in circulo,non est cuiusq;, sed optimi artificis. Denique Arist.multus est in huius rei demonstratione.6. Ethico. c.4.5. &.6.&. 2. lib. Ethic. ad Eudem. per totum.1. lib.magnorum moralium.c.7. Itaque sententia Duran.manifestè pugnat cum Aristo. doctrinarimo pugnat cum ipsa ratione,& cum diuina Theologia. Nam virtus oculi concurrit ad videndum; virtus equi ad currendum; igitur virtus animi ad operandum. Deinde,manifestum est sine controuersia,quòd artes,& scientiæ sunt habitus operatiui: ergo cæteri habitus morales,sunt habitus operatiui.Certè dubitari non potest,quin habitus prudentiæ illuminet,dirigat, præcipiat: nec dubitari potest, quin habitus virtutis eligat medium inter extrema:ergo indubitatum est,quòd habitus sit operatiuus.Vltimò, habitus infusi (vt constat ex diuina Theologia)sunt operatiui: ergo habitus acquisiti operatiui sunt.Cõsequẽtia inde probatur: nã Deus infundit habitus instar habituũ humanorũ.

Argumẽta Durãdi sõluuntur.

¶Ad argumẽta Durandi, & ad primũ negatur antecedens; fortassis qui

Ad primũ.

sæpiùs repetit eãdem demõstrationem,euidẽtiùs,& clariùs rẽ penetrat.Secũdò,licèt antecedens sit verũ,cõsequẽtia tamen nihil valet:nã euidentia,& intensio actus, ex diuersis causis procedũt. Euidẽtia enim procedit ex medio, per quod concluditur demonstratio:intensio verò ex maiori conatu potẽtiæ, & perfectione:& quoniã scientia perficit potentiã, & adiuuat,perfectior scientia cũ potẽtia,causat intensiorẽ operationem.

Ad secũdũ.

¶Ad secũdũ argumẽtum respõdetur, idẽ argumẽtũ posse fieri de habitibus infusis, quod Durandus tenetur soluere. Rursus idẽ argumentũ conficitur de actibus, quomodo producãt habitus.Secũdò dicendũ

Caiet.

est cũ Domino Caie.facillimè, quòd habitus, & potẽtia cõcurrũt ad actũ,nõ sicut causę partiales,neq; sicut causæ subordinatæ, nec verò tãquã intẽsum,& remissum,sed sicut perfectũ differt à seipso imperfecto:potentia nãque potest producere operationes bonas vel malas, sed habitus perficit potẽtiã, cuius est habitus, vt meliùs & perfectiùs operetur; sicuti homo, cùm est adolescẽs, potest generare,sed imperfectè,factus verò vir potest generare perfectè; & manus vtcũq; potest proijcere lapidẽ, sed meliùs funda;& manus scribẽtis potest scribere,sed melius cũ arte.

Ad tertiũ.

¶Ad tertiũ argumentũ respõdetur,nõ esse incõmodũ quòd actus producant

ducãt habitum, & rurſus habitus iam genitus producat ſimiles,& perfectiores actus. Præterea dico, non eſſe incommodum quòd actus ſit perfectior habitu,& viceuerſa,ſecundũ diuerſas conſiderationes;actus tamen à toto genere eſt perfectior habitu; nam eſt finis propter quem habitus inſtituitur. Rurſus,habitus eſt in potentia actus,& ideò ab Ariſt. nominatur actus primus:actus verò,eſt actus ſecũdus, & vltima rei perfectio: cæterum habitus eſt perfectior actu, hac ratione; quoniam cauſa illius exiſtit,quemadmodum ſubſtãtia eſt perfectior accidenti,ſecundum vnam conſiderationem;cæterum quoniam accidẽs actuat, & perficit ſubſtantiam, quodammodo eſt perfectius ipſa ſubſtantia. ¶ Ad vltimum argumẽtũ negatur cõſequẽtia:nã operatio habitus intrinſecè dependet à potẽtia,ſicut operatio accidẽtis à ſubſtãtia;operatio fundæ à manu proijcẽtis dependet. Inſuper habitus habent aliquid peculiare; ſubduntur namque libero arbitrio: verum enim eſt illud prouerbium; Habitibus vtimur cùm volumus. ¶ Ex his facilè intelligitur quid ſit dicendum ad argumenta quæ Durand.ſecundo loco poſuit. Nam ad primũ argumentum dicendum eſt, quòd potentia poteſt ſeipſam determinare ad bonas vel malas operationes, ſed poſtquam habet habitũ, ſic afficitur,& præparatur, vt meliùs ſuas operationes exercere valeat. ¶ Ad ſecundum argumentum reſpondetur, quòd bonitas moralis, nõ eſt relatio,ſed eſt magna perfectio:magna enim perfectio eſt,quòd operatio humana ſit ad regulam, & normã deducta. Ex hoc verò quòd bonitas moralis dicat ordinem ad regulam,non eſt cõſequens quòd ſit relatio; nam relatio non dicit ordinem ad alterum extremum,tanquam ad regulam,& menſuram,ſed tanquam ad alterum correlatiuũ, imo eſt prouerbium Metaphyſicorum,quòd vnum relatiuum,non eſt cauſa alterius correlatiui. Secundò,dato quòd eſſet relatio,non eſt cõſequens quòd nõ habeat cauſam moralem;nam ordo vniuerſi, relatio eſt,& habet potiſsimam cauſam, nempè Deũ, vt veriſsimè teſtatur Ariſt. ¶ Ad tertium argumẽtum reſpondetur, quòd habitus apud Ariſto. non eſt relatio, ſed vera qualitas,vt ipſe Ariſt.loco citato teſtatur. Senſus ergo illius ſententiæ Ariſt.eſt,quòd habitus habet ſe veluti relatio : quemadmodum enim relatio ab agente naturali,primò, & per ſe non producitur, ſed conſequitur; ita habitus ab agente naturali non producitur,primò, & per ſe, ſed cõſequenter. Hanc rem explicat optimè D. Tho.infrà.q.52.artic.1. ad tertium, dicit enim,quòd alteratio,primò, & per ſe inuenitur in qualitatibus tertiæ ſpeciei, conſequenter verò in qualitatibus primæ ſpeciei: quando enim contingit alterari ſecundum calidum & frigidum,ſequitur animal alterari ſecundum ſanum, & ægrum : ſimiliter quando contingit animal alterari ſecũdum paſsiones appetitus ſenſitiui, vel ſecundum vires ſenſitiuas apprehenſiuas,ſequitur alteratio ſecundũ virtutes, & ſecundum ſcientias. Ad alia argumenta quæ fecimus in principio dubitationis,ex dictis patet quid ſit dicendum.

Ad quartũ.

Ad argumenta Durandi ſecũdo loco facta.

Ad primũ.

Ad ſecũdũ.

Ariſt. libro de mundo ad Alexandrum.

Ad tertium

D. Tho.

ARTIC. QVARTVS.

¶ *Vtrùm ſit neceſſarium eſſe habitum?*

SVMMA TEXTVS.

Concluſio eſt affirmãs: eam in argumento,ſed cõtra,probat D. Th. ex Ariſto. 7. phy. tex. 17 eo quòd habitus ſunt perfectiones quædam : perfectio autem maximè neceſſaria eſt. In corpore verò arti. probatur: quoniam multæ ſunt res, ad quarum naturas, & operationes neceſſe eſt plura concurrere, quæ diuerſis modis commenſurari poſſunt: neceſſe eſt ergo habitus eſſe. Conſequentia probatur ; nam habitus importat diſpoſitionem quandam in ordine ad naturam rei, & operationem, vel finem eius. Vt autem aliquid diſponatur ad alterum, tria requiruntur: primò, vt id quod diſponitur,ſit aliud ab eo ad quod diſponitur, ita vt habeat ſe ad ipſum, ſicut potẽtia ad actũ; vnde quod non eſt capax actus, & potentiæ, vt Deus ; non habet habitum. Secundò,vt id quod eſt in potentia ad alterum, pluribus modis poſsit determinari, & ad diuerſa: vnde quod ad vnum eſt determinatum,non eget habitu; quia ex ſua natura habet debi-

Concluſio.

Ariſto. 7. phy. tex. 17

tam

tam habitudinẽ ad ſuum actum. Tertiò, vt plura concurrant ad diſponendum ſubiectum ad vnum eorum, ad quæ eſt in potẽtia, quæ diuerſis modis commẽſurari poſſunt, vt ſic diſponatur benè vel malè ad formam, vel ad operationem: vnde qualitates ſimplices elementorum, quæ ſecundũ vnũ modum determinatũ naturis elementorum conueniunt, non dicimus habitus, aut diſpoſitiones, ſed ſimplices qualitates: dicimus autem habitus, aut diſpoſitiones, ſanitatem, aut pulchritudinem, & alia huiuſmodi, quæ importãt quãdam commenſurationem pluriũ, quæ diuerſis modis commenſurari poſſunt.

EXPLICATIO ARTICVLI.

PRO huius rei intelligentia ſciendum eſt, quòd ſi loquamur de habitu in generali ſignificatione, pro qualitate, quæ eſt in potẽtia neceſſaria ad operandum, euidens eſt quòd ſint habitus: nam in potentia viſiua ſunt ſpecies intẽtionales, ſine quibus viſus conſtare non poteſt. Rurſus, in intellectu, & memoria ſunt ſpecies rerum, & ſimilitudines, ſine quibus huiuſmodi potentiæ nihil operari poſſunt. De innumeris ſimilitudinibus quas memoria apud ſe reconditas habẽt, veluti de miraculo quodam diuino loquitur D. Augu. Quoniam verò iſtas ſpecies aliqui Theologi appellant habitus in hac ſignificatione, euidẽs eſt quòd ſint habitus. Sed etiam in ſtricta ſignificatione, & magis propria, vt accipiatur habitus pro qualitate, qua benè vel malè afficimur, euidẽs eſt quòd ſint habitus: nam experientia euidẽs eſt, artifices, fabros, & pictores, poſt longam conſuetudinem ſuas operationes ordinatiſsimè exercere, quas prius malè, & inordinatè faciebant: ergo euidens eſt quòd in intellectu habent artem, per quam ſuas operationes ex ordine perficiunt. Et quod dicimus de arte, idem cenſendum omnino de habitibus moralibus, quos per longam conſuetudinem nobis conquirimus, vt ſcribit Ariſtote. In cuius rei demonſtratione oportet meminiſſe illud verbum Ariſtot. Rudis, & indiſciplinati ingenij eſſe, eandem euidentiam in omnibus requirere. Sed ſi aliquis rerum experientia contentus non eſt, & requirat demonſtrationes, his argumentis conuincetur. ¶ In primis vniuerſa potentia, quæ eſt indifferens ad bonum vel ad malum, indiget aliquo determinante ad bonum: ſed ſunt multæ potentiæ in homine indifferentes ad bonum, & ad malum; vt eſt intellectus, qui eſt indifferens ad verum, vel ad falſum; quorum vnum, ſcilicet verum, eſt bonum intellectus; alterum verò, ſcilicet falſum, eſt malum intellectus. Voluntas etiam, nec non appetitus ſenſitiuus indifferenter ſe habent ad boni vel mali appetitionem: ergo tales potentiæ indigent aliquo determinante: hoc autẽ facit habitus bonus: ergo neceſſum eſt conſtituere habitus bonos. ¶ Deinde, omnis potentia, quę in ſuo actu patitur difficultatem, indiget aliquo facilitante ipſam ad ſuum actum: ſed plures ſunt potẽtiæ in homine quę ſuis in actibus patiuntur difficultatem. Detinente ſcribit Ariſto. quòd cum magna difficultate opus virtutis proſequitur imminente paſsione: ergo tales potentiæ indigent aliquo facilitante ipſas ad ſuos actus: hanc autem facilitatem, & promptitudinem præſtat habitus: ergo oportet conſtituere habitus. ¶ Sed dicet Theologus; ſi ita ſe res habet, quòd habitus præſtat facilitatem in operando, conſequens eſt quòd habitus bonus diminuat meritum; nam ex ſententia omnium Theologorũ, difficultas operis auget meritum; facilitas verò diminuit. Huic obiectioni dicendum eſt, quòd difficultas ex magnitudine operis auget meritũ, & hanc difficultatem nõ tollit habitus bonus, quin potiùs facit vt opera maxima, & difficillima aggrediamur: ſed difficultas ex defectu operãtis diminuit meritũ; vnicuiq; autẽ difficile eſt, & laborioſum quod nõ prõpta facit voluntate; & hãc difficultatẽ tollit habitus, & auget meritum: nam auget volũtariũ, & facit quòd volũtas prõptè, delectabiliterq; operetur. ¶ Ex hoc ſequitur, multùm errare eos, qui exiſtimãt, homines ſobrios, & tẽperatos, qui in ieiunijs nullam difficultatẽ ſentiũt, minùs mereri, quàm qui improbam habent conſuetudinem, & ſentiunt magnam difficultatem: errant toto cœlo: nam facilitas operantis auget meritum, vt anteà dictum eſt. Ex eodem principio inferunt Theologi rectiſsimè, quòd charitas præcipuè auget valorẽ meriti; nam præſtat volũtati promptitudinẽ, & facilitatẽ in operãdo. Ex his quę dixi, ſatis exiſtimo eſſe probatũ quòd habitus ſint conſtituendi.

¶ Sed

Aug. li. 10. cõfeſſ. c. 8. 9. & 10.

Quòd ſint habitus.

Ariſto. 2. Ethi. ca. 1.

Ariſtot. 1. Eth. ca. 2.

Ari. 7. Eth.

Obiectio.

Solutio.

Vtrùm qui minorẽ patitur difficultatẽ in opere virtutis, minus mereatur.

Dubitatio. ¶Sed nascitur quædã parua quæstio: nã quæstio, an est, antecedit alias vniuersas quæstiones in ordine doctrinæ. Sed D. Th. tria quæsiuit de habitibus, & tandé demonstrat habitus esse: ergo non seruat ordinem doctrinæ. Respondetur optimè seruasse ordinem; nam hîc non quærit D. Tho. an habitus sint; hoc enim est per se notum experientia, & de hoc moue re quæstionem est hominis nescientis distinguere inter per se notum, & id quod est notũ propter aliud; sed inuestigat, & demonstrat D. Tho. in præsentiarum causas, propter quas habitus sunt constituendi: & quæstio, quare res sit, subsequitur ad quæstionem, quid est; nam quidditas, & definitio rei, est medium ad demonstrandum causam quare res sit, vt autor est Aristot.

Optimè D. Th. seruat ordiné doctrinæ.

Arist. 2. posterior. in prine.

QVAESTIO L.

De subiecto habituum; articulos habet sex.

ARTIC. PRIMVS.

¶ *Vtrùm in corpore sit aliquis habitus.*

SVMMA TEXTVS.

Prima con. PRima Conclusio. Nullus habitus, qui ordinatur ad operandum, est principaliter in corpore; sicut in subiecto. Probatur. Nã omnis operatio corporis est aut à naturali qualitate corporis, aut ab anima mouente corpus: quãtum ad operationes autem, quæ sunt à natura, nõ disponitur corpus per aliquem habitũ; quia virtutes naturales sunt determinatæ ad vnum, operationes verò quæ sunt ab anima per corpus, præcipuè quidem sunt animæ, secundariò verò corporis: vnde & habitus, qui ex talibus operationibus generãtur, præcipuè sunt in anima, secũdariò verò in corpore, quatenus scilicet corpus disponitur, & redditur habile ad promptè deseruiendũ operationibus animæ. ¶Secũda Conclusio. Habitus, qui non ordinantur ad operationem, sed ad naturã ipsam, possunt esse in corpore, vt sanitas, & pulchritudo. Vnde Aristot. sanitatem corporis, vel infirmitatem insanabilem habitũ nominari dicit. Verum est tamen huiusmodi qualitates non habere propriè rationẽ habitus, quia causæ eorũ de sua natura facilè transmutabiles sunt.

Secunda. Aristo. in prædicam.

EXPLICATIO ARTICVLI.

DE prima conclusione est magna cõtertatio inter Theologos. Ocham in. 3. q. 10. & 11. & quodl. 2. q. 16. & quodl. 3. q. 17. Gabriel in. 3. d. 23. q. 1. dub. 1. Scot. in. 3. d. 33. q. 1. ad. 3. argumentum. Vniuersi isti autores sentiunt, quòd in mẽbris exterioribus habitus operatiuus sit constituẽdus, & probãt sic. ¶Nã mẽbra exteriora faciliùs, & prõptiùs operãtur post consuetudinẽ, vt patet in artificibus, citharœdis, pictoribus. quod esse verum, vel sola experientia conuincit. ¶Deinde, in membris exterioribus post consuetudinem longam, vel est aliquid additum, vel ablatum: siquidem aliter se habent quàm antea: sed non est ablatum: ergo additũ. ¶Tertiò, quantumcunque aliquis sit doctissimus in lingua Latina, si non consueuit loqui latinè, nunquam rectè loquitur. Idem argumẽtum fieri potest de citharœdo peritissimo, qui si non habeat consuetudinem pulsandi fides, nihil in arte proficiet: ergo præter habitum, qui in anima existit, constituendus est habitus in membris exterioribus. ¶Item hac de causa constituendi sunt habitus, vt dixi in superiori quæstione, vt potentia, quæ in suo actu patitur difficultatem, facilè & promptè operetur: sed manus citharœdi post longam consuetudinem promptiùs & faciliùs operatur, quæ antea cum magna difficultate operabatur: ergo in manu habitus constituendus est. ¶Vltimò, virtutes, quæ sunt in appetitu sensitiuo, & in potentijs sensitiuis apprehensiuis, & iudicatiuis, sunt in corpore, etiam secundum viam D. Thom. ergo habitus in corpore sunt constituendi. Antecedens probatur: nam appetitus sensitiuus in corpore, est in organo corporeo, secundum veram Philosophiam.

Ocham. Gabriel. Scotus.

Argumẽta contra primam cõclusionem. Arguitur primo. Secundo. Tertio. Quarto. Vltimo.

¶In

Caiet. ¶In huius rei explicatione D.Caie. multa dicit:in primis dicit,quòd si loquamur de habitu in generali significãtia, inuenitur etiã in rebus inanimis,vt pulchritudo:nam omnes tres cõditiones pósitæ in art. 4. precedẽtis quæst. inueniũtur in illis.Secũdò dicit, quòd si loquamur magis propriè de habitu, ad cognoscẽdũ in quo subiecto sit collocandus, oportet animaduertere, quòd habitus acquiritur per consuetudinẽ,& habituari, est assuescere. Ex quo colligit Caiet.quòd vbi nõ est cõsuetudo, nõ est habitus;& vbi est consuetudo,habitus est. Ex quo statim sequitur, quòd vbi est natura sinevolũtario,nõ est habitus:nam licèt lapidẽ infinities proijcias sursum, vt asserit Arist. nõ generatur habitus. Ex eodẽ principio colligit perfectè Caiet.quòd vbi est perfectè voluntariũ,propriè,& perfectè habitus inuenitur,scilicet in creatura rationali: In alijs verò quæ participant voluntarium, secundariò inuenitur habitus,vt in membris exterioribus,in quibus constituendi sunt habitus; tum, quoniã obediunt rationi;tum verò, quoniã cõsuetudine, & exercitatione prõptiùs operantur. Vltimò concludit,quòd in brutis inueniũtur habitus; tum,quoniã obediunt homini;tum verò,quoniam assuescunt: imo generaliter dicit Caiet. quòd quidquid relinquitur ex operis cõsuetudine, habet rationem habitus, vt cum quis ex frequentibus minutionibus,iam inclinatur ad minutionem in tali tempore faciendã. Ista sunt multa,& affirmantur sine ratione contra D. Tho. Sentio itaque in membris exterioribus habitum operatiuum non esse constituendum:quod sic demonstro. ¶Nam habitus est dispositio operantis;principium verò istarum operationum artificialium non est corpus,sed anima:intellectus namque mouet ad scribendum,pingẽdum, & mouet voluntas membra exteriora ad operandum:ergo in potẽtijs collocandus est habitus, non in mẽbro exteriori. ¶Secundò; Habitus ponitur ad determinandam potentiam,vt suprà dictum est:ergo cum potentia est determinata ad vnũ,non indiget habitu. Hac ratione vtitur Arist.ad demõstrãdum, quòd naturalia, quæ sunt determinata ad vnum, non assuescunt,neque possunt habituari, sicut suprà ostensum est in exemplo lapidis: sed membra exteriora naturaliter sunt determinata ad vnum, & obediunt rationi ad nutum,sine resistentia aliqua: ergo non indigent habitu. ¶Tertiò, in oculis non ponitur habitus ad videndum,nec in potentijs sensitiuis ad sentiendum:ergo neque in digitis. Probatur consequentia.Nam in oculis non ponitur habitus, hac de causa, quoniam præsente obiecto,naturaliter inclinantur ad videndũ: sed mẽbra exteriora naturaliter inclinãtur vt obediãt rationi ex necessitate:ergo.Præterea, si citharœdus perderet digitũ,& alius restitueretur ei,tam promptè operaretur atque prius: ergo euidens est quòd in digitis non est habitus. ¶Vltimò,in digitis non est nisi motus localis: sed per motum localem non acquiritur per se aliqua qualitas, non certè magis quàm in calamo, aut in penicillo quem artifex mouet. ¶Ad argumenta Ochanist. dicendũ est, quòd facilitas,& prõptitudo non est in manu scriptoris,aut citharœdi,sed in intellectu, vbi ars collocatur: habens enim intellectũ præditum arte, mouet artificiosè membra exteriora,sicuti mouet penicillum,aut calamum. Verum est tamen,quòd vt mẽbra exteriora obediant,necesse est quòd sint apta, & non impedita.De Demosthene legitur ita fuisse balbus, vt primam literam artis,cui studebat, pronuntiare non posset;posteà verò in vsu, & exercitatione linguæ,ablatum est ei impedimẽtum, & fuit eloquentissimus.Itaque negari nõ debet,quin vsu, & exercitatione membra efficiãtur habilia, & magis apta. ¶Sed hoc vertitur in dubiũ;Vtrùm ex ista exercitatione in membris,acquiratur aliquid, quod inclinet ad simi les actus, & habeat rationem habitus? Certè non acquiritur:nam ex motu locali, vt anteà dictum est,per se nihil producitur;digiti verò tantum mouentur localiter.Rursus, ex motu digitorum sursum nihil producitur, sed eodẽ modo mouentur digiti motu circulari,vel recto ab artifice: ergo ex tali motu nihil per se producitur;per accidens verò aliquid produci potest, vt manus frigida, exercitio acquirit calorem,& potest acquirere siccitatem,& firmitatem & similia: sed hæc qualitas nõ habet rationem habitus,non magis quàm actio gladij,aut præparatio calami.Ratio est;quoniam membra exteriora obediunt ad nutum voluntati, & intellectui, sine aliqua resistentia, & sunt determinata ad vnum. ¶Ex his confutãtur omnia argumenta superiùs adducta,excipio vltimum, in cuius confutationem dicendum est, quòd virtutes, quæ sunt in appetitu sensitiuo,dicuntur esse in anima, quoniã sunt in corpore,ratione animæ.Pulchritudo verò, & sanitas sunt in toto composito, ratione corporis. Vel dicendum est, quòd licèt appetitus sensitiuus sit corporeus,quoniã non est determinatus ad vnũ,sed potest obedire,& nõ obedire, obedit tamen rationi principatu regali, quemadmodũ subditus obedit Prælato; ideò in eo possunt veræ virtutes constitui: de qua re diligentiùs infrà articulo tertio.

Aristo.2. Eth.c.1.

In mẽbris exterioribus non est habit' operatiuus. Probatur primò.

Secundò.

Aristot.

Tertiò.

Solutio argumẽtorũ.

Demosthenes.

In quo disputatio sita sit.

Ad vltimũ argumẽtũ.

ARTI-

ARTIC. SECVNDVS.

¶ Vtrùm anima ſit ſubiectum habituũ ſecundum eſſentiam, aut ſecundum ſuam potentiam?

SVMMA TEXTVS.

Concluſio. RESpondet D. Tho. hac Concluſione. Ex habitibus, quidam ſunt in corpore per ordinẽ ad animam: alij in eſſentia animæ; alij verò in potentijs. Eam verò ita probat. Habitus importat diſpoſitionem quandam in ordine ad naturam, vel operationem: ex ea autem parte qua dicit ordinem ad naturam humanam, eſt aliquis habitus in corpore, vt articulo præcedenti expoſitum eſt. Si verò dicit ordinem ad naturã, ſecundum quòd homo poteſt eſſe particeps alicuius naturæ ſuperioris, iuxta illud. Vt ſimus conſortes diuinæ naturæ, eſt habitus in eſſentia animæ, vt gratia. Ex ea autem parte qua dicit ordinem ad operationes, habitus eſt in potentijs, quia anima principiũ eſt operationum per ſuas potentias.

2.Petri.1.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Habitusnõ ſemper ordinatur ad actum. IN hoc articulo notandũ eſt, quòd nõ ſemper ex communi voce ſcholæ debemus habere in imaginatione, quòd habitus ſemper ordinatur ad actum: nam ſecundum iſtam rationem, gratia, habitus non eſſet: propter quod malè quidam Theologi, vt Almayn & Gabri. definiũt habitum, quòd ſit qualitas noſtris actibus acquiſita, in ſimiles actus inclinans. Secundò aduertendum eſt, quòd gratia, & charitas, ſunt habitus diſtincti; nam gratia nõ datur ad operandum, ſed vt efficiamur diuinæ naturæ participes, ſecundum illud Petri. Vt conſortes diuinæ naturæ efficiamur. Rurſus, gratia eſt in eſſentia animæ, cui datur eſſe illud diuinum, & conſortium diuinę naturæ. Tertiò, eſt effectus diuinę dilectionis: ex eo enim quòd Deus nos diligit, ſumus illi grati, & accepti, ſecundũ illud. Non quia prius dileximus, ſed quia prius ipſe nos dilexit: charitas verò eſt, qua nos diligimus Deum; ordinatur itaque ad dilectionẽ, & dilectio eſt in voluntate; igitur charitas in voluntate conſiſtit. Sed de hoc diligentiùs in frà. q. 110.

Almayn. Gabriel.

Gratia & charitas ſunt habitus diſtincti.

1.Ioan.4.

¶ Sed dicet Theologus; ſi gratia dat eſſe ſupernaturale, conſequens eſt quòd ſine gratia non poterit eſſe operatio ſupernaturalis: quod aduerſatur ſanæ doctrinæ. Nam in homine peccatore eſt actus fidei, & ſpei ſupernaturalis. quòd rectè ſequatur, patet. Nã ſine eſſe naturali, nõ poteſt eſſe operatio naturalis: ergo ſine eſſe ſupernaturali, quod præſtat gratia, non poteſt eſſe operatio ſupernaturalis. Reſpondetur, gratia nõ dat eſſe ſupernaturale vtcumq;, ſed dat eſſe deificum, & conſortium diuinæ naturæ, quo anima efficitur Deo grata: ex quo conſequens eſt, quòd ſine iſto eſſe, nulla operatio poteſt eſſe grata Deo; non tamen conſequens eſt, quòd nulla operatio ſit ſupernaturalis.

Obiectio.

Solutio.

ARTIC. TERTIVS.

¶ Vtrùm in potentijs ſenſitiuæ partis poßit eſſe aliquis habitus?

SVMMA TEXTVS.

Prima con. PRima Concluſio. Si potentia ſenſitiua conſideretur, quatenus ex inſtinctu naturæ fertur in ſuum obiectum, nõ ſunt habitus in ſenſitiuis potentijs. Probatur: quia ſi operatur ex inſtinctu naturæ, erit determinata ad vnum, ſicut ipſa natura: quare ſicut in potentijs naturalibus nõ ſunt aliqui habitus, ita nec in potentijs ſenſitiuis. ¶ Secũda Concluſio. Ea ratione, qua potentiæ ſenſitiuæ ſubduntur imperio rationis, poſſunt habere aliquẽ habitum; nam ea ratione ad diuerſa poſſunt determinari: ergo indigẽt habitibus, quibus diſponãtur. Id ipſum cõfirmatur ex Ariſ. cùm inquit, aliquas virtutes, ſcilicet, tempe-

Secunda.

Ariſ.3.Eth. ca.10.

temperantiam & fortitudinem, esse irrationabilium partium.

EXPLICATIO ARTICVLI.

An ex primis actibus indeliberatis generetur habitus

IN hoc art. vt explicetur prim. cõcl. est breue dubiũ, an ex actibus primis indeliberatis, generetur habit⁹? v.g. videt quis inimicum, & statim abiq; deliberatione incẽditur ira: Quæstio est, an eiusmodi actibus habitus producatur. Respõ

Resp. dubij Prim. cõcl.

detur primò, negatiuè; tũ, quoniã eiusmodi act⁹ sunt naturales, & ex instinctu naturę proueniũt: tũ verò, qm̃ ex D. Tho hîc, vbi nõ est obediẽtia ad rationẽ, habitus nõ est; isti actus nõ obediũt rationi: ergo &c. tũ vltimò, qm̃ superuacaneũ est habitũ ad eiusmodi actus cõstituere; nã siue sit habitus, siue nõ sit, cõtinuò atq; tale obiectum præsens, est naturaliter talis motus excitatur. Se

Secũ. cõcl.

cũdò dico, habitus iã genitus habet suos motus primò primos, & naturales: nã experiẽtia euidẽs est, q̃ qui habet consuetudinẽ iurandi, si cõuertitur, & mutat mentẽ, sentit quosdã motus subitos ad iurãdũ, quos nõ sentiret, si nõ haberet cõsuetudinẽ iurãdi. Itẽ, charitas in vita beata (vt sentiũt Theologi) habet actũ amoris necessariũ & naturalẽ: ergo nõ repugnat habitui morali q̃ habeat actũ naturalẽ: itaq; sicut distinguũt Theologi de volũtate, quę potest cõsiderari vt natura; & sic habet actũ naturalẽ & necessariũ. Rursus potest cõsiderari vt volũtas, & sic habet actũ liberũ; & ad eundẽ modũ habitus potest cõsiderari vt natura, & sic habet actũ naturalẽ: potest iterũ cõsiderari vt habitus, & sic habet actũ liberũ, nõ

An ex actibus secũdo primis generet⁹ habitus.

determinatũ ad vnũ. Sed nũq̃d ex actib⁹ secũdò primis generet⁹ aliquis habit⁹? Act⁹ verò secũdo primos nominãt Theologi actus indeliberatos, sed tẽpore quo tenemur deliberare, & possum⁹, in quib⁹ proinde potest esse culpa venialis. Hoc sic statuto, videtur certè q̃ generẽt habitus imp

Actus secũdo primi.

fectos per modũ dispositiõis: nã in his actib⁹ inuenit vera ratio vitij, & virtutis. Ex alia parte videtq̃ isti act⁹ sunt imperfecti, & quodãmodo ex natura procedẽtes: itaq; hæc dubitatio, quæ nõ magni momẽti est, in vtrãq; partẽ poterit disputari. ¶ Est secundũ dubiũ ad explicãdã secundã

Vtrũ in appetitu sensitiuo sint veri habitus. Ocham. Gab. Scot. Argu. prim.

conclusionẽ; Vtrũ in appetitu sensitiuo veri habitus sint cõstituẽdi? Aliqui hoc negãt, vehemẽter vt Ocham quodlibet. 2. q. 17. Gabr. in 3. d. 23. q. 1. dub. 1. Scot. in 3. d. 33. q. vnica disputat, & negat in appetitu sensitiuo virtutes; cõcedit verò habitus, & virtutes, impropriè: & probãt sic. ¶ Nã appetitus sensitiuus in suis operationibus semper mouetur iuxta dispositionem corporis, per qualitates naturales; si corpus multo calore afficitur, excitatur ad venerẽ; si friget, nõ perinde excitatur. Ex quo fit, vt per beneficiũ medicinę, & q̃ exercitiũ corporale, auctis, vel diminutis qualitatibus naturalibus, appetitus sensitiuus diuersimodè afficiatur. ¶ Secũdò, experiẽtia docet q̃

Secundum.

post longã cõsuetudinẽ in operibus tẽperantię, post multã vini potationẽ, aut comestionẽ, perinde excitatur appetitus sensitiuus, atq; si nullũ exercitiũ præcessisset: ergo signũ est quòd depẽdet à qualitatibus naturalibus. ¶ Tertiò, si habi-

Tertium.

tus cõstituuntur in appetitu sensitiuo, cũ appetitus sensitiuus sit corporeus, & extẽsus, vt cõstat ex philosophia; cõsequens est quòd isti habitus sunt extẽsi: quod asserere, ab omni philosophia alienũ est. Rursus sequitur, quòd isti habitus, fortitudo, temperantia, &c. nõ maneãt in anima separata; siquidẽ in anima separata nõ manet appetitus sensitiuus. Itẽ sequitur, q̃ in anima Christi Dñi in triduo istæ virtutes nõ permãserunt: quod videtur aduersari sanæ doctrinæ. Respon

In appetitu sensitiuo sunt veri habitus & virtutes.

detur, esse omnino certũ in appetitu sensitiuo esse veros habitus, & veras virtutes, quibus rectè disponitur vt obediat rationi. ¶ Pro explicatione huius sententiæ sciendũ est, quòd appetitus est quędã media potẽtia, inter potẽtias animę vegetatiuæ, & mẽbra exteriora. Nã potẽtiæ animæ vegetatiuæ sunt naturales, & determinatæ ad vnũ, & nõ sequũt̃ ductũ rationis vt nutritiua, & augmẽtatiua; & ideo in huiusmodi potẽtijs habitus nõ cõstituitur: mẽbra verò exteriora mouẽtur, & regũtur ratione, sed est obediẽtia seruilis, & necessaria, sic quòd resistere nõ valeãt; sicuti calamus, aut penicillus. Hoc asserit Arist. propter quod in membris exterioribus habitus nõ

Arist. 1. pol. c. 3.

cõstituuntur, quæ sunt determinata ad vnũ: appetitus verò sensitiuus obedit rationi, obedientia quadam regali, & politica, sic quòd resistere valet, vt asserit Arist. loco adducto. Ex quo primò tale colligitur argumentum. ¶ Potẽtia, quæ

Arist.

est indifferens ad bene vel male operandum, indiget habitu qui ipsam determinet ad studiosas operationes: sed appetitus sensitiuus est indifferens ad obediendum rationi: ergo indiget habitu per quem determinetur vt rectè imperio rationis obtemperet. Secundò, experientia docet, quòd milites in bello, qui in principio timent res arduas, & difficiles, post longam consuetudinem aggrediũtur illas, fortiter, & cum audacia, & facilitate: ergo signum est, quòd in appetitu fuit producta fortitudo, quæ formidinem expellit. Tertiò, idem probatur ex Arist. fortitudinẽ,

Arist. 1. eth. ca. vlti & 3. eth. c. 12.

& temperantiam esse constituendas in parte animæ irrationali, quæ rationi obtẽperat: & intelligit appetitũ sensitiũ. Idem expressiùs habet D. Th. de virtutib⁹. q. 1. ar. 4. statim in princip. Hęc

D. Thom.

est sentẽtia omniũ antiquorũ philosophorũ; cui consonat diuina Theologia. Nam secundum diuinam Theologiã, in appetitu sensitiuo sunt

grauissima peccata: ergo appetitus sensitiuus est
Arg. solut. capax vitij, & virtutis. ¶ Ad argumenta in oppo
Ad primum & secundũ. situm. Ad primum & secundum dicendum est, quòd qualitates corporeæ, & naturales, primò, & per se non ordinantur, nec afficiunt hominẽ ad bonas, vel malas operationes, licèt aliquando per accidens id accidat: nam transmutato corpore, & diuersimodè affecto, obiectum apparet existimationi bonum, vel malum; sicut tempore hyemis appetimus calorem, quem fugimus tẽpore æstatis; habitus verò prædicti, primò, & per se ordinant, & disponunt hominem ad studiosas operationes; cuius euidens argumentum est, quòd inuariatis qualitatibus corporalibus, per consuetudinem, & exercitationem, frenatur appetitus sensitiuus, & sequitur ductum rationis: qui verò nõ habent talẽ consuetudinẽ, non
Ad tertium facilè, & prõptè rationi obediũt. ¶ Ad tertiũ argumentum respondetur, ea incõmoda, quæ cõ memorantur in argumẽto, nõ esse absurda, sed ex necessitate cõcedenda. Concedendũ itaque est, habitus, qui residẽt in appetitu sensitiuo, nõ permanere in anima separata formaliter, sed permanẽt in virtute; nã cõtinuò atq; coniungitur corpori, recuperat prædictas virtutes, quẽad modum statim atq; coniungitur corpori habet
An in potẽtijs sensitiuis apprehẽsiuis constituãtur habitus. virtutẽ sentiẽdi, quã separata nõ habebat. ¶ Est aliud dubium; Vtrùm in potentijs sensitiuis apprehensiuis sint habitus constituendi? In huius rei expositionẽ dico primũ, non esse eandem rationem constituendi habitus in potentijs apprehensiuis sensitiuis, & in appetitu sensitiuo: nam
Prima con. appetitus sensitiuus sequitur imperium rationis, & ideo assuefieri potest vt obtemperet rationi; potentiæ verò apprehensiuæ non mouentur ab intellectu, potiùs ipsæ mouent intellectum; nam apprehendunt obiecta, & phantasmata, quibus intellectus mouetur per species intelligibiles. ¶ Secundò dico, non esse inconueniens cõ
Secũd. cõcl. cedere, quòd in potẽtijs sensitiuis apprehẽsiuis interioribus aliqui habitus constituantur; nam, vt docet experientia, ex consuetudine memorã di, rectè, & facilè homo memoratur. Hoc etiam
D. Thom. Arist. docet D. Tho. solutione ad 3. ex sententia Aristot. & ratio suffragatur. Nã licèt sensus in principio moueat intellectum, postmodum verò intellectus informatus specie intelligibili mouet sensus, dirigendo, illuminando, ordinãdo, & sic
Tert. cõcl. possunt assuefieri vt obediant rationi. ¶ Tertiò dico, in sensibus exterioribus habitus non est constituendus; nam sunt determinati ad vnum modum operandi, & obediunt obedientia quadã necessaria, & seruili, vt oculus ad videndũ.

ARTIC. QVARTVS.

Vtrũ in ipso intellectu sit aliquis habit⁹.

SVMMA TEXTVS.

DIuus Tho. explosa illorũ sentẽtia, qui ponẽtes in tellectũ posibilem esse vnum in omnibus, dicebãt habitus cognoscitiuos nõ esse in intellectu, sed in viribus sensitiuis interioribus; respõdet cõclusio Conclusio. ne affirmatiua, quã ita probat. Nã quidã habitus sunt ponẽdi in parte rationali per essentiã, illi scilicet, qui sunt virtutes intellectuales, qui sũt, sciẽtia, sapiẽtia, & intellect⁹, vt docet Ari. 6. eth. Sed virtutes sẽsitiuæ nõ sunt rationales per essentiã, sed tantũ per participationẽ, vt docet Arist. ergo tales habitus in intellectu sunt ponẽdi. Deinde id ipsũ probatur: sicut enim eius est potẽtia, cuius est operatio; ita etiã eius est habitus, cuius est operatio: intelligere autẽ, & cõsiderare, est propria operatio intellectus: ergo habitus, quo intelligimus, & cõsideramus, etiã erit in ipso intellectu. Arist. Arist. 1. eth. c. vlt.

EXPLICATIO ARTICVLI.

PRo explicatione huius arti. sciendũ est ex D. Caie. quòd aliqui discipuli D. Tho. ex hoc art. colligũt, Scientiã nihil aliud esse, quã species bene ordinatas ad cognoscendũ: quod videtur asserere Arist. sed qui sic existimãt, fallũtur maximè, & sic ostendo. Nã species sunt necessariæ ex parte obiecti, & deseruiũt ad cognitionẽ & apprehensionẽ obiecti. sed sciẽtia habet in officio iudicare de rebus ipsis: ergo sciẽtia nõ est collectio specierũ, sed iudiciũ de ipsis rebus; sed species præstãt primũ, sciẽtia verò secundũ: ergo collectio specierũ nõ est sciẽtia. Tertiò, habitus infusi, fides, aut sapiẽtia, nõ infundũtur nobis ad apprehendendã istã enuntiationem; Christus est homo: hãc enim ita apprehẽdit infidelis, sicut Christianus; sed ad assensum, & iudiciũ de ipsa veritate: ergo habitus sciẽtiæ est facultas, qua rectè iudicamus. Vltimò, homo rusticus eodẽ modo apprehẽdit atq; homo doctus; sed rustic⁹ nõ habet Caiet. Aristo. 3. de anima c. 5. Scientia nõ est ordinatio specierũ

bet scientiam, quia nõ iudicat: ergo scientia est facultas ad rectè iudicandũ, nõ ad rectè apprehendendũ. Certè isti discipuli D. Th. nõ habẽt aliquod fundamentũ suæ opinionis in D. Tho.

D. Thom. Nã D. Th. apertè dicit in art. quòd intellectus in formatus specie intelligibili, habet se sicut sciẽs in habitu: ergo autore D. Th. species nõ est sciẽtia. Secũdò notandũ est, quòd in intellectu agẽte nullus habitus est cõstituendus; ita asserit D. Tho. ar. sequẽti ad secundũ: & ratio est euidens.

In agẽte intellectu nullus est habitus.

D. Thom. Nã eius est habitus, cuius est operatio: sed intellectus agens nõ intelligit, nõ habet actũ elicitũ, sed tantũ phantasmata illuminat. Tertiò notandũ est, quòd quidam philosophi parũ intelligẽtes, existimant quòd scientiæ non sunt habitus,

Arist. 2. eth. c. 5. sed facultates, siue potentiæ: nam (autore Aristot.) potentia, & habitus in hoc decernuntur, quòd potentia est, qua possumus; habitus verò, quo bene, vel male possumus; itaq; habitus bonus est, quo rectè possumus; sed sciẽtia, v. g. Rhetorica, Dialectica, non est qua rectè possumus, nã Rhetor persuadet bona & mala, vtilia & inutilia; Dialectica docet, & decipit: ergo sciẽtia potentia est, non habitus. Et cõfirmatur. Nã (autore D. Th. infrà q. 56. ar. 3.) hoc differt inter virtutẽ moralem, & intellectualẽ; quòd virtus intellectualis dat facultatem, sed nõ rectum vsum: qui sic existimant, falluntur omnino: nam habitus intellectuales perficiunt intellectum, & dant perfectam intellectionem: vt officium Rhetoricę est perficere intellectũ vt dicendo possit persuadere; Dialecticę, vt possit aptè argumentari: cæterũ bona sint, an mala quæ persuadet orator, hoc ad artem nihil pertinet, sed advitiũ hominis: propter quod, eum, qui artificiosè mala persuadet, bonũ oratorẽ dicimus, hominem verò malum.

D. Thom.

Habitus intellectuales dãt facultatẽ ad rectè operandũ. Secundò dico, habitus intellectuales tribuunt facultatẽ ad rectè operandum; quo maximè à potentijs distinguũtur: nã potẽtia tantũ est ad operandũ. Tertiò dico, quòd sciẽtiæ nõ solùm tribuunt facultatem ad sciendũ, sed etiam tribuũt assensum, verum, infallibilem, euidentẽ. Quartò dico hoc differre inter virtutem moralẽ, & intellectualem, quòd virtus moralis facit opus bonũ cũ debitis circunstantijs, & inclinat volũtatem, vt rectè, & studiosè operetur: virtus verò intellectualis tantùm præstat operationem intellectus perfectam; propter quod rectitudo voluntatis est accidentaria ad virtutem intellectualem. Ex quo sequitur, quòd si citharœdus optimè pulset citharam, licèt hoc faciat malo fine, & peruersa voluntate, optimè fungitur officio suæ artis:

Quo differat virtus moralis ab intellectuali.

D. Thom. & in hoc sensu dicit S. Th. quòd virtus intellectualis non dat rectum vsum, id est, non inclinat voluntatem vt studiosè operetur, quando oportet, & prout oportet.

ARTIC. QVINTVS.

¶ *Vtrũ in volũtate sit aliquis habitus.*

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Conclusio est affirmatiua, quã in argumento, sed cõtra, probat D. Tho. ex eo quòd iustitia, quę est in voluntate, habitus quidã est, vt docet Arist. In corpore verò eãdem probat, & ex natura voluntatis, & ex natura etiã ipsius habitus. Ex natura quidẽ volũtatis; quoniã volũtas, cũ sit potẽtia rationalis, potest diuersimodè ordinari ad agendũ: omnisautẽ potentia quę diuersimodè ordinatur ad agendũ, indiget habitu. Ex natura verò habitus, quoniã habitus habet quendam principalem ordinẽ ad voluntatem, prout habitus est, quo quis vtitur, cùm voluerit.

Arist. 5. eth. c. 1.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Vtrũ requiratur habitus in volũtate respectu cuiusuis obiecti Responsio. Prim. cõcl. Vtrũ voluntas indigeat habitu aduersa obiecta ad quæ fertur, est quæstio, vel solùm in ordine ad aliquid. Dico breuiter, quòd volũtas nõ indiget habitu ad amandũ bonũ in cõmuni, neque ad finẽ vltimũ prosequendũ; nec verò vt homo velit esse sapiẽs, aut viuere, aut intelligere; quoniã ad isthæc bona volũtas suapte natura est inclinata sufficiẽter, nõ minùs quã oculus ad videndum: ergo ociosum est cõstituere habitũ. Deinde experientia docet, quòd post longã cõsuetudinẽ nõ promptiùs, nõ faciliùs amamus hæc bona, quã in principio: ergo volũtas nõ habituatur ad hæc bona amanda. Secũdò dico, ad bona, ad quæ voluntas suapte natura nõ est sufficienter inclinata, cõstituendus est habitus in voluntate, v. g. ad restituendum alienum constituendus est habitus iustitię in voluntate; nam ad bonum alienum non est satis inclinata voluntas; quod patet ex illo prouerbio; Amabile quidẽ bonum vnicuiq; autẽ proprium. Ex eodẽ principio cõsequitur, esse necessariũ habitũ ad amandũ Deũ, & ad amandum proximum. ¶ Sed contra primum assertum est vna obiectio. Nam sicuti voluntas suapte natura est inclinata ad amandum vltimum finem, sic intellectus ad assensum primorum principiorum: vnde

Secũd. cõcl.

Obiectio.

prouerbium est; sic se habet vltimus finis in practicis, sicut primum principium in speculationibus: sed vniuersi philosophi constituunt habitum in intellectu ad assentiendum primis principijs: ergo in voluntate est constituendus circa vltimum finem. Sed de hoc argumento quæst. sequenti art. 1. differendum est. Conclusio.

ARTIC. SEXTVS.

¶ *Vtrùm in Angelis sit aliquis habitus.*

SVMMA TEXTVS.

QVm subiectum habitus non sit, nisi ens in potẽtia, attendentes aliqui, angelos esse immateriales, & non esse in eis potentiam materiæ, dixerunt, in angelis non esse habitus, sed quęcunque de eis dicuntur, essentialiter dici: nihilo minus respondet D. Thom. tribus Prim. cõcl. cõclusionibus. Prima est. In angelis sunt habitus operatiui: nam licèt in angelis non sit potentia materiæ, est tamen in eis aliqua potẽtia: esse enim purum actum, solius Dei proprium est. In quantum ergo est in potentia ad aliquid intelligendum, indiget perfici habitualiter per aliquas species intelligibiles ad operationem propriam; nã secundum quòd est actu, non eget habitibus, cũ sit in actu; in quo ab homine angelus secernitur. Nam intellectus humanus, cùm sit infimus in ordine intellectuum, est in potentia respectu omnium intelligibilium: at intellectus angelicus non se habet vt pura potentia in genere intelligibilium, sed sicut actus quidam cũ permixtione alicuius potentiæ. Secũd. cõcl. ¶ Secunda conclusio. Ad attingendũ ipsum Deũ per intellectũ, & voluntatẽ, necessarij sunt angelo habitus aliqui: etenim nullus angelus pertingit ad perfectionẽ Dei, quin potiùs in infinitũ ab ea distat: ergo ad attingendum Deũ per intellectũ, & voluntatẽ, indiget aliquibus habitibus, tanquã in potẽtia existẽs, respectu illi⁹ puri actus. ¶ Tertia cõclusio. Habitus qui sunt dispositiones ad esse naturale; vt sanitas, & pulchritudo; nõ sunt in angelis: ratio huius est, quoniam angeli sunt immateriales. Tert. cõcl.

EXPLICATIO ARTICVLI.

IN hoc art. est dubium; Vtrũ in angelis sint virtutes morales adquisitę. A parte affirmatiua sic arguitur. Nã si istæ virtutes sunt naturales in angelis, & nõ adquisitæ, cõsequens est quòd permaneãt in dæmonibus: quod est ab omni Theologia alienũ. Quòd rectè sequatur, patet: quia naturalia mãserunt integra in dęmonibus, vt habet Theologorũ axioma. Deinde, angeli qui peccauerũt, fuerũt imprudẽtissimi: nã omnis qui peccat, errat, & imprudẽtissimus est: ergo perdiderũt prudentiã; prudẽtia igitur angelis nõ est naturalis. Vltimò, liberũ arbitriũ angelorũ nõ est determinatũ ad vnũ à primordio suæ cõditionis, vt aptè probat D. Tho. 1. p. q. 59. art. 3. ergo indiget habitu determinãte ad bonũ. Propter hæc argumenta doctissimi patres, Victoria, & Soto, opinati sunt in angelis esse virtutes morales adquisitas; & eorũ sentẽtia valde probabilis est. Sed in contrariũ est, quod angeli sunt creati à principio suæ cõditionis in beatitudine naturali, sicuti scribit D. Tho. 1. p. q. 62. art. 1. ergo sunt creati cũ vniuersis virtutibus, quæ ad beatitudinẽ naturalẽ necessariæ sunt: huiusmodi autẽ sunt virtutes morales: ergo. Secundò, D. Tho. & plerique; Theologorũ affirmãt, quòd angeli in naturalibus errare nõ possunt: ergo in naturalibus peccare nõ possunt. probatur cõsequẽtia. Nã errãt omnes qui malũ operãtur. Ex quo eliciũt Theologi, quòd dæmones modò nõ peccant in naturalibus præcisè, sed in naturalibus in ordine ad finem supernaturalem ex odio Dei. Vtraque istarum opinionum probabilis est. Vtrũ in angelis sint virtutes morales acquisitę. D. Thom. Victoria. Soto. D. Thom.

QVAESTIO LI.

De causa habituum, in quatuor articulos diuisa.

AR-

ARTIC. PRIMVS.

¶ Vtrùm aliquis habitus sit à natura.

SVMMA TEXTVS.

VT respondeat D. Tho. supponit duo: primum est, naturale dupliciter dici; vno modo secundum naturam speciei, sicuti risibile naturale est homini; alio modo secundum naturam indiuidui, vt naturale est Socrati, vel Platoni esse ægrotatiuum, vel sanatiuum secundum propriam complexionẽ. Secundum est, ratione vtriusque modi posse aliquid dici naturale duobus modis; vno modo, quia totũ est à natura; alio modo, quia secundum aliquid est à natura, & secundum aliud ab exteriori agente; vt sanitas acquisita per artẽ medicinæ. ¶ His positis est prima conclusio. Habitus, vt est dispositio subiecti in ordine ad formam, vel naturam, omnibus modis positis est naturalis: est enim aliqua naturalis dispositio, quæ debetur soli speciei; est alia, quæ debetur naturæ indiuidui: quæ sanè ambę dispositiones possunt esse omnino à natura; possunt itidem esse partim à natura, partim ab arte. ¶ Secunda conclusio. Habitus, qui est dispositio ad operationem, cuius subiectum est potentia animæ, potest esse naturalis, tam respectu speciei, quàm respectu indiuidui; sed non est naturalis in hominibus ea ratione, vt totaliter, & omnino prouenìat à natura. Prior pars probatur; nam talis habitus ex ea parte qua se tenet ex parte animæ, est naturalis speciei; quoniam anima est principium specificum; quatenus verò tenet se ex parte corporis quod est materiale principium, est naturalis indiuiduo. Posterior verò ita confirmatur: nam habitus operatiui in homine existentes, partim sunt à natura, partim verò ab exteriori principio; quod sanè manifestè apparet in apprehensiuis potentijs, & in appetitiuis; licèt aliter & aliter hoc in eis inueniatur. In potentijs enim apprehensiuis sunt habitus naturales secundum inchoationem, tam secũdum naturam speciei, quàm secũdum naturam indiuidui; ex ipsa enim natura habet homo, vt postquam cognouit quid sit totum, & quid pars, statim cognoscat omne totum esse maius sua parte; sed quid sit totum, quid autem pars, non cognoscit nisi ab exteriori principio, per species scilicet à phãtasmatibus acceptas. In potentijs ergo apprehensiuis habitus non sunt omnino à natura. Quòd autẽ in potentijs appetitiuis ita se habeat, probat D. Th. quoniam quãuis in eis ex parte animæ nõ sit aliquis habitus naturalis secundũ inchoationem; quia inclinatio earũ in propria obiecta, non est inclinatio ab habitu, sed ex ratione ipsarũ potentiarũ; tamẽ ex parte corporis secũdũ naturã indiuidui, fũt aliqui habitus appetitiui secũdũ inchoationes naturales: sunt enim quidã dispositi ex propria complexione ad castitatem, alij ad mansuetudinem, alij verò ad aliquid simile.

Natura'e dupliciter dicitur.

Prim. cõcl.

Secũd. cõcl.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Vtrũ habitus primorum principiorũ ſit neceſſario cõſtituendus.

IN hoc articulo eſt dubium de habitu primorum principiorũ, ſitne de neceſsitate conſtituendus? Pro parte negatiua exiſtunt hæc argumenta. ¶ In primis; Intellectus noſter naturaliter inclinatur ad aſſentiendum primis principijs, vt de ſe eſt manifeſtum: ergo ocioſum eſt talem habitum conſtituere. Probatur conſequentia: nam in potentia viſiua non conſtituitur habitus ad videndum, quoniam ad videndum naturaliter inclinata eſt.

Pars negatiua ſuadetur Argu. prim.

Secundum

¶ Deinde, natura quæ eſt determinata ad vnũ, non indiget habitu determinante; ideo enim in igne non conſtituitur habitus ad comburendum, quoniam eſt determinatus ad talem operationem: ſed intellectus eſt determinatus ad aſſenſum primorum principiorum poſitis notitijs terminorum, ſic quòd diſſentire non poteſt: ergo non indiget habitu determinante.

Tertium.

¶ Tertiò, experientia docet, quòd poſt longam conſuetudinem, non promptiùs, neque faciliùs aſſentimur primis principijs, quàm in principio: ergo intellectus non habituatur ad aſſentiendũ primis principijs.

Quartum.

¶ Quartò, voluntas non habet habitum naturalem vt appetat beatitudinem in communi; quoniam naturaliter ad hoc inclinata eſt, & ſatis propenſa; ſed intellectus naturaliter inclinatur ad aſſentiẽdum primis principijs: ſicut enim ſe habet vltimus finis in practicis, ſic primum principium in ſpeculatiuis: ergo ocioſum eſt talem habitum conſtituere.

Vltim.

¶ Vltimò, ſi habitus primorum principiorum eſt nobis inſitus à natura, conſequens eſt quòd aliquis habitus nobiliſsimus nos lateret per longum temporis ſpacium, ſcilicet vſque dum ad vſum rationis deueniamus: hoc autem abſurdum apparet; abſurdum namque videtur quòd habitus, qui eſt perfectior eo qui per demonſtrationem adquiritur, nos lateat, & ſcientia latere non poſsit: dicit enim Ariſtot. quòd qui ſcit, cogitat ſe ſcire.

Ariſt. 1. poſterior. c. 2.

In oppoſitũ Ariſt.

¶ In contrarium eſt quod docet Ariſtote. ſexto ethicorum capitulo quarto, & 14. quo in loco numerãs habitus intellectuales, præcipuè numerat habitum primorum principiorum. De habitu primorum principiorum inuenio quatuor opiniones. Prima eſt Domini Caietan. in comment. ſuper tertium articulum, quæ in his propoſitionibus conſiſtit. In primis dicit, quòd iſte habitus eſt qualitas ab intellectu diſtincta, & ſuperaddita. Deinde dicit, quòd hæc qualitas non eſt coæua noſtro intellectui, ſed noſtris actibus producta: quòd non ſit coæua, probatur. Nam (autore Ariſtotele) intellectus noſter in principio eſt veluti tabula raſa, in qua nihil eſt depictum: at ſi haberet talem habitum, à natura inſitum, non eſſet veluti tabula raſa, in qua nihil eſt depictum: quòd verò noſtris actibus ſit producta, ex propoſita ratione manifeſtum eſt. Idem confirmatur. Nam Ariſtoteles ſecundo poſteriorum capitulo vltimo, inquirens ex qua cauſa habitus principiorum in nobis producatur, apertè docet, quòd ex ſenſibus, & ex experientijs producatur. Tertiò dicit, quòd hic habitus appellatur naturalis; quoniam propoſitis terminis ſtatim effluit, & emanat quædam qualitas in intellectu, qua aſſentimur primis principijs, ſicuti motus grauium, & leuium in proprium locum ſtatim ſequitur. Item dicitur naturalis, quia ſemel fluit, & ſemper perſeuerat, & perſiſtit.

Ariſto.3. de anima.

Ariſt.

Secũ. opin.

¶ Secunda opinio dicit, quòd iſte habitus primorum principiorum nihil aliud eſt quàm ſpecies diſpoſitæ, & rectè conſtitutæ, quibus rectè diſpoſitis, intellectus per ſeipſum, abſque aliquo habitu intermedio, aſſentitur primis principijs.

Tert. opin.

¶ Tertia opinio dicit, quòd habitus primorum principiorum non eſt qualitas addita intellectui, ſed eſt ipſemet intellectus ſuapte natura ad aſſenſum primorum principiorum ſatis inclinatus. Hæc opinio placuit Durando in ſecundo, diſtinctione vigeſimaquarta, quæſtione prima, & in tertio, diſtinctione trigeſimatertia, quæſtione 1. ad 2.

Durand.

Quar. opin. D. Thom.

¶ Quarta opinio eſt Diui Thomæ, quòd habitus primorum principiorum eſt qualitas addita intellectui; rurſus eſt qualitas non noſtris actibus adquiſita, ſed à natura indita, & nobiſcum nata. Hanc ſententiam accepit ab Ariſtot. loco iam adducto, & poteſt confirmari his argumentis. Nam vniuerſi philoſophi morales, & ſancti Patres conſtituunt in intellectu practico habitum quendam à natura inſitum, quẽ vocant ſyndereſim, quo aſſentimur his principijs; bonum eſt faciendum, &c. Aſſerit hoc Diuus Auguſtinus libro 2. de ſermone Domini in monte, explicans orationem Dominicam, & fuſiùs ſuper Pſalmum 57. Aſſerit hoc Epiphan. libro 2. contra hæreſes tom. 2. D. Hieron. in Epiſtola ad Demetriadem, ſcribit in hunc modum. Eſt in animis noſtris quædam ſanctitas naturalis à Deo impreſſa, quæ veluti in arce animi reſidens, prauis, & recti iudicium exercet. Huic conſonat Diuus Paulus, cùm inquit; Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt, faciunt, & oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus eorum, id eſt impreſſum in cordibus eorũ; ergo etiam in intellectu ſpeculatiuo eſt cõſtituendus habitus ad aſſentiendũ primis

Auguſt.

Epiphan. Hieron.

Rom. 2.

primis veritatibus. Deinde vniuersi Theologi in angelis constituunt habitus scientiæ naturaliter inditos; nec enim scientias paulatim acquirunt,& per discursum: ergo nihil absurdi habet constituere in intellectu nostro habitum quendam naturaliter insitum ad sciendas primas veritates. Vltimò, Deus vniuersam naturã condidit cum naturali dispositione ad operandum:ergo non est verosimile quòd intellectum nudum omnino condiderit,sed quòd dederit illi istum habitum naturalem,vt seminarium omnium scientiarum.

Decisio quæstionis.

¶ Pro explicatione exponendum est prius quid sit habitus primorum principiorum; ex eius namque definitione dubium propositum patebit facilè.

Quid sit habitus primorũ principiorum.

¶ Ad cuius rei expositionem aduertendum est,quòd ad omnẽ habitum intellectualem,qui verus est,tria sunt necessaria:recta collectio specierum, recta rerum apprehensio,& rectum de rebus iudicium. Et quòd hæc tria necessaria sint,patet. Nam ad plenam rei cognitionem ista tria requiruntur: sed habitus intellectualis,qui verus est,præstat plenam rerum cognitionem: ergo hæc tria necessaria sunt.

Not.1. Tria requiruntur ad habitũ intellectualẽ.

Not.2.

¶ Secundò aduertendum est, quòd ad plenam rei cognitionem requiritur; tum species,tum lumen:quod animaduertere est in potentia sensitiua; nam ad visionem in primis requiritur species ab obiecto vsque ad oculum deriuata:deinde requiritur lumẽ,quod illustret colores,& ipsam pupillam oculi.

Not.3.

¶ Tertiò est aduertendum,quòd hoc lumen aliquando est naturaliter insitum,iuxta illud;Signatum est super nos lumen vultus tui Domine;aliquando verò ratione humana excogitatum,sicut medium demonstrationis;quod si sapiẽter applicatur,rem optimè manifestat:si verò non congruè applicatur,rem obscurè declarat.

Not.vlt.

¶ Vltimò aduertendum est, quòd sicut habitus acquisiti præstant facultatem,& promptitudinem acquisitam, sic habitus naturales præstant promptitudinem naturalem ad operandum.

Prim.cõcl. Quid includat habitus primorum principiorũ

¶ His ita constitutis,sit prima conclusio.Habitus primorum principiorum,qui nominatur intellectus,tantùm includit species intelligibiles, & lumen naturale intellectus. Probatur: nam iste habitus tantùm est dispositio ad assentiendum primis veritatibus;sed intellectus informatus specie intelligibili, lumine suo naturali satis disponitur ad assentiendum primis principijs: ergo nihil ampliùs requiritur.

Secũ. cõcl. Habitus intellectus, partim est à natura, partim ex acquisitione.

¶ Secunda propositio. Habitus primorum principiorum partim est à natura,partim ex acquisitione.Est quidem à natura,propter lumen naturale mentibus nostris impressum. Et rursus partim acquisitus, propter species quas acquirimus ministerio sensuum,& intellectus agentis virtute,& præsidio.

Vnde verum est, quòd intellectus noster in principio est veluti tabula rasa, in qua nihil est depictum. Verum etiam est quod dicit D. Thomas in articulo,quòd habitus primorum principiorum partim est naturalis, partim acquisitus. Hoc ipsum asserit Aristot.& D.Thom. 2. contra gentes,c.78. D.Thom. Arist.2. poster.c.vlt.

¶ Tertia conclusio.Lumen hoc quo assentimur primis principijs,non est intellectus agens;hoc enim asserere, aduersatur D. Tho. loco allegato: aduersatur item veritati;nã eius est habitus,cuius est operatio; sed intellectus agens non iudicat,non assentitur: ergo nõ in intellectu agente, sed in intellectu possibili constituendus est iste habitus.hoc asserit expresse Aristotel.nam ponit habitum principiorum in ea potentia,in qua collocantur scientiæ: sed scientiæ ponuntur in intellectu possibili ad sciẽdum:ergo. Tert. cõcl. Arist.6.eth. c.3.& 6.

Verum est tamen quod Aristoteles dicit,quòd intellectus agens est veluti lumen, & habitus; sed in alio sensu; nam quemadmodum lumen externum illuminat colores,ita intellectus agens illuminat phantasmata. Præterea habet se sicuti habitus; nam facit hominẽ potentem intelligere, quando sibi collibitum fuerit. Aristo.3.de anima c.5.

¶ Quarta propositio.Habitus primorum principiorum,vel est intellectus possibilis, illustratus lumine intellectus agentis,& receptione specierum; vel est lumen naturale distinctum ab intellectu. Hæc conclusio patet ex sufficienti partium enumeratione. Quar.cõcl.

¶ Vltima cõclusio. Verosimilius videtur,quòd habitus primorum principiorum sit lumen à natura inditum,ab intellectu distinctum: hoc magis consonat Aristoteli loco citato, & Diuo Thomæ in hoc articulo, & vniuersis philosophis, qui constituunt syndereſim in intellectu practico;& cunctis Theologis, qui constituunt in angelis habitus scientiæ naturaliter inditos. Arist. D.Thom.

¶ Ad argumenta in contrarium, & ad primum respondetur,quòd intellectus de se non est inclinatus ad assensum primorum principiorum, nisi medio lumine naturali; sicut homo non est inclinatus ad ridendum,nisi media risibilitate: cum hoc tamen rectè coniungitur, quòd inclinatur naturaliter;nam naturaliter habet tale lumen insitum. Arg. solut. Ad primum

¶ Ad secundum argumentum respondetur, quòd habitus primorum principiorum non est determinatus ad vnum, sicut ignis ad comburendum; tum,quoniam versatur circa multa principia; tum verò, quoniam est subiectus imperio rationis; potest enim assentiri, & non assentiri; intensè, & remissè assentiri pro nostra voluntate,& semper in ordine ad rectam operationem; quo maximè à potentia distinguitur. Præterea dico, habitum Ad secundũ

bitum primorum principiorum non ita esse determinatum à natura, sicut oculus ad videndum; nam oculus est potentia tantùm apprehensiua, & ideo si habet speciem, nihil præterea requirit vt videat: at verò intellectus est potentia apprehensiua, & iudicatiua, propter quod requirit species, & habitũ ad iudicãdum. ¶ Ad tertium argumentum respondetur, quòd cùm habitus principiorum est à natura, ex hoc consequitur, quòd non faciliùs assentimur post longam consuetudinem, quàm in principio. ¶ Ad quartum argumẽtum respondetur, esse differẽtiam inter voluntatem & intellectum: nam voluntas ipsa est inclinatio ad bonum propositũ per intellectum; & ideo non indiget habitu inclinante ad vltimum finem: intellectus verò est potentia apprehensiua, & iudicatiua; & ideo requirit species ad apprehendendum, & lumen ad iudicandum: itaque similitudo non consistit. ¶ Ad vltimum argumentum respõdetur, quòd cùm iste habitus naturalis non possit exire in propriam operationem, nisi per species ministerio sensuum comparatas; & istæ species ordinatæ vsque ad vsum rationis non acquirantur, cõsequens est, quòd vsque ad istud tempus lateat nos iste habitus.

Ad tertium.

Ad quartũ

Ad vltimũ.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ *Vtrùm aliquis habitus causetur ex actibus.*

SVMMA TEXTVS.

Conclusio.

AFfirmanse est conclusio, quam in argumento, sed contra, probat Diuus Thomas autoritate Aristot. vbi docet, habitus virtutum, & vitiorum, ex actibus causari. In corpore verò eam ita probat, & explicat: nam in agente, in quo solum est actiuum principium sui actus, ex proprio actu non causatur habitus. Qua de causa dixit Aristoteles res naturales non posse aliquid consuescere, aut dissuescere. Quando verò agẽs est tale, in quo est principium actiuum, & passiuum sui actus, ex talibus actibus possunt in agente habitus aliqui effici, & produci: & ita ex multiplicatis actibus generatur quidam habitus in potentia passiua, & mota; sicut habitus virtutum moralium causantur in appetitiuis potentijs, secundum quod à ratione mouentur; & habitus scientiarum causantur in intellectu, secundum quòd mouetur à primis propositionibus.

Aristot. 2. eth.

Aristot. 2. eth.

EXPLICATIO ARTICVLI.

COncluſio huiusarticuli est omnium Theologorum in 3. d. 23. vnus Durand. d. 33. q. 2. habet singularem modum dicẽdi, quòd actus intellectus, & voluntatis, non producunt efficienter habitus, sed ipsæ potentiæ, quæ producunt actus, producunt habitus, ordine quodã: primò actus; secundò habitus: nam potentiæ exercitio actuũ redduntur habiliores ad operandum. Secundò dicit, quòd actus in ordine ad habitum, non se habet sicut causa actiua, sed sicut dispositio passiua, veluti mollities in cera comparatur ad sigillum. ¶ Probat Durand. Nam, autore Aristot. ad habitus non est per se motus, nec alteratio: sed si actus producerent habitus, ad habitus esset per se motus: ergo non producunt habitus. ¶ Confirmatur hæc sententia; nam actus intellectus, & voluntatis, sunt actiones immanentes, vt de se manifestè patet: sed actiones immanentes nihil producunt, sicut docet Aristo. ergo nõ producunt habitus. ¶ Vltimò, motus est eadem res cum termino ad quem est motus, vt patet ex physicis: ergo si actus producit habitum, consequens est, quòd non est res distincta ab habitu: quod ab omni philosophia morali alienum est. ¶ Ad hæc argumenta satisfaciendum est: nam sententia Durand. ridicula est, veritas est quam docet D. Thom. in hoc articulo, quæ in primis cõstat autoritate Arist. Deinde manifesta experientia euidens est, quòd citharizando efficiuntur citharœdi, & pingendo pictores, temperando delectationes, temperati, ex diuersis doctrinis acquiritur scientia. ¶ Ad primũ argum. Durandi respondetur, quòd id idem argumentum reuoluit in Durandum, si sola potentia habitũ producat. Secundò respondetur, quòd Aristot. loquitur de alteratione corporali, quæ vera, & propria alteratio est, vt de albefactione, & frigefactione. Aliam confutationẽ huius argumenti habetis suprà in nostris annotationibus q. 49. art.

Durand.

Arg. Durã. Primum. Arist. 7. eth. tex. 17.

Confir.

Arist. 1. eth. c. 1. & 9. met. tex. 15.

Secundum.

Sòlutio. D. Thom. vera sentẽt. Arist. 2. eth. per totum.

Ad primum

Ad confir. art.3. ¶ Ad confirmationem respondetur, quòd actiones immanentes nihil producunt extra potentiam operantem; bene autem possunt efficere aliquid quod in ipsa potentia permaneat. Secundò respondetur, hoc esse discrimen inter actiones immanentes, & transeuntes; quòd trãseuntes semper ponunt aliquid in extera materia, actiones verò immanentes non semper producunt aliquid, vt visio nihil producit. ¶ Ad secundum argumentum respondetur, non satis consistere similitudinem de motu: nam motus comparatur ad terminum, sicut imperfectum ad perfectum, & sicut via ad seipsum in esse perfectiori: motus namque est actus entis in potentia, secundum quod est in potentia: intelligere verò est actus perfecti, quatenus in perfectione existit, & non comparatur ad habitum, tanquã via ad terminum, sed tanquam causa ad effectũ.

Ad secundũ

Ferrar. Videte de hac solutione Ferrar. 1. contra gentes cap. 53.

ARTIC. TERTIVS.

¶ Vtrùm per vnum actũ possit generari habitus.

SVMMA TEXTVS.

Prim. cõcl. PRima conclusio. Habitus, qui constituuntur in potẽtijs appetitiuis, non generantur vnico actu, sed multis. Ad quod probandum adducit D. Thom. in argumẽto, sed contra, illud Aristot. vna hirundo, ver non facit, neque verò vna dies. In corpore autem ita probat. Habitus (vt dictum est articulo præcedenti) generãtur per actũ, quatenus potentia passiua mouetur ab aliquo principio actiuo; vt autem aliqua qualitas generetur in passiuo principio, oportet vt actiuũ vincat passiuum: at principium actiuum, quod est ratio, non potest vnico actu omnino vincere appetitiuam potentiam; quoniam talis potentia habet se diuersimodè ad multa, & non potest effici vnico actu, vt feratur in vnum, & idem per modum naturæ, vt ratio habitus postulat: non ergo tales habitus vnico actu generantur.

Aristot. 1. eth. c. 7.

¶ Secunda conclusio. Intellectus noster vnico actu potest sibi comparare habitum scientiæ, non tamẽ habitum opinionis. Probatur prima pars; quia potest esse aliquod actiuum, quod vno actu vincat potentiam sui passiui; vt vna propositio per se nota, conuincit intellectum ad assentiendum conclusioni absque formidine. Secunda pars probatur; quoniam id non habet propositio probabilis; quia vna ratio probabilis non conuincit potentiam intellectus. ¶ Tertia conclusio. Habitus, qui sunt in potentijs sensitiuis apprehensiuis, non generantur vnico actu; necessarium est enim actus sæpe iterari vt aliquid firmiter memoriæ imprimatur: qua de causa dixit Aristote. meditationem confirmare memoriam. ¶ Quarta conclusio. Habitus corporales possunt vnico actu causari, si actiuum fuerit magnæ virtutis; sicut quandoque medicina fortis inducit sanitatem.

Secũd. cõcl.

Tert. cõcl.

Aristot. li. de memor. & reminisc.

Quar. cõcl.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Articuli doctrina est Aristo. in 1. eth. c. 7.

DOctrina huius articuli optima est, quam accepit D. Thom. ex Arist. & ratio quia probatur præcipua cõclusio, est in primis elegantissima. Nam vnus actus voluntatis nõ potest vincere difficultatem potentiæ, & appetitũ in ordinem redigere. Vt, verbi gratia, mulier potest turpitudinem operari, vel propter delectationem, vel propter lucrum, vel ex metu, vel ex gula; & potest accidere quòd vna operatio vincat gulam, & quòd non vincat lucrum, nec metum. Ex eodem principio demonstrabimus in sequentibus, omnes virtutes esse connexas; nã

vt quisſit temperatus, oportet temperatè agere, quando oportet, & prout oportet in omni euẽtu; & vt vincat omnia vitia, quibus virtus diſsipari poteſt; quod non poteſt facere, niſi habeat omnes virtutes. ¶ His poſitis, eſt dubium; quando requiruntur multi actus ad productionem habitus, an priores aliquid producant in potentia; & ſi producunt, quid eſt illud quod producunt? De hoc inuenio tres modos dicendi. Gab. in 3. d. 23. quæſt. 1. dub. 4. & Almay. q. 2. art. 3. dicunt quòd primus actus generat qualitatem minimæ intenſionis ad vnum gradum: ſecũdus verò generat intenſionem duorum graduum, & ſic deinceps, donec illa qualitas ſit intenſa, & valde perfecta; ſed hæc intenſio per additionem graduum vix poteſt intelligi, vt infrà declarabitur. ¶ Secundus modus dicendi eſt quorundam Thomiſtarum, quòd actus præcedentes nihil in potentia producunt, ſed præparant, & eam diſponunt, vt vltimus actus, ratione præcedentiũ, generet habitum. Explicant iſtam ſententiam ex modo, quo guttæ paulatim cadentes cauant lapidem, quarum vltima, ratione præcedentiũ, cauat lapidem. Hic modus dicendi ambiguitatem habet: nam vix poteſt intelligi quòd actus præcedentes diſponant potentiam, & non faciant in ea maiorem inclinationem ad operandum, quod eſt habitum cauſare. Deinde exemplum de guttis aquæ nihil adiuuat illam ſententiam: nam guttæ præcedentes, diſpoſitionem aliquam ponunt in lapide, nempè mollitiem. ¶ Tertius modus dicendi eſt, quòd primus actus producit habitum, ſecundum ſubſtantiã, qui tunc habet modum diſpoſitionis; ſequentes verò actus augent, & perficiunt habitum præexiſtentem; non per additionem, ſed per maiorem radicationem in ſubiecto. Hic modus dicendi mihi nõ placet: nam ex eo ſequitur, quòd per vnum actum voluntatis generetur habitus in voluntate, ſicuti per vnum actum intellectus generatur habitus ſcientiæ in intellectu: quod aſſerere, aduerſatur D. Thom. in articulo, & veritati. Quòd rectè ſequatur, patet: nam per vnum actum intellectus, generatur habitus ſciẽtiæ imperfectus; ita, ſecundum iſtum modum dicendi, per vnicum actum voluntatis, generatur habitus in volũtate imperfectus: ergo nulla eſt differentia. Deinde ſequitur ex iſto modo dicendi, quòd quilibet actus voluntatis, quantumcũque remiſſus, generet habitum in volũtate; imò ſequitur, quòd quælibet ratio probabilis generet habitum opinionis in intellectu: quod aſſerere, ab omni veritate, & experientia alienũ eſt. Sentio itaque ſecundum modum dicendi ex neceſsitate amplectendum eſſe; potentia namque tantummodo ex aſſuetudine operum, abſque aliqua qualitate ſuperaddita, diſponitur vt producat habitum.

In generatione habitus, quidnã producant actus priores.

Primus modus dicẽdi. Gabr. Almayn.

Secundus.

Tertius.

Propria ſententia.

ARTIC. QVARTVS.

¶ *Vtrùm aliqui habitus ſint hominibus infuſi à Deo.*

SVMMA TEXTVS.

PRior concluſio eſt. Habitus aliqui ſupernaturales infunduntur homini à Deo. Probatur: nã aliqui habitus ſunt, quib⁹ homo diſponitur ad finem excedentem facultatem humanæ naturæ, ſcilicet ad beatitudinem: ergo tales habitus vires naturales excedunt: ergo oportet eos infundi à Deo: nam habitus oportet eſſe proportionatos ei, ad quod homo diſponitur per ipſos. ¶ Poſterior concluſio. Deus aliquando infundit hominibus habitus, qui per vires naturæ comparari poſſunt. Probatur: nam Deus poteſt producere effectus cauſarum ſecundarum, abſque ipſis cauſis ſecundis: ſicut ergo quandoque ad oſtenſionem ſuæ virtutis producit ſanitatem abſque naturali cauſa, quæ tamen per naturam poſſet effici, & cauſari; ita etiam aliquando ad oſtendendam virtutem ſuam infundit homini illos habitus, qui naturali virtute poſſunt cauſari; vt videre eſt in Apoſtolis, quibus dedit ſcientiam ſcripturarum, quam abſque infuſione conſequi poterant.

Prior cõcl.

Poſt. concl.

EXPLICATIO ARTICVLI.

PRo explicatione huius articuli ſciendum eſt ex Domino Caietan. quòd habitus infuſi ſunt in duplici differentia; infuſi per ſe, & infuſi per accidens. Infuſi per ſe ſunt illi, qui viribus naturę cõparari

Caiet. Habitus infuſi per ſe, & per accidens.

parari nequeunt, quorum proinde acquisitio est diuina, & supernaturalis infusio, vt gratia, fides, &c. Infusi per accidens illi sunt, qui viribus naturæ comparari possunt, sed ex munere Dei nobis conferuntur, vt scientia infusa Salomoni, & Adamo. Secundò est aduertendum, quòd habitus infusi per accidens, sunt ejusdem speciei cum acquisitis. Geometria enim infusa, eiusdē speciei est cum adquisita, quemadmodum oculus restitutus cæco, eiusdem speciei est cum cæteris. ¶ His explicatis, quæ facillima sunt, est dubium graue; An certa sit fidei definitio, quòd isti habitus infusi supernaturales sunt constituendi? Scot. in 3. d. 23. quæstione vnica docet, quòd hęc veritas est secundum fidem tenenda. Idem videtur habere Gabr. in q. 2. conclusione 3. consentit Almayn. in suis moral. tract. 2. c. 3. & probāt ex illo. Sine fide impossibile est placere Deo; quod etiam docet fides catholica. At pueri baptizati ante vsum rationis iustificantur, & placent Deo; ergo habent fidem: non actualem, siquidem rationis compotes non sunt: ergo habitualem. De virtutibus Theologicis vniuersis probant ex illo; Nunc autem manent tria hæc, fides, spes, charitas. ¶ Pro explicatione dico primùm, non certò constare ex diuinis literis esse huiusmodi habitus supernaturales; nam testimonia in confirmationem huius sententiæ adducta, commodè explicari valent de actibus, nō de habitibus; vt illud D. Paul. Sine fide impossibile est placere Deo; commodè explicatur de actu fidei; nam priùs dixerat Apostolus, accedē tem ad Deum oportet credere. Itaque ille locus non loquitur de paruulis, sed de adultis. Similiter testimonia de virtutibus Theologicis commodè explicari possunt de actibus fidei, spei, & charitatis. Idem demonstratur. Nam Innocent. III. in c. maiores, de Baptismo, istam quæstionem relinquit vt controuersam inter Theologos; vtrùm in baptismate conferantur virtutes infusæ: & in Clementina vnica, de summa Trinitate, & fide catholica, definitur, illam opinionem, quæ asserit in baptismate conferri virtutes, esse probabiliorem, & dictis Sanctorū magis consentaneam. ¶ Secundò dico, veritas fidei catholicæ est, quòd ablutis sacro baptismo infunditur gratia, ad istum sensum, quòd efficiūtur Deo grati, & consortes diuinæ naturæ, & de nouo renati in Christo. Patet ex illo. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & spiritu sancto: & ex illo. Per lauacrum regenerationis, & renouationis. & ex illo; Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ. ¶ Tertiò dico, secundum fidem catholicam asserendum est nobis diuinitus concedi Dei adiutorium, vt credamus, velimus, diligamus; quo in sensu catholico confitendum est,

Dubium. An certa sit secundū fidem prima conclusio. Scot. Gab. Almay. Heb. 11.

1. Cor. 13.

Prim. cōcl. Nō constat certo ex scriptura esse habitus infusos.

Innocē. III.

Clemē. vn. de sum. tri. & fi. catho.

Secūd. cōcl.

Ioan. 3.

Tit. 3.

Tert. cōcl. Fides docet nobis dari adiutorium

per inspirationem, & infusionem Spiritus sancti, hæc omnia in nobis fieri: sic definiunt patres in Concilio Arausic. cap. 6. & probant ex illo. Quid habes quod non accepisti? &, Gratia Dei sum id quod sum. item ex illo; Nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum. &; Sine me nihil potestis facere. &, Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis. ¶ Quartò dico, fides catholica docet, quòd hoc Dei adiutorium desuper infusum, est omnino necessarium, vt credamus, diligamus, &c. Itaque non est necessarium vt facilius credamus, & diligamus, sed omnino est necessariū. Sic definiunt patres in Concil. Mileuit. cap. 5. & Arausic. c. 5. 6. 7. 8. & probant ex illa sententia Domini. Sine me nihil potestis facere; non dicit Dominus, sine me difficillimè potestis, sed sine me nihil potestis facere. ¶ Quintò dico exploratum esse inter omnes Theologos, Deum de potentia absoluta posse mouere hominem ad actus supernaturales fidei, & charitatis, &c. sine habitibus infusis. Probatur: nam habitus concurrit ad actum in genere causæ efficientis, vt antea dictum est: sed quidquid Deus potest facere cum causa secunda efficienti, potest facere se solo, vt habet axioma Theologorum: ergo potest Deus hominem sine istis habitibus mouere ad operandum. Deinde D. Tho. & vniuersi Theologi, quando constituunt istos habitus infusos, dicunt pertinere ad suauem Dei dispositionem illos constituere: ergo non sunt absolutè necessarij. Tertiò, vniuersi Theologi concedunt, Deum posse iustificare hominem per gratiam suam, sine gratia, quæ sit qualitas ei inhærens. ¶ Sextò dico, ista veritas de habitibus infusis valde consonat sacræ scripturæ; quoniam plera quę testimonia commodè explicari nequeūt sine habitibus infusis: ad Tit. Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis; quē effudit abundè in nos. & ad Roma. Diffusa est charitas in cordibus nostris: habet emphasim illud verbum, effusum. Præterea illud, qui ex Deo est, nō peccat, quoniā semē ei' in eo manet: hoc semen Dei nihil aliud videtur significare, quàm gratiam Dei habitualem. Idem videtur significari Ioan. Si quis diligit me, diligetur à patre meo, & ad eum veniēmus, & mansionem apud eum faciemus. & Petrus; Maxima, & pretiosa promissa nobis donauit, vt per hæc efficiamur diuinæ naturæ consortes. & Paul. Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis. &, Deus signauit, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris. Verbū, dedit, & verbum, signauit, significat aliquid esse infusum in cordibus nostris. Præterea illud; Deus qui dixit de tenebris lucē splendescere, ipse illuxit cordibus nostris in faciem

ad credendū, sperandū, diligendum. Cōci. Arau. 1. Cor. 4. & 15. Ioan. 6. Ioan. 15. 2. Cor. 3.

Quar. cōcl.

Cōci. Mile. Cōci. Arau. Ioan. 15.

Quin. cōcl.

Sexta cōcl. sentētia de habitibus infusis, scripturæ consona. Tit. 3. Rom. 5. 1. Ioan. 3.

Ioan. 14.

2. Pet. 1.

Gal. 3.

2. Cor. 1.

2. Cor. 4.

2.Pet.1. faciem Christi Iesu. & Petrus. Habetis firmiorẽ propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco. Certè hæc testimonia commodè explicari nequeunt, nisi de lumine cordibus nostris accẽso. Propter hæc testimonia vniuersi Theologi vno consensu asserunt, virtutes Theologicas esse desuper infusas, & inspiratas à Deo.

Vlti. cõclu. Hæreticum ferè est habitus infusos negare. Cõcil. Viẽ. ¶ Vltimò dico, nostra tempestate non solùm est temerarium & periculosum, sed ferè hæreticum, habitus infusos negare. Quòd sit temerarium, patet: Ná Concilium Viennense (vt videre est Clementina vnica, de summa Trinitate) asserit, illam opinionem, quæ docet in baptismo conferri virtutes infusas, esse longè probabiliorem, & dictis sanctorum magis consentaneam: ergo temeritas est eam opinionem deserere, & alteram amplecti. Secundò, vniuersi Theologi vno consensu affirmant dari habitus infusos: ergo temeritas est contrarium tueri. Vltimò, sacræ scripturæ superiùs adductæ nequeunt cõmodè explicari, nisi de habitibus infusis. Quòd verò hoc tempore sit ferè hæreticum, probatur. Nã

Cõcil. Trid. in Concilio Trident. Sess. 6. c. 7. definitur hominem non iustificari per iustitiam Christi, qua Christus iustus est, sed per iustitiam animę inhærentem, à Christo deriuatam; & paulò pòst definit homines iustificari per charitatem diffusam in cordibus eorum qui iustificantur, & illis inhærentem. & can. 11. sic definit sanctum Concilium. Si quis dixerit hominem iustificari, vel sola imputatione iustitiæ Christi, vel sola remissione peccatorum, excluſa gratia, & charitate diffusa in cordibus nostris, & illis inhærenti; vel gratiâ qua iustificamur, esse solum Dei fauorẽ, anathema sit. Ex his definitionibus sacri Concilij apertè colligitur, quòd charitas sit aliquid inhærens, & creatum in animis eorum qui iustificantur; sed non est actus, vt patet in paruulis iustificatis: ergo habitus. Videte de hoc sapientissimum

Soto, Soto libro 2. de natura & gratia ca. 17. & 18. vbi dicit, sanctum Concilium abstinuisse cõsultò à nomine habitus; nam non voluit veritatem de habitibus infusis definire.

Vtrũ necessariũ sit cõstituere virtutes morales infusas. Durand. D.Thom. ¶ Dubitatur consequenter; Vtrùm necessarium sit constituere virtutes morales infusas, vt temperantiam, iustitiam, &c. Scot. in 3. d. 36. quæst. vnica, sub lite relinquit hanc quæstionem. Durand. in 3. d. 33. q. 6. apertè negat istas virtutes infusas. D. Thom. hic, & infrà quæst. 63. artic. 3. cõstanter affirmat, cuius sententiam nemo sine temeritate negare potest. Nam

Sap. 8. Sapient. dicit; sobrietatem, & iustitiam docet, prudentiam, & virtutem, id est, fortitudinem: in quibus verbis manifestè significatur, quatuor virtutes morales præcipuas nobis ex Dei munere conferri, & inspirari. Quòd si Theologo videatur non esse validum hoc argumentum; Deus docet hanc virtutem: ergo infundit eam diuinitus; sciat esse optimum argumentum, & eo vsos patres Concilij Mileuit. cap. 4. nam ex illo Psalm. Qui docet hominem scientiam; & ex illo, Beatus quem tu erudieris Domine; colligunt patres, scientiam ex Dei munere nobis infundi. Idem probatur ex illo Iacob. Qui indiget sapientia, postulet à Deo in fide nihil hæsitans. Ecce sapientia, quæ non est virtus Theologica, ex Dei munere inspiratur. Hoc idem patet ex illo. Alij datur sermo sapientiæ, alij datur sermo scientiæ, &c. quæ omnia operatur vnus & idem spiritus, diuidens singulis prout vult. Eadem veritas demonstratur ex D. Augustin. explicante illa verba; Feci iudicium & iustitiam; Nomine, inquit, iustitiæ, non ipsa virtus, sed opus eius significatum est: nam iustitiam quis infundit, nisi qui iustificat impium? Vltimò idem demonstratur Clementina vnica de summa Trinitate, ex Concil. Viennens. vbi dicitur; quòd opinio, quæ asserit istas virtutes infusas, probabilior est, & patribus magis consentanea. Quòd si dicat Theologus ibi fieri sermonem de virtutibus Theologicis, vehementer erratur; nam ibidem dicit sacrum Concilium, quòd de istis virtutibus infusis est magna contentio inter Theologos, sed de virtutibus Theologicis est magna consensio inter Theologos: ergo Concilium agit de virtutibus moralibus infusis. Hæc veritas maioribus argum. confirmari poterat, sed quoniam D. Thom. ex proposito de hac re differit infrà q. 63. eius amplior tractatus in illum locum referatur.

Cõcl. Mile. Psal. 93. Iac. 1. 1. Cor. 12. Augu. sup. Psalm. 118. serm. 26. Cõcil. Viẽ. D. Thom.

Vtrum per actus virtutũ infusarũ, generetur habitus. D. Thom. Almayn. Scot. Gab. Marsil. Prim. arg. ¶ Est aliud dubium; Vtrùm per actus virtutum infusarum generetur aliquis habitus similis infuso? Vtrùm per actus credendi generetur in nobis habitus fidei similis infuso? In huius rei explicatione D. Th. varius videtur: nã hîc solutione ad tertium apertè dicit, quòd actus virtutum infusarum non generant alium habitum, sed intẽdunt, & perficiunt priorem infusum: sed in q. 17. de veritate, artic. 1. ad quartum secundi ordinis scribit, quòd ex actibus charitatis infusæ, generatur in nobis aliquis habitus dilectionis acquisitus. Idem docet Almayn. in 3. sentent. d. 23. q. 3. Cõsentiunt Scot. & Gab. in eadem dist. & Marsil. in 3. parte, quæst. 14. Et probatur ita esse optimis argumentis. In primis, si Deus non infunderet habitum, & homo multoties crederet veritatibus fidei, certè per actus illos compararet sibi habitum, per quem postea promptè, & facilè crederet: ergo idem erit modò, quando habitum fidei habet infusum. ¶ Secundò, fides infusa, & adquisita bene se possunt compati in eodem homine; nam fidelis credit, quia Deus

Secundum.

reue-

reuelauit,& quia Ecclesia proponit. Rursus, credit propter humana motiua, quia sui parentes ita docuere,& sapientes ita prædicant: ergo in homine fideli per actus credendi adquiritur fides acquisita. Tertio. ¶ Tertiò, hæreticus qui diseredit vni articulo, credit alijs promptè,& facilè; vt experientia docet;& non per fidem infusam, quã iam perdidit: ergo per fidem adquisitam, quam per actus præcedentes sibi comparauerat. Idem argumentum potest fieri de homine, qui per vnum peccatum mortale perdidit charitatem, qui inuenit se promptum,& facilem ad amandum Deum,& proximum. Quartum. ¶ Quartò, constituamus hominem fidelem existentem in peccato mortali, qui se exercet in firmissimis fidei assensibus, talis inuenit in se maiorem promptitudinem, & facilitatem in credẽdo, quàm in principio: sed hæc maior promptitudo non prouenit ex eo quòd habitus infusus sit magis confirmatus,& auctus. quod sic ostendo. Nam habitus infusi tantùm augentur meritoriè, vt habẽt vniuersi Theologi; sed iste nihil meretur, siquidem est in peccato mortali: ergo hæc maior prõptitudo prouenit ex habitu acquisito, quẽ per præcedentes actus comparauerat. Vltim. ¶ Vltimò, certum est,& nulla ratione negari potest, quòd per actus præcedentes virtutum infusarum manẽt passiones moderatæ, & in ordinem reductæ, etiam deperditis virtutibus infusis, vt experientia docet: ergo manet habitus aliquis, qui istas passiones moderetur.

Sententia D. Thom. vera probatur. ¶ Pro explicatione huius difficultatis sciendum est, quòd sententia, quam habet D. Thom. hîc, est verissima; quam sic demonstro. Nam in omnibus materijs,& negotijs, actus, qui producitur ab aliquo habitu, nunquam producit alium habitum, sed intendit,& perficit priorem iam existentem: ergo idem dicendum est in habitibus infusis. Antecedens patet inductiuè in omnibus scientijs, artibus, & disciplinis. Secundò, postquàm Deus infudit Adam vniuersas scientias rerum naturalium, postea per exercitium scientiarum nõ adquirebat alium habitum, sed priorem intendebat,& confirmabat: ergo idem erit omnino de habitibus infusis. Tertiò, si isti actus virtutum infusarum generant denuo aliquem habitum; vel est eiusdem speciei, vel diuersæ: non primum; tum, quoniam duæ qualitates eiusdem speciei, solum numero differentes, in eodem esse non possunt; tum verò, quoniam virtus infusa iam esset omnino ociosa,& superuacanea: tum vltimò, quoniã si hæc virtus acquisita esset eiusdem speciei cum infusa, consequens est, quòd virtus acquisita per vires naturæ, posset consequi finem supernaturalem; quod asserere, Pelagianum est. ¶ Sed si dicat Theologus quòd est alterius speciei: contrà. Nam actus similes producunt habitum eiusdẽ speciei, vt asserit Aristot. actus enim temperantiæ, non producunt habitum iustitiæ: ergo actus virtutum infusarum, non producunt habitum acquisitũ alterius speciei. Item interrogo; Vtrùm iste habitus acquisitus inclinet ad actus similes, aut dissimiles? Ad dissimiles inclinare non potest: ergo ad similes: ergo est eiusdem speciei. Item, charitas infusa amittitur per peccatum vnum mortale, vt planè constat: ergo si iste qui sic peccauit, habet charitatem acquisitam, habebit etiam gratiam; gratia enim à charitate nunquam separatur: ergo erit amicus,& inimicus Dei simul. Arist. 2. eth. c. 1.

Solut. arg. Ad primum ¶ Ad argumenta,& ad primum, in primis negatur antecedens: nam si Deus non infundit habitus, non possumus habere istos actus, quoniam omnem naturam excedunt. Secundò negatur consequentia; quoniam postquam habet quis habitum infusum, actus subsequentes inueniũt iam habitum productum,& sic non producunt de nouo, sed perficiunt priorem: quemadmodum ignis, qui inuenit calorem iam productũ, non producit de nouo calorem, sed auget præexistentem. Ad secundũ & tertium. ¶ Ad secundum,& tertium argumentum multi existimant, quòd secundum D. Thom. habitus infusi,& acquisiti, non possunt esse simul circa eandem materiam: sed non est verum: nam Diuus Thom. tantùm negat quòd actus virtutum infusarum generent alium habitum, bene tamen potest generari per actus fidei humanæ.& certè moraliter fieri non potest, quòd aliquis diu,& multo tempore se exerceat in aliqua veritate infusa, quin habeat multas operationes naturaliter bonas, quibus comparat habitum acquisitum, qui manet amisso infuso; sicut patet in eo, qui credit propter motiua diuina,& humana. Obiectio. ¶ Sed si instet Theologus, constituamus, inquiẽs, quòd iste Christianus nunquam credit, nisi ex fide supernaturali, neque amauit, nisi ex charitate supernaturali; tũc quid dicendum est ad proposita argumenta? Solutio. Respondetur, quòd moraliter casus est impossibilis, sed si ita se res habeat, dicendum est, quòd iste inuenit se promptum,& facilem ad credendũ,& amandum, non quia habet habitum acquisitum, sed quia habuit virtutem infusam precedẽtem, ex cuius executione præcedenti manent passiones moderatæ, & difficultates superatæ; vt cùm infidelis conuertitur ad fidem nostram, qui promptè obseruabat ieiunia propter suum idolum, inuenit se promptum ad ieiunandum; non quia statim acquisiuit habitum temperantiæ, sed quia habuit habitum præcedentem, qui passiones aliquo modo moderatas reliquit. Itẽ, sicuti qui amisit scientiam per delirium, in ipsa amentia

amentia conſtitutus inuenit ſe promptum,& facilem ad ratiocinandum, & argumentandum, nõ quòd habeat habitũ ſciẽtiæ,ſed quia habuit.

Ad quartũ ¶Ad quartum argumentum,de augmento habituum,ſuo loco dicemus,hoc eſt,in queſtione

Ad vltimũ. ſequenti.¶Ad vltimum argumentum negatur conſequentia: iã enim eſt oſtenſum inter confutandum ſecundum,& tertium argumentum, quomodo maneant paſsiones moderatæ ſine habitu nunc permanente.

QVAESTIO LII.

De augmento habituum, in tres articulos diuiſa.

ARTIC. PRIMVS.

¶ *Vtrùm habitus poſsint augeri.*

SVMMA TEXTVS.

VIdetur quòd non. Quia ſicut dicit Philoſophus 5. Phyſicorum, augmentum eſt ad quod fit motus. Sed habitus non ſunt ſubiecta motui, ſed ſunt termini motus. Ergo habitus non augentur.

Item, omne quod augetur, ſecundum aliquid ſui manet, & ſecundum aliquid tranſit. Sed habitus non habent partes, quia ſunt ſimplices formæ. Ergo habitus non augentur.

Item, ſi habitus augentur, hoc eſt per additionem alicuius ad habitum. Sed quod additur habitui, aut eſt habitus, aut non habitus. Si habitus, habitus non augetur per additionem habitus, ſed magis per additionem ſubiecti habitus. Si non habitus, ergo habitus non augetur per additionem non habitus. Ergo habitus non augentur.

Sed contra eſt, quod dicit Auguſtinus 6. de Trinitate, cap. 8. Quòd ſicut ſcientia augetur per hoc quod plures res ſciuntur, ita fides per hoc quod plura creduntur.

Respondeo dicendum, quòd circa hanc quæſtionem duo ſunt ponenda. Primum eſt, quòd in rebus ſpiritualibus illud dicitur magnum, quod ad debitam peruenit perfectionem; ſicut in quantitatibus corporalibus aliquid magnum dicitur, ſecundum quòd habet debitam quantitatem. Et ratio eſt, quia bonum habet rationem perfecti, quapropter in his quæ mole magna non ſunt, idem eſt eſſe maius, quod melius, vt ait Auguſtinus 6. de Trinitate, cap. 8. Secundum eſt, perfectionem formæ dupliciter poſſe conſiderari; & ſecundum ipſam formam, & ſecundum quòd ſubiectum participat formam.

Prim.cõcl. ¶His poſitis, eſt prima concluſio. Qualitates, & formæ accidentariæ, quæ in ſe habent ſpeciem, & nõ deſumũt eam ex aliquo extrinſeco, non poſſunt in ſe augeri. Probatur: nam illud, ſecundum quòd aliquid ſortitur ſpeciem, oportet eſſe fixum, & ſtans, & quaſi indiuiſibile: quæcunque enim ad illud attingunt, ſub ſpecie continentur; quæcunque verò recedunt ab illo, ſecundũ magis & minus ad aliã ſpeciẽ pertinẽt: ergo ſi aliqua forma ſecũdũ ſeipſam ſortitur rationem ſpeciei, ſecundũ ſeipſam habet determinatã rationem, quæ augeri non poteſt.

Secũ. cõcl. ¶Secunda concluſio. Qualitates, quæ ſumunt ſpeciem ex aliquo extrinſeco, in ſe augeri poſſunt, immota vnitate ſpecifica, quam habent ex vnitate eius ad quod ordinantur. Motus enim intẽſior, & remiſſior eſt ſecundũ ſe, & tamen manet eadem ſpecies propter vnitatem termini, à quo ſpecificatur.

Tert. cõcl. ¶Tertia concluſio. Si qualitates conſiderãtur in ordine ad ſubiectum, quędã earũ augentur, ſuſcipientes magis & minus; & quædam non. Subſtãtia enim non ſuſcipit magis & minus; quia eſt ens per ſe: quantitas autẽ propinqua eſt ſubſtantiæ, & quantitatem ſequitur figura; ideo in figuris non eſt magis & minus. Aliæ verò qualitates magis à ſubſtantia diſtant, & coniunguntur actionibus, & paſsionibus; ideo magis & minus recipiunt.

Quar. cõcl. ¶Quarta concluſio. Habitus vtroque modo augeri poſſunt, & ſecundum ſe, & ſecundum participationem ſubiecti. Quòd augeantur ſecũdum ſe, patet: quoniã habitus ſunt formæ quę ſumũt ſpeciẽ ab extrinſeco, ſcilicet ab obiecto. Quòd augeantur ex parte ſubiecti, probatur: nã ſciẽtia, aut ſanitas magis participatur ab vno, quã ab alio, ſecundũ diuerſã aptitudinẽ, quæ in eis reperitur.

AR-

ARTIC. SECVNDVS.

¶ Vtrùm habitus augeãtur per additionem.

SVMMA TEXTVS.

Prim. cõcl. PRima conclusio. Si habitus cõsideretur in ordine ad subiectũ quod afficit, non augetur per additionem, sed per hoc quòd subiectum magis participat formam, vel habitum. Probatur in argumẽto, sed contra, autore Arist. dicente, ex calido fieri magis calidum, nullo producto in materia calido, quod non esset calidum, quando erat minus calidum. Ratio huius est: nam sicut per agens, quod est actu, fit aliquid actu calidum, quasi de nouo incipiens participare formam; ita per actionẽ intensam ipsius agentis efficitur magis calidũ tanquam perfectiùs participãs formam, non quia formæ aliquid addatur. ¶ Secunda conclusio. Habitus aliqui secundũ se augentur per additionem: potest enim quis plures conclusiones scire, quas antea non sciebat. ¶ Tertia cõclusio. Habitus corporales non augẽtur per additionem; quia non dicitur animal sanum, aut pulchrũ, nisi secundum oẽs suas partes sit tale. Quòd autem perfectiorem cõmensurationem partes habeãt, prouenit ex transmutatione simplicium qualitatum, quæ quidem non augẽtur, nisi secundum intensionem ex parte subiecti participantis.

Arist. 4. phy. text. 84.

Secũd. cõcl.

Tert. cõcl.

EXPLICATIO ARTICVL.

DE augmentatione habituum disputatur à Theologis in 1. d. 17. & in primis statuunt pro certo, & euidenti, habitus augeri: quod patet ex illo. Adauge nobis fidem. & ex illo D. Pau. charitas vestra magis ac magis abũdet. & ex D. Augustin. charitas meretur augeri, vt aucta mereatur perfici. Sed explicare, quomodo augeantur, difficillimum est: de quo disputat D. Th. 2. 2 q. 24. art. 5. De hac re inuenio tres opiniones. ¶ Prima opinio dicit, quòd augmentum fit per aduentum nouæ qualitatis, corrupta priori minus intensa. Hanc opinionem refert Scot. in 1. d. 17. q. 5. & eam tenet Durand. in q. 5. & 7. sed iã hæc opinio ab schola explosa est, & confutatur euidentissimis argumentis. Nam qualitas non corrumpitur, nisi à suo cõtrario: ergo ignis, qui intendit calorem, non corrumpit caloré minus intensum: isti enim calores non contrariantur inter sese. Item sequitur ex hac opinione, si vera est, quod perfectissimus actus charitatis, qui auget charitatem, destruit charitatem præexistentem: quod est alienum à sententia D. Paul. dicẽtis; Charitas nunquam excidit. Idem argumentũ potest fieri de fide infusa, scilicet quòd actus fidei perfectus, qui adauget fidem, destruat fidẽ præcedentem, & aliam producat: quod docere, à vera Theologia alienũ est. Itẽ sequitur, quòd dum aqua redit ad frigiditatem, & paulatim remittitur calor, quòd aqua destruit calorem intẽsum, & producat calorem remissum: quod est falsum: nam intelligi non potest quòd aqua habeat virtutem productiuam caloris. Vltimò, rationes probabiles augent, & perficiunt habitũ scientificum, vt experientia docet: sed ratio probabilis non destruit scientiã præexistentẽ: ergo intensio non fit per hoc quòd abijcitur prior forma, & alia perfectior inducitur. Alia argumẽta solent fieri ad confutandã hãc opinionẽ, quę ex libris physicorum notissima sunt, & cuique obuia. ¶ Secunda opinio dicit, quòd intensio fit per additionem formæ, ad formam præcedẽtem, & per additionem gradus, ad gradum. Itaque si sit aliqua forma accidentaria, vt calor in aqua, intenditur per hoc, quòd alia forma, vel alius calor inducitur, qui facit vnum cum calore prius existente in eadem parte subiecti; & remissio fit oppositò modo. Hæc sententia, si intimè consideretur, vera esse non potest. In primis est contra Aristotelem: is enim scribit, quòd species consistunt in indiuisibili, & sunt sicuti numeri; & quòd facta quacunque additione, vel subtractione, dissoluitur species: ergo si naturę, vel essentiæ qualitatis, additur noua qualitas, dissoluitur species; & sic qualitas intensa, & remissa, differunt specie. Secundò, Aristot. & antiqui philosophi non valent intelligere, quomodo ex duabus qualitatibus distinctis fiat vna qualitas; non enim istæ duę qualitates faciunt vnum, per modum

Luc. 17.

Aug. tract. 5. in Ioan.

D. Thom.

Quomodo augeãtur habitus.

Prim opin. Scot. Durand.

1. Cor. 13.

Secũ. opin.

Arist. 8. met. tex. 10.

modum continuationis, vt duæ partes quantitatis; nec verò quia vna qualitas est veluti potentia, & altera vt actus, quia vtraque qualitas est actus: nec valet dicere quòd sunt partes vnius totius; nam hoc inquirimus, quomodo ex duabus qualitatibus fiat vna, plus quàm ex duabus animabus fiat vna. Tertiò, isti duo gradus caloris in aqua, solo numero differunt: ergo nō possunt suscipi in eodem subiecto, vt ex vtroq; fiat calor intensior. Probatur consequentia: nā duæ qualitates, solùm numero differentes, in eodem subiecto esse non possunt. Item sequitur, quòd calidum vt duo, possit calefacere calidū vt quatuor; quod est falsum: vt patet ex illo axiomate; à proportione minoris virtutis non fit actio. quòd recte sequatur, patet: Nam calidū vt quatuor potest fieri magis calidum per additionē vnius gradus caloris, vt habet hæc opinio: sed calidum vt vnum, potest inducere vnum gradum caloris: ergo potest calefacere calidum vt quatuor. Quòd si dicat aduersarius, quòd potest inducere vnum gradū caloris, sed non in tali subiecto. Contrà. Nam postquam potest inducere vnum gradum caloris, & subiectum potest illū recipere, explicandum est quomodo non possit recipere à tali agēte; nos enim claram reddimus rationem quare non possit; quia non potest perfectiorem calorem, nec ita perfectum producere: aduersarius verò non potest hoc respondere: nam nos tantùm petimus quòd inducat vnum gradū caloris. Vltimò arguitur de remissione. Nam constituamus calidum vt quatuor, & applicetur ei frigefactiuum vt viginti; certè aliquē gradum ex illis destruet: nam non est maior ratio de vno, quàm de altero, siquidem omnes sunt æquales, & in eadem parte subiecti. Dicere verò quòd Deus determinat agentem ad hunc gradum destruēdum potius quàm ad illud, stultiùs est quàm vt mereatur impugnationem. Sed omissis argumentis, quæ ex Metaphysica adduntur, duo argumenta ex diuina Theologia proferūtur, quorum primum est. ¶ Nam si quis assentiatur vni conclusioni per mediū demonstratiuum, & simul assentiatur per multas rationēs probabiles, certiùs & intensiùs assentitur cō clusioni: sed non potest intelligi, quomodo ex gradu opinionis, & ex gradu scientiæ efficiatur vna qualitas intensa. Deinde; nam si quis assentiatur firmiter, & intensè vt decem huic propositioni, Deus est, per fidem infusam; & aducniat demonstratio euidens vt quatuor, certum est quòd assentitur certiùs, & intensius quàm prius; assentitur enim tum propter euidentiam, tum propter sanctam scripturam; sed non potest intelligi quomodo ex vno gradu scientiæ, & ex vno gradu fidei commisceatur vna qualitas intensior, & perfectior: ergo intensio non fit per additionem gradus ad gradum. ¶ Tertia opinio est D. Thom. quòd ista intensio fit per maiorē radicationem formæ in subiecto; vel per hoc, quòd à subiecto magis participatur; aut verò per hoc, quia dat perfectius esse subiecto: hæc enim pro eodem accipi in proposito debent. Quòd hæc sententia sit vera, constat à sufficienti diuisione; nam non fit intensio per hoc quòd præcedens forma abijcitur, & noua producitur: neque verò per additionem nouæ formæ: ergo consequens est quòd fiat per hoc quòd forma magis radicetur, & confirmetur in subiecto. Et profectò hæc explicatio de augmento qualitatum, est maximè accommodata ad explicandū augmentum habituum. Nam habitus ex eo augescunt in animis nostris, quoniam ex frequentatione actuum, & ex assidua exercitatione magis radicantur, & stabiliuntur in animis nostris. ¶ Sed est sciendum, quòd habitus scientiæ augescunt intensiuè, & extensiuè. Intensiuè, quando magis perficiuntur, & confirmantur circa eā dem conclusionem. Extensiuè, quando ad plures conclusiones se extendunt; & tunc dicit S. Doct. quòd augescunt per additionem; non quòd fit additio formæ ad formam, aut luminis ad lumen, sed quia fit additio obiecti ad obiectum, & conclusionis ad conclusionem. ¶ Sed contra sententiam D. Thom. est vnum argumētum satis importunum. Nam quando ignis intēdit calorem; vel aliquid efficit, vel nihilum. Secundum dici non potest; nam incredibile est quòd nihil efficiendo perficiat calorem; si verò aliquid efficit; ergo producit nouum calorem, & sic fit additio graduum. Ad hoc argumentū multi dicunt, quòd in his qualitatibus inexistentia distinguitur ab essentia, atque inhærentia magis ac magis perficitur, qualitate permanente inuariabili. Alij verò dicunt quod ista inhærētia corrumpitur, & alia de nouo producitur magis perfecta quando qualitas augetur: sed hæc sine vllo fundamento allerta sunt. ¶ Vera solutio est, quam habet D. Thom. art. 2. ad 2. & 3. quòd ignis aliquid efficit cùm intendit calorem, non quidem producit nouum calorē, sed facit quòd calor magis inhæreat, & magis radicetur in subiecto; & hic est status, & finis controuersiæ: sicut enim esse album, nihil aliud est quàm albedinē informare subiectum, ita esse magis album, nihil aliud est, quàm albedinem magis informare subiectum. Hæc tamen dicta sint de his metaphysicis; qui plura desiderat, legat Caietan. in his comment. Capreol. 1. d. 17. q. 2. & Soncin. 8. meta. q. 21. nos ad diuinam Theologiam reuertamur. ¶ Est aliud dubium Theologicum; Vtrū habitus infusi augeantur per nostra opera efficien-

D. Thom. sententia.

Habitus scientiæ intensiuè & extensiuè augentur.

Obiectio.

Solutio.

Vera solutio.

Caiet. Capr. Soncinas.

Dubium.

Vtrũ habitus infusi augeãtur à nobis effectiuè.

cienter, an tantùm meritoriè? Videtur primum esse verum: nam homo constitutus in peccato mortali, si diu se exerceat in assensibus fidei firmissimis, inueniet se promptum ad credẽdum; & hæc promptitudo non augetur meritoriè; peccator enim nihil meretur coram Deo nisi supplicium: ergo augetur efficienter. ¶ Secũdò, fides in homine peccatore, euidens est quòd potest habere actus fidei perfectissimos, sed dicere quòd istis actibus non roboratur fides, absurdum est: ergo sine merito augescit.

Prim. argu.

Secundum.

Tertium.

¶ Tertiò, sacramẽtum corporale, vt baptismus, virtute diuina auget virtutes infusas efficienter, vt planè constat ex diuina Theologia: ergo actus fidei auget habitum fidei efficienter. Probatur consequentia: nã actus fidei etiã procedit ex virtute diuina supernaturali. ¶ Quartò, habitus fidei potest infundi sine merito. ergo & augeri. consequentia videtur nota, & probatur antecedens: nam habitus fidei aliquando infundi tur homini, qui in peccato mortali vult suscipere baptismum. ¶ Vltimò, homo suis actibus potest causare virtutes infusas, vt gratiam, & charitatem: ergo potest suis actibus eas augere. Probatur antecedens: nam quicunque introducit vltimam dispositionem ad aliquam formã, causat, & introducit talem formam: sed homo introducit vltimam dispositionem ad gratiam, & charitatem, scilicet pœnitentiam: ergo causat istas virtutes. ¶ In contrarium pugnant maiora argumenta. In primis est sententia communis Theologorum, in 1. distinctione 17. quòd habitus infusi solùm augentur meritoriè. sic habet Diuus Thomas, quæstione 2. articulo 3. illius distinctionis. Durandus quæstione 8. Secundò, habitus infusus à solo Deo causatur, vt habet sana doctrina: ergo à solo Deo augetur. Consequentia probatur: nam eiusdem agentis est augere habitum, & illum producere. Tertiò, habitus infusus, qualitas altior est, & sublimior, quàm vt per naturam haberi possit: ergo non potest augeri per nostros actus; alioqui effectus exuperaret virtutem causæ. Vltimò, omnis efficacia actuum virtutum infusarum prouenit ab ipsis virtutibus infusis: ergo si actus isti augent virtutes infusas, consequens est, quòd ipsæ virtutes se augerent: quod videtur absurdum. ¶ Pro explicatione dico primùm, charitas semper augetur meritoriè; nam opera charitatis semper sunt meritoria. Secundò dico, certum esse quòd habitus fidei, & spei augentur in homine peccatore. Hoc patet ex argumentis initio positis: sed explicare quomodo isti habitus augeantur, difficillimum est. Pro quo dico tertiò, probabile mihi esse quòd augentur per actus nostros supernaturali auxilio

Vltim.

D. Thom. Durand.

Explicatio. Charitas augetur meritoriè. Spes & fides augentur sæpe in peccatore.

productos, sicut cæteræ virtutes. Quartò dico, probabilius esse oppositum, & dicendum est, quòd augentur meritoriè, sicut docent Theologi ferè omnes; augentur, inquam, meritoriè, ad istum sensum, quòd his, qui bene vtuntur habitibus infusis, Deus præstat augmentum; non quòd istud augmentum requirat meritum gratiæ, & charitatis. ¶ Ex his patet ad argumenta in initio posita, præterquam ad vltimũ, ad quod dicendum est, quòd non quicunque ponit vltimam dispositionem, producit formã; nam homo introducit vltimam dispositionem ad rationalem animam, & non producit eam. Secundò respondetur, quòd vltima dispositio ad gratiam, est opus gratiæ operantis & non cooperantis, & ideo potiùs est tribuenda Deo cõuertenti nos à peccato ad iustitiam, quàm nostro libero arbitrio. Alijs solutionibus solet confutari hoc argumentum in materia de gratia.

Ad argum.

ARTIC. TERTIVS.

¶ *Vtrùm quilibet actus augeat habitum.*

SVMMA TEXTVS.

Prior cõcl.

PRior conclusio. Actus intensiores, & perfectiores habitu, augent ipsum habitum: actus verò æquè intensi, ac perfecti, disponunt ad augmentum habitus. Probatur: nam de augmento habituum loquendum est ad similitudinem augmenti animalis: non autem quodlibet alimentum assumptum actu auget animal, sicut nec quælibet gutta cauat lapidem, sed multiplicato alimento tandem fit augmentum. ¶ Posterior conclusio. Actus imperfectiores, & minus intensi non augent habitum, quin potiùs disponunt ad eius diminutionem. Probatur autoritate Aristot. dicentis, aliquos actus ab habitu procedentes minuere ipsum habitum, vtpote cùm negligenter fiunt.

Post. concl.

Arist. 2. eth. ca. 2.

EXPLICATIO ARTICVLI.

DE quæstione huius articuli sunt tres opiniones. Prima dicit, quòd actus remissus, & minus intensus non auget habitum: hæc est D. Thom. in articulo, & in alijs locis multis suæ doctrinæ. Secũda opinio dicit, quòd quilibet actus auget habitum: hæc est opinio Scot. in 1.d.17.q.4. Gabriel q.4. Durand. in 1.d. 17.q.3. tenet opinionem mediam, quòd in habitibus infusis, actus qui debet augere habitum, debet esse perfectior, & intensior ipso habitu; quod tamen non requiritur in habitibus acquisitis. Probat sic: nam ille solus est dignus accipiẽdis, qui bene vtitur acceptis: ergo nõ est dignus recipiẽdis qui remissè vtitur acceptis. Quòd nõ sit eadẽ ratio de habitibus acquisitis, sic ostẽdit. Nã actº nostri multiplicati, quãtũcunq; remissi sint, causãt habitũ, vt experiẽtia docet: ergo quilibet actus auget habitũ: nam habitus eisdẽ causis augetur, quibus generatur. ¶ Sed sententia D. Thom. est etiam Aristot. dicit enim quòd ali qui actus procedentes ab habitu, corrumpunt habitum, quando negligenter fiunt: quod euidenter experientia comprobatur. Nam artifices, quando diligenter se exercent in operibus artis, fiunt meliores; quando verò negligenter, & ignauiter, deteriores. Similiter quando amicitia strenuè exercetur, crescit; quando negligenter, dissipatur. Secundò, actus similes, producunt habitus similes, autore Aristot. ergo actus remissus non causat habitum intensum. Tertiò, omne agens intendit assimilare sibi passum: ergo actus remissus non potest causare habitum, nisi ad suam similitudinem. Quartò, omne agẽs in principio dissimile est, in fine verò simile, vt habet Arist. Sed secundum oppositam opinionem hoc verum non est, sed contrarium. Item, calidum vt quatuor, non potest agere in calidum vt quinque, vt constat ex physica, & ex illo axiomate; à proportione minoris inæqualitatis non fit actio: ergo actus vt quatuor, non potest augere habitum vt quinque: vel demonstretur, vnde hoc nouũ priuilegiũ in habitibus, & actibus. ¶ Ex his probationibus, quæ verisimæ sunt, sequitur statim, quòd actus remissus, licèt continuetur per multum temporis spatiũ, non auget habitum: quod patet in primis exemplo rerum naturalium. Nam calor vt quatuor, licèt continuè applicetur, nunquam aget in calidum vt quinque. Idem patet euidenti ratiõne: nam actus remissus in principio, non auget habitum, sed per continuationem non adquirit nouam virtutem: ergo continuatus non auget habitum. ¶ Sequitur secundò, quòd actus remissus, licèt sæpenumero multiplicetur, non auget habitum. hoc patet ex ijsdem argumentis.

D. Thom.

Scot. Gab. Durand.

Arist. 2. eth. c. 2. & 3.

Arist. 2. eth. c. 1. & 2.

Aristo. 2 de ani. & multis alijs in locis.

Corol. pri.

Secundum.

¶ Tertiò sequitur, quòd æquales actus disponunt maximè ad augmentum habitus; nã exercent habitum, & conseruant, & tuentur illum. Tertium.

¶ Sequitur etiam quòd actus perfectiores, & intensiores augent habitum, non secundum totã suam latitudinem, sed secundum excessum ad habitum; nam calefactiuũ vt octo, superueniens calido vt quatuor, non auget nisi vt quatuor: ergo habens charitatem vt quatuor, si operatur vt octo, non augescit charitas eius nisi in quatuor. Quartum.

¶ Sed contra sententiam D. Thom. sunt aliqua argumenta. In primis, actus remissi nullam habent contrarietatem cum habitu à quo procedunt: ergo non corrumpunt illum: omnis namque corruptio fit per contrarietatem. Obiectio. Prima.

¶ Respondetur, quòd actus remissi per se, non corrũpunt habitum, vt argumentum efficaciter probat; sed per accidens: quoniam cùm homo negligenter, & tepidè operatur, insurgunt passiones, & contraria, quę disipant illum habitum: ideoque qui vult suas virtutes habere securas, oportet vt diligenter operetur. Solutio.

¶ Secundò arguitur: experientia docet, quòd duæ aut tres lucernæ superuenientes vni lucidissimæ & intensissimæ candelæ, augent eius lumen: ergo experientia docet, quòd agens remissum, agit in magis intensum: & sic ruit fundamentum doctrinæ D. Thom. Idem probatur de ignibus, quorum duo aut tres minores augent calorem magis quàm vnus maior ignis. In confutatione huius argumenti est magna dissensio inter Theologos, vt videre est in relectione de augmento charitatis doctissimi Victoriæ. Ego verò dico, quòd omnes illæ lucernæ illuminant tanquam vnum agens multò perfectiùs quàm vnaquæq; lucerna; & ideo non est mirum quòd producant intẽsius lumẽ. Ex quo sequitur, q̃ in casu cõnumerato, semper agens est maioris virtutis, quàm passum. Sequitur secundò, quod in casu posito semper verificatur illud; à proportione minoris inæquali tatis non fit actio. Secunda. Victoria.

¶ Quòd si dicat Theologus; ergo similiter multi actus remissi coadunati augebunt habitum intensum. Negatur consequẽtia: nam actus diuersi non se habent sicut vnum agẽs, sed seorsum quilibet ponitur. Doctissimus Victoria dicebat paradoxum, quòd mille lucernæ non producebant intensius lumen quã vna, sed extendebãt lumẽ per maius spatiũ: cęterum hoc de paradoxo alio in loco differendum est. Victoria.

¶ Vltimò arguitur; Nam quolibet actu charitatis, crescit charitas: ergo falsum dicit D. Th. Probatur antecendens: nam quolibet actu charitatis meritorio fit homo gratior Deo, & acceptior; & debetur ei maior gloria: ergo crescit charitas. Probatur consequẽtia: nã gloria correspondet chari- Vltim.

charitati; & gratia & charitas ſemper ſunt æquales. ¶ Et confirmatur: nam qui multiplicat ſæpe actus charitatis remiſſos, melior eſt, & magis amicus Dei, quàm antea: ergo creſcit charitas, & amicitia. ¶ Propter hoc argumentum quidam Theologi dicunt, quòd homo non meretur vitam æternam per quemlibet actum charitatis, ſed ſolùm per illum, qui eſt intenſior, & perfectior ipſo habitu. Sed hæc ſententia falſa eſt, & quantum ego exiſtimo, contra fidem.

Confir.

Quorundã ſententia.

¶ Alij verò aſſerunt, quòd homo per quemlibet actum charitatis meretur vitam æternam: ſed gratia non creſcit, niſi per actum qui ſit perfectior atque intenſior. Sed hæc ſententia falſa eſt: nam quolibet actu charitatis homo fit gratior, & acceptior Deo: ergo creſcit gratia: gratia enim nihil aliud eſt, quàm acceptatio ad amicitiam, & ad gloriam. Deinde, quolibet actu charitatis homo fit dignior coram Deo: ergo creſcit gratia: gratia enim nihil aliud eſt, quã dignitas ad vitam æternam.

Aliorũ ſententia.

¶ Alij verò dicunt, quòd quilibet actus charitatis auget charitatem; nam charitas augetur meritoriè, vt ſuprà dictum eſt: ſed quolibet actu charitatis augetur meritum: ergo & charitas. Neque eſt idem de habitibus acquiſitis, qui augentur effectiuè, non meritoriè. In iſtam ſententiam, poſt longam diſputationem, videtur deſcendere doctiſsimus Victoria in relectione de augmento charitatis.

Aliorũ ſententia.

¶ Vera ſolutio huius argumenti, quæ in hoc tempore in ſcholis circunfertur, hæc eſt. In primis dicendum eſt, quòd gratia, & charitas, reipſa diſtinguuntur: nam charitas eſt habitus operatiuus, qua nos diligimus Deum: gratia verò eſt qualitas, qua Deo grati ſumus. Secundò dicendum eſt, non eſſe neceſſe quòd in via, gratia, & charitas ſint æquales: nam in Chriſto Domino gratia fuit infinita in genere gratiæ, ſecundum Theologorum doctrinam; charitas verò finita fuit. Tertiò dicendum eſt, quòd quolibet actu charitatis creſcit gratia: hoc probant efficaciter argumenta ſuperiùs adducta. Quartò dicendum eſt, quòd non quilibet actus charitatis auget charitatem: nam charitas eſt habitus operatiuus, ſicut habitus iuſtitiæ; & creſcit per noſtros actus: ergo non creſcit, niſi per actum intenſiorem, & perfectiorem. Vltimò dicendum eſt, quòd ſicut gratia in genere gratiæ creſcit per quemlibet actum charitatis, ita charitas creſcit in genere amicitiæ; non tamen in genere qualitatis. Sed de hoc latiùs 2.2. quæſtione 24. articulo 6.

Vera ſolutio.

QVAESTIO LIII.

De corruptione, & diminutione habituum, in tres articulos diuiſa.

ARTIC. PRIMVS.

¶ Vtrùm habitus corrumpi poſsit.

SVMMA TEXTVS.

Prima concluſio. Illi habitus, quorum ſubiectũ eſt corruptibile, & quorum cauſa habet contrarium, poſſunt corrumpi per ſe, & per accidens. Duobus enim modis dicitur aliqua forma corrumpi; per ſe, & per accidens. Tunc per ſe corrumpitur, quando corrumpitur à contrario. Per accidens autem, quando corrumpitur ad corruptionem ſubiecti. Habitus ergo qui ſunt in corruptibili ſubiecto, & quorum cauſa habet contrariũ, poterunt corrumpi ad corruptionem ſubiecti, & à contrario; & conſequenter per ſe, & per accidens.

Prim. cõcl.

Forma dupliciter dicitur corrumpi.

¶ Secunda concluſio. Habitus, qui ſunt in ſubiecto incorruptibili, nõ poſſunt corrumpi per accidens: cum enim non poſsit corrumpi ſubiectum, non poterunt corrumpi ad corruptionẽ ſubiecti. ¶ Tertia concluſio. Aliqui habitus, qui non poſſunt corrumpi per accidens, ratione ſubiecti primarij, poſſunt corrumpi per accidens, ratione ſubiecti in quo ſecundario reſident. Probatur: nam habitus ſciẽtiæ eſt in intellectu, tanquam in ſubiecto primario; in viribus autem ſenſitiuis, tanquam in ſecundario;

Secũd, cõcl.

Tert. cõcl.

dario; qui sanè habitus non potest corrumpi ad corruptionem subiecti primarij, quod est incorruptibile; corrumpitur tamen ad corruptionē subiecti secundarij. ¶ Quarta cōcl. Habitus, qui habent cōtrarium, vel ex parte sua, vel ex parte suæ causæ, possunt per se corrumpi; qui verò non habent, non possunt per se corrumpi: vnde species intelligibiles, & habitus naturales, vt synderesis, & intellectus primorum principiorum per se corrumpi non possunt: quia neque in se, neque in sua causa habent contrarium: habitus autem scientiæ, opinionis, & artis, per se corrumpi possunt; quoniam habent tale cōtrarium. ¶ Quinta conclusio. Habitus qui sunt in voluntate, & in appetitu sensitiuo, per se corrumpi valent: nam tales habitus efficiuntur, & generantur ex hoc quòd ratio nata est appetitiuam partem mouere, vnde per iudicium rationis in contrarium mouentis, aut ex ignorantia, aut ex electione, corrumpi possunt.

Quar. cōcl.

Quin. cōcl.

EXPLICATIO ARTICVLI.

IN hoc articulo sunt dubia quædā valde obscura: tum de habitibus qui corrumpuntur; tum de his qui sempiterni sunt. Primum dubium; an habitus per se corrumpatur ex actibus contrarijs; an potiùs ex habitibus contrarijs. verbi gratia. habet quis habitum intemperantiæ, & incipit operari temperatè; Vtrùm isti actus destruant habitum oppositum, vel potiùs generent habitum qui destruat alterum habitum? Gabr. in 3. d. 23. quæst. 1. dubio sexto, tenet hoc secundum, & probat. Nam actus non contrariatur habitui: potest enim esse simul cum habitu, quod manifestè ostendit. Nam actus virtutis est simul cum vitij habitu in homine, qui de nouo ad virtutem conuertitur: ergo actus non destruit habitum. Hanc sententiam refert Almaynus in eadem distinctione, quæstione 2. & reprobat eam vehementer. Consentit Gregorius Arimi. in primo, distinctione decimaseptima, quæstione tertia, sed vterque innititur infirmis argumentis, & rationibus. Pro explicatione veritatis sit prima propositio.

Pri. dubiū. An habitus corrumpatur per actus contrarios

Gab.

Almayn.

Gre. Arimi.

¶ Habitus contrarij possunt esse simul in eodem, in gradibus remissis. Probatur exemplo rerum naturalium: nam duæ qualitates contrariæ possunt esse simul in gradibus remissis; vt in aqua tepida est caliditas, & frigiditas in gradibus remissis: ergo temperantia, & intemperantia possunt esse simul in gradibus remissis. Ex hac conclusione videtur sequi, quòd habitus scientiæ, & opinionis possunt esse simul in gradibus remissis.

Prim. cōcl. Habitus cōtrarij possunt esse simul in gradu remisso.

¶ Secunda propositio. Actus, primò, & per se, & efficienter destruit habitum oppositum. Probatur: nam actus temperantiæ efficienter producit temperantiæ habitum, vt apertè constat: ergo efficienter destruit habitum oppositum. Consequentia inde probatur: nam causa quæ producit formam, efficienter destruit contrariam. Deinde habitus operatur per actum, sicut ignis per calorem, & per calefactionem: ergo actus est qui immediatè dissipat habitum contrarium.

Secūd. cōcl. Actus per se destruit habitum oppositum.

¶ Tertia propositio. Habitus oppositi mutuò se expellunt ab eodem subiecto, non efficienter, sed formaliter; sicut albedo expellit formaliter nigredinem; & sicut ignis producit quidem efficienter calorem in aqua, sed calor immissus in aqua non expellit inde frigiditatem efficienter, sed formaliter. quod sic ostendo. Nam quando forma operatur efficienter, subiectum in quo residet forma, operatur efficienter, vt de se manifestum est: ergo si calor immissus in aqua expellit efficienter frigiditatem, consequens est quòd ipsa aqua expellat efficienter frigiditatem; quod asserere, ab omni veritate alienum est. Igitur habitus temperantiæ expellit tantùm formaliter habitum intemperantiæ. Ad argumentum Gabrielis respondetur, quòd actus contrarius, & habitus, possunt esse simul in gradibus remissis, vt suprà dictum est.

Tert. cōcl. Habitus oppositi formaliter se expellunt.

¶ Sequitur alia dubitatio; Vtrùm actus remissior, & imperfectior possit destruere habitum valde intensum, & perfectum? Videtur quòd non. ¶ Nam omnis actio debet esse à proportione maioris æqualitatis, vt antea dictum est. ¶ Idem confirmatur. Nam ista ratione ostensum fuit suprà, quòd actus remissus non potest augere habitum intensum.

Secūd. dubiū Vtrū actus remissus destruat habitū intēsum. Prim. arg. Confir.

¶ Vltimò, actus remissus temperantiæ vt quatuor, ad summum potest producere habitum tempe-

Secundum.

temperantiæ vt quatuor: sed cum habitu temperantiæ vt quatuor, potest esse simul habitus intemperantiæ in gradu remisso, vt antea dictũ est: ergo actus remissus nunquam destruit habitum oppositum intensum. Ita docet Gregor. de Arimi. in 1. distinctione 17. quæstione 3. Gre. Arim.

Contraria sententia est vera, quæ probatur in primis exemplo rerum naturalium. Nam paruus ignis si applicetur gelu frigidissimo, aliquãtulum de gelu frigore remittit. Idem experientia patet; nam si quis habet habitum temperantiæ perfectum, si diu, & multo tempore, & per totam vitam in actibus intemperantiæ se exerceat remissis, sine dubio perdet habitum; imò per solam cessationem ab opere, vt declarabitur articulo tertio huius quæstionis.

Solut. arg. Qualitatũ proportio in actione & resistẽtia. ¶ Ad argumenta in contrarium respondetur, quod est quædam qualitas habens maximam virtutem ad agendum, & minimam ad resistendum; & alia qualitas, quæ maximam virtutem habet ad resistendum, & minimam ad agendũ: caliditas maximè valet ad agendum, & facillimè extinguitur: humiditas verò contrariò resistit maximè, sed ad agendum minimè: non dissimiliter actiuitas cuiuscunque actus, maior est resistentia cuiuscunque habitus, sicut actiuitas cuiuscunque ignis, vel minimi, maior est quàm resistentia aquæ. Et illud prouerbium; Actio semper debet esse à proportione maioris æqualitatis; verum habet in hoc sensu, quòd agens semper debet habere maiorem virtutem, quàm sit resistentia passi: non tamen in hoc sensu, quòd calidum vt duo, non possit agere in frigidum, vt octo. Actio est à proportiõe maioris æqualitatis.

Ter. dubiũ Dehabitib' incorruptibilibus. ¶ Est aliud dubium de habitibus qui non intereunt; & signanter de habitu primorum principiorum. Ratio dubitandi multiplex est. Argu. prim. ¶ Nam Diuus Thomas in hoc articulo dicit, quòd efficitur ab intellectu agenti; suprà verò quæstione 51. articulo 1. dixerat, quòd erat inditus ab autore naturæ. Solutio. ¶ Hæc obiectio facilè dissoluitur. Nam habitus principiorum, quantum ad lumen, est inditus à natura; quantum verò ad species, & experientias, est adquisitus ope intellectus agentis. Secundum. ¶ Secunda ratio dubitandi est; nam Diuus Thomas dicit, quòd immediatè efficitur ab intellectu agente: sed contrarium videtur verum. Nam intellectus agens non abstrahit species, nisi à phantasmatibus, quibus vtitur tanquam instrumentis. Solutio. ¶ Sed respondetur breuiter, quòd phantasma non se habet vt causa ad nostram intellectionem, sed vt materia remota, ex qua intellectus agens abstrahit species: ita asserit Diuus Thomas 1. parte, q. 84. art. 6. D. Thom. Tertium. ¶ Vltima ratio dubitandi est: nam habitus primorum principiorum habet contrarium: ergo per se corrumpi potest. Probatur antecedens: nam in intellectu non solùm est contrarietas ratione discursus, sed ratione propositionum: nam huic propositioni; bonum est faciendum; contrariatur altera; bonum non est faciendum. Solutio. ¶ Respondetur, licèt habitus principiorum hac de causa habeat contrarium, nihilominus incorruptibilis est; nam intellectus noster suapte natura est determinatus ad assensum primorum principiorum; itaq; sicut ignis nõ potest recipere frigiditatem, quia naturaliter ad calorem determinatus est; ita intellectus noster non potest assentiri enunciationibus, quæ contrariantur principijs primis.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ *Vtrùm habitus possint diminui.*

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Conclusio D. Th. est. Habitus dupliciter diminuuntur, sicut & augentur. Diminuienim possunt per se à contrario, si illud habeant; per accidens verò, ratione subiecti: sicut enim ex ea causa augentur, ex qua generantur; ita ex ea minuuntur, ex qua corrumpũtur: quoniam diminutio habitus est quædam via ad corruptionem ipsius.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Vtrùm omnes habitus minui possint. IN hoc articulo est dubium; An omnes habitus possint diminui? Pro parte affirmatiua sic arguitur. Primũ arg. Nã contraria habent fieri circa idem: sed omnes habitus augeri possunt: ergo diminui. Consequentia probatur: nam augmentatio, & diminutio, contraria sunt. Secundum. ¶ Deinde, omnis habitus, qui naturalis non est, corrumpi potest: ergo diminui. Consequentia probatur: nam diminutio est via ad corruptionem. Vltim. ¶ Vltimum argumentum videtur esse palmarium. Omnis habitus habet latitudinẽ, & potest esse maior, vel minor: ergo diminui potest. In oppositũ ¶ In contrarium est argumentum fortissimum: Nam charitas diminui non potest. quod sic ostendo. Nam duobus modis possumus imaginari quod habitus charitatis diminui possit; aut per peccatum veniale; aut per peccatũ mortale. Per peccatum mortale non diminuitur, sed aufertur potiùs; per peccatum veniale non po-

teſt diminui; nam ſi poſſet diminui per peccata venialia, conſequens eſt quòd multiplicatis peccatis venialibus, gratia, & charitas tollerentur: nam omne finitum, per ablationem finiti tandem conſumitur. De hac difficultate tractatur diligentiùs 2.2. quæſtione 24. articulo 10. & doctiſsimus Victoria in relectione de augmento charitatis in fine. Pro explicatione huius rei ſciendum eſt, non omnes habitus diminui poſſe. In primis, habitus naturales à natura inſiti diminui non poſſunt: nam habitus naturales ſunt quædam proprietates, & inclinationes ipſius naturæ, quæ ipſi naturæ naturaliter conueniunt; & ideo ſicuti natura diminui non poteſt, ſic neque ipſi habitus naturaliter inſiti. Item certum eſt, quòd habitus charitatis diminui non poteſt. Pro cuius declaratione aduertendum eſt, quòd charitas in ſe habet latitudinem, ſecundum quã augeri, & diminui poteſt: Deus enim poteſt charitatem diminuere, qui eam auxit; ſed quoniam ſine pœnitentia ſunt dona Dei, & ex noſtra parte charitas non habet cauſam diminuentem, diminui non poteſt. Quòd verò ex noſtra parte non habeat cauſam diminuentem, ſic probo: nam peccatum mortale non diminuit charitatem, ſed prorſus tollit; peccatum verò veniale non diminuit charitatem, vt ſuprà efficaci argumento probatum eſt.

Victoria. Explicatio. Habitus in natura inſiti nõ poſſunt minui. Habitus charitatis non poteſt diminui.

¶ Ad argumentum primum reſpondetur, quòd contraria habent fieri circa idem, quando ſubiectum æqualiter ſe habet ad vtrumque: quapropter ſi alterum ineſt naturaliter, alterum ineſſe non poteſt: charitas verò non æqualiter ſe habet ad augmentum, & diminutionem; nam habet cauſam augentem, & non diminuentem, & ideo ratio non eſt æqualis.

Ad primum

¶ Ad ſecundum argumentum iam reſponſum eſt, quemadmodum habitus charitatis latitudinem habeat, ratione cuius augeri, aut diminui poterit à Deo. Ad tertium reſpondetur, quòd nihil valet. ¶ Eſt aliud dubium; Vtrùm habitus, qui eſt perfectior, & intenſior ex participatione ſubiecti, ſit perfectior, & intenſior in ſeipſo? Pro parte affirmatiua ſic argumentor.

Ad ſecundũ. Ad tertium Vtrũ habitus perfectior ex ſubiecti participatione, ſit in ſe perfectior.

¶ Nam habitus, qui eſt perfectior, magis actuat ſubiectum: ergo habitus in ſua natura perfectior eſt. Probatur conſequentia: nam perfectior effectus, ex perfectiori cauſa procedit. ¶ Secundò, habitus, ex ſententia omnium Philoſophorum, & Theologorum, augentur, & diminuuntur: ergo in ſe ipſis augentur, alioqui ſolum ſubiectum variatur. ¶ Vltimò, abſurdum eſt aſſerere, quòd charitas non ſit minor in vno, quàm in alio; & quòd lumen gloriæ non ſit perfectius in vno homine beato, quàm in alio.

Prim. arg. Secundum. Vltim.

¶ In contrarium eſt, quòd eſſentiæ rerum habent ſe ſicut numeri, quibus ſi aliquid addatur, vel ſubtrahatur, diſſoluitur ſpecies: ergo ſi habitus intẽſus & perfectus, in ſeipſo variatur, quãdo augetur, diſſoluitur ſpecies; & ſic habitus intẽſus, & remiſſus nõ erunt eiuſdẽ ſpei. ¶ Reſpõdetur, quòd qualitates omnes, quæ intenduntur, & remittuntur, in ſeipſis ſunt magis & minùs perfectæ; ita ait Diuus Thomas, hic ad 2. & 2. 2. quæſtione 24. articulo 4. ad 3. dicit ignorare propriam vocem, qui hoc negant; nam accidens eſſe, eſt ineſſe; igitur qualitas, quæ perfectiùs inhæret, in ſeipſa perfectior eſt. Et confirmatur: nam charitas ſuapte natura ordinatur ad actus meritorios producendos: ergo charitas, quæ perfectiores actus producit, in ſeipſa perfectior eſt. Idem docet Sanctus Thomas 1. parte, quæſtione 42. articulo 1. ad primum, & fuſiùs in quæſtionibus diſputatis, quæſtione vnica de virtutibus articulo 11. & Caietanus 2. 2. quæſtione ſupra citata tenet eandem ſententiam, & Conradus in hoc articulo.

Solutio. D. Thom. D. Thom. Caiet. Conra.

¶ Ad argumenta in contrarium reſpondetur, quòd varietas, & latitudo in rerum eſſentijs aliquando prouenit ex ipſarum rerum eſſentia intima; & hæc ſemper diſſoluit ſpeciem. verbi gratia. continuò atque intelligimus duos angelos diſtinctos, intelligimus eos ſpecie diſtingui: nam eorum differentia ſumitur ex eſſentia ipſa. Alia varietas eſt quæ non prouenit ex ipſa eſſentia, ſed ab extrinſeco, vel ex ſubiecto, vel ex conditionibus indiuiduantibus, vel ex obiecto; & hæc non diſſoluit ſpeciem. Secundò reſpondetur, veriſimè dixiſſe Ariſto. ſpecies ſunt ſicut numeri; ſed non dixit, indiuidua ſunt ſicut numeri. Tertiò reſpondetur, quòd qualitas intenſior, in ſua natura perfectior eſt, nõ per additionem alicuius rei, ſed per maiorem radicationem in ſubiecto, vt ſuprà dictum eſt.

Ad argum. in oppoſitũ

ARTIC. TERTIVS.

¶ Vtrùm habitus corrumpantur, vel diminuantur per ſolam ceſſationem ab opere.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio.

COncluſio eſt huiuſmodi. Habitus corrumpuntur, & minuuntur per ceſſationem ab opere, per accidens; quatenus ſcilicet ceſſante exercitio operum remouetur actus qui prohibebat cauſas minuentes, & corrumpentes

pentes habitum: habitus enim corrumpuntur per se ex cõtrario agẽte; cuius quidem effectus tollitur per actum ab habitu proueniẽtem: ergo si cessatur à tali actu, cõtrarium aget in habitum, & corrumpet, aut minuet illum. quod patet euidenter in habitibus moralibus, & intellectualibus. Cũ enim aliquis non vtitur habitu virtutis ad moderandas passiones, proueniunt multæ passiones, & operationes ex inclinatione appetitus sensitiui, vel aliorum quæ exterius mouent; ex quibus minuitur habitus virtutis, aut verò corrumpitur. Similiter cùm homo ab vsu intellectualis habitus abstinet, insurgunt imaginationes extraneæ, & quandoque ad contrarium ducentes, quibus homo ineptus redditur ad rectè iudicandum, & quãdoque totaliter ad contrarium disponitur, vt Aristot. lib. de longitudine & breuitate vitæ cap. 2. dicit, corruptionem scientiæ, non solũ esse deceptionem, sed obliuionẽ. & 8. ethicorum capitulo quinto dicit, inappellationem multas amicitias dissoluere.

Aristot.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Gab. Prim. argu. cõtra dicta.

GAbriel in 3. d. 23. quæst. 1. dubio sexto tenet, quòd habitus destruitur per solam cessationem ab opere, etiamsi non insurgant contraria. ¶ Et probatur; quoniam habitus dependet ab exercitio actuum, non solùm quantum ad fieri, sed etiam quantum ad conseruari, sicut lumen dependet ex præsentia solis; ergo per solam cessationem ab opere destruitur habitus. ¶ Secundò, Arist. in libro de longitudine, & breuitate vitæ, cap. 2. dicit, quòd scientiam non solùm destruit deceptio, sed etiam obliuio. & 8. ethicor. dicit, quòd multas amicitias silẽtiũ dissoluit. ¶ Respõdetur, contraria sententia sine dubio vera est: nam si dependentia, quam constituit Gabriel, vera est, sequitur quòd si homo per vnum diem nõ exercet habitũ, quòd habitus ille in vno die destrueretur. Rursus sequitur, quòd quando homo dormit, disponitur eius habitus ad corruptionem, quod absurdum est.

Secundũ. Aristot. Tertium.

¶ Ad primum respondetur, iam esse ostensum quemadmodũ isti habitus nõ habẽt istam depẽtiam ab operis exercitio. ¶ Ad secundum respondetur, quòd scientia per se corrumpitur ab errore contrario, & syllogismo deceptorio; per accidens verò ab obliuione. Sed est notandum, quòd aliquis dupliciter potest obliuisci demonstrationis: vno modo, in particulari, quando nõ recordatur medij per quod conclusionem inferebat, sed bene meminit se habuisse demonstrationem; sed iste non amittit scientiam; nam facit hanc demonstrationem; ego habeo euidentiam me demonstrasse hanc conclusionem; ergo hæc conclusio vera est. Alio modo contingit quòd obliuiscitur in particulari, & in communi; & tunc dicit Aristot. quòd perdit scientiam; quod est intelligendum, quantũ ad vsum; cuius euidens argumentum est: nam si postea recordatur, non dicitur de nouo scientiam cõparasse. ¶ Ad tertium argumentum respondetur, quòd amicitia duplex est; honesta, & voluptuosa. Honesta non dissoluitur per absentiam, neque per silentium; delectabilis verò per absentiam, & silentium dissoluitur: nam perdit bonũ delectabile, quod in ea amicitia potissimùm requiritur. Secundò respondetur, quòd vera amicitia dissoluitur per silentium, quando amicus ille eo temporis articulo, quo pro amico fari tenebatur, verbum non profert: & sic dissoluitur à suo contrario. ¶ Sed dubium est, quem sensum habeat illa sententia celebris, quã habet Arist. 6. ethic. c. 5. quòd prudentia nõ perditur per obliuionem? respondetur, hoc axioma habere varias expositiones, sed breuissima explicatio hæc est; quòd prudentiæ non potest esse obliuio, quoniam vsus eius est magis communis per totam vitam, quàm vsus aëris, & aquæ, & solis; & ideo in obliuionem non potest cadere.

Ad primum. Ad secundũ. Ad tertiũ. Dubium. Solutio.

QVAESTIO LIIII.

De distinctione habituum, in quatuor articulos diuisa.

PRÆFATIO.

IN hac quæstione aggreditur S. Tho. distinctionem habituum explicare, vt quot sint habitus Theologus faci lè intelligat, & in numerato habeat.

Habituũ diuisio. Prima. In cuius rei expositione Theologi nouitij varias inducũt diuisiones. Prima diuisio sic habet. Habitus, alius naturalis, ab autore naturæ inditus; vt habitus primorum principiorum: alius est infusus, & inspiratus; vt habitus fidei, & charitatis: alius est acquisitus; vt habitus scientiarum, & virtutum. Secunda. ¶ Rursus sic distribuũtur habitus, quòd alij sint actiui, alij factiui. Actiui nominantur, qui ordinantur ad actiones, præter quas nihil manet; vt habitus scientiarum, & virtutum moralium: Factiui nominantur, qui ordinantur ad factiones, præter quas aliquid remanet; sicut artes mechanicæ, ex quarum operationibus permanent opificia. Tertia. Tertia diuisio sic habet. Habitus, alius bonus, qui virtus appellatur: alius malus, qui vitium nominatur. Quarta. Quarta diuisio. Habitus, alius disponit ad naturam, vt benè vel malè se habeat; vt sanitas in corporalibus, & gratia in spiritualibus: alius est qui disponit ad operandum, vt habitus scientiarum, & virtutum. Hæc dicuntur à nouitijs Theologis sine ordine; sed Diuus Thomas omnia hæc prosequitur summa cum dispositione.

ARTIC. PRIMVS.

¶ Vtrũ multi habitus possint esse in vna potentia.

SVMMA TEXTVS.

Prior cõcl. PRior conclusio. Habitus, qui sunt dispositiones ad naturam, possunt plures in eodem subiecto esse. Probatur: quoniam vnius subiecti partes diuersimodè accipi possunt, secundum quarum diuersam dispositionem, diuersi habitus efficiuntur: si enim partes, quæ sunt humores in humano corpore, accipiantur prout disponuntur secundum naturam humanam, est habitus sanitatis: si verò accipiantur partes similes; vt ossa, nerui, carnes; earum dispositio est fortitudo, sicuti dispositio partiũ dissimilium, vt manus, brachij, capitis, est pulchritudo. ¶ Posterior conclusio. Post. concl. Habitus qui sunt dispositiones ad opera, qui propriè ad potentias pertinent, possunt esse plures in eadem potentia. Probatur: quoniam potest vna potentia moueri ab obiectis diuersis specie: ergo potest talis potentia respectu eorum obiectorum habere actus diuersos specie: ergo etiã poterunt esse habitus distincti specie: habitus enim sunt formæ inhærentes potẽtiæ, quibus inclinatur potẽtia ad determinationem actus secundum speciem.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Dubiũ circa solutionem ad primum. IN hoc arti. est difficile dubium quod hic proponit D. Th. in solutione ad primum. Nã habitus distinguũtur ex obiectis, ex sententia omniũ philosophorũ. Potentiæ similiter distinguũtur per obiecta, vt planè cõstat: ergo vbicunq; est diuersitas habituũ, erit diuersitas obiectorum. Ex quo statim videtur sequi, quòd vbicunq; fuerit diuersitas habituũ, erit diuersitas potentiarũ; siquidẽ est diuersitas obiectorum. Hoc argumentũ vt soluat S. Tho. statuit nõnulla principia: in primis statuit, quòd ea quæ differũt genere, differũt etiam specie; nõ tamẽ è conuerso. Deinde statuit, quòd diuersitas obiectorũ secundũ genus, cõstituit diuersitatẽ potentiarũ: diuersitas verò obiectorũ secundũ speciem, cõstituit diuersos habitus. Ex hoc statim sequitur tertiũ principiũ, quòd diuersarũ potentiarũ actus, & habitus, differunt specie; nã procedũt à potẽtijs quæ in obiectis differũt genere: cæterũ si sunt multi actus, & habitus qui differũt specie, nõ est cõsequens quòd cõstituantur in diuersis potẽtijs: nõ enim est consequens: differũt specie; ergo differũt genere. Hęc solutio D. Th. in magnã nos inducebat disputationẽ de distinctione potentiarũ, atq; scientiarũ, quã in præsentia superuacaneũ est cõmemorare; nã cuiq; notissima est ex Physicæ, & Dialecticæ disputationibus; quapropter argumento proposito alia apertior adhibenda est solutio. Solut. arg. ¶ Dicendũ est igitur, quòd potẽtiæ distinguuntur ex generali ratione immutãdi, & tẽdendi in obiectũ: sicut enim alius est modus tẽdendi in obie-

obiectũ vt in se est; & alius modus tendendi in obiectũ, prout est in cognoscente; sic distinguũ tur inter se potentia cognoscitiua, & appetitiua: nã appetitus fertur in obiectũ vt est in se; poten tia verò cognoscitiua fertur in obiectũ, vt est in cognoscẽte; habitus verò qui cõstituũtur in vna potẽtia, nõ cõstituuntur ex generali ratione im mutãdi, sed ex diuersa ratióe obiectorũ quę eo dẽ modo potentiã immutant: sciẽtiæ enim quæ collocãtur in intellectu, vniuersæ tendũt in ve rũ prout est in intellectu: itaq; nõ distinguũtur hac ratione tẽdendi in obiectũ, sed distinguuntur ex diuersa ratione veri, aut scibilis. Ex quo fa cilè intelligitur, quomodo in eadẽ potẽtia pos sunt esse multi habitus. ¶ Secundò dicendũ est, quòd nõ secundũ eandẽ rationẽ obiectũ cõparatur ad habitũ, & ad potẽtiã: nã potẽtia est qua simpliciter possumus amare, vel intelligere; habi tus est, quo benè vel malè, facilè vel prõptè ope ramur: & ideo vbi fuerit distincta ratio boni, vel difficilis, erit distincta ratio obiecti, quantũ ad habitũ, sed nõ quantũ ad potentiã. Ex quo duo sequũtur; alterũ est, quòd in eadẽ potentia pos sunt esse plures habitus: alterũ est, quòd licèt po tentiæ, & habitus distinguantur ex obiectis, di uersa tamen ratione, vt antea dictum est.

Secũ. solur. ad idẽ arg.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ *Vtrùm habitus distinguantur secun dum obiecta.*

SVMMA TEXTVS.

Concluſio.

COncl. est. Habitꝰ tripliciter distinguũtur; secũdũ princi pia actiua; secũdũ naturã & secũdũ obiecta specie differẽtia. Habitꝰ nãq; habet duo; & est forma quędã, & est habitꝰ. Vt habitus sunt formæ, distinguũt ad modũ aliarũ formarũ ex distinctione agẽtiũ: cũ enim agẽs agat sibi simile, diuersi agẽtes, diuersitates formarum effi ciũt. Vt autẽ habitus secundũ ratio nẽ habitꝰ cõsiderãtur, dicũt ordinẽ ad aliquid, & cõsequẽter distinguũ tur ad distinctionẽ eorũ ad quę or dinãtur. Ad duo aũt ordinat habitꝰ nã est dispositio ad naturã, & ad o perationẽ naturã cõsequẽtẽ: ergo habitus in ratióe habitus habẽt di stinctionẽ ex natura, & ex operatio ne quæ specificatur ab obiecto.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Vtrũ habi tus distin guantur ex principio actiuo.

IN hoc art. dicit S. Th. q; qualitates & habitus distinguuntur ex principijs actiuis, ex quibus procedũt. Hoc vide tur fãlsum: nã calor eiusdẽ speciei pducitur ab igne, & sole: sol verò, & ignis, genere differũt. Respõdetur, sentẽtia D. Th. debet expli cari de causis proximis, & vniuocis: causa nãq; æquiuoca multifarios potest producere effectꝰ. Vel explicãdus est D. Tho. de causis proximis, ad quas effectus dicunt intrinsecũ ordinẽ; sicuti sciẽtiæ, quoniã dicũt intrinsecũ ordinẽ ad me diũ demonstratiuũ, ab eo suscipiũt speciẽ. Vlti mò dicendũ est, q; licèt sentẽtia D. Th. in cæte ris qualitatibus non diceret verum, in habitibus certissima est: nam habitus distinguũtur ex acti bus, ex sentẽtia oĩm philosophorũ, & actus cau sant habitꝰ: ergo distinguũt ex actiuis principijs.

ARTIC. TERTIVS.

¶ *Vtrùm habitus distinguantur secun dum bonum & malum.*

SVMMA TEXTVS.

Prim. cõcl.

PRi. cõcl. Habitus distinguũ tur specie: qa vnꝰ bonꝰ est, alius malus. Probatur à D. Th. in argu. sed cõtrà, ex eo q; habi tus bonus, habitui malo cõtrarius est: cõtraria aũt, specie sũt diuersa. In corpore aũt ita idipsũ cõfir. Ha bitus em̃ distinguũtur specie in or dine ad naturã: habitus aũt bonus dicitur, qui disponit ad actũ conue nientẽ naturę agẽtis; qa est secũdũ rationẽ: habitus verò malus est qui disponit ad actũ minimè cõueniẽ tẽ naturæ: secũdũ ergo differentiã boni & mali, habitus specie distin guũtur. ¶ Secũ. cõc. Habitꝰ acquisi tus, & infusus differũt specie. Pro bat: quoniã etsi ambo rectè dispo nãt, tñ acquisitus disponit naturã in ordine ad actũ cõueniẽtẽ naturę inferiori; habitꝰ aũt infusꝰ disponit ad actũ cõuenientẽ naturæ supiori

Secũd. cõcl.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Argum. contra prim. cõcl. Primũ arg.

IN hoc articulo prima conclusio examinanda est diligenter: nam videtur falsa. In primis idem habitus numero potest esse successiuè bonus & malus: ergo habitus non distinguuntur secundum bonum & malum. Consequentia manifesta est, & probatur antecedens. Nã tẽperantia inclinat vt abstineamus à carnibus feria sexta & comedamus feria quinta: quòd si Ecclesia mutet præceptũ à feria sexta in quintã, ia ille habitus, qui antea inclinabat ad bonũ, inclinat ad malũ, scilicet ad comedendũ carnes feria quinta.

Secundò. ¶ Secũdò, si quis habeat consuetudinẽ cũ cõcubina per habitum intemperantiæ, si postmodũ ducat illã in vxorẽ, ille habitus qui prius ad malũ inclinabat, certè ad bonũ inclinat. Idem argumentum fieri potest de infideli, qui obseruabat ieiunia propter idolũ: in quo, si cõuertitur ad fidẽ, habitus ille qui erat malus propter errorẽ,

Vltim. cõtinuò efficitur bonus. ¶ Vltimò, vnus idẽq; actus successiuè potest esse bonus & malus, vt demonstratum est suprà q. 18. & q. 20. art. vltim. ergo vnus idemq; habitus potest esse successiuè bonus & malus. Cõsequentia inde probatur:

Argumẽta ad probandũ quòd diuisio habitus in bonũ & malũ, nõ sit bona. nam similes actus, similes generãt habitus. ¶ Ex alia parte videtur hæc diuisio mala esse: nam potest dari habitus indifferens ad bonũ, & ad malũ; ergo non bene diuiditur habitus in bonũ, & malũ. Antecedens probatur; tũ, quoniã dantur actus indifferentes: tum verò, quoniã opinio videtur habitus indifferens; aliquando enim dicit verum, aliquando falsum. Idem demonstro euidentiori argumẽto.

Argu. prim. ¶ Nã opinio non est virtus, vt de se manifestum est; nec verò est habitus malus: nam si esset habitus malus, habere opinionẽ malum esset. Et confirmatur: nã assentiri rationi probabili, malum non est: ergo opinari, malũ non est.

Secundò.

Confir.

Caiet. sententia. Ad hoc dubium explicandum D. Caiet. dicit D. Tho. non negare quòd idẽ habitus successiuè possit esse bonus & malus, sed tantũ docet, quòd simul non possit esse malus & bonus: nam bonum, & malum contrariantur: contraria verò simul esse non possunt. Idem docet Scotus in 1. d. 17. q. 2.

Scot. sed de hac sententia in quæstione sequenti iudicabimus: nunc ad argumenta proposita satisfaciendum est. ¶ Ad primum respõdetur, quòd habitus bonus, vt habitus temperãtiæ, non tantùm inclinat ad obiectum materiale, sed ad abstinendum, vel comedendum sicut recta ratio præcipit secundum omnes circunstãtias, quando oportet, & prout oportet. Itaq; tẽperantia quæ modò inclinat ad abstinendũ feria sexta, si mutetur præceptum in feriam quintam, inclinabit ad abstinendum feria quinta, secundum iudicium prudentiale.

Arg. solut. Ad primũ.

¶ Ad secundum argumentũ respõdetur, quòd ille habitus prior, est semper malus, & in malum inclinat; cæterùm ducta vxore, habet alios actus bonos, quibus habitus bonus comparatur in bonas operationes inclinans. Ad tertium argumentum idem respondendum est. ¶ Ad quartum argumentum respõdetur, quòd idẽ actus, quando transit de bono in malum, est alius in genere moris, & ideo producit alium habitum in genere moris: neque est consequens, quòd si est idem actus in genere naturæ, sit idem habitus in genere naturæ: nam actus in genere naturæ, non generat habitum, sed in genere moris.

Ad secundũ & tertium.

Ad quartũ.

¶ Ad alia argumenta quibus probatur dari habitum indifferentem, ad primum respondetur, quòd non dantur actus indifferentes in individuo, & in exercitio, sicuti ostensum est suprà quæstione 18. articulo 8. & 9. ¶ Ad aliud argumentum secundum, Durand. in 2. distinctione 40. quæstione 3. ad primum, non habet pro absurdo concedere, quòd habitus opinionis sit indifferens: nam aliquando dicit verum, aliquando falsum. Stoici philosophi asserebant, opinari, esse malum; & virum sapientem nunquam opinari; nam qui opinatur, exponit se falsitatis periculo. D. Thom. asserit semper, quòd opinio non est virtus: signanter in quæstione sequenti articulo 4. & quæstione 57. articulo secundo ad tertium. Ex hoc tamen nõ est consequẽs, quòd opinari sit malum morale: tum, quoniã qui opinatur, non eligit malum, sed exponit se falsitatis periculo cum magna probabilitate quòd dicit verum, & vt plurimum verum dicit; tũ deinde, quoniam cognoscere contingentia, & opinabilia, non est perfectio intellectus. Veram solutionem huius argumẽti, & pulcherrimam habet S. Thom. 2. 2. q. 60. articul. 4. & ibidem Dominus Caietanus.

Ad aliaarg. Ad primũ.

Durand.

Stoici.

D. Thom.

Vera solutio secundi argumenti.

ARTIC. QVARTVS.

¶ Vtrùm vnus habitus, ex multis habitibus constituatur.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. IDeo vnica cõclusione de habitibus operatiuis, de quibus præcipuè hoc in loco instituit sermonẽ; & talis est. Habitus operatiuus nõ cõstituitur ex multis habitibus, sed est vna simplex qualitas. Hãc in argumẽto, sed

contra,

contra, ita probat. Habitus est quę dam forma simplex: est enim qualitas quædam: nullum autem simplex constituitur ex plúribus: ergo vnus habitus non constituitur ex pluribus habitibus. Eandem argumento alio probat in corpore. Omnis perfectio proportionatur suo perfectibili: habitus autem perfectiones sunt potentiarum: oportet ergo vt potentijs proportionentur: potentia autem vna cùm sit, extendit se ad multa, prout conueniunt in vna communi obiecti ratione: ergo etiam habitus ad multa se extendet, secũdum quòd habẽt ordinem ad aliquod vnum: ad vnam scilicet peculiarem obiecti rationem, aut ad vnam naturam; aut verò ad vnum principium. Quamuis ergo in habitu, cõsideratis his ad quæ se extẽdit, multiplicitatem inueniamus; quia tamen multiplicitas illa est ordinata ad aliquid vnum, ad quod præcipuè habitus respicit; habitus dicitur qualitas simplex, non constituta ex pluribus habitibus.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Caiet. DOminus Caietanus in hoc articulo multa adducit scitu & consideratione dignissima. In primis dimicat cõtra Scotum, qui in prologo sententiarum quæstione 3. conatur subuertere rationem D. Thom. in hoc articulo positam. Sed certè Scotus non intellexit Diuũ Thomam, & eius impugnatio à nemine hominum intelligitur: quapropter Dominus Caietanus nequit satis de isto homine mirari. Deinde Dominus Caietan. impugnato Scoto docet, quòd habitus scientiæ non sunt multæ species intelligibiles (vt multi dixerunt) ordinatæ ad intelligendum: quæ sententia sine dubio verissima est. Nam fides non est ordinatio specierum, sed lumen ad credendum: prudentia non est collectio specierum, sed dictamen ad rectè iudicandum. Rursus, ars non est collectio specierum, sed virtus ad operandũ. Ergo scientia non est ordinatio specierum, sed virtus ad iudicandum. Deinde, omnes sapientes, & insipientes, æqualiter apprehendunt res simplices: sed sapientes rectè iudicant: ergo sapientia est facultas rectè iudicandi. Vltimò, intellectus noster est indeterminatus ad res ipsas apprehendendas simplices, ad quod adiuuatur ab speciebus: rursus, est indeterminatus ad rectè iudicandum, quod officium præstat scientia: ergo non est collectio specierum. Adducit in confirmationem huius rei Dominus Caietanus multa dicta D. Thom. vnum est, quod ego nõ probo in sententia Caietani; dicit enim quòd scientię rerum naturalium in angelis nihil aliud sunt, quàm species intelligibiles, naturaliter inditæ: nam intellectus angelicus naturaliter est determinatus ad naturalium rerum cognitionem; sicut intellectus noster ad assensum primorum principiorum. Hæc sententia mihi non placet: nam si sentiamus cum Diuo Thoma quòd habitus primorum principiorum est qualitas insita à natura præter species intelligibiles, omnino dicendum est, quòd in angelis in primordio suæ creationis, præter species intelligibiles, infusi sunt habitus scientiæ ad rectè iudicandum.

Scot. Habitus scientiæ nõ sunt multę species intelligibiles

Deinde disputat Dominus Caietanus contra quosdam Theologos, qui aiunt, tot esse habitus scientificos, quot sunt conclusiones quæ in illa scientia per demonstrationem intelliguntur; & tot esse virtutes, quot sunt materiæ circa quas versantur; vt alia sit temperantia circa oua, alia circa carnes; & hanc doctrinam habet Gregorius de Arimino in prologo, quæstione. 3. Gabriel. in 3. distinctione 23. quæstione 2. conclusione quinta. Hæc sentẽtia falsa est, & absurda: nam per vnam fidem infusam credimus omnibus veritatibus diuinis, quoniam conueniũt in vna ratione formali, quę est diuina reuelatio, ita dicit Paulus ad Ephesios; Vna fides. Rursus, vna est charitas, quam ponit Diuus Paulus primæ Corinthiorum capitulo decimotertio, qua diligimus Deum, & proximum, & multas facimus operationes studiosas, propter vnum motiuum formale, quod est Deo placere. Præterea, stultum est ponere aliam virtutem misericordiæ ad conferendum argentum; aliam ad conferendum aurum: sed vna virtus misericordiæ est propter vnam rationem formalem, quæ est subleuare miseriam pauperum. Itaque quemadmodum artifex per vnam artem operatur multa artificiata, sic dicendum est de virtutibus intellectualibus, & moralibus, quòd erit vna virtus circa obiecta diuersa materialia, quando conueniunt

Gre. Arim. Gabr. Ephes. 4. 1. Cor. 13.

in

in vna ratione formali virtutis: ita videmus in potentijs naturalibus, quòd vna potentia visiua fertur in albedinem, & nigredinem, quoniam
Obiection. Prima. conueniũt in vna ratione visibilis. ¶ Sed cõtra hãc doctrinam sic argumẽtor. Nã qui habet habitum scientiæ circa vnam conclusionem per demonstrationem, non potest assentiri alijs cõclusionibus, nisi aliæ adueniant demonstrationes: ergo in scientia non est vnus habitus, sed
Confir. quælibet demonstratio generat habitum. Et confirmatur: nam potest accidere quòd quisha beat circa vnam conclusionem euidentem demonstrationem, & errorem circa aliam in eadẽ scientia: ergo in scientia sunt multi habitus.
D. Thom. Secunda. Vltim. ¶ Secundò, autore D. Thom. 3. p. q. 11. articulo vltimo, scientia infusa animæ Christi constat ex multis habitibus: ergo. ¶ Vltimò, liberalitas est vna virtus; sed constituitur ex multis habitibus; quorum vnus ponitur in appetitu sensitiuo ad moderandas passiones pecuniæ, alter in
Arg. solut. voluntate ad dandum alijs liberaliter. ¶ Ad primum argumentum respondetur cum Diuo Thoma, solutione ad tertium, quòd cùm quis acquiescit vni conclusioni per demonstrationem, acquirit habitum scientiæ: postmodum verò cum assentitur alijs conclusionibus per nouas demonstrationes, non acquirit habitũ scientiæ, sed prior extenditur, & perficitur. Ex quo sequitur, quòd habens scientiam circa vnã conclusionem primam, non potest assentiri cæteris conclusionibus; non propter defectum luminis, sed quoniam non habet media demonstratiua. Sequitur rursus, quòd habens scientiam circa vnam conclusionem, potest habere errorem circa aliam; quoniam potest habere mediũ erroneum ad illam conclusionem.
Ad secundũ ¶ Ad secundum respondetur, quòd quando dicit D. Thom. scientiam infusam animæ Christi esse distinctam per multos habitus, nomine habituum intelligit species intelligibiles, vt patebit textum intuenti. ¶ Difficultas tertij argumẽti in q. 56. explicabitur. Atq; de materia habituũ hactenus dictum sit.
Ad tertium

QVAESTIO LV.

De virtutibus, quantum ad earum substantiam, in quatuor articulos diuisa.

IN MATERIAM DE VIRtutibus Præfatio.

TRactatum de virtutibus distribuit Diuus Thomas in partes quinque. Primò, de virtutis nomine, & definitione differit: deinde in quo subiecto constituatur, demonstrat. Tertiò verò diuisionem virtutis aggreditur. Quartò de virtutis causa tractat: vltimò de proprietatibus virtutis differit. Secundò notandum est, quòd de hac materia differunt Theologi in 2. d. 26. & in 3. d. 23. & alibi sparsim: nam magister sententiarum non edidit particularem tractatum de virtutibus, sed sparsim disputabat prout occasio se offerebat. Tertiò notãdum est, quòd hoc
2 nomen virtutis, pluribus à Latinis vsurpatur modis. Gabriel in 3. d. 23. q. 1. refert decem modos, & eò plures, sed communiter quatuor modis accipitur. Primò, pro perfectione potentiæ, quæ ipsam rectè affectam reddit ad bene operãdum; & hoc modo de virtute nunc loquimur. Secundò, accipitur pro operatione ipsius virtutis, vt in illo Marci. Non potuit ibi virtutem aliquam facere, id est opus miraculosum, & ingẽtis virtutis non potuit facere: cui consonat illud in eodem capitulo; Vnde huic sapientia & virtutes? Tertiò accipitur pro obiecto, & materia virtutum: vnde Aristot. sic definit virtutem; Est vltimum potentiæ, id est, est vltimum in quod vnaquæque res potest. In hoc sensu solemus dicere; virtus Petri est portare decem libras: in eodem sensu dicit sacra scriptura; Ficus, & vinea dederunt virtutem suam, id est, produxêre fructus, quos producere poterant. Quartò, accipitur hoc vocabulum (& est celebris acceptio in diuinis literis) pro potentia, & valore; sic accipitur in illo. Non enim erubesco euangelium: virtus enim Dei est in salutem omni credenti; id est potentia Dei est: &, Verbum crucis pereuntibus stultitia est, ijs verò qui salui fiũt, virtus Dei est: id est, potẽtia Dei est: &, Non in persuasibilibus humanę sapiẽtię verbis, sed in ostẽsione spiritus, & virtutis. Et nõ est necesse tractari à me in præsentia à quo deriuetur nomẽ virtutis. Certè, à viro appellata est, vt asserit Cicer. Rursus, hoc nomẽ virtutis tanquã propriũ sibi vẽdicat fortitudo: nam propria virtus hominis, & viri, fortitudo est: sed inde deriuatum est nomẽ ad omnes virtutes significandas.

Distributio tractatus virtutum in partes quinque. Not. 2. Not. 3. Nomẽ virtutis variè accipitur. Gab. Virtus accipitur quatuor modis Mar. 6. Arist 1. de cœlo. Ioel 2. Rom. 1. 1. Cor. 1. 1. Cor. 2. Cicero lib. Tuscul. quæst.

¶ Vltimò notandum est, quòd virtus varias habet definitiones, quas omnes commemorat Diuus Thomas in hac quæstione. Aristoteles primo de cœlo, sic definit: virtus est vltimum potentiæ. quæ definitio paulò antè à nobis explicata est. Secunda definitio est. Virtus est dispositio perfecti ad optimum. Hæc accepta est ex Aristotele, cuius explicatio perfacilis est. Primò, est dispositio perfecti subiecti ad optimam operationem. Optimam, inquam, in suo genere: temperantia enim vera virtus est, at non disponit ad optimam operationem, sed ad

Virtutis definitiones. Ari. 7. phy. tex. 17.

ad optimam in suo genere. Rursus, fides Christiana vera virtus est, at non disponit ad optimā operationem, sed ad optimam in suo genere. Tertia definitio. Virtus est quæ bonum facit habentem, & eius opus bonum reddit. Hæc accepta est ex Arist. & est de se perspicua, & explicationis non indiget. Sed vnum est aduertendum, quòd competit tantùm virtutibus moralibus: nā virtus intellectuales non faciunt bonum habentem simpliciter, sed secundum quid. Quarta definitio sic habet. Est habitus electiuus, in medio consistens, prout sapiens determinauerit. Hanc definitionem constituit Arist. 2. ethic. sed eā nō commemorat D. Tho. in præsenti quæst. tum quoniam obscura est, & multis indiget vt explicetur quomodo virtus consistat in medio, quo modo à prudentia dependeat: tum verò, quoniā hæc definitio solùm conuenit virtutibus moralibus: dicit enim quòd sit habitus electiuus; electio verò est actus voluntatis. Quinta definitio celebris, qua vtuntur omnes Theologi, est hæc. Est bona qualitas mentis, qua rectè viuitur, qua nullus malè vtitur, quam Deus in nobis, sine nobis operatur. Hæc definitio accepta est ex D. Aug. 2. lib. de libero arbitrio c. 19. & 1. retractationum c. 9. & approbatur ab vniuersis Theologis, & explicatur elegantiss. à D. Tho. in artic. 4. huius quęstionis. ¶ Sed contra hanc definitionē sunt optima argumenta. In primis, citharœdus, qui pulsat liram vt alliciat fœminam ad turpē amorem, malè vtitur arte: rursus, qui pingit imaginem in alterius contemptum, abutitur arte: atq; adeò qui credit propter vanam gloriā, abutitur fide: ergo malè definitur virtus, quòd ea nullus malè vtitur. ¶ Secundò, sunt quàm plurimæ artes, quarum vsus malus est, & perniciosus, vt ars mentiendi, adulandi, componendi venena; harum enim malus vsus est, mentiri, adulari. ¶ Tertiò, quando quis dat eleemosynam ex misericordia propter vanam gloriam, vtitur malè virtute misericordiæ: ergo virtute potest aliquis malè vti. Ex his argum. videtur prędicta definitio esse vitiosa: nam non competit omnibus virtutibus: quod alio argumento conuinco. ¶ Nā illa particula vltima, quam Deus in nobis, &c. solùm conuenit virtutibus infusis. Sed aliud vitiū habet hæc definitio; nam competit multis, quæ veræ virtutes non sunt, quod sic ostendo. ¶ Nā dona spiritus sancti, virtutes non sunt, autore D. Tho. infrà q. 68. Sed vnum quodq; donum est bona qualitas mentis, qua rectè viuitur. Ad hæc argumenta satisfaciendum est. ¶ Ad primum respondent quidam, D. Aug. solū agere de virtutibus moralibus, nō intellectualibus: sed istorum responsio est falsa. Dicendū est igitur, quòd vsus commemorati, boni sunt, si referantur ad artē; mali verò, si referantur ad voluntatis malitiam. Pro quo notandū est, quòd virtutes intellectuales habent in officio perficere intellectū, & non perficere voluntatem: & ideo potest contingere, quòd earum vsus sit bonus in ordine ad intellectū, & malus in ordine ad volūtatem. Ex quo sequitur, quòd si quis habens artē operatur malum artificium, hoc non est opus artis, sed contra artem: si verò operatur bonum artificiū, habens malam intentionem; istud est opus artis bonum: quapropter quādo dicitur in definitione, quòd virtute null⁹ malè vtitur, sensus est, quod cōtinuò atq; est malus, desinit esse vsus virtutis.

¶ Ad secundum argumentum respōdetur, esse magnam contentionem inter Theologos, vtrū illæ artes cōmemoratę sint verę virtutes; de qua re infrà q. 57. ar. 3. sed si sunt veræ virtutes, dicendum est, quòd earum vsus bonus est, si referatur ad intellectū; abominabilis verò, si referatur ad voluntatem. Vel dicendum est, quòd istarū artium vsus non est decipere, neq; adulari, sed deprauare naturam mali, vt illud caueamus.

¶ Ad tertium argumentum respondetur, quòd dare eleemosynam propter vanam gloriā, non est actus misericordiæ: nam misericordia, quæ vera virtus est, dat eleemosynam, quando oportet, & sicut oportet secundū regulas prudentiæ.

¶ Ad quartum respondetur, quòd si auferatur illa particula vltima, reliquum definitionis cōpetit omnibus virtutibus moralibus, & intellectualibus, acquisitis, & infusis. ¶ Ad vltimū argumētum vt satisfaciamus, de distinctione donorū, & virtutum pauca dicenda sunt. Pro cuius declaratione sciendū est, quòd in homine sunt quatuor principia, quibus dirigitur, & illuminatur in suis operationibus ex parte facultatis cognoscitiuæ; scilicet sensus, ratio, fides, inspiratio spiritus sancti extraordinaria, & præter communem legem. Primum principium est cōmune nobis, & brutis; quod qui sequūtur homines, bruti sunt, non homines: secundū principiū constituit nos homines: tertiū principium constituit nos Christianos: quartū principium constituit nos diuinos, & heroicos viros. Secundò notandum est, quòd vnūquodq; istorū principiorū habet suū regnū, & imperiū, vltra quod non progreditur. Sensus extendit se ad sensibilia, in quorū cognitiōe si decipitur, ab intellectu corrigitur, & emēdatur. v. g. sensus iudicat per errorem, baculum in aquis immersum, esse confractū; in quo errore ab intellectu corrigitur. Secundū principiū se se extēdit ad oēs veritates humanas, in quarū rerū cognitione si decipitur, à fide corrigit, & emēdatur: iudicat intellectus per errorē, virginē nō posse parere, & Deū nō posse mori; in quo errore à fide corrigitur, quę captiuat intellectū in obsequium

Arist. 2. Ethi. ca. 6.
Notandum
Arist.
Aug.
Obiectiones.
Primò.
Secundò.
Tertiò.
Quartò.
Vltim.
Solutio.
Ad primum Argum.
Ad secundū
Ad tertium
Ad quartū.
Ad vltimū.
Dona à virtutibus distinguūtur.
Not. 1.
Not. 2.

sequium Christi,& destruit omnem scientiam extollentem se aduersus scientiam Dei. Tertiũ principium extendit se vsque ad cœlos,& vsque ad interiora velaminis,& ad ea quæ nemo cognouit,nisi spiritus Dei,qui in ipso est;nobis autem reuelauit per spiritum suum Deus: de hoc principio,& motore dicit Paulus; Iustus meus ex fide viuit. Sed quoniam hoc principium imperfectè à nobis participatur, necessum fuit q̃ nouis illuminationibus,& inspirationibus à Deo illuminaretur,sicut pupillus à pędagogo;& ideo necessum fuit constituere quartum principiũ, quod pertinet ad dona spiritus sancti,quibus inspiramur,& afflamur ad opera stupenda,quorũ homo non valet reddere rationem: de hoc principio dicit Paulus: qui spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt: notate illud verbum,aguntur;id est secretò inspirantur,& afflantur: huc etiam pertinet illud Psalmi; Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectã.&, Nolite cogitare,quomodo,aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. ¶ Vltimò notandum est,quòd vt rectè moueatur anima à primo motore,ponimus vires sensitiuas: vt autem moueatur à secundo motore,ponimus virtutes humanitùs acquisitas; vt verò moueatur à tertio motore,constituimus virtutes Theologicas,& virtutes morales diuinitus infusas; demum vt moueatur à quarto motore,ponimus dona spiritus sancti. Ex his principijs facilè est intelligere differentiam inter dona,& virtutes: Nam virtutes perficiunt hominem secundum normam rationis humanæ: dona verò secũdum impulsum spiritus sancti. Rursus, virtutes perficiunt hominẽ modo humano: dona perficiunt modo supra humano. Tertiò,in operibus virtutũ homo habet se actiuè,consultando,deliberando: in donis verò spiritus sancti potiùs habet se passiuè; agitur potiùs quàm agat; & est patiens diuina, non agens. Ex his facilè soluitur argumentum propositum: nam cùm dicitur in definitione virtutis,quòd sit bona qualitas mentis, qua rectè viuitur; sensus est,secundum normam, & consilium rationis humanæ. Vel sensus est,qua rectè homo dirigit suas operationes ad vitam rectè instituendam: istæ verò conditiones sic explicatę non conueniunt donis spiritus sancti. sic explicat D. Tho. infrà q. 68. ar. 1. Hactenus de definitione D. Aug. Damasce. lib. 2. dicit virtutes omnes esse secundum naturam; vitia verò vniuersa contra naturam: omne namque vitium intelligitur esse contra naturam hominis, quæ est agere secundum rationem: aliàs quædam peculiaria vitia dicũtur cõtra naturam, videlicet quæ est homini communis cum brutis; vt commixtio maris & fœminæ est naturalis, & communis omnibus animalibus; concubitus autem masculorum, qui ei contrariatur, erit speciale vitium cõtra naturam: sic D. Thom. infrà quæstione 94. articulo 3. ad secundum.

Rom. 1.

Rom. 8.

Psalm. Matt. 10.

Vltimo notandum.

Solutio vltimi.

Damas.

D. Thom.

ARTIC. PRIMVS.

¶ *Vtrùm virtus humana sit habitus.*

SVMMA TEXTVS.

Affirmanse st conclusio, quam probat D. Tho. ex eo quòd virtus quandam potentię perfectionem nominat: virtutes autem humanæ sunt perfectiones potentiarum: namvniuscuiusque perfectio præcipuè attenditur in ordine ad suum finem, finis autem potentiæ actus est; vnde potentia dicitur perfecta, secundum quòd ad suum actum determinatur: potentiæ autem hominis rationales determinantur ad actus, per habitus; quoniam tales potentiæ non sunt determinatæ ad vnum, sicuti potentiæ naturales, sed ad multa. Cum ergo tales potentiæ virtutibus humanis determinentur, virtutes humanæ habitus erunt.

Conclusio.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Conclusio huius articuli euidens est; tum ex ratione D. Thom. tum ex ratione quam adducit Arist. 2. ethicorum capite quinto: dicit enim, quòd in anima tria sunt; potentia, passio, & habitus: sed virtus nõ est potentia, nec passio; erit igitur habitus. Quòd non sit potentia, nec passio, sic ostendo. Nam potentijs,& passionibus non meremur, aut demeremur laudem: virtutibus verò magnam laudem promeremur. Ratio autem quare habitibus mereamur, est, quoniam illos nostro marte,& exercitio comparamus: & ideo si boni sunt, meremur laudem; si mali, vitupera tionem. In hoc articulo Dominus Caiet. mouet dubium ex Scoto quod in 3. articulo cõmodiùs explicabitur.

Arist.

Caiet.

AR-

ARTIC. SECVNDVS.

¶ Vtrùm virtus humana sit habitus operatiuus.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Aristot. 2. eth. c. 6.

Conclusio est affirmatiua, quæ ratione, & autoritate probatur. Inquit enim Aristoteles virtutem cuiusque rei eam esse, quæ opus eius reddit bonum: hoc autem fieri non posset, nisi esset habitus operatiuus. Ratio talis est. Virtus humana, vt modò loquimur, non pertinet ad corpus, sed tantum ad id quod est proprium animæ: etenim in virtutibus pertinentibus ad corpus, homo communicat cum brutis; ergo virtus humana non importat ordinem ad esse, sed ad agere. Hoc ita explicatur. Virtus dicit potentiæ perfectionem; & cùm duplex sit potentia; vna ad esse; alia ad agere; vtriusque perfectio, virtus vocatur. Est tamen discrimen: quoniam potentia ad esse, tenet se ex parte materiæ, quæ est ens in potentia: at potentia ad agere, tenet se ex parte formæ, quæ est principium agẽdi. In hominis autem constitutione corpus habet se vt materia, anima verò vt forma; quæ ita se habent, vt vires corporis communes etiam sint cæteris animalibus: illæ autẽ quæ sunt animæ, sunt propriæ hominis: virtus ergo humana ad animam pertinet: non ergo importat ordinem ad esse, sed magis ad agere: ergo de eius ratione est, esse habitum operatiuum.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Aduertendum est.

IN hoc articulo aduertendum est, quòd gratia, & iustitia originalis, quæ fuerunt in Adam, quæ (auto reD. Thom.) sunt in essentia animę, propriè non debent nuncupari virtutes: nam virtus est immediatè dispositio ad operandum; gratia verò immediatè non disponit ad operandum, sed vt efficiamur consortes diuinæ naturæ, & dilecti, & grati Deo: charitas verò est per quam diligimus Deum, & reddimus vicem pro gratia.

Responsio cuiusdã obiectionis.

¶ Quòd si dicat Theologus; gratia est bona qualitas mentis, qua rectè viuitur, qua nullus malè vtitur, &c. ergo est virtus. Respondetur, quòd gratiæ non competit illa particula definitionis, qua rectè viuitur: nam gratia non datur immediatè ad rectè viuendum, sed vt efficiamur consortes diuinæ naturæ, & Deo grati.

ARTIC. TERTIVS.

Vtrũ virtus humana sit habitus bonus.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio.

Aristot. 2. eth. c. 6. Augustin. 2. de mori. eccles. c. 6.

Conclusio est affirmatiua, quam probat D. Th. autoritate, & ratione. Virtus enim (vt docet Arist. & D. Augustin.) est quæ bonũ facit habentem, & opus eius bonum reddit: ergo virtus humana, bonus habitus est. Ratio autem talis est. Virtus humana ordinat hominem ad vltimam perfectionẽ; nam ordinat ad vltimum in quod potentia potest: vltimum autẽ in quod vnaquæque potẽtia potest, est bonũ: virtus ergo in ordine ad bonum dicitur. Est igitur habitus bonus.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Scot. Sciendum pro explicatione articulorum præcedentium.

VT isti articuli præcedentes, verè explicẽtur, sciẽdũ est, quòd Scot. in 1. d. 17. q. 3. dicit res mirabiles, tũ in falsitate, tũ in obscuritate. In primis dicit, q̃ virtus non dicit differentiam distinctiuã habitus per se, sed dicit respectum eiusdem habitus ad dictamen rationis. v. g. temperantia inclinat ad comedendũ, vel ad abstinendũ à carnibus, & certo ciborũ genere: q̃ verò hoc sit cõsentaneũ rationi, vel dissentaneũ, hoc prouenit ab extrinseco

seco, scilicet ex dictamine rationis. Deinde dicit, quòd habitus virtutis aliquando inclinat in bonas operationes, aliquando verò in malas; vt liberalitas inclinat vt liberaliter elargiamur bona nostra; sed si respublica prohibeat huiusmodi elargitiones, & præcipiat quòd conseruentur pecuniæ in bonum publicum, liberalitas inclinat ad easdem elargitiones, quæ iam sunt prohibitæ, & vitiosæ. Item temperantia, vt abstineamus à carnibus feria sexta, ad quod proinde inclinabit, etiam si respu. oppositum præcipiat. Tertiò dicit, quòd idem habitus potest esse successiuè bonus & malus; vitium & virtus: sicut idem homo potest esse successiuè albus & niger, pater & filius. Vltimò dicit, quòd virtus, secundum quòd virtus est, non est operatiua: nam dicit tantùm relationem. verbi gratia. virtus temperantiæ, quatenus habitus est, est operatiua; inclinat namque ad comedendum, vel abstinendum; cæterùm quòd sit virtus, ab extrinseco habet, nempè quia est conformis, vel difformis rectæ rationi.

Argum. pro opinione Scoti. Prim. arg. ¶ Hæc sententia Scoti confirmatur his argumentis. Primò, idem actus numero potest successiuè esse malus & bonus, vt ostensum fuit suprà quæstione 19. articulo 1. quæstione 20. articulo vltimo. ergo idem habitus numero potest esse successiuè bonus & malus.

Secundò. ¶ Deinde, idem habitus numero potest esse obscurus, & euidens successiuè: ergo idem habitus numero potest bonus & malus esse successiuè. Consequentia inde probatur. Nam sicut bonum & malum contrariantur; ita & obscurum & euidens contrariantur. Antecedens probatur: nam Theologia, quæ in viatore est obscura & ineuidens, eadem manet euidens & aperta in patria cœlesti, vt sentiunt plerique Theologorum. Item, donũ sapientiæ, quod in viatore est ineuidens & obscurum, manet in patria euidentissimum lumen. Deinde, habitus fidei in homine iusto, est vera virtus; at si labatur in peccatum mortale, definit esse virtus vera, & tamen est idem habitus numero secundum fidem catholicam.

Confir. ¶ Et confirmatur. Nam virtutes morales in homine iusto sunt veræ virtutes; at si labatur in peccatum mortale, & perdat charitatem, non sunt veræ virtutes; nam sine charitate nulla est vera virtus, vt definiunt Theologi: ergo habitus habet quòd sit vera virtus ab aliquo extrinseco, non de sua essentia.

Vltim. ¶ Vltimò, si Sarracenus, qui ieiunat & abstinet à vino in honorem sui Mahometi, conuertatur ad veram religionem, continuò ille habitus, efficitur habitus studiosus ad studiosè ieiunandũ.

Prim. cõcl. Virtus est habitus operatiuus. ¶ Pro explicatione huius difficultatis est prima propositio. Virtus est habitus operatiuus, & de sua essentia inclinat ad bonas operationes, sic, vt sit impossibile inclinare ad malas. Probatur hæc propositio; primùm ex varijs virtutis definitionibus. Virtus est dispositio perfecti ad optimum. Item virtus est quæ bonum facit habentem, & eius opus bonum reddit. Rursus, virtus est bona qualitas mentis, qua rectè viuitur, qua nullus malè vtitur: ergo virtus ex sua essentia, & definitione ad optimum actum inclinat. Idem ostendo ex varijs sententijs Aristotelis summi philosophi; dicit enim 2. ethicorum, capitulo 1. quòd temperantia, & in vniuersum omnis virtus inclinat ad similes actus, ex quibus genita est. sed temperantia gignitur ex operationibus temperantiæ: ergo inclinat in similes actus. Et in capitulo 5. inuestigat Aristoteles genus virtutis, & statuit genus virtutis esse habitum; sed si virtus esset relatio, non quæreret Aristotel. genus virtutis in prædicamento qualitatis, sed in prædicamento relationis. Et in capitulo 6. postquam demonstrauit genus virtutis esse habitum, inuestigat eius differentiam, & statuit differentiam virtutis esse quòd sit habitus qui bonum facit habentem, & eius opus bonũ reddit. Aristot. Arist.

¶ Scotus conatur respondere ad hanc autoritatem, & dicit, quòd illud verbum, reddit, non dicit efficientiam. Sed profectò Aristotel. nequit intelligi, nisi dicatur, quòd virtus concurrit effectiuè ad studiosam operationem. quod patet exemplis ab Aristotele adductis in huius rei expositione. Virtus, inquit, oculi, facit sanum oculum, & facit rectè videre: rursus, virtus equi, facit bonum equum, & facit rectè currere; & vniuersa ars quærit medium, & ponit illud, & defectum, & excessum fugit. Præterea Aristoteles sexto ethicorum, capitulo tertio, dicit expressè, quòd opinio non est virtus, quia aliquando dicit verum, aliquando fallit: ergo si habitus virtutis aliquando inclinat ad bonum, aliquando ad malum, nulla virtus est. Item, virtus infusa semper inclinat ad bonum, vt constat ex diuina Theologia: ergo virtus humanitus acquisita semper inclinat ad bonum. Consequentia inde probatur: nam virtutes infusæ infunduntur instar virtutum moralium. Præterea arguit optimè Caietanus: nam ille habitus, qui, vt existimat Scotus, genitus est ex actibus elicitis secundum rationem erroneam oppositam prudentiæ in pagano, si postea in se immutatus efficitur virtus: vel inclinat ad habitus similes prioribus, vel ad dissimiles: non ad dissimiles; ergo ad similes: sed priores fuerunt vitiosi; ergo semper inclinat ad actus vitiosos. Item, actus ille ad quem inclinat talis habitus, vel est ad medium in tali materia, vel ad extrema: si ad medium secundum se, est vera virtus; nam

Scot. Argu. cõtra Scot. Primò. Arist. Secundò. Tertiò. Quartò. Caiet. Quintò.

nam ei competit definitio virtutis, quam ponit Aristote. 2. Ethicorum. Est habitus electiuus in medio consistens: si ad extrema; ergo vitiũ est: vitiũ enim nõ põt trãsire in virtutẽ, sicut neq; albedo in nigredinẽ: cõtraria enim sunt.

Aristo.

Secũda cõ. Virtus est habitus bonus secundum se.

¶ Secunda propositio. Virtus secundum se est habitus bonus, boni operatiuus: itaque nõ collocatur in prædicamento relationis. Hæc conclusio ex præcedenti liquet. Contra hanc conclusionem solent fieri nonnulla argumenta importuna, quæ à me diligentissimè confutata sunt quæstione. 49. articulo. 3. recolite ea quæ ibi dicta sunt.

Tertia cõc. Idem habitus non potest successiuè esse bonus & malus.

¶ Tertia conclusio. Idem habitus non potest esse successiuè bonus & malus, virtus & vitiũ: nam scientia non potest transire in errorem; prudentia non potest transire in fallitatem: ergo virtus non potest transire in vitiũ. Consequentia probatur: nam sicut est essentiale scientiæ inclinare ad verum, ita est essentiale virtutis inclinare ad bonum, sicuti suprà ostẽsum est. Item virtus & vitium differunt ex obiectis, & ex intrinsecis differentijs, vt apertè constat; sicut albedo & nigredo; homo & brutum: ergo in inuicem transire non possunt. Vltimò, superiùs ostensum est, quòd virtus est essentialiter habitus: ergo si desinit esse virtus, desinit esse habitus; sicuti si Petrus desinit esse homo, desinit esse animal. His positis respondetur ad argumenta, & ad primum argumentum in superioribus satis expositum est, quomodo non valeat consequentia.

Solutio argumẽtorũ. Ad primũ argum. Ad secũdũ.

¶ Ad secundum argumentum in primis negatur antecedens: ego enim existimo, quòd Theologia quam acquirimus in via, eadem non manet in patria: sic docet Caieta. explicans illud primæ Corinth. 13. Cum venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est. Idem habet Theophilactus, explicans illum locum: sed de hoc tractatur. 1. parte quæst. 1. artic. 2. Ad illud, de dono sapientiæ, de quo dicit S. Thom. infrà quæstione. 68. articu. 6. quòd manet in patria, respondetur; quòd donum sapientiæ est velut quædam prudentia, quæ de rebus agendis iudicat; prudentiæ verò nihil affert quòd iudicium sit obscurum, an manifestum; & ideo non est eadem ratio.

Caiet.

Theophil.

Secundo respondetur.

¶ Secũdò respondetur negando consequentiã: nam Theologia, siue sit obscura, siue euidens, virtus est: at habitus malus, vitium est; & vitium non potest transire in virtutem.

Ad tertium

¶ Ad tertium argumentum dicendum est, quòd idem habitus fidei manet in homine iusto, & in homine peccatore; nec differt specie, nec numero à fide formata: ex quo consequens est, quòd si hic habitus erat virtus in homine iusto, in homine peccatore est virtus secundum suam essentiam: sed non manet cum modo, neque statu virtutis in homine peccatore; primùm, quoniam non facit bonum habentem: sed hoc non prouenit ex defectu virtutis, sed propter impedimentum peccati. Præterea, quoniam actus fidei dependet ex recta affectione volũtatis; nemo enim credit nisi volens; quapropter nisi sit perfecta voluntas per charitatem, actus fidei non meretur nomen virtutis.

¶ Ad quartum argumentum respondetur, quòd virtutes morales in homine peccatore sunt veræ virtutes in suo genere, vt pulchrè ostendit D. Caieta. 2. 2. quæst. 23. articulo. 7.

Ad quartũ. Caiet.

¶ Ad vltimũ respõdetur, quòd ille qui recenter conuertitur ad fidem nostram, per actus bonos incipit comparare habitum bonum: nam tenetur obseruare multas circunstantias secundum normam rectæ rationis, quas antea non obseruabat; in quibus sentit difficultatem, & laborem. Verum est tamen, quòd in operibus temperantiæ, minorem sentit difficultatem; quoniam habet passiones moderatas propter præcedentes operationes; & quoniam illæ operationes, licèt vitiosæ essent, nõ vt plurimùm à virtute distabant; sicuti prodigus faciliùs efficitur liberalis, quàm auarus.

Ad vltimũ.

ARTIC. QVARTVS.

¶ Vtrùm virtus conuenienter definiatur.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio.

COnclusio est. Definitione ista; virtus est bona qualitas mẽtis, qua rectè viuitur, & nullus malè vtitur, quam Deus in nobis, sine nobis operatur; perfectè explicatur tota ratio virtutis: quæ sanè definitio ex D. Aug. colligitur in multis suæ doctrinæ locis; præsertim ex. 2. de libero arbitrio cap. 18. & 19. & primo retractationum capit. 9. Perfecta etenim ratio cuiusque rei ex omnibus eius causis colligitur. Comprehendit autem huiusmodi definitio, omnes virtutis causas. Formalem quidẽ

in eo, quòd dicitur bona qualitas: quoniam forma rei, ex genere, & differentia ſumitur; & genus virtutis eſt qualitas: differentia autem, bonum: materialis autem cauſa virtutis eſt res circa quam verſatur: quia autem hæc non potuit poni in prædicta definitione; quoniam per eam aſsignatur definitio virtutis in communi, per materiã autem circa quam, determinatur virtus ad ſpeciem; ideo materia in qua, aut ſubiectum, ponitur loco materiæ circa quam, cùm dicitur eſſe bona qualitas mentis. Additur verò illa particula; qua rectè viuitur; vt ſecernatur ab illis habitibus, qui ſemper ſe habent ad malum, vt vitia. Ponitur deinde; qua nullus malè vtitur; vt ſeparetur ab his habitibus, qui quandoque ſe habent ad bonum, quandoque ad malum; qualis eſt opinio, quæ ſe habet ad verum, & falſum. Quod tandem adiungitur; quam Deus in nobis ſine nobis operatur; dicitur propter virtutes infuſas: quapropter tota hæc definitio virtutibus infuſis tantummodò adaptatur: ſi tamen vltima particula tolleretur, omnibus virtutibus cõ ueniret.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Auguſt. IN explicatione huius definitionis, quam elegantiſsimè conſtituit D. Auguſt. multa dicta ſunt in præfatione huius materiæ, ſed nõ omnia dubia explicata ſunt. Nam videtur quòd hæc definitio habeat maximum vitium; non enim facit mentionem vllam legis: virtutis verò notitia ſine lege haberi non poteſt, quod ſic oſtẽdo. Nam omnis virtus, & omnis bonitas, nihil aliud eſt, quàm conformitas ad regulam, &

Obiectiões Primo arguitur.

legem. Certè vbi non eſt regula, rectum non eſt. Item, relatio non poteſt definiri, niſi in ordine ad ſuum correlatiuum: ſed virtus, & bonitas nihil aliud eſt, quàm conformitas ad regulam; oportuit ergo meminiſſe in hac definitione legis, & regulæ. Item, vbi non eſt lex, non eſt præuaricatio, nec peccatum: ergo vbi non eſt lex, neque eſt virtus, nec bonitas. Patet antecedens: nam hoc dicit apertè D. Paul. Romanor. 4. propter quod D. Augu. dicit, definiens peccatum; Eſt dictum, vel factum, &c. contra legem Dei. Vltimò Ariſtote. definiens virtutem ſemper facit legis mentionem; nominatim. 1. rhetoricorum capit. 9. dicit; Fortitudo eſt qua fortes ſumus in periculis, vt leges iubent. &. 5. Ethicorum multis in locis: Iuſtum eſt, quod ſecundum leges eſt: iniuſtum eſt, quòd eſt contra leges. Et definiens iuſtitiam, hoc modo dicit: iuſtitia eſt virtus, qua vnuſquiſque poſsidet quod ſuum eſt ſecundum leges. &. 2. Ethicornm definiẽs virtutem in ordine ad regulam, ſic dicit. Eſt habitus electiuus in medio conſiſtens, rectæ rationi conſentaneus. ¶ Ad hoc dicendum eſt in primis quòd D. Auguſt. in hac definitione non prætermiſit mentionem legis, aut regulæ: nam in eo quod dicit; quòd eſt bona qualitas mentis, qua rectè viuitur; explicat regulam, & legem. Nam bona qualitas mentis ea eſt, quæ rectæ rationi eſt conſentanea: & rectitudo operis nihil aliud eſt, quàm conformitas ad legem, & voluntatem diuinam. Sic explicat D. Thom. ſolutione ad quartum. ¶ Secundo dicendum eſt, quòd virtus, & vniuerſa bonitas moralis, eſt perfectio potentiæ, aut naturæ, ad ſuum actum: & volo dicere, quòd virtus non eſt relatio, nec conformitas ad regulam, vt videtur ſignificare D. Caieta. in articulo ſecundo huius quæſtionis. Rurſus volo dicere, quòd non eſt neceſſe virtutem definiri per ordinem ad regulam, aut ad legem: propter quod Cicer. libro. 2. de inuentione optimè definit virtutem, dicens; Eſt habitus naturæ moderationi conſentaneus. & in primo de legibus: Virtus nihil aliud eſt, quàm perfecta, & ad ſummum perducta natura. Ex hoc verò ſequitur conformitas ad rectam rationem & regulam, in qua eſſentia virtutis non conſiſtit, ſed eſt veluti quid conſequens, & appendix. ¶ Tertio dico, etiamſi nulla eſſet lex, virtus eſſet, & vitium. Hæc ſententia confirmata eſt à me ſuprà multis q. 18. &. 19. & in materia de legibus; & ideo non eſt neceſſe cõfirmari. Certè Seneca dicit pulcherrimè; Etiã ſi Deus non eſſet, aut rerum humanarum prouidẽtiã nõ haberet, optimũ eſt non timere,

Secundo.

Tertio.

Roma. 4. Auguſt.

Vltimo. Ariſto.

Solutio argumẽtorũ.

Dicitur primo.

D. Tho.

Dicitur ſecundo.

Caieta.

Cicero.

Dicitur tertio.

Seneca.

timere, aut concupiscere plus quàm oportet, & nulli iniuriam inferre.

Ad argumẽta respõdetur primo.

¶ Ad argumenta in contrarium respondetur, quòd virtus sæpenumero per ordinem ad legem definitur; quoniam notitia virtutis facilius habetur ex legibus, quàm ex perfectione, & inclinatione naturæ, quę multis ignota est.

Secundo respondetur.

¶ Secundo respondetur, quòd Philosophi, & Theologi sæpenumero definiunt rem ex effectibus, & ex adiunctis; sed ea definitio, quæ explicat rem ex causis, potior est: cuiusmodi est ista; Virtus est bona qualitas mentis, &c. vt optimè explicat D. Tho. in articulo.

D. Tho.

QVAESTIO LVI.

De subiecto virtutum; in sex articulos diuisa.

PRÆFATIO.

Supponendũ pro explicatione quæstionis primo.

PRO explicatione huius quæstionis statuendum est primo loco ex prima parte D. Tho. quòd rationalis anima habet plures potentias; intellectum, memoriam, voluntatem, appetitum sensitiuum: qui diuiditur in irascibilem, & cõcupiscibilem, potentias sensitiuas, atque adeò potentias exequutiuas. Secundò notandum est, quòd virtus versatur circa difficile, vt testatur Aristot. & constat manifesta experientia.

Secũdo notandũ

Ari. 2. Ethi. ca. 5.

Tertiò statuẽdum est, quòd illa potentia, quæ est determinata ad suum actum, & nullam in suo opere patitur difficultatem, nullius indiget virtutis.

Tertio notãdum

Quartò statuendum est, quòd quando duæ potentiæ concurrunt ad aliquã operationem, vt operatio perfecta sit, necesse est vt vtraque potentia perfecta sit.

Quarto notãdum.

Vltimò notandum est, quòd quando duæ potentiæ concurrunt ad eandem operationem, in ea potentia collocanda est virtus, in qua substantia operationis constituitur. verbi gratia. quoniam credere, secundum suam substantiam est actus intellectus; fides, quæ ponitur ad credendum, in intellectu est collocanda, non in voluntate, licèt ad credendũ requiratur actus voluntatis: nemo enim credit nisi volens. Ex his principijs facilè est intelligere in quo subiecto virtutes sint ponendæ.

Vltimo notãdum.

ARTIC. PRIMVS.

¶ *Vtrùm virtus sit in potentia animæ, sicut in subiecto.*

SVMMA TEXTVS.

Conclusio.

COnclusio est affirmatiua, quã probat D. Th. tribus rationibus. Prima; virtus est perfectio potentiæ: ergo est in potẽtia: nam perfectio est in eo, cuius est perfectio.

Secunda.

Secunda; virtus est habitus operatiuus, vt dictum est: sed habitus operatiuus recipitur in anima, mediante aliqua potẽtia: ergo virtus immediatè in potentia animæ recipitur.

Tertia; virtus disponit ad optimum: optimum autem est finis, qui vel est operatio, vel aliquid operationem consequens alicuius potentiæ: ergo virtutis subiectum potentia est.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ *Vtrùm vna virtus possit esse in pluribus potentijs.*

SVMMA TEXTVS.

Prima con.

PRima Conclusio. Non potest vna virtus æqualiter esse in pluribus potentijs. Hanc cõclusionem probat D. Th. in argumẽto, Sed cõtra, tali ratione. Vnum accidẽs nõ potest esse in pluribus subiectis: at virtutes sunt accidẽtia in potẽtijs animæ, vt in subiectis existẽtia: non ergo vna virtus potest esse in pluribus subiectis.

Secundo.

Alia ratione eãdẽ cõclusionẽ ostendit in corpore: nam vbicunq; est diuersitas potentiarũ, est diuersitas habituum; non tamen è diuerso: virtutes autem habitus sunt: ergo si diuersæ potentiæ sunt, diuersis virtutibus exornari debẽt. Maior illa nota est: quia potẽtiarũ diuersitas

Vltimo.

communior eſt, quàm diuerſitas habituum:illa namque attenditur ſecundum generales, & communes rationes obiectorum;hæc verò ſecundum ſpeciales, & particulares.¶Secunda Concluſio.Ordine quodam poteſt vna virtus eſſe in pluribus potentijs,ita vt in vna ſit præcipuè,in alijs verò per quãdam diffuſionem,vel per modum cuiuſdam diſpoſitionis:vna enim potẽtia alteri ſubordinatur, & mouetur ab alia.

Secunda.

EXPLICATIO ARTICVLORVM.

De liberalitate & magnificentia quæſtiones graues & difficiles.

IN his articulis magna & difficilis mouetur quæſtio, de liberalitate, & magnificentia:nam prędictę virtutes videntur conſtitui in duabus potentijs;in appetitu ſenſitiuo,& in volũtate. quod ſic oſtendo.Nam quòd iſtæ virtutes cõſtituantur in appetitu ſentiente,aſſerit D.Th. infrà quæſt.60.articulo.4.&.2.2.q.31. artic.1. ad ſecundum.&.q.117.vbi agit de liberalitate. Et probatur hæc ſententia optimis argumentis. Nam liberalitas habet in officio moderari nimiam pecuniæ cupiditatem, quæ eſt paſſio appetitus ſenſitiui:ergo conſtituitur in appetitu ſenſitiuo. Rurſus,nimia cupiditas pecuniæ eſt paſſio vehemens,& difficilis ad vincendũ: ergo requirit virtutem in appetitu ſenſitiuo vt illam moderetur.Vltimò,auaritia, & puſillanimitas ſunt paſſiones immoderatæ appetitus ſenſitiui,vt planè conſtat: ergo in appetitu ſenſitiuo ſunt virtutes oppoſitæ. ¶ Quòd verò ſint in voluntate, ijs argumentis perſuadetur.In primis, D.Tho.in.1.p. q.21.articu.1. ad primum;& primo contra gentes cap.93.& in.3.ſententiarum.d.33.q.3. articulo. 4. docet apertè, liberalitatem & magnificentiam in voluntate eſſe conſtitutas:ex quo colligit efficaci argumento, quòd Deus proprie eſt liberalis,& magnificus. Et certè abſurdum videtur, & à vera Theologia alienum, ſentire quòd Deus propriè nõ ſit liberalis, nec magnificus: ſed ſi liberalitas & magnificẽtia verſantur circa paſſiones appetitus ſenſitiui, nõ magis erit liberalis & magnificus, quàm temperatus, & iracundus. ¶Deinde, liberalis & magnificus adiuuant bonum alienum in ordine ad alios; itaque reſpiciunt bonum alterius,& non propriũ:ſed voluntas non eſt determinata ſuapte natura ad bonum alienum:ergo indiget virtute in ipſa voluntate conſtituta. Certè Ariſto. planiſsimè docet, eſſe proprium liberalis & magnifici, ad ſeipſum minimè reſpicere, ſed ad commune bonum. Et profectò ob id potiſsimè iuſtitia in voluntate conſtituitur; quia voluntas de ſe nõ eſt determinata ad bonum alienum.Vltimò, prædictæ virtutes non verſantur circa paſſiones; neque enim eas præcipuè moderantur, ſed circa actiones, & circa liberales & magnificas elargitiones, vt nomina ipſa præſeferunt,& aſſerit Ariſto.2.Ethicorum capit. 7. ergo ſunt in voluntate.¶De hac quæſtione verſantur variæ opiniones. Conradus,& alij diſcipuli D.Thom.recentiores, dicunt, quòd liberalitas requirit duos habitus; alterum,qui conſtituatur in voluntate ad elargitiones faciendas,quando oportet,& animo lubenti: alterum verò, qui conſtituatur in appetitu ſenſitiuo ad moderandam pecuniæ nimiam cupiditatem.Itaque liberalitas integratur ex duobus habitibus,veluti ſcientia ex pluribus ſpeciebus conſtituitur:& idem eſt iudicandum de virtute magnificentiæ. Et ad locum D.Tho.ex prima parte, vbi videtur negare quòd iſtæ virtutes conſtituantur in appetitu ſenſitiuo,reſpondẽt prędicti autores,quòd eo in loco loquutus eſt de prædictis virtutibus ſecundum ſe,non vt ſunt in homine in vita mortali conſtituto:in alijs verò locis, in quibus docet collocari in appetitu ſenſitiuo, loquitur de his virtutibus, prout competunt homini in vita mortali conſtituto. Caieta. infrà q.60.artic.5. longè aliter ſentit:ponit enim in primis quandam explicationem ad concilianda dicta D.Tho.quæ inter ſe diſsidere videntur,& reprobat illam tanquam minimè commodam:ea eſt,quòd liberalitas & magnificentia reſpiciũt,tum paſſiones, tum operationes: paſſiones quidẽ propinquè;operationes verò remotè. Dicit ergo hæc opinio,quòd in quantum reſpiciunt operationes, & ſumptus pecuniæ,ſunt in voluntate; ſed in quantũ reſpiciũt paſſiones,ſunt in appetitu ſenſitiuo. Et quidẽ illud primum aſſertum, quòd ſint in voluntate cõſtituendæ,vel ex hoc probatur; quia vti pecunia eſt actus volũtatis,qui quidẽ videtur eſſe potiſsimus actus liberalitatis & magnificentiæ. ¶Hanc tamen explicationem reprobat Caiet.tum,quia iuxta D.Tho.doctrinam, vna virtus non poteſt ex æquo in duabus potentijs collocari: vnde ſi liberalitas eſt in volũtate,& in appetitu ſenſitiuo,neceſſum eſt dicere quòd ſit in appetitu ſenſitiuo, vt ſubeſt voluntati, vel in voluntate, vt ſubeſt appetitui ſenſitiuo: hoc ſecundum dici non poteſt;

Ariſtote.4. Eth.c.1.

Vltimo arguitur.

Ariſto.

Conra.deciſio quæſtionis.

Caiet.

Caie reprobat ſupra poſitã ſentẽtiam his argumẽtis.

Primo.

nam

D.Tho. Arguitur primo.

Secundo.

Vltimo.

D.Tho. docet quòd ſint in voluntate. Probatur primo.

Secundo arguitur.

nam voluntas non subijcitur ex natura sua appetitui sensitiuo: sed nec primum dici potest; nam si propterea liberalitas est in appetitu sensitiuo, quia ille subest voluntati, hoc esset propter electionem participatam in ipsomet appetitu sensitiuo; sed est commune omnibus virtutibus appetitus sensitiui, quòd earum electio pendeat ab electione voluntatis: igitur pari ratione esset ponenda temperantia in voluntate, & in appetitu sensitiuo. ¶ Secundò, fortitudo respicit passionem, & operationē: ergo simili ratione esset ponenda in Deo, propriè, & non metaphoricè: & tamen D. Thom. negat expressè fortitudinem esse propriè in Deo; quia respicit passiones. ¶ Denique per istam doctrinam non videtur fieri satis testimonio D. Th. ex prima parte, vbi expressè negat liberalitatem esse in appetitu sensitiuo, & circa passiones. ¶ Respondet ergo Caie. quòd D. Thom. in hoc articulo loquitur secundum propriam sententiam; at verò in alijs locis citatis in argumento loquutus fuit secundum aliorum sententiam, quia nondum ascenderat ad speculam huius summæ Theologiæ. Et confirmat dictam sententiam Caie. quia D. Tho. deinceps, vt patet in. 2. 2. quæstione. 117. artic. 1. prosequitur est doctrinam quam ponit in hoc articulo. Et est ratio: quia istæ virtutes non respiciunt operationes secundum se, sicut iustitia respicit, & partes iustitiæ; sed secundum quòd operationes aliqualiter se habēt ad passiones amoris pecuniæ, & spei in pecunia. Ex quo colligit Caie. quòd in Deo non est propriè liberalitas & magnificentia, nisi tantùm metaphoricè. Et eodē modo philosophatur Caieta. de virtute veritatis, quam Diuus Tho. 1. contra gentiles vbi suprà, numeratinter virtutes circa actiones, infrà verò. q. 60. artic. 4. omnes istas virtutes asserit esse circa passiones. Hæc sentētia Caie. est valde probabilis, & sententiæ D. Thom. valde conformis. ¶ Ex his tribus sententijs relatis mihi probabilissima videtur sententia Contra. Primò, quia cùm in prima parte asserit D. Tho. Deo aliquod attributū competere, vel non cōpetere; iam loquitur secundū suam sententiā; quia prima pars definitiua sententia est de ijs, quæ attinent ad Deum: aut igitur hic falsum dicit; aut fuit oblitus propriæ sententiæ. Secundò, quia illud argumentum secundum quòd in principio dubij posuimus, non plenè soluitur, scilicet quòd Aristot. dixit liberalitatem esse circa actiones; & multò minùs soluitur tertium, quòd scilicet voluntas non est proportionata ad bonum alterius, ad quod ordinatur per se liberalitas, & magnificentia: ergo indiget habitu, vt promptè, & delectabiliter operetur. Denique asserere Deum esse liberalem, & magnificum, tantùm metaphoricè, durum videtur, cùm tot beneficia, & tam magna, & bona voluntate conferat hominibus. Quare supereſt vt respondeatur ad argumēta Caie. ¶ Ad primū, respondetur primò, quòd vna virtus vnitate numerica, non potest esse æqualiter in duabus potentijs: at verò vna virtus vnitate ordinis, bene potest esse in duabus potentijs, ita vt illud quod perficit ad vnam operationem vnius speciei, dicatur vna virtus, sicut prudentia dicitur vna virtus, etiam si partiales habitus conueniant ad actum prudentialem, scilicet, eubulia, synesis, & gnomi: de quibus iam dictum est. Sed tamen ista solutio non plenè satisfacit argumento Caieta. quærimus enim an liberalitas, quæ est in appetitu sensitiuo, sit eadem virtus specie cum liberalitate, quæ est in voluntate, & distincta numero; an verò differat specie; siquidem est in potentia distincta specie: & an liberalitas appetitus sensitiui sit subordinata liberalitati quæ est in voluntate; vel ècontra. Ad hæc respondetur primò, quòd non est æqualiter in duabus potentijs vna virtus, neque secundum numerum, neque secundum speciem. Dico secūdò, quòd liberalitas in homine principaliùs est in appetitu sensitiuo, quàm in voluntate. Ratio est: quia maior difficultas est, per se loquendo, ad liberalem dationem in appetitu sensitiuo, quàm in voluntate: ergo ibi principaliter est collocanda virtus in hominibus. Antecedens experientia patet. Et ad argumentum in contrarium, quia voluntas non subordinatur appetitui sensitiuo, distinguo antecedens; vel in genere causæ efficientis: & sic concedo: vel in genere causæ obiectiuæ, seu finalis, consummantis actum voluntatis: & sic nego: imo aliquando actus voluntatis perficitur, & consummatur ex actu appetitus; quemadmodum bona electio voluntatis in materia temperantiæ, est subordinata bonæ intentioni appetitus sensitiui, quam efficit habitus temperantiæ ibidem existens: & rursus, ipsa electio voluntatis in materia temperantiæ consummatur secundum rationem virtutis per electionem appetitus sensitiui. Et hæc patent ex his quæ dicentur infrà hac quæst. articulo sexto; & ex doctrina Caie. ibidem. Sic ergo nunc dicimus, quòd liberalitas, quæ est in voluntate hominis, & actus existens etiam in voluntate, perficitur, & consummatur in electione appetitus, & incipit etiam ex bona intentione eiusdem appetitus sensitiui circa amorem pecuniæ: & per

Secundo.

Vltimo.

Responsio Caiet.

Confirmatio prædictæ sententiæ.

Sententia Cōradi probabilissima. Probatur primo.

Secundo.

Vltimo.

Solutio argumentorū Caieta. Ad primū.

Primo respondetur.

Secundo respondetur.

Aliquando actus volūtatis perficitur & cō summatur ex actu appetitus.

hunc modum dicitur homo liberalis, abſolutè loquendo; quando promptitudine appetitus donat aliquid. ¶ Et ſi quis obijciat contra iſtam doctrinam: ſequitur quòd iuſtitia ſit etiam ponenda in appetitu ſenſitiuo, & non ſolùm in voluntate. Probatur ſequela; quia ad reddendum debitum ſecũdum æqualitatem, eſt difficultas ex parte appetitus ſenſitiui; quoniam plus nimio afficitur ad pecuniam, & ad alia bona temporalia: ergo vt aliquis promptè & delectabiliter reſtituat quod debet, opus habet virtute perficiente appetitum ſenſitiuum. Reſpondetur negãdo ſequelam. Ad probationem reſpondetur, quòd ſufficit virtus iuſtitiæ ad tollendam illam difficultatem appetitus ſenſitiui erga debitam pecuniam: nam ſi liberalitas ſufficit ad dandum quod non debet, magis ſufficiet ad dandum debitum: & argumentum factum bene probat virtutes eſſe connexas, & quòd propter defectũ vnius virtutis, alia virtus infirmatur. ¶ Et notandum eſt, quòd hæc eſt differentia inter iuſtitiam, & liberalitatem: quòd liberalitas ſecundum propriam rationem ſpecificam poſtulat vt homo prompto animo, & libenti operetur: iuſtitia verò non exigit hoc ſecundùm ſuam ſpecificam rationem, ſed tantùm ſecundùm genericam rationem, quatenus virtus eſt: dum enim aliquis reſtituit tantum quantum debet, facit opus natura ſua iuſtum, etiamſi non prompto animo id faciat, neque libenter: nõ autem dicitur homo facere opus liberaliter, niſi animo lubenti id faciat: ſi enim aliquis aliquid faciat ex metu, aut ſpe lucri, nõ eſt actio liberalis illa: primum enim quod conſideratur in dono, eſt amor donantis, vt optimè, & eleganter docet D. Thom. prima parte quæſtione. 38. articulo. 2. Et profectò nomen ipſum, liberalis, hoc videtur inſinuare, quòd homo ſit liber à cupiditate, & auaritia pecuniæ, quæ dicitur idolorum ſeruitus, ſecundum Apoſtolum: & non ſolùm importat quòd homo det aliquid ex libero arbitrio, quod nõ tenebatur dare ex iuſtitia: ſed vtrũq; importat nomen liberalitatis, & nomen liberale. ¶ Ad ſecundum Caiet. reſpondetur, non eſſe eandem rationem de fortitudine, & liberalitate, vt ponatur fortitudo in Deo, ſicut ponitur liberalitas; quia licèt conueniant in hoc, quòd vtraque virtus reſpicit paſſionẽ, & operationem, & principaliùs paſſionẽ, quàm operationem; in hominibus tamen eſt differẽtia: quòd liberalitas reſpicit bonum hominis, non in ſeipſo tantùm, ſed in ordine ad alium: fortitudo autem, ſicut & temperantia, reſpicit bonum hominis in ſemetipſo: vnde iſtæ ponuntur in appetitu ſenſitiuo; quia voluntas non eget virtute ſuperaddita ad bonum propriũ. Ex quo ſequitur, quòd nomen fortitudinis, & temperantiæ, non poſsit transferri in Deũ, niſi metaphoricè: nomen verò liberalitatis, & magnificentiæ, quia ſecundum ſe vniuerſaliter poſtulat quòd ſit in voluntate, quia eſt ad alterum; quamuis in homine in ſtatu præſentis vitæ ſit neceſſaria, principaliter in appetitu: hac de cauſa Deus propriè eſt liberalis, & magnificus, licèt non ſint in illo paſsiones, ſicut in nobis: quemadmodum etiam Deus eſt propriè miſericors, quia confert bona per quæ liberamur à miſeria; non quia ipſe Deus triſtetur, vel compatiatur de malo alieno: ita etiam eſt liberalis, in quantum tribuit perfectionem rebus; non propter ſuam ipſius vtilitatem, ſed propter ſuam bonitatem: de qua re videndus eſt D. Tho. 1. p. q. 21. articulo. 2.

Obiectio.

Solutio.

Nota differentiam inter iuſtitiã & liberalitatem.

D. Tho.

Ad ſecũdũ Caie. reſpõdetur.

Differentia inter liberalitatẽ & fortitudinem.

D. Tho.

ARTIC. TERTIVS.

¶ *Vtrùm intellectus poſsit eſſe ſubiectum virtutis.*

SVMMA TEXTVS.

PRima Concluſio. Intellectus abſque omni ordine ad volũtatem poteſt eſſe ſubiectum habitus, qui dicitur virtus ſecũdum quid: poteſt enim ſubiectum eſſe eorũ habituum, qui conferunt facultatem operis; cuiuſmodi eſt habitus grammaticæ: hi verò habitus non dicũtur virtutes ſimpliciter, quia non ſimpliciter faciunt bonũ habentem, neque opus reddunt ſimpliciter bonum, ſed in quadam facultate. ¶ Secũda Concluſio. Subiectum habitus, qui ſimpliciter dicitur virtus, nõ poteſt eſſe niſi voluntas, vel aliqua potẽtia, ea ratione, qua à voluntate mouetur: ille enim habitus dicitur ſimpliciter virtus, qui non ſolùm dat facultatem operandi bonum, ſed etiã facit vt actu iuſtè operemur. Quòd autem

Prima con.

Secunda.

autem homo bene agat, prouenit ex eo, quòd habet bonam voluntatem: virtus ergo quæ bene operari facit in actu, & non solùm in facultate, debet esse, vel in voluntate, vel in alia potentia, mota à voluntate. ¶ Tertia Conclusio. Secundum quod intellectus habet ordinem ad voluntatem, potest esse subiectum virtutis simpliciter; qua ratione intellectus speculatiuus, est subiectum fidei; & practicus, est subiectum prudentiæ.

Tertia.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Graue dubium.

IN hoc articulo est graue dubium de differentia quam constituit Diuus Thomas inter virtutem intellectualem, & moralem: quòd virtus intellectualis dat facultatem, sed non rectum vsum: moralis verò præstat vtrumque. Hæc differentia videtur quòd non possit consistere. ¶ Nam scientia non solùm dat facultatem ad sciendum, sed etiam assensum verum, euidentem, & infallibilem: & idem inuenitur in Grammatica, & omnibus alijs disciplinis, & artibus: ergo virtus intellectualis etiam præstat rectum vsum. ¶ Secundò Aristot. expresse dicit, quòd ars inquirit medium, & constituit inter extrema: & idem dicit post pauca, de scientia: ergo ars præstat rectum vsum. ¶ Tertiò; nam in superiori quæstione ostensum est multis argumentis, quòd scientijs, & artibus nullus malè vtitur. Quod confirmatur ex definitione D. Augustini. Virtus, inquit, est bona qualitas mentis, qua rectè viuitur, qua nullus malè vtitur. ¶ Quartò: temperantia, quæ verè virtus est, inclinat hominem vt sobriè, & temperatè agat: at homo pro sua voluntate potest operari contra temperantiam. Simile reperitur in artibus, & disciplinis: nam ars pingendi inclinat hominem vt rectè pingat imaginem: sed pictor pro sua voluntate potest malam picturam efficere: ergo nulla est differentia. ¶ Vltimò, virtus intellectualis est perfectior omni morali: ergo virtus intellectualis non est virtus secundum quid. Rursus, ergo præstat bonitatem simpliciter; atque adeò præstat facultatem, & rectum vsum. Patet antecedens: nam Aristote. dicit, quòd beatitudo est actus optimæ virtutis; & quòd hæc virtus est sapientia: sapientia verò, sine controuersia, est virtus intellectualis: quæ sententia sine dubio verissima est. Nam intellectus est perfectior potentia, quàm voluntas; illuminat, dirigit voluntatem, & ei perfecta proponit: ergo virtutes intellectuales perfectiores sunt, quàm morales. Hæc omnia confirmantur autoritate diuinæ scripturæ. Nam Diuus Paulus Romanorum. 1. dicit; quòd homines scelerati veritatem Dei in iniustitia detinent: quibus verbis significat Paulus, quòd homines, qui secundum veritatem cognitam vitam non instituunt, vim inferunt veritati: ergo veritas de se cognita inclinat ad rectum vsum. ¶ Ad hoc dubium respondetur, quòd hæc veritas, quàm constituit D. Thom. in articulo, varias habet expositiones. Prima est, quam hic habet D. Caieta. Differt, inquit, inter virtutem intellectualem, & moralem: nam intellectualis dat facultatem ad bonum actũ, si homo velit ea vti; sed non inclinat, nec perficit voluntatem vt ea rectè vtatur: virtus verò moralis dat facultatem ad bonum actum, & inclinat voluntatem vt ea vtatur, quando opus fuerit. verbi gratia. Grammatica dat facultatem rectè loquendi: sed grammaticus data opera potest loqui contra artem, & non loqui quando opus est; & hoc sine vitio grammaticæ, aut ignorantiæ. Iustitia verò non solùm dat facultatem agendi iustè, sed inclinat voluntatem vt rectè, & promptè iusta operetur quando opus fuerit. ¶ Secunda explicatio est; hoc differt inter virtutem moralem, & intellectualem; quòd opera, quæ procedũt ex virtute intellectuali, vt sint perfecta, sat fuerit quòd in se perfecta sint: opera verò quæ procedunt ex virtute morali, vt perfecta sint, debent esse secundum omnes circunstantias, perfecta, & studiosa. verbi gratia. vt pictura perfecta sit, satis est quòd in se sit perfecta, & suæ arti consentanea, licèt malo fine fiat: opus verò virtutis vt studiosum sit, in primis oportet quòd agens operetur ex scientia: nam si operatur fortè fortuna, vel ex ignorantia, opus virtutis non est. Rursus requiritur, quòd operetur ex electione propter honestum finem: nam si operatur propter vanam gloriam, opus studiosum non est. Vltimò requiritur, quòd operetur firmo, & stabili proposito: nam si operetur inuitus, opus virtutis non est: hunc ergo rectum vsum sola virtus moralis præstare potest: sic habet Aristot. 2. Ethicorum capitulo. 4. ¶ Tertia explicatio. Virtus intellectualis solùm perficit intellectum, sed non sanat, nec perficit voluntatem, nec nostros affectus moderatur, & regit.

Vtrùm virtus intellectualis det bonũ vsum.

Arguitur primo.

Secundo. Ari. 2. Eth. ca. 6.

Tertio.

Augustin.

Quarto.

Ari. 1. Ethi. ca. 7. & 10. Eth. c. 7.

Hæc omnia confirmantur. Roma. 1.

Ad dubiũ respõdetur Exponitur D. Tho.

Prima expositio Caieta.

Secunda expositio.

Aristo.

Tertia explicatio.

verbi gratia. quòd quis vehementer disputet contra timidos, non facit quòd ex eius animo timiditas expellatur: concludere euidentem syllogismum ad demonstrandam virtutis temperantiæ excellentiam, non gignit in animo nostro temperantiam: eloquetissimè agere contra arrogantiam, & ambitionem, non facit animum mansuetum, & mitem. Sola ergo virtus moralis facit, quòd temperatè, & fortiter viuamus: & hunc appellat D. Thom. in

D. Tho. Ex his sequitur primo.

articulo rectum vsum. Ex ijs patet, quòd minimè sit fidendum virtutibus intellectualibus, siquidem minimam habent perfectionem. Se-

Sequitur secundo. Aristo.

quitur secundò, esse verisimum quod dicit Arist. 6. Ethic. ca. 5. quòd in artibus, qui sponte, & ex sua voluntate operatur contra artem, non meretur reprehensionem, nec ars eius vituperatur: quoniam virtus intellectualis non habet in officio perficere voluntatem, sed tantummodò intellectum: qui verò in moralibus voluntariè operatur opus defectuosum, reprehensionem, & vituperationem promeretur; virtus enim moralis habet in officio rectificare voluntatem. Ex his principijs facilè intelligitur, quomodo virtutes intellectuales præstent facultatem, sed non rectum vsum. Ex

Virtutes intellectuales præstãt facultatem sed non rectũ vsum.

eisdem principijs soluuntur omnia argumenta in principio posita: sed vltimum argumentum diligentiùs est confutandum. ¶ Dicendum est in primis; quòd quando fit comparatio inter virtutes vnius potentiæ ad virtutes alterius, fit comparatio inter genus, & genus; & inter præstantissimam virtutem vnius potentiæ, ad optimam virtutem alterius potentiæ. Euidens autem est ex diuina Theologia, quòd lumen gloriæ, & visio beata, perfectior est quàm charitas; & sic verificatur, quòd virtus intellectualis, est perfectior virtute morali, quæ in voluntate cõstituitur. Cũ hoc tamẽ rectè coniungitur, quòd charitas sit perfectior multis virtutibus intellectualibus: exuperat enim omnes scientias naturales; quemadmodum iustitia; licèt sit perfectior temperantia, & fortitudine: cùm hoc tamen rectè stat, quòd vendere pisces iusto pretio, non sit æqualis meriti cum egregio opere fortitudinis, aut temperantiæ. ¶ Secundò respondetur, quòd inter virtutes humanas, prudentia, quæ est virtus intellectualis, primatum tenet: & sic verificatur, quòd virtus intellectualis sit perfectior morali. ¶ Tertiò respõdetur, quòd habitus intellectuales secundum se, sunt perfectiores virtutibus moralibus. quod patet ex subiecto, & ex obiecto, & ex actu ipso: cæterùm virtus moralis participat magis de ratione virtutis: facit enim bonum habentem, & eius opus bonum reddit; quemadmodum scientia de anima perfectior est, quàm scientia Mathematicarum: tractat enim de nobiliori obiecto: sed ratio scientiæ illustrior inuenitur in mathematicis; sunt enim euidentiores. ¶ Vltimò dicendum est, quòd sapientia, in qua beatitudo nostra consistit, dependet ex rectitudine voluntatis, & semper habet cõiunctam rectitudinem voluntatis; & ideo inter virtutes morales computanda est: qua ratione D. Thom. inter virtutes morales constituit prudentiam. ¶ Ad autoritatem D. Paul. dicendum est, quòd veritas cognita inclinat appetitum ad rectam operationem, extrinsecè, & remotè; sicuti finis, & obiectum; quemadmodum centrum inclinat lapidem ad descensum: virtus verò moralis inclinat intrinsecè, & effectiuè, alliciendo, sollicitando, sanando: quemadmodum grauitas inclinat lapidem ad descensum. Certè intellectus ad mouendum ad opera studiosa, minimam habet efficaciam: nam tantùm ostendit cibum, & alimentũ animæ; voluntas verò intra seipsam recipit alimentum, & fortissimè crescit, & auctis viribus procedit de virtute in virtutem.

Solutio vltimi argumenti.

Secundo respondetur.

Tertio respondetur.

Vltimo dicendũ est.

Ad autoritatem Paul. respondetur.

¶ Consequenter quæritur; vtrùm fides, quæ est virtus intellectualis, tribuat vtrumque; & quòd conferat facultatem intellectui ad assentiendum rebus creditis; & quòd tribuat rectũ vsum ex parte voluntatis? ¶ Huius pars negatiua suadetur in primis; quoniam fides est habitus intellectus, & speculatiuus, qui non est secundum se virtus simpliciter dicta, quæ bonum facit habentem, & eius opus bonum reddit: ergo fides non tribuit voluntati rectum vsum. Antecedens probatur: nam fides sola, sine charitate, facit christianum, & verum christianum; quamuis non bonum christianum; ergo potest quis vti habitu fidei, credendo propter vanam gloriam. ¶ Confirmatur hoc argumentum: nam credere Deum esse trinum & vnum, est actus supernaturalis: ergo etiamsi fiat propter vanam gloriam, erit ab habitu supernaturali. Probatur consequentia: quia finis extrinsecus alicuius actus non tollit eius specificam, & specialem rationem.

Vtrũ fides tribuat facultatem & vsum.

Pars negatiua probatur.

Primum.

Confir.

¶ Secundò, qui habet illum actum, maiorem certitudinem habet quòd Deus est trinus & vnus, quàm de quacunque re naturali: ergo ille assensus est ab habitu fidei supernaturali. Consequentia inde probatur: quoniã illa maior certitudo non potest esse, nisi ab aliquo principio supernaturali. ¶ Tertiò, qui assentitur huic propositioni; Christus est risibilis: per hunc discursum; Christus est homo: ergo est risibilis: est verè Theologus, etiamsi antece-

Secundum

Tertium.

denti

denti assentiatur propter vanam gloriam: ergo assensus illius antecedentis est ab habitu fidei infuso. Patet consequentia: quia habitus fidei infusæ, est, per quem assentimur primis
Quartum. principijs sacræ Theologiæ. ¶Quartò, gratijs gratis datis, potest quis malè vti peccãdo mortaliter; vt gratia sanitatis potest quis malè vti propter vanam gloriam; & tamen sunt dona Spiritus sancti, & ex auxilio supernaturali Dei fiunt talia opera mirabilia: ergo non est inconueniens, quòd Deus speciali auxilio cõcurrat ad actum fidei supernaturalis propter
Quintum. vanam gloriam. ¶Quintò, siquis velit efficaciter baptizari propter vanam gloriam, verum suscipit sacramentum: ergo si quis credat propter vanam gloriam, verè elicit actum fidei infusæ. Patet consequentia: quia vterque actus superat naturæ facultatem. Hanc sententiam tenet Caiet. quæstione præcedenti artic. 4. &
In oppositum. 2.2. q. 5. artic. 2. ¶In oppositum est autoritas
D. Tho. D. Tho. in vltima conclusione huius articuli, vbi asserit, quòd intellectus, quatenus mouetur à recta voluntate, est subiectum habitus, qui simpliciter est virtus: nã in intellectu speculatiuo ponitur fides christiana, quæ vera virtus est; in intellectu verò practico, prudentia est, quę primatum obtinet inter omnes virtutes morales. In quibus verbis ostendit D. Tho. quòd nemo potest malè vti habitu fidei
Primũ arg. infusæ, sicut neque habitu prudentiæ. ¶Hæc sententia probatur in primis; quoniã ad actũ credendi ex habitu fidei, etiam informis, concurrit Spiritus sanctus speciali auxilio, ad bonum ipsius credẽtis ordinato: ergo talis actus non potest esse peccatum. Probatur consequẽtia: quia Spiritus sanctus non concurrit ad peccatum speciali auxilio; at credere propter vanam gloriam, est peccatum: ergo non est ab
Secundum habitu fidei infuso. ¶Secundò, nemo potest malè vti prudentia infusa, vel etiam acquisita propter vanam gloriam: ergo neque fide infusa. Probatur consequentia: quia prudentia est etiam habitus intellectualis. Sed respondebit aliquis, quòd prudentia est habitus practicus; fides autem speculatiua virtus est. Ad hoc tamen respondetur, quòd quamuis fides formaliter sit habitus speculatiuus, eminenter tamẽ est practicus; quia fides ordinatur per se, & non per accidens, ad faciendum hominem bonum simpliciter; sicut fundamentum, & principium intrinsecum totius bonitatis: iuxta il-
Hebræ. 11. lud; Sancti per fidem vicerunt regna, operati
Tertium. sunt iustitiam. ¶Tertiò arguitur. Habitu virtutis acquisitæ, etiam quando non est in statu virtutis, sed est quædam bona dispositio initiatiuè, nemo potest malè vti tanquam principio alicuius operis: ergo neque habitu fidei, quando non est in statu virtutis. Probatur cõsequentia: quia sicut de ratione illius dispositionis est, quòd eadem posit peruenire ad statum virtutis; ita de ratione fidei infusæ est, quòd posit esse virtus perfecta. ¶Confirmatur: quia ad perfectam speciem fidei pertinet, quòd sit virtus vera; siquidem secũdum suam essentiam actus fidei depẽdet ex duplici principio; altero, lumine infuso in intellectu; altero, pia affectione voluntatis ad captiuandum intellectum in obsequium fidei; quæ pia affectio non est perfecta sine charitate: ergo vt actus fidei sit omnino perfectus ex sua ratione, necessaria est charitas: ergo secundum propriam speciem suam postulat quòd habeat rationem virtutis. ¶Quartò, Si fide informi potest quis malè vti peccando venialiter: ergo etiam peccando mortaliter. v.g. si homo constituat finem vltimum in vana gloria, propter quem finem credit; & tunc concedẽdum est, quòd credere Deum esse trinum & vnum ex fide infusa, & ex dono Spiritus sancti, erit peccatum mortale. Denique si fide informi potest quis malè vti peccando venialiter: ergo etiam fide formata, quæ est virtus simpliciter dicta. Probatur consequentia: quia habitus charitatis non repugnat esse cum peccato veniali: ergo poterit aliquis credere quando habet habitum charitatis peccando venialiter. Certè argumenta vtrinque premunt, & vrgẽt, & vtraque quæstionis pars magna probabilitate potest defendi. ¶Mihi tamen illa sententia magis probatur, quòd habitus fidei magis sit adsimilis habitibus speculatiuis. Ex quo consequens est, quòd si quis credit propter vanam gloriam; ille actus, quatenus progreditur à fide, bonus est: virtute enim intellectuali nullus malè vtitur, vt suprà definitũ est: quòd verò fiat propter vanam gloriam, est finis ab extrinseco adiunctus, & ideo nõ vitiat actum fidei, quatenus à fide progreditur: veluti cùm quis argumentatur, vel rhetoricatur artificiosè ad persuadendum scelus; vsus hic, quatenus à Dialectica, vel Rhetorica progreditur, bonus est; quatenus ordinatur à praua voluntate in malum finem, malus est: quod in superioribus vberiùs explicatum dedimus.

Confir.

Quartum.

Autoris sententia.

ARTIC. QVARTVS.

¶Vtrùm irascibilis, & concupiscibilis sit subiectum virtutis.

SVMMA TEXTVS.

Prima cõc. PRima Concluſio. Iraſcibilis, & concupiſcibilis ſecũdum ſe, ideſt quatenus partes appetitus ſenſitiui, non ſunt ſubiectum virtutis; virtus enim eſt bona qualitas mentis: quod eſt accipiendũ de mente per eſſentiam, aut per participationem; quorum neutrũ conuenit iraſcibili, & concupiſcibili ſecundum ſe. Secunda. ¶Secunda Concluſio. Iraſcibilis, & concupiſcibilis quatenus participant rationẽ, id eſt natæ ſunt obedire rationi, virtutis humanæ ſubiectum eſſe poſſunt. Hac enim ratione fortitudo ponitur in iraſcibili, & temperantia in concupiſcibili, quæ verè virtutes ſunt. Deinde, actus qui progreditur ab vna potentia, ea ratione qua eſt mota ab alia, non poteſt eſſe perfectus, niſi vtraque potẽtia ſit bene diſpoſita ad actũ: ergo in ijs, in quibus operantur iraſcibilis, & cõcupiſcibilis, vt ſunt à ratione motæ, debent poni habitus ad rectè agendum, qui eas potentias perficiant.

EXPLICATIO ARTICVLI.

DE ſecunda concluſione eſt magna controuerſia inter Theologos: nã Scotus in.3.d.23. q. vnica. &. d.33. Ocham.in.3.d.10.&.11.Gabriel in. 3.d.23.&. 33. Almay. in ſuis moralibus tractatu.3.cap.6.Buridanus, & alij huius claſsis, ſentiunt, quòd in appetitu ſenſitiuo ſunt conſtituendi aliqui habitus, quibus rectè diſponatur vt obediat rationi, ſed non merentur nomen virtutis. Itaque omnes virtutes ad voluntatem ſunt referendæ. Patet hęc ſententia optimis argumentis. ¶In primis, virtus eſt habitus electiuus in medio conſiſtens, rectæ rationi conſentaneus, ſic definit Ariſt.2.Ethi.ca.2. Sed electio eſt actus voluntatis, approbantis

Scot. Ocham. Gabriel. Almay. Burid.

Argumẽta contra ſecundam cõcluſionem. Primum. Ariſto.

medium quod à ratione poſitum eſt: ergo appetitus ſenſitiuus non eſt capax virtutis, ſiquidem eligere non valet. ¶Secundò, appetitus ſenſitiuus non habet libertatem: ergo non poteſt eſſe virtutis ſubiectum. Conſequentia inde probatur: nam in membris exterioribus non conſtituitur virtus; quoniam non habent libertatem: atque adeò ſequitur quòd concupiſcentia noxia, quæ in eo conſurgit contradicente voluntate, ſit peccatum; quod aſſerere falſum eſt: nam peccatum adeò eſt voluntarium, quod ſi non eſt voluntarium, nõ eſt peccatum. Quòd ſit peccatum, & quod rectè ſequatur, patet. Nam illa concupiſcentia eſt libera, & in potentia libera: ergo peccatum. ¶Tertiò, ſi in appetitu ſenſitiuo conſtituendæ ſunt veræ virtutes, maximè fortitudo, & temperantia, vt hic dicit S. Tho. ſed iſtæ collocantur in voluntate: ergo non ſunt conſtituendæ in appetitu ſenſitiuo. Quòd conſtituantur in volũtate, ſic oſtendo. In primis D. Aug. 14. de diui. ca.5.6.&.7.& deinceps, docet expreſſè, quod in voluntate ſunt paſsiones. ergo in voluntate ſunt conſtituendæ prædictæ virtutes ad moderandas paſsiones. & primo de moribus Eccleſiæ.c.15.dicit; quatuor virtutes cardinales, prudentiam, iuſtitiam, fortitudinem, & temperantiam, nihil aliud eſſe, quàm quatuor amores rectè ordinatos: ſed amor refertur ad voluntatem: ergo prædictæ virtutes ad voluntatem ſunt referendæ. ¶Et confirmatur: nam Ariſt. dicit, neceſſe eſſe principem habere virtutem, vt imperet, & principetur rectè: ſed voluntas imperat appetitui ſenſitiuo ad moderandas paſsiones: ergo neceſſarium eſt has virtutes conſtituere in voluntate. ¶Sed omiſsis autoritatibus, maioribus argumentis diſputandum eſt. In primis, ex actibus rectæ rationis generatur in nobis virtus prudentiæ: ergo ex actibus rectæ electionis in materia temperantiæ generatur in noſtra voluntate virtus temperantiæ. ¶ Deinde, voluntas ſuapte natura non eſt inclinata, nec determinata ad bonum temperantiæ, aut fortitudinis, ſicut non eſt determinata ad bonum iuſtitiæ: ergo indiget virtute, qua determinetur, & perficiatur. ¶Tertiò, in voluntate conſtituitur iſte actus; volo temperatè viuere, vt planè conſtat: ergo in voluntate conſtituenda eſt virtus temperãtiæ, quæ illum actum elicit. Conſequentia inde eſt euidens: quoniam virtus conſtituitur vbi eſt operatio. ¶Quartò, habitus intemperantiæ conſtituitur in voluntate: ergo etiam habitus temperantiæ. Conſequentia inde probatur: nam contraria habent fieri circa idem. Antecedens probatur: nam voluntas non eſt deter-

Secundum

Tertium.

Auguſt.

Confir.

Ariſt.1.politic.c.1.

Maiora argumenta. Primum.

Secundum

Tertium.

Quartum.

determinata ad actus intemperantiæ:ergo ex frequentatione horum actuum generatur in ea habitus intemperantiæ. ¶ Vltimò, ex eo quòd istæ virtutes constituantur in appetitu sensitiuo, sequuntur maxima incommoda cõtra veram Theologiam. In primis sequitur, quòd istæ virtutes non fuissent in statu innocentię;siquidem in illo statu omnes passiones fuissent moderatæ. Item sequitur, quòd non maneant in anima separata,neque in Christo Domino in triduo mortis: quod asserere à vera doctrina apparet alienum. Quòd rectè sequatur, patet.Nam in anima separata non manet appetitus sensitiuus. Sequitur etiã, quòd in beatis post corporis resurrectionem nõ manent istæ virtutes;siquidem non manent passiones quas moderentur. Demum sequitur, quòd fortitudo & temperantia infusæ,collocarentur in appetitu sensitiuo; quod asserere à vera Theologia alienum est.Nam prædictæ virtutes infusæ versantur circa bonum diuinum,& supernaturale,quod à potentia sensitiua non posse cognosci,nec desiderari,manifestum est. Pro explicatione veritatis est prima conclusio.In appetitu sensitiuo sunt habitus boni & mali. Hæc conclusio copiosè demonstrata est suprà.q.50.art.3.¶Secũda conclusio.Fortitudo, & temperantia collocantur in appetitu sensitiuo,& non in voluntate.Hęc est expressa sententia Aristo.dicit enim quòd fortitudo, & temperantia sunt partiũ animæ irrationalium:intelligit irascibilem, & concupiscibilem.Aduersarij dicunt, quòd intelligit per hæc verba voluntatem,quæ non est rationalis per essentiam, sed per participationem: & verissimè dicunt;ita enim explicat Arist. 6. Ethic.c.1.&.10.magnorum moralium.c.5.Sed non possunt Aristotelem explicare in opusculo de virtutibus, vbi expressè dicit, prædictas virtutes in appetitu sensitiuo esse collocãdas. Prętera,virtus versatur circa difficile:sed vniuersa difficultas in materia temperãtiæ,& fortitudinis prouenit ab appetitu sensitiuo renuente,& ab eius passionibus: ergo istæ virtutes ad appetitum sensitiuum sunt referendæ, vt illum frænent. Certè D. Pau. difficultatem huius negotij ad appetitum sensitiuum retulit,dicens; Condelector legi secundum interiorem hominem, id est secundum rationalẽ appetitum; sed sentio aliam legem in mẽbris meis, repugnantem legi mentis meæ. & ad Galat. 5. Caro concupiscit aduersus spiritum, vt non quæcunque vultis, illa faciatis. Item, constituamus hominem prudẽtem, qui sciat, quid,& quomodo sit operandum; careatque omni passione,& difficultate appetitus sensitiui; iste facillimè, & animosè resistit contrarijs,& temperatè viuit, vt cõseruet vitã suam: ergo otiosum est has virtutes in voluntate cõstituere.quod esse verum,manifesta experientia demonstrat: nam trãsmutato corpore per ægritudinem, vel alias causas, cessant passiones; & pro eo tempore facillimum est habere optimum propositum temperantiæ. Vltimò, voluntas non indiget virtute ad diligendos nosmetipsos,siquidem ad hoc satis ex sua natura est inclinata,& propensa;sed nostra volũtas suapte natura est inclinata vt resistat contrarijs,& vt viuat sobriè ad conseruandam vitam: ergo ad hæc officia virtute non indiget. Vim huius argumenti demonstrat optimè S. Doctor art.6.huius quæstionis. ¶ Tertia conclusio. Virtutes quæ sunt in appetitu sensitiuo,sunt verę virtutes:nam temperantia,& fortitudo sunt in appetitu sensitiuo,quæ sunt virtutes præcipuæ & cardinales. Item,in appetitu sensitiuo est verum vitium luxuriæ, & verum vitium pusillanimitatis:ergo in eo constituendæ sunt virtutes, quæ hæc vitia depellãt. ¶ Ad argumenta in contrarium respondetur, & ad primum dicitur, quòd virtus quæ est in appetitu sensitiuo,est habitus electiuus. Probatur primò; quoniam est principium electionis participatæ in potẽtia inferiori: licèt enim electio sit actus voluntatis,vt principaliter eligentis, est etiam potentiæ inferioris, vt obsequentis,& exequentis. Secundò,est principiũ electionis in voluntate mediatè,id est median te intẽtione finis:cùm enim qualis vnusquisq; est,talis videatur ei esse finis,vt dicit Arist.ex eo quòd quis est rectè affectus ad bonũ temperantiæ,videtur ei optimum temperatè viuere:ex quo principio per discursum prudentiæ colligit electionis conclusionem,dicens;nunc temperatè agendum est. Tertiò, quoniam tollit impedimentum rectæ electionis:passiones enim immoderatæ trahunt volũtatem ad malam electionem. ¶ Ad secundum argumentũ respondetur,non esse dubium quin appetitus sensitiuus in homine habeat libertatẽ: sic docet D.Tho.infrà.q.74.art.3.&.4.&.1.p. q. 81. art.3. eam rem probat eleganter: sic docet sana doctrina;docet enim quòd in appetitu sensitiuo est verum vitium, & peccatum. Nec ex hoc inferat Theologus,quòd in appetitu sensitiuo possit esse peccatum sine consensu voluntatis;est enim argumentatio inualida:sicut enim ex eo quòd intellectus habeat libertatẽ, & sit capax vitij & virtutis, non est consequẽs quòd possit esse in eo peccatum sine cõsensu voluntatis,ita neque in appetitu sensitiuo. Et ratio est;quoniam voluntas est appetitus vniuersalis

Vltimum.

Prima con. In sensitiuo appetitu sunt habitus.

Secũda cõ. Fortitudo & tẽperantia sunt in appetitu.

Ari.1.Ethi. c.vlti. &.3. Eth.c.10.

Roma.7.

Galat.5.

Tertia cõc. In appetitu sunt verę virtutes.

Solutio argumẽtorũ.

Ad primũ.

Temperantia est principium electionis in voluntate. Ari.3.Ethi.

Ad secũdũ.

D.Tho.

uersalis totius hominis, quæ mouet vniuersas potentias, & ideo donec ipsa consentiat, actus homini ad peccatum nō imputatur. ¶ Ad tertium argumentum negatur quòd in appetitu sensitiuo non constituantur temperantia, & fortitudo. Et ad primum testimoniū D. Aug. respondetur, quòd appellat animæ passiones, omnes animi affectiones; vt gaudiū, tristitia, &c. non tamen vult docere D. Aug. quòd audacia, & pusillanimitas ponantur in voluntate, cùm manifestum sit eas in appetitu sensitiuo habere sedem. ¶ Ad secundum testimoniū respondetur, quòd D. August. loquitur metaphoricè. Prima explicatio est; omnes virtutes sunt amores, id est, sunt inclinationes in bonum: inclinatio autē in bonum, amor est: vel sunt amores, vt dicit D. Augustin. & hæc est secunda explicatio; quoniam præsupponunt amorem; vel quoniam ordinantur ad amorē. ¶ Ad Arist. respondetur, quòd volūtas suapte natura est inclinata ad operandum, vt resistat contrarijs; & ad sobriè viuendum, vt conseruetur vita, nisi passionibus præpediatur: & ideo in seipsa non eget virtute ad operandū. ¶ Ad alia argumenta, quibus opinio Scotica maximè confirmabatur, satisfaciendum est. Et ad primum respondeo, quòd ex electionibus rectis in materia temperantiæ, aut fortitudinis, generatur habitus in appetitu sensitiuo, & non in voluntate. ¶ Ad secundum argumentum respondetur, quòd voluntas seclusis passionibus satis inclinata est vt rectè viuat, & vt animosè resistat contrarijs; & ideo non eget virtute vt inclinetur. ¶ Ad tertium argumentum duplex adhibetur solutio: prior est, quòd hic actus, est actus elicitus temperantiæ: nec enim est necesse quòd habitus sit in eadem potentia, in qua est actus elicitus: elicitur iste actus voluntatis, volo credere; à fide, quę est in intellectu. Rursus, iudicare ex æquo & iusto, cùm sit actus intellectus, est actus elicitus à virtute iustitiæ, quæ est in voluntate; atque oratio quæ est in intellectu, elicitur à virtute religionis, quæ est in voluntate. Nam ille actus dicitur elicitus ab aliqua virtute, qui intrinsecè pertinet ad illam virtutem, & ad eius obiectum, & regulam. Ille autem dicitur imperatus, qui extrinsecè ordinatur ad finem, & obiectum alterius virtutis. Altera solutio est, quòd iste actus non elicitur à virtute temperantiæ, sed ab ipsa voluntate, quæ sua natura sat est inclinata ad bonum temperantiæ. ¶ Ad quartum respondetur, quòd habitus intemperantiæ non producitur in voluntate, quoniā voluntas suapte natura est determinata ad bonum temperan-

Ad tertiū. Ad primū testimoniū Augusti. Ad secūdū. Aristo. Ad argumenta secūdo loco posita. Ad primū. Ad secūdū. Ad tertium Nota. Ad quartū.

tiæ; sicut frigiditas nunquam producitur in igne, quoniam ignis suapte natura est determinatus ad caliditatem. Secundò respōdetur, quòd producitur intemperantia in voluntate, sed non meretur nomen vitij, aut habitus: quoniam non vehementer inclinat voluntatem contra bonum temperantiæ, sed inclinat eam vt passiones sequatur. Tertiò dico, quòd in voluntate generatur habitus, qui vocatur incontinentia. Pro quo sciendū est ex D. Th. 2.2.q.155. per totam; quòd in voluntate ponitur quidam habitus, qui continentia nominatur: hic verò habitus non meretur nomen virtutis; quoniam non ponitur ad faciendam rectam electionem, nec ad moderandas passiones, sed vt stabiliat, & confirmet voluntatem, ne ex vehementibus passionibus abducatur: quapropter dicit Aris. 7. Eth. c. 7. 8. &. 9. quòd incontinens, & continens circa passiones eodem modo se habent: huic habitui contrariatur in voluntate habitus incontinentiæ. ¶ Ad quintum argumentum, quod rem ad incommoda adducebat: ad primum incommodum Durandus, in 2. d. 29. q. 2. asserit, quòd in statu innocentię non fuêre virtutes morales ad moderandas passiones: sed fallitur omnino; quoniā iustitia originalis non erat solitaria, sed secum adducebat omnes virtutes infusas, & morales; quemadmodum gratia secum affert omnes virtutes infusas & morales: tum verò, quoniam licèt iustitia originalis sat esset ad impediendas effrænes passiones, non tamen satis erat ad eliciendas moderatas passiones: nam (vt ego existimo) iustitia originalis non erat operatiua, nec constituebatur in potentijs animæ, sed in essentia, veluti gratia. ¶ Ad secundum incommodum respondetur, quòd istæ virtutes non manent in actu, sed virtute, sicut optimè explicat D. Tho. in. q. de virtu. artic. 4. ad tertium. &. q. de virtu. cardinalibus arti. 4. ad. 13. ¶ Ad tertium incommodum respondetur, quòd istæ virtutes prædictæ manent in beatis post corporum assumptionem: quod autem officium habeant in beatis, explicat D. Tho. infrà. q. 67. art. 1. ¶ Ad vltimum incōmodum respondetur, quòd fortitudo & temperantia infusæ, sine dubio collocantur in appetitu sensitiuo: nam fortitudo infusa constituit medium inter timorem, & audaciam, quæ sunt in appetitu sensitiuo. Rursus, temperantia constituit medium inter delectationem gustus, & tactus; quæ in appetitu sensitiuo sedem habent. Quomodo autem distinguantur à virtutibus acquisitis, in sequentibus dicetur.

D. Tho. Aristo. Ad quintū. Durand. D. Tho. Subiectum temperātię & fortitudinis infusæ.

ARTIC.

ARTIC. QVINTVS.

¶Vtrùm vires apprehensiuæ sensitiuæ sint virtutis subiectum.

SAMMA TEXTVS.

Conclusio. Oncluſio eſt negãs, quã in argumento, ſed contra, probat D. Thom. ex eo quòd in ijs potentijs non ſunt virtutes morales, quia hæ ad partem appetentem ſpectant; neque intellectuales, quia hæ ad rationem pertinent, vt dicitur. 6. Ethi. ca. 1. Omnis autem virtus, aut eſt moralis, aut intellectualis, vt patet. 2. Ethi. c. 1. Deinde id ipſum in corpore, tali ratione probatur. Virtus eſt habitus perfectus, quo bonum operamur: ergo virtus in ea potẽtia eſt, quæ eſt cõſummatiua boni operis: cognitio autem veri non conſummatur in viribus apprehenſiuis ſenſitiuis; tales enim vires potiùs præparant ad cognitionem intellectiuã, quæ eſt cognitio veri: in eis ergo virtus non eſt.

Ariſto.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Nota. Irca concluſionem notandum eſt, quòd non ſolum negat tales habitus eſſe virtutes morales, ſed etiam negat eſſe virtutes circa proprium obiectum, eo modo, quo intellectuales habitus dicuntur virtutes ſecundum quid; quemadmodum etiam ars dicitur virtus ſecundum quid. Hoc patet ex ratione D. Tho. quia cognitio veri non conſummatur in viribus ſenſitiuis. ¶Iam verò arguitur contra cõcluſionẽ. In ſenſibus exterioribus non ſunt aliqui habitus etiã imperfecti: ergo neq; in interioribus. Probatur conſequẽtia; quia omnes ſenſus verſantur circa ſingularia, & ſenſus etiam exteriores cooperantur ad cognitionem veritatis. Reſpondetur, quòd ſenſus exteriores nõ poſſunt cõſeruare aliquam impreſsionem ab obiecto, ſicut neque recipere ſpeciem niſi in præſentia obiecti: interiores verò ſenſus non ſolùm recipiunt, ſed etiam conſeruant ſpeciem in abſentia obiecti, & ita bene poſſunt eſſe capaces alicuius habitus, quæ eſt qualitas permanens: ex quo ſequitur, quòd neque etiam in ſenſu cõmuni, quamuis ſit ſenſus interior, poteſt eſſe habitus; quia neque poteſt conſeruare ſpecies in abſentia obiecti.

Obiectio.

Solutio.

¶Secundo argumentor cõtra præcipuã concluſionem D. Tho. Appetitus ſenſitiuus poteſt eſſe ſubiectum virtutis, in quantum obedit imperio rationis: ſed etiam ad imperium rationis operatur memoria, & imaginatiua, & æſtimatiua hominis: ergo poſſunt eſſe ſubiectum virtutis. Ad hoc argumentum reſpõdet D. Thom. negando conſequentiam: non enim eſt eadem ratio: quia appetitus ſenſitiuus habet ſe ad voluntatem, quæ eſt appetitus rationalis, ſicut motus ab ipſa, & non ſicut mouens; & ita fit, vt opus appetitiuæ virtutis, conſummetur in appetitu ſenſitiuo: ſed tamen vires apprehenſiuæ ſenſitiuæ magis ſe habent vt mouentes, reſpectu intellectus; ſicut colores ad viſum, ita phantaſmata ad intellectum: & ita opus intellectionis in intellectu terminatur. Vnde virtus cognoſcitiua debet poni in intellectu, non in ſenſu. Sed contra hoc argumẽtor primò: Impertinens videtur quòd vna potentia ſe habeat vt mouens, vel mota, reſpectu alterius, ad hoc vt virtus ponatur potiùs in potentia mota, quàm in mouente: nam prudentia eſt in intellectu, & tamen intellectus per prudentiam ſe habet vt mouens voluntatem, maximè in actu electionis; de quo ſuprà diximus formaliter eſſe à virtute intellectuali, quamuis ſit actus elicitus à voluntate. Item religio eſt in voluntate, tamen oratio eſt in intellectu.

Secundum argumẽtũ contra tertiam cõcluſionem D. Tho.

Solutio D. Tho.

Ariſt. 3. de anima tex. 18.

Argumẽtũ primum cõtra ſolutionẽ D. Tho.

¶Secundò argumentor. Electio, vel intentio comeſtionis temperatæ, eſt principaliter in voluntate, & tamen virtus temperantiæ eſt in appetitu ſenſitiuo: ergo non eſt neceſſarium quòd virtus ſit in potentia, quæ eſt conſummatiua boni operis. Probatur conſequentia; quia in voluntate conſummatur principalis actus virtutis temperantiæ, ſcilicet electio.

Secundum

¶Tertiò argumentor. Aut D. Thom. nomine potentiæ conſummatiuæ intelligit potẽtiam executiuam; & hoc modo virtus poneretur in guſtu; aut intelligit potentiam quæ eſt principium actionis moralis, & cõſummatiua illius; & hoc modo virtus religionis eſſet ponenda in intellectu.

Tertium.

¶Quartò argumẽtor. Appetitus ſenſitiuus etiam mouet volũtatem, ſicut phantaſia intellectum ex parte obiecti, vt diximus q. 9. articu. 2. & q. 10. artic. 3. Et confirmatur: nam phantaſmata etiam terminant actionem intellectus; neceſſe eſt enim intelligentẽ phantaſmata

Quartum.

Confir.

taſmata ſpeculari: ergo eadem eſt ratio de appetitu ſenſitiuo. ¶ Denique argumentor ſic. Cogitatiua ita mouetur ab intellectu, quòd etiam ipſa iudicat, & ſyllogizat circa ſingularia: ergo in illa poteſt eſſe virtus; non obſtante ratione D. Tho. in articulo: ſiquidem ſyllogizatio intellectus peruenit vſque ad ſyllogizationem æſtimatiuæ. ¶ Reſpondetur ad hæc omnia: quòd neceſſe eſt illam potentiam eſſe ſubiectum virtutis, quæ eſt cõſummatiua operis, ad quod ponitur talis virtus: cuius ratio eſt (vt bene docet Caiet. hic) quia nõ eſt poſsibile opus aliquod eſſe malum, ſi virtus exercet ſuũ officium; ſed ſi virtus poneretur in vna potentia, & conſummatio operis, ad quod ponitur virtus, poneretur in alia potentia, poſſet eſſe mala conſummatio, dum virtus exercet ſuum officium perficiendo aliam potentiam actualiter. ¶ Reſpõdetur ergo ad primum, quòd prudentia non per ſe primò ordinatur ad electionem, ſed ad imperium, quod conſummatur in intellectu: & ſic eſt virtus intellectualis practica circa mores: quod ſibi cõpetit ex hoc, quòd intellectus ſit mobilis à voluntate: & quamuis imperium moueat voluntatem, hoc prouenit, vel ex actione voluntatis, vel nõ mouet in genere cauſæ efficientis. Similiter reſpondetur de virtute religionis, quòd actus illius primus & præcipuus eſt deuotio, quæ eſt promptitudo voluntatis ad obediendum Deo, & cultui illius: cæterùm ipſe intellectus non habet ſecundum ſe ſpecialem difficultatem ad orationem exercendam, ſuppoſita fide, & alijs donis: vnde oratio non eſt ſpecialis virtus in intellectu.

¶ Ad ſecundam obiectionem reſpondetur, quòd virtus temperantiæ ad hoc ponitur, vt homo ſe habeat conformiter ad rectam rationem in appetitu delectabilium ſecundum ſenſum; quare eius actio propriè eſt in illo appetitu, qui per ſe eſt circa tale obiectum, qui eſt appetitus ſenſitiuus; voluntas autem naturaliter eſt determinata ad bonum proprium hominis, ad quod ordinatur temperantia, vt amplius dicemus articulo ſequenti. Vnde dicimus, quòd electio, quæ eſt in voluntate, eatenus tribuitur virtuti temperantiæ, quatenus deriuatur in appetitum ſenſitiuum, ita vt etiã ipſe appetitus eligat: proportionabiliter dico de bona intentione voluntatis, quod eſt opus virtutis temperantiæ, quatenus conſummatur in appetitu ſenſitiuo, vbi eſt difficultas.

¶ Ad tertiam obiectionem reſpõdetur, quòd potentia conſummatiua boni operis non dicitur quælibet potentia executiua; tum quia non omnis potentia executiua habet indifferentiam ſecundum ſe; tum etiam, quia per omnia obedit ad nutum imperio rationis. Dicitur verò potentia cõſummatiua boni operis, illa, quæ exercet operationem ſecundum rationem formalem obiecti. Sed aduertendum eſt, quòd loquitur D. Tho. de bona operatione, ad quam ordinatur aliqua virtus per ſe primò: vnde reſpondetur ad inſtantiam allatam de virtute religionis, quòd oratio, non eſt operatio ad quam aliqua virtus per ſe primò ordinetur: ſed religio per ſe primò ordinatur ad deuotionem voluntatis, tanquam ad potiſsimum actum in quo conſiſtit cultus diuinus: oratio verò non eſt actus alterius virtutis ſpecialis. Idem eſt de voto, quod eſt promiſsio facta Deo, & eſt in intellectu: ſed tamẽ ex deuotione ordinatur ad cultum Dei, & eſt opus religionis virtutis, ſicut genua flectere, quatenus proficiſcitur à voluntate deuota. ¶ Ad quartã obiectionem reſpõdetur, quòd appetitus ſenſitiuus mouet volũtatem ex parte obiecti: neque in hoc eſt differentia inter appetitum ſenſitiuum reſpectu voluntatis, & vires apprehẽſiuas reſpectu intellectus, quæ etiam mouent intellectum poſsibilem virtute luminis intellectus agentis: ſed eſt differentia in hoc, quòd appetitus ſenſitiuus non mouet voluntatem ad actum bonum ſecũdũ rationem, niſi prius moueatur ipſe ab actu voluntatis bono ſecundum rationem; & ſic initium talis motus eſt à voluntate, & terminatur, & conſummatur in appetitu ſenſitiuo: ſed tamen in genere veri initium eſt à ſenſibus, & conſummatio in intellectu; & ideo non ponitur aliquis habitus virtutis in potentijs apprehenſiuis ſenſitiuis, licèt ponatur in quibuſdam habitualis quædã diſpoſitio ordinata ex natura ſua ad habitum intellectus, tanquam quid imperfectum, & partiale reſpectu illius. ¶ Ad confirmationem reſpondetur, quòd cognitio veri non terminatur ad phantaſmata, tanquam ad perfectionẽ cognitionis, ſed contingit per accidens, propter cognitionem animæ exiſtentis in corpore, quòd non poſsit intelligere ſine phantaſmate: at verò actus temperantiæ conſummatur in appetitu ſenſitiuo, ſine cuius actu, non eſt actus temperantiæ in voluntate perfectus, aliàs Angeli eſſent temperati. ¶ Ad vltimam obiectionem reſpondetur, quòd quamuis ex ſyllogiſmo intellectuali redundet in cogitatiuam quædam ſyllogizatio, tamen actio cogitatiuæ, non eſt conſummatio ſyllogizationis intellectiuæ ſcientificæ, ſed quid conſequens, & per accidens ſe habens ad conſummatam perfectionem ſyllogiſmi, quæ tota eſt in intellectu.

Vltimum.

Ad argumenta.

Neceſſe eſt illam potẽtiã eſſe ſubiectum virtutis, quæ eſt conſummatiua operis ad quod ponitur talis virtus.

Ad primũ. Prudentia virtus intellectualis practica circa mores.

Ad ſecũdũ.

Ad tertiũ.

Ad quartũ.

Ad confir.

Ad vltimũ.

ARTIC.

ARTIC. SEXTVS.

¶ Vtrùm voluntas sit virtutis subiectum.

SAMMA TEXTVS.

Conclusio. Concluſio eſt affirmans: in argumento, ſed contra, ita probatur. Maior perfectio requiritur in mouente, quàm in moto: voluntas autem mouet irascibilem, & concupiſcibilem: magis ergo virtus debet eſſe in voluntate, quàm in irascibili, & concupiſcibili. In corpore autem articuli ita probatur. Quãuis enim voluntas ad hoc vt feratur in bonum rationis non egeat habitu, quando tale bonum eſt ſibi proportionatum; ad hoc enim ſola ratio potentiæ ſufficit: tamen vt feratur in bonum excedens voluntatem, virtute indiget: volũtas ergo eſt virtutis ſubiectum.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Vtrùm volũtas egeat virtute ad amandũbonum proprium. IN hoc articulo dubitatur primò; Vtrùm voluntas ad amandum, & proſequendum bonum proprium indigeat virtute? Pro parte affirmatiua ſic argumentor. ¶ Nam licèt voluntas

Prim. argu. pro parte affirmatiua. ex ſua natura ſat ſit inclinata ad beatitudinem in communi, & ad hoc non indigeat virtute, tamen ad beatitudinem in particulari amandam indiget virtute: ergo licèt voluntas ſat ſit inclinata ad bonum proprium in communi, tamen ad hoc bonum proprium, temperãtiæ, fortitudinis, & manſuetudinis indigebit virtute.

Secundum ¶ Secundò, licèt voluntas de ſe ſat ſit inclinata ad bonum proprium; at non eſt inclinata vt amet illud, quando oportet, & ſicut oportet: ergo propterea indigebit virtute.

Tertium. ¶ Tertiò, voluntas poteſt benè, & malè operari circa bonum proprium, vt planè conſtat: ergo indiget virtute vt determinetur ad bonas operationes. Conſequentia inde probatur. Nam iſtę ſunt cauſæ, propter quas conſtituuntur habitus, vt latè demonſtrauit D. Th. ſuprà

Quartum. q. 49. &. 50. ¶ Quartò, ſententia eſt bonorum Theologorum, quòd homo naturaliter magis inclinatur ad diligendum Deum, quàm ad diligendum ſeipſum: ſed ad diligendum Deum eſt neceſſaria virtus: ergo etiam ad diligẽdum ſeipſum.

Quintum. ¶ Quintò, homo naturaliter inclinatur ad ſciẽdas rerum veritates; vnde illud prouerbiũ manauit; Omnis homo naturaliter ſcire deſiderat: ſed ad hoc opus cõſtituitur in voluntate virtus ſtudioſitatis, de qua diſſerit D. Tho. 2. 2. q. 166. ergo ad bonum propriũ conſequendum voluntas indiget virtute. Et cõfirmatur: nam irascibilis ſuapte natura inclinatur ad reſiſtendum contrarijs, & hoc non obſtante, in ea conſtituimus fortitudinem virtutem.

Confir. ¶ Vltimò, non minus inclinatur intellectus noſter ad aſſenſum primorum principiorum, quàm voluntas vt diligat bonum proprium: ſed intellectus indiget habitu primorum principiorum, vt antea dictum eſt: ergo voluntas indiget virtute vt diligat bonum proprium.

Vltimum. In contrarium eſt ſententia D. Tho. Pro veritate ventilanda & explicanda eſt prima propoſitio. ¶ In voluntate, maximè, & potiſsimè ſunt conſtituendæ virtutes. Ratio eſt euidẽs: nam voluntas ſola libera eſt, & eſt primarium principium omnium actuum, & affectuum humanorum; & illa eſt quę mouet cæteras potentias, cui cæteræ reſiſtere non valent: ergo ex voluntate omne bonum & malũ noſtrum dependet: ergo illa eſt quę virtutibus maximè ornanda eſt, & perficienda. Huic veritati conſonant ſacræ ſcripturæ, vt illud Prouer. Omni

Prima con. In volũtate ſunt virtutes conſtituendæ. Prouer. 4. cuſtodia ſerua cor tuum, quia ex ipſo vita procedit. & Matth. Beati mundo corde, quoniam

Matth. 5. ipſi Deum videbunt: &, Ex corde exeunt praua cogitationes, homicidia, furta, &c. Hanc volũtatem habere rectam, hoc opus, hic labor

Matth. 15. eſt; propter quod dicitur; Quis poteſt dicere

Prouer. 20 mundum eſt cor meum? De hac recta voluntate dicitur in Euangelio, quòd eſt arbor bona, quæ non poteſt malos fructus facere. ¶ Ex

Omne bonũ noſtrũ eſt amor bonus, & omne malum noſtrũ eſt amor malus. hoc principio eliciunt Theologi efficaci argumento, quòd omne bonum noſtrũ, eſt amor bonus; & omne malum noſtrum, eſt amor malus. Rurſus colligunt; omne malum noſtrum eſſe, noſtrum amorem malè collocaſſe. Tertiò inferũt Theologi, quòd omnis virtus eſt amor boni; & omne vitium eſt amor mali: loquutio eſt familiariſsima ſanctis Patribus, nominatim D. Auguſt. multis in locis ſuorum operum. Quartò inferunt, quòd nullum eſt peccatum donec voluntas conſentiat; nulla eſt virtus donec voluntas admittat. D. Auguſt. deſcripſit

Auguſt. duas ciuitates, Babylonem, & Hieruſalem cœleſtem: Babylonem ædificat amor ſui, vſque ad contemptum Dei; Hieruſalem cœleſtem amor Dei, vſque ad contemptum ſui. Itaque potiſsimè

potissimè inuigilandum viro christiano vt rectam habeat voluntatem.¶Secunda propositio. In volũtate in ordine ad bonum propriũ, quando est difficile,& excedens, constituendæ sunt veræ virtutes. Hoc probant efficaciter argumenta in principio dubitationis proposita: & quòd hæc doctrina sit consentanea D.Tho.quem interpretamur, patet. Nam D. Tho. solùm dicit in articulo, quòd voluntas ad bonum proprium,& proportionatum, nõ indiget virtute:ex quo sequitur,quòd ad bonum proprium difficile,indiget virtute. Et cõ firmatur:nam studiositas ab ipso D.Tho. ponitur in voluntate ad sciendas rerum veritates, ad quas naturaliter inclinamur, tanquam ad bonum proprium:ergo.¶Pro cuius maiori declaratione notandũ est,quòd inter ea quæ conueniunt homini, multa habet communia cũm brutis;vt viuere,nutriri, sentire;quędam habet ita propria, quæ brutis nulla ratione cõueniunt:vt operari secũdum rationẽ; in quod bonum voluntas nostra sua natura inclinata est: propter quod appellatur appetitus rationalis, eò quòd maximè inclinatur ad bonum quod per rationem ostẽditur esse honestum, & rationi consentaneum. Hoc egregiè explicat D.Dionys.c.4.de diui.nomin.dicens;Bonum hominis proprium est, esse, & viuere secundum rationem.Ex quo principio facilè est intelligere, quòd viuere secundum iustitiam, & reddere vnicuique quod suum est, est hominis proprium bonum:sed quoniam ad hoc bonum voluntas nõ est satis inclinata,aut determinata, indiget virtute iustitiæ: itaque ad bonum proprium hominis,quando est difficile, necessaria est virtus ex parte voluntatis.

¶Tertia conclusio. Voluntas ad bonum proprium,& proportionatum,& minimè difficile, non indiget virtute; cuiusmodi est quòd homo se diligat,quòd resistat cõtrarijs, quòd conseruet propriam vitam. Hanc conclusionem efficaciter demonstrant argumenta in articulo posita. Idem confirmat autoritas D. Aug.dicit enim;quòd non est opus præcepto vt homo,se,& corpus suum diligat;nam incõcussa naturæ inclinatione ad hoc propendet. Idem habet Aristo. in multis locis, cuius sunt illa prouerbia; Amabile quidem bonum,vnicuique autem proprium; &, Amicabilia quæ sunt ad alterum,ex amicabilibus quæ sunt ad se:in quibus significatur, quòd inclinatio naturalis præcipua nostræ voluntatis est amare bonum proprium,& ideo ad bonum propriũ amandum non est necessaria virtus ex parte voluntatis. ¶Ex his patet solutio omnium argumentorum quæ in principio posita sunt.

Secũda cõ. In voluntate est cõstituenda virtus in ordine ad bonũ excedens.

D.Tho.

Nota.

Dionys.

Viuere secundum iustitiã homini propriũ.

Tertia cõ. Volũtas ad bonum proprium proportionatũ nõ eget virtute.

Aug.1.de doct.christ. ca.23.

Aristo.

Ad argumẽta omnia præter vltimum.

Dicendum est enim,quòd si cõstituamus hominem prudentem, qui satis videat quid in vnaquaque re agendum sit,facilè, & promptè diliget se, resistet contrarijs,conseruabit vitã, quando oportet, & prout oportet, si careat passionibus appetitus sensitiui.

¶Ad vltimum argumentum respondetur, nõ consistere similitudinem: nam voluntas est ipsamet inclinatio ad bonum proprium, & ideo non indiget virtute inclinante ad bonũ proprium:intellectus verò est potentia apprehensiua, & iudicatiua, & ideo indiget speciebus ad apprehendendum, & lumine ad rectè iudicandum.Videte solutionem D.Thom.in quæst.de virtut.articulo.5.ad tertium.

Ad vltimũ.

¶Aliud dubium est; Vtrùm in ordine ad bonum alterius sit ponenda virtus in voluntate: nam certè si rationes, & argumenta D. Tho. expendantur,quibus probat voluntatem non indigere virtute ad bonum proprium, probãt similiter non indigere ad bonũ iustitiæ;quod sic ostendo.Nam bonum iustitiæ, est bonum proportionatum voluntati, pertinetque ad suum obiectum.Deinde, homo naturaliter inclinatur vt viuat secundum rationem rectam: at opus iustitiæ, est opus secundum rationem rectam. Præterea, habitus iustitiæ facit bonũ habentem, & eius opus bonum reddit: ergo opus iustitiæ est proprium bonum habentis: non ergo indiget voluntas virtute ad bonum iustitiæ prosequendum.¶Ad hæc argumenta satisfaciendum est: nam quòd voluntas indigeat virtute ad opera iustitiæ exhibenda, nemini potest esse dubium.Pro confutatione igitur argumentorum dicit Caie.bonum iustitiæ æquiuocè accipi; tum, pro obiecto iustitiæ; tum,pro habitu iustitiæ quæ facit formaliter hominem iustum: dicit itaque Caieta. & vno verbo (vt ipse existimat) confutat argumenta proposita;quòd ad bonum iustitiæ, prout est obiectum, non inclinatur voluntas naturaliter; quia non est proprium bonum voluntatis,nec volentis,sed alterius: cæterum ad habitum iustitiæ,quæ est formalis perfectio,& bonitas voluntatis,voluntas naturaliter,& immediatè inclinatur: quia ad habitum nõ est alius habitus necessarius, alioqui esset processus in infinitum.

Secundum dubium. Vtrùm sit ponẽda virtus in volũtate in ordine ad bonũ alterius. Primũ arg.

Secundum

Solutio.

Caiet.

¶Sed tamen ex hac doctrina Caiet.oritur maior difficultas:obijcitur enim contra illã multipliciter.Primò sic.Nam voluntas est inclinata per se ad habitum:ergo ad obiectum: ergo etiam ad actum; quia habitus ex sua ratione intrinseca ordinatur ad actum, & ad obiectũ, & inde specificatur:ergo quicquid ordinatur, & inclinatur ad ipsum habitum naturaliter,

Argumenta cõtra solutionem Caiet.

necesse

necesse est quòd etiam inclinetur naturaliter ad actum ipsius habitus: vt si quid haberet naturalem inclinationem ad grauitatem, necessariò haberet naturalem inclinationem ad centrum, & ad motum in centrum. Secundum ¶ Secundò, si voluntas per se inclinatur ad habitum iustitiæ: ergo etiam ad media per quæ necessariò est acquirendus; sed acquiritur per actus iustitiæ: ergo ad agendum iustè erit per se naturaliter inclinata. Confir. Confirmatur: quia aliàs nunquam posset acquirere habitum iustitiæ, si ad actū prærequiritur habitus. Tertium. ¶ Tertiò, propter quod vnumquodque tale est, & illud magis, Aristo. secundum Aristo. sed inclinatio voluntatis ad habitum est propter actum: ergo magis inclinatur ad actum, quàm ad habitum. Pro solutione nota, quòd habitus acquisitæ virtutis moralis non est necessarius simpliciter ad agē dum circa aliquod obiectum conforme rectę rationi, sed est necessarius ad perfectè, & meliùs agendum, videlicet promptè, & delectabiliter: habitus verò virtutum infusarum ponuntur non solùm ad melius, & facilius operandū circa obiectum supernaturale, sed ad simpliciter operandum, videlicet ad credendum, sperandum, diligendum: & ita ij habitus dantur nobis ex diuina infusione; quia prius naturā præcedunt actus ipsos in genere causæ efficiētis; licèt ipsi actus dicantur quędam dispositiones, & præcedere habitus in genere causæ materialis, & dispositiuè, quatenus proficiscuntur à libero arbitrio: actus verò virtutum acquisitarum prius sunt simpliciter loquendo, in genere causæ efficientis, quàm habitus; & propterea dicitur ab Augustino in definitione virtutis infusæ, quam Deus in nobis, sine nobis operatur; quæ est differentia inter virtutem infusam, & acquisitam. Primum dictum. ¶ Hoc supposito dico primùm, ad habitum virtutis infusæ, vel ad actum ipsius, non est in voluntate naturalis inclinatio; quia per vires naturę non potest haberi talis habitus, vel actus; sed tamen est quædam capacitas, & aptitudo naturalis ad recipiendum huiusmodi habitus, & vtendū illis ex virtute supernaturali Dei. Et ita à quibusdā bene solet dici, quòd in nobis est potētia obedientialis ad gratiam, charitatem, &c. vt lignū habet potentiam obedientialem respectu artificis, ad statuam, vel cathedram, &c.

Secundum ¶ Secundum dictum est: in voluntate est inclinatio naturalis ad omne obiectum bonum secundum rationem in qualibet materia virtutis, non tamen perfecta inclinatio: sed initiatiua, taliter, quòd possit voluntas initiare propria inclinatione agere secundum rectam rationem in qualibet materia. Hoc patet ex doctrina D. Tho. q. 63. artic. 2. & 3.

¶ Tertium dictum: voluntas ad bene operandum, id est promptè, & delectabiliter, non est naturaliter inclinata secūdum se circa quodlibet obiectum bonum secundum rectā rationem; sed circa illud tantùm, cuius specifica ratio nullam addit difficultatem respectu volūtatis; & tale est obiectum temperantiæ, & fortitudinis; quod solùm addit vt sit proprium bonum volentis: difficultas verò in passionū commensuratione, tātùm est in appetitu ipso sensitiuo: sed tamen quādo specialis ratio obiecti addit aliquid quod est supra rationem communem boni appetibilis secundū rectam rationem, & habet specialem difficultatē, tūc voluntas indiget habitu, vt promptè, & delectabiliter operetur; & tale est obiectum iustitiæ; quia specialiter addit vt sit bonum alterius, ad quod voluntas non est immediatè inclinata, sed difficilè fertur. Aliud dubium; Vtrùm temperantia, fortitudo, mansuetudo, in voluntate constituantur, an potiùs in appetitu sensitiuo. Sed de hac quæstione inuestigatum est diligenter articulo quarto huius quęstionis: recolite ea quæ ibi dicta sunt.

QVAESTIO LVII.

De distinctione virtutum intellectualium; in sex articulos diuisa.

ARTIC. PRIMVS.

¶ Vtrùm habitus intellectuales speculatiui, sint virtutes.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Oncluſio D. Tho. eſt. Habitus intellectuales ſpeculatiui nō ſunt virtutes ſimpliciter, ſed ſecundū quid. quæ ſanè concluſio ex dictis art. 3. præcedentis quęſtionis probatur à D. Tho. Tales namque habitus facultatem bonæ operationis faciunt, non tamen efficiunt vt actu ipſa potentia benè vtatur talibus habitibus: cùm enim aliquis habet habitum ſcientiæ ſpeculatiuæ, non inclinatur ad vtendum per illum habitum, ſed tantùm redditur habilis,

bilis, & promptus ad verum ſpeculandum, cuius ſciẽtiam habet: attamen quòd vtatur ſcientia habita, à voluntate prouenit. Cùm ergo virtus ſimpliciter ſit, quæ nõ ſolùm dat facultatem, ſed etiam vſum, iſti habitus non ſunt virtutes ſimpliciter.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Virtutes intellectuales & morales.

PRO huius quæſtionis expoſitione aduertendum eſt, quòd virtutes quædam ſunt intellectuales, quædã verò morales. Intellectuales in intellectu collocantur: morales verò ſedem habent in appetitu. Rurſus, intellectuales aliæ ſunt ſpeculatiuæ, aliæ practicæ. Speculatiuæ ſunt quæ conſiſtunt in contemplatione, & cognitione veritatis, & ad praxim non deſtinantur; vt ſcientia, ſapientia, intellectus. Practicæ ſunt, quæ in intellectu practico conſiſtunt, & ad praxim ordinãtur; vt ars, & prudentia. Ars eſt recta ratio factibilium: Factibiles verò res ſunt quæ fiunt per actionem tranſeuntem in exteram materiam; vt gladius, domus. Prudentia eſt recta ratio agibilium, id eſt, recta ratio actuum humanorum in nobis immanẽtium. Quid autem interſit inter habitum practicum, & ſpeculatiuum; inter praxim, & non praxim; & vtrùm actus intellectus poſsit eſſe praxis, multis controuertunt Theologi in principio primi ſententiarum; ſed hoc eſt alterius ſpeculationis: nunc breuiter de virtutibus intellectualibus diſſeramus, & primùm de ſpeculatiuis, de quibus tres ſententiæ ſunt conſiderandæ. Prima eſt. ¶ Virtutes intellectuales, ſimpliciter, & abſolutè non ſunt virtutes, ſed ſecundum quid: nam virtus ſimpliciter eſt quæ bonum facit habentem, & eius opus bonum reddit: ſed ſecundum virtutes intellectuales homines non nominantur boni, aut mali, ſed ſcientes, Theologi, literati. Rurſus, virtus quæ abſolutè, & ſimpliciter virtus eſt, dat facultatem rectè operandi, & rectũ vſum: ſed virtutes intellectuales ſpeculatiuæ dant facultatem rectè operandi, ſed non dant rectum vſum: ſcientia enim non inclinat voluntatem vt operetur, quando, & prout oportet. Quomodo autem virtutes intellectuales dent facultatem, & non rectum vſum, explicauimus ſatis quæſtione præcedenti, articulo. 3. ¶ Secunda ſententia eſt, quod quamuis virtutes intellectuales ſpeculatiuæ ſint veræ virtutes, nimia tamen intellectus ſpeculatio nocet maximè ad virtutes morales compa-

Morales aliæ ſpeculatiuæ aliæ practicæ.

Ars.

prudentia

randas. Itaque intellectus partim adiuuat, partim impedit voluntatis operationem, quæ eſt amor rerum diuinarum. Adiuuat quidem, in quantum præbet notitiam rei amatæ: nihil enim eſt volitum, quin ſit præcognitum. Impedit verò; nam cùm virtus animæ noſtræ ſit finita, quantò plus intenditur ex vna parte, tãtò magis ex alia remittitur; veluti fons aquæ per duas fiſtulas profluens, quantò plus aquæ per vnam emittit partem, tantò minùs per aliam emittit. Intellectus & voluntas animæ noſtræ habent ſe veluti bilances, quarũ cùm vna eleuatur, altera deprimitur; idque experientia conſtat euidenter. Nam ſi quis cum fruitur Deo ſuauiſsimè, & auertit intellectum ad aliquid ſpeculandum de Deo, continuò illud bonum diſparet ab oculis eius: quapropter non ſine cauſa admonuit ſponſus ſponſam; Auertè oculos tuos à me, quia ipſi auolare me fecerunt. Cant. 6.

Intellectus partim adiuuat, partim impedit voluntatis operationem.

¶ Tertia ſententia de virtutibus intellectualibus ſpeculatiuis hæc eſt. Prædictæ virtutes ſemper dicunt verum, & nunquam falſum. Ratio eſt; nam virtus determinatè ſe habet ad bonum, & nullo modo ad malum, vt antea dictum eſt. Sed bonum intellectus verum eſt; malum eius, falſum. Vnde illi habitus dicuntur virtutes intellectuales, quibus ſemper dicitur verum, & nunquam falſum. Opinio verò, & ſuſpitio aliquando dicunt verum, aliquando falſum; & ideo virtutes intellectuales non ſunt, vt dicitur. 6. Ethicorum. Vtrùm verò habitus opinionis ſit indifferens ad bonum, & ad malum, ſuperiùs dictum eſt.

Virtutes intellectuales ſpeculatiuę ſemper dicunt verum & non falſum.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ Vtrùm ſint tantùm tres habitus intellectuales ſpeculatiui, ſapiẽtia, ſciẽtia, & intellectus.

SAMMA TEXTVS.

RESpõdet D. Tho. cõcluſione affirmãte, quam in argumento, ſed contrà, probat autoritate Ariſtot. & in corpore articuli ſic exponit. Virtus intellectualis ſpeculatiua eſt, per quam intellectus diſponitur ad conſiderandum verum; hoc enim eſt bonum opus eius. Verum autem duobus modis conſide-

Concluſio.

Ari. 6. Ethi. c. 3. 6. & 7.

considerat;vno modo,sicut per se notum; alio modo, sicut per aliud notum. Ad considerandum verum per se notũ perficitur mẽs nostra habitu intellectus, qui est habitus principiorum: Ad considerãdum autem verum per aliud notum, perficitur habitibus sapiẽtiæ,& scientiæ. Sapiẽtiæ quidem, quando cõsideratur verum, quod se habet vt vltimum respectu totius cognitionis humanæ, quod quidem est primum, & maximè cognoscibile secũdum naturam: quia quę sunt posteriùs nota quoad nos,sunt prius nota secundum
Ari.1.met. naturam: quapropter dicit Arist. sapientiam considerare altissimas causas: scienti verò, quando considerat verum quod est vltimum in aliquo genere: quapropter secũdum diuersa genera scibilium, sunt diuersi habitus scientiarum.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Virtutes speculatiuę tres.

VIrtutes intellectuales speculatiuæ tantùm sunt tres, nec plures, nec pauciores;scilicet sapientia, scientia,& intellectus: ita asserit Aristo.
Ari.6. Eth. c.3. 5.&.6. & probatur ita esse. Nam virtus intellectualis speculatiua est, per quam perficitur intellectus in veri cognitione, & contemplatione. Aut igitur perficitur intellectus in cognitione primorum principiorum; & sic constituitur vna virtus intellectualis, quæ intellectus nominatur: aut perficitur in cognitione conclusionis;& sic statuitur alia virtus,quæ scientia nominatur: aut verò perficitur in cognitione amborum; & sic sapientia constituitur. Itaque sapientia continet vtrumque,& scientiam,& intellectum primorum principiorum; non quòd integretur ex duobus habitibus: nam antea dictum est, quòd vnus habitus ex pluribus habitibus non constat: sed continet scientiam, & intellectum modo eminentiori: vtitur namque principijs ad demonstrandas conclusiones, quod est proprium scientiæ: iudicat prima principia esse vera,defendit, & disputat contra negãtes prima principia, quæ intellectus solùm videt esse vera: & hoc facit reducendo ad altissimam causam: in quo apparet quòd eminentiori modo hæc officia operatur. ¶ Pro cuius sententiæ declaratione aduertendum est, quòd habitus sapientiæ inter scientias humanas, est metaphysica, vt asserit Aristote.1. Metaphys. capitulo. 1. &.2. Nam per altissimas causas,& communia principia iudicat de communibus. Ratio est:quia obiectum eius est ens vt sic: & ita ad metaphysicam pertinet considerare naturam entis, & omnes eius proprietates, & passiones. Rursus ad eam pertinet iudicare de communibus, & prima principia defendere; atque adeò eius officium est considerare substantias à materia separatas: & sic prior est dignitate,& honore, licèt sit posterior cognitione: propter quod dicit Aristote. metaphysicam esse scientiarum deam, diuinam possessionẽ, & veritatis scientiam, in eaque constitui vltimam felicitatem speculatiuam,quæ in hac vita haberi potest.

Habitus sapientiæ.

Aristo.

¶ Ex quo principio colligitur, quòd nostra Theologia est verissima sapientia: nam considerat Deum,quatenus Deus est; & non solùm ea quæ de Deo per lumen naturale cognosci possunt, sed etiam quæ per lumen supernaturale dignosci valent: quapropter ad hanc scientiam pertinet corrigere omnes scientias particulares, & vniuersam Metaphysicã. Vnde dicit Paulus;Perdam sapientiam sapientium. &; Spiritualis omnia dijudicat, & ipse à nemine iudicatur. Per istam sapientiam (vt dicitur) captiuamus intellectum nostrum in obsequium Christi, ad destruendam omnem scientiam extollentem se aduersus scientiam Dei. ¶Sed contra diuisionem est vnum argumentum. Nam vitiosa est diuisio, qua condiuiditur genus contra speciem, aut è diuerso. Sed sapientia est quædam scientia: ergo malè diuiditur contra scientiam. Respondetur,quòd sapientia est quædam scientia, quatenus habet quid commune cum omnibus scientijs, scilicet conclusiones ex principijs proprijs demonstratas; cæterùm est aliquid altius quàm scientia: nam iudicat de omnibus, tum conclusionibus, tum principijs: itaque scientia non est genus ad sapientiam. Hactenus de virtutibus intellectualibus, quæ in intellectu speculatiuo consistunt.

Theologia nostra vera sapiẽtia ad quam pertinet corrigere omnes sciẽtias etiã metaphysicam.

1.Corin.1.

1.Corin.2.

2.Corin.10

Argumentum.

Solutio.

ARTIC. TERTIVS.

¶Vtrùm habitus intellectualis, qui est ars, sit virtus.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Conclusio Diui Thomæ est. Ars habet rationem virtutis, sicut & habitus speculatiui qui non sunt virtutes simpliciter, sed secundum quid, vt articulo superiori dictum est. Ars enim secundum se, non dicit rectitudinem appetitus, sed tantùm curat vt opus quod fit, bonum sit: vnde non pertinet ad laudem artificis, quà artifex est, an recta, vel mala voluntate opus faciat; sed an opus quod efficit, in se bonum sit. Cùm ergo non detur virtus simpliciter absque rectitudine voluntatis, vt suprà dictum est; ars non erit virtus secundum se sumpta, simpliciter, & perfectè. His adde, quod neque dat vsum bonum simpliciter, sed tantùm dat facultatem operationis, sicut alij habitus speculatiui, qui hac de causa virtutes simpliciter non sunt.

EXPLICATIO ARTICVLI.

NVNC agendum est de virtutibus practicis, quæ in intellectu practico consistunt. Et primò quæritur; Vtrùm ars sit virtus? Pro parte negatiua sic argumentor. Nam virtute nullus malè vtitur, vt habet Diuus Augustinus in definitione virtutis. Sed arte aliquis malè vtitur; potest enim artifex secundum scientiam artis malè operari. Igitur virtus non est.

Vtrùm ars sit virtus.

Primũ pro parte negatiua.

Augusti.

Secundum ¶ Secundò, artes mentiendi, adulandi, & venena componendi, sunt veræ artes; sed virtutes non sunt: nam earum vsus est malus.

Tertium. ¶ Tertiò, prædictæ artes sunt vituperabiles: ergo virtutes non sunt. Consequentia inde probatur: nam de ratione virtutis est, quòd sit laudabilis, & non vituperabilis.

Quartum. ¶ Præterea, virtutes vel sunt bona honesta, vel inter honesta numerandæ: sed prædictæ artes non sunt bona honesta, nec digna honore: ergo non sunt verè virtutes.

Quintum. ¶ Item, si ars mentiendi virtus est; ergo à Deo est: omnis namque virtus à Deo est. Rursus ergo actus huius artis à Deo est: actus autem est artificiosè mentiri: ergo artificiosè mentiri à Deo est.

Vltimum. ¶ Vltimò, virtus intellectualis, semper, & infallibiliter verum dicit, vt antea dictum est: sed intellectus humanus circa contingentia, circa quæ versatur ars, non potest infallibiliter dicere verum: ergo ars non est virtus; siquidem non potest infallibiliter verum dicere.

Opinio quorũdam quod non omnes artes sunt virtutes. ¶ Propter hæc argumenta quidam Doctores tenent, quòd non omnes artes sunt virtutes, sed tantùm illæ, quæ operantur bonum: nam de ratione virtutis est, quòd bonum faciat habentem, & eius opus in suo genere reddat bonum. Item vrgent vehementissimè illo argumento suprà adducto. Nam si ars mentiendi virtus est; ergo à Deo est. Rursus, si ars mentiendi à Deo est: ergo Deus inclinat ad mentiendum. Item, ergo Deus se solo potest infundere in intellectu artem mentiendi atque etiam artem peccandi. Quòd recte sequatur patet. Nam vniuersam virtutem quam nostris actibus comparamus, potest Deus se solo mentibus nostris infundere. Itaque secundum istos autores, sola illa ars virtus est, quæ est habitus operatiuus, & boni operatiuus. Contrarium huius videtur docere Dominus Caietanus, in sua summa; Verbo delectatio morosa. Et probatur. Nam istæ artes, licèt sint inutiles, & noxiæ vt exerceantur, vtilissimum est eas edisce re, vt caueantur, & vitentur, vt docet Aristoteles primo Rhetoricorum capi. primo. Deinde licitum est homini complacere de arte excogitata mentiendi, & industria occidendi; atque adeò licitum est laudare hominem de huiusmodi artificio, & de industria occidendi. Vltimò, prædictæ artes perficiunt semper ad verum intellectus: semper nãque, & sine errore constituunt medium inter exuberantiam, & defectum.

Opinio Caiet.

Aristo.

Quomodo ars sit vera virtus. Aristo. ¶ Sed prius quàm respondeamus obiectis argumentis, explicandum est, quomodo ars sit vera virtus. Hoc explicat Diuus Thomas articulo tertio duplici argumento: tum autoritate Aristotelis sexto Ethicorum: tum verò ex definitione artis. Ars enim est recta ratio factibilium, vel est habitus factiuus cum recta ratione. Ex qua definitione manifestè colligitur quòd sit virtus: nam est habitus boni operatiuus. Sed est obseruandum discrimen inter opus artis, & opus moralis virtutis: nam opus artis vt rectum sit, & bonum, sat est quòd in se rectum sit, & suæ rationi consentaneum, licèt voluntas malè affecta sit: non enim refert ad artificem, qua

voluntate

voluntate opus faciat, sed quale opus sit quod faciat: quemadmodum ad Geometram nihil refert qua voluntate sit præditus, dum tamen verum demonstret. Ex quo sequitur, quòd ars assimilatur habitibus speculatiuis, qui dant facultatem rectè operandi, sed non dant rectum vsum.

Ad argmẽta. ¶ Ad argumenta in contrarium, & ad primum respondetur, quòd quando quis pingit ad decipiendum, vel ad iniuriam irrogandam, vtitur malè arte; non malitia opposita bonitati artis; nam ille malus vsus non proficiscitur ab arte, sed à mala voluntate: itaque nullus vtitur malè arte, malitia opposita bonitati artis: continuò ergo atque opificium malum est, non est opus artis: vtitur tamen aliquis malè arte, malitia opposita bonitati morali.

Ad primũ.

Ad secũdũ. ¶ Ad secundum argumentum respondetur, quòd vsus istarum artium, si referatur ad intellectum, bonus est; si verò ad voluntatem, malus est. Item dico, vsum præceptum istarum artium esse, eas scire vt caueantur.

Ad tertiũ. ¶ Ad tertium argumentum respondetur, quòd istæ virtutes, si referantur ad intellectum, laudabiles sunt: si verò ad voluntatem, vituperabiles. Rursus, laudabile est eas addiscere vt caueantur.

Ad quartũ. ¶ Ad quartum argumentum respondetur, finem honestum istarum artium esse, eas edisce re vt caueantur.

Ad quintũ. ¶ Ad quintum argumentum videtur concedendum quòd ars mentiendi à Deo sit: non tamen est consequens quòd Deus inclinet ad mentiendum, sed tantùm inclinat ad scien dum artificium, & mirabiles modos, & ad sciendum eos vt caueantur.

Ad vltimũ. ¶ Ad vltimum argumentum non potest exactè responderi, donec explicemus quomodo prudentia semper dicat verum; quod postea explicabitur.

ARTIC. QVARTVS.

¶ Vtrùm prudentia sit virtus distincta ab arte.

SAMMA TEXTVS.

Conclusio. AFfirmans est Conclusio: eam in argumento, sed contrà, probat Diuus Thomas autoritate Aristotelis sexto Ethicorum,

Aristo. capitulo tertio, & in corpore articuli ita exponit. Vbi enim est diuersa ratio virtutis, ibi diuersæ virtutes sunt constituendæ: diuersa autem ratio virtutis est in arte, & in prudentia; quoniam ars, virtutis rationem dicitur habere, ex eo quòd dat facultatem operis: prudentia verò ex eo quòd dat etiam vsum boni operis: quapropter ars non præsupponit rectitudinem appetitus; prudentia verò eam præsupponit, & requirit: requirit enim vt homo sit dispositus, beneque affectus circa finem; quod sanè per rectitudinem appetitus fit: quapropter magis laudatur artifex qui peccat volens, quàm ille qui peccat nolens: magis autem prudentiæ contrarium est vt aliquis peccet volens, quam nolens: quoniam rectitudo voluntatis est de ratione prudentiæ, non autem de ratione artis. Prudentia ergo ab arte distinguitur.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Vtrùm prudẽtia sit vera virtus.

ESt dubium, vtrùm prudentia sit vera virtus. Pro parte negatiua sic argumentor. Nam virtus intellectualis semper dicit verum, vt antea dictum est. Sed prudentia non semper dicit verum: ergo virtus non est. quòd non semper dicat verum, probatur. Nam versatur circa contingentia quæ sic, vel aliter possunt se habere: at circa contingentia semper dicere verum, superat humanum ingenium.

Pro parte negatiua. Primum.

Secundum. ¶ Secundò, fides humana, & opinio aliquando dicunt falsum; quoniam versantur circa contingentia credibilia; & ideo virtutes non sunt: ergo prudentia aliquando dicit falsum; siquidem circa contingentia versatur.

Tertium. ¶ Tertiò, dare eleemosynam pauperi, qui fingit se esse pauperem, est opus prudentiæ, & misericordiæ: sed prudentia in tali

discursu decipit, & fallit; nam facit istum discursum; pauperi est danda eleemosyna: hic est pauper; ergo danda est eleemosyna. In similem errorem incidit Iacob cùm accessit ad Liam; nam construxit hunc syllogismum. Ad propriam vxorem est accedendum: hæc est propria vxor; ergo est accedendum.

Vltimum. ¶ Vltimò est palmarium argumentum. Prudentia recta docet, quòd sequamur conscientiam erroneam, & quòd mentiamur, quando existimamus nos teneri ad mentiendum, vt suprà latissimè demonstratum est: ergo prudentia inclinat ad errorem, & mendacium intellectus; ergo non est virtus intellectualis. Pro explicatione sit prima propositio.

Prima con. Prudentia est virtus ab arte distincta. ¶ Prudentia est virtus ab arte distincta: nam virtus est quæ dirigit ad operandum secundum rectam rationem: sed recta ratio est ipsa prudentia: ergo est virtus. Deinde nihil est laude dignum, aut honore, nisi virtus: sed prudentia laudatur à Spiritu sancto Sapien. 8. cum dicitur; Iustitiam, & prudentiam docet, quibus in vita hominibus nihil vtilius. Vltimò, virtus est quæ bonum facit habentem, & eius opus bonum reddit: sed huiusmodi est prudentia: ergo virtus. Quòd verò sit distincta ab arte, sic ostendo. Nam ars sic perficit intellectum, quòd non requirit appetitum rectum: prudentia verò requirit rectum appetitum. quod sic demonstro. Nam sic se habet finis in practicis, sicut prima principia in speculatiuis; & ideo ad prudentiam, quæ est recta ratio de rebus agendis, requiritur quòd homo sit bene dispositus circa finẽ, quod fit per appetitum rectum: nam qualis vnusquisque est, talis videtur ei esse finis.

Sapien. 8.

Secũda cõ. Prudentia est in intellectu practico. ¶ Secunda conclusio. Prudentia in intellectu practico consistit: nam prudentia est recta ratio de rebus agendis: tractare verò de rebus agendis, pertinet ad intellectum practicum. ¶ Sed contra hanc conclusionem sunt optima argumenta. Nam fortitudo, & temperantia sunt in appetitu sensitiuo, vt antea dictum est: sed appetitus sensitiuus non mouetur nisi à sensu: obiectum enim appetitus sensitiui est bonum apprehensum: ergo iudicium quod dirigit temperantiam, & fortitudinem, est in sensu, & illud est prudentiale: ergo prudentia in sensu consistit.

Obiectiones.

Secunda. ¶ Deinde, prudentia versatur potissimè circa singularia: sed singularia non cognoscuntur nisi à sensu: dicit enim Aristoteles sæpissimè, quòd intellectus est vniuersalium; sensus verò singularium: ergo prudentia in sensu consistit. Quòd verò prudentia potissimè versetur circa singularia, sic ostendo. Nam

Arist.

propositiones vniuersales quæ inueniuntur in discursu prudentiæ; pauperi subueniendum; non mentiendum; potiùs pertinent ad syndæresim, vel ad philosophiam moralem. Et confirmatur: nam potissimus actus prudentiæ est, præcipere quid facto opus est: sed præceptum semper est de singularibus.

Vltimo. D.Tho. Arist. ¶ Vltimò, Diuus Thomas in articulo quarto huius quæstionis, ad secundum, manifestè dicit ex Aristotele sexto Ethicorum, quòd prudentia est in parte animæ opinatiua, non in parte scientifica: pars verò opinatiua (explicante Sancto Doctore) est cogitatiua.

Solutio argumẽtorũ. Ad primũ. Duplex solutio. ¶ Ad hæc argumenta satisfaciendum est; Ad primum respondent quidam, quòd appetitus sensitiuus in homine, si quidem est coniunctus appetitui intellectiuo, potest moueri immediatè ab intellectu. Itaque postquam iudicatum est per intellectum quod oportet aggredi homines; anima producit in potentia irascibili audaciam, absque eo quòd interueniat iudicium potentiæ sensitiuæ. Et videtur sanè quòd hic modus dicendi probabilis sit: nam alioqui difficilè saluatur, quomodo iudicium sensus sit directiuum virtutis, potissimè infusæ, in cuius obiecto includitur aliquid spirituale, & insensibile. Alio modo dicendum est, non esse inconueniens concedere quòd iudicium operis sit directiuum temperantiæ, & fortitudinis; sed hoc iudicium producitur à prudentia per deliberationem, & cõsultationem. Quòd si quærat Theologus, vtrùm ex illo iudicio relinquatur aliquid in sensu interiori? potest respõderi quòd relinquitur: nam autore D. Thom. suprà quæstione quinquagesimasexta, articulo quinto, in potentijs interioribus sensitiuis sunt aliqui habitus præparatorij, qui deseruiunt ad veras intellectus virtutes.

D.Tho.

Ad secũdũ. ¶ Ad secundum argumentum respondetur, efficaciter conuincere quòd intellectus cognoscit singularia; alioqui prudentia in sensu constituitur, non in intellectu. Rursus, si non intelligit singularia, consequens est, quòd prudentia quæ cognoscit singularia, non est in anima separata: sed de hac re diligentiùs. 1. p. quæst. 86. articulo. 1.

Ad tertiũ. ¶ Ad tertium argumẽtum respondetur, quòd prudentia principaliter constituitur in intellectu practico: ipse enim est qui deliberat, & definit: secundariò verò in cogitatiua sedem habet, à qua in cognitione singularium maximè adiuuatur: non enim est incommodum concedere, quòd vnus habitus in vna potentia præcipuè ponatur, & secundariò in alia; sed de hoc diligentiùs. 2. 2. quæstione. 47. vbi

de

de prudentia inuestigatur. Nunc tantùm superest aduertere, quòd prudentiæ adiunguntur tres aliæ virtutes; primam vocant Græci euboliam; nos virtutem qua tum nobis, tum alijs rectè consulimus: secundam Græci vocant synesim; nos virtutem iudicatiuam dicimus, qua iudicamus in casibus extraordinarijs, qui ratione communi comprehendi nequeunt. Istæ verò virtutes propriè nomen virtutis non merentur: nam disponunt ad actum prudētiæ potissimùm, qui est præcipere quid in vnaquaque re facto opus est: dictum autem est in præfatione huius materiæ, ibi collocandam esse virtutem, vbi potissimus actus sedem habet.

Eubolia.

Synesis.

Tertia cō. Prudentia semper dicit verum.

¶ Tertia conclusio. Prudentia semper dicit verum, & nunquam decipit: nam prudētia cùm sit virtus intellectualis, semper disponit ad bonum intellectus: bonum verò intellectus, verum est. Deinde verò, prudentia est recta ratio de rebus agendis: sed recta ratio nūquam decipit. Tertiò, opinio eà ratione excluditur à ratione virtutis, quia aliquando falsum dicit, vt dicit Aristoteles sexto Ethicorum ca. 3. ergo si prudentia aliquando decipit, virtus non est. Vltimò, dicere quòd prudentia decipiat, est dicere quòd prudentia sit mala virtus, & quòd scientia sit ignorantia: sed explicare quomodo prudentia semper dicat verum, hoc opus, hoc labor est: hæc difficultas deuorauit Ocham, Martinum de magistris, Almaynum, & huius nomenclaturæ cæteros. D. Thom. eam rem explicat articulo quinto, ad tertium argumentum; dicit enim, quòd iudicium prudentiæ semper est verum practicè, licèt sæpissimè sit falsum speculatiuè: veritas namque intellectus practici, non est conformitas ad res ipsas, sed conformitas ad rectum appetitum. Accepit hanc sententiam ex Aristot. sexto Ethicorum capitulo secundo, cuius verba hæc sunt; Veritas actiuæ mentis est consentanea recto appetitui. Hæc sententia habet varias expositiones: Prima est, tunc intellectus practicus verus est, quando dirigit ad bonum & ad studiosam operationem: hoc enim differt inter intellectū practicum, & speculatiuum; quòd perfectio intellectus speculantis est cognoscere; perfectio verò intellectus practici est operari, & dirigere ad studiosam operationem: & quoniam primum principium actuum humanorum voluntas est, quæ vniuersas potentias ad operandum mouet, tunc intellectus practicus dirigit ad studiosam operationem, quando recto appetitui fuerit consentaneus. Secunda explicatio est, tunc intellectus practicus verum dicit, quando est appetitui recto consentaneus; id est quando direxerit ad operationem, quam appetitus rectè dispositus approbauit: sicut enim lingua febricitantis, infecta vino, aut melle, rectum iudicium præstare nō potest; sic appetitus malè dispositus, de rebus humanis verum iudicium præstare non potest. Itaque appetitus rectus iudicat de omnibus, & ipse à nemine iudicatur. Tertia explicatio est; tunc intellectus practicus dicit verum, quando dirigit ad operationem, quam vir bonus, & probus approbat; Vir enim bonus est, qui habet rectum appetitum. Ex his constat quomodo prudentia dicat verū semper. ¶ Sed contra hanc solutionem arguitur optimè. Nam appetitus ideo dicitur rectus, quia est conformis rectæ rationi; quod patet ex definitione virtutis. Virtus enim est habitus electiuus in medio consistens, prout sapiens determinauerit: ergo si dicatur quòd ratio tunc est recta, quando est consentanea recto appetitui, committitur circulus, & est abire in infinitum. Hoc argumentum conatur dissoluere D. Thom. suprà quæstione. 19. articulo. 3. ad secundum. Mihi videtur dicendū, idem esse prorsus quòd operatio sit consentanea recto appetitui, & rectæ rationi: nam sensus est, quòd illa operatio recta est, quam vir bonus, & probus approbat. Vel dicendum est, quòd cùm dicitur illam operationem esse bonam, quæ recto appetitui fuerit consentanea, est definitio ab effectu, & à signo. Cum verò dicitur illam operationem esse studiosam, quæ rectæ rationi fuerit consentanea, est definitio ex propriis causis. Ex his patet ad omnia argumenta proposita, quibus probatur prudentiam non semper dicere verum. ¶ Sed vltimum argumentum maiori explicatione indiget, & dicendum est, quòd ignorantia, & conscientia erronea inculpabilis, est iudicium prudentiale verum: nam hoc iudicium in Iacob, hæc est à me cognoscenda, verum fuit, siquidem appetitui recto fuit consentaneum.

Aristo.

Quomodo prudentia semper dicat verum.

Ocham.

Martinus.

Almaynus.

Aristo. Veritas actiuæ mentis est consentanea recto appetitui.

Prima explicatio.

Secunda explicatio.

Tertia explicatio.

Argumēta contra hāc solutionē.

Solutio D. Tho.

Secunda solutio.

Ad argumenta proposita.

Ad vltimū.

ARTIC. QVINTVS.

¶ Vtrùm prudentia sit virtus necessaria homini.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio.

Sapien. 8.

Oncluſio eſt affirmans in argumento, ſed contra. Probatur ex illo; Sobrietatem, & iuſtitiam docet.

docet; prudentiam, & virtutem quibus nihil vtilius eſt in hac vita hominibus. In corpore verò probatur ſic. Prudentia neceſſaria eſt vt homo rectè operetur: ergo eſt homini neceſſaria. Antecedens patet: nam ad rectã hominis operationem non ſolùm requiritur quid agat, ſed quomodo operetur, vt ſcilicet ſecundum rectam electionem operetur: vt verò electio recta ſit, neceſſarius eſt debitus finis, & id quod conuenienter ad talem finem ordinatur: ergo ad rectam operationem non ſufficit debitus finis, ſed requiritur aliquid quòd rectè in talem finem ordinetur. Sicut igitur neceſſariæ ſunt aliæ virtutes perficientes partem appetitiuam vt in bonum finem tendat; ita neceſſarius eſt habitus quidam rationis, per quem homo diſponatur ad id quod in debitum finem ordinari debet, & talis habitus eſt prudentia. Hæc igitur virtus neceſſaria eſt.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Vtrùm prudẽtia ſit neceſſaria. Arguitur primo pro parte negatiua.

SED dato quòd prudentia ſit virtus, probatur quòd non ſit homini neceſſaria. Nam ſi homo ægrotat, non oportet vt artem medicam habeat, ſed ſatis eſt conſulere medicum cui obtemperet: ergo ſi homo non eſt ſanus moribus, ſatis eſt conſulere peritiores, quibus obtemperet. ¶ Secundò, idem oſtendo ex Ariſt. primo Ethicorum capitu. 4. qui ex Heſiodo Poëta ſic loquitur;

Secundum Ariſto. Heſiodus.

Optimus eſt ille, ex ſe ipſo qui bona nouit;
Proximus at ille eſt, qui paret recta monenti.
Sed qui nec ſapit ipſe, nec audit recta monẽtem,
Inuida ei mentem miſera natura negauit.

Tertium.

¶ Vltimò, Philoſophia moralis docet ſatis vniuerſas virtutes, & inſtituit prudentiæ diſcurſum: nam hic diſcurſus; pauperi ſubueniendũ eſt: hic eſt pauper: ergo. à philoſophia morali procedit. ¶ Ad primum reſpondetur, eſſe neceſſariam prudentiam, quia non ſemper eſt in manu conſiliarius cui obtemperemus, eò vel maximè, quòd petere conſilium eſt opus prudentiæ. ¶ Ad ſecundum argumentum reſpondetur, eſſe quoſdam homines qui propter ingenij tarditatem nati ſunt vt alijs obtemperent, qui vocantur ſerui à natura, & in ijs optima prudentia eſt audire recta monentẽ. ¶ Ad tertium argumentum reſpondetur, quòd philoſophia moralis dat facultatem ad rectè operandum, ſed non dat rectum vſum; prudentia eſt quæ dat rectum vſum, vt operemur prout oportet, & quando oportet.

Solutio argumẽtorũ. Ad primũ.

Ad ſecũdũ.

Ad tertiũ.

¶ Sed eſt aliud dubium; Quomodo ars ſemper dicat verum, cùm verſetur circa contingentia quæ infallibili ratione comprehẽdi nequeunt? ſumitur ne eius veritas ex conformitate ad rectum appetitum? ita docet Ariſt. 6. Ethicorum capitulo. 2. & D. Thom. in hoc articulo ad tertium. Pro cuius rei expoſitione ſciendum eſt, quòd rectitudo appetitus gemina eſt; altera eſt moralis in ordine ad bonum honeſtum: altera eſt in ordine ad finem artis, quæ eſt regula, & norma rei artificiatæ: volo dicere, tunc opus artis eſſe bonum, quãdo eſt conſentaneum voluntati artificis, ſecundum regulas artis. v. g. vult artifex facere imaginẽ pulcherrimã, & nõ poteſt proutvult; nõ eſt bonus artifex. Item, vult pingere imaginẽ deformẽ, & exijt pulcherrima; nõ eſt bonus artifex.

Secundum dubium. Quomodo ars ſemper dicat verũ. Ariſto. D. Tho. Rectitudo appetitus gemina.

ARTIC. SEXTVS.

¶ Vtrùm eubulia, ſyneſis, & gnomen, ſint virtutes adiunctæ prudentiæ.

SVMMA TEXTVS.

Concluſio. Ari. 6. Eth. ca. 7. 9. 10. & 11.

AFfirmans eſt Concluſio: quam aſſerit Ariſt. & D. Thom. exponit: nam erga humana agibilia, tres actus rationis inueniuntur; conſiliari, iudicare, & præcipere: ex quibus præcipuus actus, præcipere eſt; qui quidem ad prudentiam pertinet; alij duo ſunt minus præcipui, & pertinent ad eubuliã, ſyneſim & gnomẽ. Nam eubulia eſt benè conſiliatiua; ſyneſis, & gnomen, pertinent ad partẽ iudicatiuam: quoniam ergo actus minus

nus præcipui ad eum qui præstantior est ordinantur, ideo prudentiæ tanquam præcipuę adiunguntur, eubulia, synesis, & gnomen.

EXPLICATIO ARTICVLI.

An gnomi sit virtus. Primũ pro parte negatiua.

SED circa istum articulum sextum dubitatur; an gnomi sit virtus. Et videtur quòd non: nam si est virtus; vel est virtus acquisita, aut naturalis: sed neutro modo; ergo. Probatur minor; quia præter syndæresim, quæ est habitus quidam naturaliter inditus circa prima principia practica, non ponitur alia virtus naturalis in intellectu practico, sicut neque in speculatiuo intellectu ponitur alius habitus naturalis, nisi primorũ principiorũ. Itẽ acquisita virtus nõ videtur esse gnomi; quia virtus intellectualis acquiritur experimentis, quæ memoria retinẽtur, vt dicitur in prologo metaphysicæ. Sed obiectum gnomi est de rarò contingentibus, cùm sit præter cõmunes leges: ergo nõ potest acquiri virtus regulariter circa tale obiectum.

Secundum

¶ Secundum argumentum. Nam D. Tho. dicit in tertia conclusione, gnomi iudicat secundum rationem naturalem: sed ratio naturalis non est virtus acquisita, neque causat virtutẽ acquisitam: ergo gnomi non est virtus acquisita, sed erit quædam perspicacitas naturalis ingenij. ¶ Ad hoc dubium respondetur, quòd quemadmodum homo pauper studiosus potest esse magnificus; non simpliciter in actu, quia non habet magnas diuitias quas expendat, quod quidem est necessarium ad magnificentiam exercendam; sed tamen est magnificus in potentia propinqua, scilicet in præparatione animi. Cuius ratio est; quia virtutes sunt connexæ (vt dicemus infrà) morales quidem & cardinales, quarum materiæ frequenter occurrunt, sunt simpliciter connexæ; aliæ virtutes, quarum materiæ rarissimè, neque in omnibus occurrunt, sunt connexæ secundũ quid, scilicet in potentia propinqua actui, nõ tamẽ in actu: ita possumus dicere de virtute gnomi, quòd est virtus acquisita propter connexionẽ cum alijs virtutibus; & sufficit quod mẽs exercitetur circa principia ipsius gnomi, etiamsi non occurrant casus gnomistici actus exercẽdi, nisi rarò. Sunt autem principia ipsius gnomi vniuersaliora, quàm synesis, ad quæ penetranda multum valet perspicacitas naturalis ingenij, vnde ratiocinatur intellectus quid sit agendum in tali euentu, rarò, & præter legem communem contingenti. Esto exemplum: lex communis est quòd depositũ reddatur: sed si ille qui deposuit est impugnator reipublicæ, iudicat gnomi quòd tunc non reddatur; quia penetrans homo rationem legis, scilicet quòd reddendum est ei bonum suum, vtile sibi, & considerans simul bonum reip. excellentius esse quàm bonum particulare illius, concludit quòd non est ei reddendum, hîc, & nunc depositũ. Item lex cõmunis modestiæ est, quòd homo non se gerat in motibus, & gestibus instar amentis, & fatui hominis; & tamen Dauid prudentissimè egit ex iudicio gnomistico, gerens se apud Regem Achis quasi furens, & amens, quia bonum vitæ Dauid excellentius est, & vtilius reipublicæ suæ, quàm bonũ recti gressus; & in tali casu non fuit immodestia ita se gerere, sed fuit maxima prudentia. 1. Reg. 21.

Primũ corollarium.

Ex dictis sequitur, quòd frequentius occurrunt hominibus casus ad exercendũ gnomi, quàm magnificentiam: quia magnificentia à solis diuitibus exerceri potest, & hoc non ab omnibus.

Secundum

Sequitur secundò, quòd gnomi est excellentior virtus, quàm synesis; quia principia ipsius gnomi sunt vniuersaliora, per quæ communes leges moderantur. Videte de re hac D. Tho. suprà q. 51. artic. 4.

D. Tho.

QVAESTIO LVIII.

De distinctione virtutum moralium ab intellectualibus; in quinq; articulos diuisa.

ARTIC. PRIMVS.

¶ Vtrùm omnis virtus sit moralis.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio.

RESpõdet D. Tho. cõclusione negãte. Non omnis virtus est moralis, sed illę solùm quæ in vi appetitiua locãtur: probatq; in argumento, sed contrà, ex eo quòd præter virtutes morales, dantur etiam virtutes intellectuales: in articulo verò ita exponit. Nam virtus moralis dicitur à more, secundùm quòd mos significat quandam inclinationem naturalẽ, vel quasi naturalem ad aliquid agendum: cui significationi illa est affi

nis, qua mos significat cõsuetudinem; quæ quia quodãmodo vertitur in naturam, efficit etiam inclinationem naturali similem; quia autem inclinatio ad actũ propriè conuenit appetitiuæ virtuti, cuius est mouere potentias ad agendum, ideo non omnis virtus, moralis dicitur; sed quæ est in parte appetitiua.

ARTIC. SECVNDVS.

¶Vtrùm virtus moralis distinguatur ab intellectuali.

SVMMA TEXTVS.

Prima con. PRima Conclusio. Non omnis virtus est scientia, aut prudentia, vt Socrates existimauit; Socrates. Socrates enim ponebat omnia actiua principia quæ sunt in homine, habere se ad rationem sicuti mẽbra exteriora respectu animæ, Aristo. de quibus dicit Aristoteles primo Politicorum, capitulo tertio, animam regere corpus principatu despotico, id est, sicut dominus seruum, qui ius contradicendi non habet; vnde cũ ratio, prudentia, & scientia perfecta est, non requiritur alia virtus, aut habitus ad rectè agendum; sicut neque cum anima perfecta est, requiritur alia virtus perficiens membra exteriora. Sed hæc opinio ex eo refellitur, quòd procedit ex suppositione falsi: pars enim appetitiua obedit rationi non omnino ad nutum, sed cum aliqua contradictione: quapropter dixit Arist. primo politicorum capitulo. 3. rationem imperare appetitui dominio politico, quo scilicet aliquis præest liberis, qui habẽt ius in aliquo contradicẽdi. ¶Secunda Conclusio. Virtus moralis distinguitur ab intellectuali. Hæc conclusio est Arist. 1. Ethicorũ, capitulo vltimo & probatur: quoniam, vt patet ex superiori conclusione, ad hoc quòd homo rectè agat, non sufficit si ratio sit rectè disposita per habitum virtutis intellectualis, sed etiã quòd vis appetitiua sit rectè disposita per habitum virtutis moralis: sicut ergo appetitus distinguitur â ratione, ita virtus moralis ab intellectuali; & sicut appetitus est principium actus humani vt participat rationem; ita habitus moralis habet rationem virtutis, in quantum rationi conformatur. Secunda.

EXPLICATIO ARTICVLORVM.

VT ea quæ hîc dicuntur à D. Thoma meliùs intelligantur, quæritur. Vtrùm omnis virtus sit sciẽtia, aut prudentia, vt Socrates dicebat. Pro parte affirmatiua sic argumentor. In primis autoritate omnium antiquorum, qui pro eodem habebant virum sapientem, & studiosum: dicebantque in virum sapientem non cadere animi perturbationes, non iniuriam; & quòd sola sapientia satis erat ad vitam rectè instituendam. Huic consonat diuina scriptura, in libro Sapientiæ & Ecclesiastici, in quibus mirum in modum laudatur sapientia, vt omnium bonorum mater, & omnium virtutum plenitudo. Secundò Aristo. 3. Ethicorum capitulo. 5. apertè asserit, quòd omnis prauus est ignorans: cui consonat diuina scriptura Prouerbiorum. 14. cum dicit; Errant qui operantur malum: ergo verissimè docebat Socrates, omne peccatum ex ignorantia procedere; & quòd existente perfecta scientia, nõ potest esse peccatum. Tertiò, idem Arist. 6. Ethico. c. de prudentia. & 7. Ethicorum, cap. 3. dicit expresse, quòd existente perfecta sciẽtia in particulari, Vtrùm omnis virt' sit sciẽtia aut prudentia. Primũ arg. pro parte affirmatiua. Secundum Aristo. Prou. 14. Tertium. Aristo.

culari, non potest esse peccatum. Consentit
D.Tho. Diuus Thomas hoc in articulo, & infrà quæ-
Quartum. stione. 77. articulo secundo. Quartò, existente
imperio efficaci ex parte intellectus, necessi-
tatur voluntas vt rationi obtemperet, sicut
traditum est suprà quæstione decimaseptima
de imperio: ergo satis est prudentiâ ex parte
intellectus, & non est necessaria virtus ex par-
te voluntatis. Consequentia inde probatur:
nam in corpore non cõstituitur virtus vt ob-
temperet rationi, quoniam necessariò ob-
temperat: ergo si voluntas necessariò obtem-
Vltimum. perat, virtute non indiget. Vltimò, omne bo-
num, & omne malum nostrum in discursu
rationis consistit: ergo omnis virtus in ratio-
ne consistit. Probatur antecedens: nam si di-
scursus rationis rectus est, necessum est vt
operatio recta sequatur: si verò peruersus, vt
operatio peruersa sequatur: voluntas enim
non potest ferri, nisi in bonum propositum
per intellectum. verbi gratia. existente hoc re-
cto & efficaci discursu; pauperi est danda
eleemosyna: hic est pauper; ergo huic est dan-
da eleemosyna: non potest non sequi elargi-
tio eleemosynæ. Ex alia parte videtur quòd
omnis virtus, amor sit. Certè ita dicit Diuus
August. August. semper, nominatim libro primo de
moribus Ecclesiæ, capitulo decimoquinto.
tractatu. 32. in Ioannem; tractatu septimo in
priorem Epistolam Ioannis. libro de natura
& gratia, capitulo. 38. 42. &. 70. & in libro de
perfectione iustitiæ. & in enchiridio capitulo
117. Huic consonant diuinæ scripturæ, in qui-
bus habetur, quòd plenitudo legis, est dile-
ctio; quòd vinculũ perfectionis est dilectio;
finis præcepti, charitas.

Omnis creatura quãuis habeat omnẽ sciẽtiã pec care põt. ¶ Prima conclusio. Licèt Angelus, aut quæli-
bet alia creatura habeat omnium rerum diui-
narum, & humanarum scientiam habitualem,
peccare potest; tum, propter inconsideratio-
nem multarum circunstantiarum, quas opor-
tet considerare; tum verò, quoniam scientia
non necessitat voluntatem, nisi tantummo-
dò in beatitudine; tum etiam, quoniam po-
test suspendere actum considerationis, & sic
potest peccare peccatum omissionis: tum vl-
timò, & præcipuè, quoniam potest superbire
de scientiarum possessione, & perfectione;
Paulus. & hoc est quòd dicit D. Pau. scientia inflat;
charitas ædificat.

Omnis creatura Prudentissima peccare potest. ¶ Secunda conclusio. Licèt Angelus, aut alia
creatura sublimior, habeat prudentissimam
prudentiam omnium negotiorum, circunstan
tiarum, & omnia rectissima iudicia, nihilomi-
nus peccare potest; quoniam prudentia non
necessitat voluntatem, sed liberè inclinat vt
vtamur ea, quando, & quò libitum fuerit.
Vtrùm verò Deus possit condere creaturam
tantæ prudentiæ ex parte intellectus, & tam
eximiæ virtutis ex parte voluntatis, vt per
naturã esset impeccabilis, alterius negotij est;
attinet enim ad materiam de Angelis.

¶ Tertia conclusio. Existente efficaci impe-
rio ex parte intellectus necessitatur volun-
tas vt rationi imperanti obediat. Hæc con-
clusio satis demonstrata est suprà quæstione
17. de imperio.

Alię virtutes necessariæ. ¶ Quarta conclusio. Nihilominus ex parte
appetitus, tam intellectiui, quàm sensitiui, ne-
cessariæ sunt virtutes vt ratio rectè imperet,
& principetur: nam voluntas magna cum
difficultate obtemperat rationi circa quæ-
dam bona; vt cùm diligit bonum alienum, &
cùm prosequitur bonum diuinum, & amat
illud plusquàm se: ergo indiget virtute, vt
promptè, & facilè rationi obtemperet. Dein-
de, appetitus sensitiuus suis passionibus per-
turbatus, perturbat iudicium, & imperium ra-
tionis, facitque vt ratio victa succumbat: er-
go vt ratio rectè imperet, oportet passiones
pacatas habere. Tertiò, qualis quisque est, ta-
lis ei videtur esse finis, vt asserit Aristoteles. 3. Aristo.
Ethicorum: & euidens experientia demon-
strat: ergo vt ratio rectè iudicet, oportet vtrũ-
que appetitum esse rectè dispositum. Vltimò,
sicut se habet primum principium in specu-
latiuis, sic se habet finis in practicis: ergo vt
sit recta ratio de rebus agendis, oportet quòd
homo sit rectè dispositus circa finem: hoc au
tem fit per virtutes morales appetitus; cuius
obiectum est bonum, & finis.

Solutio argumẽtorũ. Ad primũ. ¶ Ad primum argumentum in contrarium re
spondetur, fortasis antiqui philosophi sentie
bant cum Socrate, vniuersam virtutem esse
scientiam. Vel, quod vero similius videtur,
nomine sapientiæ, omne corpus, & omne ge-
nus virtutum comprehendebant: in quo sen-
su, sapientia in diuinis literis maximè com-
mendatur. ¶ Pro cuius maiori intelligentia Nota.
obseruandum est, quòd si aliquando apud Omnis virtus nomen sapientiæ habet. D. Tho.
sanctos Patres huiusmodi loquutiones inuene
rimus, explicandæ sunt, sicut explicat Diuus
Thomas in solutione ad secundum articuli
secundi, scilicèt quòd omnis virtus participa-
tiuè habet rationem scientiæ, & sapientiæ;
non essentialiter. Vel etiam aliquãdo loquun
tur sancti de sapientia, quæ est donum Spi-
ritus sancti, quod cum charitate infunditur.
Vel etiam quòd loquuntur aliquando de fide
viua: & in hac significatione multa dicuntur
de sapientia, & de sapiente in sacris literis,
quæ tamen de virtutibus infusis verifican-
tur, &

tur, & de homine fideli iustificato virtutibus quarum initium est fides, & diuina sapientia.

Deute. 4. Exempli gratia; Deuteronomij quarto inquit; Obseruabitis, & implebitis opere, scilicet præcepta mea: hæc est enim vestra sapientia,

Iob. 28. & intellectus coram populis. & Iob vigesimo octauo: Ecce timor Domini, ipsa est sapientia; & recedere à malo, intelligentia. Et Christus Dominus assimilat viro sapienti qui ædificauit domum suam supra petram, illum hominem qui audit verba Christi, & facit ea. Et similiter apud Lucam, auarus ille diues vocatur stultus. Et ratio istarum loquutionum est; quia obseruatio mandatorum, est exercitium sapientiæ, & fidei & prudentiæ circa particularia agibilia. Et quamuis aliæ virtutes sint necessariæ, tamen quia initium est in ratione, & in intellectu ad bene operandum; & similiter etiam quia finis omnis nostræ operationis est perfectissima cognitio summæ veritatis, omnis operatio quæ dirigit nos ad videndum Deum, sapientia est.

Ad secũdũ & tertium. ¶ Ad secundum, & tertium respondetur, quòd scientia de rebus agendis duplex est: vna vniuersalis, quæ habetur per scientiam moralem, per legem, aut verò per prudentiam habitualem: altera est particularis, quæ efficaciter dictat, & definit, quid hic, & nunc agendum sit. Dicit itaque Diuus Thomas, quòd si Socrates, & antiqui Philosophi sentiebant de scientia particulari, verissimè dicunt omne peccatum ex ignorantia procedere, atque adeò quòd existente scientia in particulari non potest esse peccatum: ex hoc tamen non est consequens, quòd vniuersa virtus sit prudentia: nam vt ratio rectè imperet, necessariæ sunt virtutes morales in appetitu, ne affectionibus, & passionibus perturbata ratio, victa succumbat: has verò virtutes appellare scientias, stultum est.

Ad quartũ & quintũ. Necessariæ sunt virtutes ex parte appetitꝰ vt voluntas obtemperet propter quatuor. ¶ Ad quartum, & quintum argumentum respondetur quòd licèt posito imperio efficaci ex parte intellectus necessitetur voluntas vt obtemperet, nihilominus necessariæ sunt virtutes ex parte appetitus: primò, vt rectè afficiant appetitum in ordine ad finem: deinde vt moueant intellectum ad imperandum: tertiò, vt rectè eligant, ex qua electione sequitur imperium: quartò, vt promptè, & facilè obediant: nam licèt hæc obedientia sit necessaria posito imperio intellectus efficaci, est tamen necessitas ex suppositione; & necessitas ex suppositione non tollit libertatem, nec virtutem, sicut suprà dictum est sæpe. Ex dictis sequitur, quòd vt

Corollariũ.

homo sit instructus ad omne opus virtutis, necessaria est virtus ex parte intellectus, & ex parte voluntatis. Sed (vt mea habet opinio) virtus quæ est in voluntate, & quæ est amor ordinatus, primas tenet: nam amor est causa omnium quæ amans operatur, vt latè demonstrat Diuus Thomas suprà quæstione vigesimaoctaua articulo vltimo: vnde si amor ordinatus est, omnia tuta sunt, & secura: sed de hoc in sequentibus iterum redibit sermo.

Opinio autoris. D. Tho.

¶ Circa solutionem ad quartum articuli secundi notandum est, quòd prudentia dicitur participari à virtutibus moralibus, quatenus virtutes morales inclinant ad finem, & intendunt illum per media determinata per prudentiam; quæ quidem voluntas eligit: & sic virtus moralis concurrit ad electionem ex imperio prudentiæ; & rursus prudentia præsupponit inclinationem voluntatis ad finem; quam inclinationem facit virtus moralis. Nota. 1.

¶ Denique notandum est cum Caieta. quomodo conformetur rationi virtus moralis; non quidem per relationem secundum esse, sed per conformitatem intrinsecam, & essentialem habitui virtutis. Nota. 2. Caiet.

ARTIC. TERTIVS.

¶ Vtrùm virtus sufficienter diuidatur in moralem, & intellectualem.

SVMMA TEXTVS.

Concluſio. Aristo. Oncluſio est affirmãs, quam asserit Aristotelis secũdo Ethicorum capitulo primo. & probat eleganter Diuus Thomas. Virtus namque humana est habitus perficiens hominem ad bene operandum: in recta autem operatione homo potest tantùm perfici quoad duo principia, quæ sunt, ratio, & appetitus: nam ista sunt principia humanorum actuum: si ergo virtus perficiat rationẽ, intellectualis virtus erit; si verò appetitum,

titum, erit moralis: optimè igitur virtus in intellectualem, & moralem diuiditur.

ARTIC. QVARTVS.

¶ Vtrùm moralis virtus possit esse sine intellectuali.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Conclusio est. Virtus moralis non potest esse sine synderesi, & prudentia, quæ est habitus primorum principiorum practicorum. Huius ratio est: nam licèt virtus moralis possit esse sine aliquibus virtutibus intellectualibus, non tamen potest esse sine prudentia: quoniam ad virtutem moralem nõ solùm necessaria est rectitudo finis, sed etiam recta acceptio eorum quæ sunt ad finem; quæ rectitudo à prudentia prouenit: quod non obscurè docet Diuus Gregorius secũdo moralium capitulo trigesimotertio. & libro vigesimosecũdo capitulo primo. Ex his consequens est, non posse esse virtutem moralem sine intellectu, & synderesi: per intellectum enim cognoscuntur principia naturaliter nota, tam speculatiua, quàm practica: & ita sicut recta ratio in speculatiuis supponit intellectum principiorum, ita & prudentia, quæ est ratio recta agibilium.

Gregor.

EXPLICATIO ARTICVLORVM.

Argumẽta contra conclusionem. De conclusione huius articuli dubitatio est; videtur enim esse falsa. Nam prius est quòd sit appetitus rectus circa finem, quàm vt prudentia definiat, & determinet quid faciendum sit: sed ista rectificatio fit per virtutem moralem: ergo virtus moralis priùs est quàm prudentia. Ex quo consequens est, quòd possit esse sine prudentia: prius enim non dependet à posteriori.

Tertium.

¶ Secundò, virtus moralis habet in officio rectificare appetitum in ordine ad finem; ex quo, tanquam ex principio, prudentia definit, & deliberat quid agendum sit: sed principium non dependet à principiato: ergo.

Secundum argumẽtũ.

¶ Vltimò, constituamus hominem sobrium atque temperatum, qui decipitur ab hæretico, qui alioqui existimatur doctissimus. verbi gratia. docet hæreticus, quòd est licitum comedere carnes in quadragesima, eius autoritate commotus ille vir bonus comedit carnes; tunc iste perdit prudentiam; nam decipitur grauissimè: sed non perdit temperantiæ virtutem: ergo virtus temperantiæ potest esse sine prudentia. Respondetur, sententiam Diui Thomæ esse verissimam, quæ in primis constat ex definitione virtutis: virtus enim est habitus electiuus in medio consistens, prout sapiens determinauerit. Rursus, moralis virtus est habitus electiuus: electio verò est appetitus deliberatiuus, ex deliberatione, & consultatione procedens: oportet ergo vt electio recta sit, tum veram esse rationem, tum rectum esse appetitum. Sed non oportet in re manifesta immorari, est enim veritas animis nostris insita, quòd quamuis homo opera virtutis innumera exerceat, si non prudenter, & tempore suo faciat, non meretur studiosi nomen.

Vltimum.

Definitio virtutis.

¶ Ad argumenta, & ad primum, & secundum argumentum difficilè est satisfacere: nam in his argumentis inuestigatur illa quæstio satis obscura; Vtrùm virtus moralis præstituat finem prudentiæ; an è contrario prudentia præstituat finem virtutibus moralibus? In cuius rei expositionem Scotus in tertio, distinctione trigesimasexta, quæstione vnica articulo secundo contendit, quòd licèt prudentia non dictet de fine communi omnium virtutum; putà, viuendum est secundum rectam rationem; dictat tamen de fine proprio cuiusque virtutis. & probat. Nam volitio finis, est actus virtutis: ergo regulatur prudentia. Hæc sententia potest confirmari maioribus argumentis: nam prudentia est lumen, & regula omnium virtutum: ergo præstituit finem omnibus virtutibus, illuminando, dirigendo, &c.

Solutio argumẽtorũ.

Vtrùm prudentia præstituat finẽ virtutibus. Scot.

Argumẽtũ Scoti.

Primũ proeiꝰ opinione.

¶ Præterea, appetitus rectus circa finem, quãdo oportet, & prout oportet, non potest esse

Secundum

sine

ſine lumine,& directione prudentiæ, vt planè conſtat:ergo.

Tertium. ¶ Tertiò, finis virtutum moralium eſt conſtituere medium in operationibus, vt non deficiant, nec exuperent: ſed hunc finem conſtituit prudentia, vt conſtat ex definitione virtutis, quæ eſt habitus electiuus, in medio conſiſtens, prout ſapiens determinauerit.

Quartum. ¶ Quartò, ſi virtus moralis præſtituit finẽ prudentiæ, ſequitur quòd virtus moralis ſit præſtantior ipſa prudentia. Quòd rectè ſequatur, ſic oſtendo: nam virtus quæ verſatur circa finem, præſtantior eſt & perfectior quàm ea quæ verſatur circa medium. Item ſequitur, quòd virtus moralis ſit prior quàm prudentia. Quòd rectè ſequatur, oſtenſum eſt in argumentis adductis in principio dubitationis. Certè D.Thom.infrà quæſtione. 66. articulo.3. ad tertium, & ſuperiùs quæſtione. 19. articulo.3. ad ſecundum expreſſè dicit, quòd prudentia præſtituit finem in virtutibus moralibus. Hæc dubitatio maximè cruciat D.Caieta.infrà.loco allegato:nam D.Thom.multis in locis ſuæ doctrinæ conſtanter aſſerit,quòd prudentia non præſtituit finem virtutibus moralibus, ſed tantùm de medijs dijudicat: docet hoc expreſſè.2.2.quæſtione. 47. articul.6. & in ijs articulis frequenter docet, quòd prudentia præſupponit rectitudinem appetitus circa finem factam per virtutes morales: ex qua, prudentia definit quid faciendum ſit iudicando de medijs. Item Ariſtote.dicit,qualis vnuſquiſque eſt,talis ei videtur eſſe finis.&.6. Ethicorum capitulo.2.veritas, inquit,prudentiæ eſt, conſentaneam eſſe recto appetitui. & capitulo. 12. dicit apertiſsimè, virtus moralis rectam finis intentionem facit: prudentia verò de medijs conſultat. ¶ Vltimò confirmatur hæc ſententia ex illo prouerbio; ſicut ſe habent prima principia in ſpeculatiuis, ſic finis in practicis, ex quibus prudentia concludit quid faciendum ſit. Certè prudentia apud Ariſtote. tantùm eſt reſpectu concluſionum, ſicut ſcientia etiam apud D.Tho.Hæc dubitatio videtur inexplicabilis Caietano.Mihi videtur dicendum, quòd prudentia præſtituit finem virtutibus moralibus tripliciter:tum, illuminando, dirigendo, & tollendo errores intellectus:tum verò,faciendo quòd virtus moralis conſtituat medium in ſuis operationibus,quòd eſt finis virtutis moralis;veluti finis ſagitattoris eſt ſcopum attingere: tum tertiò, applicando efficaciter media, ſine quibus nó poteſt eſſe perfectus appetitus finis.Cæterùm virtutes morales præſtituunt finem prudentiæ dupliciter: primò, afficiendo ad rectum finem: ſecundò, remouendo paſsiones, quæ cùm ſint immoderatę,& effrænes,perturbant iudicium rationis: itaque prudentia præſtituit finem illuminando, dirigendo:virtutes morales,afficiendo, inclinando; ſicut voluntas mouet intellectum afficiendo, applicando;intellectus,illuminando & dirigendo.Explicat hanc rem Caieta. vno verbo ſecunda ſecundæ loco allegato, dicens; quòd virtus moralis præſtituit finem exequutiuè:prudentia verò autoritatiuè. ¶ Ex ijs ſoluuntur argumenta propoſita: nam dicendum eſt, quod appetitus rectus circa finem, eſt prior quàm prudentia in genere cauſæ efficientis, & exequentis; cæterùm in genere cauſæ illuminantis,& dirigentis, prior eſt prudentia.

¶ Ad tertium argumẽtum reſpondetur, quòd homo ille poteſt habere geminam ignorantiam; culpabilem, & inculpabilem: ſi habeat inculpabilem, non perdit prudentiam: nec verò temperantiam; nam illud iudicium, comedendæ ſunt carnes in quadrageſima, in homine ſimplici, dicente viro doctiſsimo, practicè verum eſt; ſiquidem recto appetitui conſentaneum eſt, ſicut antea dictum eſt de iudicio quod habuit Iacob, quando acceſsit ad Liam. Si verò habet ignorantiam culpabilem,perdit tum prudentiam, tum temperantiam,vel ad earum corruptionem diſponitur, ſi acquiſitę ſunt;nam comedere carnes in quadrageſima ex ignorantia culpabili,& aduerſatur prudentiæ,& temperantiæ.

Caiet. D.Tho. Ari.3.Eth. ca.4. Quomodo prudentia præſtituat finem virtutibus moralibus, & è contra. Caieta. Solutio argumentor. Ad tertiũ.

ARTIC. QVINTVS.

¶ Vtrùm virtus intellectualis poſsit eſſe ſine morali.

SVMMA TEXTVS.

Concluſio. Concluſio ita habet.Prudentia non poteſt eſſe ſine virtute morali:alię autem virtutes intellectuales eſſe poſſunt ſine morali virtute.Probatur: nam prudentia eſt recta ratio agibilium, non ſolùm in vniuerſali,ſed etiam in particulari: ad rectam autem rationẽ neceſſaria ſunt principia, ex quibus ratio procedit: ita vt ad rectã rationem circa vniuerſalia requirantur

rantur principia vniuersalia; & ad rectam rationem particularium requirãtur principia particularia, & vniuersalia: & quidem circa vniuersalia homo rectè se habet per naturalem intellectum principiorum, erga particularia per alias virtutes morales: ergo ad prudentiam aliæ virtutes morales requiruntur.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Opinio Scoti. IN hoc articulo sciẽdum est, quòd Scot. in. 3. dist. 36. quæstione vnica articulo. 2. contendit, quòd prudentia possit esse sine virtute morali, & quòd vir improbus potest esse prudentissimus. Consentit Gabri. in eadem. d. &. q. Ocham in. 3. quæst. 12. & quodli. 4. quæst. 6. & probatur hæc sententia. ¶ Nam virtus moralis præsupponit prudentiam, vt antea dictũ est: ergo si prudentia viceuersa præsupponit virtutem moralem, datur circulus, & idem est prius, & posterius simul. ¶ Secundò, hic discursus prudentiæ; pauperi danda est eleemosyna; hic est pauper; ergo huic danda est eleemosyna; non requirit rectitudinem voluntatis. quod sic ostendo. Nam maior illius discursus habetur per philosophiam moralem: minor verò, fide, aut credulitate humana: ergo prudentia non requirit rectitudinem voluntatis. Idem confirmatur: nam hic discursus prudentiæ; temperatè est comedendum; comedere in tali tempore, & in tanta quantitate, est temperata cibatio; ergo eligenda; non requirit rectitudinem voluntatis: nam maior huius discursus habetur per philosophiam moralẽ: minor verò per legis cognitionem. ¶ Item, quanquam verisimè dictet prudẽtia quid sit faciendum, potest voluntas non se conforma re; imo potest esse dissentanea: ergo prudentia potest esse sine virtute morali. ¶ Præterea in hoc differt peccatum ex malitia, à peccato ex passione, & ignoratione; quòd qui peccat ex passione, aut ignoratione, peccat perturbato mentis oculo: qui verò ex malitia peccat, peccat sciens & prudens: ergo. ¶ Præterea, Angelus est prudentissimus; habet enim prudẽtiam insitam à natura (vt mea fert opinio) & non perdidit: at Angelus malus non habet rectitudinem voluntatis: ergo. ¶ Idem confirmatur: nam christianus qui est in peccato mortali cõstitutus, non habet rectitudinem voluntatis, vt planè constat: at videtur habere prudentiam: nam habet fidem quæ in christiano dirigit ad operandum, dicente Paul. Iustus ex fide viuit: fides ergo est regula ad operandũ. Roma. 1.

¶ Hæc omnia confirmantur autoritate sanctorum Patrum. D. August. super Psalm. 123. in illud verbum; Fortè viuos deglutissent nos; dicit, illi viui absorbentur, qui sciunt malum esse quod operantur, & nihilominus operantur. Ecce per prudentiam sciunt quid sit faciendum, & per prauum affectum non faciũt. Et in Psalm. 68. in illud verbum; Fiat mensa eorum coram illis in laqueum; dicit, coram illis qui sciunt non esse consentiendum, & cõsentiunt. & in Psal. 118. super illa verba; Concupiuit anima mea desiderare; dicit, præuolat intellectus, sequitur tardus, aut nullus affectus. Hæc sententia videtur esse expressa Christi Domini in Euãgelio: dicit enim Luc. 12. Seruus sciens voluntatem domini sui, & non faciens, vapulabit multis. & Iacob. capitulo. 4. Scienti bonum, & non facienti, peccatum est illi. Confir. 2. August. Luc. 12. Iaco. 4.

¶ Contraria sententia sine dubio est verissima, quam confirmat hîc Caietanus varijs argumentis. In primis probat ex Arist. 3. Ethi. capitu. 1. vbi refert illud axioma celebre: Omnis prauus est ignorans: cui consonat diuina scriptura Prouerbiorum capitu. 14. Errant qui operantur malum. & Dominus Luc. 11. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit, non habens aliquam partem tenebrarum: vbi Dominus, secundum expositionem omnium sanctorum, oculum appellat rectam finis intentionem, & voluntatem: recta namque intentio illuminat intellectum ad rectum iudicium de rebus agendis: ergo prudentia ad rectè iudicandum, requirit voluntatis rectitudinem. Idem ostenditur ex Arist. 3. Ethicorum capitulo. 4. vbi dicit; quòd vir bonus, & studiosus iudicat & appetit id quod verè bonum est; Vitiosus verò id quod apparet esse bonum: & sicuti qui natura sani sunt, & salubres, verè etiam salubres cibos appetunt: qui verò languidi sunt, de bonis cibis rectum iudicium non habent: sic in materia morali contingit de rebus agendis. Ex quo concludit Aristot. illud memorabile axioma; qualis vnusquisque est, talis ei videtur esse finis: id est, pro diuersitate affectuum quisque de rebus agendis dijudicat. Idem Aristote. 6. Ethicorum capitulo. 5. demonstrat, prudentiam non posse esse sine virtute morali, hoc argumento. Nam omnis habitus qui in ratione consistit, nisi à natura sit, potest esse obliuio: sed prudentiæ non potest esse obliuio: ergo prudentia non solùm in ratione consistit: sed preterea rectitudinem volũtatis expostulat. Vltimò sic argumentatur Aristot. eodem in loco. Contraria sententia Caiet. Arist. Prouer. 14. Luc. 11. Arist. Simile. Arist.

in loco. Tristitia, & malitia voluntatis sæpenumerò corrumpunt prudentiæ rectam existimationem, vt euidens experientia commostrat: ergo rectitudo prudentiæ, rectitudinem voluntatis expostulat. Certè rectè admonet Sallustius, quòd homines, qui de rebus dubijs consultant, ab ira, odio, & amicitia, vacui esse debeant. Ad argumenta, & ad primum dicendum est, quòd virtus moralis habet duplex officium; & rectificare appetitum in ordine ad finem; & eligere media ad finem consentanea. Ratione prioris officij antecedit prudentiam: nam postquam quis habet rectam finis intentionem, per prudentiam de medijs consultat, & deliberat. Vnde D. Tho. sæpe docet, quòd ex rectitudine appetitus circa finē, prudentia colligit quid faciendum sit; sicuti intellectus speculatiuus ex primis principijs colligit conclusionem. Cæterùm quantum ad secundum officium, prudentia præcedit virtutē moralē: nemo enim potest rectè eligere, nisi prius per prudentiam deliberauerit quid eligendum sit. Sed est obseruandum, quòd quando dicimus virtutem moralem præcedere secundum vnum actum, & secundum alterum subsequi, non est sermo de prioritate temporis, sed de prioritate, ordine naturæ.

Sallustius.

Solutio argumētorū. Ad primū.

D. Tho.

¶ Ad secundum, & tertium argumentū sciendum est, quòd in ijs argumentis inuestigatur difficultas, quomodo prudentia habeat suum discursum, & syllogismum concludat. In huius rei expositionem dicunt quidam, quòd in syllogismo prudentiali, nec maior, nec minor oportet quòd sit à prudentia: maior enim aliquando pertinet ad synderesim: minor interdum habetur fide humana, vel notitia intuitiua: ad prudentiam verò spectat applicare conclusionem prudentialem ad operandum. Alij verò dicunt, quòd conclusio prudentialis non est iudicium speculatiuum: hoc est faciēdum; hoc eligendum; sed imperium practicum efficax à voluntate dependens: quod explicatur his verbis; fac hoc; dilige, crede. Sed vt hoc euidentiùs ostendatur, aduertere oportet, quòd in discursu prudentiæ primum locum habet synderesis, quæ est notitia primorum principiorum, ostendens bonum honestum, & secūdum rationem conueniens. Secundo loco succedit ex parte voluntatis, inclinatio vniuersalis ad bonum, & conueniēs, quæ est quædam inchoatio, & seminarium virtutis. Tertio loco adiungitur Philosophia moralis, quæ virtutum laudes, & vitiorum vituperationem continet. Quarto loco accedit prudētia, quæ cùm sit recta ratio de rebus agendis, & eius officium sit discurrere, in syllogismo prudentiali vtitur duabus præmissis; altera vniuersalissima, quæ pertinet ad synderesim, scilicet bonū rationis, tam in passionibus quàm in actionibus sequēdum est: vtitur subinde alia præmissa particularissima, scilicet bonum rationis & mihi conueniens saluatur hic & nunc in tanto cibo, in tanta ira, in tanto amore: & tādem concludit conclusionem prudentialem nō in actu signato; id est, hoc est faciendum; hoc eligendum; sed in actu exercito, fac hoc, crede. &c. ¶ In hoc syllogismo prudentiali valde obseruandum est, quòd inter primam præmissam, & secundam, non est immediatus ordo sicut in speculationibus; sed mediat rectitudo appetitus circa bonum & finem, quæ facit rectam prudentiæ existimationem: nam vt animus rectè imperet, & iudicet, necessarium est quòd ab ira, & odio vacuus existat: & de hac propositione particulari intelligitur Aristot. quādo dicit; qualis vnusquisq; est, talis ei. &c. ¶ Secundò notandum est, quòd euidens experientia demonstrat, iram animi, & cæteras passiones perturbare iudicium rationis: euidens enim est, quòd iudicium illud particulare, vt rectum sit, requirit tum veritatem intellectus, tum rectitudinem appetitus. ¶ His constitutis, ad secundum, & tertium argumētum dico, illum primum discursum non esse prudētiæ: nam conclusio prudentiæ non dicit dandam esse eleemosynam, sed da eleemosynam promptè, & delectabiliter. Deinde dico, secundum discursum esse prudentiæ: nego tamen quòd quis possit habere hoc iudicium particulare, hîc & nunc in tanta ira conuenit irasci, nisi animus à passionibus liber existat.

Ad secūdū, & tertium. Quomodo prudentia suū habeat discursum.

Nota primo. In discursu prudentiæ inter primā præmissam & secūdam nō est immediatus ordo. Ari. 3. Eth. c. 4. & 5.

Nota secūdo.

¶ Ad quartum argumentū respondeo, quòd existenti efficaci imperio prudentiæ ex parte intellectus, necessitatur voluntas vt obediat, vt antea dictum est: hæc verò necessitas non tollit libertatem; nam est necessitas ex suppositione, vt antea dictum est copiosè. Secundò dico, quòd prudentia nunquam rectè imperabit, nisi animus à passionibus liber existat.

Ad quartū.

¶ Ad quintum argumentū respondetur, quòd qui peccāt ex malitia, nulla passione, aut ignoratione interueniente, adhuc habente mentis oculum excæcatum: nam excæcat illos malitia eorum, ne considerent quæ considerāda sunt. Secundò dico, quòd eiusmodi habent scientiam speculatiuam perfectam, sed non habent rectam prudentiam.

Ad quintū.

Secundo respondetur.

¶ Ad sextum argumentum respōdetur quòd iuxta illorum opinionem, qui sentiunt quòd in Angelis virtutes morales sunt acquisitę per propria opera, vt prudentia, iustitia; dicēdum est, quòd sicut Angelus malus perdidit virtutes morales, ita perdidit prudentiam. Si verò sentiamus virtutes morales Angelis fuisse inditas

Ad sextum

ditas à natura, ſicut ego ſentio ; dicendum eſt, quòd ſicuti angelus malus non perdidit prudentiam, ita non perdidit rectitudinem voluntatis naturalẽ: propter quod dicunt Theologi, quòd naturalia in angelis remanſerunt integra. Dicũt ſubinde, quòd angelus non poteſt peccare in ordine ad naturalia, ſed ſemper peccat in ordine ad finem ſupernaturalem. ¶ Ad vltimum argumentum, de fide exiſtente in homine peccatore, dicendum eſt; quòd licèt fides eminenter ſit practica, & ſpeculatiua, potiùs tamẽ ſpeculatiua eſt; & ideo nõ producit aſſenſum, & credulitatẽ ex rectitudine voluntatis, ſed ex diuina reuelatione. Ex quo inferunt Theologi, quòd fides habet ſe ad modum virtutis intellectualis, qua propter poterit actus fidei elicere actum malũ ex parte voluntatis: credere enim diuinis myſterijs propter vanam gloriam, eſt actus fidei. ¶ Ad autoritatem reſpondetur, euidenter conuincere, quòd cum perfecta ſanctarum ſcripturarum cognitione poſſunt eſſe multa vitia coniuncta ; & quòd vir improbus poteſt eſſe magnus Theologus; ſed non probant, quòd vir improbus ſit verè prudens.

Ad vltimũ.

Corolla.

Ad autoritatem.

QVAESTIO LIX.

De diſtinctione virtutum moralium per comparationem ad paſsionem, in quinque articulos diuiſa.

ARTIC. PRIMVS.

¶ Vtrùm virtus moralis ſit paſsio.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. RESpondet D. Thom. tali concluſione. Virtus moralis non eſt paſsio, ſed habitus efficiens moderatas paſsiones. ita aſſerit Ariſt. 2. ethico. cap. 5. vbi docet paſsiones, nec virtutes, nec vitia eſſe. Et id varijs rationibus probatur. Nam paſsio, motus eſt appetitus ſenſitiui: quod à virtute morali alienum eſt; quæ non eſt motus, ſed potiùs habitus exiſtens principium appetitiui motus. Deinde, quoniam paſsiones ex ſe non habent rationem boni vel mali: quia bonum vel malum hominis eſt ſecũdum rationem; vnde poſſunt ſe habere ad bonum & malum; quod virtuti (quæ tantùm ad bonum ſe habet) non competit. Tertiò, quia etſi aliqua paſsio ad bonum ſe haberet, tamen motus paſsionis, quà paſsio eſt, principium habet in appetitu, & terminum in ratione, in cuius conformitatem appetitus tendit: tamen motus virtutis è contrario ſe habet ; principium habens in ratione, & terminum in appetitu ſecũdum quòd à ratione mouetur.

Ariſt.

Conclusio.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ Vtrùm virtus moralis poſsit eſſe cum paſsione.

SVMMA TEXTVS.

Prior cõcl. PRior concluſio. Si paſsiones dicantur inordinatæ affectiones, non poſſunt eſſe in viro ſtudioſo, ita vt poſt deliberationem eis conſentiat. ¶ Poſterior concluſio. Si paſsiones dicantur quicunque motus appetitus ſenſitiui, poſſunt eſſe in viro ſtudioſo vt à ratione ordinantur. Hæ concluſiones ſunt D. Auguſt. 14. de ciuitate Dei, cap. 9. pro quarum expoſitione notanda eſt doctrina eiuſdem Auguſt. 9. de ciuitate Dei. cap. 4. Stoicos exiſtimaſſe, paſsiones nõ poſſe eſſe in ſapiente, & ſtudioſo: quia cùm non diſtinguerent inter appetitum intellectiuum, & ſenſitiuũ, non diſtinguebant paſsiones animæ ab alijs affectionibus humanis: & ita dicebãt, paſsiones aĩę eſſe

Poſter. cõcl.

Aug.

Stoici.

affectiones quasdam rationi repugnantes. Peripatetici verò cùm distinguant inter appetitũ sensitiuũ, & rationalem, & passiones, ab alijs affectionibus, docent passiones esse quidem posse cum virtute morali, si tamen temperatæ sint, & ad medium redactæ.

ARTIC. TERTIVS.

¶ Vtrùm virtus moralis possit esse cum tristitia.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Conclusio D. Thom. ita habet. Tristitia de hisquę conueniunt virtuti, cum virtute esse non potest: virtus tamen moderatè tristatur de ijs quæ quoquo modo repugnant virtuti: vnde eo modo quo virtus moralis compatitur alias passiones ratione moderatas, compatitur etiam tristitiam. Prior pars huius conclusiõis ex eo manifesta est, quòd virtus in proprijs delectatur. Vtta men alia pars & probetur, & expo

Stoici. natur, notat D. Thom. quòd Stoici à sapiente & studioso tristitiam procùl abesse debere docuerunt: tum, quoniam tristitia est de malo quod accidit; quod in sapiente nõ est; cùm in illum non cadat inhonestum malum, quod solum dicendum est malum: sicuti sola virtus dicenda est bona; tum, quoniam animus sapientis non potest malo substerni, quod fit in eo qui tristitiam habet. Sed hæ rationes refelluntur, & conclusio probatur: & prima ratio nulla est: tum, quoniam homo ex anima & corpore componitur: ergo quod confert ad vitam corporis conseruandam, etsi non sit maximum bonum, aliquod tamen bonum est: ergo malum huic bono contrarium in sapiente esse potest, & tristitiam inducere; tum, quia nullus reperitur absque leuibus peccatis, vt ait Ioannes: ergo 1. Ioan. 1. potest de illo tristari: tum tertiò, quia sapiens laudabiliter dolet de malo, & peccato præterito, & potest de peccato alterius tristari. Secunda etiam ratio improbatur: nam potest aliquod malum studioso esse præsens, cui ratio non substernitur, sed potius illud detestatur: relinquitur ergo virtutem moralem posse admittere tristitiã; temperatam tamen, atque ad medium redactam.

ARTIC. QVARTVS.

¶ Vtrùm omnis virtus moralis sit circa passiones.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Dicendum Thomæ conclusio est, non omnem virtutem moralem esse circa passiones, sed quandam circa passiones, quandam circa operationes. Ratio est: nam virtus moralis circa id omne esse potest, quod ratione ordinatur, & moderatur: ratio autem non solùm ordinat passiones appetitus sensitiui, sed etiam operationes appetitus intellectiui; quæ quidẽ operationes passiones non sunt: quia appetitus intellectiuus nõ est passionis subiectum, vt dictum est

suprà

suprà quæstione 23. articulo 3. nō ergo virtus moralis est tātùm circa passiones.

ARTIC. QVINTVS.

¶ Vtrùm aliqua virtus moralis possit esse sine aliqua passione.

SVMMA TEXTVS.

Prim. cōcl. PRima conclusio. Si passiones dicamus inordinatas affectiones; vt Stoici posuerunt; sic virtus perfecta est sine passionibus. Hæc patet ex dictis. ¶ Secunda conclusio. Virtutes morales quæ sunt circa passiones appetitus sensitiui, sine passionibus esse non possunt: nam si absque passionibus esse deberēt, tales virtutes redderent appetitū otiosum; quia non secum compaterentur passiones; non autem pertinet ad virtutem, vt ea quæ rationi subiecta sunt, à proprijs actibus vacent; sed vt actus proprios elicie do exequātur rationis imperium.

Secūd. cōcl.

Tert. cōcl. ¶ Tertia conclusio. Virtutes morales quæ sunt circa operationes, possunt esse sine passionibus; cuiusmodi est iustitia: per eas enim applicatur voluntas ad proprium actum, qui passio non est: nā quamuis ad actum earū virtutum sequatur gaudium, illud tamen gaudiū in voluntate est, & passio non est: sed quando maxima est huius gaudij perfectio, propter perfectionem actus virtutis fit redundantia ipsius vsque ad appetitum sensitiuum, secundum quòd vires inferiores sequuntur motum superiorum.

EXPLICATIO ARTICVLOR.

IN tota ista quæstione definit D. Th. quòd virtutes morales nō extinguūt penitus, nec euellūt passiones animi nostri; sed eas moderantur, & rationi subijciūt: de qua re fuit olim magnū certamē inter Stoic. & Peripateticos. Stoici nāq; dicebāt, quòd passiones animi virtutes funditus euertebant: Peripatetici verò admittebant passiones, sed moderatas, rationiq; subiectas. ¶ Sed videtur profectò quòd opinio Stoicorum vera sit, & quòd in virum sapientem & studiosum, passiones non cadant. Nam passio est quædam animi perturbatio, à recta ratione auersa: hoc enim significat hoc nomen, passio; sed animi perturbatio à recta ratione auersa non cadit in virum sapientem: ergo. ¶ Secundò, omnis motus præter naturam non cadit in virum sapientem: sed vniuersa passio est motus præter naturam: ergo nō cadit in virum sapientem. Probatur minor: nam in omni passione dimouetur cor à naturali motu, & à constitutione sua naturali: nā vel mouetur vehemētiùs, vel remissiùs, dilatatione, aut cōstrictione. ¶ Tertiò, id quod perturbat iudiciū rationis non venit in virum sapientem: sed passiones perturbant iudicium rationis; quod constat experientia, & ex illa Sallustij sententia memorabili. Omnes homines qui de rebus consultant dubijs, ab ira, odio, & amicitia vacuos esse decet. ¶ Quartò, illud quod inducit ad malum, in virum sapientem non cadit: sed passiones inducunt ad malum: Vnde Roma. 7. appellantur passiones peccatorum: propter quod Dominus in Euangelio omnē iram interdixisse visus est, dicens; Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. ¶ Vltimò, sancti patres pro certo habent, quòd Christus Dominus non verè timuit, non veram habuit tristitiam; necverò fuit capax naturalium passionum: ergo sentiunt sancti patres, quòd in virum sapientem & perfectum animi passiones non cadunt. Certè D. August. in enarratione secunda super Psalmum 21. apertè scribit, quòd Christus Dominus non verè timuit, non verā habuit tristitiam. consimilem sententiam habuit super Psa. 103. Idē docet cōstanter Hilar. super Psa. 68 & 10. de tri. & in Matt. can. 31. Subscribit D. Hie. li. 4. in Matt. exponēs initiū 26. cap. & Iustin. imperator, vir alioquī catholicus, ita adhæsit huic dogmati, vt ipsum imperiali edicto præceperit ab vniuersis sacerdotibus doceri, & ab omni plebe firmiter credi: testis huius rei est Euag. li. 4. historiæ Ecclesiast. c. 39. ¶ De hac quæst. sunt duę opiniones: vna dicit passiones cadere in virū sapientem, sed moderatas rationiq; subiectas; & hæc est opinio Peripateticorum. Altera dicit, passiones non cadere in virum sapientem;

Stoici. Peripatet. Vtrū in viro studioso sint passiones. Prim. argu. pro parte negatiua. Secundum. Tertium. Sallustius. Quartum. Rom. 7. Vltim. Aug. Hilar. Hieron. Iustinianus Euagrius.

& hæc est opinio Stoicorum. Sed licèt istæ sententiæ inter se differre videantur, potiùs de voce, quàm de rebus habent controuersiam, vt autor est D. Augustin. lib. 9. de ciuit. c. 4. & 5. & li. 14. ca. 8. & 9. Nam hoc nomen, passio, vt existimabant Stoici, significat animi affectum turbidũ, & à recta ratione auersum: ex qua nominis significatione concludit Cice. in 3. Tuscul. Passiones in virum sapientem non cadere: nam animi perturbatio in virum sapientem non cadit: passio verò est animi perturbatio. Rursus, animi ægritudo in virum perfectum non cadit: passio verò est animi ægritudo. Consimili argumento concludit, mediocritatem passionum nõ esse approbandam: nam mediocris morbus, malum est; & mediocris ægritudo, ægritudo est. Ex eadẽ nominis significatione cõcludit Sene. de ira ad Nouatũ, ca. 8. & 9. Iram in virum sapientem non venire. Peripatetici verò sentiunt, passionem, & affectum animi nostri esse motum appetitus sensitiui, qui si subdatur rationi, laudé meretur; sin minus, vituperiũ. ¶ Quæ sententia vt exactiùs declaretur, sciendum est, quòd passiones animi nostri dupliciter considerari possunt; & secundũ se; & quatenus subduntur rationi. Si secundum se considerentur, passiones appetitus sensitiui nec laudem merentur, nec vituperium; nam secundum se sunt communes nobis & brutis: cæterùm si considerentur quatenus subduntur rationi, & laudem merentur, & vituperium. quod sic ostendo. Nam appetitus sensitiuus propiùs accedit ad imperium rationis, quàm mẽbra exteriora; sed actus membrorum exteriorum sunt boni vel mali, quando sunt voluntarij: ergo motus appetitus sensitiui sunt boni vel mali, quando sunt volũtarij. Præterea, appetitus sensitiuus, licèt secundum se non habeat libertatem, ex cõiunctione tamẽ ad rationem, libertatem habet; quapropter in eo collocantur veræ virtutes, fortitudo, temperantia, mansuetudo: ergo passiones appetitus sensitiui, laudem vel vituperiũ habent quando sunt voluntariæ. Sunt autem volũtariæ directè, quando imperantur à ratione, vel voluntate: indirectè verò, quando non prohibẽtur, cum deberent prohiberi. ¶ Secundò notandum est, quòd passiones animi nostri moderatæ, rationiq; subiectæ laudem merentur apud Deum; idq; constat ex fide, & rationibus euidẽtibus. In primis, fides docet quòd Christus Dominus, qui nullum fecit peccatum, veros habuit animi affectus: esuriuit, sitiuit, doluit, cœpit tedere, & pauere, & turbatus est; de cuius rei demõstratione videndus est D. Ambro. in tractatu de obitu Gratiani. in li. de incarnatione Domini c. 7. & in commentarijs super Lucam, libro 10. explicans illud; Pater si possibile est. &c. & in libro de prima interpellatione Dauid, & libro 2. de fide ad Gratia. capitulo 3. Diuus Augustinus libro 14. de ciuitate Dei, capitulo 9. scribit in hũc modum; Ipse etiam Dominus in forma serui agere vitam dignatus humanam, passiones animi adhibuit, vbi adhibẽdas iudicauit. Nec enim in quo erat verum hominis corpus, & vera hominis anima, falsus erat affectus humanus. Idem Augustinus paulò antè dixerat; Apud Christianos, secundum scripturas sacras, & iuxta sacram doctrinam, sancti homines metuunt, cupiunt, dolentque, gaudentque; metuunt pœnam æternam; cupiunt vitam æternam; dolentque in re aduersa, & ingemiscunt expectantes redemptionem corporis sui, gaudentque in spe, scientes quòd fiet sermo qui dictus est: Absorbetur mors in victoria sua; dolent propter alios si pereunt; gaudent si liberantur: qua de causa rectè admonet Diuus Paulus, gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. Idem Paulus dicit 2. ad Corinthios 7. Tristitia quæ secundum Deũ est, pœnitentiam non pœnitendam operatur: pœnitentia verò nihil aliud est, quàm tristitia, & mœror pro peccatis voluntariè assumptus: ergo tristari pro peccatis valde laudabile est. Præterea patet hæc veritas ratione. Primùm ex consensu omnium hominum: quis enim damnauit humanos affectus, qui ad virtutes sunt veræ exercitationes? Dolor de malo, metus de supplicio, desiderium de promisso, gaudium de præmio, nihil aliud sunt, quàm quædam exercitationes virtutum: dolor enim datus est vt detestemur malum; timor vt malum fugiamus. Deinde, vniuersa virtus est productiua alicuius rectæ affectionis; non enim est iustus, qui operãdo iusta non delectatur: non sobrius, qui operando sobriè non gaudeat: ergo virtus moralis non extinguit omnes passiones quas moderatur, & regit: ergo non excludit eas. Præterea, appetitus sensitiuus datus est à natura vt obediat rationi; sed virtus non destruit naturam, sed perficit: ergo virtus non destruit vniuersos affectus appetitus sensitiui. Item, virtus non excludit id quod est consentaneum rectæ rationi: sed quòd compatiamur amico dolenti est consentaneum rectæ rationi: ergo istam compassionem non excludit. Denique sic concludo; eos qui tollunt humanos affectus, humanitatem totam potiùs exuere, quàm animi trãquillitatem possidere: loquitur de hac re optimè Cicero in oratione pro Murena; sed multò meliùs Plat. in 2. libro de legibus, atque etiam Aristot. 2. ethic. cap. 3.

¶ Ad argumenta, & ad primum respondetur, quòd hoc vocabulum, passio, non tantùm significat immoderatas & effrænes passiones; sed etiam moderatas, rationique subiectas: cuius nominis æquiuocatio fuit occasio errandi Stoicis philosophis.

¶ Ad

Aug.
Cicero.
Seneca.
Not. 1. Passiones dupliciter considerantur.
Not. 2. Quædã passiones merentur laudem.
Ambros.
Augustin.
2. Cor. 7.
Cicero. Plato. Arist.
Arg. solut. Ad primũ.

Ad secundũ ¶ Ad secundum argumentum respondetur, quòd licèt passio omnis limites motus naturalis excedat, non tamen vniuersa nocet: nam est cósentaneum rectę rationi, quòd cor nostrum Resp. secũ. variè moueatur. Secundò respondetur, esse consentaneum rectæ rationi, quòd aliquod detrimentum corpori nostro inferatur propter bonum virtutis: nam in ambulatione, & in exercitijs bellicis mouetur vehementiùs cor, quàm esset eius motus naturalis; quæ exercitia à nemine hominum reprehendi possunt.

Ad tertium ¶ Ad tertium respondetur, quòd passiones, quę anteuertunt iudicium rationis, perturbant intellectum nostrum, & excæcant mentis oculũ: sed passiones moderatæ, & rationi subiectæ, non perturbant intellectum nostrum, quin potiùs rectè obediunt.

Ad quartũ. ¶ Ad quartum respondetur, quòd passiones immoderatæ ad malum inducunt, & sollicitãt; morigeratæ verò, & rationi subiectæ, ad omne virtutis genus optimè deseruiunt. Nec diuina scriptura condemnat omnes passiones, sed passiones carnis, id est passiones quæ ratione nõ reguntur, aut moderantur: nec verò diuinæ literæ commendant omnem iram, sed iram qua irascimur aduersus peccata, & contra peccatores.

Ad vltimũ. ¶ Ad vltimum ex sententijs patrum dicendum est, sanctos patres significasse Christum Dominum non verè timuisse, nec veram habuisse tristitiam secundum passionem, sed verè timuit, & verè tristatus est secundum propassionem. Constituunt verò hanc differentiam inter passionem, & propassionem: quòd passio perfecta sit, quando rationi dominatur: propassio verò quando est inchoata passio, & rationi non dominatur. Hanc distinctionem admittit Sanctus D. Thom. Thomas 3. parte, quæstione 15. articulo 4. & sequentibus, & accepit eam ex Diuo Hieronymo D. Hieron. super Matt. c. 26. explicante illud; Cœpit tristari, & mœstus esse. ¶ Est vltimum dubium; quomodo virtutes morales constituant medium in passionibus. In huius rei expositione dicũt quidam, quòd virtus moralis existẽs in appetitu sensitiuo elicit operationem rectam in ipsa voluntate, quamuis in voluntate non resideat. verbi gratia. opus virtutis temperantiæ est facere quòd voluntas rectè eligat abstinentiam, in tali tempore, in tali loco, secundum alias circunstantias virtutis. Rursus, opus fortitudinis est facere vt voluntas eligat aggredi, vel fugere quãdo oportet. Patet ista sententia: nam si virtus est habitus electiuus in medio consistens, prout sapiens determinauerit: ergo virtus moralis est quæ in appetitu sensitiuo electionem habet: electio verò est actus voluntatis: ergo producit electionem in volũtate: nec enim est incommodum, quòd virtus, quæ est in vna potentia, producat operationem in altera, sicut antea dictum est. Oppositum docet Dominus Caietanus in hoc articulo, & dicit, quòd operatio temperantiæ, est absti- Caiet. nentia temperata; & operatio fortitudinis, est audacia moderata: & in vniuersum operatio virtutis quæ versatur circa passiones, est passio moderata. Hæc sententia probabilior videtur: nam virtus moralis, quæ consistit in appetitu sensitiuo, in appetitu sensitiuo habet præcipuè suam operationem; quæ nihil aliud est, quàm moderata passio. Deinde Diuus Thomas in D. Thom. hoc articulo solutione ad primum manifestè dicit, quòd virtus moralis est media inter passiones; non secundum essentiam, sed secundum effectum: efficit enim moderatas passiones. Quo modo autem moralis virtus, quę est in appetitu sensitiuo, sit habitus electiuus, superiùs expositum est. Atque hactenus de tota ista quæstione; nam sequentes articuli clari sunt.

¶ Circa solutionem ad secundum articuli primi aduertendum est, quòd Diuus Thomas non dixit, quòd passio est actus virtutis, sicut dixit quòd passio est actus vitij; sed ait, passio cõcurrit ad actum virtutis. Cuius differentiæ ratio potest esse; quia ad actum vitij sufficit quòd sit motus appetitus sensitiui sine regula rationis, quando homo potest, & tenetur moderari passionem: & sic passio absque aliquo superaddito, erit actus peccati, & vitij; at vt motus appetitus sit actus virtutis, necesse est quòd regulętur positiuè ratione recta; ex cuius participatione, & impressione efficitur actus virtutis: vnde licèt materialiter ille motus qui est passio, sit etiam actus virtutis, tamen meliùs dicitur quòd passio concurrit ad actum virtutis, quàm quòd sit actus virtutis: quia passio materialiter se habet ad illud quod additur sibi à ratione recta, quod quidem est modus intrinsecus consistens in conformitate ad rectam rationem: possumus etiam dicere, quòd passio moderata est actus virtutis: ita docet D. Thom. suprà in articulo 5. ad primum argumentum.

Nota circã solutionem ad secundũ D. Thom.

QVAESTIO LX.

De distinctione virtutum moralium inter se, in quinque articulos diuisa.

ARTIC. PRIMVS.

¶ Vtrùm sit tantùm vna virtus moralis.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. NEgans est cõclusio, quã in argumento, sed contrà, ita probat D. Tho. Vnus habitus nõ potest esse in diuersis potentijs: sed subiectum virtutum moralium non est vnicum, vt in 1. p. q. 80. art. 2. dictũ est: non ergo potest esse vna tantũ virtus moralis. Ratio verò quã adducit D. Thom. in corpore, talis est: quando materia recipit formã ab agente secundum diuersam rationem, formæ receptæ in materia diuersæ speciei sunt: sed ratio habet se respectu appetitus, vt imperans, & mouens; qui appetitus recipit impressionem rationis, nõ quasi vniuocè; quia non fit rationalis per essentiam; sed per participationem, & ita participat rationem secundum diuersum ordinem: ergo secundum diuersitatem rationis appetibilia constituentur in diuersis speciebus, secundum quòd diuersimodè participant rationẽ: ergo virtutes morales diuersę sunt. Maior exponitur à D. Tho. Nam discrimen inter agens vniuocum, & æquiuocum est; quòd respectu illius materia semper recipit formam vnius rationis; respectu verò istius recipit formas diuersarum rationum, vt patet in formis productis virtute solis.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Quomodo ratio moueat volũtatem. IN hoc articulo mouet dubium D. Caietan. quid est quod dicit D. Th. quòd ratio imperat, & mouet volũtatem; & quòd voluntas est potentia mota, & imperata? nam suprà q. 19. artic. 1. & 2. dictum est ex eodem D. Tho. quòd voluntas tenet primum locum in mouendo, & quòd mouet intellectum, & cæteras potentias ad imperãdum. vnde est actus voluntatis vsus quo applicat vniuersas potentias ad operandum. ¶ D. Caiet. multa verba consumit in huius dubij explicatione: ego verò clariùs dico, quòd intellectus mouet voluntatem, quantum ad specificationẽ, dirigendo, proponendo obiectum: voluntas verò mouet intellectum, quantum ad exercitium, applicando illum ad operandum. ¶ Secundò, de intellectu & voluntate possumus loqui dupliciter: vno modo sicut loquuntur naturales, & metaphysici, scilicet in quantum sunt quædam entitates naturales; alio modo sicut loquũtur philosophi morales. Priori modo voluntas mouet intellectum: nam applicat illum ad operandum: posteriori verò modo intellectus mouet voluntatem; nam gubernat, & dirigit, & est oculus voluntatis. Rursus, intellectus ponit leges & imperia voluntati, quibus voluntas obtemperare tenetur: atque adeò tota perfectio voluntatis in hoc sita est, vt rationi obediat, & obtemperet. ¶ Tertiò dico, quòd intellectus est primum principium mouens voluntatem: nam omnis motus voluntatis prosupponit apprehensionẽ intellectus: nã nihil est volitũ, nisi præcognitum: at vniuersa apprehensio intellectus nõ præsupponit motionem voluntatis, alioqui esset abire in infinitum; vnde deueniendum est ad vnum actum intellectus, qui ab autore naturæ nobis diuinitus infunditur: de qua re loquitur optimè D. Tho. 1. p. q. 82. art. 4. ad vltimum. ¶ Sed maior difficultas est in solutione ad primum, de vnitate prudentiæ, quã impugnat Scotus in 3. d. 36. q. vni. art. 2. & cõtendit tot esse prudentias, quot sunt virtutes morales. Idem docet Gabriel. in eadem d. & q. notabili 5. Ocham. in 3. q. 12. Almayn. in suis moralibus tractatu 3. c. 7. Et patet sic: nam sicut intellectus per prudentiã dirigit ad res agendas, ita volũtas inclinatur per varias virtutes: ergo intellectus dirigit per multas prudentias. Secundò, non est vna ars respectu omnium factibilium, vt planè constat: ergo non est vna prudentia respectu omnium agibilium. Tertiò, non est vna ratio in omnibus speculationibus, sed multiplex atq; varia: ergo non est vna ratio de rebus agẽdis omnibus. Quartò, potest esse quòd aliquis sit prudẽs in materia tẽperantiæ, & quòd in materia fortitudinis sit ignarus, & imprudẽs. certè monachus scit optimè ieiunare, sed in rebus bellicis est omnino ignar' & nihil sciẽs. Vltimò, alia est prudẽtia monastica, scilicet ad gubernandũ se; alia est œconomica, ad gubernandã familiã: alia politica, ad gubernandam rempublicã. testis huius rei est Arist. 6. ethic. cap. 8. & D. Thom. 2. 2. quæstio. 47. articulo 11. sed sententia Diui Thomæ potest probari. In primis consensu omniũ: numerãtur enim tantũ quatuor

Caiet. Primum dictum.

Secundum.

Tertium.

D. Thom. De prudentiæ vnitate. Scot.

Gab. Ocham. Almayn. Prim. argu.

Secundum.

Tertium.

Quartum.

Vltim.

Arist. D. Thom.

quatuor virtutes cardinales, quarum vna est prudentia; & non est auditum quòd aliquis habeat multas prudentias. Idem potest demonstrari ex prudentia infusa: est enim vnica, secundum omnes: quod apertè videtur significari Sap. ca. 8. cùm dicitur, Sobrietatem, & sapientiam, id est, prudentiam docet. Tertiò, vna est dialectica qua cognoscimus rectum syllogismum in naturali philosophia, & mathematica, vt constat: ergo vna est prudentia qua consultamus de temperantia, & de iustitia: est enim vna eademque ratio consultandi de vtraque. Confirmatur: nam cùm virtus versetur circa difficile, vbi non est diuersa difficultas, non oportet diuersas constituere virtutes: sed qui nouit consultare in materia temperantiæ, nouit etiam consultare in materia iustitiæ: est enim eadem ratio consultandi, putà adhibere sacras scripturas, rationes naturales, & exempla bonorum virorum. Certè vir prudes ex hoc principio; in dubijs tutior pars est eligenda; definit quid sit faciendum in rebus bellicis, in rebus pertinentibus ad religionem, atque in rebus venalibus; & ex illo principio; quod tibi non vis, alteri ne feceris, colligit quomodo sit restituendum alienum; quomodo danda eleemosyna. Prudentia ergo habet eandem rationem consultandi de rebus agendis. Quartò, prudentia iudicat de diuersis virtutum materijs: ergo necessarium est constituere vnam prudentiam quæ ad iudicandum sufficiat. Consequentia inde probatur: nam hac ratione Arist. constituit sensum communem, vt iudicet de sensibus proprijs; nam sensus particulares non poterant iudicare de alieno obiecto, nec vnum alteri comparare. Antecedens verò probatur: nã prudens aliquando iudicat, vtrùm potius sit iniurias æquo animo tolerare, an eas bello, & armis prosequi; iudicabit ne per prudentiam patientiæ, an per prudentiam fortitudinis? Vltimò, Aristot. pro euidenti concludit omnes virtutes morales esse cõnexas, hoc efficaci argumento: nam qui habet vnam virtutem moralem, habet prudẽtiam: qui verò habet prudentiam, habet omnes virtutes morales, quod argumentum infirmum esset, si alia esset prudentia regulatiua temperantiæ, & alia regulatiua fortitudinis. ¶ Ad argumenta in contrarium, & ad primum negatur consequẽtia: nam de rebus agendis est vna ratio veri, & eadem ratio consultandi, & deliberandi, vt antea dictum est: sed non est eadem ratio boni: nã alia ratio boni est in religione; alia in temperantia. Ex hac solutione colligitur, quòd prudentia est virtus altioris ordinis: imperat namque, & mouet cæteras; & ideo oportet quòd habeat amplius obiectum, & regnum: hoc enim commune est agenti, quòd quantò est superius, habet amplius obiectum. ¶ Ad secundum argumentum negatur consequẽtia: nã res agẽdæ sunt inter se connexæ, & pendent ex ijsdem principijs: res verò artificiosæ non sunt necessariò cõnexæ, nec pendent ex ijsdem principijs. Item est alia ratio differentiæ: nam prudentia iudicat de diuersis materijs virtutum; ars verò vna non iudicat de diuersis artibus; imò prouerbium est; Ne sutor vltra crepidam. Vltimò, similitudo de arte non tenet in eo quod ponitur, sed potius in hoc consistit, quòd quemadmodum vna ars facit bonam domum, ita vna prudentia facit bonum hominem: & sicuti si esset vna ars faciendi hominem, non poneretur alia ars ad faciendas manus, & alia ad faciendos oculos: sic sanè cùm prudentia ponatur ad faciendum bonũ hominem, non ponitur alia prudentia ad faciendum temperatum, & alia ad faciendum fortem. ¶ Ad tertium argumentum negatur consequẽtia: nã scientiæ considerãt res vniuersales, & sub diuersis rationibus; aliter physicus, aliter mathematicus. Prudentia verò definit de rebus agendis per eadem principia, & secundum eandem rationem, habetque idem obiectum formale, hoc est verum agibile à nobis, quod qui non perspicit in omni materia, & euentu, prudens non est. Ad tertium

¶ Ad quartum argumentum negatur antecedens: non enim potest esse homo prudens in vna materia, quin sit in omni materia, & euentu: nam si careat prudentia in materia fortitudinis, potest accidere casus in quo careat prudentia in materia temperantiæ. verbi gratia. minatur hæreticus mortem nisi frangam ieiunium, aut violem virginitatem: si non adsit fortitudo, non ero prudens in materia temperantiæ, nec habebo rectum iudicium. Ex hoc argumento efficaci colligit Aristot. omnes virtutes morales esse connexas, & inter se colligatas. Ad quartũ.

¶ Ad quintum argumentum respõdetur, quòd quando dicimus vnam esse prudentiam, intelligimus esse vnam de omnibus rebus agendis, quæ ad vitam propriam instituendam sunt necessariæ: reliquæ verò prudentiæ vel non sunt simpliciter prudentiæ; vel procedunt per diuersa media; vel habent nouas difficultates. Sed hæc speculatio non est præsentis loci, pertinet enim ad 2.2. loco citato. Ad quintũ.

Sap. 8.

Aristo. 2. de anima.

Arist. 6. ech. c. vlt.

Arg. solut. Ad primũ.

Ad secundũ

ARTIC. SECVNDVS.

¶ Vtrum virtutes morales quæ sunt circa operationes, distinguantur ab his quæ sunt circa passiones.

SVMMA TEXTVS.

Prior con. PRior concluſio. Si paſſio,& operatio referantur ad virtutem moralem tanquam effectus, vniuerſa virtus moralis verſatur circa operationes, & circa paſsiones:omnis ſiquidem virtus moralis habet aliquas operationes bonas,quarum eſt productiua;& delectationem aliquam, vel triſtitiã, Poſte. cõcl. quæ paſsiones ſunt. ¶ Poſterior concluſio.Si operatio, & paſsio referantur ad virtutes vt materia circa quam verſantur,virtutes quę verſantur circa operationes,diſtinguuntur à virtutibus moralibus quæ ſunt circa paſsiones ; bonum enim & malum in quibuſdam operationibus attenditur ſecundum ſeipſas , quouis modo homo afficiatur ad eas;quatenus ſcilicet bonum & malum attenditur in eis ſecundum rationem commenſurationis ad alterum:in alijs verò bonum & malum attenditur ſolùm ſecundum commenſurationem ad operantem: oportet ergo vt in prioribus ſit aliqua virtus directiua operationum ſecundum ſeipſas,& in poſterioribus ſint virtutes circa interiores affectiones,ſeu paſſiones:diſtinguendæ ergo ſunt huiuſmodi virtutes.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Vtrùm omnis virtus moralis ſit circa paſsiones & operationes. Primum pro parte affirmatiua. IN hoc articulo eſt dubium; Vtrũ omnis virtus moralis verſetur circa operationes, & paſsiones, tanquam circa proprium obiectum. Patet quòd ſic; nam iuſtitia habet facere rectã electionem circa proprium obiectum, reddendo vnicuique quod ſuum eſt:ſed multæ paſsiones perturbant animum ne reddat vnicuique quod ſuum eſt;vt ira,auaritia : ergo iuſtitia habet in officio moderari paſsiones. Secundò, ſi Secundum. nõ moderatur paſsiones iuſtitia, maximè quia ordinat hominem ad alterum : ſed hoc eſt falſum:nam ira,& concupiſcentia vxoris alienę, ſunt iniurioſæ in alterum:ergo iuſtitia iſtas paſſiones moderari debet. Tertiò,omnis virtus mo Tertium. ralis reſpicit opus bonum ſecundum omnes circunſtantias,quando oportet,prout oportet,&c. ex electione,ex ſcientia;ex firmitate:ſed iuſtitia eſt virtus moralis:ergo reſpicit opus iuſtitiæ vt fiat ex electione,ex ſcientia, ex firmitate , cum omnibus circunſtantijs:quapropter ſi quis reddat debitum ingrato animo,non facit opus virtutis,aut iuſtitiæ; ergo iuſtitia reſpicit affectum operantis:cuius contrarium docet D.Thom.in artic.4.& Ariſt.2.ethicor.cap.4. expreſſe dicit, Ariſt. quòd non continuò atque homo facit opus iuſtum,facit opus iuſtitiæ : nam ad opus iuſtitiæ oportet quòd fiat grato, & ſtabili animo. Ex alia parte videtur quòd omnis virtus moralis verſetur circa operationes: nam finis temperantiæ eſt,habere temperatas operationes: rurſus,finis fortitudinis eſt,fortiter aggredi hoſtes. Vltimò, de ratione cuiuſque virtutis eſt, quòd ſit habitus electiuus: ergo quòd verſetur circa electiones;ac ſubinde circa operationes. Propter hæc argumenta Buridan. 3. ethicor. q.1. miratur de Buridanus. D.Thom.quòd talem cõſtituerit differentiam, quòd aliæ virtutes morales verſentur circa operationes,& aliæ circa paſsiones : & diuidit vnãquamque virtutem in duas,ita vt ſit alia iuſtitia in voluntate ad habendas rectas electiones,alia in appetitu ſenſitiuo ad moderandas paſsiones; & ſic alia eſt temperantia in voluntate ad rectas electiones,alia in appetitu ſenſitiuo ad moderãdas paſsiones. ¶ Pro explicatione veritatis eſt Virtutes morales ſibi inuicem auxiliãtur. Prim. cõcl. prima aſſertio. Virtutes morales,præciputè cardinales,ſibi inuicem auxiliantur.verbi gratia.iuſtitia habet in officio reddere vnicuiq; quod ſuũ eſt:ad hoc adiuuatur à prudentia,tollendo errorem,& ignorantiam:rurſus adiuuatur à temperantia,à fortitudine,& manſuetudine,quæ auferunt iram,auaritiam,& timorem,quibus iuſtitia à ſuo officio præpeditur. ¶Secũda aſſertio. Vni Secũd.cõcl. uerſa virtus moralis habet in officio tollere impedimenta quæ intra ſuum obiectum , & regimen continentur: cætera verò remouet per virtutes auxiliares . verbi gratia . officium iuſtitiæ proprium eſt,tollere difficultatem quæ eſt in voluntate ad reſtituendum alienum ; cætera verò Tert cõcl. impedimenta extrinſeca,vt iram,auaritiam, per virtutes ſibi auxiliares remouet. ¶ Tertia aſſertio.Si operatio , & paſsio referantur ad virtutes morales,ſicuti effectus,vniuerſa virtus moralis verſatur circa operationes,& paſsiones: veriſimè enim dicit Ariſtot.quòd omnis virtus moralis Que virtus moralis verſetur circa operatiões & paſsiões. Ariſt.2.eth. c.3.

lis versatur circa delectationes, & tristitias: si enim operatur secundum virtutem, delectatur in operatione virtutis, & dolet de contrario: & alibi dicit Aristot. non est iustus, qui operando iusta, non delectatur. ¶ Quarta assertio. Iustitia primò, & per se versatur circa operationes, reliquæ verò virtutes, vt fortitudo, temperantia, primò, & per se versantur circa passiones. Pro cuius declaratione notandum est, quòd nomine operationis in præsentia intelligimus electionẽ voluntatis, vel operationem exteriorem in ordine ad alterum, & non in ordine ad operantem: nomine verò passionis intelligimus motionem appetitus sensitiui, quæ semper est cum quadã transmutatione corporali. Secundò notandum est, quòd in exercitio virtutum sæpenumero admiscentur operationes passionibus, & è diuerso: nam cùm quis sobriè comedit, admiscetur delectatio cibi & potus: cùm aggreditur hostes, admiscetur audacia, vel timor; cùm restituit alienum, admiscetur tristitia. Tertiò notandum est, quòd ex concursu operationum, & passionum circa idem, possunt esse diuersæ virtutes: nã qui percutit proximum ex ira, lædit duplicem virtutem; & iustitiam, cuius est officium non lædere alterum; & mansuetudinem, cuius est officium iram moderari: similiter qui adulterium cõmittit; & lædit iustitiam, & castitatem. His positis facilè est intelligere quemadmodum iustitia versatur circa operationes, & non circa passiones. Nam iustitia non constituit medium in passionibus: sed constituit medium rei in ordine ad alterum: debes alteri centum, restituis centum, seruasti medium iustitiæ. Deinde, medium iustitiæ, est medium inter plus mihi, & minus tibi; reliquæ verò virtutes ponunt medium inter plus mihi, & minus mihi: quapropter semper dicunt ordinem ad affectum operãtis: vnde cibus temperatus dicitur, qui nec excedit, nec deficit in ordine ad stomachum comedẽtis. Tertiò, iustitia habet determinatum medium à natura ipsa; debes decem, à natura determinatum est vt reddas decem: medium verò aliarum virtutum determinatur à ratione & prudentia, secundum diuersam dispositionem operantis: nam comedere sex libras panis, quod erat temperatum Miloni, non est temperatum Socrati. Vltimò, iustitia ex propria & specifica ratione iustitiæ, tantùm habet constituere æqualitatem ad alterum, sed ex communi ratione virtutis habet quòd operetur, quando oportet, & prout oportet, ex electione, ex firmitate: at verò cæteræ virtutes, ex communi ratione virtutis, & ex propria, respiciunt affectum operantis: nam habent in officio moderari animi nostri affectus. Ex his patet quomodo iustitia versetur circa operationes. Quomodo autem cæteræ versentur primò, & per se circa passiones, sic ostendo. Nam officiũ mansuetudinis, & temperantiæ, & fortitudinis est moderari passiones, quibus moderatis sequitur debita electio, & sobria comestio: & licèt dicamus quòd istæ virtutes principaliter versantur circa electiones, non sequitur quòd versentur circa operationes, quæ sunt in ordine ad alterum, quo potissimè distinguitur iustitia à cæteris virtutibus. Ex dictis argumenta proposita solutionem habent.

Quar. cõcl. Iustitia primo & per se est circa operationes. Not. 1.

Not. 2.

Not. 3.

ARTIC. TERTIVS.

¶ Vtrùm circa operationes sit vna tantũ virtus moralis.

SVMMA TEXTVS.

Prior concluſio. Omnes virtutes quæ ſunt circa operationes, conueniũt in vna ratione generali iuſtitiæ, quę attenditur ſecundum debitum ad alterum. Probatur: nã in operationibus exterioribus ordo rationis ſtatuitur, non ſecundũ proportionem ad affectum hominis, ſed ſecundum conuenientiam rei in ſeipſa, ſecundum quam conuenientiam accipitur ratio debiti, ex quo ratio iuſtitiæ conſtituitur: ergo omnes virtutes morales quę ſunt circa operationes, conueniũt aliqua ratione in ratione iuſtitiæ: nam ad iuſtitiam pertinet vt quis debitum reddat. ¶ Poſterior concluſio. Virtutes, quę ſunt circa operationes in ordine ad alterum, variæ ſunt, & diſtinctæ ſecundum diuerſas rationes debiti. Probatur in argumento, ſed contrà: nam religio, virtus diſtincta eſt à pietate quarum vtraq; verſatur circa operationesquaſdam. In corpore verò tali argumento probatur: nam ſecundum diuerſam rationem debiti, ſumuntur diuerſæ virtutes: ſed

Prior cõcl.

Poſter. cõcl.

debitum non est vnius rationis in omnibus: nam alia est ratio debiti respectu Dei; alia respectu parentum, &c. ergo variæ sunt virtutes quæ sunt circa operationes, si secundum peculiares rationes debiti considerentur.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Examinatur pri. cõc. Argum.

IN hoc articulo est parua dubitatio de prima conclusione. Nam liberalitas, magnificentia, misericordia, sunt virtutes quæ versantur circa operationes: at per istas virtutes donamus bona nostra amicis, & pauperibus, sine aliquo debito: ergo falsum dicit D. Thom. quòd vniuersæ virtutes quæ sunt circa operationes, respiciunt rationem debiti. Respondetur, quòd prædictæ virtutes versantur circa passiones, vt statim explicabitur. Secundò respõdetur, duplex esse debitũ; alterum de rigore iustitiæ; alterum de honestate: prædictæ virtutes non respiciunt debitum de iustitia, sed de honestate; quod explicatur hoc exemplo. Nam si quis det parasito mille aureos, non est liberalis, nec magnificus: nam non dedit pro decore personæ: sed si dedit insigni amico, aut consanguineo, liberalis est; quia dedit pro dignitate personæ. ¶ In solutione ad primum notandum est, quòd iustitia legalis est distincta specie à iustitia particulari: nam iustitia legalis est virtus, qua ordinamur rectè ad bonum commune: iustitia verò particularis est virtus, qua ordinamur ad bonum particulare. Ex quo statim sequitur, quòd iustitia legalis habet in officio ordinare cæteras virtutes in bonum commune; huiusmodi namque bonum, ex bonis, & virtutibus particularibus ciuium consistit.

Solu. prim.

Solut. secũ.

Not. Iustitia legalis & particularis.

Corol. pri.

¶ Sequitur secundò, quòd iustitia legalis inter omnes virtutes morales primatum teneat: nam respicit bonum commune; cæteræ verò bonum particulare: &, vt rectè admonet Caietan. quando comparatur iustitia legalis ad cæteras virtutes, comparatur totum ad partes: & Aristot. dicit, quòd est perfectissima virtus, & quòd nec Hesperus, nec Lucifer est æquè mirabilis. & paulò post. Iustitia in se virtutem continet omnem. Et Plato de repub. dicit, iustitiã legalem esse virtutem animæ nostræ vniuersalem; ex qua fit, vt quælibet potentia animæ in suum opus intenta, aliena, quæ ad ipsam minimè attinent, nõ curet. Ex quo sequitur, quòd potentiæ inter se se miro artificio conueniant, veluti in cantu, & fidibus: quemadmodum enim in cantu quælibet vox suum edit sonum, & ex earum conuenientia, concentus, & harmonia efficitur; sic dũ quælibet potentia animæ suo munere rectè fungitur, ex earum concordia, animæ harmonia efficitur, quam efficit iustitia legalis, distribuendo vnicuique quod suum est.

Coro. secũ.

Caiet.

Arist. 5. eth. c. 1.

Plat. libr. 4.

ARTIC. QVARTVS.

¶ Vtrùm circa diuersas passiones, diuersæ sint virtutes morales.

SVMMA TEXTVS.

PRima conclusio. Non est vna, sed multiplex virtus circa passiones appetitus sensitiui: aliæ enim sunt in irascibili, aliæ in concupiscibili. ¶ Secunda conclusio. Non quælibet diuersitas passionum sufficiens est ad constituendas diuersas virtutes, sed vna virtus versatur circa diuersas passiones; vt fortitudo circa audacias, & timores: quædam enim passiones sibi opponuntur contrariè, circa quas vna virtus est; sicut in naturalibus vnum est medium inter contraria; & virtus moralis in mediocritate consistit. Deinde quoniam diuersæ passiones inueniuntur secundum eundem modum rationi repugnantes; quia earum motus secundum quendam ordinem se inuicem consequuntur; vt ex amore oritur concupiscentia, ex qua ad delectationem peruenitur; ad quas reprimendas vna virtus moralis sufficit. ¶ Tertia conclusio. In irascibili sunt diuersæ virtutes; quia in ea sunt diuersæ passiones ad diuersa ordinatæ: nam audacia & timor, ordinantur ad aliquod magnum periculum: spes & desperatio, ad aliquod bonum arduum.

Prim. cõcl.

Secũd. cõcl.

Tert. cõcl.

AR-

ARTIC. QVINTVS.

¶ Vtrùm virtutes morales distinguantur secundum diuersa obiecta passionum.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. AFfirmans est conclusio, quam eleganter exponit Diuus Thomas. Cũ enim virtutes diuersificentur secundum ordinem ad rationem; passiones verò secundum ordinem ad appetitum; obiecta passionum prout diuersimodè ordinantur ad appetitum sensitiuũ, causant diuersas passionum species; prout verò comparantur ad rationem, causant diuersas species virtutum, respectu diuersarum passionum pertinentium ad diuersas potentias. Quare Aristote. decem virtutes ponit quę circa passiones versantur; videlicet fortitudinem, contra maximos timores; temperantiam, circa delectationes gustus & tactus; liberalitatem, circa mediocres sumptus; magnificentiam, circa magnos sumptus; magnanimitatem, circa spem, & desperationem; philotimiam, id est, amatiuam mediocris honoris; mãsuetudinem circa iras; amicitiam, quæ attenditur in factis; veritatem, per quam vnus alteri, verbis, aut factis se manifestat; eutrapeliam, quæ decentiam seruat in ludis, tam in verbis, quàm in signis, & factis: ad quas virtutes additur iustitia, quæ circa operationes est, & ita vndecim sunt.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Numerus virtutũ moralium.

IN hoc articulo inuestigat Diuus Thom. quot sint virtutes morales animi nostri; & in summa dicit esse decem virtutes morales in appetitu sensitiuo ad moderandas passiones; & vnam in voluntate ad operationes in ordine ad alterum, quæ iustitia nominatur. Easdem numerat Aristot. admirabili artificio, 2. ethicor. c. 7. Itaque in concupiscibili sunt sex virtutes; temperantia, liberalitas, philotimia, id est, amor honoris, amicitia siue affabilitas, veritas, & eutrapelia, siue vrbanitas. In irascibili verò sunt quatuor virtutes; fortitudo, mansuetudo, magnificentia, magnanimitas: quibus si addas iustitiam, numerus prædictus manifestè constat. Quomodo autem hic numerus colligatur, demonstrat D. Tho. in artic. quẽ legite. Aristt.

De subiecto liberalitatis & magnificẽtiæ. D. Thom.

¶ In hoc articulo est prima dubitatio, de subiecto liberalitatis, & magnificentiæ. Nam D. Th. in hoc articulo ponit eas in appetitu sensitiuo; sed in alijs locis minimè paucis constituit eas in voluntate: signãter 1. p. q. 21. artic. 1. ad primum, & primo contra gentes cap. 93. Et in patrociniũ huius sententiæ adducitur magnum argumentum. Nam Deus propriè est liberalis, atque magnificus: at si prædictæ virtutes collocantur in appetitu sensitiuo ad moderandas passiones; cõsequens est quòd Deus secundum proprietatẽ non sit liberalis, nec magnificus, non certè magis quàm temperatus, & mansuetus; de hoc dubio diximus multa superiùs quæst. 56. articu. 2. vbi agitur à D. Thom. Vtrùm vna virtus possit esse in multis potentijs: recolitè quæ ibi dicta sunt.

Dub. secũd. Quare non ponatur virtus ad moderandã tristitiam.

¶ Est aliud dubium. cùm tristitia sit vehementissima passio, & sæpe accidat in vita humana, quid est quòd Aristot. non constituerit virtutem ad tristitiam moderandam, cùm sit difficilè eam moderari: nec verò D. Thom. huius virtutis, aut huius passionis vnquam meminit? Ad hoc explicandum, dicendum est, quòd ad moderandam tristitiam non est necessaria virtus specialis, & determinata. Pro cuius explicatione sciendum est, quòd tristitia oritur ex odio, vel ex fuga alicuius mali, vt constat. Secundò notãdum est, quòd ad eandem virtutem spectat moderari amorem alicuius boni, & tristitiam de oppositio, quod patet inductiuè. Nam ad temperãtiam pertinet moderari amorem cibi, & odium de abstinentia. Item, ad charitatem pertinet gaudere de bono amici, & contristari de contrario. Tertiò notandum est, quòd quemadmodum ad eãdem virtutem spectat moderari amorem, concupiscentiam, & delectationem: ita ad eandem virtutem spectat moderari odium mali, atque etiam tristitiam. Ex quibus principijs, si rectè animaduertantur, liquidum est, quòd quælibet

Resp. pri.

Not. 1.

Not. 2.

Not 3.

bet virtus in sua materia habet moderari delectationes, & tristitias. ¶ Secundò respondetur, quod si quæ est virtus humana ad moderandas tristitias, non meretur nomen virtutis. ita definiuit D. Thom. suprà q. 58. artic. 3. ad 2. ¶ Tertiò dico, quòd si qua est virtus moderatrix tristitię, ad fortitudinem reduci debet: nam in re affligente & contristante, quãdo apparet ratio ardui, sustinere, est opus fortitudinis: nam vt rectè admonet S. Thom. sustinere malum arduum, est opus potissimum fortitudinis. Demum dicẽdum est, quòd sustinere tristitias ne homo absorbeatur earum impetu, pertinet ad quandam virtutem infusam, quæ patientia nominatur, de qua disserit S. Thom. 2. 2. q. 136.

Resp. secũ.

D. Thom.

Exponitur solutio ad quartum. Argum.

¶ Circa solutionem ad quartũ dubitatur, quid sit dicere, quòd malum non ingerit difficultatẽ rationi, quæ requirat virtutem, nisi sit malum excellens? Videtur enim hoc esse falsum. Nam virtutes multę ponuntur circa passiones ad bonũ & malum, vt circa delectationes & tristitiam. Item etiam ponitur temperantia ad concupiscẽdum cibum secundum mensuram rationis, & addeuastandum malum oppositum: ergo vtrumque difficultatem ingerit rationi. Respondetur, quòd est sensus, nullam virtutem per se ordinari ad malum, sed per se ordinatur ad bonum secundum rationem in tali materia. Sed tamen est exceptio; nisi malum sit excellens: quod nó ita est intelligendum, vt excellentia illa competat malo secundum quòd est maior priuatio rectitudinis rationis, vt si esset maius peccatum: sed talis excellentia considerãda est secundum aliquam rationem bonitatis adiunctæ in obiecto, per quam arduum efficitur obiectum ipsum, & superans virtutem appetitus concupiscibilis tendentis ad bonum absolutè: & ad hoc necessaria est aliqua virtus in alia potentia quæ versatur circa arduum; & de tali malo arduo dicit D. Thom. in solutione ad quartum, quòd videtur esse vnum in vno genere passionis. verbi gratia. circa malum iam illatum nobis, est passio iræ, quæ quidem est appetitus vindictæ: & quãuis illud malum illatum sit maximum, sufficit vna mansuetudo ad moderandas iras omnes. Cuius ratio esse potest; quia postquam iam semel in obiecto ipsius passionis intrinsecè includitur arduum, vel eminens, iam non variatur species virtutis per magis & minus arduum; sicut non variatur species potentiæ quæ versatur circa arduum; & ita sufficit fortitudo ad moderandas audacias & timores; quia de ratione talium passionũ est, esse circa malũ excellens: nó enim quilibet timor requirit fortitudinem. ¶ Præterea explicatione opus habet in eadem solutione quod dicitur, quòd bonum ingerit difficultatem rationi, quæ requirit virtutem, etiam si non sit excellens in genere talis passionis. Videtur enim hoc falsum esse: quia bonum potiùs est connaturale, & conueniens rationi: ergo non ingerit difficultatem rationi. Ad hoc respõdetur, quòd illud bonum secundum rationẽ, ad quod assequendum non est homo naturaliter propẽsus, sufficienter istud est quod difficultatem ingerit: quia ipsa ratio debet se exercere, vel contra passiones appetitus sensitiui, vel supra proportionem voluntatis, scilicet determinando, & quærendo modum, quo homo fiat potens operari huiusmodi bonum ad modum naturæ: & ita ponuntur diuersæ virtutes circa concupiscentias. verbi gratia. circa concupiscentiam cibi ponitur abstinentia: circa concupiscentiam delectationis in ludo, ponitur eutrapelia.

Argum.

Solutio.

QVAESTIO LXI.

De virtutibus cardinalibus, in quinque articulos diuisa.

ARTIC. PRIMVS.

¶ Vtrùm virtutes morales debeant dici cardinales, vel principales.

SVMMA TEXTVS.

Huiusmodi est conclusio. Iure optimo inter virtutes morales ponũtur illæ quæ dicuntur principales, aut cardinales. Probatur: nam virtutes quæ rectitudinẽ appetitus continent, principaliores sunt alijs intellectualibus, quæ talem rectitudinẽ non exposcunt; quippe quæ perfectiores sunt eis: huiusmodi autem sunt virtutes morales, quæ non solùm facultatem boni operis præstant, sed ipsum etiam vsum causant. Est insuper inter intellectuales, prudentia, quæ quodammodo moralis est secundum materiam; aliæ verò virtutes intellectuales, etsi principales dicantur quo ad rationem subiecti, non tamen secundum ratio-

Conclusio.

nem

nem virtutis, quæ respicit bonum quod appetitus obiectum est.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ Vtrùm sint quatuor virtutes cardinales.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Conclusio D. Thom. ita habet. Virtutes cardinales quatuor sunt, quarũ numerus colligitur ex principio formali virtutis, & ex subiectis eius. Etenim principium formale virtutis est bonum rationis: quod dupliciter potest considerari; aut secundum quòd in ipsa consideratione rationis consistit, & sic erit prudentia: alio modo, secundum quòd circa aliquid ponitur rationis ordo; qui ordo si ponatur circa operationes, erit iustitia; si circa passiones, temperantia, & fortitudo. Deinde quadruplex inuenitur subiectum virtutis; scilicet rationale per essentiam, quod prudentia perficitur; & rationale per participationem, quod diuiditur in voluntatem, quæ est subiectum iustitiæ; & concupiscibilem, quæ est subiectum temperantiæ; & irascibilem, quæ est subiectum fortitudinis. Quatuor ergo sunt virtutes cardinales; prudentia, iustitia, temperantia, & fortitudo.

ARTIC. TERTIVS.

¶ Vtrùm aliæ virtutes debeant dici magis principales, quàm istæ.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Conclusio est. Hæ quatuor virtutes sunt principales ratione materiæ: quamuis enim si hæ quatuor virtutes considerentur secundum rationes formales communes, & ita dicantur principales, quasi generales ad omnes virtutes; quia omnis virtus quę facit bonum in consideratione rationis, dicitur prudentia; quæ verò bonum debiti & recti in operationibus, iustitia, &c. tamen si considerentur hæ quatuor virtutes secundum quòd denominantur ab eo quod est prȩcipuum in vnaquaque materia, sunt virtutes speciales; contrà, aliàs diuisę. Et dicuntur principales, propter principalitatem materiæ: secundum quam rationem prudentia dicitur, quę prȩceptiua est: iustitia, quæ est circa actiones debitas inter æquales: tẽperantia, quæ reprimit delectationem, & concupiscentiã: & fortitudo, quæ firmat contra pericula mortis. Quamuis ergo alio titulo reliquę virtutes principaliores sint, ratione tamẽ materiæ hæ sunt prȩcipuæ.

ARTIC. QVARTVS.

¶ Vtrùm virtutes cardinales differant ab inuicem.

SVMMA TEXTVS.

Prior cõcl. PRior conclusio. Si hæ virtutes considerentur prout significant quasdam generales conditiones humani animi, vt scilicet iustitia sit quædam rectitudo animi qua homo rectè operatur; temperantia sit quædam dispositio animi, quæ modum quibuscunque passionibus, vel operationibus imponit. &c. prudentia quidem erit

virtus

virtus distincta ab alijs: alię autem tres nequaquam inter sese distinguerentur: omnes enim illæ tres virtutes, quia habitus sunt, exposcerent firmitatem; quia virtutes sunt, ordinarentur ad bonum, in quo ratio recti importatur: quoniam verò morales sunt, rationem participarent, ac medium rationis seruarent; quorum primum fortitudini attribuitur: secundum iustitiæ; sicuti tertium temperantię. Solum autem hoc quod est discretionem habere, quod attribuitur prudentiæ, videtur distingui ab alijs, in quantum hoc est ipsius rationis per essentiam: alia verò important quandam applicationem rationis ad passiones, vel operationes. ¶ Posterior conclusio. Si considerentur hæ virtutes vt earum vnaquæque ad particulares materias determinatur, sunt habitus inter se diuersi; quippe cùm diuersitas sit in talium virtutum obiectis.

Post. concl.

ARTIC. QVINTVS.

¶ Vtrùm virtutes cardinales conuenię ter diuidantur, in politicas, purgatorias, purgati animi, & exemplares.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Conclusio est affirmans; cuius ratio est; quoniam exemplar humanæ virtutis in Deo præexistit, sicut in eo præexistunt omnium rerum rationes: & ita virtutes, vt sunt exemplariter in Deo, dicuntur exemplares, quatenus scilicet in Deo secundum aliquas rationes reperiuntur: quia verò homo secundum suam naturam est animal politicum, virtutes huiusmodi prout in homine existunt secundum conditionem suæ naturæ, politicæ vocãtur: sed quia homo ad diuina tendere debet quantũ potest, necessũ fuit ponere quasdã virtutes medias inter politicas, quæ sunt virtutes humanæ, & exemplares; quæ sunt virtutes diuinæ: quæ quidem virtutes, aut sunt transeuntium, & in diuinam similitudinem tendentium; & sunt purgatoriæ: aut sunt virtutes iam assequentium diuinam similitudinem, quæ vocantur virtutes purgati animi: quas quidem virtutes dicimus esse beatorum, vel aliquorum qui in hac vita perfectissimi sunt.

EXPLICATIO ARTICVLOR.

PRo explicatione sciendum est, quòd hæc nominis appellatio nõ est apud vetustiores philosophos, vel Grecos, vel Latinos: inuenta tamen est ab autoribus Ecclesiasticis; non solùm recentioribus, sed antiquioribus. Certè D. Ambros. Hierony. Cyprian. Leo papa, sæpenumero vtuntur hoc nomine, ad significandum rem præcipuam, & tribuunt illud virtutibus moralibus. Sicut enim ostium vertitur in cardine, sic vita humana in his virtutibus fundatur: & sicut cardo est ostij fundamentum; sic vita humana in exercitatione virtutum fundatur. ¶ Secundò notandum est, quòd inter virtutes morales tantùm quatuor cardinales appellantur; scilicet prudentia, iustitia, fortitudo, temperantia; quas habemus commendatas in diuinis literis: dicitur enim Sapient. 8. Sobrietatem & sapientiam, iustitiam & virtutem docet. Et quòd tantùm sint quatuor virtutes cardinales, in primis asserunt sancti patres: D. Ambros. in 5. lib. in Luc. c. 6. D. Gregor. lib. 2. moralium c. 36. & libr. 22. c. 1. Cicer. libr. 2. de inuentione, & de offic. & Seneca, & alij multi. Et probatur breuiter. Nam omnis materia virtutum moralium vel consideratur quatenus est cõsultabilis, & deliberabilis; & sic est prudentia: vel quatenus perficit appetitum; & hoc si circa operationes, iustitia est; si circa passiones irascibilis, fortitudo est; si circa passiones concupiscibilis,

Not. 1. Ambros. Hieron. Cypria. Leo.

Not. 2. Sap. 8. Ambros. Greg. Cicero

Quare sint tantum quatuor virtutes cardinales.

Not. 3. Istæ virtutes dicũtur cardinales quatuor causis.

bilis, temperantia est. ¶ Tertiò obseruandum est, quòd istę virtutes appellantur cardinales, aliqua ex quatuor causis. Prima causa est, quoniã principaliter sibi vendicant quatuor conditiones, quæ communiter in omnibus virtutibus inueniuntur: vt fortitudo firmitatem; temperantia medium & modũ; iustitia rectitudinẽ; prudẽtia scientiã sibi principaliter vendicat. Secunda causa est, quoniam aliæ omnes virtutes reducũtur ad istas, & ab illis dependent. Tertia causa est, quoniam istæ virtutes versantur circa materiam magis præcipuam & necessariam humanę vitæ. Quarta est, quoniam inter virtutes morales primatum tenent; de quarum excellentijs, & prærogatiuis dicemus copiosius infra q. 66. Verum est quòd D. Gregor. 22. lib. morali. ca. 1. vbi optimè loquitur de virtutibus cardinalibus, dicit, quòd quælibet virtus dum tamen habeat statum virtutis, prudens est, fortis, iusta & temperata: nam omnes istæ virtutes communicant sibi alterutrum suas conditiones, & sibi mutuo auxiliantur; & quod est proprium vnius, inuenitur in alia participatiuè; sicut dicimus, prudẽtia est temperatè viuere; & sapientia contemnere pecunias. ¶ Sed dubium est; vtrùm istæ virtutes cardinales, potissimè quę versantur circa passiones, & circa commutationes, vt fortitudo, tẽperãtia, iustitia, cõueniant angelis, vel ipsi Deo? Scot. in 3. d. 33. quæst. 1. tenet partem affirmatiuam quæstionis; & probat: nam angelus potest desiderare mihi bonum temperantiæ, vt planè constat: ergo in angelo potest esse virtus temperantiæ: & eadem ratione poterit esse in Deo, secluſa omni imperfectione. Consequentia inde probatur: nam hæc electio est actus temperantiæ: ego enim habitu temperantiæ desidero mihi temperantiæ bonum. ¶ Deinde, angelus proposito sibi per intellectum obiecto temperãtię, rectè eligit quid sibi esset faciendum, si sibi delectationes carnis competerent: ergo in eo est habitus temperantiæ. Consequentia probatur: nam ex electionibus huiusmodi frequentatis generatur habitus temperantiæ. ¶ Tertiò, in statu innocentiæ in primo parẽte fuit vera virtus pœnitentiæ, vt communiter docent Theologi; quã quàm actus istius virtutis illi statui omnino repugnaret. Præterea, virtus pœnitentiæ manet in beatis vt autor est D. Tho. in 4. sentent. d. 14. q. 1. art. 3. quanquàm actus pœnitentiæ omnino illi statui aduersetur: ergo in angelis potest esse habitus temperantiæ; quanquàm actus temperantiæ illis repugnet omnino. Et quòd actus cõditionatus sufficiat ad comparandam virtutem, sic ostendo. Nam in primo parẽte fuit iste actus conditionatus pœnitentiæ; si contingat peccare, ex nunc doleo, vel vellem dolere de peccatis. Quòd verò iste actus expostulet virtutem, probatur: nam est difficilis: vt ergo promptè & delectabiliter habeatur, necessaria est virtus. Sed hęc sententia Scot. absurda est. Arist. 10. eth. c. 8. dicit esse ridiculũ Deo, aut angelis temperantiã, vel fortitudinem tribuere: idẽ Arist. 2 ethic. ferè per totum dicit, quòd fabricando fabri; abstinẽdo abstinentes; operando fortes efficiuntur homines; non per illa desideria imperfecta, quę ponit Scotus. Præterea, pater desiderat filio temperantiam, cùm ipse sit intemperans; & impudica mater desiderat filiæ pudicitiam, quam ipsa nõ habet. Item, virtus versatur circa difficile; at nõ est difficile habere istos actus conditionatos. Vltimò, angelus est prudentissimus: ergo non habet istos actus otiosos & inanes.

¶ Ad primum argumentum respõdetur, quòd tales actus non pertinent ad temperantiã, sed ad amicitiã, & dilectionem. ¶ Ad secundũ argumẽtum respõdetur, quòd tales actus nõ pertinent ad virtutẽ tẽperantiæ, licèt bonitatem habere videantur: sicuti pauper per hoc quòd vellet, si posset facere magnificos sumptus, nunquã erit magnificus. Certè vt rectè admonet Caiet. virtutes nõ cõparantur per actus conditionales, sed per absolutos, & efficaces, atq; exercitos in materia virtutis; alioqui homines somniantes, per somnia, & imaginationes de rebus bellicis acquirerẽt fortitudinẽ. ¶ Ad tertium argumentũ respondetur, quòd in primo parente in statu innocentiæ sine dubio fuit virtus pœnitentiæ infusa; vt docet D. Tho. 1. p. q. 95. art. 3. Nam quanquã actus pœnitentiæ illi statui aduersaretur, potuit tamẽ perdere statum illũ: & ideo homini absolutè nõ repugnabat pœnitentiæ actus. Sed dicet Theologus; certè videtur quòd pœnitentia inaniter fuerit infusa in statu innocẽtiæ: nã ante peccatũ in actũ exire nõ potuit: per peccatum verò mortale perditur pœnitentia infusa. Respondetur, quòd fortasis habuit illũ actũ conditionatũ suprà memoratũ. Vel dicatur, quòd fuit pœnitentia eiusdẽ speciei cũ acquisita, quæ nõ perditur per vnũ peccatũ mortale. Vel dicendũ est, quòd cũ Deus infundit homini gratiam, infundit omnes virtutes homini necessarias; quòd verò aliqua nõ possit in actũ prodire, accidentariũ est, sicuti paruulo in baptismo infundit pœnitentiã, quæ nunquã potest in actum prodire; per peccatum verò mortale tollitur virtus infusa. ¶ Ad quartũ argumentũ respondetur, quòd in beatis manet habitus pœnitẽtiæ; tũ ad ornatũ; tum vt gaudeãt de victoria habita cõtra vitia: in angelis verò, quoniã nõ sunt capaces aut pœnitẽtię, aut tẽperantiæ, istę virtutes nõ sunt collocãdę. ¶ Ad vltimũ argnmentũ respõdetur, quòd actus cõditionatus, & imperfectus in eo qui potest habere exercitiũ actus, reducitur ad eandẽ speciẽ virtutis: sed in eo qui nõ potest habere exercitiũ actũ perfe-

Vtrũomnes virtutes cardinales conueniant angelis.

Opin. Scot.

Primũ arg.

Secundum.

Tertium.

D. Thom.

Soluũ. arg. Scot.

Ad primum

Ad secundũ

Ad tertium

D. Thom.

Replica.

Solutio.

Ad quartũ.

Ad vltimũ.

perfecti, non reducitur ad eandē ſpeciem. Ex dictis patet, quomodo virtutes cardinales ſolùm inueniantur in vita humana; & qua ratione iſtā appellationem promereātur. ¶ Sed eſt ſciendū, quòd iſtæ virtutes habent varios ſtatus, & gradus, à quibus diuerſam appellationem ſortiuntur. Vocantur politicæ, purgatoriæ, purgati animi, exemplares. Politicæ quidē, quatenus rectè cōponunt hominem in vita humana; tum erga ſe; tum erga proximū. Purgatoriæ verò, quatenus per iſtas virtutes conamur ex rebus tranſitorijs in diuinam tranſire ſimilitudinem; ſecundū illud; Eſtote perfecti, ſicut pater veſter cœleſtis perfectus eſt. Purgati animi dicuntur, quando iā ſumus conſequuti diuinā ſimilitudinem in vita beata, vbi prudētia nihil meditatur niſi diuina; temperantia cupiditates terrenas non agnoſcit; fortitudo paſſiones ignorat; iuſtitia in voluntate diuina perpetuò conſideratur. Exemplares dicuntur, quatenus ſunt in Deo: in Deo namque omnia exemplaria virtutum exiſtunt; prudētia in Deo, eſt diuina ſapientia: iuſtitia, obſeruatio legis æternæ: fortitudo, eſt immutabilitas diuini conſilij; temperantia, eſt conuerſio diuinæ voluntatis ad ſeipſam, & ad Deum. De hoc differit optimè D. Thom. art. 5. ¶ Sed videtur profectò quòd iſtæ virtutes ſine cauſa appellentur cardinales, & præcipuæ. Primò poteſt argui de virtutib⁹ theologicis, quæ principaliores ſunt; deinde de virtutibus pertinentibus ad vitam cōtemplatiuam, quę perfectiores ſunt. Tertiò de ſcientia, & ſapientia, & reliquis virtutibus intellectualibus, quę perfectiores ſunt. Quarto de quibuſdā virtutibus quę omni dubio procùl ſunt optimę, & præſtātiſsimæ; vt miſericordia, religio, iuſtitia legalis, obediētia. ¶ Pro explicatione ſciendū eſt ex D. Tho. in q. de virtutibus cardinalibus ar. 1. quòd triplex eſt hominis vita: vna eſt ſenſitiua, quæ nō eſt humana, ſed belluina: Secūda eſt cōtemplatiua; & hæc non eſt propriè humana, ſed ſuprahumana, & planè diuina, quapropter dicit Ariſt. quòd homo, ſolitariæ, & contēplatiuæ vitæ deditus, plus quā homo eſt. Tertia eſt actiua, quæ cōſiſtit in actionibus erga proximū rectis, & in moderatione paſsionū erga ſeipſum: & hęc eſt propriè vita humana: quoniā eſt totius coniuncti ſecundū rectā rationē, & eſt quā cōmuniter homines viuūt. ¶ Secūdò notandū eſt ex D. Tho. ſuprà q. 56. art. 3. quòd virtus humana perfecta, requirit rectitudinem appetitus: quapropter habitus qui poſſunt eſſe perfecti ſine rectitudine appetitus, nō propriè appellātur virtutes humanæ perfectæ, vt ſciētia, ſapientia. ¶ His cōſtitutis ad primū argumentū reſpōdetur, quòd virtutes theologicæ, ſunt ſupra hominē, cœleſtes, & diuinæ: nos loquimur de virtutibus humanis, quæ principaliùs & crebriùs verſantur in vita humana. ¶ Ad ſecundū argumentū idē dicendū eſt. Vel dicatur, quòd virtutes pertinētes ad vitā contēplatiuam, ſunt virtutes paucorum hominū: hīc verò agimus de virtutibus quę crebriùs veniūt in vitā humanā. ¶ Ad tertiū argu. patet ex ſecūdo notabili quid dicendū ſit. ¶ Ad vltimū argum. reſpōdetur, quòd quanquàm aliquæ virtutes habeant quaſdā excellētias, & principalitates; earū tamē materia nō principaliùs, & crebriùs in vita humana verſatur. Itaq; prędictę virtutes appellātur cardinales, quia principaliùs & crebriùs in vita humana verſantur; ſicuti vitia dicuntur capitalia; non quia ſunt grauiora, ſed quoniam crebriùs & frequentiùs eueniunt in vita humana.

Varij ſtatus virtutum.

Quare dicātur quædā virtutes cardinales.

Prim. arg. Secundum.

Not. 1. D. Thom. Triplex hominis vita.

Ariſt. 1. poli. 2.

Not. 2. D. Thom.

Ad primū.

Ad ſecundū

Ad tertium

Ad vltimū.

QVAESTIO LXII.

De virtutibus theologicis, in quatuor articulos diuiſa.

ARTIC. PRIMVS.

¶ *Vtrùm ſint aliquæ virtutes theologicæ.*

SVMMA TEXTVS.

Conclusio.

AFfirmans eſt concluſio, quam D. Tho. probat: quoniam homo tendit in beatitudinem ſupernaturalem, quæ eius naturam, & facultatem excedit: quapropter non poteſt ad eam ſufficienter ordinari per naturalia principia, ſed oportet vt ſuperaddantur alia ſupernaturalia principia, per quæ ordinetur ad illā felicitatē ſupernaturalē; ſicut per naturalia principia ordinatur ad finem connaturalem. Huiuſmodi autem principia dicūtur virtutes theologicæ; tum, quia Deum habent pro obiecto; tum, quia à ſolo Deo nobis infunduntur; tum, quia ſola reuelatione huiuſmodi virtutes in ſacra ſcriptura traduntur.

EXPLI-

EXPLICATIO ARTICVLI.

Vtrũ sit certũ ex fide esse in nobis virtutes theologicas.

IN hoc articulo quæstiones grauissimæ sunt explicandæ. In primis quæritur, Vtrùm sit veritas fidei catholicæ istas virtutes theologicas, fidem, spem, & charitatem esse in nobis? Et de hoc disputatum est diligentiùs suprà q. 51. artic. 4. cuius rei veritas consistit in duobus punctis. Primum est, quòd qui tolleret de medio istas virtutes theologales, non esset planè hæreticus: nã testimonia sacræ scripturæ, & sanctorum conciliorum, quæ loquuntur de fide, spe, & charitate, salua fide, de actibus supernaturalibus satis explicari possunt. Secundò dico, qui hac tempestate negaret virtutes theologales infusas, ferè hæreticus esset, & grauissimè erraret, sic demõstratum est suprà loco dudum allegato. ¶ Secunda quæstio est, vtrùm istæ virtutes theologicæ diuinitus infusæ, sint absolutè & simpliciter necessariæ ad credendum, sperandum, & amandũ, sic quòd absque illis non possimus credere, sperare, & amare vt oportet. In huius rei expositione multi theologi grauiter errauerunt, existimãtes quòd homo per facultatem naturæ potest sperare, credere, & amare vt oportet: habitus verò infusi ponuntur vt meliùs, faciliùs, & intensiùs credamus, & diligamus. Hæc sententia placuit Durand. in 2. d. 28. q. 1. Scoto in 3. d. 23. Gabrie. & Almayn. in 3. d. 33. Pro explicatione veritatis est prima propositio. ¶ Ad credendum, sperandum & amandum vt oportet, necessariũ est omnino adiutorium Dei supernaturale. Et hæc est certa fidei definitio: dicitur enim Ioan. 15. Sine me nihil potestis facere: & vt constat ex antecedentibus, & sequentibus, apertissimè fit sermo de adiutorio Dei supernaturali. & 1. ad Corinth. c. 12. Nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto, & 2. ad Corinth. c. 3. habetur illud insigne testimonium; Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis. Denique in vniuersa scriptura planissimè asseritur, fidem, spem, & charitatem esse dona Dei in nostris cordibus infusa. Hæc veritas definita est in concilijs congregatis contra Pelagium; in concilio Miletitano, Arausicano, Africano, in quibus definiunt patres, gratiam Dei esse omnino necessariam ad credendum, sperandum, & amandum, & non vt faciliùs credamus, & amemus. Dominus enim non dixit; Sine me difficiliùs poteritis, sed sine me nihil potestis facere.

Durand. Scot. Gabr. Almayn.

Prim. cõcl.

Ioan. 15.

1. Cor. 12.

2. Cor. 3.

Concilia.

Secũd. cõcl. ¶ Secunda conclusio. Non est certa fidei definitio, quòd virtutes theologicæ diuinitus infusæ, sint simpliciter necessariæ ad credendum, amandum &c. Probatur: nã non est de fide quòd istę virtutes sint, vt antea demonstratum est: ergo non est de fide quòd sint necessariæ ad amandũ credendũ, &c. ¶ Tertia conclusio. Deus de potẽtia sua absoluta bene potest mouere hominem ad credendũ, amandũ, sine habitibus diuinitus infusis. Probatur: nã quicquid Deus potest facere cũ causa secunda efficiẽti, potest se solo facere, vt habet axioma Theologorum: sed isti habitus infusi cõcurrunt ad credendũ, & amandum in genere causæ efficiẽtis: ergo Deus absq; illis potest mouere ad credendũ, & amandũ. Itẽ certũ est apud vniuersos Theologos, quòd homo de potentia Dei absoluta bene potest esse Dei amicus absq; charitate, quæ sit qualitas inhęrẽs animæ nostræ. ¶ Quarta conclusio. De lege ordinaria, & secundũ communẽ cursum, necessariæ sunt istæ virtutes theologicæ ad credendũ, amandũ, &c. nã Deus disponit omnia suauiter, & mouet vnãquãq; creaturã ad finẽ sũũ per principia intrinseca, & virtutes naturales: ergo ad suauẽ Dei dispositionẽ spectat vt moueat hominẽ ad finẽ supernaturalẽ per principia intrinseca supernaturalia, quæ vocãtur virtutes theologicę. Deinde, homines sumus destinati ad beatitudinẽ supernaturalẽ, ad cuius cõsecutionem sunt necessariæ operationes supernaturales: oportet ergo in animis nostris cõstituere principia supernaturalia, operationibus supernaturalibus proportionata. Sed nũquid esset hæreticus qui negaret istas virtutes theologicas esse necessarias omnino ad amandũ & credendũ? Respõdetur, periculosè erraret, & esset ferè hæreticus: nã testimonia scripturarũ, & conciliorũ, quæ asserũt habitus infusos esse, ostẽdunt etiã esse necessarios: signãter probatur hoc ex cõcil. Trident. Sess. 6. c. 7. & canone 11. ¶ Tertia quæst. Vtrũ virtutes theologicæ sint necessariæ ad singulos actus credẽdi, amãdi, & sperãdi; an tantũ ad omnes simul, sicut docet diuina theologia, hominẽ nõ egere auxilio speciali ad singula peccata vitãda, bene tamẽ egere ad omnia vitãda; Respõdetur, sine dubio auxiliũ Dei speciale esse omnino necessariũ ad singulos actus credẽdi, amãdi, &c. Ex quo consequens est, virtutẽ theologicã esse necessariã ad singulos actus credendi, &c. Patet hoc: nã Cælestinus Papa in epist. ad omnes Galliæ Episcopos, c. 8. definit, gratiã Dei ad singulos actus esse necessariã. Idẽ definit clariùs c. 9. vbi cõmemorat Sozimũ summũ Pontificẽ desinentem, quòd in omnibus actibus, motibus, & causis nostris Deus adiutor existit. Et conciliũ Arausicanũ c. 9. sic definit; Quotiescunq; bene agimus, Deus in nobis, & nobiscũ operatur, &c. c. 20. habet grauissimã definitionẽ sub ijs verbis; Multa bona fiũt in homine, quæ non facit homo: nulla autẽ bona facit homo, quæ nõ faciat Deus vt homo faciat. Consimilẽ definitionem habet c. vlt. D. Aug. in epist. ad Vitalẽ Carthaginẽsem, & in epist. ad Paulinũ inter alios errores Pelagij, refert istũ, quòd gratia Dei ad singulos

Vtrũ istę virtutes sint necessariæ ad simpliciter operãdum.

Quar. cõcl. De lege ordinaria istæ virtutes sunt necessariæ.

Cõcil. Trid. Vtrũ virtutes theologicæ requirãtur ad omnes actus.

Solutio.

Cælestinus.

Sozimus.

Cõci. Arau.

D. Aug.

actus non sit necessaria: cõtra quẽ disputat acerrimè lib. de natura & gratia, c. 26. & lib. cõtra Celestium c. 15. Hæc veritas demonstratur ex sancta scriptura, ex illo. Sine me nihil potestis facere: & ex illo. Nõ sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis. Et patet euidenti ratione; nam actus credẽdi, & amandi, est actus supernaturalis: ergo requirit adiutorium Dei supernaturale. Ex ijs manifestè liquet, quòd falsa sit illa sententia, quòd potest esse opus meritorium coram Deo, ex solo adiutorio generali: de quo disputabimus in materia de gratia.

Ioan. 15. 2. Cor. 3.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ *Vtrùm virtutes theologicæ differant à moralibus, & intellectualibus.*

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. AFfirmans est conclusio, eam in argumento sed contrà, probat D. Tho. ex eo quòd virtutes morales, & intellectuales sunt secundum naturã hominis; theologicæ autem supra ipsius naturam. Id autem quod est secũdum naturã, differt ab eo quod supra naturã est. In corpore verò probat ex diuersitate obiecti eandẽ conclusionẽ: quoniam virtutes morales, & intellectuales habẽt pro obiecto id quod humana ratione comprehendi potest: theologicæ verò habent pro obiecto Deum, vt humanam facultatem excedit.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Vtrũ fides, spes, & charitas acquisitæ sint virtutes theologicæ. IN hoc arti. quæritur primò, vtrũ fides acquisita de articulis fidei, spes, & charitas acquisitæ, sint virtutes theologicæ, an potiùs tota ratione distinguãtur à virtutibus theologicis. v. g. hæreticus credit per fidẽ acquisitã Deũ esse trinum & vnũ, & Christũ Dñm esse crucifixũ, & sperat se consequuturũ beatitudinẽ supernaturalẽ; & vt ipse existimat, amat Deũ super omnia vt est finis supernaturalis: quæritur, an istæ virtutes sint virtutes theologicæ? Hãc difficultatẽ quidã discipuli D. Th. facillimè explicãt, docẽtes, quòd ad virtutẽ theologicã requirũtur tres conditiones. Prima est, vt habeat Deũ pro obiecto immediato: Secunda est, vt regula virtutis theologicę sit diuina: imò ipse Deus. Tertia est, quòd sit virtus infusa: quod patet ex definitione D. Aug. est bona qualitas mẽtis, quã Deus in nobis, &c. Ex his statim cõcludunt, quòd religio nõ est virtus theologica: tũ, quoniã nõ habet Deũ pro obiecto: tũ verò, quoniã ex facultate naturæ cõparari potest. Secũdò inferũt, quòd theologia nõ est virtus theologica, quoniã facultate ingenij cõparari potest. Tertiò inferũt, quòd virtutes prædictæ acquisitæ nõ sunt virtutes theologicæ; quoniã nõ sunt diuinitus infusæ. Hęc solutio mihi nõ probatur: tũ, quoniã procedit ex definitione nominis, quã fortasis aduersarij negarẽt: tũ verò, quoniã nõ procedit ex proprijs causis: demũ, quoniã petit principiũ: nã hoc erat exponendũ, quid est quòd istæ virtutes nõ vocãtur theologicæ, cũ habeãt Deum pro obiecto, vt est finis supernaturalis. Propter quod dicendũ est, quòd vt sit virtus theologica, nõ sat est quòd versetur erga Deũ quomodocunq;, sed quòd versetur erga Deũ, vt est obiectum supernaturale. Ex quo statim sequitur, quòd actus qui attingit efficaciter illud obiectũ, debet esse supernaturalis: nam cũ obiectum sit supernaturale, notum est quòd actus qui attingit illud efficaciter, supernaturalis est. Sequitur secũdò, quòd virtus quæ producit illum actũ, debet esse supernaturalis: nã effectus est supernaturalis: ergo causa debet esse supernaturalis. Tertiò sequitur, quòd virtus illa debet esse diuinitus infusa, siquidẽ est supernaturalis. Sequitur quartò, quòd regula huius virtutis debet esse planè diuina & supernaturalis, quę ratione humana cõprehẽdi nequeat. ¶ Ex ijs principijs facilè est intelligere, quomodo differãt inter se virtus theologica, & virtus acquisita de mysterijs nostræ religionis. Primò differũt: nã virtutis theologicæ obiectũ & materiale, & formale; est supernaturale, & quod ratione humana cõprehẽdi nõ potest: obiectũ verò virtutis acquisitæ est naturale, quod ratiõe humana cõprehẽdi potest. Secũdo differũt: nã ratio formalis virtutis theologicę, est diuina & supernaturalis: Christianus enim credit mysterijs diuinis, quia Deus reuelauit; hæreticus verò eisdẽ credit propter autoritatẽ sui præceptoris Lutheri, vel propter suũ cerebrum, & opinionẽ: si enim crederet quòd Deus reuelauit, vniuersis veritatibus fidei fidem adhiberet. Tertiò differũt, quòd fides infusa attingit efficaciter supernaturalẽ finẽ; fides verò hæretici acquisita nõ attingit illũ efficaciter vt oportet: quẽadmodum qui habet actũ imperfectũ amãdi Deum, nõ habet charitatẽ, nec habet actũ charitatis infusæ. Itẽ differũt, quoniã fides acquisita innititur fallibili fundamento, & ideo decipere potest: propter quod virtus nõ est; at fides infusa innititur infallibili fundamẽto. Vltimò, hæreticus per fidẽ acquisitã nõ credit, & sperat

Aug.

Solutio quæstionis. Virtus theologica. Coroll. pri.

Secundum.

Tertium.

Quartum.

Quomodo differãt virtus theologica & acquisita.

Prima differentia.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

rat ea firmitate & ſtabilitate, quã fides Chriſtiana de ſe requirit. ¶ Sequitur dubiũ ſecundum;

Vtrũ actus virtutis theologicæ differat tota ratione ab actu virtutis acquiſitę perſimili, & in genere naturæ, & in genere moris. Cõtingit enim ſæpenumero q̃ ea quæ nõ differũt in genere naturę, differãt in genere moris. v.g. occiſio hoĩs facta à tauro, & à latrõe, & à iudice iuſtiſsimo, nõ differũt in gñe naturę; at differunt in gñe moris, vt planè cõſtat. Ediuerſo verò aliqua differũt in gñe naturæ, quę nõ differũt in gñe moris; ſicut comedere oua, & piſces, certè differunt in genere naturæ, ſed nõ differunt in genere moris; nã pertinẽt ad eandẽ virtutẽ tẽperantiæ. Quæritur ergo in propoſita dubitatione, vtrũ actus virtutis theologicæ differat in genere naturæ, & in genere moris ab actu virtutis acquiſitæ? In cuius rei explicationẽ quidã diſcipuli D. Tho. contendunt, quòd nõ differãt niſi tãtùm in genere moris. Huius doctrinæ eſt Capr. in 1. d. 17. q. 1. ad 1. & 2. Aureol. cõtra ſecundã concluſionẽ, & ad tertiũ. Greg. cõtra primã & ſecundã concluſionẽ. Idẽ ſentit Caie. explicans D. Tho. 2. 2. q. 171. ar. 2. ad 3. Et hãc ſententiã videtur docere apertè D. Tho. ibidẽ: dicit enim quòd diligere Deũ ſuper omnia, ſuperat naturã quãtum ad modum, ſed nõ quãtum ad ſubſtantiã. Patet hæc ſentẽtia: nã actus malus ſecundũ ſubſtantiã poteſt cõtinuari cũ actu virtutis theologicæ: ergo nõ differunt ſecundũ ſubſtantiã, & in genere naturæ. Conſequẽtia inde probatur: nã quę differunt ſecundũ ſubſtantiã & in genere naturæ, cõtinuari nõ poſſunt. Antecedẽs verò probatur: nã cõfeſsio fidei exterior poteſt continuari propter vanã gloriã.

Secundum. Secundò, actus interior fidei humanæ poteſt cõtinuari cũ actu fidei ſupernaturalis: ergo nõ differũt in genere naturæ. Quòd conſequẽtia argumẽti ſit efficax, cõſtat ex ſuperiori argum. Probatur antecedẽs: nã cõſtituamus Iudæũ qui parũ ante Chriſti natiuitatẽ habeat iudiciũ; Chriſtus naſcetur; quod erat de fide diuina; & cõſtituamus quòd cõtinuet idẽ iudiciũ, & in eo perſeueret Chriſto iã nato; tũc illud iudiciũ quod antea erat fidei diuinę, efficitur fidei humanę, & errãtis iudiciũ. Et cõfirmatur: nã hac de cauſa definiũt omnes theologi, quòd idẽ actus bonus & malus, eſt idẽ in genere naturæ, quoniã cõtinuatur, & in principio eſt bonus, & poſtea malus.

Tertium. Tertiò, ex ſentẽtia bonorũ Theologorũ, attritio ex facultate naturæ cõparata, adhibito ſacramẽto efficitur ſupernaturalis: ergo actus naturalis, & ſupernaturalis nõ differũt in genere naturæ.

Prim. cõcl. ¶ Pro explicatione ſit prima cõcluſio. Auxilium Dei ſupernaturale eſt omnino neceſſariũ ad credẽdum, ſperãdum, & amãdum, & in vniuerſum ad vnumquéq; actũ virtutis theologicæ: itaq; nõ requiritur tãtùm ad modũ operis. Hęc cõcl. eſt primũ principiũ religiõis nr̃æ, definita in Cõcilijs cõgregatis cõtra Pelagiũ, Mileuitano, Arauſicano, & Africano; & probabant patres efficaciter ex illo Ioan. 15. Sine me nihil poteſtis facere. Concil. Ioan. 15.

Secũd. cõcl. ¶ Secunda propoſitio. Actus virtutis theologicæ, & actus virtutis acquiſitæ differũt in genere naturę, & ſecundũ ſubſtantiã, adiſtũ ſenſum, q̃ nõ differunt ſolũ quãtum ad modũ. Hæc cõcluſio eſt de fide cathoĺica, & ſequitur euidẽter ex præcedẽti. ¶ Tertia propoſitio. Non eſt dogma hæreticũ, nec aduerſariũ ſanæ doctrinæ, aſſerere, quòd iſta opera differãt tãtùm in genere moris. Patet primò; quoniã Capr. & Caie. docẽt iſtã ſententiã, & nõ cõdemnantur erroris. Deinde, cũ hoc quòd differat tãtùm in genere moris, ſaluatur optimè ſalua fide, quòd nemo poteſt credere & amare ſine Dei adiutorio. Nã ex hoc, q̃ occiſio hominis facta à tauro, & à latrone, & à iudice differãt tãtùm in genere moris, ſaluatur optimè quòd vna non eſt actus humanus, alia ſit actus humanus; & quæ eſt actus humanus, vna eſt bona, & à Deo, altera mala, & nõ à Deo. Vltimò, in ſanctis cõcilijs nõ dicitur abſolutè quòd nemo poteſt credere ſine Dei adiutorio, ſed quòd nemo poteſt credere, vt oportet credere. Tert. cõcl. Nõ eſt hæreticũ negare quòd iſta opera differãt in genere naturæ.

Quar. cõcl. ¶ Quarta cõcluſio. Verſimilius videtur, & diuinæ theologiæ magis cõſentaneum, q̃ iſti actus differãt etiã in genere naturæ, ſecundũ ſubſtantiã. Probatur: nã ſi nõ differunt ſecundũ ſubſtãtiam: ergo differunt ſecundũ modũ. Tunc quæro, quid ſit iſte modus: certè nõ eſt quòd actus virtutis theologicę ſit firmior, aut intẽſior, ſicut ſuprà ex fide demõſtratum eſt; nec verò eſt q̃ actus virtutis theologicę meritorius ſit: nã actus fidei informis, eſt actus virtutis theologicæ; at nõ eſt meritorius: ergo differũt ſecundũ ſubſtãtiam & naturã. Deinde, actus virtutis theologicæ attingit efficaciter obiectum ſupernaturale: actus verò virtutis acquiſitæ attingit obiectum naturale: ergo differunt ex obiectis, ac ſubindè in genere naturæ. Tertiò, ſcięntiæ quę differunt ex diuerſis principijs formalibus, differunt in genere naturæ, vt cõſtat: ſed actus fidei infuſæ, & acquiſitæ, procedũt ex diuerſis principijs formalibus: nã fides diuina procedit ex lumine ſupernaturali infallibili: fides verò humana ex lumine humano fallibili: ergo differũt in genere naturæ. Quartò, id quod eſt de ſe & ex ſua natura ſupernaturale, diſtinguitur ab eo quod eſt ſecũdum naturã: ſed actus virtutis theologicæ de ſe, & ex ſua natura eſt ſupernaturalis: ergo diſtinguitur in genere naturæ ab ijs operibus, quę naturaliter cõparari valẽt. Iste actus differũt in genere naturę

Soluũ. arg. ¶ Ad argumẽta in cõtrarium, & ad primũ reſpõdetur, quòd D. Tho. loquitur de dilectione Dei in genere: poſſumus enim diligere Deũ per facultatẽ naturæ: cæterũ diligere Deũ per regulas ſupernaturales, ſuperat facul-

facultatē naturæ,&quātum ad ſubſtantiā,&quā tū ad modū. ¶Ad alia argumēta dico quòd habēt difficilē ſolutionē. Vel enim dicendum eſt, multa cōtinuari quę differūt ſecundū naturā,vt videre eſt in inſertis,& in virga cuius medietas ſicca eſt,& alia viridis. Vel dicēdum eſt,q; multa ad ſenſum videtur cōtinuari,quæ reuera nō cōtinuantur:ſicut patet in exēplis adductis. Itē patet in motu canis de alta turri cadētis,qui (ſi credim⁹ philoſophis) dū canis moritur in via,interrumpitur. Ego certè non poſſum credere,quòd actus fidei humanæ,& diuinæ cōtinuentur. Præterea Theologi nunquam dicunt quòd attritio ſit contritio adhibito ſacramento, ſed quòd attritus ſit contritus.

ARTIC. TERTIVS.

¶ Vtrùm conuenienter fides, ſpes, charitas, ponantur virtutes theologicæ.

SVMMA TEXTVS.

Concluſio. Concluſio eſt affirmatiua, quā ſtatuere videtur Paul. 1.Cor.13. 1.Cor.13.& D.Tho. ita probat. Homo in finē ſibi cōnaturalē ordinatur per intellectū,& volūtatem: iſta autē attingere nō poſſunt finē ſupernaturalē,iuxta illud; 2.Cor.2. Nō oculus vidit,nec auris audiuit, &c. debēt igitur perfici per aliquid ſuperadditū vt ad finē ſupernaturalē ordinētur:& quidē intellectus perficitur fide:volūtas autē ſpe & charitate;ſpe,quantū ad motū intētionis in ipſum tendentē, ſicut in id quod eſt poſsibile cōſequi:charitate verò,quoad vnionē quandā ſpiritualē,per quā quodāmodo tranſformatur in illū finē. Tres igitur virtutes theologicæ cōuenienter cōnumerātur;fides,ſpes, & charitas.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Not.1. IN hoc articulo primò ſciēdum eſt,q; iſtæ virtutes,theologicæ nominātur, quoniā habēt Deū pro obiecto,quatenus beatificū eſt,&quatenus loquitur per diuinas reuelationes:differuntq; inter ſe ſe;quoniam diuerſa ratione formali feruntur in Deū:Fides nāq; reſpicit Deū,vt eſt prima veritas,quæ nec falli,nec fallere poteſt. Spes verò reſpicit Deū,vt eſt bonū noſtrū propriū,expectās ab illo propriā beatitudinē; & ſic eſt amor cōcupiſcentiæ. Charitas reſpicit Deū,vt eſt bonū infinitum in ſe,etiāſi ab illo nulla nobis proueniret vtilitas; & ſic eſt amor amicitię. ¶Secundò notādum eſt,quòd Lutherus cōtendit nō eſſe diſtinctionē inter fidē,ſpē,& charitatē;cōtenditq; fidē,reipſa ab ſpe & charitate nō eſſe diſtinctam. Verùm has virtutes inter ſe eſſe diſtinctas, ſanctæ ſcripturæ apertè demōſtrant:dicit enim Paulus. Nunc manēt tria hęc;ſpes,charitas,fides;ma- 1.Cor.13. ior autē horū eſt charitas. Tria,inquit, hęc oportet eſſe:ergo diſtincta. Prętera,inquit,nunc manēt;nā poſt iſtā peregrinationē in vita beata manet ſola charitas,quæ nunquā excidit,vt ibidem declarat Paul. oportet ergo eſſe diſtincta: ſiquidē manēte charitate,reliqua nō manēt.& paulò ſuperiùs demōſtrauit D.Paul. charitatē etiam in hac peregrinatione à fide eſſe ſeparabilē, dicēs; Si habuero omnē fidē,ita vt mōtes transferam, charitatē autē nō habuero,nihil ſum. Idē teſtatur D.Ioā. dicēs; Veruntamē multi ex principibus crediderunt in eo,ſed propter Phariſęos nō cōfitebantur: dilexerunt enim magis gloriā hominum quā Dei;ecce fidē ſine charitate. Idē eui dētiùs demōſtratur ex illo Matth.7. Multi dicēt Matth.7. mihi in illa die,Dñe,Dñe,nonne in nomine tuo prophetauimus,& dæmonia eiecimus?&c. profectò magna eſt fides,qua duplicatò dicitur,Domine,Dñe; & qua fiūt miracula;at erat ſine charitate:nā reſpōdet Dñs; Nunquā noui vos. Diſcedite à me operarij iniquitatis. ¶Tertiò ſciendum eſt,quòd Duran. in 3.d.23.q.6.cōtendit fidē nō eſſe ſimpliciter virtutē: nā virtus (autore Ariſt.) eſt diſpoſitio perfecti ad optimum actū: Ariſt. ſed fides nō diſponit intellectum ad optimum actum,ſed ad obſcurum, & caliginoſum: ergo nō eſt virtus vera. Ad hoc argumētum dicēdum eſt in primis,fidē, & ſpē humanitus acquiſitas, nō eſſe veras virtutes,vt argumētum probat: at verò fides & ſpes Chriſtianę,ſunt prętātiſsimę virtutes;tum,quoniā diſponūt ad optimū actū, qui in hac peregrinatiōe haberi poteſt:nō enim eſt neceſſarium ad veram virtutē vt diſponat ad optimum actū ſimpliciter,ſed ſatis eſt quòd diſponat ad optimum actum in ſuo genere, ſicut videre eſt in liberalitate;& tēperantia;tum verò, quoniā præſtantiùs eſt de rebus diuinis habere cognitionē certā,& ſupernaturalē,quàm de rebus humanis euidentem. hoc eſt quod dicit D. Paul. Quod ſtultum eſt Dei,ſapientius eſt hominibus:tum vltimò,quoniā fides diuina innititur principio infallibili, quod nec fallere, nec falli poteſt,& ideo ſemper inclinat ad verū; fides verò humana innititur principio fallibili,quod fallere poteſt:& ideo virtutis appellationē nō meretur. Idē Duran. in 3.d.26.q.2.contendit, ſpem

Not.2. Lutherus. Not.3. Durand. argum. Ariſt. Solutio.

propriè non esse virtutem theologicam : nam non habet Deum pro obiecto immediato, sed beatitudinem nostram quam ab illo expectamus. Sed fallitur omnino Durandus : nam sicut fides respicit Deum, vt est prima veritas; & charitas respicit Deum, vt est summa bonitas : sic spes respicit Deũ, vt summum bonum nostrũ. Sed de hoc inuestigatur diligentiùs in materia de spe. 2.2.q.17. ¶ Præterea circà illud quod asserit D.Th. in articulo, videlicet duas virtutes esse necessarias in voluntate respectu finis supernaturalis; alteram ad perficiendum motum intentionis tendentis in finem; alteram ad faciendam vnionem voluntatis spiritualem, per quam quodammodo transformatur in ipsum finem; notãdum quòd tendere in finem per desiderium, ad amorem, seu charitatem spectat tanquam passio illius; sed intendere finem, vt possibilem & arduum, est virtutis spei, quæ innititur diuinæ misericordiæ, & auxilijs diuinis. Est enim hic ordo in actibus voluntatis: nam primò est actus amoris, per quem transformatur in volitum, vt sibi conueniens; & vnitur illi spiritualiter: deinde est desiderium eius, si absens est obiectum; vel fruitio, si est præsens: si verò fuerit absens, & consideretur vt possibile absolutè sine arduitate aliqua, tunc sufficit amor ad intentionem illius boni: at verò quia maximè arduum est consequi finem beatitudinis, & fides ita repræsentat illum finem vt arduum, etiam habenti charitatem, ad hoc requiritur virtus spei, de qua dicit Apostolus, quam sicut anchoram habemus animæ tutam, ac firmam, & incedentem vsque ad interiora velaminis. ¶ Circa solutionem ad secundum notandum, quòd sicut fides humana, & spes humana, circa sua obiecta proportionata sibi, non sunt virtutes, licèt possint esse quidam habitus; ita & multò minus erunt virtutes respectu obiecti supernaturalis : quia minor est proportio ipsarum ad talia obiecta supernaturalia. Ex quo sequitur, quòd quamuis homo habens fidem infusam, per exercitium illius acquirat aliquem habitum acquisitum fidei, non tamen ille habitus erit virtus. Et similiter dicendum erit de spe acquisita concomitanter per exercitium spei infusæ. Sed tamen vtrùm tales habitus acquirantur per exercitium virtutis infusæ, dicemus quæstione sequenti.

Not.

Heb. 6.

ARTIC. QVARTVS.

¶ Vtrùm fides sit prior spe, & spes charitate.

SVMMA TEXTVS.

PRima Conclusio. Ordine generationis fides est prior spe, & spes charitate. Quod intelligẽdũ est quoad actus : habitus enim simul infunduntur. Probatur: quia non potest appetitus per spem, aut amorem in aliquid tendere, nisi cognitum illud sit : per fidem autem cognoscit homo quæ sperat, & amat. Deinde, homo aliquid amat quia apprehendit illud vt bonum suum: per hoc autem quòd homo ab aliquo sperat se bonum consequi posse, reputat illud in quo spẽ habet quoddam bonum suũ. Spes ergo charitatem præcedit, & fides spem. ¶ Secunda conclusio. Ordine perfectionis, charitas est prior fide, & spe, & inter omnes virtutes primatũ tenet; tã enim fides quã spes formantur per charitatem, & ab ea perfectionẽ virtutis acquirũt.

Prim. cõcl.

Secũd. cõcl.

EXPLICATIO ARTICVLI.

IN hoc articulo est primum dubiũ; quid est quod dicit D.Th. istas tres virtutes simul infundi? hoc enim videtur esse falsum. Nã fidelis qui fuit in peccato, quando conuertitur ad veram pœnitentiam, recipit charitatem, sed non recipit fidẽ, nec spẽ. Est enim de fide catholica, quòd fides, & spes, per peccatum mortale nõ deperduntur. Rursus, si adultus baptizatur, volens esse vel fieri Christianus, habẽs affectum peccati mortalis, iste recipit verã fidem; at nõ recipit charitatẽ propter obicẽ quẽ ponit Sacramẽto. Tertiò D.Paul. dicit apertè, fidẽ in hac peregrinatione à charitate esse separabilẽ: ergo potest infundi sine charitate. Respõdetur, quòd hãc doctrinã D.Tho. cõmuniter docent vniuersi Theologi in 3.d.23. & approbat eã Scotus in d.36.ar.4. & quod maius est, Innocentius III. in c. maiores, de baptismo, & eius effectu; & probant ista ratione. Nam quẽ Deus sanat, perfectè sanat: & adducũt in huius rei confirmationẽ illud Ioã.7. Mihi indignamini quòd totũ hominẽ saluũ feci in sabbatho. Sed vt hęc doctrina vera sit, habet tres expositiones. Prima expositio est, quòd omnes istæ virtutes

Vtrũ virtutes theologicæ simul infundãtur.

Primũ arg.

Secundum.

Tertium. 1.Cor.13.

Solutio.

Innocẽ.III.

Ioan.7.

Explicatur doctrina.

D. Thom.

tes simul infundũtur, quod est ex parte Dei infundẽtis, nisi recipiẽs ponat obstaculũ & impedimẽtum. Secunda expositio est, quòd oẽs istæ tres virtutes infundũtur simul in esse virtutis: nã fides, & spes sine charitate mortuæ sunt, & non habent statũ virtutis. Istã explicationẽ habet D. Caie. 2.2.q.6.ar.2.ad 3. Tertia explicatio est, nõ esse repugnantiã, quòd istæ virtutes simul infundãtur: at repugnãtia est quòd actus fidei non sit prior charitatis amore: nã voluntas non potest amare bonũ supernaturale, nisi per fidẽ ostẽdatur, & demõstretur. ¶ De secũda cõclusione dubiũ est: quomodo charitas sit forma fidei, & cęterarũ virtutum: nã forma dat esse rei, vt tradit Arist. at verò in Christianis peccatoribus est vera fides, & vera spes sine charitate, vt dictũ est: ergo charitas nõ est forma fidei, & cæterarũ virtutũ. Respõdetur, quòd charitas nõ dat fidei esse propriæ naturæ: propria nãq; natura fidei est firmus assensus veritatis reuelatæ: hãc autẽ non habet à charitate: possum enim credere illi quẽ nõ diligo, & à quo nihil spero me cõsequuturũ: cæterũ charitas dat fidei esse virtutis euãgelicæ: à charitate enim habet quòd sit virtus nõ humana, nõ philosophica, sed diuina, & euãgelica, habẽs virtutẽ cõmutandi totũ hominẽ in melius, vt sit iustus, & filius Dei, potẽsq; vincere mundũ & infernũ, iuxta illud ad Hebr. 11. Sãcti per fidẽ vicerũt regna &c. per fidẽ formatã charitate, & per dilectionẽ operantẽ; quo modo nõ solũ charitas est forma fidei, sed cæterarũ omniũ virtutũ; efficit nãq; quòd cæterę virtutes sint diuinę, & euãgelicæ, relatę in Deũ summè dilectũ; fides verò à charitate destituta, vocatur fides informis à D. Paul. impotẽs, & otiosa; dicit enim 1. Corint. 13. Si habuero omnẽ fidẽ, ita vt mõtes transferã, charitatẽ autẽ nõ habuero, nihil sum; nihil mihi pdest. Et D. Iac. appellat illã fidẽ mortuã: nã quod caret forma, actione subinde caret, & mortuũ, & exanime manet. Et quanquã istæ appellationes virtutis informis, & formatę, nõ sint in sanctis scripturis, nõ propterea ab illis abstinẽdum est: nã D. Paul. 1. ad Tim. c. vlt. quãdo prohibet vocũ nouitates, nõ prohibet quascũq; vocũ nouitates, sed prophanas prohibet cõtra fidei religionẽ. Atq; tãtùm de virtutibus theologicis. ¶ Sed quæritur, quare D. Th. fecit differentiam inter actus ipsarum virtutũ, & habitus, quantum ad hoc, quòd via generatiõis est prior fides spe, & spes charitate, quãtum ad actus; & nõ dixit secundũ habitus, sed potiùs inquit; nã habitus simul infundũtur. Et ratio dubij est; nã idẽ ordo videtur esse inter habitus virtutũ, & inter actus ipsarũ. Itẽ, sicut habitus simul infunduntur, quãtum est ex parte infundẽtis; ita & actus sunt simul, quãtum est ex parte adiuuãtis: simul enim aliquis credit, sperat, & amat Deũ quãdo cõuertitur ad ipsum. Respõdetur, quòd obscurum est quid intẽdat D. Tho. in hoc: nobis tamẽ videtur dicẽdum, quòd via generatiõis, nõ sit ordo prioris, & posterioris immediatè inter ipsos habitus; sed ratiõe actuũ ad quos ordinãtur, sicut in puero baptizato; vel cũ quibus, vt cum dispositionibus generãtur habitus, sicut in adulto qui iustificatur cum proprijs actibus: & quãuis aliquando sint simul isti actus virtutũ theologicarum, tamẽ potest quis habẽs tres habitus infusos, vtiuno tãtùm habitu credẽdo, vel etiã duobus sperãdo; & ita videtur esse aliqua differẽtia inter ipsos habitus, & actus. ¶ Circa secundã conclusionẽ quęritur; an ordine perfectionis spes sit prior fide, sicut charitas præcedit fidem, & spem? Respondetur primò; certa res est, quòd qui habet solam fidem sine spe, est imperfectior, quàm qui habet spẽ: quia iste necessariò habẽt fidẽ, & sperat: & quẽadmodum ille qui habet scientiã, est perfectiùs dispositus quã ille qui tãtùm habet intellectum principiorũ; ita qui habet spẽ, est perfectius dispositus quã qui habet solã fidẽ. Vnde dico secundò, quòd videtur nobis probabile, q̃ fides est perfectior spe. Ratio est; quia fides respicit Deũ secundũ se, magis quã spes, eò quòd fides respicit veritatẽ, & autoritatẽ diuinã; spes autẽ respicit Deũ, vt proprium bonũ ipsius hominis, à quo sperat beatitudinẽ: vnde in ratione virtutis theologicæ videtur fides excedere spẽ. Itẽ, suppositò quòd vtraq; sit informis sine charitate; videtur quòd illa sit potior quæ fundamẽtum est alterius; sed fides definitur ab Apost. quòd sit subst ãtia rerum sperãdarum; ergo fides est potior spe: sicut definitio rei est potior quã passio quæ sequitur essentiã. Dico tertiò, quòd nihilominus spes secundum aliquã rationẽ potest dici forma fidei; tum, quia disponit ad charitatẽ per quã formatur fides; tum etiã, quia facit perseuerare in fide, vt docet D. Tho. 2.2.q.4.ar.7.ad 2. ¶ Deniq; pro intelligẽtia doctrinæ D. Tho. ad 3. lege illũ 2.2.q.17.art.2. vbi dicit, quòd proprium & principale obiectum spei est beatitudo æterna. Ex quo possumus colligere, quòd amor beatitudinis æternæ, secundum quòd est bonum proprium, nõ elicitur à charitate via generationis, sed est amor cõcupiscẽtiæ, nõ amicitiæ, quẽ necessariò præsupponit spes; qui quidẽ etiã amor potest esse informis, sicut est in peccatore sperãte vitã æternã; nihilominꝰ est amor ex diuino auxilio procedẽs, sicut pia affectio voluntatis est donũ Dei, quã præsupponit fides etiã informis. Notãdum tamẽ, q̃ in habẽte charitatẽ, potest etiã ille amor beatitudinis æternæ elici à charitate: sicut enim potest homo ex charitate velle proximo suo vitã æternã; ita sibi; ordinando tamẽ se in Deũ, vt in vltimum finem. Sed de hoc in 2.2. in materia de charitate, & spe.

Caiet.

Quomodo charitas sit virtutũ forma.

Arist.

Solutio.

Hebr. 11.

1. Cor. 13.

Iacobus.

2. Tim. vlt.

Vtrũ sit idẽ ordo habitus & actus virtutis infusæ.

Argum.

Solutio.

An ordine perfectiõis spes sit prior fide.

Respõ. prĩ.

Resp. secũ.

Hebr. 11.

Respõ. tert.

D. Thom.

VÆ-

QVAESTIO LXIII.

De cauſa virtutum, in quatuor articulos diuiſa.

ARTIC. PRIMVS.

¶ Vtrùm virtus inſit nobis à natura.

SVMMA TEXTVS.

Prim. cõcl. PRima concluſio. Virtus eſt in nobis à natura, ſecũdum inchoationem & aptitudinem; non ſecundum perfectionẽ, quę per exercitium & laborem acquiritur. Pro huius cõcluſionis expoſitione adducit D. Thom. tres opiniones philoſophorũ, qui eadem ratione loquuntur de generatione virtutum, & ſcientiarum, ſicuti de generatione formarum naturalium. Quidã enim philoſophi dixerunt, omnes formas naturales ab intrinſeco ꝓuenire; ita quòd formæ naturales non producuntur de nouo, ſed incipiunt in materia apparere. Alij dixerunt omnes formas naturales de foris aduenire, ſcilicet à ſubſtantia ſeparata. Alij aſſeruerunt, formas partim eſſe ab intrinſeco, quatenus ſcilicet præexiſtunt in potẽtia materiæ; & partim ab extrinſeco, quatenus reducuntur ad actum per agens. Eodem pacto de virtutibus, & ſcientijs philoſophabãtur.

Platonici. Nam Platonici dixerunt, omnes virtutes præexiſtere in anima; eas tamen grauitate corporis impediri, ne ſe in operationes ſuas exerãt.

Auicenna. Auicenna dixit, omnes virtutes ex influentia intelligentiæ agentis in

Ariſt. nobis produci. Ariſt. autem multò veriùs docuit, quòd formæ naturales efficiuntur ab agenti naturali, ex potentia, & aptitudine materię: affirmat nãq; in 2. eth. in principio virtutes ineſſe nobis à natura ſecũdum inchoationẽ & aptitudinem, non autẽ ſecundũ perfectionem.

Secũd. cõcl. ¶ Secunda concluſio. Hæc aptitudo ad virtutẽ eſt nobis naturalis ex natura ſpeciei humanæ, & ex natura indiuidui. Ex natura quidem ſpeciei, quoniã ineſt nobis naturaliter habitualis quædam cognitio principiorũ, tam in ſpeculabilibus, quã in agibilibus: rurſus ineſt naturalis inclinatio volũtatis ad bonũ. Ex natura verò indiuidui, quoniã ex cõplexione corporis quidã ſunt magis apti, vel minus diſpoſiti ad virtutẽ.

Tert cõcl. ¶ Tert. cõcl. Virtutes partim ſunt à natura, partim labore noſtro cõparantur. Hæc liquidò colligitur ex prędictis.

Quar. cõcl. ¶ Quarta cõcluſio. Virtutes theologicæ totaliter ſunt ab extrinſeco; nam non habemus aptitudinem naturalem ad finem ſupernaturalem.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Virtutes ſecundũ perfectionẽ & conſummationẽ non ſunt nobis à natura. Dionyſ. IN hoc arti. tria ſunt neceſſaria. In primis certum eſt, quòd virtutes ſecundũ perfectionẽ, & conſummationẽ, non ſunt nobis à natura: nã id quod eſt à natura, eſt cõmune omnibus hominibus, & nõ tollitur per peccatũ: propter quod dicunt vniuerſi Theologi cũ D. Dion. c. 4. de diuin. nomin. naturalia mãſiſſe integra in dæmonib⁹ poſt peccatũ. Sed virtus nõ eſt cõmunis omnibus hominibus, & tollitur per peccatũ: ergo nõ eſt à natura. Deinde, natura eſt determinata advnũ: ſed virtutes ſecundũ perfectionẽ & conſummationẽ diuerſimodè operãtur ſecundũ diuerſas materias, & circunſtãtias, & habẽt vim in oppoſita; ergo non ſunt nobis à natura. Cõfirmatur: nã illud quod eſt naturale, nunquã aliter aſſueſcit; lapis nunquã aſſueſcit ad motũ ſurſum: ignis nunquã aſſueſcit ad locum inferũ. Sed virtutes aſſueſcũt, ſic, vel aliter pro diuerſitate circunſtantiarũ: ergo nõ ſunt nobis naturales.

Obiectiões Pri. obiect. ¶ Sed videtur

tur quòd iſtę rationes nō ſint validę: nā licèt optimè cōcludant de virtutibus moralibus, & artibus, quæ ſunt principia variarum operationū ſecundū varias circunſtātias, & materias, ſed non cōcludunt de habitu primorū principiorū: nec verò de ſciētijs. Nā habitus primorū principiorum ſemper eodē modo operatur, nēpe cognitis terminis ex lumine naturali. ¶ Rurſus, ſciētia eodē modo ſemper operatur, nēpe demonſtrando cōcluſionē ex principijs: ergo. Cōfirmatur: nam in angelis, & in Deo ſunt virtutes cōnaturales. Certè angeli nō acquirunt virtutes, & ſciētiam, per diſcurſum & ratiocinationē ſicuti homines, ſed eas à principio ſuæ cōditionis inſitas habent. ¶ Præterea, licèt natura angeli nō ſit determinata ad vnum modū intelligēdi, aut amādi, habēt nihilominus virtutes inſitas à natura: ergo licèt natura humana nō ſit determinata ad vnum modum operādi, poterit habere virtutes à natura inſitas. ¶ Ad hoc dicendum eſt, quòd actus habitus primorum principiorū, & vniuerſæ ſcientiæ, cōſiſtit in affirmatione, & negatione, ac ſubinde in quadam cōpoſitione: hæc verò cōpoſitio ab intellectu diuerſimodè cōficitur: nam aliter ſcientia cōponit in materia remota, aliter in materia neceſſaria, aliter in Dialectica, aliter in Phyſica. Præterea primorum principiorum intellectus aliter componit cùm iudicat cō tradictionem non poſſe eſſe veram; aliter, cū iudicat omne totum eſſe maius ſua parte; & hominem eſſe animal rationale: quanquam de habitu primorum principiorum poſſemus facilè dicere, quòd non eſt perfecta virtus, ſed inchoatio virtutis. Illud verò quod de angelis adducitur, ita perſuaſit Domino Caieta. in hoc articulo vt dicat, quòd in angelis nō eſt habitus intellectualis, nec reſpectu principiorum, nec reſpectu concluſionum ſuperadditus ſpeciebus intelligibilibus; & quoniam ſpecies intelligibiles ſunt naturaliter inſitæ angelis, vt optimè demonſtrat D. Tho. 1. p. q. 55. art. 1. conſequens eſt, quòd habitus intellectuales ſunt naturaliter inſiti angelis; nō autem in nobis, qui paulatim, & per diſcurſum ſcientias acquirimus. Hæc ſententia Dñi Caie. quantum ad illud quod dicit, quòd ſcientiæ ſint naturaliter angelis inſitæ, veriſsima eſt: quantum verò ad illud quod dicit, ſcientiam à collectione ſpecierum non eſſe diſtinctam, falſa eſt: nam ſuprà multis argumentis oſtendimus, ſcientiam ab ſpeciebus eſſe diſtinctam. ¶ Dicendū itaq; eſt pro confutatione argumenti, quòd natura angelica, ex eo quòd non eſt determinata ad vnum modum operandi, indiget virtutibus ſuperadditis vt ad bonum determinetur: ex eo verò quòd non acquirit ſuam perfectionem per diſcurſum, habet eas inſitas à natura; quod in nobis non contingit. ¶ Secundò, certiſsimum eſt virtutes eſſe in nobis à natura ſecundū quādam inchoationem, & aptitudinem: eſt namq; nobis à natura infuſum quoddā virtutis ſeminarium, vt patet ex illo Pſal. Signatū eſt ſuper nos lumen &c. & ex illo Ioan. Erat lux vera, quę illuminat omnem hominē venientem in hunc mūdum &c. & Rom. 2. Gētes quæ legē non habēt, naturaliter ea quæ legis ſunt faciūt, & oſtēdunt opus legis ſcriptum in cordibus eorum: de qua re vide D. Aug. ſuper Pſal. 57. in principio: & D. Hiero. ſuper Eſa. c. 24. ¶ Tertiò, certiſsimum eſt virtutes theologicas totaliter ab extrinſeco prouenire, & de foris: nā veniunt ex munere & dono Dei, ſicut demōſtratum eſt copioſè in quæſtione præcedēti. ¶ Sed ex hoc naſcitur duplex dubitatio perdifficilis; quomodo ſit verū quod dicit D. Tho. in hoc art. quod non eſt aptitudo naturalis ad gratiam, & charitatē, & ad virtutes theologicas: nā infrà q. 113. art. 10. dicit expreſſè, quòd rationalis anima eſt naturaliter capax gratiæ, & charitatis: ex quo colligitur, iuſtificationē impij, in qua cōfertur gratia & charitas, nō eſſe miraculoſam; quia in anima eſt naturalis capacitas ad gratiā & charitatē. Huic ſententię videtur eſſe cōſentaneum illud, quod ex Aug. ſolet adduci; poſſe habere fidem & charitatē, naturę eſt hominum. ¶ Præterea, gratia & charitas quādo infunduntur de nouo, nō creantur, nec veniūt de foris, ſed educuntur de potētia animæ: ergo falſum eſt dicere quòd totaliter ab extrinſeco proueniāt. Probatur antecedēs: nam illa forma educitur de potentia materiæ, quæ dependet in fieri, & cōſeruari ab ipſa materia, vt planè cōſtat ex phyſicis: ſed gratia & charitas cùm infundūtur, cùm ſint accidētia, depēdent in fieri, & conſeruari ab ipſa anima: ergo educuntur de potentia animæ: nō ergo totaliter veniunt de foris. ¶ Vltimò, ſentētia eſt bonorum theologorum, quòd in nobis eſt inclinatio, & aptitudo naturalis ad vidēdum Deum, qui eſt finis ſupernaturalis: ergo in nobis eſt inclinatio naturalis ad virtutes theologicas, quæ ſunt media neceſſaria ad videndum Deū. Ex quo cōſequens eſt, quòd iſtæ virtutes ſint nobis naturales ſecundum inchoationem, & aptitudinem. ¶ Præterea videtur, & eſt ſecunda dubitatio, quòd iſtæ virtutes theologicæ ſint naturales hominibus, tum in ſtatu innocentiæ, tum in ſtatu beatitudinis; atq; etiā Chriſto Domino. Quòd in ſtatu innocentiæ fuiſſent naturales, ſic oſtendo. Nam in illo ſtatu homines fuiſſent nati in iuſtitia originali: iuſtitia verò originalis ſine gratia exiſtere non poteſt: ergo fuiſſent nati in gratia. Ex quo conſequens eſt, quòd fuiſſent nati cum virtutibus theologicis, & infuſis, quæ ſemper gratiam ipſam comitantur. Et confirmatur: nam tunc habuiſſent virtutes illas per actum generationis: ergo fuiſſent natu-

Secunda.

Tertia.

Solutio.

Caiet.

D. Thom.

Pſal. 4. Ioan. 1.

Rom. 2.

Aug. Hieron.

Vtrū ſit aptitudo naturalis ad gratiam.

Prim. argu.

Secundum.

Vltim.

Vtrū virtutes theologicæ ſint naturales beatis, Chriſto & homini in ſtatu innocentię.

Prim. arg.

Confir.

naturales. Certè quemadmodum modò nasci-
mur natura filij iræ, & contrahimus peccatum
originale hæreditarium; sic tunc nasceremur na
tura filij Dei, & contraheremus iustitiam hæ-
reditariam. Quòd verò in statu beatifico prędictę
virtutes sint naturales; sic probo. Nam ex Dei vi
sione clara & aperta, consequio naturali sequi-
tur amor, sic vt dicant Theologi, quòd beatus
videns Deum, nō potest nō amare Deum: ergo
charitas beatis naturalis est & necessaria. De
Christo verò idem demonstro: nam ex gratia
vnionis, naturali sequela sequebatur gratia habi
tualis: ex qua rursus sequebantur vniuersæ virtu
D.Thom. tes, vt optimè dicit S. Tho. 3. p. q. 7. articul. 1. & 2.
¶ Vt istæ dubitationes exponantur, sit prima cō
Prim. cōcl. clusio. Virtutes theologicæ sunt diuinitus infu-
Virtutes theologicæ non infunduntur secū dum capaci tatem natu ralē. sæ, & inspiratæ. Hæc conclusio in præcedenti
quæstione satis demonstrata est. ¶ Secunda cō-
clusio. Virtutes theologicæ nō infunduntur no
bis secundum capacitatem, aut aptitudinē natu
ralē, sed secundum voluntatē Spiritus sancti, di
uidentis singulis prout vult. Patet hoc ex illo
Secūd. cōcl. Ioā. Spiritus vbi vult spirat, & 1. Cor. 12. Hęc om
Ioan. 3. nia operatur vnus & idem spiritus, diuidens sin-
1. Cor. 12. gulis prout vult. & ad Ephes. Vnicuiq; data est
Ephes 4. gratia secundum mensurā donationis Christi. &
Rom. 12. Rom. Vnicuiq; secundum mensuram fidei, quā
Christus donauit. Præterea probatur euidenti
ratione: nam virtutes theologicæ excedunt fa-
cultatē naturæ, vt habet fides catholica: sed id
quod excedit facultatem naturæ, nō est cōnatu
rale, nec habetur ex principijs naturæ: ergo prę-
dictæ virtutes solū habētur ex inspiratione Spi-
Tert. cōcl. ritus sancti. ¶ Tertia conclusio. In nobis nō est
In nobis nō est naturalis potentia ad virtutes theologicas. aliqua potentia, aut aptitudo naturalis ad virtu-
tes theologicas; nam nemo potest ex viribus na
turæ istas virtutes adipisci, vt habet sana doctri-
na cōtra Pelagium: ergo nō est potētia naturalis
ad eas obtinendas. Patet cōsequentia: nā potētia
miraculorū ea de causa naturalis nō est, quia per
facultatē naturæ obtineri nō potest. Deinde, po
tentia naturalis ea est, quę per agens naturale ad
actū reduci potest: in materia enim ideo est po-
tentia naturalis ad formā ignis, quia per agēs na
turale ad actum reduci potest: in cœlo verò nō
est potentia naturalis ad calorem, quia per agēs
naturale ad actum istum reduci non potest: er-
go non est potentia naturalis ad istas virtutes.
Præterea, nam ita comparatum est, quòd vbi-
cunque est potentia naturalis passiua receptiua
est potentia naturalis actiua; sed non est poten-
tia naturalis actiua ad virtutes theologicas fa-
ciendas, vt constat: ergo non est potentia natu-
ralis ad virtutes theologicas. Hæc, & alia id ge-
nus argumenta prosequitur optimè Dominus
Caiet. Caietan. ad finem primæ partis, in quæstione
speciali de potentia naturali ad actus supernatu
rales. Hanc veritatem testantur passim sanctæ
scripturæ, quæ istas virtutes in solam diuinam
voluntatem, & gratuitam donationem reducūt.
¶ Quarta cōcl. Virtutes theologicę nō possunt
esse connaturales vlli creaturæ creatæ, nec crea
bili. Probatur: nam id quod excedit facultatem
naturæ, nulli creaturæ potest esse connaturale,
nec ex principijs naturæ acquisitum: sed virtu-
tes theologicæ, vt dictum est, sunt huiusmodi:
ergo. Rursus, id quod est superioris ordinis, nō
potest esse connaturale inferiori ordini: sed vir-
tutes theologicæ sunt superioris ordinis, & diui
ni, & quædam participationes naturæ diuinæ:
ergo inferiori creaturæ non possunt esse cōna-
turales. Vltimò, id est connaturale, quod ex prin
cipijs naturæ prouenit: sed virtutes theologicæ
non possunt prouenire ex potentia naturali, sed
ex sola Dei gratuita beneuolētia: ergo nulli crea
turæ possunt esse naturales. ¶ Quinta conclu-
sio. Virtutes theologicæ veniunt omnino de fo
ris, & de supernis; vt semper sit verū illud quod
dicit Iacobus; Omne datum optimum, & om-
ne donum desursum est, &c. Et probatur euidē
ti ratione: nam quatuor sunt, ratione quorum
possunt theologi imaginari quòd virtutes theo
logicæ nobis infundantur. Primum, essentia ani
mæ cum potentijs: Secundum, actus liberi arbi-
trij ex facultate naturæ proueniēs: Tertiū, actus
liberi arbitrij ex Dei adiutorio productus. Quar
tum, diuina voluntas diuidens singulis prout
vult. Virtutes theologicæ non infunduntur se-
cundum capacitatem naturalem, vt suprà dixi-
mus: nec verò secundum actum liberi arbitrij
ex facultate naturæ acquisitum: hoc enim sen-
tire, est Pelagianum. Quanquam verò prædictę
virtutes infundantur secundum actum liberi ar
bitrij ex Dei adiutorio productum, non tamen
hoc probat, quòd non veniant de foris: imò cō
trarium persuadet; nam hoc diuinum adiuto-
rium diuidit Deus singulis prout vult: ergo tan
dem in solam diuinam voluntatem istæ diuinæ
virtutes reducendæ sunt. ¶ Ad argumenta pri-
mæ dubitationis, ad primū respondetur, quòd
D. Tho. loco illo loquitur de potētia remotissi-
ma; & significat, quòd in natura humana est ca-
pacitas ad gratiā & charitatē: est enim homo cō
ditus ad imaginē & similitudinē Dei; quę capaci
tas nō inuenitur in brutis, nec in rebus inanimis.
Cōsimilē sententiā habet Aug. li. de prędestina
tione Sāct. c. 5. cū dicit; Posse habere fidē & chari
tatē, naturæ est hominū. Vel dicendū est, quòd
Deus ab initio constituit creaturam rationalē,
ad ordinem gratię esse eleuandam. Et hunc or-
dinē appellauit D. Th. naturalē; quoniā fuit indi
tus ab exordio naturæ humanæ, & toti naturæ
humanæ, quam appellationem non meruisset,
si tantùm Deus instituisset ordinē rerū natura

Quar. cōcl. Virtutes theologicę nulli creaturæ possūt esse connaturales.

Quin. cōcl.

Iacob. 1.

Soluū. arg. Ad primum

Aug.

liũ. Vltimò dicendũ est, q̃ cũ homo ex natura sua sit capax gratiæ, & ad eandẽ se disponat dili gẽdo, credẽdo; collatio gratię nõ dicitur miracu losa, sicut suscitatio mortui, ad quã materia de se
Ad secundũ nihil adiuuat. ¶ Ad secundũ argumẽtum respõ detur, quòd vt aliqua forma educatur de poten tia materię, nõ sat fuerit quòd depẽdeat in fieri, & cõseruari à materia; sed præterea requiritur q̃ in materia sit potẽtia naturalis ad illã formã; nã educi de potentia materiæ, est incipere esse in actu in materia, quæ prius erat in potẽtia mate riæ: & ideo nihil valet argumentũ; quia in anima
Ad tertium nõ est potẽtia naturalis ad gratiã. ¶ Ad tertiũ re spõdetur, quòd illa sententia est falsa (sicut ego existimo) de qua re solet dubitari. 1. p. q. 1. ar. 1. &
Resp. secũ. q. 12. Secũdò, dato quòd illa sentẽtia sit vera, nõ sequitur quòd sit inclinatio naturalis ad media necessaria, quæ sunt virtutes theologicæ: nã ille finis est supernaturalis in assequutione, & ideo nõ est mirũ quòd media sint omnino supernaturalia; sicut animaduertere est in corporũ resur rectione; resurrectio nãq; est naturalis ex parte termini, & obiecti: aĩa em̃ exuta corpore desidе rat suũ corp⁹; sed qm̃ est supernaturalis ex parte assecutiõis, & ex parte principij actiui, nõ sũt me dia necessaria in natura ad illã efficiẽdã. ¶ Ad ar
Ad argum. secũd. dub. gu. secũdę dubitationis, & ad primũ respõdetur,
Ad primũ. quòd homines in illo statu nascerẽtur cũ iustitia originali, & cũ gratia, & cũ omnibus virtutibus infusis, vt argumẽtum probat; cæterùm illæ virtutes nõ essent naturales; nã non proueniret ex principijs naturæ, sed ex munere, & Dei gratia: instituerat namq; Deus cõferre gratiã, & virtutes infusas animæ rationali, cõtinuò atq; cor
Ad secundũ pori infunderetur, & id ex dono suo. ¶ Ad secũ dum, de statu beatifico, respõdetur, cõcedendũ esse, quòd ex Dei visione clara, & aperta, natura li sequela sequitur amor: ex hoc verò nõ sequitur, quod charitas sit naturalis animæ nostrę; nã nõ prouenit ex principijs naturæ, sed ex lumine gloriæ, quod est donum Dei excellentissimum. Consimilẽ solutionẽ habet argumentum illud de Christo Dño. Nã dicendũ est, quòd illæ virtutes nõ erãt connaturales animæ Christi Dñi: nõ enim proueniebant ex principijs naturę intrinsecis, sed ex gratia vnionis, quæ est donũ su per omne donum. ¶ Vtrùm vero intellectus ha bens lumen gloriæ, naturaliter videat Deum; & habens charitatẽ, naturaliter amet Deum; sicut aqua calefacta naturaliter calefacit; hãc quæstio
Caiet. nẽ eruditissimè explicat Caiet. 1. p. q. 12. art. 5. dicẽs, quòd habens charitatem vt sic, naturaliter diligit Deum; nam non minùs naturaliter habi tus charitatis inclinat ad suum actum, quàm cæ teri habitus: cæterùm si sit sensus, quòd ex viribus naturæ, sine dono Dei, diligat Deum super omnia dilectione supernaturali, hæreticum est, & Pelagianum, condemnatum in concilio Mileuitano, & Arausicano. ¶ Sed adhuc contra pri mam conclusionem D. Thom. arguitur. Intelle ctus, id est habitus primorum principiorum, nu meratur inter virtutes intellectuales; & tamen non inchoatiuè, sed consummatè est habitus in ditus naturaliter: ergo non est vniuersalis cõclu sio D. Thom. Confirmatur: nam synderesis est etiam habitus perfectus primorum principio rum practicorum; & tamen est à natura inditus perfectè: ergo. Respondetur ad argumentum, primò concedendo maiorem, & negando mi norem: nam habitus primorum principiorum consummatur per aliquid acquisitum, scilicet per species intelligibiles abstractas à singularibus, vt docet Arist. Secundò respondetur, quòd non est inconueniens concedere, quòd aliqua virtus intellectualis sit nobis à natura consummata in sua specie, & essentia, quæ tamen non est virtus simpliciter quæ bonum facit habentem, neque vsum bonum. Ad confirmationem autem respondetur, quòd synderesis est habitus quidam intellectualis iudicatiuus circa vniuersalia principia, & necessaria: & isto modo est virtus intellectualis, sicut habitus primorũ principiorum speculatiuus. Potest secundò considerari synderesis vt est quidam habitus moralis, id est ad inclinationem bonam voluntatis ordinatus: & sic non est simpliciter virtus moralis, sed est inchoatio virtutis moralis, & veluti semen ad virtutes morales acquirendas. Et ratio huius est manifesta; quia virtus simpliciter moralis debet esse habitus cum ratione electiuus, vt iam in præcedentibus satis explicatum est: at verò sine prudentia nõ est perfecta electio: vnde sola synderesis non facit electionem; etiam præsuppositа bona intentione naturali voluntatis circa bonum secundum rationem in communi: quamobrem synderesis non habet rationem virtutis moralis simpliciter, sicut ipsa prudẽtia; licèt synderesis sit perfectior prudentia in ratione virtutis intellectualis, eò quòd est circa necessaria, prudentia verò circa contingentia. Item est alia ratio quare synderesis non sit virtus simpliciter dicta, seu moralis: quia bonum virtutis moralis consideratur circa particulares actiones, & circunstantias, quatenus virtus præstat facultatem sufficientem, ad vbiq̃, & semper rectè agendum: synderesis autem est per se facultas quædam ad bonum secundum rationem in cõmuni iudicandum, & ad faciendam bonam intentionem voluntatis ad bonũ virtutis in cõmuni.

Examinatur prior conclusio D. Thom. argum.

Confir.

Ad argum.

Aristot. 2. posteriorum.

Ad confir.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ Vtrùm aliqua virtus causetur in nobis ex assuetudine operum.

SVM-

SVMMA TEXTVS.

Prior cõcl. PRior cõcl. Virtutes quę ſũt ſecũdũ rationẽ naturalẽ, & quę nõ ſuperãt facultatẽ naturæ, acquirũt exercitio & aſſuetudine operũ. Hãc in argumento, ſed cõtra, probat D. Tho. Nã ex D. Dionyſ. 4. c. de diuin. nomin. bonũ fortius eſt quã malũ: ſed ex malis actibus cauſatur habitus vitiorũ: ergo multò magis ex actibus bonis poterunt actus virtutũ cauſari. In corpore verò eandẽ concluſionem explicat ex eo quòd bonum hominis cõſideratur ſecundũ quòd attingit debitã regulam: quę quidẽ duplex eſt; ſcilicet ratio humana, & lex diuina. Virtus autẽ quę ordinatur ad bonum hominis naturale, & regulatur ratiõe humana, poteſt ex actibus humanis cauſari, in quantũ huiuſmodi actus procedunt à ratione ſub cuius poteſtate & regula tale bonum conſiſtit. ¶ Poſterior concluſio. Virtutes quę ordinantur ad finẽ, rationẽ humanã excedentẽ, & quæ ordinãt hominem ad bonũ ſecundũ quòd modificatur per legẽ diuinã, nõ acquirũtur ex noſtris operibus, ſed ſolũ ex infuſione, & operatione Dei. Probatur ex definitione, quã ijs virtutibus adaptauit D. Aug. lib. 2. de libero arbitrio c. 18. & 19. vbi dixit; virtutẽ eſſe quã Deꝰ in nobis, ſine nobis operatur.

Dionyſ.

Poſte. cõcl.

Aug.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Vtrũ virtus infuſa poſſit eſſe cum peccato mortali. IN ſolutione ad ſecundũ inquit D. Tho. quòd virtus infuſa, præſertim ſi in ſua perfectione conſideretur, non compatitur ſecum peccatum mortale. Cõtra hoc eſt argumẽtũ. Fides & ſpes ſunt virtutes infuſæ, & tamẽ cõpatiuntur ſecum peccatum mortale: ergo. Reſpõdetur, quòd propterea D. Tho. dixit; maximè ſi in ſua perfectione cõſiderentur iſtæ virtutes infuſæ; quia ſciebat quòd in peccatore manet fides & ſpes, ſecũdum veram rationem habitus infuſi, nõ autẽ in ratione virtutis. Sed contrà. Sequitur quòd non ſit differẽtia inter virtutes acquiſitas, & infuſas, quantum ad hoc quòd ſecum cõpatiantur peccatum mortale, vel nõ cõpatiantur. Probatur ſequela: quia virtus acquiſita, adueniẽte peccato mortali amittit rationẽ virtutis, ex eo quòd non facit bonum habentem ſimpliciter, ſed tantùm manet in ratione cuiuſdam habitus acquiſiti. Ad hoc reſpondetur, quòd differentia inter virtutes infuſas, & acquiſitas, hæc eſt; quòd virtus infuſa, natura ſua ſequitur ex gratia infuſa: virtus autem acquiſita generatur ex actibus potentiarum naturalium; ex quo ſequitur, quòd peccatum mortale non ſit ſimul cum virtute infuſa, quantum eſt ex parte principij, & radicis ipſius virtutis infuſæ, quæ eſt gratia: vnde ſicut homo per peccatũ mortale amittit gratiã; nõ quia effectiuè corrumpat gratiã, ſed demeritoriè; ita etiã amittit omnes habitus virtutum infuſarũ, quantum eſt ex parte peccati demeritorij: & ita mereretur homo quòd Deus auferret ab illo omnes habitus infuſos, etiam fidei & ſpei, niſi Deus ſua miſericordia voluiſſet ſeruare habitum fidei infuſę, & ſpei, vt homo poſtea faciliùs cõuertatur: atverò virtus acquiſita ex noſtris actibus nõ corrumpitur demeritoriè, ſed efficienter; & nõ per vnũ actũ peccati mortalis; eò quòd habitus contrarius virtuti non introducitur per vnũ actum; & ita differentia poſita conſiſtit, quantũ eſt ex parte habitus infuſi, vel acquiſiti ſecundum modum generationis vtriuſq; habitus: aliunde tamen poteſt contingere quòd maneat fides etiã infuſa ſine gratia, & cum peccato mortali. Vtrũ autẽ ſint veræ virtutes in peccatoribus ſine charitate, in q. 65. art. 2. dicetur, vbi etiam explicabitur dictum Aug. quod eſt in primo argumento D. Thom. ſcilicet quod omnis vita infideliũ eſt peccatum. ¶ Præterea arguitur cõtra illud quod dicit D. Tho. in eadem ſolutione ad ſecundũ, videlicet eſſe quædã peccata mortalia, quæ homo ſine gratia nullo poteſt vitare modo; & hęc ſunt quæ directè opponũtur virtutibus theologicis. Videtur hoc falſum: nã poteſt homo qui ſemel recepit fidẽ, credere, & implere præceptũ fidei in peccato mortali exiſtens: ergo poterit vitare peccatũ contrariũ fidei ſine gratia. Itẽ, infideles negatiuè, ſcilicet qui nihil audierunt de Euangelio, non peccant peccatum infidelitatis, ſed excuſantur: ergo ſine gratia poteſt aliquis vitare peccatũ infidelitatis. Itẽ, ſi de facto audiat infidelis Euangelium, & credat; poteſt vitare peccatum infidelitatis ſine gratia: quia ſuppono quod vult manere in fornicatione, & recipit fidem; vitat etiam peccatum deſperationis, ſiquidem

Obiectio.

Solutio.

Vtrũ peccata cõtra virtutes theologicas, vitari poſsint ſine gratia. Argum.

quidem non deſperat: & peccatum odij, quod directè opponitur charitati; & tamẽ eſt ſine gratia. ¶ Reſpondetur, quod D. Tho. explicationẽ huius aſſerti remiſit ad ea quæ dicenda ſunt in materia de gratia; nũc autem breuiter dicimus, quòd nomine gratiæ non intelligimus neceſſariò gratiam gratum facientem, ſed poteſt intelligi gratuitum Dei auxilium, ſine quo nemo poteſt credere; & ad vitandum peccatum infidelitatis eo tempore quo tenetur homo credere, eſt neceſſarium auxiliũ ſupernaturale pro illo tempore quo tenebatur recipere Euangelium. Cęterùm de ſpe & charitate non videtur eſſe eadem ratio: nam poteſt quis non ſperare actu, nec diligere Deum actu, quando ſibi primò proponitur Euangelium, & tamen homo nõ propterea deſperat, vel odio habet Deum; ergo ſine gratia auxilij ſupernaturalis vitat odium Dei, & deſperationem. Poſſumus autem ſecundò reſpondere, quòd D. Tho. intellexit per peccata quæ cõtrariantur virtutibus theologicis directè, non ſolũ illa quę poſitiuè contrariantur, ſicut deſperatio, & odium; ſed etiam illa quæ opponuntur per omiſsionem actus virtutis theologicæ; per quã quidem omiſsionem directè tranſgreditur homo præceptum affirmatiuum charitatis & ſpei; quod quidem homo non poteſt vitare ſine gratia Dei vel auxiliante, vel gratum faciente.

Solutiões.

Caiet.

¶ Circa ſolutionem ad tertium notat Caietan. quomodo D. Thom. innuerit, quòd in omni generatione virtutis ſemper eſt nobilius generans virtutem, quàm ipſa virtus. Sed tamen nos aduertimus, quòd iſta nobilitas non eſt ſemper in genere cauſæ vniuocæ; nam ſyndereſis aliquid nobilius eſt quàm prudentia; & tamen ſyndereſis nõ habet rationem virtutis ſimpliciter dictę, quæ bonum facit habentem, cùm ſit in homine vitioſo valde; ſed eſt aliquid nobilius in genere intellectualis habitus, inditus ab autore naturæ, qui quidem ſimul cum naturali inclinatione voluntatis ad bonum ſecundum rationem in cõmuni poteſt cauſare habitum virtutis per actus inchoatos cum aliqua difficultate à potentijs naturalibus.

ARTIC. TERTIVS.

¶ *Vtrùm aliquæ virtutes morales ſint in nobis per infuſionem.*

SVMMA TEXTVS.

Concluſio.

AFfirmans eſt concluſio; cuius ratio eſt: quoniã ſicut virtutes morales, & intellectuales, quę ex noſtris actibus acquiruntur, procedunt ex quibuſdam principijs naturalibus in nobis præexiſtẽtibus; ita diuinitus infunduntur nobis quędam alię virtutes ad finẽ ſupernaturalẽ; quę ita ſe habent ad virtutes theologicas, ſicut morales, & intellectuales ad principia naturalia virtutum. Nam virtutes theologicæ nos ordinant ſufficiẽter in finẽ ſupernaturalem ſecundùm quandam inchoationem ad ipſum Deũ immediatè; ſed per alias virtutes infuſas perficitur anima circa alias res, in ordine tamẽ ad ipſum Deũ.

EXPLICATIO ARTICVLI.

DE quæſtione huius articuli diſputãt doctores in 3. d. 33. & Sco. d. 36. q. vni. ar. 3. ſub dubio relinquit hãc quæſtionẽ. Durã. verò d. 33. q. 6. vehementer affirmat iſtas virtutes eſſe otioſas, & de medio tollendas: & probat. ¶ Nã iſtæ virtutes infuſæ non ſunt neceſſariæ ad vitã Chriſtianã: ergo ſuperfluæ. Antecedens probatur: nã per virtutes theologicas ſufficiẽter ordinamur in finẽ ſupernaturalẽ; in media verò ſufficiẽter ordinamur per virtutes humanitus acquiſitas, quatenus à charitate ordinãtur, & referuntur in finẽ ſupernaturalẽ. ¶ Secundò, virtus moralis infuſa, & acquiſita, in hoc potiſsimè diſtinguuntur, quòd infuſa operatur circa bonũ diuinum; acquiſita verò circa bonum humanę rationi cõforme: cùm ergo à charitate iſtę virtutes referãtur in bonũ diuinũ, alię virtutes otioſę ſunt. ¶ Præterea, ſi virtutes morales eſſent ponẽdæ, eſſent præſtantiores quàm virtutes acquiſitæ: ſed hoc falſum eſt: ergo. Maior probatur: nã ſunt diuini ordinis, & ex Dei munere veniunt: ea verò quæ Deus immediatè operatur, ſunt præſtãtiora ijs quæ intermedijs cauſis operatur: ſicut patet in miraculo de vino Ioan. 2. & in ſanitatibus quas perficiebat Dñs Ieſus. Minor probatur: nã puer baptizatus, cui ſecundum iſtam ſententiã, iſtæ virtutes infuſæ infunduntur, cùm peruenit ad vſum rationis, magnam difficultatem ſentit in operibus virtutum, quam nõ ſentiret ſi haberet virtutes acquiſitas. Idem dicendũ eſt de adulto; cui, cùm iuſtificatur, infunduntur omnes iſtę virtutes deſuper, qui tandem ſentit multam difficultatem in operando, quam non ſentiret ſi haberet virtutes acquiſitas. Quartò, ſit homo nequam, & in ſceleribus multùm verſatus, ſi conuertatur ad veram pœnitentiam, iſte adhuc habet

Scot.

Durand.

Argum. contra concluſionem.

Prim. argu.

Secundum.

Tertium.

Ioan. 2.

Quartum.

habet habitum intemperantiæ, & iniustitiæ; nam per vnum actum non dissipantur habitus præcedentes: ergo nō habet per infusionem, tē perantiam, & iustitiam; nā isti habitus repugnāt inter sese, & manifestè contradicunt. ¶ Vltimò, fortitudo, & temperantia infusæ, vel cōstituuntur ad moderandas passiones tātùm; vel ad moderandas passiones propter finem supernaturalem. Primum dici non potest: nā virtutes acquisitæ moderantur sufficienter passiones: nec verò secundum: nā ad hoc officium satis est fides, aut charitas, quæ virtutes acquisitas in finem supernaturalem referant. ¶ In huius rei expositione est prima propositio. Adeò est cōsentaneum sanctis scripturis, cōcilijs, & patribus, esse virtutes morales diuinitus infusas, vt eas negare sit in gēs temeritas. Hæc cōclusio demōstrata fuit suprà q. 51. arti. 4. cùm de habitibus infusis ageremus. ¶ Secunda propositio. Certum est secundum fidē catholicā, quòd est aliqua virtus moralis infusa, prēter virtutes theologicas: nā pœnitētia nō est virtus theologica, sed moralis, vt apertè cōstat: hanc autē docet fides catholica nō posse haberi, nisi ex munere, & inspiratione diuina. ¶ Tertia cōclusio. Videtur mihi certum secundum fidē catholicā, quòd prudētia, religio, cōtinentia, sint virtutes infusæ. De prudētia sic ostēdo ex illo Psal. Qui docet hominē scientiā. & iterum: Beatus quē tu erudieris Domine. & Iaco. 1. Qui indiget sapientia, postulet à Deo. & ad Ro. 8. Prudētia carnis, mors est; prudētia spiritus vita. Et est euidēs ratio: nā prudētia de præceptis supernaturalibus seruādis nō potest esse humanitus acquisita; ergo est infusa. De religione verò sic demōstro: nā Rom. 8. dicit Paul. Nō accepistis spiritum seruitutis in timore, sed accepistis spiritum filiorum, in quo clamamus, Abba pater. Et idem ad Galat. 4. & Rom. 8. iterum dicit. Nā quid oremus, nescimus sicut oportet, sed ipse spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Et Apostoli dixerunt; Doce nos orare. Ex quo cōsequens est, quòd religio quæ docet nos orare, virtus infusa est. De cōtinentia verò quòd sit virtus infusa, est insigne testimonium Sap. 8. Cognoui optimè quòd nemo potest esse cōtinens, nisi tu dederis. Propter quod dicebat Augustinus. Continentiā iubes; da quod iubes, & iube quod vis. ¶ Quarta cōclusio. Quòd sint virtutes morales infusæ, est multum cōsentaneum diuinæ Theologiæ, & rationi. Rationes ad istā cōclusionē demonstrandā sunt optimæ. In primis ea, quā adducit S. Tho. in art. quē legite. Secunda ratio est; quoniā medium quod eligit virtus infusa, tota ratione est distinctū à medio quod eligit virtus acquisita: ergo requirit diuersam virtutē. Probatur antecedēs; tū, quoniā tēperantia acquisita eligit temperatè comedere ad tuēdā valetudinē, sicut ratio humana dictat; infusa verò eligit tēperatè comedere, vt corpus subdatur spiritui propter regnum cœlorū. Certè alia ratione sunt tēperati & fortes philosophi, & alia ratiōe Christiani martyres: propter quod dicit D. Cypri. in sermone de cœna Domini; Nec terreant crucifixi heredes mortis supplicia, sed potiùs pascant, & reficiant maturatæ resurrectionis gratulabunda solemnia. Tum verò, quoniā medium quod eligit temperantia acquisita, est cōsentaneum rationi humanæ: medium verò tēperantiæ infusæ videtur stultitia, si ratione humana examinetur: propter quod dicit Paul. Animalis homo non percipit quæ Dei sunt: stultitia enim est illi quod spiritualiter examinatur. Tertia ratio est, quoniam per virtutes acquisitas operatur homo vt filius huius seculi; per virtutes verò infusas operatur vt filius alterius seculi, & cœlestis Hierusalem: quantum distant istæ respublicæ inter sese, tantum inter sese virtutes discernuntur. Quarta ratio est; nam virtutes morales permanent in patria cœlesti, vt docet Augu. & omnis Theologorum sententia; ergo si puer repentè baptizatus ab hac vita demigret in patriam cœlestem, habebit virtutes morales; nō acquisitas: ergo infusas. Vltima ratio est; nam fides supernaturalis non solùm docet veritates supernaturales, sed etiam naturales: nam scientia rerū naturaliū nō potest haberi à nobis, nisi per lōgū temporis spatium, & admixta multis erroribus: ergo Deus non solùm infundit virtutes theologicas circa bonum supernaturale, sed etiam virtutes morales circa bonum morale: nam istę virtutes morales acquiruntur per multum temporis spatium, & admixtæ multis erroribus. Et cōfirmatur: nam multi publicani, & multæ meretrices subitò in religione Christiana facti sunt in omni genere virtutum perfecti, vt cogamur dicere; hæc mutatio dexteræ excelsi: ergo euidens argumentum est quòd infunduntur diuinitus. ¶ Ad argumenta, & ad primum negatur antecedens: imò sunt necessariæ multis titulis, quos cōmemorauimus in probationibus quartæ conclusionis. Ad probationem in cōtrarium respondetur, quòd licèt charitas possit referre, & multoties referat virtutes humanas in finem suum, hoc est multùm remotè, & cum magna difficultate: nam actus virtutum acquisitarum sunt improportionati ad finem supernaturalē; oportet ergo constituere virtutes infusas, quæ sunt instrumenta proportionata ad finem supernaturalem. Itaque sicut fides, prudentia, & finis sunt supernaturalia; ita virtutes sunt supernaturales; maximè cùm istæ virtutes infusæ versentur in multis casibus, ad quos humana prudentia non se extendit.

¶ Ad secundum argumentum eadem est adhibenda

Vltim.

Temerariū est negare virtutes morales infusas.

Pſal. 93. Iac. 1.

Rom. 8.

Rom. 8.

Gal. 4.

Sap. 8.

Aug.

Cyprian.

1. Cor. 2.

Aug.

Arg. solu. Ad primū.

Ad secundū

Ad tertium hibenda solutio. ¶ Ad tertium argumentum concedo quòd sunt multò perfectiores. Et ad D.Thom. probationē in cōtrarium dicēdum est cū D.Th. 3.p.q.69.ar.4.ad 3.quòd virtutes infusæ perfectiùs inclināt potētias ad suosactus; sed quia gratia, & baptismus nō auferunt impedimēta fomitis, & passionū, & cōcupiscentiæ, hinc prouenit quòd homo baptizatus, cùm peruenit ad vsum rationis sentit multā difficultatē. In virtutibus verò acquisitis cōtrà se res habet: nā cōsuetudine, & exercitio victa sunt contraria; & ideo homo studiosus facilè & iucundè operatur. Vnde dico, quòd virtutes infusæ in anima nostra, sunt sicuti arma Saulis, quibus Dauid nō potuit occidere Philisthæum, quē postea occidit in funda, & lapide: certè virtutes infusę nō adeò cōgruunt naturæ humanæ. Profectò si argumētum Durā di aliquid valeret, probaret etiā quòd puer baptizatus nō habet fidē infusam: nā cum peruēnit ad vsum rationis, sentit magnā difficultatē in credēdo. De cōfutatione huius argumenti vi D.Thom. de D.Tho. in q. de virtutibus in cōmuni, art. 10. Ad quartū. ad 14. & 15. argumētum. ¶ Ad quartū argumētū respōdetur, cp cū homo iustificatur, incipiūt lā guescere vitia, & habere statum dispositionis: dispositio verò bene potest esse simul cum habitu perfecto. Deinde dicēdum est, nō esse incommodū quòd cōtraria in gradibus remissis simul existāt. Vltimò dico, quòd virtutes infusæ non Ad vltimū. sunt eiusdem speciei cum virtutibus acquisitis, quibus cōtrariantur habitus vitiosi. ¶ Ad vltimū respōdetur, quòd virtutes infusæ sunt necessariæ; tum, ratione obiecti; nā obiectum virtutis infusæ distinctum est ab obiecto virtutis acquisitæ, vt statim explicabitur: tum verò, ratione medij, & ratione finis, sicut suprà expositum est.

Vtrū fortitudo & tēperantia infusę sint in appetitu sensitiuo. ¶ Est aliud dubiū; vtrùm fortitudo, & temperātia infusæ, cōstituantur in appetitu sensitiuo; an potiùs in voluntate. Videtur hoc vltimum esse tenendum. Nā istæ virtutes versantur circa bonum diuinum, & supernaturale, quod sensu cō Argum. prehendi nō potest, & cuius appetitus sensitiuus Confir. capax nō est. Cōfirmatur: nam nulla potētia potest eleuari extra latitudinem sui obiecti: sed obiectum appetitus sensitiui est bonum sensibile: ergo nō potest eleuari ad bonum diuinum, & supernaturale: ergo nō indiget ijs virtutibus vt ad hoc bonū determinetur. His nō obstātibus, veritas est, quòd istæ virtutes in appetitu sensitiuo cōmorantur: nā fortitudo infusa ponit mediū supernaturale inter audacias, & timores; quę sunt in appetitu sensitiuo. Rursus, temperantia infusa constituit medium supernaturale inter delectationes carnis, cibi, & potus; quæ in appetitu sensitiuo sedē habent. Ex dictis patet, quòd istæ virtutes versantur circa bonum sensibile, sed supernaturale, & planè diuinum.

ARTIC. QVARTVS.

¶ Vtrùm virtus acquisita sit eiusdē speciei cum infusa.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Concluſio est negans, quam D. Thom. probat hac ratione. Habitus distinguuntur specie secundum speciales, & formales rationes obiectorum: virtutes autē infusæ habent diuersam rationem ab acquisitis; cū illarū bonū regula diuina modificetur; harū verò, regula rationis: differūt ergo specie. Deinde alia ratione habitus etiam specie differūt secundū ea ad quæ ordinantur: non enim est eadē species, sanitas hominis, & equi, propter diuersas naturas ad quas ordinātur: secundū quē modū dixit Arist. Arist. 3. polit. c. 3. diuersas virtutes ciuium esse, secūdum quòd ad diuersas politias bene se habent: & secundum istā rationem etiā virtutes infusæ ab acquisitis differunt specie; quoniam per illas bene se habent homines ad hoc vt sint ciues sanctorum, & domestici Dei: per has autem optimè se habent ad res humanas.

EXPLICATIO ARTICVLI.

In hoc articulo sciēdum est, quòd Marsyl. in 4. q. 10. posit quintā con Marsyl. clusionē, negat conclusionem D. Tho. & dicit, quòd istę virtutes infusæ nō distinguūtur specie à virtutibus acquisitis. Ex quo statim infert, cp si homo adultus, præditus virtutibus moralibus baptizetur, nō habet per infusionē virtutes morales; nā sunt eiusdem speciei cū acquisitis: & duo accidētia solo numero differētia, in eodē subiecto existere nō valēt: sed quoniam paruuli cùm baptizātur, carēt virtutibus acquisitis, quas nisi longo tempore cōparare non possunt, propterea Deus qui dat omnibus affluenter, infundit illis virtutes infusas, quas longo tempore comparare debebant; sicut infudit Adamo vniuersas rerum scientias.

Et

Et adducit in huius rei confirmationem similitudinem non ineptam. Sicut, inquit, fides nó solùm ostendit veritates supernaturales, sed etiam veritates naturales, quòd Deus sit vnus, immutabilis, quas homo lógo tempore addiscere debebat: ergo Deus non solùm infundit virtutes supernaturales, sed etiã morales, quas homines longo tempore comparare debebant. Sed hæc sententia est falsa nimis, & sententia D. Th. vera valde. Nam ex sentẽtia Marsylij sequitur quòd istæ virtutes infusæ non corrumpuntur, corrupta charitate per vnum peccatum mortale, sicuti nec acquisitæ: quod asserere, falsum est, & contra omnes ponentes virtutes infusas. Et videtur esse contra diuinam Theologiam: nam secundum diuinam Theologiam homo peccator est imprudentissimus: ergo non habet prudentiam infusam: rursus ergo non habet virtutes infusas. Deinde sequitur ex ista opinione, quòd quando puer baptizatus peruenit ad vsum rationis, & dat operam virtutibus acquirendis, istæ virtutes acquisitæ corrumpant virtutes infusas; nam cùm sint eiusdem speciei, non possunt esse simul in eodem: vel saltim sequitur, quòd non acquirantur virtutes acquisitæ: quod est contra euidentem experientiam. Vltimò, prudentia infusa differt specie à prudentia acquisita, vt constat sine probatione; ergo virtus infusa differt specie ab acquisita. Ad idem demonstrandum valent omnia argumenta quæ adducta sunt in superiori articulo: insuper valent rationes euidentes huius articuli. Ex hac doctrina sequitur, quòd actus virtutis acquisitæ, & infusæ, differũt specie; siquidem virtutes specie differunt.

Vtrũ virtutes infusæ augeantur per suos actus effectiuè.

¶ Sed in hoc articulo dubitari solet; Vtrùm per actus elicitos à virtutibus infusis, augeantur ipsæ virtutes, non solùm per modum meriti, sed etiam vt à causa efficiente: quæ quæstio, quamuis suprà sit ex parte agitata, nũc plenè examinabitur. Argumentor primò pro parte affirmatiua. Homo efficienter concurrit ad productionẽ gratiæ iustificantis: ergo ad habitus qui consequuntur gratiam. Patet consequentia: nam qui dat formam, dat ea quæ consequuntur ad formam. Et probatur antecedens. Homo efficienter concurrit ad actus fidei, spei, & charitatis, & contritionis: ergo ad gratiam ipsam. Antecedens patet; quia illi sunt actus vitales. Probatur consequentia: quia illi actus sunt vltima dispositio ad gratiam iustificantem: ergo si homo attingit ad vltimam dispositionem, efficienter concurret etiam ad ipsam formam saltem introducendam in subiecto; quemadmodum homo dicitur generare hominem, & attingere efficienter ad vnionem animæ cum corpore; quia attingit ad ipsam vltimam dispositionem ad formã.

Primũ arg.

Secundum.

¶ Secundò arguitur. Esto ita quòd illi habitus à solo Deo infundantur vt à causa efficiente; tamen postquã homo iam est perfectus cum ipsa gratia, & virtutibus, nihil obstat quo minus per actiones proprias procedentes à virtutibus ipsis infusis, efficienter augeat ipsas virtutes infusas. Quod probatur à simili dupliciter: primò; nã quamuis homo non possit mereri suã iustificationẽ, tamen secundũ fidem est certum, quòd postquã homo est iam perfectus per gratiam, & virtutes, potest mereri augmentũ gratiæ, & virtutũ: ergo pari ratione & si non possit efficere gratiã, & virtutes efficienter, poterit tamen efficere augmentũ gratię, & virtutũ. Itẽ probo alio simili in naturalibus: nã quamuis homo nõ possit esse causa efficiens suę generationis, potest tamen esse causa efficiens sui augmenti: ergo pari ratione quamuis homo non possit esse causa efficiens suæ generationis spiritualis, poterit tamẽ esse causa efficiẽs augmẽti in isto esse spirituali.

Tertium.

¶ Tertiò argumẽtor. Homo effectiuè cõcurrit ad suã beatitudinem, quę cõsistit in visione Dei; quæ quidẽ est ab intellectu creato, informato lumine gloriæ, tanquã à principio effectiuo; ergo poterit concurrere effectiuè ad gratiã, & ad augmentũ eius, & etiã ad ipsos habitus virtutũ augendos. Probatur cõsequentia: quia gloria est gratia cõsummata: ergo si ad gratiã consummatã cõcurrit homo effectiuè, multò magis poterit concurrere ad gratiam initiatã, & imperfectam.

Quartum.

¶ Quartò arguitur. Ablutio baptismalis aquę efficiẽter cõcurrit ad gratiã efficiendã, vel augendã in virtute Spiritus sancti principalis agentis: ergo actus charitatis multò meliùs poterit concurrere efficienter ad augmentum gratiæ, & virtutum in virtute Spiritus sancti agentis principalis. Probatur consequentia: quia talis actus nõ est minus, sed magis aptus vt eleuetur ad talem efficientiam supernaturalem. Ad cuius rei maiorẽ intelligentiã sit prima cõclusio.

Prim. cõcl. Sententia autoris.

¶ Non est error asserere quòd homo efficiẽter cõcurrit mediantibus actibus liberi arbitrij ex diuino auxilio ad gratiã, & virtutes producẽdas, & augẽdas. Probatur primò: quia nõ datur aliquis locus, aliqua autoritas, vel ratio ad ostendendũ hunc esse errorẽ. Secundò; quia in concilijs, & in scripturis sacra, & sanctis, solũ negatur meritũ nostrum ad iustificationẽ, & infusionẽ gratiæ; nõ autem negatur efficientia, ita vt oppositũ sit error. Tertiò, quia in Concilio Trident. Sess. 6. cap. 5. dicitur, quòd iustificatur homo assentiendo liberè gratiæ Dei mouentis, & cooperando disponitur: & quòd homo nonnihil agit recipiendo diuinam inspirationem. Et canone 4. anathematizatur qui dixerit liberum arbitrium hominis nihil cooperari, sed merè passiuè se habere ad iustificationem: non igitur alienum est omnino à sana doctrina, aliquam efficientiam

Cõcil. Trid.

tiam liberi arbitrij ad infusionem gratiæ ponere. Neq; tamen definitio concilij ita accipienda est, quòd motus liberi arbitrij efficiat iustificationem, vel infusionem gratiæ; sed sensus est, quòd illa efficientia, siue cooperatio liberi arbitrij est necessaria, tanquam dispositio ad ipsam
Secũd, cõcl. gratiam, & iustificationem. ¶ Secunda cõclusio. Nihilominus aliquid habet temeritatis affirmare, quòd nos efficienter concurrimus ad generationem virtutum supernaturalium, scilicet fidei, spei, & charitatis. Probatur ex definitione Aug. quę acceptatur ab oĩbus Theologis scholasticis; quam Deus in nobis sine nobis operatur; id est, sine nobis efficientibus, non sine nobis consentientibus. ¶ Tertia conclusio. Asserere quòd augmentum virtutum istarum sit à nobis efficienter, sicut meritorie, nihil habet temeritatis. Patet: quia D. Aug. non negauit in sua definitione quòd nos efficienter possimus augere virtutes; sed quòd possimus generare. ¶ Quarta conclusio. Per diuinam potentiam fieri potest vt actus humani assumantur à Deo vt instrumenta effectiua gratiæ, & virtutum, & augmenti ipsarum. Probatur: quia de facto assumuntur ad talem efficientiam sacramenta, quæ sunt res sensibiles corporales: ergo possunt assumi actus humani.

Tert cõcl. Non est temerariũ dicere virtutes infusas augeri à nobis efficienter.

Quar. cõcl.

D. Thom. Confirmatur ita esse; quia D. Tho. 3. p. q. 89. ar. 1. ad primum docet, quòd ipsa pœnitentia, secũdum quòd est pars sacramenti, effectiuè est causa gratiæ, & iustificationis; & tamen ipsa contritio est actus humanus; & cõfessio, & satisfactio.

Quin. cõcl. ¶ Quinta conclusio. De facto Deus non assumit actus nostros vniuersaliter, vt sunt actus virtutis, sicut instrumenta ad efficiendũ habitũ, vel augendum. Et quidem quòd nõ ad efficiendũ, patet ex Aug. definitione, quam Deus in nobis, sine nobis operatur: ergo non concurrimus instrumentaliter cum ipso Deo ad infusionem gratiæ, & virtutum. Probatur: quia aliàs non verificaretur, quòd Deus in nobis, sine nobis operatur, sicuti non verificatur quòd Deus sine sacramento iustificat paruulum, eò quòd sacramentum est causa efficiens instrumentalis: at quòd nec ad augmẽtum cõcurrant actus nostri vt instrumenta, dicetur ad quartum. ¶ Sexta conclusio. Non est possibile, vt homo, vel angelus, de potentia Dei absoluta sit causa principalis gratiæ effectiua, & virtutũ supernaturaliũ. Et notãdũ pro explicatione huius conclusionis, quòd causa principalis dicitur illa, quę agit per propriã formã, per quã est in actu, & cui assimilatur effectus; quãuis ad talẽ actionẽ cõcurrat alia causa superior. v. g. ignis est causa principalis ad generandũ ignẽ, etiam si sol sit causa principalior, & Deus principalissima. Secũdò notandũ, esse impossibile vt effectus sit perfectior causa sua secũdum quòd ab illa procedit; potest tamẽ effectus

Sext. cõclu.

Causa principalis quæ sit.

esse perfectior sua causa instrumentali; sicut imago perfectior est ipso penicillo. His suppositis, demonstratur sexta conclusio. Omnis causa efficiens agit in quantum est in actu per propriã formam cui assimilatur effectus: sed nullus homo vel etiam angelus potest esse in actu per aliquam formam cui assimiletur effectus, qui est habitus gratiæ, vel charitatis: ergo &c. Probatur minor. Habitus gratiæ non præsupponit aliam formam in homine, nisi naturam rationalẽ quę se habet vt subiectum capax gratiæ: ergo nulla forma potest præcedere quæ sit principium efficiens gratiæ. Et si dicatur, quòd aliam formã potest Deus conferre homini ante gratiam, quę sit primum principium efficiens gratiæ. Contrà. Nulla forma est creabilis, quæ nõ sit gratia Dei, quæ possit esse tam bona, sicut gratia. Probatur: quia gratia est, per quàm efficimur formaliter participes diuinæ naturæ, & filij Dei adoptiui; ergo nulla forma poterit esse quæ magis nos eleuet, vel æqualiter cũ ipsa gratia: solus ergo Deus potest esse causa principalis efficiens gratiæ, & virtutum quæ gratiam consequuntur: creatura verò poterit assumi sicut causa instrumentalis, sicut ipsa sacramenta assumuntur. ¶ Sed contra hoc est argumentum. Anima Christi est causa efficiens nostræ gratiæ, per gratiam quam habet habitualem cui assimilantur ipsi gratificati: ergo est causa principalis, licèt secundaria. Respondetur ad hoc primò, quòd nostra propositio intelligitur ità, quòd nulla creatura in seipsa potest efficere gratiam. Secundò respondetur, & meliùs, quòd anima Christi, siue Christus in quantum homo, id est, secundum humanitatẽ perfectam omnibus gratijs infusis, non est causa principalis nostræ gratiæ efficiens, sed instrumentalis, & ministerialis; quanquàm sit excellẽtissimum instrumentum, secundum quòd est coniunctum verbo Dei personaliter. Hæc doctrina patet ex D. Thom. in 3. p. q. 64. arti. 3. cuius ratio est: quia ipsa gratia, & virtutes infusæ non sunt secundum speciem suã effectiuę qualitates per actionem transeuntem alterius gratiæ, vel aliarum virtutum similium in altero subiecto: nam si hoc illis conueniret secundum propriam speciem, vbicunque essent, possent eundem effectum operari; sicut calidum efficit calidum in subiecto receptiuo caloris; ita homo gratus posset alium gratificare; ergo gratia habitualis Christi habet efficere nostram gratiam, sicut instrumentum verbi diuini; sicut & ipsa humanitas Christi cui inhæret gratia. Ex quo sequitur vnum corollarium notandũ, quòd gratia non facit nos immediatè, & per se primò similes ipsi Christo, sed Deo, cuius diuinæ naturæ sumus participes per gratiam, & hęredes Dei, cohæredes autem Christi; erit tamen Christus

Obiectio.

Solutio.

D. Thom.

Corollar.

Dom-

Dominus cauſa exẽplaris noſtræ iuſtificationis; quemadmodũ ſi faber ferrarius vno malleo vtitur ad faciẽdũ aliũ ſimilẽ; tũc malleus ille quo vtitur vt inſtrumentũ, nõ eſt cauſa efficiẽs principalis alterius mallei; & quãuis malleus effectus euadat ſimilis priori malleo, hoc eſt per accidẽs, quãtũ attinet ad efficientiã ipſius inſtrumenti ꝓpriã; ſed euadit ſimilis, quia vterq; aſsimilatur ideæ quæ eſt in mẽte artificis. Potuit tamẽ ipſe artifex cõſiderare malleũ prẽexiſtẽtẽ vt quoddã exẽplar alterius fabricã di, & ita malleus præexiſtẽs, ſecundùm q̃ erat in mẽte artificis, eſt cauſa exẽplaris; & per hũc modũ Chriſtus Dñs, in quantũ homo, non ſolùm habet miniſteriũ excellentiæ, ſed eſt vera cauſa exẽplaris, quatenus Deus intẽdit nos illi aſsimilari, & conformes fieri imaginis filij ſui, vt ipſe ſit primogenitus in multis fratribus. Præterea, Chriſtus eſt cauſa moralis noſtrę iuſtificationis; & nõ tantùm inſtrumentalis, ſed cauſa meritoria principalis noſtræ iuſtificationis, quo pacto nos ſumus cauſa principalis meritoria augmenti gratiæ, & virtutũ. Præterea probatur eadẽ propoſitio à ſimili. Homo nunquã potuiſſet acquirere ſciẽtiã & virtutes, niſi in hominis natura præexiſteret aliqua forma, quæ ſit principiũ ſufficiẽs vt per exercitiũ põtẽtiarũ acquiratur ſcientia vel virtus, vt præcedit habitus primorũ principiorũ, & ſyndereſis ad acquirendam ſciẽtiã, & virtutes: ergo nullo modo homo poteſt acquirere gratiã, & virtutes ſupernaturales per ſuos actus efficiẽdo habitus. ¶ Septima cõcluſio. Neq; etiã ad augmẽtũ gratiæ, & virtutũ infuſarũ poteſt homo cõcurrere vt cauſa efficiẽs principalis. Probatur primò; quia ſecũdũ Ariſt. habitus augẽtur per eoſdẽ actus, ex quibus generãtur: ſed nõ poſſunt generari per noſtros actus: ergo nec augeri. Secũdò ſic, habitus primorũ principiorũ, tã ſpeculatiuus, quã practicus, nõ põt augeri per noſtros actus, eò q̃ ſunt inditi ab ipſo autore naturæ: ergo nec habitus infuſi; quia ſunt inditi ab ipſo autore gratiæ. Tertiò probatur: nã habitus infuſus ſi augmẽtũ recipit, neceſſe eſt vt præexiſtat ſaltẽ prius natura, aliqua forma quæ ſit principiũ efficiẽs tãti augmẽti: ſed nulla talis poteſt in nobis præcedere reſpectu habitus augẽdi: ergo à nobis efficiẽtibus non poteſt augeri habitus infuſus. Probo minorẽ: nã ſi qua forma præcederet ſufficiẽs, illa eſſet gratia habitualis: ſed illa nõ eſt ſufficiẽs; quia ipſa met eſt augẽda: ergo nõ poteſt eſſe principiũ efficiẽs talis augmẽti. Colligamus ergo quòd ſolus Deus, aut Chriſtus Dñs, in quãtũ Deus, eſt cauſa principalis efficiẽs ipſius habitus, gratiæ, & virtutũ ſupernaturaliũ, & augmẽti earũ dẽ virtutũ: nos autẽ per noſtros actus mereri poſſumus augmentũ gratiæ, & virtutũ, veluti cauſæ morales principales, de quo merito infrà. q. vltima dicẽdũ eſt. ¶ Ad argumẽta reſpõdetur, ad primũ, negãdo antecedẽs. Et ad probationẽ negatur cõſequẽtia: & ratio eſt; quia illi actus noſtri nihil producũt, ſed ſunt diſpoſitiones in genere cauſæ materialis ad recipiẽdã gratiã. Item, quãuis nos efficiẽter concurramus ad illos actus, & illi ſint vltima diſpoſitio ad gratiã; tamẽ nõ ſequitur inde; ergo cõcurrimus efficiẽter ad diſpoſitionẽ ad gratiã: ratio eſt; quia illi actus nõ ſunt diſpoſitiones ad gratiã, vt ſunt à nobis, ſed quatenus ſunt ab ipſo Deo, & ad gratiã ordinãtur ab ipſo. Cuius ratio eſt; quia nos nõ habemus aliquã formã, vel eſſentiã per quã poſsimus tribuere noſtris actibus vt attingãt ipſam gratiã, vel vnionem eius ad animã: quia ipſa gratia, vel vnio eius ad animã, aliquid excellẽtius eſt quàm quæcũq; alia forma, quæ in nobis prẽintelligitur exiſtere. Neq; illud ſimile, de homine attingẽte vnionẽ animæ ad corpus per generationẽ, aliquid cõcludit: quia homo generans eſt actuatus per animã rationalẽ, in cuius virtute producit diſpoſitiones ſufficiẽtes ad vnionem animæ ad corpus; & ita homo generat hominẽ. Ita etiã in generatione ſpirituali, Deus ſolus eſt pater noſter, ſicut cauſa efficiẽs; quia eſt Deus per eſſentiã, & poteſt generare Deũ per eſſentiã, ſcilicet filiũ naturalẽ, & Deos per participationẽ, ſcilicet adoptiuos filios per gratiã adoptionis. ¶ Ad ſecundũ patet quid dicẽdũ ſit ex doctrina ſeptimæ cõcluſionis. ¶ Ad tertiũ reſpondetur negãdo cõſequentiã. Et ad probationẽ reſpõdetur, q̃ beatitudo, ſiue gloria, dicitur gratia cõſummata, nõ idẽticè, ſed cauſaliter: quia eſt cõſummatio gratię: itẽ, quia beatitudo ipſa eſt eſſentialiter noſtra operatio, & ideo debet eſſe efficienter à nobis: at verò gratia pertinet ad ipſum eſſe diuinũ; quare nõ põt eſſe efficiẽter à nobis. ¶ Ad quartũ reſpõdetur, q̃ probat quartã cõcluſionẽ noſtrã: quòd autẽ de facto Deus nõ aſſumat actus noſtros vt inſtrumẽta ad augmentum gratiæ, quod in quinta cõcluſione diximus, non aliũde poteſt probari, niſi quia hoc dependet ex libera volũntate Dei, & non reuelauit nobis ſe ita facere: neq; ratione Theologica id poteſt colligi, niſi de ſola cõtritione, vel cõfeſsione vt ſunt partes ſacramenti pœnitẽtiæ. Neq; tamẽ ſi de facto eſſemus inſtrumẽta per actus noſtros ad efficiẽdum augmẽtũ gratiæ, eſſet magna dignitas hominis; cùm hoc ipſum de facto cõmunicetur ipſis ſacramẽtis: Verũ eſt tamẽ, quòd eſſe inſtrumẽtũ cõiunctum hypoſtaticè verbo Dei, eſt magna dignitas: & tale inſtrumentũ eſt ſanguis Chriſti, & humanitas eius per vnionẽ ad verbum.

De augmẽti cauſa in virtutibus.

Ari. 2. Ethi.

Soluuntur argumẽta. Ad primũ argu.

Ad ſecũdũ & tertium.

Ad quartũ.

¶ Deniq; in hoc art. circa id quod dicit D. Th. quòd diuerſę ſunt virtutes ciuiũ ſecũdũ quod bene ſe habẽt ad diuerſas politias, vide quę ſuprà diximus. q. 60. ar. 3. ad. 2. vbi explicatũ eſt, q̃ virtus moralis ſecũdũ quòd à iuſtitia legali imperatur, accipit nomen iuſtitiæ legalis. Sed difficultatẽ habet, quomodo ſint diuerſæ ſpecie virtutes ciuiũ ſecũdùm q̃ bene ſe habẽt ad diuerſas politias, id eſt ad diuerſas reſpu. cõſtitutas per diuerſam gubernationẽ. Et ratio dubitãdi eſt: nã tẽperatus, & fortis in vna rep. nõ neceſſe habet acquirere alias virtutes quando trãſit ad aliã rẽpu. ergo nõ differũt ſpecie iſtæ virtutes ſecundùm quòd ad diuerſas politias ordinãtur. Notandũ eſt, quòd virtus boni viri eadẽ eſt qua bene ſe habet ad omnes politias: ſed virtus boni ciuis variatur in ordine ad diuerſas politias: docet enim Ariſt. 3. Poli. c. 3. & D. Tho. ibidẽ lectione. 3. quòd nõ eſt eadẽ virtus boni viri, & boni ciuis. Nam virtus boni ciuis cõſiſtit in hoc, quòd cõueniẽter faciat officiũ ſuũ, & miniſteriũ ciuile in ordine ad finẽ gubernationis reip. ſicut bonus nauta dicitur qui bene facit officiũ ſuũ in ordine ad ſalutẽ nauis: & tales virtutes variantur per ordinẽ ad diuerſas politias: quemadmodum etiã alia eſt ars gubernãdi nauim, alia gubernãdi triremẽ. Ex quo ſequitur, quòd ſi hoc modo intelligamus Ariſt. virtus boni ciuis vt ſic, non eſt virtus ſimpliciter dicta. Altero modo poteſt explicari, ſcilicet quòd ipſemet virtutes morales, quatenus induũt rationẽ iuſtitiæ legalis, variãtur ſpecie ſecũdùm q̃ per illas bene nos habemus ad diuerſas politias: ſed tunc neceſſe erit dicere, quòd ipſa iuſtitia legalis eſt alia virtus eſſentialiter, & alia in ordine ad diuerſas politias: & per iſtũ modũ bene verificatur quod dicit D. Th. in art. ſcilicet virtutes morales infuſas differre à virtutibus moralibus acquiſitis, per hoc quòd ordinãtur ad diuerſam politiã: nimirũ ad politiã regni cœlorum: quare neceſſe eſt quòd ipſa iuſtitia legalis huius politię diuinæ plus differat à iuſtitia legali acquiſita, quàm virtutes morales infuſæ, à virtutibus moralibus acquiſitis; quia per ordinem ad iuſtitiam legalẽ accipitur iſta differẽtia virtutũ.

¶ Sed eſt ſciẽdũ, quòd de actibus virtutũ infuſarũ ſolẽt variæ pertractari quæſtiones. In primis tractatur: vtrùm actus virtutis infuſæ diſtet ab actu virtutis acquiſitæ, nõ ſolùm in genere moris, ſed etiam in genere naturæ. Hæc quæſtio explicata fuit ſuprà. q. præcedẽti ar. 2. & definitũ eſt, quòd differũt nõ ſolùm in genere moris, ſed etiã in genere naturæ: recolite quæ ibi diximus. Rurſus ſolet inueſtigari, vtrũ idem actus numero poſſit prodire ab vtraque virtute infuſa & acquiſita. Hæc dubitatio ex præcedẽti ſolutionẽ habet. Nam ſi actus differũt in genere naturę, impoſsibile eſt quòd idẽ actus numero ab vtraq; virtute proficiſcatur. Præterea ſolet tractari; vtrùm ex actibus virtutum infuſarum generetur in nobis aliquis habitus perſimilis virtuti infuſæ: ſed de hoc copioſè ſuprà. q. 51. art. 4.

Quomodo ſint diuerſæ virtutes ciuium.

Ariſto.

QVAESTIO LXIIII.

De proprietatibus virtutũ, in quatuor articulos diuiſa.

ARTIC. PRIMVS.

¶ *Vtrùm virtutes morales conſiſtant in medio.*

SVMMA TEXTVS.

Concluſio. Ariſto.

Oncluſio eſt affirmans, quã in argumẽto, ſed cõtrà, probat D. Tho. auctoritate Ariſt. 2. Ethic. c. 6. vbi dicit, virtutem eſſe habitũ electiuũ, in mediocritate cõſiſtentem. In articulo verò id ipſum probat ex eo, quòd bonũ cuiuſlibet menſurati & regulati cõſiſtit in hoc, quòd cõformetur ſuæ regulæ: vnde bonũ virtutis moralis cùm menſuretur ratione tanquam regula, conſiſtit in adæquatione ad menſuram rationis: adæquatio autem iſta eſt æqualitas, ſiue conformitas inter exceſſum, & defectum. Virtus ergo moralis in medio conſiſtit.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Examinatur concluſio articuli

Primũ arg.

Secundum

DVbiũ eſt de iſta cõcluſione: nã appareret quòd aliquot virtutes morales non ſunt in medio, ſed in extremo. In primis, humilitas chriſtiana eſt in extremo: peccari enim poteſt cõtra humilitatem ſuperbiendo, ſed nõ poteſt peccari per exceſſum: quãtò enim quis humilior eſt, tãtò melior eſt: vnde Luc. 14. dicit Dominus; Recumbe in nouiſsimo loco. & Eccle. 3. Quantò maior es, humilia te in omnibus. ¶ Deinde, in virtute pœnitẽtiæ non poteſt peccari per exceſſum: per defectũ quidẽ peccatur, quando homo non cõteritur ſicuti oportet; ſed per exceſſum nõ contingit peccare: nã quantò quis

Lucæ. 14. Eccle. 3.

plus

plus de peccatis dolet, tãtò melior est coram Deo. ¶ Tertiò, virtus iustitiæ nõ cõsistit in medio inter duo vitia extrema, sed tantùm habet vnũ vitiũ extremũ, nẽpe iniustitiã: nã quomodocunque ab æqualitate discedas, iniustus es. ¶ Sed videtur maioribus argumẽtis quòd nulla virtus moralis consistat in medio. Nã si virtus moralis cõsistit in medio ad istũ sensum, quòd nec excedat, nec deficiat: consequẽs est quòd consistat in indiuisibili: quod videtur affirmare Arist. 2. Ethi. c. 3. dicẽs esse difficile viuere secundũ virtutẽ; sicut difficillimũ est attingere scopũ, vel centrũ in circulo inuenire. Ex quo statim colligit, quòd malum est infinitũ; bonũ verò finitũ & determinatũ: nã aberrare ab scopo contingit infinitis modis: rectè verò attingere scopũ, vno tãtum modo. Ex eo dẽ principio colligit Aris. circa finẽ. c. 6. quod virtus est simplex omnino; vitiũ omnigenũ: ergo si virtus cõsistit in medio, cõsistit in indiuisibili: quod asserere, falsum est. Nã ex hoc sequitur, quòd virtus nõ augeretur, aut diminueretur: id enim quod cõsistit in indiuisibili, nõ habet augmentũ, nec diminutionẽ. Rursus sequitur, quòd nemo ferè hominũ assequeretur virtutẽ: nam nõ est humanæ prudẽtiæ attingere mediũ in indiuisibili. ¶ Præterea, de extremo ad extremũ nõ fit trãsitus nisi per mediũ, vt de se patet: ergo si virtus cõsistit in medio, cõsequẽs est nõ posse fieri transitũ de vno opposito vitio ad alterũ extremũ, nisi per virtutem: quod cõstat esse falsum. ¶ Item, medium æqualiter distat ab extremis: sed virtus non æqualiter distat ab extremis: fortitudo enim propinquior est audaci quàm timido: & liberalis propinquior est prodigo quàm auaro: ergo nõ cõsistit in medio. ¶ Vltimò, virtus est vltimũ potẽtiæ autore Aris. 1. de cœlo tex. 116. sed vltimũ repugnat rationi medij: ergo. ¶ Pro explicatione veritatis, & cõfutatione argumẽtorum notat D. Caie. posse intelligi quòd virtus moralis cõsistat in medio dupliciter: tum, quãtum ad substantiã habitus; tum verò, quãtum ad effectũ operis. Illa virtus cõsistit in medio quantũ ad substantiam habitus, quæ cõstituit mediũ inter duos habitus vitiosos. v. g. fortitudo cõsistit in medio inter nimiã audaciã, & nimiũ timorẽ. Illa verò virtus consistit in medio quãtũ ad effectũ operis, quæ producit operationes suas secũdũ omnes circũstãtias debitas à prudẽtia præscriptas, sic vt nõ deficiant, nec exuperẽt: defectus nãq; in materia virtutũ est, nõ operari cùm debeas operari: excessus verò est, operari quãdo oportet non operari. ¶ Prima propositio. Omnes virtutes morales, excepta iustitia, cõsistũt in medio inter duos habitus vitiosos. Hæc cõclusio probatur inductiõe: fortitudo enim est mediũ inter nimiã audaciã, & nimiũ timorẽ; tẽperãtia est mediũ inter insensibilitatẽ, & intẽperantiã; liberalitas inter auaritiã, & prodigalitatẽ; humilitas christiana est mediũ inter superbiã, & pusillanimitatem; pusillanimitas est quæ despicit honores plus iusto: vnde si viro docto & spirituali offeratur dignitas spiritualis, & eam despiciat ex animi pusillanimitate, peccat cõtra humilitatem per excessum. Insuper pœnitẽtia est medium inter duritiã cordis, & nimiã pœnitentiã: propter quod siquis mœrore, & tristitia se interficiat, peccat cõtra pœnitentiam per excessum. Quòd verò iustitia nõ cõsistat inter duos habitus vitiosos, sic patet. Nam quomodocunq; discedas ab æqualitate, iniustitiã cõmittis: ergo nõ habet nisi vnũ extremũ. ¶ Secunda propositio. Omnes virtutes morales cõsistunt in medio, in secũdo sensu superiùs expositõ. Nã omnes virtutes morales producunt operationes suas secũdũ circũstãtias debitas, sic vt nec deficiãt, nec excedant. Ex quo sequitur, quòd iustitia in hoc secũdo sensu cõsistit in medio; defectus verò in materia iustitiæ est, nõ reddere alienum, quãdo oportet reddere: excessus verò est, reddere alienũ quãdo nõ oportet reddere, vt si reddas gladiũ furioso, vel restituas pecunias intẽpesta nocte. ¶ Sed videtur certè quòd iustitia sit mediũ inter duo vitia extrema. Nam à regula deuiari potest per excessum & defectũ: cùm ergo iustitia sit regula, versatur inter excessum & defectũ, tãquã inter duo vitia. Deinde, iustitia, sicut quælibet alia virtus, dirigit mediũ inter excessum & defectũ: ergo versatur inter duo vitia. Huic videtur esse cõsona sacra scriptura; dicitur enim Eccl. 7. Noli esse iustus multùm: ergo in materia iustitiæ peccatur per excessum & defectũ. Respondetur, hoc esse singulare in virtute iustitiæ, quòd nõ versetur inter duos habitus vitiosos: nã in cæteris virtutibus contingit peccare per excessum & defectũ; in sola iustitia per se non cõtingit peccare per excessum: nã si debes centũ, & restituis bis centũ, nõ est iniustum: sed si debes decẽ, & restituis nouẽ, peccasti cõtra iustitiã. Itaq; vno tãtùm modo peccatur contra iustitiã, videlicet ex eo q̃ vn⁹ habeat minus, & alius habeat plus quàm debeat habere. Itẽ alia ratio demõstrat quòd hæc virtus non habeat nisi vnũ vitiũ extremũ: Nã vno tãtùm modo ab æqualitate deuiatur: siue enim acceptum excedat id quod redditur, siue id quod redditur excedat acceptũ, eodem modo corrũpitur æqualitas: si enim sunt duæ lineæ æquales, idem est quod ab vna auferatur, & alteri addatur, & viceuersa vt æqualitas corrumpatur. ¶ Ad argumẽta respondetur, optimè probare

Tertium.

Argumẽta secundo loco posita. Primũ arg.

Aristo.

Secundum

Tertium.

Vltimum. Aristo.

Caiet.

Virtutes morales excepta iustitia cõsistũt in medio inter duos habitus vitiosos.

Obiectiones.

Eccle. 7.

Solutio.

quòd iustitiæ virtus cõsistat in medio, in secũ do sensu superiùs exposito. Ad autoritatẽ scri pturæ respondetur, q̃ loquitur de iustitia pro omni virtute: & sensus est, noli esse nimiũ tem perãs, nimiũ fortis, &c. Vel dicendũ est, quòd loquitur de iustitia vindicatiua, in qua potest esse excessus crudelitatis. Tertiò intelligitur
Augusti. illud testimoniũ, sicut Aug. explicat tracta. 95. in illud Ioã. c. 16. Cùm venerit ille arguet mun dũ de iustitia; vbi dicit, quòd in Eccl. c. 7. Noli esse iustus multùm; nõ est notata iustitia sapiẽ tis, sed superbia præsumẽtis: qui ergo fit mul tùm iustus, ipso nimio fit iniustus; quia seip sum existimat esse sine peccato. Et quòd iste sit sensus illius loci, colligitur ex eo quod ibi dẽ dicitur; Nõ est enim iustus homo in terra,
Soluuntur argumenta allata secũ do loco. qui faciat bonũ, & nõ peccet. Nũc supereſt re spõdere ad argumẽta in principio posita; & ar gumẽta quidẽ primo loco adducta, ex ijs quæ diximus habẽt solutionẽ. ¶ Ad argumẽta secũ
Ad primũ argumẽtũ. do loco adducta satisfaciẽdũ est. Ad primum respõdetur, quòd medium virtutis, nõ est me
Aristo. diũ rei, sed rationis & prudẽtiæ: vnde Arist. 2. Ethi. c. 6. definit virtutẽ, quòd sit habitus elec tiuus in medio cõsistẽs, prout prudẽs definie rit: prudẽtia verò humana nõ attingit puncti metã: itaq; mediũ prudẽtiæ latitudinẽ habet,
Ad secũdũ. & nõ cõsistit in indiuisibili. ¶ Ad secundũ re spõdetur, quòd in motu continuo nõ trãsitur de extremo ad extremũ, nisi per mediũ: at mo tus qui fit de vitio ad virtutem, vel è diuerso, nõ est motus cõtinuus, sicuti nec motus intel lectus; aut volũtatis quando ad diuersa fertur; & ideo nõ est necesse quòd de vitio ad alterũ
Ad tertiũ. vitiũ fiat trãsitus per virtutẽ. ¶ Ad tertiũ argu mentũ respondetur, quòd cùm virtus, vt sæpè dictũ est, nõ habeat mediũ rei, sed rationis, nõ oportet quòd æqualiter distet ab extremis, sed secundũ quòd recta ratio dictauerit: vnde in illis rebus in quibus bonũ virtutis consistit in frænãdo passiones, virtus propinquior est diminuto quàm superfluo; vt in mãsuetudine & tẽperantia: in illis verò in quibus bonũ vir tutis cõsistit in eo quod est inducere ad id ad quod impellit passio, virtus propinquior est superfluo quàm diminuto, vt in fortitudine
Ad vltimũ. videre est. ¶ Ad vltimũ respõdetur, quòd est vltimum potẽtiæ virtus, id est, est vltimum in quod virtus potẽtiæ sese extẽdit; quod quidẽ difficillimũ est. Ex quo cõsequẽs est, quòd vir tus cõtingit in medio; nã medium contingere difficillimũ est. Aliã solutionem habet hic D. Tho. ad primũ, legite autorem. ¶ Ex doctrina huius articuli sequũtur tria maximè obseruan da. Primũ est; quòd virtus versatur circa difficile: nã mediũ & scopũ attingere, difficillimũ est. Secundũ est; quòd si alicui defuerit mediũ virtutis, & inuenerit se in aliquo extremo vi tio, vt studiosus euadat, debet propendere in aliud extremũ, sicut solẽt facere qui curua & flexa rectificãt: itaq; auarus vt studiosus eua dat, nõ debet paulatim donare, sed propẽdere in extremũ prodigalitatis. Tertiò etiam sequi tur explicatio illius rei, quæ cuiq; Theologo est difficillima ad explicandũ; Quid est quòd
Quare in specie humana malum cõtin gat vt in pluribus. in cæteris speciebus malũ reperitur vt in pau cioribus, in sola specie humana malũ cõtingit vt in pluribus? Quid est quòd sit tãta bonorũ raritas, & virtutis penuria, vt verum sit dicere;

Rara auis in terra, nigroq; simillima cigno,
Vir bonus & sapiens, qualem vix reperit vllum
Millibus è multis hominum consultus Apollo.

Cui consonat sacra scriptura Eccles. 1. dicens; Ecclc. 1.
Peruersi difficilè corrigũtur, & stultorũ infini tus est numerus. & Matth. 7. Arcta est via quę Matth. 7.
ducit ad vitã, & pauci ingrediuntur in eam. & ca. 20. Multi sunt vocati, pauci verò electi. &
in Psal. Non est qui faciat bonũ, nõ est vsque Psal.
ad vnũ. & in alio Psal. Saluũ me fac Deus, quo niam defecit sanctus. Hanc raritatẽ bonorum
deplorat Micheas Propheta. c. 7. dicẽs. Væ mi Michæ. 7.
hi quia factus sum sicuti qui colligit in autum no racemos vindemiæ, & nõ est botrus ad co medendum. & Esai. c. 24. Quomodo si paucæ Esa. 24.
oliuæ quæ remãserunt, excutiãtur ex olea, & racemi cùm finita fuerit vindemia. Certè in di luuio tantùm octo animæ dignæ inuẽtæ sunt quæ saluarẽtur: & in illis quinque ciuitatibus quæ igne cœlesti cõflagrarũt, tantùm eduxit Dominus Lot cum vxore sua, & duabus filia bus: & vxor respiciens retrò perijt, vt habetur
Genes. 19. Ex Ægypto exierunt sexcẽta millia Gene. 19.
virorum armatorũ, & ex illis tantùm duo in gressi sunt in terram promissionis. Vnde ergo est tãta bonorũ raritas, & virtutũ penuria; ma ximè cùm virtutes sint nobis secundũ inclina tionẽ naturalẽ? vt docuit D. Tho. q. præcedẽti arti. 1. Huius rei variæ demonstrãtur rationes.
Prima est; quoniã bona hæc sensibilia sunt ma gis nota nobis, & magis nos mouẽt & alliciũt.
Secũda ratio est; quoniã hæc bona sensibilia afferũt secũ præmiũ suũ, videlicet voluptatẽ:
bona verò honesta promittũt in futurũ. Hæc
causa explicatur euidẽtissimè apud Ezec. c. 12. Ezec. 12.
cùm dicũt impij; Visio quam hic videt, in dies
multos; & in lõga tẽpora iste pphetat. & apud
Esai. c. 28. Expecta, reexpecta, mãda remãda, Esa. 28.
modicũ ibi, modicũ ibi. Tertia causa est; quo niã voluptas carnis nobiscũ crescit, nobiscum
alitur, cum ea ab infantia fumus cõuersati; pro pter quod difficillimũ est & paucorũ istũ affe ctũ à nobis extrudere. Hanc causam prosequi
tur optimè Arist. 2. Ethi. c. 3. Quarta ratio est; Aristo.
quoniã gerimus bellũ aduersus hostes fortissi

mos,

mos, & astutissimos: de qua re dicit Paul. ad Ephes. 6. Ephes. 6. Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates; aduersus mundi rectores & tenebrarū harū &c. Prętera est cruentissimum bellū internū, quo caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersum carnē. Demum est potissima causa quæ educitur ex doctrina huius articuli: Nam virtus consistit in medio: medium verò & scopū attingere, paucorū est; aberrare verò ab scopo, multorum est. Hanc rationem insinuat Dauid in Psal. 11. vbi inquirit causam vnde est tanta malorum colluuies, & dicit; In circuitu impij ambulant, virtus verò in medio cōsistit: quasi dicat, cuiq; facillimū est circulum & circunferentiā attingere, mediū verò attingere, difficile est & paucorū. Psal. 11.

Vtrùm vitia cōsistāt in medio. ¶Est aliud dubiū; Vtrùm vitia in medio cōsistant? Quæstio est quā ponit Aristo. 2. Eth. c. 6. vbi inuestigat de medio virtutū. Pro parte affirmatiua sic argumentor. Nā vbi est magis & minus, mediū etiam inuenitur: sed in vitijs est magis & minus, vt apertè cōstat: ergo intentū. Aristo. Primū arg.

Secundum ¶Deinde, ars mentiendi, & furandi, quæ sine dubio vitiū est, in medio cōsistit: nam nō exuperat, nec deficit à sua regula à qua dependet. Secundum.

Tertium. ¶Tertiò, omnis natura positiua habet ideam in mēte diuina cui sic correspōdet, vt nec exuperet, nec deficiat. Tertium.

Quartum. ¶Quartò, omnis natura positiua consistit in numero, pondere, & mensura, vt asseritur Sap. 11. Sed vitiū est natura quędam positiua: ergo consistit in numero & mēsura. Quartum. Sapien. 11.

Vltimum. ¶Vltimò, omnis natura positiua ea de causa consistit in numero, pōdere, & mēsura; quoniā habet esse, & essentiā, & proprias passiones: ergo consistit in numero, pondere, & mēsura, & in medio, sic vt nec excedat, nec deficiat. Ad hoc dubiū dicendū est, quòd licèt in vitijs medium inueniatur, certè nō inuenitur in vitijs mediū prudentiæ, aut rationis: nā medium rationis est regula & norma vt opera rectè fiant: sed vitia nō possunt rectè fieri: ergo nō habēt mediū rationis, nec prudētiæ. Deinde, medium rationis, est medium quod dictat prudentia faciendum esse, vel cauendum: sed prudentia non dictat vitia esse committenda: ergo non cōsistit in medio. Probationes sunt Arist. in loco superiùs citato.

Solutio argumētorū. ¶Ad primū in cōtrariū respōdetur, quòd mediū quod in vitijs inuenitur, nō est mediū virtutis & prudentiæ, sicut suprà diximus. ¶Ad omnia alia argumēta dicēdū est, quòd vitium & peccatū, non est priuatio, sed natura quędā positiua deficiēs, & ideo nō habet ideam cui correspōdeat: nec verò habet regulam cui sit cōsentanea: imo sua essentia, & definitio est à regula deficere. Ex eodē principio sequitur quòd non consistat in pondere & mensura: quin potiùs sua definitio est, quòd deficiat à numero & mensura.

ARTIC. SECVNDVS.

¶Vtrùm medium virtutis moralis, sit medium rei, vel rationis.

SVMMA TEXTVS.

Prima cōc. PRima Conclusio. Mediū virtutis moralis, est mediū rationis; nō qui dē essentialiter, quasi ipse actus rationis ad mediū reducatur, sed causaliter, & effectiuè. Ratio huius conclusionis est: quoniā virtus moralis nō perficit actū rationis, sed actū virtutis appetituæ; & ideo per eam ipse actus rationis nō reducitur ad mediū: cętērū quoniā virtus moralis consistit in medio per cōformitatē ad rectā rationē, ideo mediū ipsius erit illud, quod à recta ratione efficitur.

Secunda. ¶Secūda Cōclusio. In virtute iustitiæ, mediū virtutis est medium rei & rationis: iustitia enim cōsistit in operationibus exterioribus, in quibus rectū debet statui simpliciter, & secūdū se.

Tertia. ¶Tertia Cōclusio. In virtutibus quæ collocātur in appetitu sensitiuo ad moderandas passiones, mediū virtutis non est mediū rei, sed rationis: rectitudo nāq; rationis in passionibus cōstituitur per ordinē ad nos, propterea quòd homines diuersimodè se habent ad passiones quibus afficiuntur.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Aristo. COnclusiones huius articuli acceptę sunt ex Arist. 2. Ethicor. c. 6. Pro cuius rei declaratione sciendum est quòd medium rationis in materia virtutum, est facere opus quando oportet, & prout oportet secundum regulam à prudētia præscriptam, sic vt nec excedat, nec deficiat:

excessus verò est operari opus quando non oportet, & sicuti non oportet, vbi affirmatur materia, & negãtur circũstãtiæ: defectus verò est quãdo negatur materia, & affirmãtur circũ stantiæ, vt nõ delectari quãdo oportebat dele
Mediũ rei. ctari. ¶Secũdò notãdũ est, quòd medium rei est æqualitas à parte rei determinata: si enim debes centũ, & restituas centũ, seruasti mediũ rei: nam centũ sunt æqualia alijs centum, sicut vnũ pedale est alteri pedali æquale. ¶Illud etiã notãdũ est, quòd hoc medium rei duplex est; Arithmeticũ, quod in æqualitate duarũ quãti tatũ cõsistit; vt si accipiamus duas lineas, quarum vna non exuperet alterã, nec exuperetur ab ea: hoc mediũ seruatur semper à iustitia cõmutatiua, quæ reddit tantũ quantũ debet. Secundũ est Geometrũ, quod in æqualitate proportionũ cõsistit, quod semper seruatur à iustitia distributiua: habet enim in officio iustitia distributiua distribuere vnicuiq; secũdum propria merita. v. g. si dux in bello debet distribuere bona parta militibus, oportet vt obseruet istã proportionẽ, quòd reddat vnicuique militũ secundũ propria merita. Sed est sciẽdũ quòd hoc mediũ rei, est etiã mediũ rationis: mediũ enim rationis nihil aliud est, quàm medium rectæ rationi consentaneũ: sed nihil est magis cõforme rectæ rationi quàm vt reddas id quod debes ad æqualitatẽ. ¶Vltimò notandum est, quòd inter mediũ iustitiæ, & mediũ aliarũ virtutũ, multis differt. In primis differt, quòd mediũ iustitiæ est determinatũ suapte natura, & inuariabile: determinatũ náque est à natura, & inuariabile prorsus: quòd si debes centum, totidẽ restituas: medium verò aliarũ virtutum nõ est determinatũ à natura, sed est variabile secundũ dispositionẽ operantis. v. g. in materia tẽperantię mediũ nõ est comedere vnam libram panis, sed pro loco, & tẽpore, & cõplexione, & robore, aliquãdo erit sumere vnã libram, aliquando tres vncias, aliquando tres libras. Et ratio est euidens: nam cùm istæ virtutes versentur circa passiones animi interiores, non potest rectũ vno modo cõstitui propter diuersas hominum cõplexiones, & passiones. ¶Secundò differũt; nam medium iustitiæ, est mediũ inter plus mihi, & minus tibi: quapropter semper dicit ordinẽ ad alterũ in ordine ad quẽ æqualitas est cõstituenda: mediũ verò cæterarũ virtutũ est inter plus mihi, & minus mihi; & ideo semper respicit ordinem ad operãtẽ, ex cuius varia dispositione variatur & mediũ. ¶Tertiò differũt; nam mediũ iustitiæ de sua specifica ratione tãtùm dicit æqualitatem rei ad rẽ, non respicit quo tẽpore, quo animo fiat, nisi quãdo istæ circũstantiæ redundãt in rerũ inæqualitatẽ: mediũ verò aliarũ virtutũ respicit primò, & per se quo animo, quo affectu opus fiat: nam habẽt in officio moderari passiones, & affectus humanos. ¶Sed videtur certè quòd mediũ iustitiæ nõ sit medium determinatũ, & inuariabile: nam nõ æquali supplicio punitur qui percutit Regẽ, atq; ille qui percutit plebeium hominẽ: rursus nõ æquali supplicio punitur qui occidit meditatò, & ex odio, atq; ille qui occidit subitò & ex iracundia. Præterea non est iustũ, vt qui nõ est potes restituere, restituat: atque adeò iustum est, vt qui debet centum, si nõ potest restituere nisi quinquaginta, restituat quinquaginta: ergo mediũ iustitiæ variatur secundũ dispositionẽ operantis. ¶Ad hæc argumenta respondendũ est, & ad primũ dico, quòd licèt iustitia respiciat medium rei, considerat tamen dignitatẽ personæ ex qua crescit iniuria, vt fiat recõpensatio debiti ad æqualitatẽ. ¶Ad alia argumẽta dicendum est, quòd aliter loquendum est de ipso iusto, aliter de ipsa exequutione iustitiæ: iustum sanè est & æquale, vt qui debet centũ, centum restituat; cùm hoc tamen rectè stat, vt qui impotens est restituere, ab exequutione iustitiæ excusetur.

Obiectiones.

Solutio.

¶Sed in hoc articulo notãdũ est, quòd virtus ideo versatur circa difficile, quia consistit in medio rationis, id est, quòd ipsa ratio debet constituere mediũ: est enim difficile quòd ratio causet mediũ in appetitu, in ijs in quibus non est determinatus ex natura sua. Ex quo sequitur quòd difficultas quæ est in virtute iustitiæ, solùm consistit in hoc quòd voluntas debet cõformari, & regulari cũ ipsa ratione ad bonum alterius, ad quod nõ est determinata ex natura sua: non autẽ consistit difficultas in cõstituendo medio rei: difficultas aliarũ virtutũ cõsistit in cõformãdo appetitũ sensitiuũ rectæ rationi, modificando passiones eius, & reducendo ad medium rationis, ad quod non est appetitus sufficienter determinatus.

Quare virtus sit circa difficile.

ARTIC. TERTIVS.

¶Vtrùm virtutes intellectuales consistant in medio.

SVMMA TEXTVS.

Prima con.

PRima Conclusio. Mediũ virtutis intellectualis speculatiuæ consistit in conformitate intellectus ad rẽ ipsam. Excessus autẽ est affirmare quod non est: defectus verò negare quod est: etenim bo-

num

num alicuius rei cõsistit in medio secundum quod conformatur regulæ, vel mensuræ quam contingit transcendere, & ab ea deficere: res autem est mensura intellectus nostri, vt dicit Aristote. vnde bonum virtutum intellectualium consistit in quadam conformitate ad rem ipsam, secundum quam conformitatem sumitur medium virtutis intellectualis. ¶ Secunda Conclusio. Medium virtutis intellectualis practicæ, cuiusmodi est prudentia, si consideretur vt est habitus cognoscitiuus, cõsistit in conformitate intellectus ad rem ipsam: secundum enim hanc rationem eodem modo medium accipitur in virtutibus intellectualibus practicis, sicut in speculatiuis.

Aristot. 10. met. tex. 5.

Secunda.

Tertia. ¶ Tertia Conclusio. Medium virtutis intellectualis practicæ, quatenus dirigit ad studiosam operationem, non sumitur ex rebus ipsis, quin potiùs ipsum iudiciũ practicum est regula operationis studiosæ, ad quam studiosa operatio dirigitur, & regulatur; sicuti ars est regula artificiati, & ipsum artificiatum ad regulam artis debet mensurari. Quòd si dicat Theologus, qua regula iudicium practicũ debet regulari? dicendum est, quòd ex ipsis rebus, id est ex syndæresi, atque adeò ex lege diuina, per quã omnis studiosa operatio regulari debet. Pro cuius rei maiori declaratione sciendum est, quòd prudẽtia habet in officio dictare quid sit eligendum, quid verò cauendũ: & in hoc officio prudentia non mensurat res, quin potiùs ex rebus mẽsuratur: tunc enim vera est prudẽtia, quando dictat id quod verè eligendum est. Habet aliud officium prudentia, nimirum dirigere & ordinare ad studiosam operationẽ: & in hoc officio prudentia est mẽsura, & norma studiosæ operationis. Itaque prudentia est mensurata, & mensura: mensuratur quidẽ ex rebus ipsis, & ex lege diuina: mensurat quidem in quantum dirigit ad studiosam operationem, quemadmodum ars mensuratur ex regulis & documẽtis artis: mensurat verò artificiũ externũ, vt ad regulas suæ artis dirigatur, & fiat conforme. Ethęc de isto articulo.

ARTIC. QVARTVS.

¶ Vtrùm virtutes Theologicæ consistãt in medio.

SVMMA TEXTVS.

Prima con.

PRima Conclusio. Si virtutes Theologicæ cõsiderentur in ordine ad suam regulam infinitã & increatã, nõ habẽt mediũ, neq; consistunt in medio. Ratio huius conclusionis est; quoniã in omnibus virtutibus quæ cõsistũt in medio, contingit peccare per excessum sicut per defectum: sed circa Deũ, qui est obiectũ virtutis Theologicę, nõ cõtingit peccare per excessum: vnde dicitur Eccl. Benedicẽtes Deũ exaltate illũ quãtũ potestis: maior est eñ omni laude. Vnde nunquã potest homo diligere Deũ quantũ debet, nec tãtũ credere, aut sperare in ipsum vt excedat.

Eccle. 43.

Secunda. ¶ Secunda Conclusio. Si considerentur virtutes Theologicæ in ordine ad nos, medium habent; vt spes media dicitur inter præsumptionem, & desperationem; & fides inter contrarias hæreses.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Argumēta contra primam cōclusionem. Primū arg.



CErtè videtur quòd virtutes Theologicæ consistant in medio: nā medium virtutis, vt antea dictum est, est facere opus quando oportet, & sicut oportet: excessus verò est facere quando non oportet, & sicuti nō oportet: defectus autem est nō facere cùm oporteat facere: sed hoc medium constituit fides diuina; nam credit quādo oportet, & sicuti oportet: & excessus est credere quæ non oportet; defectus verò non credere quod oportet credere: ergo consistit in medio. ¶ Deinde, fides cōsistit in medio inter leuitatem qua quis citò credit, & leuis est corde; & inter duritiam cordis qua quis pertinaciter repugnat credere, iuxta illud; Stulti & tardi corde ad credendum: ergo cōsistit in medio. ¶ Tertiò, hæc veritas; Deus est trinus & vnus; interstat media inter duos extremos errores; alterum Arrij, qui diuidit essentiam, & personas; alterum verò Sabellij, qui confundit essentiam, & personas. ¶ Quartò, veritas fidei catholicæ est adæquatio, & cōformitas ad rē ipsam: ergo consistit in medio. Patet consequentia: nam omnis veritas consistit in medio; & excessus est affirmare quod non est; & defectus negare quod est. Certè in rebus credendis contingit excedere, deficere, & adæquari: contingit namque credere plusquàm oportet, & minus quàm oportet, & tantum quantū oportet: ergo fides in medio consistit. De spe verò certissimū est quòd sit media inter præsumptionem, & desperationem. De charitate autem sic ostendo. Nam charitas diligit Deum quando oportet, & sicuti oportet secundum regulam prudentiæ: excessus verò est diligere Deum, quando oportet vacare dilectioni proximi, vel alijs negotijs necessarijs: defectus verò est non diligere cùm oportet diligere. Item, defectus charitatis est amare tantùm amicos propter Deum: excessus est amare malos in suis malitijs: nam (vt inquit Augusti.) homines diligendi sunt, errores verò detestandi. De vniuersis virtutibus Theologicis sic conficio argumentum. ¶ Virtutes Theologicæ diriguntur ad regulam prudētiæ infusæ: prudentia namque docet quando diligendum, credendum, sperādum: sed hanc regulam contingit transcendere, & ab ea deficere: ergo virtutes Theologicæ consistūt in medio, sic vt non transcendant suam regulam ne ab ea deficiant. ¶ Pro explicatione veritatis sciēdum est, quòd in virtutibus Theologicis, & in quibuscūque alijs virtutibus, triplex modus considerari potest; videlicet secundum limitationem essentiæ; secūdum determinationem circunstantiarum; atque adeò secundum proportionem medij ad excessum, & defectū. Si loquamur de primo modo, certū est quòd virtutes Theologicæ habent modum, & consistunt in medio. Nā omne illud quod est in certo genere, & in certa specie, habet modū, & limitem suæ essentiæ: sed virtutes Theologicæ consistūt in certo genere, & in certa specie: ergo habent modum secundum limitationem suæ essentiæ. Si verò loquamur de secundo modo, exploratū est quòd virtutes Theologicæ habent modū, & consistunt in medio: Nam virtutes Theologicæ operantur quādo oportet, & sicuti oportet secundum regulas prudentiæ infusæ. Verùm si fiat sermo de tertio modo, certissimū est quòd virtutes Theologicę nō habent modū, nec consistunt in medio. Nam vbi inuenitur talis modus, cōtingit peccare per excessum: sed actus amandi, credēdi, sperandi in Deum, non possunt vitiari per excessum: ergo virtutes Theologicæ non consistunt in medio inter excessum & defectum. Maior huius argumenti est euidens. patet & minor: Nam nemo potest nimis amare Deū, & nimis credere, & sperare in Deum. quod confirmo efficaci argumento. Nam nūquam homo potest diligere Deum quantū debet; nec verò credere, aut sperare in Deum quantū debet: ergo multò minùs potest ibi excessus interuenire. Cui consonat sacra scriptura; dicitur enim Ecclesi. 43. Benedicentes Deum exaltate eum quantū potestis: maior est enim omni laude. & D. Bernar. dicit in lib. de diligēdo Deum; Causa diligendi Deum, Deus est: modus autem, sine modo diligere.

Secundum

Tertium.

Quartum.

Triplex modus cōsiderari potest in virtutibus Theologicis.

Eccle. 43.

Bernard.

¶ Ad argumenta in oppositum in primis dicēdum est, optimè probari quòd virtutes Theologicæ consistant in medio ex parte nostra: quod libenter concedit D. Tho. in secūda conclusione; at non ex parte suæ regulæ, quæ infinita est, quā proinde non contingit excedere. Secunda confutatio horum argumentorū est quam habet D. Tho. 2. 2. q. 17. art. 5. ad secūdū, nimirum quòd virtutes Theologicæ, quātum ad obiectum secundarium, in medio cōsistūt, non autem quantum ad obiectum primariū: fides enim non habet medium, nec extrema, in hoc quòd innititur primæ veritati: nullus enim nimis innititur primæ veritati: sed ex parte

Solutio argumētorū.

D. Tho.

August.

parte eorum quæ credũtur potest habere medium, & extrema; sicut omne verum est mediũ inter duas opiniones falsas. Similiter spes ex parte principalis obiecti non habet mediũ, nec extrema: nullus enim innititur nimis diuino adiutorio; sed ex parte eorum quæ aliquis sperat se adepturum, potest esse medium & extremum, in quantum præsumit se consequuturum ea quæ excedunt suam proportionem, vel desperat de ijs quæ sunt sibi proportionata. Tertiam solutionem habet Scot. in. 3. d. 26. q. 1. ad secundum; dicens, quòd virtutes Theologicæ ex parte obiecti non consistunt in medio, nec habent extrema: nam non tendunt in nimis verũ, aut nimis bonũ; est enim omnibus modis infinitum bonum: sed ex parte actus bene consistunt in medio, nam cõtingit nimis tendere in Deum, & amare quando non oportet. Sed hæc solutio falsissima est: nã argumenta suprà adducta efficaciter probãt, quòd virtutes Theologicæ, nec ex parte obiecti, nec ex parte actus consistant in medio: nõ enim contingit nimis amare Deum. Vltima explicatio est Duran. in. 3. d. 27. q. 2. quòd virtutes Theologicæ consistunt in medio, quantum ad determinationem circunstantiarum: quod euidenter demõstrant argumenta suprà adducta: sed non consistunt in medio, secũdũ proportionẽ medij inter excessum & defectũ. Hæc solutio maximè omniũ mihi probatur.

Scot.

Durand.

QVAESTIO LXV.

De connexione virtutum; in quinq; articulos diuisa.

ARTIC. PRIMVS.

¶ Vtrùm virtutes morales sint ad inuicem connexæ.

SVMMA TEXTVS.

Prima cõc.

PRima Conclusio. Virtutes morales imperfectę, quę nihil aliud sunt quam inclinatio quædam in nobis existens ad opus aliquod de genere bonorum faciendum, siue talis inclinatio sit à natura, siue ex assuetudine, non sunt connexæ. Videmus enim aliquem ex naturali complexione, aut ex assuetudine prõptum esse ad opera liberalitatis, qui tamen prõptus non est ad opera castitatis. ¶ Secũda Cõclusio. Perfectæ virtutes morales, quæ scilicet sunt habitus inclinantes ad opus bonũ bene agẽdum, connexæ sunt. Hæc conclusio probatur tam ex generali ratione virtutum, quã quælibet virtus moralis induit; quàm secundũ peculiares materias circa quas quælibet versatur: etenim firmitas animi, quæ habet conditionẽ generalem fortitudinis, non habet laudem virtutis si sit sine moderatione, aut rectitudine, aut discretione: & eadẽ est ratio de alijs. & secũdum hanc rationem D. August. & D. Gregor. assignant connexionem virtutum. Deinde, nulla virtus moralis potest perfectè sine prudentia haberi: quia proprium virtutis moralis est facere rectam electionem, ad quam non sufficit debita inclinatio in finem quę fit per virtutem moralem, sed requiritur vt aliquis rectè eligat quæ sunt circa finẽ, quod per prudentiam fit. Neque verò prudẽtia esse potest, nisi virtutes morales habeantur: quoniam prudẽtia est recta ratio agibilium, quæ sicut ex principijs procedit ex finibus agibilium, ad quos aliquis rectè se habet per virtutes morales: vnde sicut scientia speculatiua haberi nõ potest sine intellectu principiorum; ita nec prudentia sine virtutibus moralibus. & hac ratione Aristote. sexto Ethicorum, capit. vltimo probat connexionem virtutum inter se.

Secunda.

August.

Grego.

Aristo.

EXPLICATIO ARTICVLI.

NEgatiuam partem huius quęſtionis docent Doctores in primis graues, nominatim Scot. in. 3. d. 36. q. 1. ar. 1. Gabri. ibidem. Och. in. 3. d. 11. & 21. & quodli. 4. q. 6. Almay. tract. 3. c. 7. Sco. in cõfirmationem ſuæ ſententiæ ſic arguit. ¶ Nam virtutes morales ſunt quædam perfectiones partiales hominis: ergo homo poteſt perfici ſecundum vnam, & non ſecundum aliã: ſicuti perficitur ſecundum viſum, & non ſecundum auditum. ¶ Secundò, tota definitio virtutis cõpetit fortitudini, abſque temperantiæ conſortio: ergo poteſt haberi ſine temperantia. Conſequentia euidens eſt, & probatur antecedẽs: nam definitio virtutis ſic habet; Eſt habitus electiuus in medio conſiſtens, prout prudens determinauerit: in qua definitione tãtùm aſſeritur quòd ſit neceſſaria connexio ad prudentiam, non ad cæteras virtutes. ¶ Tertiò, virtutes iſtæ morales acquiruntur exercitio, & noſtro labore: ſed experientia conſtat quòd aliquis diu multumque verſetur circa vnam materiam, & non circa aliam: ergo poteſt acquiri vna virtus abſque alijs. ¶ Quartò, virtutes quę magis propinquæ ſunt, non ſunt connexæ; vt virginitas, & caſtitas cõiugalis: ergo multò minus temperantia & fortitudo. ¶ Quintò, deducit ad inconuenientia: ſequitur primò, quòd virtus ſit virtus priuſquàm ſit virtus. Patet: nã per te, temperantia virtus exigit fortitudinem virtutem: ergo fortitudo prius eſt virtus. Rurſus, fortitudo virtus exigit temperantiæ virtutem: ergo nõ eſt virtus. Secũdò ſequitur, quòd nulla virtus moralis eſſet prima. patet; quia omnes prærequirit, & præexigit. Tertiò ſequitur, quòd omnes virtutes morales generentur vnico actu; quod conſtat eſſe falſum. patet cõſeq. nam conſtituamus hominem qui multũ ſit verſatus in materia temperantiæ, cui deſit tantum vnicus actus, quando producit iſtum actum, generantur ſimul temperantia, fortitudo, & cæteræ virtutes. Quartò ſequitur, quòd qui peccat contra vnam virtutem, peccet contra omnes propter earum connexionẽ: quod conſtat eſſe falſum; alioqui ſequeretur, quòd vniuerſum peccatum eſſet contra temperantiam, fortitudinẽ, & cæteras virtutes. ¶ Gabr. proximè poſt Scot. impugnat connexionem virtutum eiſdem fere argumẽtis quibus Scot. Vnum adducit ex proprijs, quod ſic ſe habet. Iſta, inquit, connexio virtutum non probatur ex iſtis actibus virtutum; ſiquidem diſtincti ſunt, & ſeparati: nec verò ex ipſo obiecto; materia namque virtutum moralium longè diuerſa eſt: nec ex fine; nam finis vnius virtutis, alius eſt a fine alterius: nec verò ex eo quia connectuntur in vno habitu intellectuali, videlicet in prudẽtia, aut in ſyndereſi: nam omnes ſciẽtiæ connectuntur in habitu primorum principiorum intellectuali, nihilo ſecius tamen ſciẽtiæ ab inuicem ſeparantur, & non ſunt connexæ. ¶ Almay. loco adducto ſic arguit. Si, inquit, virtutes morales connexæ ſunt, maximè quia connectuntur in prudentia: ſed hoc eſt falſum: nam poteſt eſſe vir prudens in vna materia, & non circa aliam, ſicut poteſt eſſe ars circa quædam factibilia, & non circa alia. ¶ Secundò, ſi virtutes ſunt connexæ, ſequitur quòd nullus habitus ſit virtus, niſi ſit in gradu heroico: quod conſtat eſſe falſum, alioqui nullus eſſet ſtudioſus. Quòd rectè ſequatur, patet: nam ſecundum iſtam opinionem quæ aſſerit connexionem virtutum, vt temperantia ſit virtus, non ſat eſt quòd promptè & delectabiliter operetur in propria materia, quando non concurrit cum alia, ſed oportet quòd operetur in omni euẽtu occurrente: ſed hoc non poteſt facere niſi ſit in gradu heroico; nam poteſt accidere caſus qui ſuperet omnem facultatem humanam, quem ſola virtus in gradu heroico poſſit vincere. ¶ Certè connexionem virtutum moralium maximè impugnat ipſa rerum experientia: cõſtat namque quòd ſunt multi liberales, & iuſti, qui timidi ſunt. Rurſus, fœminæ ſunt manſuetæ, iuſtæ, quæ virtutem fortitudinis non habent. Certè Ariſt. expreſſè dicit, quòd inops non poteſt eſſe magnificus, quanquàm alias virtutes habeat: & ibidẽ dicit, quòd qui paruis dignus eſt, & ijs ſe dignificat, manſuetus eſt, ſed magnanimus non eſt. ¶ In contrarium eſt ſententia ſanctorum Patrum, & philoſophorũ omniũ. D. Ambr. 5. lib. in Luc. explicans illud, Beati pauperes ſpiritu; dicit, connexæ ſibi ſunt, & concatenatę virtutes. D. Hierony. ſuper Eſai. ca. 16. & 56. & 1. lib. contra Pelagianos dicit; Virtutes morales ita ſibi cohærent, vt qui vnam habuerit, omnes habeat; & qui vna caruerit, cũctis careat. D. Aug. lib. 6. de trinit. c. 4. inquit; quòd virtutes quæ in animo noſtro ſunt, nullo modo ſeparantur ab inuicem. D. Gregor. 22. lib. moralium. c. 1. dicit, quòd vna virtus ſine alijs, aut nulla eſt, aut imperfecta eſt. Idẽ proſequitur latiſsimè D. Augu. in Epiſtola. 29. quæ eſt ad D. Hieron. Cicero in. 2. Tuſculana. ſic ſcribit; Si vnam virtutem confeſſus es te non habere, nullam te habiturum neceſſe eſt. Idem habet lib. 1. de offic. & lib. 1. de oratore. Conſentiunt omnes philoſophi Platonici, Seneca, Plutarch. Macrob. &c. Ariſt. 6. Ethi. c. 12. & 13. eruditiſsimè eandem ſententiam comprobat varijs argumentis. Ad idem demonſtrãdum ſunt duo argumenta efficaciſsima.

Scot. Gabri. Ocham. Almayn. — Primũ arg. — Secundum — Tertium. — Quartum. — Quintum. — Argumentum Gabri. — Almayni argumẽta. Primũ arg. — Secundum — Tertium. — Ariſ. 4 Eth. ca. 2. — Ambroſ. — Hierony. — Auguſt. — Gregor. — Auguſt. — Cicero. — Ariſto.

¶ In

Argumẽta efficaciſsima.

¶In primis, temperantia perfecta inclinat ad tuendum bonum temperantiæ in omni materia, & in omni euentu occurrenti quando oportet: ſed hoc non poteſt efficere ſine præſidio, & conſortio aliarum virtutum moraliũ: ergo ſunt connexæ virtutes morales. Quòd verò hoc non poſsit efficere ſine cõſortio aliarum virtutum, ſic oſtendo: cõſtituamus enim fœminam, quæ per caſtitatem delectationes carnis in ordinem redegit, iſta mulier poteſt corrumpi vt agat contra caſtitatem pretio, vel metu, vel pollicitatione: ergo neceſſe eſt ad tuendum bonum caſtitatis vt habeat virtutẽ liberalitatis, & fortitudinis, quibus moderetur tum auaritiam, tum timorẽ. Et ratio eſt; quoniam virtus non ſolùm corrumpitur ex cõtrarijs proprijs, tanquam ab hoſtibus intrinſecis, verùm etiam à contrarijs aliarum virtutũ, tanquam ab hoſtibus extraneis. ¶Sed dicunt aduerſarij, quòd temperantia ſatisfacit ſuo muneri, ſi compeſcat delectationes carnis in propria materia: vnde illa mulier quæ pretio agit contra caſtitatem, auara eſt, non intemperãs. Hoc autem falſiſsimum eſt: nam quomodocunque, & qualitercũque hæc mulier agat cõtra caſtitatem, impudica eſt & intẽperans: ſi facit pretio, auara eſt & impudica; ſi metu id operetur, puſillanimis eſt & impudica mulier. Veriſsimè enim dixit Ariſt. quòd qui furatur vt mœchetur, fur eſt & mœchus, ſed præcipuè mœchus eſt. Et confirmatur: nam ſi meretrix, vel matrona, non amore delectationum, ſed ex auaritia ſe proſtitueret, quis eam diceret tẽperatam, & caſtam? Secũdò, virtus moralis perfecta requirit perfectam prudentiam: quod facilè poteſt ex definitione virtutis demonſtrari, quæ ſic habet; Eſt habitus electiuus in medio conſiſtens prout prudẽs determinauerit: ſed perfecta prudentia requirit omnes virtutes: ergo qui habet vnam virtutem perfectam, neceſſe eſt omnes habere. Quòd verò qui habet prudentiam, habeat omnes virtutes morales, ſic oſtendo: tum, quoniam qui prudẽs eſt, vir bonus eſt: vir autem bonus, niſi præditus ſit omnibus virtutibus moralibus, eſſe non poteſt: tum verò, quoniam perfecta prudentia requirit perfectum & integrum iudicium de rebus agendis: perfectum autem iudicium non poteſt eſſe, ſi deſit aliqua virtus moralis, & aliqua paſsio perturbet: nam paſsio excæcat iudicium rationis, & corrumpit rectam exiſtimationem: tum vltimò, quoniam prudentia non eſt timida, non eſt iniuſta, non intemperans: ergo ſecum ducit omnes virtutes. De valore huius ſecundi argumenti cõmemoranda ſunt ea quæ dicta ſunt ſuprà q. 58. ad finẽ. & q. 60. artic. 1. de vnitate prudentiæ contra Scotum.

Aduerſariorũ ſolutio.

Ariſto.

¶Sed pro maiori huius materiæ declaratione ſciendum eſt, quòd Doctores in 3. d. 36. vbi inueſtigant de connexione virtutũ, diſtinguunt triplicem virtutis ſtatum. Primum vocãt continentiæ, quando paſsiones ſunt vehementes, ſed eis vehementer reſiſtunt homines. Secundum vocant temperantiæ, quando paſsiones iam ſunt moderatæ, & ad ordinem redactæ. Tertium appellant heroicum, quando paſsiones iam penitus ſunt ablatæ, & prorſus ignorantur. Quando ergo dicimus quòd virtutes morales ſunt ſibi connexæ, non loquimur de virtutibus in gradu continentiæ: nam qui habet vnam virtutem imperfectam, non eſt neceſſe vt habeat omnes: nec verò loquimur de virtutibus in gradu heroico, & planè diuino; nam iſtæ virtutes vix reperiuntur in vita mortalium: loquimur ergo de virtutibus perfectis in gradu temperantiæ. Voco ergo virtutem perfectam, non virtutem intenſiſsimam, ſed quando homo per eam operatur ex electione, & ex certa ſcientia firmiter & promptè in omni materia occurrenti. ¶His conſtitutis, ad argumenta Scoti reſpondetur, & ad primum reſpondetur, quòd licèt virtutes morales ſint perfectiones partiales, ab inuicem nunquam ſeparantur.

Nota.

Triplex virtutis ſtatus.

Solutio argumẽtorũ.

Ad primũ argum.

¶Ad ſecundum argumentum reſpondetur, quòd in definitione virtutis habetur planè quòd habeat connexionem cum prudentia: in hoc verò ſignificatur quòd habeat connexionem cum omnibus virtutibus moralibus: nam prudentia ſecum ducit omnes virtutes morales, vt ſuprà diximus. Pro cuius declaratione notandum eſt, quòd duplex eſt modus connexionis virtutum moralium; eſſentialis, & diſpoſitiuus. Eſſentialis adhuc duplex eſt; primus, quando vna virtus dependet ab alia in ſua quidditate & eſſentia; ſicut virtus moralis dependet à prudentia. Secundus eſt, quãdo virtutes morales non connectuntur immediatè, ſed in aliquo tertio, in quo habent connexionem; & ſic omnes virtutes morales connectuntur in vna prudentia. Diſpoſitiuè verò cõnectuntur omnes virtutes, quando vna ab altera in ſua operatione adiuuatur, ſicut temperãtia adiuuatur à fortitudine, ne metu & timore agat contra caſtitatem, & temperantiam.

Ad ſecũdũ.

¶Ad tertium argumentum reſpõdetur, quòd virtutes morales ſunt ſibi connexæ, ſic vt qui habuerit vnam, omnes habeat ſpectantes ad proprium ſtatum. Et quòd hoc verum ſit, patet: nam Angelus habet iuſtitiam, & non temperantiam; quoniam temperantia nõ pertinet ad eius ſtatum. Ex quo ſequitur, quòd ſi quis eſſet conſtitutus in nemore, quo in loco non poſſet occurrere materia fortitudinis, talis

Ad tertiũ.

poſſet

posset habere temperantiam sine fortitudine perfectam: nam temperantia perfecta habet in officio temperatè agere in omni euentu regulariter occurrente. In ijs verò virtutibus nemo potest diu multúque in vna materia exerceri, quin exerceatur in alijs: in alijs verò virtutibus quæ pertinent ad eminentiorem statum, qui habuerit vnam, non habet omnes in actu, sed in potentia propinqua, & in præparatione animi: nam prudentia dictat præparationem animi quando deficit materia.

Ad quartũ. ¶ Ad quartum argumentũ respondetur, quòd nos loquimur de virtutibus necessarijs ad cõmunem statum, & vitam: virginitas pertinet ad eminentiorem statum. Vel dicendum est, quòd qui sequitur virginitatem, in preparatione animi paratus est ducere vxorem si bono communi expedierit: rursus qui sequitur castitatem coniugalem, à voluptatibus venereis abstinebit si opus fuerit.

Ad quintũ. ¶ Ad quintum argumentũ respõdetur, quòd omnes virtutes morales generãtur simul tempore. Ex quo sequitur, quòd vna virtus non est prior altera tempore. Secundò sequitur, quòd omnes virtutes morales generantur vni cõ actu, quamuis in virtute multorum actuũ præcedentium. Ex quo sequitur, quòd virtus non sit virtus, antequam sit virtus. Et ad argumentum Scoti; temperantia nõ est virtus sine fortitudine: ergo fortitudo est priùs virtus: negatur consequentia: nam sat est quòd simul virtus sit. Secundò dico, nõ esse necesse quòd omnes virtutes morales generentur simul simultate physica, & instantanea; sed sat est simultas moralis. Tertiò dico, quòd qui defendunt doctrinã D. Tho. de cõnexione virtutũ, nõ necesitãtur cõcedere quòd simul generẽtur virtutes: nam secundum D. Tho. virtutes imperfectæ, quæ secundum essentiam sunt veræ virtutes, possunt esse sine alijs. Vltimò dicẽdum est pro confutatione argumẽti, quòd aliquando vnico actu heroico generãtur omnes virtutes. v. g. mulieri castæ proponitur adulterium, & pretium, & mors crudelissima si non fiat; si perseuerat in castitate, generantur omnes virtutes simul, temperantia, iustitia, fortitudo. Ex his patet omnia inconueniẽtia Scoti esse vanissima. Vltimum incõueniens oportet particulariter confutare; propter quod aliqui Theologi tenent, quòd qui peccat contra vnã virtutem, peccat contra omnes: & sic explicãt illud D. Iacobi; Qui in vno offendit, factus est omnium reus. Sed hæc explicatio falsa est: nã qui peccat contra vnam virtutem, non peccat immediatè contra omnes, sed peccat contra prudentiam, qua debilitata, vel destructa, debilitantur vniuersæ virtutes morales. ¶ Ad argumentum Gabri. dicendum est, quòd ex omnibus illis titulis habetur connexio virtutum, ex actibus, ex materia, ex fine, potissimè verò ex prudentia, sicut iam demonstratũ est. Nec argumentum de scientijs habet similitudinẽ: nam virtus moralis habet connexionem cum prudentia, quæ secum ducit omnes virtutes; sed scientiæ non habent connexionem in cõclusionibus, sed in habitu primorũ principiorũ, qui nõ secum ducit omnes conclusiones. Ad argumẽtũ Gab.

¶ Ad argumenta Almayni, & ad primum respondetur, in superioribus esse satis demõstratum quemadmodũ sit vna prudẽtia respectu omniũ agibilium, & quomodo illa similitudo de arte non consistat: videte suprà in annotationibus nostris. q. 58. ad finem. &. q. 60. art. 1. Ad argumẽta Almayni Ad primũ.

¶ Ad secundum respondetur, quòd vt sit temperantia perfecta satis est quòd operetur temperatè & sobriè in omni euentu regulariter occurrenti: & ad hoc non est necessaria virtus heroica. ¶ Ad experientias respõdetur, quòd ipsa experientia nos docet, quòd non potest homo diu se exercere in materia vnius virtutis, quin in materia aliarũ exerceatur: & ideo comparata vna virtute, alia quoque comparatur. Ad secũdũ. Ad experiẽtiam.

¶ Ad Aristot. respondetur, quòd loquitur de actu exterioti, qui est obiectum interioris: cæterùm per electiones internas, etiã inops se exercet in magnificentia; & hoc sufficit vt magnificus censeatur: præterea, vt suprà dictum est, satis est in præparatione animi, & in potẽtia propinqua habere magnificentiam; quoniam in cæteris virtutibus versatus, facilis existit ad has quoque operationes exercendas. Similiter est dicendum ad reliqua argumenta quæ in hunc modum habent. Ad Aristot.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ *Vtrùm virtutes morales esse possint sine charitate.*

SVMMA TEXTVS.

PRima Conclusio. Virtutes acquisitæ esse possunt sine charitate: possunt enim per opera humana acquiri; sicuti eas gentiles consequuti sunt. ¶ Secunda Conclusio. Virtutes morales infusę nõ possunt esse sine charitate: nam vt dictum est suprà, nec prudentia potest esse sine alijs virtutibus moralibus; Prima con.

ralibus; nec è diuerso: ad rectam autem rationem prudentiæ multò magis requiritur vt homo rectè se habeat circa vltimum finem, quod fit per charitatem, quàm circa alios fines, quod fit per virtutes morales: vnde sicut prudentia infusa non potest esse sine charitate, ita nec aliæ virtutes infusæ sine prudentia: & ex consequenti non

Tertia. poterunt esse sine charitate. ¶ Tertia Conclusio. Virtutes morales acquisitæ, sunt virtutes secundum quid: morales verò infusæ, simpliciter: illæ enim non ordinant hominem vt rectè se habeat erga finem vltimum simpliciter, sed vt rectè se habeat circa finem in aliquo genere vltimum: istæ verò ordinãt hominem vt rectè se habeat erga finem simpliciter vltimum.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Expẽditur tertia conclusio articuli. Primũ arg.

DVbium est circa tertiam conclusionẽ: videtur falsa. Nam virtutes quæ fuerunt in gentilibus, & quæ modò sunt in christiano peccatore, videntur propriè virtutes in suo ordine, vt patet. Nã definitio virtutis acquisitæ non dicit aliquem ordinem ad finem supernaturalem, sed tantùm ad finem rationis naturalem: ergo virtus acquisita quæ disponit hominem ad finem naturalem, simpliciter est virtus. Antecedẽs probatur ex Arist. definitione. 2. Ethic. c. 6. virtus

Aristo. est habitus electiuus in mediocritate consistens, sicut recta ratio dictat: quæ bona definitio est. ¶ Rursus, duo sunt hominis status;

Secundum alius naturalis, qui in hoc consistit vt homo viuat secundum rectam rationem; alius supernaturalis, qui consistit in eo vt homo viuat secundum rationem fidei & charitatis infusæ: ergo virtus quæ verè perficit hominẽ in quo-

Tertium. libet statu, absolutè est dicenda virtus. ¶ Rursus, virtutes acquisitæ, quæ acquiruntur per proprios actus diu & longo tempore, non est verosimile, quòd vno actu contrario fiat vt non sint veræ virtutes. v. g. temperantia quæ multo tempore acquisita est. His rationibus ferè omnes Theologi Scholastici tenent contra D. Tho. quòd sine charitate sunt virtutes perfectæ in suo genere, & gradu: ita Scotus d. 36. q. 1. ar. 3. Dur. q. 1. Gabr. & reliqui omnes. Scot. Durand. Gabriel.

¶ Ad hoc dubium dico, quòd est proprium illorum qui volunt omnia implere vocibus, quoniã est magis de verbis quàm de re. Caiet. bene dicit hîc: ait enim quòd sapientes multoties proferunt diuersas sententias, quæ videntur contrariæ, quæ tamen si referantur ad diuersas causas, sunt veræ. Est v. g. infirmus laborans morbo; medicus dicit citò illum moriturum; astrologus autem qui cõtemplatur astra in quorum signis natus est ille homo, docet quòd viuet multum tempus: istæ sententiæ videntur contrariæ; sed veræ sunt, consideratis diuersis causis. Sic philosophia moralis, cuius finis est informare vitam hominis bene secundum rationem animalem, docet quòd virtutes acquisitæ sunt simpliciter virtutes, etiam sine consortio charitatis infusæ; quoniam faciunt hominem promptè operari secundum humanam prudẽtiam: Theologus verò, cuius est informare vitam hominis in ordine ad felicitatem supernaturalem, docet nullam esse virtutem simpliciter, nisi quæ iuuat ad finem supernaturalem, quòd non faciũt acquisitæ nisi cum charitate: sic loquuntur sancti. & Paul. 1. Corinth. 13. nihili facit eleemosynam & fidẽ sine charitate; quoniam sola charitas diligitur à sanctis, sine ea facilè despiciunt omnia. Legitur Cant. 8. Si dederit homo pro dilectione omnem substantiam suam, quasi nihilum despiciet illam: ergo dicit bene Caieta. quòd in hac quæstione vnusquisq; abundet in suo sensu; philosophus docet bene, Theologus etiã. ¶ Secundò notandum cum Caietano, quòd sicut prudentia acquisita pendet à virtutibus acquisitis, tanquam à primis principijs quæ faciunt rectum appetitum circa finem virtutũ, pendet etiam ab appetitu naturali circa finem vltimum naturalem; ita etiam prudẽtia infusa pendet à virtutibus moralibus infusis, tãquam à proximis principijs; à charitate tanquam à principio primo; à charitate, inquam, constituente vltimum finem simpliciter: vnde virtutes istæ infusæ, quia talem finem habent, sunt simpliciter virtutes. Caiet. 1. Cor. 13. Cant. 8.

ARTIC. TERTIVS.

¶ Vtrùm charitas possit esse sine alijs virtutibus moralibus.

SVMMA TEXTVS.

CONclusio D. Tho. est negãs: asserit enim cũ charitate infundi omnes morales Conclusio.

rales virtutes. Hanc cõcluſionem in argumento, ſed contrà, probat D. Tho. nam per charitatem tota lex impletur, vt patet Rom. 13. lex autem tota impleri nõ poteſt, niſi adſint omnes virtutes morales; lex enim præcipit actus omnium virtutum, vt dicit Ariſt. In corpore verò ita eandem cõcluſionem probat. Deus non minus perfectè operatur in operibus gratię, quàm in operibus naturæ: ſed in operibus naturæ non eſt principium alicuius operũ in aliqua re, quin inueniantur in ea illa quæ neceſſaria ſunt ad huiuſmodi opera perficienda: multò igitur magis in operibus gratiæ; cùm charitas ſit principium ordinans hominem ad vltimum finem; erunt cum charitate aliæ virtutes morales, quibus homo perficit ſingula genera bonorum operum: vnde qui per peccatum mortale amittit charitatem, amittit etiam omnes alias virtutes morales infuſas.

Roma 13.

Ari. 5. Ethi. ca. 1. & 2.

EXPLICATIO ARTICVLI.

DE hoc art. ſuprà actum eſt. q. 63. ar. 3. vbi docuit D. Tho. virtutes morales infuſas eſſe ponendas. In ſolutione ad primum hîc notandum eſt, quòd ſacræ ſcripturæ charitati tribuunt operationem reliquarum virtutum, vt ad Roma. 13. Qui diligit proximum, legem impleuit, & iterum, Plenitudo ergo legis eſt dilectio. & 1. ad Corinth. 13. Charitas patiens eſt, &c. Sed tamẽ non inde eſt colligendum, quòd charitas eliciat operationem aliarum virtutum; ſed quia ſimul cũ charitate ſunt reliquæ virtutes, ideo dicitur charitas omnia operari. Vel ſecundò, quia imperat reliquis virtutibus, & earum operationes in vltimum finem dirigit, vnde habent eſſe meritoriæ.

Charitati tribuuntur aliarũ virtutũ opera. Roma. 13.

1. Corin. 13.

¶ Circa ſolutionem ad ſecundum, & tertium quæritur; an virtutes infuſæ ſint ſimpliciter virtutes quando ſunt cum paſſionibus inordinatis, ſiue illæ paſſiones ſint naturales, ſiue ex mala conſuetudine acquiſitæ. Videtur quòd non ſint ſimpliciter virtutes. Primò; quia ad virtutem ſimpliciter pertinet vt faciat operari promptè, & delectabiliter: ſed per virtutes in illo ſtatu non operatur homo promptè & delectabiliter, ſed ægrè, & cum difficultate vincit: ergo &c. ¶ Secundò, temperãtia acquiſita, vt ſuprà diximus, aliquando non eſt perfecta, ſolùm ex eo quòd impedimentum eſt aliquod extrinſecum ex defectu fortitudinis: ergo vndecunque proueniat difficultas operandi, non erit ſimpliciter virtus, quæ non promptè, & delectabiliter operatur in quocunque euentu. Tertiò, virtutes acquiſitæ, ſi homo eſſet in puris naturalibus, non eſſent ſimpliciter virtutes, vt diximus articulo præcedenti: quia non ſufficeret ſanare hominem; ſed infuſæ etiam non auferunt fomitem peccati, & rebellionem: ergo non ſunt ſimpliciter virtutes. Confirmatur ex illo quod inquit Apoſtolus; Virtus in infirmitate perficitur: vbi datur intelligi, quòd virtus moralis infuſa perficitur per exercitium contra pugnam carnis.

Anvirtutes infuſæ ſi ad ſint paſſiones, ſint ſimpliciter virtutes.

Primũ arg.

Secundum

Tertium.

Confirmatio.

¶ In oppoſitum eſt, quòd per gratiam, & virtutes infuſas efficitur homo rectus, & iuſtus ſimpliciter loquendo: ergo habet virtutes infuſas ſimpliciter. Item in Clementina vnica, de baptiſmo: & capitu. maiores, dicitur quòd paruulis infunduntur virtutes in baptiſmo, & tamen manet pugna carnis, & fomes peccati in illis: quod apparet quãdo veniunt ad vſum rationis. Item, ſi difficultas ex parte paſſionis deſtrueret rationem virtutis perfectæ, ſequitur quòd aliquis magis gratus Deo, eſſet minus ſtudioſus. Probatur ſequela: nam ſi quis naturaliter ſit procliuior ad luxuriam ex mala conſuetudine præterita, & habeat gratiam vt octo, ſentiet iſte maiorem difficultatẽ in operando, quàm ille qui habet gratiã vt quatuor, & non eſt procliuis ad luxuriam; vel etiam habet quaſdã virtutes acquiſitas: ergo ille prior magis gratus Deo, haberet virtutes imperfectiores quàm iſte ſecundus.

¶ Ad hoc dubium Magiſter Cano dupliciter reſpondebat. Primò, virtutes infuſas, quæ ſunt cum contrarijs diſpoſitionibus, non habere ſtatum virtutis. Et ad Clementinã reſpondebat, quòd loquitur de habitibus infuſis, qui ex ſpecie ſua ſunt virtutes, licèt non habeant ſtatum virtutis quouſque paſſiones ſint moderatæ. Secundò dicebat, quòd ſi hoc non placet, poteſt dici, quòd virtutes infuſæ ſunt ſimpliciter virtutes, & faciunt perfectum habentẽ ad omne opus bonum paratũm. Difficultas autem quæ prouenit ex parte paſſionum, non deſtruit rationẽ virtutis infuſæ, ſicut deſtrueret rationem virtutis acquiſitæ: quia in acquiſitis

Cano.

sitis requiritur illa promptitudo, vt sint virtutes simpliciter, eò quod in rebus inferioris ordinis multa requirũtur vt aliquis sit perfectus; sed tamen in rebus sublimioribus non est necessarium vt tot conditiones concurrãt vt aliquis dicatur bonus & perfectus in illis; vt videtur D. Tho. docere in prologo super libros de anima. Itẽ est alia ratio; quia in virtutibus humanis acquisitis etiã non requiritur vt sint perfectæ, illa delectabilitas vniuersaliter, & in operando promptitudo: nam cùm aliquis fortiter patitur tormenta propter virtutem, non necesse est vt delectabiliter patiatur: sed si cõstanter patiatur, sufficit. Item etiam est alia ratio de virtutibus acquisitis & infusis; quia impedimenta illa extrinseca passionum nõ corrumpunt principium virtutis infusæ, scilicet prudentiam à Deo infusam, corrumpunt tamen principium virtutis acquisitę, scilicet prudentiam ipsam acquisitam. Nos verò respõdemus, quòd ex his duobus modis dicendi, ille prior non est probabilis, vt ostendũt argumẽta pro parte affirmatiua: secundus verò est certissimus, & cõmunis sententia Thomistarum.

D. Tho.

Soluuntur argumẽta. Ad primũ argumẽtũ.

¶ Vnde ad primum argumentum partis negatiuæ respondetur, quòd illa maior intelligitur quantum est ex parte virtutis, non autẽ si impedimentum sit extrinsecum. Et si obijciatur, quòd etiam virtus acquisita in gradu remisso, quantum est ex se, facit delectabiliter operari: ergo in hoc nulla est differentia. Respõdetur negando antẽcedens: quia virtus acquisita ex propria nãtura habet directè & formaliter cõtrariari inordinationi appetitus; quare tantò erit imperfectior, quantò inordinatio fuerit maior in appetitu. at verò virtus infusa ex proprio genere suo non contrariatur formaliter inordinatæ inclinationi, sed effectiuè contrariatur: quare virtus erit simpliciter in quocũq; gradu à Deo infundatur: quia minima charitas cum suis virtutibus annexis potens est vincere omnes vehementes passiones.

Ad secũdũ.

¶ Ad secũdum respondetur, quòd temperãtia acquisita non est virtus simpliciter, etiam si nihil illi desit nisi connexio fortitudinis: quia tunc impedimentum non solùm est extrinsecũ alterius virtutis, sed etiam intrinsecum; quia principiũ cui subordinatur intrinsecè ipsa temperantia, scilicet prudentia, est imperfectum; virtus verò infusa est perfecta cum passionibus & sine virtute acquisita.

Ad tertiũ.

¶ Ad tertium respondetur, quòd licèt maneat fomes, & pugna in iustificatis, tamen ipsæ virtutes infusæ in quouis gradu sufficientissimæ sunt ad vincendũ motus inordinatos; non autem virtutes acquisitæ, etiam si homo esset in puris naturalibus absq; peccato. Et si obijciatur, quia homo in gratia Dei existens non potest per solas virtutes infusas sine nouo auxilio Dei vincere tentationes omnes; multò autem minùs perseuerare vsque in finem: at verò cum isto auxilio Dei supernaturali, & cũ virtutibus acquisitis etiã potest vincere omnes tentationes: ergo virtutes infusæ non propterea sunt virtutes simpliciter quòd secundum se sufficiũt magis quàm acquisitæ. Respondetur, quòd sicut ignis in naturalibus dicitur sufficiens secundum propriam naturam ad generandum ignem, licèt requiratur concursus causarum vniuersaliũ, & maximè primæ causæ, cui omnes causæ naturales necessariò subordinantur: ita etiam habitus virtutum infusarum dicuntur ex natura sua sufficere ad vincendas omnes tẽtationes, licèt requiratur auxilium Dei supernaturale, sicut causa superior eiusdem ordinis cum virtutibus infusis. Virtutes autem acquisitæ meritò dicuntur insufficientes ex natura sua ad vincendum omnes tentationes hominis infirmi, quia secũdum se subordinãtur tantùm auxilio Dei generali, & naturali, quo Deus cõcurrit cum omnibus rebus quas creauit secũdum speciem cuiusque: quare non est eadem ratio de vtrisq; virtutibus.

¶ Ad testimonium Apostoli respondetur, quòd virtus in infirmitate perficitur; intelligitur primò (vt explicat Chrysostomus) id est, mea virtus diuina, dicit Deus, manifestatur dum per vos infirmos magna facit: iuxta illud quod alibi dicit Apostolus; Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, vt sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis. Secundò intelligitur, quòd virtus in infirmitate perficitur, id est, pugnando contra infirmitatem augetur, & coronatur; non autem quòd antea non fuerit perfecta sine infirmitate.

Chrysost.

ARTIC. QVARTVS.

¶ Vtrùm fides & spes possint esse sine charitate?

SVMMA TEXTVS.

Prima cõc.

PRima Conclusio. Fides & spes, si considerẽtur secundum naturam & essentiam suam vt habent statum virtutis imperfectũ, possunt esse sine charitate: potest enim aliquis credere Deo, & sperare, etiam si Deum ex charitate nõ amet.

Secunda.

¶ Secunda Conclusio. Si fides & spes considerentur secundũ

statum

ſtatum virtutis perfectũ, ſine charitate eſſe nõ poſſunt: virtus enim perfecta non ſolum bonum operatur, ſed operatur bonum perfectè: fides autem & ſpes non operãtur bonum perfectè ſine charitate: ad debitè enim credendum, & ad rectè ſperandum requiritur voluntas charitate perfecta.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CIrca fundamentum D. Tho. dubiũ eſt. Inquit D. Th. quod actus fidei pendet à voluntate, quia nemo credit niſi volens: & ideo requiritur quòd vtraque potentia ſit perfecta, voluntas charitate, & intellectus fide. Scotus in. 3. d. 25. q. 1. impugnat hanc rationem, dicitque quòd actus fidei non pendet à voluntate humana, ſed ſolùm ab intellectu: requiritur tamẽ quòd voluntas non repugnet, nec contradicat veritatibus propoſitis ab intellectu, nec diuertat intellectum ab illis. Et probat: nam ſi volũtas traheret intellectum ad credendum, ſequitur quòd propoſita hac propoſitione; aſtra ſunt paria; de qua nihil ſcimus; poſſet aliquis intellectus trahi per voluntatem ad credendum firmiter aſtra eſſe paria: quod tamen eſt falſum, vt docet experientia. Reſpondetur, fundamẽtum D. Tho. eſſe verum, & eſſe D. Aug. tract. 21. ſuper illa verba; Nemo poteſt venire ad me niſi pater meus, &c. Ioan. 6. Et cõfir. Rom. 10. Corde creditur ad iuſtitiam, &c. vbi nomine cordis voluntas intelligitur à ſanctis. Et ratione patet: motiua enim & rationes naturales quæ inducunt adfidem, non conuincunt intellectum vt firmiter credibilibus aſſentiatur: ergo neceſſe eſt quòd per propriam voluntatem trahat quis intellectum ad aſſentiendum, iuxta illud Corinth. 10. Captiuantes intellectũ in obſequium fidei, quod fit per voluntatem. ¶ Ad Scotum reſpondet Caiet. poſſe trahi intellectum per volũtatem ad affirmandũ aſtra eſſe paria: nec inde ſequitur abſurdũ aliquod. Sed ſecundò reſpondetur negando poſſe id fieri: nam Ariſt. inquit, quòd imaginari quidẽ poſſumus etiam abſq; ratione cùm volumus, ſed opinari non poſſumus cùm volumus, niſi aliqua ratione adiecta: quare in illo caſu non trahetur intellectus ad aſſenſum: quãdo verò motiua ſunt ſufficiẽtia vt quis nõ leuiter credat, pót volũtas trahere intellectum vt credat: nulla verò motiua ſunt quæ inducãt ad credẽdũ aſtra eſſe paria: quare argumẽtũ nõ currit.

Scot.

Argumentum.

Auguſt.

Ioan. 6.

Rom. 10.

Solutio argumenti.

Ariſto. 3. de anima. c. 3.

ARTIC. QVINTVS.

¶ Vtrùm charitas viceuerſa poſſit eſſe ſine fide & ſpe?

SVMMA TEXTVS.

COncluſio eſt negatiua; cuius ratio talis eſt. Nã charitas ſuper amorẽ addit mutuam quandã redamationem cum quadam mutua cõmunicatione: vnde. 1. Ioan. 4. dicitur; Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo: iſta autem mutua communicatio in præſenti inchoatur per gratiã, & perficitur in futuro per gloriã; quorum vtrumque fide & ſpe tenetur: nemo ergo poteſt amicitiã charitatis habere ad Deum, niſi fidem habeat, per quam credat huiuſmodi communicationem & ſocietatem hominis ad Deum, & ſperet per ſpem ſe ad hanc ſocietatem pertinere: nemo ſiquidẽ poſſet cum aliquo amicitiam habere, ſi diſcrederet, aut deſperaret ſe aliquam ſocietatem, aut familiaritatem cum ipſo habere poſſe.

Concluſio.

1. Ioan. 4.

EXPLICATIO ARTICVLI.

IN hoc articulo eſt dubium circa id quod dicit D. Tho. charitatem chriſtianam eſſe mutuã amicitiam inter nos & Deũ. Patet hoc eſſe falſum. Nam nos diligimus Deum per charitatem finitam: Deus verò diligit nos per charitatem infinitam quam habet: ergo non eſt mutua hæc dilectio. Secundò, Deus infundit nobis habitum gratiæ quando nos diligit: nos verò quãdo eum diligimus, nihil infundimus: ergo. Tertiò, inter homines alia eſt charitas qua Petrus diligit Paulum, & alia qua Paulus diligit Petrum: ergo inter nos & Deum nõ eſt vna amicitia mutua. ¶ Ad hoc dubium reſpondet D. Tho. ad aliud propoſitum. 2. 2. q. 23. art. 1. Modò reſpondetur, quòd D. Tho. nõ dicit quòd charitas chriſtiana ſit mutua amicitia, in hoc ſenſu, quòd eadem charitate nos diligimus Deum,

Vtrùm charitas ſit mutua amicitia inter nos & Deũ.

Primũ arg.

Secundum

Tertium.

D. Tho.

Deum, qua ipse diligit nos; sed vult dicere, quòd charitas christiana non est tantùm amicitia simplex, id est ex altera parte tantùm, sed cónotat etiam ex parte ipsius Dei reciproca vice amorem erga nos, sed tantùm hoc facit per suam charitatem: diligit ergo nos charitate illa æterna, quæ ipse Deus est: infundit tamen nobis gratiam, & charitatem finitã, qua nos diligimus Deum. Fundatur verò hæc amicitia in fide & spe: nam quòd Deus inhabitet nos per istam gratiam & charitatem, nullus scit, sed credimus: & ideo amamus quasi nobiscum conuersantem, & commorantem. Similiter quòd sumus beatificandi in æternũ, & cum Deo victuri, nõdum habemus, sed credimus, & speramus. Igitur vt amemus Deum prærequiritur fides & spes. Debet autem intelligi de viatoribus hæc necessitas fidei: nam in patria est charitas sine fide, quanquam non sine aliquo excellentiori lũmine, scilicet visione: item ibi est etiam comprehẽsio, quæ correspondet spei. Per hæc patet ad argumenta facilè, quòd est mutua amicitia, siue vna, siue pluribus charitatibus.

Solutio argumẽtorũ.

Vtrùm fides possit esse sine spe, & contra.

¶ Est aliud dubium; vtrùm fides sine spe, & è contrà possit esse. Respondetur, quòd sicut fides potest esse sine charitate, ita sine spe. patet. Potest quis credere articulis fidei, & desperare propter sua scelera, sicut cõtigit Cain Gene. 4. & contingit multis qui se suspendũt.

Gene. 4.

Almayn.

¶ Sed tamen an è contrà esse possit spes sine fide, maius dubium est. Nam Almay. tracta. 3. suorum moralium ca. 9. partem affirmatiuam tenet, & probat. Hæreticus non credit articulis fidei, & tamen retinet spem consequendi vitam æternam: ergo. ¶ Secundò, hæreticus qui amittit fidẽ, non continuò sequitur quòd debeat desperare: ergo potest se conseruare in spe. ¶ Sed ad dubium respondetur, quòd nulla ratione potest esse spes sine fide. Patet: fides est fundamentum reliquarum omnium virtutum, ad Hebræ. 11. vbi dicitur; quòd est substantia sperandarum rerum: ergo sine fide non potest esse spes futurarum rerum; sicut nec ædificium sine fundamento; aut accidens sine subiecto. Rursus, in Concilio Tridẽtino Sess. 6. ca. 8. dicitur, quòd sine fide, quæ est ianua virtutum, non potest reperiri aliqua virtus; iuxta illud Psal. 136. Exinanite, exinanite vsque ad fundamentum in ea; loquitur in persona Dæmonum exoptantium destrui virtutes in homine vsque ad ipsam etiam fidem. Tandem spes christiana supponit cognitionẽ eorum quæ speramus, aliàs spes non esset: sed per fidem cognoscimus: ergo. ¶ Ad argumenta respondetur, quòd illa spes in hæretico nõ est infusa, sed acquisita & humana, sicut & fides qua credit alijs articulis, negatis alijs. Vide D. Tho. 2. 2. q. 4. art. 7.

Hebræ. 11.

Conci. Tri.

Psal. 136.

QVAESTIO LXVI.

De æqualitate virtutum; in sex articulos diuisa.

ARTIC. PRIMVS.

¶ Vtrùm virtus possit esse maior, vel minor.

SVMMA TEXTVS.

Prima con.

PRima Cõclusio. Virtutes specie differentes sunt inæquales in perfectione: etenim causa potior est suo effectu: & inter effectus ille qui est causę propinquior, perfectior est: & ideo cùm causa humani boni sit ratio, prudentia quæ perficit rationem, præfertur in bonitate alijs virtutibus moralibus perficientibus vim appetitiuam, in quantum participat rationem: & in his etiam tantò vna est altera melior, quantò magis ad rationem accedit: vnde iustitia præstat temperantiæ, & fortitudini; quia magis rationẽ participat; & fortitudo temperãtię, propter eandẽ causam. ¶ Secunda Conclusio. Virtutes quæ sunt eiusdem speciei in diuersis hominibus, ex parte obiecti sunt æquales; ex parte subiectorum inæquales: quicũq; enim habet temperantiam, habet ipsam quantum ad omnia ad quæ se extendit. & idem dicendum est de alijs virtutibus. Cæterùm quia ad attingẽdum mediũ virtutis, quod est secundum rectam rationem, vnus est melius dispositus alio; vel propter maiorem assuetudinem,

Secunda.

aut meliorem naturæ diſpoſitionem; vel propter perſpicacius iudicium rationis; aut verò propter maius gratiæ donum: ideo ex parte ſubiectorum virtutes eiuſdē ſpeciei inæquales ſunt. ¶ Tertia Concluſio. Ex parte ſubiecti etiam eadem virtus numero poteſt ſe ipſa perfectior eſſe pro diuerſis tēporibus. Hæc ex ſuperiori patet: quod enim dicitur de diuerſis ſubiectis, dici poteſt de eodem pro diuerſis temporibus. Tertia.

EXPLICATIO ARTICVLI.

IN hoc articulo eſt notandū, quòd D. Tho. agit de virtutibus moralibus acquiſitis: nam infuſę, & Theologicæ nullo modo comparantur cum acquiſitis, cùm ſint alterius ordinis. De acquiſitis verò quæ ſimpliciter ſunt virtutes, agit, ſcilicet quæ cū prudētia verè ſunt cōiunctę: ita hic Cai. qui excludit omnes intellectuales, & informes, etiā Theologales ab hac quæſtione. ¶ Secūdò notādū eſt, quòd virtus vna poteſt eſſe perfectior alia dupliciter: vno modo ex parte ſubiecti in quo eſt: alio modo ex parte obiecti circa quod verſatur. v.g. ſcientia quę ſe extēdit ad decē cōcluſiones, perfectior eſt quàm quæ ſe extēdit ad quinque: ex parte vero ſubiecti eadē quæ ad decē extēditur, magis radicata eſt in vno quàm in alio. Hæc autē perfectio ex parte obiecti nō reperitur maior & minor in vna virtute morali: ſunt enim æquales omnes ex parte obiecti; quia ſe extendūt ad totā latitudinē ſui obiecti, propter rationem D. Tho. quia ſcilicet ſunt in appetitu, qui eſt inclinatio ad obiectū ſuū bonū. Quare D. Tho. 2.2.q.24.art.5. inquit, charitatē ex parte obiecti minimè augeri; quia eſt virtus in appetitu. ¶ Quòd ſi quis obijciat, ſicut ſe extendit ſcientia indies ad nouas concluſiones: ita virtus moralis, & charitas ad noua obiecta: ergo perficitur moralis virtus ſicuti ſcientia ex parte obiecti. Reſpōdetur negādo conſequentiā: nā ratio formalis moralis virtutis quæ modò ſe extendit ad plures materias, eadem eſt & ſimul, & ſemel acquiſita ſeu infuſa. Ratio tamen formalis ſcientiæ partibiliter acquiritur; quia cum ſe extendit ad plures concluſiones, præter lumen principiorum requiritur etiam nouum lumen, quo determinetur habitus ſcientiæ ad cognitionem talis, & talis concluſionis. Hinc tertiò Caiet. infert, hoc differre intellectuales virtutes, & morales; quòd illæ poſſunt eſſe virtutes ſecundum ſtatum imperfectum; iſtæ non, niſi ſecundum ſtatum perfectum, vt ſuprà dictum eſt quæſtione. 65. artic. 1.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ Vtrùm virtutes ſimul in eodem exiſtentes ſint æquales.

SVMMA TEXTVS.

PRima Concluſio. Virtutes quæ ſpecie differunt, nō ſunt æquales. Hæc cōcluſio articulo præcedenti probata eſt. Prima cōc. ¶ Secūda Concluſio. Secundum intenſionē ex parte ſubiecti in quo ſunt, omnes virtutes ſunt æquales in eodē homine æqualitate proportionis; ſicut digiti vnius manus ęqualiter creſcunt, non ſecundum quantitatem, ſed ſecundū proportionē. Ratio autem huius æqualitatis eadē eſt, quæ & ratio connexionis earum: oportet enim omnes conditiones generales virtutum, in omni virtute æqualiter concurrere, & medium rationis in ipſis conſiſtere. Hanc rationem æqualitatis aſsignat D. Auguſt. 6. de Trinitate capit. 4. dicens; Si dixeris æquales eſſe iſtos fortitudine, ſed illum prę ſtare prudentia, ſequitur quòd huius fortitudo minus prudēs ſit, ac per hoc nec fortitudine æquales ſunt; quandoquidem eſt illius fortitudo prudētior. Secunda. ¶ Tertia Concluſio. Ex parte prudentiæ vnde ſumitur ratio virtutis formaliter, & connexio, ęquales ſunt omnes; ſed ex parte inclinationis ſubiecti vnde ſumitur ratio materialis virtutis ſunt inæquales: exiſtente Tertia.

namque

namque ratione æqualiter perfecta in vno & eodē, oportet vt proportionaliter secūdum rectam rationem medium constituatur in qualibet materia virtutū: sed quia vnus homo promptior est ad actū vnius virtutis quàm ad actum alterius, vel ex natura, vel ex consuetudine, vel ex dono gratiæ; ideo ex parte inclinationis subiecti virtutes in eodem æquales non sunt.

ARTIC. TERTIVS.

¶ Vtrùm virtutes intellectuales sint præstantiores moralibus?

SVMMA TEXTVS.

Prima con. PRima Conclusio. Simpliciter loquēdo de virtutibus secundum se, præstantiores sunt virtutes intellectuales, quàm morales quæ in appetitu sunt: illa enim virtus simpliciter loquendo nobilior est, quæ habet nobilius obiectum: obiectum autē rationis nobilius est obiecto appetitus; quippe cùm ratio apprehēdat aliquid in vniuersali; appetitus verò tendat in res particulares: ergo simpliciter loquendo virtutes intellectuales nobiliores sunt moralib⁹; quia illæ perficiunt rationem; istæ appetitum. Secunda. ¶ Secunda Conclusio. Virtutes morales in ratione virtutis nobiliores sunt quàm intellectuales: virtuti enim competit mouere tāquam principio ad actum, ideo namque est perfectio potentiæ: virtus autem moralis magis mouet ad actum; quoniam perficit appetitum cuius est mouere alias potentias ad actum: ergo in ratione virtutis prę eminent virtutes morales intellectualibus; quāuis virtutes intellectuales sint nobiliores habitus simpliciter.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Circa rationem D. Tho. est dubium: nā videtur ratio nulla: inquit enim quòd per intellectum apprehendimus quidditatem in communi; per voluntatem verò non apprehendimus bonū in communi, sed in particulari: contra quā sic arguitur. Examinatur D. Th. probatio. ¶ Etiam voluntas fertur in bonū in communi vt sic, & intellectus intelligit singularia: ergo. Respōdetur, quòd licèt intellectus & voluntas in hoc conueniant, quòd ferūtur in verum & bonum in communi; & rursus intellectus cognoscat existentias, & voluntas feratur in bonum in cōmuni vt possideat illud in rerum natura existens; discrimen tamē est, quòd cùm intellectus sit potentia apprehensiua, & iudicatiua, satis perficitur per rerum cognitiones, siue res existant, siue non existant: appetitus verò cùm feratur in obiectū prout est à parte rei, non satis perficitur, nisi illud habeat existens, & possideat, & eo fruatur: existentia autem est conditio indiuidui, primò & per se; quare materialis censetur: quare obiectum quod hanc conditionem postulat, materialius censetur. Explicatio probationis.

¶ In hoc articulo est maius dubiū, quomodo verum sit quòd virtutes intellectuales sint nobiliores moralibus? nam contrarium esse verū his argumentis ostendo. Examinatur, quomodo virtutes intellectuales sint moralibus prę stantiores. ¶ Primò, virtutes intellectuales dant facultatem operandi, sed nō rectum vsum, vt optimè probauit S. Th. suprà q. 56. art. 3. & 57. art. 1. sed virtutes morales dāt facultatem & rectum vsum: ergo virtutes morales sunt præstantiores. Primū arg. ¶ Secundò, virtutes intellectuales non faciunt hominem bonum simpliciter, sed bonum rhetorē, Theologum, &c. virtutes verò morales faciunt bonum habentem, & eius opus bonum reddūt: ergo præstant in dignitate & excellentia. Secundum. ¶ Tertiò, virtutes intellectuales sunt communes bonis & malis; virtutes morales tantùm competunt viris bonis: ergo. Tertium. ¶ Quartò, omnes definitiones virtutum præcipuè & potissimè conueniunt virtutibus moralibus. quod sic ostendo. Nam illa definitio; Virtus est quæ bonum facit habentem, & eius opus bonum reddit; præcipuè conuenit virtuti morali. Rursus illa; Est habitus in medio consistens electiuus prout sapiens determinauerit; solùm conuenit virtuti morali: atque etiam illa D. Augustī. Est bona qualitas mentis, qua rectè viuitur, &c. potissi- Quartum.

mè conuenit virtutibus moralibus: nam virtutibus moralibus nullus malè vtitur; virtutibus verò intellectualibus abutimur sæpissimè. Itē, virtutes morales maximè conducunt ad vitam beatam obtinendam, vt constat: ergo perfectiores sunt. ¶ Vltimò, D. Thom. 2. conclusione asserit planè quòd in virtute morali ratio virtutis plenior inuenitur: ergo virtus moralis in perfectione præstātior est. Ex quo videtur sequi, quòd sit manifesta repugnantia inter primam, & secundam cōclusionem. An non est repugnantia dicere quòd virtutes intellectuales sint nobiliores moralibus; & quòd in virtutibus moralibus ratio virtutis plenior inueniatur? Propter hæc argumenta quidam Doctores in primis graues, nominatim Caie. & Conra. existimant D. Th. intelligere, quòd virtutes intellectuales in ratione habitus & entis sunt perfectiores; at in ratione virtutis præstant morales: quemadmodū si aliqua statua exprimatur perperàm in auro, alia verò optimè in plūbo; prior figura in genere entis perfectior est, secunda verò in ratione artis, & figuræ. Hæc solutio mihi non probatur; nec verò placuit doctissimis viris, Soto, & Victoriæ. Nam D. Tho. hîc agit de æqualitate & excellētia virtutum in quantum virtutes sunt: definit autem in prima conclusione esse nobiliores moralibus; ergo debet intelligi formaliter de virtutibus, in quantum virtutes. Deinde, præcipua nobilitas virtutum ex obiecto inuestiganda est; sed D. Tho. cōstituit in articulo obiectum virtutum intellectualiū esse nobilius: ergo sunt nobiliores virtutes. Vltimò, ad extremum articuli docet S. Tho. quòd virtutes intellectuales sunt perfectiores habitus, & sunt virtutes: ergo sunt perfectiores virtutes; sicut recte sequitur; istud est perfectius ens, & est substantia; ergo est perfectior substantia. ¶ Sed probatur euidentioribus argumentis ꝙ virtutes intellectuales in dignitate antecedāt morales: hoc ostendo in primis ratione subiecti. Nam virtutes intellectuales collocantur in intellectu; morales verò in appetitu: intellectus autem præstantior est voluntate; tū, quoniam intellectus rationalis est per essentiam, voluntas verò per participationem: sic habet Arist. 1. Eth. c. vltimo; tum verò, quoniam perfectio voluntatis in hoc cōsistit, vt intellectui & rationi obtemperet: ergo intellectus præstātior est. ¶ Secundò, demonstro idem ratione obiecti: nam obiectum virtutum intellectualium nobilius est obiecto virtutum moraliū: ergo virtutes intellectuales nobiliores sunt. Antecedens probatur: nam obiectum virtutū intellectualiū est verū; obiectū virtutū moralium est bonū: verū autem longè præstantius est quàm bonum. quod sic ostendo. Nam intellectus satis perficitur rerum cognitione, & contemplatione, licèt res in rerū natura non existant: appetitus verò nūquā fertur in bonū, nisi vt habeat illud, & eo fruatur quod secum affert existentiam: existentia verò est veluti conditio materialis; cōpetit enim indiuiduo existenti: ex quo cōsequēs est, quòd verum sit magis separatum, & diuinū, quàm bonū. Pro declaratione huius rationis quā hic ponit D. Tho. quam plerique impugnant, quia non intelligunt, recolenda sunt quæ in principio huius articuli posita sunt. ¶ Tertiò idē ostendo; quoniam Arist. demonstrat nostram felicitatē esse constitutā in virtutibus intellectualibus; tū, quoniam sunt in nobiliori potentia; tū verò, quoniā sunt de nobiliori obiecto; tum etiam, quoniam intellectualis operatio magis est cōtinua & sempiterna quàm exercitiū virtutum moraliū; tum verò, quia maiori delectatione afficit mentē nostrā; tum quintò, quoniā facit homines magis similes Deo, qui in contēplatione rerū diuinarū suā habent beatitudinē; tū vltrà, quoniā virtutes omnes morales ordinātur ad virtutē intellectualē, scilicet ad summā felicitatē perpetuā, quæ in Dei visione consistit. Istā sententiā adeò multis argumētis confirmauimus, vt ostendamus, quanto in errore versentur qui plus dignitatis deferunt virtutibus moralibus quàm intellectualibus; quibus præbuit occasionē illa opinio, cuius autor est Scotus in. 4. d. 49. q. 4. quòd voluntas est præstātior quàm intellectus: ex hoc inferūt continuò, quòd beatitudo in actu voluntatis, & nō in actu intellectus consistit. Inferūt deinde, ꝙ vita actiua est perfectior quàm vita contēplatiua. Inferunt tertiò, quòd non solùm virtutes morales præeminēat intellectualibus, verùm etiā quòd inter ipsas virtutes morales iustitia sit altioris gradus quàm prudētia, cùm tamen sit corollariū euidēs ad nostrā conclusionem, quòd prudētia inter omnes virtutes morales primatū teneat: nam prudētia est directrix & gubernatrix omniū aliarū virtutum. Deinde, perfectio cæterarū virtutum in hoc consistit, quòd sit cōsentanea rectæ prudentiæ, vt patet ex virtutis definitione: ergo prudētia est regula & forma cæterarū virtutū. ¶ Sed superest argumentis in cōtrariū satisfacere: pro quorum cōfutatione sciēdū est, quòd quādo cōparātur virtutes vnius potētiæ ad virtutes alterius potētiæ, fit cōparatio inter genus & genus, & inter præstantissimā virtutē vnius potentiæ, & optimā alterius: constat autem euidentissimè, quòd virtus intellectualis præstantissima, est præstantior optima virtute volūtatis, videlicet lumē gloriæ quod nos beatos efficit; ex quo charitas

Ad vltimū.

Aristot 10. Ethic. ca. 6. 7. & 10.

Solutio argumētorū.

charitas & amor dimanant. Ex quo euidens est, quòd virtutes intellectuales præeminent moralibus. Cum hoc tamen stat, quòd aliqua virtus in volũtate superet dignitate multas virtutes intellectuales, sicuti charitas excedit sciẽtias & artes. ¶ Secunda confutatio est, quòd prudentia inter virtutes morales secundũ modum humanum acquisitas, primatũ tenet, vt suprà ostensum est; ratione cuius optimè verificatur, quòd virtus intellectualis sit præstantior. ¶ Tertia confutatio est, quòd virtutes intellectuales secũdũ se perfectiores sunt: quod liquet ex subiecto, & obiecto: cæterùm virtutes morales plus habẽt de ratione virtutis; faciunt enim bonũ habentẽ, & eius opus bonũ reddunt; quod non contingit virtutibus intellectualibus: quemadmodum scientia de anima, ratione obiecti nobilior est quàm scientię mathematicæ: verũ sciẽtiæ mathematicæ plus habent de ratione scientiæ; sunt enim euidentiores & clariores. ¶ Vltimò dicẽdũ est, quòd licèt virtutes intellectuales sint prę̃stantiores, tamen sine virtutibus moralibus parũ aut nihil possunt; sicut rationalis anima in homine præstantior est sensitiua & vegetatiua, cæterùm sine sensitiua & vegetatiua nihil prorsus operatur. Aliud dubium solet moueri in hoc articulo; vtrùm prudentia præstituat sinẽ virtutibus moralibus, an viceuersa: sed de hoc latè agitur in. 2. 2. q. 47. vbi de prudentia agitur.

ARTIC. QVARTVS.

¶ Vtrùm iustitia sit præcipua inter virtutes morales?

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Concluſio est. Iustitia est prę̃stantissima virtutum moralium, excepta prudẽtia. Probatur ista cõclusio: quia inter omnes virtutes morales, excepta prudẽtia, iustitia rationi propinquior est; quoniam est in voluntate, quæ est appetitus rationalis; & est circa operationes quibus homo ordinatur non solùm in seipso, sed etiam in ordine ad alterum: virtus autem simpliciter perfectior est secũdum quòd in ea maius bonũ relucet rationis. Post iustitiã autẽ constituitur fortitudo; quia inter virtutes morales quæ sunt circa passiones, tantò in eis magis relucet rationis bonũ, quantò circa maiora subditur rationi motus appetitus: fortitudo autem subdit motus appetitus rationi in his quæ maximè pertinent ad hominem; in his scilicet quæ pertinent ad mortem, & ad vitam. Vltimum locũ inter virtutes quatuor morales tenet temperantia, quæ subdit appetitum rationi circa ea quæ immediatè ordinantur ad vitam, vel in eodem indiuiduo, vel in eodem secundum speciem.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Vtrùm iustitia inter virtutes moralespręmatum teneat.

PRO huius articuli explicatione sciendum est, quòd Arist. 5. Ethic. ca. 1. pronunciat apertè, iustitiã esse præclarissimam omnium virtutum moralium: dicitque quòd Lucifer nõ est adeò admirabilis: & alijs multis encomijs iustitiam commendat; dicitque esse prouerbium, quòd iustitia virtutem continet omnẽ. Cicero lib. 1. de officijs. c. de iustitia dicit, quòd in hac virtute est maximus omnium splendor. ¶ Quòd igitur iustitia sit præclarissima omnium virtutum moralium, sic ostendo: tum ratione subiecti: residet enim in appetitu rationali, qui præstantior est appetitu sensitiuo, in quo cæteræ virtutes residẽt: tum verò ratione obiecti: nã virtus versatur circa difficile: difficilius autem est hominem esse rectè affectum ad bonũ alienum ad quod natura nostra non est propensa, quàm ad bonum proprium ad quòd satis est inclinata: propter quod dicit Arist. esse plures qui in proprijs bonis valent virtute, in alienis verò non valent; quia est res magis ardua: vnde approbat dictũ Biantis Philosophi; Magistratus virum ostendit: quoniam in hoc munere iam respicit alium. Ex quo cõcludit, optimum esse qui in ordine ad se, & in ordine ad alios bonus est. ¶ Idem ostẽdo ex effectu: nã iustitia habet in officio tueri pacem & trãquillitatem reip. qua de causa Aristot. comparauit illam Lucifero: affert enim ingentissimam pulchritudinem reip. conseruando eius pacem & tranquillitatem. Rursus, iustitia est necessaria in omni tẽpore, in omni loco, & in omnibus hominibus: fortitudo tantùm est necessaria in bello, & ad tuendam iustitiam: propter quod

Arist. 5. Eth. ca. 1.

Prouerbiũ Biantis philosophi.

Ageſilaus. Ageſilaus interrogatus, vtra eſſet perfectior, iuſtitia, an fortitudo? reſpondit; ſi omnes eſſemus iuſti, fortitudine nō eſſet opus. ¶ Vltimò, De fortitudine vtrum ſit iuſtitia ipſa præſtãtior. homine iuſtitiæ hîc comprehendimus iuſtitiam legalem, quæ abſque dubio præclariſsima eſt: conſulit namque & tuetur bonũ commune, quod eſt bonum diuinum. Primũ arg. ¶ Sed cõtrà eſt argumentum: nam fortitudo rectificat appetitum circa vitam & interitum, & circa operationes quæ ſunt maximè arduæ: iuſtitia verò verſatur circa commutationes & res venales: ſed priores operationes ſunt longè præſtãtiores quàm ſecundæ, iuxta illud Iob. 2. Pellẽ pro pelle, & omnia quæ habet homo dabit pro anima ſua: id eſt membra, & omnem ſubSecundum ſtantiam. ¶ Deinde, nobilitas virtutum, vt antea dictum eſt, ex præſtantiſsimo actu inueſtiganda eſt: ſed actus præſtantiſsimus fortitudinis exuperat in dignitate omnes actus iuſtitiæ; videlicet martyrium, & oppetere mortem pro Deo, & pro iuſtitia, iuxta illud; Maiorem charitatem nemo habet quàm vt animã ſuam ponat quis pro amicis ſuis: ergo fortitudo priTertium. matum tenet. ¶ Denique, virtus verſatur circa difficile: ſed fortitudo verſatur circa difficilius, & magis arduum obiectum, ſcilicet circa pericula mortis, quæ omnium terribilium terSolutio argumentorum. ribiliſsima eſt. ¶ Ad hæc argumenta dicendũ eſt breuiter, quòd iuſtitia non rectificat appetitum circa commutationes & res venales tantùm, ſed etiam circa vitam, & interitum: cùm enim homo debeat mori pro bono publico, ſubire hanc mortem eſt actus iuſtitiæ, cuius officium eſt reddere vnicuique quod ſuum eſt: ſed ſi conſideretur hæc mors quatenus terribilis eſt, pati mortem eſt opus fortitudinis, cuius officium eſt confirmare animũ ne fugiat. Ex his patet ad primum, & ſecundũ argumentum. ¶ Ad tertium reſpõdetur, quòd licèt verſaretur circa difficilius obiectum, nõ eſt conſequẽs quòd ſit nobilior virtus: nã nobilitas virtutis nõ ex difficultate, ſed ex nobilitate obiecti inueſtiganda eſt: ſicut dilectio inimicorũ difficilior eſt, quàm amicorũ dilectio: at amicorũ dilectio perfectior eſt. De reliquis pertinentibus ad hunc articulũ legite autorẽ.

ARTIC. QVINTVS.

¶ Vtrùm ſapiẽtia ſit maxima inter vir tutes intellectuales.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. AFfirmans eſt Concluſio, quã probat D. Th. Primò, Ariſtote. 6. Eth. c. 7. quia (vt autor eſt Ariſt.) ſapientia eſt veluti caput inter virtutes intellectuales. Secũdò; nam obiecta ſapientiæ præcellit obiectum aliarum virtutũ intellectualium: conſiderat enim cauſam altiſsimam, quæ Deus eſt; & ideo eius eſt ordinare; & ipſa eſt quaſi architectonica reſpectu omnium.

ARTIC. SEXTVS.

¶ Vtrùm charitas ſit maxima inter vir tutes Theologales?

SVMMA TEXTVS.

Concluſio. 1. Cor. 13. ONcluſio eſt affirmãs, quam aſſerit Paulus, & probat eam D. Thom. hac ratione. Virtutes Theologicæ habẽt idem obiectũ, ſcilicet Deum: & ideo quòd vna prę ſtet alteri, non eſt iudicandum ex obiecto, ſed ex eo quòd vna propinquiùs ſe habet ad obiectũ. Cum ergo charitas hoc modo ſe habeat, erit alijs nobilior: etenim fides eſt de non viſis, ſpes de non habitis; & ita quãdam important diſtãtiam. Sed amor charitatis eſt de eo quod iam habetur: eſt enim amatum quodammodo in amante; & amans per affectum trahitur ad vnionem amati: propter quod dicitur; Qui manet in charitate, in 1. Ioan. 4. Deo manet, & Deus in eo.

EXPLICATIO ARTICVLI.

ONcluſio articuli huius eſt de fide catholica. Patet ex illo; Nunc ma- 1. Cor. 13. nent tria hæc, fides, ſpes, charitas: maior autem horum eſt charitas: & ad Coloſſ. 3. Super omnia charitatem ha- Ad Colo. 3. bete, quod eſt vinculum perfectionis: & in alio loco dicit Paulus; Adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro: æmulamini chariſmata meliora. Loquitur apertè de charitate. Et ratio eſt euidens: Nam inter virtutes theologicas

gicas ea est præcipua, quæ magis nos vnit Deo: sed charitas magis nos vnit Deo: ergo præcipua est. Patet minor: nam fides, & spes importat quandã distãtiam à Deo: fides enim est de non visis, spes de non habitis: charitas verò importat maximam vnionem ad Deũ, secundum illud 1. Ioan. 4. Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. ¶ Sed contrà. Nam prudentia dirigit charitatem, & eius opera: ergo est perfectior. Deinde, fides est in intellectu, & versatur circa verum, quòd est nobilius obiectum quàm bonum, vt diximus. ¶ Præterea dirigit charitatem, & ostẽdit, quomodo, & quatenus diligendus est Deus: ergo. ¶ Ad primum argumentũ confutandum dicẽdũ est, quòd charitas versatur circa principia supernaturalia, sicuti synderesis circa principia moralia naturalia: & ideo non regulatur à prudentia, quæ versatur circa conclusiones. Secũdò dico, quòd si aliqua virtus dirigit charitatẽ, sapientia est, de qua non facilè definierim an sit præstantior charitate. Tertiò dicendum est (& est mirabile paradoxũ) quòd charitas non indiget directore: charitas namque omnia dirigit, omnia credit, omnia sperat, omnia operatur; ita Pau. ¶ Ad secundum argumẽtum dicendum est, quòd fides non eodẽ modo se habet ad virtutes Theologicas, sicuti prudentia ad virtutes morales: nam virtutes Theologicæ habent obiectum quod est supra hominem; prudentia verò & virtutes morales habent obiectum infra hominem: in his verò quæ supra hominem existunt, melior est dilectio quàm cognitio. Ratio huius est; quia cognitio est secundum quod cognitum est in cognoscẽte: amor verò perficitur per hoc quòd diligens trahitur ad rem dilectam: id verò quod est supra hominem, perfectius est in se quàm in nostro intellectu (vnumquodque enim quod recipitur, ad modum recipientis recipitur) è conuerso verò res se habet in his quæ infra hominem existunt. Ex hoc documento statim sequitur, quòd fides est inferior charitate: nam charitas fertur in Deum, prout est à parte rei; fides verò prout est in intellectu nostro caliginoso & obscuro. Item est aliud discrimen, quòd prudentia sic moderatur opera virtutum moralium, quòd constituit illis limitem: consistunt namque in medio: fides verò sic dirigit charitatem, quòd non cõstituit illi limitem: virtutes enim Theologicæ non consistunt in medio, vt antea dictum est.

1. Ioan. 5. Vtrùm prudentia sit præstantior charitate; & idẽ quæritur de fide.

Primum. Secundum Tertium. Argumẽtorũ solutio.

Ad primũ.

Paradoxũ de charitate.

1. Cor. 13.

Ad secũdũ.

QVAESTIO LXVII.

De duratione virtutum post hanc vitam; in sex articulos diuisa.

ARTIC. PRIMVS.

¶ Vtrùm virtutes morales maneãt post hanc vitam.

SVMMA TEXTVS.

PRima Conclusio. Virtutes morales, quoad materiale, id est quantũ ad moderationem passionum, non manent in patria. Ratio est: quoniam in futura vita nõ habebunt locum concupiscentiæ, neque delectationes ciborum, aut venereorum, neque timores & audaciæ circa pericula mortis; aut verò distributiones, & communicationes rerum, quæ in vsum præsentis vitæ veniũt. ¶ Secũda Conclusio. Virtutes morales manent in vita beata quantum ad formale; id est quantum ad modum à ratione definitum; in quantum scilicet ratio vniuscuiusque rectissima erit circa ea quæ ad ipsum pertinent circa statum illum: vis appetitiua mouebitur secundũ ordinẽ rationis in his quæ ad statũ illũ pertinent: vnde prudentiæ actus erit, nullum bonũ Deo præponere, vel æquare: fortitudinis, ei firmissimè inhærere; tẽperãtiæ, nullo affectu noxio delectari: ad iustitiam verò ptinebit Deo semper subditũ esse.

Prima cõc.

Secunda.

Examinat quomodo virtutes morales maneãt in vita beata. Aug. 14. de ciuita. c. 9. Cicero.

EXPLICATIO ARTICVLI.

QVæstionem huius articuli eruditissimè tractat D. Augu. contra Cicer. qui in Dialogo, qui inscribitur Hortensius, dixit post hanc vitam non esse

esse virtutes cardinales, sed esse beatos homines consideratione naturæ, qua nihil melius, nec mirabilius excogitari potest. Ratio huius autoris est, quoniam beati non egent præsidio istarum virtutum acquisita beatitudine. Contrà docet D. August. quòd istæ virtutes quas nostro labore comparamus, manent post hanc vitam, licèt habeant diuersos actus pro statu conditione, & qualitate. Consentit Diuo Augustino D. Thomas in hoc articulo, & explicat eleganter quos actus istæ virtutes habeant in vita beata. De qua re disputant Doctores in tertio, distinctione. 33. & Duran. quæstione quarta dicit duo: alterum est, quòd prudentia, & iustitia manent in vita beata: nam residen in subiectis incorruptibilibus; & non est quare in vita beata corrumpantur: potissimè cùm habeant suos actus præstantissimos: Alterum est, quòd virtutes appetitus sensitiui non manent in vita beata: nam corrupto corpore, corrumpitur appetitus sensitiuus: est enim virtus in organo corporis existens: corrupto autem appetitu sensitiuo, corrumpuntur virtutes in eo existentes: post resurrectionem verò non sunt futuri actus quibus istæ virtutes comparari queant: ergo non manent. Hanc sententiam video placere viris doctissimis, & probatur sic. ¶ Nam in Angelis non constituuntur istæ virtutes: quoniam non possunt habere actus prædictarum virtutum; sed in beatis non possunt esse actus istarum virtutum: ergo non permanent in patria. ¶ Secundò, in beatis non constituitur virtus pœnitentiæ; quoniam non possunt habere dolorem de peccatis in vita beata: ergo istæ virtutes in beatis non sunt constituendæ; siquidem non habent actus proprios.

¶ Tertiò, in beatis non manet fides, vt sentiunt vniuersi Theologi: hac de causa; quoniam non potest habere actum proprium: ergo si virtutes istæ non habent actum proprium in vita beata certè non manent. Item, essentia & substantia istarum virtutum est moderari passiones, & constituere modum inter excessum & defectum: ergo si non manent quantum ad moderandas passiones, quod vocat D. Tho. quantum ad materiale, certè non manent. ¶ Vltimò, perfectio & ornamentum virtutum est producere suos actus perfectè: sed istæ virtutes non producunt suos actus in vita beata: ergo non manent quantum ad ornamentum, & perfectionem. ¶ Gabriel. quæstione. 1. dubio tertio tenet, quòd istæ virtutes manent post resurrectionem: & probat sic. Nam istæ virtutes sunt ornamenta & insignia illustrissima hominis studiosi: ergo manent in vita beata ad illustrandum illū, & decorandum. Sanè quemadmodum in carne Christi Domini manent cicatrices, in quibus beati contemplentur victoriam præteritæ passionis: sic in vita beata manent istæ virtutes, in quibus beati contemplantur victoriam quam de suis passionibus reportauerūt.

D. Tho. Durand. Primum. Secundum. Tertium. Vltimum. Solutio argumentorum. Gabriel.

¶ Deinde, in vita beata nulla est potentia quę otiosa sit. Intellectus prudentissimè iudicat: voluntas obtemperat rationi: concupiscibilis delectatur suauissimè atque rectissimè: irascibilis audet fortissimè vt aggrediatur res maximè arduas: ergo non est quare in vita beata istæ potentiæ suis virtutibus orbentur.

¶ Præterea, in vita beata in sensibus sunt inenarrabiles iucunditates; & (vt existimant doctissimi Theologorum) etiam in gustu: ergo ad istas delectationes moderandas necessariæ sunt virtutes. ¶ Vltimò, actus fortitudinis non solùm est vincere pericula, sed superatis periculis gaudere, & triumphare. Rursus, non solùm est actus temperantiæ moderari passiones, sed eis moderatis gaudere, & fruitionem susscipere: isti verò actus præstantissimè inueniuntur in vita beata.

¶ Et ad argumentū Duran. respōdetur, quòd nihil valet: nam sicuti per magnum miraculum in resurrectione corpus nostrum restauratur: ita reparatur appetitus sensitiuus omnibus suis virtutibus exornatus. ¶ Ad alia verò argumenta ex dictis patet quid dicendum sit: nam expositum est, quos actus prædictæ virtutes in vita beata habeant. ¶ Sed dicet Theologus; ex ista doctrina manifestè sequitur fidem permanere in vita beata; siquidem manebit ad victoriam & triumphum de difficultate credendorum superata. Respondetur, non recte sequi: nam fides dicit imperfectionem repugnantem cum vita beata: est enim lumen obscurum de non visis. Ex quo documento sequitur solutio illius argumenti, quod in præsenti solet adduci, quod est huiusmodi. ¶ Adueniente fine cessant media necessaria ad finem: sicut cum ventum est in portum, iam non est necessaria nauis: sed virtutes morales sunt media necessaria ad vitam obtinendam: hoc enim discrepant à virtutibus Theologicis, quòd virtutes Theologicæ versantur circa finem vltimum; morales circa media: ergo cùm peruentum est in vitam beatam, virtutes morales necessariæ nō sunt.

¶ Ad hoc argumentum dicendum est, quòd non omne quod ordinatur ad finem, cessat acquisito fine; sed id tantùm, quod dicit imperfectionem: virtutes verò morales tantum abest vt dicant imperfectionem, vt maximè conducant ad vitæ beatæ perfectionem. Vide D. Tho. quæst. de virt. card. art. vltimo. D. Tho.

ARTIC.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ Vtrùm virtutes intellectuales maneant post hanc vitam?

SVMMA TEXTVS.

Prima cõc. ¶ PRima Cõclusio. Virtutes intellectuales quoad materiale, id est quo ad phantasmata, non manent post hanc vitam: corrupto namque corpore, phantasmata corrumpuntur.

Secunda. ¶ Secunda Conclusio. Virtutes intellectuales quoad formale, id est quoad species & habitus, manent post hanc vitam. Ad cuius conclusionis probationem supponit D. Tho. quorundam sententiam, qui asserebant, corrupto corpore nullam scientiam aut virtutem intellectualem manere: quia species intelligibiles non manent in intellectu, nisi quando actu intelligit; neque species conseruari possunt, nisi vires sensitiuæ actu considerent: vnde cum corrupto corpore cesset huiusmodi consideratio, tolluntur omnino species, & scientiæ. Hanc opinionem D. Th. refellit; tum, quoniam est contra Aristo. Aristotelẽ tertio de anima tex. 8. tum, quoniam species recipiuntur in intellectu, secundum modum intellectus: ideo sicut intellectus incorruptibilis est, ita & species sunt incorruptibiles.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Dubiũ de veritate secundæ conclusionis. Aristo. Argumẽta à parte negatiua. Primum. DVbium est in hoc articulo, an conclusio secunda vera sit? Probatur quòd non. ¶ Nam (autore Aristot. tertio de anima) oportet intelligentem phantasmata speculari: sed in anima separata non sunt phantasmata: ergo non manet rerum cognitio.

Secundum. ¶ Secundò, omnis nostra cognitio ortum habet à sensu, vt constat: sed in anima separata non manet vlla rerum cognitio sensitiua: ergo nulla manet.

Tertium. ¶ Tertiò, scientia diuinæ Theologiæ non manet in vita beata. quod esse verum, sic demonstrò. Nam Theologia nostra habet secum coniunctam obscuritatem: obscuritas verò repugnat visioni claræ quæ habetur in vita beata: ergo scientiæ quas hic comparamus, non manent in vita beata.

Vltimum. D. Tho. ¶ Vltimò, Diuus Thomas in probatione huius conclusionis vtitur magna æquiuocatione: nam rectè demonstrat quòd maneant spẽcies intelligibiles in anima separata: sed species intelligibiles non sunt ipsæ scientiæ, vt antea demonstratum est: ergo eius probatio inualida est. ¶ Respondetur, quæstio huius articuli in magnam nos inducebat disputationem de cognitione animæ separatæ, nisi prius exposita esset prima parte, quæstione 89. per multos articulos. Hac igitur veritate supposita, & statuta, ex illo loco ad solutionem argumentorum accedamus.

Solutio argumẽtorũ contra sententiam D. Thomæ. Ad primũ, & secundũ. ¶ Ad primum, & secundum dicendum est, quòd anima dum viuit vitam istam mortalem, propter colligationem quam habet cum corpore, non potest quidquam intelligere, nisi conuersione ad phantasmata. quod liquet in hominibus stultis, & insanis, qui propter læsionem phantasiæ nihil possunt aut rectè intelligere, aut ratiocinari. Cæterùm anima separata in statu resurrectionis gloriosæ, sicut habet alium modum essendi, ita habet alium modum intelligendi: & sicuti non dependet à corpore, quin potius corpus depẽdet ab ipsa, sic vtitur speciebus sine dependentia à corpore, & intelligit per habitus scientiæ quos hîc comparauit.

Alia solutio. ¶ Alia confutatio horum argumentorum est, quæ asserit multum probabiliter quòd animæ separatæ species infundũtur ad res singulares cognoscendas: nam ad res vniuersales satis valent species intelligibiles quas hic comparamus.

Ad tertiũ. ¶ Ad tertium argumentum respõdetur, quòd nostra Theologia quã hic comparamus, nõ manet in patria; siquidẽ obscura est; & omnis obscuritas repugnat visioni claræ quæ in vita beata possidetur: & ideo non est eadem ratio de cæteris scientijs quæ euidentiam habent. Sed de hoc latiùs disputatur in prima parte in principio.

Ad vltimũ. ¶ Ad vltimũ argumentũ respõdetur cũ Domino Caie. quòd D. Tho. prætermissis habitibus, de quorũ essentia & quidditate versantur diuersę sententię inter Doctores, accessit ad radicẽ, scilicet ad species intelligibiles, quib⁹ permanẽtibus, euidẽter concludit virtutes intellectuales per-

manere in vita beata: & scientia tantò certior est, quantò vniuersalior, & ab opinionibus magis remota.

ARTIC. TERTIVS.

¶ Vtrùm fides maneat post hanc vitam?

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Oncluſio eſt negãs, quã tali ratione probat D. D.Tho. Thom. De ratione fidei eſt imperfecta cognitio, cùm ſit ſubſtantia ſperandarum rerum, argumentum non apparentium: vnde de ratione fidei eſt vt credens non videat id quod credit: at beatitudo ex ſui ratione habet perfectionem cognitionis ex parte ſubiecti: requirit enim vt beatus videat id quo beatificatur: ſed impoſsibile eſt perfectam & imperfectam cognitionem ex parte ſubiecti ſimul eſſe in eodem: ergo impoſsibile eſt fidem manere in vita beata. Et confirmatur: etenim (vt dicitur) Per fidẽ ambulamus, & non per ſpeciem, quamdiu exiſtentes in corpore peregrinamur à Domino: illi autem qui ſunt in vita beata non peregrinantur à Domino, ſed ſunt ei præſentes: ergo fides in illis non manet. 2.Cor.5.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Num actus fidei & viſio Dei clara poſsint eſſe ſimul. Durand. IN hoc articulo eſt prima dubitatio, an actus fidei, & viſio Dei clara poſsint eſſe ſimul? De hac re tractant Theologi in tertio diſtinctione 31. Et Duran. quæſtione tertia & quarta in huius rei expoſitionem tria dicit. ¶ Primum eſt, non eſſe contra fidem, nec contra traditionem ſcripturarũ aſſerere quòd actus fidei, & clara Dei viſio poſsint eſſe ſimul: nam non eſt aliquis ſcripturæ locus qui hoc conuincat: ſcripturæ namque loquuntur de facto, non de poſsibili. ¶ Secundò dicit, non eſſe contra fidem, nec contra traditionem ſcripturarum aſſerere quòd actus fidei, & viſio Dei clara de facto maneat ſimul in vita beata: nam ſi probaretur oppoſitum, maximè ex illo. 1. Corinthiorum. 13. Ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus: cum venerit quod perfectũ eſt, euacuabitur quod ex parte eſt: id eſt, cum venerit viſio beata, euacuabitur, & deſtruetur fidei cognitio, quæ obſcura & imperfecta eſt. & ibidem dicitur; Videmus nunc per ſpeculum, & in ænigmate; tunc autem facie ad faciem. Sed ex hoc loco id non probatur: nam præmiſerat Paulus de charitate, dicens; Charitas nunquam excidit, ſiue prophetiæ euacuabuntur, ſiue linguæ ceſſabunt, ſiue ſcientiæ deſtruentur: ſed hoc non obſtante, non eſt error aſſerere quòd donum prophetiæ maneat in patria: quòd enim maneat, aſſerunt Doctores graues; & Chriſtus Dominus fuit verè Propheta, & erat verè beatus, & comprehenſor. Certè ipſe Dominus appellat ſe Prophetam, cum dicit; Matth. 13. Nemo Propheta acceptus eſt in patria ſua. ¶ Præterea, donum linguarum, & eius vſus manent in vita beata, vt ſentiunt pleriq; Theologi. ¶ Denique, ſcientiæ humanitus acquiſitæ permanent in vita beata, vt antea demonſtratum eſt: ergo cum dicit Paulus hæc omnia eſſe euacuanda, & deſtruenda, intelligendum eſt quantum ad vſum imperfectum, quem in hac vita habent: ergo ſimiliter de actu fidei poſſumus dicere, quòd eius imperfectio & obſcuritas auferenda eſt: manebit tamen actus fidei. ¶ Tertiò dicit, quòd actus fidei, & viſionis claræ non inter ſeſe repugnant, vt exiſtimat D. Thom. quapropter poſſunt eſſe ſimul: Sed probabilius eſt quòd non maneant ſimul. Prima pars probatur. Nam quando manet ratio formalis actus, & operationis, manet ipſa operatio, & actus: ſed in vita beata manet ratio formalis viſionis, & ſcientiæ, & fidei. quod ſic demonſtro. Nam ratio formalis viſionis eſt, quòd obiectum ſit præſens potentiæ cognoſcitiuæ: hanc autem manere, certius eſt quàm vt ſit oſtendendum. Ratio autem formalis ſcientiæ eſt, ſcire concluſiones per principia: hanc autem manere liquet. Ratio verò fidei eſt, aſſentiri propter autoritatem primæ veritatis: beati verò aſſentiuntur articulis fidei propter autoritatem Dei teſtificantis, quæ non minor eſt in cœlo quàm in terra: ergo in vita beata manet viſio, & actus credendi. ¶ Secundò, actus fidei, & claræ viſionis differunt ſicut perfectum & imperfectum: ſed ſcientiæ naturales, & clara Dei viſio differunt

1.Corin.13

Donum prophetiæ an maneat in patria. Primũ arg.

Matth. 13.

Secundum

Tertium.

Tertiũ dictum Dur.

Primũ arg.

Secundum

differunt ſicut perfectum & imperfectum; & nihilominus manent in vita beata: ergo actus credendi, & viſionis claræ manent ſimul. Et arguitur in patrocinium huius ſententiæ Durandi. Tertium. ¶ Nam fidei non repugnat rerum euidentia, & clara Dei viſio: ergo poſſunt eſſe ſimul. Conſequentia euidens eſt, & probatur antecedens. Nam primus Angelus cognouit euidenter Deum non poſſe mentiri. quod de ſe liquet. Rurſus cognouit Deum reuelare illi Trinitatis myſterium. quod ſic oſtēdo. Nam cognouit euidenter quòd alius Angelus hoc ſibi nō reuelabat, atque adeò cognouit quòd ſuus intellectus hoc ſibi non prædicebat: ergo cognouit euidenter myſterium Trinitatis eſſe verum, & ſimul habebat fidē: ergo fides, & Quartum. rerum euidentia non repugnant. ¶ Deinde, miracula quę Chriſtus Dominus operabatur, euidenter oſtendebant Apoſtolis illum eſſe Deum: ergo euidenter oſtendebant illum nō poſſe mentiri: ſed prædicebat myſteria Trinitatis: ergo euidenter cognoſcebant Deum eſſe trinum & vnum: & habebant fidem: ergo. Antecedens huius argumenti aſſerit D. Tho. 3. parte quæſtione. 47. articulo. 5. & in. 2. 2. q. 5. artic. 2. & de veritate quæſt. 14. artic. 9. ad. 4. Vltimum. ¶ Vltimò, Chriſtus Dominus per viſionē beatificam videbat eſſentiam diuinam, & Trinitatem perſonarum; & per ſcientiam inditam cognoſcebat Trinitatem perſonarum multò meliùs quàm omnes Prophetæ: & hoc quidē per reuelationem, & fidem, quātum videtur: nam nec aliqua creatura, nec aliquis effectus, nec aliqua ſpecies creata poteſt repræſentare Deum vt trinum, ſed tātùm vt vnum: omnia enim opera Trinitatis ad extra ſunt indiuiſa, vt optimè oſtendit D. Tho. 1. parte quæſt. 32. articu. 1. ergo. Secunda pars aſſertionis patet: nam actus fidei eſt obſcurus: ergo non poteſt eſſe ſimul cū clara Dei viſione. Deinde, actus fidei ſemper eſt de non viſis: ergo non poteſt Expoſitio quæſtiōis. eſſe ſimul cum clara Dei viſione. ¶ Pro explicatione veritatis dico primò, qui aſſerit quòd Prima con. actus fidei manet ſimul cum clara Dei viſione, periculoſè loquitur, & violentiam infert ſa Ad Heb. 11 cris ſcripturis: nam D. Paul. ſic definit; Fides eſt ſubſtantia ſperandarum rerum, argumentum non apparētium. In qua definitione duo dicuntur: vnum eſt, quòd fides eſt fundamentum ſpei: ſed in vita beata non manet ſpes: ergo non manet fides. Deinde dicit, quòd eſt argumentum non apparentium, id eſt perſuaſio de rebus quæ non videntur; dicit enim idem 1. Cor. c. 5. Paul. Quādiu ſumus in corpore peregrinamur à Domino: per fidem enim ambulamus: in qua ſententia conſiderandum eſt, quas diſpoſitiones ponat in nobis fides: in primis facit nos peregrinos & exules à patria cœleſti: deinde facit nos viatores; vnde dicit; Per fidē enim ambulamus: viſio verò beata facit nos domeſticos Dei, & comprehenſores diuinæ viſionis: ergo viſio beata, & actus fidei omnino repugnant. Hoc enim aſſerunt ſancti Patres: dicit enim D. Auguſt. 27. ſermone de ver Auguſt. bis Apoſtoli; Quid eſt fides, niſi credere quod non vides? Idem teſtatur D. Gregor. Gregor. homilia. 26. in euangelia explicans illud Ioannis capitulo. 20. Quia vidiſti me Thoma, &c. Item Durando poſſumus dicere; quod videt quis, quid credit? quemadmodum dicit Paul. Quod habet quis, quid ſperat? ¶ Secūdò, dico Secūda cō. etiam ſecundum rationem naturalem repugnātia eſt, quòd ſint ſimul actus fidei, & claræ viſionis; ſicut repugnantia eſt quòd ſint ſimul in eodem cognoſcente clara, & obſcura notitia eiuſdem obiecti: nam actus fidei intrinſecè, & ex ſua eſſentia eſt actus obſcurus: ergo impoſsibile eſt quòd ſit ſimul cum clara viſione eiuſdem obiecti. ¶ Ex quo documēto vni- Argumēto uerſa argumenta Duran. ſolutionem habent. rū ſolutio. Nam illud quod adducit, quòd in vita beata Ad primū. manet ratio formalis credēdi; falſum eſt: nam ratio formalis credendi non eſt aſſentiri veritatibus propter autoritatem dicentis, ſed aſſentiri obſcurè & ænigmaticè: propter quod dicit D. Pau. Videmus nunc per ſpeculum, & in ænigmate. & D. Petrus de lumine fidei dicit; Cui bene facitis attendentes quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco. ¶ Item ſecundum ar- Secundum gumentum quod facit Dur. inane eſt prorſus: dicit enim, quòd actus fidei, & viſionis claræ differunt ſicut perfectum & imperfectum: ſed differunt etiam ſicut clarum & obſcurum, ſicut lucidum & caliginoſum: & ideo ſimul manere non poſſunt. ¶ Ad tertium argumētum Tertium. quòd fecimus in fauorem Duran. dicendum eſt primò, quòd euidentia in atteſtante non repugnat fidei: euidentia verò rerum in ſeipſis aduerſatur fidei. Voco euidentiam in atteſtante, quando eſt euidens tantùm propter teſtimonium dicentis. Secundò reſpondetur, quòd euidentia in atteſtante repugnat fidei: ſic habent vniuerſi interpretes D. Tho. contra D. Caie. 2. 2. quæſt. 5. artic. 1. ¶ Et argumento de Angelo dicendum eſt, quòd Angelus inferior poterat illuminare ſuperiorem de myſterijs ſupernaturalib⁹. Prēterea dico, quòd Deus potuit creare alium Angelum ſuperiorem, qui de hac re illum illuminaret: atque adeò potuit Deus myſterium ſic obſcurè & ænigmaticè proponere, vt Angelus non potuerit intelligere niſi obſcurè. ¶ Ad quar- Quartum. tum reſpondetur, quòd miracula quæ Chriſtus faciebat, erant quidem ſigna euidentia diuini-

diuinitatis, his qui penetrabant miracula, & modum faciẽdi miracula; quod communiter non cognoscebatur, nisi per fidem infusam. Secundò respondetur, quòd euidentia in attestante, vt paulò antè dictum est, non aduersatur fidei obscuritati. Quintum. ¶ Ad quintum respondetur, quòd Christus Dominus per scientiam inditam non cognouit euidenter essentiam diuinam, & mysterium Trinitatis: sic docet S. Tho. 3.p.q.11.arti.1. quamuis contrariũ asserat Caie. ibidem, sed falsò. Secundò respondetur, quòd Christus Dominus cognouit per diuinam reuelationem mysterium Trinitatis; sed diuina reuelatio non est ratio formalis fidei, sed diuina reuelatio obscura & ænigmatica, qualis in Christo Domino inueniri non potuit. ¶ Superest respondere ad illum locũ D. Pau. 1. Corint. 13. Siue prophetiæ euacuabũtur &c. & dicendum est, non esse eandem rationẽ fidei, & cæterorum donorum quæ prædicat Pau. esse euacuanda: nam fides habet obscuritatem intrinsecam, quæ proinde ab ea nũquã separatur: cætera verò charismata habent accidẽtariam imperfectionẽ pro statu huius vitę, quæ proinde ab eis separari valet. Secundò respondetur, quòd donum prophetiæ non manet in vita beata secundum substantiam: nam prophetia est ad aliquid futurum: & propheta est ille qui fatur ea quæ procùl sunt à cognitione audientium: in vita beata omnes beati intuentur omnia præsentia, & dicunt; sicut audiuimus, sic vidimus in ciuitate Dei nostri. Verum est tamen, quòd Christus Dominus licèt esset comprehensor, & beatus, fuit verè propheta: nam prædicebat ea quæ procùl erant à cognitione audientium. De dono linguarum vero similius est quòd nõ maneat in vita beata: nam ad perfectionem patriæ cœlestis spectat, quòd idipsum sapiant omnes, & vno eodemque loquantur idiomate. De sciẽtia iam dictum est in præcedenti articulo, quòd manet tantùm quoad formale, non tamen quantum ad materiale.

Resp. ad D. Paulum.

Num habit' fidei maneat simul cum clara Dei visione.

¶ Secundum dubium est; vtrùm habitus fidei maneat simul cũ clara Dei visione. Hanc quęstionem explicat Duran. loco citato; & dicit in primis, non esse cõtra fidem asserere quòd manet simul cum visione Dei clara. Deinde dicit, hoc esse omnino incertum. Tertiò dicit, probabilius esse quòd sint simul. Probatur hæc sententia optimis argumẽtis. ¶ In primis D. Pau. in raptu vidit diuinam essentiã, vt constanter affirmat tum D. Augu. tum D. Tho. & non perdidit fidem, vt vniuersi Theologi affirmant, & nominatim D. Tho. 2.2.q.175.ar.3. ergo habitus fidei perseuerat simul cum clara Dei visione. Nec valet dicere quòd D. Pau. vidit diuinam essentiam ad horam, & in trãsitu, & non permanenter: nã quòd habitus fidei non permaneat cum clara Dei visione, non facit longitudo temporis, sed natura oppositionis: ergo si in vno instanti perseuerant simul, poterunt per longum temporis spatium perseuerare. Secundum ¶ Secundò, habitus fidei humanæ potest perseuerare cum scientia rerum euidenti: ergo habitus fidei diuinæ potest perseuerare cum clara Dei visione. Consequentia euidens est: & probatur antecedẽs. Nam siquis credat Astrologo aliquam veritatem, vt quòd Luna eclipsabitur, quam postea vidit proprijs oculis eclipsari, non amittit fidem quam adhibuit Astrologo; imo adhibet illi fidem certiorem. Tertium. ¶ Tertiò, habitus opinionis manet cum scientia, & adiuuat illam: ergo habitus fidei manet cum clara Dei visione. Antecedens probatur: nam si quis assentiatur alicui veritati propter rationes probabiles, cuius postmodum adinuenit demonstrationem, ille assensus scientificus certior est, & firmior propter rationes probabiles: ergo opinio adiuuat sciẽtiam. Quartum. ¶ Quartò, si Philosophus qui cognouit Deum esse, conuertatur ad religionem nostram, & suscipiat fidem, ille assensus scientificus & euidẽs, fit firmior & certior propter fidẽ: ergo fides, & clara rei euidentia possunt esse de eodem. Quintum. ¶ Quintò, nostra Theologia quam hic addiscimus in terris, manet in vita beata, vt habet opinio probata multorum Theologorũ: ergo habitus fidei manet in vita beata: nam habitus fidei est habitus primorum principiorum in diuina Theologia. Sextum. ¶ Item si fides non perseuerat in vita beata, maximè quia non potest habere actum suum, qui obscurus est. Sed hęc ratio inualida est: nam virtutes morales manent in vita beata, cùm tamen actus proprios in vita beata producere nõ valeant. Expositio dubitationis. ¶ Ad hoc dubium explicandum, dicendum est, quòd sententia Durandi hæretica non est; nihilo secius tamen probabiliùs est, & magis consentaneum diuinis literis, quòd habitus fidei non perseueret cum clara Dei visione. Nã D. Pau. in testimonijs adductis in præcedenti dubio apertissimè pronunciat, quòd fides non manet in vita beata sine distinctione inter habitum & actum. Deinde, lumen fidei est obscurum, & caliginosum, & quod lucet quasi lucerna lucens in caliginoso loco: ergo aduenìente lumine gloriæ splendidissimo, statim dissipabitur. Idem confir. Nam impossibile est quòd aër simul sit splẽdidus, & caliginosus: ergo impossibile est quòd intellectus noster simul sit illustratus lumine gloriæ clarissimo, & fidei obscurissimo. Vltimò, lumen fidei habet in officio efficere homines viatores

Durand.

Primũ arg.

Auguſt. D. Tho.

viatores, peregrinos, & exules à patria cœlesti;
2.Corin.5. quemadmodum dicit Paulus. 2. Cor. 5. Quam diu sumus in corpore peregrinamur à Domino: per fidem enim ambulamus: sed visio Dei facit homines beatos, & comprehensores: ergo non perseuerant simul. ¶ Ad primum argu
Solutio argumẽtorũ. Ad primũ. mentũ, de visione Pauli, multi affirmant quòd non vidit diuinam essentiam: quorum sententiam ego lubenter amplector, & secundum istam sententiam non procedit argumentum. Alij, vt D. Aug. & D. Tho. affirmant constanter D. Paulum vidisse diuinam essentiam in raptu, & secundum istam sententiam argumen-
Quomodo Paulus viderit diuinã essentiã. tum habet summas vires. ¶ Dicendum tamen est, quòd D. Pau. vidit diuinam essentiam, ad horam, & in transcursu; & ideò lumen gloriæ in illo potiùs habuit rationem dispositionis, quàm habitus perfecti: propter quod potuit perseuerare simul cum habitu fidei, sicut dispositio intemperantiæ potest esse simul cum habitu temperantiæ: cæterùm perfectus habitus intemperantiæ non perseuerat simul cum
Caieta. habitu temperantiæ. Hanc solutionem habet hîc Caie. ex D. Tho. 2.2. loco citato. Alij verò Doctores dicunt, quòd si Paulus vidit diuinam essentiã in raptu, lumen gloriæ tunc dissipauit lumẽ fidei, sed postea iterum infusa fuit illi fides ad credendum. Sed hæc opinio nulla ratione probari debet; tum, quoniam nouitia est; tum, quoniam nullum fundamentum veritatis habet. Quarta solutio est, quòd D. Pau. licèt viderit diuinam essentiam, & Trinitatem personarum, non vidit omnia dogmata ad fidem spectantia; non vidit an esset in corpore, aut extra corpus; & respectu illorum quę non vidit, mansit fides. ¶ Sed contra hęc omnia est vnum argumentum difficile. Nam qui vidit Romam, non ampliùs credit Romam esse: sed D. Pau. vidit diuinam essentiã, & recordatur se vidisse: ergo non habuit fidem de hoc my-
Caiet. sterio. Dominus Caieta. loco citato sic refellit argumentum, vt dicat, quòd respectu illorum quæ vidit Paulus, nõ habuit fidem, nisi in præparatione animæ: paratus enim erat assentiri his veritatibus, licèt euidentiam non haberet. Alij verò ex magistris nostris asserunt, quòd D. Pau. non recordabatur se vidisse diuinam essentiam. Sed mirum est quòd D. Pau. narret historiam huius visionis, & quòd ex eius narratione colligunt Doctores, D. Pau. vidisse diuinam essentiam, & quòd non recordaretur huius visionis. Certè argumentum est difficillimum, & videtur dicendum, quòd sicuti euidentia in attestante non repugnat fidei, sicut antea dictum est; sic nec aduersatur fidei notitia memoratiua euidens, quando nõ est per
Ad secũdũ. propriam speciem. ¶ Ad secundum argumentum respondetur, quòd ille homo iam non adhibet fidem Astrologo circa illam veritatẽ; sed potest ei dicere, iam non credo propter tuã loquelam, sed quia video. ¶ Ad tertium, & quartum argumentum dicendum est, quòd opinio, scientia, & fides se mutuò adiuuant in his in quibus non opponuntur. Habitus enim opinionis inclinat intellectum ad assentiendum, sed cum formidine: adueniente autem scientia, ille assensus fit firmior, & certior ratione habitus opinatiui, sed tollitur formido: similiter fides diuina dat assensum certũ, sed ineuidentem: adueniente scientia, ille assensus fit firmior, & certior, sed tollitur ineuidentia. Cæterum in vita beata est tãta certitudo, tum ex præsentia Dei, tum ex lumine gloriæ, vt nõ opus sit habitu fidei obscuro. Vel dicendum est, quòd bene potest homo assentiri eidem veritati per medium demonstratiuum, & per rationes probabiles: cæterum non est consequens quòd sciat, & opinetur eandem veritatem, sicut optimè explicat S. Tho. 2.2. q. 1. arti. 5. ad. 4. & in. 3. parte quæst. 9. articulo. 3. ad. 2. S.Tho.
Ad tertium & quartũ.
¶ Ad quintum argumentum negatur consequentia: nam habitus fidei non est per se habitus primorum principiorũ in diuina Theologia, sed per accidens pro isto statu: Theologia namque nostra secundum se euidens est, & procedit ex principijs per se euidentibus, vt liquet in hac demõstratione: omnis homo habet intellectum: Christus est homo: ergo Christus habet intellectum. illa minor secundum se euidens est. ¶ Ad vltimum respondetur, quòd virtutes morales habent actus proprios & perfectos in vita beata, sicut expositum est in primo articulo.
Ad quintũ.
Ad vltimũ.

ARTIC. QVARTVS.

¶ Vtrùm spes maneat post mortem in statu gloriæ.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Conclusio est negãs; cuius ratio est. Nam spes importat motum quendam in id quod non habetur: quare cũ habetur id quod speratur, spes esse non poterit: in vita autẽ beata habetur iam quod sperabatur, scilicet diuina visio, & fruitio: non ergo ibi spes esse poterit: sicuti neque assecuto termino

motus

motus, manet ipse motus: vnde di
Rom. 8. citur Roma. 8. Quod videt quis, quid sperat? Spes ergo in vita beata manere nullatenus potest.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Circa istum articulum solùm decet aduertere, quòd eius conclusio est de fide catholica, vt patet ex illo Pauli Roma. 8. Quod videt quis, quid sperat? Et ratio euidens est. Nam spes nō est boni præsentis, & iam possessi, sed futuri. Item, spes dicit tendentiam & motum ad esse quendū finem: ergo acquisito fine cessat spes, & omnis motus. ¶Sed ex hac definitione oritur duplex difficultas: vna est, an animæ beatæ per spem christianam desiderent corporis vnionem, & resurrectionem? Altera est, an desiderent per spem christianam alijs beatitudinem futuram? Hanc rem explicat eleganter D. Tho. 2.2. q. 18. arti. 2. & elegantissimè solutione ad. 3. & 4. legatur hic.

ARTIC. QVINTVS.

¶Vtrùm aliquid fidei, aut spei remaneat in gloria?

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Conclusio est negatiua; quam probat D. Tho. primō. Fides est quidā habitus simplex: simplex autem vel totum tollitur, vel totum remanet: cum igitur fides nō totaliter maneat, sequitur eam omnino tolli, & deperdi. Secundò eam probat, & simul refellit opinionem quandam asserētium fidem in vita beata non totaliter tolli, spem autem omnino subtrahi: sed tamen si hæc opinio intelligat manere in patria eundem habitum genere, idest secundū quòd cognitionem dicit, vera est huiusmodi opinio: cæterùm hoc non est manere fidem; impossibile est enim eādem cognitionem numero manere in patria, cum illa quæ fuit in via. Nam sublata differētia alicuius rei, manet quidem substātia generis, sed non eadem natura illius rei: non enim remanet eadē animalitas, si nō sit eadem anima constituens animal. Cùm ergo in alia vita corrūpatur vltima differentia fidei, implicat vt eadem numero cognitio, quę prius fuit ęnigmatica, fiat visio aperta.

ARTIC. SEXTVS.

¶Vtrùm maneat charitas post hanc vitam in gloria?

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Affirmans est cōclusio, quā ita probat D. Tho. Quādo imperfectio alicuius non est de ratione ipsius speciei, nihil prohibet, id quod antea imperfectum erat, postea perfectum esse: sicut cùm homo per augmētum perficitur: charitas autem est amor, de cuius ratione non est aliqua imperfectio: potest enim esse habiti, & nō habiti; visi, & non visi: ergo charitas non euacuatur per gloriæ perfectionem, sed eadem numero manet.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Conclusio huius articuli est de fide catholica: dicit enim Paulus; Charitas nunquam excidit. Ex 1. Cor. 13. ista conclusione duplex nascitur difficultas. ¶In primis videtur q Dubiū de veritate cō clusionis. charitas in vita beata sit otiosa, & superuacanea. Nam voluntas in vita beata necessitatur ad amandum Deum, vt sentiunt doctissimi Theologi in materia de beatitudine: ergo nō indiget habitu charitatis ad amādum Deum. Deinde, voluntas naturaliter inclinatur ad amandum Deū, & habet Deum præsentē sufficiēter propositū: ergo nō indiget habitu charitatis. ¶Secunda difficultas est, vtrùm charitas

viæ,

Dubium.2. Vtrùm charitas viæ & patriæ sint eiusdē speciei.

viæ,& patriæ,sint eiusdem speciei. Et videtur quòd differant specie. Nam amor patriæ est necessarius & naturalis;amor viæ est liber:sed liberum & necessarium differunt genere, vt constat ex metaphysica: ergo non sunt eiusdem speciei.Secundò,charitas viæ nunquam potest adæquare charitatem patriæ, vt cōstat apertè:ergo non sunt eiusdem speciei.Consequētia inde probatur:nam id quod est imperfectum, per continuum augmentum potest adæquare id quod perfectum est, quādo sunt eiusdem rationis. Sed de his dictū est satis suprà.q.4.artic.4.cum de beatitudine actū fuit, diceturq; distinctiùs & clariùs in.2.2.q.24.ar. 7.Satis modò dictū sit de durationē virtutū.

Primū arg.

Secundum

QVAESTIO LXVIII.

De donis Spiritus sancti; in octo articulos diuisa.

PRobationes literæ D.Thomæ in hac quęstione,& duabus sequentibus non ponuntur,vt solet fieri; quoniam in annotationibus habentur expressæ.

ARTIC. PRIMVS.

¶ Vtrùm dona differant à virtutibus?

SVMMA TEXTVS.

Prima cōc.

PRima Conclusio.Si loquamur de dono,& virtute secūdum nominis rationē, non oportet vt distinguātur inter se.

Secunda.

¶Secunda Conclusio. Dona distinguuntur à virtutibus secundū propriam rationem.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ Vtrùm dona sint necessaria homini ad salutem.

¶Conclusio est affirmans.

ARTIC. TERTIVS.

¶ Vtrùm dona Spiritus sancti sint habitus?

¶Conclusio est affirmans.

ARTIC. QVARTVS.

¶ Vtrùm conuenienter septem dona Spiritus sancti numerentur?

¶Conclusio est affirmans.

ARTIC. QVINTVS.

¶ Vtrùm dona Spiritus sancti sint connexa.

¶Conclusio est affirmans.

ARTIC. SEXTVS.

¶ Vtrùm dona Spiritus sancti remaneant in patria?

SVMMA TEXTVS.

PRima Conclusio. Dona perfectissimè erunt in patria quantum ad eorum essentias. ¶Secūda Conclusio.Dona,quātum ad materiam circa quam operantur, nō habebunt operationē in statu gloriæ,nec manebunt in patria, sicut de virtutibus cardinalibus dictum est suprà quæst.67.art.1.

ARTIC. SEPTIMVS.

¶ Vtrùm dignitas donorum attendatur secundum enumerationē Isaiæ. c.11.

Isaiæ.11.

SVMMA TEXTVS.

Prima cōc.

PRima Conclusio.Simpliciter loquēdo de dignitate donorū, id est in cōparatione ad proprios actus, eadem est ratio comparationis in ipsis, & in virtutibus.Dona enim perficiunt hominem ad omnes actus potētiarum animæ, ad quos perficiunt virtutes: quare sicut virtutes intellectuales moralibus præferuntur;& inter intellectuales, contemplatiuæ præstant actiuis: ita in donis, sapientia, intellectus, scientia, & consilium prę feruntur pietati, fortitudini,& timori. ¶Secūda Conclusio.Quātum ad materiam,fortitudo, & consilium præferuntur scientiæ,& pietati:fortitudo enim

Secunda.

& con-

& consilium habent locum in arduis; pietas autem & scientia in cõmunibus. Vnde donorũ dignitas ordini enumerationis respondet; partim quidem simpliciter, secundum quòd sapientia & intellectus omnibus præferuntur; partim autem secundum ordinem materię, qua ratione cõsilium & fortitudo præferuntur scientiæ, & pietati.

ARTIC. OCTAVVS.

¶Vtrùm virtutes sint præferendæ donis?

SVMMA TEXTVS.

Prima con. PRima cõclusio. Virtutes theologicæ præferuntur donis.

Secunda. ¶Secunda Conclusio. Si comparemus dona ad alias virtutes intellectuales, vel morales, dona præstant virtutibus.

EXPLICATIO QVAESTIONIS.

Quomodo distinguantur dona à virtutibus. DE hac re differunt Doctores in. 3. dist. 34. Et quidem de distinctione donorum à virtutibus est communis opinio, quòd reipsa non distinguuntur, sed tantùm nominis appellatione. Dicuntur virtutes, quoniam perficiunt potentias ad rectè & studiosè operandum. Vocãtur rursus dona eædem virtutes, quoniam spirãtur ab Spiritu sancto: sic docet Scot. q. vnica

Scot. Gabriel. Almaynus. Ocham. D.Tho. consentiunt Gabr. Almay. Ocham, & cæteri huius classis. Sed D. Th. in hac. q. ar. 1. postquã confutauit multos modos distinguendi virtutes, in fine ponit modum secũdum propriam sententiam, dicẽs quòd ad inuestigandũ quomodo differant dona à virtutibus, debemus modum loquẽdi sacræ scripturæ sequi, in qua recensentur hæc dona; nõ sub nomine donorum, sed sub nomine spirituum, & impulsuũ.

Esaiæ. 11. Dicitur enim Esaiæ. 11. Requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus cõsilij & fortitudinis, &c. Ex quo datur intelligi, quòd hæc dona insunt nobis ex inspiratione diuina. Inspiratio verò diuina

Duplex prĩcipium mouens in homine. significat motionem ex exteriori principio prouenientem. Est enim considerandũ, quòd in homine est duplex principium mouẽs: vnũ interius, quod est ratio: alterũ exterius, quod est Deus: sic docet Arist. 7. Ethic. ad Eudem. c. 18. loquens de bona fortuna. Aristo. ¶Secundò notandum est, quòd omne quod mouetur, vt rectè moueatur, necessariũ est quòd sit proportionatum motori; & perfectio mobilis quatenus mobile, est quòd sit rectè dispositum vt rectè à suo motore moueatur: & quantò motor fuerit altior, atque sublimior, tantò in mobili maior dispositio necessaria est. Quod apertè videmus: nam in discipulo maior dispositio & excellentior requiritur ad excellentiorem doctrinam percipiendam. ¶Tertiò notãdum est, quòd virtutes humanę perficiunt hominem secundum quòd natus est moueri & gubernari per rationem in omnibus quæ agit tum interiùs, tum exteriùs: oportet ergo inesse homini alias perfectiones, secundum quas disponatur vt diuinitus moueatur. Et istæ perfectiones vocantur dona spiritus Sancti, non solùm quia ab Spiritu sancto inspirantur, sed quoniam sunt dispositiones quædam, quibus anima disponitur vt rectè & promptè moueatur ab inspiratione diuina, secundum illud Esaiæ. 50. Dominus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorsum non abij. Esaiæ. 50. & Aristot. loco dudum citato dicit expressè, quòd ei qui mouetur per instinctum diuinũ, non expedit consiliari per rationem humanã, sed sequi eius ductum; mouetur enim à nobiliori principio quàm sit ratio humana. Quæ sententia vt meliùs intelligatur, quæritur distinctè; Num Spiritus sancti dona à virtutibus distinguantur? Aristo. Quæstio vtrùm dona à virtutibus distinguantur. ¶A parte negatiua hæc sunt argumenta. Principiò D. Augustin. & Gregor. sæpissimè ipsas virtutes appellãt dona: nam beatus Augustin. lib. 1. de quæst. Euangel. quæst. 8. exponens illud quod habetur Matth. 12. Tũc vadit, & assumit septem alios spiritus, &c. sic inquit; Septem vitia sunt contraria septem virtutibus Spiritus sancti, id est septem donis. Et libro. 15. de Trinit. appellat charitatem, donũ, dicens; nullum esse isto dono excellentius, solumque esse quod diuidit inter filios regni, & filios perditionis. D. Gregor. 1. Moral. cap. 28. exponens illud Iob; Nati sunt ei septem filij, sic scribit; Septem nobis nascuntur filij, cùm per conceptionem bonæ cogitationis, Sancti spiritus septem in nobis virtutes oriuntur. Et adducit illud quod habetur Esaiæ. 11. Requiescet super eum spiritus Domini, &c. quo in loco enumerantur septem Spiritus sancti dona. Primũ arg. Augustin. Gregor. Matth. 12. Esaiæ. 11. ¶Præterea, quorum est eadem definitio, ipsa quoque inter se sunt eadem: sed definitio virtutis conuenit donis; vnumquodque enim donum est bona qualitas mentis, qua rectè viuitur, qua nullus malè vtitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur: ergo dona à virtutibus Secundum

Tertium. Arist. bus non distinguuntur. ¶ Ad hæc, virtus (autore Aristot.) est dispositio perfecti ad optimum; estque vltimum potentiæ; atque adeò est quæ bonum facit habentem, & eius opus bonũ reddit. Atqui omnes prædictæ definitiones verè & propriè competunt donis, vt planè constat: dona ergo à virtutibus non dissident.

Quartum. ¶ Quid? quòd pleraque inter dona connumerata, proprijssimè & verisimè sunt virtutes. Etenim sapientia, intellectus, & scientia, sunt virtutes intellectuales; consilium verò ad prudentiã pertinet; pietas autem species est iustitiæ; fortitudo quædã virtus moralis. videtur ergo quòd dona, & virtutes non distinguantur.

Vltim. ¶ Vltimò, ad perfectionem naturalem sufficiũt acquisitæ virtutes: ergo ad supernaturalem, infusæ: vnde non oportet constituere dona à virtutibus distincta.

Confir. ¶ Hoc ipsum confirmatur. Nam ad salutem hominis spiritualem sat fuerit quòd homo se rectè habeat, tum circa diuina, tum circa humana; sed per virtutes theologicas homo rectè & studiosè se habet circa diuina; per virtutes autem morales circa humana: ergo superuacaneum est virtutibus dona superaddere distincta. In contrarium est sententia Diui Thomæ.

In oppositũ D. Thom. ¶ Ad huius rei expositionem animaduertendum est, esse omnium Doctorum sententiam

Esa. 11. quòd dona sint ponenda, ex Esaia c. 11. & de singulis donis sunt testimonia euidentia in diuinis eloquijs. Sed contentio est, an distinguantur à virtutibus, & ad quos actus destinentur? In limine tamen quæstionis operæpretium erit referre verba Esaiæ ex quibus doctrina donorum à diuinis Theologis eruta est: sic habet Esai. loco citato. Egredietur virga de radice Iesse, &

Exponitur locus Esa. 11. flos de radice eius ascendet. Et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis. Et replebit eum spiritus timoris Domini. In huius sententiæ elucidationem variant sanctæ scripturæ interpretes: nã

Athanas. Athanas. lib. de fide vnitatis, septiformem spiritum apud Esaiam describi ait, & numero hoc septenario plenitudinem diuinitatis Spiritus sancti in Christo fuisse. Idem habet Tertul. libro

Tertul. Orig. Irenæus. 3. aduersus Marcionem, & Origenes homilia 6. in Numeros, & Irenæus libro 3. capitulo 10. Videtur igitur voluisse prophetam horum spirituum appellatione, significare Christum habiturum omnem plenitudinem spiritus: sicut cum præcipitur vt Deum amemus toto corde, tota anima, omnibus viribus, omni mente; nihil aliud videtur voluisse quàm id quòd alibi dicitur; Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius. Sic hoc loco dicit, omnes virtutes spiritus, quotquot vsquam in Christo reperiuntur, in Christo futuras esse. Cæterum alij sancti patres ex hoc loco efficaciter colligunt septem Spiritus sancti dona: nominatim Gregor. Nazianzenus in sanctã Pentecostẽ. D. Basil. contra Eunomium li. 5. c. 14. Aug. contra Faustum li. 12. ca. 15. Isychius in Leuiti. libr. 1. cap. 4. Cypria. lib. 1. aduersus Iudæos cap. 20. & Hilarius in Matth. cap. 15. & Ecclesia canit. Tu septiformis munere, &c. Sed quidam nouitij Theologi, vt Vatablus, & Pagninus, tantùm ex hoc loco numerant sex Spiritus sancti dona: nã pro eo quod ad finem huius sententię dicit Esa. Et replebit eum spiritus timoris Domini, vertunt isti noui interpretes; odorari faciet eũ omnes in timore Domini; vt sit sensus, quòd Christus citò odoretur eum qui timet Dominum: id est, cognoscet bonos & malos. Sed nobis nõ licèt relicta sanctorũ patrum autoritate ad istorũ sentẽtiã deflectere, qui amplectũtur Rabinorũ, & Iudęorũ sententiã, sanctorũ patrũ prætermisso cõsensu. Sit ergo exploratũ & certũ apud virum Theologũ, quòd ex hoc loco efficaciter colliguntur septẽ dona Spiritus sancti: sed quomodo distinguantur à virtutibus, & inter sese, magna est disceptatio inter doctores Theologos. Durã. in 3. d. 34. q. 1. refert de hac re quatuor Doctorũ sentẽtias. ¶ Prima opinio est eorũ, qui dicebãt virtutes, & dona realiter distingui: quia virtutes dãtur ad bene operãdũ: sed dona ad resistendũ tẽtationibus. Sed hãc opinionẽ reijcit idẽ Durã. quia per idẽ datur alicui facultas ad bene operandũ, & ad resistendũ malo contrario: sicut enim per temperantiã aliquis habet temperatè viuere; ita per eandem habet resistere oppositis temperantiæ: quod etiã in alijs virtutibus intelligendũ est. Vnde de charitate, quæ imperat actus omnium virtutũ, dicitur Cãt. 8. Aquæ multæ, id est tentationes qualescunq; nõ potuerunt extinguere charitatem. Si ergo virtutes perficiũt ad rectè operandũ, non oportet ponere alios habitus qui perficiãt nos ad resistendũ tẽtationibus. ¶ Secũda opinio dicit, dona differre à virtutibus; quia per virtutes euitãtur peccata, per dona autẽ purgãtur sequelæ peccatorũ. quod videtur probari ex sentẽtia D. Gre. qui ait; Sapiẽtiã dari cõtra stultitiã: intellectũ verò cõtra hebetudinẽ &c. quę quidẽ nõ sunt peccata, sed peccatorũ sequelæ. Sed hanc etiã expositionẽ refellit Durand. quia omnis huiusmodi defectus tollitur per virtutes, sicut per dona: sapiẽtia enim & intellectus, siue sumãtur vt virtutes, siue vt dona, æqualiter tollunt stultitiam & hebetudinem intellectus. Deinde pronitas ad peccandum est sequela peccati: ista autem pronitas tollitur per assuefactionẽ in actib⁹ studiosis. ¶ Tertia opinio dicit, virtutes, & dona differre sicut superius, & inferius; ita q̃ oĩs virtus est donũ, nõ tamẽ omne

Cant. 8. Greg. Gre. Nazianz. Basilius. August. Isychius. Cyprian. Hilarius. Vatablus. Paginus. Quomodo dona à virtutibus & inter se distinguantur. Durand.

donum est virtus: Differentia autem nominum est, quòd illud idem quod dicitur virtus prout perficit nos ad bene operandum, dicitur donũ prout datur à Deo: virtus enim sortitur rationẽ doni; quia per infusionem habetur: & hoc videtur in scriptura significari. Sapiẽtia enim quę secundum se est virtus quędã, vocatur donũ prout nobis à Deo infunditur: quod designat beatus Iacobus in sua Canonica dicẽs; Omne datũ optimũ, & omne donum perfectum de sursum est, descendẽs à patre luminũ. Et deinde in particulari de sapiẽtia loquẽs, ait; Si quis indiget sapientia, postulet à Deo, &c. Simili modo Paul. loquitur de fide, vocans eã donũ ad Ephes. 2. Gratia estis saluati per fidẽ; & hoc nõ ex vobis: donũ enim Dei est. ¶ Cõtra hanc autẽ sententiam est argumentum. Nã si donum, & virtutes sunt idẽ re, & solùm differunt secundũ rationem; quot sunt virtutes, tot erunt dona: & sic temperantia quę est virtus, erit etiã donum &c. Qui hanc sequuntur opinionem, concedunt tot esse dona, quot sunt virtutes infusæ: quia ex infusione sortiuntur nomen doni. Quòd si roges, quomodo apud Esa. non ponuntur iustitia, nec tẽperantia &c. dicunt etiam ab Esa. poni iustitiam, & tẽperantiam inter dona, si attendatur totum caput: subdit enim; Et erit iustitia cingulũ lumborum eius, & fides cinctoriũ renũ eius: & ita iã ibi ponitur fides & iustitia. Et sub fide & spe, & charitatẽ dicunt cõtineri. Temperantiá autẽ dicũt intelligi debere in dono timoris, quia maximè per timorem à delectationibus carnis retrahimur, secundũ illud; Confige timore tuo carnes meas. Prudentia verò nomine cõsilij cõprehenditur: & ita omnes virtutes intellectuales, morales, & theologicæ, vt à Deo infunduntur, dona dicuntur. Et si obijcias: plura ergo sunt dona quàm septem. Cõcedunt consequentiam. Quòd verò à quibusdã tantùm septẽ dona numerentur, ex eo dicũt prouenire, quia initiũ tantùm ca. 11. Esaiæ cõsiderauerunt, non autẽ totũ processum illius: attamen quia quædã sunt quæ inclinãt hominẽ ad rectè operandũ, & à contrarijs retrahũt, quãuis non sint virtutes, tamen talia quando à Deo infunduntur, sunt quædam dona; vt timor, siue accipiatur pro passione, siue pro affectione voluntatis actuali, vel habituali, secundum quam rationem donum magis extenditur quã virtus, quia non omne donum est virtus, sed omnis virtus est donum quando à Deo infunditur.

¶ Quarta opinio est, quòd dona differunt à virtutibus: quia dona perficiunt ad operandum altiori modo quàm virtutes. Ad quod intelligendum, aduertendũ est quòd habitus non requirũtur ad eliciendam substantiam operationis, sed propter modum operandi. Modus autem operandi, vt ad presens attinet institutũ, est duplex; humanus, & suprahumanus. Primũ modũ experimur in nobis: de secundo verò loqui videtur Arist. 7. ethi. diuidens contra virtutem absolutè & simpliciter acceptã, virtutem heroicam, quã vocat diuinam, eò quòd secũdum eam quasi diuino modo homo operatur. Ex quo sic argumẽtatur Durãdus: Vbi est alius & alius modus operandi, diuersi habitus sunt constituendi: sed secundum virtutes operamur modo humano; secundum dona verò modo diuino: ergo sunt differentes habitus. Confirmatur: quia cùm homo sit quid mediũ inter bruta, & substantias separatas, quæ diuinæ dicuntur, sicut in malitijs inuenire est modum humanũ, & superhumanũ, vel bestialem, sicut sunt peccata contra naturã, quæ excedunt modum naturæ humanæ, & malitiæ humanæ: sic in bonis est inuenire humanũ modum, ad quem perficiunt virtutes; & superhumanum, siue diuinum, ad quem perficiunt dona. Tandem Durand. ingenuè fatetur se ignorare quomodo hæc dona à virtutibus distinguantur. Scotus in 3. d. 34. dicit sine assertione, quòd dona non distinguuntur à septem virtutibus: nã consilium est prudentia; fortitudo exprimitur nomine suo inter dona; temperantia in timore continetur; iustitia in pietate; charitas per sapientiam; fides per scientiam, & intellectum; spes autem non explicitè numeratur, sed datur intelligi per sapientiam, quæ est charitas. Itaque opinio Scot. parum dissidet ab opinione tertia, quã refert Durand. Gabr. ad literam transcribit Scot. D. Tho. in hac q. art. 1. & in 3. d. 34. q. 1. ar. 1. constanter affirmat, quòd dona, & virtutes inter se distinguuntur. Atqui hæc opinio fuit antiquorum omnium. Henrici, quodlibet 4. q. 33. Bonauẽturæ, & Richardi in 3. d. 34. His constitutis, vt ad rei definitionem deueniamus, statuitur prima cõclusio. ¶ Dona, & virtutes inter se distinguũtur. Probatur: quoniam singulis virtutibus theologicis & cardinalibus nullum correspõdet donũ in numeratione donorũ Spiritus sancti: nullũ enim respondet charitati, nullũ spei; soli fidei correspõdet donum intellectus, & sapiẽtiæ: ergo cõstat quòd nõ sint idem. Præterea, imaginatio Scotica, secundum quã adaptatur sapiẽtia ad charitatẽ, & spem, ficta est, & inanis prorsus. Præterea, iuxta commentum Scoti non omnes virtutes fuissent in Christo; quia non fuit fides, quæ autore Scoto intelligitur nomine intellectus, & scientiæ. Deinde, dona infunduntur à Deo; at virtutes morales secundũ Scot. & Durã. nõ infundũtur à Deo. Sed adducamus fortiora fundamẽta in huius sententiæ cõfirmationẽ. Primũ fundamentum doctrinæ D. Tho. est, quòd virtutes perficiunt hominem vt est natus moueri à ratione; dona vero perficiunt hominem vt est natus moueri à Deo. Vnde dona reddũt hominem

Iacob.

Ephes. 2.

Aristot.

Scot.

Gabr. D. Thom.

Henric. Bonauent. Richard.

Duplex modus operandi.

minē promptè mobilem à diuina inspiratione; virtutes verò reddunt mobilem à prudentia, & à ratione. Sanè ratio mouet hominem, atque etiam Deus, vt Aristoteles testatur in capitulo de bona fortuna superiùs allegato. Cùm ergo motus oporteat vt sit motori proportionatus, & perfectio mobilis sit dispositio vt rectè moueatur, quantò motor altior fuerit, tantò magis mobile perfectiori indiget dispositione: discipulus namque ad altiorem doctrinam perfectiori opus habet dispositione. Hæc est potissima causa quare dona à virtutibus distincta cōstituantur, vt bene afficiant hominem vt rectè & promptè à diuino spiritu concitetur, & moueatur. De hoc dicitur Esai. 50. Dominus aperuit mihi aurem, ego non contradico. & Aristoteles libro superiùs citato dicit, quòd ei qui mouetur instinctu diuino, non expedit consiliari secundum rationem humanam: sequitur enim interiorem instinctum, non rationem humanā. ¶ Sed hoc fundamentum D. Thom. adnititur conuellere, & labefactare Scotus: nam inquit falsum esse quòd virtus perficiat voluntatem vt moueatur à ratione: ratio enim non mouet voluntatem, sed contrà: vnde falsum videtur quòd virtus perficiat voluntatem vt est mobilis à ratione: dona verò, vt est mobilis ab Spiritu sancto. ¶ Deinde, per idem aliquid est proportionatum mouenti primo, & secundo: ergo si per virtutem proportionatur voluntas rationi, per eandem proportionatur Spiritui sancto; & consequenter nō oportet ponere alios habitus propter motionem ab Spiritu sancto. Antecedens probatur: quia ex quo Deus dedit habitum voluntati, semper assistit voluntati, & habitui ad actus sibi conuenientes; sicuti ex quo miraculosè illuminauit cæcum, semper assistit illuminato vt possit mouere illam potentiam. ¶ Præterea, qui ex dono operatur, vel iudicat secundum intellectum & rationem aliquid esse agendum; vel non: si primum; ergo mouetur à ratione: si secundum; ergo temeraria est motio, & operatio. Imò sequitur quòd non est bona & studiosa operatio, siquidem non est conformis rectæ rationi, & sic opus temerarium & non studiosum esset ab Spiritu sancto. ¶ Vltimò sequitur ex fundamento D. Thom. quòd quando homo operatur per motionem Spiritus sancti, & instinctum, quòd non concurrat actiuè, sed potiùs agatur, & impellatur: quod videtur absurdum esse, & alienum à vera Theologia. ¶ Ad hæc argumenta non est difficilè respōdere. Ad primum dicendum est, quòd ratio verè mouet voluntatem, pręcipiendo, illuminando, & vt ita dixerim regulando. Vnde verissimè dicitur virtutes morales esse dispositiones appetitus, vt mobilis à ratione. ¶ Ad secundum argumentum subobscurè respondet Caieta. in primo articulo huius quæstionis, sed distinctè dicendum est; verum esse quòd per eandem formam, qua apti & prōpti efficimur vt moueamur à secundo motore, apti certè efficimur vt moueamur à primo: verùm non est necesse, quòd per eandem formā & dispositionē, qua efficimur apti vt moueamur à primo motore, efficiamur ex consequenti apti vt moueamur à secūdo. Itaque quando Deus & ratio simul mouent, per eandem dispositionem & virtutem mouent: at quando Deus solus mouet, & impellit ad operandum, tunc per donum Spiritus sancti mouet, non per virtutem: sicuti si Deus solus calefaceret aquam, non faceret per calorem ignis. Explicatur vberiùs hæc solutio. Natura ita comparatum est, vt ad diuersas formas diuersæ sint dispositiones, & à diuersis motoribus, per diuersas & varias dispositiones, ea quæ mouentur efficiantur apta atque idonea. Porrò in homine tres sunt motores; ratio lumine naturali prædita, & prudentia; ratio prædita lumine gratiæ, & fidei; & mens humana pulsata instinctu Spiritus sancti. Ad hoc vt vires animę obediant primo motori, constituuntur virtutes morales acquisitæ, tendentes ad media, & fines ab illo motore præstitutos: ad hoc verò quòd vires animi obediant secundo motori, ponuntur virtutes theologicæ, & infusæ: vt verò omnes animæ potentiæ obediant, & obtemperent supremo motori, ponuntur dona tendentia in fines proprios, à tali motore præstitutos, & demonstratos. Necessitas autem distinguendi duos ordines habituum infusorum ad obediendum, monstratur à Diuo Thoma in litera, ex imperfecta participatione motoris supernaturalis per habitus virtutum theologicarum, si motor supernaturalis perfectè in nobis per illos habitus haberetur, sicut habetur per lumen naturale, & prudentiæ motor naturalis, sufficerent fortassis virtutes theologicæ, & virtutes infusæ: sed quoniā per infusas virtutes, & theologicas imperfectè participatur motio supernaturalis, cogimur dona distincta à virtutibus constituere: innumera enim sunt opera ad quæ nos Deus per instinctum Spiritus sancti mouet, quæ sub virtutibus infusis non cadunt.

¶ Ad tertium respondetur, ex necessitate concedendum esse quòd intellectus iudicat, & proponit id quod agendum est, & quidem sub ratione boni; aliàs voluntas non vellet: sed non iudicat ratio; quia ratione humana non comprehenditur tale opus, sed instinctu diuino intellectus iudicat id quod agendum est.

¶ Ad quartum dicendum, quòd cùm homo operatur ex instinctu Spiritus sancti, potiùs agitur quàm agit; & comparatus ad Spiritum

Arist. Esa. 50. Aristot. Scot. argu. Prim. argu. Secundum. Tertium. Vltim. Solutio. Ad pri arg. Ad secundū Caiet. Ad tertium Ad quartū

ritum sanctum passiuè se habet: cæterùm iam motus ab Spiritu sancto liberè consentit, & operatur, & effectiuè concurrit ad operationes sapientiæ, & intellectus, &c. Sed de hoc memini me suprà dixisse in pluribus locis, quomodo aliud sit quòd animæ vires concurrant actiuè ad operationes, & quòd moueant se ad operandum. Certè cùm volumus beatitudinem, effectiuè producit voluntas hanc volitionem, sed non mouet se ad hanc volitionem, sed mouetur ab autore naturæ: sic sanè cùm homo per dona operatur, elicit proprias operationes, sed non mouet se per propriam operationem, & consilium ad operandum, sed mouetur ab instinctu Spiritus sancti. Hactenus de primo fundamento D. Thomæ.

¶ Aliud fundamentum statuit Diuus Thomas nempè quòd aliqui actus sunt ab Spiritu sancto, ad quos non sufficiunt virtutes infusæ, neque acquisitæ. Quod fundamentum vt intelligatur, statuit rursus, quòd virtutes vniuersę sunt limitatæ. Certè fides ad illa sese extendit solùm quæ continentur in diuinis scripturis, & traditionibus Apostolicis, quæ spectant ad religionem fundandam. Præterea fides ex auditu est: vnde consequens est, quòd quando quis intelligit aliquid in diuinis scripturis, & non ex auditu, non intelligit per fidem, sed per donum Spiritus sancti. Vnde etiam est, quòd quando quis facit opus virtutis, quod non legitur in diuinis eloquijs, nec habetur ex auditu, nec exemplum eius inuenitur in omni ætate, signum est, quòd sit ab instinctu Spiritus sancti. Ad eundem modum dijudicandum est de virtute prudentiæ, quæ limitata est & finita ad omnia agenda quæ ratione humana, & consilio humano continentur. Vnde si quis faciat opus bonum, & studiosum, quod ratione humana, & consilio humano inuestigari non valet, ad instinctum Spiritus sancti referendum est. Vnde si quis moueretur nunc ad opus egregium & eximium, vt ad nauigandum ad terram incognitam, quia Spiritus dicit multos se in ea ad nostram religionem conuersurum, ad hoc non sufficit fides, neque humana prudentia, sed donum intellectus, & sapientiæ, quo eruditur homo; & donum fortitudinis, vt infracto animo id opus aggrederetur; vt Samson, Iudas Machabæus aggressi sunt opera supra humanas vires. Vnde cum dicitur; Ductus est Iesus ab spiritu; non absurdè de dono consilij, & fortitudinis intelligi potest: mouebatur enim, & inspirabatur supra omne rationis humanæ captum. Vnde sit regula.

Samson, Iudas Machabæus.

Regula ad cognoscendum impulsum Spiritus sancti.

¶ Quando non potest assignari ratio facti, & opus est studiosum, & rectum, in instinctum, & donum Spiritus sancti referendum est. Proscto innumera sunt opera ad quæ non sufficit humanum consilium; quia quid oremus sicut oportet, nescimus, sicut scribit Paulus Romanorum 8. tamen ijs spiritibus inspirati sancti Dei homines operantur. Rom. 8.

Hæc omnia confirmantur: quia plures idiotæ intelligunt mysteria fidei (vt scribit Diuus Pater Augustinus de Beato Antonio) ad quod non sufficit fides; fides enim prodire in actum non potest, nisi ex auditu: at Diuus Antonius intelligebat quæ nunquam audierat. Huic sententiæ fauent sanctæ scripturæ. Romanorum 8. Qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei. & in Psalmo. Spiritus tuus rectus deducet me. & 1. Ioannis. 2. Non necesse habetis vt aliquis doceat vos, sed vnctio docebit vos de omnibus. & illud ex Diuo Paulo. Spiritualis dijudicat omnia. August. Rom. 8. 1. Ioan. 2.

¶ Sed obseruandum est, quòd hæc distinctio non sumitur dumtaxat ex eo quòd dona mouent hominem ad actum bonum motione diuina extrinseca, virtutes autem mouent intrinsecè: neque ex eo quòd mouent ad actus bonos humanos, dona verò ad actus diuinos, & heroicos: sed differentia est quadripartita.

¶ Prima est, quòd virtutes ordinant diuersas potentias ad bonum. verbi gratia. Theologicæ ordinant intellectum & voluntatem ad Deum vltimum finem. Intellectuales perficiunt intellectum speculatiuum & practicum. Morales perficiunt partem appetitiuam: verùm dona spiritus perficiunt omnes animæ vires, vt rectè, & ordinatè Deo primo motori subdantur, & in ipsum ordinentur.

¶ Secunda differentia est, quòd virtutes sunt principia in homine operandi bonum modo humano secundum normam rationis humanę: dona verò sunt principia impulsiua, vt ita dicam, inspirantia ad bonum modo quodam diuino, & suprahumano. Itaque dum homo afflatur inspiratione diuina, non homo planè videtur: neque humanum quoddam spirare, sed diuinum; sicut Ioannes Euangelista afflatus dono sapientiæ, & intellectus, intonuit; In principio erat verbũ, &c. & D. Stepha. afflatus dono fortitudinis, faciebat signa & prodigia multa in populo. & Paul. in omnibus epistolis suis diuinũ spirat spiritum, non humanum. ¶ In hoc ergo consistit præcipua distinctio donorum à virtutibus, quòd virtutes perficiunt homines modo humano, & secundũ normam rationis humanę: dona verò modo planè diuino & heroico: & ideo dici possunt diuinę virtutes. Et reducũtur advirtutes exẽplares, quas in Deo constituimus propter earũ excellentiam: de quibus cõstat quòd non sunt eædem cum virtutibus humanis, sed altioris ordinis, & planè diuini. Sanè sicut magnanimitas (vt docet Aristoteles 4. ethicorum D. Ioannes. D. Stephan. D. Paulus. Arist.

rum) se habet ad alias virtutes morales; sic dona Spiritus sancti ad virtutes. Magnanimitas autem in hoc discernitur à cæteris virtutibus, quòd est principium operandi bonum excellentissimè & magnanimè in omni genere virtutis: cæterę verò virtutes sunt principia operandi bonum modo consueto, & secundum communem cursum. verbi gratia. fortis fortiter agit, sed magnanimus intendit magnanimiter operari, fortiter & gnauiter agendo.

¶ Tertia differentia est, quòd cùm homo opera virtutum exercet, ipse se mouet, & incitat per propriam deliberationem, & consilium, vt rectè operetur; at cùm homo per dona Spiritus sancti operatur, potiùs agitur inspiratus à Deo, quàm ipse se moueat, & incitet ad operandum: vnde adeò diuinè & superhumanè homines quidam operantur, quòd videntur dij inter homines.

¶ Quarta differentia est, quòd opera planè diuina, quæ ex donorum instinctu & inspiratione procedunt, regulantur altiori regula quàm opera cæterarum virtutum: opera namque virtutum acquisitarum regulantur ratione humana, atque prudentia: opera verò virtutum theologicarum regulantur ex fide, vel à Deo secundum communes regulas, & operandi normas: sed opera quæ ex donis proficiscuntur, regulantur ex diuino instinctu, & inspiratione, quæ cõmunibus legibus non comprehenduntur. Atque hæc dicta sint de donorum distinctione, & virtutum.

Dona Spiritus sancti septem. Esa. 11.

¶ Secunda conclusio. Septem sunt dona Spiritus sancti, non plura, nec pauciora. Hæc conclusio probatur in primis ex Esaiæ capitulo vndecimo, vbi distinctè septem dona Spiritus sancti numerantur: sic enim inquit: Requiescet super eum, scilicet Christum, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis. Et replebit eum spiritus timoris Domini. Viso ergo quòd sint septem dona ex doctrina sacræ scripturæ, reddenda est ratio quare sunt septem: in qua demonstranda variant doctores. Aliqui dicunt quòd sunt septem: quoniam dantur tanquam septem remedia contra septem vitia capitalia. Alij verò inquiunt quòd sunt septem: quoniam opponuntur septem vitijs quæ causantur in potentijs animæ, scilicet irascibili, & concupiscibili, & rationali ex peccato. Nam in concupiscibili ex peccato causatur duritia, qua non flectitur homo ad subueniendum proximo indigenti, contra quam infunditur donum pietatis. In irascibili autem ex peccato causatur timiditas aggrediẽdi, & sustinendi ardua pro Deo, & pro bono virtutis, contra quam fortitudo infunditur. Causatur etiam præsumptio, & temeritas, qua aliquis pluris quàm æquum sit seipsum æstimat, cui subuenitur per donum timoris. In parte insuper rationali efficitur hebetudo respectu finis, qua homo à cognitione vltimi finis retrahitur: contra eam verò infunditur donum intellectus. Causatur etiam ex peccato stultitia, qua homo retrahitur à desiderio & amore vltimi finis; & contra eam donum sapientiæ infunditur. Respectu verò eorum quę sunt media ad vltimum finem ex peccato prouenit ignorantia, qua nescit homo ea media eligere, quæ maximè ad vltimum finem conducunt: & contra eam infunditur donum scientiæ. Causatur tandem ex peccato præcipitatio, qua homo magis ducitur passione, quàm electione: & contra eam donum consilij infunditur. Et quidem hic modus dicendi nihil continet absurditatis, & defendi potest. Cæterùm multò melius alij dicunt, rationem septem donorum accipi ex eo quòd dona perficiunt vitam contemplatiuam, & actiuam, excellentiùs quidem quàm habitus intellectuales, & morales. Ipsa enim dona comparantur ad virtutes, sicut perfectiones superadditæ; ita quòd multò magis perficiunt hominem ad vitam actiuam, & contemplatiuam, quàm ipsæ. Ex quibus ita deducitur numerus donorum. Dona enim quæ sunt perfectiones virtutibus superadditæ, vel perficiunt virtutem pertinentem ad vitam contemplatiuam, aut virtutem pertinentem ad vitam actiuam. Si igitur quò ad vitam contemplatiuam perficiant virtutes, aut perficiunt ipsam virtutem per modum experientiæ, & gustus; & hoc fit per donum sapientiæ: aut per motum in timæ penetrationis, aut speculationis; & hoc fit per donum intellectus. Si verò quò ad vitã actiuam perficiant; aut perficiunt ipsam virtutem quantum ad recessum à malo; & hoc fit per donum timoris, quo homo peccatum timet; non quidem propter pœnam, sed ex Dei dilectione: vel perficiunt virtutem quantum ad operandũ bonum: & hoc duobus modis; quoniam vel illud bonum omnes tenentur operari; vel nõ omnes: si omnes; duobus iterum modis potest euenire: quoniam vel donum in ipsa operatione virtutem perficit tanquam opus ipsum exequens; & hoc fit per donum pietatis: vel tanquam opus ipsum dirigens; & hoc fit per donum scientiæ. Si quantum ad operationem boni ad quod nõ omnes tenentur, duobus iterum modis contingit; quoniam vel donum perficit virtutem in operatione tanquam opus ipsum arduum exequens, & hoc fit per donum fortitudinis; vel tãquam opus ipsum arduum dirigens, & hoc fit per donum consilij. Septem igitur sunt Spiritus sancti dona.

Dona hominibus necessaria ad salutem.

¶ Tertia cõclusio. Dona Spiritus sancti sunt homini necessaria ad salutis consequutionẽ. Et de

aliquibus donis eſt expreſſa ſententia ſcripturę:
Sap.7. ſcribitur enim Sap.7. Neminem diligit Deus, niſi eum qui cum ſapiẽtia inhabitat. & Eccleſiaſt.
Eccleſ.1. 1.c. Qui ſine timore eſt, non poterit iuſtificari. Sed rationes quæ demonſtrant ex diuina Theologia horum donorum neceſsitatem, iſtæ ſunt. Deus, vt optimus rector & prouiſor, vnicuique naturæ prouidet de medijs conſentaneis, quibus proprium conſequatur finem: homo autem duos fines habet; videlicet naturalem, & ſupernaturalẽ. Naturalis quidẽ vt viuat ſecundũ rationis normã & regulã, & vt rerum naturas intelligat: & ad hunc finem conſequendum indidit ſibi intellectum, & volũtatem, & primorum principiorum euidentiam, in quibus omnibus ſcientia innititur & incumbit. Vt igitur homo hunc finem naturalem conſequeretur, neceſſum fuit ei conferre virtutes intellectuales, atque morales, quibus rectè vitam inſtitueret ſecundum rationis regulam. Supernaturalis autem finis eſt, vt vniatur per viſionem, & fruitionem ſummæ ac primæ veritati: ad hanc autem vnionem obtinendam non ſufficiunt virtutes intellectuales, & morales humanitus acquiſitæ; quoniam cùm finis ſit ſupernaturalis, oportet omnino media eſſe ſupernaturalia. Vt igitur homo finem ſuum ſupernaturalem conſequeretur, neceſſum fuit Deum in animam deſuper infundere virtutes tres theologicas; fidem, ſpem, & charitatem; quibus homo rectè diſponitur ad conſequendam æternam beatitudinem. Et quidem ſi huiuſmodi virtutes perfectè poſsiderentur ab homine viatore, & ſecundum eas perfectè, promptè, & expeditè operaretur opera meritoria, non eſſet neceſſe ſuperaddi alios habitus infuſos, quibus virtutes theologicę cõfirmarẽtur & ſtabilirẽtur. Profectò qui habet perfectè formã aliquam, poteſt per formã illã perfectè operari ſine alterius adminiculo & ſubſidio: vt quia ignis perfectè habet calorẽ, poteſt per ſuum calorem perfectè calefacere, neque eſt neceſſe ipſum adiuuari ab alio: verùm quia homini viatori, dum hanc vitam agit, communicantur virtutes theologicæ modo imperfecto: quamdiu enim ſumus in corpore peregrinamur à Domino, & imperfectè ipſum cognoſcimus atque diligimus: qui quidem modus correſpondet, & quadrat imbecillitati naturæ humanæ, quæ in hac vita poſita exiliter & tenuiter participat actum intelligendi, & amandi diuina; ideoque vt perfectiùs & expeditiùs tendat in Deum intellectu, & affectu, ac rectiùs ſe habeat in rebus agendis, neceſſe eſt vt diuina bonitas hominem moueat per habitus bonos ſupernaturales additos virtutibus theologicis, quos dicimus dona diuina: veluti qui imperfectè habet formam aliquam, nõ poteſt per illam perfectè operari, niſi adiuuetur ab eo, in quo perfectè forma illa reperitur: hinc eſt quòd luna imperfectè illuminet, niſi lumine ſolis adiuuetur: & diſcipulus non poteſt perfectè atque exactè diſputare, niſi adiuuetur præceptoris doctrina: ſic in propoſito dicendum eſt de donis, quòd neceſſaria ſint, ſi loquamur de donis gratum facientibus, & non de donis gratis datis, vt ſunt genera linguarum, virtus miraculorum. Hæc demonſtratio ſatis erit ad concluſionem propoſitam oſtendendam: nam euidentiùs, & fuſiùs hæc veritas eſt demonſtrata in prima concluſione huius diſputationis. Argumenta verò quibus hæc veritas confutari ſolet, initio quæſtionis propoſita ſunt, & ad finem diluentur. ¶ Quarta concluſio. Dona hæc quæ à nobis ſunt commemorata, permanent in vita beata. Hæc concluſio communiter aſſeritur à diuinis Theologis. Cuius rei prima probatio eſt: quoniam fuerũt in Chriſto (vt habetur Eſa.11.) qui fuit ſimul viator, & comprehenſor: ergo in vita beata non excluduntur dona Spiritus ſancti. Deinde magiſter in 3.d.34. tenet partem affirmatiuam huius quæſtionis, comprobatq; autoritate D. Ambroſ. in lib. de Spiritu ſancto, qui inquit; Ciuitas illa Hieruſalẽ cœleſtis non meatu alicuius fluuij terreſtris alluitur, ſed ex vitæ fonte procedens Spiritus ſanctus, cuius nos breui ſatiamur hauſtu, in illis cœleſtibus ſpiritibus videtur redundantiùs effluere pleno ſeptemvirtutum ſpiritualium feruens meatu, quas enumerauit Eſaias dicens; Spiritus ſapientiæ & intellectus, &c. Hæc D. Ambroſ. ex cuius ſententia efficaciter colligit Magiſt. dona Spiritus ſancti eſſe permanſura in vita beata. Idem confirmat D. Thom. in artic. 6. ex D. Ambroſ. ¶ Sed quos actus habeant dona hæc in vita beata, difficilè explicatur. De timore filiali, quem diximus eſſe donum, in ſtatu huius vitæ habemus tres actus. Primò facit nos timere ne Deum, vt patrem, peccato offendamus. Secundò, ne ex offenſa repellamur, & ſeparemur ab eo. Tertiò, facit nos eũ vt patrem reuereri, & ei voluntariè ſubijci. Donum timoris vtrùm maneat in vita beata, quantum ad primum, & ſecundum officium, magna contentione diſceptãt Theologi; de qua re nos ſuprà multa ſcripſimus. Verùm quicquid ſit de hac graui contentione, hoc exploratũ eſt, quòd in vita beata tertium officium timoris perſeuerat in perpetuum; quoniam ex charitate perfecta Deo reuerentiam, & honorem, & voluntariam ſubiectionem, vt filij dilectiſſimo patri exhibebimus; vnde in Apocal. c.7. Sancti in cœlis Deum colunt dicentes; Benedictio, & claritas, & ſapientia, & gratiarum actio; honor, virtus, & fortitudo Deo noſtro in ſæcula. Dono pietatis multa opera attribuuntur, ſed potiſsima pietatis officia in vita beata erunt cultus Dei, atque ſanctorum.

Dona in vita beata manent.

Eſa.11.

Mag. ſentẽ.

Ambroſ.

D. Thom: De actibus donorũ in vita beata.

Apoc.7.

ctorum. Atqui de hoc dono indubitabile est quòd in vita beata permaneat. Dono scientię at tribuitur rerum omnium humanarum & temporalium certa & exacta cognitio, quæ omni dubio procùl permanebit in patria. Dono fortitudinis attribuitur constanter & inuictè bono inhærere, & id perfectissimè erit in vita beata, vbi inseparabiliter beati Deo adhærebunt ex perfectissima Dei dilectione. Timores verò, & audacia à vita beata procùl erunt. Dono consilij tribuitur secundum D. Gregor. in 1. moral. quòd ratione animum repleat, & mentem illuminet; & id quidem perfectissimè in beatitudinis statu conseruabitur. Dono intellectus tribuitur quòd ex superinfuso lumine adeò mentem eleuat, vt diuina, & spiritualia certissimè inspiciat, & penetret. Quemadmodum enim intellectus primorum principiorum prima principia illuminat; sic donum intellectus de auditis & reuelatis à Deo mentem illustrat, quòd veluti prima principia statim audita approbat: vnde qui hoc donum consequutus fuerit, ita confirmatur in diuinis mysterijs credendis, quòd nulla ratione, nullis pœnis potest eis dissentire, vt patet in Apostolis, & sacris Martyribus: quod quidē officium in vita beata perfectissimè permanebit. Dono sapientiæ tria opera perfectè attribuūtur: in primis facit omnia terrena in mente nostra vilescere, diuina autem & æterna, dulciora melle: vnde dicitur in persona sapientiæ Eccles. 24. Ecclesiast. 24. Spiritus meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel & fauum. Et confirmatur Gregor. dicto beati Gregorij; Gustato spiritu desipit omnis caro. Secundò facit hominem corpore quidem esse in mundo, conuersatione autem, & cōtemplatione inter diuinos spiritus viuere: vnde Philip. 3. Paulus dono sapientiæ affectus ad Philippens. c. 3. scribit; Nostra conuersatio in cœlis est. Tertiò, sicut facit bona æterna dulciora super mel, sic mala ijs oppositа omnino abhorrere, & abominari facit: nam velut à facie serpentis facit diffugere carnales concupiscentias, & omnia vitia, quibus homo à via salutis deflectitur: non enim habitat in malèuola anima, neque in corpore Sap. 1. subdito peccatis, vt dicitur Sapient. 1. Hæc omnia officia in vita beata permanere certiùs est quàm vt sit ostendendum. Vnde inter omnia dona in beatitudinis statu maximè permanebit hoc donum: siquidem magis perficit vitam cōtemplatiuam. Quomodo autem donum sapientiæ, quod in hac vita possidemus, maneat in vita beata, & non perseueret fides, atque etiam diuina Theologia quam in hac vita comparamus, difficilem habet explicationem, quam in superioribus pluribus in locis verè ex diuina Theologia, ac diligenter adhibuimus. ¶ Iam tempus Arg. soluū. initio facta est vt ad argumenta in principio posita satisfaciamus. Ad primum argumentum, ex sanctorū patrum autoritate desumptum, respondetur, dona aliquando dici virtutes, latè sumpto virtutis nomine, quatenus omne opus bonum à virtute proficiscitur: cæterùm in proprietate loquēdo, dona habent aliquid superueniens rationi communi virtutis, quatenus scilicet sunt quędā diuinæ virtutes perficientes hominem in ordine ad motum diuinum: quapropter vt dictū est superiùs, supra virtutem communem ponit Aristot. 7. ethic. c. 1. quandam virtutem heroicam, vel diuinam, secundum quam aliqui diuini viri dicūtur. Ad secundum respondetur negando minorem: non enim donis, definitio virtutis cōpetit: cùm enim in definitione virtutis dicitur esse bonam mentis qualitatem, qua rectè viuitur, intelligendum est, qua rectè viuitur secundum regulam rationis; quod donis non conuenit, vt in hac quæstione expositum est: & eodem modo aliæ virtutis definitiones quæ ex Arist. adducuntur sunt interpretandæ, quæ ideo donis minimè quadrant. ¶ Ad aliud argumentum respōdetur, alia atque alia ratione sapientiam dici virtutem & donum: dicitur enim intellectualis virtus, secundum quod ex iudicio, & regula rationis procedit: at appellatur donū, secundū quòd operatur ex instinctu diuino. Eadem ratione de alijs dicendum est, quæ inter virtutes, & dona connumerantur diuersis rationibus. ¶ Ad quartum negatur consequentia: virtutes enim theologicæ, plenè & perfectè à nobis non participantur, & ideo præter eas donis indigemus (vt paulò antè demonstratum est) quibus à Spiritu sancto moueamur. Ex ijs solutio patet vltimæ confirmationis: per virtutes enim theologicas & morales non ita perficitur homo in ordine ad vltimum finem, quin semper indigeat moueri instinctu Spiritus sancti, propter rationem in superiori solutione, & in ipsa quæstione expositam.

Ad primum

Aristot.

Ad secundū

Ad tertium

Ad quartū

QVAESTIO LXIX.

De beatitudinibus, in quatuor articulos diuisa.

ARTIC. PRIMVS.

¶ *Vtrùm beatitudines distinguantur à virtutibus & donis.*

SVMMA TEXTVS.

Concluſio. Oncluſio ſic habet. Beatitudines diſtinguuntur à virtutibus & donis; nō ſicut habitus diſtincti ab

eis, sed sicut actus: nam finem dicitur aliquis iam habere, propter spē finis obtinendi: spes autem de fine consequendo consurgit ex hoc, quòd aliquis conuenienter mouetur ad finem, & ad ipsum appropinquat, quod fit per aliquam actionem: ad finem autem beatitudinis appropinquat aliquis per operationes virtutum, & maximè per operationes donorum: ad quam beatitudinem non sufficit ratio, sed in eam inducit Spiritus sanctus, ad cuius sequelam per dona perficimur.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ Vtrùm præmia quæ attribuuntur beatitudinibus ad hanc vitam pertineāt.

SVMMA TEXTVS.

DOctores sancti variè circa hanc quæstionem locuti sunt: cæterùm vt D. Thom. eam explicet, supponit spem futuræ beatitudinis posse esse in nobis propter duo; & propter aliquam præparationē, vel dispositionem ad beatitudinē, quod est per modum meriti; & per quandam inchoationem imperfectam futuræ beatitudinis in viris sanctis, etiam in hac vita. Sit ergo
Prim. cōcl. prima conclusio. ¶ Quæ in beatitudinibus ponuntur tanquam merita, sunt quædam præparationes, vel dispositiones ad beatitudinem, vel perfectam, vel inchoatam.
Secūd. cōcl. ¶ Secunda conclusio. Quæ ponuntur tanquam præmia, possunt esse vel ipsa beatitudo perfecta; & sic pertinet ad futuram vitam; vel aliqua inchoatio beatitudinis, sicut est in viris perfectis; & sic præmia pertinent ad præsentem vitam: cū enim aliquis incipit proficere in actibus virtutum, & donorum, potest sperari de eo quòd perueniet ad perfectionem viæ, & postea ad perfectionem patriæ.

ARTIC. TERTIVS.

¶ Vtrùm conuenienter numerētur beatitudines.

SVMMA TEXTVS.

AFfirmans est conclusio, quam D. Thom. ita explicat. Triplicem beatitudinem statuerunt nonnulli antiquorum. Quidam enim beatitudinem in vita voluptuosa posuerunt: alij in actiua: nonnulli in contemplatiua. Ista autem ita se habēt; vt beatitudo voluptuosa falsa sit, rationi contraria, & impediens beatitudinem futuram. At beatitudo vitæ actiuæ ad futuram disponit; sicut beatitudo contemplatiua, si sit perfecta, est essentialiter ipsa beatitudo futura; si imperfecta, est quædā eius inchoatio. Vt ergo Dominus primò remoueret impedimentum voluptuosæ beatitudinis, statuit tres priores beatitudines, quibus tollitur affluentia bonorum & diuitiarum per paupertatem; concupiscentia passionum per mansuetudinem; & voluptas per luctum. Deinde, quia in vita actiua quædā exhibētur proximis vt debita, alia sub ratione spontanei beneficij, ponit alias duas beatitudines respectu eorum qui sitiunt iustitiam, & respectu eorum qui sunt misericordes: per iustitiam enim debita exhibemus; spontanea verò per misericor-
Conclusio.

ricordiam damus. Ea verò quæ ad vitam contemplatiuam pertinẽt, vel sunt ipsa beatitudo finalis; vel aliqua eius inchoatio: & ideo non ponuntur tanquam merita, sed tãquam præmia. Ponuntur autẽ tanquam merita effectus vitæ actiuæ, quibus homo disponitur ad contemplatiuam vitam: qui effectus, quantum ad virtutes & dona quibus perficitur homo in seipso, est munditia cordis; vnde ponitur sexta beatitudo; Beati mundo corde. Sed quantum ad virtutes & dona quibus perficitur homo in comparatione ad alterũ, est septima beatitudo, pax: vnde dicitur; Beati pacifici. Optimè ergo beatitudines assignatæ, & numeratæ sunt.

ARTIC. QVARTVS.

¶ Vtrùm præmia beatitudinum conuenienter enumerentur.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Conclusio est affirmatiua. Probatur autoritate Dñi, qui præmia huiusmodi proposuit & designauit: & meritò quidem. Nam in beatitudine voluptuosa quærunt homines diuitias & abundantiam, à quibus retrahũtur ex promissione regni cœlestis. Quærũt insuper bella & litigia propter securitatem futurã, à quibus auocantur per mãsuetudinem, cui promittitur secura terræ possessio. Quærunt insuper consolationem in cõcupiscentijs & voluptatibus, & ideo Dominus consolationem veram lugentibus repromisit. Inuita autem actiua homo retrahitur ab operibus iustitiæ per inordinatum appetitũ boni proprij, & ideo Dominus esurientibus iustitiam, saturitatem promisit. Auocatur etiam ab operibus misericordiæ, ne se immisceat alijs miserijs; & ideo misericordibus designat misericordiam, qua ab omni miseria liberabuntur. Aliæ verò duæ beatitudines pertinent ad felicitatem contemplatiuam; & ideo secundũ conuenientiam dispositionũ quæ ponuntur in merito, præmia reddũtur. Et quia munditia oculi disponit ad clarè videndum, ideo dicitur; Beati mundo corde, quoniã ipsi Deum videbunt. Constituere verò pacem in se, vel inter alios, indicat hominem esse Dei imitatorem, qui est Deus vnitatis & pacis; & ideo in præmium pacifici ponitur diuina filiatio; Quia filij, inquit, Dei vocabuntur.

EXPLICATIO QVAESTIONIS.

Doctrina de beatitudinibus præcipua est, & maxima pars legis Euangelicę, quam Christus Dominus in monte tradidit ore suo sacrosancto: in qua præcipuè traditur, quid Christiana iustitia vltra fidem complectatur, & postulet. Deinde, quomodo iustis corona iustitiæ (vt Paul. vocat) vel merces plena æternaque non sine labore obueniat. Atque Euangelicę legis beatitudines apud Matth. Euangelistam octonario numero recensentur in hunc modum. Beati pauperes spiritu; quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati mites; quoniam ipsi possidebunt terram. Beati qui lugent; quoniam ipsi consolabuntur. Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam; quoniam ipsi saturabuntur. Beati misericordes; quoniam ipsi misericordiam consequentur. Beati mundo corde; quoniam ipsi Deum videbunt. Beati pacifici; quoniam ipsi filij Dei vocabuntur. Beati qui persequutionẽ patiuntur propter iustitiã; quoniam ipsorum est regnũ cœlorum. ¶ Circa hãc de beatitudinibus doctrinam, diuina & recondita mysteria obseruauerunt sancti patres, Chrysost. Hieronym. Theophil. in Mattheum. Item Augustl. lib. 1. de sermone Dñi in monte. Chromatius Episcopus in declamatione de octo beatitudini- Chryſoſt. Hieron. Theophil. Aug. Chromat.

Bernard. titudinibus. Bernardus in sermone 1. in fest. omnium Sanctorum. Sed & scholastici Doctores, & qui doctrinales appellantur, multa de beatitudinibus disputant in 3. d. 34. In primis disputãt; vtrùm beatitudines distinguantur à virtutibus, & donis? de qua re non est vna eorum sententia. Sco. tenet, quòd idem habitus dicitur virtus; quia facit bonum habentem. Donum, quia donatur, & gratis confertur. Beatitudo, quia per ipsum sumus beati in spe. Vnde beatitudines (autore Scoto) sunt habitus: docetque quòd nominibus beatitudinum exprimuntur virtutes cardinales. Consentit Gabr. in eadem. d. scribitque, quòd inter beatitudines Euangelicas enumerãtur duæ species temperantiæ: altera contra honores, scilicet humilitas, quæ explicatur nomine paupertatis spiritus: altera contra concupiscẽtias, quæ explicatur illis in verbis; Beati mundo corde. Fortitudo exprimitur in sua specie perfecta, videlicet in patientia, quæ explicatur in illa sententia; Beati qui persecutionem patiuntur. Iustitia in tribus speciebus declaratur; Beati mites; Beati pacifici; Beati misericordes. Charitas explicatur in illo verbo; Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam. Spes in illo; Beati qui lugent: siquidem hic luctus pertinet ad spei desiderium. Fides & Prudentia non distinctè & planè inter beatitudines enumerantur, sed subintellectè & implicitè continentur: quia aliæ virtutes nõ possunt consistere sine istis: ergo alijs expressis istæ etiam sufficienter insinuantur. ¶ Contra hãc do Arist. ctrinam hæc fiunt argumenta. In primis Arist. 1. & 3. ethic. expressè docet, quòd beatitudo non consistit in habitu, sed in actu, & in operatione; alias dormiens esset felix & beatus: ergo beatitudines euangelicæ non consistunt in habitu, sed in actu. ¶ Deinde, beatitudo in spe est moueri ad illam per meritum, & egregiam operationẽ: hoc verò in actu consistit. Ad hæc, beatitudo in patria cœlesti non in habitu, sed in actu consistit: ergo beatitudo in hac vita inchoata, in actu, non in habitu collocatur. ¶ Item, beatitudo dicit quid excellentissimum, & gradum heroicũ in actu virtutis: non enim dicuntur beati liberales, aut qui non furantur, vel qui seruant iustitiam; sed qui esuriunt, & sitiunt iustitiam: non ergo quælibet virtus est beatitudo: quia licèt vniuersus actus virtutis sit meritorius, non tamen facit certam spem beatitudinis; hanc solam generat actus egregius, & heroicus; quem qui habet, regulariter in gratia moritur. Ex ijs argumẽtis, si bene expendantur, efficaciter concluditur quòd beatitudines euangelicæ nec sunt dona, nec virtutes, sed sunt actus virtutum, seu donorum, per quos certa cum spe ad beatitudinis cõsecutionem ferimur: sic paupertas spiritus, sic luctus, pariter dicũtur beatitudines. Vel dicuntur beatitudines, quia sunt veluti quędã vitæ beatæ inchoationes, & prægustationes; quia hîc quodammodo possident regnum, & illo fruuntur.

¶ Sed & aliam quæstionem mouent de beatitudinibus euangelicis; An sint præcepta, an consilia? Chryso. & alij videntur significare quòd sint præcepta. Chryso. scribit, quòd id fecit Christus, vt suauiùs poneret legem sub nomine beatitudinis, quàm mandatorum: in quo significare videtur, quòd sint præcepta. Sed in contrarium est argumẽtum. Nam beatitudines (vt dictum est) sunt gradus heroici virtutum, & donorum: at gradus heroici sub præcepto non cadunt. Certè ex textu Euangelij neq; habetur quòd sint præcepta, nec verò consilia. Christus Dominus in qualibet beatitudine coniũctim duo proposuit; quorum alterum est actus virtutis, & beatitudo (vt nuncupat) huius vitæ: alterum verò æternæ vitæ præmium suo meritò congruens, quã beatitudinem patriæ licet appellare. Sicut autẽ prior pars laborem & difficultatem offert credẽtibus; ita posterior quæ statim in singulis beatitudinibus adijcitur, magnitudine proposiți præmij cõsolationem admiscet, lenitq; labores. Hoc tantũ docet Christus. Vtrùm verò beatitudines istæ sint præcepta, ex doctrina Christi non planè colligitur, & potiùs videntur consilia viris Apostolicis proposita. ¶ Verùm nõ quiescunt Theologi, & tertiam mouent quæstionem; vtrùm præmia quæ proponuntur beatitudinibus euangelicis, ad hanc vitam pertineant? Illud præterea interrogant; vtrùm beatitudines, atque adeò præmia beatitudinum conuenienter proponantur? Sed has quæstiones adeò dilucidè explicat D. Thom. vt nostra explicatione opus non sit. ¶ Hic tamen ad extremum huius quæstionis aduertendum est, vanam esse huius mũdi de beatitudine sententiam, quæ permultos fallit ac perdit: nam beati vulgò putãtur diuites præpotentes, gloria & autoritate clari, bonis fortunæ affluentes, voluptatibus indulgentes: verùm Christus, vę, væ istis opponit Luc. 6. & libere hîc Esaias exclamat cap. 3. Populeus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant. & Dauid in Psalm. 143. Beatus populus cuius Dominus Deus eius.

An de beatitudinibus sit præceptũ Chrysost.

Luc. 6. Esa. 3. Psal. 143.

QVAESTIO LXX.

De fructibus Spiritus sancti, in quatuor articulos diuisa.

ARTIC. PRIMVS.

¶ Vtrùm fructus Spiritus sancti numerati ab Apostolo ad Gal. 5. sint actus.

¶ Conclusio est affirmans.

AR-

ARTIC. SECVNDVS.

¶ Vtrùm fructus à beatitudinibus differant.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Oncluſio eſt affirmatiua; cuius ratio eſt: quoniam plus requiritur ad rationem beatitudinis, quàm ad rationem fructus. Nam ad rationem fructus ſufficit quòd ſit aliquid habens rationē vltimi, & delectabilis: ad rationem autem beatitudinis vlteriùs requiritur vt ſit aliquid perfectum & excellens. Vnde licèt omnis beatitudo fructus dici poſsit, non tamen è conuerſo res ſe habet, vt dictū eſt: differunt ergo fructus à beatitudinibus.

ARTIC. TERTIVS.

¶ Vtrùm fructus conuenienter numerẽtur ab Apoſtolo.

¶ Concluſio affirmat.

ARTIC. QVARTVS.

¶ Vtrùm fructus Spiritus ſancti contrarientur operibus carnis.

SVMMA TEXTVS.

Prim. cõcl. Prima concluſio. Si opera carnis, & fructus Spiritus ſancti ſumãtur in communi, ſecundū rationem communem fructus Spiritus ſancti contrariantur operibus carnis: etenim motus ſurſum, & motus deorſum contrariantur in naturalibus. Spiritus autẽ ſanctus mouet humanam mentem ad id quod eſt ſuper rationẽ: appetitus autem carnis, qui eſt appetitus ſenſitiuus, trahit ad bona ſenſibilia, quæ ſunt infra hominem. vnde dicit Apoſtolus. Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, &c. Ga'a.5.

Secũd.cõcl. ¶ Secunda concluſio. Secundum proprias rationes fructuum enumeratorum, & operum carnis, non oportet ſingulos ſingulis contraponere: Apoſtolus enim non intendit numerare omnia ſpiritualia, neque omnia opera carnalia. Verum eſt tamen D. Auguſt. ſuper epiſtolam ad Gal. cap. 5. ſecundum quandam adaptationem cõtrapoſuiſſe ſingulis operibus carnis ſingulos fructus, ſicut fornicationi opponitur caſtitas; & ſic de alijs. Aug.

EXPLICATIO QVAESTIONIS.

IN gratiam huius quæſtionis triã tantummodò tractanda ſunt. In primis, quid nomine fructus in diuina Theologia intelligitur: deinde, quot ſunt fructus ſpiritus: poſtremò, quomodo doctrina de fructibus ſpiritus rectè vtemur. Et vt à primo exordiamur, in nomine, fructus, conuenit inter omnes Doctores: de re verò contentio eſt: nã Gabr. in 3. d. 34. ſequens Scotum, docet quòd habitus virtutum ſunt fructus Spiritus ſancti, quia quodammodo fruimur illis: vnde D. Paul. inter fructus Spiritus ſancti numerat virtutes theologicas, & cardinales, & affectiones quæ ex illis cõſequuntur, vt gaudium, pax. Sed reuera fructus non ſunt habitus, ſed actus, iuxta illud Matt. 12. Omnis arbor bona fructus bonos facit: mala autem arbor malos fructus facit: igitur ex fructibus arbor cognoſcitur, id eſt, ex operibus ſuis homo, vt exponitur à ſanctis Patribus: igitur ipſi actus humani dicuntur fructus. Quemadmodum enim operatio hominis, quæ ab homine procedit ſecundum facultatem rationis, dicitur eſſe fructus rationis; ſic operatio quæ ab homine procedit ſecundum altiorem virtutem, quæ eſt virtus Spiritus ſancti, dicitur eſſe operatio hominis, & fructus Spiritus ſancti, quaſi cuiuſdam diuini ſeminis: dicitur enim 1. Ioan. 3. Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit; quia ſemẽ ipſius in eo manet. Hanc veritatem inſinuat ſatis apertè metaphora ex fructibus accepta: fructus enim non ſunt flores, nec folia, ſed vltimũ quod ex arbore percipitur cũ delectatione: vnde habitus virtutum producunt fructus; ſed nõ ſunt fructus: fructus nãque verè & propriè ſunt operationes, & actus virtutum, qui ex habitibus

Quid nomẽ fructus deſignet. Gabr. Scot.

Matt. 12.

1. Ioan. 3.

pro-

proficiscuntur, qui nos veluti frugiferas arbores in Ecclesiæ agro commendant, atque ostendũt. Hæc de prima parte dixisse sufficiat. ¶ De numero verò fructuum spiritus sciendum est, quòd à D. Paul. ad Gal. 5. duodecim fructus numerãtur. Primus est charitas; fructus quidem generosissimus, & radix bonorum omnium, sine qua non possunt prodesse cætera bona, vt scribit Paul. 1. Corint. 13. & qui habet ipsam, habet omnia bona: propter quod dicit Paul. Super omnia charitatem habete, quod est vinculum perfectionis: in ipsa namque connectuntur, & copulãtur omnium virtutum operationes & perfectiones. Alter fructus est gaudium, hoc præstans, vt homo spiritualis alacriter lęteque seruiat Deo. Tertius, pax, quæ eò spectat, vt in huius mundi procellis animi seruetur tranquillitas. Quartus, patientia, quæ in duris ferendis est sita. Quintus, longanimitas, quæ magnitudinem animi in futuris bonis expectandis declarat. Sextus, bonitas, quæ nulli nocet, sed benevult omnibus. Septimus, benignitas inuitans ad familiaritatem, dulcis alloquio, moribus temperata. Octauus, mansuetudo, quæ omnes iræ motus sedat, & mitigat. Nonus, fides in proximum, vt fideles, pactorumq; ac promissorum obseruatores simus. Decimus, modestia, quæ omnem fastus & arrogantiæ suspicionem excludit. Vndecimus, continentia, qua non solùm ab escis, sed etiam ab omni nequitia abstinemus. Duodecimus, castitas, quæ mentem castam in corpore casto conseruat. De ijs fructibus prolixum esset nunc agere singulatim: nunc tantummodo considerandum est, quòd vsus istorum fructuum spiritualium eò spectat, vt virtutes theologicæ, simul & cardinales suam in nobis vim & operationẽ expediant, & expeditæ perficiant. Illud etiam commodi afferunt, vt homo Christianus aduersus carnis opera, veluti spirituali quadam armatura sit instructus: nunquam enim fallet canon Apostolicus, qui habet, ad Galat. 5. Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis: & Rom. 8. Si spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Hæc de ista quæstione.

De numero fructuum.

1. Cor. 13.

Gala. 5.

Rom. 8.

QVAESTIO LXXI.

DE VITIIS ET PECCATIS, in sex articulos diuisa.

PRAEFATIO.



HAEC disputatio de vitijs & peccatis non habet certum locũ apud Magistrum sententiarum, neque apud eos autores qui ordinem Magistri sequuntur, & Sententiarij appellantur. Nam Magister agit de peccatis cùm sese occasio offert: in 2. distinctione 21. disserit de peccato Adæ: & d. 24. interserit tractatum de gratia, & libero arbitrio, in d. 30. disputat de peccato originali: & d. 34. de peccato actuali: & d. 35. de singulis peccatis. Diuus Thomas hîc est admirabilis, siue eruditionem, siue disputandi rationem & methodum consideres: & distribuit hoc opus in sex partes. Primùm definit quid sit peccatum: deinde, quomodo distinguantur peccata: proximo loco de comparatione eorum ad inuicem: deinceps de subiecto peccatorum: quintò, de causa peccati: deniq; quæ sint incommoda, & effectus peccatorum demonstrat.

Distributio huius operis de peccatis.

ARTIC. PRIMVS.

¶ Vtrùm vitium contrarietur virtuti.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio art.



Oncluſio eſt. Vitium virtuti contrariatur; nã tria ei opponuntur; vnum eſt, peccatum, prout actus virtutis eſt ordinatus & debitus: peccatum enim nominat actum inordinatum. Opponitur etiam virtuti malitia, prout ad rationẽ virtutis conſequitur quòd ſit bonitas quædam. Vitium verò ſecundum quòd eſt indiſpoſitio quædam non conueniens ipſi naturæ, opponitur directè ipſi virtuti, prout virtus importat diſpoſitionem alicuius conuenienter ſe habentis ſecundum modum ſuæ naturæ. Vnde peccatum contrariatur virtuti, prout virtus eſt operati ua boni: malitia contrariatur ſecũdum quòd virtus eſt quædam bonitas: vitium autem propriè contrariatur virtuti ſecundum ſuam eſſentiam.

EXPLICATIO ARTICVLI.



Itium (quod virtuti opponitur) à vito, quòd vitandum ſit, & fugiendũ, deductum eſt: vnde Horatius; Virtus eſt vitium fugere. Cicero libro 1. de Finibus, ſic inquit; Quod enim vituperabile eſt per ſeipſum, id eo ipſo vitium nominatum eſſe puto; vt etiam à vitio dictum vituperari; ſin malitiam dixiſſes, ad aliud nos vnum certum vitium conſuetudo Latina traduceret. & paulò antè; Quas Græci κακίας appellant, vitia malo quàm malitias nominare. Vnde apud Ciceronem vitium, vituperatio eſt, vel id quod vituperari ſolet. Sed & vitium non ſolùm ad animum refertur, ſed ad corpus; vt vitioſum mancipium; vel vitioſum iumentum, id eſt, morboſum. Vlpianus in titulo de ædilitio edicto, lege prima: Aiunt ædiles; Qui mancipia vendunt, certiores faciant emptores quid morbi, vitijve ſit. Vitium quoque omnis corruptio dicitur: quo in ſignificato (quantum ego exiſtimo) vitium à Diuo Thoma in præſentia vſurpatur; dicit enim quòd vitium opponitur virtuti ſecũ-

Vitiũ vnde dicatur. Hora. in 1. epiſt. Cicero.

Vlpianus.

dum essentiam: virtus namq; est dispositio perfecta conueniens rei naturæ: vitiũ verò est corruptio, & dispositio naturæ disconueniens. His explicatis, quæ ad notionem nominis expedire videbantur, proximum est vt dubitationes explicemus. ¶ Est igitur Prima dubitatio, vtrùm vitium, peccatum, malitia, idem valeant, an diuersa sint? Hæc causa inquirendi est; nam quanquã D. Tho. in ar. nonnullam discriminis differentiã designauit, sed in solutiõe primi affirmare videtur, quòd sint idem, secundum diuersas considerationes. ¶ Huic affine est aliud dubiũ: nõ enim facilè intelligitur id quod D. Tho. in litera dicit, quòd bonitas est consequens ad essentiam virtutis; ex quo deducere videtur, quòd malitia, quæ opponitur bonitati, non opponatur virtuti secũdum essentiam sed secundum id quod ad virtutem consequitur. Verùm id quòd D. Thom. statuit pro principio, falsum esse videtur, & improbabile. Nam bonitas de ratione essentiali virtutis est: virtus enim est habitus bonus, & boni operatiuus: vel est bona qualitas qua rectè viuitur, vt definit Aug. Sed hęc haud difficilè erit explicare. Dicendũ nanq; est, quod peccatũ accipitur pro actu inordinato, non pro habitu; vitiũ verò sumitur pro habitu vitioso, licèt aliquando accipiatur pro actu improbo, & vituperabili: malitia verò ad vtrumq; consequitur, licèt propriùs ad vitium. Itaque vitium in præsenti tractatu significat habitum prauum: non enim dicimus equum habere vitium, qui semel in cursu deficit, nisi sit cõtinuus defectus: propter quod Arist. scribit, vitium esse simile hydropi, qui est infirmitas perseuerans: sed actus peccati est similis morbo comitiali, qui licèt grauissimè cruciet, non tamen est continuus. Deniq; non dicimus hominem vitiosum, ex eo quòd semel atque iterum in peccatum est prolapsus, nisi peccare ducat in cõsuetudinem. Vitium ergo significat habitum peccandi cõfirmatum. Quemadmodum enim ad virtutem exigitur quòd sit habitus bonus difficilè mobilis; sic ad vitium per necessarium est vt sit habitus confirmatus. Ex his patet discrimen inter peccatum, malitiam, & vitium. ¶ Sed iam abeamus vt exponamus quomodo bonitas consequitur virtutis essentiam, vt videtur astruere D. Th. Quam sententiam sic explicat Caie. vt dicat, quòd secundum sententiam Aristot. 1. Post. dupliciter conuenit aliquid per se alicui; tum per se primò & adæquatè, veluti homini conuenit esse rationalem: tum per se secundò, sicut conuenit homini esse animal; & hoc secundo modo verè affirmatur quòd bonitas consequitur ad essentiam virtutis; consequitur enim iste secundus modus ad primum: veluti si dicamus hominem directè esse rationalem, consequitur verò esse animal. Sed hæc explicatio certè mihi non probatur: nemo enim dicit quòd animal consequitur ad hominis essentiam; quia animal est quod primò constituitur in hominis definitione. Item sequeretur ex opinione Caietan. quod esse habitum, consequeretur ad essentiam virtutis (est enim genus virtutis, sicut animal est hominis genus.) Euidentior igitur huius solutio est, quòd duplex bonitas in virtute considerari & expendi potest: vna, quòd sit habitus, vel dispositio alicuius rectè se habentis secundum naturam suam; & hæc bonitas est de essentia virtutis, imò ipsa virtus: Altera est, quòd sit boni operatiua; & hæc bonitas ad rationem virtutis consequitur. Itaque bonitas virtutis præcipua non est expenda ex ordine ad actum quem potest producere, sed ex recta & conuenienti dispositione in ordine ad naturam, atque primæ & precipuę bonitati opponitur vitium, secundæ opponitur malitia siue peccatum.

¶ Vltimò dubitatur; vtrùm habitus vitiosus qui manet in homine existente in gratia, mereatur nomen vitij? Certè non meretur: tum, quoniã homo existens in gratia, est bonus & amicus Dei: ergo non est vitiosus; ac subinde non habet vitium. Tum deinde; nam virtus quæ non facit hominem bonum simpliciter & absolutè, sed secundum quid, non est virtus simpliciter, sed secundum quid, vt animaduertere licet in virtutibus intellectualibus: habitus verò vitiosus qui manet in homine existẽte in gratia, simpliciter & absolutè non facit illum vitiosum: ergo simpliciter & absolutè vitij nomen non meretur. ¶ Sed argumentabitur fortasse aliquis. Nam ille habitus inclinat ad malum: ergo est vitiosus. Cui respondendum est, quòd quanquã de se inclinet ad malum, vincitur tamen ratione virtutis: sed quanquam maneret vitium, non satis esset denominare hominem vitiosum; sicut virtus acquisita in homine peccatore quanquam vera virtus est, non satis est vt denominet hominem bonum. Quòd si pergat discipulus argumentari, inquiens, formam non posse esse sine suo effectu formali; sed in homine existente in gratia manet habitus vitiosus; non enim corrumpitur per vnum actum virtutis: ergo efficit hominem vitiosum. Respondere oportet, quòd manet vitiosus habitualiter, & secundum quid. Ex definitione huius articuli colligitur, quàm fugiendum & detestandum sit peccatum; aduersatur enim virtuti, cuius nobilitatem & pulchritudinem si oculis cerneremus, mirabiles de se concitaret amores, vt verissimè dixit diuinus Plato.

Vitiũ, peccatũ, malitia, an idem.

D. Thom.

Dubium.

Solutio.

Aristot. 7. eth. c. 8.

Quomodo bonitas virtutẽ consequatur. Caiet.

Impugnatur Caiet.

Duplex bonitas.

Habitus vitiosus inhomine iusto nõ dicitur vitium.

Obiectio.

Solutio.

Plato.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ Vtrùm vitium sit contra naturam.

SVM-

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Conclusio est affirmans. Nam vitium opponitur virtuti, prout est indispositio quædam contra id quod rei naturæ conuenit: vnde vitium est contra naturam; natura namque cuiuscunque rei potissimè est forma secundum quam res sortitur speciem; sed homo constituitur in specie per animam rationalem: vnde quod est contra ordinem rationis, propriè est contra naturam hominis, inquantum est homo; quia bonum hominis est secundum rationem esse, & malum hominis, esse præter rationē. Sic ergo vitium intantum est contra naturam hominis, inquantum est contra ordinem rationis.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Peccata cõtra naturã. QVomodo vitium & peccatum sit cõtra naturam à plerisque quæritur, & à nemine satis explicatur. Nã viri sapientes tantùm vocant peccata contra naturam, quæ ipsæ bestiæ abhorrent: quocirca D. Paul. vitium Sodomiæ appellat peccatum contra naturam. Deinde, mors, febris, & cæteræ corruptiones sunt homini connaturales; quia conueniunt homini ratione materiæ: ergo peccatum quod conuenit homini secundum naturã sensitiuam, erit homini connaturale; præcipuè quòd D. Paul. dicit naturam sensualitatis esse, repugnare rationi, concupiscere aduersus spiritũ, & repugnare legi mentis nostræ. Sed hęc facilia sunt. Illud verò difficillimum: nam peccatum infidelitatis, & in vniuersum omnia peccata contra finem supernaturalem, non sunt contra hominis naturam, neq; contra rectam hominis rationem: natura enim hominis nihil dictat de fine supernaturali, neq; recta ratio hominis de eo quicquam decernit. Hoc ipsum confirmatur. Nam virtus supernaturalis, cui opponitur peccatum contra finem supernaturalem, non est secundum naturam hominis, sed supra omnem naturam: ergo peccatum quod opponitur huic virtuti, non erit contra naturam.

Rom. 1.

Rom. 7. Gal. 5.

¶ Ad huius rei explicationem scire oportet, hominem esse compositum ex duabus partibus; sensitiua, & rationali; quas vocat Paul. interiorem, & exteriorem hominem: quod non sic intelligendum est, vt ipsa rationalis anima sit homo interior, & exterior, corpus, sed totus homo secundum spiritum, est homo interior, & idem secundum carnem est homo exterior. ¶ Deinde obseruandum est, quòd forma hominis, quatenus homo est, vt D. Th. admonet in articulo, est anima rationalis, quatenus rationalis est, nõ quatenus sensitiua est: & sic homo est, quatenus rationalis est, nõ quatenus sensitiuus est. Vnde inclinatio hominis absolutè & distinctè est inclinatio hominis, quatenus rationalis est, & non quatenus sensitiuus est: hoc est, inclinatio voluntatis & intellectus, non inclinatio sensus, quę nõ est propria inclinatio hominis, aut est hominis secundum quid; comparatur enim inclinatio sensus ad rationem vt aliquid extrinsecum, neque plus debet dici inclinatio hominis, quàm inclinatio dæmonis, aut mundi: cupit enim dęmõ & mundus trahere humanam voluntatem ad malum; cupit etiam appetitus sensitiuus; sed sicut nil refert si mundus, aut dæmon aliquid moliatur, si ego ipse per voluntatem non consentio; sic quid concupiscat caro, nil nocet, neque dicitur opus nostrum, donec per liberum arbitrium consensum præbeamus. His constitutis facilè est intelligere quemadmodum sit homini connaturale, & secundum propriam naturam studiosè operari. Nec solùm asserimus, operari secundũ rationem esse homini naturale, sicut est natiuũ auibus volare, & piscibus natare: hęc enim non sunt fines, sed media quibus prædicta animalia ad suas perfectiones deueniunt: sed dicimus finem & scopum in quem nos natura produxit, esse viuere secundum rationem; sicut esse grauis, est moueri ad centrum, & rei leuis, ferri sursum. Neque hæc propositio indiget expositione, siquidem est axioma, & veluti primũ principium per se notum, hominem esse animal rationale, id est, in hoc natum vt viuat secundum rationem. ¶ Ex hac doctrina sequuntur hæc documenta, quæ in sacra Theologia sunt constitutissima. Primum; Omne quod est secundum inclinationem naturalẽ hominis, bonũ est: siquidem inclinatio naturalis hominis ad bonũ est. Secundum; Omne quod est contra eius inclinationem, malum est. Tertiũ; virtus, & omne opus honestum est secundum naturã hominis. Quartum; vitium est contra naturam hominis, & eã destruit ac dissipat. vnde Dionys. dicit, bonum hominis esse secundum rationem viuere: malũ verò præter rationem esse. ¶ Sed scisciţabitur Theologus, num vitia atque peccata sint contra naturalem inclinationem appetitus sensitiui? Pater Soto libro 1. de natura & gratia, capitulo 3. & doctissimus Victoria in relectione de

Homo interior & exterior. Rom. 7.

Anima rationalis vt sic, forma est hominis

Naturale est homini studiosè operari.

Quod est secundũ naturalẽ inclinationem hominis, bonũ est.

Diony. c. 4. de diui. nominibus.

Soto. Victoria.

homicidio, existimant quòd inclinatio appetitus sensitiui est ad malum: quare peccata non sunt cõtra inclinationem appetitus sensitiui, sed potiùs secundum eam. Nos verò suprà cùm de passionibus animæ ageremus, demõstrauimus omnem inclinationem naturalem appetitus sensitiui esse ad bonum, & vt obediat rationi. Ex qua definitione liquidò constat, quòd peccatũ nõ sit secũdum inclinationẽ naturæ, sed ex abusu animi nostri. His cõstitutis ad argumẽta satisfaciẽdum est. ¶ Ad primum dicẽdum, quòd illa peccata sunt grauissima in hominibus, à quibus vel ipsæ bestiæ abhorrent, & quæ pugnãt nõ tã tùm cum ratione, sed etiã cum natura sensitiua; quæ proinde peccata cõtra naturã antonomaticè appellantur: cum hoc tamen rectè cohæret, quòd peccata vniuersa sint quodãmodo cõtra naturã. ¶ Ad secundum iã dictum est quẽadmodum peccata nõ sint secundum inclinationẽ naturalẽ partis sensitiuę: & dato quòd essent, hoc nõ labefactaret nostrã conclusionem; siquidem natura sensitiua non est inclinatio hominis quatenus homo est. ¶ Ad tertium breuiter & summatim dicẽdum est, quòd quãdo D. Tho. docet vitium esse cõtra naturã, nõ loquitur de vniuersis vitijs, aut peccatis, sed tantùm de his quæ secundum rationẽ peccata esse cognoscuntur: de his verò quæ sunt cõtra finẽ supernaturalem, de quibus ratio hominis nihil dictat, non asserit D. Th. quòd sint cõtra naturã. Vtrùm verò possit defendi, quòd etiã peccata cõtra finẽ supernaturalẽ sint cõtra naturã, inferiùs inuestigandũ est: In solutione tertij lege Dñm Caie. explicantem optimè quonã pacto in cæteris speciebus reperitur malum vt in paucioribus; in sola verò specie humana vt in pluribus; quod argumentũ persequitur etiã in quadam oratione de natura mali. Cuius rei varię sunt demonstrationes. Prima est quã hîc D. Tho. adducit: nam per operationes partis sensitiuæ necessum est deueniamus ad actum rationis, & ad opera studiosa, quę ratione reguntur. Sunt autẽ plures qui possunt assequi principium, quàm operis consummationẽ: cùm igitur vitia & peccata ex hoc proueniãt, quòd homines sequuntur bona sensibilia, & voluptates corporis amplectũtur; cõsequens est q̃ sint plurimi qui prætermisso rationis ordine ad vitia dilabãtur. Secũda demõstratio est, qm̃ hęc bona sensibilia quæ sensus alliciunt, sunt nobis magis nota, & ideo magis mouẽt, sicut obiecta magis propinqua. Tertia demonstratio, quoniã bona sensibilia, & voluptates corporeę afferunt secũ præmiũ suũ, & statim ex eis voluptatẽ capimus: at bona honesta promittũt in futurum, sed in pręsenti, saltẽ in exordio tristitiã præ se ferũt. Quarta demõstratio, quoniã voluptates sensuũ ab ineũte ætate nobiscũ crescũt, nos ab vtero susci-

Ad primum

Ad secundũ

Ad tertium

Exponitur conclusio D. Thom.

Caiet. In specie humana reperitur malum vt in pluribus.

piũt, & alũt; aduenięte autẽ rationis vsu, durũ est cõsueta relinquere, & hũc spiritũ imbibitum extrudere, vt ait philosophus. His accedit, q̃ habemus hostes fortissimos, cũ quibus belligeramus, atq; adeò habemus bellũ cruentissimum, quo caro cõcupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnẽ. Sed potissima huius miseriæ & calamitatis causa in altissimũ inscrutabile Dei iudicium referri debet; quã viã ingressus est Dauid cum dicit; Saluum me fac Dñe, quoniã defecit sanctus, quoniã diminutæ sunt veritates à filijs hominum: quo in loco intẽdit assignare rationẽ, quare vix sit sanctus, & vir bonus in terra: & tandẽ ad diuinum iudicium causam refert, cũ ait; Secundum altitudinẽ tuã multiplicasti filios hominum: hoc est, secundum profunditatẽ cõsilij tui, qui tot malos propter maius bonum prę destinatorum tuorum permittis.

Aristot. 10. ethic. c. 9.

Psal. 11.

ARTIC. TERTIVS.

¶ *Vtrũ vitiũ sit peius, quã actus malus.*

SVMMA TEXTVS.

Conclusio.

Conclusio est. Actus vitiosus peior est vitio: nã habitus medio modo se habet inter potentiam & actum: meliusenim est bene agere, quàm posse bene agere; & habitus cùm medium gradum teneat inter potentiam & actum, tum in bonitate, tũ in malitia, cõsequens est quòd actus præmineat habitui; habitus enim non dicitur bonus, vel malus, nisi ex hoc quòd ad bonum, vel malũ inclinat. Vnde propter bonitatẽ, vel malitiam actus, bonus, vel malus dicitur habitus.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Obiectiões cõtra cõclusionẽ artic. Prima. Secunda.

Dvo sunt quę solent obijci cõtra cõclusionẽ artic. Alterum, quòd omnis causa efficiens est maior suo effectu; tum in bonitate, tum in malitia: sed habitus vitiosus est causa actus: ergo peior actu. Alterum est, quòd gratia habitualis, qua Deo grati sumus, præstat omni actui; nam per eam diligit nos Deus, & facit cõsortes diuinæ naturæ; quod multo melius est, quã quòd nos Deum diligamus. ¶ Ad primam dicendum, quòd omnis causa efficiens, si præcipua sit, est potior suo effectu: non autem si sit instru-

Ad primã.

instrumentaria; veluti calamus non est præstantior scriptura: habitus verò est causa efficiens actus instrumentaria, & ideo non est necesse q̃ sit potior neq; in bonitate, neq; in malitia. His addendum existimo, quòd quanquam omnis causa efficiens sit potior suo effectu, non tamen sequitur quòd in malitia sit potior; nam in malitia esse potiorem, est esse peiorem, ac magis deficientem. ¶ Ad secundam dico, quòd D. Th. loquitur de habitu operatiuo; gratia verò nó est huiusmodi, vt in sequentibus demonstrabitur. Vnde si cóparetur actu diligere Deum ad habitum charitatis, præstat diligere Deum quàm habere habitum charitatis. Ex determinatione huius articuli colligat Theologus, quòd habitibus, (quàmlibet studiosi, aut proterui sint) nó meremur, aut demeremur, sed actibus meritum aut demeritum comparamus. Ex quo nouum colligitur argumentum ad comprobandum, actum vitij, vitio esse peiorem.

Ad secundã

ARTIC. QVARTVS.

¶ Vtrùm peccatum possit esse simul cũ aliqua virtute.

SVMMA TEXTVS.

Prim. cõcl. PRima conclusio. In naturalibus forma non potest esse cum actu contrario; verùm habitus bene potest esse cum actu contrario. Probatio conclusionis hęc est: nam in re naturali forma ex necessitate producit operationem sibi conuenientem, & sic non potest esse cum forma naturali, actus formę contrarią; sicut calor non potest esse cum actu infrigidationis. Habitus verò in anima non producit ex necessitate suam operationẽ, sed homo vtitur eo cùm voluerit. Quare habitu existente in homine, potest homo non vti habitu, & agere contrarium; & sic habens virtutẽ potest producere actum peccati.

Secũd. cõcl. ¶ Secunda conclusio. Si actus peccati comparetur ad ipsam virtutẽ prout habitus est, vnus actus peccati nõ corrumpit virtutem; quia sicut habitus per vnum actum non generatur, sic nec corrumpitur.

Tert cõcl. ¶ Tertia conclusio. Si comparetur actus peccati ad causam virtutum, sic possibile est per actum vnius peccati corrumpi virtutes; quodlibet enim peccatum mortale contrariatur charitati, quæ est radix omnium virtutum infusarum inquantum sunt virtutes: quare per vnũ actũ peccati mortalis excluſa charitate, excludũtur omnes virtutes infusæ; & illæ quę remanent, vt fides & spes, sunt habit⁹ informes, & non virtutes.

Quar. cõcl. ¶ Quarta cõclusio. Peccatum veniale non aduersatur charitati, neq; virtutibus infusis, neque adquisitis: quare potest esse cum eis.

EXPLICATIO ARTICVLI.

IN hoc articulo non est necesse explicari à nobis quemadmodum per peccatum mortale quodcunq; corrumpantur, & excludantur omnes virtutes infusę: nam de hoc satis disputatum est, vt arbitror, suprà q. 65. Quod hîc habet dubitationẽ, est; vtrùm per peccata venialia sæpiùs repetita corrumpantur virtutes. De qua re quorundam sententia circunfertur, quæ ferè ab omnibus probatur, quòd per peccata venialia possunt corrũpi virtutes quædã exigui mométi, & minimè necessariæ; vt per inurbanitates frequentes corrũpitur eutrapeliæ virtus; virtutes verò necessarię, vt fortitudo, iustitia, temperantia, nó dissipãtur per peccata venialia. Sed de temperantia acquisita nõ omnino mihi probatur hęc sententia: nã per consuetudinem gulæ efficitur quis tam malè tẽperatus, ac dispositus ad sobriè ac temperatè viuẽdum, atq; si nunquã cóparasset virtutem: ergo virtus acquisita in illo perijt, ac dissipatur. Et fortasis erit regula certa, quòd virtutes, quarum vitium, vel actus contrarij è genere suo nõ sunt peccata mortalia, possunt corrũpi per peccata venialia, & sic acquiritur improbus habitus vitij contrarij. Certè si quis qui antea liberalis erat, incipiat studio pecuniæ dare operam, & tenax esse, perdit liberalitatis virtutem, & vitium auaritiæ conquirit; quanquam auaritia hæc nõ

Vtrũm per pecc. ta venialia sæpiꝰ repetita corrumpantur virtutes.

Quęnã virtutes corrũpantur per peccata venialia.

sit peccatum mortale. Verùm non simpliciter dicẽdus est vitiosus; quia habitus gulæ aut auaritiæ in illo homine non est simpliciter vitium, quia non deordinat, neq; auertit illum ab vltimo fine. Si autem vitium quod opponitur virtuti, ex genere suo est peccatum mortale, tunc virtus acquisita, per peccata venialia non corrumpitur. Certè habitus iustitiæ acquisitæ non amittitur per peccata venialia, neq; acquiritur habitus iniustitiæ; neq; homo qui peccat venialiter in materia iustitiæ, dicitur iniustus simpliciter, nec dicitur fur, aut latro, sicut alius dicitur auarus, aut gulæ deditus. Ratio huius est; quia in abstinentia & sobrietate graue existimatur, multùm & sæpe, vel inordinatè deuorare: sed in rebus quę pertinent ad iustitiam, non existimatur graue, nisi lædatur iustitia in re graui, & maioris momenti. Hæc probabilia sunt.

ARTIC. QVINTVS.

¶ Vtrùm in quolibet peccato sit aliquis actus.

SVMMA TEXTVS.

Prim. cõcl. HAEc quæstio proponitur propter peccatum omissionis: de quo est prima conclusio. ¶ Si in peccato omissionis intelligatur illud solum quod pertinet ad rationem peccati, sic quandoque peccatum omissionis est cum actu interiori; vt cùm aliquis vult non ire ad ecclesiam: aliquando verò sine omni actu interiori, vel exteriori; sicut cum aliquis hora qua tenetur ire ad ecclesiam, nil cogitat de eũdo,

Secũ. cõcl. aut non eundo ad ecclesiam. ¶ Secunda conclusio. Si peccatũ omissionis consideretur secundum causas, siue occasiones omittendi, sic necesse est in peccato omissionis esse aliquẽ actum: nõ enim est peccatum omissionis, nisi quando aliquis prętermittit quod potest facere, & non facere. Vt autem quis declinet ad non faciendũ illud, quod potest facere & non facere, non est nisi ex aliqua causa coniuncta, vel præcedente, quæ causa si non est in potestate hominis, omissio non habet rationem peccati; sicut si aliquis prætermittit ire ad ecclesiam propter infirmitatem. Sed si causa, vel occasio omittẽdi subiaceat voluntati, omnino habet rationẽ peccati; & tunc semper oportet quòd ista causa, inquantum est voluntaria, habeat aliquem actum, ad minus interiorẽ voluntatis; qui actus quandoq; fertur in ipsã omissionẽ (vt si quis propter laborem vult nõ ire ad ecclesiã) & tũc talis actus per se pertinet ad omissionẽ: sed quando actus voluntatis directè fertur in aliud per quod homo impeditur ab actu debito, siue id in quo fertur voluntas sit coniunctum omissioni; vt si aliquis vult ludere quando tenetur ire ad ecclesiam; siue etiam sit præcedens; vt si aliquis vult vigilare diu de serò, ex quo sequitur quòd non potest ire ad ecclesiam; tunc actus iste interior, vel exterior per accidens se habet ad omissionem; quia omissio sequitur præter intentionem.

¶ Tertia conclusio. Vera est illa Tert. cõclu. sententia, quòd peccatum omissionis est absque actu: nam iudicium de rebus datur secundum illud quod per se est, & non secundum illud quod est per accidens: per se autem peccatum omissionis in hoc consistit, quòd non facias illud quod poteras, & tenebaris facere.

EXPLICATIO ARTICVLI.

De omissio nevarię opiniones.

DE quæstione huius articuli disputant Doctores in 2. d. 35. & versantur tres celebres opi-

Pri. opinio & pri. argu. pro ea.

opiniones. Prima dicit, quòd omissio nunquam datur sine actu. Patet: quoniá omissio nō est meritoria sine actu: ergo non est demeritoria sine actu. Patet consequentia: quoniā Deus pronior est ad miserēdum, quā ad puniendum. Patet antecedēs: nā nos modò omittimus furari, & occidere; in qua omissione nō meremur, quoniá nō habemus actum. ¶ Secundò, peccatū nō est sine voluntario, dicēte Aug. Peccatū adeò est volūtarium, quòd si nō est voluntarium, peccatum nō est: ergo peccatum omissionis non est sine actu voluntatis formaliter, vel interpretatiuè. ¶ Tertiò, demus hominē qui nihil recordatur Missæ audiēdæ; tunc quæro, vtrùm peccet, vel non? si primum: ergo peccat in eo quod vitare non potest: nā si nō venit in mentem, nō potuit esse in eius potestate: si secundum, solùm est in causa, quia nō habuit actum positiuum. ¶ Quartò, obliuio sine aliquo actu non est culpabilis: ergo omissio sine actu nō est culpabilis. Probatur antecedens: nam obliuio sine actu est naturalis. ¶ Quintò, quando homo sæpenumero omittit ieiunium, orationē &c. acquirit habitum vitiosum, & dissipat cōtrariam virtutē: ergo istę omissiones habēt aliquē actum cōiunctum; nā habitus nō producitur nisi ab actibus. ¶ Sextò, si detur omissio sine actu, sequitur quòd inter omissionē sine actu, & omissionē cum actu esset distātia infinita in malitia. Argumētum est quod fecit Adāgodam, cuius vires demōstrat Capr. in 2. d. 35. q. vnic. in solut. argumentorū cōtra secūdā conclusionē, quo in loco refert autores huius opinionis. ¶ Secunda opinio asserit, quòd datur omissio sine actu. Hāc docet Durand. d. 35. q. 2. Marsil. in 2. q. 21. ar. 2. Adria. in 4. q. 3. de Eucharistia, solutione ad tertium principale. Almayn. in suis moral. tract. 3. c. 25. Probatur; nā de essentia omissionis nō est aliquis actus: ergo potest esse sine actu. Probatur antecedēs: nā ratio omissionis in hoc cōsistit, q̄ homo non faciat quod tenetur facere cùm possit: quod expositum Iaco. cum inquit; Sciēti bonum, & nō faciēti, peccatū est illi. Secundò, aliæ omissiones possunt esse sine actu: ergo omissio præcepti potest esse sine actu. Probatur antecedēs: nā nos modò omittimus adire Romā, &c. ergo. Hoc ipsum cōfirm. nā quādo nō est præceptum de audiēda missa, potest quis nō audire missam, absq; eo quòd habeat aliquē actum ad quē reducatur per se, vel per accidens ipsa omissio: ergo etiā si sit præceptum de audiēda missa. Antecedens patet: quia nemo habet actum ad faciēdum ea quæ nō tenetur facere; sed merè negatiuè nos habemus sę pissimè: ergo. Cōsequētia probatur; quia præceptū nō tollit libertatē arbitrij, neq; ponit: ergo. Tertiò, quādo quis per inconsiderationē omittit implere aliquod præceptum affirmatiuū, certè talis omissio est culpabilis, & ei imputatur ad peccatū. Hoc idē ostenditur euidētiùs. Nā actus qui est causa, vel occasio omissionis, est actus liber quātum ad exercitium, vt planè cōstat: ergo poterit homo illum actum suspēdere, vel nō habere. Præterea, quādo quis tenetur audire rē sacrā, & suspēdit omnē actū volūtatis internū & externū, vidēs se teneri, certè huiusmodi omissio culpabilis est, & meretur vituperationē; alioqui qui suspēderet omnē actū, liberaretur ab oībus peccatis: ergo datur omissio sine actu; aliàs sequeretur q̄ oē peccatū, esset peccatum cōmissionis: nā in omni peccato esset actus cōtra legē Dei. Sextò, negationis & priuationis nō est necesse dare causam positiuā, satis est causa negatiua, aut priuatiua; sicut absentia nautæ est causa submersionis nauis: & licèt omissio sit volūtaria, nō tamē est necessariū q̄ sit volūtaria per aliquē actū positiuū, sed satis est quòd sit in potētia volūtatis, & nō caueatur cū sit obligatio, vt optimè exponit D. Th. suprà q. 6. ar. 3. & q. 2. de malo, ar. 1. ad 2. & hīc ad 2. ¶ Tertia opinio est D. Th. quę exponitur duabus vel tribus propositionibus. ¶ Prima, de essentia omissiōis nō est aliquis actus: in hac oēs cōueniunt. ¶ Secūda cōcl. Si daretur omissio libera absq; omni actu, esset certè culpabilis, & nobis imputaretur ad culpā: in hac etiam oēs cōueniunt. ¶ Tertia cōcl. Moraliter loquendo nō datur omissio absq; actu vel præcedēte, vel cōcomitante. Dixi, moraliter loquendo; nā secundū potentiā logicā bene potest esse omissio sine actu; sicuti moraliter loquēdo non possunt caueri omnia peccata venialia: at verò secūdū potētiā logicā, aut miraculosè potest homo oīa venialia vitare peccata. ¶ Pro huius explicatione notādum, q̄ in tribus casibus potest omissio referri in aliquē actū positiuū tanquā in causam. Primus est, quādo ipse actus volūtatis fertur directè in ipsam omissionē; vt quādo quis dicit; volo nō audire rē sacrā. Secūdus est, quādo actus volūtatis fertur in aliquod opus, cui ex necessitate est cōiūcta omissio prę cepti; vt quādo quis tēpore quo tenetur audire missam, vult dormire, aut ludere. Tertius est, quādo actus volūtatis fertur in aliquod opus prę cedēs, ex quo sequitur omissio præcepti; vt cū quis multū nocte vigilauit, aut se inebriauit. Præter istos casus affirmo in vniuersum, quòd moraliter loquēdo nunquā datur omissio sine actu: nā quādo quis aduertit se teneri aliquo prę cepto, & cessat ab eius impletione; vel cessat, quia vult nō implere, vel quia fugit laborē, vel quia intēdit ad aliud negotiū cōfabulādo, aut ludēdo. Deinde, ex proposito nō velle, est virtualiter nolle; sed omnis nolitio prę supponit volūtatis actū; ideo nolo infirmitatē, quia volo salutē: ergo qui aduertēter nō vult seruare præceptū affirmatiuum, virtualiter vult nō

Secundum. Aug.

Tertium.

Quartum.

Quintum.

Sextum.

Adāgodam Capr.

Secū. opin. & argum. pro ea. Durand. Marsil. Adrian. Almayn.

Argu. prim.

Iac. 4.

Secundum.

Confir.

Tertium.

Quartum.

Quintum.

Sextum.

Explicatio quęstionis.

Durand. ſeruare: atq; ex cõſequenti in omni omiſsione eſt aliquis actus poſitiuus. ¶ Sed dicit Durã. nos poſſe ſuſpẽdere omnẽ actum voluntatis. Reſpõdetur, quòd poſſumus logicè: nos verò moraliter loquimur. Secundò dicitur, q̃ etiã in hoc caſu datur actus poſitiu⁹ in quẽ referatur omiſsio, ſcilicet in hũc; volo ſuſpẽdere actum. Sed maior difficultas eſt, quãdo omiſsio eſt alicuius præceptiper inconſiderationẽ, aut inaduertentiã, vtrũ tunc detur omiſsio ſine actu? Reſpõdetur quòd etiã tunc interuenit actus: nã ſi ego culpabiliter nõ animaduerto, eſt quia aliquod negotium interuenit vel loquutionis, vel ebrietatis &c. ¶ Ad

Arg. ſolut. Ad primum pri. opinio. argumẽta vtriuſq; opinionis, ad primum primę opinionis dicẽdum, quòd plura requiruntur ad bonum quã ad malum, eò quòd bonum cõſurgit ex integra cauſa, malum autem ex ſingulari-

Diony. c. 4. de diuinis nomin. bus defectibus vt Dionyſ. dicit. Et ideo peccatum poteſt contingere, ſiue aliquis faciat quod nõ debet, ſiue nõ faciẽdo quod debet: ſed meritum nõ poteſt eſſe, niſi aliquis faciat voluntariè quod debet; & ideo meritum nõ poteſt eſſe ſine actu: ſed peccatũ poteſt eſſe ſine actu. Certè meritũ nõ poteſt eſſe niſi quis ad regulã operetur: at deficere à regula, ſtat dupliciter; vel tranſgrediẽdo regulã, id eſt, faciẽdo quod nõ debeas; vel

Ad ſecundũ Voluntariũ nõ faciẽdo quod debeas. ¶ Ad ſecundum argumẽtum dicẽdum, quòd aliquid dicitur voluntarium, nõ ſolùm quia cadit ſuper ipſum actus voluntatis, ſed quia in poteſtate noſtra eſt vt fiat, vel

Ariſt. 3. eth. nõ fiat, vt dicit Ariſt. vnde etiam ipſum nõ velle, poteſt dici voluntarium, inquãtum in poteſtate noſtra eſt velle, & nõ velle. ¶ Ad

Ad tertium tertium dicẽdum, quòd inaduertẽtia ſi ſit naturalis, non eſt peccatum, ſecùs ſi libera eſt: ſed vt libera ſit, non requiritur, quòd ſit aliquis actus poſitiuus, ſed ſatis fuerit quòd ſit in poteſtate voluntatis. ¶ Ad

Ad quartũ. Ad quintũ. quartum idẽ dicẽdum eſt. ¶ Ad quintum dicendum, quòd per illas omiſsiones haud dubiè virtus diſsipatur: nã per ſolã ceſſationẽ ab opere excluditur virtus, & corrumpitur, vt planè docet

Virtus per ceſſationẽ ab actu diſſipatur. D. Thom. D. Thom. ſuprà q. 53. ar. 3. ergo multò magis per omiſsiones præceptorum. Certè hoc aliquibus videtur difficile; quia virtus nõ corrumpitur niſi per ſuum cõtrarium, & poſitiuè agẽs: at in argumẽti ſolutione ſtatuitur, quòd nullus actus interuenit, ſed tãtùm omiſsio, ſcilicet non reſtituere, quomodo ergo corrumpit virtutẽ? ſed poterit quis reſpõdere, quòd ſemper in his omiſsionibus interuenit aliquis actus, vt oſtẽdit D. Th. in art. Sed hæc ſolutio nõ ſatis explicat rei difficultatẽ: nã actus qui interuenit non ſemper eſt peccatum, ſaltẽ diſtinctũ ab omiſsione, vt infrà demõſtrabitur: quomodo ergo corrumpit virtutẽ? Dicat ergo Theologus, quòd tametſi nullus actus interueniat, ſatis eſt ceſſatio volũtaria à debito virtutis actu vt corrumpatur virtus: vn-

de ſi aliquis ſæpe petit mutuũ, & nunquã ſoluit, perdit certè habitũ iuſtitiæ, quẽ antea cõparauerat, neq; promeretur nomẽ iuſti: neq; enim tũc eſt pura ceſſatio ab opere, de qua dicit S. Th. q. 53. ar. 3. quòd per accidẽs corrũpit habitũ, ſed eſt ceſſatio voluntaria à virtutis vinculo & debito. ¶ Sed hinc enaſcitur mai⁹ dubiũ, vtrũ hęc omiſsio volũtaria ſatis ſit ad generandũ habitũ vitij, virtuti cõtrarium? Ad cuius rei explicationẽ ſcire oportet, nõ eſſe connexionẽ neceſſariã, quòd ſi corrũpitur habitus iuſtitiæ, generetur habitus iniuſtitiæ: nã poteſt aliquis eſſe ſine habitu iuſtitiæ & iniuſtitiæ: vnde poteſt quis dicere, & ſatis probabiliter, quòd per omiſsiones corrumpitur virtus, ſed nõ generatur habitus vitij. Mihi verò dicendũ videtur, quòd & corrumpitur virtus, & generatur habitus vitij cõtrarius: nã in iſtis omiſsionib⁹ formaliter, vel virtualiter eſt iſta volitio; volo nõ ſeruare præcepta iuſtitiæ; ex qua frequẽter exercita, generabitur habitus vitioſus; maximè quòd omiſsio eſt ſpeciale peccatũ, oppoſitũ virtuti iuſtitiæ; vt optimè declarat D. Th. 2. 2. q.

D. Thom. 79. ar. 3. & ſic per iſtas omiſsiones poteſt generari ſpecialis habitus vitij, omittẽdi & nõ faciendi quod iuſtitia præcipit, diſtinctus ab habitu rapiẽdi, vel accipiẽdi aliena. ¶ Quòd ſi quis obijciat, omnẽ habitũ de ſe ordinari ad actum: ergo nõ poteſt eſſe aliquis habitus omittẽdi. Reſpõderi poteſt, de habitu vitioſo nõ ſemper eſſe neceſſariũ quòd directè ordinetur ad actum poſitiuũ, ſolũ ſufficit quòd impediat operis ſtudioſi exequutionẽ: & ita poteſt cõparari habitus negligẽtiæ & omiſsionis. Sed hoc eſt incidere in magnas diſputationis anguſtias, ideo præſtat dicere, quòd generabitur habitus iniuſtitiæ inclinãs ad iniuſtitiã faciendã: nã detinere alienũ, iniuſtitia eſt. ¶ Ad ſextũ argumentũ dico, nõ ideo

Ad ſextum. peccatũ cõmiſsionis eſſe grauius quã omiſsiõis, quia includit aliquid poſitiuũ; vnde habet rationẽ entis & boni; ſed quia eſt cõtra legẽ Dei, & auertit magis à Deo: & in hoc poteſt cõtingere quòd aliquãdo peccatũ omiſsionis ſit grauius, quã peccatum cõmiſsionis; quia magis auertit à Deo, ſed de grauitate omiſsionis infrà dicẽdum eſt. ¶ Ad argum. ſecũdæ opinionis, ad primũ di-

Ad argum. ſecũdæ opinionis. Ad primũ. cẽdum, euidẽter probare q̃ de eſſentia omiſsionis nõ ſit aliquis actus; cæterũ ſi cõſiderem⁹ cauſas omiſsionis, ſemper habet adiunctũ actũ, ſicut ſuprà expoſitũ eſt. ¶ Ad ſecundũ negãda eſt cõ-

Ad ſecundũ Diſcrimen inter omiſsionẽ culpabilẽ ab alijs ſequẽtia argum. & ratio diſcriminis eſt duplex. Prima, qm̃ alię omiſsionesq; nõ ſunt de re præcepta, neq; ſunt volũtarię, neq; inuolũtarię, ſed nõ volũtarię, & ideo nõ eſt neceſſe demõſtrare cauſam poſitiuã in quã referatur: cæterũ quãdo eſt omiſsio culpabilis præcepti, eſt volũtaria indirectè, & ideo oportet demõſtrare cauſam poſitiuã, propter quã omitto præceptũ. Deinde differunt,

rũt, quoniã nõ est verosimile, q̃ quis culpabiliter trãsgrediatur præceptum, & nõ aduertat, siue formaliter, siue interpretatiuè; cęterum de re nõ præcepta, & ad nos nil pertinẽte, sępenumero accidit, quòd nihil cogitamus. Ex his patet ad cõfirmationẽ. ¶ Ad tertiũ, de omissionibus quę accidũt ex inaduertẽtia, & incõsideratione, vel etiã quia suspẽdimus actus, iã superiùs arbitror me dixisse satis copiosè. ¶ Ad illud verò quod additur, quòd semper omne peccatũ esset cõmissionis, si quidẽ includit actũ positiuũ cõtra legẽ Dei; dicẽdũ est, q̃ peccatũ omissionis nõ dicitur omissionis, quia excludit actũ positiuũ, sed quia omittitur actus præcepti; peccatũ verò cõmissionis dicitur ex eo, quòd fit actus prohibitus, & interdictus, itaq; hęc volitio; volo nõ audire missam; quãquã includit actũ positiuũ, est peccatũ omissionis, quia per eã volo prætermittere id quod mihi præceptũ est; at velle furari, peccatũ est cõmissiõis, quia per id facio quod mihi interdictũ est. ¶ Ad quartũ dicẽdum, quòd negationes aut priuationes pro causa per se habẽt negatiuũ aliquid, vel priuatiuũ; sed pro causa per accidẽs bene possunt habere causã positiuã: & certè omissio aliquãdo habet pro causa per se actum positiuũ; vt cùm quis dicit, volo nõ audire missam. ¶ Sed est magna quæstio; vtrũ ille actus moralis qui semper cũ omissione est, sit peccatũ. v. g. tẽpore quo quis tenetur audire missam, ludit, studet, aut dormit: quæstio est an ille act⁹ q̃ interuenit cũ omissione, sit peccatũ? Durã. vbi suprà tenet quòd nõ; nisi alioqui actus sit malus. Probatur; tũ, quia ille act⁹ de se nõ est malus, neq; prohibitus; tũ deinde, quoniã nemo explicat in cõfessione tales actus positiuos, sed tãtùm dicit se nõ audisse missam. Tertiò, quoniã talesoperationesnõ sunt cõtra aliquod determinatũ p̃ceptũ. Sed potest quis dicere quòd hoc opus sit cõtra præceptũ de audiẽda missa, quo prohibẽtur oẽs actus incõpossibiles huic præcepto. Cõtrà; sequitur, quòd si quis firma voluntate decreuit se nõ audire missam, si interim ne sit otiosusdat operã literis, quòd sit peccatũ, illud studiũ. ¶ Cõtrariã sententiã tenet Capr. & probatur: tũ, quoniã ille actus est causa omissionis & peccati: tũ verò, q̃m illi actui deest circunstãtia tẽporisnecessaria; studeo enim quãdo nõ oportet, & oportet audire missam. Et cõfirmatur: quoniã D. Th. q. 2. de malo, ar. 1. ad 7. in argu. sed cõtrà, dicit apertè, quod laudare Deũ quãdo teneor alia opera facere, est peccatũ: ergo etiã confabulari cũ amico quãdo teneor audire missam, est peccatũ. ¶ Pro expositione dico primũ, quòd si actus positiuus sit causa omissiõis, absq; dubio est peccatũ. Probatur: nã est causa libera peccati; ergo est mala. Probat cõsequẽtia: nã oẽs Theologi hac de causa habẽt pro certo quòd Deus nõ causat peccatũ; q̃m si causaret, esset malus, & peccaret. Secũdò, volitio occidẽdi eò est mala, q̃m est causa operationis malę; & habitus ideo est mal⁹, quia est causa act⁹ mali: ergo si studiũ est causa omissionis, peccatũ est. Tertiò, occasiones peccatorũ sunt cauẽdę, licèt alioqui essent honestæ & laudabiles. v. g. ingredior domũ mulieris cũ scãdalo ꝓximi, aut cũ periculo proprio, teneor illud cauere: ergo si studium est causa omissionis, teneor cauere illud. Quartò, si maritus ex inordinato amore vxoris trãsgreditur aliquot præcepta diuina, ille amor malus est. Quintò, si quis ex incauta sagittatiõe occidit hominẽ, ea mala est, q̃m ex ea homicidiũ est subsequutũ; atq; adeò si quis faciat opus alioqui studiosum, ex quo scãdalizatur proxim⁹, peccat vt dicit Paul. Si esca fratrẽ meũ scãdalizat &c. ergo si studiũ est in causa q̃ omittã præceptũ diuinũ, malũ est. ¶ Secũdò dico, si act⁹ positiu⁹ nõ est causa, nec occasiõ omissiõis, sed tãtũ cõcomitãs, nullũ est peccatũ. v. g. decreuit q̃s nõ audire missam, & ne sit otiosus, studet, aut visitat infirmũ; hęc opa nõ sunt peccata; tũ, q̃m bona sunt ex obiecto & ex circunstãtijs, & nõ sunt occasio peccati; tũ verò, q̃m meli⁹ est homini noléti audire missã studere quã esse otiosũ, & hoc est illi cõueniẽtiùs, & cõsulẽdum. Pręterea, q̃m iste act⁹ potest esse impletiu⁹ præcepti, vt si q̃s interim ꝓsoluat pẽsum horarũ: atq; adeò si iste act⁹ esset peccatũ, quidquid faceret, peccaret, siue daret eleemosynã, &c. ¶ Ad arg. Durã. ad primũ dicendũ, q̃ ille act⁹ est malus: tũ, q̃m est causa peccati; tũ verò, q̃m sit tẽpore indebito. ¶ Ad secundũ dicẽdũ, neminẽ in cõfessione explicare hũcactũ, q̃m fortasis nõ est distinctũ peccatum ab ipsa omissione, de quo cõtinuò dicemus. ¶ Ad tertiũ dicẽdũ, q̃ eo præcepto quo præcipitur nobis audire missam, præcipitur nobis vt tollamus oĩa impedimẽta, & adhibeam⁹ oĩa media necessaria ad impletionẽ huiusmodi præcepti: quapter studiũ q̃ est causa omissiõis, hoc præcepto nobis interdicit. Ex quo patet ad replicã arg. ¶ Sed cõtra secũdũ dictũ est arg. sequit q̃ si clericus nauigatur⁹ decreuit nõ dicere officium diuinũ, & postmodũ proijcit Breuiarum in mare, q̃ hęc proiectio nõ sit peccatũ nouũ; quod asserere est absurdũ. Probatur sequela: nã hæc proiectio nõ est causa omissionis, nec occasio, sed tãtũ cõcomitãs. Pręterea probat: nã etiã sequit, eũ qui fecit votũ religionis, & decreuit ducere vxorẽ, postmodũ nõ peccare q̃n ducit vxorẽ. Probatur sequela: nã ducere vxorẽ nõ est causa omissiõis, sed illa volitio pręcedẽs. Tertiò, studiũ q̃ fit q̃n teneor audire missam, nõ habet circunstantiã tẽporis; fit enim tẽpore indebito: ergo est malum. ¶ Ad primũ, & secundũ respõdetur, quòd in vtroq; casu est nouũ peccatũ; nã qui ducit vxorẽ, facit cõtra votũ: qui verò proijcit Breuiarium in mare, peccat

Ad tertiũ.

Peccatũ cõmissionis & omissionis distinguuntur.

Ad quartũ.

An act⁹ qui est cũ omissione, sit peccatum.

Durand.

Argum. pro sententia Durand.

Primum.

Secundũ.

Tertium.

Confir.

Capr.

Argum. pro sententia Capr.

D. Thom.

Actus qui est causa omissionis est peccatũ.

Rom. 14.

1. Cor. 10.

Ad argum. Durand.

Ad primũ.

Ad secundũ

Ad tertium

Obiectiões

Solutiones.

Pro. 24. mortaliter; quoniã facit se impotentẽ ad implẽdum mãdatum: & quoniã scriptura dicit; Septies in die cadit iustus, & resurgit; ideo qui se reddit impotentẽ, peccat de nouo, & resistit Spiritui sancto. Solutio est communis, sed videtur falsa: nã ex ea sequitur, quòd qui decreuit nõ audire missam, & iuit dormitũ, peccat mortaliter. Probatur sequela: nã se impossibilitat. Rursus sequitur, quòd qui tenetur dare eleemosynã, & statuisset nõ dare, si postmodũ solueret debitũ, aut emeret necessaria, peccaret de nouo mortaliter. Probatur sequela: nã se reddit impotentẽ ad dandã eleemosynã. Respõdetur, quãdo multo tẽpore se reddit impotentẽ, sine dubio peccat mortaliter de nouo, sed in alijs casibus est regula; Quãdo instat præceptum, & decreuit quis nõ audire missam, & postmodũ it dormitũ, nõ peccat; qm̃ in hoc casu est omissio, & nõ est verosimile ꝙ mutabitur illi⁹ volũtas. ¶ Ad tertiũ respõdetur, ꝙ supposito quòd iste decreuit nõ audire missam, illud tẽpus ad studiũ est aptissimũ, quoniã nõ impedit audire missam. ¶ Ex his patet ad argumẽta Capr. quib⁹ intẽdit probare, ꝙ ois actus interueniẽs cũ omissione sit peccatũ. Ad primũ nũc dictũ est, sed adhuc euidẽtiùs respõdetur, ꝙ circunstãtia tẽporis aliquãdo spectat ad propriã speciẽ actus boni, tanquã accidens necessariũ vt actus bonus sit; veluti celebrare missam ante prãdium, est circunstãtia missæ celebrãdę, intrinseca tamẽ & necessaria: aliquãdo verò est omnino extrinseca, vt quòd tẽpore quo tenebatur Petr⁹ audire missam, studeat: priori ergo modo si desit circunstãtia tẽporis, semper vitiatur actus: sed posteriori modo tametsi desit, nõ semper vitiatur act⁹, nisi ex operãtis intẽtione ordinetur nõ audire missam ad studiũ, vel aliquomodo amor studij sit causa huius omissionis: & tũc studiũ literarũ vitiosum erit ex mala circũstãtia tẽporis.

Ad argum. Capr.

Ad primum

Ad secundũ ¶ Ad secundũ ex autoritate D. Th. dicẽdũ est, ꝙ D. Th. loquitur quãdo tẽpus est indebitũ, vel quãdo propter ipsum ꝙ est laudare Deũ, omitti tur aliquid ꝙ est in præcepto. Est aliud dubiũ; vtrũ actus qui est causa omissionis, sit distinctũ peccatũ ab ipsa omissione? Dicẽdum est, ꝙ sunt duo peccata materialia, & vna malitia formalis, à quavtrũq; dicitur peccatũ. Itaq; in hoc casu cẽsendũ est sicut suprà diximus de actu interiori, & exteriori, scilicet ꝙ sunt duo peccata; malitia verò vna tantùm formaliter, quę formaliter est in actu interiori, denominatione verò in exteriori. Probatur: nã quãdo quis propter studiũ omittit audire missam, illud studiũ nõ est malũ, nisi quia est causa omissiõis: ergo tãtũ habet malitiã omissionis. Secũdò, quãdo quis expresse dicit; ego volo nõ audire missam; illa volitio non habet aliã malitiã nisi omissionis: ergo maiori iure, si quis ꝓpter studiũ omittit audire missam, illud studiũ nõ habebit distinctã malitiã: ergo tantùm habet malitiã omissionis. Ex hoc sequitur, ꝙ satisest dicere in cõfessione, nõ audiuisse missam. Secũdò dico, leuius peccatũ est omittere missam ꝓpter studiũ, quã omittere quia lubet. Probatur tũ ex cõmuni hominũ sensu: nã primũ peccatũ habet excusationẽ; secundũ minimè. Secũdò probat; nã qui furatur ꝓpter alẽdum patrẽ, leuiùs peccat quã qui propter libidinẽ furãdi: ergo leuiùs peccat qui omittit missam propter studiũ, quã qui omittit ex volũtate omittẽdi. Sed cõtrà; maritus qui ex inordinato amore vxoris furatur, habet duplex peccatũ; vnũ, ꝙ furatur; alterũ, ꝙ inordinatè vxorẽ amat: ergo qui ex inordinato amore studij omittit audire missam, habet geminũ peccatũ; alterũ, ꝙ omittit audire missam; alterũ, ꝙ inordinatè amat studiũ. Secũdò, qm̃ quis timore oppressus negat fidẽ Christi, duplex facit peccatũ; vnũ cõtra fidẽ; alterũ cõtra fortitudinẽ: ergo similiter in nro casu peccat duplex peccatũ. Tertiò, amor atq; timor mũdanus est peccatũ mortale, vt opinatur D. Th. 2.2.q.19.qm̃ est causa trãsgressionis mãdatorum Dei: sed studiũ in proposito est causa omissionis: ergo de se est peccatũ mortale. ¶ Propter hæc argu. aliqui doctores tenẽt, ꝙ sunt duo peccata in cõfessione necessariò explicãda; & quòd grauiùs peccat qui omittit audire missam propter inordinatũ amorẽ literarũ, quã qui omittit quia lubet. Sed certè isti contra oẽm sensum & euidentiã loquũtur. Dicẽdum ergo ad argum. ꝙ cũ hoc studiũ sit malũ, quia est causa malæ electiõis, nõ habet nisi malitiã omissionis, & quodãmodo eã extenuat, vt probatum est. Probatur hęc solutio: nã quãdo quis incautè sagittãdo occidit hominẽ, certũ est ꝙ nõ solùm occisio est peccatũ, sed etiã incauta sagittatio; & tamẽ certũ est quòd est leuiùs peccatũ ex incauta sagittatiõe occidere hominẽ, quã occidere ex proposito. Itaq; licèt omittere missam propter studiũ, duplex peccatũ esset (quod nõ cõcedo) leuius peccatũ est quã omittere ex ꝓposito; quia vnũ peccatũ alterum extenuat, & excusat. ¶ Est aliud dubiũ; Quãdo imputetur nobis peccatum omissiõis; vtrũ ne quãdo erat tẽpus operãdi, an verò statim ac se exponit periculo nõ adimplẽdi præceptũ; vel quãdo quis facit se impotentẽ ad operãdũ? Hãc quæst. explicat D. Th. in solut. tertij, de qua versantur tres opiniones celebres. Prima est Marsilij in 2.q.21.ar.2. propositione secũda; ꝙ tũc imputatur, quãdo instat tẽpus implẽdi præceptũ, licèt tunc nõ sit in nra potestate implere præceptũ; tametsi tũc nõ habeat homo vsũ rationis: vt si sit ebrius, aut dormiẽs. Idẽ videtur sentire D. Th. hic ad tertium; scribit enim, ꝙ solũ pro eo tẽpore dicitur quis omittere cessando ab opere, quãdo præceptum obligat affirmatiuum. & in 2.2.q.79.art.3. ad tertiũ, reprobat opinionẽ asse-

Actus qui est causa omissionis, & omissio, vnã formaliter malitiã habent.

Quãdo imputetur peccatũ omissionis.

D. Thom.

Marsil.

D. Thom.

D. Thom.

asserentium, quòd tũc incipit omissionis peccatũ, quãdo quis aggreditur opus quod est incompossibile cũ actu ad quẽ tenetur: docetq; ex propria sententia, peccatũ omissionis tunc imputari ad culpã, quãdo fuit tẽpus operãdi. Idq; persuadet hoc argumẽto: quia si homo abiẽs serò dormitũ cũ periculo nõ exurgẽdi ad audiendã missam, & excitatur post per violentiã, & audit missam, certè nõ diceretur omittere: ergo tunc dicitur omittere, quãdo instat tẽpus quo operari tenebatur. Ex hoc elicit Marsili⁹ loco dudũ citato, q̃ stat quẽpiam ire dormitũ sine sua culpa, & q̃ dormiẽs peccat, & perdit gratiã Dei, si tũc currat præceptũ. Sed hęc sententia sic explicata, falsa est; quoniã in hoc casu nulla est libertas; ergo nullũ peccatũ: peccatũ enim adeò est liberũ & voluntariũ, quòd si nõ est liberũ & voluntariũ, peccatũ nõ est, vt omnibus est notũ. Rursus sequitur ex prędicta sententia, q̃ aliquãdo homo sit extra salutis statũ: nã quãdo homo iuit dormitũ, erat in gratia; postea verò in somnijs labitur in peccatum, à quo pro eo tẽpore nõ potest exurgere: ergo est extra statum salutis. Præterea sequitur, q̃ pollutio inuolũtaria esset peccatũ in somnijs: nã peius est pollui, quã non audire missam: ergo si imputatur homini nõ audire missam, imputabitur ei etiã pollutio. Vnde euidẽs est, quòd si quis se impotẽtem reddit sine sua culpa, neq; peccat peccatũ omissionis, neq; cõmissionis. ¶ Secũda opinio docet, q̃ huiusmodi peccata nõ imputãtur homini, nisi in sua causa: itaq; quãdo homo volũtariè ponit causam omissionis, tunc peccat. Sed nõ peccat quando dormit, neq; quando est ebri⁹, licèt omittat præcepta diuina. Hęc opinio placuit Adria. in 4. q. 3. de Eucharistiã: & videtur quibusdã viris doctis probabilis. Sed lõgè probabilior & verior est tertia opinio, quam docet D. Th. in hoc art. & 2. 2. loco dudũ citato, & q. 150. art. 4. quæ explicatur 5. cõclusionibus. ¶ Prima cõclusio. Propriè & verè nõ est omissio, neq; dicitur homo omittere, nisi tunc quãdo est tẽpus implẽdi præceptum affirmatiuũ: nã ante illud tẽpus nõ tenetur homo operari: ergo ante illud tẽpus nõ est omissio. Cõsequentia inde probatur: quia omittere, est non facere quod quis tenetur facere. ¶ Secũ. cõclu. Quãdo aliquis dat causam peccati, notũ est quòd peccat: volo dicere, quòd quãdo aliquis volũtariè ponit impedimentũ ad impletionẽ præcepti affirmatiui, vel se exponit periculo omittẽdi, peccat. Patet: nam se exponit periculo peccãdi: ergo peccat. Certè si quis volũtariè se inebriat, ex quo postmodũ sequitur, q̃ nõ audit missam, cõtinuò peccat quãdo se inebriat, nõ solũ peccatũ ebrietatis, sed etiã quia se exponit periculo omittẽdi: & ita dicit D. Th. 2. 2. q. 79. q̃ inebriatio nõ est omissio, sed causa omissionis: & q̃ omissio postmodũ suo tẽpore imputatur ad culpã propter voluntatẽ pręcedentem.

Impugnat Marsilius.

Adrianus.

D. Thom. Prim. cõcl. Quando omissio sit.

Secũd. cõcl. Qui exponit se periculo omittẽdi, peccat.

D. Thom.

¶ Tertia cõcl. Peccatũ quòd quis facit quãdo se exponit periculo omittẽdi, nõ est formaliter peccatũ omissionis. Patet: nã nõ est perfectũ homicidiũ quãdo quis se exponit periculo occidẽdi, nisi expressè velit occidere: ergo nõ est perfecta & formalis omissio quãdo quis se exponit periculo omittẽdi, nisi directè velit omittere: nihilomin⁹ si postea omittit, reductiuè pertinet ad peccatũ omissionis. ¶ Quar. cõcl. Quãdo ebrius blasphemat, percutit, & omittit pręceptũ, si hęc opera fuerũt pręuisa, tũc etiã peccat, licèt tũc nõ sit mẽtis cõpos. Probatur: nã ad hoc q̃ hæc opera sint peccata, satis est quòd fuerint volita in causa pręcedẽti. Secũdò, Arist. dicit, quòd ebrius dupli cẽ pœnã promeretur; vnã, quoniã occidit hominẽ; alterã, quia se inebriauit. Tertiò, act⁹ exterior quo quis interficit hominẽ, est peccatũ; quia p̃cedit ex mala volũtate pręcedẽte, licèt ille actus nullã habeat libertatẽ nouã: ergo similiter licèt ebrius nõ sit mẽtis cõpos, si interficit hominem, peccat; q̃m illa occisio oritur ex libertate præcedẽte. Quartò, quãdo quis emittit sagittã in hominẽ quẽ cupit occidere, nõ solũ emissio sagittę est peccatum, verũ etiã ipsa occisio; & tamẽ sagitta postquã semel est emissa, nõ potest reuocari per facultatẽ hominis: ergo similiter licèt ebri⁹ nõ habeat facultatẽ, quia tamẽ habuit in sua causa, si percutit, & si omisit, imputatur ad culpã, si hęc opera fuerũt pręuisa. ¶ Quinta cõc. Peccata quæ facit ebrius, aut homo qui mẽtis cõpos nõ est, malitiã nullã habẽt, nisi eã quę est in pręcedẽte causa. Patet: nã nõ habẽt aliã libertatẽ: ergo nõ habẽt aliã malitiã. v. g. iuit quis dormitũ culpabiliter, peccauit vt vnũ; quia dedit occasionẽ omissionis missę audiẽdę; dormiẽs omittit; nõ peccat aliud peccatũ; & si moreretur anteqũã obligaret pręceptũ, peccaret vt vnũ, & puniretur vt vnũ, quẽadmodum si omittat: itaq; totũ peccatum fuit in causa. ¶ Sed cõtra istã sententiã D. Th. arguitur. Sequitur ex ista sententia, quòd homo possit esse in gratia, & in peccato mortali. Probatur sequela. Cõstituamus hominẽ qui postquã emisit sagittam in clericum quem vult occidere, antequã perueniat sagitta pœniteat de peccato: tunc est in gratia; quoniam habet veram contritionem sui peccati; rursus tunc est in peccato mortali, quoniam tunc occidit clericum, quę occisio est mortale peccatum ratione volitionis præcedẽtis. ¶ Secũdò, iste propter istum actũ exteriorẽ excõmunicat⁹ est; nã ecclesia nõ iudicat nisi de actibus exteriorib⁹: ergo est peccatũ mortale. ¶ Rursus, illa libertas quæ est in ebrio non sufficit ad meritum, neque ad emittẽdum votum, neque ad administrandum sacramenta, neque ad persoluẽdum pensum horarum: ergo neque ad peccatum mortale. Probatur cõsequẽtia:

Tert. cõcl.

Quar. cõcl. De ebrio omittente.

Arist. 2. rhe tor. c. 25. & 2. poli. c. 10

Quin. cõcl.

Argum. contra sententiam D. Thom. Primum.

Secundum.

Tertium.

tia: nam est regula Theologorum, Eam libertatem satis esse ad bonum, quæ satis est ad peccatū mortale. ¶ Ad primū respōdetur, quòd illud opus externū nō imputatur nisi ratione volitionis præcedētis, & ideo ea retractata, nō est cur illi imputetur. Secūdò dicendū, illud argumētū tātùm cōcludere, quòd illud opus nō habeat nō uā malitiā præter illā quæ est in causa. Respōdetur tertiò, quòd ille homo dum est in gratia, prolabitur in excōmunicationis sententiā; quoniā dedit causam voluntariā & culpabilē occisionis clerici. ¶ Ad secundum respōdetur negādo cōsequentiā: nā plura requiruntur ad bonum quā ad malum, vt cōstat ex illo; bonum ex integra causa &c. Secundò respōdetur, homicidium prę uisum imputari ebrio, quoniā tenebatur cauere; & potuit, & nō cauit: sed dicere officium diuinū, & emittere votum, nulla ratione fuerunt ebrio voluntaria, & ideo nō ei imputatur ad culpam. Tertiò respōdetur, quòd homo qui nō est compos mētis, sępenumero potest implere pręceptū diuinum, vt si ebrius ex pręcedēte volitione baptizatur; atq; adeò si quis in phrenesim lapsus à peccatis absoluitur. ¶ Est vltimū dubium; vnde sit expendēda grauitas in omissione? de hoc differit abundè Almayn. in suis moral. tract. 3. c. 26. Pro explicatione huius dubij dico, grauitatem omissionis potissimùm ex actu qui omittitur expendendā esse: vt si quis omittit corripere, &c. & nō corripit; tenetur dare eleemosynā, & omittit; deterior omissio est nō corripere, qa corripere est melior act⁹. Rursus attēditur ex causa: omittit quis audire missam propter ludum; alius verò propter studium: primus grauiùs peccat. Præterea ex difficultate, omittit quis corripere metu mortis; alius ne cōtristet fratrē suum, primus leuiùs peccat. Præterea ex maiori obligatione, teneris dare panē extremè indigēti, & nō das; alius verò omittit restituere decē aureos creditori; ille grauiùs peccabit propter maiorē obligationē. Deniq; est regula generalis; Grauitas omissionis est pēsanda ex materia, & reliquis circunstātijs; sicut grauitas cōmissionis, si cętera sint paria. Sed nunquid omissio quę est cū actu, est grauior quā sine actu? v. g. qui omittit audire missam cum nolitione, alius verò sine nolitione, vter grauius peccet? Quidā calculatores dicunt, q; qui habet actū, grauiùs in infinitū peccat: sed hęc sentētia est falsissima: nā illa volitio, vel nolitio, quæ est causa omissionis, non est mala nisi propter omissionē: ergo nō est peior quā omissio. Secundò, nolle audire missam, de se non est malū, vt patet quādo nō tenemur audire: ergo si est malum, est ratione omissionis. Tertiò, nā cōfessarij non sōlicitè quærunt de huiusmodi volitionibus, aut nolitionibus: ergo non augent in infinitum malitiam.

Ad primum

Ad secundū

De grauitate omissionis. Almayn.

ARTIC. SEXTVS.

¶ Vtrū sufficienter & conuenienter diffiniatur peccatū: quòd sit dictū, vel factū, aut cōcupitum cōtra legem Dei.

SVMMA TEXTVS.

AFfirmās est cōclusio. Nā peccatum nihil aliud est, quā actus humanus malus: intātū enim humanus dicitur, inquantū voluntarius est, vel quasi à voluntate elicitus, vel quasi imperatus. Qui actus humanus malus est ex hoc, quòd caret debita cōmēsuratione ad regulā, quę duplex est: vna, propinqua & homogenea; videlicet ratio humana: alia est lex æterna: vnde Aug. in definitione peccati duo hæc cōprehendit; vnū quod pertinet ad substantiā actus humani, quod est quasi materiale, cū dixit; dictū, vel factū, vel cōcupitum: & aliud quod pertinet ad rationē mali, quod est quasi formale, cū fit cōtra legē æternā, per quā regulamur in multis supra rationē humanā. Itaq; in summa probatio D. Tho. hæc est. In prædicta definitione explicatur & materiale, & formale peccati; & hæc quidē sufficiēter: ergo prædicta definitio conueniēs est.

Conclusio.

Augus.

EXPLICATIO ARTICVLI.

GRauis res est peccatū, & morbus animæ acerbissimus, & iniquus, quæ neruos animæ præscindit, & ęterno igni obnoxiā facit, malū liberi arbitrij, germēq; voluntariū: nā quòd volūtariè peccemus, dicit quodā in loco apertè Propheta; Ego plantaui vineā fructiferā totā verā; quomodo conuersa est in amaritudinē, vti vinea aliena? Plāratio quidem bona, sed fructus ex voluntate malus: atque adeò plantator in culpa non est. Vinea autem comburetur; quoniam in bonum plantata est, & in malum fructificauit. Fecerat enim Deus hominem rectū (vt inquit Eccles.)

Eccles.

sed

sed ipse quæsiuit quæstiones multas. & Apost. dicit; Ipsius enim sumus factura, creati in operibus bonis quæ præparauit Deus vt ambulemus in illis. Creator itaq; cùm sit bonus, bonos creauit; creatura verò, voluntate propria in amaritudinem conuersa est. ¶ Sed si quærat aliquis quid nam est peccatum; animal ne est; an angelus, vel dæmon? Eam rem explicat D. Tho. hîc eleganter: & in primis demonstrat, quomodo peccatũ non sit inimicus homo qui tecum exterius pugnet; neque pessimus dæmon qui te nolentem in peccatum trahat; neque natura aliqua rea, & noxia quæ in te sit, sed actus voluntarius inordinatus, & mala soboles, à teipso voluntariè propagata. Vt verò Theologus rem hanc, quæ alio qui difficilem explicationem habet, rectiùs intelligat, scire eum oportet; peccatum variè definiri. Cicer. dicit peccatum esse quidquid fit cõtra officium; quod & culpa vocatur. Ambrosius sic definit; Peccatum est legis diuinæ præuaricatio, & cœlestium inobedientia mandatorũ. Peccatum verò (teste August.) est voluntas retinendi, vel consequendi quod iustitia vetat, & vnde liberum est abstinere. Et alibi docet peccatum nihil aliud esse, quàm neglectis rebus æternis tẽporalia sectari. Sic definit peccatum primo de libe. arbitrio c. 16. & c. vltimo, & lib. 83. quæstio. q. 30. Sed 22. lib. contra Faustum c. 27. præclarissimè definit dicens; peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei. Quanquàm enim omnes prædictæ definitiones secũdum rem explicent nobis quid sit peccare, & malè facere, exactiùs tamen & euidentiùs id explicat hæc definitio Augustiniana, quæ vltimo loco posita est, quæ proinde ab omnibus Theologis est approbata, & in ore omnium decantata. Nam in hac definitione apertè explicatur, quòd non solùm interior animi actus sit peccatum, sed etiam exterior. Rursus datur intelligi, quòd non solùm exterior, sed etiam interior cõcupiscentia, etiam si nõ sequatur actus exterior, peccatum sit. Deniq; elucidat prædicta definitio id quod pertinet ad substantiam actus humani, & voluntarij, dum dicitur; est factum, vel dictum, vel concupitum. Illud etiam quod pertinet ad rationem formalem, vel essentialem peccati, dum dicitur; quòd sit cõtra legem Dei eternam. Et si dicat aliquis; ergo quæ committimus contra leges humanas, secundum August. non sunt peccata; quia non sunt contra legem Dei. Qui sic argumentatur, errat in inferendo: quoniam quidem lex Dei est audire Apostolos, eorumq; successores & Episcopos, & obedire præpositis ecclesiæ, & subiacere eis. Insuper lex Dei est, non resistere potestati seculari, dicente Paul. Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. De qua re lege D. Bernard. ¶ Sed quæret rursus Theologus; Quid est quòd D. Aug. finiendo peccatum distinctè posuit tria illa; factũ, dictum, concupitum? nonne sat erat dicere, esse actũ cõtra legẽ Dei? Certè id fecit D. Pater Augu. causa explicãdi scripturas, quibus docemur, quòd nõ solùm facto peccãt homines, sed & dicto, & cõcupiscentia citra factũ. De malefactis quidẽ nullũ est dubium. De cõcupiscentia verò cordis quòd sit peccatũ, clarè demõstrant nonũ & decimum mãdatum Decalogi: illud quoq; Apost. Cõcupiscẽtiã, nescieb ã, scilicet esse peccatũ, nisi lex diceret; nõ cõcupisces: quibus addit Saluator; Quicunq; viderit mulierẽ ad cõcupiscendam eã, iam mœchatus est in corde suo. Quòd verò verbo peccamus, etiã hoc certũ est ex secundo & octauo mãdato Decalogi, ex doctrina Saluatoris, dicentis. Qui dixerit fratri suo Racha, reus erit cõcilio: qui autem dixerit fatue, reus erit gehẽnę ignis. ¶ Cæterũ ne fallaris, ex dicta definitione Aug. obseruabis regulas quas adhibet D. Tho. in solutionibus argumentorũ in explicationem huius definitionis. Quatuor enim sunt quæ illã labefactare & cõcutere videtur. In primis, peccatũ omissionis verè peccatum est; at nõ est dictũ, vel factũ, vel cõcupitum contra legẽ Dei. Propter hanc difficultatem quidã doctores in 2. d. 35. affirmãt, quòd in omissione præcepti semper est aliquis actus positiuus, de quo reuera enuntiatur, quòd sit dictum, vel factũ &c. Sed hæc sententia in superiori articulo satis est (vt existimo) cõfutata. Alij dicũt, quòd D. Aug. tantũ definiuit peccatũ cõmissionis, nõ verò peccatũ omissionis, aut negligẽtię. Vnde si quis, inquiũt, velit sub vna definitione omnia peccata cõprehendere, sic definiet peccatũ. Peccare, est à lege deuiare. Peccatũ verò, deuiatio à rectitudine legis, siue cõmissione, siue omissione fiat, aut negligẽtia. Sed melior est solutio D. Tho. quã habet hîc solutione primi, quòd affirmatio & negatio reducũtur ad idẽ genus; sicut in diuinis genitũ & ingenitũ ad relationẽ, vt dicit D. Aug. 5. de trin. & ideo pro eodẽ est accipiẽdũ dictum & non dictum, factum vel non factum. ¶ Deinde obijcitur contra prędictam definitionem. Nam peccatum (tradente Aug.) est voluntas cõsequendi, aut retinendi quod iustitia vetat: ergo satis est dicere in definitione peccati, quòd sit cõcupitum contra legem Dei. Propter hoc argumentũ quidã affirmãt, quòd solus actus interior sit peccatũ corã Deo: quorũ sentẽtia dãnabilis est; est enim hæretica: nam lex diuina prędpiuè prędpipit actus externos: itaq; in definitione peccati Aug. duos errores cõfutauit; alterũ, eorũ hominũ qui dicunt actum animi internum non esse peccatum; in quo errore detinebantur Iudæi. Iosephus namq; reprehendit grauiter Polibium historiographum, eò quòd Antio-

Quid sit peccatum. D. Thom.

D. finitiões peccati.

Cicero.

Amb. li. de paradiso c. 8.

Aug. lib. 1. retract. ca. 11. & lib. de duabusani. c. 11.

Explicatio definitiõis.

Luc. 16. Heb. 13.

Matt. 10. Rom. 13. Bern. in tractatu de prę cepto & ordinatione.

Mat. 5.

Mat. 5.

De peccatis omissionis, an eis cõpetat proposita definitio.

Aug.

Aug. lib. de duabusanimabus c. 11.

Ioseph. 12. de antiq. c. 13.

Antiochum illustrem peccasse testetur ob id quod voluit templum Dianæ deuastare: quod Iosephus absurdum dicta definit; quia desiderium quòd opere non completur, peccatum non esset: Alterum etiam errorem illorum, qui asseuerant actum tantùm interiorem esse peccatũ corã Deo. ¶ Sed tertia quęstio oritur ex prędicta definitione. Nam non solùm in sanctis Patribus, verũ etiam in sacris scripturis peccatum est auersio à Deo, & à bono incõmutabili, conuersio ad bonum cõmutabile; quod disertè docet Aug. sæpissime. Rursus, peccatũ in sacris scripturis crebrò appellatur auersio, aut elongatio quædã rationalis creaturæ, voluntariè recedẽtis & elõgatis à Deo. Vnde Iere. 2. dicit Dñs; Quid inuenerunt Patres vestri in me iniquitatis, quia elõgauerunt à me, & ambulauerunt post vanitatem, & vani facti sunt? rursum; Me dereliquerunt fontẽ aquæ viuæ. & infrà. Scito & vide quã malũ & amarũ sit reliquisse Dñm. & c. 14. Multę sunt auersiones nostrę. & c. 3. Sanabo auersiones vestras: & Zacharias dicit; Noluerunt attendere, & auerterunt scapulã recedentes, & cor suũ posuerunt vt adamantẽ ne audirent legẽ Dñi. Certè lex Dei via est qua itur ad Deum, iuxta illud; Si vis ad vitã ingredi, serua mandata. Vnde quicũq; peccat, à lege deuiat. Huius autẽ auersionis nulla fit mentio in definitione cõmemorata. Hanc quæstionem sic explicat D. Tho. solutione tertij, vt dicat, quòd lex ęterna primò & principaliter ordinat hominẽ ad finẽ, cõsequenter autẽ facit vt bene se habeat circa ea quę sunt ad finẽ: & ideo in hoc quod dicit peccatũ essecõtra legem æternam, explicat auersionem à fine; & omnes alias deuiationes, & inordinationes.

Aug. ll. 1. ad simp. q. 2. & li. 83. quæst. q. 30. & 1. li. de lib. arb. c. 16.

Iere. 2.

Zach. 7.

Auersio à Deo per affectum est.

Sed aduertat Theologus, quòd hæc auersio & elongatio à Deo, quando homo peccat, non fit secundum locum passibus corporeis, sed secundum spiritum affectibus mentis: sicut affectu iũgit se homo, & vnit amico; seiungit, & elongat se ab inimico, etiam si in eodem loco immotus permaneat. ¶ Sed ex hoc magnã mouet & difficilẽ quæstionem Dñs Caie. de natura peccati, & quærit; vtrũ peccatum secundũ suã rationẽ formalem sit aliqua natura positiua, an potiùs priuatio boni? Quã quæstionẽ proponit Caie. sub alio tenore verborum; vtrũ scilicet sit magis de ratione peccati inordinatio positiua, an verò priuatiua; quod est quærere; vtrũ sit magis de ratione peccati cõuersio inordinata, an auersio? De hac difficultate versantur diuersæ opiniones inter Theologos, & adhuc sub iudice lis est. Prima opinio docet, quòd peccatũ secundũ suã rationẽ formalẽ est priuatio rectitudinis, & deuiatio à lege Dei? Idq; optimis argumẽtis suadetur esse verũ. ¶ In primis D. Aug. perpetuus in hac sententia dicit, quòd peccatũ nil aliud est, quã priuatio boni; explicãs illud Ioan. 1. Sine ipso factũ est nihil; vbi per, nihil, peccatum intelligit, eò quòd sit priuatio boni. & li. quæst. scribit, nullam esse malam naturã; omnis enim natura bona est; malũ aũt nil est nisi priuatio boni: & alibi sic ait; nulla natura mala est, sed boni amissioma li nomẽ accepit. & li. 2. cõtra Manichæos. Totũ, inquit, illud quod dicimus malum, nihil aliud est quàm corruptio boni. & in Enchirid. sic ratiocinatur D. Augu. Si peccatum aliqua natura est; ergo in aliqua specie est: vbi verò species est, modus est; vbi modus est, bonum est: peccatũ ergo bonum erit. Sed & D. Tho. acutissimus veritatũ indagator, hanc opinionem asserere videtur: nã cum in hoc articulo dixisset; peccatũ esse actũ humanũ malum, postea subdit, actum humanum esse malum, ex eo quòd caret debita cõmensuratione ad regulam: scribitq; hoc esse veluti formale in peccato. & in 1. p. q. 48. artic. 1. dicit, ꝙ nomine mali nihil aliud significatur quã absentia boni: sed peccatum est formaliter malum: ergo formaliter est absentia boni. & suprà q. 18. apertè docet, quòd actio humana dicitur mala, quia caret rectitudine debita inesse; definitq; malitiã esse carentiam rectitudinis debitæ inesse. & q. 109. artic. 2. ad 2. dicit, quòd peccare nihil aliud est quàm deficere à bono. Demũ omnes doctores conueniunt in hac sententia, quod peccatum de formali & essentiali ratione sit carentia rectitudinis debitę inesse: quam cõplectitur D. Tho. 3. contra gent. c. 7. Magister in 2. d. 35. Scotus ibidem. Sed prætermissis autoritatibus, argumentis agendum est. ¶ Certè bonũ & malũ opponũtur priuatiuè: sed peccatũ est essentialiter malum: ergo opponitur bono priuatiuè; & sic dicit priuationem boni, & deuiationem à regula. Maior syllogismi sic ostenditur. Nam in naturalibus malum est boni priuatio; cæcitas enim est priuatio visus; mors priuatio vitę, ignorãtia priuatio sciẽtiæ. & D. Tho. 1. p. q. 48. ar. 1. dicit ex D. Dion. quòd malũ nõ est existẽs per se, neq; in existẽtibus vt accidens, sed est absentia boni. ¶ Deinde in cõcilijs & sanctis Patribus sępissimè definitur cõtra Manichæos, quòd malũ nõ est aliqua natura; & quòd omnis natura bona est: & reprehẽduntur Manichæi, asserentesq; peccatũ est res quędã rea & noxia in hominibus existẽs: ergo peccatũ, secũdũ documẽta sanctorũ Patrũ, nõ est natura positiua, sed priuatio boni. ¶ Ad hæc, si essentia, & ratio peccati cõsidere tur secundũ aliquid positiuũ; cõsequẽs est, ꝙ sit ens & bonũ, tametsi cõtrarietatẽ habeat ad actũ virtutis: ergo ratio formalis peccati nõ potest cõsistere in aliquo positiuo, aliàs ratio formalis peccati esset bonitas quædã. ¶ Prętерea (& videt pal mariũ argum.) nã si peccatũ secũdũ suã rationẽ formalẽ est natura quędã positiua, sequitur ꝙ sit à Deo:

Caiet. An peccatũ formaliter sit natura positiua.

Prima opinio, asserẽs peccatũ esse quid priuatiuum. Auguſt. Prim. argu.

pro hac prima opiniõe Li. 83. q. 6. & 21.

Li. 11. de ciu. Dei c. 9. c. 29. & lib. cõtra epist. fundamenti c. 35. c. 11. 12. & 13 & lib. 83. quæst. q. 6. D. Thom.

D. Thom. Magist. Scot. Secundum.

D. Thom. Tertium.

Quartum.

à Deo: nam omnis entitas, & natura positiua à Deo est; ergo si formale peccati est natura, & entitas positiua à Deo est. profectò dicere aliquam naturam aut entitatem esse, & à Deo non esse, pertinet ad Manichęorum hæresim. ¶ Item, si formale peccati est natura quædam positiua & entitas, sequitur quòd hæc natura, cùm non sit prima, debeat referri in aliquam causam per se, quæ sit prima in illo genere: priuationes verò satis est quòd referantur ad causas per accidens: sed hæc entitas positiua non debet referri in Deũ vt ad causam per se: ergo necessum est dicere quòd referatur in malum, quod de se est malum, & primum malum; quod est relabi in Manichęorum hæresim. ¶ Vltimò, vt opus humanum sit peccatum, satis est quòd sit actus inordinatus deuius à regula; sicut peccatum in artificiatis satis est quòd sit opus à regula deuium, & nihil aliud requiritur: sed quòd deficiat à regula, & deuiet, tantùm est priuatio: ergo peccatum tãtùm est priuatio de formali significatione. ¶ Explicatur hoc euidentiùs: constituamus quòd opus opponatur virtuti, & multis modis eam subuertat, nondum erit peccatum, donec à regula deuiet, & à bono deficiat: si verò constituatur quòd actus à regula deuiet, continuò intelligitur esse peccatum; ergo peccare, & malè facere nihil aliud est, quàm à regula deuiare. Itaque posito quòd actus humanus deuiet, peccatum est: posito verò quòd non deuiet, peccatum non est, tametsi consideretur vt actus contrarius virtuti: ergo deuiare à regula, est formale peccati, & non contrarietas ad virtutem: nam illud est formale peccati, quo constituto, constituitur; quo sublato, aufertur peccati essentia, & ratio.

Sextum.

Septimum.

Secũda opinio, quę dicit peccatũ secundũ suã rationẽ esse quid positiuum.

¶ Secunda opinio docet, quòd peccatum secũdum suam rationẽ formalem est aliquid positiuũ. Autores huius opinionis loquuntur solùm de peccato commissionis, non de peccato omissionis, de quo iam suprà diximus, quod in sua essentia & ratione non includit aliquid positiuũ, scilicet actum.

Argu. secũdæ opinionis.

¶ Argumenta huius opinionis hæc sunt. Principiò, Malum morale tribuit speciem habitibus & actibus vitiosis, vt patet: alia enim species vitij est furari rem alienam, alia verò adulterium committere: ergo malum morale est aliquid positiuum. Id enim quod tribuit speciem positiuam, positiuum est, nó negatiuũ, neque priuatiuum. ¶ Deinde, bonum & malũ morale opponuntur contrariè, non priuatiuè, vt ostendit Arist. tum, quoniam inter bonum & malum morale datur medium, videlicet actus indifferens: at inter contradictoriè oppositа nó datur medium; neq; verò inter priuatiuè oppositа in subiecto apto nato: ergo opponuntur cõtrariè.

Primum.

Secundum.

Aristo. c. de oppositis.

Tertium.

¶ Tum deinde, quoniam à malo ad bonum est recursus & regressio; at à priuatione ad habitum non est regressio.

Quartum.

¶ Tum verò, quoniã inter priuatiuè oppositа in subiecto apto nato nõ datur medium, vt testatur omnis philosophia: at inter bonum & malum morale datur medium, scilicet actus indifferens. Eandem sententiam videtur docere D. Aug. cùm definit peccatum, dicens peccatum humanum actum esse contra legẽ Dei: nó dixit deficiens à lege.

Aug.

Quintum.

¶ Præterea, habitus iustitiæ & iniustitiæ, habitus temperantiæ & intemperantiæ, opponuntur inter se contrariè, vt planè cõstat: ergo actus istorum habituũ à quibus illi habitus specificãtur, opponũtur cõtrariè. Cuius rei est altera euidens demõstratio: nam habitus iniustitiæ est quædam qualitas nostris actibus comparata, & constituta in prædicamẽto qualitatis. Itaq; nemini potest esse dubiũ quòd sit quædam qualitas positiua: hæc autẽ qualitas de se mala est, inclinãs ad malũ: ergo malũ morale est aliqua natura positiua.

Sextum.

¶ Huic accedit alia demonstratio. Nã actus iniustitiæ producit efficienter habitũ iniustitiæ, expellitq; contrariũ habitũ iustitiæ: ergo nõ est priuatio, sed aliquid positiuũ.

Septimum.

¶ Præterea argumentor de ducẽdo rẽ ad incõmoda, quod genus argumentandi nõ est omnino inualidũ. Nã si bonum & malũ opponuntur priuatiuè, cõsequens est, prodigalitatẽ & auaritiã esse vitia eiusdẽ speciei: q apertè falsum est. Quòd verò apertè sequatur, patet: nam priuationes distinguuntur specie ex actu, vel ex forma qua priuant; sed actus, vel forma qua priuant, est eiusdem speciei, videlicet liberalitas: ergo nõ distinguũtur specie. Itẽ si peccatũ priuatio est, cõsequens est quòd peccatum sit nihil. Cuius sententiæ absurditatẽ reprehẽdit D. Hieron. explicãs illud prophetæ; Propter immunditiã corrupti fugistis nullo persequente. Rursus sequitur aliud incommodũ; quod cum sacerdos absoluit & remittit peccatum, propriè nó absoluat, neq; propriè remittat; si quidẽ peccatũ est nihil: ipsum verò nihil quomodo potest tolli, aut remitti? Itẽ sequitur, quòd cũ Deus puniat peccatorẽ propter peccatũ, illũ puniat pro nihilo. Hæc sententia, videlicet quòd peccatũ sit aliquid positiuũ, placuit Caiet. supra q. 18. ar. 5. & accepit eã ex D. Tho. 1. p. q. 48. ar. 1. ad 2. & 3. cõtra gẽt. c. 9.

Hieron. in Mich. c. 2.

Caiet. D. Thom.

¶ Tertia opinio est, quòd si peccatũ cõsideretur in genere mali absolutè, procùl dubio priuatio boni est: si verò in speciali cõsideretur, nó est formaliter priuatio, vt homicidium, adulteriũ, &c. in quibus certũ est, quòd specificẽtur ex obiecto cõtrario rationis. Hæc (vt dicitur) fuit opinio doctissimi Patris Victoriæ.

Tert. opin.

Doctiss. Victoria.

¶ Quarta opinio fuit acutissimi Patris Cano; quæ opinio consistit in tribus propositionibus. Prima propositio. ¶ Malum in communi nihil aliud est, quã priuatio & absentia boni.

Quar. opin. Mag. Cano Pri. propo.

Hanc

D.Thom. Hanc conclusionem probat ex D. Thom. 1. parte q. 48. articulo 1. quo in loco eam expressè docet ex B. Augustino, & ex D. Dionysio.

D.Dion. & Aug.

¶ Secunda propositio. Malum morale est aliqua natura positiua. Hanc accepit ex Diuo Thoma, tertio contra gentes, capitulo 9. Cuius probationes istæ sunt. Prima sic se habet. Nam malum morale est voluntarium: sed auersio à Deo, & deuiatio à regula est præter operantis intentionem: ergo malum morale non est priuatio.

D.Thom.

Secunda, species in moralibus præcipuè sumitur ab eo quod per se intenditur; vt si quis bibat vinum alienum ex delectatione, est intemperatus; si ex auaritia, est auarus; si sobriè ex voluntate Domini, erit temperatus: sed auersio à bono, & deuiatio à regula est præter intentionem: ergo ex auersione non sumitur species, sed ex cõuersione ad obiectum contrarium virtuti, quod est aliquid positiuum. Tertia probatio. Nam Diuus Thomas 2. 2. quæstione 10. articulo 5. ad primum, vbi quærit vtrùm sint multæ infidelitatis species, & arguit quòd non; quia omnis infidelitas priuat eodem bono, scilicet veritate prima: respondet, quòd formalis ratio alicuius peccati potest accipi dupliciter: vno modo secundum intentionem peccantis, & secundum hoc, id ad quod conuertitur peccans est formale peccati obiectum, & ex hoc diuersificantur infidelitatis species: alio modo secundum rationem mali; & secundum hoc, id à quo recedit bonum, est formale obiectum peccati: & ex hac parte non habet speciem, imò est priuatio speciei. Itaque pro indubitato dogmate habet prædictus Magister, quòd peccatum sit aliquid positiuum, & quòd eius species constituitur ex aliquo positiuo, non ex priuatione, aut absentia boni.

Mag. Cano tertia propositio.

¶ Sed subiungebat tertiam cõclusionem; quòd malum morale erat aliquid positiuum; sed illud positiuum erat ens rationis: quapropter non erat à Deo. Hanc conclusionem hisce rationibus sibi persuasit. Nam bonitas virtutis, & in vniuersum bonitas moralis est ens rationis: ergo malitia moralis licèt sit entitas positiua, erit ens rationis. Antecedens sic ostendit. Nam bonitas moralis nihil aliud est, quàm conformitas ad rectam regulam, quæ conformitas relatio rationis est. Ex eo enim quòd morale opus sit cõforme regulæ, aut difforme, non acquirit aliquã entitatem realem; sicut pannus quòd sit mensuratus vlna, aut palmo, non acquirit aliquam entitatem realem ex eo quòd mensuræ sit conformis, aut difformis. Hoc ipsum confirmatur. Nam malitia moralis nihil aliud est quã difformitas ad rectam rationem: hæc verò difformitas relatio rationis est. Præterea, actus humanus habet speciem ex fine, quando non existit, vt cõstat: nam infirmus appetit sanitatem quam non habet: sed conformitas, aut difformitas, quæ est inter actum humanum, & tale obiectum, nõ potest esse relatio realis; siquidem relatio realis debet esse inter duo extrema realiter existentia: ergo tantùm erit relatio rationis. ¶ De his opinionibus grauissimorum hominum censere difficile est, maximè quoniam quid sit verum in hac re vix cogitatione apprehendere valemus. Certè D. Petri sententia illa, quę refertur à D. Clemẽte, quæstionem hanc facilè exoluit: aiebat enim; Christum Dominum nos docuisse, nõ quid sit malum, quæve natura peccatum esset, sed quomodo peccatum detestaremur, & ab illo liberaremur. Sed dicendum est aliquid in grauissimæ quæstionis explicationem. ¶ Certè prima opinio quæ asserit peccatum esse priuationẽ boni, & nihil; si intelligat, quòd formale peccati sit tãtùm priuatio, & absentia boni, improbabilis mihi videtur omnino, eamque vehementer improbant argumenta secundæ opinionis. Tertia etiã opinio mihi videtur falsa & improbabilis: est enim falsum & absurdum, tum in Dialectica, tũ in Metaphysica, speciem aliquam positiuam, vt positiua est, contineri sub genere priuatiuo. Certè si genus est ens rationis, necessum est vt species sit ens rationis: si genus est priuatio, species item priuatio erit. Sed & quarta opinio videtur falsa; nam ex ea sequitur, quòd virtus sit ens rationis: nam vt existimat huius opinionis autor, formale virtutis, quę est conformitas ad rectam rationem, est relatio rationis. Præterea sequitur, quòd virtus nõ sit boni operatiua: nam relatio, præcipuè si sit ens rationis, non est operatiua. Rursus sequitur, quòd constitueretur in prędicamento relationis, & nõ qualitatis. Deniq; sequitur habitum iniustitię esse ens rationis: quod nullus concedit. Alia incommoda sequũtur ex prædicta opinione, sed hæc commemorasse sat fuerit. ¶ Impugnatis iam & subuersis alijs opinionibus, videtur quòd opinio & sententia Caie. sit vera; nempè peccatum esse aliquid positiuũ reale; id quod D. Thom. magna asseueratione suadet 3. cõtra gentes cap. 9. scribit enim; malũ morale de sui natura esse aliquid positiuum, & bonam naturam; malam autem homini, quia contrariatur bono hominis, & priuat eum rectitudine debita; sicut bonum delectabile, videlicet comedere sex libras panis, bonum erat Miloni, & illi conueniens, sed alteri homini malum est; quia contrariatur bono rationis, & priuat illum rectitudine debita. Præterea, occidere hominem, natura actionis bona est; quare quòd occidat leo aut taurus hominem, non est malum illis, aut peccatum; at homini malum est; quia opponitur virtuti iustitię quòd quis occidat hominem priuata autoritate. Idem animaduertere licet in naturalibus. Nam igni calor bonus est, sed

Autoris mẽs aperitur.

D. Petri sententia notãda.

Quid de propositis opinionibus sentiẽdum sit.

Cõfirmatur Domini Caiet. sententia. D. Thom.

sed aquæ malus; quia ipsi contrariatur, & opponitur. Iuxta hanc sententiam dicendum est, quòd in peccato intemperantiæ tria inueniuntur: primum tanquam genericum, scilicet actus voluntarius: secundò forma contraria temperantiæ, videlicet forma intemperantiæ, quæ contrariatur temperantiæ, sicut albedo nigredini: tertiò priuatio rectitudinis debitæ inesse illi actui, & deuiatio à regula temperantiæ: formale autem peccati non est primũ, siquidem genericum est; nec tertium, sed secundum: ex hoc enim peccatum est intemperantiæ, quia est contrarium temperantiæ. Hæc sententia Caiet. olim in certaminibus Theologorum mihi videbatur necessariò amplectenda, sed & nunc eam amplector, quia veriorem non inuenio: vellem certè veram esse opinionem quam D. Thom. insinuat suprà quæstione. 18. articulo quinto ad secundum, quo in loco breuiter & summatim difficultatem huius quæstionis complexus est, dicens, quòd actus humanus dicitur malus, & peccatum secundum suam speciẽ; non ex eo quòd nullum habeat obiectũ, sed quia habet obiectum non conueniens rationi; sicut tollere aliena. Vnde in quantum obiectum est aliquid positiuum, potest tribuere speciem mali actus. Vult ergo docere D. Thom. quòd peccatum desumit speciem mali ex obiecto, non vtcumque, sed vt habet annexam negationem in subiecto apto, &c. & deuiationem à regula. Docet subinde, quòd peccatum non sit priuatio, & nihil; sed quòd sit actus voluntarius circa obiectum disconueniens rationi: sicut cùm sagittator ad scopum dirigit sagittam, & in ictu ab scopo aberrat; ille actus non est priuatio, sed motus quidam ad scopum, sed ab eo aberrans. Itaque differt inter peccatum, & alias priuationes; quòd cæteræ priuationes nihil sunt, nec aliquid ponunt in subiecto, quin potius sunt corruptiones, vt cæcitas, mors: sed peccatum est actus quidam inordinatus circa obiectum inconueniens rationi: quapropter ex obiecto speciem habet, & virtuti contrariatur, siquidem non est mera priuatio, licèt habeat priuationem annexam; neque ex priuatione præcisè speciem habet, sed ex obiecto non conueniente rationi. Hæc sententia vera certè videtur, & omnes quæstionis huius difficultates euincere, quam etiam insinuat diuinus Doctor in. 2. 2. quæstione. 10. articulo quinto, ad primum, & in prima parte quæstione. 48. articulo primo, ad secundum.

Tria reperiuntur in peccato.

D. Tho.

D. Tho.

Differt inter peccatũ & alias priuationes.

D. Tho.

¶ His constitutis deueniamus ad argumenta primæ opinionis, quæ sententiam Domini Caiet. & nostram subuertere videntur. ¶ Ad primum dicendum, quòd in peccato tria inueniuntur quibus vniuersa ratio peccati continetur. Primum est substantia actus, cuius Deus absque dubio causa existit. Secundum est conuersio ad bonum commutabile contra legem, & virtutem; quòd esse aliquid positiuum, satis existimo esse probatum. Tertium est auersio, & deuiatio à regula: & ratione huius dixit Augustinus peccatum esse nihil; sicq; interpretandi sunt vniuersi alij Doctores, qui affirmant peccatum esse priuationem boni. Vel dicendum est (& in idem redit) quòd quanquam peccatum sit actus positiuus, & consistat in contrarietate contra rationem, habet tamen coniunctam priuationem, & deuiationem à regula. ¶ Ad secundum argumentum dicendum, quòd malum in communi opponitur bono priuatiuè: sed malum morale contrariè opponitur, vt suprà dictum est. Ex quo sequitur, quòd malum dicitur æquiuocè de malo naturali, & morali; & quòd peccatũ prius est malum morale contrarium virtuti, quàm quòd sit malũ simpliciter. Ex eo enim quòd sit malum contrariè, sequitur quòd sit priuatio boni. ¶ Ad tertium respondetur, malum morale esse bonum quoddam de sua natura, sed est malum homini; quia contrariatur bono hominis, & priuat eum rectitudine debita. Vel dicendum, quòd cùm Concilia contra Manichæos definiunt peccatum non esse naturam aliquam, & omnem naturam bonã esse; statuunt peccatum nõ esse in rebus, & in naturis quas Deus condidit, sed in abusu voluntatis nostræ: non tamen negant sancti Patres, quòd motus voluntatis, quo malè vitur rebus, sit quædam entitas à nostra voluntate prodiens, deficiens tamen. ¶ Ad quartum dicendum, quòd licèt peccatum sit aliquid positiuum præcisè consideratum, & secundum hãc considerationem bonum sit; tamen simpliciter est malum homini, tum, quia contrariatur bono rationis: tum etiam, quia deficit illi bono alia bonitas debita inesse secundum rectã rationem. Et eiusmodi priuatio, seu absentia boni est necessariò connexa actui morali peccati. Itaque in peccato est conuersio ad bonũ commutabile, & inconueniens rationi: hinc prouenit quòd illa conuersio mala sit. ¶ Ad quintum dicendum, quòd peccatum non est à Deo: tum, quoniam licèt sit entitas positiua, est entitas positiua deficiens: entitas verò deficiens in causam deficientem referenda est, scilicet in nostram voluntatem. Vnde secundum hanc doctrinam dicendum est, nõ omnẽ entitatem positiuam esse à Deo, quando deficiens est. Tum deinde cõfutatur argumentũ, si dicamus, quòd peccatũ formaliter loquẽdo includit

Ad argumẽta primæ opinionis. Ad primũ.

Ad secũdũ.

Malũ æquiuocè dicũ de naturali & morali.

Ad tertiũ.

Ad quartũ.

Ad quintũ. Peccatũ nõ est à Deo, quia est entitas deficiens.

includit in se priuationem rectitudinis, specificatur enim ex obiecto non conueniente rationi, vt expositum est: huius autem priuationis & defectus Deus non est causa, sed nostra voluntas, & ideo peccatum ex Deo non est. Item dicitur secundum philosophiæ documenta, effectus vniuersos ad causas proportionatas esse referendos; singulares, ad causas singulares; vniuersales, ad causas vniuersales; morales, ad causas morales; naturales insuper ad causas naturales. Itaque peccatum, cùm sit quidam effectus, vel potiùs quidam defectus moralis, ad causam moralem referendum est, scilicet ad voluntatem nostram deficientem. Et quoniam Deus non est causa moralis; non enim cõsulit, neque præcipit, quin potiùs prohibet; ideo nulla ratione Deus dicendus est causa peccati: de qua re diligentiùs inuestigabitur infrà q. 79. vbi quæritur; Vtrùm Deus sit causa peccati. ¶ Ad sextum dicendũ, quòd cùm peccatum sit quędam natura positiua deficiens, non est necesse quòd referatur ad vnũ summum malum, omnium malorum causam; quemadmodum Manichæi constituebãt Deũ vnum omnium malorum autorem: sed oportet quòd referatur in voluntatem deficiẽtem. Vnde est illa sententia D. Aug. memorabilis; Non quæras causam peccati extra tuam volũtatem. Quomodo autem peccatum non habeat causam per se, sed causam per accidens, explicat optimè D. Tho. 1. p. q. 49. articu. vltimo in solutionibus argumentorum. ¶ Ad vltimum argumentũ dicẽdum est, quòd vt actus sit malus, sat fuerit vt sit actus inordinatus, & deficiens à regula, vt argumẽtum probat. Sed deficere à regula stat dupliciter: vno modo priuatiuè; veluti cùm quis non operatur cùm operari teneatur: tum positiuè, quando quis regulam transgreditur; sicut accidit in omnibus peccatis quæ commissionis appellãtur; in quibus dicimus, quòd peccatum nõ est priuatio, aut nihil, sed facere contra legem & regulam. Fateor tamen, quòd quando quis facit contra legem, & bonum, consequitur statim priuatio boni, & rectitudinis debitæ inesse: sed non in hac priuatione peccatum consistit, sed in actu positiuo ad obiectum positiuum non conueniens rectæ rationi. Tantum de hac difficultate dixisse sufficiat.

¶ Quarta difficultas emergit ex definitione D. Aug. Nam ex ea sequitur, quòd si non esset lex prohibens homicidium, aut adulterium, non essent peccata, quod aperte falsum est: nã hæc opera de se sunt mala, & habent intrinsecam malitiam, & non sunt mala, quia vetãtur; sed potiùs vetantur, quia mala sunt, vt demõstrat D. Augustinus. Quòd hoc sequatur ex definitione Augustiniana, liquidò constat. Nam do cet peccatum esse dictum, vel factum contra legem Dei: ergo si non esset lex, non esset peccatum. Hanc difficultatem explicat D. Thom. ad quartum, dicitque ex necessitate esse concedendum quod inferebatur pro absurdo. Itaque tunc adulterium, si non prohiberetur lege, esset veluti peccatum naturæ, & monstrum; quia non corresponderet rectæ rationi: at propriè peccatum & malum morale nó esset; quia vbi non est lex, nec præuaricatio, vt dicit D. Pau. de qua re dictum est copiosè suprà quæst. 18.

¶ In solutione quinti mouet Dominus Caiet. grauem quæstionem, ad examinandam illam sententiam D. Thom. quòd Theologus considerat peccatum prout est offensa Dei; Philosophus verò prout virtuti opponitur, & prout rectæ rationi contrariatur. Quæritur, vtrùm peccatum, eo ipso quòd sit contra rectam rationem, sit offensiuum Dei, & ab ipso Deo auertat & separet. ¶ A parte negante sic arguitur. Nam D. Tho. distinguit apertè in articulo, dicitque, quòd considerare peccatum vt est offensa Dei, pertinet ad Theologum: vt verò contrariatur rationi & virtuti, pertinet ad philosophum: ergo distinctè docet, quòd peccatum vt contrariatur bono rationis, non est Dei offensiuum; alioqui ad philosophum spectaret agere de peccato vt est offensa Dei, si verum esset, quòd esse offensam Dei sequitur necessariò ad hoc quòd peccatum contrarietur bono virtutis. ¶ Deinde, ex eo quòd quis priuatur aliquo bono per participationem, non est consequens quòd priuetur bono per essentiam: ergo peccatũ ex hoc quòd est contra humanam rationem, non est consequens quòd sit contra ipsum Deum, & offensiuum Dei, quasi priuans ipsum Deum aliquo quod sibi conuenit. ¶ Præterea, illa probatio qua suadetur omne peccatum esse cõtra Deũ; quia regula humanę rationis deriuatur à Deo; inualida est: nam etiam deriuatur à Deo cognitio sensitiua: & non omne quod contrariatur cognitioni sensitiuæ est contra Deum, vt cæcitas, surditas.

¶ Denique ex hoc quòd peccatum sit contra rationem humanam quæ deriuatur à Deo, nihil aliud colligitur, nisi quòd est cõtra Deum secundum quid, inquantum diuina ordinatio participatur ab humana ratione: & hoc modo non colligitur quòd sit contra Deum, sed contra effectum suum. In aduersum est, quòd odium Dei, & blasphemia, sunt peccata & offensa Dei, etiam secluſa fidei notitia: id namque cognoscitur ex lumine rationis humanæ.

¶ Ad

Ad sextum.

Ad vltimũ.

Duplex defectus à regula.

Dubiũ circa definitionem Aug.

Aug. lib. 1. de lib. arb. c. 2. & 3.

D. Tho.

Vtrùm peccatũ eo ipso quòd est cõtra rectã rationẽ, sit offensiuum Dei.

Argumẽta pro parte negatiua.

D. Tho.

Primum.

Secundum.

Tertium.

Vltimum.

Peccatũ varijs nominibus appellatur.

¶Ad huius rei explicationem sciendum est, quòd peccatum in sanctis scripturis varijs nominibus appellatur. Dicitur auersio à Deo, & elongatio, vt ex superioribus constat. Dicitur

Daniel. 6.

culpa Dani. 6. Appellatur offensa; tũ, quoniã in quouis peccato fit contra debitum obediẽtiæ: tum, quoniam in omni peccato mortali constituimus vltimum finem in creaturam, spreto Deo; quæ est maxima Dei offensa. Dicitur præterea peccatum iniquitas, dicente

1. Ioan. 3.

D. Ioanne; Omnis qui facit peccatum, iniquitatem facit: & peccatum est iniquitas. Ideo autem est iniquitas, quia fit contra æquitatẽ seu debitum, quo omnis obligatur creatura suo creatori; redemptus à morte suo redemptori; seruus suo Domino. Dicitur impietas; quia cõtra affectum amoris, & gratitudinis Deo vt patri debitum, fit: quanquam impietas aliquãdo strictius pro infidelitate vsurpetur, vt notat

D. Gre. 25. libr. mora. ca. 13. Psal. 1. Hier. 3. 18. &. 33.

D. Grego. quo in sensu dicitur illud; Non resurgent impij in iudicio: sed aliquãdo pro omni peccato accipitur, vt patet Hieremiæ. 3. 18. &. 33. Illud etiam est considerandum pro explicatione propositæ quæstionis, quòd peccatum esse contra rationis regulam, & esse contra Deum, non distinguuntur vt duæ rationes omninò diuersæ, sed sunt sibi inuicem subordinatæ. Itaque esse contra rationis regulã est veluti inferius ad esse contra Deum: vnde rectè sequitur; hoc est contra rationem: ergo est contra Deum: non tamen sequitur è contra; est contra Deum: ergo est contra rationem.

Esse cõtra rationẽ & cõtra Deũ in peccato, nõ sunt duę rationes omnino diuersæ.

Deus finis est creaturæ rationalis, duplicitèr.

¶Notat etiam Caie. quòd finis creaturæ rationalis est Deus ipse duplici ex causa: tum, vt est obiectum beatitudinis naturalis; tum verò, vt est obiectum beatitudinis supernaturalis, & reuelatus diuinitùs. Nec tamen Deus sic cõsideratus se habet vt duo fines omnino diuersi, sed Deus vt est summum bonum naturale, est vltimum bonum in tali genere, subordinatum tamen ipsimet vt est finis supernaturalis. Vnde

Quod contrariari Deo vt finis naturalis, etiã ei opponitur vt finis supernaturalis.

consequens est, quòd quidquid contrariatur Deo vt est finis naturalis, contrariatur ipsi vt est finis supernaturalis, licèt non è conuerso, vt docet D. Tho. q. 73. art. 7. ad tertium, scribit enim; quòd auersionem, & deuiationem à rationis regula consequitur auersio, & deuiatio à Deo, cui homo debet coniungi per ipsam rectitudinem. Quod aptè & commodè intelligi potest de coniunctione ad Deũ; tum ex amore naturali; tum ex amore supernaturali. Impossibile enim est quòd quis diligat Deum, & ei coniungatur amore supernaturali super omnia; & quòd peccauerit cõtra Deum vt est finis naturalis. Sed hæc eadem veritas ostenditur euidentiùs. Nam peccare, & malè facere, nihil aliud est quàm à lege deuiare, & deflectere

Qui ergo peccat contra legem naturæ, legem Dei naturalem transgreditur: ex quo euidentius est quòd Deum offendat, siquidem inobediens fuit diuinis mandatis: lex enim naturalis ex Deo est. Ex quo etiam consequẽs est, quòd auersus est à fine supernaturali: eũ enim qui à rectitudine naturali deuius est, supernaturali fini discordare necesse est. ¶Ad argumenta in contrarium, ad primum dicendum, quòd considerare peccatũ vt offensa Dei est, immediatè ad Theologum spectat: ad philosophum verò spectat cõsiderare immediatè peccatum, vt virtuti, & bono rationis oppositum est; ex quo, vel ex lumine rationis naturalis potest conscendere vt cognoscat peccatum esse Dei offensam: sed hîc Philosophus desinit, & incipit Theologus. Vel dicatur, q̃ ad Theologũ spectat inuestigare de peccato vt est offensa Dei, vndecunque oriatur; vel ex prẽuaricatione cœlestium mandatorum, quæ in lege naturali continentur; vel ex transgressione legis supernaturalis; quam philosophus dignoscere non potest. Et quanquam hæc argumentatio valida sit; homo peccat contra legẽ naturalem: & contra regulam rectæ rationis: ergo est contra finem supernaturalem, supposito q̃ Deus ordinauerit hominẽ ad finẽ supernaturalem; philosophus tamen qui hoc nõ cognoscit (solùm enim habetur ex diuina reuelatione) non potest comprehẽdere quomodò peccatum sit contra finẽ supernaturalẽ. ¶Ad secũdum dicendum, peccatũ non ideo esse contra Deum, vel offensiuum Dei, quòd aliquid destruat, aut tollat ex Deo; sicut aqua frigida destruit caloreẽ, immittendo frigiditatẽ cõtrariã: sed dicitur peccatum esse offensa Dei obiectiuè, & ex affectu; quia peccator, quantũ est de se, affectu suo expressè, vel subintellectè vellet non esse Deum: nam peccans mortale peccatum, cõstituit vltimũ finem in creatura; & cùm non possint esse duo vltimi fines, ex consequenti vult Deum non esse vltimũ finẽ. Et in hoc dicitur offendere Deum, auferendo illi suum honorem debitum, ac amorem, quãuis ipsi Deo nihil mali accidat; quia de sua natura est immutabilis, & æterna beatitudo. Quando autem aliquis peccat ex odio Dei, tunc distinctiùs apparet quomodo velit Deũ non esse. Certè peccator dicitur Deũ offendere, quia prævaricando eius mãdata, obedientiæ debitum ei denegat. ¶Ad tertiũ dico, non esse similem rationem de eo quod aduersatur naturæ sensitiuæ, & de eo quod aduersatur regulæ rectę rationis. Nã alia mala quę nõ aduersantur prædictæ regulæ, possunt ordinari ad Deũ vt ad finẽ vltimũ; & sic possunt esse à Deo volita: sunt enim bona simpliciter, licèt sint

Ad argumẽta in cõtrarium.

Ad primũ.

Ad secũdũ. Peccatum quare dicatur Dei offensiuum.

Ad tertiũ.

mala ſecũdũ quid: peccatum verò quod cõtra riatur rationi rectæ, eſt etiã cõtra vltimũ finẽ, qui eſt ęterna regula; cui regula humanę rationis ſubordinatur, per quã homo factus eſt ad imaginẽ & ſimilitudinẽ Dei. Natura verò ſenſitiua nõ aduerſatur vltimo fini, etſi deficiat in ſua operatione; quia talis defectus ordinabilis eſt in vltimũ finẽ. Hæc eſt longa & prolixa huius argumẽti confutatio: breuior eſt, quòd qui peccat cõtra regulã rationis rectæ, peccat contra legẽ naturalem, quã Deus mẽtibus noſtris impreſsit: quare diſcrepat, & auertitur à lege diuina, & ſic offendit Deum: ſed cæcitas, aut ſurditas licèt contrariantur potentijs ſenſitiuis, non autem opponũtur legi diuinæ. ¶ Ad quartum argumentũ ex eiſdẽ documentis reſpondendum eſt, rectam eſſe ratiocinationẽ; peccatum eſt contra regulã humanæ rationis; ergo eſt Dei offenſa; ipſa enim recta ratio eſt cõformis regulæ diuinæ, & fini vltimo qui eſt Deus: quapropter ſi eſt deuiatio à regula rectæ rationis, euidenter colligitur quòd eſt auerſio, & deuiatio à lege æterna, quæ in mente diuina conſiſtit.

Ad vltimũ.

QVAESTIO LXXII.

De diſtinctione peccatorũ; in nouem articulos diuiſa.

ARTIC. PRIMVS.

¶ Vtrùm peccata diſtinguantur ſecundum ſpeciem ex obiectis.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. AFfirmans eſt concluſio. Nam ad rationem peccati duo cõcurrũt; videlicet actus volũtatis, & inordinatio, quæ eſt per receſſum à lege Dei. Sed primum comparatur per ſe ad peccantem, qui intendit exercere talem actum voluntarium in tali materia: inordinatio autem per accidẽs ſe habet ad intentionẽ peccantis; quia nullus intendens ad malũ operatur. Quare vnũquodque ſpeciem cõſequitur ſecundũ illud quod eſt per ſe, & nõ ſecundũ id quod eſt per accidens; cùm ea quæ per accidens ſunt, extra rationẽ ſpeciei ſint. Vnde peccata ſpecie diſtinguuntur ex parte actuum volũtatis, magis quàm ex parte inordinationis exiſtentis in peccato: ſed actus volũtarij diſtinguũtur ſpecie ſecũdũ obiecta: ergo peccata ſic propriè diſtinguũtur.

EXPLICATIO ARTICVLI.

IN explicationem huius articuli intelligendum eſt, quòd peccata ex triplici cauſa diſtingui poſſunt. Primùm ex parte auerſionis; & hoc modo diſtinguit peccata Scotus in. 2. d. 35. q. 2. Nam vt exiſtimat Scotus, auerſio eſt ratio formalis peccati: ideo enim eſt peccatũ, quia eſt cõtra legẽ Dei: ſpecies aũt ex formali ratione, & non ex materiali deſumi debet: vnde comedere carnes ouillas, & bouillas, eſt peccatum eiuſdem ſpeciei; quia eſt contra vnũ præceptũ, & eodẽ modo à lege Dei auertit. Hoc ipſum cõfirmat. Nam peccatũ habet ſpeciẽ naturalem ex parte conuerſionis: ergo moralẽ, & culpabilem habet ex parte auerſionis. ¶ Sed & contra probationem D. Tho. ſic arguit. Ratio D. Tho. eſt quòd conuerſio per ſe intenditur, & ideo dat ſpeciẽ. Contrà, inquit Scotus: nam peccatum non habet rationem offenſæ & culpæ; quia intenditur, ſed quia prohibetur. Sanè ex hoc quòd intenditur, ſolùm habetur quòd ſit voluntariũ: voluntarium autẽ non cõplet rationem peccati; imo eſt indifferẽs ad bonũ & ad malum. Itaque vt ſummatim ſentẽtiam Scoti cõprehẽdamus, peccatũ (inquit Scotus) ſolùm eſt priuatio boni formaliter loquendo. quod ipſe probat hoc argumẽto. Nam agẽs inferius tenetur ſe conformare regulæ ſuperioris; quòd ſi nõ ſe cõformat, peccatũ eſt. Actus, inquit, qui eſt in poteſtate diſcordantis, nõ eſt formaliter peccatum; quia ſi ille actus eſſet regulæ cõformis, nõ eſſet peccatum: ergo in illo actu ratio peccati præciſè in hoc cõſiſtit, ꝙ ſit à regula deuiatio. Et declarat cuius boni ſit priuatio, & cuius rectitudinis, & dicit. Hæc priuatio oportet vt opponatur illi bono, vel rectitudini, tanquam priuatio habitui: non autem opponitur rectitudini quæ ineſt, nec ei quæ futura eſt, ſed quę debet ineſſe: & omninò arbitror eum intelligere, quòd eſt priuatio actus oppoſiti, vt actus intemperantiæ eſt priuatio actus temperantiæ. De diſtinctione verò peccatorum dicit apertè, quòd cùm priuationes diſtinguantur ſpecie ex diſtinctione habituũ ſpecifica,

Triplici ex cauſa poſſunt peccata diſtingui.

D. Tho.

Scotus.

Argumẽtũ Scoti.

ſpecifica, peccata diſtinguuntur formaliter ex diſtinctione talium rectitudinum. Itaq; diſtinguuntur peccata per comparationem ad aliā & aliam rectitudinem ſpecie; quæ deberet ineſſe diuerſis actibus; vt peccatum intemperantiæ diſtinguitur ſpecie à peccato iniuſtitię; quia illud priuat rectitudine tēperantiæ; iſtud verò rectitudine iuſtitiæ: quæ duæ rectitudines ſpecie diſtinguuntur. Et conſequenter dicit, quòd illud peccatum eſt grauius, quod opponitur rectitudini meliori. ¶ Hæc opinio Scoti confutatur euidentibus argumētis à Domino Caietano. In primis ſequitur ex hac opinione, quòd actus auaritię & prodigalitatis, & omnia peccata quæ aduerſantur eidem virtuti, eſſent eiuſdem ſpeciei; quia priuant eodem bono, & eadem virtute; ſicut cæcitas Petri ac Pauli ſunt eiuſdem ſpeciei; quia priuāt eadem perfectione. ¶ Rurſus ſequitur, homicidium, adulterium, furtum eſſe eiuſdem ſpeciei; priuant enim eadem rectitudine virtutis. ¶ Præterea, peccata omiſsionis diſtinguuntur ex actibus quibus priuant: ergo peccata commiſsionis ex eiſdem non diſtinguūtur: alio enim modo diſtinguuntur peccata omiſsionis, & commiſsionis. Iam verò peccatum (vt in ſuperiori articulo dictum eſt) eſt aliquid poſitiuū, & nō priuatiuum: ergo non cōſtituitur, neq; diſtinguitur ex priuatione, ſed ex obiecto cōtrario bono rationis. Certè de habitu iniuſtitiæ euidens eſt & exploratum quòd priuatio non ſit, ſed qualitas vitioſa noſtris actibus cōparata: idem de ebrietate cenſendum. Ratio autē D. Thom. in articulo hoc ipſum oſtendit; quia in moralibus ſpecies ſumitur ab eo quod intenditur: vnde ſi quis bibat vinum alienum ex delectatione, intemperatus eſt; ſi ex auaritia, auarus; ſi vt rapiat aliena, iniuſtus: auerſio verò & deuiatio à regula eſt prēter intentionem: ergo ex obiectis, non ex priuatione peccata diſtinguuntur. Sanè ſicut ſuprà dictum eſt in materia de circunſtantijs, quòd circunſtantiæ dant malitiam, non actui, ſed obiecto, & actus capiunt totam bonitatem vel malitiam ex obiecto: ita lex quidem facit obiectum eſſe malū, & prohibitum; & ſic actus accipit malitiam & ſpeciem ex obiecto. ¶ Secundus modus diſtinguēdi peccata eſt penes diuerſa præcepta quibus aduerſantur. Itaque furtum & homicidiū diſtinguuntur ſpecie; quoniam diuerſis præceptis aduerſantur. Iſtū modum dicendi demonſtrat eſſe falſum D. Tho. hīc arti. 6. ad. 2. Nam accidit quòd diuerſa peccata vno aut diuerſis præceptis prohibeantur: ſi enim eſſet vnū tantùm præceptum ne quis iniuſtitiam faceret, adhuc eſſent diſtincta peccata, homicidiū, & adulterium. Rurſus, qui furatur, peccat cōtra legem naturalem, ſcriptam, & humanam; & tamen non peccat niſi vnum peccatum: ergo peccata non diſtinguuntur ex diuerſis præceptis. Iam verò Eccleſia nō poteſt facere, quòd non audire miſſam, & non ſeruare ieiunīū nō ſint diſtincta peccata, imo Deus non poteſt facere quòd homicidium & adulteriū nō differant ſpecie; ſicut non poteſt efficere quòd homo & equus non differant ſpecie: ergo ſignū eſt quòd diſtinguuntur hęc peccata ex natura rei, & obiecto, & non ex præcepto. Itaque Eccleſia per ſuam prohibitionē poteſt efficere quòd ſit peccatum; ſed quòd ſit huius, aut alterius ſpeciei, hoc ex natura rei expendēdū eſt. Præterea, actus interior & exterior ſunt eiuſdem ſpeciei, & tamen in Decalogo in diuerſis præceptis prohibentur. An verò quādo actus interdicitur in diuerſis præceptis, ſit in eius tranſgreſsione multiplex peccatum, quæſtio difficilis eſt, quæ habet propriam ſedē in materia de voto. ¶ Tertius modus diſtinguendi peccata eſt penes diuerſa obiecta: & hic eſt veriſsimus. Nam peccata non diſtinguuntur per accidens, ſed per ea quæ ſunt per ſe: in peccato verò, auerſio, & priuatio eſt præter intentionem operantis; conuerſio verò ad obiectū, per ſe: ergo peccata diſtinguuntur penes obiecta. Secūdò, peccatū vndiq; eſt volūtariū; auerſio nō eſt volūtaria, ſed tātùm cōuerſio ad bonū cōmutabile. Tertiò, grauitas peccatorū prę cipuè ſumitur ex obiecto: ergo ſpecies peccatorū ex obiecto ſumēda eſt. ¶ Sed eſt dubiū; cùm in peccato ſint duę deformitates; vna priuatiua, quę eſt auerſio; alia poſitiua, quę eſt cōuerſio; vtra eſt magis intima & eſſentialis peccato? In huius rei expoſitionē eſt primū aſſertū. ¶ Auerſio & deuiatio à regula eſt de ratione peccati. Hoc ita eſſe probatur his argumentis. In primis, de ratione & eſſentia peccati eſt, quòd ſit malū: at de ratione mali eſt priuatio boni. Peccare certè, & malè facere, eſt deficere; deficere verò eſt à regula aberrare. Deinde, de ratione & eſſentia peccati eſt actus inordinatus: at actus inordinatus intelligi nequit ſine deuiatione & obliquitate à regula: ergo de ratione peccati eſt auerſio, & deuiatio. ¶ Secundū aſſertū. De ratione & eſſentia peccati (loquor de peccato cōmiſsionis) eſt cōuerſio ad bonū cōmutabile, contrarium bono rationis. Hoc liquidò cōſtat ex definitione peccati: ſic enim definitur peccatū, quòd ſit dictū, vel factū, vel cōcupitū contra legem Dei. Præterea, peccatū eſt actus volūtarius ex omni parte: ergo de ratione eius eſt vt feratur volūtas in aliquod obiectū. ¶ Tertiū aſſertū. Conuerſio ad obiectū contrariū bono rationis eſt magis eſſentialis peccato quàm auerſio & deuiatio à

Impugnatur Scot. argumentis.

Alia ratio diſtinguendi peccata.

D. Tho.

Tertius modus diſtinguendi peccata.

Quæ nā de formitas ſit eſſentialior peccato, priuatiua, an poſitiua.

De ratione peccati eſt auerſio.

De ratione peccati cōmiſsionis eſt conuerſio ad bonum cōmutabile.

Eſſentialior eſt conuerſio quā auerſio.

regula. Etenim ſi vera eſt doctrina ſuperiùs tradita, conuerſio tribuit ſpeciē peccato, non auerſio. Hoc ipſum cōfirmatur: nam ex eo ꝙ actus humanus ſit cōtra legem, & contra virtutem, ſubſequitur auerſio à Deo, & priuatio boni: ergo conuerſio eſt magis intima peccato; auerſio verò conſequitur; ſicut magis eſt intimum calori quòd ſit contra frigiditatem, quàm quòd frigiditate priuet. ¶ Quartū aſſertum. Quando apud S. Thom. inuenitur quòd auerſio eſt formale in peccato, prout videtur dicere in. 2. 2. q. 10. artic. 3. non eſt ſenſus quòd auerſio tribuat ſpeciem formalē peccato, ſed quòd eſt vltimum quod eſt in peccato, & veluti complementum peccati. ¶ Quintū aſſertum. Peccatum in ſua ratione integra & perfecta includit conuerſionem, & auerſionē: nam includit actum humanum circa obiectū non conueniens legi, aut regulæ: quapropter nec eſt bonum, neque à Deo procedit.

Exponūtur quædā ſententiæ D. Tho.

Peccatū includit auerſionē, & cōuerſionē.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ *Vtrùm conuenienter diſtinguantur peccata ſpiritualia à carnalibus.*

SVMMA TEXTVS.

Concluſio.

AFfirmans eſt concluſio. Conſiſtit enim peccatū in appetitione alicuius cōmutabilis boni, quod inordinatè appetitur; & eo habito, aliquis inordinatè delectatur. At delectatio duplex eſt; vna animalis, quæ conſummatur in ſola apprehenſione alicuius rei ad votum habitæ; vt cùm aliquis in laude, vel in honoribus delectatur: & hæc ſpiritualis eſt: alia eſt corporalis, aut naturalis, quæ in tactu corporali perficitur; & hæc delectatio carnalis nuncupatur. Itaque cùm peccata ex obiectis diſtinguantur, & in ſpecie conſtituantur, aliqua dicuntur ſpiritualia, quæ in delectatione ſpirituali perficiuntur; alia verò carnalia, vt gula, & luxuria, quæ in delectatione carnali perficiuntur.

Duplex delectatio.

EXPLICATIO ARTICVLI.

DE quæſtione huius articuli videndus eſt D. Grego. cuius eſt illa ſententia; quòd de ſeptem vitijs capitalibus, quinque ſunt ſpiritualia, & & duo carnalia. Sed illud habet dubitationem in hoc articulo; Num in Angelis poſsint eſſe peccata carnalia. Pro parte affirmatiua hæc ſunt argumenta. ¶ In primis, D. Ambroſius tradere videtur, quòd Gigantes qui diluuium præceſſerunt, fuerint ex Angelorum & mulierum concubitu procreati; & in lib. 1. de virginibus, non longè à fine, indicat cauſam Angelicæ ruinæ fuiſſe, quòd Angeli cum mulieribus turpiter coierint. Ab hac Ambroſiana ſententia non admodum abhorret D. Chryſoſt. cùm inquit; Mulier non ſolùm homines, ſed etiam Angelos de cœlo proſtrauit. Idem docet Philo in libro de Gigant. Lactan. de hac re ſic loquitur; Cùm ergo numerus hominum cœpiſſet increſcere, prouidens Deus ne fraudibus ſuis diabolus, cui ab initio terræ dederat poteſtatem, vel corrumperet, vel diſperderet homines quos in exordio fecerat, miſit Angelos ad tutelam cultumque generis humani: quibus præcepit ante omnia, ne terræ contagione maculati, ſubſtantiæ cœleſtis amitterēt dignitatem. Itaque illos cum hominibus commorantes, Dominator ille terræ fallaciſsimus, conſuetudine ipſa ad vitia pellexit, & mulierum congreſsibus inquinauit: propter quod peccatum ceciderunt in terram. Idem docet Iuſtinus Martyr in Apologia ad Senatum Romanum, & in Apologia ad Antoninū Pium: & Clemens Alexandrinus clariſsime ſcribit, Angelos peccaſſe cum fœminis. His ſubſcribit Tertul. dicens; Angeli ad filias hominum ruerunt de cœlo, & poſt libidinum vaporata momenta, cœlum ſuſpirabant. In eandem ſententiam explicat Euſebius illud Gene. cap. 6. Videntes filij Dei filias hominum quòd eſſent pulchræ, ſumpſerunt ſibi vxores. Neque deſunt hoc loco argumenta ex diuina Theologia. ¶ Nam in Angelis poteſt eſſe virtus temperantiæ, quæ verſatur circa delectationes guſtus & tactus: ergo in Angelis poſſunt eſſe peccata intemperantiæ, vt luxuria & gula, ad quæ compeſcenda virtus temperantiæ eſt neceſſaria. Antecedens probatur; tum, quia Angelus poteſt mihi deſiderare bonum temperantiæ, & hoc deſiderium pertinet ad virtutem temperātiæ: ego enim virtute tēperantiæ deſidero mihi bonū tēperātiæ: tum verò, quoniā Angelus propoſito ſibi per intellectū obiecto temperantię, rectè eliget quid ſibi eſſet faciēdū, ſi ſibi delectationes carnis cōpeterēt: ergo in Angelo poteſt eſſe virtus temperātiæ:

Greg. li. 31 mora. c. 31. Vtrùm in angelis poſſint eſſe peccata carnalia.

Primū arg. Ambr. li. 1. de Noe, & arca. c. 4.

Chryſo. homilia in feſto decollationis Ioā. Baptiſ.

Philo, Lactan, lib. 2. diuinarum inſti. c. 15.

Iuſtinus.

Clemēs in 3. & 5. volumine ſtromatum. Tertu. lib. de habitu mulierum. Euſeb li. 5. de præparatio. Euang. ca. 4.

Prima ratio.

ex

ex huiusmodi enim actibus frequentatis generabitur habitus: tum tertiò, quoniam actus cõditionatus sufficit ad virtutem & ad vitium: at Angelus potest habere actus cõditionatos in materia temperantiæ & intemperantiæ, vt de se patet: potest enim deliberare quid faciẽdum esset si delectationes carnis sibi competerent, & in hac deliberatione rectè ac praue eligere: ergo in Angelo possunt esse peccata carnalia. Maior huius argumenti sic ostenditur. Nam in primo parente ante lapsum fuit vera virtus pœnitentiæ, qui tantummodò habuit hunc actum conditionatum; si contingat peccare, ex nunc doleo; vel vellem dolere de peccatis. Quòd verò actus cõditionatus expostulet virtutem, patet. Nam est difficilis; vt ergo promptè & delectabiliter fiat, necessaria erit virtus. ¶Secunda ratio hæc est. Nam in quẽcumque cadit delectatio alicuius peccati, potest cadere peccatum illud: sed dæmones etiã delectantur in obscœnitatibus carnalibus, vt Aug. docet: ergo in dæmonibus etiam peccata carnalia esse possunt. ¶In explicatione huius quæstionis non est necesse explicari à nobis, quod nam fuit peccatum Angelorũ; an ne superbia, vel inuidia, an potiùs luxuria quædã spiritualis, sicut arbitratur Scotus in. 2. d. 6 q. vltima. Sed tantùm demonstremus, quemadmodum peccata carnalia in Angelis esse non possunt. Constituimus ergo tres cõclusiones. ¶Prima cõclusio. Omnia peccata possunt esse in Angelis secũdum reatum. Nam dum homines ad omnia peccata adducunt, omniũ peccatorum reatum incurrunt: non enim solùm cõsentiunt facientibus, sed inducunt, & sollicitãt ad faciendum. ¶Secũda conclusio. In Angelis peccata carnalia secundum affectum esse non possunt. Nã solùm illa peccata in Angelis malis esse possunt, ad quę contingit affici spiritualem naturam: spiritualem autem naturã affici non contingit ad bona quæ sunt propria corporis, sed ad ea quæ in rebus spiritualibus inueniri possunt: nihil enim afficitur nisi ad id quod naturæ suæ potest esse quodammodo conueniens. Certè Chryso. docet non solùm absurdum, sed etiam impossibile esse vt improbi Angeli cum fœminis coitum exerceãt. & Cassianus sic scribit; Nullo modo credẽdũ est, spirituales naturas cũ fœminis coire posse. Consimilẽ vim habẽt quæ Philastrius. c. 108. aduersus hæreses in hunc modũ recensẽt. Alia hæresis est quæ de Gigãtibus asserit, quòd Angeli miscuerunt se cũ fœminis ante diluuiũ; & inde natos esse Gigãtes. Neq; ab his abhorrẽt quæ Cyrillus Alexãdriæ Episcopus in eandẽ ferè sentẽtiã disseruit lib. 3. Allegoriarũ in Genesin, statim à principio. His accedit autoritas Cõcilij Ancyrani, detestãtis insanã opinionẽ quarũdam veneficarũ mulierũ, asserẽtiũ se longa per spatia ab spiritibus noctu deduci ad lõca quædã, vbi cum dæmonibus indulgeant varijs voluptatibus, & epulis, & libidinibus. ¶Tertia cõclusio. Nulla ratione negari potest dæmones in assumptis corporibus cũ mulieribus coire posse. Id enim asserit magna asseueratione D. Aug. his verbis; Apparuisse hominibus Angelos in talibus corporibus, quæ nõ solùm videri, verùm etiã tãgi possent, verisimè sacra scriptura testatur. Et quoniã creberrima fama est, multosque se expertos, vel ab his qui experti essent (de quorũ fide dubitãdũ nõ est) audisse confirmãt, Syluanos & Faunos, quos vulgo Incubos vocant, improbos sæpè mulieribus extitisse, & earum appetijsse, & peregisse concubitũ: & quosdã dæmones, quos Dusios Galli vocant, hanc assiduè immunditiã & tẽtare, & efficere: pluresque tales asseuerãt, vt hoc negare impudẽtiæ videatur. Extat & Innocentij Papæ octaui decretalis epistola aduersus maleficarũ mulierũ hæresim, in qua hæc verba legũtur. Nõ sine ingẽti molestia ad nostrũ peruenit auditũ, cõplures vtriusq; sexus personas, proprię salutis immemores, & à fide Catholica deuiãtes, cũ dæmonibus incubis ac succubis abuti. Quapropter ne labes huius hæreticæ prauitatis in pernicię animarum sua venenã diffundat, statuimus, vt Inquisitores per nos deputati, debitũ inquisitionis officium in huiusmodi personas exequãtur. Hęc est Aug. & Innocẽtij, & totius Ecclesiæ indubitata determinatio, à qua discordare nulla ratione licitum est. Propter quod quãdo sancti Patres in secunda conclusione cõmemorati asserũt, dæmones nõ posse cum fœminis coire, intelligũt nõ posse coire cũ fœminis animaliũ naturaliũ more, hoc est, semẽ de sua substãtia mittẽdo, aũt delectationes carnis percipiẽdo: hoc enim fieri non potest, cùm sint incorporeæ, & spirituales substãtiæ: alioqui (vt inquit Augu.) dæmones nõ solùm cũ mulieribus coire possunt, sed etiã filios verè homines generare: nõ virtute proprij seminis, quod nullum ex se ipsis habent; sed ope alicuius hominis, quod ipsi maribus turpiter succubãtes exceperũt, exceptũq; fœminis incubãtes infundunt; ita (vt Aug. 3. de Trinit. ait) disponẽte Deo, ne sit ille qui nascitur filius dæmonis, sed filius illius hominis à quo est semẽ acceptũ. ¶His rebus expositis, facilè cõfutãtur argumẽta quæ in principio sunt posita. Nã ad sanctorũ Patrũ testimonia dicendũ est; sanctos Patres, per Angelos nõ intellexisse substantias spirituales, sed viros illustres, & vnius Dei cultores, ex sancta stirpe Seth descendentes; quos quia in eam diem in cultu

Secunda ratio.

Aug. 4. de ciuita. Dei.

Scot.

Peccata omnia possunt esse in Angelis quo ad reatum.

Peccata carnalia non possunt esse in Angelis secundũ affectum.

Chryso. homilia. 22. in Genes.

Cassianus collat. 8. ca. 21.

Philastrius

Cyrillus.

Cõci. Ancyranum.

Dæmones in assumptis corporibus cum mulieribus coire possunt.

Aug. li. 15. de ciuitate ca. 23.

Innocen. 8.

Sanctorum dicta exponuntur.

Auguſt.

Argumẽta diluuntur.

vnius Dei permanſerant atque fide, Moyſes bene, eloin, hoc eſt filios Dei appellauit. Septuaginta interpretum vetuſtior editio, Angelos Dei nuncupauit, quam in.15. de ciuitate Dei.c.23.expoſuit Auguſt. Eandem expoſitionem amplectitur Aug.in hunc modum. Quæritur, quomodo potuerunt Angeli cum filiabus concumbere, vnde Gigantes nati eſſe perhibentur? quamuis nonnulli & Latini, & Græci codices, nó Angelos habeát, ſed filios Dei. Quos quidem, ad ſoluendam hanc quæſtionem, iuſtos homines fuiſſe crediderunt; quoniam potuerunt etiam Angelorum nomine nuncupari: nam de homine Ioanne ſcriptum eſt; Ecce ego mitto Angelum meũ. Vnde credibilius eſt, homines iuſtos appellatos eſſe Angelos, vel filios Dei, quàm Angelos carnẽ non habentes vſque ad illud peccatum deſcẽdere potuiſſe; quamuis de quibuſdam dæmonibus qui ſunt improbi mulieribus, à multis tam multa dicuntur, vt non facilè ſit de hac re definienda ſententia. ¶ Ad alias rationes ex diuina Theologia adductas, ad primam ſic reſpondeo, vt negem omnino in Angelis poſſe reperiri temperantiæ virtutem. Et ad primam probationem facilè reſpondetur, quòd talis actus deſiderij non pertinet ad temperantiã, ſed ad amicitiam & dilectionem, qua bonum nobis deſiderant. Ad ſecũdam probationem dico, quòd actus conditionati non pertinent ad virtutem temperantiæ, quanquam bonitatem habere videantur: ſicut pauper per hoc quòd vellet, ſi poſſet, magnificos ſumptus facere, nunquam erit magnificus. Certè experientia docet, quòd per actus conditionatos non comparantur virtutes, nec efficiuntur homines ſtudioſi, ſed per abſolutos, & efficaces, & exercitos in materia virtutum: alioquin homines ſomniantes per ſomnia & imaginationes de rebus bellicis acquirerent fortitudinẽ. Tertia probatio eodem modo refellitur; dicendum namque eſt, quòd actus conditionatus & imperfectus in eo qui poteſt habere exercitium actus, reducitur ad eandem ſpeciem virtutis: ſed in eo qui non poteſt habere exercitium actus perfecti, non reducitur ad eandem ſpeciem. ¶ Ad ſecundam rationem dicendum eſt, efficaciter probare quòd in Angelis malis poſſunt eſſe omnia peccata, quantum ad reatum, prout expoſitum eſt. Inſuper dicendum eſt, quòd dæmones non delectãtur in obſcœnitatibus carnalibus, quaſi ipſi afficiantur carnalibus delectationibus, ſed hoc totum ex inuidia procedit, quòd in peccatis hominum quibuſcumque delectantur, in quãtum ſunt impedimenta humani boni. Sed de hoc dictum eſt ſatis.

Expoſitio Septuaginta interpretum. Auguſti. in quæſt. ſuper Gene. q. 3.

Ad primã rationẽ. In Angelis nõ poteſt eſſe temperãtiæ virtus.

Ad ſecundã rationẽ.

ARTIC. TERTIVS.

¶ Vtrùm peccata diſtinguantur ſpecie ſecundum cauſas.

SVMMA TEXTVS.

Concluſio.

Oncluſio ſic habet. Non differunt peccata ſpecie ſecundum diuerſas cauſas actiuas, vel motiuas, ſed ſecundum diuerſitatem cauſæ finalis, quæ eſt obiectum volũtatis: nam ex quatuor cauſis, formalis & materialis reſpiciunt propriè ſubſtantiam rei; vnde ſubſtantiæ, ſecundum formam & materiam, ſpecie & genere diſtinguuntur: agens verò & finalis reſpiciunt directè motum & operationem; quare motus & operationes ſpecie diſtinguuntur ſecũdum huiuſmodi cauſas; ſed non eodẽ modo: quia principia actiua naturalia ſunt ſemper determinata ad vnum, & ad eoſdem actus, cùm agant ex neceſsitate naturę, vt calor in igne: & propter id motus & actiones naturales diuerſificantur non ſolùm ex parte cauſæ finalis, ſed etiam ex parte efficientis, id eſt actiui principij. Sed principia actiua in actibus voluntatis, cuiuſmodi ſunt actus peccatorum, non ſe habent ex neceſsitate ad vnum; & ideo ex vno principio actiuo, vel motiuo poſſunt procedere diuerſæ ſpecies peccatorum; vt ſi homo furetur, vel occidat, vel deſerat gregẽ ſibi commiſſum ex timore malè humiliante, vel ex amore malè inflãmante. Vnde patet peccata nõ differre ſpecie ſecundum diuerſas cauſas actiuas, vel motiuas: eiuſdẽ

enim

enim speciei est homicidium perpetratum ex timore malè humiliante, & ex amore malè inflammante: & ab eadem causa motiua procedere possunt peccata specie diuersa. Relinquitur ergo quod solùm secundum diuersitatem causæ finalis peccata distinguãtur specie: finis enim est obiectum voluntatis; & actus humanus ex fine speciem habet. ¶ Sed est notandum cum Domino Caie. hic, quòd motiuum ad peccandum aliquando concurrit efficienter tantùm; aliquando verò transit in rationem obiecti. Primo modo non dat nouam speciem; sed altero modo nouam tribuit. v. g. fornicatur mulier ex amore tantùm, tãquam ex motiuo; nõ peccat nisi vnum peccatum: sed si fornicatur cum laico vt non perdat amicum clericum; quoniam illud motiuum trã sit in rationem finis, mutatur illa species, & non tantùm est fornicatio, sed sacrilegium. Quæ doctrina notanda est pro voto quod emittũt Equites Cruciferi, quod à plerisque dubitatur vtrùm sit verum votum, & valeat coram Deo. Ratio dubij est: nam prædicti faciunt votum religionis propter locupletissimos reditus, & propter vitam delicatè transigendam. Respondetur, quòd si illud motiuum concurrit tantùm efficienter, & non transit in rationem finis, verũ est votum, & validum coram Deo: cæterùm si transit in rationem finis, non est votum. Sed de hoc in materia de voto.

Motiuũ ad peccandũ aliquando cõcurrit efficiẽter, aliquãdo transit in obiecti rationem.

Equites Cruciferi.

ARTIC. QVARTVS.

¶ Vtrùm peccatum conuenienter distinguatur in peccatum in Deum, in se ipsum, & in proximum.

SVMMA TEXTVS.

Affirmans est Conclusio. Conclusio.

NAm triplex ordo in homine inuenitur. Vnus secundum comparationem ad regulam rationis æternæ; & est respectu illorum quæ soli Deo debentur: & qui in talibus peccant, contra Deum peccare censentur, vt infidelis, hæreticus, sacrilegus, & blasphemus. Alius est per comparationem ad actus nostros, quorũ mensura & regula est ratio, quæ dupliciter regulat hominem, videlicet in ordine ad seipsum, & per comparationem ad aliũ. Qui ergo peccat cõtra primum ordinẽ, tunc contra seipsum peccat, vt gulosus, luxuriosus, & ebrius: quando verò peccat contra ordinem rationis ad alium, tunc peccat contra proximũ, sicut facit fur, & homicida, & omnis iniustus; quia iustitia propriè est ad alium.

EXPLICATIO ARTICVLI.

IN hoc articulo docet D. Tho. propemodum ad finem articuli, quòd quemadmodum peccatum conuenienter diuiditur in peccatum in Deum, & in seipsum, & in proximum; sic vniuersæ virtutes quibus peccata opponuntur, secundum hanc differentiam distribuuntur. Manifestum enim est ex dictis, quòd virtutibus Theologicis homo ordinatur ad Deum; temperantia & fortitudine ad seipsum; iustitia verò ad proximum. Itaque tunc erit homo vniuersis virtutibus ornatus, cùm rectè se habuerit ad Deum, ad seipsum, & ad proximũ. Quod luculenter expressit Micheas. 6. suæ prophetiæ cum dicit; Ostendam tibi quid Dominus requirat à te. Vtique facere iudicium, & diligere misericordiam, & solicitum ambu- Micheæ. 6.

lare coram Domino Deo tuo. Primum pertinet ad seipsum, secundum ad proximum, tertium ad Deum.

ARTIC. QVINTVS.

¶ Vtrùm peccata distinguantur specie secundum reatum pœnæ?

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Conclusio est negãs. Id enim quod est per accidens, nunquam constituit rationem speciei: id verò quod est præter intentionem agentis, est per accidens in actibus humanis. Cùm igitur pœna sit præter intentionem peccantis, ideo per accidens se habet ad peccatum ex parte ipsius peccantis: ordinatur enim ad peccatum ab exteriori, videlicet à iustitia iudicante, quæ secundum diuersas conditiones peccatorum diuersas pœnas infligit. Vnde differentia quæ est ex diuerso reatu pœnę, potest consequi diuersam peccatorũ speciẽ, non tamen cõstituit diuersitatem speciei, sed nonnunquam consequitur diuersitatem speciei. Ad eundem modum dicendum est, quòd distinctio peccati; per veniale, & mortale; non cõstituit diuersitatem speciei, sed nõnunquã consequitur diuersitatem speciei: nam sequitur inordinationem actus mali, quæ est formale in ratione peccati. Cum enim auersio est ab vltimo fine, qui est principiũ totius vitæ, & ordinis, tunc mortale peccatum est: si citra vltimum finem deordinatio sit, tũc tantùm veniale peccatum est.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Vtrùm diuisio peccati in mortale & veniale sit specifica.

QVæstio præcipua in hoc articulo est; Num diuisio peccati, in mortale & veniale, sit specifica, ex eo q̃ peccatum mortale inducit reatum æternæ pœnæ; veniale verò temporariæ: reatus verò est obligatio ad pœnam. De hac quæstione disputant Doctores in. 2. d. 42. Alij. 35. alij. 21. & in quarto. d. 21. Pro explicatione est prima conclusio. ¶ Peccatum mortale & veniale non differunt essentialiter, ex eo quòd mortale obliget ad pœnam æternam, veniale ad temporalem. Nam licèt Deus nõ statuisset pro peccatis supplicia, adhuc essent peccata mortalia & venialia ex natura rei. Secũdò, qui sunt damnati, quotidiè prolabuntur in culpã nouam; at non incidunt in nouam pœnam: ergo peccatum non est obligatio ad pœnam. Tertiò, quando quis per veram contritionem dolet de peccatis, remittitur illi omnis culpa; non tamen remittitur ei omnis pœna, vt planè dicit scriptura: ergo peccatum aliud est quàm obligatio ad pœnam. ¶ Secunda cõclusio. Peccatum mortale & veniale non distinguuntur ex eo quòd mortale sit dignum supplicio æterno, veniale temporali: nam prius est quòd committamus peccatũ, quàm quòd simus digni pœna: ex eo enim sumus digni supplicio, quia peccauimus; quemadmodum propterea sumus digni præmio, quia opera studiosa fecimus. Secundò, de se notum est, quòd actus inordinatus sit peccatum: at non est per se notum, quòd peccatum sit dignum supplicio, aut præmio coram Deo: ergo peccatum non benè declaratur per hoc, quòd sit dignum supplicio. ¶ Tertia conclusio. Hæc peccata non distinguuntur ex eo quòd mortale sit contra finem; veniale contra mediũ: quod quidam Theologi malè colligunt ex litera huius articuli. Probatur: nam peccata mortalia sunt contra finem, & contra media; & etiam venialia: ergo non distinguuntur ex hoc. Probatur antecedens: nam fornicatio est contra media; & infidelitas contra finem; mendaciũ quod est veniale, est contra medium; motus non plenè deliberatus infidelitatis est contra finem, & est tantùm veniale. ¶ Quarta conclusio. Hæc peccata non distinguuntur essentialiter, ex eo quòd mortale sit contra præceptũ, veniale contra consilium. In quo fallitur Scotus in. 2. d. 21. q. 1. Nam ducere vxorem est contra consilium virginitatis, dicente Paulo; De virginibus præceptum Domini non habeo; consilium autem do, &c. ducere autem vxorem, nullum est peccatum. Præterea, mendacium iocosum est veniale, cùm sit contra præceptum: ergo. ¶ Sed pro sententia Scoti sunt

Peccatum mortale & veniale nõ differũt essentialiter ex obligatione ad diuersam pœnam.

Veniale peccatũ & mortale nõ differunt, quia vnum est cõtra finem, aliud contra medium.

Impugnatur Scot.

1. Corin. 7.

Argumẽta pro sententia Scot.

uria

tria argumenta. Primum, iste actus; nolo esse religiosus; non est bonus: ergo malus; qui tamen non est nisi contra consilium. Secundò, iste actus; nolo pœnitere quando non teneor; est malus: includit enim istum actū; volo permanere in peccato; cum tamen non sit nisi cō tra consilium. ¶ Tertiò, ducere vxorem est po nere obstaculum Spiritui sancto, qui semper nos impellit ad altiorem statum: ergo est malus actus. Confirmatur: nam qui vouit facere contra consilium, absque dubio peccat; quoniam ponit obicem Spiritui sancto: ergo si du cere vxorem est ponere obicem Spiritui san-

Soluuntur argumenta facta pro Scoto.

cto, peccatum est. ¶ Ad primum respōdetur, quòd iste actus ex obiecto est indifferens, sed ex circunstantia, & in exercitio potest esse stu diosus; vt si quis dicat; nolo esse religiosus quia sum delicatus; est bonus actus. ¶ Ad secū dum respondetur idem. Ad tertium respōdetur, non esse peccatum ponere obicem Spiritui sancto ad altiorē statum, nisi in his ad quæ ex præcepto obligamur. Ad confir. dicito, q̄ qui vouet facere contra consilium, non ex eo peccat quia ponit obicem ad altiorem statū, sed ex eo quia offert Deo vt rem acceptissimam illud quod Deo displicet: quāuis enim non displiceat Deo quòd non sequaris eius consilium, sed displicet quòd promittas nunquam eius consilium secuturum. ¶ Quinta cō

Non omne peccatum prædestinati est veniale, & præscīti mortale, vt dixit Lutherus.

clusio. Peccatum mortale & veniale nō ex eo distinguuntur, quòd omne peccatum præsciti sit mortale, & omne peccatū prædestinati sit veniale: ad hunc enim modum distinguit hæc peccata Lutherus, sed hæreticè. Nam constat ex sacris scripturis, prædestinatos commisisse multa peccata mortalia, vt Paulus, Petrus, & Magdalena. Item constat ex sacris scripturis multos reprobos multa feciſſe peccata venialia, & eis multa peccata mortalia fuisse remissa, vt patet de Iuda, Saule, &c. ¶ Sexta concluPeccatū ve niale & mortale differūt ex natura rei.

sio. Peccata mortalia & venialia differunt ex natura rei, & nō ex Dei gratia & misericordia. Hoc asseritur contra Gersonem, qui opinatus est, omne peccatum veniale, etiam otiosum verbum, ex merito suo esse dignum supplicio æterno; sed per Dei misericordiam non imputari nobis, nisi ad temporale. Hoc est falsum: nam si peccatum veniale mereretur suppliciū æternum, non constat nobis quod Deus non puniat illud supplicio æterno. Secundò, si mereretur supplicium æternum, mereretur etiam separationem à Deo, & ipsius odium: ergo est peccatū mortale. Tertiò, repugnat Deo quòd aliquod opus sit peccatum, & nō odio habeatur à Deo: ergo impossibile est quòd non tan

Exponitur D. Tho.

tum odiatur peccatum, quantum meretur. His à nobis reprobatis superest statuere sententiam D. Tho. quæ consistit in tribus conclusionibus. ¶ Prima conclusio. Diuersitas reatus & obligationis ad pœnam non distinguit peccata secundum speciem. Patet: nam reatus est quid posterius, & præter intentionem operantis. ¶ Secunda conclusio. Diuersitas reatus aliquando reperitur in peccatis distinctis secū dum speciem, aliquando intra eādem speciē. Nam quando est peccatum mortale ex obiecto; vt homicidium, adulterium; sine dubio differt specie à peccato veniali ex obiecto, vt verbum otiosum, &c. cæterùm quādo est pec catum veniale ex imperfectione libertatis, aut ex leuitate materiæ, sine dubio est in eadem specie, in qua est peccatum mortale; sicut furari paruum vel magnum assem, aut scutum aureum. Tum, quoniam versantur circa idem ob iectum; tum etiam quoniam eliciuntur ab eodem habitu iniustitiæ: præterea quoniam solùm differunt secundum magis & minus. Ex

Circūstātiæ non mutantes speciē.

hoc sequitur quòd est necessarium in confessione explicare circunstantias, etiam quæ non mutant speciem: nam aliquādo augent in infinitum, & faciunt peccatum mortale eiusdem speciei cum veniali. ¶ Tertia conclusio. Peccatum mortale & veniale differunt essentialiter penes auersionem à Deo. Nam peccatum veniale non prorsus est auersio à Deo, neque ponit inimicitiam inter Deum & hominem: neque verò diuidit inter vitam gratiæ, & animā, vt inducat mortem: sicut in corpore est quædam infirmitas, quæ habet tantam inordinationem, vt penitus extinguat principiū vitæ: aliæ verò sunt quæ non penitus extinguunt principium vitæ, & huiusmodi sunt venialia peccata. ¶ Sed nunquid iste modus dicendi,

Peccatū veniale an possit dici præter legem, nō cō tra legem. D. Tho. Magi. sent. Durand.

quòd peccatum veniale non sit contra legem, sed præter legem, est satis conueniens? Hunc modū dicendi habet D. Tho. infrà q. 88. art. 1. ad. 1. & in. 2. d. 42. q. 1. art. 3. in principio. & Magister in. 2. d. 55. Dur. verò in. 2. d. 42. q. 6. dicit, quòd peccatum veniale est contra legem. Sed certè modus loquendi D. Tho. est magis consentaneus: nam Matth. 19. dicitur; Si vis ad vi-

Matth. 19.

tam ingredi, serua mandata. Sed qui tantùm venialiter peccat, habet ingressum ad vitam: ergo non operatur contra mandata, sed præter. Secundò. 1. Ioan. 2. dicitur; Siquis dixerit

1. Ioan. 2.

quòd diligit Deum, & mandata eius non seruat, mendax est. Sed qui tenetur tantùm peccato veniali, diligit Deum: ergo mandata eius seruat: ergo non operatur contra mandata. Præterea ad Rom. 13. dicitur; Plenitudo legis

Roma. 13.

est dilectio; & qui diligit, legem impleuit: sed qui tenetur tantùm peccato veniali, diligit Deum: ergo non operatur contra legem. Præterea qui peccat venialiter, non facit contra

amicitiam

amicitiam & charitatem: ergo non operatur
1.ad Tim.2 contra legem: finis enim legis est charitas. Denique qui dicit officium diuinum negligéter, certè non operatur contra legem, sed tantùm ponit quoddam impedimentum decori legis: igitur peccatum veniale non est cótra legem.
Argumẽtũ Durand. ¶Sed inquit Dur. sequitur ex isto modo dicẽdi, quòd peccatum veniale non sit simpliciter peccatum, cùm non sit contra legem. Consequens est falsum: nam in sacro eloquio dicitur
1.Ioan.1. peccatum, vt in illo Ioannis.1.c.1. Si dixerimus
Eccle.7. quòd peccatum non habemus, &c. & Eccl.7. Non est homo qui non peccet. Ad hoc respõdet Dominus Caie. infrà q.88.ar.1.ad.1. quòd
Caiet. peccatum veniale non est simpliciter peccatum, sed secundum quid; & ita liberè cõcedit
Duran. quod Dur. dicit de peccatis venialibus, quę ex imperfecta deliberatione admittũtur: de alijs verò affirmat esse simpliciter peccata. Sed Caieta. vbi suprà dicit peccatum veniale esse secũdum quid peccatum, & imperfectè tãtùm, ratione imperfectæ deliberationis: nam de ratione peccati est quòd sit liberum; ergo si est imperfectè liberum, est imperfectum peccatum. Tum verò ratione obiecti, vt furari rem paruam: tum tertiò, ratione præcepti, quando non est necessarium ad amicitiam diuinã conseruandã, vt verbum otiosum. Itaque autore Caietano peccatũ veniale, est peccatũ secũdũ
An peccatũ veniale sit dicẽdũ peccatum simpliciter. quid: quę reuera est sentẽtia D. Tho. in illo loco. Dicẽdũ est tamẽ, quæstionẽ istã esse de nomine: certũ est enim quòd peccatũ veniale appellatur peccatũ simpliciter in sacro eloquio: verum est tamen quòd aliquando per se sumptum accipitur tantùm pro peccato mortali,
Ioan.20. vt in illo; Quorum remiseritis peccata, &c. Deinde est certum, peccatum veniale comparatum mortali, esse imperfectè peccatum, & secundum quid: absolutè tamen mihi videtur
Soluitur argumentũ. quòd sit simpliciter peccatum. ¶ Et ad argumentum Dur. nego consequentiã; tum, quia D. Aug. tantùm definiuit peccatum proprijssimè, quod est mortale: tum verò, quoniam esse
Dupliciter potest dici aliquid cõtra legem. contra legem stat dupliciter; vno modo contra intentum & finem legis, & charitatem; & hac ratione peccatum veniale non est contra legem Dei: Alio modo dicitur peccatum esse contra legem, quoniam est cõtra aliquod præceptum, & contra dictamen rationis, & cõtra virtutem; & hac ratione peccatum veniale est
An peccatũ mortale & veniale distinguatur in infinitũ. contra legem Dei. ¶ In solutione ad primum dicit D. Tho. quòd peccatum mortale & veniale distinguuntur in infinitum ex parte auersionis. Hoc videtur falsum. Nam peccatũ mortale & veniale non semper differunt in infinitum, & specie, ex parte conuersionis: ergo neque ex parte auersionis: auersio enim cõsequitur conuersionem: ergo si conuersio est eiusdem speciei, auersio etiam eiusdẽ speciei erit. Ad hoc primò negatur consequentia: nam ex eadem operatione specie sequuntur priuationes diuersarum specierum; sicut ex calefactione sequitur priuatio frigiditatis, & humiditatis. Dicendum secundò, quòd si auersio in paruo furto, & magno considerẽtur in ordine ad iustitiam qua priuant, certè sunt eiusdem speciei, & differunt solùm secundùm magis & minus: cæterum si considerentur in ordine ad auersionem à Deo, & ab eius amicitia, differunt plus quàm specie: nam differunt genere. Notandæ sunt argumentorum solutiones pro argumentis quæ circa hanc materiam fieri possunt.

ARTIC. SEXTVS.

¶ *Vtrùm peccatum commissionis & omissionis differant specie.*

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Conclusio sic habet. Peccatum cõmissionis & omissionis materialiter differunt specie, videlicet secundũ diuersitatẽ actuũ: quia omissio est priuatio, & commissio est actus. Verùm formaliter non differunt, quãdo ad idem ordinantur, & ex eodem motiuo procedunt: auarus enim ad congregãdum pecuniam & rapit aliena, & non dat quæ dare debet: & gulosus ad satisfaciendum gulæ, & superflua comedit, & debita ieiunia prætermittit. Semper enim negatio fundatur supra aliqua affirmatione in rebus.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Examinatur conclusio D. Tho. Primũ arg. Contra conclusionem positam sunt quædam argumenta. In primis, superabundantia & defectus faciunt diuersas species, vt D. Tho. tradit articulo octauo: igitur multo magis omissio & commissio: defectus enim semper includit omissionem. ¶ Præterea, si quis cõmittat peccatum prodigalitatis, & alius omittat actum liberalitatis, nõ sunt peccata eiusdem speciei: alterum enim pertinet ad prodigalitatem; alterum ad

Secundum

Tertium. rum ad auaritiam: ergo. ¶ Deinde, trãsgressio est commissionis peccatum, vt perspicuè patet: at transgressio est speciale peccatum, distinctum specie à peccato omissionis, prout apertè docet D. Tho. 2. 2. q. 79. art. 2. & 3. ergo

D. Tho. falsum dicit D. Tho. in hoc articulo, & eius doctrina non videtur esse eadem.

Primũ documẽtum. Cõmissio, & omissio oppositæ virtutis nõ differũt specie in genere moris. ¶ In explicationem huius dubij rectè procedet Theologus, si animaduertat hæc documẽta diuinæ Theologiæ. Primũ est. Commissio & omissio oppositæ virtutis non differũt specie in genere moris. v. g. Auarus ad congregãdam pecuniam & rapit aliena, & non restituit quæ debet. Hæc duo peccata ad eandem speciem iniustitiæ spectant.

Secundum docu. ¶ Secundum documentum, quando dicit S. Doctor, quòd commissio & omissio non differunt specie, non loquitur de omni cõmissione & omissione, sed quando vna sequitur ex altera; vt furari, & nõ

Explicatio Victoriæ. restituere. Sic distinctè & breuiter explicabat Doctissimus pater Victoria D. Tho.

Tertiũ document. ¶ Tertiũ documentum. Omissio & cõmissio circa eandem materiam sub eadem ratione formali nõ differunt specie; veluti cùm quis furatur aliena & non restituit, peccata sunt eiusdem speciei, vt dictũ est. Verùm si versentur circa eandem materiã sub diuersa ratione formali, non pertinent ad eandem speciem: qui enim occidit hominem, peccat peccatum iniustitiæ: & si quis non pauit pauperem quem tenebatur pascere, & moritur, est alia species peccati: siquidem non est contra iustitiam, sed contra charitatem, vt sentiunt Theologi bene docti: nõ enim tenebatur alere pauperẽ ex iustitia, sed

Quartũ document. ex charitate. ¶ Quartum documentum quod habetur in solutione secundi. Facere cõtra diuersa præcepta, non distinguit speciem peccatorum. Patet in homicidio, quod licèt sit contra legem naturalem, scriptam, & humanã, nõ est nisi vnum peccatum specie. Pro cuius maiori expositione notandum, quòd lex particularis quæ additur supra alteram, dupliciter se habet: vno modo, quòd transferat actum ad aliã virtutẽ. v. g. Monachus ex iustitia tenetur reddere alienum: accedit præterea præceptũ prælati, quod transfert actum ad virtutem obedientiæ. Item tenetur monachus ex virtute castitatis non fornicari; accedit præterea voti vinculum, quod transfert actum in virtutem religionis. Alio modo se potest habere, non transferendo actum ad aliam virtutẽ, vt patet in homicidio, quod diuersis licèt præceptis prohibeatur, semper tamen manet intra materiam iniustitiæ. Quando ergo particularis lex trãsfert actum ad aliam virtutem, est duplex obligatio, & qui transgreditur, peccat duplex peccatum distinctum specie: cæterùm quando non transfert actum circa aliam virtutem, peccat tantùm vnum peccatum, vt patet in homicidio multis prohibitum legibus.

Duplex pœna à lege statuta. ¶ Item notãdum, quòd pœna quæ imponitur in lege, aliquando non inuoluit præceptum aliquod: & hęc quidem nec facit peccatum, nec dat nouã speciem; vt est irregularitas. Propter quod iudex qui occidit hominem, est irregularis sine peccato; & qui ducit aliam vxorem post prioris mortem, est etiã irregularis absque aliquo delicto. Aliæ sunt pœnæ quæ inuoluunt aliquod præceptum; vt si prælatus præciperet sub pœna excommunicationis vt ieiunaretur in Quadragesima. Et istæ sunt in duplici differentia. Quædam sunt quæ prohibent actum iam prohibitum; vt si prohiberet homicidium lex humana; & istę non faciunt peccatum, nec dant nouam speciem, licèt secundùm aliquos augeant peccatum: cæterum quando fertur in actum alioqui non prohibitum, facit peccatũ, sed non dat speciem; vt si prælatus præcipiat sub sententia excommunicationis quòd ieiunetur in sabbatho: non seruare ieiunium, peccatum est, sed speciem habet ab obiecto dissentaneo contra temperantiam. ¶ Sed dices, ex dictis videtur sequi, quòd si quis semel fecerit votum de fornicatione non admittẽda, & iterum atque iterum & sæpius confirmat idem votum, quòd non inducat aliam obligationem præter primam; sicut ex eo quòd homicidium sit prohibitum lege humana, nõ inducit nouam obligationem præter illam quæ est in lege naturæ. Certè ita videtur conuincere argumentum: sed de hoc latiùs in materia de voto.

Vtrùm peccans contra præceptum naturale & supernaturale peccet duplex peccatũ specie. ¶ Sed ex hoc oritur non parua dubitatio; Vtrùm quando quispiam in vno eodẽq; actu peccat contra præceptum naturale & supernaturale, peccet duplex peccatum secundũ speciem distinctum; veluti cùm quis nõ abstinet quando tenetur abstinere secundũ legem naturalem & supernaturalẽ: aut cùm quis non subuenit pauperi, cum ex præcepto vtriusque legis tenetur. Certè videtur dicendum quòd sunt duo peccata specie distincta: nam talis actus est contra duplicem virtutem specie distinctam, scilicet contra temperantiam infusam, & acquisitam; quæ sine dubio specie differunt. Hoc idem cõfir. Nam si vnus peccaret contra temperãtiam acquisitam, & alius quispiam contra infusam; illa peccata differrẽt specie, sicut actus virtutum quibus opponuntur: ergo etiam in eodem potest esse duplex malitia secundum speciẽ distincta. Explicatur hoc adhibito exemplo. Nam cùm sit præceptum legis naturalis vt veritatem dicamus, & non mentiamur; si superueniat præceptum prælati in virtute Spiritus sancti, & sanctæ obediẽtiæ

vt non

vt non mentiaris; certè si mentiris, & peccas contra virtutem, & contra prælati obediẽtiã; & duplex malitia est diuersa secundum speciem. ¶ Ad argumenta in contrarium posita, ad primum facilè respondetur, quòd D. Tho. loquitur de commissione & omissione circa eandem materiam sub eadem ratione, vel quãdo omissio sequitur ex commissione, prout tradidimus in documentis nostræ doctrinæ. ¶ Ad secundũ argumentũ sic respõdeo, quòd quãdo committitur peccatũ prodigalitatis, ex quo fit homo minus potens vt det liberaliter, tunc commissio & omissio quæ inde cõsequũtur, pertinent ad eandem peccati speciem: cæterum si quis omittat actũ liberalitatis ex auaritia, ad aliud vitium spectat. ¶ Ad tertium argumentum confutandum non est facilè loca D. Tho. quæ sibi inuicem aduersari videntur, ad cõcordiam reducere: in qua re laborat maximè Caie. in. 2. 2. loco citato. Sed breuiter sic statuo, quòd transgressio, de qua dicitur loco citato, quòd sit speciale peccatum, nõ vsurpatur pro peccato commissionis in vniuersum. Pro cuius declaratione aduertẽdum est, quòd transgressio accipitur bifariam; tum materialiter pro omni commissione contra diuina mãdata: & hoc modo non est speciale peccatum, sed spargitur per omnia peccata quę contra legem committũtur: tum formaliter pro præuaricatione, & expressa intentione faciendi contra legem, & contra debitum; & tunc est speciale peccatum contra iustitiam legalem; quo in sensu loquitur D. Tho. de transgressione in. 2. 2. Ad eandem formam est explicandum quando dicit S. Tho. quòd omissio est speciale peccatum. Vide Caie. super illũ locũ in. 2. 2.

Solutio argumen. Ad primũ. Ad secũdũ. Ad tertiũ. Caieta.

ARTIC. SEPTIMVS.

¶ Vtrùm conuenienter diuidatur peccatum, in peccatum cordis, oris, & operis.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Conclusio est affirmãs. Aliqua enim differunt vno modo secundum speciem cõpletam; vt bos & homo: alio modo, secundũ diuersos gradus in eadem generatione, vel motione capiuntur diuersæ species, sicut ædificatio, cõpleta domus: fundamẽti verò collocatio, & parietis erectio sunt species incompletæ. Sic ergo peccatũ diuiditur per hæc tria; cordis, oris, & operis; non sicut per diuersas species completas; quia consummatio est in opere, sed prima inchoatio est in corde, secundus gradus in ore, tertius in consummatione operis: quæ tria etsi secũdum diuersos gradus peccati differunt, tamẽ ad vnam peccati speciem pertinere possunt. Iracũdus enim ex hoc quòd vindictam appetit, primò conturbatur in corde; secundò verba contumelioſa profert; tertiò procedit vsque ad facta: & idem patet in luxuria, & in quolibet alio peccato.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Hie. super Ezechi. 43. Mag. sent.

Quædam peccata cõsummãtur corde, alia ore, alia opere.

Exponitur D. Tho.



Æc peccatorum diuisio accepta est ex D. Hieronymo, & ex Magistro in. 2. d. 42. & hanc diuisionem in nostra methodo confitendi sequimur: dicimus enim; peccaui loquutione, cogitatione, & opere. Sed pro huius declaratione notãdum est, quædam peccata esse quæ corde perficiuntur & consummãtur; vt odiũ, & hæresis: alia verò quæ ore consummantur; vt contumelia, conuitium, atque detractio: tertiò sunt alia peccata quæ opere perpetrantur; vt furtum, & homicidium. Et hæc peccata manifestè distinguuntur genere & specie; de quibus proinde non loquitur D. Tho. in articulo. ¶ Secundò notandum, quòd hæc peccata circa idem obiectum, si considerentur quatenus vnum est præparatio ad alterum, nulla ratione specie distinguuntur, vt optimè declarat D. Tho. solutione ad tertium. v. g. meditatur quis de fornicatione admittenda; deinde sollicitat mulierem; tãdem adhibet manus ad opus: vniuersa hæc peccata sunt vnum peccatum. Item cùm quis cupiens occidere hominẽ se armat, parat gladium, occidit: omnia hæc vnum peccatum reputantur. Cæterùm si hæc peccata considerentur quatenus peccator ex sua intentione sistit in vnoquoque illorum, tunc sunt distincti gradus peccatorum, & dicuntur quadam ratione differre specie imperfectè. v. g. delectatur quis in turpi cogitatione, nec vltrà progreditur; hoc est peccatum cordis:

cordis: rursus alius delectatur in loquutione impudica, nec vltrà se extendit; est peccatum oris: sed si perpetrat, est peccatum operis, quæ quidem specie non distinguuntur, sed intentione operantis. Hæc est explicatio D. Tho. licèt D. Hieron. non loquatur tam strictè sicut D. Tho. tantùm enim videtur constituere tria prædicamenta ad quæ omnia peccata possunt reduci.

ARTIC. OCTAVVS.

¶ *Vtrùm superabundãtia & defectus diuersificent peccatorum species.*

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Concluſio est affirmans. Nã in peccato duo sunt; ipse actus volitus, & inordinatio prout receditur ab ordine rationis, & legis diuinæ. At species peccati non attenditur ex parte inordinationis, quæ est præter intentionem peccantis; sed magis ex parte ipsius actus, secundum quòd terminatur ad obiectum in quod fertur intentio peccãtis: quare vbicunque occurrit diuersum motiuum inclinans intentionem ad peccandum, ibi est diuersa species peccandi. Cum ergo non sit idem motiuum ad peccandum in peccatis quæ sunt secundum superabundantiã, & in peccatis quæ sunt secundum defectũ; imo sunt motiua contraria, vt motiuum in peccato intemperantiæ est amor delectationum corporalium; & in peccato insensibilitatis motiuum est odium earum; & ideo ista peccata non solùm differunt secundum speciẽ, sed sunt etiã cõtraria.

EXPLICATIO ARTICVLI.

IN hoc articulo notandum id quod suprà memorauimus contra Scotũ, scilicet peccata non distingui specie ex auersione, sed ex conuersione: si enim distinguerentur specie ex auersione & priuatione, certè auaritia & prodigalitas essent eiusdem speciei: priuant enim rectitudine eadem liberalitatis: distinguuntur itaque ex conuersione ad obiecta. ¶ Pro cuius articuli elucidatione notandũ ex Caie. id quod sanctus Tho. dicit, quòd intemperantia oritur ex amore delectationum; insensibilitas ex odio earum: vnde non videtur ponere obiecta, nec motiua contraria, sed actus. Sed intelligendũ, quòd intemperantia oritur ex delectatione amabili: insensibilitas ex delectatione exosa. Hoc est verum; quia vnus fertur in delectationem tanquam in bonum, alius verò tanquam in malum. Dubia quæ circa hunc articulũ moueri poterant, articulo sequenti satis elucidabuntur. Vide solutiones argumentorum, & videndus est Caie. solutione ad tertium. Caieta.

ARTIC. NONVS.

¶ *Vtrùm peccata diuersificentur specie secundum circunstantias.*

SVMMA TEXTVS.

Prima cõc. PRima Concluſio. Quãdo est idem motiuum peccandi, circũstantiæ non faciunt diuersitatem speciei: vt illiberalis propter inordinatum appetitum pecuniæ accipit quando non oportet, & plus quàm oportet: & talium circunstantiarum corruptiones non diuersificant speciem, sed ad vnã & eandem pertinent. ¶ Secunda Concluſio. Quando proueniũt ex diuersis motiuis, quia motiuũ ad peccandum est finis & obiectum, tales corruptiones circunstantiarum diuersas peccati species constituunt: vt si quis præpropere comedit, potest hoc prouenire, quia non potest ferre dilationem cibi propter facilem consumptionem humiditatis: si verò appetit immoderatum cibum, potest hoc cõtingere propter virtutem naturæ potentem ad conuertendum multũ cibum; Secunda.

cibum: ſi autem appetit cibos delitioſos, contingit propter delectationem in cibis exiſtentem.

EXPLICATIO ARTICVLI.

DE hac quæſtione; quæ nam circunſtantia conferat nouam ſpeciẽ actibus humanis; diſſeruimus ſuprà q. 18. artic. 3. præcipuè articu. 10. & 11. Sed contra definitionem huius articuli arguitur. ¶ Nam furari in loco ſacro eſt ſacrilegiũ, licèt is qui furatur de loco ſacro nollet quòd eſſet in loco ſacro; vel qui culpabiliter ignorat eſſe locum ſacrum; & ſi ſciret, doleret quòd eſſet in loco ſacro: & tamen hæc circunſtantia loci ſacri non eſt volita, nec tranſit in rationem obiecti: ergo ſententia D. Thom. eſt falſa. ¶ Secundò, qui adulterium committit cum vxore aliena, nolens quòd eſſet aliena, & dolens quòd eſſet aliena, certè adulterium committit; & tamen hæc circunſtantia non eſt volita, nec trãſit in rationem obiecti: ergo. ¶ Ad hoc dico, dupliciter circunſtantiam eſſe volitam, & tranſire in rationem obiecti: Vno modo formaliter; vt cùm quis dicit; volo furari de loco ſacro, voloque quòd ſit in loco ſacro: Alio modo interpretatiuè, & virtualiter; vt cùm quis dicit; ego nollem furari in loco ſacro, ſed quoniam alibi non inuenio, volo furari de loco ſacro: aut quando quis vincibiliter ignorat eſſe locum ſacrum. Et in vtroque caſu, circunſtantia confert nouam ſpeciem. Et quòd in primo caſu det, patet: quòd verò det in ſecundo, probatur. Nam quamuis nolit, omnibus tamen circunſtantijs conſideratis abſolutè vult furari de loco ſacro: ergo abſolutè committit ſacrilegium. Etiam probatur quando ignorat culpabiliter. Nam iſte tenetur cauere furtum de loco ſacro, & non facit: ergo imputatur ſibi ad ſacrilegium. Quapropter cùm inquit D. Tho. eam circunſtantiam dare ſpeciem nouam, quæ eſt volita, & tranſit in rationem obiecti; interpretãdus eſt, quòd ſit formaliter, vel interpretatiuè volita. Ex quo ſequitur, omne peccatum quod procedit ex ignorantia culpabili, contineri in ſpecie, ac ſi procederet ex certa ſcientia. ¶ Sed contra hanc definitionem ſic argumentor. Id quod eſt per accidens, & præter intentionem operantis, non conſtituit ſpeciem in actibus humanis, vt ſæpe dictum eſt: ſed iſtæ circunſtantiæ ſunt præter intentionem operantis: ergo non dant ſpeciem. Et confirmatur. Nam hac de cauſa auerſio à lege diuina non conſtituit in ſpecie peccatum, quoniam eſt præter intentionem operantis: & idem eſt de reatu & obligatione ad pœnã. ¶ Secũdò, ſequitur ex hac definitione, quòd qui accederet ad mulierem volens quòd non ſequeretur mors ſpiritualis mulieris, peccaret peccatum duplex; alterum (quod eſt planiſsimum) contra caſtitatem; alterum, contra charitatem proximi: nam huic peccato eſt coniuncta ſemper mors ſpiritualis mulieris, & vult illam interpretatiuè: & hoc ſatis apertum eſt ſufficere ad dandam nouam ſpeciem: ergo. ¶ Item ſequitur, quòd qui fornicaretur, ſemper peccaret geminum peccatum; vnum contra caſtitatem; alterum contra obediẽtiam: omni namque peccato ex neceſsitate eſt coniuncta inobedientia ſuperioris, quæ eſt volita virtualiter; & hoc ſatis eſt vt det nouam ſpeciem: ergo. Confirmatur. Nam ſi quis formali intentione fornicaretur, vt eſſet inobediens prælato, certè committeret duplex peccatum: ergo ſi interpretatiuè vult tranſgredi præceptum ſuperioris fornicando, etiam peccaret duplex peccatum. ¶ Ad primum dico, quòd iſtæ circunſtantiæ ſunt interpretatiuè volitæ, & tranſeunt in rationem obiecti, quæ ſecum afferũt nouam deformitatem ad rationem; & ideo dant nouam ſpeciem: auerſio verò, licèt ſit interpretatiuè volita, non tamen tranſit in rationem obiecti; & ſic non dat nouam ſpeciem. ¶ Ad ſecundum, & tertium dico, quòd iſtæ circunſtantiæ ſunt generales omni peccato & ideò nouas ſpecies peccatorum non conferunt. Generale namque eſt omni peccato quòd ſit contra charitatem, & quòd in omni peccato ſit inobedientia præceptorum: ſecùs eſſet ſi quis in caſu ſecũdi argumẽti ad mulierem accederet, eo propoſito formaliter, vt mulier periret ſpiritualiter in ſempiternum: nam certè tunc duplex peccatum peccaret; alterum contra caſtitatem; alterum contra charitatem, quæ ſpeciali præcepto mandat ne alteri velimus damnum ſpirituale. Item in caſu tertij argumenti eſſet etiam duplex peccatum; vt ſi quis fornicaretur formaliter, ea intentione vt tranſgrederetur præcepta maiorum, peccaret tunc & contra caſtitatem, & contra obedientiam, quæ ſpeciali præcepto præcipit, ne quis maiorũ præcepta contẽnat. ¶ In hoc articulo ſolet alia diſputari quæſtio; Vtrùm circunſtantia temporis ſacri nouam conferat ſpeciem? Sed hæc quæſtio habet propriam ſedem. 2. 2. quæſtione. 122. articulo. 4. vbi negatiuè reſpondetur. Solet etiam alia per tractari quæſtio, vtrùm iſtæ ſpecies gulæ quas ponit D. Tho. in hoc articulo pro exemplo, ſufficienter diſtinguantur per has circunſtantias, præpropere, nimis lautè, ardenter, ſtudioſe. Sed hæc quæſtio pertinet ad. 2. 2. q. 148. arti. 4.

Veritas articuli diſcutitur.

Primũ arg.

Secundum

Dupliciter circunſtantia volita eſt.

Arguitur contra ſolutionem.

Primũ arg.

Confir.

Secundum

Solutio.

Ad primũ.

Ad ſecũdũ, & tertium.

De circunſtantia temporis ſacri.

Circunſtantiæ gulæ.

Distributio peccatorū in diuina scriptura.

articulo. 4. In fine huius quæstionis notandum, quòd in diuinis scripturis apertissimè distribuuntur peccata, in peccatum originale, mortale, & veniale: ac etiam fit mentio de peccato in Spiritum sanctum, de peccato ad mortem, de peccatis in cœlum clamantibus; quæ omnia peccata non distinguuntur specie, sed tantùm significant diuersos status, & conditiones varias peccatorum.

QVAESTIO LXXIII.

De cõparatione peccatorum ad inuicem; in decem articulos diuisa.

ARTIC. PRIMVS.

¶ Vtrùm omnia peccata sint connexa?

SVMMA TEXTVS.

Conclusio.

Concluſio eſt negãs: cuius rei ſunt tres demonſtrationes. Prima eſt, quoniam quædam peccata ſunt contraria; vt prodigalitas & auaritia; audacia & puſillanimitas: contraria verò ſimul inesse non possunt. Secũda est, quia intentio peccantis non est discedere à regula rectæ rationis, sed tendere in aliquod bonum appetibile: bona autem appetibilia propter quæ homo recedit à regula rectæ rationis, non sunt connexa: ergo neque peccata cõnexa sunt. Consequẽtia inde probatur: nam peccata constituũtur ex obiectis, ad quæ peccans conuertitur. Tertia est, quia peccatum non committitur ex eo quòd homo recedit à multitudine, & accedit ad vnitatem (sicut in actibus virtutũ accidit) sed potiùs ex eo quòd recedit ab vnitate ad multitudinem: ergo non est necesse quòd peccata sint connexa.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Quædam peccata habẽt inter se colligationem.

QVOD omnia peccata non sint cõnexa, euidens est ex ratione naturali, & ex sacra scriptura: cum hoc tamen rectè cohæret, quòd aliqua peccata habeant inter se colligationem & vinculum. Primò, quando in vno actu sunt multæ deformitates; vt in adulterio est vna deformitas contra iustitiam, & alia contra castitatem. Præterea, quando vno opere transgredimur diuersa præcepta, contra diuersas virtutes; vt quando monachus fornicatur, peccat tum contra castitatem, tum contra votum religionis. Tertiò, quando vnum peccatum trahit ad alterum; veluti ex ebrietate nascitur impudicitia, & ex superbia inuidia, & ex septem vitijs capitalibus numerosa proles peccatorum. Qua ratione dicunt sancti Patres, vniuersa peccata inter se esse cõnexa; nominatim Gregor. D. Thom. non loquitur contra sanctos Patres; eius enim doctrina absolutè est vera: non enim oportet vt qui habet vnum peccatum, ex necessitate habeat omnia peccata. ¶ In solutione primi exponit D. Tho. illam difficilem sententiam Iacobi. 2. Qui offendit in vno, factus est omnium reus. Prima expositio est, quòd per illud vnum delictum, intelligit illud vnum magnum & graue delictum, quo contra legem charitatis Dei, & proximi, & contra legislatorem, non ex humana fragilitate, sed ex legislatoris contemptu peccatur; aduersus quam charitatem, ac legislatorem si quis crimen admiserit, meritò totius legis fit reus; quia plenitudo totius legis est charitas, & in ea tota lex pẽdet. Itaque hunc locum exposuit Augustin. dicens; Qui offenderit in vno, factus est omniũ reus. Quid est hoc vnum, nisi illud quod Apostol. dicit; Omnis lex in vno sermone completur. Diliges Dominum tuum, & proximum tuum sicut te ipsum? & alibi ait; Qui in vno offenderit, fit omnium reus, si contra charitatem facit, vnde tota lex pendet: reus enim fit omnium faciendo contra eam, in qua pendent omnia. Ex quibus apparet, eius sententiæ veritatem non contra omnes peccatores qui in alio offendunt promulgari, sed contra eos solùm, qui legem charitatis, atque eius legislatorem Deum ex contemptu & despectu legis, atque legislatoris, non carnis fragilitate, sed malitiæ ac malignitatis iniquitate offendunt. Rursus iuxta Cyrilli expositionem dici potest, eos qui in vno defecerint, pronunciari totius legis reos: non quia puniantur de cæteris præceptis quæ obseruarunt, tanquam si ea transgressi fuissent (hoc enim iniquũ esset omnino) sed quia propter vnius mandati transgressio-

D.Gre. 31. mora. c. 31. D.Tho.

Exponitur quomodo offendẽs in vno, fit reꝰ omnium.

Auguſt ſer mone 4. de tempore.

Epiſto. 29. ad Hiero.

Cyrillus.

greſsionem priuabuntur æterno præmio, non aliter quàm ſi omnia diuina præcepta contemp ſiſſent. D. Thom. ab hac interpretatione non admodum diſcrepans, ait, peccatorem in vno deficientem, reum fieri omnium mandatorum; ea ratione, quia in vnius tranſgreſsione illum ipſum contemnit, qui omnium præceptorum eſt autor. Alia expoſitio eſt Burg. in illum locum; Condemnauit, inquit D. Iacobus, errorem Phariſæorum, ſcilicet quòd ſi quis ſeruauerit maiorem partem legis, licèt in alijs mandatis laberetur, Deus non imputabat illa peccata propter maiorem obſeruantiam legis. Iſte error eſt condemnatus in ſcripturis ſanctis: dicitur enim; Maledictus homo qui non permanſerit in ſermonibus vniuerſis huius legis: &, In quacũq; die iuſtus ſe auerterit à iuſtitia, & fecerit iniquitatem, in peccato ſuo morietur.

Burgenſis.

Deuter. 27.

Ezec. 18.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ *Vtrùm omnia peccata ſint paria.*

SVMMA TEXTVS.

Concluſio.

COncluſio eſt negans: quãuis Stoici dixerint contrarium, qui decipiebãtur ex hoc, quòd conſiderabant peccatum ex parte priuationis tantùm, & ſic illã non ſuſcipere magis & minus. Sed ſciẽdum eſt, duplex eſſe priuationis genus: Vna priuatio eſt pura & ſimplex, quæ conſiſtit in corruptum eſſe; vt mors eſt priuatio vitæ; & tenebræ priuatio luminis: & hæc non recipit magis & minus; quia nihil eſt reſiduum de habitu oppoſito. Alia eſt priuatio nõ ſimplex, ſed aliquid retinens de habitu oppoſito; quæ priuatio magis conſiſtit in corrũpi, quàm in corruptum eſſe; ſicut ægritudo quæ priuat debitam commenſurationem humorum; remanet tamen aliquid eius, alioquin animal non eſſet viuum: & hæc priuatio recipit magis & minus; quia multum refert ad ægritudinẽ, vtrùm plus vel minus recedat à debita humorum commenſuratione. Sic ergo dicẽdum eſt de peccatis: ita enim in eis priuatur debita commenſuratio rationis, vt non tollatur ordo rationis; alioqui malum ſi ſit integrum, deſtruit ſeipſum; nam non poſſet remanere ſubſtantia actus, vel affectio agentis, niſi aliquid remaneret de ordine rationis. Vnde multum intereſt ad grauitatem peccati, vtrùm plus vel minus recedatur à rectitudine rationis. Non ergo peccata ſunt paria; ſed ſicut vna ægritudo eſt grauior alia, & tantò grauior, quantò magis tollitur debita commenſuratio humorum per commenſurationem prioris principij: ſicut ægritudo quæ prouenit in corpore humano ex corde, quod eſt principiũ vitæ, vel ex aliquo quod appropinquat cordi, eſt periculoſior: ita peccatum tantò eſt grauius, quantò deordinatio contingit circa aliquod principiũ, quod eſt prius in ordine rationis.

Duplex priuatio.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Peccata inæqualia ſunt.

QVod chriſtianis debeant peccata iudicari inæqualia, hoc eſt inæqualis malitiæ, offenſæ, & demeriti, fit euidens ex loco Matth. 5. vbi docet Saluator, diuerſis peccatis diuerſas conſtitutas eſſe pœnas, eaſque multùm inæquales. Item ex eo quod dicit; Omne peccatum & blaſphemia remittetur hominibus: ſpiritus autem blaſphemiæ non remittetur: & quicunque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei: qui verò dixerit contra Spiritum ſanctum, non remittetur ei neque in hoc ſeculo, neque in futuro. Itaque peior eſt damnabiliorque blaſphemia cõtra Spiritum ſanctum, quàm blaſphemia contra filium hominis. Tertiò ex eo quod dicit ad Pilatum; Qui me tradidit tibi, maius peccatum habet. Habes quidem

Matth. 5.

dem tu Pilate peccatum, sed maius qui me tradidit tibi. Quartò ex eo quod scribit Apostolus. 1. Corin. 5. Omnino auditur inter vos fornicatio, qualis nec inter gentes. Inter gentes quidem inuenitur fornicatio; at non tanti sceleris quàm est illa, qua quidam inter vos habet vxorem patris sui: quapropter eum qui operatus est eiusmodi, tradidi Satanæ præ alijs peccantibus inter vos. ¶Sed dices; vnde igitur ratio istius inæqualitatis? Respondetur, ex modo quo contra Deum est: quia vnum magis repugnat beneplacito Dei, quàm aliud. Quod testantur minæ grauissimæ, quibusdam, non omnibus mandatis superadditæ. Secundò, ex natura deuiationis: quoniam licèt omnis deuiatio à via est error; tamen in vna est error multò maior quàm in alia; eò quòd vna facit lõgiùs recedere à termino intento, quàm alia: ita omnis quidem auersio à lege est peccatum, sed quia vna longè magis elongat à Deo, quàm alia, ideo vnum peccatum longè grauius est alio. Sicut etiam omnis recessus à proportione quatuor humorum in corpore humano est infirmitas, verùm quia vnus recessus maior est alio, disturbans magis dictam proportionem, magisque vitians noxijs materijs naturam ne regressus fiat ad debitam proportionem, ideo vnus morbus maior est, & periculosior, ac diuturnior alio. Sic est de peccatis; quoniã vnum plus alio inuertit affectum, magisque obscurat ac vulnerat vires animæ quò minùs possit se conformiter habere ad legem Dei. Tertiò, ex qualitate eius in quo peccatur: quia agibilium vnum est sacratius alio; vnum alio magis aut minus necessarium vsibus humanis: vnum denique magis contra naturam, & omnem eius honestatem quàm aliud. Hinc sacrilegium grauius peccatum est quàm furtum: & simonia detestabilior quàm vsura: sodomia multò abominabilior quàm fornicatio. Quartò, ex diuersa dispositione peccantium: quia alij peccant ex destinata malitia; alij ex infirmitate. Eundem itaque actum peccati fecerunt Pilatus & Iudæi condemnantes Christum iniustè: attamen Saluator respondendo Pilato, pronuntiat, Qui me tradidit tibi, maius peccatum habet; quia illi certa scientia, & destinata malitia faciunt; tu verò infirmitate. Alij insuper per ignorantiam; alij ex certa scientia; quorum hoc criminosius est, quàm illud, iuxta sententiam Saluatoris dicentis; Seruus sciens voluntatem Domini sui, & non faciens plagis vapulabit multis: qui autem non cognouit, & facit digna plagis, vapulabit paucis. De qua re videndus est D. Gregor. Quintò, surgit peccatorum inæqualitas ex diuersitate nocumenti quod peccando inferimus: quod

Vnde ratio inæqualitatis peccatorum.

Greg. lib. 25. mor. c. 16.

euidenter demonstrat sententia Saluatoris dicentis; Ego autem dico vobis, quoniam omnis qui irascitur fratri suo, reus est iudicio: qui autem dixerit fratri suo Racha, reus erit concilio: qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis. Grauius itaque peccatum est postremum, quàm duo priora. Vnde grauissima peccata sunt hæresis, & schisma, quia summè nocent in his, sine quibus salus esse non potest. Quòd autem cæteris peccatis grauius sit scandalizatio pusillorum, seu seductio innocentis, testatur Saluator dicens; Qui scandalizauerit vnum de pusillis his, expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Et sicut diuersa æstimatio eius in quo fit nocumentum, auget vel minuit iniquitatem peccati: ita & diuersa quantitas nocumenti: alia quoque & alia dignitas personæ cui infertur nocumentum. Vnde criminosissimum peccatum erat traditio, qua Iudas tradidit Christum, vti bene explicatur Matth. 26. & grauius est crimen læsæ maiestatis, quàm contumelia in plebeium. Porrò omnium grauissimum est rebellare Deo, vt Deus est; aut blasphemare Spiritum sanctum, vt sanctus est, & sanctificator hominum. Verùm non ita enormis censetur blasphemia contra filium hominis in humana natura apparentem, prout patet ex dicto Saluatoris; quia procedit ex infirmitate humani iudicij, cui difficillimè suaderi potest, vnam eandemque personam Deum esse & hominem. Ex his constat conclusionem D. Thom. esse certam & irrefragabilem. Matt. 26. Matth. 12.

¶Sed circa probationem D. Tho. dubitatio est: nam quæstione præcedenti, articulo. 2. dixit D. Thom. hoc distare inter peccatum mortale & veniale, quòd mortale funditus tollit vitæ principium; veniale verò minimè: hîc verò dicit, quòd vnum mortale delictum magis destruit principium vitæ quàm aliud: ergo sibi contradicit. Ad hoc dicendum est, quòd peccatum mortale potest comparari ad duplex principium vitæ: vno modo ad principium vitæ quasi formale, vt est gratia & charitas, per quam vnimur Deo: & hoc principium funditus tollit peccatum mortale; & de hoc loquebatur D. Tho. quæstione præcedenti. Aliud principium vitæ, & quasi effectiuum, est humana ratio, quæ dirigit nostras operationes; & hoc principiũ perturbat mortale peccatum, non tamen funditus tollitur à peccato mortali: & de hoc principio loquitur hîc in articulo: & sic conciliatur D. Thom. Exponitur cõtradictio apparẽs in D. Tho. Duplex principiũ vitæ.

¶Dubitatur præterea; Vtrùm auersio quæ est in peccatis mortalibus, sit omnino æqualis? Ratio dubitandi est. Nam auersio est priua- Vtrũ auersio peccatorũ sit æqualis.

tio; & priuatio non ſuſcipit magis & minus. Reſpondetur negatiuè. Ita reſpondet Sanctus
D.Tho. Thomas in.2.2.quæſtione.10.artic.3.& in hac quæſtione artic. 3. ad ſecundum. & probatur. Nam auerſio ſequitur conuerſionem; ſicut ex pulſio frigiditatis ſequitur calefactionem: ergo quò peior fuerit conuerſio, deterior erit auerſio. ¶Præterea, priuationes quæ cõſiſtũt in priuari,& non in priuato eſſe,ſuſcipiunt magis & minus; vt ægritudo,turpitudo, deuiatio à via:ſed auerſio in peccatis conſiſtit in priuari, & non in priuato eſſe,vt optimè declarat S.Tho. in articulo: ergo ſuſcipit magis & minus. ¶Tertiò,omnes priuationes, quæcũque ſint illæ, ſic ſe habent, quòd vna eſt deterior altera:vt mors cæcitate; cæcitas ſurditate: ergo licèt peccata eſſent priuationes ex parte auerſionis,alia alijs eſſent deteriora. ¶Quartò, abſurdum eſt aſſerere ita auerſum eſſe à Deo qui furatur,ſicut qui eſt hæreticus, aut apoſtata:item abſurdum eſt aſſerere ita auerſum eſſe à Deo qui furatur,ac ille qui habet conſuetudinem furandi.

Dubitatio. ¶Sed dubiũ eſt; Quid eſt quod dicit D.Tho. quòd priuationes quæ conſiſtunt in priuari, & non in priuato eſſe,non auferunt totum bonum oppoſitum?vt ægritudo quæ tollit commenſurationem humorum; ita tamen tollit, vt aliquid eius permaneat. Ita cenſendum eſt de peccato. Hoc videtur falſum. Nam actus intemperantiæ omnino tollit bonum oppoſitum,quod eſt bonum temperantiæ;& infidelitas omnino diſsipat lumen fidei, quamuis non tollat bonum actionis humanæ; quoniã eſt ſubiectum:ſicuti nulla priuatio tollit ſuum ſubiectum. Hoc dubiũ explicat optimè Caie.
Caiet. ſuprà q.18.art.8.vide illum.

Neque macula eſt æqualis in peccatoribus, neque pœna dãni illis retributa. ¶Dubium præterea eſt; Vtrùm macula in peccatis ſit omnino æqualis? Reſpõdetur, de fide eſt quòd non ſit in omnibus peccatis æqualis, vt patet ex teſtimonijs ſcripturæ ſuperiùs poſitis. Sed nunquid pœna damni, hoc eſt carentia diuinæ viſionis, quæ correſpondet omnibus peccatis mortalibus,ſit in omnibus æqualis? Reſpõdetur quòd nõ: nam pœna dãni eſt grauiſsima pœna,& iniuſtũ eſſet,quòd inęqualibus delictis, æqualis correſponderet pœna.

ARTIC. TERTIVS.

¶Vtrùm grauitas peccatorum attenda tur ſecundum obiecta.

SVMMA TEXTVS.

Concluſio. ¶Concluſio eſt. Differentia grauitatis quæ attenditur penes obiecta, eſt principalis, quaſi conſequens ſpeciem. Cuius rei duplex probatio eſt:altera; quoniam ſpecies peccatorum ex obiectis ſumitur: ergo quò fuerit peius obiectum,malitia peccati in ſua ſpecie peior erit. Altera eſt; nam ratio ordinat omnia in agibilibus ex fine; & ideo quantò ex altiori fine peccatum contingit in actibus humanis, tantò grauius peccatum eſt: ſed obiecta actuum ſunt fines eorum, & ideo ſecundum diuerſitatem obiectorum attenditur diuerſa grauitas peccatorũ. Hoc ipſum euidentiùs explicatur. Nam res exteriores ordinantur ad hominem ſicut ad finẽ; homo verò ad Deũ: quare peccatũ quod eſt circa ſubſtantiam hominis; vt homicidiũ; grauius eſt furto, quod eſt circa res exteriores: ſed grauiora peccata ſunt infidelitas, & blaſphemia, quę immediatè committuntur contra Deum.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Durand. IN explicationem huius articuli, & ſequentiũ, notandũ eſt ex Durãdo in.2.d.42.q.8. quòd tribus modis peccata comparari poſſunt in grauitate. Primo modo peccata diuerſorum generum, quantum ad auerſionem; vt peccatum mortale & veniale. De hac comparatione nõ agit D.Tho.in præſentia:ſtatuit enim pro certo ex dictis, peccatum quodcunque mortale excedere in infinitum peccatum veniale, vel maximum. Secundò comparantur peccata diuerſarum ſpecierum ex parte obiecti; vt homicidium cum furto. Denique comparantur peccata eiuſdem ſpeciei ex varijs circunſtantijs; vt furtum magnum & paruum. De his duobus modis agit hic D. Tho.& ſic eſt prima cõcluſio. ¶Grauitas peccatorum variatur ſecundum obiectum. Itaque peccata quæ ſunt immediatè contra Deum, ſunt grauiora: nam in corporalibus illæ ægritudines grauiores ſunt, quæ magis tangunt cor, quod eſt principium vitæ:

Triplicitèr comparari poſſunt peccata in grauitate.

Prima cõcl. Peccatorũ grauitas variatur ex obiecto.

vitæ: sed in moralibus Deus est principium vitæ nostræ; est enim finis vltimus: ergo. In peccatis verò quæ sunt contra proximum, primum locum habet homicidium: nam ad vitam hominis omnia ordinantur: deinde fornicatio, qua homo peccat in corpus suum: tertiò, furtum quod circa res alienas versatur.

Secũda cõ. ¶Secunda conclusio. Grauitas ex obiecto est principalis, & substantialis; grauitas verò ex

An peccatũ grauius ex obiecto sit absolutè magis malum. circunstantijs, accidentalis est. Sed vt hæc secunda conclusio explicetur, dubitatio est; vtrùm peccatum quod grauius est ex obiecto, sit simpliciter & absolutè magis malum: an potiùs possit superari ex circunstãtijs? Quæstio ergo est; vtrùm homicidium omne sit grauius quocunque furto. Reperies quosdam discipulos D. Tho. asserentes, omne peccatum ex obiecto grauius simpliciter esse, nec posse ex circunstantijs superari: quod falsissimum est. Sunt enim quædam peccata minus grauia ex obiecto, quæ ex circunstantijs sunt grauiora: maius enim delictum est furari totum ærarium Reipublicæ, aut Regis, quàm occidere hominem plebeium. Præterea, maius delictum est illustrem personam de crimine hæresis, aut proditionis infamare, quàm occidere hominem plebeium: atque adeò grauius occidere quatuor, quàm blasphemare semel

Quomodo exponẽdus sit D. Tho. nomen Christi. Itaque sententia D. Thom. ex parte obiecti exponenda est, cæteris paribus; quod etiam videre est in naturalibus: aurum enim pretiosius est quàm argentum: cæterùm tantum argentum potest accumulari, vt pluris æstimetur quàm aurum. Item coruus viuit magis quàm homo: cæterùm coruus qui ex intempestiua morte demoritur, non viuit magis quàm homo. Ita in moralibus, licèt blasphemia suapte natura, & ex obiecto sit grauius peccatum, quàm homicidiũ; tamẽ tantũ potest crescere ex alijs circunstantijs homicidium, quòd exuperet peccatum blasphemiæ. An verò periurium, non solùm suapte natura, & ex parte obiecti simpliciter & absolutè sit grauius delictum, quàm quodcunque contra proximum commissum, quæstio est, quæ habet propriam sedem. 2. 2. quæst. de periurio. videnda sunt D. Tho. argumenta & solutiones eorum; & vidẽdus est Caiet. ¶ Sed dubiũ est; Vtrùm Deus peccatum minus malum, grauius prohibere valeat vt sic sit mãius peccatum? Certè in hoc est euidens contradictio; & sic fieri non potest. Nam si peccatum est grauius, tunc obiectum est peius: ergo euidens contradictio est, quòd sit minus peccatum, & grauior offensa corã Deo. Rursus ex alia parte constat quòd sit euidens contradictio: nam si est minus peccatũ: ergo minus displicet Deo:

Vtrùm minus malũ possit strictius prohiberi à Deo.

ergo non potest grauius offendere Deum. Vnde censeo esse euidentem contradictionem, quòd Deus non odio habeat peccatum, quantum peccatum meretur; vel quòd magis detestetur, quàm sit detestabile, vel quòd minus quàm peccatum promereatur.

ARTIC. QVARTVS.

¶Vtrùm grauitas peccatorum differat secundum dignitatem virtutum quibus opponuntur.

SVMMA TEXTVS.

Prima con. PRima Conclusio. Principaliter & directè maximæ virtuti contrariatur maximum peccatum, quasi maximè ab eo distans in eodem genere: nam ex parte obiecti attenditur maior grauitas peccati, prout in superiori articulo expositum est; sicut attenditur maior dignitas virtutis, cùm virtutes & peccata ex obiectis distinguantur, & speciem sortiantur: ergo maximæ virtuti, maximum vitium opponitur. Dicit enim Aristote. quòd pessimum optimo cõtrarium est: si enim obiectum virtutis est maximum bonum, obiectum vitij contrarij erit maximè rationi contrariũ. ¶Secunda Conclusio. Si consideretur oppositio virtutis ad peccatum, secundum quandam extẽsionem virtutis cohibentis peccatum, quantò virtus fuerit maior, tantò magis elõgat hominẽ à peccato: sicut enim sanitas quantò maior fuerit, tantò etiam minores discrepãtias excludit: sic quantò aliqua virtus fuerit maior, tantò etiam minora peccata cohibet. Et per hunc modum

Ari. 8. Eth. Secunda.

maiori virtuti minus peccatũ opponitur ſecundum effectum.

EXPLICATIO ARTICVLI.

An vera ſit articuli doctrina.

CONtra concluſionem articuli ſic arguitur. In primis ſequitur ex hac cõcluſione, furtum eſſe grauius peccatum, quàm ſit fornicatio: opponitur enim iuſtitiæ, quæ eſt præſtantior virtus quàm temperantia, cui opponitur fornicatio.

Primũ arg.

Secundum

¶ Deinde; Nulla iniuſtitia eſt ita magnum peccatum, ſicut peccatum contra naturam, quod tamen opponitur virtuti temperantiæ. Vt hęc argumenta diſſoluantur, ſemper habeatur ante oculos documentum illud, quod in ſuperiori articulo commemorauimus; cõparationes peccatorum debere fieri, ſi cætera ſunt paria; aliàs ſæpe fallemur iudicantes maius eſſe peccatum, quod minus eſt. v. g. maius peccatum eſt fornicatio quàm furtum aliquod; quanquã fornicatio minori virtuti opponitur. Oportet ergo quòd fiat comparatio, vt appareat quod peccatum maius ſit, quodue minus, inter maxima peccata vtriuſque virtutis; & ſic ſemper erit maius peccatum, quod maiori virtuti directè opponitur. v. g. maximum peccatum contra iuſtitiam eſt, deſtruere rempublicam, aut occidere Regem: & ſic erit maius peccatum, quàm maximum peccatum intemperantiæ, etiam ſi ſit contra naturam. Cæterùm ſi compares maximum peccatum intemperantiæ cũ mediocri, aut minimo iniuſtitiæ, haud dubiè poterit eſſe maius peccatum intemperantiæ: vt peccatum contra naturam maius eſt quàm furtum. Atqui hoc documentum in operibus virtutum diſtinctè & apertè intelligitur eſſe verum. Nam quanquam iuſtitia præſtantior ſit fortitudine, non tamẽ eſt conſequẽs quòd omne opus iuſtitiæ; vt vendere triticum iuſto pretio; excedat omne fortitudinis opus: nam certè maius opus eſt fortiter Rempublicam defendere, quàm vendere mercimonia iuſto pretio. Itaque comparatio virtutum & vitiorum debet fieri maximi ad maximum.

Solutio.

Arguitur contra ſolutionem.

¶ Sed contra hanc doctrinam ſic arguitur. Nam fortitudo eſt maior virtus quàm temperantia, vt

D. Tho.

planè docet D. Tho. ſuprà quæſt. 66. articu. 4. At maximum peccatum quod opponitur fortitudini, non eſt maius peccatum quàm maximum quod opponitur temperantiæ: ergo doctrina ſuperiùs tradita vera non eſt. Probatur minor: nam peccatum ſodomiæ, quod aduerſatur temperantiæ, maius peccatum eſt quàm omnis timiditas, vel audacia, quæ virtuti fortitudinis contraria eſt. Hanc obiectionem poterit quis facilè depellere negando minorem argumenti: maius enim peccatum eſt ſi quis ex audacia temerariè vitam certo periculo exponat, vel ſe interficiat, quàm peccatum ſodomiæ. Quod euidentiùs oſtenditur alio exemplo adhibito. Nam ſi quis metu perculſus fugiat ex bello, ex qua fuga ſequitur reipublicæ calamitas & exitium, maius peccatũ eſt quàm omne peccatum intemperantię. Quòd ſi quis dicat non eſſe maius peccatum, ex eo quòd directè opponitur fortitudini, ſed quia ſequitur magnum detrimentum reipublicæ; pro huius declaratione nouiſſe oportet, quòd fortitudo excellentior virtus eſt quàm temperantia, ex duplici cauſa. Primò, quia verſatur circa maius bonum, videlicet circa vitam propriam tuendam, vel profundendam, ſi neceſsitas ex poſtulauerit: quo fit, vt ſubijciat motus appetitus ſentientis, regulæ & rationi in re difficillima, & maximè ardua: temperantia verò non eſt immediatè circa vitam, ſed circa cibum, & potum, & venerea, quæ ordinantur ad vitam propriam, vel ſpeciei humanæ conſeruationem. Deinde excedit fortitudo temperantiã, quia comparata ad bonum commune, vtilior eſt ex propria ratione: nam nobilius eſt & laudabilius cum periculo vitæ propriæ tueri rempublicam, fidem, religionem & (quod aiunt) pro aris, & focis pugnare, quàm propagare rempublicam per naturalem generationem. Ex his ſequitur, eſſe proprium fortitudinis, & non alienum, neque extraneum, non ſolùm vitam propriam tueri, & pro eius conſeruatione fortiter pugnare, ſed etiam pro ipſa republica, cuius homo eſt pars. Erit igitur peccatum directè contra fortitudinem, non exponere vitam periculo quando tenetur pro republica pugnare. Similiter contra fortitudinem peccabit, qui aggreditur pugnam temerariè cum periculo vitæ; & in multò grauius peccatum labetur, ſi ſit cum periculo reipublicæ. Vnde veroſimile fit, & probabile, maius eſſe peccatum vel timiditatis, vel audaciæ temerariæ in caſibus commemoratis, quàm omne peccatum quod temperantiæ aduerſatur.

Fortitudo excellẽtior tẽperantia.

¶ Sed tamen vt verum fatear, hæc argumenti cõfutatio aduerſatur doctrinæ D. Tho. Nam infrà quæſtione. 84. artic. 4. ad primum inquit, non oportet quòd principalia vitia opponantur principalibus virtutibus: & in. 2. 2. quæſtione. 118. artic. 7. ad primum idem repetit expreſſè. Et quod magis vrget, in. q. 142. articulo. 3. diſtinctè quærit, vtrùm timiditas ſit maius vitium quàm intemperantia; & reſpondet, quòd tam ex parte obiecti, quàm ex parte hominis peccantis grauius peccatum eſt intemperantia quàm timiditas. & ad finem articuli dicit, quòd intemperantia ſimpliciter maius peccatum eſt quàm timiditas. Et prima

D. Tho. docet, non oportere principalia vitia opponi præcipuis virtutibus.

Maius peccatũ temere ſe occidere, quam ſodomia.

ratio

ratio est ex parte obiecti. Nam timiditas refugit pericula mortis, ad quæ vitãda inducit maxima necessitas conseruandi vitam: temperantia verò est circa delectationes, quarum appetitus non est ita necessarius ad vitæ conseruationem; quia intemperantia magis est circa delectationes contrarias homini, quàm naturales. Hinc conficitur tale argumentum. ¶ Quãtò illud quod mouet ad peccandum est magis necessarium, tãtò leuius est peccatum: sed motiuum ad timendum est magis necessariũ, quàm motiuum intemperantiæ: ergo timiditas ex obiecto suo est minus peccatum quàm intemperantia; siquidem ex parte obiecti habet maiorem excusationem. Ex parte verò ipsius hominis peccantis probat D. Tho. tripliciter quòd timiditas sit minus peccatum, quàm intemperantia. Primò, quia timiditas turbat magis mentis iudicium. Secundò, quia minus habent de voluntario quæ fiunt ex timore, quàm quæ fiunt ex delectatione. Tertiò quia contra intemperantiam potest magis de facili adhiberi remedium, quàm contra timiditatem. Nam exercitium circa pericula belli, & mortis, rariùs occurrit; & quando occurrit, periculosè homo exercetur in huiusmodi periculis ad expellendam timiditatem. At verò sine periculo potest homo per totam vitam se exercere circa delectationes concupiscentiæ, illas moderando: quare minus excusationis habet intemperatus quàm timidus. Et ad argumentum illud; Fortitudo est maior virtus quàm temperantia: ergo timiditas, quæ est vitium oppositum fortitudini, maius est peccatum quàm intemperantia, si vera est doctrina quam in hoc articulo D. Tho. definit dicens, maiori virtuti maius vitium esse oppositum. Caiet. Respondet Dominus Caietanus in. 2. 2. loco dudum citato, quòd excellentia fortitudinis supra temperantiam potest dupliciter considerari; Vno modo ex parte finis, quod quidem pertinet ad rationem boni; & ex hac parte timiditas est peior quàm intemperantia; quia sicut fortitudo magis ordinatur ad bonum commune, quàm temperantia; ita timiditas magis destruit bonum commune, desistendo à defensione illius quando oportebat, quàm ipsa intemperantia. Alio modo considerari potest ex parte difficultatis, inquantũ difficiliùs est subire pericula mortis, quàm abstinere à quibusdã delectationibus: & quantum ad hoc, non oportet quòd timiditas excedat intemperantiam; quia sicut est maioris virtutis non vinci à fortiori, ita minoris vitij est vinci à fortiori. Illa enim maxima, & veluti certa sententia; Pessimum optimo opponitur; non semper est vera simpliciter loquẽdo, sed quantum ad rationem per quam opponitur maiori bono id quod dicitur esse peius. Et quia timiditas opponitur fortitudini solùm ex illa parte secundum quam fortitudo ad bonum commune ciuitatis ordinatur, ideo timiditas non est simpliciter maius vitium quàm intemperantia, sed solùm quantum ad finem fortitudinis. ¶ Nos verò duo dicimus circa de cisionem huius difficultatis. Alterum est, esse probabile satis, quòd omnibus pensatis, sit maius peccatum intemperantia, quàm timiditas, propter rationes D. Tho. in. 2. 2. quæstione 142. Et ad argumẽtum nostrum, quòd est maius peccatum fugere periculum vitæ ex timiditate quando oportet pugnare pro defensione reipublicę; Respondetur, quòd tunc quidẽ erit maius peccatum timiditas, sed non ex proprio obiecto timoris, sed ex eo quòd simul læditur iustitia, vel charitas erga patriam: intemperantia verò ex proprijs ipsius obiecti aggrauatur, & est maius vitium. Nihilominus dicimus secundò, quòd in doctrina D. Tho. insistendo, nobis probabilius est, quòd timiditas est maius peccatum, quàm intemperantia, propter rationem huius quarti articuli, & propter alias rationes iam factas pro ista sententia. ¶ Et ad dicta D. Tho. in oppositum respondetur, quòd loquitur D. Thom. de vitio principali, ex quo alia vitia originantur, tanquam ex capitali: & de huiusmodi inquit, non oportere quòd opponantur virtutibus cardinalibus principaliter, vt manifestum est: nam iniustitia non ponitur vitium capitale, & tamen est maius peccatum quàm gula. ¶ Ad aliud testimonium. 2. 2. respondetur, quòd simpliciter intemperantia dicitur maius peccatum quàm timiditas; quia ex pluribus aggrauatur, & timiditas ex pluribus excusatur: sed ex ea parte vnde timiditas habet rationem peccati talis speciei, ex obiecto scilicet formali secundum quod directè opponitur fortitudini, simpliciter est timiditas peius peccatum quàm intemperantia; quia priuat maiori bono secundum rectam rationẽ. Comparatio verò illa facta à D. Tho. inter timiditatem ex parte obiecti, & temperantiam, constat quòd non procedit secundum rationem formalem specificam obiecti timiditatis, sed secundum motiuum ad fugiendum periculum ex necessario amore vitæ. Docet enim D. Tho. in. 2. 2. quæstione. 127. articu. 2. ad primum, quòd oppositio vitij ad virtutem non attenditur principaliter secundum causam vitij, sed secundum ipsam vitij speciem; & secundum hanc dicimus modo vniuersaliter, quòd maiori virtuti maius & peius vitium opponitur, licèt aliud vitium possit habere causas alle-

Sententia autoris.

Timiditas maius peccatum intẽperantia.

uiantes. Verum eſt tamen, quòd ſi inueniatur actus contrarius fortitudini cum difficultate magna ex parte obiecti ad quod conuertitur peccans, illud eſſet perfectius oppoſitum, vt patet ex ſolutione ad ſecũdum hìc. Et fortaſſe poſſumus exemplum tale proferre. v.g. ſi quis vt fugiat martyrium ex timore mortis confugiat ad feras, ſiue leones ex eodem periculo vitæ dilaniandus; vel etiam ſi quis vt æſtimetur fortis, mortem oppetat temerè quando non oportet; tunc maius peccatum erit illa audacia, quàm grauiſsima intemperantia: & denique quando aliquis ex timiditate fugit minima pericula mortis deſiſtens à defenſione virtutis, tunc etiam apparet quòd ſit maius peccatum, quàm intemperantia.

Exponitur illa ſententia, optimũ opponitur peſsimo.

¶ In hoc articulo exponit Dominus Caie. illã ſententiam Ariſtot. ex. 8. Ethicor. Optimum peſsimo opponitur: ſed meliùs & exactiùs exponit eam. 2. 2. quæſtione. 142. articu. 3. & Ferrarien. optimè eam exponit. 3. cõtra gen. c. 26. & nos nonnulla diximus ſuprà quæſt. 3. arti. 4. Ex quo loco diſcet Theologus, quomodo eũ non fallat argumentum illud, quod in tractatu de beatitudine fieri ſolet; Odium Dei eſt peſsimum malorum: ergo amor Dei eſt optimum. Sed beatitudo conſiſtit in optimo: ergo in amore conſiſtit. Nam propoſitio illa; peſsimum optimo contrariatur; eſt intelligenda in rebus habentibus contrarium; non autem habet locum in carentibus contrario: lumen autem gloriæ, & viſio beatifica non habent contrarium; & ideo non opponitur illis peſsimũ, cùm tamen ipſa ſint optima bona hominis. Imo hoc atteſtatur excellentia beatitudinis, & luminis gloriæ, quòd contrarium non habeat, ſicut & ipſe Deus eſt optimus, & non habet contrarium; quia ſi quod contrarium haberet, oportebat eſſe ſummũ malũ, quod tñ impoſsibile eſt exiſtere in rerũ natura: nam ſi eſt, iã habet aliquod bonũ in eo quod eſt: vnũquodque enim inquãtum eſt ens, eſt bonum.

ARTIC. QVINTVS.

¶ *Vtrùm peccata carnalia ſint minoris culpæ quam ſpiritualia.*

SVMMA TEXTVS.

Prima cõc.

PRima Concluſio. Spiritualia maioris culpæ ſunt, quàm carnalia, cæteris paribus. Quod per tres rationes patet. Primò, ex parte ſubiecti: nam peccata ſpiritualia pertinent ad ſpiritum, cuius eſt conuerti ad Deum, & ab eo auerti: ſed carnalia conſummãtur in delectatione carnalis appetitus, qui principaliter cõuertitur ad bonum corporale; vnde peccatum carnale plus habet de cõuerſione, & ſpirituale plus habet de auerſione, ex qua procedit ratio culpæ. Secundò patet ex parte eius in quem peccatur: nam peccãs carnaliter, in proprium corpus peccat, quod eſt minus diligẽdum quàm Deus, & proximus, in quos peccatur per peccata ſpiritualia. Tertiò patet ex parte motiui; quia quantò eſt maior impulſus, tantò minus homo peccat: ſed peccata carnalia habẽt maiorem impulſum propter concupiſcentiam carnis nobis innatã: vnde ſunt minoris culpæ. ¶ Secunda Cõcluſio. Peccata carnalia ſunt maioris adhæſionis, ac ſubin de difficilioris curationis. Hæc cõcluſio patet ex dictis. ¶ Tertia Cõcluſio. Peccata carnalia ſunt maioris infamiæ; ſunt enim circa illas delectationes quæ ſunt communes nobis & brutis: vnde quodãmodo per hæc peccata homo brutalis redditur.

Secunda.

Tertia.

EXPLICATIO ARTICVLI.

ISte articulus poſitus eſt ad explicãdum D. Grego. 31. moral. capitu. 31. quem vide. Pro explicatione notandum, eſſe quoſdam homines qui prolabuntur in peccata ſpiritualia; & hi ſunt Dæmones, & difficillimè curantur, & conuertũtur ad Deũ. Alij ſunt qui prolabũtur in peccata carnalia, & hi ſunt bruta, ſed nõ adeò difficilè curantur; vt meretrices, milites. Alij ſunt qui vno & altero genere peccatorum irretiuntur, vt ſuperbi, & luxurioſi: & hi ſunt monſtra hominum, ſemibeſtiæ, & ſemidiaboli; & hi ferè ſunt ſine remedio. Secundò notandũ, quòd quando

Gregor.

Leuius peccatũ, quod eſt ex maiori motiue.

quando homo ex maiori motiuo extrinseco,
2.Reg.11. & ex causa magis impellente peccat, leuius talis peccat. verbi gratia. Narratur. 2. libro Reg. capitulo. 11. quòd Dauid deambulans in solario, &c. illud peccatum leuius fuit quàm si quę
Theologorum propositio. fisset illam, ad peccandum cum illa; & sic verificatur illud axioma Theologorum; Leuius peccat qui accederet ad mulierem pulchram, quàm qui accederet ad mulierem fœdã: quod intellige, quando occurrit oculis hominum, & subitò rapit eius voluntatem: nam si homo quærit mulierem pulchram ad peccandũ cum ea, certè grauiùs peccat: quærit enim magis intensè, & magis voluptuosè peccare.

ARTIC. SEXTVS.

¶ *Vtrùm grauitas peccatorum attenda tur secundum causam peccati.*

SVMMA TEXTVS.

Prima con. PRima Conclusio. Vbi voluntas est maior ad peccãdum, ibi grauior est culpa: est enim volũtas propria & per se causa peccati: vnde comparatur ad peccatum sicut arbor ad fructum. ¶ Secunda
Secunda. Cõclusio. Ex causis extrinsecis & remotis quæ inducunt voluntatẽ ad peccandum secundum naturã ipsius voluntatis, vt finis qui est proprium obiectum volũtatis, augetur peccatum; quia grauius peccat illa volũtas quæ inclinatur ad peccandum ex intentione peioris
Tertia. finis. ¶ Tertia Conclusio. Alię causæ quæ inclinant voluntatem ad peccandum præter naturam & ordinem ipsius voluntatis, quæ per se nata est moueri liberè secũdum iudicium rationis, tales diminuentes iudicium rationis, vt ignorantia; vel diminuentes liberum motum voluntatis, vt metus, violentia, infirmitas, diminuunt peccatum, sicut diminuunt voluntariũ, intantum, quòd si actus esset omnino inuoluntarius, nullam haberet rationem peccati.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Intẽtio volũtatis præ uæ non est de necessitate confessionis semper.

PRO expositione notandũ, quòd licèt intensio volũtatis augeat peccatum, hæc tamen grauitas non est de necessitate cõfessionis communiter loquendo. Primùm, quoniam non facilè cognoscitur. Deinde, quoniam non facilè exprimitur in confessione: quamuis enim pœnitens dicat magno feruore odio habuisse Paulum, non satis explicat intensionem volũtatis: nã in isto feruore est magis & minus. Tum tertiò, quoniam non notabiliter aggrauat: quòd si esset notabilissima intensio; vt si homo amaret mulierem vt Deum, certè esset exponenda in confessione. Tum quartò, quoniam hæc intensio melius explicatur ex alijs circũstantijs, ex consuetudine, ex perseuerantia, &c. Est tamen notãdum, falli turpiter in hac parte Summistas, qui dicunt, hanc circunstantiam non esse necessariò confitendam; quoniã non mutat speciem. Hæc ratio improba est: nam peccatum veniale & mortale sæpenumero non differunt specie, vt ex suprà dictis constat; & tamen hæc differentia explicanda est in confessione. Rursus, furari decem millia aureorũ, & furari decem aureos, non differunt specie, & tamen in confessione magnitudinem furti oportet exponere: ergo regula illa falsa est.

Circunstantiæ nõ mutantes speciem, sæpè exponendę in cõfessione.

An grauius sit occidere hominẽ propter furtũ, an propter odiũ.

¶ Est dubium circa secundam conclusionem; Vtrùm sit grauius peccatum occidere hominem propter furtum, aut propter odium. Ratio dubitandi est: nam hæc circunstantia furti addit peccatum peccato: ergo non excusat. Sed contrà est. Nam quantò finis est leuior, tantò peccatum est leuius: sed furtum est leuius peccatum quàm odium proximi: ergo leuius peccatum est occidere propter furtum, quàm propter odium. Respõdetur, duplex est odium proximi; generale, quod includitur in omni peccato contra proximum cõmisso: & huiusmodi odiũ nõ auget peccatũ homicidij. Quapropter dicẽdũ est, q̃ occidere hominem propter furtũ, grauius peccatũ est quàm occidere hominem propter odiũ. Est aliud odium proximi speciali ratione contra amicitiam & charitatem; & hoc odiũ superat gratitate omnia peccata quæ contra proximũ committuntur. Quapropter dicẽdum est, quòd occidere hominẽ propter odiũ secundo modo, grauius peccatũ est quàm propter furtũ hominẽ occidere.

Duplex odium proximi.

¶ Circa secundũ argumẽtũ D. Tho. obseruandum est, quòd quando passio concupiscentiæ volita est, & sub voluntatis consensu cadit, vbi est maior concupiscentia, est maior

Passio concupiscẽtiæ volita non minuit peccatum.

culpa: vt cùm quis intenſè vult occidere, & in actu occiſionis creſcit ira, grauiùs peccat; ſi verò paſsio concupiſcentiæ antecedit iudicium rationis, diminuit peccatum. Quæ doctrina vt certa ſit, eſt intelligenda per ſe loquendo: neque enim ſemper paſsio antecedens iudicium aliquod rationis excuſat à peccato; quia fieri poteſt vt in aliquo homine ſit maxima negligentia non reprimendi tales paſsiones iam cognitas, vel occaſiones non fugiendi, vbi huiuſmodi paſsiones exardeſcunt. Huius rei exemplum habes Exodi. 21. vbi dicitur; Quòd ſi bos alicuius occiderit hominem, dominus bouis ſit innocens: at verò ſi admonitus fuerat dominus quòd bos eius erat cornupeta ab heri & nudius tertius, & non recluſerit eum, ipſemet dominus præcipitur occidi cum boue. Simile eſt de paſsione quę ex negligentia exoritur, & præualet.

Exod. 21.

ARTIC. SEPTIMVS.

¶Vtrùm circunſtantia aggrauet peccatum.

SVMMA TEXTVS.

Concluſio.

Concluſio eſt affirmãs. Nam cum peccatũ cauſetur ex defectu alicuius circunſtantiæ, quãdo ex hoc receditur ab ordine rationis, non obſeruando debitas circunſtantias, patet per eas aggrauari peccatũ. Quod tripliciter contingit: vno modo, quando circunſtantia trãsfert in aliud genus peccati; ſicut committit fornicationem qui accedit ad non ſuam: ſed ſi addatur hæc circunſtantia, vt ſit alterius vxor, transfertur in aliud genus peccati, videlicet in iniuſtitiam, in quãtum rem alterius vſurpat: vnde adulterium grauius eſt fornicatione. Aliquando tamen circunſtantia non aggrauat peccatum, quaſi trahens in aliud genus peccati, ſed ſolùm multiplicat rationem peccati: vt ſi prodigus det quando non debet, & cui non debet, multipliciùs peccat eodem genere peccati, & ex hoc peccatum fit grauius; ſicut grauior eſt infirmitas quę inficit plures partes corporis. Tertiò aggrauat circunſtantia peccatum, ex eo quòd auget deformitatem prouenientem ex alia circunſtantia; ſicut accipere alienum conſtituit ſpeciem furti; quòd ſi addatur hæc circunſtantia vt multùm accipiat, erit grauius peccatũ: etſi parum vel multũ, de ſe non dicit rationẽ boni vel mali.

Tribus modis aggrauatur peccatũ à circunſtãtijs.

EXPLICATIO ARTICVLI.

DE hoc articulo viſum eſt in ſuperioribus. q. 7. & q. 18. articu. 10. & 11. & in præcedente quæſtione articu. 9. Sed illud habet difficultatem ſpecialem in hoc articulo: nam dicit D. Tho. quòd circunſtantia vxoris alienæ transfert actum in aliud peccati genus, videlicet ad iniuſtitiã; & ſecundum hoc adulterium grauius peccatũ eſt quàm fornicatio. Videtur hoc falſum, & improbabile. Nam adulterium eſt propria ſpecies luxuriæ, vt docet D. Tho. 2. 2. quæſt. 154. articu. 1. ad. 2. ergo eſt ſub eodem genere, ſub quo fornicatio continetur: vnde non continetur ſub genere iniuſtitiæ. Hæc dubitatio facillimè explicatur: non enim eſt inconueniens quòd in eodem actu concurrant duæ malitię, & duæ deformitates diuerſorum vitiorum, & ſic adulterium & luxuria eſt, & iniuſtitia.

Adulteriũ an ad iniuſtitiam pertineat.

D. Tho.

¶Sed obſeruare oportet, quòd adulterium poteſt comparari vel ad genus proprium adulterij, quod eſt luxuria; vel ad ſpeciem aliam ſub eodem genere, ſcilicet ad fornicationem ſimplicem. Si comparetur ad genus, non trãſfert actum ad aliud genus; ſiquidem adulteriũ ſemper eſt ſpecies luxuriæ. Si verò cõparetur ad fornicationem, tunc circunſtantia vxoris alienæ conſtituit aliam ſpeciem diſtinctam à fornicatione, & ſic veriſimè dicitur, quòd illa circunſtantia transfert actum ad aliud genus peccati, id eſt, ad aliam ſpeciem. Verum eſt tamen, quòd ſi in adulterio conſideretur iniuria quæ fit viro cuius eſt vxor, tunc adulteriũ conſtituitur directè ſub genere iniuſtitiæ.

Adulteriũ ad duo cõparari põt.

¶Ad vltimum obſeruare oportet, quòd licèt vitij differentia propria non poſsit explicari niſi ex circunſtantia adiuncta ex altero vitio, ex hoc tamen non licet colligere, quòd differentia

rentia alterius vitij constituat illud formaliter: fornicatio siquidem est speciale peccatũ luxuriæ, tamen eius malitia explicari non potest, nisi per ordinem ad iniustitiam, quæ fit proli nasciturę. Ad eundem modum adulterium est species luxuriæ, propriam habens malitiam vt constituitur sub genere luxuriæ, vt D.Tho. docet D.Tho. vbi suprà articulo. 8. eius tamẽ grauitas explicatur per iniustitiam quæ fit viro cuius est vxor. Ad eundem modum raptus ponitur à D. Thom. species luxuriæ, quando quis per violentiam opprimit virginem, vel fœminam, cuius peccati grauitas explicatur ex violentia, quę ad iniustitiam spectat: accipitur autem vt speciale signum magnitudinis cõcupiscentiæ; & ita ponitur in definitione raptus. Per hunc etiam modum D. Tho. q. 2. de malo, articulo. 6. ponit sacrilegium speciẽ furti; quanquam in. 2. 2. non ponatur inter species furti, neque furtum in specie sacrilegij, sed se habent accidentaliter: furtum enim crescit in grauitate, quando fit in loco sacro ex circunstantia loci sacri.

ARTIC. OCTAVVS.

¶Vtrùm grauitas peccatorum attenda tur secundum maius nocumentum.

SVMMA TEXTVS.

Prima con. PRima Conclusio. Nocumẽtum quod prouenit ex peccato, si est prę uisum & intentum directè, auget grauitatem peccati: vt si quis operatur aliquid animo nocendi alteri vt fur, & homicida, tunc directè quantitas nocumenti auget grauitatem peccati: quia tunc nocumentum est obiectum Secunda. peccati volitum. ¶Secunda Conclusio. Quando nocumentum est præuisum, sed non intentum, indirectè quantitas nocumenti aggrauat peccatum; videlicet si aliquis trãsit per agrum vt occultè vadat ad fornicandũ, & infert nocumentum in segetibus agri sciẽter, licèt non animo nocendi; tunc quantitas nocumẽti indirectè auget peccatum, in quantum ex voluntate inclinata ad peccandum non prętermittit facere damna, quæ scit ex suo opere subsequuturа. ¶Ter- Tertia. tia Conclusio. Quando nocumentum neque est præuisum, nec intẽtum, tunc si per accidens se habet ad peccatum illud, directè nõ aggrauat, sed propter negligentiã cõsiderandi nocumenta quæ consequi possunt, imputantur homini ad pœnam mala quæ eueniũt prę ter eius intentionem, quando dat operã rei illicitæ: vt cùm quis incautè emittit sagittam, & occidit hominẽ, efficitur irregularis; quia dabat operam rei illicitæ, & fuit negligens in sagittando. ¶Quarta Quarta. Conclusio. Si nocumẽtum per se sequitur ex peccato, licèt non sit intentum, neque præuisum, directè aggrauat peccatum: quia quæcunque per se consequuntur peccatum, pertinent quodammodo ad speciem peccati; vt si aliquis pũblicè fornicetur, & sequatur scandalum plurimorũ; tametsi id non intendit, nec fortasis præuidit; directè tamen per hoc aggrauatur peccatũ. ¶Quinta Conclusio. De Quinta. detrimẽto quod incurrit ipse peccans, si nocumentum non est prę uisum, neque intẽtum, & sequitur per accidens ex actu peccati, non auget peccatum: vt si quis currens ad interficiẽdum hominem fortè læsit pedem suum. ¶ Sexta Cõclu Sexta. sio. Si tale nocumẽtũ sequitur per se ex actu peccati, & nõ est præuisum, neq; intẽtũ, nõ facit grauius peccatũ: quin potiùs dicẽdũ est, q̃

grauius

grauius peccatum infert grauius nocumentum homini peccatori; veluti infidelis qui ignorat pœnas inferni, grauius punitur pro peccato homicidij, quàm pro peccato furti; & tunc grauius nocumentum quod incurrit ex homicidio, non facit homicidiũ esse grauius, quin potiùs quia erat grauius peccatum, grauiori pœna punitur.

Septima. ¶ Septima Cõclusio. Grauius peccat fidelis qui scit pœnas inferni, quàm infidelis qui illas ignorat: quia fidelis cõtemnit maiores pœnas vt suam voluntatem peruersam adimpleat.

EXPLICATIO ARTICVLI.

QVÆ hic ab autore in prima & secunda conclusione asseruntur, perspicua sunt, neque explicatione indigent. Sed tertia cõclusio accurata explicatione opus habet; nam ex ea emergunt graues difficultates. ¶ In primis ait D. Thom. quòd quando nocumentum neque est præuisum, nec intentum, si per accidens se habet ad peccatum, directè non aggrauat peccatum; in quo videtur insinuare, quòd indirectè aggrauet, & tunc nulla est differentia inter secundam, & tertiam conclusionem. ¶ Deinde docet D. Tho. quòd propter negligentiam considerandi imputantur homini ad pœnam mala quæ ex peccato sequuntur: ex quo videtur colligi, quòd non imputantur ad culpam; in quo est euidens contradictio. Nam si propter negligentiam imputantur: ergo propter culpam: negligentia enim considerandi, culpa est. Vel enim loquitur D. Thom. de negligentia culpabili, vel inculpabili. Si de culpabili, sicut nocumentum imputatur ad pœnam in iure decretam, sic etiam ad culpam. quod D. Tho. videtur negare. Si de negligentia inculpabili loquatur, sententia D. Thom. ab absurdo excusari non potest: tum, quoniam negligentia semper dicit culpam: tum, quoniam sicut nocumentum, quando est negligentia inculpabilis, non imputatur ad culpam, sic neque ad pœnam. verbi gratia. clericus venatur in nemore alieno; qui proinde dat operam rei illicitæ; & adhibet omnem diligentiam ne sequatur homicidium: infortunio quodam sequutum est, quod nec in se, nec in causa sua est voluntarium: ergo non est irregularis. Probatur consequentia: nam solum homicidium voluntarium inducit irregularitatem, vt planè definitur in Decretalibus, Titulo de homicidio voluntario & casuali. ¶ Præterea docet D. Tho. in tertia conclusione, quòd incurritur irregularitas, quando dabatur opera rei illicitæ. Hoc videtur falsum, & improbabile: nam qui adhibet omnem diligentiam, siue det operam rei illicitæ, siue licitæ; non incurrit irregularitatem: si verò ex negligentia culpabili, siue det operam rei illicitæ, siue licitæ, est irregularis: ergo illa distinctio D. Tho. est nulla. ¶ Ad hoc dubium multi tenent, quòd D. Tho. loquatur de negligentia, quæ nullo modo est culpabilis: dicuntque imputari tale homicidium ad irregularitatem; quia dabatur opera rei illicitæ: ex quo inferunt, quòd illa venatio in clerico si esset licita, non imputaretur homicidium ad irregularitatem. Huius rei rationem non aliter demonstrant, nisi quia ita est in iure decretum. De iure, continuò videbimus. Hanc sententiam habent omnes Canonistæ in capitulo, Dilectus, in capitulo, continebantur, & in capitulo literis. 2. de homicidio volũtario. Subscribit Syluester, verbo homicidium. 2. §. secundo. Conradus in hoc articulo est eiusdem sententiæ. Dominus Caietanus. 2. 2. quæstione. 64. articulo. 8. & ipse D. Tho. in loco allegato ponit istam regulam. Quicunque dat operam rei illicitæ, si sequitur homicidium, est irregularis. Idem docet in addit. ad. 3. p. quæstione. 39. articulo. 4. Hanc sententiam demonstraui esse falsam. 2. 2. loco commemorato. Nunc verò statuuntur tres regulæ. ¶ Prima. Omnis pœna, præter irregularitatem, non incurritur; nisi incidatur in culpam, contra quã decreta est. Hoc patet in excommunicatione, in pœna pecuniaria, &c. v. g. occidit quis hominem ignorans inculpabiliter esse clericum; quia non admisit sacrilegium, non est excommunicatus. Rursus, intendebat quis furari à sacristia, accendit lucernam, adhibuit omnem diligentiam ne sequatur incendium, fortè fortuna vento surgente incendium sequutum est; sicut excusatur iste à peccato incendij, ita excusatur à pœna lata contra incendiarios.

¶ Solùm superest dubium de irregularitate quæ absque culpa solet imputari, vt videre est in iudice, & in milite, & in bello iusto. de qua est secunda regula. Non quicunque dat operam rei illicitæ, est irregularis, licèt sequatur mors. ¶ Tertia regula. Omne homicidiũ casuale, quod nulla ratione est voluntarium, non inducit irregularitatem. Istæ regulæ probantur varijs exemplis. Primum, si clericus deprehensus

Dubiũ circa tertiam conclusionem.

Primũ arg.

Secundum

Tertium.

Quorundã expositio.

Sylueſt. Conradus, Caieta.

Regulæ ad dignoscendũ, an quis irregularitatem propter homicidium incurrerit.

Varia exẽpla in quibus non incurritur irregularitas ex homicidio, facto ab eo qui dat operã rei illicitæ.

henſus in adulterio occidat maritum in propriam deſenſionem, nō eſt irregularis, vt refertur in Clementina vnica, de homicidio voluntario; & tamen dabat operam rei illicitæ. Secūdum, in capitulo, Dilectus, de homicidio voluntario, excuſatur quidam clericus, qui cùm ſedebat equo qui non bene parebat habenis, infortunio quodam occidit puerum; fingamus illum eſſe fratrem Minoritam, cuius regula vetat equitare; non propterea eſſet irregularis, licèt daret operam rei illicitæ. Tertiū, in capitulo, Ex literis. 1. eodem titulo, excuſatur quidam clericus, qui deijciens perticam ex curru inopinatè occidit puerum: fingamus perticam illam fuiſſe furto ſublatam, nō ideo erat irregularis. Quartum, ex capitulo, Ex literis. 2. excuſatur quidam monachus, qui deponens campanam ex campanili, eiecto ligno caſu occidit puerum: ſit caſus, monachū feciſſe hoc opus contra obedientiam, vel in die feſto; certè ex hoc non eſſet irregularis. Quintum, ſi ſcindens arborem alienam fecit omnem diligentiam ne ſequeretur homicidium, infortunio quodam ſubſecutum eſt, nō ſubinde eſſet irregularis, quemadmodum nō eſſet, ſi arbor eſſet ſua. Commemorantur iſti actus in Decretis diſt. 50. capitulo, hi qui arborem. Sextum, ſi clericus, qui venatur in nemore alieno, adhibuit omnem diligentiam ne ſequeretur mors; caſu verò ſubſequuta eſt; certè non eſt irregularis, licèt daret operam rei illicitæ. Omnium horum vna eſt ratio: quoniam in his omnibus caſibus homicidium eſt caſuale, & omninò fortuitum: homicidium verò caſuale haud inducit irregularitatem, vt habetur in capitulo, Dilectus, & in capitulo, Ex literis, primo & ſecundo; & in capitulo, ſignifi caſti, & in capitulo, Ioannes, de homicidio voluntario; & in Decretis diſt. 50. capitulo, quantum, & in capitulo hi qui arborem, & 15. q. 1. capitulo, nec is qui inuictus. ¶ Sed cōtra iſtam ſententiam ſunt varia argumenta. Primò, D. Tho. vbique ſtatuit hanc regulam generalem, quòd qui dat operam rei illicitæ, eſt irregularis ſi ſequatur homicidium: quam etiam colligunt iuriſperiti ex capitulo, Dilectus, & ex capitulo, Ex literis. 2. de homicidio, à contrario ſenſu. Definiunt enim Summi Pontifices quoſdam caſus non imputari ad irregularitatem, quoniam non dabatur in illis opera rei illicitæ: ergo à contrario ſenſu, ſi dabatur opera rei illicitæ, imputabitur ad irregularitatem. Reſpondetur primò, quòd qui dat operam rei illicitæ, ex qua communiter ſequitur mors, eſt irregularis, ſi ſequatur homicidium: vt ſi clericus admoueret ignem machinæ bellicæ in populi frequentia, aut expugnaret arcē, aut vacaret venationi, quæ fit telis & ferocibus armis, ex quibus operibus regulariter ſequuntur mortes; certè imputabitur ad irregularitatem: cæterùm ſi dat operam rei illicitæ ex qua rarò ſequitur mors, & adhibuit omnē diligentiam ne ſequeretur, non imputatur ad irregularitatem; quoniam eſt omnino caſualis ſi aliquando mors ſequitur. Dicitur ſecundò, qui dat operam rei illicitæ, in qua directè vel indirectè vult homicidium, eſt irregularis ſi ſequatur: cæterum ſi nullo horum modorum voluit homicidium, non eſt irregularis. ita explicat ſententiam hanc D. Tho. 2. 2. vbi ſuprà, quem locum non conſiderauit Dominus Caietanus. Dicitur tertiò, qui dat operam rei illicitæ, & eſt negligens in cauendo homicidio, eſt irregularis ſi ſequatur. ita exponit D. Tho. in articulo. Dicitur quartò, argumentum à contrario ſenſu in iure poſitiuo, potiſsimè in pœnis, non habere vires, vt ipſi Canoniſtæ ingenuè fatentur. ¶ Secundum argumentum eſt. Nam ſi D. Tho. loquitur de negligentia culpabili, per quam imputatur homicidiū, & eſt quodammodo voluntarium, nihil refert quòd detur opera rei illicitæ, vel licitæ: nam quomodocunque homo velit homicidium, irregularis eſt ſi ſequatur: & tamen notāter dicit D. Thom. ſi dat operam rei illicitæ. ¶ Reſpondetur, D. Tho. tantùm velle docere, quòd diligentia quæ ſatis eſt in eo qui dat operam rei licitæ; eſt negligentia in eo qui dat operam rei illicitæ: nam qui operatur malè, debet adhibere diligentiſsimam cautionē ne ex ſuo opere ſequatur alteri malum. Itaque in foro exteriori qui dat operam rei illicitæ, non poteſt excuſari bona fide, & ex præſtita diligentia, quibus poteſt qui dat operam rei licitæ. Dicitur ſecundò, quòd hîc D. Tho. loquitur de peccato quod ex detrimento creſcit, & ideo loquitur de peccato, quando opera rei illicitæ creſcat ex homicidio ſubſequuto, quod quodammodo ſit voluntarium. ¶ Tertium argumentum, quoniam D. Tho. videtur affirmare, quòd tale nocumentum non imputatur ad culpam: ergo non loquitur de negligentia culpabili. ¶ Reſpōdetur, quod D. Tho. tantùm affirmat, quòd tale nocumentum non aggrauat directè; in quo ſignificat, quòd aggrauat indirectè. Deinde dicit, quòd eſt negligentia, in quo ſignificat quòd eſt culpa. ¶ Quartum argumentum, quoniam irregularitas incurritur ſine culpa, vt conſtat in iudice, & milite: ergo non oportet recurrere ad negligentiam culpabilem. ¶ Reſpondetur, nō oportere quòd ſemper recurratur ad negligētiam culpabilem, ſed oportet quòd recurratur ad occiſionem voluntariam; quapropter quando

D. Tho.

Argumēta D. Tho.

Primū arg.

Argumētū à contrario ſenſu, infirmū in moralibus.

Secundum

Solutio.

Tertium.

Solutio.

Quartum.

Solutio.

Solutio.

quàndo nõ eſt volũtaria, licèt detur opera rei illicitæ, non eſt irregularitas. ¶ Quintum argumentum, qui dat operam rei illicitæ, & ſequitur homicidium, indirectè vult homicidium: ergo eſt irregularis. Conſequentia eſt euidens & probatur antecedens. Nam qui dat operam rei illicitæ, & ſequitur, mors, tenebatur impedire operationem illicitam, & potuit, & non impediuit; ergo volũtariè indirectè voluit homicidium. Probatur conſequentia: quoniam iſtæ tres conditiones requiruntur ad volunta rium indirectè; quòd teneatur, & poſsit, & nõ faciat. Reſpondetur eſſe obligationem ad cauendam operationem illicitam, non quidem ex eo quòd inde ſequeretur homicidium, ſed quoniam alia ratione operatio erat illicita, & ideo ad irregularitatem homicidium non imputatur. ¶ Circa quartam concluſionem vt explanetur, eſt dubium. Nam dicit quarta cõcluſio, quòd quando nocumentum ſequitur per ſe ex actu peccati, licèt non ſit præuiſum, neq; intentum, aggrauat directè peccatum. Circa hoc emergit dubium. Nam quando quis tranſit per ſegetes alienas vt vadat occultè ad fornicandum, illud nocumẽtum indirectè aggrauat peccatum, vt aſſeritur in ſecunda concluſione: illud tamen nocumẽtum per ſe ſequitur ex actu peccati, ſicut ſequitur ſcandalũ ad fornicationem publicam; imo magis per ſe ſequitur ex actu peccati: poteſt enim eſſe publica fornicatio, & quòd non ſequatur ſcandalum. Sed hæc dubitatio facilè depellitur; nam dicẽdum eſt, quòd illud nocumentum quod ſequitur ex actu peccati per ſe, vt in plurimum directè auget peccatum: nam tale nocumentum ad ſpeciem peccati quodammodo pertinere videtur: & hoc aſſerit quarta concluſio. At verò quando nocumẽtum ſequitur ex aliqua ſingulari circunſtantia quæ non ſpectat ad ſpeciem peccati, tunc indirectè aggrauat peccatum; & in hoc caſu loquitur ſecunda concluſio: tranſire enim per alienas ſegetes, vnde nocumentum ſequitur, non eſt aliquid per ſe pertinens ad fornicationem; ſicut ex publico peccato ſequitur ex natura rei puſillorum ſcandalum.

¶ Circa quintam, & ſextam concluſionem eſt dubium facile; An ſit ſemper verum quòd nocumentum, quod incurrit ipſe qui peccat, nõ augeat peccatum? Videtur quòd non ſemper verum ſit. Nam ſi homo peccatum admittat ex quo ſequitur grauis eius infamia, grauius peccatum committit, quàm ſi in abſcondito peccaret. ¶ Rurſus, ſi quis comedat aliquid ex quo ſequitur damnũ propriæ ſalutis, grauius peccat quàm ſi tale nocumentum non ſequeretur. ¶ Denique, ſi quis ex eo quòd luderet exponeret ſe periculo fractionis cruris, brachij, aut capitis, grauiùs peccaret quàm ſi tale nocumentum non ſubiret: atque adeò ſi quis interficiens alterum hominem exponeret ſe periculo vt continuò in patibulo pateretur, certè grauiùs peccaret quàm ſi tale nocumentum non ſequeretur. Reſpondetur, quòd D. Tho. tantùm voluit ſignificare, non eſſe idem de nocumento proprio, atque alieno. Et eſt duplex differentia: prima, quòd in detrimentis proprijs cauendis ſumus ſatis ſoliciti, ſed in alijs ſumus negligentes. quòd ſi fingatur eſſe hominem in detrimentis proprijs cauendis negligentem, concedendum eſt inde grauitatem peccatorum excreſcere. Secunda differentia eſt, quòd habemus dominium noſtrorum bonorum: quare aliquãdo ſine peccato poſſumus eorum iacturam ſubire: cæterùm in bonis alienis non habemus tale dominium. Secundò reſpõdetur, quòd D. Tho. loquitur de detrimento pœnali, de quo ita cenſendũ eſt. Si detrimentum tale ſequitur ex actu peccati per ſe, non inducit grauius peccatum; quin potiùs grauius peccatum inducit grauius detrimentum: At verò ſi detrimẽtum ſequitur per accidẽs ex actu peccati, eſtque præuiſum, certè auget peccatum, vt argumenta probant. De alijs verò euentibus & detrimẽtis quæ ſequũtur ex opere meo ex malitia alterius, vt cũ do ſacramentum Euchariſtiæ peccatori, cũ vendo res infidelibus, quibus ſcio abuſuros in ſuis ſacrificijs, erant magnę quæſtiones, ſed expoſitę ſunt ſuprà q. 20. art. 5. ¶ In ſolutione ad tertium Caie. ponit multa verba, ad probãdum, grauiùs peccare qui ſolicitat mulierem ad fornicandum, quàm qui occidit eam corporaliter: quoniam qui ſolicitat, per ſe eſt cauſa vt perdat vitam ſpiritualem, quæ grauior iactura eſt quàm perdere vitam corporalem. Contrarium docet D. Tho. ad tertium, & probat duplici argumento: tum, quoniam occiſor per ſe & directè vult vitam alterius auferre; fornicator verò non vult per ſe & directè vitam ſpiritualem auferre, ſed quærit ſuam voluptatem. Secundò, quoniam occidens eſt cauſa efficax & ſufficiens vitæ corporalis penitus auferendæ: ſed qui ſolicitat mulierem, non eſt cauſa efficax vitæ ſpiritualis auferendæ: nemo enim peccat niſi volens; & in ſpiritualibus nemo læditur niſi à ſeipſo. Sed ex prima ratione videtur ſequi, quòd qui ſolicitaret mulierem ad fornicandum ea intentione vt perderet vitam ſpiritualem mulieris, grauiùs peccaret quàm ſi occideret eam corporaliter: nam detrimentum eſt multò grauius, & præuiſum, & intentum. Hoc concedit ingenuè Dominus Caietanus.

¶ Sed

Quintum.

Solutio.

Quarta cõcluſio examinatur.

An nocumentũ peccantis augeat peccatum.

Primũ arg.

Secundum.

Tertium.

Reſpondetur primò.

Reſpondetur ſecũdo.

Caietani ſententia circa tertium D. Tho.

Nõ grauiùs peccat ſolicitans mulierẽ ad fornicationẽ, quam eam occidens.

Impugnatur Caie.

¶Sed hanc ſententiam eſſe falſam probo. Primò: occidens corporaliter eſt cauſa efficax

Primũ arg.

mortis corporalis: ille verò qui ſolicitat, quãlibet praua intentione, non eſt cauſa efficax

Secundum

mortis ſpiritualis, vt demonſtratum eſt. ¶Secundò, qui occidit corporaliter, infert damnũ irreparabile: qui verò ſpiritualiter, reparabile: ergo. Ex quo concluditur cum Domino Caietano, quòd qui eſſet proximus morti, & alter illi perſuaderet hæreſim, aut peccatũ, hac peruerſa intentione vt in eo moreretur, certè grauius peccaret quàm ſi occideret corporaliter: nam dat grauiſsimum detrimentum moraliter irreparabile.

Tertium.

¶Tertiò, quoniam ſi ſolicitare mulierem, vt perderet vitam gratiæ, eſſet grauius quàm homicidium corporale, ſequitur eſſe grauius quàm mille homicidia. Probatur ſequela: nam perdere vitã gratiæ, grauius detrimentum eſt quàm perdere mille vitas.

Quartum.

¶Quartò, ſi hoc eſſet grauius peccatum, quia eſt grauius detrimẽtum, ſequeretur quòd perſuadere peccatum veniale eſſet grauius peccatum quàm occidere corporaliter. Probatur ſequela: nam eſt grauius detrimentum peccare venialiter, quàm perdere vitam corporalem: illud enim eſt peccatum, hoc verò minimè. Ex hoc ſoluitur argumentum quod ſolet fieri, ad probandum, quòd perſuadere peccatum veniale, eſt peccatũ mortale, quod tale eſt. Nam peccatum veniale grauius detrimentum eſt quàm perdere centum aureos, vt conſtat; ſed ſi quis eſſet in cauſa quòd alius perderet centum aureos, peccaret mortaliter: ergo perſuadere veniale, eſt mortale. Reſpondetur, peccatum veniale eſſe grauius detrimentum; quoniam eſt alterius ordinis: eſt enim peccatum; cæterùm in ſuo genere eſt res læuiſsima, &

Defenditur Caieta. ſententia.

ideo eſt veniale. Hæc argumenta olim videbantur mihi efficaciſsima ad reprobandum opinionem Caie. ſed nunc videtur mihi quòd poſſunt habere ſolutionem, & quod qui voluerit Caiet. placitum tueri, hoc modo poterit procedere. In primis, argumenta propoſita ſi aliquid probarent, certè probarent quòd odiũ Dei non ſit grauius peccatum, quàm occidere hominem: quia ex odio Dei nullum nocumẽtum infertur Deo efficaciter. Item probarent quòd odium, ſiue inuidia fraternæ gratiæ eſſet minus peccatũ quàm homicidium; quod tamen falſum eſt: nam eſt peccatum contra Spiritum ſanctum. Præterea, ſi homo eſſet in hac conſtitutus neceſsitate (loquor diſputationis gratia) vt vel deberet occidere hominem ſpiritualiter, vel corporaliter; & daretur ei optio; certè deberet eligere priuare illum vita corporali, quam ſpirituali. Denique ſi argumenta propoſita verum concludunt, videtur certè dicendum, quòd homicidium ſit grauius peccatum, quàm quodcunque peccatum contra Deum admiſſum, quàm hæreſis, quàm infidelitas. Poterit ergo dicere Theologus, quod ſicut ſolo affectu deſiderare malũ mortalis culpæ homini, eſt maius peccatum quàm deſiderare illi mortem; ſic ſanè fieri poteſt quòd ex tali affectu vel intentione ſcandalizare, vel ſolicitare ſit grauius quàm occidere, quamuis in ratione nocumenti, & violentiæ excedat corporale homicidium: cæterùm de peccato veniali non eſt eadem ratio, vt ex dictis patere poteſt.

ARTIC. NONVS.

¶Vtrùm peccatum aggrauetur ex perſona in quam peccatur.

SVMMA TEXTVS.

Affirmans eſt Cõcluſio. Conclusio.

Nam cùm prima grauitas peccati attẽdatur ex parte obiecti, quantò eſt principalius obiectum & finis, tantò maior attenditur grauitas in peccato: ſed fines principales actuũ humanorũ ſunt, Deus, homo, & proximus: quidquid enim facimus, propter aliquod horum facimus, quamuis horũ vnũ ſub altero ordinetur: ex parte ergo horum conſideratur maior vel minor grauitas in peccato ſecundum cõditionem perſonæ in quã peccatur. Primò, ex parte Dei: nã maximum eſt peccare cõtra Deũ. Deinde peccatum eſt grauius contra perſonam Deo coniunctam, vel ratione virtutis, vel officij: vnde dicitur; Qui vos tetigerit, tãget pupillã oculi mei. Sed ex parte ſui ipſius tãtò maius eſt peccatũ, quã tò in perſonã magis cõiũctã naturali neceſsitudine, vel beneficijs: vnde dicitur; Qui ſibi nequã eſt, cui erit bonus? Ex parte autẽ proxi

mi

mi tantò eſt grauius peccatũ, quã tò plures tangit; vt putà Regem, Principem, & alios ſimiles: quia in damnum plurium redũdat. Vnde grauiùs peccat qui ſeipſum occidit, quàm qui alium; quia naturalia & ſpiritualia bona non ſubſunt dominio noſtræ voluntatis, ſicut res poſſeſſæ.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Qualitas perſonæ in quã peccatur, quomodo aggrauet peccatum.

CIrca iſtum articulum notandum, quòd qualitas perſonę in quã peccatur, dupliciter poteſt aggrauare peccatum: Vno modo, mutando ſpecié peccati, vt ſi quis occidit hominem ſacerdotem, ſacrilegium eſt; aut ſi patrem, parricidium eſt: Alio modo, non mutando ſpecié; vt ſi aliquis occidat virum iuſtum & ſanctũ. Dicendum eſt igitur, quòd qualitas perſonæ in quam peccatur, eſt explicanda in confeſſione quando mutat ſpecié: at verò quando non mutat ſpeciem, non eſt neceſſariò explicanda in confeſſione, niſi fortè notabiliter inde ſequatur aliquod nocumentum communitati ex occiſione alicuius viri ſanctiſſimi: vt ſi quis occideret virum virtutibus ornatiſsimum, cuius vita erat valde vtilis reipublicæ; & fortaſis tunc iam peccatum erit alterius ſpeciei, contra pietatem debitam ipſi patriæ. Denique notandum, in quibuſdam peccatis impertinentes eſſe quaſdam perſonarum dignitates. v. g. ſi aliquis furatur à viro plebeio, vel illuſtri; clerico vel laico: At verò ſi percuteret virum illuſtrem; aut illi diceret verbum iniurioſum, maius peccatũ eſſet, quàm percutere plebeiũ.

Magiſter Cano.

¶ Circa ſolutionem ad ſecundum vide Magiſtrũ Cano relectione de pœnitentia; quia perſuadere nititur, quòd ſumus domini gratiæ, & virtutum, neque D. Thom. in hac ſolutione ad ſecundum, oppoſitum dicit.

ARTIC. DECIMVS.

¶ Vtrùm magnitudo perſonæ peccantis aggrauet peccatum.

SVMMA TEXTVS.

Concluſio.

ONcluſio eſt affirmans. Nam magnitudo perſonæ peccantis ex deliberatione aggrauat peccatũ propter quatuor. Primò quidem; quia faciliùs poſſunt reſiſtere qui ſcientia & virtute excellunt. Secundò, propter ingratitudinem; quia omne bonum quo quis magnificatur, eſt Dei beneficium, cui homo fit ingratus peccando: vnde potentes potenter tormenta patientur. Tertiò, propter ſpiritualem repugnantiam actus peccati ad magnitudinem perſonę; ſicut ſi princeps iuſtitiam violat, qui ponitur iuſtitiæ cuſtos. Quartò, propter exemplum, ſiue ſcandalum: nam ad plurium notitiam perueniunt peccata magnorum, & magis homines ea indignè ferũt. Peccata verò ſuperuenientia ex ſurreptione infirmitatis humanæ, minus imputantur eis qui ſunt maiores in virtute, eò quòd minus negligunt huiuſmodi peccata reprimere, quæ tamẽ omninò humana fragilitas ſubterfugere non ſinit, vt dicitur Paralip. 2. ca. 30. Dominus bonus propitiabitur cunctis qui toto corde requirunt eum. &c.

EXPLICATIO ARTICVLI.

IN ſolutione primi habes benè doctam explicationem eius quod legitur. 2. Paral. cap. 30. quòd Dominus bonus propiciabitur cũctisqui toto corde requirunt eum, & non imputabitur eis quod minus ſanctificati ſunt. Hanc ſentẽtiam ſic explicat D. Tho. vt dicat eſſe intelligẽdam de ijs, quæ per ſurreptionem humanæ infirmitatis negligenter aguntur: quod non ſolùm intelligas de peccatis venialibus, ſed etiã de peccatis mortalibus. Sunt enim quædam peccata mortalia, quæ ex ſcientia, & deliberatione, & veluti ex malitia committuntur; & hæc grauiùs imputantur his qui ſunt maiores virtute & ſcientia: ſed peccata, etiam mortalia, quę cõmittuntur vel ex ignorantia, vel ex imbecillitate, vel ex ſubita animi perturbatione, minus imputantur his qui in maiore dignitate ſunt conſtituti, propter rationem quam D. Tho. in articulo demonſtrat.

QVÆ-

QVAEST. LXXIIII.

De subiecto peccatorum, in decem articulos diuisa.

ARTIC. PRIMVS.

¶ Vtrùm voluntas sit subiectum peccati.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. AFfirmans est conclusio. Est enim peccatum inordinatus actus. Sed actuum quidam transeunt in exteriorem materiam; vt vrere, & secare; & isti actus habent pro materia & subiecto id in quod transit actio. Alij verò sunt actus non transeuntes, sed manentes in agente; sicut appetere, & cognoscere; & tales sunt omnes actus morales, siue sint actus virtutum, siue vitiorum. Quare oportet propriũ subiectum actus peccati esse potentiam, quæ est principium actus. Sed quia proprium est actuum moralium vt sint voluntarij, sequitur quòd voluntas, quæ est principiũ actuum voluntariorum bonorũ seu malorum quæ sunt peccata, sit principium peccatorum. Vnde in voluntate sunt, sicut in subiecto.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ Vtrùm sola voluntas sit subiectũ peccati.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. NEgans est conclusio. Nã actus voluntarij dicuntur non solùm illi, qui eliciuntur à voluntate; sed etiam illi qui à voluntate imperantur. Ex quo sequitur, quod non solùm voluntas, sed omnes illæ potentię quę possunt moueri ad suos actus, vel ab eis reprimi per voluntatem, possint esse subiectum peccati: eadem enim sunt subiecta habituum moralium bonorum, vel malorum; quia eiusdem est actus & habitus: nam non peccatur nisi voluntate, sicut primo mouente: alijs verò potentijs sicut ab ea motis: comparantur enim ad rationẽ quasi liberæ; quia ab ea agunt, & aguntur.

EXPLICATIO ARTICVLI.

An peccatũ sit solũ actus volũtatis elicitus.

DIsserunt Theologi de quęst. proposita in his ar. in 2. d. 35. & 42. & interrogant; Vtrũ peccatum sit solũ actus elicitus à volũtate, an etiã imperatus. Scot. in d. 42. q. 2. & 3. affirmat, peccatum solùm formaliter reperiri in actu volũtatis; in actu verò aliarũ potentiarũ reperiri tantũ materialiter. Subscribit Gab. ibidẽ q. 1. & omnes moderni definiũt, quòd peccatũ furti est volitio furãdi formaliter: actus verò exterior furãdi dicitur peccatũ; quoniã est effectus peccati. Itaq; quẽadmodũ animal, pomũ, & vrina, vniuersa hæc dicũtur sana, sed differẽti ratione; nã animal solũ dicitur sanũ formaliter, & intrinsecè, cętera denominatione extrinseca; vrina, quia est signũ; pomum, quia efficit: sanitatẽ. Itẽ quẽadmodũ veritas multa denominat, propositionẽ, rẽ ipsam, & intellectũ; sed distincta ratione; nã intellectus solus est verus formaliter; propositio, quia est veritatis signũ; res ipsa efficit veritatẽ: nõ aliter peccatum (autore Scoto) denominat operationes exteriores, appetitionẽ appetitus sensitiui, & volitionẽ volũtatis; sed dissimili ratione; nã solus actus volũtatis est formaliter peccatũ, cætera sunt peccata denominatione extrinseca; quoniã sunt effectus peccati. Probatur: nã solus actus voluntatis est formaliter volũtarius: ergo solus actus volũtatis est formaliter peccatũ. Huic sentẽtię fauere videtur D. Th. in 1. ar. affirmat enim omnia peccata esse actus immanẽtes, in volũtate: sed occidere, & furari nõ sunt actus immanẽtes in volũtate, sed trãseuntes: ergo nõ sunt formaliter peccata. Deniq; omnes D. Tho. discipuli, qui per altissimas tenebras explicant quomodo omnia peccata sint actiões immanẽtes, & quomodo nõ collocãtur in mẽbris exterioribus, velint nolint incidũt in opinionẽ Scoti, quã execrãtur. Certè Dns

Scot.

Gabr.

D. Thom.

Caiet. Caietanus in hoc articulo in placitum Scoti delabitur: dicit enim, quòd illa sententia Diui Thomæ, quæ asserit, omnes actus morales esse immanentes, est intelligenda formaliter. Pro cuius intellectu statuit in primis, quòd cùm subiectum actus moralis sit actus voluntarius, oportet vt actus sit moralis, inquantum est voluntarius. Oportet rursus vt si non sit voluntarius, moralis non sit: cùm ergo actus exterior moralis à pluribus principijs efficiatur; vt occisio hominis causatur à voluntate, ab irascibili, à manu, tanquam à principijs subordinatis; si cõparetur ad manum, non est ab ea vt voluntarius actus; manus siquidem non est principium aliquomodo liberum, sed seruit imperio rationis seruiliter: ex quo consequens est, quòd non est actus moralis & humanus secundum quòd à manu proficiscitur, sed secundum quòd subiacet actioni voluntatis immanenti & liberæ: cæterùm si comparetur occisio ad voluntatem, ab ea proficiscitur vt voluntarius actus & moralis, & est quodammodo à voluntate elicitus, in quantum est voluntarius & moralis. Ex quo deducit Caietanus, quòd non solùm est verum, peccatum esse in voluntate, sed omne peccatum esse in voluntate: nam ratio Diui Thomæ in primo articulo vniuersalissima est, & in vniuersum concludit, omne peccatum esse actum immanentem, & esse à voluntate: ergo est in voluntate. ¶ Sed quia Diuus Thomas in articulo secundo definit, quòd non sola voluntas est subiectum peccati, videtur esse euidens contradictio, quòd omne peccatum sit in voluntate tanquam in subiecto, & quòd aliquod peccatum sit in alia potentia tanquam in subiecto. Vt hanc obiectionem depellat Caietanus statuit secundo loco, non esse inconueniens vt idem peccatum sit in pluribus subiectiuè secundum diuersa quæ sunt necessaria ad peccatum, sicut potest esse à pluribus principijs subordinatis. Idem enim est in actionibus immanentibus esse à principio, & esse in principio. Idipsum illustratur adhibito exemplo. Cum enim quis vitiosè irascitur, aut concupiscit, necessum est dicere hoc peccatum esse in voluntate, cùm omne peccatum à voluntate procedat, vel positiuè, vel priuatiuè; quia non resistit concupiscentiæ, & eam reprimit. Rursus, ira vel concupiscentia necessum est vt constituatur in irascibili, aut concupiscibili, à qua immediatè elicitur, & sic manifestum est, aliquod peccatum posse collocari in tribus potentijs, videlicet in ratione, voluntate, & concupiscibili. In ratione quidem, vt in primo dirigente: in voluntate verò, vt in primo mouente: in concupiscibili, vt in proximo & immediato eliciente. Hæc est sententia Caietan. quæ nec latum vnguem (sicut ego iudico) à sententia Scoti discedit. ¶ Vt igitur veritas elucidetur, scire oportet, quòd actus exterior potest bifariam considerari; Vno modo secundum speciem suam ex obiecto. verbi gratia. occidere hominem antequam ab aliquo homine fiat, est malum; quia dissonum rectæ rationi. Aliter considerari potest quando homo exercet hunc actum in exercitio voluntatis, sic adeò quòd homini exercenti imputatur ad vituperium. Hæc distinctio est lucerna ad intelligendam propositam quæstionem. Not. 1. Actus exterioris duplex cõsideratio.

¶ Secundò est obseruandum, quòd bonitas vel malitia moralis est duplex; vna in essendo, siue obiectiua: altera in exercitio, seu in more, aut moralis, & libera; quemadmodum solent distinguere Metaphysici, quòd est veritas in essendo, qualis est in omnibus rebus; & veritas in dicendo, & in cognoscendo, qualis est in solo intellectu. Not. 2. Duplex bonitas & malitia moralis.

¶ Tertiò animaduertere oportet, quòd actus exterior formaliter est malus in essendo, id est, est absonus rectæ rationi, & contra legem Dei. Qua ratione optimè debet concedi quòd est peccatum formaliter; & oppositum affirmare, non est tutum; quoniam lex diuina non prohibet præcipuè voluntatem occidendi, sed occidere. Quòd si prohibet voluntatem occidendi, est, quoniam occidere est malum. Deinde, nam non iubet præcipuè actus interiores, sed exteriores; Honora parentes; Sabbathum sanctifices, &c. Præterea, Dominus in Euangelio non dat præmium propter electionem, sed propter actus exteriores: dicit enim, Esuriui, & dedistis mihi, &c. & Oseæ 9. dicitur; Facti sunt abominabiles sicut ea quæ dilexerunt: in qua sententia demonstratur, dilectionem & amorem esse abominabilem; quoniam obiectum est malum. Denique compertum est, ideo velle dare eleemosynam esse bonum, quoniam dare eleemosynam est bonum; & ideo velle occidere hominem priuata autoritate esse malum, quoniam occidere hominem, malum est. Itaque prima radix, & ratio bonitatis & malitiæ actus interioris est in actu exteriori. Not. 3. Matt. 25. Oseæ. 9.

¶ Quartò obseruandum, quòd solus actus interior liber aut voluntarius est formaliter malus in exercitio & more, & in demerendo. Probatur primò. Actus exterior non imputatur homini nisi ratione actus interioris; & tantùm imputatur, quantum actus interior promeretur: ergo in exercitio, & in demerendo actus exterior non est formaliter peccatum; quoniam est effectus malæ voluntatis. Deinde, actus exterior non addit bonitatem aut malitiam supra interiorem; vt iam dictum Not. 4. Quomodo solus actus interior malus sit.

dictum est: ergo non imputatur nisi ratione actus interioris. Tertiò, actus exterior non habet libertatem in se, nec est capax virtutis aut vitij: non enim collocantur virtutes in membris externis. Quartò, si homo inuitus & cõtra suam voluntatem faciat opera exteriora nefandissima, non ei imputantur ad peccatum: ergo opera externa tantùm imputãtur ratione actus interioris: nam membra exteriora perinde mouentur ad peccatũ, sicut instrumenta, calamus &c. sed formaliter loquendo peccatum non est in gladio; ergo nec in membris exterioribus. ¶ Ex hac doctrina sequitur primò modus diluendi vnum argumentum, quod hoc in loco solet fieri, scilicet; Homicidium est peccatum: sed homicidium est actus transiens in exteriorem materiam: ergo non omne peccatum est actus immanens in volũtate. Hoc argumentum dissoluunt quidam negando consequentiam, & recurrunt ad defectum appellationis. Alij dicunt, quòd si occisio consideretur vt res quędam est, sic est in occiso, si vt actio, est in voluntate. Respõdetur tamẽ, occidere hominem esse peccatum formaliter, id est, dissonum rationi: sed peccatum in hac significatione non est actio immanens, sed actus externus. Cæterùm si accipiatur peccatũ in exercitio & in demerendo, dico quòd actus occidendi non imputatur nisi ratione actus interioris, qui est actus immanens; & hoc modo omne peccatum necessariò est actio immanẽs. ¶ Secũdò sequitur, quòd omne peccatũ in actu exercito est actio immanens, quod docet D. Tho. art. 1. tum, quoniam omne peccatũ in actu exercito est tantum actus interior, vt suprà demonstratum est: actus verò interior est actio immanens. Tum verò, quoniam peccatum in actu exercito est actio libera formaliter; actio verò libera est actio immanens: actus enim exterior non est liber, nisi denominatione extrinseca; quia prodit à libera voluntate. ¶ Tertiò, peccatum in actu exercito est actio moralis, ad quam assuescimus per exercitiũ operum: sed actio talis moralis est tantùm actus interior; actus enim exterior est determinatus ad vnum; & ideo in membris externis non ponimus habitum ad assuescendum. ¶ Quartò, actus exterior non imputatur, nisi ratione actus interioris: ergo demeritum formaliter solùm consistit in actu interiori; in actu verò exteriori solùm denominatione extrinseca; quoniam est effectus malæ voluntatis. Et in hoc sensu optimè loquitur Scotus, dicens, quòd actus externus est peccatum extrinseca denominatione. ¶ Quintò est aduertendũ, non solùm volũtatem, sed etiam appetitum sensitiuum, & intellectiuum, & in vniuersum omnem potentiam quæ participat libertatem, esse subiectum peccati. Quapropter labitur Scotus quando affirmat peccatum solùm esse actum voluntatis. Probatur: nam prædictæ potentiæ sunt subiecta virtutum: ergo subiecta peccatorum. Probatur consequentia: nam contraria habent fieri circa idem. Secundò, in intellectu collocatur ignorantia & error, quæ manifestè sunt peccata, in appetitu sensitiuo, ira, timiditas, quæ absque dubio peccata sunt. Tertiò, perinde est dicere quòd in voluntate solùm collocatur peccatum, ac affirmare, quòd in voluntate solùm collocantur virtutes, & vitia; quod absurdum est, & contra omnem philosophiam. Sed dato quòd aliquòd peccatum collocetur in appetitu sensitiuo, & in alijs potentijs, quæro; vtrũ possit concedi omne peccatum esse in voluntate subiectiuè? non enim inconuenit vnum peccatum esse in duabus potentijs sordine quodam; sicut liberalitas secundum quosdam est in appetitu sensitiuo, & in voluntate. Dominus Caieta. in 1. artic. respondet affirmatiuè, & videtur esse sententia D. Thom. ibidem, & artic. 6. ad 1. Dicendum tamen, certum esse in philosophia morali multos actus diuersarum potentiarum concurrere ad peccandum, ex quibus fit vnum peccatum numero. verbi gratia. In quolibet peccato ex parte intellectus interuenit error, & imperium. Ex parte voluntatis, si peccatum consistit in voluntate, concurrunt decem actus, & eò plures, quos habes in Diuo Thoma suprà quæstione 16. in fine. Si verò in appetitu sensitiuo consistit, ad minimum cum errore intellectus interuenit mala appetitio. Cæterùm hoc videtur certum, quòd peccatum erroris, aut timiditatis non collocetur in voluntate: sed in appetitu sensitiuo, aut in intellectu. Quapropter non sentio cum Domino Caietano, nec rationes eius sunt validæ, imò aduersatur D. Thom. qui ar. 2. ad 1. clarè dicit, omne peccatum esse in voluntate, tanquam in primo mouente, nõ tanquam in subiecto.

Dictum est: ergo non imputatur nisi ratione actus interioris.

Pri. coroll.

Homicidiũ exercitum est peccatũ ratione actꝰ interioris.

Secũ. coro. D. Thom. Omne peccatũ in exercitio est actio immanens.

Not. 5.

Caiet.

D. Thom.

Multi actus diuersarum potentiarũ concurrunt ad vnũ peccatum.

ARTIC. TERTIVS.

¶ Vtrùm in sensualitate possit esse peccatum.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio.

AFfirmans est conclusio. Sensualitas enim, seu appetitus sensitiuꝰ natꝰ est moueri à ratione: nã aliquæ vires partis sensitiuæ, quãuis sint communes nobis & brutis, in nobis tamen habẽt aliquam excel-

excellentiam ex hoc quòd rationi iunguntur: & quantum ad hoc potest esse principium actus voluntarij, & per consequens subiectum peccati. Et quamuis homo possit reprimere singulos motus inordinatos sensualitatis si præsentiat, diuertendo cogitationem ad alia; non tamen potest homo vitare omnes motus concupiscentiæ, propter corruptionem prædictam, sed solùm sufficit ad rationem peccati voluntarij, vt possit vitare singulos.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Quid sensualitas sit. Pri. docum.

IN primis oportet constituere quid sit sensualitas: de qua re videndus est D. Thom. 1. p. q. 81. articu. 1. & 2. & in 2. d. 24. q. 2. articu. 1. ex quibus locis hæc documenta habentur. ¶ In primis, sensualitas non est tota vis sensitiua, vel apprehensiua, & appetitiua; sed solùm vis appetitiua sensitiua: nam sensualitas videtur dici à motu sensuali: motus verò non est propriè in vi apprehensiua: quia apprehensio fit per hoc quòd obiectum est in potentia apprehendente; sed actus appetitus est inclinatio ad obiectum, & sic videtur esse motus. ¶ Secundum documentum. Sensualitas, & appetitus sensitiuus idem sunt; differunt tamen ratione. Appetitus enim sensitiuus significat nudam potentiam, qua sensibilia bona appetimus. Sensualitas verò significat appetitum sensitiuum, quatenus præuenit rationis deliberationem. Hæc ratio discriminis sumitur ex vsu scholasticorum; neque enim hoc nomen inuenitur apud priscos autores: vtitur tamen eo Diuus Augustin. ¶ Tertium documentum. Sensualitas non est vna potentia specie, sed genere: quia includit irascibilem, & concupiscibilem: de cuius rei distinctione differit D. Th. in multis locis suæ doctrinæ. ¶ His constitutis, quæritur, Num appetitus sensitiuus habeat propriam libertatem non dependentem à libertate voluntatis: itaq; ante actum voluntatis sit in potestate eius habere actum, & non habere, positis omnibus requisitis ad operandum. Caie. in arti. sequenti tenet singularem sententiam, & docet quòd in appetitu sensitiuo, absq; eo quòd moueatur à voluntate, potest esse peccatum veniale, nō autē mortale, propter libertatis imperfectionē: vnde affirmat, quòd in appetitu sensitiuo est sufficiēs libertas ad peccatum, secluso etiā omni dominio voluntatis super appetitum sensitiuum. Hæc sententia sic suadetur. ¶ In primis hoc differt inter appetitum sensitiuum, & membra exteriora; quòd membra ista sunt ad vnum determinata: appetitus verò sensitiuus agit, & agitur, & non est determinatus ad vnum, ita asserit apertè D. Thom. articu. 2. ad 3. igitur appetitus sensitiuus habet libertatem: illa enim potentia est libera, quæ non est determinata ad vnum. ¶ Secundò, hoc differt inter membra exteriora, & inter appetitum sensitiuum in homine; quòd membra obediunt rationi, & voluntati ad necessitatem, & ad nutum, quod aiunt philosophi despoticè: appetitus verò obedit regaliter, & politicè; qua ratione cines subduntur imperio: qui licèt subdantur, possunt obedire, & contradicere. Hanc differentiam constituit Aristot. 1. polit. c. 3. ergo appetitus sensitiuus in homine habet libertatem; siquidem potest obedire & non obedire, operari & non operari. ¶ Tertiò, si appetitus in se nullam habet libertatem, sequitur quòd in eo nō collocentur peccata, & quòd in eo non sint constituendæ virtutes; quod aduersatur philosophiæ. Probatur sequela: nam hac de causa non collocantur in membris exterioribus peccatum, neq; virtus; quoniā non habent libertatem. ¶ Quartò, cogitatiua in homine ex coniunctione ad portionē hominis superiorem discurrit, & conficit syllogismū, & idē habet reminiscētia: ergo appetitus sensitiuus ex cōiunctione ad portionem hominis superiorē habet istam excellentiā, quòd habeat libertatē, & obediat rationi, quod apertè asserit D. Th. ad 1. ¶ Quintò, experiētia cōstat appetitū sensitiuū adductis rationibus per intellectū mitigari, aut verò accēdi ira & furore: ergo habet libertatē: id enim quod expers est libertatis, impersuasibile est. Hęc sentētia videtur esse D. Th. in arti. 2. ad 3. & hic solutione ad 1. & ad 3. vbi docet, q̄ in sensualitate potest esse peccatum veniale prō pter suā imperfectionē, nō autē mortale. quod iterū confirmat in ar. 4. cū inquit, quòd in sensualitate nō potest esse peccatū mortale. Quòd si loquamur de appetitu sensitiuo, quatenus mouetur à volūtate, certè in eo potest esse peccatū mortale: ergo loquitur D. Th. de appetitu sensitiuo sine libertate volūtatis. Eandē sententiam confirmat apertiùs D. Tho. 1. p. q. 81. ar. 3. vbi explicat optimè istam sententiam, dicens appetitum sensitiuum habere geminum motum; vnū, qui competit ei suapte natura, qui est ferri in bonū delectabile secundum sensum; alterū, qui cōpetit ei ex cōiūctione ad portionē superiorē hominis, qui est liberè obedire rationi; nō aliter quàm sphęra ignis, quæ est coniuncta corpori cœlesti habet geminū motū; vnū qui cōpetit ei suapte

Secū. docu.

Aug. 12. de trin. c. 12.

Tert. docu.

An appetitus sensitiuus propria libertate gaudeat.

Caiet.

Argu. prim.

D. Thom.

Secundum.

Arist.

Tertium.

Quartum.

D. Thom.

Quintum.

D. Thom.

ſuapte natura, qui eſt ferri ſurſum; alter, qui cõpetit ei ex coniunctione ad cœleſte corpus, quo circulariter mouetur. Itaque ſententia Domini Caietan. videtur eſſe ex principijs D. Thom. deducta, atque rationi maximè conſentanea.

Falſa iudicatur Caiet. ſententia.

¶ Verùm licèt hæc ſententia ſit ingenioſa, tamen eſt noua, & non probatur ratione, nec autoritate, & ideo credo eam falſam, & contra D. Thom. Nam in 2. d. 24. q. 3. artic. 2. ſic dicit, peccatum, vt pertinet ad præſentem conſiderationem, non eſt aliud quàm inordinatus actus ad genus moris pertinens: nullus autem motus pertinet ad genus moris, niſi habita comparatione ad voluntatem, quæ principium eſt actuum moralium; & ideo ibi incipit genus moris, vbi primum dominium voluntatis inuenitur. Et in hac quæſtione art. 2. dicit, quòd ſolę illæ potentiæ poſſunt eſſe ſubiectum peccati, quæ poſſunt moueri ad ſuos actus, vel ab eis reprimi per voluntatem. Et in hoc articulo ex eo probat in ſenſualitate poſſe eſſe peccatum, quia actus eius poteſt eſſe voluntarius, inquantum ſenſualitas nata eſt moueri à voluntate. Præterea Diuus Auguſtinus ſæpenumero dicit, quòd voluntas eſt qua peccatur, & rectè viuitur. & iterum, Non niſi voluntate peccatur, & alibi; Peccatum eſt adeò voluntarium, quòd ſi non eſt voluntariũ, non eſt peccatum: ergo ſine libertate voluntatis nunquam peccamus.

Aug.

¶ Secundò ſequitur ex opinione Caieta. quòd ſi eſſet aliqua concupiſcentia noxia in appetitu ſenſitiuo, quam voluntas non poſſet reprimere, nihilominus talis concupiſcentia eſſet peccatum; ſiquidem eſt formaliter libera: imò ſequitur, quòd etiam ſi voluntas renueret, adhuc eſſet peccatum propter prædictam rationem; & tunc voluntas, & appetitus ſenſitiuus haberent ſe ſicut duo homines, & vno nolente & renuente alius peccaret. Hoc ipſum confirmatur. Nam ſi haberet propriam libertatem ſenſualitas, ergo renitente voluntate poterit continuare motum concupiſcentiæ noxiæ, etiam liberè; & ſic voluntate nolente homo peccaret. Probatur conſequentia: quoniam cùm appetitus non obediat ad nutum rationi, ſequitur quòd cùm liberè agit, poterit non obedire voluntati, & ſic poterit peccare.

¶ Præterea ſequitur ex opinione Caieta. quòd ſi mul in eodẽ eſſet actus virtutis & vitij circa idẽ obiectum in eodem temporis articulo. Probatur ſequela in caſu Pauli ad Romanos. 7. Non enim, inquit, quod volo bonum hoc facio, ſed quod odi malum: in quo caſu habet actum meritorium ex parte voluntatis renuente concupiſcentia: & ſimul peccat appetendo per appetitum ſenſitiuum: ergo. Tertiò. Nam non videtur conſentaneum rationi, quòd in aliqua potentia ſit libertas ad peccatum veniale, & non ad mortale; alioqui Deus poſſet facere aliquam naturam, quæ ſuapte natura non peccaret, niſi venialiter, & non mortaliter. Quartò, libertas prouenit ex indifferentia iudicij: ſed ſenſus quem ſequitur appetitus ſenſitiuus non eſt indifferens, ſed determinatus; eſt enim potentia materialis; ergo appetitus ſenſitiuus non habet in ſe libertatem. Ad huius rei expoſitionem, eſt prima concluſio. ¶ In appetitu ſenſitiuo hominis eſt aliqua libertas participata. Hoc probant efficaciter argumenta adducta in principio in fauorẽ Caietan. Vnde ſequitur, quòd non ſit potentia purè naturalis, quæ nullo modo obediat rationi, quemadmodum vegetatiua potentia, neque obediat ad nutum, quemadmodum membra exteriora: non enim obedit rationi deſpoticè, id eſt, ſeruiliter, vt ſeruus, domino; ſed politicè vt ſubditi, Regi; qui non in omnibus obediũt, vt S. Thom. dicit 1. p. q. 81. artic. 3. & Ariſtote. 1. Politicorum. Quæ omnia patent experientia: experitur enim homo quòd aliquando nollet pati tentationes, & patitur; & aliquando nollet iraſci, & iraſcitur; & aliquando vellet gaudere, & non poteſt. Et iterum experimur, quòd per imperium voluntatis reprimitur ira, quam priùs habebat, & timor: & aliquando excitat ex imperio voluntatis compaſsionem & dolorem.

Rom. 7.

Prim. cõcl. In appetitu ſenſitiuo eſt libertas participata.

Ariſt.

¶ Secunda concluſio. In appetitu ſenſitiuo nõ poteſt eſſe peccatum, niſi quatenus à voluntate mouetur. Licèt enim voluntas ſit libera formaliter, nunquam tamen in ea poteſt eſſe peccatũ, niſi ex errore intellectus, à quo mouetur: non ergo eſt impoſsibile quòd in appetitu ſenſitiuo ſit libertas, & quòd in eo non poſsit eſſe peccatum, niſi quatenus à voluntate mouetur; voluntas enim appetitus eſt vniuerſalis totius hominis: quare vt aliquod opus imputetur ad peccatum, oportet quòd voluntas conſentiat. Certè D. Auguſt. habet pro delirio aſſerere, quòd poſſit eſſe peccatum ſine voluntate. Chryſoſt. Homilia 52. operis imperfecti, & homilia. 13. in epiſtolam ad Roman. Baſilius in inſtitutione illorum qui vitam volunt ducere perfectam. Idem aſſerit Origenes: & Anſelmus in illud; Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore. Ex his patet quomodo in ſenſualitate ſit peccatũ.

Secũd. cõcl. In appetitu ſenſitiuo nõ poteſt eſſe peccatũ, niſi vt à voluntate mouetur.

Aug. lib. de duab. ani. c. 10 & libr. de vera relig. c. 14. Chryſoſt. Baſil. Orig. hom. 27. in Num. Anſel.

¶ Sed contrà poteſt argui ex Scoto in 2. d. 24. quæſtione tertia. Si aliqua malitia inuenitur in ſenſualitate, illa non eſt niſi omiſsio voluntatis, quæ non compeſcuit concupiſcentiam, quam oportuit cõpeſcuiſſe; & ſic videtur quòd peccatum non ſit in ſenſualitate, ſed in voluntate.

Argum. Scoti. Primum.

¶ Reſpõdetur facilè, quòd quãdo aliquis actus eſt volũtarius, etiã ſi nõ ſit formaliter, ſed virtualiter, iam eſt commiſsio & non omiſsio; & ſic

Solutio.

est de actu sensualitatis. Quod efficaciter probatur ex definitione peccati: est enim dictum, vel factum, vel concupitum, contra legem Dei. Sed tunc est aliquid concupitum contra legem Dei per motum liberum, licèt libertate participata: ergo est peccatum commissionis, quanquam non est tam perfecta cõmissio, sicut si voluntas expressè consentiret. ¶ Secundò arguitur sic. Ille actus sensualitatis de se non est malus: ergo voluntas, dato quòd possit, non tenetur eũ reprimere. Antecedens patet: quia de se non habet libertatem. Et confirmatur: quia pædagogus non tenetur reprimere iram pueri irascentis in puerum, vt patet: ergo neq; ratio iram sensualem. ¶ Respondetur primò, antecedens esse falsum: imò cõcupiscentia obiecti prohibiti de se est mala, vt D. Thom. dicit artic. 8. ad 2. Delectatio, inquit, quæ est de ipso peccato fornicationis, est peccatum mortale. Secundò dico, quòd voluntas & ratio tenetur regere appetitũ sensitiuum sicut membra exteriora, prout docet D. Thom. artic. 6. & sic sicut peccant si non dirigunt actus exteriores, ita peccant si non dirigunt interiores passiones: si enim manus mea interficeret hominem sine imperio voluntatis, peccaret voluntas potens reprimere, & non reprimens. Nec est idem de puero, de quo idem est iudicium sicut de catulo. Facit ad hoc etiam quod dicit D. Thom. in 2. d. 21. q. 1. artic. 2. quòd non solùm caro concupiscit aduersus spiritum, sed totum coniunctum, quod est homo: & ideo inquit, tentatio carnis est peccatum in eo qui tentatur. Hæc ergo videtur ratio quare motus in sensualitate circa rem prohibitam sit peccatum; quia homo concupiscit illicitum: si ergo voluntariè concupiscit illicitum, peccatum est: videtur autem voluntariè concupiscere, cum potest non concupiscere, reprimendo concupiscẽtiam, & non reprimit.

¶ Sed ex hoc sequitur magna quæstio; vtrùm omnis motus in sensualitate circa illicitum sit ad minus veniale peccatum. In hac quæstione explicanda Altisiodorensis libro 2. tractatu 28. cap. 1. tenet, quòd omnis carnis illecebra, licèt non sit in nostra potestate, est peccatum. Probatur hæc sententia. ¶ Quoniam peccatum originis nobis imputatur, licèt non sit in nostra potestate; quoniam fuit voluntarium in sua causa; sed istæ illecebræ fuerunt voluntariæ in sua causa: ergo nobis imputantur. Et confirmatur. Nam peccatum originis in sua causa nobis imputatur; carnis illecebra oritur ex peccato originali; ergo. Confirmatur secundò; peccata ebrij imputantur illi in sua causa, quoniam voluntariè lapsus fuit in ebrietate. ¶ Secũdò arguitur; si quis iret ad forum vbi sciret se habiturum tentationem carnis, licèt postquã illũc venit nõ posset nõ habere illecebram carnis, certè illi imputatur in sua causa, licèt postmodum in facultate hominis non sit posse vitare. D. Tho. videtur esse huius sententiæ in 2. d. 21. q. 1. art. 2. in corpore, & ad 5. & in 3. p. q. 41. art. 1. ad 3. dicit, quòd in Christo non fuit tentatio interior, quoniã hæc semper est peccatum: & D. Aug. dicit, nonnullum peccatum est quando caro concupiscit aduersus spiritum. ¶ Tertio arguitur: nam talis tentatio non est nisi appetitus sensitiui illiciti, alioqui non est tentatio: ergo est peccatum. ¶ Prętea, si non esset peccatum, quare cùm voluntas possit reprimere tales illecebras, tenetur reprimere? ¶ Item, si non esset peccatum, liceret in illis complacere; quia naturaliter insurgunt. ¶ Deniq́ue, hæc omnia confirmantur ex illo. Quod odi malum hoc facio: in qua sententia videtur significari, quòd licèt appetitio non sit in nostra potestate, est peccatum. In contrariũ est; nam si isti motus essent peccata, nunquam liceret eos permittere: consequens est falsum; nam licèt mihi audiendo confessiones, vel legendo materiã temperantiæ, eos permittere, vt infrà dicetur.

¶ Pro expositione dicendum est, illos motus sensitiui appetitus esse peccata, quæ sunt de malo obiecto, & sunt in nostra facultate, & nullos prętea. Probatur primò ex cõsensu omnium sanctorum, quos recensui in superiori dubio. Item ex illo Pauli; Fidelis est Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet ex tentatione prouẽtum. Sed certè si carnis motus contra nostram volũtatem esset in nobis peccatum, tentaremur suprà id quod possumus: imò dæmon posset à nobis extorquere peccatũ nobis inuitis; has enim tentationes carnis potest suggerere. Prętea, motus sensualitatis inordinati sunt peccata actualia: ergo nõ imputantur nisi ratione propriæ voluntatis. Peccatum verò originis, sicut origine contrahitur, ita ex mala Adę voluntate ortum habet, in quo proinde omnes sumus æquales: at in carnis illecebris non sumus æquales: ergo non imputantur nobis ratione originis. Prętereа D. Tho. arti. 3. in corpore, & ad 2. quẽ modo examinamus, apertè docet, illos motus sensualitatis nobis imputari, qui sunt in nostra facultate. Præterea, impossibile est quòd his illecebris non tangamur: ergo impossibile est in illis esse peccatum. Item, si illecebra carnis quæ non est in nostra potestate esset peccatum, in eodem tempore mereremur, & demereremur in illecebra carnis: demereremur quidem; quoniam habemus carnis tribulationem; ex alia parte mereremur in resistendo, quoniam faceremus opus egregiæ virtutis. Deniq́ue si motus appetitus sensitiui qui non est in nostra facultate, imputaretur nobis ratione peccati originalis, etiam esset peccatum in amente, & in

Secundum. — Respõ. pri. — D. Thom. — Respõ. secũ. — Vtrũ omnis motus sensualitatis circa illicita sit peccatũ. Altisiod. — Prim. argu. — Confir. pri. — Cõfir. secũ. — Secundum. — Aug. li. 19. de ciui. c. 4. — Tertium. — Quartum. — Quintum. — Confir. Rom. 7. — Qui motus sensualitatis sint peccata. — 1. Cor. 10. — D. Thom.

& in dormiente; quod absurdum est asserere. Atque adeò sequitur, quòd ignorantia inuincibilis esset peccatum nobis, siquidem est volita in peccato originis. Hæc omnia confirmantur
Rom. 8. ex illo. Nihil ergo damnationis est ijs qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant, sed secundum spiritum; qua in sententia loquitur Paulus de pugna carnis contra spiritum; dixeratque in fine capit. 7. quod per gratiam Christi liberamur à peccato: cui concinens in cap. 8. subdit. Nihil ergo damnationis ijs, &c. Cuius sententiæ hic est commentarius, quòd etiam si caro concupiscat aduersus spiritum, nulla tamen culpa imputabitur illis qui perseuerãt resistendò per spiritum. Idem patet euidentiùs. Nam in baptismate remittitur peccatum originale, & remanet fomes ad pugnam, & ad coronam potius quàm ad culpam; ergo qui legitimè certauerit contra concupiscentiæ motus, coronabitur; tantùm abest vt committat peccatum.
Argum. diluuntur. Ad argumenta in principio posita satisfaciendum est.
Ad primum ¶ Ad primum dicendum, quòd solum peccatum originale imputatur nobis ratione primi parentis: peccata verò actualia, cuiusmodi sunt carnis illecebræ, non imputantur nisi ratione propriæ voluntatis.
Ad primam confir. ¶ Ad primã cõfirmationẽ dicẽdũ, quòd licèt imputarentur nobis isti motus ratione peccati originalis, non imputarentur noua imputabilitate. Secundò respondetur, quòd carnis illecebræ sunt multoties motus naturales, sic etiam quòd si nõ haberemus peccatum originis, sequerẽtur: vt si essemus in puris naturalibus conditi.
Ad secundã confir. ¶ Ad secundam confirmationem dicendum, quòd peccata ebriorum imputantur illis, nõ nõ ua imputabilitate. Secundò dicitur, quòd imputantur ratione propriæ voluntatis, quæ præcessit: sunt enim actualia. Atq; adeò dicitur, quòd non sequũtur, nisi sæpenumero ex inclinatione naturali: peccatum verò originis fuit causa sine
Ad secundũ qua non. ¶ Ad aliud dicendum, quòd talis illecebra imputatur; quia fuit volita in propria voluntate, ex qua fuit subsequuta. ¶ Ad alia
Ad D. Tho. argumenta fortiora respondendum est, & ad D. Thom. dicitur, quòd mutauit sententiã, vt patet ex hoc loco. Ad illud de Christo respondetur, quòd carnis illecebra ex suo genere est peccatũ, nisi inaduertentia excusetur, quæ in Christo non potuit esse: quapropter si in Christo fuisset tentatio carnis, fuisset peccatum; fuisset namq; præuisa. Itẽ cõsurgit ex fomite & corruptione naturæ; in Christo verò non fuit fomes peccati. Item, in Christo nullus actus fuit indeliberatus; quare si fuisset tentatio carnis, esset peccaAd D. Aug. tum. ¶ Ad Diuum Augustinum respondetur, quòd intelligit, quando homo potest reprimere talem motum, & non reprimit. Vel intelligit nomine peccati corruptionem humanę naturę, quoniam est effectus peccati: vel quoniam solicitat ad peccandum.
Ad omnia alia argumenta. ¶ Ad omnia alia argumenta respondetur, optimè concludere quòd motus sensualitatis de malo obiecto, ex genere est peccatum: cæterùm non imputatur, quando non est in nostra facultate.
Ad locum Pauli. ¶ Ad locum Pauli dicitur, quòd certè difficilis est; quoniam variè exponitur à Doctoribus: tum etiam, quoniam Paulus rem obscurat allegorijs; distinguit enim in homine duas personas; vnam spiritualem; alteram carnalem; illa semper vult bonum; ista verò malum: quod fortè fuit occasio Manichæis ad dicendum, quòd in homine erat quædam natura mala, quæ semper ad malum inducit. Tertiò, est obscurus ille locus; quoniam ex eo videtur sequi, quòd concupiscentia naturalis sit peccatum. Dicitur tamen, quòd cùm sermo sit de viro iusto, sensus est, (quod enim operor, non intelligo) id est, non approbo, sed me nesciente, & aliud agente, & omnino repugnante insurgit affectio, quæ mala dicitur; quia ad malum prouocat; vel quia est effectus peccati. Præterea dicitur mala, quoniam ex genere suo est mala, licèt nobis non imputetur. Quartò, quoniam licèt non intelligam deliberatè & perfectè, intelligo imperfectè, & ideo est culpa venialis.
Exponitur solutio secundi. ¶ In solutione secundi habet Diuus Thomas quatuor sententias, quæ sunt valde animaduertendę. In primis dicit; quòd corruptio sensualitatis perpetua, quæ fomes est, secundum quem
Fomes non tollitur in hac vita. sensus nostri proni sunt ad malum ab adolescentia sua, nunquam tollitur in hac vita: peccatum enim originis licèt transeat reatu, id est, quantum ad culpam, manet actũ, quantum ad fomitem; id est, quantum ad inclinationem.
Secundò dicit Diuus Thomas, quòd singulos motus sensualitatis possumus cauere ex liberi arbitrij facultate. Tertiò dicit, quòd omnes simul non possumus compescere, sed necesse est aliquando labi. Quartò dicit, quòd motus sensualitatis inordinatus imputatur ad peccatum, quoniam singulos possumus cauere pro nostra libertate. Istæ assertiones sunt prima principia in nostra religione, quæ sunt exactè exposita in
Triplex de potentia sermo. materia de gratia. ¶ Vt verò hæc doctrina elucidetur, nouisse oportet quod antea à nobis admonitum est, quòd de potentia possumus loqui tribus modis; logicè, physicè, moraliter. Logicè quidem, vt cum dicimus contradictoria non posse simul esse vera. Physicè, vt cùm dicimus non cessaturas rerum generationes. Moraliter, vt cum dicimus, nequit fieri vt omnes homines sint studiosi, sed necesse est vt veniant scandala, necessum est hæreses esse.

Dicimus ergo, quòd homo non potest, non solùm loquendo de potentia morali, sed etiam de potentia physica, singulos motus sensualitatis præuenire, vt non insurgant ante rationis iudicium; nam appetitus sensualis sequitur apprehẽsionem sensus, quæ naturaliter prior est quàm rationis iudicium: ergo necessum est vt appetitus sensitiuus sæpenumero sequatur bonum apprehensum per sensum, antequam rationis iudicio reprimi possit: & de talibus motibus diximus, nullo modo esse peccata venialia. Hoc autem quod diximus, intelligẽdum est secundum legem ordinariam, & secundum communem cursum. Nam ex specialissima gratia, beatissima Virgo continebat omnes motus portionis inferioris, ne insurgerent ante rationis iudicium.

De beatissima Virgine

¶ Illud etiam addendum est pro explicatione doctrinæ D. Thom. quòd moraliter loquendo non potest homo ita esse in promptu, vt statim reprimat omnes motus insurgentes, cùm primùm potest reprimere; licèt singulos possit. Et hoc probat ratio D. Thom. in solutione secundi cùm inquit, accidere sæpenumero vt dum quis vult motum concupiscentiæ reprimere, diuertendo cogitationem ad scientiæ cognitionem, insurgat alius motus impremeditatus inanis gloriæ. Quod non ita intelligendum est, quòd ille motus vanæ gloriæ cùm primùm insurgit, peccatum sit, sed quia homo est in quali quali mora in reprimendo illum, quia interim occupatur in compescendo carnis insultum. Et quidem, moraliter loquendo, necessum est vt tot tentationibus occupatus & circumuallatus aliquam negligẽtiam habeat in huiusmodi motibus compescendis; nec tamen propterea desinit esse peccatum veniale; quia ad hoc satis est illa potentia reprimendi singulos. Hæc est doctrina D. Thom. in hac solutione, quam etiam amplectitur Durand. in 2. d. 24. q. 5.

Durand.

ARTIC. QVARTVS.

¶ Vtrùm in sensualitate possit esse peccatum mortale.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio.

Conclusio est negans: quia sicut inordinatio corrumpens principiũ vitæ corporalis causat mortem corporalem; ita etiam inordinatio corrumpẽs principium vitæ spiritualis, qui est vltimus finis, causat mortem spiritualem peccati mortalis. Sed ordinare aliquid in finem, non pertinet ad sensualitatem; imò ad rationem: deordinare autem à fine non est nisi rationis, cuius est ordinare: ergo peccatum mortale non est in sensualitate.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CONstituto & probato in superiori articulo quòd in sensualitate potest esse peccatum, quærit D. Thom. in hoc articulo quale peccatum; mortale, an veniale. Et respondet D. Thom. hîc, & in 2. d. 24. q. 3. art. 2. quòd solùm veniale: & probatio D. Thom. satis efficax est ad id suadendum. Sed vt exactiùs rem definiamus, sciendum est, quòd appetitus sensitiuus potest varijs modis considerari. Primò, sine ordine ad rationem & voluntatem, cuiusmodi est in brutis; & hoc modo non potest esse subiectum peccati. Secundò, vt est appetitus hominis absque eo quòd moueatur à ratione, vel voluntate; & hoc modo dicit Caietan. quod est subiectum peccati venialis; cuius sententiam in superiori articulo confutauimus. Tertiò potest considerari vt præuenit rationis deliberationem, cùm motus illius poterat reprimi à ratione, & non reprimitur; & tamẽ non est cum deliberatione; & sic potest esse subiectum peccati venialis tantùm. Nam in appetitu sensitiuo possunt esse duplices motus; quidã sequentes deliberationem rationis: alij qui non procedunt ex imperio rationis, sed voluntas potest eos impedire. Priores quidem, licèt sint in appetitu sensitiuo, tamen quia sunt à ratione vt à principio, attribuuntur rationi, & non sensualitati; quia sensualitas, vt dictum est, dicitur inquãtum præuenit deliberationem: posteriores verò tribuuntur sensualitati, quæ propter imperfectã deliberationẽ nõ possunt esse peccata mortalia. Sed & alio modo potest cõsiderari appetitus sensitiuus, quãdo mouetur à ratione imperfecta, & non plenè deliberata; & hoc pacto etiam est subiectum peccati venialis tantùm. Vltimò potest considerari vt mouetur à ratione perfectè & deliberatè: & hac consideratione est subiectum virtutis & vitij, atque culpæ mortalis. Quare non est idem dicere, in sensualitate non potest esse culpa mortalis, & in appetitu sensitiuo non potest esse culpa mortalis; nam sensualitas dicit appetitum sensitiuum, quatenus præuenit rationis deliberationem. Sed in sequentibus articulis eui dentiùs & vberiùs definiam, quando motus appetitus sensitiui sint peccata mortalia: nunc verò satis

Varia cõsideratio sensitiui appetitus.

Duplex motus appetit. sensitiui.

satis explicatum existimo, quomodo in sensualitate sit tantùm peccatum veniale.

ARTIC. QVINTVS.

¶ Vtrùm peccatum possit esse in ratione.

Conclusio. AFfirmans est conclusio. Nam cum ratio duplicem habeat actum; vnũ secundum se in comparatione ad proprium obiectum, quod est cognoscere aliquod verum: alium verò inquantum ratio est directiua potẽtiarum aliarum; vtroque modo in ratione contingit esse peccatum: & primo, inquãtum erratin cognitioneveri, quod tunc imputatur ei ad peccatum quando habet errorem, vel ignorantiam circa id quod potest, & debet scire. Secundo modo quando inordinatos actus inferiorum virium vel imperat, vel etiam post deliberationem non coercet.

ARTIC. SEXTVS.

¶ Vtrùm peccatum morosæ delectationis sit in ratione.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. AFfirmans est conclusio. Nam ratio nõ solùm est directiua actuum exteriorũ, & sed etiam passionum interiorum: ideo quando ratio deficit in directione interiorum passionum, dicitur esse peccatum in ratione: sicut quando deficit in directione exteriorum actuum. Sed deficit ratio in directione passionum interiorum dupliciter: vno modo, quando imperat illicitas passiones, sicut quando homo ex deliberatione prouocat sibi motum iræ, vel concupiscentiæ: alio modo, quando non reprimit illicitum motum passionis, veluti quando homo deliberauit, quòd motus passionis insurgens est inordinatus; tamẽ circa ipsum immoratur, & non expellit: & secundum hoc dicitur peccatũ delectationis morosæ esse in ratione.

EXPLICATIO ARTICVLI.

DE ratione, quid sit, & quomodo distinguatur ab intellectu, & quẽadmodum diuidatur in rationem superiorem, & inferiorem, edisserit D.Thom. 1.p.q.79.art.8.& 9.& in 2.d.24.q.2.artic.2. ex quibus locis poterit lector petere quæ ad hanc quæstionem intelligendam necessaria videbuntur. Sed nunc explicitè & distinctè elucidanda est illa quæstio magna, & perdifficilis; quando motus illiciti appetitus sensitiui erunt peccata mortalia, quando verò venialia; quando ad peccata non imputantur: quæ quæstio cuique Theologo est difficillima. Hãc quæstionẽ fusè satis explanat Almaynus tract. 3.c.24.& in eius elucidatione distinguit tria tẽpora. Primum, in quo ratio deliberare non potuit; vt cùm visa muliere pulchra subitò rapitur homo in eius amorem, absque aliqua deliberatione: aut cùm quis viso inimico, subita concitatur iracundia. Et isti motus, quoniam sunt naturales, & non sunt in nostra facultate, non imputantur ad peccatum. Sed notandum, quòd quamuis isti motus sint naturales, & propterea non sint nobispeccata, nulla tamẽ ratione, quòd in Christo fuerint, est admittendum, propter rationes positas in artic. 4. in secundo dubio: Sed neque quòd fuerint in beatissima Virgine, vlla ratione est concedendum: nam licèt habuerit fomitem ante conceptum Christi, hic fuit ligatus per assistentiam Spiritus sancti, vt nõ potuerit in actum illicitum contra rationem prodire; post verò conceptum Christi fuit fomes omnino ablatus, vt dicit D. Thom. 3.p.q.27. artic.3. Secundum tempus est, cum ratio potest deliberare, sed cum magna difficultate; & tunc si non compescat affectum noxium insurgentem in appetitu sensitiuo, peccat venialiter, & non mortaliter: nam Deus, qui summa pietas est, non obligat nos ad mortale cum tanta difficultate. Tertium tempus est, in quo ratio de facili potest deliberare & statuere quid sit faciendum circa motum illicitum appetitus nostri: & tunc si ratio

D.Thom.

Grauis quæstio exponitur, quando scilicet motus appetitus sensitiui sint mortalia peccata. Almayn.

D.Thom.

non reprimat, cùm facilè possit, si materia est mortalis, est peccatum mortale; si verò leuis, erit veniale. Impugnatur Almay. Ista sententia nō videtur vera: & primò falsum est, quòd quando nō compescimus motum illicitum appetitus sensitiui quē possumus cum magna difficultate, semper sit veniale: nam ad maiora mandata seruanda non obligamur cum tam magna difficultate. verbi gratia. ego teneor audire missam, distat multùm Ecclesia, si currerem velocissimè, certè audirem, sed non teneor cum tanta difficultate. rursus, distat cōfessarius per quatuor leucas, teneor confiteri; certè non teneor adire cum tanto labore. Secundò insurgit in homine motus illicitus, quem poterat compescere si verberibus se affligeret; certè ad id non esset obligatus. Præterea, non tenetur homo facere tantam diligētiam, quanta legitur de beato Benedicto, & de beato Francisco, qui cum à libidine tentarentur, conijciebāt se in spinas, & nudi in niuem. Deniq́ue si intelligit aliquis quòd quando cænat, insurgit in lecto motus libidinis, non propterea tenetur se abstinere à cæna. Hoc intellige, quando isti motus nō trahunt ad cō sensum voluntatis; nam tunc potiùs esset moriendum. Præterea iste autor dicit falsum in eo quod dicit, quòd quando de facili possumus affectum noxium reprimere, & non reprimimus, & est materia mortalis, quòd tunc est peccatum mortale: nam aliquando, quòd nō reprimamus affectum noxium quē de facili poteramus, prouenit ex inaduertentia naturali, vel ex inaduertentia leui, & tunc vel nullū erit peccatum, vel erit veniale tantūm. Diuisio eorū motuum qui sunt in appetitu. Alij vero Theologi facilè ab hac quæstione se expediunt; diuidunt enim motus illicitos in appetitu sensitiuo, in motus primò primos, & in motus secundò primos, & in motus perfectè deliberatos. Motus primò primus dicitur, quem voluntas reprimere non potest, sed subitò sine deliberatione insurgit. Motus autem secundò primus dicitur, quem ratio potest reprimere, sed tamen est inde liberatus motus. Perfectè deliberatus quid sit, nemo est qui ignoret. Dicunt ergo prædicti autores claritatis amatores, quòd motus primò primus non erit peccatum, dato quòd sit cōformis passioni illicitæ; siquidem non est in manu nostra: motus verò secundò primus erit peccatum veniale propter imperfectionem deliberationis: motus perfectè deliberatus erit peccatū mortale, si fuerit concupiscentiæ prohibitæ in re graui. Certè isti Doctores vera dicunt, sed nō explicant quod desideramus, nempè quomodo in euentibus particularibus, quæ de rebus agendis se offerunt, possimus dignoscere quādo erit motus primus; quando secundò primus, quando deniq́ue erit perfectè deliberatus: potissimè verò, quando negligentia reprimendi noxias cō cupiscentias imputabitur ad peccatum. Igitur hanc rem explicat eleganter Dominus Caietan. in sua summa, verbo delectatio; ex quo hæc documenta sunt memoriæ mandanda. Dñi Caiet. optima expositio. ¶ Primum documentum. Motus illiciti appetitus sensitiui ex obiecto expendendi sunt. Itaque si actus de quo delectatur homo, est peccatum mortale, ipsa affectio erit peccatum mortale, si adest voluntatis consensio: si verò est de re prohibita in materia leui, erit peccatum veniale & leue: si verò est de obiecto bono, affectio erit bona. Hæc regula de se est manifesta, & propterea confirmatione non indiget. Pri. docum. ¶ Secundum documentum. Quando non consentimus concupiscentiæ, nō imputatur nobis ad peccatum, quamlibet praua sit: nam peccatum adeò est voluntarium, quòd si non est voluntarium, peccatum non sit: & esse magnum delirium scribit Augu. dicere, quòd sine voluntate est peccatum: quapropter quando præcipitur in lege, Non concupisces, non dicitur carni, non concupisces, sed homini, qui dicitur tunc operari, quando secundum rationis deliberationem operatur. Prætcrea est alius sensus huius præcepti; Non concupisces; id est, post concupiscentias tuas non eas, vel ne obedias cō cupiscentijs, vel non regnet concupiscentia. Itaque non prohibet lex quòd in nobis insurgat concupiscentia: hoc enim erat præcipere rem prorsus impossibilem. Secū. docu. Quādo non cōsentimus cōcupiscentiæ, nō imputatur ad peccatum. Augus. ¶ Tertium documentū. Si persona cogitando de aliquo actu quantumcunque malo, delectatur non aduertendo ad id de quo delectatur, ita quòd si aduerteret, nō approbaret, etiam si per vnum diem cogitet, & licèt facilè reprimere possit, non est ibi peccatū. Probatur: quia actus sine aduertentia non est actus humanus; ergo non potest esse peccatum. Tert. docu. Delectatio de malo obiecto, sine aduertētia, peccatū nō est. Deinde D. Thom. articu. 3. huius quæstionis ad secundum dicit apertè, motū sensualitatis tunc imputari ad peccatum, quando ratio præsentit, & non reprimit; ergo si non præsentit, non reprimet; & sic ad tertium sic scribit. Peccatū morosæ delectationis non consistit in mora temporis, sed in mora voluntatis, quando ratio aduertit: ergo si non aduertit, peccatum non est. D. Thom. Idem docet Augustus. ¶ Sed contra hoc documētum quòd nō sit certum, fiunt aliquot argumēta. ¶ Principiò D. Thom. arti. 3. ad 3. expressè docet, quòd motus sensualitatis præueniens rationem, est peccatum veniale: ergo licèt ratio non aduertat, erit peccatum veniale. Aug. 12. de trini. c. 12. Argum. cōtra tertiū documentū Primum. Secundum. ¶ Deinde, D. Thom. artic. 7. huius quæstionis ad quartum docet, quòd quando ratio potest deliberare, & nō deliberat reprimendo concupiscentiam, imputatur ad peccatum. D. Thom. Quæ omnia confirmantur optima ratione: nam ratio potest aduertere quando insurgit libido, & tenetur aduertere: ergo si non aduertit, imputatur ad peccatum. Confir. Certè si quis

quis dedita opera dissimulet; & non aduertat, si ne dubio peccat: ergo licèt ratio non aduertat, imputatur ad peccatum. Profectò videtur vrgés argumentum: nam talis potest facilè deliberare, & ideo si non deliberat, iam videtur ei imputari. Solutio. Ad hæc argumenta dicendum est, documentum esse intelligendum quando inaduertentia est subita, & naturalis, & minimè negligés; secus esset si esset affectata, atq; adeò aliud esset si homo sæpenumero esset expertus in se suam inconsiderationem, & daret causam tali inconsiderationi; tunc sine dubio talis inaduertentia esset peccatum, & libido inde subsequuta. Sed & illud addendum pro argumentorum cõfutatione, quòd licèt possimus reprimere concupiscentiæ motum in casu commemorato, non tenemur, cùm non aduertimus delectari; aut malè agere. Quart. doc. ¶ Quartum documentum. Si aduertit homo se delectari, vel tentari, sed prævalente impetu passionis non plenè aduertit, est peccatum veniale propter imperfectionem deliberationis. Hoc documentum amplectuntur viri doctissimi: Caietan. in sua summa, verbo, delectatio. Caiet. Sylvest. Adrian. Sylvest. eodem verbo: Adrianus in 4. in materia de Eucharistia. q. 4. Ioan. Nider in opusculo de decem præceptis, elucidans illud; Non cõcupisces. Huius rei sunt tres probationes. Prima est: nam ad peccatum requiritur aduertentia, & deliberatio: ergo ad perfectum peccatum, quale est mortale, requiritur perfecta deliberatio. Secunda probatio est; quoniam iste videtur esse sensus illius sententiæ; Iac. 1. Concupiscentia cùm cõceperit, parit peccatum; peccatum cùm cõsummatum fuerit, generat mortem. Tunc dicitur concupiscentia parere peccatum, quãdo admonet rationem; ac si diceret; ecce adsum: quando verò ratio perfectè consentit, tunc consummatur peccatum, & mortem generat. Tertia probatio est; nam vel sola ista causa excusantur homines surgentes à somnijs à delectatione pollutionis, si quid mali illis complacuit antequam perfectè consentiant. Quint. doc. ¶ Quintum documentum. Si plenè aduertit, vel dissentit, vel consentit, vel negatiuè se habet; si primum, clarum est quòd nullum est peccatum; dico si dissentit non solũ in opus, sed in delectationem, & motum curat reprimere: si consentiat, peccat mortaliter, etiam si dissentiat in opus: si verò se habet negatiuè, & est in ancipiti, non consentiens, neque dissentiens, peccatum est mortale, si sit de re prohibita in materia graui. Ita decernit Caietan. vbi supra. Caiet. Lyranus. Idem docet Lyranus, elucidans illud Matt. 5. Qui viderit mulierem ad concupiscendũ eã. D. Thom. Subscribit D. Thom. de veritate q. 15. artic. 4. ad 10. & hîc in solutione 3. & 4. articu. sequentis. & in articul. 8. Sed probatur euidentiùs: nam qui sciens ac prudens admittit concupiscentiam carnalem, exponit se periculo peccandi mortaliter: sed qui amat periculum, peribit in illo: ergo peccat mortaliter. Eccles. 3. Deinde, ille qui aduertit, & hæret in ancipiti ex parte voluntatis, habet consensum interpretatiuum: ergo peccat mortaliter. Antecedens sic ostenditur: nã ille tenetur reprimere illam concupiscentiam noxiam, & nõ reprimit cum possit: ergo tenetur in crimine, & cõsentire conuincitur. Præterea est præceptum negatiuum; Non concupisces; ergo qui post perfectam deliberationem admittit concupiscentiã noxiam, quam potest reprimere, transgreditur illud præceptum. In summa, talis conuincitur cõsentire ex ipsa continuatione delectationis; quia non prohibet voluntas quando potest, & debet: tunc enim homo dat operam peccato mortali quantum est de se; & prius excusabatur, quia nõ aduertebat, nunc autem iam potest prohibere, & aduertit plenè, & ideo si non prohibet, peccat mortaliter; sicut si non prohiberet manum ab opere malo inchoato in somno. Limitat tamen Caiet. Caietan. hoc dictum, dicens, quòd distinguendum est, ex qua causa iste negligat reprimere talem cogitationem de delectatione: si enim negligit cohibere ex complacentia delectationis voluntaria, est delectatio morosa, & imputatur ad peccatum mortale: si autem non ex complacentia, sed ex eo quòd quodammodo spernit illam certus quòd non trahet illum ad consensum, peccat quidem venialiter; quia tenetur homo adhibere vires ad persequendos hos insultus, donec deficiant; sed non est peccatum mortale: virtualiter enim dissentit; imò non videtur continuare illam delectationem, sed pati potiùs illam: & hoc sæpenumero accidit in viris perfectis. Hæc Caietan in summa. Ex hac doctrina sequitur, quòd quando concupiscentia noxia nõ est volita in se, nec formaliter, nec interpretatiuè, sed tantùm in sua causa, iudicandum est de illa sicut de sua causa: si causa est bona, affectio erit bona; si mala, noxia erit affectio: quòd si esset indifferens, affectio quoque erit indifferens. verbi gratia. confessarius audit confessiones, & in eis res obscœnas, propter quas patitur motũ inordinatum in appetitu sensitiuo repugnante voluntate, non oportet quòd habeat scrupulũ, quia causa bona est. Item lectores & prædicatores, quos pro suo officio oportet de rebus libidinosis disputare, non propterea debent timere, licèt patiantur motus inordinatos appetitus sensitiui repugnante voluntate; alioqui, vt optimè dicit Caietan. opusculo 27. quæstionũ q. 16. Caiet. debebat homines aut esse angelos, aut priuilegiatos: quo in loco disputat illam quæstionem de pollutione ex audientia confessionis proueniente, num peccatum sit; de qua paulò inferiùs diligenter inuestigabitur. Obiectiões cõtra doctrinam Caiet. Hæc documenta à

Domino

Domino Caietan. ingeniosè satis excogitata, nõ ab omnibus vt indubitata approbantur; non enim, vt quidam existimant, sufficienter probat Caietan. quòd consensus in delectationem noxiam sit mortale peccatum: imò ex autoritate Iacobi; Concupiscentia cum cõceperit, parit peccatum; videtur oppositum sequi: nam ibi dicitur, quòd peccatum cùm consummatum fuerit, generat mortem; vnde videtur, quòd priusquam consummetur, non est mortale: sed clarũ est quòd peccatum non consummatur nisi per opus ipsum, vel saltem per consensum in opus: ergo prius non est mortale, & consensus in delectationem solùm videtur esse concupiscentiam concipere, quod non videtur mortale secundũ Aug. Apostolum. Nec verba Augustini satis apertè hoc docent; imò peccatum hoc videtur reponere in ter venialia; quia dicit; quòd pro illis oportet pectus tundere, & dicere, Dimitte nobis debita nostra, vt refert D. Thom. in hac quæstione art. 8. in sexto argumento. Sanè si delectatio de se esset mortalis, teneretur homo semper eam reprimere, nec excusaretur propter officiũ, vel opus honestum, cuius oppositum suprà dictum est, vide Adria. in q. 4. de Eucharist. vbi ponit quinque argumenta contra hoc documentum Caiet. sed tãdem tenet quod dictum est, & allegat Bonauenturam in huius sententię confirmationé. Et profectò hæc sententia efficaciter probatur ex illo præcepto; Non concupisces; quod sine dubio transgreditur, qui consentit in prauam concupiscentiam, aut delectationem. Item probatur ex illo; Si quis viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est in corde suo; sed talis concupiscit, & quidem voluntariè: ergo in crimine tenetur. Sed & illud documentum Caietan. in quo asserit quòd tenetur homo quando aduertit reprimere noxiam concupiscẽtiam, nõ omnibus probatur: nam in quiũt, quòd nulla est autoritas scripturæ ad probandũ quòd negligentia reprimendi talem motum sit peccatum: & Adrian. vbi suprà, videtur dicere quòd non est mortalis talis negligentia, nisi ratione periculi; & hoc etiam videntur sonare verba D. Thom. de veritate, quæstione 15. articulo 4. Vn de quibusdam Doctoribus videtur probabile, quòd quando ex huiusmodi delectatione homo non exponit se periculo consensus in opus, nunquam negligentia reprimendi sola est mortalis: dico, sola; quia si talis negligentia esset (vt ait Caietan.) vt delectaretur, non excusaretur à mortali; & qui vel ex complexione, vel dæmonis suggestione frequenter pateretur huiusmodi tentationes, & iam de se sumpsit experientiã de constantia sua, non existimant viri docti obligari semper ad repellendas tales delectationes, sed potest eas contemnere; imò nec venialiter videtur tunc peccare. Sed certè sententia Caiet. vera est, & omni dubio procùl tenenda: nam D. Augustin. ita decernit in loco citato, & Magister senten. in 2. d. 24. & argumẽta adducta superiùs eam euidenter demonstrant: & ratio D. Thom. in hoc articulo est admodum efficax. Nam ratio tenetur passiones animi sui dirigere, veluti tenetur membra coërcere ne aliquid illicitum efficiant, tenetur itaque homo reprimere concupiscentias ne ad illicita ferantur. ¶ Sed ex dictis oritur aliud grauius dubium: non enim videtur verum, quòd quãdocunq; homo aduertit, & potest vitare tales motus, teneatur reprimere, vel vitare, vt animaduertere licet in illo qui audit confessiones, vel studet in materia de peccatis venereis, qui non peccat, neq; tenetur desistere propter motus insurgentes. Quod vt vberiùs elucidetur, quæritur; vtrùm quando actus inordinatus non est volitus in se, sed in sua causa, teneatur causam auferre. verbi gratia. vt quis comparet peritiam Latinæ linguæ, legit Martialẽ, ex lectione cuius sequitur pollutio, aut delectatio noxia in appetitu sensitiuo; quæstio est, an tenea tur à tali lectione abstinere. Item confessarius audiens res turpes in confessione, ex quo sequi tur pollutio contra eius voluntatem; quæstio est an teneatur à confessionibus audiendis abstinere. Et videtur quòd sic. ¶ Nam omnis seminatio voluntaria, extra matrimonium, est peccatũ mortale: sed hæc pollutio est huiusmodi: ergo. Minor probatur: nam confessarius potest pro sua voluntate abstinere à confessionibus audiẽdis, & sic non sequetur seminatio. ¶ Secundò, si hæc seminatio est excusanda, maximè quia potest accidere, quòd causa sit voluntaria, & quòd effectus non sit voluntarius: sed hoc non potest esse in causis naturalibus, ex quibus naturaliter sequitur effectus. Sequela est nota: nam qui vult antecedens, vult necessariò consequens, quod scit necessario ex antecedente sequi: ergo hæc seminatio non potest excusari. Et confirmatur: nam iste effectus est inordinatus, scilicet extra matrimonium pollui, & est voluntarius; ergo peccatum. ¶ Tertiò, si quis aspiceret mulierem pulchram, & ex tali visione sequeretur pollutio, tenetur à tali visione abstinere, licèt aliàs esset iustum. ¶ Quartò, si quis maritus oscularetur vxorem suam, aut verò tangeret, sic adeò quòd ex osculis & tactibus sequeretur pollutio extra vas legitimum, certè tenetur ab osculis & tactibus abstinere, vt optime docet Caietan. verbo, interrogatio, in sua summa, circa sextum præceptum: ergo si confessarius audit confessionem, & ex tali confessionis auditione sequitur pollutio, obligandus est à talibus confessionibus audiendis abstinere. ¶ Pro expositione notandum cũ Domino Caieta. aliquid esse voluntarium duplici-

Defenditur Caietan.
D. Aug.
Mag. sentẽ.
An quando actus inordinatus est volitus in sua causa, necessario sit tollenda causa.
Prim. arg.
Secundũ.
Confir.
Tertium.
Quartum.
Caiet.
Not. 1. Voluntariũ duplex.

pliciter; vno modo in ſeipſo: vt cùm quis vult dormire; alio modo in ſua cauſa, vt cùm quis ſe ingurgitat cibo & potu, vult ſomniũ in ſua cauſa. ¶ Secundò notandum, quòd quãdo aliquid eſt volitum in ſua cauſa, nihil refert, fiat ne in ſomnis, aut in vigilia, quod attinet ad bonitatẽ, vel malitiam moralem: ſicut ſi nauta cat dormitum, & eius abſentia & negligentia ſubmergatur nauis, perinde peccat ac ſi eo præſente & vidente ſubmergeretur. Ratio eſt; quoniam hoc tantùm habet rationem voluntarij in ſua cauſa; ergo tantùm habet rationem peccati in ſua cauſa. Ex hoc ſequitur, quòd quando pollutio in ſua cauſa eſt volita, nihil refert quòd fiat in ſomnis, aut in vigilia. Ex quo ſequitur, quòd id quod in ſomno non eſt peccatum, nec aufert virginitatem, etiam ſi accidat in vigilia, non eſt peccatum, nec aufert virginitatem. ¶ Tertiò notandum, quòd pollutio ſequuta in ſomnijs ex audientia confeſſionis, aut ex diſputatione de re venerea, non eſt peccatum mortale, nec aufert virginitatem, vt conſtat ex omnium hominum conſenſu: ergo ſi vera ſunt quæ diximus, licèt ſequatur in vigilia, propter eaſdem cauſas nõ erit peccatum mortale. Antecedens, præterquã quod conſtat ex cõſenſu omnium, aſſerit illud D. Thom. in 4. d. 9. ¶ Quartò notandum, quòd huiuſmodi pollutiones quæ in ſe non ſunt volitæ, ſed tantùm in ſua cauſa, non habent aliam bonitatem aut malitiam, quã eã quæ eſt in ſua cauſa: cùm igitur audientia confeſſionis, & diſputatio de rebus venereis ſit licita, & meritoria, ſit conſequens, quòd qui patitur inuitus pollutionem, non peccet, nec amittat virginitatem, nec polluat eccleſiam, magis quàm ſi in ſomnijs id ac id eſſet. ¶ Quintò notandum, quòd voluntarium contingit dupliciter; directè, vt cùm quis vult ſubmergere nauim; indirectè, quãdo quis non operatur quando debet operari. Ad hoc verò tres conditiones requiruntur; quòd poſsim, tenear, & non faciam; vt docet D. Thom. ſuprà q. 6. art. 3. ſed in noſtro caſu pollutio ſubſequuta non eſt voluntaria indirectè; licèt enim poſſim diuertere ab auditu confeſſionis, & à diſputatione turpi, ad id tamen non teneor. Et confirmatur: nã nullus artifex tenetur omittere opus inceptum propter defectũ materiæ: ſtultè enim faceret artifex qui omitteret conſtructionẽ ſerræ, aut gladij, quia cotrahunt rubiginẽ: iſti enim ſunt defectus ex parte materiæ: Pollutiões enim, & carnis ſtimuli oriuntur ex parte materiæ; ex eo enim quòd res venerea eſt materia tractanda à nobis, oriuntur ex neceſsitate ipſius materiæ prædicti ſtimuli, & carnis pollutiones repugnante voluntate; ergo propter huiuſmodi defectus ex neceſsitate materiæ ſubortos non debet confeſſarius ab huiuſmodi auditu confeſſionis abſtinere, aliàs oporteret eſſe homines, angelos, aut priuilegiatos. Itẽ ſi propter pollutiones quas confeſſarius inuitus patitur, deberet à confeſsionibus abſtinere, ſæpenumerò ſcandalizaret pœnitentem, & ei inferret iniuriam: ergo propter hoc non eſt à confeſsionibus abſtinendũ. Præterea, ſi ad hoc obligatur aliquando Sacerdos, eſſet perplexus citra culpam ſuam; & ſi eſſet vnus parochus in vno oppido paruo, qui inuitus huiuſmodi pollutiones patitur, tunc ſi audit confeſsiones, peccat mortaliter; quoniam patitur pollutionem; ſi verò non audit, peccat mortaliter; quoniam non eſt alius ſacerdos, & eſt extrema, aut grauis neceſsitas: itaque eſſet perplexus extra culpam ſuam. Item, aliàs Deus non bene ſuæ Eccleſiæ prouidiſſet de miniſtris tam neceſſarij ſacramẽti; vix enim reperies ſacerdotes, qui tentationibus carnis non commoueantur. Vltimò, ſi ex cibo & potu inſurgeret motus impudicus in membris pudendis, aut verò in appetitu ſenſitiuo, repugnante voluntate, non propterea obligandus eſſet homo à cibo & potu abſtinere: ergo ſi ex audientia confeſsionis inſurgit motus inordinatus, non propterea ab illa abſtinendum eſt. ¶ Ad argumenta, ad primum dicendum eſt, quòd omnis ſeminatio voluntaria in ſeipſa, extra matrimoniũ, eſt peccatum mortale; cæterùm non omnis ſeminatio voluntaria in ſua cauſa, extra matrimonium, peccatum eſt, vt eſt videre in eo qui polluitur in ſomnijs ex diſputatione habita de re venerea, aut ex audientia confeſsionis. Secundò reſpondetur, quòd ad hoc quòd voluntarium indirectè imputetur ad peccatum, eſt neceſſariũm quòd voluntas poſſit, & debeat, & non faciat. At verò pollutionem iſtam non tenetur voluntas cauere, vt patet; & ideo non eſt voluntaria. Tertiò, pollutio præterita ſemper eſt peccatum mortale, ſed ſubſequuta ex neceſsitate materiæ, vel me comedẽte, nõ eſt peccatum, aut me diſputante. ¶ Ad ſecundũ dicendum, quòd pollutio quæ volita eſt in ſua cauſa iuſta & vrgente, nõ habet aliã malitiã, niſi eam quæ fuit in cauſa. Secundò dicitur, hoc argumentum habere eaſdem ſolutiones quas habuit præcedens: atque adeò dicitur, non eſſe certam illam regulam; qui vult antecedens, vult neceſſariò conſequens quod videt ex tali antecedente ſubſequi: de quo alibi dictum eſt. ¶ Ad tertium dicendum, quòd qui ſine cauſa vrgente exponit ſe periculo pollutionis, abſq; dubio peccat mortaliter; cæterùm ſi ex cauſa vrgente & neceſſaria permittit pollutionem, & magis ex neceſsitate materiæ, quã ex electione, nullũ peccatũ eſt ſi fiat renitẽte volũtate. v. g. ſi mulier exeat de domo ſua ſine cauſa, quando ſcit à iuuenibus ſe adamandam, certè peccat mortaliter; verùm ſi egreditur è domo ſua ex vrgente cauſa,

Not. 2.

Not. 3.

D. Thom. Not. 4.

Not. 5.

D. Thom.

Solut. arg. Ad primũ.

Ad ſecundũ

Ad tertium

sa, licèt intelligat se à iuuenibus adamandã, non peccat. ¶ Ad quartum dicẽdum est, sicut ad tertium: ego enim non approbo illam regulam superiùs insinuatam, quòd si causa pollutionis est licita, quando pollutio est volita in sua causa tã tùm, non est peccatum, addendum est, si causa iusta est vrgens & necessaria, & pollutio sequitur ex necessitate materiæ: & iam adhuc cũ ista limitatione non est adeò certa, quin opposita sit probabilis. ¶ Aliud dubium est, vtrùm sit licitũ gaudere de pollutione transacta inculpabili, vel in somnijs, vel ex audientia confessionis. Et videtur quòd sic. Nam si obiectum voluntatis nõ est malum, voluntas non est mala; actus enim ex obiecto speciem sortitur: sed illa pollutio fuit licita, & inculpabilis: ergo licet de illa gaudere.

¶ Secundò, accessus Iacob cùm Lia fuit licitus, & inculpabilis: ergo licuit propterea delectari.

¶ Tertiò, licitum est gaudere de mendacijs, & alijs peccatis quæ committunt ebrij, & stulti; ergo licitum est gaudere de pollutione quæ mihi in somnijs accidit. ¶ Quartò licitum est gaudere de fine consequuto ex pollutione, scilicet de sanitate: ergo licet de pollutione. Probatur consequentia: nam quandocũque licet gaudere de fine, licet gaudere de medio necessario ad finẽ: sed quando pollutio est volita in sua causa, aut in audientia cõfessionis, aut in disputatione de re venerea, est licita & iusta, & non excusatur ignorantia: ergo licitum est eam appetere, & cõsequuta, de ea delectari. Ad hoc dubiũ autor summæ angelicæ, verbo, pollutio, dicit tria; vnum est, quòd licet delectari. Secundum, quòd est licitum eam desiderare. Tertium, quod non est licitum eam procurare. In primo dicto consentit Sylvest. verbo, pollutio §. 2. & D. Tho. in 4. d. 9. ar. 4. ad 4. ¶ Pro explicatione est prima cõclusio. Id quod est licitum desiderare, licitũ est procurare: quapropter si liceret desiderare pollutionem, ergo pollutio est licita; ergo licebit eã procurare. Secundò, in omnibus alijs rebus quæ licet desiderare, licet procurare: sed hæc pollutio de qua differimus, est mihi cõmoda, & licita, & nulla lege interdicta: ergo licet procurare, si licet desiderare. Sed videtur quòd hæc cõclusio nõ sit vera: nam licet mihi desiderare quòd latro interficiatur, & tamen non licet procurare. Secundò, licuit prophetis desiderare mortem Christi, sed non procurare: atque adeò licitum est mihi consulere alteri minus malum, & tamen non licet procurare. Præterea, licet mihi desiderare q̃ condemnatus ad mortem infringat carcerem, & tamen non licet procurare, nec adiuuare.

Respondetur, in omnibus his casibus, eo modo quo licet mihi desiderare, licet procurare: licet vtique procurare vt Deus, aut Prætor interficiat latronem: idque à Deo licet procurare oratione & prece: à Prætore verò debita iustitia. Præterea, licuit prophetis sanctis desiderare mortem Christi, eamque orationibus postulare; & licitũ est mihi consulere alteri minus malum, & idipsum procurare per consilium, &c. ¶ Secunda cõclusio. Licitum est gaudere de bono subsequuto ex tali pollutione, scilicet ex sanitate. Hæc cõclusio est aperta. ¶ Tertia conclusio. Non est licitum gaudere de pollutione inculpabili transacta in somnijs: nam hæc pollutio suapte natura est peccatũ mortale: ergo non licet de ea gaudere. Secundò, hæc pollutio excusata fuit per ignorantiam: quoniam non fuit voluntaria: ergo si aduertat voluntas, nullam habet excusationẽ. Tertiò, habere delectationem de tali pollutione affert secum magnum periculum consentiendi: ergo. Quartò, nõ licet gaudere de eo quòd proximus à fera deuoretur, licèt hæc deuoratio sit inculpabilis. ¶ Quarta conclusio. Non licet gaudere de pollutione subsequuta ex audientia cõfessionum. ¶ Quinta conclusio. Non licet desiderare pollutionem subsequi ex audientia confessionum. Istæ propositiones patent: nam pollutio subsequuta ex audientia confessionum tã tùm habet excusationem, quoniam est in sua causa volita: ergo si est volita in se, nullam excusationem poterit habere. Argumenta verò opposita, & alia quæ fieri possunt, facilè soluuntur ex dictis. ¶ Circa hanc materiam supereſt aliud dubium explicandum; vtrùm in voluntate sint ponendi etiam motus naturales, & liberi semipleni, vt ponimus in appetitu sensitiuo: proderit enim hæc cognitio non solùm vt intelligamus vim voluntatis, sed etiam vt sciamus, vtrùm omnis actus voluntatis prosequutiuus concupiscẽtiæ prohibitæ sit malus; & si malus, an semper mortalis. Ad huius rei expositionem est prima conclusio. ¶ In voluntate sunt aliqui motus naturales, & non liberi, vt patet in pueris, & in amentibus: de quo latissimè disputatum est suprà q. 10. art. 2. & 3. ¶ Secunda conclusio. In volũtate sunt aliqui motus liberi semipleni, in quibus proinde non est nisi peccatum veniale: nam sæpenumero complacentia voluntatis est ex subita rationis apprehensione, in qua non potest esse perfecta deliberatio: & sic erit peccatum veniale. ¶ Tertia conclusio. In volũtate sunt actus plenè liberi. In hac conclusione probanda non est nobis necesse prodigere verba; est enim per se euidens.

Ad quartũ.

Dubium. An liceat de pollutione inculpabili gaudere.

Prim. argu.

Secundum.

Tertium.

Quartum.

Summa angelica.

Sylvest.

Prim. cõcl. Quod licet desiderare, licet procurare.

Obiectiões.

Solutio.

Secũ. cõcl.

Tert. cõcl. Non licet gaudere de pollutione inculpabili

Quar. cõcl.

Quin. cõcl.

Prim. cõcl. In voluntate sunt aliqui motus naturales & non liberi.

Secũd. cõcl.

ARTIC. SEPTIMVS.

¶ Vtrùm consensus in actum peccati pertineat ad rationem superiorem.

SVM-

SVMMA TEXTVS.

Prim. cõcl. PRima conclusio est affirmatiua. ¶ Secunda conclusio. Consensus in delectationem communiter pertinet ad rationem inferiorem.

Secũd. cõcl.

Tert. cõclu. ¶ Tertia conclusio. Consensus in delectationem aliquando pertinet ad rationem superiorem. Probationes harum conclusionum ex eodem principio eruuntur. Nam in actibus humanis præambula est ipsa delectatio quæ inducit ad actũ, & vltimò occurrit ipse actus. Quare sicut ad rationem inferiorem, quæ habet inferius iudicium, pertinet iudicium præambulum: ita ad rationem superiorem pertinet consensus in actũ: finale enim iudicium est de eo quod vltimò occurrit, & sic vltima sententia per quam iudicium finaliter terminatur, ad superiorem rationem pertinet; quamuis etiam de delectatione ratio superior iudicare possit: quia quidquid subditur iudicio inferioris, subditur etiam iudicio superioris, sed non è contra.

EXPLICATIO ARTICVLI.

MVlta hic essent dicenda de consensu, quomodò pertineat ad rationem superiorem, nisi essent à nobis vberrimè explicata suprà quæst. 15. artic. 4. Nunc verò dubium quod hîc proponit Caieta. operæpretium erit definire. Videtur quidem, quòd quemadmodum consensus in opus pertineat ad rationem superiorem, sic etiam consensus in delectationem; & quemadmodum cõsensus in delectationem pertinet ad rationem inferiorem, sic etiam consensus in opus. Nam sicut per rationes inferiores non consultis rationibus æternis potest ratio inferior consentire in delectationem; sic etiam in actum peccati: & sicut ratio superior neglectis rationibus æternis cõsentit in opus, sic etiam aliquando consentit in delectationem: ergo nulla est differentia, sed indifferenter potest consensus in rationem inferiorem, & superiorem referri. Hoc argumento conuictus Caietan. dicit, quòd vterque consensus secundum rem, quando fit secundum rationes temporales, est rationis inferioris; quando verò fit secundum rationes æternas solas (vt si quis ex solo contemptu æternæ legis consentit in delectationem, vel in actum) est rationis superioris; in hoc tamen est differentia, quòd quando est rationis inferioris, est etiam superioris, saltẽ negatiuè; quia tenetur obuiare dirigendo secundũ legem æternam, & non obuiat: quando verò est superioris, non est necesse vt sit inferioris; quia non spectat ad inferiorem de proprijs superiori iudicium deferre: vt cùm quis morosè delectatur de iniurijs fidei. Verificatur itaque doctrina Augustini & D. Thom. per quandam appropriationẽ, quemadmodũ in diuinis sapientia appropriatur Filio, bonitas Spiritui sancto; nõ quòd Spiritus sanctus non sit sapiens, & Filius non sit bonus; sed quoniam à nobis prius intelligitur sapientiam conuenire Filio ex modo suæ processionis, & bonitatem Spiritui sancto. Sic statuit Caietan. quòd rationi inferiori appropriatur cõsensus in delectationem; quia delectatio occurrit primò rationi inferiori vt bonum quoddam temporale: at rationi superiori occurrit actus iudicandus an sit licitus, vel non, secundum regulas æternas. Quòd si ratio superior non reprimit motum inferiorem, consulendo leges æternas, iam consensus in delectationem imputatur ipsi nõ positiuè, sed negatiuè, ad modum iam expositum. Sed nobis videtur (quod alio in loco vberiùs explicatum est) differentiam in hoc cõsistere, quòd ratio inferior nunquam consentit in actum peccati, nisi quatenus participat aliquid rationis superioris, quatenus ratione superiori regulatur, vel non regulatur cum possit regulari, quod apertè docet D. Thom. art. sequenti ad 1. Consimiliter dico, quòd consensus in delectationem potest pertinere ad rationem superiorẽ, quatenus delectatio est veluti vltimus actus, vltimo iudicio definitus; vt cum aliquis sic statuit; Volo delectari in cogitatione rei turpis, tametsi rem turpem non sim facturus. Delectatio verò vt præambula est ad actum peccati, pertinet ad rationem inferiorem. Hæc de isto articulo.

De cõsensu in delectationem, & in opus.

Caiet. sententia.

Autoris sententia.

D. Thom.

ARTIC. OCTAVVS.

¶ Vtrùm consensus in delectationem sine opere sit semper peccatum mortale.

SVMMA TEXTVS.

¶ De proposita quæstione sunt duæ

Duę opiniones. duæ opiniones diuersæ. Prima dicit quòd est mortale; alia, quod est veniale; & vtraque verum dicit, si rectè res expendatur. Pro quo est

Prim. cõcl. prima conclusio. ¶ Talis est delectatio, quale obiectũ: si res est peccatum mortale, delectatio mortalis; si veniale, venialis; si indifferẽs, indifferens erit delectatio. Hæc cõclusio liquida est de se, neque pro

Secũ. cõcl. batione indiget. ¶ Secunda cõclusio. Si aliquis consentiret in delectationem, quæ est de cogitatione fornicationis, peccatum esset veniale, & interdum nullum peccatum: nam cogitatio secundum se non est peccatum mortale, sed quandoque veniale; vt si quis inutiliter de ea cogitat: quandoque id erit sine peccato omnino; vt si quis vtiliter cogitat de ea ad prædican-

Tert. cõcl. dum, vel disputandũ. ¶ Tertia conclusio. Consensus in delectationẽ peccati mortalis, est peccatũ mortale: nam si aliquis cogitat de fornicatiõe, & delectatur de ipso actu cogitato; hoc non contingit, nisi quia affectio ei⁹ inclinatur ad hũc actum: nemo enim delectatur, nisi in eo quod est conforme appetitui suo. Quòd autẽ ex deliberatione eligat vt affectus eius conforme

turijs quæ secundum se sunt peccata mortalia, mortale peccatum est.

Quar. cõcl. ¶ Quarta conclusio. Consentire in delectationem de operandi modo artificioso excogitato, nullum est peccatum, nisi sit periculum consentiendi in opus. Probatio huius conclusionis est euidens: nam modus artificiosus non est peccatum, neque de eo cogitare: ergo delectatio de modo operandi, peccatum non est: vnde consentire in talem delectationem, peccatum non est.

EXPLICATIO ARTICVLI.

IN hoc articulo nónulla dubia sunt explicanda, quorum notitia ad cõponendos mores, & vitam instituẽdam est omnino perneceſsaria. Prima dubitatio est; Quid si quis delectatur de opere cum propria vxore, siue præterito, siue futuro, & in eam delectationem lubenter consentit, verbi gratia, vir cogitans de vxore absente, & actu coniugij, voluntariè delectatur de illo, num in crimine teneatur? Respondet Caieta. in sua summa, verbo, delectatio; idem esse iudiciũ sicut de opere, & ideo consensus in talem delectationem non potest esse mortalis; siquidem opus ipsum peccatũ non est. Dicit tamen, quòd erit peccatum veniale; quia nec necessitas, nec pietas suadet sibi talẽ mentis occupationem: intellige, si fiat sine periculo. Sylvest. eodem verbo limitat, & dicit verum esse, si adest locus, & tempus, & voluntas consummandi: sed hisce clusis, idem, inquit, est iudicium sicut de tactibus impudicis. Sed quidquid Sylu. dicat, postquã delectatio non est de opere prohibito, non credo esse mortale. ¶ Secundum dubium; Quid de vidua dicendum, quæ delectatur de opere præterito cum viro? Respondet Caie. non peccare mortaliter: tum, quia delectatur de operibus sibi licitis pro tẽpore quãdo fuerunt licita: tũ verò, quoniam plus est distinctè explicitèque approbare, quam delectari: sed constat quòd vidua licitè approbat prædictas delectationes: peccat tamẽ venialiter in huiusmodi memoria, quia caret necessitate, & pietate talis delectatio. Limitat Sylu. si sistat tantùm in memoria de re præterita cum displicentia præsentis concupiscentiæ. Sed non est opus superadditione huiusmodi limitationis, sed absolutè, & simpliciter vera est definitio Caie. si tamen absit periculum. Verũ est tamen quòd non liceret, vt rectè admonet Sylu. imaginari virum præsentem vt delectaretur. ¶ Tertiũ dubium; Quid si quis sperat se habiturum puellam in vxorem, & delectatur in cogitatione futuri operis: de hoc dubio neq; Caiet. neq; Sylu. verba faciunt, sed sequendo istorum autorũ documenta, videtur quòd non sit mortale. Et hæc fuit sententia doctissimi Patris Victoriæ. Nã idẽ est iudicium sicut de opere futuro cum propria vxore: licet enim velle cognoscere istam quando erit vxor mea; & ex ista volitione naturaliter sequitur delectatio: ergo non teneor vitare illã.

De viro cõsentiẽte in actu coniugij præterito. Caiet. Sylvest. De vidua quę delectatur de opere præterito. Sylvest. De eo qui delectatur de actu futuro. Victoria.

¶ Quar-

De eo qui delectatur in opere cõditionali.

¶ Quartum dubiũ; Sed quid si delectatur quis de opere cum muliere si esset vxor? putà; si esset vxor, vellem cognoscere eam, alioqui minimè; ex quo sequitur delectatio. Videtur quòd non sit peccatum mortale talis delectatio, postquam sequitur ex actu non malo. Respondet Caieta. quòd est mortale peccatum; quia delectatio nõ sequitur ex actu cõditionato. Pro quo obseruãdum est, quòd cùm aliquis desiderat actum cõiugij cum aliqua conditionaliter; id est, si esset sua; non peccat: quoniã tale desideriũ habet obiectum rationi consentaneum; sed cùm delectatur quis de huiusmodi actu conditionato cogitato, delectatio ipsa non spectat ad obiectũ desideratum, & cogitatũ, quatenus est cõditionale; ac per hoc redit ad naturam sui generis, scilicet delectationis morosæ de illicito concubitu, & relinquitur in specie delectationis voluntariæ de concubitu, ac si illa conditio non esset cogitata. Et quòd hęc doctrina sit ex necessitate amplectẽda, velex hoc demõstratur: alioqui omnia replerẽtur libidinibus & delectationibus; nã & religiosus posset habere istas delectatiões, & monachus in istis delectationibus conditionalibus occupari.

Caiet.

Delectatio tactus & aspectus.

¶ Quintũ dubiũ; Quid sit sentiendũ de delectatione tactuum, & aspectuũ? Respõdetur, pro regula generali habendum esse, quòd si delectatio est de opere bono, est bona; si de malo, est mala; & si de mortali, est mortalis; si de veniali, venialis. Tactus ergo si sunt mortales, putà, si sunt vel ex se, vel ex intentione libidinosi, velle delectari in illis erit mortale; si sunt honesti, velle delectari in illis erit honestum, vt cum sorore, vel secundùm patriæ probatam consuetudinem sine alia mala intentione. Similiter dicendum est de aspectibus: videre enim speciosam mulierem de se non est peccatum, saltem mortale, & per consequens nec hoc facere delectationis causa, vt ait Caietan. vnde infert Syluest. & rectè, quòd non solùm facere, sed etiam pati tactus de genere suo impudicos, est mortale. Et idem est si patiatur tactus alioqui non impudicos, sed quos credit, vel dubitat fieri malo animo. Sed hoc vltimum intelligendum est, vt ait Sylvest. si possit vitare sine scandalo. Ex his infert Sylvest. quòd puellæ, alioqui castæ, quæ tamen sensuali amore allectæ consentiunt in delectationem osculorum, & complexuum; si delectatio sit ex amore libidinoso, erit mortale; si verò ex amore casto, erit vel nullũ, vel venialẽ; sicut soror fratrem amat. sed de his dicetur in 2.2. in materia de temperantia.

Caiet. Sylvest.

Delectari in opere, aut in modo operãdi.

¶ Sed circa hæc vniuersa notandum est, quòd multum refert delectari in opere, vel in modo operandi: potest enim quis rex delectari hoc modo: si vellem occupare regnum Franciæ, sic & sic agerem, & his artibus vterer; & si vellem interficere hominem in duello, hoc & hoc modo facerem: neque hoc est mortale; sed vel curiosum, vel aliquando bonum, vt docet Caieta.

Quomodo cognoscetur rationẽ nõ cõsentire in cõcupiscentijs carnis.

¶ Sed iam dubiũ est; Quomodo cognoscemus quando ratio non consenserit concupiscentijs carnis? Certè si quis vbi primum aduerterit, sese conuerterit ad aliquod remedium, more Sãctorum Patrum, D. Hieronymi, & Benedicti; quorum alter vicit carnis concupiscentias volutando se nudum in spinis, & vepribus; alter tundẽdo indesinenter pectus proprium saxo: aut si hoc difficile videtur, saltem placeat modus Christi, vincendi per scutum fidei, qui singulis suis tentationibus obiecit scripturam, dicens; Scriptum est. Sic quoque cum tentatur Christianus, cogitet mandatum esse à Domino cæli & terræ; insuper scriptum esse in volumine legis; Nõ cõcupisces: & iterum; Neque fornicatores, neque adulteri regnum Dei consequentur. Ex quibus subinferat Christianus; ego qui sum qui resistã Domino Deo meo? & extra regnum Dei quid inueniam præter supplicium & mortem? præter confusionem, & amaritudinem. Istud est vti fide, quæ suo loco adhibita miram habet vim superandi, iuxta illud Ioan. Hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra. Si verò nec tale aliquid feceris, interim tamen constantiam retine mentis, nec dimouearis illectamentis carnis; tũc certum est te non consentire, iuxta Apostũ. Si quod nolo malum hoc ago, iam ego nõ operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Præterea, si in principio fortiter concupiscentiæ obstiteris, iuxta illud; Beatus qui tenebit, & allidet paruulos suos; hoc est, prauas concupiscentias subitò insurgentes; ad petram; petra autem erat Christus. Si nouissima quæ superuenient, ob oculos reuoces, prout Sapiens dicit; Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis. Si cœperis incumbere studiosè alicui negotio sancto, & honesto; quoniam desideria (vt Sapiens inquit) occidunt pigrum; noluerunt enim quidquam manus eius operari, tota die concupiscit, & desiderat. Si igitur vnum ex præmissis, aut aliquid simile feceris, certum habe te non consensisse. Rursus, certum habe èdiuerso, si manseris in otio, si luserit tecum hæc concupiscentiæ cogitatio, si cum aduerteris plenè non resistas, fiet interea delectatio morosa, quæ nõ est sine consensu, saltẽ interpretatiuo, vt superiùs explanatũ est. Sed & illud animaduertendum est, quòd si sit vir probus, qui nõ cognoscit se affectũ ad res turpes, nõ est periculũ quando dubitat an consenserit, quòd inclinet in meliorem partẽ, & credat se nõ consensisse: si verò sit homo desidiosus, & conflictatur quotidiè cũ suis passionibus, & sæpenumero cadit, declinandum est in deteriorem partem, & existimandũ quòd cõsenserit.

1. Ioan. 5.

Rom. 7.

Psal. 136.

Eccl. 7.

ARTIC. NONVS.

¶ *Vtrùm in superiori ratione possit esse peccatum veniale, secundum quòd est directiua virium inferiorum.*

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. AFfirmans est conclusio; cuius sunt duæ probationes. Altera est; quoniam consensus in actũ peccati pertinet ad rationem superiorem, vt suprà dictum est. Sed cõsensus in actum peccati venialis, est veniale peccatum: ergo in superiori ratione potest esse peccatum veniale. Secunda ratio est; quoniã (autore Diuo Augustino) ratio superior inhæret rationibus æternis, vel conspiciendis, vel consulendis. Conspiciendis quidem, secundum quòd earũ veritatem speculatur. Consulendis autem, secũdum quòd per rationes æternas de alijs iudicat, & ordinat; ad quod pertinet, quòd deliberando per rationes æternas consentit in aliquem actum, vel non consentit. Contingit autem quòd inordinatio actus in quem consentit, non contrariatur rationibus æternis, quia nõ est cum auersione à fine vltimò, sicut contrariatur actus peccati mortalis: & sic cùm ratio superior consentit in actum peccati venialis, non peccat mortaliter, sed venialiter: non enim auertitur à rationibus æternis.

Aug. 12. de trin. c. 7.

ARTIC. DECIMVS.

¶ *Vtrùm in ratione superiori possit esse peccatum veniale secundum seipsam.*

SVMMA TEXTVS.

Prim. cõcl. RRima conclusio. Ratio superior aliter fertur in suum obiectũ, aliter fertur in obiecta virium inferiorum. In obiecta enim inferiorum viriũ non fertur, nisi inquantum de eis consulit rationes æternas: vnde non fertur in ea nisi per modum deliberationis; sed circa proprium obiectum habet duos actus, videlicet simplicem intuitum, & deliberationem. ¶ Secunda conclusio. Deliberatus consensus in his quæ ex genere suo sunt peccata mortalia, est peccatum mortale; & ideo ratio superior semper mortaliter peccat, si actus inferiorum virium sint peccata mortalia: nam in directione inferiorum virium semper ratio superior habet se per modũ deliberationis. ¶ Tertia conclusio. Ratio superior circa proprium obiectum secundum simplicem intuitum potest habere aliquem actum inordinatum circa diuina; vt cùm quis patitur subitum infidelitatis motum, qui est peccatum veniale, antequã lex Dei plenè cõsulatur; quamuis infidelitas ex suo genere sit peccatum mortale: sed post deliberationem si talis motus maneret, esset peccatum mortale: & ideo circa proprium obiectum etiã si sit peccatũ mortale ex genere, potest ratio superior peccare venialiter in subitis motibus.

Secũd. cõcl.

Tert. cõclu.

EXPLICATIO ARTICVLOR.

Dubitatio ad articulorum intelligentiã pertinens. IN his articulis parua est dubitatio; Nũ in ratiõe superiori, secũdũ quòd cõsulit leges æternas cũ deliberatione, & circa proprium obiectũ possit esse peccatũ veniale? Et videtur quòd possit esse.

se. Nam lex æterna præcipit non mentiendum esse, & tamen ratio superior, si ex deliberatione consentiat in actum mendacij, non peccat mortaliter, sed tantùm venialiter. In aduersum est doctrina D. Thom. in vltimo articulo, vbi docet ad finem articuli, quòd circa proprium obiectum solùm contingit peccare venialiter in subitis motibus propter imperfectam deliberationem. Respondetur, quòd ex doctrina huius articuli solùm colligitur, quòd quando obiectum proprium, rationis superioris ex genere suo est peccatum mortale, poterit esse in superiori ratione peccatū veniale ex subitis motibus: quod non est intelligendum de motibus primò primis, sed de aliqua mora in reprimendis huiusmodi motibus imperfecta. At verò respectu obiecti inferiorum virium nunquam ratio superior poterit peccare venialiter, si obiectum ex genere suo sit peccatum mortale. Et ratio est: quia tunc ratio superior peccat, inquantum est directiua virium inferiorum per deliberationē. Cæterùm si obiectum rationis superioris sit ex genere suo peccatum veniale; vt mendacium; haud dubiè, consentire in illud etiam per deliberationem, erit tantùm peccatum veniale: neque contrarium huius docet D. Thom. in articulo.

Solutio.

QVAESTIO. LXXV.

De causis peccatorum in communi, in quatuor articulos diuisa.

DE hac re differunt Theologi in 2. d. 36. & D. Tho. q. 3. de malo, & 1. p. q. 48. & 49.

ARTIC. PRIMVS.

¶ *Vtrùm peccatum habeat causam.*

SVMMA TEXTVS.

Prim. cõcl. Oncluſio prima. Omnis entis tam priuatiui, quã positiui, danda est causa, excepto Deo. De ente positiuo nõ est dubium. De priuatiuo patet: nã potest geminam habere causam: vnam negatiuam, sicut causa tenebrarum est absentia luminis; alteram positiuam, quæ est causa per accidens priuationis, vt ignis est causa per se caloris, per accidens

Secũ. cõcl. verò causa frigiditatis. ¶ Secunda cõclusio. Omnes istæ causæ in peccato sunt assignandæ: nam peccatum est actus quidam positiuus, voluntarius, inordinatus. ¶ Tertia cõ

Tert. cõcl. clusio. Causa per accidens debet reduci ad causam per se, sicut causa corruptionis frigiditatis debet reduci ad causam productiuam caloris. Itaq; prius est causa per se, quã per accidens: prius enim ignis immittit calorem, quã sit priuatio frigiditatis. Non aliter in nostro proposito; voluntas prius per se producit actum voluntarium in ordine ad aliquod bonum commutabile, ex quo per accidens sequitur deformitas in opere, & carentia rectitudinis debitæ inesse. ¶ Quarta cõ

Quar. cõcl. clusio. Voluntas carẽs rectitudine rationis, & regulæ diuinæ, accedẽs ad operandum, non adhibita regula rationis, est causa per se actus voluntarij, per accidens verò est causa deformitatis, & carentiæ rectitudinis. Itaq; quod est positiuum in peccato, in voluntatem, tanquam in causam referendum est; cæterũ deordinatio, atque deformitas in defectum rationis & voluntatis referenda est.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Grauisquæstio de causa mali.

APud veteres erat grauis quæstio cum hæreticis, & maximè cũ Manichæis, de causa mali, vnde nam peccatum ortum haberet: quæ res multum torsit D. Augustũ. & detinuit illum in errore Manichæorum per nouem annos. Manichæi non referebant malum in nostrum liberum arbitrium, sed in malum Deum: constituebant namque duos Deos, vnum, summum bonum, à quo omnia bona; & vnum, malum, omniũ malorũ causam. Contra hos disputauit acerrimè D. Pater Aug. postquam conuersus est ad veram fidem, præcipuè in lib. quem composuit contra Manichæos de natura boni; & in li. de libero arbitrio; & in li. 2. de moribus Ecclesiæ, in disputatione quam habuit cum Fortunato Manichęo. In his

Aug. Manichęorum error.

libris demonstrat copiosè, peccatum esse referendum in nostram voluntatem, quæ pro sua libertate operatur, non adhibita rationis regula.

Peccatũ voluntatis germen.

Peccatum itaq; est germen liberi arbitrij, neq; causa eius extra voluntatem quærenda est: volũtate enim peccatur, aut rectè viuitur. Peccatur quidem, cum voluntariè operamur, non adhibita rationis, aut legis diuinæ regula. Recte viuitur, cùm adiuti diuina regula rectè operamur. Vndè peccatũ nec animal est, nec angelus, nec dæmon, sed est mala soboles à te ipso voluntariè propagata. Inuenta ista causa in quam reducitur malum, triũphat Aug. contra Manichęos asserens, non esse quærẽdam causam peccati extra voluntatem; docetq; subinde, potiùs habere causam deficientem, quàm efficientem; siquidẽ peccatum defectus quidam est: igitur peccatum non est aliqua natura quæ nos solicitet ad peccãdum, sed ortum habet ex causa deficiẽte, ex bono per accidens, ex bono imperfecto, atq; adeò ex bono quod ex nihilo producitur. Quod vt vberiùs exponatur, tum in moralibus, tũ in naturalibus quomodo malum oriatur, patefacien dum est.

Aug. 5. cõf. c. 10. li vnico de duabus animabus c. 10. & li. 3. de libe. arb. c. 17. & libr. 3. contra Iulian. pelag. c. 5.

Quomodo oriatur malum in naturalibus & moralibus.

¶ Certè in naturalibus malum contingit ex parte agentis, ex parte effectus, ex parte materiæ, & ex parte formæ. Ex parte quidẽ agẽtis, quando patitur agens defectum virtutis, ex quo sequitur actio deficiens, vt patet in mẽbro impedito, siue imbecillo, in tibia clauda, in arbore vitiosa, quę proinde fructum vitiosum producit. Hoc malum ortũ habuit ex bono; quia producitur ab agente; cui accidentarium est quòd habeat defectum virtutis: atqui de hoc malo verificatur illa sententia, quòd habeat potiùs causam deficientem, quàm efficientem. In quo malorũ genere in vniuersum hoc inuenitur, quòd id quod perfectionis est in effectu, in causæ perfectionem reducendum est. sic se habet res in nostra voluntate. Nam voluntas accedẽs ad operandum non adhibita rationis regula, producit malum actũ volũtarium, in quo id quod est perfectionis, in bonitatem volũtatis referendũ est; quidquid verò vitij, in defectum regulæ reducẽdum. Dicitur autem nostra voluntas causa per accidens peccati, quia accidit operanti, & volenti quòd operetur non adhibita rationis regula. Rursus dicitur causa deficiens, quia operatur cũ tali defectu non adhibita rationis regula. Ex his sequitur, quòd quando causa quæ producit effectum est ex omni parte perfecta, & omnibus modis indeficiens, defectus operationis non est in talem causam referendus, sed oportet inuenire aliam deficientem causam, in quam referatur v. g. vitium fructus in arbore non debet reduci in causas vniuersales, quę in suo genere sunt perfectissimæ, sed in causam proximam, scilicet in radicem arboris putridam, & deficientẽ. Ad eundem modum peccatum non est reducẽdum in Deum; vt olim faciebãt Manichæi, & nostra ęta te faciunt Lutherani; sed in nostram voluntatẽ, quæ operatur peruersè, non adhibita rationis regula. Explicato iam & probato quemadmodum malum oriatur ex defectu agentis, operæpretium erit explicare quomodo oriatur ex parte effectus, & ex parte materiæ, atq; adeò ex parte formæ. Ex parte materiæ oritur, quando non est bene dispositа ad susciendam agentis impressionem: qua de causa eueniũt mõstra in partu mulierum. Ex parte formæ, quando formæ adiungitur ex necessitate priuatio alterius formę, & sic generatio vnius, est corruptio alterius; & quod vni est commodum, alteri est incõmodum, & præter intentionem operantis. Non aliter in moralibus voluntas accedens ad operandum non adhibita rationis regula, & intendens aliquod bonum commutabile, incurrit in defectum, & peruersitatem, quę ex necessitate sequebatur ex bono commutabili amato non secundum rationis regulam, quam tamen ipsa nõ prętendebat; perinde atq; si quis quærens thesaurũ inueniret viperam. Ex his patet (vt ego arbitror) quomodo actus peccati habeat causam, & quomodo in voluntatem nostram operantẽ nõ adhibita rationis regula sit referendus. Et quanquam hæc doctrina verificetur expressè & distinctè de peccato commissionis, potest sine dubio verificari etiam de peccato omissionis; tum, quoniam omissio non datur sine actu, vt suprà probatum est; tum verò, quoniam in ipsa omissione potest considerari aliquid cuius voluntas sit causa per se, eo modo quo negatio est causa negationis, & affirmatio, causa affirmationis; & hoc erit absentia actus positiui secundum substantiam, cui adiungitur aliquid per accidens, & præter intentionem: & id quidem est auersio, & inordinatio à diuina lege, propter quã omissio est mala, & culpabilis.

Quare volũtas causa per accidẽs peccati dicatur, & causa deficiens

Carentia regulæ rationis, & legis diuinæ.

¶ In solutione tertij est considerandum vnum mysterium reconditũ, quòd carentia regulæ rationis, & legis diuinę in nostra voluntate, quę accedit ad operandũ malum, antequam operetur, non habet rationem mali, nec pœnæ, nec culpæ, sed est pura negatio: & habet hoc ex hoc quòd est condita ex nihilo, & ex hoc quòd est condita liberi arbitrij potẽtis deficere. Ratio est; quoniã nostra voluntas nec est regula infallibilis, nec necessariò cõiungitur regulę infallibili in suis operationibus, & ideo potest deficere in suis operationibus. Ista enim pura negatio est prima radix, & primum principiũ peccati: vnde peccatum non habet pro causa aliquod malum, nec aliquam substantiam malam, sed bonam voluntatem cum negatione alterius boni, scilicet cum negatione regulę rationis, aut legis diuinæ; quam negationẽ (vt dicit Aug.) habet

Nulla creatura ſuapte natura impeccabilis eſt, nec talis poteſt à Deo creari.

bet ex hoc quòd eſt condita ex nihilo. Ex hoc ſequitur primò, quòd nulla voluntas, & nulla natura creata, poteſt eſſe impeccabilis ſuapte natura. Secundò ſequitur, quòd nulla natura poteſt à Deo creari, quę ſuapte natura ſit impeccabilis. Probatur: nam omnis creatura eſt condita ex nihilo: ergo omnis creatura ſuapte natura tendit in nihilum: ergo poteſt deficere. Itẽ, omnis creatura habet aliquam imperfectionem; ſolus Deus habet omnem perfectionem: ergo poteſt deficere omnis creatura. Item, omnis creatura non eſt regula infallibilis, nec cõiungitur neceſſariò regulæ infallibili in ſuis operationibus: ergo poteſt deficere. Tertiò ſequitur, quòd ſola diuina voluntas ſuapte natura eſt impeccabilis; quia illa ſola eſt ipſamet regula infallibilis ad operandũ.

Sola diuina voluntas ſuapte natura eſt impeccabilis.

Vnde dicit Paulus. Nunquid iniquitas eſt apud Deũ? abſit. & ad Epheſ. c. 1. Omnia operatur ſecundũ conſiliũ voluntatis ſuę. Notate quòd in diuina volũtate ſemper eſt conſilium, & ſemper eſt ratio. Quartò ſequitur, quòd ſi aliqua natura eſt impeccabilis, habet hoc ex gratia, & ex diuino fauore & participatione diuinæ naturæ; nõ tamen ex proprijs naturæ ſuæ.

ARTIC. SECVNDVS.

Vtrũ peccatũ habeat cauſam interiorẽ.

SVMMA TEXTVS.

Concluſio.



Concluſio ſic habet. Peccatũ habet cauſam interiorẽ mediatã, & immediatam. Immediata quidẽ & proxima cauſa humani actus eſt ratio, & voluntas, ſecundum quã homo eſt liberi arbitrij: cauſa autẽ remota, eſt apprehenſio ſenſitiuæ partis, & etiã appetitus ſenſitiuus. Cauſa enim peccati eſt aliquod bonũ apparens motiuũ cũ defectu debitæ regulæ, vel legis diuinæ: ſed motiuũ quod eſt apparẽs bonum, pertinet ad apprehenſionem ſenſus, & ad appetitũ: abſentia verò debitæ regulę pertinet ad rationem, quæ nata eſt talẽ regulam cõſiderare: at ipſa perfectio actus voluntarij peccati pertinet ad voluntatem, ita quòd ipſe actus volũtatis, & approbatio, prę miſsis ſuppoſitis, eſt peccatum.

EXPLICATIO ARTICVLI.



Videbitur fortaſsis alicui, quòd appetitus ſenſitiuus, & ſenſus ſint cauſæ immediatę peccandi; ſiquidem peccatũ ferè ſemper oritur à ſenſu, & concupiſcentia ſenſibili, & conſummatur in voluntatis conſenſu. Dicendũ tamen eſt, quòd intellectus, & voluntas non dicuntur cauſæ immediatę peccati, ex eo quòd primò ad peccatum concurrãt, ſed dicuntur cauſę immediatæ peccati, quoniã peccatũ in illis immediatè cõſiſtit; peccatũ enim non eſt, niſi volũtas libere conſentiat. Sed illud notandũ eſt ex Dño Cai. quòd tres iſtarũ cauſarũ cõcurrunt quantũ ad ſpecificationẽ; nã iudiciũ ſenſus, & appetitus ſenſitiu⁹, atq; etiã ipſa ratio tantũ faciunt apparere obiectũ pulchrum, & elegans, & determinant voluntatẽ ad iſtũ actũ, & nõ ad actũ oppoſitũ; cæterũ ſola volũtas eſt cauſa peccati quantũ ad exercitiũ; quoniã iſtę repręſentationes nõ neceſsitãt voluntatẽ, ſed ipſa liberè ſe mouet; & ideo in illa cõſummatur noſtrũ malum, & noſtrum exitium. Legite Caieta.

Intellectus & voluntas cauſæ immediatæ dicuntur peccati.

Caiet.

Voluntas ſola cauſa peccati quantũ ad exercitium.

ARTIC. TERTIVS.

Vtrũ peccatũ habeat cauſam exteriorẽ.

SVMMA TEXTVS.

Concluſio.



Concluſio. Aliquid exterius poteſt eſſe aliqua cauſa mouẽs ad peccandũ, nõ tamen ſufficienter inducẽs, vnde cauſa ſufficienter cõplens peccatũ eſt ſola volũtas. Etenim homo, vel dæmon perſuadent peccatũ, & rationem mouent. Poſſunt etiã ſenſibilia exteriora mouere appetitũ ſenſitiuum, ex quo inducatur homo ad peccandum, quãuis iſta ex neceſsitate non moueant, licèt aliquo modo diſponant. Nec etiã appetitus ſenſitiuus ex neceſsitate mouet rationem & voluntatem.

EXPLICATIO ARTICVLI.



In hoc articulo, atq́ue etiam in prędẽtibus hoc vult ſtatuere D. Th. pro certo quòd peccatum non eſt aliqua natura, quæ nobiſcum exterius pugnet; & quòd nulla res, nec exterior, nec interior poteſt ſufficienter mouere noſtram voluntatem ad peccandum. Ex quibus principijs

D. Thom. intentio.

liquidò cõstat, quòd peccatũ sit malũ liberi arbitrij, germéq; volũtarium. Sequitur rursus, quòd extra voluntatẽ causa peccati quæréda non sit.

ARTIC. QVARTVS.

¶ *Vtrùm peccatum sit causa peccati.*

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Conclusio est affirmans. Nam cùm peccatum habeat causam ex parte actus, hoc modo potest esse causa alterius, sicut vnus actus potest esse alterius causa. Et secundum quatuor genera causarũ vnũ peccatũ contingit esse alterius causam. Primò, secundũ modũ causæ efficientis, vel mouẽtis secundũ se; vt cũ ex vno actu humano disponitur ad similem facilius committẽdum: ex actibus enim causantur dispositiones, & habitus inclinãtes ad similes actus. Sed etiã per accidens potest; quia per vnũ peccatũ, cùm homo amittit gratiã, vel verecundiã, vel aliud retrahens à peccato, ex hoc incidit in aliud; & sic primũ est causa secundi per accidens. Secũdùm verò genus causæ materialis peccatũ est causa alterius, inquantum ei prę parat materiã; sicut auaritia prę parat materiã litigio. Sed secundũ genus causæ finalis vnũ peccatum est causa alterius, inquantum propter finem vnius peccati aliquis cõmittit aliud peccatum; vt si quis cõmittat simoniã propter finẽ ambitionis. Et quia finis dat formam in moralibus, ex hoc etiam sequitur, quòd vnũ peccatũ sit causa formalis alterius: nã si quis cõmittit fornicationẽ propter furtũ, fornicatio est sicut materiale, furtum verò sicut formale.

Vnũ peccatũ potest esse causa alterius secundũ quatuor causarũ modos.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Vtrùm ex vno peccato aliquando aliud sequatur necessario.

IN hoc articulo perspicua sunt omnia, solũ illud habet dubitationẽ; vtrùm vnũ peccatũ possit esse causa sufficiẽs alterius peccati; ita vt necessario sequatur ex illo: quod pertinet ad illã quæstionẽ de perplexitate, vtrũ ne possit dari homo perplexus, sic vt quidquid facit, necessariò peccet. Et breuiter, & summatim dicendum est, quòd in sensu diuisovnũ peccatum nõ sequitur necessariò ex alio; quia potest pœnitere de primò, sed in sensu cõpositio bene potest consequi necessariò, si nõ pœnitet: vt qui habet cõcubinã, & tenebatur celebrare, quidquid faciat, si nõ pœnitet, & deserat concubinã, imputatur ei ad peccatũ: si celebrat, peccat; siquidẽ celebrat in peccato mortali; si nõ celebrat, peccat; siquidẽ tenetur celebrare, & potest; ergo si non celebrat, in crimine tenetur. Quando verò asserunt Theologi neminẽ in hac vita esse perplexum, & cõstrictum, vt quidquid faciat, peccatum sit, intelligunt sine culpa sua. Rursus intelligũt in sensu diuiso, non autem in sensu compósito, prout iam expositum est.

QVAESTIO LXXVI.

De causis peccati in speciali; & primò de ignorantia, in quatuor articulos diuisa.

Introductio in tractatum de ignorantia.

Disputatio de ignorantia, necessaria.

TRactatus de ignorantia quã sit vtilis & necessarius, vel ex hoc est videre, quòd in sacris literis inueniuntur qui dã propter ignorãtiam grauiter reprehensi, & ècõtra multi excusantur propter ignorãtiam. De primo dicitur; Si quis ignorat, ignorabitur. & iterum. Habentes intellectum alienatũ à via Dei per ignorantiam. & Hierem. 5. reprehenduntur ignorantes viam Dei sui. & Roma. 10. ignorantes Dei iustitiam. & Psalm. 24. Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris. & Paulus. Testimonium illis perhibeo, quòd æmulationem quidem habent, sed non secundum scientiam. & in Euangelio; Vt omnis qui persequitur vos, arbitretur se obsequiũ præstare Deo. & alibi: Quia non cognouisti tempus visitationis tuæ. Ex alia parte videntur multi excusati, in grauissimis quidem alioqui criminibus, propter ignorantiam, vt patet ex Paulo. Misericordiam Dei consequutus sum, quia ignorans feci in incredulitate mea. & Petrus excusat occisionem Christi dicens; Et nunc fratres scio quòd per ignorantiam fecistis. Sed ignorã-

1. Cor. 14. Ephes. 4. Hier. 5. Psal. 24. Rom. 10. 1. Tim. 1. Act. 3.

tia

tia quid sit, & quomodo in varia genera distribuatur, paucis explicandum est. Ignorantia, vt pertinet ad humani ingenij vitium, est quando quis non satis intelligit quid faciat, aut dicat.

Ignorantia quid?

Differtque inter ignorantiam, & nescientiam, autore D. Thom. in 2. articulo huius quæstionis, quòd ignorantia non dicitur respectu omnium quæ homo potest scire absolutè, sed eorum quæ aptus natus est scire secundum statũ personæ. Non enim rusticus dicitur ignorare Geometriam propriè, sed nescire. Vnde ignorantia est, cùm quis est ignarus rerum quæ ad se pertinent; nescientia verò, cùm nescit ea quæ ad se non attinẽt. Sed de vocibus non ex professo disputamus; nam alioqui in communi sermone, altera vox pro altera sæpe vsurpatur.

Discrimen inter ignorantiam, & nescientiã.

Ignorantiæ diuisio.

Ignorãtia verò varijs diuisionibus manifestatur, quòd alia sit priuatiua, alia positiua; alia vincibilis, alia inuincibilis; alia voluntaria, alia inuoluntaria; alia antecedens, alia consequens; alia concomitans; alia iuris, alia facti & iuris; alia est iuris diuini, alia humani; & iuris diuini, alia est iuris diuini naturalis, alia positiui. His, & alijs similibus distinctionibus diuiditur ignorantiæ regnum, quod de se latissimum est, de quibus in quæst. 6. definiuimus, dicemusq; vberiùs in sequẽtibus. His principijs constitutis, veniamus ad quæstiones, quas D. Thom. quatuor mouet præcipuas, ex quibus aliæ oriuntur; de quibus edisserunt Theologi in 2. distinctione 22. & Summistę verbo, ignorantia.

ARTIC. PRIMVS.

¶ *Vtrùm ignorantia sit causa peccati.*

SVMMA TEXTVS.

Prim. cõcl. PRima cõclusio. Duplex est causa ex 8. Physicorum; per se, & per accidens. Per se quidem est, quæ propria virtute mouet: sic generans est causa mouens grauia & leuia. Per accidens verò sicut remouens prohibẽs; qui enim remouet impedimentum quo lapis detinebatur ne descenderet in locũ suum, est causa per accidens quare lapis descendat. ¶ Secunda conclusio. Actus humani procedunt à ratione per duplicem scientiam, scilicet vniuersalem, & particularem: ratio enim humana conferens de rebus agendis, vtitur quodam syllogismo, cuius conclusio est, iudicium, siue electio, aut operatio; actiones verò in singularibus sunt. Vnde conclusio syllogismi operatiui semper est de re singulari; conclusio autẽ de re singulari nunquã colligitur ex propositione vniuersali, nisi mediante aliqua propositione singulari; sicut homo prohibetur ab actu parricidij, per hoc quòd scit patrem non esse occidẽdum, & per hoc quòd scit hunc esse patrem, conficiturq; sic syllogismus; Pater non est occidẽdus; hic est pater; ergo hic non est occidendus. ¶ Tertia conclusio. Vtriusq; rei ignorantia potest esse causa peccati, scilicet vniuersalis principij, quod est veluti regula rationis; & singularis circunstantiæ, si tollat scientiam prohibentem actũ peccati: nam talis ignorantia tollit sciẽtiam, quæ si adesset, non sequeretur peccatum: ergo est veluti causa remouens scientiam prohibentem peccatum. Quare si voluntas alicuius sic esset disposita, vt non prohiberetur ab actu parricidij, etiam si patrem agnosceret; ignorantia patris nõ est huic causa peccati, sed concomitanter se haberet ad peccatum: vnde talis non peccaret propter ignorãtiam, sed peccaret ignorans, secundum philosophum 3. ethic.

Secũd. cõcl.

Tert. cõclu.

EXPLICATIO ARTICVLI.

De inuincibili ignorãtia, an sit causa peccati.

IN hoc articulo est breuis dubitatio, quæ sit ista ignorantia quæ est causa peccati; & præcipuè dubitatur de ignorantia inuincibili; vtrùm sit causa pecca-

peccati. Et videtur quòd non. Nam ſi aliquid fiat ex ignorantia inuincibili, iam non eſt peccatum: veluti cum Iacob acceſsit ad Liam: ergo talis ignorantia non eſt cauſa peccati. Idem confirmatur. Nam ſi ignorãtia excuſat actum à culpa, ſicut excuſat ignorantia inuincibilis, iam nõ eſt peccare ex ignorantia.

¶ In contrarium eſt. Nam illa ignorantia quæ tollit ſcientiam prohibentem actum peccati, eſt cauſa peccati, prout docet Diuus Thomas in articulo: ſed ignorantia inuincibilis tollit ſcientiam, quæ ſi adeſſet, prohiberet actum peccati: ergo eſt cauſa peccati. In explicationem huius dubitationis ſcribit Caietanus, quòd omnis ignorantia quæ tollit ſcientiam, qua poſita, non poneretur peccatum, dicitur cauſa peccati; & hæc poteſt eſſe iuris, facti, antecedens, conſequens, voluntaria, inuoluntaria, vincibilis, inuincibilis: & ad ſummum, omnis ignorantia, excepta concomitante. Concomitans autem nullo modo poteſt eſſe cauſa peccati: quod patet duplici argumento. Primò, illa ignorantia eſt cauſa peccati, quæ tollit ſcientiam prohibentem actum peccati: ſed ignorantia concomitans non tollit ſcientiam prohibentem actum peccati: nam etiam ſi adeſſet ſcientia, committeretur peccatum. Secundum argumentum eſt, quia in tantum aliqua ignorantia eſt cauſa peccati, inquantum facit peccatum inuoluntarium, vel ſimpliciter, vel ſecundum quid; quælibet autem ignorantia facit aliquomodo inuoluntarium, præter concomitantem, prout docuit Diuus Thomas ſuprà quæſtione ſexta, & Ariſtoteles tertio ethicorum. Et ad argumentum propoſitum, ad probandum quòd ignorantia inuincibilis non ſit cauſa peccati, reſpondet Caietanus, non eſſe faciendam vim in verbo: intelligitur enim, vel peccati quod eſt, vel quod eſſet ſi ſine ignorantia fieret. Et profectò hæc ſententia Caietan. videtur eſſe multum conſentanea & veritati, & doctrinæ Ariſtotelicæ. Nam quando quis ex ignorantia inuincibili interficit hominem, dicitur ex ignorantia feciſſe homicidium, & propter ignorantiam ab homicidio excuſari: ergo ignorantia fuit cauſa homicidij. Sed Adrianus quodlibeto quarto docet, quòd ſi ignorantia excuſat à peccato, non eſt cauſa peccati. quæ ſentẽtia doctioribus magis probatur. Nam peccatum eſt actus peccantis; ſed tunc nullus eſt peccans: ergo nullum eſt peccatum: ergo talis ignorantia non cauſat peccatum. Deinde, peccatum eſt voluntarium; ſed talis ignorantia cauſat omninò inuoluntarium: ergo efficit vt non ſit peccatum, tantum abeſt vt ſit cauſa peccati. Præterea, ob id talis ignorantia excuſat omninò à peccato, quia de facto non cauſat peccatum: ergo abſolutè & ſimpliciter non eſt cauſa peccati. Ad hęc peccatum non ſolùm dicit actum, ſed etiam deformitatem: ſed cùm quis operatur ex tali ignorantia, nulla eſt deformitas: ergo ignorantia inuincibilis non eſt cauſa peccati. Certè ſi ignorantia inuincibilis ob id eſſet cauſa peccati, quia eſt cauſa actus, qui ſecundum ſe eſt peccatum, ſequitur quòd Deus eſſet cauſa peccati, ſiquidem eſt cauſa actus, qui eſt peccatum. His argumentis probatur ſufficienter, quòd ignorantia inuincibilis non eſt cauſa peccati. Quando ergo dicit Diuus Thomas in articulo quòd illa ignorantia eſt cauſa peccati, quæ tollit ſcientiam prohibentem peccatum, intelligitur, quando actus qui ſequitur ex ignorantia, reuera eſt peccatum; & tunc verum eſt, quòd ſi ignorantia tollit ſcientiam, qua poſita, peccatum non fieret, iſta ignorantia eſt cauſa peccati; ſed quando eſt ignorantia inuincibilis, iam non eſt peccatum: non ergo loquitur de ignorantia inuincibili.

Caiet. explicatio.

Ariſt.

Adriani ſententia.

Exponitur D.Thom.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ *Vtrùm ignorantia ſit peccatum.*

SVMMA TEXTVS.

PRima Concluſio. Ignorantia à neſcientia differt; quia neſcientia ſimplicem negationẽ ſcientiæ dicit; ſecundum quem modum Dionyſius ponit illam in angelis. Vnde cuicunque deeſt ſcientia aliquarum rerum, poteſt dici neſcire illas: ſed ignorantia importat priuationem ſcientiæ eorũ quæ aliquis aptus natus eſt ſcire.

Prim. cõcl.

Dionyſ.

¶ Secunda concluſio. Inter ea quę homo aptus natus eſt ſcire, quædam ſcire tenetur, quædam non. Prima ſunt ea, quæ ſunt fidei, & vniuerſalia iuris præcepta, & ſinguli, quæ ſpectant ad eorum ſtatum & officium.

Secũd. cõcl.

¶ Tertia concluſio. Ignorantia eorum quæ homo poteſt, & tenetur ſcire, eſt peccatum, ſi oriatur ex negligentia; nam qui negligit habere

Tert. cõcl.

bere, vel facere quod tenetur, peccat peccato omissionis; & ideo talis ignorantia peccatum est.

Quar. cõcl. ¶ Quarta conclusio. Si nesciat homo ea quæ scire non potest, quorum ignorantia dicitur inuincibilis, non imputatur homini ad negligentiam, neque ad peccatum: nemo enim obligatur ad impossibile, & ad id quod in sua potestate non est.

Quin. cõcl. ¶ Quinta conclusio. Ignorantia eorum quæ quis scire non tenetur, prout sunt theoremata Geometriæ, & similia, non est peccatum: nam vbi non est obligatio ad sciendum, ignorantia, aut nescientia peccatum non est.

EXPLICATIO ARTICVLI.

IN explicationem huius articuli, graues & per difficiles quæstiones explicandæ sunt; & vt à facilioribus exordiamur. Quæstio est; vtrùm ignorantia sit peccatum. A parte negatiua sunt argumenta. ¶ Nam peccatum (autore Augustino) est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei: sed ignorantia nihil horum est: ergo peccatum non est.

Vtrũ ignorantia sit peccatum. Primum. Aug.

Secundum. ¶ Deinde, ignorantia si est peccatum, est inquantum voluntaria; quia peccatum consistit in voluntate; & per consequens ignorantia solùm est effectus peccati.

Tertium. ¶ Tertiò arguitur. Nam omne peccatum opponitur per se virtuti morali: sed ignorantia per se solùm opponitur scientiæ, quæ est virtus intellectualis: ergo non est per se, & propriè peccatum.

Quartum. ¶ Quartò, si ignorantia per se est peccatum; ergo quamdiu manet ignorantia, semper quis peccaret continuè: quod videtur falsum, & improbabile.

Quintum. ¶ Quintò sic. Si ignorantia est peccatum, sequitur quòd non possit deleri per pœnitentiam. Patet consequentia; quia per pœnitentiam non tollitur ignorantia.

¶ Quæstio proposita pendet ex alia; vtrùm homo teneatur scire aliquid. Si enim homo tenetur scire aliquid, ignorare illud, euidens est quòd erit peccatum. Sit ergo prima propositio in expositionem vtriusque quæstionis.

Pri. cõclu. Homo tenetur scire quæ sunt fidei.

¶ Homo scire tenetur ea quæ sunt fidei. Nam omnes homines tenentur credere articulos fidei, & secundum fidei doctrinam vitã dirigere: ergo tenentur scire ea quæ sunt fidei. Consequentia argumenti inde probatur: quia nemo potest distinctè credere quod ignorat: nullusque potest vitam dirigere ad normam quam non intelligit. Eadem veritas patet ex illo; Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit &c. & Ioã. 15.: Si non veniissem, & loquutus eis fuissem, pẽccatum non haberent; quem locum intelligit Augustinus de peccato infidelitatis: tenebantur ergo credere; ac per consequens scire, & cognoscere quid credendum sit. Ad extremum probatur ex illo; Qui ignorat, ignorabitur; fermo est de ignorantia rerum diuinarum. Cùm ergo pœna non inferatur nisi pro culpa, euidens est quòd ignorare ea quæ sunt fidei, peccatum sit.

Marc. vlt. Ioan. 15. Aug. 1. Cor. 14.

¶ Secunda conclusio. Homo tenetur scire vniuersalia iuris naturalis præcepta, vt sunt præcepta decalogi. Probatur. Nam Deuteronom. 6. præcipitur omnibus scire legem Dei, cum dicitur; Hoc quod ego præcipio tibi hodiè, erit in corde tuo, & narrabis ea filijs tuis: ergo omnes tenentur scire hanc legem; ergo ignorare peccatum est. Et confirmatur: quia in scriptura maximè reprehenditur ignorantia legis Dei, Esaiæ quinto, & Hieremiæ quarto. Præterea probatur; homines tenentur seruare hæc præcepta, & non possunt seruare nisi illa cognoscãt: ergo.

Secũ. cõcl. Homo tenetur scire præcepta decalogi. Deut. 6. Esa. 5. Hier. 4.

¶ Tertia conclusio. Homo tenetur scire ea quæ sunt iuris positiui, quę ad suum statũ pertinent. verbi gratia. tenetur fidelis scire quòd sit ieiunandum in quadragesima; quòd sint confitenda peccata semel in anno. Probatur. Nam omnes fideles ad hæc præcepta obseruanda tenentur: at non possunt illa seruare, nisi sciant: ergo tenentur scire. Deinde, quicunque fidelis tenetur obedire præpositis & prælatis suis, vt habetur planè ad Romanos decimotertio, & primæ Petri secundo: ergo tenetur scire leges in quibus oportet obedire.

Tert. cõcl. Homo tenetur scire ea quæ ad suũ statum pertinent iuris positiui. Rom. 13.

¶ Quarta conclusio. Singuli tenentur scire ea quæ ad eorum statum, vel officium spectant: nã si quis non scit ea quę ad statũ & officiũ suũ spectant, necessum est eum turpiter, & culpabiliter labi, nec poterit satisfacere officio suo. Itaq; probatio conclusionis hæc est. Quilibet tenetur satisfacere officio suo: sed nõ potest satisfacere officio suo, nec ea quæ sui status sunt debitè exequi, nisi sciat ea quæ ad officium & statũ suum spectant: ergo tenetur ea scire. ¶ Quinta cõclusio. Nõ solũ tenetur homo scire ea quæ sunt fidei, & vniuersalia iuris præcepta, & ea quę ad suũ statũ vel officiũ spectãt; sed etiã circunstantias nonnullas quæ ad res agendas spectant; quarum

Quar. cõcl.

Quin. cõcl. Tenetur homo nõnullas circunstantias scire.

rum rerum cognitio vocatur à iurisperitis scientia facti. Certè tenetur Episcopus scire mores subditorum suorum, & quemadmodum ea quę sunt diuini cultus exerceantur. Nam prælati nō solùm tenentur scire leges secundùm quas debent gubernare subditos, sed etiam vtrùm leges seruentur: hoc enim est officium pastoris, cognoscere vultum pecoris sui, & mores subditorum suorum. Deinde prælatus tenetur corrigere delinquentes: ergo tenetur scire delicta: & hoc est quod dicit Paulus. Qui prœst in solicitudine: solicitudo enim circa facta singularia versatur. Denique idem probatur. Nam parochus tenetur scire vtrùm subditi fecerint confessionem annualem, & vtrùm receperint Eucharistiam in Paschate, quæ omnia pertinent ad scientiam facti. Ex his conclusionibus patet explicatio alterius quæstionis, in qua quæritur; vtrùm ignorantia sit peccatum: quæ elucidatur sufficienter duabus conclusionibus.

Rom. 12.

Aliqua ignorātia peccatum est. 1. Cor. 14.

¶ Prima. Ignorantia aliqua est peccatum. Probatur primò ex Psalmo 24. Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris, & 1. Corinth. 14. Qui ignorat, ignorabitur. Item patet euidenti ratione: quia homo tenetur scire aliquid, vt satis probatum existimo: ergo ignorantia illius, vel omissio, quod pro eodem capio, erit peccatum.

¶ Secunda conclusio. Ignorantia ex negligentia eorum quæ sunt fidei, & præceptorum iuris vniuersalis, & eorum quæ spectant ad singulorum officium, est peccatum. Probatur efficaciter ex prædictis: nam ignorantia eorum quæ quisque tenetur scire, ex negligentia peccatum est: sed quisque tenetur scire ea quæ sunt fidei, & vniuersalia iuris præcepta, & ea quæ spectant ad proprium statum: ergo prædicta ignorare peccatum est. Diximus, quando hæc ignorantia prouenit ex negligentia; nam si quispiam paganus, qui nihil de Euangelio audiuit, ignoret legem Euangelicam, non imputatur illi ad peccatum. His constitutis & explicatis, ad argumenta in principio satisfaciendum est.

Soluū. arg. Ad primū.

¶ Ad primum dicendum, quòd in prædicta definitione intelligendæ sunt negationes oppositæ, scilicet, non dictum, non factum, non concupitum, à lege diuina alienum. itaque non scire quod debeas scire, peccatum est.

Ad secundū

¶ Ad secundum dicendum est, quòd sicut in transgressione legis diuinæ non solùm peccatum est in actu voluntatis, sed etiam in actu imperato, vt in homicidio, & furto; ita etiam in omissione non solùm est peccatum actus voluntatis; sed etiam omissio & ignoratio.

Ad tertium Caietanus docet ignorantiā propriè & per se non esse peccatum.

¶ Ad tertium argumentum respondet hic Caietanus, verum esse quòd ignorantia propriè & per se non est peccatum, & ideo non tractatur de ignorantia in 2. 2. vbi agitur de vniuersis peccatis: sed dicitur peccatum, pro quanto procedit à negligentia, quæ est vitium oppositum virtuti studiositatis, de qua Sanctus Thomas 2. 2. quæstione 166. cuius actus est propriè cognitio eorum quæ homini conuenientia sunt; vitia verò opposita sunt, curiositas per excessum; per defectum autem non habent proprium nomen, sed est negligentia studendi: & sic licèt cognitio sit in intellectu, tamen imperatur ab appetitu, vt docet Diuus Thomas vbi suprà articulo secundo ad secundum, vbi simile argumentum facit de cognitione, sicut hic fecimus de ignorantia: & per studiositatem existentem in appetitu moderamur desiderium illud sciendi, de quo dixit Aristoteles, quòd omnes homines naturaliter scire desiderant, vt nec sint curiosi, nec desides, vel negligentes. Vnde sicut cognitio est actus studiositatis, ita ignorantia est actus negligentiæ. Durandus in secundo, distinctione vigesimasecunda, quæstione secunda Caietano consentiens dicit, quòd ignorantia secundum se non est peccatum, sed negligentia. Sed de hoc in sequenti dubitatione exactiùs censebimus.

D. Thom.

Ari. in prin cipio Meta.

Durand.

¶ Ad quartum respōdetur, quòd sicut in alijs omissionibus solo illo tempore actu peccatur, pro quo præceptum affirmatiuum obligat; ita est de peccato ignorantiæ; nō enim continuè ignorans actu peccat, sed solùm quando est tempus acquirendi scientiam, quam habere tenetur. Non ergo quia ignorat præcepta, peccat continuè; sed peccat cùm vocatus ab Episcopo, vel prædicatore noluit ire; vel postea cum potest habere opportunitatem, & negligit eam. ¶ Ad quintum argumentum dicēdum est, quòd per pœnitentiam licèt non tollatur ignorantia, tollitur tamen negligentia, ratione cuius ignorantia erat voluntaria, & vincibilis. Ex quo infertur, quòd omnis ignorantia quæ erat vincibilis, per pœnitentiam fit inuincibilis, & inuoluntaria, si manet: nam si verè pœnitet; ergo iam adhibet diligentiam, quam debet adhibere: vel ergo tollitur ignorantia; vel si manet, nō potest tunc vinci, sed iterum redibit peccatū ignorātię, si habita opportunitate nō adhibeat diligentiā. Et hoc est maximè notandum: nā proderit ad multa in hac materia intelligēda. ¶ Sed ex hoc nascitur dubitatio; vtrū per solā pœnitentiā ignorātia culpabilis fiat inculpabilis? & videtur q nō. Nam si aliquis habeat ignorātiam quòd furtum sit illicitum, eo ipso quòd pœnitet de hac ignorantia, iam intelligit furtum esse illicitum: ideo enim pœnitet, quia intelligit suum errorē; ergo non potest fieri quòd post pœnitentiam maneat ignorantia, & quòd sit inuincibilis.

Ad quartū.

Ad quintū. Per pœnitētiam ignorātia vincibilis tollitur, vel fit inuincibilis.

Vtrū per solā pœnitentiam ignorantia culpabilis fiat inculpabilis.

¶ Ad hui⁹ dubij expositionē primò dicēdū est, quòd

Solutio.

quòd per pœnitentiã, qua homo in gratia cõsti tuitur, ignorãtia quę antea erat vincibilis, manet
Notanda expositio. inuincibilis, & inculpabilis. Explicatur hoc distinctè, & probatur. Fuit aliquis Lutheranorum erroribus detentus, posteaverò ad veram fidem conuertitur, & agit pœnitentiam de peccatis proponens quærere Doctores qui illum doceant. Certum est illum non continuò cognoscere omnes fidei veritates; sed adhuc manet cum ignorantia donec instruatur. In quo casu exploratum est, quòd ignorantia manet inculpabilis: nam in illo nullum manet peccatum, si quidem per veram pœnitentiam ad Deum conuersus est, & coram Deo iustificatus. Secundò dicendum est, quòd non solùm per pœnitentiam, qua homo in gratia cõstituitur, sed etiam per pœnitentiam quam habet de ipsa ignorantia, etiam si aliàs maneat in peccato, ignorantia culpabilis fit inculpabilis. Probatur in eodem casu, si Lutheranum illum pœniteat quòd fuerit detentus in illis erroribus, & talis proponat quærere Doctorem vt vincat illam ignorantiã, cæterùm vult manere concubinarius; illa ignorantia est inculpabilis. Tertiò dicitur etiam sine pœnitentia de ipsa ignorantia, per hoc solùm quòd homo proponat adhibere diligentiam vt vincat ignorantiam, fit inculpabilis. Patet; si quis ignoret articulos fidei, & non pœniteat de præterita ignorantia, vult tamen habere notitiam articulorum, & adhibet diligentiam, illa ignorantia est inculpabilis.

Obiectio. ¶ Sed contra primum dictum sic arguitur. Nã sequitur ex eo quòd aliquis existens in gratia habeat ignorantiam inuincibilem articulorum fidei. Quòd rectè sequatur, patet in casu commemorato de hæretico Lutherano, qui ab hæresi ad Ecclesiam reuertitur, proponens quærere Doctores qui illum instruant, & verè pœnitet sui delicti: ille sanè per hanc pœnitentiam verè iustificatur, in quo manet ignorantia inuincibilis articulorum fidei. Rursus sequitur ex prędicta sententia, quòd existens in gratia possit habere ignorãtiam inuincibilem præceptorum decalogi, & cultus vnius Dei.

Solutio. ¶ Ad primum inconueniens dicendum est, nõ esse incommodum aliquod quòd per breue tẽpus aliquis existens in gratia ignoret inuincibiliter articulos fidei: at per multum tempus non potest: nam si adhibet diligentiam vt sciat, iam non ignorabit; siverò non adhibet, peccabit. Ad secundum inconueniens idem respondendum
Not. est. ¶ Sed aduertat Theologus, nulla ratione esse concedendum, quòd quis sit in gratia, & habeat ignorantiam inuincibilem de cultu vnius Dei, sic vt existimet ex errore inculpabili plures Deos esse colẽdos: nã si est in gratia; ergo habet veram fidem, sine qua impossibile est placere Deo, vt inquit Paulus; & subdit. Accedẽtem ad Heb. 11.
Deũ oportet credere quia est, sed de hoc in materia de fide. Dubium.
¶ Sed videtur profectò quòd vt ignorãtia alioqui vincibilis, fiat deinceps inuincibilis, nõ requiratur dolere de negligẽtia illa præterita; nec requiratur vera pœnitẽtia omniũ peccatorũ. Nam constituo Petrum qui ex negligentia omisit opportunitatem sciendi veritatem circa aliquid expediens suo statui; exempli gratia; est parochus qui ignorat, vtrùm teneatur dare Sacramentum Eucharistiæ peccatori occultò petenti publicè, & ipse putat quòd non licet dare, & sic habet ignorantiam vincibilem, nunc in casu quòd talis peccator petit Eucharistiam publice, iste parochus nihil cogitat de negligentia præterita: sed facit quod potest, consulit libros, & si est quis qui doctior sit, & adhuc manet in sua ignorantia, scit tamen diligentiam quam nunc facit, non satis esse, quia ipse scit se indoctum, nec habet hominem idoneum quẽ consulat. Arguitur sic. Si iste dat Eucharistiam, facit contra conscientiam, & sic peccat: si non dat, etiam peccat: nam ignorantia cùm sit culpabilis, & ex negligentia, non excusat illum à crimine. Et non est dicendum quòd est perplexus; ergo licèt non dare conformiter ad suam ignorantiam, & sic ignorantia alioqui culpabilis, efficitur inculpabilis sine aliqua pœnitentia.
¶ Certè videtur mihi quòd in eo casu, in quo Solutio.
res differri non potest, sic agens non peccaret, & virtualiter est pœnitentia de præterita negligentia. Vel dicatur, satis esse vt efficiatur ignorãtia inuincibilis, quæ antea erat vincibilis, si proponat deinceps adhibere debitam diligentiam, prout suprà expositum est.

¶ Secunda dubitatio est; vtrùm ignorantia sit peccatum ex propria ratione sua; an verò ratione negligentiæ? Et probatur bonis argumentis, quòd ratione negligentiæ tantùm. Vtrũ ignorãtia sit peccatũ ex propria ratione.

¶ In primis Diuus Thomas in hoc articulo aperè asserit, quòd ignorantia eorum quæ quis scire tenetur, propter negligentiam sit peccatum. & idem repetit in solutione 1. & 2. Hoc ipsum confirmatur. Nam inuestigans in 2.2. de omnibus peccatis in speciali, in quæstione 54. tractat de negligentia, de ignorantia verò nullum verbum. ¶ Deinde, ignorantia secundum propriam rationem non opponitur alicui virtuti morali: ergo secundum propriam rationem nõ est peccatum. Consequentia patet: Et antecedens probatur: quia ignorantia tantùm opponitur scientiæ; scientia verò non est virtus moralis. ¶ Tertiò, si secludamus omnem negligentiam circa ea quæ scire tenemur, tunc ignorantia nullum est peccatum: ergo. Consequentia videtur nota: antecedens probatur: quia tunc illa erit ignorantia inuincibilis, Primum. Confir. Secundum. Tertium.

quando

quandoquidem adhibito omni studio non po
Quartum. test superari. ¶ Quartò, priuatio gratiæ non est
secundum se peccatum: ergo nec priuatio scien
tiæ quæ est ignorantia. Antecedens est notũ: nã
priuatio gratiæ magis est pœna quàm culpa. Cõ
sequẽtia verò probatur: quia priuatio gratię ma
gis aduersatur virtuti morali, quàm priuatio scię
Caiet. tiæ. Caie. hîc ductus duobus primis argumentis
factis, tenet ignorantiam non esse peccatum, ni
si tantùm ratione negligentiæ. Itaq; secundum
illum non est peccatum, sed effectus peccati. Idẽ
Durand. habet Dur. in 2. d. 22. q. 3. ¶ Pro explicatione no-
Aliud est es tandũ, quòd aliud est aliquem actũ esse peccatũ
sepeccatum secundũ se, aliud est imputari operanti ad pec
aliud imputari operãti catũ; & potest vnum dari sine altero. v.g. furari,
secundum se est peccatũ, tamen non imputatur
alicui, nisi quia est voluntariũ: quare amenti nõ
Prim. cõcl. imputatur furtum. Hoc supposito est prima cõ-
Ignorantia secundũ se & ex propria ratione est peccatum. cluſio. ¶ Ignorantia eorum quæ aliquis scire te-
netur, est peccatũ secundum se, & non tantùm
ratione negligentiæ, sed ex sua propria ratione.
Probatur: omissio alicuius præcepti secundũ se
est peccatum, & non tantũ ratione negligentię:
ergo etiam ignorantia eius quod quis scire tene
tur. Consequẽtia probatur: nam ignorantia est
omissio sciẽtię quam debeo habere. Antecedẽs
probatur: si quis omittat audire missam, nõ tan-
tùm peccat quia fuit negligẽs in sciendo horam
missæ, sed quia nõ interfuit missæ, cũ tenebatur
interesse. Secũdò, facere contra præceptũ, secũ-
dum se, & ex propria ratione est peccatum: sed
qui ignorat id quod scire tenetur, facit cõtra prę
ceptũ: ergo illa ignorãtia secundũ se est peccatũ.
Secũd. cõcl. ¶ Secunda cõclusio. Negligẽtia sciendi ea quæ
quis scire tenetur, ideo est peccatũ, quia ignora-
re illa est peccatũ. Probatur. In omnibus alijs prę
ceptis negligẽtia adimplendi præcepta ideo est
peccatũ, quia nõ implere præcepta est peccatũ:
ergo negligẽtia sciẽdi ea quę scire tenemur, ideo
est peccatũ, quia ignorare illa est peccatũ. Cõse
quentia est nota: antecedẽs probatur: quia negli
gẽtia in sumẽdo cibo quando est necessariũ illũ
sumere, ideo est peccatũ, quia nõ sumere est pec
catũ; vt patet in ægroto; & sic in omnibus alijs
pręceptis. Secũdò, diligẽtia sciẽdi ideo est in prę
cepto, quia ipsum scire est in præcepto: ergo ne
gligẽtia in sciẽdo ideo est cõtra præceptũ, quia
Tert. cõcl. nescire est cõtra præceptũ. ¶ Tertia cõclusio. Ni
Ignorantia nõ imputatur nisi ratione negligentiæ. hilominus ignorãtia nõ est imputabilis homini
ad peccatũ, nisi ratione negligentiæ. Probatur: si
adsit omnis diligẽtia ad sciendũ id quod scire te
nemur, iã ignorãtia erit inuincibilis; ergo nõ im
putabitur homini ad peccatũ. Consequentia est
nota: antecedẽs probatur ex D. Th. qui dicit, q̃
illa est ignorãtia inuincibilis, quãdo posito om-
ni studio nõ potest vinci. Secũdò, si nulla adsit
negligẽtia, etiã si actus secundũ se sit peccatum,
tamẽ homo excusatur vt de facto nõ peccet: er-
go talis ignorãtia non imputatur ad peccatum.
¶ Sed cõtrà. Nã hæc cõclusio pugnat cũ præce-
dẽti. Respondetur, quòd sicut velle furari ideo
Notãda explicatio. est peccatũ, quia furari est peccatum, nihilomi-
nus furtũ nõ imputatur alicui nisi ratione volũ-
tatis; ita similiter negligẽtia ideo est peccatum,
quia ignorantia est peccatũ; nihilominus ignorã
tia nõ imputatur nisi ratione negligẽtiæ; quia ra
tione negligẽtiæ fit voluntaria. ¶ Ad argumẽta
Ad argum. Ad primũ. respõdetur; ad primũ dicẽdum, quòd D. Th. in
hoc articulo intelligitur quãtum ad imputatio-
nẽ. Ad illud quod adducitur ex 2. 2. respõdetur
D. Th. in 2. 2. tractasse de omissionis peccato, in
quo voluit includere ignorãtiã; quia est omissio
scientiæ; tractat verò specialiter de negligentia,
quoniã tractauerat de solicitudine, quæ est pars
prudẽtię, ideo voluit agere de negligẽtia, quę est
vitiũ oppositũ ipsi prudẽtię. ¶ Ad secundum re
Ad secundũ Ignorantia opponitur studiositati spõdetur negãdo antecedẽs. Et ad probationẽ
dico, ignorãtiam nõ tãtùm opponi sciẽtiæ, verũ
etiã virtuti morali, quæ dicitur studiositas; de
qua D. Th. 2. 2. q. 166. cuius virtutis officium nõ
tãtùm est adhibere studiũ ad sciẽdum necessa-
ria, sed ipsum etiã scire est actus eius; & in hoc
actu peccatur per excessum, si quis sciat curiosa,
& superflua: peccatur etiã per defectum, si quis
nesciat ea quæ sunt necessaria scitu; & ad hoc
pertinet peccatũ ignorãtię. ¶ Quòd si arguas; sci
re est actus intellectus: studiositas est virtus exi-
stẽs in voluntate: ergo scire nõ est actus studio-
sitatis. Respõdetur, quòd sicut religio est virtus
existẽs in volũtate; oratio verò actus intellectus;
tamẽ oratio est actus religionis, quia pertinet ad
obiectũ religiõis, & fit ab illa sine aliquo medio
habitu; ita similiter in proposito. Præterea, dico
negandã esse cõsequentiã: multa enim sunt pec
cata quę aduersantur virtutibus intellectualibus
volũtarijs, sicut infidelitas, & hæresis, & error ar
tis in artifice qui tenetur operari. ¶ Ad tertiũ re-
Ad tertium spõdetur negãdo maiorẽ; quia licèt ignorãtia il
la nõ imputetur operãti quãdo adest diligẽtia, ta
mẽ secundum se peccatũ est. Quod si quis obij
ciat; sequitur quòd ignorãtia inuincibilis sit pec
catũ; cõsequẽs est cõtra tertiã cõclusionẽ D. Th.
ergo. probatur sequela: inuincibilitas tãtùm facit
quòd ignorãtia nõ imputetur; ergo nõ facit q̃
nõ sit peccatum. Respõdetur distinguẽdo cõse-
quẽs; si loquamur de ignorãtia inuincibili for-
maliter vt inuincibilis est. Negatur sequela; quia
quatenus inuincibilis, est inuolũtaria: vnde sub
hac ratione non potest esse peccatum: Et ita in-
telligitur D. Th. Si verò loquamur de ignorãtia
inuincibili secundum quòd est ignorantia eorũ
quæ scire tenemur, secundum se est peccatum:
& ita conceditur sequela; nec hoc est contra D.
Tho. ¶ Ad quartum respondetur primò, sicut
Ad quartũ. respon-

respondet S. Tho. solutione ad secundum. Respondetur secundò concesso antecedente, & negando consequentiã. Differentia est: nam præcepta non dantur de habitibus; sed de actibus: vnde cum gratia sit habitus, non est præceptum de gratia; at verò scire, est actus: vnde cum sit præceptum sciendi, ignorare est contra præceptum. Tertiò respondetur negando consequentiam, alia ratione: quia de gratia nõ est aliquod præceptum distinctum à præceptis decalogi: itaque teneor tantùm esse in gratia, non furando, non occidendo &c. at verò de scientia est præceptũ peculiare; vnde ignorantia est contra hoc præceptum. ¶ Dubitatur præterea; vtrùm omnis ignorantia vincibilis sit culpabilis; & an omnis in vniuersali nonnullum peccatum sit? Ab huius dubitationis dilucidatione facilè se expediunt doctores quidam neoterici, vt Gabriel in 2. d. 22. q. 2. art. 1. & Almayn. in suis moralibus tract. 1. c. 4. dicunt enim ignorantiam vincibilem esse eã, quæ est peccatum; inuincibilẽ verò quę non est peccatum: quæ definitiones si exactæ sunt, breuiter propositam dubitationem elucidant: sed hoc nõ est rem elucidare, sed cõculcare. Multò doctiùs & vberiùs rem explanat D. Tho. In primis definit ignorantiam vincibilem eam esse, quam quis potest vincere adhibita diligentia, iuxta qualitatem negotij. Eam verò esse inuincibilem, quam homo adhibita diligentia nõ potest vincere. Quibus definitionibus statutis, facilè est ad propositam quæstionem respondere. Sit igitur prima propositio. ¶ Ignorantia vincibilis eorum quæ scire non tenemur, peccatum non est. Nam si quis ignarus sit conclusionum Geometriæ, quas scire potest, non peccat; siquidem ignorantia est earum rerum quas scire non tenetur. ¶ Secunda conclusio. Omnis ignorantia vincibilis eorum quæ quis scire tenetur, peccatũ est: nam si quis scire aliquid tenetur, & non sciat cum possit, indubiè peccat. Hoc ipsum confirmatur. Nam si quis tenetur scire, & potest scire, si non sciat, omittit facere quod tenetur: ergo peccat. ¶ Tertia conclusio. Nulla ignorantia inuincibilis est peccatum: nam ignorantia inuincibilis non est in potestate nostra: ergo non imputatur ad peccatum. Verùm ex hoc magna nascitur quæstio; Quid requiratur ad hoc quòd aliqua ignorantia sit inuincibilis? Et primò oportet videre quid homo potest facere ad tollendam ignorantiam, & postea quid teneatur facere. Certum est autem, quòd si quis ignorat, non potest doceri nisi vel lumine naturali, vel ab hominibus, vel à Deo. Iam ergo omnes fatentur, quòd ad hoc quòd ignorantia sit inuincibilis, tenetur homo facere probabilem diligentiam, primò apud se considerando quid verius sit, & secundò etiam vt ministerio hominũ instruatur; aliàs non erit ignorantia inuincibilis, & inuoluntaria: nec opus est vt faciat totum quod potest, sed id quod verosimile est sufficere ad sciendũ, quid verius, quid probabilius sit. ¶ Sed dubium est de tertio; an scilicet homo teneatur facere quod in se est ad hoc quòd instruatur à Deo, scilicet orare Deũ, & disponere se ad gratiã pœnitendo à peccatis; quia in maleuolam animam non introibit sapientia: an satis sit adhibere diligentiam humano modo interrogandò doctiores. Quæstionem hanc latissimè disputat Adria. quodlib. 2. q. 1. & quodlib. 4. ar. 1. cuius sententia post longam disputationem duabus conclusionibus cõprehenditur; quæ vt planè intelligantur Adria. sic distinguit. Eorum, inquit, quæ sunt legis diuinæ, quædam sunt quorũ notitia est omnibus adultis necessaria ad salutem; vt præcepta communia iuris naturalis, & præcepta decalogi, articuli fidei principales, vt de omnipotẽtia Dei, de Christi humanitate, passione, & resurrectione. Alia sunt quorum notitia non est necessaria ad salutem: quæ in duplici sunt differentia; quędam pertinent ad ius naturæ; vt hunc contractũ esse vsurarium; quædam verò pertinent ad ius positiuum. His constitutis, sequitur prima conclusio Adriani. ¶ In his quæ non sunt necessaria omnibus ad salutem, satis est ad ignorantiam inuincibilem vt homo faciat quod in se est, humano more, vt ministerio hominum instruatur; vt in contractibus vsurarijs, & in his quæ sunt iuris positiui satis est consulere viros doctos: vnde se quens errorem alicuius doctoris, vel viri docti, excusatur à peccato. ¶ Secunda cõclusio. In his quæ sunt simpliciter necessaria ad salutem; vt in præceptis decalogi, in articulis fidei, in præcepto baptismi, & confessionis; nõ sat fuerit quòd homo adhibeat diligentiam externam vt instruatur ministerio hominum, nisi etiam se disponat per charitatem, & orationẽ vt instruatur à Deo. Autoritates pro hac opinione sunt istæ. 1. Ioã. 2. Non necesse habetis vt aliquis doceat vos, sed vnctio docebit vos de omnibus. & Psal. 59. Dedisti metuentibus te significationẽ, vt fugiant à facie arcus. Esa. 29. Eò quòd appropinquat populus iste ore suo, & labijs suis glorificat me, cor autem eius longè est à me: & timuerunt me mãdato hominum, & doctrinis; admirationem faciam populo huic, miraculo grãdi, & stupendo. Peribit sapientia à sapientibus, & intellectus prudentũ abscõdetur. & paulò antè; Miscuit vobis Dñs spiritũ soporis, claudet oculos vestros, principes & prophetas. Ezechiel. 14. Ego decepi propheta illũ, & portabunt iniquitatẽ, & iuxta iniquitatem interrogantis iniquitas prophetæ erit. Ex quibus sentẽtijs videtur apertè colligi, quòd si quis quærat veritatem animo contrito & humiliato, absque dubio à Deo illuminabitur.

An omnis ignorantia vincibilis, sit peccatũ.

Gabr.

Almayn.

D. Thom. definitio.

Prim. cõcl.

Secũd. cõcl.

Tert. cõclu. Nulla ignorãtia inuincibilis est peccatum.

Quid requiratur ad ignorantiã inuincibilem

Adrian.

Pri. cõclu. Adriani.

Secũ. cõcl.

1. Ioan. 2.

Psal. 59.

Esa. 29.

Ezec. 14.

Hanc

An homo teneatur facere totum quod est in se, vt à Deo instruatur.

Hanc sententiam Adriani docent Theologi in primis graues: Altisiodor. 3. parte suæ summę in quæstione speciali; vtrùm fidei possit subesse falsum: dicit, vetulam etsi audiat prælatum prędicantem, quòd Pater sit maior Filio, non excusari; quia potest ab alio veritatem discere, scilicet à Deo, si ei aperiat ostium cordis sui per deuotam Dei glorificationem. Vnde docet, quòd in his quæ sunt iuris diuini necessaria ad salutem, non potest cadere ignorantia inuincibilis. Quod comprobat magno argumento. Nam vel homo facit quod in se est, & vtique dirigetur à Deo ministerio hominum, vel interna inspiratione: vel non facit, & tunc error non erit inuincibilis, neque habebit legitimam excusationem. Eadem fuit sententia Guillelmi Parisiensis qui eodem argumento vtebatur in suæ sententiæ confirmationem. Gerson etiam lectione quarta de vita spirituali, sic scribit: Quidquid sit de ignorantia facti, aut iuris humani, vera sententia est, nullam in his, quæ legis diuinæ sunt, cadere ignorantiam inuincibilem: quia faciẽti quod in se est, Deus semper assistit paratus illustrare mentem quantum oportebit ad salutem, & ad erroris euitationem. Idem docet Alexander Halensis. 2. parte, quæstione 129. membro 8. Inter iuniores sequitur istam sententiam, Gabriel in 2. distinctione 22. quæstione 2. Sylvest. verbo ignorantia §. 6. imò Diuus Thomas videtur docere eandem sententiam expressè quolib. 3. articulo. 10. quo in loco dicit; In his quæ sunt necessaria ad salutem, non cadere ignorantiam inuincibilem, alioqui haberent nunc excusationem rudes homines, qui sequerentur dogmata Arrij, Nestorij, aut Lutheri. Et probatur quòd hæc sententia vera sit optimis argumentis.

Altisiodor. tract. 3. c. 2. q. 3.

Guille. Par.

Gerson lec. 4. corol. 4. 3.

Alex. Halẽ.

Gabr. Sylvest.

D. Thom.

Prim. argu. ¶ In primis; si homo faciat quod in se est, infallibiliter illuminabitur à Deo de veritatibus necessarijs ad salutem: Deus enim non deficit in necessarijs, sed illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: ergo si ignorat, sua culpa ignorat, si quidem non facit quod in se est; ac subinde talis ignorantia culpabilis est, & vincibilis.

Secundum. ¶ Deinde, quicunque homo tenetur scire & credere articulos fidei, & potest credere: nam si faciat quod in se est, infallibiliter à Deo illuminabitur: ergo si non credat, excusationem non habet. Certè qui potest implere præceptum aliquod ad quod tenetur, & non implet, peccatum est illi.

Tertium. ¶ Præterea, quicunque homo tenetur facere quod in se est, & ab hoc præcepto nulla ignorãtia potest excusare; sed si faciat quod in se est, illuminabitur à Deo: ergo si ignoret, non excusabitur.

Quartum. ¶ Ad hæc, medium consentaneum & aptum ad sciendum ea quæ sunt necessaria ad salutem, est, vt homo se disponat vt interius illuminetur à Deo: ergo si non adhibeat hoc medium, non excusatur. Antecedens probatur ex illo; Non necesse habetis vt aliquis doceat vos, sed vnctio docebit vos de omnibus: & Psalmi. 59. Dedisti metuentibus te significationem vt fugiant à facie arcus.

1. Ioan. 2.

Psal. 59.

Quintum. ¶ Item, nullus potest excusari à peccato per illud quod Deus decernit in pœnam peccati: sed in pœnam peccatorum præcedentium permittit Deus aliquando hominem excæcari, & ignorare ea quæ sunt necessaria ad salutem: ergo per istam ignorantiam nullus excusatur. Probatur minor ad Roman. 1. cap. Propter quod tradidit illos Deus in reprobum sensum. & Esaiæ. 29. Peribit sapientia sapientiũ, & intellectus prudẽtũ abscondetur. & Ezec. in pœnam eius qui noluit veritatem cognoscere, dicit Dominus, se permissurum, vt Prophetæ mentiantur, & decipiant eum, dicens: Propheta cum errauerit, ego Dominus decepi eum: loquitur de illo, qui interrogat non vt cognoscat veritatem, sed vt inueniat Prophetam, qui ei respondeat iuxta suum desiderium.

Rom. 1.

Esa. 29.

Ezec. 14.

Vltim. ¶ Vltimò, nemo hominum est qui non habeat ex Deo sufficiens auxilium ad credendum: si quidem nemo hominum est qui non habeat ex Deo sufficiens auxilium ad salutem ęternam consequendam: quod adeò certum est, vt contrarium dogma existimem esse temerarium, & erroneum: ergo nemo hominum excusatur ex eo quòd non credit, & articulos fidei non sciat ad credendum. Antecedens huius argumenti statuitur pro certo; consequentia verò inde probatur. Nam si quis ex ministerio hominum haberet sufficiens auxilium ad credendum, & nõ crederet, certè excusationem non haberet de peccato suo: ergo cùm quisque hominum habeat ex Deo sufficiens auxilium ad credẽdum, non excusabitur si non credat. Non enim minus efficax est sufficiens auxilium diuinitus infusum, quàm ex ministerio hominum comparatum. ¶ Ad huius quæstionis (quæ grauissima est) expositionem, est prima cõclusio. ¶ De rebus agendis sunt quædam propositiones per se notæ, & omnibus de se perspicuę, de quibus non potest esse ignorantia inuincibilis apud eũ qui habet rationis vsum: tales sunt; quòd tibi nõ vis, alteri ne facias: bonum est faciendum, malum fugiendum. Hæc conclusio liquida est, propter quod non indiget confirmatione, aut probatione. ¶ Secunda conclusio. Circa præcepta decalogi, quæ facili negotio ex his principijs eliciuntur, potest esse ignorãtia inuincibilis per breue tẽporis spatiũ, sed non potest diu perseuerare. Prima pars huius propositionis sic probatur. Nã hæc præcepta nõ sunt per se nota: ergo indigent

Prim. cõcl. Quędã sunt quorũ esse non potest ignorantia inuincibilis in homine.

Secũd. cõcl. Per breue tẽpus potest esse ignorãtia inuincibilis circa præcepta decalogi.

gent aliquo tempore, in quo per discursum, & ratiocinationem probentur, & persuadeantur. Hoc ipsum cõfirmatur: quia si in aliqua republica existimaretur furtum non esse peccatũ, vt D. Th. dicit infrà q. 94. ar. 4. existimatũ olim fuisse inter Germanos, vt refert Cæsar: tũc ergo cũ aliquis homo perueniret ad vsum rationis, & videret furtũ existimari ab omnibus esse licitũ, & si rogaret maiores, ita responderent; certè ille ad breue tẽpus posset ignorare inculpabiliter, donec per lumen intellectus cognosceret esse contra illud primum principium; quod tibi non vis, alteri ne feceris. Secunda pars probatur: quoniam ista præcepta statim & facili negotio colliguntur per euidentem consequentiam ex primis principijs per se notis; quod tibi non vis, alteri ne feceris; bonum est sequendum, malum fugiendum: nemo ergo poterit per multum tempus hæc ignorare præcepta; non enim opus est consulere Doctores, nec multo studio, & ingenio, sed sufficit lumen rationis naturalis, ad quod si quis velit aduertere, & non se excæcare, facilè poterit cognoscere: si autem non aduertat, iam non erit ignorantia inculpabilis. Hoc ipsum confirmatur. Nam ignorantia præceptorum iuris naturalis non potest oriri nisi ex magna offuscatione luminis naturalis. Idem patet ex illo; Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt; vbi docet Paulus legem naturæ ab ipsa natura inditam esse, & insitam humano cordi, & nobiscum natam: ergo facilè si homo velit aduertere, eam cognoscet. Profectò Aristoteles docet apertè, quòd propter ignorantiam vniuersalis iuris homo est vituperabilis, & reprehensionem meretur: & nulla est tam fera, & barbara natio, apud quam homicidia, furta, & cętera peccata quæ prohibet lex naturæ, non videantur iniqua.

D. Thom. Iulius Cæsar lib. 6. de bello Gallico.

Rom. 2.

Arist. 3. eth. c. 3.

¶ Tertia conclusio. Circa alia præcepta naturalia, quæ eliciuntur ex præceptis Decalogi per consequentiam, & argumentationem non valde euidentem, sed multo labore, & inquisitione, potest esse ignorantia inuincibilis per multum tempus, nisi de huiusmodi veritatibus ab aliquo erudiamur, & illuminemur. verbi gratia. an sit licitum habere plures vxores; an fornicatio simplex sit licita; an ne sit licitum vindicare proprias iniurias. Nam Cicero, vir sapientissimus, primo de officijs cap. de iustitia dicit primum munus iustitiæ esse, ne quis aliquem lædat, nisi lacessitus iniuria: existimat ergo licitam esse vindictam propria autoritate, quando lacessimur iniuria. Item, an sit licitum sacrificare homines Deo, vt apud Indos consuetum erat. Ratio huius propositionis est; quia ex errore, & consuetudine vulgi, insuper ex ingenij tarditate non potest homo ita citò aduertere inordinationem in huiusmodi actibus. Notandum tamen, quòd inter Christianos non ita facilè est admittenda ignorantia inuincibilis in aliquo præceptorum Decalogi, aut etiam in præcepto non fornicandi, non habendi plures vxores: quia est frequens doctrina inter Christianos, ista esse illicita: vnde qui illa ignorat, ex negligentia sua ignorat. At verò circa alia præcepta, quorum explicatio & doctrina in speciali non est ita frequens, facilè potest admitti ignorantia in aliquo Christiano. verbi gratia. an aliquis contractus sit vsurarius, vel non; imò, vtrùm sit licitum accipere lucrum aliquod ex mutuata pecunia, sicut ex mutuata domo; potest esse in aliquo ignorantia inuincibilis per aliquod tempus; quia debilior est huius præcepti explicatio, quàm quæ possit intelligi facilè ab omnibus, sed opus est magistro & doctore vt manu ducatur aliquis: nihilominus fieri potest, vt aliquis nutritus inter barbaros ignoret inuincibiliter fornicationem simplicem esse peccatum.

Tert. cõcl. Circa nonnulla præcepta naturalia potest esse ignorãtia inuincibilis per multũ tempus.

Cicero.

¶ Quarta conclusio. Circa articulos fidei, & omnia mysteria religionis Christianæ potest esse ignorantia inuincibilis. Hæc conclusio statuitur contra Adrianum, & alios Doctores commemoratos: & est certa, & satis explorata in diuina Theologia. Probatur primò ex Diuo Thoma qui in 2. 2. quęstione decima, articulo primo apertè docet, quòd infidelitas purè negatiua, qualis est eorum qui nihil de Euangelio audierunt, non est peccatum. Idem patet ex illo; Quomodo credent sine prædicante? quo in loco docet Paulus neminem posse credere sine prædicatione Euangelij externa: ergo qui nihil audierunt de Euangelio, non possunt credere; ac per consequens excusantur: & Diuus Paulus hoc in loco condemnat infideles & incredulos, quòd cum audissent, noluerunt credere, dicens; Nunquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exiuit sonus eorum. Hoc ipsum probatur ex illo; Si non venissem, & loquutus eis fuissem, peccatum non haberent: quod explicat Diuus Augustinus de peccato quod commiserunt non credendo in Christum. His accedit alia probatio euidens. Nam paulò post Christi passionem certum est apud omnes, quòd Indi, & Hispani, qui nihil audierant de aduentu Christi, habebant ignorantiam inuincibilem, & inculpabilem circa mysteria fidei; licèt essent in peccato mortali: & ita concedit Adrianus: ergo consimiliter Insulani, qui nihil audierunt de fide Christi, nec audire potuerunt, habent ignorantiã inuincibilẽ fidei, & religionis nostrę. Hęc est expressa sententia August. & in epist. ad Sixtum. Fallũtur tamen prędicti autores: nã existimant,

Quar. cõcl. Circa mysteria nostræ religionis potest esse inuincibilis ignorantia.

D. Thom.

Rom. 10.

Ioan. 15.

Aug.

Augu. li. de nat. & gratia c. 1. 4. & 8.

ſtimant, quòd ſi ſemel admittamus ignorantiam inuincibilem fidei, aut baptiſmi, ex hoc cõtinuò inferri, quòd poſsit aliquis ſalutem conſequi ſine fide, aut baptiſmo; quod tamen non ſequitur: quia barbari, ad quos non peruenit notitia de fide, & religione chriſtiana, non condẽnabuntur propter peccatum infidelitatis, ſed propter idolatriam, & alia crimina quæ contra legem naturæ committunt: ſic docet Diuus Thomas 2.2. loco citato, & D. Auguſtinus.

D. Thom. Aug. epiſt. ad Sixtũ, & libr. de nat. & gratia c. 4.

¶ Sed ex hoc naſcitur dubitatio; vtrùm inter fideles poſsit eſſe ignorantia inuincibilis articulorum fidei, & ſacramentorum Eccleſiæ. Reſpondetur, quòd Diuus Thomas lectione 4. 1. Cor. 11. inquit, quòd nullus fidelis propter ſuam ſimplicitatem excuſatur, ſi habeat errorem circa illa myſteria fidei, quæ cõmuniter celebrãtur in Eccleſia; ſed tamẽ iſta doctrina intelligenda eſt de fidelibus, qui verſantur vbi celebrantur talia myſteria, & eſt aliqua fidei prædicatio. Vnde dicimus ſecundò, quòd bene poteſt fieri vt fidelis baptizatus inuincibiliter ignoret omnia, vel aliqua neceſſaria ad ſalutem. Patet: vt ſi infans baptizatus captiuetur apud infideles, ille veniens ad vſum rationis, & peccans contra lumen naturale, ignorabit inuincibiliter omnes fidei articulos. Item, multi ruſtici Chriſtiani, qui nunquam ſunt catechizati, de myſterio trinitatis inuincibiliter ignorant: quare iſti excuſabuntur à peccato, etiam ſi habeant errorem circa talia myſteria; imò etiam aliquando excuſabuntur à peccato negligentiæ inquirendi ſcientiam; quia non eſt qui doceat illos articulos fidei: ſed tamen Epiſcopi, & parochi punientur à Deo; quia paruuli petierũt panẽ, & non erat qui frangeret eis.

Vtrũ apud fideles poſsit eſſe ignorantia inuincibilis fidei.

Quin. cõcl. Ad vincendã ignorantiã non ſemper tenetur homo facere totum quod eſt in ſe.

¶ Quinta concluſio. Ad hoc vt aliqua ignorantia ſit inculpabilis, & inuincibilis, etiam circa ea quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem, non eſt neceſſe vt homo faciat totum quod in ſe eſt, & ſe ad gratiam diſponat; ſed ſatis eſt vt adhibeat externam diligentiam, interrogando Doctores, audiendo prædicatores qui poſsint illum inſtruere. Huius concluſionis variæ ſunt probationes. Prima colligitur ex dictis: nam infideles, qui nihil audierunt de Euangelio, habent ignorantiam inuincibilem fidei noſtræ, etiam ſi ad gratiam non ſe diſponant, & ſint irretiti grauiſsimis criminibus: ergo hæc diſpoſitio non eſt neceſſaria vt ignorantia ſit inuincibilis. Secunda probatio. Nam vel illa diſpoſitio ad gratiam per veram pœnitentiam eſt neceſſaria vt homines inſtruantur à Deo ſecundum communem curſum, & conſuetum per prædicatores, & miniſterium hominum: vel per miraculum. Non primũ: nam multi exiſtentes in peccatis illuminati ſunt de veritate Euãgelij per prædicatores; imò notitia Euangelij eſt diſpoſitio ad pœnitẽtiam, & non è contra. Præterea, circa ſupernaturalia eſt efficacior ratio; nullus enim poteſt ſcire ſe teneri ad illa ſcienda, vel credenda, antequam quidquam audiat de illis per prædicatorem: ergo non tenetur ſe diſponere ad acquirendam talem cognitionem. Nec poteſt dici quòd requiratur hæc diſpoſitio, vt miraculoſe homo à Deo inſtruatur: nam ſi requireretur miraculum, ſequeretur quòd Deus non ſufficienter prouidiſſet ſuæ Eccleſiæ ad hoc vt homines illuminarẽtur: maximè quòd miracula ad hoc ſunt neceſſaria, vt prædicatorum doctrina confirmetur, nõ vt aliquis de nouo per miraculum inſtruatur.

Tertia probatio. Quantumcunque aliquis ſe ad gratiam diſponat, ſi Eccleſiæ Doctores aliter docent, quàm ipſe interius ſentit, tenetur potiùs credere doctoribus: & oppoſitum eſt error Illuminatorum, & Lutheranorum: ergo illa diſpoſitio non eſt neceſſaria. Hæc eſt etiam ſententia Diui Auguſtini dicentis, Euangelium per homines docendum eſſe, & eſſe maximè periculoſum proprio ſpiritui in hac parte credere. Præterea ſequitur ex ſententia Adriani, quòd nullus exiſtens in gratia poſsit ignorare, nec vincibiliter, nec inuincibiliter aliquid quod ſecundum ſe ſit neceſſarium ad ſalutem. Quòd rectè ſequatur, patet: nam ſecundum Adrian. ſi homo ſe diſponat per veram pœnitentiam, ſtatim illuminatur à Deo de neceſſarijs ad ſalutem: & ſic Adrian. in quodlib. 2. q. 1. ad 2. concedit id quod infertur pro incommodo. Sed profectò nulla ratione id poteſt concedi: nam aliquis fidelis, qui confitetur modò cum vera contritione ſe ignoraſſe articulos fidei, & ſtatuit firmiter inquirere, & audire doctores, & prædicatores qui illum inſtruant; certè talis conſequitur gratiam: at in eo manet ignorantia inuincibilis aliquorum articulorum fidei. Item, ſi inter infideles eſſet aliquis, qui veniens ad vſum rationis faceret quod in ſe eſt, & proponeret viuere ſecundum rectam rationem, Deus iuſtificaret illum in illo inſtanti, & tamen non ſtatim ſciret baptiſmum eſſe neceſſarium ad ſalutem.

Augu. 1. de doct. Chriſtiana circa principiũ.

¶ Sed dicet Theologus, prædictas probationes in nullo aduerſari ſententiæ Adriani; quoniam ille loquitur quando homo non poteſt adhibere diligentiam externam, neque habet hominum magiſterium. Sed reſpondetur, quòd etiam quando non poteſt adhibere iſtam diligentiam, non tenetur ſe ad gratiam diſponere, ſed omnino excuſatur, vt patet de infidelibus, qui nihil audierunt de Euangelio. Fateor tamen, quòd vt ignorantia ſit inuincibilis, & inculpabilis, tenetur homo quantum eſt in ſe excludere propriam affectionem, quæ poſſet illum excæcare ne cognoſcat veritatem; ſicut

con-

contigit Iudæis, qui excæcati sunt propria malitia ne cognoscerent Christum. Deinde aio, quòd qui per se ipsum non potest cognoscere veritatẽ, tenetur interrogare eos qui possunt illum instruere: quòd si hoc faciens ad huc ignoret, ignorantia erit inculpabilis. Sed hoc est verum in cõmunibus negotijs; at in re grauissima, ex qua animæ salus dependet, si homo non habeat ad manum magistros, tenetur Deum orare, vt planè asserit D. Augu. Itaque si hæreticus Lutheranus incipit dubitare de hæresi quam sequitur, & non habet ad manũ magistros, & prædicatores, tenetur Deum orare, non tamen se ad gratiam præparare. ¶ Ex prædictis conclusionibus sequitur in primis, quòd circa omnia præcepta iuris diuini positiui potest esse ignorãtia inuincibilis. Rursum sequitur, circa omnia præcepta iuris humani posse cadere ignorãtiam inuincibilem. Ad extremum sequitur, circa omnes res agendas in particulari posse cadere ignorantiam inuincibilem, quam vocant ignorantiã facti. Hæc omnia sequuntur ex prædictis cõclusionibus per locum argumentandi à maiori. ¶ Ad argumẽta in principio facta, ad primum dicendum, quòd dupliciter potest facere homo totum quod in se est. Primò, in ordine ad totam vitã; hoc est, seruando naturæ legem, præparando se ad gratiam: altero modo, in ordine ad aliquid particulare, scilicet ad vincendam aliquã ignorantiam. Vnde dico, quòd si homo faceret totum quod in se est primo modo, infallibiliter illuminaretur à Deo: ad cauendam tamen ignorantiam peccati, sat fuerit quòd homo sit bene dispositus ad quærendam veritatem, quam ignorat; quæ bona dispositio tunc est, cùm adhibet media proportionata & consueta, id est, quando interrogat Doctores, & maiores. Quod vt euidentiùs intelligatur, sciẽdum est, quòd præcepta non obligãt ad sui impletionem vt adhibeatur omne medium possibile, sed satis est proportionatum, & communiter ordinatum ad talem finem. v. g. tenetur homo vitam conseruare propriam ex præcepto naturali, sed non omni medio possibili: non enim tenetur vti medicina pretiosissima vt conseruet vitam, sed satis est vti medicina cõsueta, & communiter ordinata ad talẽ finẽ. Imò dato quòd esset medium proportionatũ ad talem finẽ, oporteret omnino quòd homo posset cognoscere talem ordinem, & proportionem, vt teneatur illud medium adhibere. Est autem impossibile vt cognoscat homo, quòd agere pœnitentiam, & dolere de peccatis, sit medium ordinatũ vt illuminetur à Deo, nisi prius aliquid audierit de Euangelio. Alio modo potest cõfutari hoc argumẽtum, si dicamus, ꝙ etiã si faciat homo totũ quod in se est, & præparet se per verã pœnitẽtiã, nõ est necesse vt statim illuminetur à Deo, saltẽ quoad cognitionẽ explicitã articulorũ fidei: nam hęc, se cũdũ cõmunẽ cursum, nõ fit nisi per prædicatores: vnde interim dum audit prædicatores, poterit habere ignorãtiã inuincibilẽ. ¶ Ad secũdũ argumẽtũ dicendũ est, ꝙ si homo faciat quod in se est, adhibẽdo media opportuna ad vincẽdã ignorantiã, nõ est necesse ꝙ continuò illuminetur à Deo: sed si faciat quod in se est in ordine ad totã vitã, se disponẽdo per orationẽ, & verã pœnitentiam, statim illuminabitur. Verùm ad hoc mediũ adhibẽdũ non tenetur vt vincat ignorãtiã; quia nõ est mediũ ordinariũ quod soleat ab hominibus adhiberi ad tollendã ignorãtiã: sicut tenetur homo corripere fratrẽ, admonẽdo, cõsulẽdo, adhibẽdo testes, dicẽdo Ecclesiæ; sed nõ tenetur se cõstituere in gratia vt illũ conuertat; quia hoc est mediũ extraordinariũ ad corripiendũ. ¶ Ad tertiũ dicendũ primò, si loquamur de præcepto faciendi quod in se est absolutè, quod includit obseruantiã omniũ mandatorũ, & pœnitentiam de præteritis peccatis, sicut homo potest excusari à præcepto supernaturali credẽdi, ita potest excusari à præcepto supernaturali pœnitendi. Secundò dicitur, etiã si nõ excusetur, nõ tamẽ tenetur pœnitere, hoc fine, vt illuminetur à Deo. Dicitur tertiò, si loquamur de præcepto faciẽdi quod in se est, tãtùm ad vincẽdã ignorantiã, nõ cõtinuò illuminabitur; vt suprà expositũ est. ¶ Ad quartũ negãdũ est antecedẽs: & ad probationẽ respõdetur, ꝙ ille locus Ioãnis; Vnctio docebit vos de omnibus, intelligitur, ꝙ vnctio docet nos de omnibus; ministerio hominũ, & Ecclesiæ catholicæ. Vel sensus est, ꝙ nisi interius vnctio Spiritus sancti moueat, parũ prodest externa prædicatio. Certè credere ꝓprio spiritui, neglectis Patrũ sententijs, est error Illuminatorũ, & Lutheranorum, quo inuertũt ordinẽ Ecclesiæ; cõtra quẽ errorẽ est insigne testimoniũ Deute. 17. & Mat. 23. ¶ Ad quintũ argumẽtũ dicẽdũ est, ꝙ ignorantia, quã Deus decernit in pœnã peccati, de qua loquũtur prædicta testimonia, est ignorantia culpabilis, & affectata, quãdo homo nõ quærit Doctores, qui illuminẽt, & instruant veritatẽ, sed qui adulentur, & loquantur placentia: & de hac est sermo Ezech. 14. ¶ Ad vltimum argumentum dicendũ est, quòd Deus dat vniuersis hominibus sufficiens auxilium, vt rectè, & studiosè instituant vitam; quod si facerent, sine dubio illuminarentur; sed non dat immediatè auxilium, & medium ad credendum; & ideo multi excusantur à sua incredulitate, qui non excusantur à vitæ peruersitate.

Aug. li. de vtilit. cred. & lib cõtra Epistolam fundam.

Circa omnia præcepta iuris diuini positiui, & humani põt dari ignorantia inuincibilis.

Argumẽta initio facta diluuntur.

Ad primũ. Dupliciter potest homo facere quod est in se.

Ad secũdũ.

Ad tertiũ.

Ad quartũ.

Deuter. 17. Mat. 23.

Ad quintũ.

Ad vltimũ.

ſitate. ¶ Ad D. Tho. dicendum eſt, quòd loquitur de homine, qui relicto teſtimonio ſcripturæ manifeſto, vel decreto eccleſiæ irrefragabili, ſequitur opinionem magiſtri priuatã.

Prima cõc. An ad vincendã ignorãtiã tenea mur ſummam adhibere diligẽtiam.

¶ Eſt alia dubitatio; vtrùm teneatur homo adhibere ſummã diligẽtiã ad vincẽdã ignorãtiã? Ad huius rei expoſitionẽ eſt prima cõcluſio. ¶ Advincẽdã ignorãtiã nõ tenetur homo ſummã diligẽtiã adhibere. Probatur: nã ignorantia Iacob quãdo acceſsit ad Liã, fuit omninò inculpabilis: at potuit adhibere cãdelã, vel ex voce cognoſcere Liã: ſed quia cõmuniter homines nõ ſolẽt facere eam diligẽtiã, excuſatus eſt ex

Secunda. ignorantia inculpabili. ¶ Secunda propoſitio. Nõ tenetur homo ad vincẽdã ignorãtiã facere totũ ad quod obligatur. Hãc cõcluſionẽ cõſtituit Almay. in ſuis moral. c. 4. & vera eſt. Et patet de Iudæo qui neglexit ire Hieruſalẽ in die Pentecoſtes; qui ſi iuiſſet, certè cognouiſſet ex prædicatione Apoſtolorũ neceſſaria de fide Chriſti: talis ignorabat adhuc inuincibiliter Chriſtũ, & tñ ſi feciſſet totũ ad quod tenebatur, viciſſet ignorãtiã. Explicatur idẽ alio exẽplo. Tenebatur aliquis ire ad Eccleſiã, & ꝑnũtiatũ eſt illic præceptũ Epiſcopi, quo præcipiebatur ſub ſentẽtia excõmunicationis obſeruari feſtũ inſolitũ; & nõ iuit propter ſuã negligẽtiã: ignorãtia huius præcepti erat inuincibilis; quia nõ tenebatur adire Eccleſiã ad ſciẽdum illud. Dico ergo, ꝙ requiritur, & ſufficit quòd adhibeat diligẽtiã, quã ſolẽt viri boni adhibere ad ſciẽdũ, & qua poſita ſolent ſciri cõueniẽ

Almay. tia ad ſalutẽ, & ſtatum. Almaynus dicit, ꝙ illa ignorãtia eſt inuincibilis, quã adhibẽdo eã diligẽtiã quã tenemur adhibere ad illũ effectũ, nõ poſſum⁹ vincere. Sed hoc videtur petere principiũ, & nõ explicare diſtinctè ꝓpoſitã dubitationẽ: hoc em̃ quæritᷣ, quid teneaᷣ facere. Certè tenetur facere homo qui ignorãtia tenetur, quod virꝓbus & timoratᷣ ſolet facere, & adhibere ea media, quæ cõmuniter ſolẽt adhiberi.

ARTIC. TERTIVS.

¶ *Vtrùm ignorantia excuſet ex toto à peccato.*

SVMMA TEXTVS.

Prima cõc. PRima Cõcluſio. Ignorãtia facit actũ inuoluntariũ cuius eſt cauſa. Probaᷣ, & declaratur. Nã tũc ignorãtia dicitur cauſare actũ, qñ tollit ſciẽtiã quæ actũ peccati ꝓhiberet: & ideo talis actus, ſi ſciẽtia adeſſet, eſſet cõtrarius voluntati, quod importat nomẽ inuolũtarij. ¶ Secũda Concluſio. Ignorantia quæ non eſt cauſa actus, nõ facit hominẽ inuoluntariũ, ſed nõ volentẽ, vt expreſſè docet Ariſt. & exẽplo idẽ manifeſtatur. Nam ſi quis putãs ſe occidere ferã, occidiſſet inimicũ, quẽ ſi cognouiſſet, etiã occidiſſet, talis ignorãtia nõ eſt cauſa actus; nã non tollit ſcientiã, quę ſi adeſſet, prohiberet actũ: nam etiã ſi adeſſet ſciẽtia, ſequeretur actus: ex quo ſequitur, quòd talis ignorãtia nõ cauſat inuoluntariũ, ſiquidẽ nõ eſt cauſa actus: nõ ergo facit hominẽ inuoluntariũ, ſed nõ volentẽ. ¶ Tertia Concluſio. Huiuſmodi ignorãtia non excuſat: quia nõ cauſat inuoluntariũ. ¶ Quarta Cõcluſio. Ignorantia quæ eſt cauſa actus, quantũ eſt de ſe excuſat à peccato, quia cauſat inuoluntariũ, & volũtariũ eſt de ratione peccati. ¶ Quinta Concluſio. Aliquãdo nõ excuſat totaliter: & hoc contingit ex duobus. Vno modo, quãdo ignorãtia eſt alicuius circũſtantiæ, ſine qua adhuc eſſet peccatũ; vt ſiquis occideret patrẽ, credens eſſe hominẽ alterum, excuſaretur à parricidio, ſed non ab homicidio. Secundo, qñ ignorãtia eſt volũtaria directè, vel indirectè: directè, vt ſiquis nõ vult aliquid ſcire; vel indirectè, dũ propter alias occupationes negligit quis diſcere quæ ſcire tenetur. ¶ Sexta Concluſio. Ignorãtia quæ eſt oĩno inuolũtaria, quia eſt inuincibilis, ſiue quia eſt eiꝰ quod homo ſcire nõ tenetur, omninò excuſat

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Quinta.

Sexta.

à pec-

à peccato: talis enim ignorãtia cau sat omnino inuoluntarium.

EXPLICATIO ARTICVLI.

An ignorãtia cõcomitans à peccato excu set.

IN hoc articulo est graue dubiũ circa tertiã cõclusionem, de ignorãtia cõcomitãte; vtrùm excusẽt à peccato? v. g. statuit Petrus occidere inimicũ vbicũq; eũ inuenerit, & fortè in nemore, putãs se occidere ferã, occidit inimicũ, quẽ si cognouisset, multò libẽtiùs occidisset; quæstio est, an ne talis ignorãtia excusẽt à peccato? De qua re diximus ex parte suprà q. 6. artic. 8. sed nunc explanatiùs, & vberiùs rẽ inuestigemus. Et quæritur; An illa occisio sit peccatũ? Et ꝙ

Argumẽtũ sit peccatũ, sic ostẽdo. ¶ Nã talis actus secũdũ se malus est, & ignorãtia cõcomitãs non excu

D. Tho. sat, vt apertè docet S. Tho. in art. ergo peccatũ est. In aduersum est, quòd peccatũ adeò est volũtariũ, vt si nõ sit volũtariũ, peccatũ nõ sit: sed ignorãtia cõcomitãs facit nõ volũtariũ, vt docet D. Th. tũ suprà q. 6. art. 8. tũ euidẽtiùs in hoc arti. in. 2. cõclusione: ergo nõ est peccatũ.

Tribus modis aliquid est voluntarium. ¶ Ad huius rei expositionẽ scire oportet, ꝙ tribus modis cõtingit aliquid esse volũtariũ; formaliter, interpretatiuè, & virtualiter: sic em̃ loquũtur Scholastici. Primi generis est, quando actus est cognitus, & distinctè volitus; vt velle occidere inimicũ. Ad secũdũ modũ pertinet, cùm homo operatur ex ignorãtia culpabili: tũc em̃ opus quod operatur, quãquã nõ est volitũ formaliter, siquidẽ incognitũ est, est tñ interpretatiuè volitũ. Sit in exẽplũ qui iaculatur in medio foro, & occidit hominẽ præter intẽtionẽ, & volũtatẽ; tale homicidiũ est volitũ interpretatiuè, quia tenebatur cauere opus illud ex quo subsequutũ est homicidium, & nõ cauit: fuit em̃ culpa nõ animaduertere, ꝙ iaculari in medio foro, per quod homines cõsuescũt trãsire, periculosum erat. Tertio modo euenit, qñ actus imperatur, & ꝓgreditur ex præcedẽti volitione. v. g. inebriatur quis volẽs & sciẽs cũ periculo occidẽdi homines; scit enim, ꝙ cùm est ebrius, percutit, vulnerat: si occidit, tale homicidiũ est volitũ virtualiter in præcedẽti volitione, qua voluit inebriari, & ideo non habet distinctã malitiã à præcedẽti volitione. His cõstitutis, sunt viri docti, etiam inter discipulos D. Th. existimãtes, ꝙ homicidiũ, quod sequit̃ ex ignorãtia cõcomitãte, sit peccatũ, & ꝙ imputatur occidẽti: nã quãquã nõ est formaliter volitũ, at est virtualiter volitũ in præcedẽti volitione, qua statuit occidere illũ, vbicũq; inuenerit illũ. Sed salua pace istorũ Doctorũ, hæc sentẽtia nũquã mihi probari potuit. Vt ergo veritas elucidẽt, est prima cõclusio. ¶ Si cõsideremus modũ loquẽdi satis ꝓpriè loquit̃ D. Th. qñ dicit, ꝙ ignorantia cõcomitãs nõ excusat: sic em̃ loquit̃ Arist. summus Philosophus, & vir sapiẽtissimus, tũ in loquẽdo; tũ in sentiẽdo. Is enim 3. Eth. c. 1. dicit, ꝙ illa ignorãtia excusat à peccato, qñ operãs, postquã scit, dolet se feciss̃e: sed qui operat̃ cũ ignorãtia cõcomitãte nõ dolet postquã scit se feciss̃e: ergo nõ habet excusationẽ. Sic loquũtur in diuina Theologia viri peritissimi; Dur. in. 2. d. 22. q. 4. Gabr. eadẽ. d. q. 2. Marsil. in. 2. q. 15. ar. 2. dubio. 2. sic habet cõmunis modus sentiẽdi, & loquendi omniũ hominũ. Neq; em̃ homo se excusat ab homicidio quod fecit ignorãs, quod feciss̃et libẽtiùs, si sciuiss̃et, & rẽ intellexiss̃et. Ad extremũ ignorantia excusat opus quod ꝓcedit ex ignorãtia, sicut opus quod ꝓcedit ex passione excusationẽ habet: sed ignorãtia cõcomitãs nõ est causa actus, sed habet se cõcomitanter, & veluti res impertinẽs: ergo nõ excusat à peccato. ¶ Secũda cõclusio. Ignorãtia cõcomitãs non accusat̃, ꝓpter quod homicidiũ, quod ex ea cõsequit̃, nõ imputat̃ ad culpã. Huius rei multę sunt demõstrationes. Prima est; qm̃ peccatũ, vt peccatũ sit, necessum est vt sit volũtariũ: sed ignorãtia cõcomitãs, vt antea ꝓbatũ est, facit non volũtariũ: ergo ignorãtia cõcomitãs nõ facit actũ esse malũ: vnde nõ accusat. Secunda demõstratio. Illa volitio interior qua iste homo voluit occidere ferã sine aliqua mala volũtate occidẽdi hominẽ, antequã emitteret sagittã nõ erat mala: ergo qñ emisit sagittã, pro illo instãti nõ erat mala. Cõseq. argumẽti inde probatur. Nã opus externũ nihil addit bonitatis, aut malitię super actũ interiorẽ. Cuius rei altera probatio euidẽtior est: qm̃ idẽ obiectũ est sicut prius: ergo si volitio prior nõ erat mala, nec posterior. Explicatur hoc euidẽtiùs. Etenim si illa sagitta nõ tetigisset hominẽ qui in sylua latebat, nullũ esset peccatũ: sed ꝙ percutiat, vel vulneret, est omnino euẽtus casualis, & nihil facit ad bonitatẽ, vel malitiã volũtatis: ergo nõ reputatur ad peccatũ. Tertia demõstratio. De ꝓnior est ad miserẽdũ, quàm ad puniẽdũ: pono ergo aliquẽ in gratia, qui habuit volũtatẽ dãdi cuilibet pauperi aureũ, nũc petit ab eo pauper eleemosynã, & nil ipse cogitãs de aureo credit se solũ habere nũmũ argenteũ, & dat, si tñ sciret esse illi aureũ, etiã daret: talis, inquã, nõ tantũ meretur ac si dediss̃et sciens & prudẽs aureũ, quod ignorabat concomitanter duntaxat: ergo nec alius tantũ peccat. Quarta demõstratio. Cõditionales de rebus agẽdis nihil faciunt ad meritũ, nec demeritũ. quod exẽplis adhibitis euidẽter ostẽdit esse verũ. Cõiugatus qui accedit ad ꝓpriã vxorẽ sine aliqua mala volũtate, qui tñ accederet ad alienã, si illã in lectulo reperiss̃et, prædicta cõditionalis non vitiat accessum ad

Durand. Gabri. Marsil.

Secũda cõ. Ignorantia cõcomitãs nõ accusat.

Prima con. Propriè loquitur D. Tho.

ſuã vxorẽ. Cõſimiliter, ſcit Deus q̃ ſi mihi daretur occaſio delinquẽdi, certè delinquerẽ; nõ tñ ideo delinquo: ergo in propoſito, illa cõditionalis; ſi ſciré, meliùs & libẽtiùs occiderẽ inimicũ; nõ vitiat volũtatẽ qua volo occidere ferã abſq; aliqua mala volũtate occidẽdi hominẽ. Quinta demõſtratio. Si alicui viro expectãti vxorẽ ſupponeretur alia pulchrior vxore, & quę placuerat in oculis eius, & iſte licèt nũquã cogitauerat cõuenire cũ illa, tñ nõ eſt dubiũ q̃ oblata tali opportunitate conueniſſet: hic, inquã, non peccat. Patet manifeſtè: quia aliàs ſequeretur, q̃ eſt perplexus, etiã ſine culpa præcedẽte. Nã ponamus q̃ illa petat debitũ; ſi nõ reddat, peccat faciẽs cõtra cõſciẽtiã; exiſtimat emi ex cõſciẽtia erronea, quæ ſine dubio obligat, q̃ ſit vxor, & tenetur reddere debitũ mulieri, quã putat eſſe ſuã: ergo nõ peccat reddendo debitũ, alioqui non poterit effugere peccatũ, ſi peccat reddẽdo, & nõ reddẽdo. Ex quo cõſequẽs eſt, q̃ ignorãtia cõcomitãs non accuſat. Idẽ oſtẽditur alijs exẽplis. volo enim quòd ſit aliquis qui nunquã cogitauit de adulterio, ſed tñ eſt fornicator frequẽs, & ita intẽperãs, q̃ ſi haberet opportunitatẽ, adulteraret: nunquã tñ de hoc cogitauit. accedat iſte ad nuptã, ignorãs inuincibiliter eſſe nuptã, credẽſq; eſſe ſolutã; arguitur ſic; iſta ignorãtia eſt cõcomitãs, vt patet, & tñ nõ eſt adulter. quod ſic oſtẽdo: nã nũquã cogitauit, nec voluit adulterium cõmittere. Eſt aliud exẽplum. Sit Petrus nimis auarus, qui tñ nũquã cogitauit capere alienũ, ſcit tñ Deus, q̃ ſi haberet opportunitatẽ capiẽdi ſecretò, & ſine ſcãdalo, caperet alienũ: inuenit in domo ſua aureũ, quẽ credit inuincibiliter eſſe ſuũ, & reuera eſt alienus, ſequitur q̃ talis accipiẽs peccaret. Patet: quia ignorantia eſt cõcomittãs, quę (vt autores cõtrarię opinionis exiſtimant) accuſat. Quòd autẽ ſit falſum, patet: quia prius erat in gratia: nã auaritia nõ erat mortalis: nũquã emi cogitauit de alieno, & nũc credẽs inuincibili ignorãtia eſſe ſuum, accipit: quod ſi nõ tolleret, peccaret; & ſic eſſet perplexus: ergo nõ peccat accipiendo. Vltimò ſequitur ex iſtorũ Doctorũ ſentẽtia, q̃ infidelis, qui ſemel ſe & omnia ſua retulit in idolũ, peccaret in omnibus operibus ſuis, quãdo honorat parẽtes, obſeruat amicos, quando dat eleemoſynã. Quòd rectè ſequatur, patet: nã ſi infidelis in omnibus his operibus recordaretur idoli quod p̃ Deo colit, libẽter referret hæc opera in idolũ quòd pro Deo ſuo habet: ergo eſt ignorãtia cõcomittãs ſi nõ recordatur. Vnde, ſi vera eſt iſtorũ opinio, imputatur ad crimen.

¶Sed iam tẽpus eſt vt argumẽtũ propoſitũ in cõtrariũ diſſoluamus. Dicẽdũ itaq; eſt, q̃ illud opus ſecũdũ ſe malũ eſt; cõcedoq; nõ excuſatii ignorãtiã cõcomitãte; ſed neq; accuſatur; qa nõ eſt volũtariũ. Quod verò aiũt viri docti, q̃ illud opus eſt virtualiter volũtariũ, nulla ratione, neq; apparẽti quidem fulciri poterit. quod euidẽter demõſtrauimus ſuprà q. 6. ar. 8. ¶Circa quintã, & ſextã cõcluſionem dubitatur; An dãs operam rei illicitæ ſciẽter, ignorata aliqua mala circũſtãtia, excuſetur ab illa mala circunſtãtia ignorata? v.g. aliquis inuincibiliter putat ſe accedere ad ſolutã, & accedit ad nuptã; quę ritur; vtrũ ſit adulter, vel fornicator? Exẽplum eſt de Iuda, qui cognouit Thamar nurũ ſuã, exiſtimãs eſſe mulierẽ meretricẽ, & cõmunẽ. ¶Reſpõdetur, q̃ totaliter excuſatur ab illa circũſtãtia, vt Iudas ab inceſtu. Et hoc eſt vniuerſaliter verũ, q̃ ignorãtia inuolũtaria excuſat totaliter reſpectu ignoratæ circũſtantiæ. Nec in hoc differũt, dãs operam rei licitæ, vel illicitæ; quia reſpectu illius circũſtãtiæ æqualiter ſunt inuiti. Vnde Iacob cognoſcẽs Liam primam nõ eſſe, etiã ſi malã intẽtionẽ habuiſſet, nõ fuiſſet adulter. Quod patet euidẽti ratione: quia non habet actus plus de peccato, quàm de volũtario: & ſi eſſet lata aliqua ſententia reſpectu illius circũſtãtię, talis nõ incurreret eã, vt de excõmunicatione lata cõtra percutiẽtẽ clericũ. Secus autẽ fortè eſſet de irregularitate, quę nõ ſemper inducitur pro peccato, ſed poteſt contrahi ſine culpa. Ratio huius eſt; quia quando pœna lata eſt pro aliqua culpa, qui nõ incurrit illã culpã, nõ incidit in pœnã. ¶Sed circa hoc dubitatur; vtrùm ſimile ſit de ignorãtia iuris; hoc eſt; vtrũ ſi quis cõmitẽs ſciẽter peccatum, ignorat eſſe ſententiã latã pro illo peccato; putà, percutiẽs clericũ ſciẽter, ignorãs autẽ inuincibiliter ſententiã excõmunicationis eſſe latã; quæſtio eſt, vtrùm incidat in pœnã latam? Ad huius rei expoſitionem eſt prima propoſitio.

¶Ignorãtia circũſtantiæ ſicut excuſat à culpa, ſic excuſat à pœna lata contra tale peccatũ ratione talis circũſtãtiæ. v.g. ignorat quis inuincibiliter aliquẽ eſſe clericum, tametſi ſciat eſſe hominẽ, percutit illũ; nõ incidit in excõmunicationẽ latã cõtra percutiẽtẽ clericũ: nam illa pœna imponitur pro ſacrilegio cõmiſſo cõtra clericũ: ſed ille eſt tãtũ homicida & nõ ſacrilegus: ergo nõ incurrit illam pœnã. Quapropter Scot. in. 4. d. 6. q. 4. doctè ſcribit, q̃ qui baptizat puerũ ignorans inuincibiliter eſſe baptizatũ, nõ incidit in pœnas decretas cõtra rebaptizãtes. Oportet ergo notare in his legib⁹ pœnalibus, quæ peccata puniãtur. Nã ſi excuſatur homo à peccato, excuſatur etiã à pœna decreta cõtra tale peccatũ: nã pœnæ ſunt reſtringẽdę, & nõ ampliãdę. ¶Secũda cõcluſio. Quãdo pœna nõ eſt animaduerſio peccati, ſed imponitur ratione ſignificationis, aut ratione alicuius operis,

An dãs operam rei illicitę excuſetur ab aliqua circunſtantia mala ignorata.

Solutio.

Aliud dubiũ de ignorãtia iuris.

Prima cõc. Ignorantia circunſtantiæ ſicut excuſat à culpa, ſic excuſat à pœna.

Scotus.

Secũda cõ. Pœna impoſita ratione ſignificationis, incurritur etiã ſine culpa.

operis,siue sit peccatũ,siue nõ incurritur absque omni culpa.v.g. in iure est irregularis qui occidit hominẽ propter significationem; siue quis occidat hominẽ iustè,siue iniustè, est irregularis. Item in iure est irregularis bigamus,ratione significationis: non enim congruit ministerio altaris Christi qui tantũ vnicã sponsam sibi despõsauit:& ideo siue sit bigamus ex sua culpa,siue sine culpa,est irregularis,siue ignorãdo inuincibiliter,siue nõ. ¶ Tertia cõclusio. Quãdo quis sciẽter facit opus,licèt ignoret inuincibiliter pœnã,incurrit ipsam pœnã.Probatur cõclusio exẽplis.Si quis occidat clericũ ignorãs inuincibiliter pœnã excõmunicationis, incidit in pœnã excõmunicationis. Itẽ,labitur quispiã in hæresim,&ignorat inuincibiliter sententiã latã cõtra hæreticos, incidit in sentẽtiã excõmunicationis. Item, trãsgreditur quispiã legẽ diuinã, ignorans inuincibiliter pœnas inferni,incidit nihilominus in illas pœnas. Item, furatur quis,& ignorat inuincibiliter suppliciũ decretũ cõtra latrones per leges humanas, nõ ideo excusatur à supplicio. ¶ Ab ista regula generali excipitur vnus casus tantũ, qui refertur capitulo, Vt animarũ periculis, de constitutionibus lib.6.tit.2.cuius tenor est iste. Vt animarum periculis obuietur, sententijs per statuta quoruncũque ordinariorum pronunciatis, ligari nolumus ignorantes. Sed de hoc in materia de excommunicatione.

Tertia cõc. Faciẽs op*, & ignorãs pœnã, illã incurrit.

Peculiaris exceptio, in.6.tit.2. de constit.

ARTIC. QVARTVS.

¶ Vtrùm ignorantia diminuat peccatũ.

SVMMA TEXTVS.

Prima con. PRima Cõclusio. Intãtum ignorantia minuit peccatũ, inquãtũ minuit volũtariũ:quod si volũtariũ nõ diminuit, nullo modo peccatum diminuit. Hæc cõclusio nõ indiget cõfirmatione;est emm de se perspicua. ¶ Secũda Cõclusio. Ignorãtia quæ totaliter excusat,non minuit peccatũ,sed aufert totaliter: quia totaliter aufert volũtariũ: ergo omnino tollit peccatũ. ¶ Tertia Cõclusio. Ignorãtia quæ nõ est causa peccati,sed cõcomitãter se habet ad peccatũ,nec diminuit,nec auget peccatũ,sed veluti impertinẽter se habet. ¶ Quarta Conclusio. Illa sola ignorãtia põt minuere peccatum, quæ est causa peccati,& tñ non excusat totaliter à peccato: nã si totaliter excusat,aufert,& non minuit peccatũ. ¶ Quinta Cõclusio. Ignorãtia affectata videtur augere peccatũ. ¶ Sexta Conclusio. Ignorãtia culpabilis non affectata diminuit peccatũ. Istæ duę cõclusiones quę postremo loco cõstituũtur, simul probãtur. Cõtingit enim aliquando, q̃ ignorãtia directè,& per se sit volita; sicut cùm aliquis sua spõte nescit vt liberiùs peccet:& talis ignorãtia auget voluntariũ,& peccatũ:quia ex intẽsione voluntatis ad peccandũ prouenit q̃ aliquis vult subire ignorãtiæ dãnũ propter libertatẽ peccãdi.Sed quando ignorãtia quę est causa peccati,non est directè volũtaria, sed indirectè,& veluti per accidens; vt si quis non vult laborare in studio, ex quo sequitur eũ esse ignorãtẽ;talis ignorãtia diminuit volũtariũ,& per cõ sequẽs peccatũ:nã cùm aliquid nõ cognoscitur esse peccatũ,non potest dici quòd voluntas directè, & per se feratur in peccatum. quare est ibi minor contemptus, & per consequens minus peccatum.

Secunda. Tertia. Quarta. Quinta. Sexta.

EXPLICATIO ARTICVLI.

An actus peccati eũ ignorãtia, sit eiusdem rationis cũ ipso prẽsente scientia. 1. Tim. 1.

CIrca hũc articulũ dubitatur; Vtrũ actus qui cum ignorantia nõ excusatur,sit in eadẽ specie,in qua esset cũ scientia? Videtur quòd sic:quia in nulla alia specie est.Itẽ Paul.1. Tim. 1. dicit; Quia fui blasphemus,& persequutor; & tamẽ ibidem dicitur,quòd ignorans fecit. In oppositum est;quia species in actibus humanis non sumuntur nisi ab eo quod per se intẽditur:peccans autẽ ex ignorãtia nõ per se intẽdit peccatũ,sed per accidẽs,vt S. Tho. dicit in isto arti.

Duplex ignorãtia voluntaria.

¶Sed eſt notandum, quòd duplex eſt ignorãtia voluntaria; quædam priuãs vſu rationis, vt ebrietas; alia quæ priuat ſola ſcientia. Et iterũ hæc duplex eſt; quædam iuris, ſiue vniuerſalis, ſiue particularis, vt cùm quis neſcit homicidium eſſe peccatum; alia facti, vt cùm quis ſua negligẽtiã ignorat hominẽ eſſe vbi ipſe fagittat. Iterum, peccata facta ex ignorantia iuris, aut de ſe mala, vt furtum; aut ſolo iure poſitiuo mala ſunt, vt nõ ieiunare. ¶Prima propoſitio. Peccata ex ignorantia iuris, quæ ſecundũ ſe ſunt mala, ſunt in eadem ſpecie cum factis ex ſcientia. Probatur: quia ſunt voluntaria formaliter, quantum ad conuerſionẽ in obiectũ: hoc enim eſt ipſi voluntati ratio quare actus eſt malus, putà, gentilis volẽs accedere ad iſtã nõ ſuã, quia neſcit eſſe malũ, quãuis nõ velit id per ſe inquãtũ cõtrariatur virtuti, vult tñ fornicari: ſpecies autem ſumitur ab ipſo obiecto, & ſic Paulus voluit occidere Stephanũ confitentem Chriſtum Nazarenũ. Et quod S. Tho. hic dicit, quòd talis non vult per ſe peccatũ, intelligendus eſt formaliter, quod non eſt, niſi cùm quis ſcit actum eſſe peccatum, id eſt contrariũ virtuti: cùm hoc tamen ſtat, quòd velit formaliter actũ, qui eſt peccatũ ſecũdũ ſe. Quòd autẽ habeat formaliter eãdẽ ſpeciem, probatur; quia ſpecies ſumitur ex obiecto. ¶Secũda propoſitio. Qui occidit hominẽ in venatione ex negligẽtia ſciẽdi, quę ignorãtia eſt circa factũ, homicida eſt virtualiter, & interpretatiuè, & eius actio eſt in ſpecie homicidij. Patet; quia eſt virtualiter, & indirectè volita. Quod eſſe verũ demõſtraui euidẽter ſuprà q. 72. art. 9. & q. 18. art. 3. ¶Tertia concluſio. De peccatis factis ex ignorantia iuris poſitiui dicendũ eſt, q̃ ſunt in eadẽ ſpecie reductiuè, & indirectè, in qua eſſent cũ ſciẽtia. v. g. nõ obſeruat quis ieiuniũ ex ignorãtia culpabili; intẽperatus eſt; & peccat cõtra tẽperantiã; quia omittit ieiunium ad quod tenetur, & id quidem voluntariè, quã quam indirectè, & reductiuè. Eſt alia quæſtio non contẽnenda; vtrùm liceat complacere in actibus factis per ignorantiam inuincibilẽ? putà, an Iacob liceret placere quòd cognouiſſet Liam: de qua quæſtione videndæ ſunt annotationes noſtræ ſuprà q. 74. ar. 6. ¶Eſt alia dubitatio; An actus excuſatus totaliter per ignorãtiam ſit bonus moraliter? De qua quæſtione quãquã verſantur diuerſę opiniones, vera definitio eſt, q̃ manet bonus moraliter: manet enim meritorius, & per cõſequẽs ex charitate imperatur: & cùm charitas ſit bona moraliter, & nũquã inclinet ad malũ, cõſequẽs eſt quòd actus imperatus ſit bonus moraliter. Et q̃ñ de hac re memini me ſuprà ex parte diſputaſſe, ab eã diligẽtiori diſcuſſione ſuperſedẽdũ cẽſeo.

Prima cõc.

Secũda cõ.

Tertia cõc.

Actus totaliter per ignorantiam excuſatus, eſt bonus moraliter.

QVAESTIO LXXVII.

De cauſa peccati ex parte appetitus ſenſitiui; in octo articulos diuiſa.

ARTIC. PRIMVS.

¶Vtrùm voluntas poſſit moueri à paſſione appetitus ſenſitiui?

SVMMA TEXTVS.

Prima cõc.

PRima Cõcluſio. Paſsio appetitus ſenſitiui non poteſt directè trahere, aut mouere voluntatẽ: nullũ em̃ immateriale põt moueri ab aliquo materiali: ſed volũtas eſt potẽtia quędã immaterialis; appetitus autẽ ſenſitiuus eſt vis materialis, & corporea: ergo paſsio appetitus ſenſitiui nõ poteſt directè mouere volũtatẽ. ¶Secũda Cõcluſio. Paſsio appetitus ſenſitiui põt indirectè mouere volũtatẽ duplici ter; vno modo, ſecũdũ quandã abſtractionẽ: cùm enim oẽs potẽtiæ animæ in vna eius eſſentia radicẽtur, neceſſe eſt quãdo vna potẽtia in ſuo actu intẽdit, alterã in ſuo remitti, vel totaliter impediri: nã virtus ad plura diſperſa fit minor: & è cõuerſo, quando intenditur circa vnũ, minus põt ad alia diſpergi: requiritur enim in operibus animæ quædam intentio, quę dũ vehemẽter applicatur in vno, nõ põt vehemẽter in alia immergi: vnde quando motus appetitus ſenſitiui ſecũdũ paſsionẽ fortificatur, oportet remitti, vel totaliter impediri motũ ꝑpriũ appetitus rationalis, qui eſt volũtas: Alio modo ex parte obiecti voluntatis, quod eſt bonũ ap-

Secunda.

prehenſum

prehensum ratione: nã impeditur iudiciũ, & apprehẽsio rationis propter vehemnetẽ & inordinatã apprehẽsionẽ imaginationis, & iudiciũ virtutis æstimatiuæ, vt in amẽtibus patet. Apprehẽsio enim imaginationis, & æstimatiuæ iudiciũ passionẽ appetitus sensitiui sequitur, sicut iudicium gustus sequitur dispositionem linguę. Quare videmus homines in aliqua passione existentes, non facilè ab ea imaginatione auerti. Vnde iudiciũ rationis plerũq; sequitur passionẽ appetitus sensitiui, & per cõsequẽs motus volũtatis aberrat, qui natus est semper sequi iudicium rationis.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Danie. 13. Iacobi. 1. Roma. 7.

QVòd passio appetitus sensitiui moueat voluntatem ad peccandũ, est certum, & indubitatũ. quod patet ex illo; Concupiscentia subuertit cor tuum. & Iacobi. 1. Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus. Idẽ explicat Pau. cum ait; Sentio aliam legẽ in membris meis repugnantẽ legi mentis meæ, & captiuum me ducẽtẽ in legẽ peccati: quibus verbis explicat motum appetitus sensitiui, qui vi sua trahit voluntatem, vt sequatur illum, vt domina ancillam. Eandem violentiã paulò post explicat Paulus dicẽs; Infelix ego homo, quis me liberabit de morte corporis huius? Gratia Dei per Iesum Christum. Idẽ explicat Sapiens in illo; Corpus quod corrũpitur aggrauat animam, & deprimit sensum multa cogitantem. Constat ergo ex diuinis testimonijs, quòd passio appetitus sensitiui mouet voluntatem ad peccandum: quod vel sola experientia satis liquet. Sed explicare, quomodo appetitus sensitiuus moueat voluntatem, difficilè est: explicatũ tñ est diligentissimè supra q. 9. art. 2. ex quo loco explicatio huius difficultatis petẽda est.

Sapien. 9.

ARTIC. SECVNDVS.

¶Vtrùm ratio quandoque superetur à passione contra suam scientiam.

SVMMA TEXTVS.

HOc idem est, atque percontari; vtrùm existente perfecta scientia ex parte intellectus, possit esse peccatum in voluntate propter passionis vehementiam.

Prima cõc.

¶Prima Conclusio. Homo potest peccare cõtra scientiã vniuersalẽ quam habet, & contra particularẽ etiam quã habet in habitu, dũ actu non considerat.

Secunda.

¶Secunda Conclusio. Existente scientia in particulari, & in vniuersali, & recta consideratione actuali, impossibile est quòd sit peccatum in voluntate.

Tertia.

¶Tertia Cõclusio. Impossibile est quòd sit peccatum in volũtate sine errore ex parte intellectus.

Probationes D. Th.

Sed videndum est, quomodo probationes D. Tho. rectè procedãt. Scribit ergo S. Tho. fuisse opinionem Socratis, quòd scientia nunquã possit superari à passione: vnde dicebat, omnes virtutes esse scientias, & omnia peccata esse ignorãtias. In quo quidem nõ omnino à vero deuiabat. Cùm enim voluntas sit boni, vel apparentis boni, nũquã voluntas in malum moueretur, nisi id quòd nõ est bonũ, aliquomodo rationi bonũ appareret: & propter hoc voluntas nunquã in malũ tenderet, nisi cum aliqua ignorantia, vel errore rationis: vnde dicitur; Errant qui operantur malum. Ex qua ratione, si rectè inspiciatur, efficaciter probatur tertia conclusio articuli. Sed quia experimento patet, quòd multi agunt contra ea quorũ scientiã habẽt vt dicitur Luc. 12. Seruus sciens voluntatem Domini sui, & non faciẽs, plagis vapulabit multis; sciẽdũ est, hominẽ dirigi ad rectè agẽdũ duplici scientia;

Prouer. 14.

Luc. 12.

vniuersali videlicet, & particulari: vnde vtriusq; defectus sufficit ad hoc vt impediatur rectitudo volũtatis, & operis. Nã contingit quòd aliquis habeat sciẽtiam in vniuersali; putà, nullam fornicationem esse faciendam; sed nõ cognoscat in particulari, hunc actum, qui est fornicatio, non esse faciendum: & istud sufficit adhoc quòd volũtas non sequatur vniuersalem scientiam rationis. Vlteriùs considerandum est, aliquid posse sciri in habitu, quod tamen in actu non consideratur. Vnde potest contingere, quòd aliquis habeat rectam scientiam in singulari, & non solùm in vniuersali, sed tamen in actu non consideret. Sic ergo non videtur difficile, vt prẽter id quod actu nõ considerat, homo agat. Sed quòd homo non consideret in particulari id quod scit habitualiter, aliquando prouenit ex solo defectu intentionis; vt si Geometra non consideret Geometriæ conclusiones, quas in promptu habet. Aliquando autem homo non cõsiderat id quod habet in habitu propter aliquod impedimẽtum superueniẽs, vt per aliquam occupationem exteriorem, vel propter aliquam infirmitatem corporalẽ: & hoc modo, qui in passione constitutus est, non considerat in particulari id quod scit in vniuersali, propter passionem impediẽtem. Impedit ergo passio in particulari atq; in actu tripliciter: primò, per quandam distractionem, vt dictũ est. Secundò, per contrarietatem; quia plerunque passio inclinat ad contrarium huius quod habet sciẽtia vniuersalis. Tertiò, per quandã corporalem immutationẽ, ex qua ratio quodammodo ligatur ne in liberum actum exeat, sicut patet in somno, & ebrietate. Sed quòd in passionibus contingat, patet: nam cùm passiones multum intẽduntur, homo amittit vsum rationis; vt propter abundantiam amoris & iræ multos videmus in insaniam esse conuersos; & sic passio trahit rationem ad iudicãdum in particulari cõtra sciẽtiã quã habet in vniuersali. Ex his documentis probationes pro prima & secũda conclusione manifestè eruuntur.

EXPLICATIO ARTICVLI.

DE hac quæstione; vtrùm possit esse peccatum in voluntate, existẽte perfecta scientia ex parte intellectus; Scotus in. 3. d. 36. sic decernit, vt dicat, illud esse possibile, & accidere sæpenumero: idque probat optimis argumẽtis. ¶ Primò, in sacro eloquio apertissimè dicitur q̃ multi scientes peccant, vt in illo; Seruus qui cognoscit voluntatem Domini sui, & non facit, vapulabit multis; &, Scienti bonum, & non faciẽti, peccatum est illi. ¶ Secundò, adducit varias autoritates B. Aug. dicentis, quòd aliquãdo sciẽtes peccamus. ¶ Tertiò, adducit articulum Paris. huius tenoris; Dicere, quòd existente perfecta sciẽtia in cõmuni & in particulari in intellectu, nõ potest esse peccatũ in volũtate, error. ¶ Quartò, adducit Arist. dicẽtem, quòd scire, parum aut nihil valet ad vitam rectè instituendam. Sed si existente perfecta scientia in intellectu non potest esse peccatum in voluntate, maximè conducit ad vitam rectè instituendã: imo consulendum esset hominibus quòd non rectè vellent, sed quòd rectè considerarent. Sed dimissis autoritatibus, hoc probatur optimis rationibus. ¶ Primò, existẽte perfecta sciẽtia ex parte intellectus, adhuc voluntas manet libera, vt patet: ergo potest peccare. ¶ Secũdò, existente perfecta scientia & perfectissimo iudicio in intellectu voluntas potest suspendere actum suum: non enim necessitatur à iudicio intellectus: ergo potest voluntas peccare.

Scoti sentẽtia.

Primũ arg.

Luc. 12.

Iacob. 4.

Auguſt.

Arti. Pariſ.

Ari. 2. Eth.

Prima ratio.

Secunda.

¶ Tertiò,

Tertia. ¶Tertiò, in Angelis fuit peccatum quod nullus error præcesſit; vel quoniã in Angelis non poteſt eſſe error, cùm ſciant omnia, & ſint naturaliter beati; vel quoniam ſaltem nó potuit præcedere culpa: ergo in voluntate poteſt eſſe peccatum ſine errore intellectus. Idem confirmatur. In primo homine fuit peccatum originale, quod nullus error præceſsit intellectus: niſi velis dicere, quòd in ſtatu innocentiæ ante peccatum fuit malum pœnæ, cuiuſmodi eſt error. ¶ Quartò, rectitudo intellectus in practicis, & ſimiliter in ſpeculabilibus oritur vel ex ipſis terminis, vel ex forma ſyllogiſmi perfecta, quidquid ſequatur in volũtate: ergo poteſt eſſe peccatum in voluntate, exiſtente perfecto intellectu. Certè rectitudo intellectus, quæ prouenit ex iſto principio; omnis fornicatio eſt cauenda; hæc eſt fornicatio: ergo, &c. non tollit quin voluntas poſsit velle fornicationem. ¶ Vltimò, ſtat quòd ratio oſtendat vtrumque oppoſitorũ ſecũdũ quòd in ſe eſt. v.g. fornicari & non fornicari; & quòd voluntas per ſuam volitionẽ ſe determinet ad vnũ, quia vult. Hoc apertè ait Ariſto. 9. meta. dicit enim; quòd ſcientia eſt oppoſitorum, ſed determinatur per electionem ad vnum illorum: non ergo oportet intellectum errare, aut ignorare vt voluntas malè eligat. Certè dãnati dæmones euidenter cognoſcũt quòd Deus nulla ratione eſt dignus odio: at ex malitia voluntatis ſuæ odio habent illum. Item qui deſperantes ſe ſuſpendunt, euidenter iudicant non eſſe deſperandum, aliàs ſi haberent aliud iudiciũ, hæretici eſſent: nihilominus deſperantes ſe ſuſpendunt ex malitia ſuæ volũtatis: ergo poteſt eſſe peccatum in voluntate ſine errore ex parte intellectus. ¶ In contrarium eſt veritas certiſsima, quam aſſerit in primis Ariſt. 3. Eth. c. 3. quòd omnis peccans eſt ignorans, &. 6. Ethic. dicit, quòd exiſtente recta prudentia in particulari non poteſt eſſe peccatum: &. 7. Ethi. c. 3. quo in loco ex profeſſo inueſtigat hanc quæſtionem, dicit, quòd cũ vltima propoſitio rei ſenſibilis ſit opinatio rei particularis, quid hîc, & nunc agendum eſt, quę eſt domina noſtrorum actuum, hanc non habent incontinẽtes, vel ſi habent, in habendo non eſt ſcire, ſed dicere ſicut temulẽtus, qui profert carmina Empedoclis, & non intelligit. Huic ſententiæ conſonant ſacræ ſcripturæ, Prouerb. 14. Errãt qui operãtur malum. Dan. 13. Euerterunt ſenſum ſuum, & declinauerunt oculos ſuos vt non viderent cœlum. & Rom. 1. Tradidit illos Deus in reprobum ſenſum. Hinc eſt, quòd in ſacra ſcriptura homines iuſti appellantur ſapiẽtes; improbi verò, inſipientes. Hanc ſententiã docent ferè omnes Theologi, D. Tho. iſta quæſtione arti. 2. Caiet. ſupra eundem articulum. Capreol. in. 3. d. 36. quæſtione vnica. Durãdus in. 2. d. 39. q. 1. Adrianus quodli. 4. art. 1. Buridanus. 7. lib. Ethicor. q. 7. Probatur ratione: nam obiectum noſtræ voluntatis eſt bonum, & cõueniens per intellectum propoſitum, vt patet: ergo ſi fertur in malum, eſt, quia proponitur vt conueniens ex errore, aut incõſideratione intellectus. Secundò, voluntas vel fertur in verum bonum, vel in apparens, quod re vera bonum non eſt. Si primum, non peccat: nam in appetitione veri boni peccatum non eſt. Si verò fertur in bonum apparens, quod reuera bonum non eſt, iam contingit error intellectus: ergo omne peccatũ ex errore intellectus prouenit. Tertiò, electio voluntatis oritur ex imperio efficaci intellectus, quod explicatur his verbis; fac hoc; faciendũ eſt; niſi enim animus imperaret aliquid faciendum, voluntas nihil eligeret. Hoc igitur imperium vel eſt de re bona, & licita ſecundum omnes circunſtantias, quando oportet, ſicut oportet; & tunc iudicium intellectus eſt rectum, & electio recta. Si verò iudicium & imperiũ eſt de re alioqui illicita, falſum eſt imperium, & peruerſum, & electio voluntatis peruerſa. Omnis ergo electio mala prouenit ex falſo imperio intellectus. Quartò, electio voluntatis neceſſariò ſequitur ex imperio efficaci intellectus: non enim ſtat, quòd intellectus imperet efficaciter aliquid faciendum, & quòd voluntas nõ eligat illud: ergo ſi imperium eſt rectum, electio eſt recta, & è diuerſo. Vltimò, ſi exiſtente omni veritate, & omni integritate intellectus poteſt eſſe peccatum in voluntate, ſequitur quòd homo corruptiſsimis moribus poſsit eſſe prudẽtiſsimus; quod aduerſatur omni Philoſophiæ morali, & politicæ Ariſt. His cõſtitutis, pro ſolutione argumentorum dicit Caiet. vbi ſuprà; omne peccatum procedere ex errore, & ignorantia intellectus, extendendo ignorantiam ad inconſiderationem: ſic explicat D. Tho. 1. p. q. 63. artic. 1. ad quartum. Secundò dicit Caiet. quòd vt voluntas aliquid appetat, ſemper requiritur iudicium, vel imperium intellectus, quod explicat his verbis; faciendum eſt hoc; fac hoc, &c. & in hoc iudicio ſemper errat omnis qui peccat. Quod vt planè intelligatur, hoc nota; quòd iſtæ loquutiones; faciendum eſt hoc; operandum, & cligẽdum; tripliciter explicari poſſunt. Primò, vt ſit ſenſus; dignum eſt vt hoc fiat. Secundò, debitum eſt ſecundum legem vt hoc fiat. Tertiò, vt ſit ſenſus, hoc exequutioni eſt mandandum; quidquid inde ſequatur. Et in hoc ſenſu accipitur in diſcurſu practico, quando de agendis deliberamus. Itaque qui fornicatur, habet hoc iudicium rectum; omnis for-

Confir.

Quarta.

Vltima.

Com. 3.

In oppoſitum. Ariſto.

Prouer. 14. Dani. 13.

Roma. 1.

D. Tho.

Caieta. Capreo. Durand. Adria. Burida.

Ari. 6. Eth. c. de prudẽtia. Caiet.

D. Tho.

nicatio est cauenda secundum legem Dei: itē hoc; hæc fornicatio est cauenda secundum legem Dei: cæterùm habet iudicium, hîc, & nūc propter delectationem fornicatio est commit tenda, & exequutioni mandāda, & in hoc errat. Ex hoc sequitur, quòd in eo qui fornicatur ex passione sunt duo iudicia, quæ cōtradicto ria esse videntur, sed nō sunt. Nam ille qui fornicatur ex passione, credit hanc fornicationē secundum se non esse faciendam: item credit omnibus concurrentibus esse committendā: si enim hoc non sentiret, nunquam eam committeret. Sed iudicia ista contradictoria non sunt: nam non sunt ad idem, & respectu eiusdem, & in eodem sensu. Secundò sequitur, q̄ stante scientia in vniuersali, & in particulari, potest esse peccatum in voluntate, vt dictum est. Quāda ergo dicunt Theologi; omne peccatum voluntatis ex errore intellectus prodire, non loquuntur de errore contra scientiam moralem, sed de errore contra prudentiam.

Quomodo intelligēda sit D. Tho. sententia.

Ad autoritates. ¶ Ad autoritates ergo sanctarum scripturarū, in quibus dicitur, quòd multi scientes peccāt, respondetur; quòd loquuntur de sciētia in vniuersali, vel de scientia in particulari, in habitu, vel de iudicio intellectus practico sine imperio efficaci: at verò quando est imperiū intellectus efficax, & verum, impossibile est quòd recta electio non subsequatur. Ad autoritates D. Aug. idem dicendum est. ¶ Ad eundē modum explicandus est articulus Parisiensis: affirmat namque, quòd stante scientia in vniuersali, & particulari, potest esse peccatum in voluntate; & oppositum erroris condemnat. Arist. verò loquitur de scientia morali, quæ de virtutibus inuestigat; non loquitur de perfecto iudicio prudentiæ, quod constat esse formā omnium virtutum.

Ad primā rationem. ¶ Ad primam rationem negatur consequētia: nam licèt ex efficaci imperio intellectus necessariò sequatur electio volūtatis, non est consequens quòd tollatur libertas: est enim necessitas ex suppositione, quæ non tollit libertatem: potest enim intellectus non cōsiderare, aut omittere illud iudicium, & sic

Ad secūdā. voluntas poterit peccare. ¶ Ad secundam negatur antecedēs: impossibile enim est, quòd intellectus rectè, & efficaciter aliquid præcipiat, & quòd non sequatur electio in volūtate tali præcepto conformis. Quomodo autē hoc non tollat libertatem voluntatis, ad primum

Ad tertiā. argumentum dictum est. ¶ Ad tertiam respōdetur, peccatum Angelorum processisse ex eorum inconsideratione, vt optimè explicat

D.Tho. S. Thom. 1.p.q. allegata suprà. In peccato verò primi hominis dico simul fuisse erroré, & peccatum: quod idem potest dici de peccato An-

Ad quartā. gelorum. ¶ Ad quartam negatur quòd rectitudo intellectus practici pendeat ex solis terminis, & forma syllogistica, sed potiùs ex appetitu recto: vnde dicit Arist. quòd verum intellectus practici est cōformiter se habere ad appetitum rectum: quia qualis vnusquisque est, talis ei videtur esse finis. Vel dicatur, quòd rectitudo intellectus secundum se pendet ex solis terminis, & ex forma syllogistica; sed vt iudicanda, & præcipienda, pendet ex appetitu recto. Tertiò dicēdum, quòd prima principia in practicis ex ipsis terminis nota sunt, & conclusiones inde deductæ per syllogismum euidentes sunt: sed qui perturbatur passione, impeditur ne rectè syllogizet de rebus agendis. Vnde dicit Arist. quòd syllogismus incontinē tis habet quatuor propositiones; duas vniuersales, quarum vna est rationis, scilicet fornicationem non esse committendam; altera passionis, scilicet delectationem esse sequendam: & passio ligat rationem ne subsumat, & concludat sub prima, & ideo ea perseuerante in intellectu, subsumit sub secunda, scilicet fornicandum est. ¶ Ad vltimam respondēdum, quòd eo ipso quòd voluntas determinat se ad alterum oppositorum quod malū est, interuenit ignorantia aliqua: oportet enim voluntate aliquid appetente prius iudicare illud esse appetendum, & cùm in veritate non sit appetendum, error est, & ignorantia. Ex his manet explicatus iste articulus.

Arist. 6. Eth. ca. 2.

Arist. 7. Eth. ca. 4.

Ad vltimū.

ARTIC. TERTIVS.

¶ Vtrùm peccatum ex passione debeat dici ex infirmitate.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Conclusio est affirmās. Nam in anima dicitur infirmitas, ad similitudinem infirmitatis corporis, quod infirmum appellatur, cùm propter inordinationem partium ipsius in exequutione proprię operationis impeditur, vel debilitatur. Sic ergo animæ est infirmitas, quādo in propria operatione impeditur; quia partes eius ordini rationis non subdūtur. Cùm itaque concupiscibilis, aut irascibilis extra ordinem rationis aliqua passione afficitur, peccatū ex in-

Ari.1.Ethi. firmitate dicitur. Quare Arist. incontinentem paralytico comparat, cuius partes mouentur in contrarium eius quod ipse disponit.

ARTIC. QVARTVS.

¶Vtrùm amor sui sit principium omnis peccati?

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. AFfirmans est Conclusio. Propria enim causa peccati accipiēda est ex parte conuersionis ad commutabile bonum, ex qua parte omnis actus peccati procedit per inordinatum appetitum alicuius boni temporalis, ad quod se cōuertit homo per inordinatum sui ipsius amorem: ideo inordinatus amor sui est causa & origo omnis peccati.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Conclusio articuli quarti discutitur. Primū arg. QVòd amor sui inordinatus non sit causa omnis peccati, ijs argumētis suadeo, vt veritas doctrinæ magis elucescat. ¶In primis, omne peccatum procedit ex odio sui: ergo non procedit ex amore sui. Antecedens patet; quia Diuus D.Tho. Tho.2.2.q.25.art.7.docet expresse, quòd peccator, dum peccat, vult sibi malum & nociuū, Secundum non tantùm animę, sed etiam corpori. ¶Deinde, quando peccator habet odium sui, certè peccat: sed tale peccatum nō procedit ex amore sui. Tertium. ¶Præterea, qui se interficiunt desperantes, & damnati qui desiderant non esse, non se Vltimum. amant, cùm non velint sibi bonum. ¶Vltimò, si amor sui inordinatus est causa omnis peccati, sequitur quòd in omni peccato sit duplex peccatum; scilicet, peccatum cuius est causa, & Prima con. amor sui inordinatus. Ad huius rei expositionem est prima conclusio. ¶Amor sui ordinatus, bonus est, atque laudabilis, datusque homini ad tuendam, & conseruandam vitā. Vnde est, quòd odium sui, peccatum est; & diligere seipsum, corpus & animam lege naturæ homo obligatur. ¶Secunda conclusio. Amor sui inordinatus, qui à græcis philautia nūcupatur, multis nominibus est vituperandus; vt neminem tam attentum, tam modestum, tamque oculatum inuenias, quin in proprijs æstimandis quadam animi propensione corruptus cæcutiat, atque hallucinetur. Ecquem vnquam vidimus tam barbara in regione natū, cui sua patria non vel optima videatur? Quæ gēs tam effera, tam horrida lingua, quæ non alias præ sua contemnat? Quæ tam ferina corporis species, quæ sibi nō appareat formosissima? Quò circa verè scripsit Arist. Quoniam autem omnes sui sunt amantes, & sua cuique iucunda esse necessum est, vt facta, dictaque; idcirco etiam assentatoribus gaudet. Id tametsi omnibus in rebus generaliter verum est, vt sit, quēadmodum ait Horat. Cæcus amor sui: tamen in artifices, atque ex ijs potissimum in poëtas, ad hæc in amantes potissimùm quadrare videtur. Etenim rectissimè scripsit Aristot. suo quemque artificem opere impensè delectari, nō aliter quàm rebus quibusdā ex sese prognatis. Neque secus adamant sua carmina Poëtæ, quam parētes liberos. Est enim artificis opus, quasi quidam ingenij fœtus, de quo Socrates ait; Rectiùs iudicare obstetricem, quàm matrem ipsam. Hûc pertinet etiam illud quod ait Cicero; Suo quisque studio maximè ducitur. Et lib.1.offic. Quorum vterque suo studio delectatus, cōtempsit alterum. Quanquàm hoc venia dignum, hactenus communē illam philautiam valere, vt suis quisque liberis, suis artibus, suo instituto, suis inuentis, suæ patriæ paulò impensiùs faueat; nisi eousque cęcitatis nos rapiat, vt & alienas virtutes calumniemur, & nostris blandiamur vitijs, eaque virtutum nomine donemus, ac sibi quisque sit, quod sibi fuit Catullianus, aut Mæuius Horatianus: quod vitij Flaccus in Epistolis notans;

Dū mala, inquit, detester mea, me vel deniq; fallāt.

Et alibi;

Turpia decipiunt cæcum vitia, aut etiam ipsa hæc
Delectant, veluti Balbinum Polypus Agnæ.

Nam Balbino stulto amanti, etiam polypus amicæ Agnæ suaue quoddā olere videbatur. Est autem polypus, vitium narium grauè olentium. Itidem in his rebus in quibus exercitati sumus satis, nec poëta vnquā, nec orator fuit qui quenquam meliorē se arbitraretur. Plaut. eandem sententiam diuersis verbis, nimisque eleganter extulit.

Suꝰ, inquit, Rex reginæ placet, sua cuiq; spōsa spōso.

Hûc etiam referendum est & illud Theocriti; Nec mihi profectò forma mala est, si vera loquuntur: quod imitans Maro ait;

Nec sum adeò informis, nuper me in littore vidi,
Cùm placitum ventis staret mare.

Neque dissidet ab hac forma quod Aug. cùm in alijs aliquot locis, tum in epistola.48. adducit ex Tichonio quodam; Quod volumus, sanctum est. Atque ad eandem sentētiam attinet, quod eleganter scripsit Lucianus; Patriæ, ait, fumus,

Aristo li.2. Retho. Horat. Arist.lib.4. morali. Socrates. Cicero lib. 5.de finibꝰ. Plaut. in Sticho. Maro in Bucoli. August. Lucianꝰ, in Encomio patriæ.

fumus; igne alieno luculentior. Extat huius rei elegans Ouidij diſthicum.

Ouidius.

Neſcio qua natale ſolum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non ſinit eſſe ſui.

Ari. lib. 9. moral.

Ariſtot. ſatis indicat amatores ſui vocari philautos; hanc autem philauti probroſam appellationem, ceu prouerbialem vulgò iactatam fuiſſe, cùm ait, homines ſui ſupra modum amãtes à multitudine malè audire: quippe qui fœdo infamiq́ue cognomine vocentur philauti, contrà qui ſibi diſplicent, putiduli vocantur. Denique, vt videas quæ vitia comitentur philautiam, audi Apoſtolũ; In nouiſſimis, inquit,

2. Timot. 3.

temporibus inſtabũt tempora periculoſa: erũt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, &c. quæ ſequuntur. ¶ Tertia cõcluſio. Amor ſui inordinatus omnium peccatorum fons eſt, & origo. Sic aſſerit Plato: ſed & Aug. huius rei locupletiſsimus eſt teſtis, ait enim, Amorem ſui ædificare ciuitatem Babylonis vſque ad contemptum Dei: amorem verò Dei ædificare ciuitatem Hieruſalem vſque ad contemptum ſui. Huius autem demonſtratio hęc eſt: Nemo enim peccat, niſi vt aliquod bonum conſequatur quod inordinatè amat; ſicut Iudas peccauit ex inordinato amore pecuniæ; Dauid ex cõcupiſcẽtia Beth-ſabee corruit; Eua ex inordinato amore veſcendi ex ligno vetito lapſa eſt; omnes denique prędictas concupiſcentias ex amore inordinato procedere certum eſt. ¶ Ad argumenta in contrariũ ſatisfaciendum eſt. Ad primum dicendum, q̃ peccator errat, & decipitur miſerè: nam quærit bonum; ſed quia inordinatè, inuenit malũ. Itaque dum ſe amat ſine ordine, in malum incidit. ¶ Ad ſecundum dicendum, quòd cùm quis habet odium ſui, & triſtitia, vel mœrore conficitur: id ex amore ſui inordinato procedit: nã cùm ea bona quæ amat, non ſibi pro animi ſententia ſuccedant, in odium ſui, & deſperationem cadit. Et ſic verum eſt, quòd omnis animi affectio ex amore procedit, & in eo fundatur. ¶ Ad tertium dicendum, quòd qui ſe deſperantes interficiunt, & damnati qui volunt non eſſe, nimis ſe amant; quia ex inordinato amore ſui nolũt ſufferre miſerias, & ærũnas, eiſq́ue omnibus carere pro magno bono ducunt. ¶ Ad quartum dicendũ negando conſequentiã illius, eò quòd amor ſui inordinatus non facit numerũ cum alijs peccatis, quia ſpargitur per omnia peccata, ſicuti & inobediẽtia.

Ad argumenta. Ad primũ. Ad ſecũdũ. Ad tertiũ. Ad quartũ.

ARTIC. QVINTVS.

¶ Vtrùm cauſæ peccatorum conuenienter reducantur ad hæc tria; concupiſcentiã carnis, concupiſcentiam oculorum, & ad ſuperbiam vitæ.

SVMMA TEXTVS.

Conclũſio eſt affirmãs: nam ad duo priora reducũtur omnes paſsiones cõcupiſcibilis; quia duplex eſt concupiſcentia: vna naturalis, ea eſt eorum quibus natura corporis ſuſtentatur; ſiue ad cõſeruationem indiuidui, vt cibus, & potus; ſiue ad conſeruationem ſpeciei, ſicut actus venereus: & horum inordinatus appetitus dicitur concupiſcentia carnis. Alia eſt cõcupiſcentia animalis, eorum ſcilicet quæ per ſenſum carnis, ſuſtentationem, vel delectationem non afferunt, ſed ſecundùm apprehenſionem imaginationis ſunt delectabilia; prout eſt pecunia, ornatus veſtium, & ſimilia: & hæc animalis concupiſcentia, oculorũ dicitur; ſiue reſpectu viſionis, quæ fit per oculos, & ad curioſitatem refertur; ſiue propter concupiſcẽtiam rerum, quæ exteriùs oculis proponuntur, & ad cupiditatem refertur. Sed ad tertium reducuntur omnes paſsiones iraſcibilis: appetitus enim inordinatus boni ardui attinet ad ſuperbiã vitæ; quia ſuperbia eſt inordinatus appetitus excellentiæ.

Concluſio.

EXPLICATIO ARTICVLI.

QVM in ſuperiori articulo fuerit definitum, quòd amor ſui inordinatus ſit omnium peccatorum radix, & cauſa, ſitq́ue propriũ amoris proprij; & philautiæ, amare inordinatè omnia bona quæ corpori noſtro ſeruiũt, quæ penè ſunt innumerabilia; miro artificio Diuus Ioã. in ſua Canonica reducit ad tria prædicamenta, videlicet ad res familiares, ad honores, ad delectationes.

tiones. Sed sicut in vniuerso cõstituimus quatuor ventos præcipuos, qui ex quatuor mũdi partibus spirant, inter quos connumeramus alios minùs principales, qui propemodũ sunt infiniti: sic sanè triplex humanarum rerum cõcupiscentia, est causa & fons omnium peccatorum præcipuus, ad quam tripartitam reducuntur alia peccata minùs præcipua, ferè innumera reducuntur, prout hæc explicat diuinè diuinus Doctor.

ARTIC. SEXTVS.

¶Vtrùm passio diminuat peccatum?

SVMMA TEXTVS.

Prima con. PRima Conclusio. Passio anteuertens iudiciũ rationis, & electionẽ, peccatum diminuit: ea tenùs namque actus est peccatũ, quatenùs voluntarius est, & in nobis existens: sed in nobis aliquid dicitur existere per rationẽ, & voluntatem: quare quantò ratio, & voluntas aliquid ex se agit, non ex impulsu passionis, magis est volũtarium, & in nobis existens: passio verò quæ suo impetu trahit voluntatem, diminuit voluntarium: ergo diminuit peccatum. ¶Secunda Conclusio. Passio consequens iudicium rationis, & electionẽ, magis aggrauat, & auget, quàm diminuat: quia demonstrat intensionẽ voluntatis ad actum peccati. Igitur quanto maiori concupiscẽtia aliquis peccat, tãtò magis peccat; si loquamur de concupiscẽtia quę sequitur actum.

Secunda.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Primũ arg. VIdebitur alicui fortasis quòd passio semper augeat peccatũ: quia causæ auctæ semper augent suos effectus: si namque calidum calefacit, magis calidum magis calefacit: sed passio est causa peccati, vt dictum est: ergo aucta passio

Secundum ne, augescit peccatum. ¶Deinde, qui ex passione. v. g. ex inordinato vxoris amore furatur, committit duplex peccatum; alterum, quòd furatur; alterum quòd inordinatè amat vxorem: qui verò ex malitia furatur, non peccat nisi vnum peccatum furti. ergo, qui peccat ex passione, grauiùs peccat. ¶Vltimò, passio (vt dicit D. Tho. suprà q. 6. art. 7.) auget volũtarium; facit enim quòd voluntas suauius, & vehementiùs feratur in obiectum: ergo auget peccatum: qui enim ex intensiori volũtate fertur in malum, certè grauiùs peccat. ¶In cõtrarium est, quòd passio concupiscentiæ, tẽtatio carnis appellatur: sed qui maiori tentatione prosternitur, minùs peccat, vt docet Aug. Ad huius explanationem non est opus addere nouas probationes, definitionesve, quia conclusiones Diui Tho. sunt certissimæ, & euidẽter à Diuo Tho. demonstratæ: reliquum est vt argumẽtis in aduersum adductis satisfaciamus. ¶Ad primum dicendum, quòd passio est causa peccati ex parte conuersionis: grauitas verò peccati magis attenditur ex parte auersionis, quæ sequitur per accidens ad conuersionem, hoc est, præter intentionem operantis: & causæ per accidens licèt augeantur, non tamen subinde augent effectum, sed solùm causę per se. Item dicendum, quòd aucta causa peccati adæquata, crescit sine dubio peccatum: passio verò non est causa adæquata, sed consensus liber volũtatis. Hæc est solutio D. Tho. in hoc articulo. Sed habet magnam calumniam: nam suprà q. 73. art. 3. docuit, grauitatem peccatorũ ex obiecto sumendam esse, hoc est, ex conuersione ad obiectum: hîc verò dicit, quòd ex auersione; quæ videtur esse euidens contradictio: quam vt enodet Caiet. dicit, grauitatem peccatorum esse sumendam ex obiectis causaliter: quò enim obiectum est peius, auersio, & priuatio boni est peior: sed ex auersione sumitur formaliter: sicque conciliat ista hæc loca D. Tho. quæ dissidere videbantur. Sed prętat vt dicamus, aliud esse, sumendam esse peccatorũ grauitatem ex obiecto; quod est verissimum; & aliud ex cõuersione ad obiectum; quod est falsissimum. Non enim rectè sequitur; volũtas suauiùs, & vehementiùs fertur in obiectum: ergo grauiùs peccat: potest siquidem libertas aliunde impediri ex impetu passionis, & perturbatione. Verùm rectè, & euidenter sequitur; voluntas intensiùs, & vehementiùs auertit se à bono rationis: ergo grauiùs peccat. & id vult dicere D. Tho. & nihil aliud. ¶Ad secundum dicendum, optimè probare, quòd passio quæ sequitur rationis iudicium, & electionẽ voluntatis, augeat peccatum. Aut fortasse concedendum est, eum qui furatur ex amore vxoris inordinato grauiùs peccare, quàm qui furatur absque passione; non quidem ita quòd

Tertium.

Vltimum. D. Tho.

Aug. li. 14. de ciuitate.

Ad primũ.

Caieta.

Autoris ex positio.

Ad secũdũ.

passio

paſsio peccatũ augeat, ſed quia ſunt duo peccata diſtincta. Sic reſpondent viri doctiſsimi. Ego verò ſenſerim, quòd etſi committat duo peccata, non ob id grauiùs peccat; quia ambo peccata non habent tantam grauitatem, quantam habet vnum ex malitia perpetratum; alterum namque diminuit alterum: ſicut grauius peccatum eſt homicidium ab homine ſobrio admiſſum, quàm ab ebrio; attamen ebrius habet duplex peccatum; ebrietatẽ ſcilicet, & homicidium: quod præclarè docuit autor ſuprà q. 76. art. 4. ad ſecũdum. ¶ Ad tertium dicitur, quòd paſsio in vno ſenſu auget voluntarium, & in alio diminuit. Auget quidẽ eò quòd eſt cauſa quòd voluntas ſuauiùs, & intenſiùs fertur in obiectũ. Diminuit verò, quia diminuit libertatem perturbans rationis iudicium. Et ſic cõciliantur duo loca Diui Tho. nam ſuprà q. 6. art. 7. aſſerit, quòd paſsio auget voluntarium: hîc verò docet quòd minuit.

D. Tho. Ad tertiũ.

D. Tho. loca cõciliãtur.

ARTIC. SEPTIMVS.

¶ Vtrùm paſsio totaliter excuſet à peccato?

SVMMA TEXTVS.

Prima cõc.

PRima Cõcluſio. Si paſsio totaliter aufert rationis vſum, totaliter à peccato excuſat. ¶ Secũda Concluſio. Si non totaliter intercipiat rationis vſum, non totaliter excuſat à peccato. Probatio vtriuſque concluſionis iſta eſt. Nã paſsio à peccato tunc totaliter excuſat, quando totaliter reddit actũ inuoluntarium; eò maximè, quia peccatum adeò eſt voluntarium, quòd niſi ſit voluntarium, non ſit peccatum: ſed quãdo totaliter aufert vſum rationis, reddit actũ omnino inuoluntarium, & minimè liberum: ergo penitus excuſat à peccato. Et ex eodem principio patefit ſecunda concluſio: quia quãdo paſsio non omnino intercipit rationis vſum, non reddit actũ omnino inuoluntarium: ergo non totaliter excuſat. Vt autem hæc doctrina clariùs eluceſcat, duo ſunt conſideranda. Primum, quòd aliquid poteſt eſſe voluntarium vel ſecundùm ſe, vti quando voluntas fertur directè in ipſum; vel etiã ſecundùm ſuam cauſam, quando voluntas fertur in cauſam, & non in effectum, vt patet in eo qui voluntariè inebriatur: nam hoc quaſi volũtarium imputatur ei quod per ebrietatem committit. Secundum, aliquid dicitur voluntarium directè, vt id in quod volũtas per ſe fertur: indirectè verò illud, quod voluntas potuit prohibere, & non prohibuit. Quocirca ſecundùm hoc eſt diſtinguendum; quia paſsio nonnunquam eſt tanta vt totaliter auferat vſum rationis, vt in ijs qui per amorem, vel iram inſaniunt: tũcque ſi talis paſsio fuerit à principio voluntaria, talis actus imputatur ad peccatum, quia fuit in ſua cauſa voluntarius, vt dictũ fuit de ebrietate. Quòd ſi cauſa nõ fuit voluntaria, ſed naturalis; vt ſi ex aliqua ægritudine incidat homo in talem paſsionem, quæ totaliter aufert vſum rationis, actus redditur omnino inuolũtarius, & totaliter à peccato excuſat. Cæterùm aliquando nõ eſt tanta vt omnino rationis vſum intercipiat, & tũc ratio poteſt paſsionem excludere diuertẽdo ad alias cogitationes, vel impedire ne ſuũ aſſequatur effectum; quia membra operi non applicantur, niſi per conſenſum rationis: ea propter talis paſsio non excuſat à peccato.

Secunda.

Duplicitèr aliquid voluntarium.

EXPLI-

EXPLICATIO ARTICVLI.

Dubium. SEd dubium ſtatim occurrit hîc circa primam concluſionem. Si quis ſua culpa infirmatur, an imputetur ei quòd non ieiunat, & deinceps nõ dicit officium horarum? Ratioque dubitandi pro affirmante parte ſic mouetur, & eſt duplex. Prima, quia ſic videtur doceri ſuprà in prima concluſione, & ad tertium. Secunda eſt iſta, quia iſta omiſsio fuit volũtaria in ſua cauſa: culpabilis ergo. ¶ Reſpondetur tamẽ, quòd Solutio. iſta omiſsio non eſt culpabilis; tum, quia ieiunium infirmos non obligat, ſiue ſint infirmi ex culpa ſua, ſine non: tum, quia omiſsio illa non fuit voluntaria: nã non ægrotauit vt omitteret ieiunium; tunc enim aliud eſſet, & certè imputaretur ad culpam, donec huius rei pœniteret: nam fuit voluntaria in ſua cauſa, ſicut dicitur de ebrio qui ſe inebriat, vt à præcepto liberetur; & de illo qui proijcit breuiariũ in mare ne dicat officium horarum, ſed de ijs dictũ eſt copioſiùs ſuprà q. 71. art. 5.

ARTIC. OCTAVVS.

¶ Vtrùm peccatum, quod eſt ex paſſione, poſsit eſſe mortale?

SVMMA TEXTVS.

Concluſio. COncluſio affirmat. Nãtale peccatum conſiſtit in auerſione ab vltimo fine, qui eſt Deus, quæ auerſio ad rationem deliberãtem attinet; nam ipſa in Deũ ordinat. Et quòd id non ſit mortale peccatum quod fini vltimo contrariatur, non eſt niſi quia ratio deliberans nõ poteſt occurrere, vt in ſubitis motibus contingit. Sed quando quis ex paſsione procedit ad actum peccati, aut ad deliberatum conſenſum, hoc nõ fit ſubitò, ſed ratio poteſt deliberare, & ſic paſsionem excludere: vnde ſi non facit, peccatum mortale eſt; vti videmus multa adulteria, & homicidia per paſsionem committi, quæ ſubitò non fiunt.

EXPLICATIO ARTICVLI.

DOctrina huius articuli de ſe perſpicua eſt: hoc tantùm animaduerſione dignum eſt, quòd etſi ratio deliberans paſsionem nõ excludat, nec concupiſcentiam noxiam; aliquando namque eſt tam vehemens, vt nulla ratione compeſci queat; ſi tamen ratio deliberans non conſentiat, peccatum mortale nõ eſt. Iam enim à nobis dictum eſt, quòd non præcipitur nobis ne habeamus concupiſcentias, ſed ne conſentiamus concupiſcentijs. Hæc de iſta quæſtione ſatis erunt.

QVAESTIO LXXVIII.

De cauſa peccati, quæ eſt malitia; in quatuor articulos diuiſa.

ARTIC. PRIMVS.

¶ Vtrũ aliquis ex certa malita peccet?

SVMMA TEXTVS.

AFfirmatiua eſt Cõcluſio: Concluſio. quia homo, ſicut & quæuis alia res, naturaliter habet appetitum boni; qui ſi ad malum declinet, non contingit niſi ex corruptione, aut inordinatione in aliquo hominis principio: principium autem actuum humanorum ſunt intellectus & voluntas, & appetitus ſentiens: ſed peccatum accidit aliquando ex defectu intellectus, vt cùm aliquis per ignorantiam peccat: nonnũquam peccatum eſt ex defectu appetitus ſenſitiui; vt cùm aliquis ex paſsione peccat: ita etiam contingit ex defectu volũtatis, qui eſt eius inordinatio. Inordinata verò voluntas eſt, quando minus bonum magis amat. Conſequẽs autem eſt vt aliquis eligat detrimẽtum pati in bono minùs amato, vt potiatur bono magis amato, ſicut cùm homo

vult

vult pati abſciſionem mẽbri, etiã ſcienter, vt cõſeruet vitam quam magis amat: ſimili modo quando inordinata voluntas aliquod temporale bonum plus amat, vt putà, diuitias, vel voluptatem, quàm ordinem rationis, legiſque diuinæ, ſeu charitatem Dei, vel aliquid huiuſmodi, ſequitur quòd velit diſpẽdium pati in aliquo ſpiritalium bonorum, vt aliquo bono temporali potiatur. Malũ verò nihil eſt aliud quàm boni priuatio. Cùm ergo aliquis ſcienter vult priuari bono ſpirituali, quod eſt malum ſimpliciter, vt potiatur bono temporali, tunc dicitur peccare ex malitia, quaſi ſcienter, & ex induſtria malum eligens.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Quid nam ſit ex malitia peccare.

AD huius articuli expoſitionem dubitatio eſt, quid ſit peccare ex malitia? Certè non eſt velle malum ſub ratione mali, vt perperã ſentit Scotus. 2.d.43. Voluntas namque non poteſt ferri in malum ſub ratione mali, vt dictum eſt ſuprà q.8.art.1. Secundò, non eſt peccare ex habitu vitioſo, & praua conſuetudine, cùm multi ex malitia peccent, qui nõ habuêre habitum prauum, vt Angeli. Rurſum, nec eſt peccare ex præcedenti peccato; quia peccatum ex malitia nonnunquam eſt primum peccatum, vt eſt videre in Angelis. Dico ergo, quòd peccare ex malitia, eſt nulla impellente paſſione eligere malum, quod ſcitur eſſe malum. ¶ Pro quo notandum eſt ex autore q.3.de malo, artic.12. quòd voluntarium nõ ſolùm eſt illud in quod voluntas vltimò fertur, tanquam in finem, ſed etiam medium in quod ipſa fertur: ægrotus enim non ſolùm vult ſanitatem, ſed & vult bibere medicinam amaram ad ſalutem aſſequẽdam: & negotiator nõ ſolùm vult ſaluus eſſe, ſed etiam proijcere merces in mare, vt ſaluetur: ita contingit peccatorem ſic eſſe affectum ad delectationem fornicationis, aut adulterij, aut aliquod concupitum, quòd ſtatuat apud ſeſe incurrere in offenſam Dei, & priuationẽ bonorum ſpiritalium, vt bono delectabili potiatur. Ex dictis ſequitur, quòd talis tendit in malum, quod ſcit eſſe malum, vt bono concupito fruatur. Sequitur ſecundò, quòd nemo intendens ad malum, operatur, vt aſſerit Dionyſ. intendere enim eſt velle aliquid propter ſe, & primò, & per ſe: in caſu verò commemorato licèt homo eligat malum, quod ſcit eſſe malum, eſt vt bono delectabili potiatur: quærit itaque vltimatè bonum. Tertiò ſequitur, quòd voluntas peccantis ex malitia tendit in malum, quod ſcit eſſe malum; quoniam vel arbitratur eſſe medium, vel aliquid neceſſarium ad delectationem capiendam. Vltimò ſequitur, quòd peccare ex malitia, eſt nulla opprimente, vel impellente paſſione eligere quod ſcitur eſſe malum: aut, vt vno verbo dicam, eſt Deum, & bonum creatum in ſtatera conſtituere, & ex voluntatis vitio Deo creaturam præferre. ¶ Iſta tamẽ explanatio obſcuriſſima eſt; quia obiectum voluntatis eſt bonum, vt teſtatur omnis moralis philoſophia: ergo non poteſt voluntas eligere malum, quod ſcit eſſe malum. Et confir. quia viſus non poteſt videre ſonũ nec ſpiritũ, quoniã hæc continentur extra obiectum ſuum: vnde neq; volũtas in malum ferri poteſt; cùm eius obiectum ſit bonum. ¶ Præterea, ſi ille qui peccat ex malitia, eligit malum quod ſcit eſſe malum, maximè quia eligit fornicationem, vel aliud; ſcitque euidenter quòd ex eo incurret Dei offenſam, & priuationem bonorum ſpiritalium: ex quo conuincitur eligere malum, quod ſcit eſſe malum. Sed hæc ratio inualida eſt, vtpotè cum nõ ſemper quòd voluntas aliquid vult, vult & id quod ad illud neceſſariò ſequitur. Exemplis id patefit: quia bene ſequitur; conteror, ergo peccaui; & tamen non ſequitur; volo conteri; ergo volo peccâſſe. Rurſus ſequitur optimè, Petrus facit minus malum: ergo facit malum: ſed non ſequitur; ego conſulo, & volo quòd faciat minus malum: ergo volo quòd faciat malum. ¶ Vlteriùs ſequitur rectè, iſte peccator non facit pœnitentiam: ergo permanet in peccato: ſed non ſequitur: hic peccator vult non pœnitere: ergo vult permanere in peccato. Item aliud, ſcit aliquis confeſſarius euidenti experiẽtia quòd ex audientia confeſſionum ſemper ei ſequitur pollutio: tamen non ſequitur; vult audire confeſſiones; ergo & pollui. ¶ Sed alia de cauſa explicatio ſuprà dicta inconueniens apparet; quia actus humanus nõ habet neque denominationem, nec ſpeciẽ ab eo quod eſt præter intentionem, & veluti per accidens voluntarium: at verò malum eſt præter intentionem operantis, vt habet Dionyſius: ergo non dat ſpeciem actui malo: ergo peccare ex malitia, non eſt eligere malum, quod ſcitur eſſe malum. Et confir. quia priuatio non dat ſpeciem actui

D. Tho.

Dion. ca.4. de diui. nõmini.

Obiectiones. Prima.

Confir.

Secunda.

Tertia.

Confir.

actui humano: atqui malum priuatio est: ergo non dat actui speciem. ¶ His argumentis breuiter respondendum, & ad primum dicēdum, quòd voluntas semper fertur in bonum principaliter, sed ex vehementi affectu ad aliquod bonum contingit quòd sustineat malū quod est coniunctum tali bono. Vel dicatur, quòd primarium voluntatis obiectum est bonum, secundarium verò, malum esse potest: ita docet autor. 1. p. q. 20. artic. 1. Sic ergo qui ex malitia delinquit, eligit malum, quod scit esse malū, sed vt tēporali bono potiatur: itaq; primò & principaliter bonū quærit. ¶ Ad secundum dicitur, quòd nemo potest velle antecedens, quin velit consequens quod inde sequitur, si necessaria est consequentia, & prius nota; & loquor de volitione, siue principali, siue ex cō sequenti, siue per se, seu per accidens; alioqui quiuis peccator se à crimine liberaret, dicens se velle delectationem quam amat, non tamen offensam Dei, quæ inde sequitur. Simili ratione ebrius se excusaret, dicens se velle bibere vinum, non ebrietatem quæ inde consequitur. ¶ Ad exempla verò adducta in consequentibus, dico ad primū, nō rectè sequi; volo conteri: ergo & peccâsse: non enim peccâsse sequitur ad contritionem quam habeo, sed est præambulum, & requisitum vt pœniteam. Vel dicendum, quòd conteri, non est velle peccatum, sed illud detestari; & sic non sequitur; volo conteri; ergo volo peccâsse; sicut nec sequitur; detestor peccatum; ergo volo peccatum. ¶ Ad secundum dicitur, non rectè sequi; consulit minus malum; ergo vult malum; quia qui consulit minus malum, non consulit vt mentiaris, aut fornicationem committas, sed solummodo consulit hoc modo; si apud te decreuisti adulterari, aut mentiri, rogo te vt à maiori malo desistas. Quare propriè loquendo nec malum consulit, neque minus malum: sed illud minus, vt vtar verbis Caietani. ¶ Ad tertium sunt viri sapientes qui dicunt, quòd licèt pro aliquo tempore liceat non pœnitere; non tamen licet pro illo tempore velle non pœnitere. Autor huius sententiæ est Cano in relectione de pœnitentia. Ego verò dico, quòd sicut pro aliquo tempore licet non pœnitere, ita pro eodem tempore licet velle non pœnitere; & pro eodem tempore licet velle non exire à peccato. Sed notandum, quòd ista sententia; volo pro isto tempore non exire à peccato; potest dupliciter interpretari: primò, vt sit sensus, placet status peccati; sic accepit Cano; & in hoc sensu est peccatum mortale. Secundò, vt sit sensus, nolo nunc agere de exitu à peccato, nam ad hoc modo non teneor; & in hoc sensu non est aliquod peccatum. ¶ Ad quartum dicitur, quòd in illo casu pollutio non sequitur ex voluntatis electione, sed ex necessitate materiæ, sicut si sequeretur ex potu, ciboque temperatè sumptis; aut verò ex disputatione de re venerea. Aut dicendum, quòd non semper est peccatum, velle pollutionem in sua causa, quando causa licita est, & alioqui vrgēs. ¶ Ad tertium argumentum dicitur, quòd peccans ex malitia non eligit malum quod scit esse malum, tanquam finem intentum, aut medium vt bono temporali potiatur; sed vult illud tanquam effectum consecutum ex necessitate finis, quē desiderat: sicut nec medicus vult debilitatem ægroti, nec tanquam finem, nec tanquam medium, sed tanquam effectum ex medicina sanante subsecutum: sic qui peccat ex malitia non vult incurrere malum, & Dei offensam, nec tanquam finem, nec tanquam medium, sed tanquam effectum qui ex necessitate sequitur ad bonum concupitum: itaque vult fornicationis delectationem, non obstante quòd intelligit priuationem bonorum spiritalium habere coniunctam. Hinc patet solutio argumenti; quia peccatum ex malitia non specificatur à malo, aut priuatione, sed ab obiecto, & bono delectabili, cui spirituale damnum est annexum. Inde fit, quòd peccatum ex malitia, & ex passione sint eiusdem speciei quam habent ab obiecto, & bono delectabili, sed differūt sicut perfectum, & imperfectū. ¶ Est aliud dubium; An hæc diuisio peccati ex ignorātia, ex passione, ex malitia, bona sit? Ratio dubij est; quia omne peccatum procedit ex ignorantia, vt suprà dictum fuit. Respondetur esse optimam, si nomine ignorantiæ comprehendamus inconsiderationem. Pro quo notandum, quòd omne peccatum procedit ex deficiente principio: principium verò humanorum actuum in primis est intellectus, ex cuius defectu peccatum prouenit ignorantiæ. Præterea est appetitus sensitiuus, ex cuius defectu peccatum ex passione originem habet. Vlterius est voluntas, ex cuius deordinatione peccatum ex malitia originatur, nempe quando propositis duobus bonis, & vnum est maius, & alterum minus, scienter eligit id quod est minus cū detrimēto in superiori bono: & in hoc peccato est error in prauā electione; id est, in imperio efficaci intellectus, qui statuit hoc minus esse amplectendū, etiam cū detrimento boni superioris, idque sine passione aliqua, & de industria; quò maximè discernitur hoc peccatum à peccato ex passione.

Solutio. Ad primū. D. Tho. Ad secūdū. Qui vult antecedēs, vult consequens. Cano. Ad tertiū. Vtrūm diuisio peccati in peccatū ex ignorantia, passione, & malitia, sit bona.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ Vtrùm qui ex habitu peccat, ex malitia peccet?

SVMMA TEXTVS.

Prima cõc. PRima Conclusio. Non est idem peccare habẽtem habitum, & ex habitu peccare: vti enim habitu nõ est necessarium, sed subiacet voluntati habentis: vnde & habitus definitur, quòd sit quo quis, cùm voluerit, vtitur. Et ideò sicut potest contingere, quòd aliquis habẽs habitum vitiosum prorumpat in actum virtutis, eò quòd ratio nõ totaliter corrumpitur per malum habitum, ex quo prouenit quòd peccator aliqua operatur de genere bõnorum: ita etiam potest contingere, quòd aliquis habens habitum vitiosum, interdum non ex habitu operetur, sed ex passione surgente, vel etiam ex ignorantia. ¶ Secunda Conclusio. Qui ex habitu peccat, ex malitia peccat: quia cuiuis habenti habitum per se diligibile est id quod secundùm proprium habitum est ei conueniens; quia sic fit ei connaturale quodãmodò, secundũ quòd cõsuetudo, & habit⁹ vertitur in naturã: sed hoc quod alicui est cõueniens secũdùm habitum vitiosum, est id quod excludit bonũ spiritale. Ex quo sequitur, vt homo eligat malũ spiritale, vt potiatur bono quod est ei secũdùm habitum cõueniẽs, & hoc est ex certa malitia peccare.

Secunda.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Vtrùm habẽs habitũ eo necessario vtatur. Primum. EST dubium circa primam conclusionem, in qua dicitur, quòd qui habet habitum, non necessariò vtitur eo. Hoc videtur falsum. Quia qui habet gratiam, necessariò vtitur ea quando bene moraliter operatur. Vnde sententia est plurium Theologorum, quòd omne opus bonũ existentis in gratia est meritorium. Et confirmatur. Nam si sententia Diui Tho. est vera, sequitur quòd posset aliquis existens in gratia operari bene moraliter, & quòd habitus supernaturalis non concurrat ad illud opus: consequens est falsum: tunc enim nõ omne opus bonum existentis in gratia esset meritorium, siquidem non procedit à principio supernaturali. ¶ Præterea, charitas in beatitudine habet actum necessarium, & non liberum, sicut dicunt Theologi; quòd scilicet beati non possunt actum amoris suspendere. ¶ Tertiò, lumen gloriæ est habitus, quo illustratus intellectus beati necessariò videt Deum: ergo sententia Diui Tho. non est vera. ¶ Respondetur, sententiam Diui Tho. esse certam, patetq; ex illo; Habitibus vtimur cùm volumus. Rursus, quia habitus est causa moralis: ergo libera: ergo liberè inclinat. Vltimò, habitus non minus subduntur nostræ facultati, quàm potentiæ in quibus residunt: at verò potentijs vtimur cùm volumus: ergo & habitibus. ¶ Ad primum dicitur, quàm plures Theologos asserere non omne opus bonum existentis in gratia esse meritorium: quibus ego facilè subscripserim. Alij tamen oppositum opinantur, existimantes omne tale opus relatum esse in finem supernaturalem formaliter, vel virtualiter. Ego verò dico ad argumentum, quòd gratia non est habitus operatiuus, vt constat ex Theologia: autor verò loquitur de habitu operatiuo. Rursumque dico, quòd etiam gratia vtimur cùm volumus: possumus enim operari, & non operari: sed dato quòd bene moraliter operemur, iam cõcurrit gratia, vt opus sit meritorium. ¶ Ad secundum dicitur, quòd habitus charitatis de se actum habet liberum, sed ex coniunctione ad diuinam visionem habet actum necessarium, sicut habitu scientiæ vtimur cùm volumus: sed dato quòd habemus hæc principia in intellectu, omnis homo est risibilis; Petrus est homo: necessariò debemus assentiri Petrum esse risibilem. Dico secundò, quòd charitas potest considerari vt natura quædam est, & sic actum habet necessarium: potest etiam considerari vt habitus quidam est, sicque habet actum liberum; sicut solent Theologi distinguere de volũtate, quòd consideratur vt natura quædam est, & vt potentia libera est. Sed de hoc agitur suprà q. 4. articulo. 4. ad tertium. ¶ Ad tertium dicitur, quòd habens lumen gloriæ necessariò videt Deum, non tantùm ob habitum luminis, sed quia habet Deum præsentem. Vel dicendum, quòd

Confir.

Secundum.

Tertium.

Solutio.

Ad primũ.

Ad secũdũ.

Ad tertiũ.

quòd lumen gloriæ non est propriè habitus, licèt infundatur per modum habitus permanentis, sed est veluti lumen externum, quo illustratus oculus necessariò videt colorē. ¶ Dubitatur secundò circa secundam conclusionē, de quo habitu loquatur autor; an ne loquatur de habitu prauo existente in voluntate; an vero existente in appetitu sensitiuo? Et videtur esse necessarium quòd habitus prauus existat in voluntate vt sit peccatum ex malitia; quia peccatum ex malitia prodit ex deordinatione voluntatis, vt ait D. Tho. artic. 1. ergo oportet quòd habitus deordinatus sit in voluntate. ¶ Secundò, peccatum ex passione non dicitur ex malitia; quia passio est veluti causa extrinseca, quæ trahit voluntatem: sed habitus existens in appetitu sensitiuo est huiusmodi: ergo qui peccat ex tali habitu, non peccat ex malitia. Et confirmatur: nam habitus intemperātiæ non inclinat voluntatem, nisi eliciendo passionem immoderatam in appetitu sensitiuo: ergo qui peccat ex tali habitu, peccat ex passione: ergo non ex malitia. Respondetur, conclusionem D. Tho. esse intelligendam de quouis habitu prauo, vt ipse dicit articulo. 4. dicit enim quòd intemperatus peccat ex malitia, assimilatúrque febri continua laboranti: incontinens verò peccat ex passione, & assimilatur ægroto interpolatè laboranti. Et in solutione ad secundum ponit differentiam inter passionem, & habitum prauum appetitus sentientis; quòd passio mouet voluntatem quasi violenter, habitus verò quasi naturaliter: est enim consuetudo altera natura. ¶ Ad argumenta dicitur primò, quòd malè habituatus non eget passione quæ excitet illum, imò ipse excitat passiones. Dico secundò, quòd etsi semper moueretur passione, dicitur tamen peccare ex certa malitia: quia illa passio est affectata, & volita per longam consuetudinem. Dico tertiò, quòd si ille qui habet habitum prauum rapitur aliquando passionis impetu, concedo quòd non peccat ex malitia, ita enim docet autor in prima conclusione.

Secūda D. Tho. cōclusio discutitur.

Primū arg.

D. Tho.

Secundum

Confir.

Exponitur conclusio.

Solutio argum.

ARTIC. TERTIVS.

¶ Vtrùm qui peccat ex certa malitia, peccet ex habitu?

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Conclusio negat. Certè peccatum ex certa malitia semper præsupponit in homine quandā inordinationem, quæ tamen non semper est habitus: volūtas enim ex natura suæ potentiæ inclinatur ad bonum rationis, sicut ad proprium obiectum. Quòd autem eligendo in malum inclinetur, aliunde ei contingit: aliquādo ex rationis defectu, vt cùm quis ex ignorantia peccat: & aliquando ex appetitus sensitiui impulsu, cùm ex passione peccat. Neutrum tamen horum est ex certa malitia peccare, sed tunc, quando voluntas ex se mouetur ad malum. Quod contingit; vel quia potest homo aliquam dispositionem habere corruptam inclinantem ad malū, ita quòd secundùm illam dispositionem sit ei quasi conueniens, & simile aliquod malum, voluntas verò in illud tendit quasi in bonum ratione conuenientiæ: quia quodlibet secundùm se tendit in id quod est sibi conueniens: talis verò dispositio corrupta aut est habitus acquisitus ex consuetudine quæ vertitur in naturam; vel aliqua habitudo ægritudinis ex parte corporis. Vel etiam contingit quòd voluntas de se tendit in aliquod malum per remotionem alicuius prohibentis; vt si quis prohibeat peccare, non quia peccare ei secundùm se displiceat, sed propter spē vitæ æternæ, vel timorem gehennæ ignis. Remota spe per desperationē, vel remoto timore per præsumptionē, sequitur quòd ex certa malitia, quasi absque fræno peccet. Sic ergo patet, quòd peccatū, quod est ex certa malitia, semper præsupponit in homine aliquam

in ordinationem, quæ tamen non semper est habitus. Vnde non est necessarũ, quòd quicũque peccat ex certa malitia, peccet ex habitu.

EXPLICATIO ARTICVLI.

IN hoc articulo tria sunt notanda, vt docet D. Tho. Primò, posse fieri quòd aliquis habens habitũ studiosum, nec turbetur passione, nec abijciat spem, vel timorem Dei; & quòd peccet ex malitia certa eligẽdo malum, quod videt esse malum. Sed id rarò contingit: & sic primum peccatũ potest esse peccatum in Spiritum sanctum, de quo disputat autor. 2.2.q. 14.artic. 4. Secundò dicit in articulo D. Tho. quòd sunt in nobis quædam naturales inclinationes ad peccandum: quæ sententia habet difficillimam explicationem: quia naturalis inclinatio est à Deo autore naturę: ergo inclinat ad bonum: ergo non ad peccandum. Quo vnico argumento conuincitur, impiũ esse dogma asserere sydera, & eorum constellationes inclinare homines ad peccandum, cùm natura syderum bona sit: ergo non inclinat ad peccandum. Sententia ergo D. Tho. habet duas explicationes. Prima est Caiet. 2.2.q. 141. artic. 1. vbi ait, quòd inclinatio specifica semper est ad bonum: at inclinationes indiuiduorum sæpenumero trahunt ad malum; quia huiusmodi inclinationes non prodeunt immediatè à Deo, sed à causis secundis deficientibus. Non est omnino absurda ista explicatio. Veritas tamen est, quòd omnis inclinatio, siue specifica, siue indiuidua, dummodò sit naturalis, est à Deo, & in bonum tendit. Quò circa optima explicatio Diui Tho. est, quòd sunt in nobis naturales inclinationes ad peccandum; id est, non liberæ, non quæ prodeant ex naturali inclinatione; sicut error in intellectu aliquando est naturalis, id est non liber: attamen non est naturalis in hoc sensu, quòd prodeat ex inclinatione naturali intellectus, qui suapte natura non inclinat ad falsum, sed adverum. Autor in articulo dicit, quòd sunt in nobis inclinationes naturales ad peccandum ex corruptione naturæ, non ex ipsa natura. Tertiò est intelligendum, quod ait D. Tho. eum qui peccat ex naturali inclinatione ad malũ, peccare ex malitia. Pro cuius expositione notãdum ex. q. 31. art. 7. quòd inclinationes ad malum nonnunquam oriuntur ex corporis ægritudine, aliquãdo verò ex mala complexione; sicut aliqui delectantur in comestione terræ, & carbonum; aliquãdo ex animæ ægritudine: sicut delectantur quidã in comedẽdis carnibus humanis, & in coitu bestiarũ, & masculorũ. Sententia autoris intelligenda est de inclinationibus tertij generis; nã aliæ inclinationes potiùs diminuunt peccatum.

D. Tho. Quomodo sit verũ esse in nobis quasdã naturales inclinationes ad peccandum.

Caieta.

ARTIC. QVARTVS.

¶ Vtrùm peccatum ex certa malitia sit grauius peccato ex passione?

SVMMA TEXTVS.

AFfirmatiua est Cõclusio. Primò, quia peccatum principaliter in volũtate cõsistit: quãtò ergo peccati motus est magis proprius volũtati, tantò cæteris paribus, grauius est peccatũ. Sed quãdo ex certa malitia peccatur, motus peccati est magis proprius volũtati, quæ ex se mouetur in malum, quàm quãdo ex passione peccatur, quasi impulsa ex quodam extrinseco ad peccãdũ. Quare peccatũ ex malitia aggrauatur, & tãtò magis, quãtò maior est malitia. Econuerso se habet passio; quia quantò fuerit maior, tãtò minuitur peccatũ. Secũdò, passio inclinãs ad peccãdũ citò trãsit, & sic homo pœnitẽs de peccato citò ad bonitatẽ redit: at habitus quo ex malitia delinquit, est qualitas permanẽs, & ideo peccatũ ex malitia diuturnior durat. Vnde Philosoph. cõparat intẽperatũ, qui peccat ex malitia, infirmo qui cõtinuò laborat; incõtinentẽ verò peccantẽ ex passione, ei qui laborat interpolatè. Tertiò, peccãs ex certa malitia est malè dispositus quò ad finem, qui est principiũ in operabilibus: vnde eius defect9 est periculosior, quàm eius qui ex passione peccat, cuius propositum tendit in bonũ finem, etsi hoc propositũ ad horã interrum-

Conclusio.

Arist. 7. Eth. ca. 8.

interrũpatur: sed defectus principij est pessimus: quare maius est peccatum ex malitia.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Vtrùm peccatũ ex habitu sit grauius quam peccatũ in consuetũ.

PRO explicatione oritur quæstio; vtrùm peccatũ ex habitu, & ex consuetudine, sit grauius peccatũ, quã peccatum incõsuetum. v. g. habet quis fornicandi consuetudinem, est ne primum peccatum minus graue, & secundũ grauius, & sic deinceps? Altisiod. libro. 2. tractatu 30. c. 1. q. 4. Almay. tractatu. 1. capi. 9. sentiunt, quòd primum peccatum est grauius, secundũ verò minùs graue, & sic deinceps. Itaque consuetudo peccandi (vt ij dicunt) diminuit peccatum. ¶ Probaturque sic: hoc primum peccatum perdit gratiam, & dona Spiritus sancti; & si est peccatum fornicationis perdit virginitatem, quod est damnum irreparabile. ¶ Præterea, primum peccatum perdit innocentiã baptismalem, quod est maximũ Dei beneficiũ: ergo in eo est maxima ingratitudo. ¶ Rursus, primum peccatũ est magis voluntariũ; habet enim minus motiuũ; sequẽtia verò peccata ducta in consuetudinem habẽt magna motiua; sunt enim iam veluti naturalia. ¶ Vlteriùs, primũ peccatum facilius caueri poterat; habebat enim homo gratiã, & auxiliũ Dei paratissimũ ad resistẽdũ: quò magis verò homo peccat in cõsuetudine, minora habet Dei adiutoria: minus ergo peccat. In oppositũ est autoritas omniũ sanctorũ Patrũ, dicentiũ peccatũ ex cõsuetudine esse grauissimũ peccatũ. ¶ Pro explicatione dico primò, peccatũ primũ, & peccatũ ductũ in cõsuetudine, habẽt se sicut excedens, & excessum: quia primum peccatu perdit gratiã, & innocentiã, & virginitatem, habetq; maius adiutorium ad resistendum, & præterea alia incommoda quæ dicta sunt in argumentis: in peccatis verò ex cõsuetudine sunt alia quę peccatum magis aggrauant. In primis, qui peccãt ex cõsuetudine, sunt in peiori statu, habẽtque plura peccata; & ex consuetudine ruunt in desperationem, & cõtẽptum Dei, & difficillimè liberantur. Deinde, in peccatis ex consuetudine est maior ingratitudo: quod primò patet. Quia expectare peccatores ad pœnitẽtiam est maximũ Dei beneficiũ, quod amplificat Apostolus dum ait; An ignoras quòd benignitas Dei ad pœnitentiã te adducit? Item, quãuis donũ innocentiæ secundùm se consideratũ maius sit, quàm donũ pœnitentiæ, cæterùm donum pœnitentiæ, quoniã confertur peccatori, qui tali munere erat indignus, & qui merebatur æternũ suppliciũ, maius beneficium censetur. Ita D. Tho. 2. 2. q. 106. art. 2. Iterum, qui peccãt ex consuetudine, peccant ex contemptu, secũdùm illud; Impius cùm in profundum peccatorum venit, contemnit. Item peccãt ex maxima libidine peccandi, secundum illud Psalmi; Prodijt quasi ex adipe iniquitas eorum, & trãsierunt in affectum cordis. Vltimò, eorum malitia est quasi naturalis, dicente scriptura; Naturalis malitia eorum. Secũdò dico, absolutè, & simpliciter peccatum ex consuetudine grauius est. Hoc probant argumenta modò adducta. Tertiò dico, postquam quẽ pœnituit suæ prauæ consuetudinis, talis consuetudo diminuit peccatum; nam iam est inuoluntaria, & quodammodò naturalis.

Alsisiodo. Almayn. Primũ arg. Secundum Tertium. Quartum. Autoris sententia. Roma. 2. D. Tho. Prou. 18. Sapien. 12.

QVAESTIO LXXIX.

De causis exterioribus peccati; in quatuor articulos diuisa.

ARTIC. PRIMVS.

¶ Vtrùm Deus sit causa peccati?

SVMMA TEXTVS.

Conclusio.

ONclusio negat. Non enim põt esse causa peccati, vel sui, vel alterius: est namque peccatũ per recessum ab ordine qui est in Deũ, sicut in finem: sed Deus omnia inclinat, & conuertit in se ipsum, sicut in vltimum finem: vnde impossibile est quòd sibi, vel alijs sit causa discedendi ab ordine qui est in seipsum. Neque etiam potest esse causa peccati indirectè: quia etsi non præbet aliquibus auxilium ad vitãda peccata, hoc totum facit secundùm ordinem sapientiæ suæ, & iustitiæ: quare ei non imputatur; sicut nec nauis gubernator dicitur causa submersionis, ex eo quòd nauim non gubernat, nisi quãdo potens, & debens gubernare subtrahit gubernationem.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ Vtrùm actus peccati ſit à Deo?

SVMMA TEXTVS.

Concluſio. Concluſio eſt. Actus peccati eſt à Deo, non autẽ peccatum. Probatio Diui Tho. ſic procedit. Deus eſt cauſa omnis actionis, inquantum actio eſt. Tum, quia omne ens deriuatur à primo ente: tum, quia omnis actio cauſatur ab aliquo exiſtẽte in actu: vnde omne ens in actu reducitur in actum primum, id eſt in Deum, ſicut in cauſam, qui per ſuam eſſentiam eſt actus: cùm tamen peccatum nominet actionẽ cum defectu quodam, prout deficit ab ordine primi agentis, defectus iſte non reducitur in Deum, ſicut in cauſam, ſed in arbitrium liberum; eò quòd nõ ſubditur illi prout debet: vnde homo per liberum arbitriũ eſt cauſa peccati; ſed Deus ſic eſt cauſa actus, vt nullo pacto ſit cauſa defectus concomitantis actum: ideoque non eſt cauſa peccati.

EXPLICATIO ARTICVLORVM.

D.Tho. Mag. Soto. Magiſter Cano. Auguſt. DE quæſtione propoſita diſputant Doctores. 2. diſt. 37. autor in quęſt. de malo, diffuſiſsimè q. 3. de cauſa peccati, articulo. 2. Soto libro. 1. de Natura & grátia capit. 17. & 18. Cano libro. 2. de Locis cap. 4. Auguſt. etiam in lib. de libero arbitrio longam de hac re contexuit diſputationem. Cæterùm vt certiori methodo diſputatio inſtituatur, quæritur; Vtrùm Deus ſit cauſa peccati? ¶ A parte affirmatiua ſic arguitur. In primis ex teſtimonijs ſanctarum ſcripturarum, Iob. 12. Qui immutat cor principũ populi terræ, & decipit eos: & iterum; Et errare eos faciet quaſi ebrios. & Ezech. 14. Prophe ta cùm errauerit, ego Dominus decepi eum. Eſa. 63. Quare errare nos feciſti Domine de vijs tuis? induraſti cor noſtrum ne timeremus te? & cap. 6. Excæca cor populi huius. Exo. 10. dicitur quòd indurauit Dominus cor Pharaonis. Eſai. 45. habetur; Ego Dominus creãs malum. & Amos. 3. Si eſt malum in ciuitate quod Dominus non fecerit; atqui Roman. 1. id dicit Pau. cùm ait; Tradidit illos Deus in reprobum ſenſum. Et. 2. Theſſalon. 2. Quia charitatem veritatis non receperunt, immiſit illis Dominus operationem erroris. ¶ Præterea id proba tur autoritate magni Augu. qui dicit; ꝙ Deus inclinat hominum voluntatem in malum. & libro. 5. contra Iulian. cap. 3. dicit, Deum trade re peccatores in praua deſideria; non ſolùm deſerendo, ſed etiam inclinando eorum volũtates in malũ. ¶ Tertio, ratione ſic probatur. Omnis pœna peccati iuſta à Deo eſt: ſed vnũ peccatum eſt pœna alterius peccati; ſecũdum illud; Propter quod tradidit illos Deus in reprobum ſenſum: ergo illud peccatũ per quod homo punitur à Deo eſt. ¶ Vlteriùs; Omnis natura, & entitas poſitiua à Deo eſt, vt docet omnis Theologia: at verò peccatum, etiá proformali, eſt entitas, ac natura poſitiua, vt dicit autor hîc, & ſuprà q. 71. art. 6. & q. 72. articu. 1. ergo peccatum à Deo eſt. ¶ Rurſum, habitus iniuſtitiæ eſt quædam qualitas, & eſſentia de ſe inclinans ad malũ: at omnis qualitas à Deo eſt: ergo habitus iniuſtitiæ à Deo eſt. Et cõfirmatur: quia tam abſurdũ videtur quòd Deus cauſet habitum inclinantem ad malum, quàm cauſare malũ: ergo ſi habitus iniuſtitiæ à Deo eſt, malum à Deo eſt. Et confir. ſecundò, quia habitus iniuſtitiæ de ſe cauſat malum: ergo ſi Deus efficiat habitum iniuſtitiæ, cauſat malũ; quia quicquid eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati. ¶ Præterea, appetitus ſenſitiuus eſt à Deo, & eius naturalis inclinatio; nã qui tribuit formam, dat etiam conſequentia ad ipſam: at inclinatio naturalis appetitus ſenſitiui eſt in malum, iuxta illud; Caro cõcupiſcit aduerſus ſpiritum. & Roma. 7. Video aliam legem in membris meis, repugnantem &c. ergo Deus inclinat in malum. ¶ Amplius, potentia peccandi eſt à Deo: ergo inclinatio naturalis ad peccandum eſt à Deo. Cõſequentia ex eo patet; quia omnis potentia inclinatur naturaliter in ſuum actum. Et probatur antecedens; quia liberum arbitrium creatum eſt à Deo: de eſſentia verò ipſius eſt poſſe peccare: ergo poſſe peccare eſt à Deo. Et confir. poſſe peccare non eſt culpa, aliàs ſemper eſſemus in culpa: nec verò pœna, fuit enim in ſtatu innocẽtiæ, in quo nõ eſt pœna; ſed eſt quidam naturæ defectus, ſicuti & poſſe mori. ¶ Sed ex alia parte naſcitur alia difficultas, quomodo cohæreant iſta duo, quòd actio peccati ſit à Deo, & peccatum non ſit à Deo? nam accipio hanc volitionem; volo furari; Deus eſt cauſa huius volitionis, & volitio iſta

Primũ arg. Iob. 12. Ezec. 14. Eſa. 63. Exod. 10. Amos. 3. Roma. 1. 2. Theſſ. 2. Secundum Aug. lib. de gr. & de li. arb. c. 21. & de natu. & gratia. c. 21 Tertium. Roma. 1. Quartum. D. Tho. Quintum. Confir. 1. Confir. 2. Sextum. Galat. 5. Roma. 7. Septimum Confir. Alia argumenta. Primum.

ista est peccatum; ergo Deus est causa peccati. Nec satisfit huic, dicendo quòd variatur appellatio: nam accipio odium Dei quod de se, & secundùm speciem suam malum est; & sic arguitur. ¶ Quicquid est causa alicuius, est causa eius quod competit ei suapte essentia: ergo si Deus est causa actus odij, est causa peccati, & mali competentis illi actui secũdùm speciem suam. ¶ Item, homo non aliter est causa peccati, nisi causando actum ex quo sequitur deformitas: at Deus causat actũ ex quo sequitur deformitas necessariò: ergo causat peccatum. ¶ Præterea, causa per se alicuius formæ, est causa per accidens priuationis oppositæ formæ. calor. v.g. causat per se caloré, & est causa per accidens priuationis frigiditatis: at Deus causat per se actum peccati: ergo causat per accidens deformitatẽ, & priuationẽ quæ ex actu consequitur. ¶ Amplius, quando duo inseparabiliter sunt coniuncta, qui vult vnum, cõuincitur & velle alterum: at in operationibus moralibus materialis actus peccati, & deformitas, sunt inseparabiliter coniuncta: ergo si Deus vult actum peccati, ex consequenti vult deformitatem peccati. Hoc ipsum cõfirmatur: quia qui vult antecedens, necessum est vt velit consequẽs necessariò ad illud: at verò ex actu peccati necessariò consequitur inordinatio: ergo si Deus vult substãtiam, & actionem peccati, necessario debet velle inordinationem inde consequutam. ¶ Vltimò, Deus est causa claudicationis tibiæ, cæcitatis oculorum, & multorum defectuum in naturalibus, quantumuis Deus non sit causa deficiens: ergo potest esse causa actus deficientis, etsi non sit causa deficiens. Explicatur id apertiùs: quia etsi Deus sit causa cæcitatis, defectus cæcitatis in ipsum nõ refunditur: ergo etsi Deus sit causa actus deficientis, defectus in Deum referri non debet.

Secundum. Tertium. Quartum. Quintum. Confir. Vltimum.

Pro explicatione sit prima conclusio. ¶ In sanctis scripturis manifestè asseritur Deũ nõ esse causam peccati: dicitur enim Sap. 11. Nihil odisti eorum quæ fecisti: sed Deus odit peccatũ, secundum illud; Odio sunt Deo impius, & impietas eius: ergo. Idem dicitur Oseæ. 13. Perditio tua Israël, tantummodò in me auxiliũ tuũ. & Abacuc. 1. Mundi sunt oculi tui, ne videas malum, & ad iniquitatem respicere non poteris, id est, iniquitatem nõ probabis. & Deu. 32. Fidelis Deus, & absq; vlla iniquitate. & Geneseôs. 1. Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erãt valde bona. & Eccle. 3. Cuncta fecit Deus bona in tempore suo. Et Pau. 1. Timoth. 4. dicit; Omnis creatura Dei bona est. & Iacob. 1. Nemo dicat quòd à Deo tentatur: Deus enim neminem tentat: id est, neminem ad malũ solicitat. & Eccle. 15. Non dixeris, per Deũ abest.

Prima cõc. Scriptura docet Deũ non posse nec velle peccare. Sapien. 14. Oseæ. 13. Abac. 1. Deut. 32. Gene. 1. Eccle. 3. 1. ad Tim. 4 Iacobi. 1. Eccle. 15.

Et iterum; Non dixeris, ille me implanauit, id est decepit. ¶ Secunda conclusio. Ratione euidenti constat Deum non posse peccare. Certè id Rom. 9. pro euidenti relinquitur, cùm dicitur; Nunquid iniquitas apud Deum? absit. & Psal. 5. Quoniam non volens iniquitatẽ tu es. ¶ Prima ratio est. Deus est omnipotens: ergo non potest peccare: quia peccare posse, est deficere. Vnde Augu. pro eodem reputat, posse peccare, & posse deficere. Secunda est, quoniã Deus est summa bonitas, qua maior, & melior excogitari non potest: ergo impossibile est quòd possit peccare; quia aliàs alia maior bonitas posset excogitari, vtpotè illa quæ peccare non posset. Tertia est, omnia quæ operatur Deus, conuertit in se ipsum, & in suũ amorem, vt dicit Diony. & etiam diuina scriptura cùm ait; Omnia propter semetipsum operatus est Dominus: ergo peccare non potest. Consequẽtia patet; quia peccatũ est recessus à Deo, & non ordinatur ad Deum. Adhæc, Deus est regula, & ipsamet rectitudo, quæ à nullo alio regulari potest: ergo peccare non potest. Consequentia inde liquet; quia si manus scribentis esset regula, & ipsa rectitudo, quãcũque lineã duceret, esset regulata, & recta; siquidem à regula non discordaret. Item, si Deus quidquã vult, illud est conforme, & consentaneum suæ voluntati, ac subinde regulæ diuinæ, & legi: ergo omne quod Deus vult, necesse est quòd sit rectum, quandoquidem regulæ diuinæ cõforme est. Præterea arguitur ex D. Tho. 1. p. q. 19. art. 9. Deus quod summè diligit, est sua bonitas, quæ est summum bonũ: ergo nequit velle peccatum. Consequentia probatur; quia peccatum, quantùm est in se, priuat, & destruit bonum diuinum. Vbi nota, quòd in hoc discernitur malum culpæ à cæteris malis; quòd malũ culpæ, quantum in se est, destruit diuinũ bonum, si id possibile esset; sicut amor amicitiæ erga Deum, ponit Deum, si id possibile esset. Ex quo sequitur, argumentationem propositam esse euidentem. Vltimò, quod Deo placitum est, bonum est: scripsit namque Arist. voluntatem esse per se boni: at nostra voluntas sæpè est apparentis boni, & nõ veri; diuina verò voluntas veri boni est, & nõ solùm hoc, sed & ex hoc omne bonũ est: quia à Deo amatur, & non est sicut nos, qui pendemus à bonitate rei quam amamus; quippe qui nõ possumus rebus bonitatẽ impartiri: nã sicut mẽs nostra non est causa veritatis, ita neq; voluntas causa est bonitatis. Ex quibus planum est, euidẽter sequi, quòd si Deus vult peccata, peccata bona sunt; quòd si bona: ergo non mala: & si non mala, quomodo peccata erunt? ¶ Contra hanc tamen conclusionẽ arguitur. Quia Deus

Secũda cõ. Ratione euidenti constat Deum non posse peccare. Roma. 9. Psal. 5. Augu. li. 1. de Symbo. ca. 1. Diony. c. 2. de diui. nomini. Prouer. 16. D. Tho. Arist. li. 3. Ethi. c. 4. Obiectio.

poteſt peccare ſi vult: ergo abſolutè pōt peccare. Cōſequētia patet ex eo, ꝙ quæ poſſum⁹, ſi volumus, abſolutè & ſimpliciter poſſumus. Sed antecedēs probatur ſic: quia quicūq; vult peccare, peccat: ſed bene ſequitur; De⁹ peccat: ergo poteſt peccare: ergo etiā bene ſequitur, ſi Deus vult: ergo peccare poteſt. Ad hoc argumētū (cuius difficultatē inueſtigat D. Tho. quodli. 5. art. 4.) dico primò, illā conditionalē eſſe verā, & neceſſariā, ſicut & iſta eſt neceſſaria; ſi Deus mētitur, peccat: ſed ſicut antecedēs eſt impoſsibile, ita & cōſequēs: nā impoſsibile eſt ꝙ Deus velit peccare. Dico ſecundò, ꝙ ſi Deus vellet peccare, & peccaret, & nō peccaret: nā ex illo impoſsibili ſequitur cōtradictio; quia ſi vellet peccare, certè peccaret, cùm eius volūtas ſemper impleatur: & nō peccaret, quia illud opus eſſet cōforme diuinæ volūtati, ac ſubinde diuinæ regulæ; vnde ſequitur, quod eſſet opus rectū, ac ſtudioſum. ¶ Tertia concluſio. Blaſphemum eſt & execrādum, aſſeuerare Deū eſſe cauſam peccati, & nos ad peccādū cogere, vt aſſerit Luther⁹, Caluinus, Melāchthō. Aſſerūt nāq; hi impij, nō eſſe in hominis poteſtate vias ſuas malas facere; & ꝙ Deus, ſicut bona, ſic & mala in nobis operatur; ſic adeò, vt nō ſit minus opus Dei Iudæ ꝓditio, quàm Diui Pauli vocatio. Hoc dogma anathemati zat ſacroſancta Tridentina Synodus; & quàm ſit execrādū oſtēdit Soto lib. 1. de natu. & gra. c. 17. & nos ſuprà abūdātiùs, & copioſè demonſtrauimus. Hoc tñ adnotet Theologus, iſtos hæreticos Manichæis eſſe multò peiores: illi nāque mala, & peccata, malo Deo tribuebant; bona verò, bono Deo: ſed ij nepharij Luthera ni optimū Deū dogmatizant eſſe cauſam pec catorū efficientē, imo ad peccata nō ſolùm inducentē, ſed & cogentē: quo dogmate nullū vnquā aut peſtilentius, aut abſurdius accidiſſe memoriæ proditū eſt. ¶ Quarta cōcluſio. Explicare quomodo actio peccati ſit à Deo, & nō peccatū, eſt difficillimū. Magiſter. 2. d. 37. refert quorūdā opinionē, dicētiū, ꝙ actus peccati non ſit à Deo, ſed ab homine, vel à diabolo: & cùm Aug. dicit; Omne quod eſt, inquantū eſt, bonū eſt, & Deū habet autorē; interpretantur de eſſe ſubſtātiali, nō de illo eſſe quod habet actio mala, & vitioſa. Hanc ſententiā cōmemorat D. Tho. in prędicta diſtinctione, affirmatq; eſſe erroré: cui ſuffragantur omnes Theologi. Et certè probationes ipſius in hoc articulo poſitæ rem ita eſſe euidēter demonſtrant. Profectò ex eo ꝙ aliqua actio non ſit à Deo, apertè colligitur, ꝙ Deus nō ſit primum ens, neq; primus actus per eſſentiā ſuā, ſiquidē eſt aliquod ens, & aliqua actio, & non ab ipſo Deo. ¶ Durādus. 2. d. 1. q. 5. & d. 37. q. 1. dicit, ꝙ Deus nō eſt cauſa immediata, & ꝓxima actus peccati, ſed eſt cauſa prima, & vniuerſalis: quia Deus cōſtituit hominē, & dedit ei liberū arbitriū, & illud in eſſe cōſeruat: ſed liberū arbitriū cōſtitutū, & à Deo cōſeruatū, indifferēs eſt ad bonū, & malū, & determinatio ad malū à libero arbitrio eſt, & idcirco in Deū referēda non eſt. Iſta ſentētia cōtinet intolerabilē errorem: nam veritas diuina eſt, ꝙ Deus eſt cauſa intima, & immediata omniū operationū: tū, quia Deus tribuit virtutē, & potētiam creaturæ per quā operatur: tū verò, quia hāc virtutē ipſe cōſeruat, & nō tātùm hoc, verū etiā applicat omnes creaturas ad operādū, & ab eo omnis act⁹, motuſq; incipit; ſiquidē eſt primus motor, & principale agēs, ex cuius virtute cætera operātur: ſed & ipſe De⁹ eſt qui dirigit operationes cuiuſq; rei in finē ſuū. Hæc omnia eſſe vera demōſtrat D. Tho. 3. cōtra gent. c. 66. & 67. Præterea ex ſentētia Dur. grauiſsima incommoda ſubſequuntur. In primis ſequitur, ꝙ Deus ſit vniuerſalis cauſa, prima, & mediata peccati: quod facilè à Durādo conceditur. Sed id viris doctis videtur improbabile dogma, tribuere Deo vlla ratione deformitatē, & deordinatiōnē peccati. Sed & aliud incōmodū ſequitur, nēpe ꝙ Deus nō eſt magis cauſa eleemoſynæ, quàm furti; ſiquidē vtriuſq; actionis Deus eſt cauſa vniuerſalis, nō determinās liberum arbitriū, ſed cōſeruans in ſua indifferētia, & indeterminatione. ¶ Gregorius Ariminenſis. 2. d. 34. art. 3. aſſerit, ꝙ peccatū non habet cauſam; quia peccatū eſt nihil, & priuatio. Huius tamē autoris opinio falſa eſt, & irrationabilis: conſequitur nāq; ex ea, ꝙ homo nō ſit cauſa peccati; vel ꝙ Deus erit cauſa peccati, ſicuti & homo, vtpotè, cauſa per accidēs. Prætereà, ſuprà q. 71. oſtēdimus apertè quo pacto peccatū nō ſit priuatio, ſed potiùs actus poſitiuus, actui virtutis directè cōtrarius. Deinde Greg. nō ſibi ſatisfaciēs, addit, ꝙ Deus quidē facit actum malū, ſed nō malè, neq; cōtra regulā rectæ rationis; vt cùm quis adulterat, Deus producit puerū licitè, ſed homo illicitè. Iſte tamen modus dicēdi abſurdiſsimus eſt: etenim abſurdū eſt valde, & abſonum, cōcedere Deū eſſe cauſam, & autorē mali culpæ. Sed pergit Greg. & adijcit aliā ſolutionē, dicitque, ꝙ Deus nā eſt in cauſa vt homo exerceat talē actū, cōſert tñ illi liberū arbitriū ſine quo operari non valet: ſed ex eo ꝙ dat liberū arbitriū per quod homo peccat, nō dicitur eſſe cauſa peccati. Iſthęc ſententia vltimo loco à Greg. aſſerta ſuſtineri nequit, quia deflectit ad opinionē Dur. dānatā. ¶ Ochā, & Gabr. affirmant, ꝙ Deus in rigore, & in proprietate locutionis eſt cauſa peccati: ſed dicūt, quòd iſta locutio; Deus eſt cauſa peccati; habet duplicē ſenſum. Primus eſt, ꝙ Deus eſt cauſa actus mali: & iſte ſenſus verus eſt, vt

Tertia cōc. Blaſphemū eſt dicere Deum eſſe cauſam peccati.

Cōci. Trid. Seſ. 6. can. 6 Mag. Soto.

Quarta cō.

Magi. ſent.

D. Tho.

Sententia. Durand.

D. Tho.

Impugnatur Durandus.

D. Tho.

Opinio. Greg. Ari.

Sententia. Ocham. Gabriel.

est, vt prædicti autores existimãt. Secũdus est, ꝙ Deꝰ peccat: & is sensus falsus est, negaturq; à sancta scriptura: pót em̃ esse, creaturã & Deũ ad eundẽ actũ concurrere malũ, & ꝙ creatura peccet, & nõ Deus; quia creatura tenebatur cauere illũ actũ, & nõ Deus. Iste modus dicendi est falsissimus: facit nãq; Deũ autorẽ peccati, quod sanctis scripturis, & sanctis Patribus aduersatur. Deinde, sancti Patres conãtur adimere excusationẽ quã peccatores solẽt prætẽdere sibi suorum peccatorũ: ꝙ si Deus induceret ad peccãdũ, homo à suo peccato meritò excusaretur, licèt Deus nõ peccaret. ¶ Scot. 2. d. 37. q. vnica dicit, ꝙ actus adulterij, vel odij habet causam effectiuã; sed ꝙ sit peccatũ, non habet ex causa, sed ex hoc ꝙ causa tenebatur ponere rectitudinẽ, & nõ posuit, ideoq; peccauit; hoc em̃ est formaliter peccare: positis nãq; omnibus alijs causis, si auferatur obligatio ponendi rectitudinẽ, non est peccatum. Vnde cõcludit Scot. Deũ nõ esse causam peccati, nõ solũ quia nõ tenetur, sed quia per ipsum nõ stat quin volũtas rectè agat. ¶ Caiet. in ijs commẽtarijs dicit multa in huius expositionẽ, & in summa vult dicere, ꝙ in peccato sunt tria; actio scilicet peccati, quæ absq; dubio à Deo est; deinde cõuersio ad bonũ cõmutabile cõtra virtutẽ, in quo ratio peccati essentialiter sita est, vt dictũ fuit q. 71. art. 6. & ista videtur ꝙ sit à Deo; quia est aliquid positiuũ. Et cõfir. quia habitus iniusti tiæ à Deo est: ergo & actus cõtra iustitiã. Rursus inuenitur in peccato auersio à regula diuina: & ist hæc à Deo nõ est. Sed in hoc, ait ipse, versat̃ difficultas, quomodo Deus sit causa malæ cõuersionis cõtra virtutẽ, & nõ auersionis, & deformitatis quæ inde sequitur. Pro cuius elucidatione statuit Caie. quòd de ratione mali moralis est, ꝙ à mala, & deficiẽte voluntate ꝓcedat: quia morale, & liberũ sine volũtate intelligi nõ pót: ergo malũ morale sine mala volũtate intelligi nõ pót. Præterea, peccare nihil aliud est quàm à bono volũtariè deficere: ergo de ratione peccati est ꝙ à deficiẽte voluntate ꝓcedat. Ex quo sequit̃, Deũ nõ posse esse causam peccati, aut posse peccare; quia Deus non est causa deficiẽs, sed omniũ perfectissima. Sequit̃ secũdò, ꝙ actio peccati, cùm sit deficiẽs, quatenus actio, in Deũ referẽda est, sed quatenus deficiẽs, in causam deficiẽtẽ. Tertiò sequitur, nõ esse idẽ cõcurrere ad actum, quatenus ꝓdit ab agẽte, & quatenus prodit ab agẽte deficiẽte. Quartò sequit̃, hãc nõ esse bonã consequẽtiã: est causa actus secundũ speciẽ: ergo est causa deformitatis quę inde cõsequit̃: valet autẽ; est causa deficiẽs huius actus; ergo est causa defectus qui inde cõsequitur. Ratio istius est; quia deformitas cõsequit̃ ad actũ, nõ ꝓut procedit ab agẽte, sed quatenꝰ ab agẽte deficiẽte ꝓcedit: & ideo in Deo nõ valet ista cõsequentia: in libero arbitrio optimè valet. Itaq; in causis moralibꝰ, naturalibꝰ, & artificiosis actio tribuit̃ agẽti primo; defectus verò causæ mediæ, & particulari. Cœlũ. v. g, cõcurrit ad actionem claudicationis, defectꝰ verò claudicationis in tibiã est reducẽdꝰ. Artifex cõcurrit ad scripturã vnde sequit̃ deformitas, cuiꝰ nõ est causa artifex, sed calamꝰ paratꝰ malè. Quòd si arguas; Deus mediãte libero arbitrio ꝓducit entitatẽ cui est annexa deformitas peccati: ergo se solo pót ꝓducere; quia effectiuè cõcurrit ipsum liberũ arbitriũ: & quicqd Deus facit cũ causa se cũda efficiẽte, pót facere se solo: ergo poterit peccare. Respõdetur, ꝙ illud axioma est verũ, qñ est habitudo sola effectꝰ ad causam efficiẽtẽ: atqui qñ est habitudo essentialis, & formalis inter causam, & effectũ, nõ est verũ: sicut comedere dicit intrinsecum ordinẽ ad animal viuũ; est nãq; operatio vitalis, de cuiꝰ ratione est ꝙ ꝓcedat à principio vitali intrinseco, ideoq; se solo Deꝰ nequit comedere, licèt sit causa totius entitatis quæ in comestione reperitur: sic etiã qm̃ peccatũ dicit ordinẽ intrinsecũ ad causam deficiẽtẽ, Deus peccare nõ pót; sicut etiã volũtas humana actione meret̃, & Deꝰ nõ pót mereri; quia meritũ dicit intrinsecũ ordinẽ ad causam inferiorẽ. Hic modus dicẽdi Caie. etsi sit acutissimus, & ad soluẽda argumẽta ꝓposita satis aptus, nõ videt̃ sacræ Theologię cõsentaneus: nã asserere Deũ esse autorẽ malæ conuersionis contra virtutẽ, valde absurdũ est; sequit̃ em̃ ex eo, Deũ esse causam mali moralis, præsertim secũdũ ipsum, qui tenet formale in peccato esse cõuersionẽ cõtra virtutẽ. Vlteriùs sequit̃ ex eo, ꝙ Deꝰ hominẽ moueat ad operã dũ cõtra virtutẽ; quod tã sacris literis nõ bene consonat. Itẽ suprà dictũ est, opus quod fit, & est volitũ à Deo, eo ipso esse diuinæ regulæ, & virtuti cõforme: ergo implicatio cõtradictionis est ꝙ Deus moueat cõtra virtutẽ. Quòd si quis defendat Caie. dicẽs, ꝙ Deus est causa actus peccati, ꝓut est cõtrarius virtuti, & priuatio tẽperãtię; nõ tã quatenus est priuatio rectitudinis debitę inesse: itaq; respectu Dei est priuatio rectitudinis, sed nõ priuatio rectitudinis debitæ inesse: qui sic Caieta. defendit, videat se incidere in opinionẽ Gabr. suprà dictam ꝙ Deus nõ peccat, qa nõ tenetur. Doctissimus pater Cano in huius expositionẽ, aliorũ sentẽtijs reprobatis, aiebat, Deũ nõ esse causam peccati: existimabat nãq; acutissimus vir, vltimã peccati differentiã, & rationẽ formalẽ esse ens rationis, cuius Deus nõ est causa. Sed hũc modũ dicẽdi esse falsum, & im ꝓbabilẽ, à nobis efficaciter est demõstratũ suprà q. 71. Pater Soto in principio disputationis loci cõmemorati sic dissoluebat propositã dubitationẽ, vt diceret,

Improbatur hęc sententia.

Scotus.

Caieta.

Modus dicẽdi Caiet. non vndequaque verus.

Magister Cano.

Mag. Soto.

quòd secundùm veræ Philosophiæ documenta oportet reducere effectus in causas proportionatas, effectus naturales in causas naturales, morales ad causam moralem: & quoniam peccatum est effectus moralis, & liber, oportet illud reducere in causam moralẽ. Cùm igitur Deus nõ sit causa moralis peccati; nõ enim præcipit, non consulit, non adiuuat; dicẽdum est secundum veram Theologiã, Deũ nõ esse causam peccati. Sed hic modus dicendi mihi nõ probatur: nã licèt fundamentũ eius verum sit, quòd Deus nõ præcipit, nõ consulit peccatũ; non tamen negari potest, quin Deus liberè operetur omnia, quæ ad extra operatur, etiã si ad modũ naturæ operetur præbens vniuersis rebus auxiliũ generale ad operandũ. Ergo potiùs dicẽdus est causa libera peccati, quàm naturalis. Hoc ipsum explicatur euidentiùs: nam causa moralis nõ solùm est cõsulens, aut præcipiens, sed liberè volẽs, & operãs aliquid: ergo etiam si Deus non cõsulat, aut præcipiat, potest esse moralis causa peccati. Præterea, quòd Deus sit causa naturalis peccati, tam absonum videtur, & à vera Theologia abhorrens, quàm quòd Deus sit causa moralis peccati: imò peius esse videtur: significatur nãq; quòd Deus sua natura malus sit. ¶ Pro vera tamẽ huius difficultatis elucidatione statuẽdũ est pro certo, esse de ratione mali moralis, quòd prodeat à mala, & deficiẽte volũtate; quod superiùs satis probatũ esse credo. Illud etiam pro euidẽti statuat Theologus, ꝙ quãdo duo principia concurrũt ad aliquẽ effectũ producendũ, vt effectus sit perfectus, necessum est vtrũq; principiũ esse perfectũ: quòd si alterũ fuerit imperfectũ, effectus erit imperfectus, vt patet in artifice & instrumento, in corpore cœlesti, & causa particulari: in intellectu & volũtate. Sed & illud est obseruandũ, quòd quando dicitur aliquem actum esse malum secũdum suã speciẽ, non est sensus, quòd malitia tribuat speciem actui: dictũ enim est suprà, quòd malitia non tribuit speciẽ, sed obiectum: nec est sensus, ꝙ malitia consequatur ad illũ actũ ex specie sua: sed sensus est, ꝙ cõsequatur illum actũ prout progreditur ab agẽte deficiente. v. g. homicidiũ, & fornicatio sunt actus de sua ratione mali: quoniã à mala, & deficiẽte volũtate progrediuntur, & à recta volũtate nec desiderari, nec expeti possunt: cæterùm præfati actus secundùm naturã, & substãtiã suã nõ sunt mali: occidere nãq;, in leone, in amente, in iudice, nõ est malũ. Dico itaque, ꝙ quando Deus est causa alicuius actus, est etiam causa priuationis, quæ ex natura talis actus cõsequẽs est. v. g. si Deus causat calorẽ, est etiã causa priuationis frigiditatis. Præterea, si Deus ad actũ fornicationis cõcurrit, est etiã causa priuationis virginitatis; quia amissio virginitatis ad actũ illũ ex natura rei cõsequia est: attamẽ ad deformitatẽ peccati nõ cõcurrit; quia deformitas peccati nõ sequitur ad illũ actũ, nisi quatenus à libero arbitrio deficiẽte proficiscitur. Itaq; omnis deformitas, & inordinatio peccati in liberũ arbitriũ deficiẽs est referẽda. Propter quod optimè dixit Aug. Nõ quæras causam peccati extra tuã volũtatẽ: & ista est sentẽtia D. Tho. q. 3. de malo, arti. 2. Sed adnitar eã distinctiùs, & vberiùs explicare. ¶ Est autẽ aduertendũ, & obseruandũ non indiligẽter, in peccato duo esse discernẽda; & actũ peccati, & inordinationẽ. Primũ nũcupatur à Theologis materiale; secundũ verò formale. Hæc autẽ si adinuicẽ cõferãtur, videbit apertè Theologus inordinationẽ nõ esse intrinsecã actui peccati; quia actio peccati bona est, siquidẽ ens est: inordinatio verò mala; quinimò malitia est: malitia verò non est in trinseca alicui bono. Sanè vt priuatio visus nõ est de substãtia oculi, sed tãtùm est cęcitatis ratio, & definitio: ita etiã inordinatio nõ est essentialis actui peccati. Quamobrẽ alia est habẽda ratio adulterij, furti, homicidij, & aliorũ id genus criminum, quæ intrinsecè mala esse Theologi tradunt: alia verò ratio habenda est actus peccati, si ab inordinatione seiuncta cõsideretur. Nam cõmemorata crimina habẽt in trinsecã malitiã, quã exuere non possunt; sed nõ ratione substãtiæ actus, quæ cùm bona sit, nõ impartitur malitiã peccato, sed illa ex inordinatione proficiscitur. Vnde sicut cęcus intelligi nequit citra priuationẽ, ita nec huiuscemodi peccata sine inordinatione: at verò actus peccati absque inordinatione intelligi valet, quãdoquidẽ bonus est. Imo potest amari sine inordinatione: nã peccatores volunt frui actu peccati, & nollẽt inordinationẽ, ꝙa vellẽt frui peccato, sine peccato: id quod etiã si impossibile est, volũtas tamẽ est imposibiliũ. Nõ ergo subeat mirandũ ꝙ Deus velit actũ peccati, & nolit inordinationẽ eiusdẽ, tametsi cõnexa sint actus peccati, & eiusdẽ inordinatio. ¶ Vltimò est obseruãdũ, quòd licèt Deus sit causa actus peccati, nõ tamẽ deformitatis quæ inde cõsequitur: quia deformitas non sequitur ex modo operãdi Dei, sed ex modo operãdi creaturæ. Nã Deus cùm concurrit ad actũ peccati, facit hoc cõformiter ad regulã, nõ solùm quia ipse est regula quæ nõ habet superiorẽ, sed ꝙa operatur secundùm dictamẽ rectę rationis: dictat enim recta ratio, ꝙ primũ agẽs permittat, & nõ tollat liberũ arbitriũ, & det ei necessaria ad operãdũ. Itaq; quãuis Deꝰ cõcurrat ad actũ peccati, & defectũ, non tñ concurrit defectuose, & peccando. ¶ Ad argumenta in principio posita,

Impugnatur.

Autorisẽtentia.

Quid sit de ratione mali.

Quid sit actũ esse malum secundum suam speciem.

In peccato sunt actus, & deordinatio.

Deus non est causa deformitatis.

Argumẽta diluuntur. Ad primũ. Quid significet, excæcare, indurare, decipere, &c.

positа, ad primum ex sanctis scripturis respondetur, quòd ista verba; excæcauit, indurauit, decepit, tradidit in reprobum sensum, aliaque id genus multa quæ videntur actionem Dei significare, explicant sancti Patres, id est, permisit cadere in deceptionem, cæcitatem, reprobum sensum. Est enim familiare in sacro eloquio, permissionẽ Dei appellare Dei actionem: imò aliquãdo appellatur Dei præceptũ, vt cùm dicit Dauid de Semei; Dominus præcepit ei vt malediceret mihi; vbi præceptum. pro Dei ordinatione, & permissione accipitur. Dicitur itaque Deus excęcare, quia subtrahit diuinum lumẽ, quo sublato, nihil supereſt nisi caligo, & cæcitas. Dicitur indurare; quia subtrahit adiutorium diuinæ gratiæ, quo semoto, corda nostra cum lapidibus obdurescunt. Certè qui aufert hanc lucem ab oculis, excæcare nos dicitur; & qui diruit columnam qua domus sustentatur, diruere domum manifestè conuincitur. Vnde Chrysost. in illud; Tradidit illos Deus in reprobũ sensum; Quod autem hîc dicit, tradidit, nihil aliud est quam permisit: quemadmodum enim si dux quispiã exercitus bellici ingraueſcente bello sese subduceret, quid quęso aliud faceret quàm quòd milites hostibus traderet? non quòd ipse illos in stragem impelleret, sed quòd eos suo priuaret auxilio. Ad eum sanè modum & Deus eos, qui quod ab ipso offerebatur auxilium ample cti non sustinẽtes, priores resilierunt, reliquit. Ad alias autoritates scripturæ sanctæ, in quibus asseritur Deum creare malum, & non esse malum in ciuitate quod nó fecerit Dominus; respondet hîc D. Tho. art. 1. ad primum, secundum, & quartum: & Basil. in homilia; Quòd Deus non sit autor malorum. ¶ Ad secundum dicendum, quòd Deus inclinat ad malum indirectè, quoniam non impedit malum, & finit homines ire in desideria cordis eorum: sic interpretatur Augu. lib. de Prædestinatione, & gratia. c. 4. Quòd autem Augusſt. contra Iulia. scribit; Deum tradere peccatores in praua desideria, non solùm deferendo, sed compellendo, & inclinando voluntates illorum in malũ; intelligendũ est, non quasi Deus velit irrogare, vel immittere malitiam, sed quòd iusto iudicio vindicans, non solùm non apponit gratiam, qua cohibeantur malæ voluntates, sed etiam ponit occasiones, & offendicula, ad quæ grauiùs impacturi sunt, suo tamen vitio, videlicet vertentes occasiones quibus emendari debuerant, in occasiones peccandi, sicut in Pharaone videre licet. Aut quia volũtatem ex se inclinatam ad malum, flectit vt in certos homines suam malitiam exerceat, sicut & Semei præcepit vt malediceret Dauid. Quod autem non sentiat Augusſt. Deum esse autorem malarum voluntatum, in locis commemoratis expresit verbis manifestis. Facit, inquit libro. 5. contra Iulian. capitulo. 3. hæc miris, & ineffabilibus modis, qui nouit iusta iudicia sua, non solum in corporibus hominum, sed & in cordibus operari, qui non facit voluntates malas, sed vtitur eis vt voluerit. ¶ Ad tertium dicendum, quòd Deus punit peccatum dupliciter; vno modo, directè causando pœnam: alio modo, permittendo quòd peccator in aliud peccatum labatur, siue vt confundatur, siue vt pereat. Et huiusmodi permissionis, quæ est grauissimum supplicium, Deus causa est: peccati verò quod inde sequitur, non est causa, nisi permissiua. Caieta. super illud. 2. Regum. 12. Ego suscitabo super te malum de domo tua, &c. dicit, quòd intelligitur de malo pœnæ: nam Deus non est causa peccati, vt sic, est tamen causa peccati, vt est pœna alterius peccati. & super illud capitulo. 16. Præcepit dominus Semei vt malediceret Dauid, dicit Deum fuisse autorem illius maledictionis, quatenus pœna fuit Dauid. Itaque, autore Caieta. Deus est causa peccati, prout est pœna alterius peccati. Hanc sententiam conatur efficere probabilem Cano libro de locis secundo, capitulo. 4. ad septimum, dicitque quòd in eodem opere potest considerari actio, & passio: Vt verò constat ex Physicis, actio, & passio idem motus sunt. verbi gratia. dæmon abstulit salutem, & omnia bona Iob, abstulit etiam Deus: itaque in eodem opere est actio dæmonis mala, & passio Iob bona. Non ergo est absurdum actionem malam in dæmonem reducere, passionem verò studiosam in Deum. Idemque potest explicari de Semei. Sed isthæc sententia Caieta. quòd peccatum, quando est pœna alterius peccati, sit à Deo, non videtur probabilis: nam in tali casu, nec actio, nec passio honesta est. Cùm enim gentes traditæ essent in passiones ignominiæ, vt masculi in masculos turpitudinem operarentur, vt dicitur Romanor. 1. nihil est in tali opere cuius Deus causa sit. Præterea, si peccatũ, quod est in pœnã peccati, à Deo est, sequitur quòd Deus sit causa directa excæcationis, & indurationis, quæ sunt pœnæ peccatorũ præcedentium: quod tamen omnes sancti negant. Vltimò, ergo Deus vult illud peccatum quod est pœna alterius peccati: quia agens per intellectum, & voluntatem, agit eo sciente, & volente. Vnde si Deus est causa peccati, quod est pœna alterius peccati, sequitur quòd Deus velit illud peccatum. Respõdetur ergo ad argumentum, quòd Deus est autor pœnæ, quæ peccatum nó est; pœnæ verò, quæ alioqui

1. Reg. 16.

Chryſ. exẽplum accõmodum.

D. Tho.

D. Basil. Ad secũdũ. Quomodo Deus ad malũ inclinet.

Aug. lib. 5. c. 3. & li. de gratia & libe. arbi. ca. 21.

Dupliciter Deus peccatum punit. Ad tertiũ.

Caie. sentẽtia.

Cano.

Impugnatur sententia Caiet.

Roma. 1.

alioqui peccatum eſt, Deus non eſt cauſa, niſi permiſsiua. Item dico, quòd peccatũ propriè loquendo non eſt pœna, de qua re inueſtigat D. Tho. infrà q. 87. articulo. 2. ¶ Ad quartum dicitur, quòd peccatũ eſt actio deficiens: qua ratione eſt actio, in Deum referẽda eſt, ſed vt deficiens eſt, in liberum arbitrium reducenda eſt: ſed de hoc ſuprà dictum eſt q. 71. articu. 6. ¶ Ad quintum ſatis ſit dicendo, quòd habitus iniuſtitiæ eſt malum quoddam morale, ideoque oportet quòd à mala, & deficiente volun tate oriatur: & hinc eſt quòd ebrius, licèt ſæpe numero furetur, non acquirit habitum iniuſtitiæ; & taurus, licèt multa mala inferat, & detrimenta, iniuſtus non eſt; quia hæc opera à mala, & deficiente voluntate non proficiſcun tur. Ex quo ſequitur, Deum non eſſe cauſam habitus iniuſtitiæ, ſed malam voluntatem. Sequitur ſecũdò, quòd Deus ſe ſolo nequit producere habitum iniuſtitiæ, ſicuti nec habitum inclinantem ad falſum. ¶ Ad ſextum dico primò, quòd licèt appetitus ſenſitiuus inclinet ad malum hominis, illa tamen inclinatio non eſt mala malitia morali, ſi continetur intra terminos appetitus ſenſitiui: appetitus namque ſenſitiuus ſic inclinat ad malum, & delectabile, ſicut vinum ſuaue, cuius tamen natura bona eſt, nec quiſquam conqueritur quòd Deus fecerit vinum ſuaue. Itaque ſecundùm hanc ſolutionem iudicandum eſt de appetitu ſenſitiuo, ſicuti ſi eſſet ſuppoſitum diſtinctum, & ſeparatum, veluti mundus, aut dæmon, cuius inclinatio non imputatur nobis ad culpam, niſi voluntas conſenſerit. Secundò dico, quòd appetitus ſenſitiuus ſemper eſt in bonum appetentis, licèt aliquando ſit in malum hominis: omnis namque appetitus eſt boni, & conuenientis, vt dictum fuit: ſicut & appetitus lupi eſt in bonum ſuum, licèt ſit in malum ouis. Tertiò dicitur, quòd Deus non creauit hominem cum hac inclinatione ad malum: veſtiuit enim illum originali iuſtitia, quæ continebat appetitum ſenſitiuum in obedientia rationis, & officio virtutum: quòd ſi ſua culpa incidit in labores, ſibi imputatur, non verò diuinæ ſapientiæ, ſicuti & ſi oculos ſibi eruiſſet. Quartò dico, appetitum ſenſitiuum de ſua natura ſemper inclinare ad bonum, & eſſe inſtitutum à Deo vt obediat rationi. Verum eſt tamen, quòd per accidens ſæpe inducit hominem ad malum, vel ex naturæ corruptione, vel ex abuſu noſtræ conſuetudinis; ſicut potentiæ ſenſitiuæ ſuapte natura ordinantur ad perfectam hominis intellectionem: omnes enim ſenſus interiores, & exteriores intellectui deſeruiũt, nihilominus ſæpe ſunt occaſiones errandi, vt patet in baculo immerſo in aquam, & in quan

D. Tho. Ad quartũ.

Ad quintũ. Deus non eſt cauſa habitus mali, vt iniuſtitiæ.

Ad ſextũ. De appetitus ſenſitiui inclinatione.

titate Solis. Præterea, creaturæ omnes corporales ad bonum hominis deſtinantur, nihiloſciùs tamẽ ſunt occaſiones ex hominum inſipientia ad peccandum, vt dicitur Sapien. 19. Sic dico de appetitu ſenſitiuo: de qua re fuſiſsimè agit Victoria in relectione de homicidio. ¶ Ad ſeptimum multa dicunt Doctores. 2. d. vltima. Durand. dicit peccandi potentiam à Deo eſſe; negat verò peccatum à Deo eſſe: tum, quia potentia actui coniuncta in bonis perfectionem dicit, in malis verò imperfectionem, & defectum, cuius Deus autor non eſt: tum, quia Deus, vt docet Duran. non eſt cauſa immediata, & proxima actionis peccati, ſed cauſa vniuerſalis, & prima: quia dedit voluntatem qua peccatur. Sed D. Tho. negat potentiam peccandi à Deo eſſe, cuius ſententiã tuetur Capr. 2. diſt. vltima. Et ad probationem in oppoſitum dicitur, quòd licèt potentia, & aptitudo ad peccandum nõ ſit culpa, nec pœna, ordinatur tamen ad peccãdum, cuius ordinis Deus cauſa non eſt. Vbi notat Capre. quòd potentia peccandi, quò ad id quod habet de potentia, a Deo eſt; nam eſt liberum arbitriũ, quod abſque dubio à Deo eſt: atqui quò ad defectibilitatem à Deo non eſt: tum, quia defectus in Deum neutiquam eſt referendus: vt de Auguſt. dicit, quòd Deus non eſt autor vt aliquid tendat in non eſſe: tum verò maximè, quoniam iſthæc defectibilitas eſt purum ens rationis: ens autem rationis nõ habet cauſam. ¶ Ad alia argumẽta, quibus probabatur quòd Deus nõ poſsit eſſe cauſa actꝰ peccati, quin ſit inordinationis quæ ex actu peccati ſequitur, dicendũ. ¶ Ad primũ facilè reſpõdetur negando conſequentiam: procedit ſiquidẽ ab idẽtica ad formalẽ; vel mutatur quid in ad aliquid. Simile vitium cõmittitur in hac conſequẽtia; Deus concurrit cum cauſa ſecunda ad meritum: ergo Deus ipſe meretur: aliud enim eſt concurrere ad ſubſtantiam actus, aliudque cõcurrere ad modum actus. ¶ Ad ſecundũ dico, quòd malitia non eſt intrinſeca actui peccati, nec ex illo per ſe conſequitur, vt ſuprà ſatis ſuperque probauimus: concedo tamen quòd malitia eſt intrinſeca odio Dei, ſed non actui voluntatis, de qua re ſuperiùs eſt ſufficienter definitum. ¶ Ad tertium ſimili ratione dicendum: concedo namque cauſam per ſe formæ alicuius eſſe ſubinde cauſam priuationis formæ oppoſitæ, quando talis priuatio expoſitione formæ neceſſariò conſequitur. Attamen deformitas, & inordinatio non ſequitur per ſe ex actu peccati, ſed ſolùm prout progreditur ex libero arbitrio deficiẽte. quod hoc exemplo explicatur. Nam ſi Deus mihi præciperet, vel concederet vt aliena caperem, & alius

D. Tho.

Capreo.

Aug li. 83. quæſtionũ q. 21.

Ad alia argumenta.

Ad primũ.

Ad ſecũdũ.

Ad tertiũ.

Exemplum appoſitũ.

& alius eadem acciperet, acceptio eiusdem speciei existeret: at ex acceptione mea non sequitur deformitas, vtpotè qui volente Deo illa accepi, ideoque furtum non committo: ex acceptione verò alterius, deformitas, & inordinatio subsequitur: quia alienas res accipit inuito domino, quas lege diuina adstringitur non accipere. Sed pergo hoc idem expressiùs explanare: & quidem inordinatio, rectitudinisque priuatio, quæ secundùm legem est, non est intrinseca ad speciem, vel substantiam actus, sed consequitur ad illam; estque indirectè volita ab arbitrio libero quod tenebatur non perpetrare opus, ad quod inordinatio erat subsequuutura, non autem est volita indirectè ab ipso Deo: id vel maximè, quia non tenetur non concurrere ad illum actum, sed solùm permissa est à Deo, qui poterat cohibere, & non cohibet. Ad quartum. ¶ Ad quartum suprà fecimus satis, explicantes quomodo actus peccati, & inordinatio non inseparabiliter connectantur, quatenus actus peccati ex Deo progreditur. Ostensum est insuper, qualiter quæ inseparabiliter coniuncta sint, intellectu, & voluntate separari valent: accidit enim apud nos, vt volito antecedente, consequens odio habeatur, tametsi consequentia sit necessaria: nemo enim peccatorum est qui gehennæ supplicia amet: at ex peccato mortali quod diligit, consequia sunt. Et per hæc ruit confirmatio. Ad vltimum. ¶ Ad vltimum dicendum, quòd priuationes naturalium potentiarum, & perfectionū, sunt malæ secundùm quid; vt cæcitas est priuatio cuiusdam boni; sed sunt bonæ simpliciter comparatæ ad causam vniuersalem, quæ vult illas priuationes ad aliquem bonum finem. Vnde Deus est harum priuationum moralis causa, non verò naturalis. Certè Sol non est naturalis causa claudicationis, etsi sit causa motus claudicationis; sed ipsa claudicatio refertur ad principium deficiens; sic in moralibus Deus est causa actus peccati, sed non est causa peccati: peccatum enim in causam deficientem referendum est. Imò nō solùm Deus est causa moralis, & libera actus peccati, absq; eo quòd causa peccati sit, sed etiam homo: si enim Petrus consulat, vt fornicetur potius quàm adulterium committat, certè est causa moralis ipsius exercitij actus, qui est fornicatio, cùm tamen non sit causa peccati, neque fornicationis; sed Petrus rectè, & studiosè operatur, consulens minus malum.

ARTIC. TERTIVS.

¶ Vtrùm Deus sit causa excæcationis, & indurationis?

SVMMA TEXTVS.

PRima Cōclusio. Excæcati, & indurati habēt motum animi sui inhęrentis malo, & auersi à diuino lumine: & quoad hoc Deus non est causa excæcationis, & indurationis, sicut non est causa peccati. Prima cōc.

¶ Secunda Conclusio. Deus est causa excæcationis, & indurationis, prout gratiam subtrahit vnde mens diuinitus non illuminetur ad rectè videndum, & cor non emolliatur ad rectè viuendum: est tamen Deus causa illuminationis animarum vniuersalis, sicut & Sol illuminationis corporum. Secunda.

¶ Tertia Conclusio. Multò aliter Deus est causa vniuersalis illuminationis animarum, quàm Sol illuminationis corporum: nam Sol agit illuminādo per necessitatem naturæ; Deus verò voluntariè per ordinem suæ sapiētiæ. Sol autem, licèt quantum in se est, omnia corpora illuminet; si quod tamen impedimentum in aliquo corpore inueniat, illud tenebrosum relinquit, sicut patet de domo cuius fenestræ sunt clausæ, sed tamen illius obscurationis nullo modo causa est Sol: non enim suo iudicio agit vt lumen interiùs non immittat, sed causa ipsius est ille, qui clausit fenestras: Deus autem proprio iudicio non immittit lumen gratiæ ijs in quibus obstaculum inuenit. Vnde causa subtractionis gratiæ est non solùm ille qui ponit obstaculum, sed & Deus qui Tertia.

ſuo iuſto iudicio gratiam non apponit. Et quia ad cognitionē maximè deſeruit viſus, dicitur excæcatio; & propter diſciplinam, auditus dicitur aggrauatio, & quoad affectū dicitur induratio. ¶ Quarta Concluſio quæ habetur in ſolutione tertij. Culpa præcedēs eſt cauſa meritoria excæcationis, & indurationis.

Quarta.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Qua ratione dicatur Deus excæcare & indurare peccatores.

IN hoc articulo in primis explicandum eſt ex ſententijs Patrū, quomodò Deus dicatur excæcare, & indurare peccatores. In cuius rei gratiā variæ ſunt ſanctorum Patrum explicationes. Principiò Deus dicitur excæcare, & indurare, nō quòd duritiam, aut malitiā impartiatur, ſed quia non impartitur gratiam, qua homines illuminentur, & eorum corda emolliantur. Itaque dicitur indurare, & excæcare, quia indurari, & excæcari permittit. Sic docet Auguſt. cōſentiunt Hierony. & Ambro. ſuper illud Romano. 1. Tradidit illos Deus in reprobum ſenſum: & Hierony. in Epiſt. ad Ediuiam. q. 10. & Euthymius, & Damaſce. Origenes alio modo procedit; dicit namq; quòd Deus nō alio modo indurat peccatorē, quàm patienter tolerādo. Rurſus dicit, quòd Deus indurat peccatorem eo modo loquendi, quali dominus, dum eſt benignior in ſeruum, & ille fit inſolentior, ſolet dicere; Ego te perdidi, mea patientia fuit cauſa tuæ inſolētiæ. Hac figura locutionis vtū tur illi, qui dicebant; Quare errare nos feciſti de vijs tuis, & induraſti cor noſtrum ne timeremus te? Quam indurationis cauſam ponit Apoſto. dum ait; An ignoras quòd benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? tu autem ſecundùm duritiam tuam, & impœnitens cor tuū. &c. Ecce benignitas Dei eſt occaſio peccatoribus vt in peccatis indureſcant, & firmētur. Eandem rationem indurationis perſequitur optimè Auguſt. ſermone de Pharaonis induratione. Tertiam explicationē habet Aug. quòd ſcilicet Deus excæcare dicitur, id eſt, non illuminando; deinde occaſiones, & offendicula adminiſtrando, quibus humana mens magis ac magis excæcatur iuſto Dei iudicio, ſed ſuo malo vitio. Quartam rationem explicandi tradidit Hierony. vbi ſuprà; quòd ſicut idem ſolis calor liquefacit ceram, & indurat lutum, ita eadem Dei benignitas quendam emollit & manſuetum reddit, alium ferocem, & induratum. Quinta ratio explicandi. Deus indurare dicitur, quia ad ſuæ vindictæ opera exequenda miniſtris Satanæ, qui mentes hominum excæcant, vtitur: & ideo excæcare dicitur, quoniam Deus dicitur facere, quod miniſtri eius ſua autoritate faciunt. Sed libet hîc ſententias ſanctorum patrum tùm diligētiùs, tum vberiùs commemorare. Cyrill. ſic ſcribit; Dicitur Deus excæcare peccatores, non quòd odire illos velit, ſed propter indignitatem, quòd oculos ſuos ipſi clauſiſſent: vbi enim ſpontanea prauitas: ibi & impedimentum gratiæ. Sed & aliam explicationem adhibet non ineptam. Dicitur Deus excæcaſſe infidelium mentes in malo, vt ſancta reſpicerent. Non enim dicit ſcriptura, obcæcaſſe eorum animam, ſed cogitationes infidelium: hoc autem perinde eſt ac ſi diceret; obcæca ſcortatoris libidinoſas cogitationes, & ſeruabitur homo: excæca furis rapacitatem, & ſeruabitur homo. Sed ſi non vis de hoc ita ſentire, eſt & alia interpretatio. Obcæcat Sol & lippos, & ex oculis laborantes, malè affectos propter luminis vim; non quòd Sol habeat vim excæcandi, ſed quòd corrupta videntium natura videre per ſe non poſſit: ſic & infideles in cordē ægrotantes non poſſunt videre diuinitatis radios. Et non dixit; excæcauit cogitationes vt non audirent Euangelium, ſed vt non intuerentur ſplendorem Euangelij Domini noſtri Ieſu Chriſti. Audire enim Euangelium omnibus licet; gloria autem Euangelij ſolis Chriſti germanis definitur, & aperitur. Loquebatur Dominus ijs qui audire non poterant in parabolis, diſcipulis autem ſeorſum diſſoluebat parabolas: ſplendor gloriæ illuminatis, excæcatio autem infidelibus. Grego. ait; Obdurare quippe dicitur Deus per iuſtitiam, quando cor reprobum per gratiam non emollit: & alibi; Pharaonis, ait, cor Dominus obduraſſe deſcribitur, non quòd ipſe Dominus duritiam contulit, ſed quòd exigentibus eius meritis nulla illum deſuper infuſi timoris ſenſibilitate molliuit. Imò & Bernar. Quæris quid ſit cor durum? ſolùm eſt cor durum, quod ſemetipſum nō exhorret; quia nec ſentit. Quid me interrogas? interroga Pharaonem. Nemo duri cordis ſalutem vnquam adeptus eſt, niſi quem fortè miſerans Deus, abſtulit ab eo iuxta Prophetā, cor lapideū & dedit cor carneū. Quid ergo cor durum? ipſum eſt quod nec cō punctione ſcinditur, nec pietate mollitur, nec mouetur precibus, minis nō cedit, flagellis duratur, ingratum ad beneficia eſt, ad conſilia infidum, ad iudicia ſæuum, inuerecundum ad turpia, impauidum ad pericula, inhumanum

Aug. lib. 1. ad ſimp. & Epi. 105. & & lib. de eſſentia diuini. & ſermone de Pharaonis indura. Hierony. Euthy. in c Ioā. 15. Damaſce. li. 4. c. 20. Orig. li. 3. periarchon. c. 1. Eſa. 63.

Roma. 2.

Aug. lib. 5. contra Iulian. c. 3.

Hierony.

Cyrillus in Catecheſi. 6.

Greg. li. 11. mora. ca. 5.

Lib. 31. moral. c. 11.

Bern. lib. 1. de conſideratione. Quid nam cor durum.

num ad humana, temerarium ad diuina, prętеritorum obliuiscens, præsentium negligens, futura non præuidens, ipsum est cui præteritorũ, præter solas iniurias, nihil omnino nõ præterit; præsentium nihil non perit, futurorum nulla, nisi fortè ad vlciscẽdum perspectio, seu præparatio est: & vt in breui cuncta horribilis mali mala complectar, ipsum est quod nec Deum timet, nec hominem reueretur. Greg. sic scribit; Semetipsum Dominus hanc duritiam gignere perhibet, non quòd prauorum mentes ipse ad culpam formet, sed quòd à culpa non liberet, sicut hic scriptum est; Ego induraui cor Pharaonis: quòd quia misericorditer emollire noluit, profectò districtè se obdurare nunciauit. Idem Gregor. Hoc autem, ait, cum tremore nobis considerandum est, quomodò iustus, & omnipotens Deus cùm præcedentibus peccatis irascitur, permittit vt cæcata mens etiam in alijs labatur. Vnde Gene. 15. Nondum completa sunt peccata Amorrhæorum. & Psal. 68. Appone iniquitatem super iniquitatem eorum, & non intrent in iustitiam tuam. & Oseæ. 4. Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit. Sanguis enim sanguinem tangit, quando peccatum peccato additur, vt ante Dei oculos adiunctis iniquitatibus anima cruentetur. Pau. 1. Thessaloni. 2. Vt impleant peccata sua semper. Ioanni quoque dixit Angelus Apoc. vltimo. Qui nocet, noceat adhuc, & qui in sordibus est, sordescat adhuc. Vnde & Dominus dicit; Si conuersus iustus à iustitia sua fecerit iniquitatem, ponam offendiculum coram eo: ac si apertè dicat; quia videre pœnitendo noluit, vbi iam impingit, iusto eum iudicio deserens, ponam ei vt & alibi impingat. Quod tamẽ Domini ponere est, nequaquam ad peccandum premere, sed nolle à peccato liberare, sicut & de Pharaone dicitur; Ego indurabo cor eius: non enim Dominus cor peccatoris obdurare dicitur, sed obdurare dicitur, cùm ab obduratione non liberat.

Gre. li. 29. mora. c. 24. in illud Exo. 10. Ego induraui cor eius.

Hom. 11. in Ezechi.

Gene. 15.

Psal. 68.

Oseæ. 4.

1. ad The. 2 Apoc. vlti.

Exod. 4.

¶ Secunda dubitatio est, quid est quod ait autor in vltima conclusione, quòd culpa præcedens sit causa meritoria excæcationis, & indurationis? quod etiam asserit August. Quæ sententia videtur efficaciter colligi: quia diuinæ scripturæ habent, Deum tradere quosdam in reprobum sensum ob præcedentia delicta, vt habetur Roma. 1. Sed quo nam pacto hoc stare potest, cùm Paul. affirmet, quòd indurationis ratio & causa sit sola diuina voluntas, & non humanum meritum? dicit enim; Cuius vult miseretur, & quem vult indurat, id est, pro libera sua voluntate Deus quidem indurat, non ob vlla merita, præscita etiam. Ad hanc dubitationem bifariam dicitur. Primò, indurare hic accipi ab Apost. vt significet nõ reprobationis effectum, qui est deserere hominem, multa operari tum foris, tum intus, quibus occasione accepta fiat deterior; sed reprobationem ipsam, quam constat fieri nõ propter vllum meritum. Verùm quia scriptura citata ex Exodo palàm agere videtur de induratione, quæ est reprobationis effectus, aliter responderi potest; quòd, scilicet, reprobatio Pharaonis reddita quidẽ est prioribus meritis, sicut & scripsit August. sed quòd huius indurationis propria causa non est alia, quàm Dei voluntas, nolentis cor Pharaonis emollire ad veri Dei cognitionẽ. Quòd enim è duobus æquè indignis, & ex se æquè rebellibus alterum Deus pro suis meritis sinit fieri rebelliorem, & duriorem ad occasionem multorum beneficiorum, alterius verò ad eorundem occasionem cor emolliat, vel similium beneficiorum, id ad solam Dei voluntatem referri potest.

Quomodo culpa præcedẽs dicatur causa meritoria excæcationis & indurationis.

Aug. li. 83. quæstionũ q. 65. & li. de natu. & gratia. c. 22

Roma. 1.

Roma. 9.

Solutio dubitationis.

¶ Tertia dubitatio est; An Deus omnibus peccatoribus, etiam induratis, & excæcatis conferat auxilium gratiæ necessarium, vt salutem æternam valeant assequi? Sed isthæc quæstio commodiùs edisseretur in tractatu de gratia, vbi inuestigabitur de necessitate diuinæ gratiæ, qua quęstione in illum locum reposita, ad alium articulum progrediamur.

Alia dubitatio.

ARTIC. QVARTVS.

¶ Vtrùm excæcatio, & obduratio semper ordinentur ad salutem eius qui excæcatur, & obduratur?

SVMMA TEXTVS.

Conclusio.

Conclusio est. Excęcatio, vel obduratio per se ordinatur ad damnationẽ: ex diuina verò misericordia, vel prouidentia ad salutem, inquantũ Deus permittit aliquos cadere in peccatum, vt illud agnoscẽtes humiliẽtur, & cõuertãtur. Excæcatio ergo ad tempus medicinaliter ordinatur ad salutem prædestinatorum, quibus omnia cooperantur in bonũ: quãtùm verò ad alios, ad damnationẽ. Et omnia mala quæ

Deus

Deus facit, aut permittit fieri, in aliquod bonum ordinantur, non tamen in bonũ eius in quo est malum, sed quandoque ad bonũ alterius, vel totius vniuersi; sicut culpam tyrannorum ordinat ad martyrum bonum; & dãnatorum pœnã ordinat ad gloriã iustitiæ suæ.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CIrca hunc articulum magna sese insinuabat quæstio, ad explicandum, quid est quòd cùm Deus sit summè bonus, permittit fieri mala? Cui subnectitur alia à diuinis Theologis multis in locis inuestigata; Cur homo non est factus vt non peccet, vt nec eo volente peccare detur? Sed & huic tertiam adiungunt; Cur lignum vetitũ posuit Deus in paradiso, per quod perditio nostra processura erat? Vltimò disputant Theologi, cur Deus creauit quos damnandos esse præsciuerat? Sed omnes has quæstiones in tractatu de legibus explanabimus, in quo inuestigabimus diligenter, an deceat summam Dei bonitatem permittere mala fieri: vnde in istum locum prædictæ quæstiones referãtur: nunc verò ad aliam quęstionem deueniamus.

QVAESTIO LXXX.

De causa peccati ex parte diaboli; in quatuor articulos diuisa.

ARTIC. PRIMVS.

¶ Vtrùm diabolus sit causa peccati?

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. ONclusio sic habet. Diabolus non potest esse causa peccati directè, sed solùm per modum persuadentis, vel proponẽtis appetibile. Nihil enim potest esse causa peccati, nisi quod potest mouere voluntatem ad agendum, cùm proprium principium actus peccati sit voluntas, inquantum omne peccatum est volũtarium. Sed voluntas duobus modis moueri potest. Vno modo ab obiecto, prout appetibile apprehẽsum mouet appetitũ. Alio modo ab eo quod intrinsecus inclinat volũtatẽ ad volendum, quod non est nisi ipsa voluntas, vel Deus: sed Deus non potest esse causa peccati: ergo ex hac parte sola volũtas potest esse directè causa peccati. Atqui ex parte etiã obiecti tripliciter valet moueri voluntas. Vno modo per ipsum obiectũ propositũ; sicut dicimus cibum hominis appetitũ excitare ad comedendum. Alio modo per eũ qui proponit, & offert tale obiectum. Tertio modo per eum qui persuadet propositum obiectũ habere rationem boni. Primo modo res sensibiles extrinsecus apparentes mouent voluntatem hominis ad peccandum: sed secũdo, vel tertio modo diabolus, vel homo potest excitare ad peccandũ, aut offerẽdo sensui appetibile, seu persuadendo rationi: sed directè nõ possunt; quia voluntas non mouetur ex necessitate ab aliquo obiecto, nisi ab vltimo fine. Diabolus ergo non potest esse causa peccati directè, sed solùm per modum persuadentis, vel proponẽtis appetibile.

EXPLICATIO ARTICVLI.

DIabolus, latinè calũniator, siue accusator dicitur; quia idem & cooperator, & accusator peccatorum nostrorum existit. Qui etiam Satanas vocatur; quia oppositus est & contrarius bono: hoc enim significat vox hebræa. Quòd verò diabolus inducat nos ad peccãdũ, docet ex presse sancta scriptura: nam Genes. 3. diabolus suo suasu primos parẽtes deuicit: &. 1. Pet. vltimo dicitur, ꝙ circuit quærens quẽ deuoret: & Eph. 6. Nõ est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus principes, & potestates &c. Sed illud quærunt Doctores; Gene. 3. Ephes. 6.

Vnde

Vnde diabolo bellum aduersus nos? Responsio est, quia est omnis malitiæ receptaculum: susce pit etiam inuidiæ morbum, & inuidit nobis ho norem. Non igitur nobis inimicus creatus est, sed ex inuidia inimicitiam contra nos susce pit.

¶ Sed ex hoc alia nascitur dubitatio; An diabolus necessariò, an potiùs liberè inducat nos ad peccandum? Ratio propositæ dubitationis est: nam diabolus, vt habet sana doctrina, habet liberum arbitrium inflexibile, & immutabile in malo. Nihilosciùs tamen dicendum est; quòd quanquam diabolus habeat animum obstinatum in malo, & in auersione ab vltimo fine: at circa media quæ ipse ordinat ex malitia sua in Dei offensam, liberè se habet, & sic potest tentare, & non tentare, hoc, vel illo modo ad malum solicitare, sicut angeli beati in dilectione Dei ne cessitantur omnino. In illis verò quæ eis à Deo demandantur, libera voluntate obsequuntur.

Diabolus liberè tentat & inducit ad malum.

Dub. Caiet.

¶ Hîc mouet dominus Caietanus dubium circa illam propositionem; Nihil potest esse causa directè alicuius actus, nisi per hoc quòd propriù principium illius actus moueat ad agendum; nã huic propositioni contrariatur illud prouerbiũ inter Theologos decantatum; quòd Deus potest supplere vicem causæ efficientis, & sic poterit esse causa directa actus, absque eo quòd moueat proprium principium illius actus. In huius expositionem Caietan. multa dicit: vide illum si vacat. Ego credo quòd loquitur D. Thom. de actu creaturæ rationalis, vel animalis, de quibus sententia D. Thom. verissimum dicit: non enim potest Deus producere visionem, nisi moueat potentiam visiuam; neque cõsensum in nostra voluntate, nisi moueat voluntatem: sunt enim hæc opera vitalia, de quorum ratione est quòd prodeant à principio vitali intrinseco.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ *Vtrùm diabolus possit inducere ad peccandum, interiùs instigando.*

SVMMA TEXTVS.

Conclusio.

Oncluſio asserit. Sed vt intelligatur, quonam pacto diabolus moueat ad peccandum animam, interius suggerendo, instigandove, statuit in primis autor, quòd interior pars animæ, intellectiua est; & sensitiua. Intellectiua continet intellectum, & voluntatem. De voluntate quidem dictum est quo modò ad eam diabolus se habeat. Intellectus verò per se mouetur ab aliquo illuminante ipsum ad veritatis agnitionem, quod diabolus circa hominem non intendit, sed magis obtenebrat rationem eius ad consentiendum peccato; quæ obtenebratio prouenit ex phantasia, & appetitu sensitiuo, circa quæ interior diaboli operatio esse videtur. Vtrumque enim horum commouendo inducere potest ad peccatum. Nam imaginationi aliquas imaginarias formas præsentat, & appetitum sensitiuũ cõcitat naturaliter ad aliquam passionẽ: quia corporalis natura obedit spirituali ad motum localem. Quare omnia quæ ex motu locali corporum inferiorum prouenire possunt, cau fare potest diabolus, nisi diuina virtute reprimatur. Vnde talis motus localis spirituum, vel humorum procuratur à dæmonibus, siue dormiant homines, siue vigilent: & sic homo aliqua imaginatur. Cooperatur etiam diabolus concitando appetitum sensitiuum ad aliquas passiones secundùm quendam determinatum motum cordis, & spirituum, & ex hoc homo magis percipit motum, siue intentionem sensibilem modo præfato ad principium apprehensiuũ reductã. Vnde Arist. dicit; Amãtes modica similitudine rei amatæ mouẽtur. Quare contingit ex hoc quòd passio est cõcitata, vt id quod proponitur imaginatio

Arist.

ni iudicetur prosequendum: quia ei qui detinetur in passione, id videtur esse bonum, ad quod per passionem inclinatur: & per hunc modum diabolus interiùs inducit ad peccandum.

EXPLICATIO ARTICVLI.

QVòd diabolus non possit directè mouere nostram voluntatem ad peccandum, nec imprimere malitiam in nostra voluntate, planissimè demõstrauit D. Th. suprà q. 9. ar. vltimo. & hîc statuit pro certo, & euidenti. Vnde diabolus mouet nostrã voluntatem ad peccandum indirectè per modũ persuadentis, & proponentis bonum, & appetibile. Et id facit varijs modis; nunc argumentando, suadendo, rhetoricando; nunc excitãdo passiones appetitus sensitiui, quibus homo affectus, & illectus iudicat esse verum bonum, quod reuera non est: amans namque facillima persuasione in rem amatam inclinatur: nunc verò mouendo phantasmata, & ea perturbando, ex quo admirabiles, & penè diuinæ videntur sequi visiones. Qua de causa iudicabit Theologus, quid sit censendũ de quibusdam mulierculis, quæ visiones sibi videntur habere: causantur enim ex dęmonum illusione, & spirituum, humorumq; cõmotione, sic adeò, quòd vigilantes tam vehemẽter apprehendunt, vt videatur sibi rem corã oculis geri: non enim est impossibile quòd patiatur idem vigilans, quod patitur somnians, vt videre est in phreneticis. Vide de hoc Caieta.

D. Thom.

ARTIC. TERTIVS.

¶ Vtrùm diabolus possit inducere hominem necessitatem ad peccandum.

SVMMA TEXTVS.

Concluſio. NEgans est cõclusio. Certè nisi à Deo refręnetur, potest aliquomodo inducere ex necessitate ad faciendum aliquem actum, qui ex genere suo sit peccatum: sed nequit peccandi necessitatem inducere. Licèt namque diabolus mouendo imaginationem, & appetitum, totaliter vsum rationis aliquã do impediat, tunc ligata ratione, quicquid homo agit, non imputatur ei ad peccatum: sed si ratio non est funditus ligata, ex ea parte potest resistere peccato. Quapropter nullatenus diabolus potest inducere homini necessitatẽ ad peccandum.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Cõfirmatur conclusio articuli.

QVanquàm diabolus fortissimus sit, & acutissimus, non potest inducere homini necessitatem ad peccandũ, vt patet ex illo 1. Petr. vltimo. Cui resistite fortes in fide. & 1. Corin. 10. Fidelis Deus qui nõ patietur vos tentari vltra id quod potestis. Ratioque D. Thom. est euidens: Nam diabolus nõ mouet nostram voluntatẽ nisi per modum persuadentis, & proponentis bonum: sed nullum bonum in hac vita necessitat nostram voluntatem, vt demonstratum est in tractatu de beatitudine. Illud etiam aduertendum est, quòd in ijs etiam quæ diabolus potest ex facultate naturæ, impeditur à Deo ne faciat quicquid potest: quod esse verum, demonstrat ex sacro eloquio Diuus Gregorius libro 1. Moralium in principio.

1. Cor. 10.

D. Thom. ratio.

Greg.

Exponitur cõtradictio apparens in litera.

¶ Hîc mouet dubium Caietan. Nam hîc, solutione ad tertium docet autor expressè, quòd carnis tentatio, quando ei ratio actualiter resistit, non est peccatum. Sed in tertia parte, in quæstione de tentatione Christi, ex Augustini autoritate dicit, quòd non potest esse absque peccato tentatio carnis; quæ videtur esse in doctrina euidens contradictio. Caietanus in huius dubij explanationem nescio quam explicationem apposuit, quam ego non intelligo. Veritas est, quòd cùm dicit Diuus Thomas tertia parte, quòd tentatio carnis semper est cum peccato, intelligit de tentatione quam homo potest, vel potuit vitare, percipiens quid faciat. Tentatio siquidem est sumere experimentum de aliquo, an sciat, velit, vel possit, vt docet Diuus Thomas 1. parte, quæstione 114. articulo 2. Vel dicatur, quòd omnis tentatio carnis contra spiritum vel semper est cum peccato, vel ex defectu peccati procedit: nisi enim præcessisset peccatum, hic defectus præter ordinem naturæ, quòd caro concupisceret aduersum spiritum, in nobis non esset. Igitur quoniam à Christo non solùm procùl abest peccatum, verùm & omnis defectus qui imperfectionem importat, ideò huiusmodi tentatio carnis in Christo non fuit.

D. Thom.

AR-

ARTIC. QVARTVS.

¶ Vtrùm omnia peccata hominum sint ex suggestione diaboli.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Conclusio est negatiua. Nam quanquam occasionaliter, & indirectè diabolus est causa omnium peccatorũ, inquantum induxit primum hominem ad peccandum, ex cuius peccato vitiata est natura; vnde omnes procliues sumus ad peccandum; sed directè non est causa omnium peccatorum: quia si diabolus non esset, homines haberent appetitum ciborum, & venereorum, qui posset esse inordinatus; sicq; esset peccatũ, nisi ratione ordinaretur, quod subiacet libero arbitrio.

EXPLICATIO ARTICVLI.

IN hoc articulo solùm est aduertendum, quòd non omnia peccata fiunt ex diaboli suggestione. Homo enim per liberum arbitrium, etiam si diabolus non esset, grauissima scelera excogitare posset, & committere: si quę verò ex diaboli suggestione committit, eo modo fiunt, quo primi parentes ad peccatum sunt inducti. Quomodo autem diabolus inducat, & quibus artibus decipiat, explicat optimè Basil.

D. Basi. opusculo, quòd rebus secularibus nõ est adhærendũ. & in alio opusculo; quòd Deus non sit autor malorũ

QVAESTIO LXXXI.

De causa peccati ex parte hominis, in quinque articulos diuisa.

ARTIC. PRIMVS.

¶ An primum peccatum primi parentis per originem in posteros traducatur.

SVMMA TEXTVS.

Prim. cõcl. PRima conclusio. Secundùm fidem catholicã primum peccatum primi hominis originaliter transit in posteros; ob idque pueri mox nati ad baptismum deferuntur, tanquam ab aliqua culpa abluendi: oppositumque est hæresis Pelagiana.

Secũd. cõcl. ¶ Secũda conclusio. Explicare qualiter transeat in alios, hoc opus, hic labor est. Quidam enim considerãtes, quòd peccati subiectũ est anima rationalis, posuêre quòd cum semine rationalis anima traducatur, vt sic ex infecta anima, infectę animæ deriuari videãtur. Alij hoc tanquam erroneum repudiantes, conati sunt ostendere, quopacto culpa animæ parentis in prolem traducatur, etsi anima non traducatur, per hoc quòd corporis defectus traducuntur in prolem; sicut leprosus generat leprosum; & podagricus podagricum, ob aliquam seminis corruptionem; etsi talis corruptio, podagra, vel lepra non dicatur. Cùm autem corpus animę sit proportionatum, & animę defectus in corpus redundẽt, & è diuerso; similimodo dicitur quòd culpabilis animæ defectus per seminis traductionem in prolem deriuatur, etsi semen non sit actualiter culpæ subiectum. Sed vtraque via est insufficiens. Nam esto aliqui corporei defectus à parente per originem in prolem transeant, & ex consequenti aliqui defectus animæ ob corporis dispositionem, sicuti interdum ex fatuis fatui generantur: tamen hoc ipsum, quod est ex origine aliquem defectum habere, videtur excludere rationem culpæ, de

cuius ratione est quòd sit voluntaria. Vnde etiam posito quòd rationalis anima traduceretur cum semine, ex hoc ipso quòd infectio animæ prolis non esset in eius voluntate, amitteret rationem culpę obligantis ad pœnam: nam, vt Arist. dicitur 3. ethicorum, nullus improperabit cæco nato, sed magis miserebitur. Et ideò dicendum est, quòd omnes homines qui nascuntur ex Adam, possunt considerari vt vnus homo, prout omnes in natura conueniunt, quam à primo parente accipiunt; sicut in ciuilibus omnes homines vnius cõmunitatis reputantur quasi vnum corpus, & tota communitas quasi vnus homo. Sic ergo multi homines deriuati sunt tanquam membra vnius corporis ab Adam. Sed actus vnius membri corporalis; vt manus; non est voluntarius voluntate ipsius manus, imò voluntate animæ quæ mouet manum. Vnde homicidium non imputatur manui, si consideretur secundùm se diuisa à corpore, sed quatenus est aliquid hominis, quod mouetur à primo principio hominis motiuo. Sic ergo inordinatio quæ est in hoc homine ex Adam generato, non est voluntaria voluntate ipsius, sed voluntate parentis primi, qui mouet generationis motione omnes qui ex eius origine deriuantur, prout voluntas animæ mouet omnia membra ad actum. Quare peccatum quod sic à primo parente in posteros deriuatur, originale dicitur, sicut peccatũ quod ab anima deriuatur ad membra corporis, dicitur actuale. Sed sicut peccatum actuale quod committitur per aliquod membrum, non est peccatum illius membri, nisi quatenus membrum illud est aliquid hominis; vnde & dicitur peccatum humanum; ita nec peccatum originale dicitur alicuius personæ, nisi quatenus illa persona recipit naturam à primo parente: vnde & peccatum naturæ dicitur, secundùm illud; Eramus natura filij iræ. Ex hoc enim iste qui nascitur fit consors culpæ primi parentis, quòd naturam ab eo sortitur per quandam generatiuam motionem. Ephes. 2.

EXPLICATIO ARTICVLI.

DE quæstione proposita disserunt Theologi 2. distinctione 30. vsque ad 33. & Augustinus multis in locis suæ doctrinæ contra Pelag. Sed & neotherici Theologi qui hac tempestate cõtra Lutherum disputant, hoc argumentũ ediderũt, quod autor hoc modo distribuit. Primò disputat, an peccatum originale sit. Secundò, quæ sit eius causa, & quomodo traducatur. Tertioque, quid sit peccatum originale. Quartò, in quo subiecto cõmoretur. Ac deniq; de eius effectibus, & quæ pœna ei debeatur. Secũdò notãdũ, quòd esse peccatũ per originẽ traductũ (quod autor in prima docet cõclusione) naturali ratione cõstare nõ posset, nisi Deus reuelasset: extat de hoc testimoniũ Psal. 50. Ecce enim in iniquitatibus cõceptus sum &c. vbi secundũ literã Hebraicã dicitur; In iniquitate, & peccato &c. Imò & Eccl. 25. dicitur; A muliere initiũ peccati, & per illã oẽs moriũtur. & Iob. Pereat dies in qua natus sum, & nox in qua dictũ est, Cõceptus est homo. & c. 14. Quis potest facere mundũ de immũdo cõceptũ semine? & c. 25. secundũ Septuaginta; Nemo mũdus à sorde, neq; infans vnius diei. Vnde & Ioãnes Baptista, Ecce, ait, agnus Dei, ecce qui tollit peccata mũdi. Grẽcis in codicib⁹ habetur; q̃ tollit peccatũ mũdi; quib⁹ etiã aliqui Latinorũ codicũ adstipulãtur. In nouo testamẽto sunt aꝑtiora testimonia. In primis est illud; Per vnũ hominẽ peccatũ intrauit in mundũ, & per peccatũ mors: & ita in oẽs homines mors ꝑtrãsijt, in quo omnes

Peccatũ originale ex diuina reuelatione cognoscitur. Psal. 50. Eccles. 25. Iob. 3. Rom. 5.

omnes peccauerũt.& iterum;Iudicium ex vno, scilicet delicto in condemnationem:gratia autẽ ex multis delictis in iustificationem: rursumq́;; Sicut per vnius inobedientiam peccatores constituti sunt multi,&c. & 1.Corinth.15. Sicut in Adam omnes moriuntur &c.id est,sicut in Adã omnes habemus mortem & temporalem,& spiritalem;ita & in Christo omnes habemus vitam & temporalem corporis,& etiam vitam animæ spiritalem.& 2.Corin.5. Si Christus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: Sed Christus pro paruulis mortuus est: ergo paruuli mortui sunt:& non sunt mortui actuali peccato:ergo originali.Et cõfirmatur ex illo; Omnes eramus natura filij iræ. Id ipsum dicitur in omnibus concilijs congregatis contra Pelag.In Cõcil.Mileuit.Arausic.Aphrica.& in Concil. Trident. Idemq́ue roboratur sententijs omnium Patrum à D.Petro vsq́ue ad nostram hanc ætatem, quas refert Augustin.Idq́ue ipsum constat ex vsu Ecclesiæ, quæ ideò cum paruulis ad baptisma properat,vt à peccato abluantur. Nec tamen silentio est prætereundum, quòd Pelagius,Iulianus,& Cælestius dicebant,præuaricationem Adæ sibi soli nocuisse, & non eius propagini.Et ad illud; Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum,in quo omnes peccauerunt;respondent,peccatũ Adæ ad posteros transijsse,non origine,sed exemplo,& imitatione. Eandem expositionem amplectitur Erasmus,& conatur,quantùm potest,amouere intelligentiam peccati originalis ab illo loco: sicq́ue deprauat hunc locum: nam pro eo quod in nostra editione habetur; In quo omnes peccauerunt;ille vertit; Quatenus omnes peccauerunt. Sed hanc intelligentiam esse violentam, & Apostolum apertè loqui de peccato originali, demõstrat Diuus Augustinus multis in locis.Nam ex ista explicatione sequitur, quòd in paruulis per baptisma non soluitur peccatum originale.Prętereà,si voluisset Apostol. significare peccatum quod intrauit in mundum imitatione,non propagatione,non Adam pòsuisset, sed diabolum, de quo scriptum est; Ab initio diabolus peccat. & rursum.Inuidia diaboli mors intrauit in orbẽ terrarum:& statim subditur;Imitantur eum qui sunt ex parte eius.Item Christus,in quo omnes viuificantur,præterquam quòd se ad iustitiam exemplum imitandum proponit,dat etiã sui spiritus occultissimã gratiã fidelibus . Sic & ille, in quo omnes moriuntur,præterquã quòd eis qui præuaricãtur præcepta imitationis exemplum est,occulta etiã tabe tabificauit in se omnes de sua stirpe veniẽtes. Deinde quod sequitur; In quo omnes peccauerunt;quã circũspectè,quàm propriè,quàm sine ambiguitate positum est! Si enim peccatũ intellexeris,in quo omnes peccauerũt, manifestũ est alia esse propria cuiq́; peccata,aliudq́ue id vnum in quo omnes peccarũt. Quòd si intellexeris;in quovno homine omnes peccauerũt,quid etiã hac manifestatione manifestius? Quippe legimus iustificari in Christo ob occultam communicationẽ;nõ verò legimus iustificari in Paulo, Apollineve, quos imitamur. Sed nullibi legitur aliquem peccare in diabolo, quẽ omnes imitãtur.Sedvide quid sequatur; Vsq́ue ad legẽ peccatũ in mundo fuit;id est, quia nec lex potuit auferre peccatum, quod quidem nõ imputabatur,cũ lex nõ esset: Quid sibi vult; nõ imputabatur;nisi quia ignorabatur,& peccatũ nõ esse putabatur? Sed regnauit,ait, mors ab Adã vsq́; ad Moysen;id est,nunquã lex ipsa potuit regnũ mortis auferre.Et subditur etiam; In eos qui non peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ;id est,qui nondum sua voluntate,sicuti ille peccauit,sed ab eo originale peccatum traxerunt,qui est forma futuri.Scio equidem plerosq́ue codices Latinos habere; Regnauit mors ab Adam in eos qui peccauerunt, in similitudinem præuaricationis Adæ; quod tamẽ qui ita legunt,ad eundem intellectum referunt, vt in similitudinẽ præuaricationis Adæ peccasse accipiant,qui in illo peccauerunt,vt ei similes crearentur;sicut ex homine homines, ita ex peccatore peccatores;ex mortuo morituri, damnatoq́ue damnati.Græci autem codices habẽt primam lectionem. Sed non,inquit, sicut & delictum,ita & donum:si enim vnius delicto mortui sunt multi,multo magis gratia Dei, & donũ in gratia vnius hominis Iesu Christi in multos abundauit.Non magis multos:nec enim plures iustificantur quàm condemnantur; sed abundauit; quia Adam ex vno delicto suos reos genuit, Christus autem ex multis delictis in iustificationem. Vrget prætera Augustin. ex illa sententia quæ sequitur;Et non sicut peccatum, ita & donum:nam iudicium quidem ex vno in condẽnationem,sed gratia ex multis in iustificationẽ. Ex vno,inquit,in condemnationem: quo vno, nisi delicto?hoc enim explanat,cùm ait; Gratia autem ex multis delictis in iustificationem. Nunc dicant,vbi locum habet in his verbis imitatio? Sed & quod ait Apostolus de Christo; Per vnius iustificationem ; magis hoc explicuit, quàm si per vnius iustitiam diceret. Eam quippe iustificationem dicit, qua Christus iustificat impium, quam non imitandam proposuit, sed solus id potest. Nam potuit Paulus rectè dicere; 1. Corinth. 4. Imitatores mei estote, sicut & ego Christi; nunquàm autem diceret; iustificamini à me, sicut ego iam sum iustificatus à Christo ; quoniam fuerunt multi homines iusti, & imitandi : iustus autem,& iustificans, nemo nisi Christus. Vnde dicitur

1.Cor.15.
2.Cor.5.
Ephes.2.
Sess.5. can. 2.3.& 4.
Aug.li.1. & 2.contra Iulian.& li.1. & 3.de peccatorũ meritis.
Rom.5.
Erasmus ex positionem hæreticam amplectitur.
Aug.li.3.de peccatorũ meritis à c. 11.& deinceps.
1.Ioan.3. Sap.2.
Diuersa lectio illius loci Ro.5.
Augusti.
1.Cor.4.

Rom.4. Roma.4. Credenti autem in eum qui iustificat impium. Certè si sola imitatio facit peccatores in Adam, cur non etiam per Christum sola imitatio iustos facit. Nam sicut per vnius delictum in condemnationem, sic & per vnius iustificationē in omnes homines &c. Proinde isti, vnus & vnus, non Adam & Christus, sed Adam & Abel constitui debuerunt. Porrò si Christus vnus est in quo omnes iustificentur; quia non solùm eius imitatio iustos facit, sed per spiritū regenerans gratia; similiter vnus est Adam in quo omnes condemnantur, non propter solam imitationem, sed propter carnis propagationē. Sed est differentia: nam regenerante spiritu, nō solùm originalis, sed & voluntariorum fit remissio peccatorum: generante autem carne, illud tantummodò trahitur, quod est originale peccatum: quare dicitur; Non sicut delictum, ita & donum. Hactenus Augustin. ingeniosissimè, & fortissimè. Sed est aduertendum, quòd non solùm est dogma hæreticum, asserere quòd non sit peccatum originale, verùm etiā docere quòd ille locus D. Paul. ad Rom. ad literā non intelligatur de peccato originali: sic definit Concil. Mileuit. & Concil. Trident. Ex ijs patet esse peccatū originē transfusum in Adami posteros, quod primo loco suscepimus explicandum.

Cōci. Trid. Sess. 5.

Difficile est exponere, quonam pacto originale peccatū in posteros traducatur. ¶ Secundo loco agendum est de causa peccati originalis, & quomodò traducatur; quod non facilè à Theologis explicatur. Vnde August. li. de moribus Ecclesiæ scribit; Hoc peccato antiquo nihil est promptius ad prædicandum, & nihil ad intelligendum secretius. Et Pelagio quærenti, per quas rimulas hoc peccatum in animā illaberetur? Augu. nec sibi, neque illi satisfaciēs ingenuè fatetur suam ignorantiam multis in locis, & in epist. 29. ad Hieron. in hunc modum, comicè satis propositam quæstionem dissoluit; Cùm quidam, inquit, ruisset in puteum, & amicus eius superueniens admirans quæreret, quomodò hûc cecidisti? cui ille respondit, cogita obsecro quomodò me liberes, quomodò autē hûc inciderim ne roges. Itaque hæc quæstio magis propter hæreticos excutienda est, vt eorum obiectionibus satisfaciamus, quàm propter catholicos, quorum magis interest quærere remedium, quàm modum quo contrahitur inuestigare.

Aug. epi. 28 & 29. ad Hiero. & li. 3. de lib. arb. à c. 18. vsq; ad 22. lib. 3. de baptis. paruul. c. 4.

Prim. argu. An originale peccatū verè culpa sit. ¶ Vt ergo hæc difficultas explicetur, quæritur; An peccatū originale sit verè culpa? A parte negatiua sic arguitur. Nā peccatū adeò est voluntariū, quòd si nō est voluntariū, peccatū nō est: sed peccatū originale nō est voluntariū, vt patet in pueris ante vsum rationis: ergo non est propriè peccatū.

Secundum. ¶ Deinde, nemo peccat in eo quod vitare nō potest, vt patet: sed paruuli nō possunt cauere hoc peccatū: ergo verè nō est peccatum.

Tertium. ¶ Præterea, non videtur intelligibile quomodo volūtas paruuli deordinetur, & auertatur ab vltimo fine per actū primi parētis.

Quartum. ¶ Itē, si paruulus nasceretur in puris naturalibus, maneret sicuti modò, eandē pugnā haberet ex parte appetitus sensitiui, easdē ignorantias ex parte intellectus: sed hæc inordinatio non esset peccatū: ergo nec modò est peccatū.

Quintum. ¶ Certè nō videtur verosimile, nec verò credibile de Dei clemētia & misericordia sic sentire; quòd vnū peccatū vnius hominis imputetur ad culpam omnibus hominibus nascituris, & ad pœnā æternā; præsertim cùm dicat Dñs; Filius non portabit iniquitatem patris.

Ezec. 18.

Vltim. ¶ Vltimò, peccatum primi parentis fuit illi remissum, & condonatum per verā pœnitentiā, secundū illud; Hęc eduxit illum à delicto qui primò formatus est: ergo non transit in posteros. Propter isthæc argumēta, aliaq; similia multa Durā. 2. d. 30. q. 2. conatur quantū potest ostendere quòd peccatum originale non sit propriè peccatū. Idemq; docet Catherinus in opusculo de peccato originali: & quidā neotherici Pelagiani existimant peccatū originale nihil aliud esse quā defectū naturæ, & omnium calamitatū, & ærumnarum aceruum, qui ex peccato primi parentis in nos deriuatur; & allegāt in suū patrociniū sanctos Patres, qui asseruerūt, peccatū primi parentis transijsse in posteros, non culpa, sed pœna. Cuius sententiæ videtur esse Chrysost. in multis locis suæ doctrinæ. In primis homi. 10. in epist. ad Rom. super illud Roma. 5. In quo omnes peccauerūt, sic inquit; Quid igitur sibi vult, in quo omnes peccauerunt? Respōdetur, quòd illo lapso, & illi item qui de ligno non comederunt, effecti sunt ex illo tempore omnes mortales. Et paulò inferiùs in expositione illius sentētiæ; Per inobedientiam vnius hominis peccatores cōstituti sunt multi; in hunc modum loquitur: Videtur quidē quæstionē nō paruā habere quod dictum est, videlicet, multos ob vnius inobedientiā peccatores extitisse: illo enim peccāte, mortaliq; effecto, & qui ex eo orti sunt, eos tales esse nihil absurdū. At ex illius inobediētia alterū peccatorē extitisse, quā obsecro congruentiam, & consequentiam habet? Inuenitur enim sic, nec pœnas quidē debere qui talis fuerit, si quidē non ex seipso peccator extiterit. Quid igitur hoc loco, verbū hoc, peccatores, significat? Mihi videtur tantūdē significare, quantū illud supplicio obnoxij, ac mortis rei, quòd porrò Adam mortuo sunt mortales effecti. Rursus in enarratione 1. ad Cor. hom. 39. super illud ca. 15. Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabūtur, idē cōfirmare videtur, sic dicēs. Quid igitur? dic mihi omnes in Adam peccato mortui sunt? quomodo ergo Noē vir iustus suo seculo fuit? quomodo Abraham, quomodo Iob, & multi deniq; alij? & quomodo

Durand.

Catherinus

Chrysost.

dic

dic mihi omnes viuificabuntur in Christo, & ij præsertim qui in gehennã abducendi sunt? Itaq; si hoc de corpore dictum esse velimus, cõstabit oratio; si autem de iustitia & peccato, nequaquam. Et hom. 17. in cap. 6. eiusdẽ epistolę, ostẽdens mortem animæ non ex primi parentis culpa, sed ex actualibus dumtaxat cuiusque peccatis accidere, sic dicit. Quid igitur faciam, inquis, propter illum, scilicet, Adã pereo? Minimè propter illum: nec enim tu sine peccato permãsisti; quòd si non idem peccatum, aliud tamen cõmisisti. Et homil. 24. in epist. ad Ephe. exponẽs postrema verba vltimi capitis, idem ait; Corruptibile, inquit, nobis corpus est, sed incorruptibilis anima; ne igitur illam corrumpamus! hoc illud primum, id est, primi hominis peccatum fecit: quod autem post lauacrum, & animam corrumpere potest, & immortalis vermis susceptibilem facere. Hûc etiam pertinet quòd in homil. quæ scribitur ad Neophytos tradere existimatur, nẽpè, infantulos ante baptismum nec vllæ culpę esse obnoxios; nec in remissionem culpę vllius baptizari: sed tantùm iustificationis, & hæreditatis consequendæ gratia baptizari: dicit ergo. Vides quot sunt baptismatis largitates? Sed multis videtur baptismi gratiam in peccatorum tantùm remissione consistere, nos autem baptismi honores iam computauimus decem. Hac de causa, & infantulos baptizamus, quàmuis non sint coinquinati peccato, nempe vt eis addatur sanctitas, iustitia, adoptio, hæreditas, & fraternitas Christi, vt eius membra sint omnes, spiritus habitatio fiant. Hæc Chrysostomus. Theodoretus subindicare videtur, quòd peccatum Adæ non pertransierit in posteros, secundùm culpam, sed secundùm solam occasionem peccandi, ita vt nihil sit aliud Adæ peccatum in nos transfusum, quàm occasio, & incitatio quædam ad peccandum, quæ nos veluti per quatuor gradus ad peccatum deducit hoc ordine. In primis, Adæ peccatum omnibus ex eo genitis passibilitatẽ, corruptionem, & mortalitatem corporis inducit. Deinde mortalitas, indigentiam atque priuationem affert rerum omnium, quę ad mortalis vitę sustentationem vtilia sunt. Tertio loco indigentia, & priuatio, appetitum & concupiscentiã gignit acquirendi, & tractandi res mortali vitę proficuas. Demum, appetitus tractatio, & vsus rerũ mediocritatis excessum persuadet, cui persuasioni qui cõsenserit, statim peccat, & spirituali morte damnatur: atque hoc pacto non propter Adę peccatum, sed propter proprium peccatum quisque spiritaliter plectitur. Theodoreti verba hæc sunt. Cùm Deus Adam fabricatus esset, dedit ei præceptũ: is deceptus mandatũ transgressus est. Cũ itaq; propter hoc mortis decreto factus fuisset obnoxius, ita Cain, & Seth, & alios genuit. Hi verò habebant mortalem naturã; eiusmodi autem multis indiget, cibo, & potu, & indumentis, & habitatione, & diuersis artibus. Eorum autẽ vsus sæpe ad mediocritatis exuberantiam incitat, mediocritatis verò exuberatio peccatum generat. Dicit itaque Apost. quòd cùm Adam peccauisset, & mortalis propter peccatum factus esset, vtrumq; ad genus peruenit: ad omnes enim mors peruasit, quatenus omnes peccauerũt: nõ enim propter primi parentis peccatum, sed propter suum vnusquisq; mortis decretum suscipit. Idem autor in commẽt. Psalmorum super illud; Ecce in iniquitatibus conceptus sum; eandem sententiam docere videtur. Hûc etiam spectat quod idem autor docet, videlicet, multos fuisse viros sanctos, qui viuentes in lege naturæ non fuére obnoxij Adæ peccato; dicitque. Sicut per vnius hominis inobedientiam peccatores cõstituti sunt multi, & per obediẽtiam vnius iusti cõstituẽtur multi. Valde verò necessariò illud, multi, in vtroque posuit Apost. Etenim cùm Adam peccasset, & plurimi diuinas leges transgressi essent, permanserunt aliqui in decretis naturæ, & virtutis curã gessère, sicut Abel, Enoch, & Noẽ, & Patriarchæ, & Prophetæ, & alij plurimi nõ solùm apud Iudæos, sed etiam apud alias gentes, de quibus dixit Apostolo. Quando enim gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, ij legem non habentes sibi ipsi sunt lex. Arnobius significare videtur, quòd Adam peccando transmisit ad hæredes solùm mortis corporeæ supplicium, non autem peccatum, & originis vitium: loquitur enim ijs verbis; Non dixit Dauid; cum iniquitatibus, aut cum peccatis genuit me mater mea; sed in iniquitatibus cõceptus sum &c. dicendo enim matrem eum in suis iniquitatibus cõcepisse, eũ in peccatis seculi peperisse signauit, quia omne peccatũ corde cõcipitur, & ore cõsummatur; hic autẽ qui nascitur, sententiam Adæ habet, peccatũ verò ipsius non habet. Autor commentariorum in Pau. qui dicitur Hieronymus, in interpretatione huius verbi; In quo omnes peccauerunt; docet, peccatũ primorum parentum non per propagationem corruptæ originis, sed per exemplum, & imitationẽ in posteros emanasse; non quidem omnes, sed ad eos tantùm, qui ad similitudinem præuaricationis Adæ sponte sua peccarunt. Quam quidẽ assertionẽ sic ipse autor expressit. Itaq; in hunc modũ peccatũ intrauit, & per peccatũ mors, exẽplo, vel forma; & ita in oẽs homines mors pertrãsijt, dũ ita peccãt, & similiter moriũtur: nõ enim in Abrahã, Isaac, & Iacob pertrãsijt, de quibus dicit Dñs; Oẽs illi viuũt: hîc autẽ ideò dicit oẽs mortuos, qa in tãta multitudine peccatorũ nõ excipiẽt pauci iusti, sicut ibi; Nõ est qui faciat bonũ, non est vsq; ad vnũ: &; Omnis homo mendax.

Theodoretus in illud Roma. 5. in quo omnes peccauerũt

In epitomẽ diuinorũ decretorũ c. 13

Arnobius in illud Psa. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum.

Hieronymi

Siue in eos omnes pertranſijt, qui humano, non cœleſti ritu viuebant. Item nunc Apoſt. per mortem, animæ mortem ſignificat, quia Adam præuaricans mortuus eſt, ſicut dicit Propheta; Anima quæ peccauerit, ipſa morietur. Et deinde addit Apoſt. In quo omnes peccauerũt; hoc eſt, in eo quòd omnes peccauerunt, exẽplo Adę peccant. Et idem autor ſuper illud cap. 7. eiuſdẽ epiſtolæ. Sine lege peccatum mortuum erat, in eandem ſententiam deſcendit apertiùs, dũ ait; Item ſi cùm lex non erat, peccatum mortuum erat, inſaniunt qui de Adam per traducem aſſerunt ad nos venire peccatũ. Propterea dicit hîc peccatum mortuum eſt, quia in infantibus qui ſine lege ſunt, non viuit, id eſt, impunè commititur: tam maledicente infante parentibus videtur eſſe peccatum: non tamen viuum, ſed mortuum: puer enim licèt peccet, mortuũ eſt in eo peccatum; quia nõ eſt legi ſubiectus. ¶ Sed pro maiori huius explicatione ſit prima concluſio.

Prim. cõcl. Peccatũ originale verè peccatũ eſt. Rom. 5. Epheſ. 2. Concilia.

¶ Peccatum originale eſt verè & propriè peccatum, quod facit nos verè peccatores, & inimicos Dei, filios iræ, & inobedientiæ: quod explicat Apoſt. Rom. 5. & ad Epheſ. 2. & definitur in cõcilijs Mileuit. Arauſ. & Triden. in quibus anathematizantur qui dixerint non eſſe verum peccatum. Præterea, paruuli in baptiſmo conſequuntur remiſsionem veri peccati, aliàs forma baptiſmi falſa eſſet, quæ dicit. Ego te baptizo, id eſt, Ego te abluo, & mundo. Deniq́ue paruuli ſunt redempti à Chriſto, & cum eo reconciliati: ergo in eis verum peccatum erat.

Secũd. cõcl. Peccatũ originale aliquo modo voluntariũ

¶ Secunda concluſio. Hoc peccatum originale aliquomodò eſt voluntarium, ſic docet Aug. lib. 1. retract. ca. 18. Nõ abſurdè, ait, illud peccatum antiquum voluntarium eſt, quoniam primi parentis voluntate contractum eſt. Ad hæc patet, quia peccatum originale eſt propriè peccatum: ergo voluntarium.

Tert. cõclu. Aug. li. 1. de peccatorũ meritis ca. 16. & 17.

¶ Tertia concluſio. Hoc peccatum non eſt propriè noſtrum ex parte cauſæ, id eſt, non eſt cõmiſſum noſtra volũtate. Doctrina hæc eſt Aug. & patet euidenter in paruulis, in quibus eſt hoc peccatum antequã habeant vſum liberi arbitrij.

Quar. cõcl. Peccatũ originale noſtrũ eſt ex parte ſubiecti.

¶ Quarta concluſio. Hoc peccatum eſt propriè noſtrũ ex parte ſubiecti, quia propriè ineſt omnibus. Itaq; ab eo formaliter ſumus peccatores, & inobedientes. Ita ait Pau. locis ſuprà citatis prima concluſione. Item ex illo; Cùm peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt: loquitur ad literam de peccato originali. ¶ Sed dices, eſſe difficile intellectu, quomodò mihi imputetur ad peccatum quod mea voluntate non eſt commiſſum, neq; vlla ratione mihi voluntariũ?

Obiectio.

Solutio.

Reſpondetur, hãc difficultatem habere omnes veritates fidei, quas propterea non comprehendimus ratione euidenti, ſed fide perſuaſi aſſenti mur: hoc autem peccatum non cõſtat humana ratione, ſed diuina reuelatione: vnde Paulus ait; Concluſit ſcriptura omnia ſub peccato, vt omnium miſereatur; non dicit, ratio humana, ſed ſcriptura. Hoc ergo peccatum ex ſola diuina reuelatione habetur. Nihiloſecius tamen diuini Theologi rationem, & modum quo peccatum originale in poſteros traducatur, varijs vijs conati ſunt patefacere. At D. Th. in hoc articulo modum explicationis adhibet omnium optimum. Adam, inquit, in gratia creatus, vel poſt creationem conſtitutus, accepit originalem iuſtitiam ſibi, ſuiſq́; poſteris, qui ſimiliter in ea naſcerẽtur: accepit & lignum vitæ ad immortalitatem: cùm autem peccauit, omnia perdidit & nos in illo: ſicut quodammodò accepimus bona, ita conſenſimus malis: in huiuſmodi enim gratuitis beneficijs ſeu conferendis, ſeu adimendis non erat alius noſter conſenſus neceſſarius. Hûc attinet exemplum D. Tho. de membris, qui vna totius ſuppoſiti voluntate delinquunt. Sed & aliud mihi occurrit non minùs fortaſſe aptum. Si rex alicui conferat cum ſuis poſteris omnibus priuilegium ingenuitatis, qui maieſtatis accerſitus, dãnatus eſt: iam ille ob crimen leſę maieſtatis amittit priuilegium, & poſteri eius relicti ſunt ſuę naturæ. Hînc iam nemo mirabitur quòd Deus dãnârit omnes poſteros Adæ ſine proprio cuiuſq́; conſenſu peccati: quia damnatio illa nihil eſt aliud quàm ablatio gratuiti priuilegij: meruit enim id proditio primi parentis; meruerunt & omnes facti proditores in illo, quatenus propagationis neceſsitudine pertinebant ad illum.

Gal. 3.

Quomodo originale peccatũ in poſteros trãsfundatur.

Exempli ac commoda.

¶ Sed hæc exempla à nobis commemorata non omnibus ſatisfaciunt. In primis illud exemplum de membris acriter impugnatur. Manus enim quando mouetur ad peccandum, non peccat, ſi obediat; imo ſi non obediret, peruerſè ageret. Deinde, homo vtitur manu tanquã inſtrumento: Adam verò non eſt vſus alijs hominibus naſcituris tanquam inſtrumentis peccandi: ergo ſimilitudo non conſiſtit. Ad hæc, in manu non eſt formaliter peccatum, ſed ſola denominatione extrinſeca, ſicut actus exterior non eſt formaliter peccatum, ſed ſolùmodo denominatione extrinſeca, ex eo quòd prodit à mala volũtate; ergo ſi primum peccatum deriuatur in poſteros tanquàm in membra primi parentis, ſequitur quòd in poſteris non ſit iſtud peccatum formaliter, ſed ſolùm denominatione extrinſeca. Sed & exemplum de rege, qui ob leſæ maieſtatis crimen totam poſteritatem damnauit, & priuilegio priuauit, non omnino quadrat: nam ſolùm probat peccatum primi parentis in poſteros pœna tranſijſſe, non culpa. Reſponſio eſt, exempla ſuperiùs commemorata, non eò eſſe adducta, vt rem demonſtrent euidenter, ſed vt explicent, & veroſimili ſuaſione rem credibilem efficiant.

Obiectiões contra exẽplũ D. Tho.

Solutio.

efficiant. Cui hæc non placent, excogitet ipse meliora, & aptiora. Certè exemplum de membris satis accommodum est: significat enim D. Thom. quòd quemadmodum motio manus, si referatur ad manum, non habet rationem culpæ, nec voluntarij; sed si referatur ad voluntatẽ mouentis, habet rationem culpæ: sic ex voluntate primi parentis, ex quo tota posteritas deriuatur, peccatum istud in posteris, veluti in mẽbris Adæ voluntarium est. Sed & exemplum de rege non omnino dissimile est: si enim Princeps adoptaret aliquem in filium, & hæredem institueret perpetuum pro sua posteritate; si tamen in gratia regis permaneret; certè peccando, & ipse, & sui posteri permanerent regi inuisi, atque ingrati. Sic Deus dedit Adæ iustitiam originalẽ in suos posteros perpetuò deriuandam; si tamẽ in gratia Dei persisteret: Adam verò peccando, & se, & suos posteros perdidit, & ingratos reddi
Aug. li. 2. de nuptijs c. 28 dit Deo. Augu. cùm vrgeret Pelagius per quam rimulam latenter hoc peccatum intrasset, respõdit: Quid quæris ô Pelagi rimulam latentem, cũ ianuam habeas apertissimam; Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum. Quid amplius quæris? Sed & Paul. optimè explicat hanc
Rom. 5. difficultatem cùm ait; Adam esse formam Christi. Vnde contrapositio gratiæ, & peccati originalis manifestè lucet, quando accedente Domino ad baptisma, vox patris intonuit; Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacuit: ac si apertè diceret; sicut omnis posteritas in Adam mihi displicuit, ita in Christo grata facta est, prout & in epistola ad Roman. ca. 5. explicat Paulus cùm dixit; Sicut per vnius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita per vnius obediẽ
Ephes. 1. tiam &c. Quod etiam repetit Ephes. 1. Gratificauit nos in dilecto filio suo. Itaq; naturam humanam in primo parente peccasse, nihil aliud est, quàm naturam humanam in ipso fuisse Deo inuisam, & ingratam: sicut & naturam humanã in Christo placuisse patri, nihil est aliud quã naturam nostram per spiritum Christi, quem accipiunt credentes in eum, esse Deo dilectã, & gra
Arg. solut. Ad primum tam. ¶ Ad argumenta ergo in principio, & ad primum dicitur, quòd aliter accidit peccatũ in ijs quæ spectant ad naturam, aliterque in ijs quæ attinent ad personam. Peccatum in ijs quæ attinent ad personam, propria voluntate solùm committitur: sed si quod est peccatum pertinens ad naturam, non absurdè dicitur, quòd traducitur de vno ad alterum, sicut & ipsa natura. Et cùm peccatum sit malum rationalis naturæ, priuatioq; boni, ad iudicandum quod peccatũ pertineat ad naturam, vel ad personam, conspiciendum est illud bonum quo priuat. Cùm igitur peccatum primi parentis non solùm spoliauerit hominem gratia, & rectitudine personali, sed etiam abstulerit iustitiam originalem, quæ in omnem naturam erat deriuanda, peccatum naturæ appellãdum est. Ex quo sequitur, quòd illud peccatum, prout priuauit Adam bono personali, erat peccatum personale, & requisiuit voluntatem propriam illius hominis: cæterùm quatenus priuauit omnem naturam iustitia originali, est peccatum totius naturæ, & requisiuit volũtatem primi parentis, tanquam capitis, & vicem habẽtis totius naturæ. Autor hîc aliter respondet, & ex comparatione membrorum ostendit, quomodò hoc peccatum sit voluntarium. Præterea dici potest, quòd hoc peccatum est voluntarium paruulis, non formaliter, sed interpretatiuè; sicut baptismus est voluntarius paruulis; voluntas enim patris, est voluntas filij. De solutione huius argumenti vide D. Thom. in 4. contra gentes cap. 50. & 52. ¶ Ad secundum August. conatur ostendere hominem sæpenumero peccare in ijs quæ cauere non potest. Vera tamen solutio est, quòd primum peccatum potuit cauẽri in primo homine; ideoque referendo ad primum hominem fuit voluntarium. ¶ Ad tertiũ respondetur, quòd hoc non videtur oculis humanæ rationis, sed fidei, quòd per actum primi hominis, qui habebat vicem totius naturæ humanæ, omnis natura humana manserit inuisa Deo. Et hæc deordinatio manet in natura humana, non per modum actus, sed habitus, sicut transacto actu in reliquis peccatis manet deordinatio per modum habitus. ¶ Ad quartum dicitur, quòd si homo esset conditus in puris naturalibus haberet certè pugnam ex parte appetitus sensitiui. Rursus haberet imperfectionem ex parte intellectus; non tamen esset Dei inimicus & filius iræ: homo verò qui nascitur ex Adã est inimicus Dei, & filius iræ. ¶ Ad quintum dicendum, quòd si Deus constituisset hominem in puris naturalibus, & ad finem supernaturalẽ non destinauisset, non inferret illi iniuriam: nã hæc destinatio humanæ naturæ non debetur. Item, nõ esset iniuria quòd appetitus sensitiuus repugnaret rationi: ist hæc namque est eius natura: atque adeò non esset iniuria quòd homo morti, & ærumnis esset subiectus; quia ista omnia ex naturæ principijs oriuntur. Fuit ergo Dei maxima clementia, quòd gratiam, originalemque iustitiam nobis contulerit: nõ ergo fuit crudelis si peccante primo parente omnẽ naturam donis supernaturalibus spoliârit, quibus ipsa suapte natura erat orbata. Itaque nemo miretur quòd omnes posteros ob Adæ peccatum damnauerit Deus; quia hæc dãnatio nihil aliud fuit quàm ablatio gratuiti beneficij. ¶ Ad vltimum haud est difficilè respondere quòd videlicet Adæ culpa condonata fuit, vt erat personæ, nõ naturæ: non enim illud singulare priuilegium

D. Thom. Ad secundũ Aug. li. 3. de libr. arbi. c. 18. & 19.

Ad tertium

Ad quartũ.

Ad quintũ.

Ad vltimũ.

fuit illi reſtitutum;& meritò: quia Adam nequi uit pro tota natura ſatisfacere,ſed ſatisfecit pro ijs quæ ad ſuam perſonam attinebant.Hinc col ligitur quomodò originale peccatum ſitverum peccatum,traducaturque in poſteros. ¶Ad pa trum autoritates,præcipuè D.Chryſoſt. dicen dum eſt,omni dubio procùl Chryſoſtomũ ve ram fidem de peccato originali tenuiſſe, vt pa tet in ijs quæ paſsim ſcripſit de infectione na turæ humanæ in primis parentibus. Ex quibus clariſsimè colligitur,quod ex peccato Adæ, iux ta ſententiam Chryſoſto. tranſierit in poſteros nõ ſolùm pœna corporeæ corruptionis,& mor tis,ſed & animi iam vitiati languor,& immode ratus quidam effrænatæ concupiſcentiæ æſtus, abducens hominẽ ab itinere virtutis,& ad mor tiferas voluptatum illecebras,& ſpiritus interitũ pertrahens. Vnde Auguſt. refellens Iulianum quòd ex ſuperioribus Chryſoſto. dictis peccati originalis traducem euertere niteretur,hæc, in primo aduerſum ipſum volumine pro Chryſo ſtomi defenſione,ita ſcribit: Itane nobis verba ſancti Ioannis Epiſcopi audes opponere? Abſit, abſit hoc malum de tanto viro credere,aut dice re:abſit,inquam,vt Conſtantinopolitanus Ioã nes loquens de paruulorum baptiſmate,qui pa terni chirographi liberationem habẽt per Chri ſtum,tot,ac tantis coëpiſcopis ſuis,maximeque Romano Innocentio, Carthaginenſique Cy priano,Cappadoci Baſilio, Gregorio Nazianze no,Mediolanẽſi reſiſtat Ambroſio:quod enim ij ſenſere,hoc ſenſit,illud credidit,hoc docuit& Ioannes.Hæc Auguſtinus.Proinde cùm Chry ſoſt.inquit;neminem ex peccato primorum pa rentum peccatorem conſtitui,& à cælorum re gno excludi,& damnationi æternæ obnoxium fieri;non ſimpliciter,& omnino abſtulit pecca tum humani generis ex prima patrum noſtro rum tranſgreſsione contractum;ſed(ni fallor)ſi gnificare voluit, quòd Adæ poſteri non ea ra tione peccatores ſint, quia primi tantùm paren tes actualiter peccauerunt, ſed quòd etiam ipſi poſteri in ipſo Adam,& vnà cum ipſo peccaue runt,quatenus omnes,ob humanæ ſpeciei parti cipationẽ,vnus,idemque homo ſunt cum pro genitore Adam;& ſicut eandem naturam, ſic eiuſdem corruptæ naturæ vitium participant. Niſi enim illi in primo parente,in quo,ceu in ra dice olim virtualiter inerant, deliquiſſent, pro fectò ex Adæ peccato peccatores nõ eſſent; nul lus enim(vt rectè ait Chryſoſt.)ex alieno pecca to,&à ſe non participato peccator exiſtit. Aliud verò quod Chryſoſt.in homilia ad Neophytos ſcripſit,nimirum,infantes nec eſſe peccato coin quinatos,nec in remiſsionẽ peccatorum bapti zari,Auguſt.in lib.iam citato reſpondens,anno tauit hanc Ioannis ſententiam fuiſſe à Pelagia-

Chryſ.verè ſenſit de peccato ori ginali Hom.11.12 & 13.in epi. ad Roma.& hom.40.in 1.epiſto.ad Corint.

Auguſt.

D.Aug.

nis corruptam, aut malè verſam: illi enim pro eo quod Chryſoſtom.dixit;infantes non habe re peccata;immutatis aliquantulum verbis, po ſuere, infantes non eſſe peccato coinquinatos; vt magis loqui videretur de vno illo peccato ex Adam tracto,quàm de alijs. Sed incorrupta Græcorum lectio ſic habet;Ideò infantes bapti zamus,quamuis peccata non habentes. Vbi(vt Auguſt.inquit)non negat paruulos peccato eſ ſe coinquinatos,ſed habere peccata;id eſt, non inficiatur paruulos primi parentis peccato coin quinatos eſſe,& pro huiuspeccati expiatione ba ptizari,ſed aſſerit eos nec peccata habere actua lia,&propria,nec propter peccata propria actua lia baptizari. Atque hæc dicta ſint in explicatio nem Chryſoſtomi. Ad alios Patres eadem expli catio adhiberi poteſt;dum tamen intelligamus, quòd illa explicatio Paul.Roman.5. In quo om nes peccauerunt, ſi intelligatur de peccato per imitationem,damnata eſt in Concil. Africano, & in Concil.Triden. ¶Sed ad finem huiusque ſtionis operæpretium erit commemorare argu menta Pelagianorum, quibus perſuadere nite bantur,non eſſe peccatum originale.Certè Au guſt.lib.2.de nuptijs,& concupiſc. numerat vi ginti,& eò plura argumenta Pelagianorum cõ tra peccatum originale:& li.3.de peccatorũ me ritis,& remiſsione in eodem argumento verſa tur: potiſsimumque horum argumentum eſt; quia anima rationalis non eſt ex traduce: quo niam non traducitur de anima primi parentis, ſed à ſolo Deo creatur, caro ſola traducitur de primo parente:ergo iniuſtum apparet quòd ho diè nata anima non ex Adæ maſſa peccatũ con trahat.Huic obiectioni Augu. nihil reſpondet; dicit tamen eſſe difficillimam quęſtionem,vtrũ rationalis anima ex traduce ſit: quam quæſtio nem feramus eſſe occultam; & meminerimus nos eſſe homines. Difficultatem huius rationis amplificat Auguſt.fateturque ingenuè ſuam ig norantiam.D.Tho.in hoc articulo ad ſecundũ hoc pacto ſoluit ipſam,dicitq; quòd etſi ratio nalis anima de anima primi parentis nõ traduca tur,natura tamẽ humana per generationẽ tradu citur.Ex hoc enim fit is qui naſcitur cõſors cul pæ primi parentis, quòd naturam ab eo ſortitur per quandam generatiuam motionem. Ex hoc infert peccatum originale eſſe virtualiter in ſemine; quod intelligo,non cauſaliter, ſed con comitanter; vtpotè quia in ſemine continetur natura humana,quam conſequitur peccatũ ori ginale:non enim oportet ponere in ſemine vir tutem quandam ſpiritualẽ quæ peccatum origi nale efficiat.Et per hoc ſoluitur aliud argumen tum quod magnoperè amplificant Pelagiani. Rationalis,inquiunt,anima à ſolo Deo creatur, & infunditur corpori:ergo ſi contrahitur macu la,

Rom.5. Cõci.Afric. c.77. Trid. ſeſſ.5.ca.2. Argumẽta Pelagij,qui bus proba bat nõ dari peccatũ ori ginale.

Aug.ſolut.

Aug.epi.28 &29.adHie ronymum. D.Thom.

Argum. Pelag.

la, ex ipsa creatione, & infusione illam contrahit: vnde consequitur Deum peccati originalis autorem esse, cùm sit autor creationis, infusionisque. Et confirmatur: quia Magister, & omnes Theologi sacri affirmant, quòd si angelus in primordio creationis suæ fuisset malus, sequeretur Deum esse mali autorem: sed anima in exordio suæ creationis contrahit maculam: ergo Deus est autor illius maculæ. Respondetur, & dico primò, quòd peccatum originale non est à Deo, sed à primo parente per propagationem. Dico secundò, quòd cùm creatio dicat respectũ animæ ad solum Deum, non est dicendũ quòd anima ex ipsa creatione maculam contrahat. Vel dico, quòd infusio cõparari potest ad Deũ infundentem, & ad corpus cui infunditur. Habito respectu ad Deum, non est dicẽdum quòd anima ex sua infusione contrahat maculam. Quòd si habeatur respectus ad corpus cui infunditur, vera est hæc sententia. Ad confirmationem dico, non consistere similitudinem; nõ enim angelus est creatus, vt esset forma corporis, idcirco non poterat ex parte materiæ defectum incurrere: sed oportebat, quòd si maculã peccati haberet ex primordio suæ creationis, illud esset ex parte creantis: at anima rationalis creatur vt sit forma corporis, ideoque ex coniũctione ad illud potest labem contrahere ex primi parentis infectione, cuius Deus causa nõ sit. Alia argumenta Pelagianorum vide in Augustino vbi suprà.

Confir.

Solutio.

Peccatũ originale non est à Deo.

Adconfir.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ Vtrùm etiam alia peccata primi parentis, vel proximorum parentum traducantur in posteros.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. NEgat conclusio. Nam homo generat sibi idẽ in specie, & non in indiuiduo: ideoque personales actus, & quæ ad indiuiduum attinent, non traducuntur à parentibus in filios. Grammaticus siquidem non traducit Grammaticam; sed ea quæ attinent ad specificam naturam, traducuntur; nisi sit defectus naturæ; vt oculatus generat oculatum, nisi natura deficiat; quę si fortis est, etiam aliqua accidentia indiuidualia propagantur in filios, pertinentia ad naturæ dispositionem, vt bonitas ingenij, corporis velocitas, & id genus pleraque: sed quæ personalia sunt, nullo modo traducuntur. Sicut ergo ad personam spectat aliquid secundùm seipsam, atque aliquid ex dono gratiæ; ita etiam ad naturam potest aliquid attinere secundùm seipsam: & aliquid ex gratiæ dono: sicque originalis iustitia erat quoddam donum gratiæ toti naturę humanæ diuinitus in primo parente collatum, quod primus homo amisit per primum peccatum. Quare sicut illa iustitia originalis traducta fuisset in posteros simul cum natura; ita & inordinatio opposita. Sed alia peccata primi parentis, vel aliorum non corrumpunt naturam, quò ad id quod est naturæ, sed solùm ad id quod est personæ; & ideò alia peccata non traducuntur.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Conclusio huius articuli est certa secundum fidẽ. patet ex illo; Per vnũ hominem peccatum: & iterum; Iudicium quidem ex vno, scilicet delicto, in condemnationem; & rursus; Per vnius inobedientiam peccatores constituti sunt multi. Ex quibus patet, vnum tantùm peccatum in posteros esse transfusum. Præterea, bonum est magis sui diffusiuum, quàm malum: sed bona merita proximorum parentum non transeunt in posteros: ergo nec mala merita. Ad hæc, cætera omnia peccata sunt personalia, quibus proinde statuta est pœna personalis: vnum hoc peccatũ est commune totius naturæ, cui proinde statuta est pœna communis, vtpote illa; In quacunque die comederis ex eo, morte morieris; quo supplicio affectum est totum genus humanũ. Denique per illud primum peccatum amisimus bonum, & singulare priuilegium ad omne genus humanum spectans, putà, iustitiam originalem: ergo solùm illud peccatum transfunditur in

Rom. 5.

Prim. arg. De veritate cõclusionis dubitatio.

Aug. in Enchir. c. 46. & 47.

in posteros. ¶ Sed licèt hæc sententia sit certissima, sunt tamen contra illam aliquot argumenta quæ reddunt eam tam obscuram, vt Augustin. hanc quæstionem insolutam reliquerit. Primò arguitur. Pœna non irrogatur nisi pro culpa: sed aliqui in diuino iudicio punientur pro peccatis parentum, secundum illud Exod. 2. Ego Deus zelotes visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem: ergo culpæ proximorum parentum transeunt in filios.

Secundum. Aug. li. 10. de Gene. ad liter. ca. 19. 20. & 21.

¶ Vlteriùs, Adá peccante omnes in eo peccaui mus vt dicit Paulus: quia in eo eramus secundũ seminalem rationem, vt ait Augustinus, at in proximis parentibus etiam fuimus secundùm seminalem rationem: ergo &c.

Tertium.

¶ Rursus, homo magis potest communicare quod habet de se, quàm quod habet ab alio: atqui proximi parentes transfundunt in posteros peccatum originale à primo parente deriuatum: ergo potiori iure possunt transfundere peccata quæ ipsi cõmisere.

Quomodo Adæ peccatũ in posteros trãseat.

¶ Pro explicatione notandum primò, quòd quando dicimus primum peccatum primi parentis transijsse ad posteros, nõ est sensus, quòd actus qui fuit in Adam transierit in posteros; accidens namque de subiecto in subiectum non transit; sed sensus est, quòd transiuit in posteros meritoriè, & effectiuè. Meritoriè quidem, eò quòd suo malo merito induxit in suam propaginem defectum, & originalis iustitiæ carentiam debitæ inesse. Effectiuè verò ex eo quòd per suum actum infecit naturam humanam, & eam inuisam, & Deo ingratam reddidit, à qua omnis natura deriuata per originem, maculam contrahit non eandem numero, sed specie; quia generat sibi simile in specie, & cum simili defectu. Ampliùs animaduertito, quòd vera ratio, quare solùm primum peccatum primi parentis transfunditur in posteros, est, quia per illud est sublatum bonum, & priuilegium toti naturæ cõcessum, ob idque huius peccati dãnatio in omnes pertransijt: at verò per alia peccata tantùm personale bonum aufertur, vnde eorum damnatio in reliquos non pertransijt. Obseruandũ præterea, conclusionem articuli solummodo de facto loqui, non de posibili. Nam de posibili, illustrium Theologorum sententia est, quòd primo parente non peccante, si Cain peccasset, filij eius in originali peccato nascerentur: ista tamen sententia artic. 5. huius quæstionis examinabitur. Ad argumenta contra conclusionem adeò dilucidè respondet hîc autor, vt opera nostra non indigeant. Vide illum.

Argum. soluit hic D. Thom.

ARTIC. TERTIVS.

¶ Vtrũ primũ peccatũ primi parẽtis trãseat per originem in omnes homines.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio.

AFfirmans est conclusio: alioqui non omnes indigerent redemptione quæ est per Christum: quod est erroneum. Ita enim traducitur originalis culpa in posteros, sicut à voluntate animæ per motionem membrorum traducitur actuale peccatum ad membra corporis. Sed peccatum actuale potest traduci ad omnia mẽbra quæ nata sunt moueri à voluntate. Vnde culpa originalis ad eos omnes traducitur, qui ab Adam mouentur generationis motione. Itaque secundùm fidem orthodoxam firmiter tenendum est, omnes homines ab Adam descendentes originale peccatum contrahere. Excipio Christum, qui ex virili semine conceptus non est.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Rom. 5.

HÆc conclusio habetur in sacris scripturis, Roman. 5. Per vnum hominẽ peccatum intrauit in mundum &c. In quo omnes peccauerunt. & ca. 3. Omnes peccauerunt, & egent gratia Dei. & 1. ad Corinth. 15. Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes viuificabuntur. & 2. ad Corinth. 5. Si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. & Iob 25. Nemo mundus à sorde, nec infans vnius diei. Atqui hanc veritatem sub eodem tenore verborum quo affirmat eã D. Tho. definiũt Concilia contra Pelag. celebrata, Mileuit. & Arausicanum; atq; etiã Augu. Sed obseruet Theologus, quòd sicut nó est dogma hæreticum asserere quòd aliqui ex particulari priuilegio non morientur, sicut de Helia, & Enoch; & quidam doctores docti, & pij asserunt, quòd illi qui viui in die iudicij reperientur, non morientur, cui priuilegio non derogat lex illa generalis; Statutum est hominibus semel mori; ad hunc modum non est hæreticum dogma asserere quòd aliquis ex peculiari priuilegio liber fuerit ab originali delicto. Quòdq; istud dogma sit probabile, piumque de diuina Virgine patet ex Extrauaganti; Graue nimis; in qua Sixtus

1 Cor. 15. 2. Cor. 5.

Iob. 25.

Concilior. definitio.

Aug. li. 1. & 2 cõtra Iulian. & epi. ad Optatum de origine animæ.

De beata Virgine.

Sixtus quartus anathematizat eũ, qui dixerit alterutram opinionem errorem cõtinere. Eandẽ constitutionem innouauit Concil. Trident.

Cõci. Trid. Sess. 5. can. finali.

¶Illud etiam obseruandum, quòd etiam si quis concedat aliquem hominem ab Adam descendentem ex priuilegio peccatum originale non contrahere, fateri necesse est hæc dogmata quę subsequuntur. Primum: Christum esse omnium redemptorem: non enim solùm redimit qui datis pecunijs eripit aliquem à vinculis, sed etiam qui datis pecunijs est in causa ne in carcerem detrudatur. Sed & illud dogma catholicum est, Christum Dominum pro omnibus esse mortuum, in eoque omnes homines fuisse reconciliatos. Tum etiam, omnem hominem egere gratia, & gloria Dei vt salutem consequatur. Non enim est aliud nomen sub cœlo in quo oporteat nos saluos fieri, nisi in nomine Iesu. Ex ijs & illud dogma subsequitur, quòd omnes eramus captiui, & mortui. Itaque sicut in sacra scriptura habetur, quòd omnes in Adam peccauerunt; sic habetur, quòd mors in omnes pertransijt, & quòd est statutum hominibus semel mori: ideoque vtrumque est æqualiter de fide. Fides ergo docet, quòd est necessitas, & obligatio, vt omnes descendentes ab Adam contrahant peccatum originis; sicut est lex imposita, & necessitas moriendi. Sed quia non est abbreuiata manus Domini, sicut non spectat ad fidem asserere quòd Deus aliquos à morte seruârit, ita nec spectat ad fidem asseuerare Deum aliquos à peccato originali præseruasse, sicut aliqui de sanctissima eius matre arbitrantur; de quo agit Diuus Thomas, 3. parte, quæstione 27. & hîc Caietanus.

Dogmata certissima.

Obiectio cõtra cõclusionem. Aug. li. 3. de peccatorũ meritis c. 8.

¶Sed contra conclusionem articuli est argumentum, cuius meminit Augustinus. Nullus dat quod non habet: sed pater baptizatus non habet peccatum originale: ergo non traducit illud in prolem. Ad hoc respondet Augustinus quòd pater baptizatus non generat, quatenus Dei filius, sed quatenus seculi filius, habens naturam quam ab Adam vitiatam suscepit: quamobrem etiam si careat originali peccato, transfundit tamen ipsum in prole: sicuti Iudæus circuncisus generabat filium incircuncisum, quia circuncisio erat personalis, incircuncisioverò totius naturæ. Est & aliud exemplum quo id apertiùs explicatur: triticum enim excussum palea, & aristis, producit triticum palea vestitum. Itaque aliquis dat quod non habet. Aliam solutionem tribuit autor huic argumento hîc ad secundum.

Solutio Aug.

ARTIC. QVARTVS.

¶Vtrùm si quis ex humana carne miraculosè formaretur, contraheret peccatum originale.

SVMMA TEXTVS.

NEgat conclusio. Nam peccatum originale à primo parente traducitur in posteros, prout mouentur ab ipso per generationem, sicut membra mouentur ab anima ad actuale peccatum: sed non est motio ad generationem, nisi per virtutem actiuam in generatione. Vnde illi soli peccatum originale contrahunt, qui descendũt per virtutem actiuam in generatione originaliter ab Adam deriuatam; quod est descendere ab eo secũdùm seminalem rationem, quæ nihil aliud est, quàm vis actiua in generatione. Sed si quis virtute diuina ex humana carne formaretur, illa vis actiua non deriuaretur ab Adamo: vnde nec peccatum originale contraheret; sicut nec actus manus attinet ad peccatum humanũ, si ipsa non moueretur à voluntate hominis, sed ab aliquo extrinseco mouente. Originale itaque peccatum traducitur à primo parente, quatenus mouet ad generationem natorum: si enim quispiã materialiter solùm ex humana carne nasceretur, non cõtraheret peccatum originale.

Conclusio.

EXPLICATIO ARTICVLI.

COnclusio huiusce articuli certa est, & explorata. Nam talis propriè non est filius Adæ: ergo non contrahit peccatum originale. Item, quia in diuina scriptura habetur solùm, quòd descendentes ab Adam peccatum originale contrahant: talis ab stirpe Adæ non descendit. Rursum, nam

Chri-

Christus isthac de causa peccatum originale nõ contraxit, eò quòd de virili semine non est conceptus: sed talis nõ esset cõceptus de viri semine ergo. &c. Ex quo sequitur, quòd etsi Christus Deus non fuisset, non tamen potuit concipi in peccato originali. ¶ Pro cuius declaratione nota primò, hanc quæstionem non solùm habere locum in formato ex humana carne à fœmina administrata, sed & in formato ex brachio, aut lapide: verum est tamen quòd habet maiorem difficultatem in homine formato ex carne humana à fœmina administrata; quia talis fuit in Adamo secundùm corpoream substantiam. Ob idque autor quærit peculiariter, An ne si quis ex humana carne miraculosè formaretur, cõtraheret peccatum originis? quod idem est ac si quæras, an fuisse istum in Adã secundùm corporalem substantiam, inducat peccatum originale? ¶ Itidem obserua secundò, quid sit fuisse in Adam secundum seminalem rationem, & secundùm corpoream substantiam, & fuisse in lumbis Adæ: quibus verbis vtitur D. Thom. hic, & accepit ea ex Augustin. Certè ille fuit in Adam secundùm seminalem rationem, qui producitur virtute seminis mediatè ab Adam procedentis, siue etiam immediatè, ita quòd virtute seminis anima corpori adiungatur. Ille verò fuit in Adam secundũ corpoream substantiam, qui formatus est ex carne ab Adam deriuata, sed non est formatus in hominem virtute seminis. Ille autem in lumbis est Adæ, vel Abrahæ, qui est in eis secundũ seminalem rationem, vt dicunt sancti Patres super illud Hebr. 7. Qui decimatus est in lumbis Abrahæ: & autor 3. p. q. 31. à 6. &. 7. &. 8. ¶ Tertiò animaduertendum est, quòd originalis iustitiæ donum tantùm competebat eis, qui ab Adã secundùm rationem seminalem descenderent; acceperat enim Adam hoc singulare priuilegiũ pro se, suisque posteris, & ijs qui ab eo sunt naturaliter progeniti. Vnde sequitur primò, quòd si homo miraculosè ex humana carne esset formatus, haberet quidem originalis iustitię defectum negatiuè, id est, non haberet iustitiam originalem, veluti si in puris naturalibus esset cõditus: non tamen defectus hic culpæ rationem haberet, nec propterea à Deo odio haberetur. Sequitur secundò, peccatum originale non sequi ad naturam humanam absolutè, sed ab Adam deriuatam secundùm rationem seminalem.

¶ Sed contrà dices; quòd, si quæ diximus vera sunt, sequitur cùm rationalis anima inficiatur ex coniunctione ad carnem infectam, caroque tota est infecta, siquidem ab Adam est deriuata: ergo ex quacunque carne formetur homo, originali culpæ erit obnoxius. Sed hoc nihil officit ad propositum: possumus namque carnis nomine intelligere quatuor: primum, paternum corpus, de cuius substantia homo generatur: secundũ, semen ab ipso deriuatum: tertium, carnem vt est pars prolis ex coniunctione ad animam: quartum, carnem quæ in prole perseuerat. Caro quæ perseuerat in prole, inficit animam medio consensu, dum concupiscit aduersus spiritũ. Illa verò caro quæ est pars prolis ex coniunctione ad animam, inficit animam quando ipsi coniungitur virtute seminis: ideoq; semẽ propriùs, & veriùs inficit animam: caro enim inficit ratione seminis. Et eadem ratione paternum corpus inficit animam; nam saltem mediatè generat filium Adæ. Et per hoc diluitur argumentum.

Not. 1.

Not. 2.

Aug. li. 10. de Genes. à c. 19. vsq; ad 21.

D. Thom. Not. 3.

Obiectio.

Solutio.

ARTIC. QVINTVS.

¶ Vtrùm si Adam non peccasset, Eua peccante, filij originale peccatum contraherent.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio est negatiua. Cuius rei demõstratio ex prædictis manifestè colligitur: dictum enim fuit, quòd traducitur peccatum originale à primo parente prout ipse mouet ad generationem natorum. Vnde si aliquis materialiter tantùm ex carne humana generaretur, non contraheret peccatum originale. Cùm itaque secundùm doctrinam Philosophi actiuũ principium in generatione sit à patre, mater autem ministret solã materiam; tale peccatum non cõtraheretur à matre, sed à patre. Idcirco si Adam non peccasset, Eua verò peccasset, filij peccatum originale non contraxissent; nec fuisset defectus originalis iustitiæ, nec passibilitas, vel moriendi necessitas.

Conclusio.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Examinatur cõclusio articuli.

Contra conclusionem propositã sunt aliquot argumenta. Primò, Eccles. 25. dicitur, A muliere initium peccati, & per eam omnes moriuntur: ergo

Argu. prim. Eccles. 25.

go Eua peccante originale peccatum contrahe remus. Præterea, Ambrosius, Hieronymus super illud Roman. 5. Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum &c. intelligunt non Adam, sed Euam quæ prior peccauit: ergo illa peccante, peccatum transijsset in posteros. Ampliùs, peccatum primum fuit inobedientiæ primi mandati: at primum illud mandatum fuit positum & viro, & fœminæ: ergo peccatũ Euæ, eiusque inobedientia etiam transijsset in posteros. Adhæc, Eua per suum peccatum, antequã Adam consensisset, amisit iustitiam originalem, vt patet: ergo transmisisset naturam iustitia originali destitutam in posteros. ¶ Ad primum respondetur, illum locum esse intelligendum per occasionem; id est, mulier dedit occasionem vt maritus peccaret, & genus humanum commacularet. ¶ Ad secundum dicitur, commentariũ legitimum, & catholicum illius loci esse, quòd intelligatur de Adam, & non Eua. Quòd si de Eua intelligatur, intelligendum est, peccatum ipsius transijsse in posteros occasionaliter, peccatum verò Adæ propagatione. ¶ Ad tertium dicendum, illud præceptum viro fuisse impositũ, & etiam fœminæ; sed viro vt capiti naturæ vniuersæ, à quo omne bonum, & malum nostrum erat deriuandum. ¶ Ad quartum dico, Euam statim ac peccauit non amisisse originis iustitiã: vnde non statim sensit rebellem sensualitatem. Ordinatione namque diuina factum est, quòd iustitia originalis non perderetur ex omni parte, quoadusque vir, qui erat caput naturæ, consentiret. Vel dico, quòd confestim Eua iustitiã amisit originalem, quatenus erat beneficiũ huius personæ, sed non continuò sensit rebellem sensualitatem, eò quòd sensualitas ad breue tẽpus contineri potest in officio; sicut rami, abscisa radice, per breue tempus viriditatem conseruant. Sed hic cauendus est quidam error cuiusdam stulti concionatoris, qui asseruit Euam solùm peccasse venialiter. Hic error est hæreticus, & contra diuinam scripturam; quia Genesôs 3. narratur Euæ peccatum tanquàm grauissimũ, & grauissimo supplicio punitum. De quo vide D. Thom. infrà quæstione 89. art. 3. & Caieta. 1. p. q. 95. ar. 1. ¶ Est aliud dubium; Vtrùm si Cain peccasset, primo parente non peccante, filij eius in peccato nascerentur? Videtur quòd sic. Nam Cain per illud peccatum primum amisisset iustitiam originalem: ergo trãsfudisset in prolem naturam vitiatam, iustitiaque originali destitutã. In oppositum est, quia autor definijt articu. 2. quòd solùm primi parentis peccatum trãsijt in posteros, cætera verò minimè; quia personalia erant. Ad hoc posset quis facilè dicere, quòd si primus homo post tentationem in officio perseueraſſet, confestim confirmatus fuisset in gratia, quo beneficio omnis propago potiretur. Ista tamen sententia inanis est, & friuola, vt dicit D. Thom. 1. p. q. 100. arti. 2. Scot. 2. d. 30. q. 1. ait duo: alterum est, quòd de facto solùm primum peccatum primi parẽtis traductũ est in posteros: alterum est, quòd facta hypothesi filij Cain in originali peccato nascerentur. Cui sententiæ videtur adstipulari autor de malo, q. 5. ar. 4. adv ltim. & Cõradus ar. 2. huius quæstionis. Ego verò dico, quòd cùm de hoc peccato nihil constet nisi ex sancta scriptura, quæ de alio casu nihil loquitur, non possumus exactè discernere quid in tali euentu sit tenendum. Verosimilius tamen videtur, quòd non contraherent peccatum originale: quoniam Adam susceperit originalem iustitiam pro se, & suis posteris: ergo si ipse non peccauisset, in suos posteros eam transfudisset. Præterea, pactum de iustitia originali in propaginẽ transfundenda, tantùm pepigit Deus cum primo parente: ergo si ille nõ fuisset præuaricatus mandatum, posteri in iustitia nascerentur. Hinc sequitur, quòd in illo casu peccatores generarẽt iustos, sicuti & modò iusti baptizati generant peccatores. Ad argumentum dico, quòd Cain amisisset iustitiam originalem, vt erat donum personæ, quam filij eius accepturi erant, quia erant filij Adæ. ¶ Dubium aliud est; vtrùm si primi parentes conuenirent ante peccatum carnaliter, filij geniti peccatum contraherent originale? Videtur quòd sic: quia, vt ait autor 1. p. q. 100. artic. 1. filij parentibus assimilarentur in iustitia originali: at parentes non haberent iustitiam originalem: ergo nec filij. ¶ Ampliùs, primus parẽs accepit originalem iustitiam pro se, suisque posteris: si ergo ille illam amitteret, & omnes amitterent. Ad hæc, si filij, peccantibus primis parentibus, iustitiam originalem haberent, eam in suos posteros transfunderent: quod tamen falsum est: iustitia namque originalis per solum primum parentem in posteros erat deriuanda. ¶ Vlteriùs arguitur exemplo serui quem dominus hæredem constituit amplissimæ substantiæ cum omni sua posteritate, ita tamen quòd persisteret in gratia domini sui: tunc si iste peccaret, etiam ipse, & omnes eius posteri iam nati, essent domino inuisi: ergo idipsum in nostro casu. ¶ Ad hoc dico primò, cùm de hac re scriptura nihil loquatur, non possumus nisi coniecturis agere. Dico secundò, filij adulti peccantibus primis parentibus postea non contraherent peccatum: nam ij erant in gratia, & habentes propositum seruandi mandata Dei: ergo peccato obnoxij non erant. Præterea, erant amici Dei: ergo nõ erant in peccato originali: nisi dicas quòd ab homine adulto, & inuito auferatur Dei amicitia. Dico tertiò, pueri ante vsum rationis postea peccantibus primis parentibus non contraherent pecca-

Secundum. Ambros. Hieron.

Tertium.

Quartum.

Ad primũ.

Ad secundũ

Ad tertium

Ad quartũ.

Error cuiusdam. Gen. 3.

D. Thom. Argum. quod sic. Vtrùm si Cain peccasset, filij eius peccatores essent.

D. Thom. Scot.

D. Thom. Conrad. Solutio auctoris.

Ad argum.

Prim. arg. Vtrũ si ante peccatũ Adã genuisset, si lij eius contraxissent peccatum.

Secundum.

Tertium.

Quartum.

Solutio quæstionis.

peccatum originale; quia ij iam non dependent à parente primo, quantùm ad esse. Præterea fides docet, quòd peccatum originale transit in posteros per actiuam generationem: ij verò iam erant geniti: ergo. Dico quartò, post congressum sufficientem ad generationem peccantibus primis parentibus ante infusionem animæ, pueri non contraherent peccatum originale, vt patet ex dictis. Vltimò dico, probabile valde esse quòd filij iam nati originalem iustitiam amitterent; non vt donum personæ, sed naturæ. Hac de causa non generarent filios iustos, & in originali iustitia constitutos: hoc probant argumenta adducta, præcipuè secundum, & tertium.

Ad argum. ¶ Ad primum dico, quòd filij in iustitia originali parentibus assimilarentur, si permansissent in iustitia, & sanctitate. ¶ Ad secundum & tertium ex modò dictis patet solutio. ¶ Ad quartum dicendum, non esse omnimodam similitudinē: Deus namque neminem odio prosequitur, si modò bonus, iustusque sit: atqui in nostræ disceptationis casu, filij iā nati, iusti, & sancti erant. Et hæc de hac quæstione dicta sufficiant.

QVAESTIO LXXXII.

De essentia peccati originalis, in quatuor articulos diuisa.

ARTIC. PRIMVS.

¶ *Vtrùm peccatum originale sit habitus.*

SVMMA TEXTVS.

Prim. cõcl. PRima conclusio. Si habitus accipiatur pro firma dispositione qua inclinatur potentia ad agẽdum, sicut scientiæ, & virtutes dicuntur habitus, hoc modo originale peccatum non est habitus. Hæc conclusio simul cum sequenti probabitur. ¶ Secunda conclusio. Si habitus accipiatur pro dispositione alicuius naturæ compositæ ex multis, secundùm quam bene vel malè se habet ad actum, maximè si talis dispositio sit in naturam versa; vt patet de ægritudine, & salute; sic peccatū originale est habitus; quia est inordinata quædam dispositio proueniens ex dissolutione illius harmoniæ, in qua consistebat ratio originalis iustitiæ; sicut etiam ægritudo corporalis est quædā inordinata dispositio corporis secūdùm quā soluitur æqualitas in qua consistit ratio sanitatis. Quare peccatū originale, languor naturę dicitur. ¶ Tertia conclusio in solutione primi. Peccatum originale non est pura priuatio, sed quidam habitus corruptus. Namque sicut corporis ægritudo habet aliquid de priuatione, quatenus tollit sanitatis æqualitatem; & aliquid etiam habet positiuè, vtpotè humores ipsos inordinatè dispositos; sic peccatum originale habet priuationem originalis iustitiæ, & cum ea inordinatam dispositionem partium animæ. Quare non est priuatio pura, sed habitus corruptus dicitur. Tert. cõcl.

¶ Quarta conclusio in solutione vltimi. Peccatum originale nõ est habitus acquisitus, nec infusus, sed per vitiatam originem innatus; vnde & origine traducitur. Quar. cõcl.

EXPLICATIO ARTICVLI.

TErtia consideratio de peccato originali est inuestigare quid sit: quod cuique est difficillimum ad explicandū. Et quidem essentia peccati actualis planissima est: nam (vt ait Augustinus) est dictum, vel factum, vel concupitum cõtra legem Dei: & vt ait Ambrosius, est inobedientia cœlestium mandatorum. Itaque est deuiatio, & obliquitas, ac deflexio à regula rationis; veluti Adā transgressus lineam diuini præcepti, peccauit comedendo de ligno vetito: at verò infans qui nondum est rationis compos, quomodò potest ad normam legis agere, vel ab ea deuiare? quomodò ex peccato primi parentis ratio culpæ naturæ est impressa? In huius explicatione, vt certiori methodo procedam, primò dicam, quid

Augusti. Ambros.

non

non sit peccatum originale, deinde eius veram definitionem. Sit ergo prima conclusio.

Prim. cõcl. Peccatum originale nõ fuit peccatũ luxuriæ.

¶ Peccatum illud originale, quod origine contrahitur, non fuit peccatum luxuriæ, vt Cornelius Agrippa hæreticè docuit in quodam opusculo de peccato originali. Et quidem primò patet hoc ex sententia omnium sanctorum, vno consensu definientium, illud peccatum fuisse inobedientiæ, & esum ligni vetiti. Patet etiam

Gen. 3. ex illo Genes. 3. vbi modus tentationis, & peccati enarratur, dicitúrque fuisse esum ligni vetiti scientiæ boni, & mali. Item, hæresis est affirmare, congressum carnalem inter primos parentes fuisse peccatum, quando eis dixit Deus. Cre-

Secũd. cõcl. Peccatũ originale non est concupiscentia animæ. scite, & multiplicamini. ¶ Secunda conclusio. Peccatum originale non est animæ concupiscẽtia qua homo ad appetendum inclinatur contra rationem; hoc est, non est morbida qualitas animæ inhærens, sicut docuit Gabr. 2. d. 30. q. 2. & Arimin. q. 1. & Magister inibi. Dicunt ij Doctores, originale peccatum esse qualitatem noxiam animæ inhærentẽ. Hocque probant autoritate

Aug. li. 1. de nuptijs c. 25 Augustin. dicentis, quòd hæc concupiscentia non substantialiter manet, sed est affectio malæ qualitatis, sicut languor. Præterea, ratione sic probant: quia hæc macula non fuit in primo parente ante peccatum, nec fuit in Christo; aliàs habuisset peccatum originale. Est ergo aliquid naturæ superadditum: ergo qualitas. Vlteriùs dicunt, hanc qualitatem animæ inhærere, non carni; & hoc probant primo ex

Aug. libr. 5. cõtra Iulia. c. 9. & 11. Augustin. asserente: quòd anima in carne, veluti in vase vitiato corrũpitur. Secũdò, ratione: nã hęc qualitas non cõcreatur à Deo, neq; habetur per actus proprios, & non est in corpore; quia sola anima est subiectum peccati. Tertiò dicunt, quòd hæc qualitas causatur ex morbida qualitate, quam ex libidinosa concupiscentia coeuntium caro prolis cõtrahit ex ipsa conceptione. Hoc probant ex Ma-

Mag. sentẽ. Ambro. Glos. Ro. 7. gistro 2. d. 30. & Ambros. & glossa & Augustin. Quartò dicunt, quòd ista morbida qualitas contracta est in carne primorum parentum ex afflatu venenosi serpentis, qui tentauit illos, & perseuerauit in eis, permanetq; in suis posteris. Neq; id est mirãdum, ait Ariminẽsis quia ex sibilo serpentis aliquos interijsse compertum est. Sic ergo qualitas ista in semine est, & à semine producitur in carne generata; cui cum infunditur anima, ex morbida illa qualitate corporea causatur in anima qualitas noxia; quæ sola, & essentialiter est peccatum originale. Hanc sententiam, dicit secunda conclusio falsissimam esse, multaq; absurda continere. Primum est, quòd peccatum primi parentis affixerit carni qualitatem quandam morbidam, quæ sine ratione, & autoritate asseritur. Secundum, quòd caro iam infecta aduenienti animæ inferat qualitatem quandã spiritualẽ: hoc enim absurdissimè dicitur: nam qualitas in carne existens corporea est: ergo nequit efficere qualitatem spiritualem. Tertium, quòd primum peccatum primi hominis ingenerauerit in animas omnium hominum qualitatem quandam spiritalem: namque edere de ligno vetito de se non habebat talem efficaciam, aliàs ex similibus actibus consimilis qualitas semper generaretur. Dicere verò quòd Deus illi peccato talem efficaciam tribuerit, maior absurditas est. Vltimò ista hęc sententia, qua facilitate dicitur eadem & confutatur; vt puta quæ nullum in sancta scriptura fundamentum habet; imò nec in sanctis Patribus. Sed neque Augustin. vnquã somniauit quòd animę concupiscentia sit peccatum originale, sed ipse semper loquitur de concupiscentia carnis, vt mox videbimus. Quando verò ait Augustin. hanc concupiscentiam non manere substantialiter, sed esse malæ qualitatis affectionem; loquitur contra Manichæos, dicentes peccatum, & malum, esse substantiam quandã malam, à malo Deo creatam. Quod verò ait, quòd anima rationalis in carne, veluti in vase vitiato corrumpitur; significat non contrahere peccatum originale, quia migrat de corpore in corpus, prout Pythagorici volebant. Nec verò quia traducitur de semine infecto; quia anima non traducitur, sed creatur, & venit de foris. Itaque contrahit peccatum originale, quia infunditur in carne ab Adam seminata. Contrahere enim peccatum originale homines, non est aliud, quã esse filios Adæ per generationem actiuam, vt diximus. ¶ Tertia conclusio. Peccatum originale

Tert. cõclu. Peccatũ originale non est concupiscentia carnis. non est concupiscentia carnis, quam dicimus fomitem, de qua dicit Paul. Caro concupiscit aduersus spiritum. Et probatur: quia hæc concupiscentia est nobis naturalis; De substãtia enim hominis est, quòd componatur ex anima, & corpore, & ex appetitu intellectiuo, & sensitiuo, qui est concupiscentia carnis. Præterea, ista concupiscentia manet in homine condito in puris naturalibus, & permanet secundùm fidem in homine baptizato, in quo aboletur peccatum, & quicquid habet rationem culpæ; dicente Paul. Nihil

Rom. 8. damnationis est ijs, qui sunt in Christo Iesu, & id definitur in Concil. Trid. Vltimò, quòd hæc cõ-

Cõci. Trid. Sess. 5. can. 5. cupiscentia sit effrænis, & cõtradicat rationi, est effectus peccati originalis: non ergo est ipsum peccatum. Antecedens probatur; quia ex peccato Adæ exclusi fumus à regno cœlorum, incidi musque in miserias huius vitæ, ruptumq; est vinculum originalis iustitiæ, quod concupiscentiã in officio detinebat. Sicut ergo exclusio à regno cœlorum, aliæque miseriæ sunt peccati originalis effectus, non verò ipsum peccatum: ita cõcupiscentia erit effectus ipsius. Et cõfirmatur: quia peccatum originale fuit primum peccatum pri-

mi parentis, quòd origine nos contrahimus: sed in Adam concupiscentia carnis non fuit peccatum: ergo neque in nobis. ¶ Contra hanc conclusionem inuehuntur Lutherani, dicuntque quòd negare carnis concupiscentiam esse peccatum, est negare Christum, & Paul. qui ait, quòd concupiscentiam nesciebat, nisi lex diceret, Nõ concupisces: ergo concupiscentia verè peccatũ est lege diuina interdictum: & Rom. 6. Non regnet peccatum in vestro mortali corpore: expli cantibus omnibus sanctis; non regnet concupiscentia: & Rom. 7. Iam nõ operor ego illud, sed quod habitat in me peccatum; vbi appellat concupiscentiam, peccatum habitans in carne. Et inibi appellat legem membrorum repugnantẽ legi mentis nostræ. Adducunt etiam in suum patrocinium, D. Augustinum qui in multis locis suorũ operum appellat concupiscentiam istam peccatum esse. Adducunt similiter D. Tho. q. præcedenti ar. 3. ad 2. vbi ait ex Aug. quòd peccatum in baptismo remittitur quoad reatum, sed manet actu; & (vt vtar verbis D. Th.) transit reatu, sed manet actu: ergo peccatũ originale in actu manet in puero recenter baptizato; quod nihil aliud est quàm carnis concupiscentia. Amplius, concupiscentia carnis quæ spiritui contradicit, legique mentis nostræ repugnat, improba est; si quidem ad peccatum solicitat: at non est mala, malitia actuali: ergo malitia originali. Ad hæc, materiale peccati, verum peccatum est, vt patet in furto, & percussione; sed concupiscentia (secũdùm Aug. & D. Tho.) est materiale in peccato originali: ergo verum peccatum est. ¶ Ad hęc argumenta respondet Roffens. ar. 2. contra Luthe ranos, nos verò breuiùs agemus. Vnde ad primum respondetur ex Concil. Trid. quòd quando Pau. concupiscentiam appellat peccatum, declarat sancta synodus, Ecclesiam nunquã intellexisse appellare peccatũ, quòd verè, & propriè in renatis sit peccatum, sed quòd sit ex peccato, & quòd inclinat ad peccatum. Certè Apost. nũcupat Christum peccatum, quem vocare propriè peccatum, impium dogma est. Vltimò dico, asserere quòd in illo præcepto; Non cõcupisces; interdicatur naturalis cõcupiscentia nobis, summa amentia est: interdicitur ergo ibi motus sensualitatis voluntarius, cui voluntas consentit. Itaq; idem est dicere; Non concupisces; &, Post concupiscentias non ibis; vt habetur Eccles. 18. &. Non regnet peccatum in vestro mortali corpore ad Rom. 6. Vide aliam explicationem huius præcepti pulcherrimam apud Aug. ¶ Ad secundum dico, esse impudentissimum allegare Aug. in suum errorem, qui se præclarè exposuit, quo in sensu dixerit concupiscentiam esse peccatum in locis allegatis; & in libr. 1. contra duas epistolas Pelag. c. 13. & li. 1. de nuptijs c. 23. & alibi sæpe dicit; concupiscentiam esse peccatum, quia de peccato est, & ad peccatũ inclinat. ¶ Ad tertium dico, quòd nusquam Aug. asseruit peccatum originale in baptismate manere actu, sed tantùm dicit, quòd concupiscentia in baptismo transit reatu, hoc est, non imputatur ad peccatum, neque habet aliquid damnationis annexũ: manet tamen actu ad pugnam. Quòdque is sit Aug. animus, vel ex ipso lib. 1. contra duas epist. Pelagiano. c. 13. & lib. 6. contra Iulia. c. 5. & 8. cõpertum est. Et si nonnunquam in ipso legatur, aut etiam in D. Tho. originale peccatum in baptismo trãsire reatu, & manere actu, loquuntur de peccato per figuram impropriè; qua forma locutionis, vt Augustinus ait, scripturam manum, & locutionem, linguam appellamus. ¶ Ad quartũ dicẽdum, quòd appetitus sensitiuus, qui est carnis cõcupiscentia, suapte natura ad sensibile bonum inclinat, quod de se bonum est; accidentariè tamen contra rationis bonum inclinat. Vel dico, hunc appetitum de sua natura inclinari vt rationi obediat at ex nostro abusu, & ex volũtatis consensu tendit in malum nostrum de quo dixi suprà q. 77. & ad finem huius specialis erit quæstio. ¶ Ad vltimum dicitur, aliter concupiscentiam esse materiale in peccato originali, aliterq; actionẽ in peccato actuali: nam actio rectę rationi difformis est, estque deformitatis subiectum: concupiscentia non se habet hoc modo; non enim originalis peccati formale in concupiscentia est, sed in essentia animæ cui originalis iustitia inhærebat: sed cõcupiscentia dicitur materiale istius peccati, ex eo quòd formale huius peccati est auersio à Deo, & superioris rationis deordinatio, ex qua inferiorum virium deordinatio, veluti materialis effectus consecuta est. ¶ Quarta conclusio sit. Originale peccatum nõ est amor terrenorum; si enim amor hic actum amandi significat, est peccatum actuale, & non originale: si verò significat potentiam ad sensibilia propensam, & terrena, in idem redit; sicut dicere quòd est carnis concupiscentia, vt reprobauimus suprà. ¶ Quinta conclusio. Peccatum originale non est iustitię originalis priuatio, in quo plurimi falluntur: nam priuatio originalis iustitiæ in Adam non fuit peccatum, sed peccati effectus: ergo nec in nobis. Præterea in pueris baptizatis non remanet peccatum originale, vt habet orthodoxa fides; tamen in eis manet priuatio originalis iustitię. Vltimò, Deus effectiuè abstulit originalem iustitiam, eaq; voluit homines priuare: ergo huiusmodi priuatio peccatũ non est: alioqui Deus fuisset causa peccati, voluissetq; peccatum. ¶ Sexta conclusio. Peccatum originale non est primum peccatũ actuale Adæ, à quo homines extrinseca denominatione peccatores dicimur, sed vnumquodq; hęret singulis formaliter.

Lutheri hæresis. Argu. prim. Rom. 7.

Rom. 6.

Rom. 7.

Secundum. Aug. li. 1. de peccatorũ merit. c. 16. & li. 2. ca. 4. li. 1. de nuptijs c. 25. & li. 5. contra Iulia. c. 3. li. 1. Retra. ca. 15.

Tertium. D. Thom.

Quartum.

Quintum.

Ad primũ. Roffensis argumenta dissoluit.

Cõci. Trid. sess. 5. can. 5

1. Cor. 5.

Rom. 6. Aug. epist. 200. & li. de perfectiõe iustitiæ ad fin. & lib. 1. de nuptijs c. 29.

Ad secundũ

Ad tertium

Ad quartũ. Appetitus sensitiui inclinatio.

Ad vltimũ.

Quar. cõcl. Peccatum originale nõ est amor terrenorũ.

Quin. cõcl. Nõ est priuatio originalis iustitiæ.

Sexta cõcl. Peccatũ originale non est primum peccatum Adæ, formaliter.

liter. Vbi non est prętereundum, quod Pyghius annotauit, nempe originale peccatum fuisse illud primum peccatū eius ligni vetiti, à quo omnes denominatione extrinseca peccatores nuncupamur, vtpotè qui in primo parente, sicut membra corporis eramus. Dicitque hoc peccatum verè in nobis esse peccatum, quod in baptismate condonatur. Probat suam sententiam ex illo; Per vnum hominem peccatum introiuit in mundū &c. in quo omnes peccauerunt: in quo, scilicet delicto: ergo omnes illud peccatum peccauimus, & non singuli singula habemus. Item, ibi dicit Pau. Iudicium ex vno, scilicet delicto, in condemnationem: & iterum, Per vnius inobedientiam peccatores constituti sunt multi. Prætereà adducit Aug. dicentē, manifestum est esse alia cuiq; propria peccata, in quibus solū peccant ij quorum sunt peccata; aliud illud peccatū in quo omnes peccauerūt. & iterum dicit, quòd peccatum illud magnum, in loco tantæ felicitatis commissum, omnes reddidit peccatores. Cō firmatq; ratione ista omnia. Nam si hoc pacto dicatur, facilè est intelligere quid sit peccatum originale: sin verò alio modo, est omnino inintelligibile. Sed (quod bona venia grauissimi viri dixerim) fallitur multum; quia etsi Aug. imò & Pau. asserant primum illud peccatum transijsse in omnes posteros, sensus tamen catholicus est, quòd illud fuit radix, & causa meritoria ob quā iræ filij nascimur, contrahimusq; originale crimen, vnusquisque tamen propriū. Nam sicut fides docet omnes iustos iustificari per Christi iustitiam, de quo dicit Pau. Factus est nobis iustitia, sanctificatio, & redemptio; eademque fides docet, quemlibet iustum habere iustitiam sibi inhærentem à Christo deriuatam: ita in proposito sentire oportet. Etenim fides docet, primū peccatum illud in omnem propaginem pertransijsse: eadem tamen fides docet, quòd singuli singula peccata habemus ab illo peccato deriuata. Confirmaturque ex illo; Ecce in iniquitatibus conceptus sum. &, Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? & rursus: Nemo mundus à sorde, nec infans vnius diei. Vnde colligitur, singulos habere sordem, & maculam sibi inhærentem. Confirmatur secundò ex baptismate infantum, qui in ipso verè abluuntur, & verè eis remittitur peccatum quod in se habent. Prætereà in Concilio Trident. dicitur, originale peccatum, quod origine vnum est, & in omnes transfusum, omnibus inesse vnicuique proprium: & iterum dicitur, omnes nos originale peccatum contrahere. Nota illud verbū; contrahere, significat enim quod in nobis persistat, atque permaneat. Certè verissimum est vniuersa orbis loca ab vno Sole illuminari; vbique enim suum diffundit lumen; sic & verissimè asseritur, primum illud peccatum omnes reddidisse peccatores; quia ab eo in omnem propaginem deriuatum est. Hactenus dissertū est quid non sit peccatum originale: modò verò quid illud sit, est differendū. Sit ergo prima conclusio. ¶ Peccatum originale, si rem de nomine consideres, est illud primum peccatum in nos à primo parente origine transfusum. Hæc vel ex ipso nomine manifesta est: imò & Paul. in omnes, ait, illud peccatum transijsse. ¶ Secū da conclusio. Id quod in Adam habuit rationem culpæ & peccati, in nos origine trāsfusum, est peccatum originale: illud verò quod fuit effectus peccati in Adam, etiam in nobis est effectus peccati. Ista conclusio ex præcedenti patet. ¶ Tertia conclusio. Inobedientia illa, & transgressio legis primi parentis, in nos origine transfusa, est peccatum originale. Hæc ex secunda cōclusione patet. Itaque sicut iustitia nostra non est nisi participatio iustitiæ quæ est in Christo: ita peccatum originale nobis inhærens non est aliud quàm participatio quædam illius inobedientiæ primæ. Ex quo sequitur, quòd si quis dixerit non alio reatu nos teneri, esseque maculatos, quàm reatu primæ inobedientiæ, nihil dicit improbabile; dummodò admittat, quòd sicut naturam à primo parente participamus, ita & maculam ab illo deriuatam habemus. ¶ Quarta cōclusio. Peccatum originale est obliquitas, ac deuiatio à lege, & rectitudine debita inesse nostræ naturæ, per modum habitus affixa; sicut transacto actu peccati in Adamo mansit. Probatur: quia in ipso hæc fuit ratio culpæ. ¶ Quinta conclusio. Peccatum originale est priuatio ordinis, & subiectionis quam mens nostra erga Deum habebat in statu originalis iustitiæ. Itaque voluntatem nostram esse auersam à Deo, minimeque subiectam à natiuitate, est cōtrahere peccatum originale. ¶ Sexta conclusio. Peccatum originale est priuatio originalis iustitię, pro formali. Vbi animaduertendū est cū D. Th. 1. p. q. 95. art. 1. quòd in iustitia originali tria inueniuntur: Primum, donum ipsum; & huius priuationem non esse peccatum originale, dictū fuit. Secundū, subiectio mentis ad Deum; Tertium, rectitudo virium inferiorum ad rationē, & corporis ad animā. Prima rectitudo erat quasi formalis, & primaria: secunda verò quasi materialis, quæ ex priori deriuabatur. Priuatio ergo primæ rectitudinis, & subiectionis ad Deū, non est effectus peccati in Adam, sed ratio formalis ipsius. Priuatio verò aliarum rectitudinum fuit in Adam peccati effectus, idemq; prorsus in nobis; ob idq; autor 2. d. 32. q. 1. ar. 1. ad primū dicit, quòd in baptismate restituitur nobis iustitia originalis, quoad formale; id est, quantum ad subiectionem animæ ad Deum. Atqui contra hanc

Pyghius li. 1. cōtrouer.

Rom. 5.

Aug. li. 1. de peccatorū merit. c. 10.

In Enchiri. c. 48.

Impugnatur Pyghius

1. Cor. 1.

Cōcl. Trid. sess. 5. can. 3

Cano. 4.

Prim. cōcl. Quidnā sit originale peccatum. Rom. 5.

Secū. cōcl.

Tert. cōcl.

Quar. cōcl.

Quin. cōcl.

Sexta cōcl.

D. Thom. In iustitia originali tria inueniuntur.

D. Thom.

Obiectio. definitionem sunt optima argumenta. ¶ Primò ergo arguitur. Suprà diximus peccatum esse aliquid positiuum, & non priuatiuum: ergo originale peccatum non est priuatio originalis iustitiæ. Solutio. Responsio tamen in promptu est, peccatum originale transgressione esse primi hominis in nos origine transfusam, cui annectitur priuatio subiectionis ad Deum, & hanc priuationē à ratione peccati non esse alienam, superiùs ostēdimus. Vel dico, maximè differre inter peccatū originale, & peccatum actuale: peccatum enim actuale semper aliquid positiuum est, sed originale priuatio est. Differt inter originale peccatū & actuale. Ratio discriminis est: quia peccatum originale est illud quod remanet naturæ nostræ affixum per modum habitus, transacto actu peccati: illud autem quod remanet in homine, transacto actu peccati, priuatio rectitudinis est. Tertiò dico, quòd peccatum originale non est pura priuatio, vt statim videbimus.

Secū. obie. ¶ Secundò arguitur. Peccatū originale, est peccatum primi parentis in nos origine trāsfusum: at peccatum Adæ essentialiter fuit cōuersio ad commutabile bonum, & non priuatio: ergo. Et confirmatur: nam in omni peccato est cōuersio ad bonū commutabile, & auersio à bono incōmutabili: ergo peccatum originale est cōuersio ad bonum commutabile, ex qua peccatum originale speciem sortitur. Hoc argumentum validum videtur, sed soluitur vt primum.

Ter. obiec. ¶ Tertio sic. In pueris post baptismā non remanet originale peccatum, manet tamen priuatio originalis iustitiæ: ergo peccatum originale non est priuatio iustitiæ originalis. Respōdetur, in infantibus manere priuationem doni originalis iustitiæ, nō tamen rectitudinis subiectionisque animæ ad Deum.

Quarta. ¶ Quartò arguitur. In homine qui post baptismum peccauit, in quo non manet peccatū originale, manet tamen priuatio rectitudinis ad Deū. Dicendum nihilominus quòd peccatū originale est priuatio rectitudinis, & subiectionis ad Deum, videlicet eius quæ per originē in posteros deriuanda erat.

Quinta. ¶ Quintò. Peccatum originale non est priuatio doni iustitiæ originalis: nam huiusmodi priuatio est effectus peccati originalis: sed ex hac priuatione subsequuta fuit priuatio subiectionis animæ ad Deum: ergo ista priuatio multò magis est effectus peccati originalis, & non ipsum peccatum originale. Respōdetur ad hoc, quòd perinde ac contritio in genere causæ materialis est prior ordine naturæ quàm gratia, sed in genere causæ formalis posterior: sic subiectio animæ in Adam in genere causæ materialis fuit prior natura, quàm iustitia originalis; quia iustitia hæc data fuit primo parenti per propriam dispositionem liberi arbitrij,

D. Thom. vt tradidit Diuus Thomas 1. parte, quæstione 95. articulo 1. in genere verò causæ formalis posterior est quàm iustitia originalis: sic priuatio subiectionis animæ ad Deum in genere causæ materialis prior fuit quàm priuatio iustitiæ originalis; attamen in genere causæ formalis & efficientis, è diuerso.

Vltim. ¶ Vltimò sic. Peccatum originale illud est, quod à primo parente originē accepimus; nos verò ab illo peccati actum non accepimus; sed nec priuationem quæ ad actum illum subsequuta fuit: ergo non contrahimus peccatum originale. Respondeo, quòd nos ab Adam non accepimus actum peccati, sed originalis iustitię priuationem, non eandem numero, sed specie; veluti qui iustificantur in Christo, ab ipso accipiunt iustitiam non eandem numero, sed specie, & aliam deriuatam, & participatam à Christo.

Septi. cōcl. Peccatū originale non est pura priuatio. ¶ Conclusio septima. Peccatum originale non est pura priuatio. Hanc docet autor hīc ad primum. Ratio est: nam peccatum originale, præter priuationem iustitiæ, dicit concupiscentiam rationi dissonam, potentiarumque discordiam, tanquam fundamentum, & defectum sine quo peccatum originale non consistit; quam potentiarum discordiam vocant Theologi materiale in peccato originali. Vnde subinfertur primò, in bono sensu posse concedi, peccatum originale esse concupiscentiam, & potentiarum discordiam; sicut concedit Augustinus, Magister, aliique Doctores: nomen enim aliquando capitur pro materiali, vt cùm dicitur: Ira est accēsio sanguinis ad cor; cùm tamen formaliter sit appetitio vindictæ. Solent etiam concedere D. Tho. & Augustinus quòd beatitudo fruitio sit, & aliqui concedunt, quòd gratia est acceptatio ad gloriam. Nec est nouum, quòd immediatus effectus nomen sumat causæ, sicuti scripturam manum, & locutionem linguam dicere solemus. Sic ergo hīc dicit Diuus Thomas peccatum originale esse habitum, non quòd sit habitus superadditus potentiæ, sed quia materiale, vt dictum fuit, est inordinatio potentiarum quę est quasi habitus quidam naturæ, veluti ægritudo. In eodem sensu docet autor articu. 3. quòd concupiscentia est materiale in peccatò originali: quod verum est ad sensum expositum, præcipuè si concupiscentia dicat totam inordinationem, tum voluntatis, tum sensitiui appetitus.

D. Augustin. cōcedit, peccatum esse concupiscētiam.

D. Thom.

Sequitur deinde, quòd concupiscentia, fomes, languor naturæ, & similia, non dicunt aliquam qualitatem, nec plures qualitates superadditas essentiæ, potentijsve naturalibus: hoc namque asserere, est sanctæ scripturæ fabulas addere. Quapropter ipsas potentias discordes dicunt, & inter sese repugnantes: hæc verò repugnantia non tantùm capitur priuatiuè, sed & contrariè, cùm potentiarum inclinatio non solùm habeat vt non subdatur rationi, sed & quòd ei cōtrarietur.

Definitio originalis peccati.

trarietur. ¶ Vt ergo viri docti nonnulli summatim vnica definitione comprehendant omnia quæ ad originale peccatum attinent, sic definiunt originale peccatum; quòd, scilicet, sit humanæ naturæ habitualis, & inordinata conuersio ad bonum commutabile, à protoparentis primo peccato deriuata. In qua definitione primò ponitur, quòd sit habitualis conuersio, & non quòd sit priuatio; quod enim in Adam fuit ratio peccati actualis, illud in nobis fuit ratio originalis culpæ, quæ origine in posteros tradu citur: at in Adam ratio peccati actualis fuit conuersio inordinata ad commutabile bonum: nã fuit peccatum commissionis, quod nunquam ex auersione, aut priuatione definitur, sed ex conuersione ad aliquod obiectum. Et confirmatur: quia primum peccatum primi parentis est voluntarium in nobis voluntate protoparentis, quæ totius naturæ voluntas extitit: ergo prauè diffinieris, quòd sit priuatio; nam priuatio Adæ non fuit per se voluntaria, sed ratione alicuius commutabilis boni, ad quod conuerteba tur. Præterea, Diuus Thomas diligenter indagans quid esset originale peccatum, definiuit quòd sit habitus; vt ægritudo; quòdque non sit pura priuatio. Rectè ergo in eius definitione non statuitur; quòd sit priuatio; sed quòd sit habitualis, inordinataque conuersio. Quia tamen commune est alijs omnibus peccatis, vt postquam actus ipse pertransijt, maneat homo habi tualiter conuersus ad bonum commutabile, ideò est necessum aliquid in definitione peccati originalis astruere, per quod à reliquis peccatis seiungatur; ob idque dicitur in eius definitione; quòd sit peccatum humanæ naturæ; non quòd humana natura peccarit, sed quòd sit ipsius subiectum, prout ex peccato actuali Adæ ipsa infecta fuit, atque inordinatè conuersa ad bonum commutabile. In quo differt peccatum originale à conuersione habituali, quæ ex quouis alio peccato actuali mortali relinquitur.

Probatur prædictã definitionẽ esse bonã.

¶ Sed contra istam definitionem sunt validissima argumenta, quæ conuincunt illam maximam præ se ferre falsitatem. Primò quidem ista sententia statuit, quòd originale peccatum sit amor, & terrenorum inordinatus affectus; quæ sententia ab omnibus sacris Theologis reproba tur, & condemnatur. ¶ Secundò statuit, quòd animæ nostræ potentiæ post peccatum origina le ad commutabile bonum conuersæ manent magis quàm si homo in puris naturalibus conditus esset: quod omnes Theologi detestantur, dicentes, quòd homo in puris naturalibus constitutus nihilo differt, quoad vires animæ, ab homine lapso in peccatum originale, nisi sicut homo nudus, & nudatus. Itaque, sana doctrina id attestante, vires animæ non sunt magis affectæ modò ad commutabile bonum, quàm si homo esset in puris naturalibus. ¶ Præterea, in baptismo, in quo quisque ab originali culpa abluitur, remanet concupiscentia ita propensa ad commutabile bonum, sicut priùs; quia ista hæc propẽsio ad sensilia bona naturalis est, & à natura exorta, vnde per baptismum non tollitur.

¶ Ad hæc, ad expugnandum hanc opinationẽ, statuamus duos homines, quorum alter constitutus sit in puris naturalibus, alterque in peccato originali; tunc sic, qui est in peccato originali, non est propensior ad bonum commutabile, quàm qui est in puris naturalibus; nec aliter est affectus, nec conuersus: ergo illa conuersio non est peccatum originale. ¶ Insuper, conuersio ad bonum commutabile est in voluntate, vt in subiecto, vt planum est: ergo si illud est habitualis conuersio inordinata, sequitur quòd sit in voluntate, & non in essentia animæ, cuius oppositum docet Diuus Thomas. Maneat ergo fir missimum, certumque peccati originalis forma le esse originalis iustitiæ priuationem, vt superiùs expositum dedimus.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ *Vtrùm in vno homine sint multa peccata originalia.*

SVMMA TEXTVS.

Prim. cõcl. PRima conclusio. In vno homine vnum est numero peccatum originale, & non plura.

Secũd. cõcl. ¶ Secunda conclusio. In omnibus hominibus est specie vnũ. Probat Diuus Thomas vtrãque conclusionem isthac ratione. Nam si consideratur causa peccati originalis, solùm fuit primum peccatum primi parentis in posteros per originem traductum: vnde fit, quòd peccatum originale in vno homine est numero vnum, in hominibus verò omnibus vnũ specie, & proportione in respectu ad primum principium in quo omnes peccarunt. Id euidẽtiùs proba tur ex ipsa essentia peccati originalis. In omni enim inordinata dispositione vnitas speciei consideratur

ex parte causæ; numerica autẽ ex parte subiecti; sicut in ægritudine corporali est videre; sunt etenim diuersæ speciei ægritudines, quæ ex diuersis causis procedunt, putà, ex abundantia calidi & frigidi, vel ex lesione pulmonis, aut hepatis: vna autem ægritudo secundùm speciẽ non est nisi vna numero in vno homine: Causa verò huius corruptæ dispositionis, quæ est peccatũ originale, est vna tantùm, videlicet, priuatio originalis iustitiæ per quã sublata est subiectio humanæ naturæ ad Deum; ideoque peccatum originale est vnum specie, & in vno homine non est; nisi vnum numero. ¶ Tertia conclusio. Originale peccatũ aliquando per pluralitatis modum explicatur; vel quia magnopere animæ vires inficit; vel quia multæ deformitates fuêre in peccato Adæ; vel quia omnia peccata virtualiter in peccato originali continentur; vel etiam quia sancta scriptura multoties vtitur plurali pro singulari, sicut dicitur, Defuncti sunt qui quærebant animã pueri.

Tert. cõcl.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Cõci. Trid.

PRo hoc articulo magnoperè facit Can. 4. Conci. Trid. in sess. 5. de peccato originali, vbi definitur peccatũ originale esse vnum origine, sed inesse cuiq; propriũ: cuius definitionis suprà meminimus. Ex qua definitione colligitur euidenter, sententiam Alberti Pyghij asserẽtis, peccatũ originale esse illud vnũ quod fuit in primo parẽte, à quo omnes dicũtur peccatores, esse tamen in nobis verè peccatum; esse omnino improbabilẽ, nec rectè cohærere cũ determinatione Cõcilij. Nã profectò nõ rectè cohæret, quòd sit vnicuiq; proprium, & quòd sit tantũ illud vnum quo primus parẽs peccauit. Sed & illud impossibile iudico, quòd in nobis sit verè, & propriè peccatũ, & quòd ab extrinseco denominemur peccatores. Dicendũ ergo, quòd sicut denominamur iusti à iustitia Christi; non quòd iustitia Christi sit causa formalis quare iusti simus; sed quòd à iustitia Christi omnis nostra iustitia deriuatur, & originem trahit: sic & denominamur peccatores à peccato primo primi parentis, tanquã à causa efficienti, à quo peccatũ in omnes pertrãsijt.

Albertus Pyghius.

ARTIC. TERTIVS.

¶ Vtrùm originale peccatum sit concupiscentia.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio.

CONclusio est. Peccatũ originale materialiter est cõcupiscẽtia; formaliter est priuatio originalis iustitiæ. Nã inordinatio potentiarum animæ in hoc potissimè attẽditur, quòd inordinatè cõuertuntur ad bonum cõmutabile, quæ inordinatio communi nomine concupiscentia dici potest, quæ vehementiùs mouet, & magis sentitur. Formaliter verò est originalis iustitiæ priuatio, per quam voluntas subdebatur Deo: species enim peccati originalis ex causa sumitur. Subdebatur namq; Deo per iustitiã originalẽ volũtas hominis, quę in finem mouet oẽs alias partes. Vnde ex auersione à Deo cõsequuta est inordinatio in omnibus alijs animæ viribus.

EXPLICATIO ARTICVLI.

QVomodò concupiscentia nõ sit peccatum originale, & quemadmodum sit materiale peccati originalis, in superioribus sufficienter est elucidatũ; ob quod ab huius rei explicatione supersedendum est.

ARTIC. QVARTVS.

¶ Vtrùm peccatum originale sit æqualiter in omnibus.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio.

AFfirmat conclusio. Cùm enim in peccato originali præcipuè consideretur defectus

defectus originalis iustitię, quantũ ad hoc æqualiter est in omnibus; quia totũ donũ iustitiæ originalis omnibus est sublatũ; similiter etiã omnes habẽt relationẽ ad primũ principiũ vitiatæ originis, ex quo peccatũ originale habet rationem culpæ. Vnde non potest magis esse in vno quàm in alio, sed æqualiter se habet in omnibus.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Dubiũ de veritate cõclusionis. Argu. prim.

DVbitatio est de cõclusione D. Th. an vera sit: & videtur quòd nõ. ¶ Nam quãdo causa est ęqualis, effectus est æqualis: at effectus peccati originalis nõ sunt ęquales in omnibus, vt patet in morte, & cæteris huius vitæ miserijs: ergo.

Secundum. Aug.

¶ Amplius, peccatũ originale, secundũ Aug. & autorẽ, est cõcupiscẽtia: at hæc in omnibus nõ est æqualis, cũ nõ oẽs ex ęquo sint proni ad concupiscendum.

Tertium.

¶ Ad hęc peccatũ originale est quędã animę inordinata dispositio; & veluti animæ ægritudo: sed ægritudo corporis suscipit magis, & minus.

Veritas conclusionis.

ergo & peccatũ originale. His nõ obstãtibus cõclusio articuli vera est: nã hoc peccatũ, est peccatũ naturæ; natura verò in omnibus est æqualis. Deinde, hoc peccatũ est priuatio iustitiæ originalis: sed priuatio iustitiæ originalis nõ suscipit magis & minus, sed in omnibus est ęqualis: tollit enim peccatũ originale ex omni parte donũ iustitiæ originalis. Præterea, peccato originali in omnibus debetur pœna æqualis, scilicet diuinæ visionis carentia, quę est mitissima pœna, vt ait Aug. in Enchir. c. 93. & Innocẽtius in c. maiores de baptismo, & eius effectu, Insuper, oẽs æqualiter peccauimus in Adã, quia in eo oẽs ex æquo eramus.

Aug. Innocẽtius.

Ad primũ.

¶ Ad primũ dico, quòd ęqualitas causæ per se, inducit ęqualitatẽ effectus: at verò ęqualitas causę remouẽtis prohibẽs nõ inducit ęqualẽ effectũ; vt si quis æquali impulsu duas colũnas dimoueat, nõ facit q̃ lapides superpositi ęqualiter descendant, sed velociùs descẽdit qui grauior est secundũ proprietatẽ suę naturę, cui relinquitur amoto impedimẽto: sic ergo amota iustitia originali, natura humani corporis suę naturę relicta est, ob idq; secundũ diuersitatẽ cõplexionis naturalis; quorundã corpora sunt subiecta pluribus defectibus, aliorũ verò pauciorib⁹, peccato originali ęquali existẽte. Aliã solutionẽ tribuit huic argumẽto autor. 2. 2. q. 164. a. 1. ad 4

D. Thom. Ad secundũ

¶ Ad secundũ perinde respõdetur; cõcupiscentia enim nõ est peccatũ originale, sed ipsius effectus; nõ per se, sed tanquã remouẽtis prohibẽs; peccatũ nãq; originale amouet iustitiã originalẽ, qua amota, cõcupiscentia vehemẽtiùs, vel remissiùs in sensibilia fertur, secundũ naturalẽ cuiusq; proprietatẽ & conditionẽ. Vel dico, quòd ex parte peccati oẽs sumus æquè proni ad cõcupiscẽdũ: at nõ sumus æquè proni ad cõcupiscẽdũ ex cõplexione naturali & indiuiduali. Vnde optimè potest cõcedi, q̃ peccatũ originale in oĩbus est ęquale, etiã quoad materiale; quod verissimè cõcedit autor ar. 4. ad vltimũ.

D. Thom. Ad tertium

¶ Ad tertiũ dico, nõ cõsistere similitudinẽ de ęgritudine corporali, quę nõ habet in omnibus ęqualẽ causam, licèt sit eiusdem speciei, vt febris ex cholera putrefacta maior est vel minor: peccatũ verò originale in omnibus habet æqualẽ causam. Itẽ, differẽtia est; quia peccatũ originale tollit iustitiã originalẽ ex omni parte, idcirco ist hęc priuatio nõ suscipit magis, & minùs: ęgritudo verò nõ tollit ex omni parte principium vitę, vnde & suscipit magis, & minùs. Et hęc de ista quæstione.

QVAEST. LXXXIII.

De subiecto peccati originalis, in quatuor articulos diuisa.

ARTIC. PRIMVS.

¶ Vtrùm peccatum originale magis sit in carne quàm in anima.

SVMMA TEXTVS.

Prim. cõcl.

CONclusio prima. Peccatũ originale fuit in Adã sicut in prima causa principali, secundũ illud; In quo oẽs peccauerũt.

Secũd. cõcl.

¶ Secũ. cõc. In semine corporali est veluti in causa instrumẽtaria; quia per virtutẽ actiuã seminis traducitur peccatũ originale in prolẽ simul cũ natura humana.

Tert. cõcl.

¶ Tertia cõclu. Peccatũ originale tanquã in subiecto nullo modo est in carne, sed solũ in aĩa; q̃a ex volũtate primi parẽtis peccatũ originale traducit in posteros per quandã generatiuã motionẽ, sicut à volũtate hominis deriuatur peccatũ actuale ad alias partes eius. In qua deriuatione potest attẽdi, q̃ quicquid prouenit ex motione volũtatis peccati ad quã-

cũq; partẽ hominis, quę potest esse particeps peccati, vel per modum subiecti, vel per modũ instrumẽti, habet rationẽ culpę. Sed quod deriuatur ad ea quę nõ sunt nata moueri à volũtate, vt est vis nutritiua, nõ habet rationẽ culpæ. Cũ ergo aĩa culpæ possit esse subiectũ, nõ autẽ caro, sequitur quòd quicquid prouenit de corruptione primi peccati ad animã, habeat rationẽ culpæ; quod aũt peruenit ad carnẽ, nõ habet rationẽ culpæ, sed pœnæ. Aĩa ergo est primũ subiectũ peccati originalis secundũ suã essentiã: nã per originem causatur tale peccatum.

Quar. cõcl. ¶ Quarta cõclusio in solutione ad quartũ. Nõ potest dici q; rationalis aĩa ex sua creatione inquinatur: verè tamẽ potest cõcedi, q; ex infusione in corp⁹ coinquinatur, habito respectu ad corp⁹ cui infundit, nõ ad Deũ infundentẽ; Deus siquidem peccati causa nequaquam extat.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Vtrũ in primo parẽte fuerit originale peccatum. Prim. arg. Secundum. Tertium. Dubij resolutio. Ad primum

DVbitatur primò; Vtrũ in primo parẽte fuerit peccatũ originale. Probatur quòd sic; tũ, quia in ipso fuit infectio naturæ, & priuatio originalis iustitię, & cõcupiscẽtia, quę est materiale huius peccati. Tũ secũdò, quia in eo fuit originalis iustitia: ergo & peccatũ originale: opposita enim habẽt fieri circa idẽ. Itẽ tertiò, q; a hoc peccatũ primo parẽti fuit remissum, quatenus erat personale: ergo fuit in eo. ¶ Respõdeo, dubitationẽ de solo nomine esse: sed si propriè loquẽdũ est, mihi videtur quòd nõ fuit in primo parẽte. Peccatũ enim originale est ab alio trãsfusum, & hereditariũ, cuiusmodi peccatũ primi parẽtis nõ fuit. Adhæc, peccato originali nõ debetur pœna sensus, sed dãni, vt inferiùs dicẽt, & definitur c. maiores: at verò peccatũ primi parẽtis meruit pœnã sensus: ergo propriè nõ est peccatũ originale. Et cõfirmatur: quia autor hic notãter dixit, quòd peccatum originale fuit in primo parẽte, vt in principio; vbi significat, quòd in illo propriè, & verè nõ fuit. ¶ Ad primũ dico, q; illud peccatũ quod fuit in primo parẽte, multis cõuenit cũ peccato originali; sed differt: quia nõ fuit ab alio trãsfusum, ob idq; nõ fuit peccatũ originale. ¶ Ad secũdũ dico, q; in Adã fuit iustitia originalis, in isto sensu, q; in propaginẽ erat deriuãda talis iustitia, & in eodẽ sensu etiã fuit peccatum originale, id est, origine transfundendũ, sed nõ hoc in sensu q; ab alio fuerit hæreditatũ, & trãsfusum. Vnde dicũt Theologi antiqui, quòd in Adã fuit peccatũ originale originãs, nõ verò originatũ. Et per hęc patet ad tertiũ argumẽtum. ¶ Sed circa solutionẽ ad quintũ aliud suboritur dubium: An ne melius sit humanæ naturæ non esse, quã esse in peccato originali. Suadeturq; affirmatiua pars. Primò ex illo; Bonũ erat ei si natus nõ fuisset homo ille. & Iob 3. Pereat dies in qua natus sum. & Hiere. 20. Maledicta dies in qua natus sum: vbi ait Hiero. melius est nõ esse quã malè esse. Anselmus etiã in li. Cur Deus homo c. 21. Fateri necesse est, q; pro vniuersa natura cõseruãda peccatũ vel minimũ faciendũ nõ est. ¶ Amplius, pei⁹ est malũ culpæ, quã pœnæ; vt de se liquet; peccatũ originale est malũ culpæ, quod tollit esse gratię: nõ esse est malũ pœnæ, quod tollit esse naturæ: ergo meli⁹ est nõ esse, quã esse in peccato. ¶ Ad hęc, si proponeretur alicui ad eligẽdum, mallet subire mille mortes, imò & annihilari, quã peccare vel minimũ peccatũ. Cõfirmatur, & explicatur: si enim animæ rationali daretur optio, poti⁹ eligeret in nihilũ redigi, quã cõtrahere peccatũ originale: ergo melius est ei nõ esse, quã sic esse. Pro elucidatione dico primò, antequã homo labatur in peccatũ potiùs debet subire mille mortes, & ipsam sui annihilationẽ, quã vel minimũ peccatũ admittere. Hoc probãt rationes adductæ: quod vel ipsa ratio euidens conuincit. Est enim cõtradictio, q; pro seruãda vniuersa natura liceat peccare; nã si licet, peccatũ nõ est: si est peccatũ, nõ licet. Insuper dico, q; si fiat sermo de homine habẽte peccatũ originale, melius est sic esse, quã nõ esse; sic ait autor hic ad quintũ. & probo: quia talis habet facile remediũ, quo culpã, & dãnationẽ caueat, & fugiat. Dico tertiò, si fiat sermo de homine habẽte peccatũ post hãc vitam, melius est adhũc sic esse, quã nõ esse: nã illi qui cũ solo originali peccato discedũt, nõ habẽt pœnã sensus, neq; tristitiã, sed tãtùm pœnã damni; imò secundũ probabilẽ opinionẽ Theologorũ, tales habebũt felicitatẽ naturalẽ, quę vita desiderabilis est. Quartò dico, existentibus in inferno melius est nõ esse, quã esse. Hãc sententiã habẽt multi Theologi 4. d. 50. ¶ Sed certè videtur tertium, & quartũ dictũ nõ rectè conuenire. Quia ex sententia D. Chrysost. & omniũ Theologorũ, pœna dãni, & carẽtia diuinę visionis maior est quã cruciatus ignis æterni: sed istis qui igne æterno cruciãtur, meliùs est nõ esse, quã sic esse: ergo illis, qui carẽt diuina visione, melius est nõ esse, quàm

Ad secundũ. Ad tertium. An melius esset homini nõ esse, quã esse in peccato. Prim. argu. Mat. 26. Iob 3. Hiere. 20. Hiero. Anselm. Secundũ. Tertium. Confir. Dubij resolutio. Obiectiões Chrysost.

quã sic esse; cõtra tertiam conclusionem. Et cõfirmatur: quia qui cum peccato originali discedunt, sunt damnati, & infelices; quibus proinde Solutio. est melius nõ esse, quã esse miseri. Respondetur tamẽ, quòd forsan qui in peccato originali discedunt, nõ intelligunt se esse priuatos diuina visione, de quo infrà. Vel dico, esse discrimen maximum; quia qui sunt in inferno, habent miseriã, & infelicitatem ex omni parte, nulli bono, lætitiæue coniunctam: at qui discedunt in solo originali peccato, nõ habent tristitiã; imò, vt Theologis placet, habent naturalem felicitatẽ; & ob id melius est eis sic esse, quàm omnino non esse.

¶ Ad argumẽta in principio dicitur, quòd si aliquid probant, probant subinde quòd melius est non esse, quàm esse in peccato veniali. Vel dico, solùm probare, quòd antequam homo in peccatum labatur, potiùs debet ipsam annihilationẽ sustinere quàm vel minimum peccatum aggredi, quod docemus in prima conclusione.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ *Vtrùm peccatum originale sit prius in animæ essentia quàm in potentijs.*

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. AFfirmat conclusio. Nãtale peccatum per originem causatur. Quare illud animæ, quod primò attingitur ab origine hominis, est primum subiectum peccati originalis. Attingitur autem anima secundùm suam essentiam, vt terminus generationis, & forma corporis: ergo anima secundùm essentiã est primum subiectum peccati originalis. Sic etiam originalis iustitia immediatè concernebat essentiã animæ, tanquam subiectũ quod directè perficiebat: potẽtiæ verò magis ad personam attinere vidẽtur, prout sunt principiũ actuũ personaliũ. Vnde sunt propria subiecta peccatorum actualium, quæ sunt peccata personalia.

Scoti sentẽtia. Pri. argum. Scot. DE cõclusione huius articuli sunt variæ doctorũ sentẽtiæ. Sco. 2. d. 32. q. 1. tenet, quod est in voluntate, quod sic probat. ¶ Nõ enim in aïa potest esse peccatũ, nisi ratione voluntatis: si enim nõ accedat cõsensus volũtatis, nõ est peccatũ: ergo præcipuè est in volũtate. ¶ Amplius, peccatũ essentialiter est volũtariũ: sed volũtariũ collocatur in voluntate. ¶ Ad hæc, id quod fuit peccatũ in Adã, origine transfusum in nobis est peccatũ, vt dictũ est: sed in Adã fuit peccatũ; velle comedere de ligno; ꝙ sine dubio fuit in volũtate. Prætereà, inclinare ad actũ, potiùs respicit potẽtias, quã essentiã aïę: at peccatũ originale inclinat ad actũ: ergo est in potẽtijs, & nõ in essentia aïę. ¶ Durã. verò. 2. d. 31. q. 3. tenet, ꝙ est in appetitu sensitiuo; probatq;. Nã præcipuũ effectũ iustitię originalis fuit cõponere appetitũ sẽsitiuũ cũ ratiõe, & illũ in officio cõtinere: ergo præcipuus defectus originalis peccati est deordinatio appetitus sensitiui. ¶ Attamẽ D. Th. hîc tenet, ꝙ peccatũ originale est in essentia aïæ. Et ista sentẽtia est valde probabilis. Nã nasci in peccato originali, nihil est aliud, quã nasci filiũ Adę p actiuã generationẽ: at filiatio ad potẽtias nõ refertur, sed ad essentiã. Itẽ, peccatũ originale est peccatũ naturę, vt oẽs dicũt: sed aïa rationalis cõstituit essentiã, & naturã. Ad hęc, originalis iustitia est idẽ cũ gratia gratũ faciẽte, vt ait D. Th. hęc verò est in essentia aïę: ergo peccatũ originale, ꝙ est iustitiæ istius priuatio, est in essentia aïę. Et cõfirmatur: nã vt homo Deo sit gratus, & acceptus, non est necessarius actus potẽtiarum, vt patet in paruulis baptizatis; & adulti grati Deo efficiũtur p gratiã, quę est in essentia aïæ: ergo & natura humana potest esse Deo inuisa per peccatũ, ꝙ sit in essẽtia aïę, sine actu potẽtiarũ. Prætereà, priùs natura aïa cõiũgit corpori, quã habeat potẽtias infectas ex carne: sed mox vt carni infunditur, intelligitur humana natura filia Adæ, & inimica Dei: ergo peccatũ originale, primò & per se respicit naturã & nõ potẽtias. ¶ Sed dices, his argumẽtis probari, peccatũ originale esse in toto homine, & nõ in aïa. Respõdeo, id verũ esse ꝙ est in toto homine, sed ratione aïæ rationalis, sicut totus homo intelligit ratione animæ rationalis. Quãobrem ad primum & secũdum Scoti dico, quòd peccatũ originale nõ est actuale, nec nostra volũtate cõmissum, ob id nec in voluntate, nec in potẽtijs est. Ratio est; quia anima rationalis nequit esse culpæ subiectum actualis; nam eam, mediante potentia, actu habet. Vnde si fuerit aliqua culpa, quam non habeat mediante potẽtia, poterit esse in essentia animæ, huiusmodi est peccatũ originale, quod nõ habet actum propriũ, sed per originẽ naturæ. ¶ Ad tertium, quod est difficile dico ex D. Tho. q. 4. de malo, ar. 4. ad 5. ꝙ in Adã, persona infecit naturã, vnde peccatũ illud prius infecit potẽtias, quã naturã: in eo verò qui ab Adam descẽdit, natura infecit personã: ob id peccatũ hoc priùs inficit naturam quã personã, & potẽtias. Vel dico, quòd peccatũ

Secundum. Tertium. Quartum. Durãdi opinio. Argum. Durandi. D. Thom. & autoris sententia. Ad argum. Scoti. Ad primum & secundũ. Ad tertiũ. D. Thom.

in Adã fuit actuale, & nõ originale: vnde nõ est æqua ratio. ¶ Ad quartũ dico, quòd sicut gratia est in essentia animæ, ex qua manãt virtutes ad recta opera exequẽda, ita sanè peccatũ originale primò, & per se infecit naturã, ex qua sequitur inclinatio potentiarũ in malũ. ¶ Ad argumentũ Durandi, falsum esse dico quòd præcipuus effectus iustitiæ originalis fuerit cõponere appetitũ sensitiuum; imò potissimus effectus, & affectus fuit animã cũ Deo cõponere, & illam ei subdere perfectissimè. Et ista doctrina certissima est: nã in baptismo tollitur peccatum originale, & non deordinatio appetitus sensitiui: ergo peccatum originale non est in appetitu sensitiuo.

Ad quartũ.

Ad argum. Durandi.

ARTIC. TERTIVS.

¶ Vtrùm peccatum originale priùs inficiat voluntatẽ quã cæteras potẽtias.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio.

COnclusio est affirmatiua. Nam si in infectione peccati originalis considereturprimò inhærentia eius ad subiectum, secundùm hoc primò respicit essentiã animæ; si postea consideretur inclinatio eius ad actum, respicit animæ potentias; sed illã potentiã priùs, quæ primã habet inclinationẽ ad peccãdũ quę est volũtas; ex quo sequitur quòd voluntas priùs inficiatur, tanquã radix merendi, & demerendi.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Tria in iustitia originali.

PRo elucidatione notandum est, quòd in iustitia originali tria inuenichantur. Primum, ipsum donum originalis iustitię: Secundum, subiectio mentis ad Deum. Tertium, rectitudo volũtatis, & aliarũ potentiarũ. Primũ locũ sibi obtinuit rectitudo volũtatis; secundũ verò, aliæ potentię inferiores. Sic dicimus in peccato originali: priuatio enim iustitiæ originalis pro formali, est peccatũ originale essentialiter, prout suprà habitũ est: primus verò defectus inde sequutus, fuit defectus subiectionis voluntatis ad Deũ: secundus fuit defectus subiectionis appetitus sensitiui, & aliarũ potentiarũ. Quomodo autẽ inter potẽtias inferiores sit magis infecta potentia generatiua, cõcupiscibilis, & sensus tactus, explicat autor ar. 4. huius quæstionis.

ARTIC. QVARTVS.

¶ Vtrùm præfatæ potentiæ sint magis infectæ quam aliæ.

SVMMA TEXTVS.

Prim. cõcl.

PRima conclusio. Potentia generatiua, & vis cõcupiscibilis, & sensus tactus, sunt magis infectę, quàm aliæ potentiæ animæ. Nam corruptio originalis trãsfunditur per actum generationis: potentia verò generatiua cõtinet tactus delectationẽ, & maximã habet cõcupiscẽtiã: ideò in ijs tribus magis apparet, videlicet in tactu, in vi cõcupiscibili, & in vi generatiua. ¶ Secũda cõclusio in solutione primi. Peccatũ originale ex ea parte qua inclinat ad peccandũ, præcipuè attinet ad voluntatẽ, vt diximus ariculo præcedenti: sed ex ea parte qua traducitur in prolem, proximè pertinet ad prędictas potentias, remotè verò ad voluntatem.

Secũ. cõcl.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Doctores scholastici.

HActenus de subiecto peccati originalis dictũ est; nũc verò de pœna illius differendũ est. De hac materia disseritur à Theologis 2. d. 33. & à D. Th. q. 5. de malo. Sed de pœna peccati originalis sunt variæ sentẽtiæ inter doctores. ¶ Prima dicit, cp nõ tantũ punitur pœna dãni, quæ est carẽtia diuinę visionis, sed etiã pœna sensus positiua. Itaq; dicit hęc opinio, infantes decedẽtes absq; baptismate, igne æterno esse puniẽdos. Hæc est sentẽtia Aug. sub ijs verbis; Firmissimè tene, & nullatenùs dubites, oés homines, nõ solũ ratione vtẽtes, sed & infantes sine baptismate decedentes, ignis æterni sempiterno supplicio esse puniẽdos. & alibi hãc sententiã ex Euãgelio cõprobãs, sicait; Sicut Euangeliũ loquitur, duas partes factu rus est Christus, dextrã, & sinistrã: sinistris dictu rus est; Ite maledicti &c. dextris verò; Venite benedicti &c. nullus hîc est relictus locus medius in quo infantes ponere queas. Et in vltima sentẽtia dicit Dñs; Ibũt isti in cõbustionẽ ęternã; iusti verò in vitã ęternã. & iterũ; Ostẽdit eodẽ genere pœnæ infantes nõ baptizatos, adultosq;, & dęmones affligi: ostenditq; post diem iudicij duo solùm

D. Thom.

De pœna originalis peccati, variæ sententiæ.

Prima.

Prim. argu. pro prima sententia.

Aug. li. de fi de ad Petrũ c. 23.

Sermone de baptismo paruulorum.

Li. 5. hypognosticon.

solùm loca vitæ æternæ supereſſe, videlicet regnũ cœlorũ, & ignẽ æternũ: at paruuli nõ bapti zati non admittũtur in regnũ cœlorũ, vt habet ſana doctrina: ergo. Adducit etiã Auguſtinus D. Pau. Ro. 5. dicentẽ iudiciũ ex vno in cõdẽnatiõnẽ: ergo illud delictũ meretur condemnationẽ. & Ephe. 2. dicitur, quòd propter peccatũ originale ſumus filij iræ: ergo illud peccatũ meretur irã, & cruciatũ. Tẽperat tamẽ Auguſtinus ſuam ſententiã dicitq;, hanc pœnã infantiũ eſſe mitiſſimã omniũ. Gregorius ſequitur omnino Auguſtinũ. Et probatur hæc ſentẽtia. ¶ Primò, ſequeretur, ſi iſta ſentẽtia vera nõ eſt, quòd inæqualia peccata, æquali ſupplicio puniãtur in iudicio diuino. Patet hoc in duobus hominibus, quorũ alter diſcedat in peccato vno mortali, cũ originali; alter verò in vno peccato mortali, alteri ęquali: in tali caſu vterq; punietur carẽtia diuinę viſionis, & quod attinet ad ſenſus cruciatũ, æquales erũt, quandoquidẽ originale peccatũ nõ meretur pœnam ſenſus. ¶ Amplius ſequitur, quòd ij paruuli nõ perſoluerẽt alias pœnas, quàm illas quas perſoluere debebãt, ſi eſſent cõditi in puris naturalibus: nã etiã tũc priuarẽtur viſione diuina. ¶ Ad hæc, ſi quis moriatur cũ peccato originali, & ſimul cũ veniali, punietur pœna æterna; & nõ ratione peccati venialis punitur pœna ęternа ſenſibili, vtpotè quia peccato veniali nõ debetur pœna ęterna: ergo ratione peccati originalis. ¶ Amplius, hi paruuli in iudicij die debẽt cõparere, ſuntq; ſuã cauſam audituri: ſed tunc ſolùm duo ſitus iudicandorũ erũt; alteri quidẽ admittẽdi in gloriã; alteri in ignẽ æternũ: at verò paruuli nõ admittẽtur in regnũ cœlorũ. ¶ Prętereà maiori culpæ maior pœna debetur: ſed peccatũ originale maius eſt quã veniale: tũ, quia ſubtrahit gratiã quã nõ tollit peccatũ veniale; tũ, quia punitur pœna æterna, & nõ peccatũ veniale: cũ ergo peccato veniali correſpõdeat pœna ſenſibilis, multò magis correſpõdebit originali. ¶ Inſuper, peccata grauiùs puniũtur in futura vita quã in præſenti; eſt enim hîc miſericordiæ locus: at peccatũ originale in hac vita habet pœnam ſenſus; quia paruuli qui tantũ habẽt peccatũ originale, patiũtur graues pœnas, & nõ iniuſtè: ergo in futura vita habebunt pœnam ſenſibilem. ¶ Vltimò, animæ obeuntium abſque baptiſmate ducuntur in Limbum, id eſt, in tertium ſinum ſuper purgatorium apud inferos, vt habet ſana doctrina: ibique incluſæ detinentur, nec exire permittuntur: & animæ ſeparatæ apertè cognoſcunt quòd locus iſte ſibi naturaliter nõ debetur, quodque datus ſit eis in carcerem: ergo propterea ſenſus pœnam neceſſariò habent.

Rom. 5.
Ephe. 2.
Aug. li. 1. de peccatorũ meritis ca. 16. & in Enchiri. c. 93. & li. 5. contra Iulian.
Greg. lib. 9. mora. c. 12.
Prima ratio pro hac ſententia.
Secũ. ratio.
Tert. ratio.
Quar. ratio.
Quin. ratio
Sexta ratio
Septi. ratio.

¶ Secunda opinio dicit, hoc peccatum puniri ſola pœna damni, quæ eſt diuinæ gloriæ, & viſionis carentia. Sic docent, Magiſter, & Diuus Thomas, & omnes Theologi, dempto Ariminenſi. Probatur iſthæc opinio. Nam in cap. Maiores, de baptiſmo, & eius effectu; definitur, quòd pœna peccati originalis eſt diuinæ viſionis carentia; actualis verò peccati pœna eſt tormentum ignis æterni. Inſuper Auguſtinus dicit paruulorum pœnam eſſe mitiſſimam: ergo ſolùm eſt priuari diuina gloria. Ad hæc, adducitur in huius confirmationem illud; Quantum glorificauit ſe, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum: at illi paruuli non ſe glorificarunt in illo antiquo delicto: ergo non habent tormentum ſenſus. Prætereà, ante baptiſmum, vt dicunt Theologi, requiritur aliquis dolor de peccato actuali: ad peccatum verò originale nullus dolor eſt neceſſarius, vtpote, quod voluntate propria non eſt commiſſum: ergo hoc peccatum in futura vita nõ meretur cruciatum, quod in hac vita non meruit dolorem. Vltimò, ſi infantes puniuntur eodem tormento in inferno, quo adulti, ſequitur quòd Deum odio haberẽt; & contra eius iuſtitiam, & potentiam blaſphemarent; quod nullus concedit. Sed huius opinionis autores dicunt, quòd infantes Deum diligent, vt bonorum naturalium principium, ea dilectione quæ per naturam haberi poteſt: ſicque habebunt felicitatem naturalem. Sic ait autor 2. diſtinctione 33. quæſtione 2. articulo 2. & quæſtione 5. de malo, articulo 3.

Auguſt.
Apoc. 18.
D. Thom.

¶ Alij dicunt, quòd peccatum originale, ſi propriè loquendum eſt, propriè nec damni, nec ſenſus pœna punitur: nam de ratione pœnæ eſt quòd ſit contraria voluntati, & afferat triſtitiam; ſed paruuli diſcedentes ſine baptiſmate carentes diuina viſione, non ob id triſtantur, nec aliquid ſuæ voluntati contrarium patiuntur: ergo non eſt propriè pœna. Et confirmatur: nam, ſi propriè loquendum eſt, pœna, & triſtitia eſt de ijs, quæ nobis nolentibus accidunt: at paruulis illis nihil contingit eis nolentibus: ergo propriè pœna non eſt. Amplius, illi non magis triſtantur de diuinæ gloriæ priuatione, quàm ſi eſſent conditi in puris naturalibus: ergo propriè non habent pœnam.

Ter. opinio

¶ Sed & alij dicunt, quòd pœna infantium, diſcedentium cum ſolo originali peccato, eſt valde magna: ſuſtinent enim carentiam viſionis diuinæ, & gloriæ, quam eſſe maius ſupplicium, quàm omnia gehennæ tormenta, teſtatur Chryſoſtomus: ergo non habent mitiſſimam pœnã, ſed grauiſſimam. ¶ Vltima ſententia eſt, quòd infantes igne non cruciantur, ſed triſtantur valde; vident enim ſe excluſos à cœleſti regno, diuinaque gloria priuatos propter peccatum originale: omnis tamen iſta triſtitia refertur ad pœnam damni; ob idq; verè dicitur quòd puniuntur ſola pœna damni. Et probatur.

Quarta ſententia.
Argumẽtũ quartæ ſententiæ
Chryſoſt. hom. 24. in Matt & ho. 47. ad popul. & epiſt. 5. ad Theodoruth.
Vltima ſententia.

¶ Tri-

Secunda opinio Magiſtri & D. Thom.

Argum. quintæ sententiæ.

¶ Tristitia enim est de ijs quæ nobis nolentibus accidunt: sed infantes vident se esse priuatos diuina gloria ob peccatum originale, nollentque intantum detrimenti se esse prolapsos: ergo tristantur. Ad hæc, ij vident se ad naturalem beatitudinem destinatos esse, & hanc non habere: ergo. Et istud argumentum est maximi momenti, si teneamus nostram beatitudinem naturalem esse videre Deum facie ad faciem. Insuper, ij paruuli sunt in loco horrido circa damnatos, suntque in carcere, vnde eis egredi non licet, sunt in perpetuis tenebris, vt habetur ca. Nulla. de consecratione d. 4. sunt etiam in morte perpetua, vt dicitur c. Ad limina 30. q. 1. ergo tristãtur magnopere. Sed quòd de originali peccato tristentur, manifestatur primò: quia vident se diuina gloria priuatos propter peccatum originale. Secundò, illud peccatum diuinæ displicet voluntati: ergo meretur de iustitia displicentiam humanæ voluntatis. Tertiò, sequitur aliàs quòd adultus habens originale peccatum, & cognoscés illud per fidem supernaturalem, posset habere hunc actum; non mihi displicet peccatum originale.

Autoris cẽsura.

¶ Inter has opiniones verisimè censere, difficillimum est. Et certè prima opinio dura est; quam qui sequuntur, paruulorum tortores dicuntur, estque iam ab omnibus explosa. Vnde ad primum eius argumentum ex Diuo Augustino, & Diuo Gregorio, dicit Diuus Thomas eos per ignem, gehennam, tormenta, nihil aliud significare, quàm diuinæ gloriæ priuationem, quam per excessum, & hyperbolicè tam duris vocabulis significarunt, vt magis execrabilem efficerent Pelagianorum errorem, asserentium nullum in paruulis esse peccatum. Vel dicatur, quòd Augustinus ita sensit. Et ad Paulum dico, quòd expulsio à regno cœlorum, & diuinæ gloriæ priuatio, est vera damnatio, effectus iræ, & supplicij. Ex ijs respondetur ad illud de die iudicij. Nam qui mittũtur in ignem æternum, patentissimè audiunt causam suæ damnationis esse peccata actualia. Esuriui, dicit Dominus, & non dedistis mihi manducare &c. At paruuli tãtùm illa sententia mitissima damnabuntur. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei.

Ad autoritates primæ sententiæ.

Ad primam rationem.

¶ Et ad rationes in cõfirmationem allatas, ad primam dico, concedendum esse nõ grauiùs puniri qui discedit cũ peccato originali, & vno actuali, quàm qui discedit cum vno actuali; & ita admittit Abulensis.

Abulens. Matth. 24. q. 67.

Nec aduersatur diuinæ iustitiæ, quòd peccato originali, quod propria volũtate non est cõmissum, pœna sensus nõ correspõdeat. Vel dico, quòd qui discedit cũ peccato originali, & mortali, maiorẽ habet pœnã dãni: priuatur namq; diuina gloria duplici titulo.

Ad secundã

¶ Ad secundã dicitur, quòd si homo esset cõstitutus in puris naturalibus, careret certè diuinaui sione; hæc tamẽ carẽtia nõ esset pœna, sed defectus, & exclusio à regno esset mera negatio naturalis. Quia tamen in exordio humani generis natura humana est cõstituta in iustitia originali, & in gratia, & cũ iure ad regnũ cœlorũ; expul sio ab eo est vera condẽnatio, & suppliciũ.

Ad tertiam

¶ Ad tertiã non admitto casum esse posibilẽ, de quo infrà. Sed si posibile est quòd quis cũ originali, & veniali peccato discedat, dico quòd tale peccatum punietur pœna sensus æterna; æternitas enim pœnæ cõsequitur ad priuationem gratiæ, ex qua prouenit quòd perpetua sit culpa: & hinc verisimè dicitur, quòd peccatum veniale, in eo qui discedit cũ peccato mortali, punitur pœna æterna, quia hęc culpa nunquã dimittitur ob carentiã gratię.

Ad quartã. Durandi sal sa existimatio.

¶ Ad quartã, Dur. 2. d. 33. q. 3. videtur dicere, quòd paruuli nõ debent cõparere in die iudicij. Hæc tamen sententia ab vniuersis Theologis deseritur 4. d. 47. nam Acto. 10. dicitur quòd Christus constitutus est iudex mortuorum & viuorum, in quo omnes homines cõprehenduntur. & Mat. 25. Cõgregabuntur ante eũ oẽs gentes. & Rom. 14. Omnes stabimus ante tribunal Christi. & Apoca. 1. Veniet & videbit eũ omnis oculus &c. Dicẽdũ ergo, quòd paruuli in die iudicij comparere debent, vt videãt gloriam Dei, & Christi, & condemnabuntur illa sententia; Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto &c.

Act. 10. Matt. 25. Rom. 14. Apoc. 1.

Ad quintã.

¶ Ad quintã dicitur, quòd peccatũ originale, & veniale habent se sicut excedẽs, & excessum: excedit veniale, quòd propria volũtate cõmissum est, ob idq; sensibilẽ promeretur pœnã: excedit verò originale, quia priuat diuina gratia, & amicitia: vnde & punitur carentia diuinæ visionis, ad quã non nisi per gratiam peruenitur.

Ad sextam.

¶ Ad sextam dico, non esse eandem rationem de pœna peccati originalis ante mortẽ, & post mortẽ: nã pœna huius vitæ oritur ex principijs naturæ, & similiter ex peccato originali, vt à remouente prohibens, vt diximus: pœna verò post obitum oritur ex ordinatione diuinæ iustitiæ, quæ exigit, peccato propria voluntate non contracto, solam pœnam damni correspondere, ac priuationem diuinæ iustitiæ, vt dictum fuit.

Ad septimã

¶ Ad septimam dico, esse verisimum animas paruulorum detineri in limbo subtus terram, sed inde nulla afficiuntur tristitia: tum, quia ille locus illis non est datus in pœnam, sed quia illis melior non debetur, sicut & Patres inibi erant ante Christi aduentum: tum, quia ex illo loco non impediuntur animæ separatæ à suis intellectualibus operationibus.

Quid sit de sententia D. Thom. dicendum.

¶ De opinione secunda dico, quòd est valde probabilis, & approbatur ab omnibus Theologis, secundo, distinctione 33. rationibus adductis; sed tamen non est de fide, & Innocentius tertius

Innocẽcius tertius.

tertius c. Maiores. dicat pœnam peccati originalis esse carentiam diuinæ visionis; actualis verò pœnam sensibilem: hocque non dicit definiendo, dicit tamen arguẽdo pro altera cõclusione.

Hæreticum est dicere, paruulos nõ futuros in vera pœna. Rom. 5. Ephe. 2.

¶ De tertia verò opinione dico, esse contra fidẽ dicere quòd paruuli non sunt futuri in vera pœna, & damnatione: vnde Rom. 5. dicitur; Iudiciũ quidem ex vno in condemnationẽ. & Ephes. 2. dicitur, quòd ob hoc delictũ nascimur filij iræ; id est, digni ira, & damnatione. Certè idem est dicere, quòd peccatum originale non punitur aliqua pœna, & quòd propriè peccatum nõ sit: nam omne peccatum meretur supplicium corã Deo, nec Deus vllum relinquit inultum: ergo si propriè non punitur, propriè peccatum nõ est. Ad hæc, omnes patres, & doctores dicunt peccatum originale puniri aliqua pœna: ergo oppositum dicere hæreticum est.

Ad argum. quartæ sententiæ. Grauitas pœnæ.

¶ Quartam itidem sententiam maximam præ se ferre falsitatem dico, & contra omnes Theologos dicentes, infantes mitissima pœna plectendos. ¶ Ob id ad argumentum dico, quòd grauitas pœnæ potest considerari vel ex parte boni quo priuatur homo per malum pœnæ; sicq; diuinæ visionis carentia est omnium pœnarum maxima: vel etiam cõsideratur per comparationem ad eum qui punitur; & sic tantò grauior est pœna, quantò magis est connaturale bonum quod subtrahitur, & magis propriũ: sicut si auferatur ei patrimoniũ propriũ, maior pœna est quã si impediatur ne perueniat ad regnũ, quod ei nõ debetur: Sic sola diuinæ visionis carẽtia mitissima pœna est, est enim diuina visio beneficium supernaturale, quod naturæ nostræ non debetur. Aliqui dicunt ad hoc, sententiam D. Chrysostomi esse verissimam de adultis, non verò de paruulis; nam adulti vident, se propria voluntate, & nequitia, diuina gloria esse priuatos, non autem infantes.

Abulens. Matt. 25. q. 164.

¶ De quinta opinione dico esse valde probabilem, argumentaque quibus nititur esse optima, quæ amplificat magnopere Abulensis. Sed aduertito hanc sententiam esse contra Diuum Thomam & omnes Theologos 2. d. 33. & impugnatur argumentis adductis pro secunda opinione. Præterea, si paruuli tristantur, talis tristitia parua esse nequit, cũ sit de tãti boni amissione, sicque non erit mitissima. Rursus, non videtur esse rationi consonum quòd subtrahatur ab eis pœna sensibilis, tribuaturque eis afflictio interior, quæ magis pœnalis est, contrariaque pœnæ mitissimæ quã ponit Augustinus.

Ad argum. quintæ sententiæ. Paruuli nõ cognoscũt se esse priuatos gloria ob peccatũ Adæ.

¶ Ad argumẽta autẽ dico primò, quòd paruuli nõ agnoscunt se esse priuatos diuina gloria propter peccatũ primorũ parentũ: talis enim cognitio attinet ad fidẽ, diuinamq; reuelationẽ: paruuli verò solã habẽt cognitionẽ naturalẽ; quare nõ tristãtur de carẽtia visionis diuinæ, quã nõ nouerũt. Secũdò, dato quòd id optimè cognoscerẽt, non ob id tristitia afficiũtur: cognoscunt enim se nunquã aptitudinẽ habuisse ad gloriã cœlestem obtinendam. Cognoscunt itaque infantes illã pœnam esse iustissimam, sciuntq; optimè nullo proprio demerito fuisse inductam, nullaque ratione eos potuisse cauere, sciunt omnem displiciẽtiam esse illis penitus inutilem: quamobrem sapienter sustinent, & ab omni dolore, & tristitia abstinent, maximè cùm habeant felicitatem naturalem, secundùm multorum Theologorũ probabilem opinionem. Et id pro hac quæstione sufficit notasse.

QVAEST. LXXXIIII.

De peccato, vt causa alterius peccati, in quatuor articulos diuisa.

ARTIC. PRIMVS.

¶ Vtrùm cupiditas sit radix omniũ malorum.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio.

Oncluſio eſt. Si cupiditas accipiatur pro appetitu inordinato diuitiarũ, veriſsimè dicitur quòd eſt radix omnium malorum. Pro cuius explicatione obſeruandum, quòd cupiditas ſecundùm nonnullos tripliciter dicitur: vno modo, prout eſt diuitiarum inordinatus appetitus; ſicque eſt peccatum ſpeciale. Alio modo, prout ſignificat inordinatum appetitum cuiuſcunque boni temporalis; ſicque eſt genus omnis peccati. Alio modo ſumitur quatenus ſignificat inclinationem quandã naturæ corruptæ ad appetenda bona corruptibilia inordinatè; & ſic dicũt cupiditatẽ radicẽ eſſe omniũ peccatorũ: nam ex amore rerũ temporaliũ omne peccatum procedit. Et quàmuis hæc vera ſint, Apoſtolus tamen loquitur de cupiditate, ſecundùm

Cupiditatis triplex acceptio.

quòd

quòd est inordinatus diuitiarum appetitus, quę etsi sit speciale peccatum, est nihilominùs radix omniũ peccatorũ, ad similitudinẽ radicis arboris, quæ alimẽtum præstat toti arbori: quia per diuitias homo acquirit facultatem perpetrandi quodlibet peccatum, & adhibendi desiderium cuiuscunque peccati: quia ad habenda temporalia bona, potest homo per pecuniam iuuari, cùm pecuniæ omnia obediant.

EXPLICATIO ARTICVLI.

1. Tim. vlti. Concluſionem huiuſce articuli docet Pau. 1. Timoth. vltimo, dum ait; Radix omnium malorum eſt cupiditas. Quodque loquatur de appetitu diuitiarum, patet: præmiſerat enim, quòd qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, laqueumque diaboli, & in multa deſideria nociua; radix enim omnium malorũ eſt cupiditas. Idque patet: nam Græcè ibidem dicitur, philargiria, quam Ambr. vertit, id eſt, auaritia, & pecuniæ ſtudium; dum enim auarus ſuam inſaturabilem cupiditatẽ explere ſtudet, furta, ſacrilegia, homicidiaque aggredi non deſinit, vt veriſimè exclamat Poëta;

Ambro.

Quid non mortalia pectora cogis
Auri ſacra fames,

Eccli. 10. Sed multò verius Eccli. 10. dicitur, Auaro nihil eſt ſceleſtius; habet enim animam ſuam venalẽ, & in vita ſua proiecit intima ſua, & proculdubio Apoſt. loco dudum citato optimè explicat vim huius peccati. Quam quidam appetentes, ait ipſe, errauerunt à fide. Vide quàm deteſtabile ſit ſtudium pecuniæ, quod à vera fide, & religione abducit, hominesque; quàm maximis atterit doloribus, & ad modum ſpinarum cor hominis ex omni parte cruentat! Et nota quòd Hebręi accipiunt dolores, pro ſceleribus, & malis culpę: vox enim Hebræa, Amal, ſignificat defatigationem, dolorem, peccatum. Cùm ergo ait Paulus; Et inſerunt ſe doloribus multis; hebraizat, ſignificatque auaritiam nunquã eſſe ſolam, ſed multitudinem peccatorum ſibi habere annexã. Hanc ob rem cupiditas duplici de cauſa radix eſt omniũ malorum. Prima, quia cupidus paratus eſt obedire omni ſibi offerenti pecunias, ad omne malũ admittendũ, bonumque fugiendũ: quod dicit Sapiens, quòd habet animã ſuã venalem. Secũda, quia per pecunias nanciſcitur facultatem perpetrandi omnia facinora, ob idque; ait Sapiens; Pecunię obediunt omnia. ¶ Hinc ſequitur, quàm fœde erret Duran. 2. d. 42. q. 4. vbi reprehendit D. Th. quòd explicarit Apoſtolum loco citato, de pecuniarum appetitu: arguitque; contra hoc; quia cupiditas pecuniarum potiùs eſt ad retinendũ, quàm diſtribuendum: ergo potiùs impedit malorum conſecutionem deſideriorum, quæ per pecuniæ elargitionem adimpleri ſolẽt; quàm adiuuet. Et confirmatur, nam auari, vt experimur, à multis peccatis abſtinent, ne pecuniam expendant. Reſpõdetur ad hoc, quòd cupiditas pecuniarum cõprehendit ſub ſe omnes particulares differentias, ſcilicet cupiditatem congregãdi, & retinendi, & cupiditatẽ habendi ad diſtribuendum; vt patet in ijs qui coaceruant ad diſtribuẽdum militibus, vel meretricibus. Itaque; cupiditas non tantùm ex retentione expẽdi debet, vt imaginatur Dur. Et licèt auaritia in aliquibus impediat multa peccata, de ſe tamen nata eſt nutrire omnigena peccata; ob idque radix, & pabulum omnium peccatorum meritò nuncupatur. ¶ In ſolutione ad primũ notari poteſt, quòd forſan paupertas ſpiritus dici poteſt omnium bonorũ radix, ſicut & cupiditas radix eſt omnium malorum: & ita Dominus ponit primam beatitudinem, paupertatem ſpiritus.

Cupiditas duplici ex cauſa eſt radix peccatorum.

Durã. malè D. Thom. impugnat.

Matt. 5.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ Vtrùm ſuperbia ſit initium omnis peccati.

SVMMA TEXTVS.

Concluſio. Concluſio eſt. Superbia, prout dicit appetitum inordinatũ propriæ excellentiæ, eſt initiũ omnis peccati. Probatio D. Th. ſic procedit. Aliqui, dicunt ſuperbiam vno modo ſignificare appetitum propriæ excellentiæ; & ſic eſſe ſpeciale peccatũ: alio modo importare quendã Dei contemptũ, & eius præcepto nõ ſubdi; & ſic eſſe peccatũ generale: alio modo importare quandã inclinationẽ ad huiuſmodi contemptum ex inclinatione corruptæ naturæ; & ſic eſſe initium omnis peccati: atque in hoc differre à cupiditate; quia cupiditas

piditas respicit peccatum ex parte conuersionis ad bonum commutabile, ex quo peccatum quodãmodò nutritur, & fouetur; vnde & dicitur radix. Sed superbia respicit peccatũ ex parte auersionis à Deo, cuius præcepto homo subdi recusat; obidque initium nuncupatur; nã ex parte auersionis incipit malum. Licèt autem hæc vera sint, tamen sapiens Ecclesiast. 10. loquitur de superbia, prout est inordinatus appetitus propriæ excellentię. Quapropter dicendum est, superbiam, prout est peccatum speciale, esse initium omnis peccati; quia finis in omnibus tẽporalibus bonis acquirẽdis, est, vt homo per illa habeat quandam perfectionem singularem, & excellentiam. Et sic ex parte intentionis superbia est peccati initium: ex parte executionis, cupiditas, quæ adimplendi omnia peccati desideria opportunitatem præbet. Quare auaritia radix malorum appellatur.

Eccli. 10.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Conclusio huius articuli docetur Ecclesiastici 10. vbi Sapiens dicit; Initiũ omnis peccati superbia. Sed quòd sit sermo de appetitu excellentiæ, patet ex illis quæ subdit: dicit enim; Sedes superborũ Deus destruxit; & multa alia inibi interserit cõtra hoc vitium. Idem patet ratione euidenti: quia in actibus voluntarijs, cuiusmodi sunt peccata, duplex ordo inuenitur; intentionis, scilicet, & exequutionis. In primo, finis habet rationem primi principij; finis verò in rebus acquirendis est, vt homo per illas habeat perfectionem suam singularem, & excellentiam. Vnde verissimè dicitur, quòd initium omnium peccatorum sit appetitus propriæ excellentiæ. In secundo verò, primum quod offert facultatem ad omnia scelera perpetranda, sunt diuitiæ; ideò rectè dicitur, quòd omniũ malorum radix est cupiditas. ¶ Sed animaduertito, quòd Durand. 2.d.42.q.4. reprehendit definitionem huius articuli, arguitque sic. Multa peccata oriuntur ex pusillanimitate, luxuriaque quæ ad superbiam reduci nequeunt. Idcirco ipse illud Eccli. 10. explicat dupliciter. Primò sic, quòd initium peccati, sit omnis superbia, id est, de omni superbia nata sunt sequi alia quædã peccata; necesse enim est vt superbus inuideat, vt ait Augu. Sed ista explicatio temeraria est; quia nostram lectionem approbat Hieron. & approbant Septuaginta; imò & quod maius est, comprobat Conc. Trid. à cuius definitione discedere, temerarium est. Secundò explicat sic, quòd à superbia initium sumpserit omnis nostra perditio: & iste sensus non est omnino dissentaneus; sed congruentior multò est expositio D. Th. ea est, quòd superbia sit omnium facinorum initium, sicut per oppositum humilitas omnium virtutum radix est. Cui consonat illud; Ante contritionem præcedit superbia, & ante ruinam exaltabitur spiritus. Contritio isthìc sumitur in malam partem; sicut & in illo; Cõtritio, & infelicitas in vijs eorum &c. Hanc obrem ad argumentum Dur. dico, quòd timiditas, & intemperantia ex superbia oriũtur: nam tam bonum delectabile, ad quod conuertitur intemperans, quàm bonum euasionis, ad quod conuertitur timidus, cùm sit bonũ, potest apparere vt aliquid conducens ad propriam excellentiam &c. Hinc sequitur primò, primũ concupitum, propriam esse excellentiam, sicut & finis omnium aliorum est. Sequitur secundò, primum peccatum esse superbiam. Sequitur tertiò, primum Angelorum peccatum fuisse superbiã. Imò ait autor 1.p.q.63.artic.2. quòd non potuit esse nisi superbia. Sequitur quartò, primorum parentum peccatum fuisse superbiã: & ob id Euę dictum fuit à diabolo; Eritis sicut dij. de quo inquirit D. Thom. 2.2.q.163.

Pro. 16.

Psalm. 13.

Ad argum. Durand.

D. Thom.

Durand. Argu. Dur. cõtra conclu. artic.

ARTIC. TERTIVS.

¶ Vtrùm præter auaritiam, & superbiam sint alia peccata specialia quæ dici debeant capitalia.

SVMMA TEXTVS.

Affirmat conclusio. Nam, præter illa peccata suprà commemorata, quędam dicuntur vitia capitalia, ex quibus alia vitia oriũtur; præcipuè secundũ originem causæ finalis, quæ est origo: vnde vitiũ capitale nõ solũ est aliorum principium, sed & directiuum, & quodammodo aliorum ductiuum:

Conclusio.

ductiuum: semper enim ars, vel habitus ad quem finis spectat, principatur, & imperat circa ea, quę sunt ad finem &c.

ARTIC. QVARTVS.

¶ *Vtrùm conuenienter dicantur septē vitia capitalia.*

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. AFfirmat conclusio. Dicuntur namque illa capitalia vitia, quorum fines habent quasdam primarias rationes mouendi appetitum: & secundum distinctionem harū, capitalia vitia distinguuntur. Aliquid enim appetitum directè, & per se mouet; vt bonum ad prosequendum, & malum ad fugiendum. Alio modo indirectè, & per aliud; vt aliquis prosequitur aliquod malum, ob aliquod bonum adiunctum, vel fugit aliquod bonum propter aliquod malum annexum. Sed bonum hominis triplex est. Primò, est quoddam bonum animæ, quod ex sola apprehensione habet rationem appetibilis; vt excellentia laudis & honoris, quod inordinate prosequitur inanis gloria. Secūdò, quoddā bonū corporis, quod vel attinet ad conseruationem indiuidui, vt cibus, & potus, quod inordinatè prosequitur gula: aut spectat ad speciei conseruationem, sicut coitus; & ad hoc ordinatur luxuria. Tertiò, quoddam bonum est exterius, vt diuitiæ; & ad hoc auaritia ordinatur. Quæ quatuor vitia inordinatè fugiunt quatuor mala contraria.

Triplex hominis bonū

Vt autem quis bonum fugiat, ob aliquod malum coniunctum, dupliciter accidit: nam aut est respectu proprij boni; sicque est accidia, quæ de bono spiritali tristatur ob laborem corporalem adiunctum: aut est de alieno bono, quod si sit sine insurrectione, inuidia est, quæ de alieno bono tristatur, quatenus excellentiæ propriæ impediuum est: si verò est quadam cum insurrectione ad vindictam, attinet ad iram: & ad eadem vitia etiā pertinet prosecutio mali oppositi.

EXPLICATIO ARTICVLOR.

IN ijs articulis, tertio, & quarto, agit D. Thom. de vitijs, seu peccatis capitalibus, quæ sunt septem; nempe, inanis gloria, inuidia, ira, auaritia, accidia, gula, & luxuria; quæ sic numerat Diuus Gregorius. Atqui ex doctrina horum articulorum tria sunt breuiter memoriæ commendanda. Primum, quòd vitium capitale dicitur, ex quo alia vitia frequenter oriuntur, maximè secundùm rationem causæ finalis; non quidem secundùm quòd peccans potest ad finem vnius peccati alia peccata ordinare; hoc enim non cadit sub scientia & arte; sed secundùm naturalem habitudinem ipsorum finium peccatorum in ordine ad obiecta aliorum peccatorum. Et ita dicuntur quædam vitia capitalia, quorum fines habent quasdam primarias rationes mouendi appetitum. ¶ Secundò nota, quòd auaritia non ponitur vitium capitale, solùm secundùm rationem causæ finalis, sed potiùs prout præstat executionem ad alia peccata: & sic dicitur radix omnium malorum. Et propterea non dixit autor, quòd capitalia peccata considerantur secundùm quòd habent rationem finalis causæ, sed præcipuè secundùm quòd habent rationē causæ finalis. Ex quo sequitur, quòd auaritia ex hac parte est vitium capitale minus, ex proprio obiecto; quia versatur circa vtile, quod se habet vt medium ad alios fines. ¶ Tertiò nota, quòd superbia non numeratur inter vitia capitalia à Diuo Gregorio, quia potiùs habet locum reginæ omnium capitalium vitiorum; quoniam finis ipsius est vniuersalissimus inter omnia vitia: sed ponitur vanagloria primum peccatum capitale, quia est potissima, primaq; superbię filia.

Greg. li 31. moral. c. 31. Quidnā sit capitale vitium.

Auaritia qua ratione vitiū capitale dicatur.

QVÆ-

QVAESTIO LXXXV.

De effectibus peccati; in sex articulos diuisa.

ARTIC. PRIMVS.

¶ Vtrùm per peccatum diminuatur bonum naturæ?

SVMMA TEXTVS.

Prima cõc. PRima Conclusio. Bonũ naturæ, ex quo natura ipsa cõstituitur, vt sunt principia naturę, & proprietates ex ijs causatæ, vt sunt potentiæ animæ, nec tollitur, nec minuitur per peccatum: anima enim rationalis, tam secũdum se, quàm secundum suas potentias, immortalis est, & sempiterna. Rursum, rationalis anima, & eius proprietates non suscipiũt magis & minus, vt constat ex Arist. Hoc igitur bonum naturæ nec tollitur, nec minuitur per peccatũ. ¶ Secũda Conclusio. Bonũ naturæ humanæ concessum; videlicet donũ iustitię originalis; per peccatũ primi parẽtis totaliter fuit ablatũ: siquidem per peccatum primi parentis peccatũ originale in omnes homines pertransijt: peccatum verò originale, priuatio iustitiæ originalis est, vt priùs fuit demõstratum. ¶ Tertia Conclusio. Bonũ naturæ, quod est inclinatio hominis ad virtutẽ, per peccatũ diminuitur: ex hoc enim quòd aliquis ad vnũ cõtrariorum inclinatur, diminuitur eius inclinatio ad aliud: per actũ verò peccati fit quædam inclinatio ad similes actus: vnde per peccatum diminuitur inclinatio ad virtutem.

Aristote. in prædicam.

Secunda.

Tertia.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ Vtrùm totum bonum naturæ possit auferri per peccatum?

SVMMA TEXTVS.

Prima con. PRima Conclusio est negatiua. Nam bonũ naturæ quod per peccatũ diminuitur, est inclinatio ad virtutem, quæ homini conuenit ex hoc ipso quòd rationalis est: at per peccatum nõ potest tolli ab homine quòd rationalis sit; alioqui peccati capax non esset: non ergo totum bonum naturæ tollitur per peccatũ. ¶ Secunda Cõclusio. Inclinatio naturalis ad virtutem non diminuitur per peccatũ per alicuius rei ablationem, sed per impedimenti & obstaculi positionem. Pro cuius rei dilucidatione obseruandum est, quòd diminutio ista dupliciter intelligi potest: vno modo ex parte animæ, aut proprietatis; alio modo ex parte termini. Primo modo nõ diminuitur: quia peccatũ nõ diminuit ipsam naturã, nec eius proprietatẽ: sed secũdo modo diminuit, in quã tũ ponitur impedimẽtũ pertingẽdi ad terminũ. Et quia in infinitũ homo potest addere peccatũ peccato, in infinitum diminui potest, sed nõ potest totaliter cõsumi: nã semper manet radix inclinationis; vt patet in corpore diaphano, q̃ habet inclinationẽ ad susceptionẽ lucis, cuius rei habilitas minuit ex parte nebularũ superuenientium, cùm tamen semper maneat habilitas ex parte corporis ad lucem suscipiendam. Hæc D. Thomas.

Secunda.

EXPLICATIO ARTICVLORVM.

D.Tho. QVæſtionem in his duobus articulis propoſitam elucidant Doctores in 2.d.34.& D.Tho.q.2.de malo arti. 11.&.12.1.p.q.48.artic.4. Pro cuius maiori explicatione nonnullæ dubitationes ſunt exponendæ. Prima eſt; vtrùm hoc bonũ naturæ, quod eſt inclinatio naturalis ad virtutẽ, ſit in omnibus æquale. Hæc dubitatio oritur ex alia; vtrùm vna rationalis anima ſit perfectior alijs; tũ in ſe ipſa, tũ in proprietatibus naturalibus. Cuius quæſtionis affirmationem magnis argumẽtis cõfirmauimus, cũ in.1.p.de animarũ inæqualitate ageremus, cõtra doctiſſimũ Soto, & alios Doctores qui cõtrariũ, nõ ſine magno errore defendere vehemẽter laborãt. Ex qua ſententia, ſi vera eſt, liquidò conſtat, q̃ vna anima ſit nobilior altera, tũ in ſe, tũ in potẽtijs, & proprietatibus naturalibus quæ ex ea cõſequũtur. Rurſum cõſequitur, q̃ habitus naturalis, putà ſynderesis, quæ docet hæc primaria principia; quod tibi non vis, alteri ne feceris; bonũ eſt faciendũ; malũ fugiendũ; & alij habitus primorũ principiorum ſunt perfectiores in vna anima, quàm in altera: neq; hæc differentia, q̃ vnus intelligat perfectiùs quàm alius, habeat maiorẽ ſolertiã, & perſpicacitatẽ, ſit magis advirtutẽ inclinatus; prouenit ſolùm vel à corpore, vel à ſenſibus, ſed præcipue ab ipſa rationali anima: cuius ſententiæ, omni dubio procùl, autor eſt D.Tho.1.p.q.85.artic.7. ad quẽ locũ huius rei fuſior tractatio referẽda eſt. ¶ Secunda dubitatio: vtrùm hæc naturalis inclinatio ad virtutem per bona opera augeatur. Cauſa huius dubitationis eſt: nã inclinatio naturalis ad virtutẽ eſt proprietas quæ conſequitur rationalẽ animã: at proprietas nõ ſuſcipit magis & minus, ſicut nec ipſa eſſentia animæ. Idẽ cõfirmatur. Nam intellectus, aut volũtas, propter rationẽ dudũ demonſtratã, nunquã augeſcũt: idẽ igitur erit iudiciũ de inclinatione naturali ad virtutẽ. Contrariũ probant hæc argumenta. Primũ; Bonum efficacius eſt ad agendũ, quàm malũ: ſed malũ diminuit bonum naturæ, vt autor eſt D.Tho. in art.1.&.2. ergo bona opera bonũ naturæ augẽt. Deinde, nulla ratione negari poteſt, hominẽ ex bonorũ operum exercitio magis prõptum, & habilẽ ad ſimilia opera reddi. Sed & hoc ipſum hæc ratio demonſtrat: nã quãdo aliquid eſt magis albũ, plus ad albedinis effectum inclinatur, & ad contrariũ opus plus diminuitur: ergo per bona opera augeſcit inclinatio ad virtutem, & ad vitiũ diminuitur. ¶ Solutio huius dubitationis eſt: inclinationẽ naturalem ad virtutẽ per ſe nec creſcere, nec minui vt argumẽta in principio adducta liquidò probant: augentur nihilominus ex bonorũ operũ exercitio, & cõſuetudine habitus adquiſiti, qui ſunt perfectiones ſuperadditæ potẽtijs natura ſua ad virtutẽ inclinatis, quibus perficitur naturalis inclinatio, perfectione accidẽtaria. Nec tamẽ inclinatio ipſa naturalis in ſe ipſa creſcit, aut diminuitur per maiorẽ intenſionẽ quàm in ſe habeat; ſed dicitur creſcere per aduẽtũ nouæ formæ, quæ illã adiuuat, & perficit ad opus. Sic ſanè ſe habet lumẽ gloriæ ad intellectũ creatũ: nã illo diuinitus infuſo creſcit virtus intellectus; non q̃ in ſe ipſo intellectus augeatur, ſed quia additur noua forma, qua informatus poteſt efficere quod antea nõ valebat. ¶ Sed hic obſeruandũ eſt diſcrimẽ inter habitũ ſtudioſum, & vitioſum. Siquidẽ habitus ſtudioſus, cùm homini cõpetat quatenus rationalis eſt, quodam modo ab intrinſeco ipſam naturã, & eius inclinationẽ naturalẽ iuuat & perficit, illã propenſiorẽ ad bonũ efficiens, nõ ſolùm impedimẽta remouendo, ſed etiã determinãdo, & inclinãdo ad bonũ, vt ſuprà docuimus contra Durandũ. Habitus verò vitioſus, cùm ſit cõtra naturam hominis quatenus rationalis eſt, nõ ſic ab intrinſeco inclinat hominis naturam in malũ, ſed eſt veluti impedimẽtũ, & obſtaculũ ne natura, & eius recta inclinatio ſe exerãt in opera bona: & hac ratione dicitur diminuere bonũ naturæ: quod in ſequentibus accuratiùs exponendũ eſt. ¶ Tertia dubitatio; Num verum ſit, peccata bonũ naturæ diminuere, aut in aliquo lædere? A parte negatiua ſic argumẽtor. In primis, D.Dionyſius ait; naturalia manſiſſe integra poſt peccatũ in dæmonibus: ergo etiã in nobis integra permanẽt. ¶ Deinde, rationalis anima, tã ſecũdũ ſe, quàm ſecũdũ ſuas potẽtias naturales, immortalis eſt & incorruptibilis: ergo in ea per peccatũ, nullũ bonũ naturæ aut ablatũ fuit, aut diminutũ. ¶ Tertiò, inclinatio naturalis ad virtutẽ finita eſt, & limitata, quemadmodum rationalis animæ eſſentia ad quã cõſequitur: ſi igitur per peccatũ huiuſmodi inclinatio diminuitur, tot poſſunt ſuperaddi peccata, vt prorſus tollatur, & funditus pereat: omne enim finitũ (vt habet axioma Ariſtot.) per ablationem finiti tãdem cõſumitur. ¶ Præterea, inclinatio ad virtutẽ gemina eſt: Vna quæ cõſiſtit in ijs primis principijs; quod tibi non vis, alteri ne feceris; bonum eſt faciendum, malum eſt fugiendum; & hæc inclinatio immortalis eſt, & incorruptibilis, ſicut ipſa eſſentia animæ, ad quam conſequitur: vnde in vniuerſis hominibus, etiam ſceleratiſſimis, integra permanet: atqui hæc inclinatio ſicuti non tollitur per peccatum, ita nec diminuitur. Alia eſt inclinatio ad virtutem propinqua, quæ in habitibus ſtudioſis conſiſtit; & hæc

Vtrùm inclinatio naturalis ad virtutẽ, ſit in omnib⁹ æqualis.

Diſcrimen inter habitum ſtudioſum & vitioſum.

D.Tho.

Vtrùm inclinatio naturalis ad virtutẽ per bona opera augeat.

D.Tho.

Reſolutio dubij.

Num peccata bonũ naturæ minuant, aut lædãt.

Primũ arg. pro parte negatiua.

Dion.ca.4. de diuinis nomi.

Secundum

Tertium.

Ari.1.Phy. tex.37.

Quartum.

& hæc ſicuti per peccatũ diminuitur, ita prorſus tollitur. Perperã ergo docet D. Tho. in articulis propoſitis, eſſe inclinationem naturalẽ ad virtutẽ, quæ diminuitur per peccatũ, & nõ prorſus tollitur. ¶ Iam verò (autore Ariſtot.) in anima tria tantummodò exiſtũt; paſsio, habitus, & potentia. Paſsio quidem nõ diminuitur per peccatum, quin potiùs augeſcit. Habitus verò ſtudioſus & diminuitur, & tollitur prorſus. Potentia verò ſemper manet integra, & immortalis: ergo ſiqua inclinatio hominis ad virtutem per peccatum diminuitur, certè eadem per conſuetudinem peccandi tandẽ auferetur: quod D. Tho. in præſenti loco vehemẽter inficiatur. ¶ Explicatio huius dubitationis hæc eſt. In anima noſtra bonorum quinq; genera exiſtunt, de quibus diligenter inueſtigandum eſt, num per peccatum diminuantur, tollantur, aut aliqua ratione lædantur. In primis eſt actus ſtudioſus, rationi conſentaneus: & hoc bonũ per actum peccati cõtrariũ prorſus tollitur. quod adeò manifeſtum eſt, vt non ſit oſtendendum. Deinde in ſecũdo genere ſunt habitus ſtudioſi, noſtris operibus acquiſiti: atqui de hoc genere bonorũ certiſsimum eſt q̃ per peccatum diminuitur, & per cõſuetudinẽ peccati penitus auferetur, veluti per vnũ cõtrarium deſtruitur alterũ. Quomodo autẽ habitus diminuantur, & corrũpantur, diſputat præclarè D. Tho. ſuprà q. 53. In tertio genere ſunt habitus diuini, quos Theologi infuſos appellant; de quo genere bonorum exploratum eſt cuiq; Theologo, quòd per quodlibet peccatũ mortale prorſus tollitur, exceptis fide, & ſpe, quæ in peccatore permanent; nõ tamẽ habent rationem virtutis, nec talẽ appellationem merentur. Verùm quomodo habitus infuſi non diminuantur, ſed prorſus tollantur per quodlibet peccatũ mortale, docet optimè D. Thomas. 2. 2. q. 24. ar. 10. Ad quartum genus pertinet potentia obedientialis, & habilitas ad recipiendam gratiã ex Deo; cuiuſmodi bonũ non poteſt totaliter auferri: eſt enim in eſſentia animæ rationalis, & ad eam neceſſariò conſequitur: eſt ergo prorſus incorruptibile. Certè nulla hominis peccata poſſunt Dei miſericordiã, & clementiã exhaurire ad ſaluandũ hominẽ: cæterùm hæc habilitas per peccatum diminui poteſt, & quò magis pergit peccãdi conſuetudo, magis minuitur: quò enim magis peccandi cõſuetudo pergit, tãtò magis homo elõgatur à Deo, qui eſt gratiæ principiũ: ergo tanto ſit magis ineptus ad gratiã recipiendã. Sanè quod plus calidũ eſt, plus ineptum eſt & inhabile vt frigus recipiat: ad eundẽ modum qui pluribus peccatis irretitus eſt, plus ineptus eſt vt recipiat gratiã. Sed hæc ſatis ſint ad noſtram aſſertionem comprobãdam, nã in alio loco tractatum eſt diligentiùs, quemadmodum peccandi conſuetudo difficilẽ reddat aditum ad virtutis viam; & quemadmodũ nemo facilè abducitur à vitijs in quibus natus & educatus eſt. Intelligat tamẽ Theologus, quòd hæc habilitas nõ minuitur per ablationẽ alicuius partis, alioqui poſſet aliquãdo totaliter auferri, & corrũpi; ſed diminuitur, quia ponitur impedimẽtũ ex parte termini, vel quia ponitur in ſubiecto cõtraria diſpoſitio ad formã, quã agens introducturus erat. Sed his omiſsis pergamus ad cętera. ¶ Quintũ genus quod ad bonum naturæ pertinet, eſt inclinatio ad virtutẽ; & hæc ſecũdùm ſe nec diminuitur, nec tollitur per peccatũ: eſt enim immortalis, & incorruptibilis, ſicuti ipſa eſſentia ad quã cõſequitur. Quod idem demõſtratur hac euidẽti ratione. Nam intellectus, quàmlibet magnos errores habeat, nõ deſtruitur, nec corrũpitur: ergo neq; iſta inclinatio ad virtutẽ. Verùm iſta inclinatio diminuitur, & impeditur per peccatũ ex parte termini, & operationis: inclinatio enim ad aliquam operationẽ impeditur per id quod in cõtrariũ inclinat: ſed peccatũ inclinat ad malã operationẽ: ergo diminuit inclinationẽ ad bonũ. Præterea, calor diminuit inclinationẽ ad frigus, error ad veritatẽ, & vniuerſum cõtrariũ ad aliud cõtrariũ: ergo peccatũ diminuit inclinationẽ ad virtutẽ. Quod etiã cõſtat rerũ experientia: videmus enim homines cõſuetudini peccãdi addictos difficilẽ ad virtutẽ cõuerti. ¶ Sed eſt obſeruãdũ, bifariã poſſe intelligi inclinationẽ hominis ad virtutẽ per peccatũ diminui; tum, per ablationẽ alicuius rei; tũ, per appoſitionẽ impedimẽti. Priori modo certũ eſt peccatum non minuere inclinationẽ ad virtutẽ, quia eſt incorruptibilis, vt dictum eſt. Poſteriori verò modo exploratũ eſt q̃ diminuat per modum impedimẽti & obſtaculi: ſiquidẽ per peccatũ elongatur homo à Deo in regionẽ diſsimilitudinis; & peccata ipſa diuidũt inter nos & Deũ; ſicuti ſi inter ſolẽ, & iſtũ aërem ponas impedimentũ, aër inhabilis fit ad recipiendã lucẽ, & quo plura poſueris impedimẽta, magis efficitur inhabilis: & ſicuti materia prima ſub forma aquæ magis inhabilis eſt ad recipiendam formam ignis, quàm ſub forma ligni, quanquàm ſuapte natura ad omnes formas inclinationẽ habeat; ſic de anima ſub peccato exiſtenti dijudicãdũ eſt. ¶ Ex dictis cõſequitur, inclinationẽ hominis ad virtutẽ non poſſe prorſus tolli per peccata, & ſi in infinitũ multiplicẽtur: non enim diminuitur inclinatio per ablationẽ alicuius rei, ſed per appoſitionẽ impedimenti, vt dictum eſt. Cuius rei alia extat demonſtratio, nimirùm, quia iſta hæc inclinatio eſt infinita ſyn-

Vltimum. Ari. 2. Eth.

Quinque bonorum genera in anima noſtra.

Actus ſtudioſus.

Habitus ſtudioſus.

D. Tho. Habitui infuſi.

D. Tho. Potentia obedientialis.

Inclinatio ad virtutẽ per ſe non minuitur per peccatum, bene tamen ex parte termini.

Nota.

Corollariũ

ta syncathegorematicè (vt vtar verbis scholæ) sicut intellectus & voluntas. Intellectus enim quacunque veritate apprehensa potest aliam apprehendere; & voluntas, quocunque bono amato potest aliud præterea amare. Ex alio etiã capite eadẽ veritas demonstratur; quoniã hæc impedimenta recipiuntur in potentia libera, quę potest vti, & nõvti pro sua libertate.

Obiectio. ¶Sed aduersus hãc sentẽtiã est vna obiectio. Nam eadẽ ratione sequitur quòd charitas diminuatur per peccata venialia; siquidem sunt impedimẽta charitati, vel eius feruori. Idẽ cõfirmatur: nã præcipuũ argumẽtũ quo Theologi cõuincuntur ad demonstrandũ peccata venialia nõ imminuere charitatẽ, est, quoniã si minuerent, per eorũ multiplicationẽ tandem charitas tolleretur. Hoc autẽ argumentũ esse prorsus inualidũ, ex dictis cõstat: siquidẽ peccata diminuũt inclinationẽ naturalẽ, quã penitus auferre nõ possunt.

Soluio. Ad hoc argumẽtum dicendũ est, non esse inconueniens aliquod cõcedere, q̃ peccata venialia diminuũt charitatẽ per impedimenti appositionẽ: dũ tñ nunquam concedat Theologus, quòd diminuant charitatem in se. Sed & illud dici potest, discrimen esse inter inclinationẽ naturalẽ, & charitatẽ; quòd inclinatio naturalis quodammodo est infinita, modo superiùs expositio: secus est de charitate: siquidẽ quælibet charitas finita est, & limitata. Est & alia differẽtia: nã peccata ideo minuũt inclinationẽ ad bonũ, quia inclinant ad aliquid cõtrariũ termino ipsius inclinationis, scilicet bono virtutis, sicut suprà dictũ est: ponũt enim impedimentũ ex parte termini, ne illum pertingat: peccata verò venialia nõ cõtrariantur termino ipsius charitatis, sed tantùm feruori actus. Vnde cõmuni sententia dicitur, quòd peccata venialia non deordinãt charitatẽ, sed eius feruorem impediunt. Ex ijs quæ fusiùs disputata sunt, soluũtur omnia argumẽta proposita. Verissimè enim cõcludũt, quòd peccata nõ diminuunt bonũ naturę per ablationem alicuius rei, falsò tamẽ cõcludunt non diminuere per impedimẽti appositionẽ.

Vtrùm per multiplicationem peccatorũ, bonum naturæ penitus auferatur. Primum argumẽtũ. ¶Sequitur alia dubitatio: Vtrùm per peccatorum multiplicationẽ, & cõsuetudinẽ, bonũ naturæ penitus auferatur? Affirmatio quæstionis ijs argumẽtis suadetur. ¶Principiò, dãnati in inferno nullã inclinationẽ, nullamve habilitatem habẽt ad virtutẽ; siquidẽ ad virtutem reparari non valent, sicuti nec cęcus ad visum.

Secundum ¶Deinde, dæmones (in quibus hæc res fit manifestior) habẽt liberũ arbitrium inflexibile in malo: ergo nõ possunt in bonũ deflecti.

Tertium. quod ita esse affirmat vniuersa Theologia. ¶Præterea, sine libero arbitrio nõ potest esse inclinatio ad virtutẽ: sed D. Augustinus asserit apertè quòd grãditate peccati liberũ arbitriũ perdidimus: ex quo cõsequẽs est, q̃ omnẽ inclinationẽ ad virtutẽ perdiderimus. ¶Itẽ, q̃ homo sit cõditus ad imaginẽ, & similitudinem Dei, ad substãtiã rationalis animæ refertur: at D. Aug. dicit; hominẽ peccãdo imaginẽ Dei perdere: & idẽ habet Origenes, igitur homo per peccatum aliquod principiũ naturę perdidit, & amisit. ¶Vltimò, in homine est duplex inclinatio; altera in bonũ; altera in malũ: de quibus loquitur Paulus, cùm inquit; Sentio aliã legẽ in mẽbris meis, repugnantẽ legi mẽtis meæ, & iterũ; Caro cõcupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnẽ. Cùm igitur istæ inclinationes sibi inuicem aduersentur, poterit vna alteram euincere, & omnino destruere. ¶Nihilomin⁹ veritas est, peccata, quãtũcũq; in cõsuetudinẽ ducãtur, & inueterata sint, non posse omnino tollere bonũ naturæ; nec eius inclinationẽ ad virtutẽ. quod in superioribus satis demonstratũ est. Idq; vel sola experiẽtia cõstat: nũquam enim homo sic pessimus est, quin aliqñ bonũ affectũ habeat, studiosum desideriũ, aut opus aliquod bonũ faciat: vnde dicit D. Aug. Non adeò imago Dei peccatis est addicta, quin etiã in impietate vitæ possent homines facere aliqua legis opera, de quibus fortè dicere possumus, q̃ habẽt opus legis scriptum in cordibus eorũ: id est, nõ omnino deletũ. Et addit, q̃ in impijs sunt quædã bona opera, sine quibus difficillimè vita hominis pessimi transigitur. His cõstitutis, ad argumẽta proposita dicendũ est.

**Ad primũ, q̃ in dãnatis omni dubio procul manent inclinatio, & aptitudo ad virtutẽ: vnde etiã dæmones in inferno habẽt remorsum cõsciẽtiæ. Sed quòd hæc aptitudo ad actũ nõ reducatur, est, quia deest diuina gratia, propter ordinẽ diuinæ iustitiæ; quemadmodum in homine cæco est aptitudo naturalis ad videndũ, siquidẽ homo est animal aptũ natũ ad videndũ: q̃ si hæc aptitudo ad actũ reduci nequit, ex eo est, quia nõ est causa quæ possit efficere organũ ad videndũ necessariũ. Sed ratio vera est, quare dæmones nõ possunt bene operari (quã sæpe persequitur D. Tho. præcipuè 4. cõtra gent. c. 95.) quia omnia ordinãt in malũ finẽ, propter peruersam intẽtionẽ finis quã habẽt, quæ ab eis remoueri nõ potest: quia translata est ad statũ immutabilitatis. ¶Ad secũdũ argumẽtum eadẽ solutio adhibẽda est. Ad tertiũ argumentũ confutandũ sciẽdum est, quòd D. Augu. vbi cũ Pelagianis disserit, qui libero arbitrio omnem facultatem tribuebãt ad promerendam iustitiam coram Deo, ipsum liberum arbitrium maximè deijcit, veluti in alterum extremum inclinans. Vera igitur expositio D. Augustini est, quòd post peccatum, liberum

Aug. in Enchi. ca. 30. & li. de spiritu & litera. c. 30.

Quartum. Aug. lib. 6. de Gen. ad literã. c. 27 & 28.

Origẽ. homilia. 1. in Gen.

Vltimum, Paulus.

Resolutio dubij.

Aug. li. de spiritu & litera ca. 27. & 28.

Soluuntur argumẽta.

Ad primũ argumen.

D. Tho.

Ad secũdũ argu. & ad tertium.

August.

liberum arbitrium est adeò captiuum (vt ita dixerim) & venditum sub peccato, vt absque gratia Dei Saluatoris nostri ab eo exurgere non valeat: cæterùm non est sensus, quòd liberum arbitrium post peccatum habeat necessitatem operandi. Quod vt exactiùs intelligatur, sciendū est, quod D. Bernardus in opusculo de libero arbitrio, distinguit triplicem libertatem; a peccato, à miseria, à necessitate operādi. Hanc tertiam dicit esse inamissibilē. Dicit rursus, à necessitate operādi hominem liberatore no indigere, à peccato verò, & à miseria maximè indigere; à quo vtroque malo nemo vnquam liberatur, nisi per eum qui est inter mortuos liber. ¶ Ad quartum argumentū depellendum sciendum est, illam sententiam; homo per peccatum perdit imaginem Dei; esse expositam, & retractatam à D. Augu. libro. 2. retractationum. c. 24. Non sic, inquit, intelligēdum est, quasi nulla in homine peccatore imago Dei permaneat, sed quia ita deformis maneat, vt reformatione opus habeat. Et Epiphanius refert prædictam sententiam inter errores Origenis præcipuos. Sed certè non meretur tam grauem censuram. Nam si imago Dei referatur ad substantiam rationalis animæ, imago Dei per peccatum nunquam perditur; manēt enim naturalia post peccatum integra: si verò imago Dei ad dona gratiæ referatur, ad quæ pleriq; sanctorū referunt, vt Ambrosius verissime dicitur, quòd per peccatū mortale perditur. ¶ Ad vltimum argumentū negatur consequentia: ostensum namque est in superioribus, ex multis causis non posse bonū naturæ à malo totaliter vinci, aut superari. Sed & alia ratio idem demōstrat. Etenim ratio nostra semper potest verum videre, & cōspicere, semper à malo cogitationem auertere; neq; enim potest in omnibus errare; & sic à malo destrui omnino nō potest; maximè quòd malū fundatur in bono, & ideo si bonū nō esset, malū nō esset vt demōstrat D. Tho. 1. p. q. 48. ar. 3. & 4. ¶ Sequitur aliud dubium; Vtrùm quodcúque peccatum, bonū naturæ diminuat. Ratio propositæ dubitationis est propter peccatū omissionis, quæ cùm priuatio sit, nihil potest efficere, neque diminuere. Idem confirmatur: nam peccatum diminuit bonum naturæ, qua ratione generat habitum vitiosum inclinantem cō tra virtutem: sed omissio, cùm sit priuatio, nō generat habitum vitiosum: habitus enim non generatur nisi ex actibus, vt constat ex philosophia morali: ergo peccatum omissionis non diminuit bonum naturæ. ¶ In hac dubitatione exponenda illud pro certo statuēdum est, virtutes, & habitus studiosos per omissiones voluntarias totaliter auferri: nā per solam cessationem ab opere auferuntur, & destruūtur, vt ostendit D. Tho. supra q. 53. articu. 3. multò ergo magis per omissiones voluntarias corrūpi necesse est. Sed & illud verissimum iudico per omissiones volūtarias habitum vitiosum in animis nostris produci: siquidē in omissionibus voluntarijs virtualiter, & interpretatiuè includitur volitio omittendi præcepta virtutis, ex qua volitione, si sæpiùs repetatur, & in consuetudinem ducatur, prauum habitum gigni tandem necessarium est: ex quo consequens est, quòd peccata omissionis bonū naturæ vtcumque diminuant.

¶ Vltima dubitatio; Vtrùm per actus indifferentes; cuiusmodi sunt comedere carnes, sic, vel aliter vestiri &c; bonum naturæ diminuatur? Sed hæc dubitatio in doctrina D. Thomę locum non habet: docet nāque D. Tho. suprà quæstio. 18. articu. 8. & 9. quòd non dantur actus indifferentes in indiuiduo exerciti: quā doctrinam in lòco commemorato diligētiùs examinauimus.

Bernar.

Ad quartū.

Auguſt.

Epip. Epiſt. ad Ioā. Episcopū Hierosoly.

Ambro. Coloſſ. 3. in illud qui renouat, &c. & 1. Cor. 15 portemus imaginē. &c.

Ad vltimū.

D. Tho.

Vtrū quodcúque peccatum minuat bonū naturæ.

Reſolutio dubij.

D. Tho.

Vtrùm per actus indifferentes naturæ bonū diminuatur.

D. Tho.

ARTIC. TERTIVS.

¶ Vtrùm conuenienter ponantur quatuor vulnera naturæ ex primo peccato deriuata; videlicet ignorantia, malitia, infirmitas, concupiscētia carnis?

SVMMA TEXTVS.

Concluſio.

Concluſio est affirmatiua, quam probat D. Th. in primis autoritate Bedæ, qui Lucæ cap. 10. dicit in hunc modum; Homo descēdens à Hierusalem in Iericho, id est, in defectum peccati, expoliatur gratuitis, & vulneratur in naturalibus; & numerat prædicta quatuor vulnera. Habetur hæc sententia Bedę in glossa ordinaria Lucæ. 10. Deinde probat eleganti ratione. Cùm enim per iustitiam originalē ratio contineret in officio omnes vires inferiores, superueniente peccato primi parentis, subtracta tali iustitia, vires animæ remanserunt quo dāmodo destitutę proprio ordine

Beda.

quo ad virtutem ordinabantur; & hæc deſtitutio, vulneratio naturæ dicitur. Potentiæ autem & vires animæ, quæ ſubiecta virtutum eſſe poſſunt, ſunt quatuor; videlicet ratio in qua eſt prudentia; voluntas in qua eſt iuſtitia; iraſcibilis in qua eſt fortitudo; & concupiſcibilis in qua eſt temperantia. Sic igitur, inquantum ratio deſtituitur ſuo ordine ad verum, eſt vulnus ignorantiæ; & prout voluntas deſtituitur ſuo ordine ad bonum, eſt vulnus malitiæ; ſed vt iraſcibilis deſtituitur ſuo ordine ad arduum, eſt vulnus infirmitatis; inquantum verò concupiſcētia deſtituitur ſuo ordine ad delectabile, eſt vulnus concupiſcentiæ. Sunt itaque quatuor vulnera inflicta humanæ naturæ ex peccato primi parentis.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Sententia Bedæ expo nitur.

IN explicatione huius articuli exponendum eſt, quem ſenſum habeat illa ſententia Bedæ ab omnibus ſcriptoribus vſurpata; Hominē ex peccato primi parentis expoliatum eſſe gratuitis, & vulneratum in naturalibus? & quę nam ſint illa vulnera naturæ noſtræ inflicta? hoc enim cuique Theologo difficillimum eſt ad explicandum. In gratiam huius ſtatuitur prima concluſio. ¶ Homo ex illo peccato non amiſit aliquod principium naturale: nam (vt habet D. Diony. quem ſequuntur vniuerſi Theologi in ſecūdo. diſtinctione. 30.) naturalia manſerunt integra poſt peccatum. Idque ratio euidens probat: quoniam Deus, qui naturam noſtram dono ſupercœleſti iuſtitiæ originalis exornauerat, non alio ſupplicio affecit, quàm eam gratuito ſuo dono expoliatā relinquēdo. Propter quod eſt ſententia omnium Theologorum, inter hominem conditum in puris naturalibus, & inter hominē poſt lapſum, nihilo differre (excipio culpam) quàm inter hominē nudum, qui nunquam fuit veſtitus, & inter hominem expoliatum veſtibus, quibus veſtitus fuerat; ambo manent æquè nudi: ſed differt, quòd nuditas in primo non eſt pœna, ſed conditio naturæ; in ſecūdo verò pœna eſt propter peccatum impoſita. ¶ Ex hac concluſione infertur primò, quòd quantum ad ſufficientiam naturæ humanæ ad opera naturæ proportionata, idem eſt iudicium de ea in puris naturalibus, & poſt lapſum: quia vtrobique vires ſunt eodem modo diſpoſitæ, licèt non ſit idē, quantum ad meritum, & demeritum. ¶ Secundò infertur, quòd differētia inter naturam lapſam, & in puris meriſq; naturalibus, ſola eſt, quòd defectus qui inueniūtur in natura humana, in puris naturalibus quidem habēt rationem naturalium conditionum, in natura verò lapſa habēt rationem pœnæ, corruptionis, vulnerū &c. Horum omniū cauſa ex principijs Theologiæ educta, hæc eſt: quoniam deſtitutio ſequens expoliationem gratiæ, & iuſtitiæ originalis, non eſt effectus, niſi per accidens, ſcilicet remouens, prohibens. Iuſtitia enim originalis ſolùm impediebat aliquos effectus, & cō ditiones naturales ipſarum potentiarum animæ: vnde eſt quod appetitus repugnat rationi. Remoto ergo illo prohibente, remanēt purè naturalia, ſicuti eſſent in puris naturalibus; veluti corpus noſtrum non eſt magis corruptibile in natura lapſa, quàm fuiſſet in puris naturalibus. Hæc eſt vera, diuinaque Theologia, quam docent vniuerſi Theologi; nominatim Caietanus hoc in loco, & infrà quæſtione 109. art. 2. Marſil. in. 2. q. 18. art. 1. Doctiſsimus pater Soto. 1. libro de natura & gratia capi. 13.

Prima con. Adā ex pec cato nō amiſit aliquod naturale princi pium. Dion. ca. 4. de diuinis nomi.

Primū co rollarium.

Secundum corolla.

Caieta.

Soto.

¶ Secunda concluſio. Peccatum illud primum non diminuit bonum naturæ: nam peccatum (vt ſuperiùs oſtenſum eſt) eatenus diminuit bonum naturæ, quatenus generat habitum vitioſum: at peccatum illud antiquum non generauit habitum vitioſum, nec aliquam morbidā qualitatem, vt retrò contra Gregoriū expoſitum eſt: non ergo diminuit bonum naturæ. Neque hoc vllo modo contrariatur Caietano hoc in loco dicenti, quòd peccatum originale diminuit bonum naturæ: hoc enim in hoc ſenſu dictum eſt, quia ſuſtulit ordinem naturæ conſentaneum, & vulnerauit naturam modo ſuperiùs expoſito: cæterùm non diminuit inclinationē naturalē ad bonū, neque impedimentū aliquod præbuit. quod euidēti argumēto cōprobatur. Nā (vt ſuperiùs ſæpe animaduerſum eſt) eadē eſt inclinatio hominis in puris naturalibus, & in peccato originali: ergo propter peccatum originale, inclinatio naturalis ad bonum non eſt diminuta, aliàs eſſet minor in homine in peccato originali exiſtenti.

Secūda cō. Peccatum Adæ nō minuit bonū naturæ.

¶ Tertia concluſio. Per peccatum illud antiquum non fuit ablata aliqua potentia naturalis, nec facultas naturalis liberi arbitrij. Hæc

concluſio

conclusio liquidò constat ex præcedentibus.

Quarta cõ. Peccatum Adæ abstulit potẽtiã supernaturalem.

¶ Quarta conclusio. Per peccatum illud antiquum ablata est potẽtia supernaturalis. Nam priùs quàm homo in peccatũ laberetur, poterat nõ mori, poterat mereri, & vniuersum bonũ virtutis sine difficultate perficere: at postquam homo lapsus est, non potest non mori, nõ potest corã Deo mereri, neq; omne bonũ virtutis perficere, nisi per Christum sanetur, & in pristinã libertatẽ restituatur. Huic veritati consonat D. Aug. cùm dicit; Libertas quidẽ perijt per peccatum, sed qualis fuit in paradiso habendi plenam tum immortalitatẽ, tum iustitiam; qui modus loquendi in D. Aug. maximè obseruãdus est, ne quis errore deceptus arbitretur, liberũ arbitrium grauitate peccati omnino perijsse.

Aug. 1. lib. cõtra duas Epistol. Pelag. c. 2.

Quinta cõ. Appetitus sensitiuus post peccatum.

¶ Quinta conclusio. Appetitus sensitiuus post lapsum nõ intensiùs fertur in bona sensilia, quàm si esset cõditus in puris, merisque naturalibus. Hæc cõclusio apertè sequitur ex prædictis, si bene expendãtur. Certè differt inter appetitum sensitiuũ post lapsum, & in puris naturalibus, sicut inter molem quæ priùs impedita ab alto cadit, & inter molẽ quę inde cadit nunquã priùs impedita: sanè ęquali impetu descendunt.

Quomodo homo post peccatum vulneratus dicatur.

¶ Sed dicet Theologus; Quem ergo sensum habet illud prouerbium; Hominem per peccatũ in naturalibus esse vulneratum? Triplicem huius rei inuenio apud autores commẽtarium. Primus est; quòd cùm de natura hominis sit, rectè, & studiosè viuere (hoc enim significat quòd homo sit rationalis, id est, natus vt viuat secundum rationem) donum iustitię originalis in naturalibus maximè hominẽ perficiebat; qua de causa ablatio huius doni, vulneratio in naturalibus appellatur; sicuti si esset perfectio hominis naturalis rectà incedere, & haberet canẽ alio trahẽtem: qui canẽ arceret, perfectionẽ hominis naturalem modis omnibus adiuuaret; qui verò hoc præsidiũ tolleret, læderet hominẽ in naturalibus, atq; vulneraret. cõmentarius est valde clarus, & probabilis. Secundus cõmentarius est; quòd naturalis hominis facultas & potestas ex coniunctione ad donũ iustitiæ originalis vim quandam, & vigorem habebat, vt posset ex cõcursu Dei generali vniuersum bonũ virtutis sibi proportionatũ perficere; quam facultatẽ primo illo peccato perdidimus, & ideo in naturalibus fuimus vulnerati. Commentarius certe diuinæ Theologiæ maximè consentaneus, de quo copiosè disputat Caieta. infrà. q. 109. art. 2.

Caieta.

Falsa quorundam explicatio.

¶ Tertius cõmentarius est quorũdã Theologorum extraordinarius, & à cõmuni consensu Doctorum alienus, nempe quòd homo conditus in puris merisq; naturalibus ille erit, qui ex facultate naturæ solo Dei cõcursu generali potest vniuersum bonum virtutis naturæ nostræ proportionatum sine difficultate perficere. Itaque multis differt inter hominem conditum in puris naturalibus, & post lapsum: siquidem homo in puris naturalibus habet facultatem, & adiutorium diuinum, quo possit perfectè & integrè omnia præcepta iuris naturalis perficere; post lapsum verò hanc potestatẽ non habet, nisi sanetur per Christũ. Deinde, in puris merisque naturalibus poterat omne peccatum cauere, quod rationi naturali aduersaretur; post lapsum verò minimè, nisi gratia Christi illi subueniat, & suppetias ferat. Ad hæc, in puris naturalibus, nõ habet homo appetitum sentientem rebellem, & rationi cõ tradicentem; at post lapsum appetitus sentiẽs contradicit rationi: de cuius pugna & rebellione, loquitur Paul. cùm inquit, Caro cõcupiscit aduersus spiritum &c. & alio loco; Sentio aliã legem in membris meis, &c. Ex his colligunt prædicti autores; quomodo homo per peccatum fuerit in naturalibus vulneratus: perdidit namque facultatem perficiendi omne bonũ, cauendique omne peccatum: amisit insuper pacem illam, & tranquillitatem inter rationẽ, & appetitum sentientem, quam vtiq; haberet in puris naturalibus.

Paulus.

Arguitur pro hac sententia. Aug. li. de correptione & gratia ca. 11.

¶ Porrò quòd hanc facultatem haberet in puris naturalibus, probãt primò ex autoritate D. Augustt. dicentis; Si Deus homini adiutorium non dedisset, quo permaneret, si voluisset, non vtique sua culpa cecidisset; ex quo efficaciter sibi videntur concludere, quòd si Deus homini in puris naturalibus constituto non dedisset adiutoriũ, & facultatem qua permaneret, si voluisset, nõ vtique sua culpa cecidisset. Idem prosequitur Augu. libro. 3. Hypognosticon fusisimè; dicit enim ex hoc peccasse primum hominem, quoniam potuit permanere si voluisset; & subdit, hanc potestatem permanendi in bono, & cauendi omne malum à libero arbitrio in pœnam peccati fuisse ablatam.

Augustt.

Hæc omnia confirmantur maximo argumẽto. Nam si homo in puris naturalibus constitutus ex auxilio Dei generali non poterat vniuersum bonũ naturæ proportionatũ perficere, & vniuersam legẽ naturalẽ adimplere; cõsequens est vt ex necessitate aliquãdo in peccatũ mortale laberetur; sicut sentiunt Theologi de homine post lapsum: sed peccato mortali, secũdũ ordinem iustitię diuinæ, debetur suppliciũ æternũ: ergo ex necessitate miser, & dãnationi obnoxius erit homo in puris naturalibus cõstitutus; siquidem in tali statu nõ habet auxiliũ gratiæ, quo à peccato exurgere valeat: (Disputamus em̃ de homine in puris naturalibus, qui nec ad gratiã superna turalem, nec ad gloriã sit destinatus.) Asserere

Difficile argumentum pro hac sententia.

verò quod homo in puris naturalibus conditus ex necessitate debeat esse miser, & infelix absurdissimum dogma est; siquidē natura humana si in suis naturalibus cōsideretur, futura esset omnium miserrima, & infelicissima, quæ nunquā suum finem adipisci posset. Hæc sententia, superiùs commemorata falsissima est. Nam ex sententia omnium Theologorū naturalia mānserunt integra post peccatum, tum in Angelis, tum in hominibus: at natura humana post lapsum non habet istam integritatem, & perfectionem, vt experientia demonstrat, & doctrina diuina ostendit: ergo hæc præstātissima perfectio non inueniretur in homine, si in puris naturalibus conderetur. Deinde, homo, vt ex philosophia naturali euidens est, constituitur ex corpore, & anima, ex carne & spiritu: caro verò de se contradicit spiritui: homo igitur in puris naturalibus constitutus ex necessitate haberet pugnam inter carnē & spiritum, quæ illum ad peccandū pertraheret. Præterea, si hęc facultas, & hoc Dei adiutoriū, sanans naturā deberetur homini cōstituto in puris naturalibus, consequens est quòd homo post lapsum esset monstrum, & mancā, & deficientē haberet naturā; siquidem careret principio suæ naturæ debito, sicuti si careret intellectu aut auxilio Dei generali. Augustinus verò, qui contrariæ sententiæ fauere videtur, sic explicandus est; nimirum hominem cōditum in puris naturalibus necessario habiturū sufficiens adiutorium ad cauēda singula peccata, & ad singula præcepta seruanda, non tamē ad omnia simul, & per totam vitam: quemadmodum potest quisque, Grammaticam, Rhetoricam, Physicam, & cæteras scientias addiscere: nemo autem hominū, licèt ingenio valeat, potest omnium scientiarum simul peritiā habere. Exemplum est quo vtitur D. Hiero. ad hāc veritatem confirmādam. Sed & illud dici potest, D. Augustinū loqui de illo magno crimine, quod primus parens admisit quod certè non adeò magnum fuisset, si iustitiam originalem à Deo non suscepisset, qua facile tantū facinus cauere potuit, & in bono persistere. Argumētū verò quo hæc sententia cōfirmabatur, certè validum est (quid enim manifesta negemus?) sed eius explicatio & confutatio in alio loco, infrà in materia de gratia adhibenda est. ¶ Sed proximum est, vt explicemus, quæ sint vulnera nostrę naturę ex illo peccato inflicta, in particulari, & sigillatim. Certè vulnera, & defectus qui ex peccato originali in nos transierūt, sermone idoneo explicari nō possunt: nulla enim vox humana satis dicere queat, quanta sit egestas, quāta nuditas, & pauperies, quātę calamitates, & ęrūnæ, quę ex hoc peccato subsequutæ fuēre; quàm destructa, & dissipata nostra natura permanserit; quàm inhabilis, & inepta ad bonum. Inter has autem miserias quatuor tātùm commemorare volo, quæ omniū aliarum fontes sunt, & principia. ¶ Prima est, quòd homo in peccatis fuerit conceptus: quam miseriam, in suum patrocinium, & vt suum peccatum extenuet, adducit Dauid, cū dicit; Ecce in iniquitatibus cōceptus sum; appellat iniquitates, & peccata, ipsum peccatū originale. Nam (vt prędarè quidam Doctores obseruant) tametsi peccatum originale vnum sit, in virtute, & in energia cōtinet omnia. Ex eo nāque, veluti ex radice, & ex mortis vena, omnia nascuntur: ex quo nimirum fit, quòd difficillima nobis via virtutis sit; quòd apertè significat Iob cùm dicit; Quis potest facere mundum de immūdo conceptum semine? Sicut enim lana, quæ priùs tincta est, difficillimè, & ægerrimè ab illo colore eluitur: sic sanè malitia peccati originalis nobis natiua, & à primordio vitæ nostrę insita, quomodo vinci poterit? Quòd si testa odorem, quem à principio imbibit, seruat diu; si ea quæ cum lacte percipimus, difficillimo labore superamus, quid obscuro erit de vitijs, quæ lacte ipso antiquiora sunt, quæ in matris vtero iam erāt, & inde nobiscum prodierūt? ¶ Ex hac miseria oritur alia non parua, deordinatio, & discordia omnium potētiarum animæ, & earum dissipatio, & destructio. Quemadmodum enim paruū fermē tum totam consperſionem corrumpit, & acidam reddit; & sicuti venenū epotum per vniuersa membra diffusum, ea omnia inficit; sic sane fermētum illius peccati, & venenum per vniuersas potentias animæ nostræ diffusum, eas destruxit, & cōmaculauit. Intellectus, quæ prima & præcipua animæ potentia est, obscuratus est ne intelligat ea, quæ Dei sunt, euanescit in suis cogitationibus, ad Deum nūquam attollitur, acumen suum, & omnem mētis aciē in terram deflectit. Memoria verò, quàm dissipata est, quàm diuisa in multa, quæ nunquam Dei, & suorum iudiciorū recordatur! Verùm inter omnes vires animæ, quæ ad cognoscendum valent, quàm inquieta māsit imaginatio, quàm inobediēs rationi, quæ per tēporis momētū in Dei cogitatu detineri nō valet, discurrit per orbē vniuersum inquieta, ac veluti folīū arboris, quod ad omnē ventū circūfertur. Sed quid dicam de destructione, & perditione appetitus nostri? quod sterquilinium tam fœdum, & horrendum? quæ, rogo, lacuna tam lutulenta, & cœno plena, quę tales vapores de se emittat? propter quod præclare dixit Ecclesiasticus; Quid nequius quàm quod excogitauit caro & sanguis? quis enim potest explanare multi-

Refellitur prędicta sententia.

Homo in peccatis cōcipitur.

Pſal. 50.

Iob. 14.

Omnes animæ potentię post peccatum sunt discordes & deordinatæ.

Eccleſi. 17.

Explicatur D. Augu.

Hieron. in dialog. cōtra Pelag.

Ad aliud argumentū.

Vulnera quæ ex peccato Adæ prouenerunt.

multitudinem spurcitiarum tam variam? delectationum & voluptatum turpium inuentiones? causa horum defectuum est perdidisse iustitiam originalem. Nam sicuti caro sale à corruptione preseruatur, quo deficiente, cõtinuò in corruptionem pergit; sic sanè natura humana hoc dono cœlesti à morte & interitu præseruabatur, quo deperdito (misera res) omnes potentiæ, & vires hominis destructæ, & dissipatæ fuere. Ex hac eadem radice nascitur & aliud malum, nimirum amor proprius, filius primogenitus peccati originalis: peccatũ em originale in causa est vt homo auertat oculos suos à Deo, & in amorem sui cõuertat, facitq; vt homo se, & omnia sua plus amet quàm Deum. De hoc amore verissimè dixit D. Aug. quòd est radix, & fomes omnium peccatorũ: nemo enim peccat nisi propter aliquod bonum, quod sibi inordinatè amat; quod quidẽ præ Deo, & præ cœlestium mandatorum obedientia eligit. ¶ Ex hac commemorata miseria sumpsit initium alia nõ minor, cuiusmodi est, hominem degenerẽ esse, & à nobilitate sui generis abhorrere, & fieri bestiam, & in bestiarũ transire consortium. Hanc calamitatẽ deplorabat vates ille regius, cũ dicebat; Homo cùm in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis, & similis factus est illis. Nam, vt præ termittã multa in quibus homo bestijs sit cõparatus, certè quemadmodum bestiæ nihil amant, nihil quærunt, nihil desiderant, nisi bona hæc sensibilia; quia aliorum bonorũ capaces non sunt; sic homines culpa sua, & magno errore suo in cõditionem, & ingenium bestiarum transierunt; siquidem nihil cogitãt, nihil expetunt, nihil curãt, nihil docẽt, nihil sapiũt, nisi bona terrena; non recolũt se homines natos, non quòd vsum rationis à Deo acceperint, non quòd lumen diuinæ sapiẽtiæ illis effulserit, non diuinæ legis præcepta considerant, sine spe alterius vitæ viuentes, veluti pecudes, omnia bona & mala ex vtilitate, & detrimento corporis metientes. Qui tametsi rationem habeant, & intellectum, in quibus pecudes superant, dic obsecro quid illis prodest rationem, & intellectum habere, nisi vt istę potẽtiæ nobilissimæ, carni & sensibus deseruiãt? Propter quod homo, omnium bestiarũ infelicissimus, non solùm in bestiam transit, sed bestia peior efficitur: bestia enim semel bestia est; homo verò bis bestia efficitur, tum appetitu tum ratione: ratio enim captiua tenetur, vt carni, & sanguini deseruiat. Quæ, rogo, maior calamitas, quàm vt homo baptizatus, qui supra Angelos sese attollere potest, in gradũ bestiarũ sese deijciat? Sic sanè mansit homo post lapsum, similis factus iumẽtis, expoliatus gratuitis, vulneratus in naturalibus, eiectus de paradiso, inimicus Dei, filius iræ, exclusus à bonis gloriæ. Sic prodijt in hunc mundum ex vẽtre matris suæ: hæc enim est hæreditas filiorũ Adam. Demum si intelligere cupis formam, & modum, quem habet miseriæ humanę status, considera qualis permanserit Iob, postquam permissione diuina Satanæ fuit traditus, perditis suis rebus, gregibus & armentis igne de cœlo immisso cõsumptis, dirutis domibus, filijs demortuis, & laceratis, ipse vlcere pessimo à planta pedis vsque ad verticem eius percussus, qui ad siccanda vulnera non molliculis linteolis vtebatur, sed immundam saniẽ testa excipiebat, sedẽs in sterquilinio. Ad eum modum nostra anima permansit postquam potestati diaboli per peccatum fuit tradita; sicque permansit homo gratuitis expoliatus bonis, in naturalibus vulneratus, eiectus de paradiso in sterquilinium huius mundi, nõ habẽs aliud quo possit immundam saniem suæ malæ inclinationis radere, & excipere, quàm testam confractam liberi arbitrij; quod licèt libertatem habeat vt ad breue tempus peccato non consentiat, non habet libertatem vt non tentetur, aut ad malum solicitetur. Hactenus ex parte descripsimus miserias & ærumnas naturæ humanæ post lapsum.

Amor proprius primogenitus peccati originalis.

Augustin.

Ex peccato origi. homo ignobilis & degener factus.

ARTIC. QVARTVS.

¶ Vtrùm priuatio modi, speciei, & ordinis, sit effectus peccati?

SVMMA TEXTVS.

Conclusio.

Conclusio est affirmatiua. Pro cuius explicatione intelligẽdum est, esse diuersos gradꝰ modi, speciei, & ordinis. Est enim quoddam bonum pertinẽs ad ipsam substantiam naturæ, quod habet suum modum, speciem, & ordinem: & illud nec priuatur, nec diminuitur per peccatum. Est etiã quoddam bonum naturalis inclinationis, & illud suum habet modum, & speciem, & ordinẽ; quod per peccatum diminuitur, sed nõ prorsus tollitur. Aliud est bonum gratiæ, quod hęc tria habet; sed to-

taliter tollitur per peccatum mortale. Eſt etiam quoddam bonum, quod eſt ipſe actus ordinatus, habens ſuum modũ, ſpeciem, & ordinem: & huius priuatio eſt ipſum peccatum eſſentialiter. Vnde patet qualiter peccatum eſt priuatio modi, ſpeciei, & ordinis, & hæc tria priuat.

EXPLICATIO ARTICVLI.

IN hoc articulo explicandum eſſet in primis, quomodo bonum vniuerſum conſiſtat in modo, ſpecie, & ordine: ſiue (quod idẽ eſt) in numero, pondere, & menſura: & quomodo peccatum hæc tria priuet, & tollat. Sed hoc plenè explicatum eſt prima. p. q. 5. & ideo ab eius inueſtigatione ſuperſedendum eſt. Illud habet maiorem dubitationem; quid eſt quod dicit D. Tho. peccatum eſſentialiter eſſe priuationẽ actus ordinati? cuius contrarium ſuperiùs definitum eſt, nimirùm peccatum eſſe actum priuatum, & non priuationem. Hoc dubium elucidat hic Dominus Caieta. optimè. Non enim vult D. Tho. peccatum eſſentialiter eſſe priuationem, ſed intendit, quòd cùm peccatum priuet diuerſa bona, modo, ſpecie, & ordine, priuat modis diuerſis: nam pertinentibus ad bonum gratiæ priuat demeritoriè; pertinentibus verò ad bonum inclinationis priuat effectiuè; pertinentibus ad bonum ipſius actus priuat formaliter. Quia igitur priuat formaliter, dictũ eſt, quòd eſt eſſentialiter priuatio. ¶ Alia explicatio eſt, quòd peccatum, vt eſt in genere mali, priuatio eſt; malum enim in genere priuatio eſt; ſed vt eſt in genere moris, & volũtarij, priuatio nõ eſt, ſed actus cõtra virtutẽ.

Vtrùm peccatum priuatio ſit.

Caiet.

ARTIC. QVINTVS.

¶ Vtrùm mors, & alij defectus corporales, ſint effectus peccati?

SVMMA TEXTVS.

Prima cõc. PRima Concluſio. Peccatum primi parentis fuit cauſa mortis, & defectuũ in humana natura: per tale enim peccatũ ſublata fuit iuſtitia originalis, per quam non ſolùm inferiores animæ vires continebantur ſub ratione ſine omni deordinatione, ſed totũ corp⁹ ſub anima ſine defectu: ſubtracta igitur iuſtitia originali per peccatum Adæ, ſicut vulnerata eſt humana natura quantum ad animam per deordinationem potentiarum; ita facta eſt corruptibilis per deordinationem ipſius corporis. ¶ Secunda Concluſio. Peccatum non fuit cauſa per ſe iſtorum defectuum, ſed quaſi remouens prohibẽs, ſicuti patet ex præcedenti cõcluſione. ¶ Tertia Concluſio. Iſti omnes defectus, ſunt pœna peccati: nam ſubtractio iuſtitiæ originalis habet rationem pœnæ: ergo mors, & omnes defectus corporales conſequentes habent veram rationem pœnæ: quãuis enim tales defectus nõ ſint intenti à peccante, ſunt tamẽ ordinati ſecundũ iuſtitiã Dei puniẽtis.

Secunda.

Tertia.

EXPLICATIO ARTICVLI.

IN explicationem huius articuli obſeruandum eſt, eſſe certam definitionem fidei catholicæ, mortem, & alios defectus corporales, eſſe effectus peccati originalis. Patet ex illo; In quacũque die comederis ex eo, morte morieris. & ad Rom. 5. Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, &c. & cap. 6. Stipendium peccati mors. Sapien. 1. Deus mortem non fecit, ſed impij ſuis manibus accerſierunt eam. & ca. 2. Deus fecit hominem inexterminabilem, &c. Sed inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarũ. & Eccli. 25. habetur; A muliere initiũ peccati, & per eam omnes moriuntur. Sed & hæc veritas definita eſt in Concilio Mileuitano, Arauſicano, Tridentino, & in Concilio Africano. c. 76. cõtra Pelagium, dicentem quòd quamuis homo nõ peccaſſet, moreretur: cõtra quem diſputat Auguſtinus multis in locis ſuorum operũ, vt. 13. de ciuitate. c. 15. & alibi ſæpe. ¶ Illud etiã ſciendum eſt, quòd quemadmodum chriſtiani ſola fide tenemus eſſe peccatum originale, ſic ſola fide ſumus perſuaſi hos defectus ex peccato originali

Gene. 2.
Roma. 5.
Roma. 6.
Sap. 1.
Sap 2.
Eccli. 25.
Con. Mile.
Con. Arau.
Conci. Tri.
Concilium Africanũ.
Auguſt.

originali prodire. Philosophi namque, qui solum sequuntur ductum rationis humanę, dicerent hos defectus vniuersos ex cõditione naturæ prouenire, quos proinde haberet homo etiam in puris naturalibus constitutus. Quod verò isti defectus sint in pœnam peccati, & diuina oracula superiùs citata manifestè ostendunt, & probat optimè D. Thomas in. 2. 2. q. 164. art. 1. hac excogitata ratione. Quicunque enim priuatur propter culpã suam aliquo beneficio sibi dato, illa priuatio, & carentia illius beneficij est pœna illius culpæ: sed homini fuit à principio datũ hoc beneficium, vt quandiu mens eius esset Deo subiecta, vires inferiores rationali menti subderentur, & corpus animæ: at quia mens à subiectione Dei recessit, sequutum est, vt nec vires subijcerentur rationi, nec corpus animę: ergo. Eandem rationem persequitur D. Tho. in hoc articulo. Præterea sciendum est, quòd quidam Augustinus Chisamensis Episcopus, in annotationibus in Pentateucum, affirmat hominem per peccatũ nõ incurrisse corporis mortem, sed tãtùm animæ Iosephus etiam scribit; hominem per peccatũ non incurrisse corporis mortem, sed senectutis, & mortis accelerationẽ. Idem tenet Philo Iudæus, & Eucherius. Sed horum sentẽtia hæretica est, & contra scripturam, & Ecclesiæ definitionem. De solutione primi argumenti videndus est D. Tho. de malo. q. 5. articu. 4. vbi õstendit eleganter, quid est quòd cùm peccatum originale sit in omnibus æquale, miseriæ, & calamitates huius vitæ non sint in hominibus æquales? De solutione ad secundum lege D. Aug. 13. de ciuitate ca. 4. & 5.

D. Tho.

Aug. Chisamensis Episcopus.

Ioseph. li. 1 antiqui. in illud, puluises, Genes. 3.

Philo li. 2. Allegoria. ad finem.

Eucherius lib. 1. in Gene. in illud in quacũq; die comederis.

D. Tho. Augustí.

ARTIC. SEXTVS.

¶ Vtrùm mors, & alij defectus sint homini naturales.

SVMMA TEXTVS.

Prima cõc.

PRima Cõclusio. Mors, & alij defectus nõ sunt naturales homini ex parte animę rationalis: est enim anima rationalis suapte natura immortalis, & incorruptibilis, proportionata suo fini, qui est beatitudo perpetua, vt superiùs dictum est. ¶ Secunda Conclusio. Mors, & alij defectus sunt homini naturales ex inclinatione materiæ: habet enim materiam ex contrarijs compositam; siquidem ab autore naturæ electa est materia temperatæ complexionis, vt possit esse conueniens organum tactus, & aliarum potentiarum sensitiuarum, & motiuarum. ¶ Tertia Conclusio. Mors, & alij defectus sunt pœna peccati: nam Deus, cui subiacet omnis natura, in ipsa hominis institutione suppleuit defectum naturæ, & dono iustitiæ originalis quandam in corruptibilitatem corpori donauit, secundum quod dicitur Deum mortem non fecisse, sed esse pœnam peccati.

Secunda.

Tertia.

EXPLICATIO ARTICVLI.

DE quæstione huius artic. disputant Doctores in. 2. d. 30. & D. Tho. ibidem, &. 2. 2. q. 164. artic. 1. Vt igitur hæc quæstio pleniùs exponatur, intelligendum est, quòd homo in puris naturalibus creatus pateretur omnes defectus, quos patitur homo post peccatum originale; & sic naturaliter esset corruptibilis, passibilis, mortalis: & consequenter ex sua natura etiam haberet contrarietatem, & repugnantiam potentiarum, & reliquos defectus. Eius rei rationẽ clarissimam, & optimam demonstrat D. Tho. in locis adductis. Oportebat enim corpus humanum esse organum tactus; indigebat namque sensibus; & sic necessarium fuit vt esset mediũ inter tangibilia, & ex consequenti vt esset cõpositum ex cõtrarijs, vt patet. 2. de anima. Ex quo consequens est, quòd esset corruptibilis ab intrinseco. Et eadem est ratio de alijs defectibus. ¶ De contrarietate appetitus sensitiui ad rationem sic probat: quia obiectum appetitus sensitiui est bonum delectabile secundum sensum, & naturaliter mouetur ad hæc sensibilia; atqui ex hoc causatur pugna inferiorum virium ad rationem: illa igitur est naturalis. Distinguit tamen de natura; quæ potest dupliciter considerari; vt in puris naturalibus constituta; & sic hi defectus sunt illi naturales: alio modo, vt instituta est à Deo; & hoc modo hi defectus nunc sunt in pœnam peccati: potest enim homo ex priuatione eius, quod gratis accepit, verisimè puniri; & sic punitur homo priuatione

Eosdem defectus paterur homo in puris naturalibus & post peccatum.

D. Tho.

priuatione iuſtitiæ, per quam impediebantur iſti defectus. ¶ Oppoſitum cõcluſionis tenet Gregorius in ſecundo, q. vnica ſuprà. 30. diſtinctionem, & duas ſequẽtes. Tenet enim, quòd defectus ſpiritualis; ſcilicet pronitas ad malũ, & rebellio carnis ad rationem; vel ex toto, vel ex minori parte; non eſt naturalis, ſed ex infectione quadam, & morbida qualitate, quam non habuiſſet, niſi per peccatum: ſecus autem de alijs defectibus naturalibus, putà de morte ægritudine, &c. Sed hanc morbidam qualitatem in ſuperioribus ſatis meo iudicio expugnauimus, & planè ſubuertimus. Sed Marſil. in. 2. q. 19. arti. 2. ponit omnino concluſionem D. Thomæ; & de morte quidem probat egregiè. Quia etiam Adam in paradiſo fuiſſet mortuus, niſi comediſſet tum de lignis reliquis, tũ de ligno vitę. Quod clarè patet ex eo quod poſtea dictum eſt; Ne fortè comedat de ligno vitæ, & viuat in æternum. Item probat ratione D. Thomę: quia erat cõpoſitus ex cõtrarijs. Et primo loco ſic arguit. Nã materia illa (loquor de homine conſtituto in puris naturalibus) appeteret aliam formam, vt patet; quia relicta humana forma naturaliter acciperet aliam; & dato quòd nõ naturaliter, ſed per peccatum perderet rationalem animam, nullum agẽs poſſet inducere aliam formam in illam, niſi naturaliter appeteret illam formam: imo hoc eſt appetere formam, quòd poſsit per agens naturale illam recipere. De alijs verò defectibus probat cũ D. Thoma: quia appetitus ſenſitiuus appeteret naturaliter cõtrariũ rationis; vt cùm ſitiret æger, appeteret aquã frigidã, ſuadẽte ratione contrariũ; quia morbo obeſſet. Durandus concedẽs concluſionem S. Thomæ impugnat vnum quod adducit D. Thomas; nempe, omne mixtum eſſe compoſitum ex contrarijs, ac ſubinde contrarijs in ſe inuicem agẽtibus corruptioni expoſitum. ¶ Hanc probationem impugnat primò; quia non poteſt intelligi quòd in mixto vnum elementum agat in aliud; quia non manent in mixto formaliter, vt cõſtat ex vera philoſophia: neque etiam quòd qualitates contrarię agant in ſe inuicem; quia, inquit, vel illæ qualitates eſſent in eadẽ parte mixti, vel in diuerſis: ſi in diuerſis; ergo non quęlibet pars eſſet mixta, & ex contrarijs compoſita: ſi in eadem parte, conſequens eſt quòd contraria poſsint eſſe in eodem; quod ab omni philoſophia alienũ eſt. Dicit ergo ipſe, quòd in mixto non ſunt formaliter qualitates contrariæ, ſed mediæ, quæ virtualiter continẽt vtraſque: ſicut colores medij diſtinguũtur ab extremis. Has, & ſimiles rationes quæ ſibi acutæ videntur, adducit Durandus, quibus perſuaſus concludit in mixto non eſſe principium actiuum ſuæ corruptionis, ſed ſolùm paſsiuum: actiuũ autem eſt corpus continens, & ambiẽs, quod alienat à ſua naturali diſpoſitione cõtentum. Et hæc, inquit, eſt ratio generalis, quare aliquod corpus eſt corruptibile, & etiam corpus humanum. Infert corollarium; quòd ſi eſſet aliud corpus omnino homogeneum, & nõ eſſet aliquod corpus contrariæ qualitatis ei præſens, non poſſet vnquam corrumpi: addit tamen, quòd fortè aliud eſſet de mixto hetereogeneo, cuius partes non ſunt eiuſdem complexionis. ¶ Sed certè homo alioqui philoſophiæ non ignarus, lapſus eſt hoc loco pudenter. Si enim eſſet verum quod dicit, partes ignis, quę ſunt iuxta cœlum, omnino eſſent incorruptibiles, & omnes partes ignis ad quas nõ poſſet peruenire actio aëris; & multa alia inconueniẽtia poſſent inferri, de quibus non eſt prẽſentis inſtituti diſputare. Nec argumentum eius magnum eſt; arbitror enim eſſe errorem, dicere, non manere qualitates elementorum formaliter in mixto, & ſic poteſt frigiditas agere in calorem, in partem ſibi continuam, vel etiã in eandem partem, ſicut frigiditas aquæ agit in calorem exiſtẽtem in eadem aqua. Nec eſt verum quod ipſe putat, contraria non ſe compati in eodem ſubiecto in gradu remiſſo. Itẽ, mixtum non dicitur hoc modo homogeneũ, quòd neceſſarium ſit omnes partes eſſe omnino ſimiles; conſtat enim vnam partem eſſe hu midiorem, aliam ſiccioré; ſed quòd quælibet pars habeat denominationem totius. Doctiùs ergo Marſilius, qui illa probatione cõtentus eſt ad probandũ mixta eſſe corruptibilia; quia componuntur ex contrarijs. ¶ Sed ex hoc nõ parua naſcitur quæſtio; Vtrùm potuerit Deus facere hominem natura ſua incorruptibilem? Cuius rei controuerſia pendet ex alia; Num Deus naturas rerum poſsit mutare, & inuertere? quam elucidat doctiſsimus Victoria in relectione de homicidio, adeò planè, vt alia explicatione non ſit opus. Videte eo in loco. ¶ Sed dubiũ eſt; Vtrùm ſuppoſito quòd Virgo Maria fuit concepta ſine peccato, mors in illa, & alij defectus erãt pœna peccati? Videtur quòd nõ; quia productus in naturalibus habet eoſdem defectus, & tamen non ratione peccati: idem igitur erit dicendum de beatiſsima Maria; dato quòd nullũ habuerit peccatum. Certè erant pœna peccati; quia ſi non fuiſſet peccatum, habuiſſet iuſtitiam originalẽ, quæ omnes iſtos defectus, & miſerias impediret. ¶ Sed vtrùm in Chriſto, mors fuerit pœna peccati? Profectò nõ fuit pœna peccati ipſius, ſed aliorum hominum; ſicut & puniuntur filij pro parentibus. Nec fuit idem ſicuti de Virgine Maria: nam Chriſtus non deſcendit ab Adam per

Grego Ariminenſis.

Marſil.

Gene. 3.

Nũ omne mixtum ſit compoſitũ ex contrarijs & corruptibile. Argumẽtũ Duradi pro parte negatiua.

Refellitur Durandus.

Ad argumentũ Duran.

Mors & alij defectus in beatiſsima Maria num fuerint pœna peccati.

Mors in Chriſto nõ fuit pœna peccati.

per rationem seminalē, & ideo idē est de illo, quantum ad hoc, acsi esset productus in puris naturalibus. Quid autem sit descendere ab Adam per rationem seminalem, superiùs expositum est.

QVAESTIO LXXXVI.

De macula peccati; in duos articulos distincta.

ARTIC. PRIMVS.

¶ Vtrùm peccatum causet aliquam maculam in anima?

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. AFfirmatiua est cōclusio. Pro cuius declaratione aduertendum est, quòd in rebus spiritualibus macula dicitur ad similitudinem corporalium, quæ ex contactu aliorum corporum nitorem suum amittunt. Deinde obseruandum est, animam hominis duplicem habere nitorem: vnum ex refulgentia luminis naturalis rationis, per quam in suis actibus dirigitur: alium ex diuino lumine sapientiæ, & gratiæ, per quam homo perficitur ad bene agendum. Ex his principijs consequeris est, quòd cùm homo peccat, maculetur quidem; adhæret enim aliquibus rebus contra lumen rationis, & diuinæ legis: est enim quasi quidam animæ tactus, quando inhæret aliquibus rebus per inordinatum amorem: vnde ipsum detrimentum nitoris ex tali contactu proueniens, macula animæ metaphoricè appellatur.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ Vtrùm macula maneat in anima post actum peccati?

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. AFfirmatiua est cōclusio. Macula enim importat defectum nitoris ex recessu à lumine rationis, & legis diuinæ. Vnde quandiu manet extra tale lumen, viget in ea macula peccati; sed postquam redit ad lumen; quod fit per gratiam; tum macula cessat. Sed hic aduertendum est, quòd licèt cesset actus peccati, quo homo discesit à lumine, non tamen statim redit ad illud in quo fuerat, sed requiritur aliquis actus voluntatis contrarius primo motui; sicut si aliquis sit distans alicui per aliquem motum, non statim cessante motu fit ei propinquus, sed oportet quòd appropinquet rediēs per motum contrarium.

EXPLICATIO ARTICVLI.

PRæter illum effectum peccati, quē in superiori quæstione commemoraumus, est alius effectus qui contaminat, & commaculat animam; de quo effectu frequens est in sacro eloquio commemoratio. Propheta dicit, Beati immaculati in via. Rursus interrogās; Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? respondet; Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam. & Sapiens; Beatus diues, inquit, qui inuentus est sine macula. & Christus exhibebit (inquit Apostolus) Ecclesiam suam sine macula, & ruga. Quibus si adiungas illud; Purgationem faciens veterum delictorum; & illud; Sed abluti estis; dubitari non potest, quin peccatum polluat, & contaminet peccantis animam. Cui doctrinæ correspondent scripturæ loquentes de purgatione, ablutione, mundatione, lauacro renouationis, aqua munda quam promittit Ezechiel, & similes, vt est videre in variis locis scripturarum; quorum omnium Theologum meminisse oportet, alioqui nunquam perspectum habebit, quomodo fiat remissio peccatorum. Nam vt offensa, & reatus tolli possunt per non imputationem; ita macula non potest tolli ab anima, nisi gratia abluente, prout plenius in materia de gratia examinatur. Ex hac enim

Maculapeccati in scripturis euidenter expressa.

enim doctrina colligũt efficaciter Theologi, non posse peccata remitti, neque peccatorem iustificari, nisi per gratiam animæ inhærentẽ, & viuificantem, & maculas peccatorũ abluentem. ¶Sed dicet Theologus, solet quidem maculatio fieri ex contactu rerum spurcarum; vt linteum nitens, ac candidum maculatur ex supposito luto; at quomodo maculetur anima, quæ est spiritus, non peccans in sordidis ac turpibus, sed magis nitidissimis, ac pretiosis rebus mundi huius, planè non intelligo. Eam rem explicat in primis eleganter D. Thomas in solutionibus argumentorum huius articuli, in hunc modum. Non quia res in qua peccatur turpis est, ideo maculatur anima; nõ enim possunt quæ foris sunt, sua naturali qualitate diffundere in animam vllas maculas; verùm quod intus est maculat animam, videlicet hominis affectio, amor, & complacentia, quibus in peccando deliciatur anima in re vetita, bono incommutabili deserto. Hoc certe indecorum est, & indecens, faciens in anima pollutionem, siue dehonestamentum quoddam; non quidem nostris oculis visibile, sed Deo, diuinisque spiritibus conspicuum. Hinc Saluator Matthei. 15. Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominẽ. De corde autem exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, furta, falsa testimonia, blasphemiæ; hæc sunt quæ coinquinant hominẽ; non lotis autem manibus manducare nõ coinquinat hominem, vides quàm conformiter loquitur nobis saluator? Sordes enim manuum, aut fœtor, vel putredo eius quod foris est, & in vẽtrem mittitur, deindeq; per secessum eijcitur, non maculat animam, sed affectiones, secundum quas de corde procedunt opera, quæ nõ conueniunt secundum Dei, vel naturæ institutum. Tantum de maculis peccatorum secundùm diuinas literas.

¶Sed inter Theologos magna nascitur quæstio, quid sit hæc peccati macula? Scotus in. 4. dist. 14. q. 1. dicit, quòd macula quæ manet in peccatore post actum peccati, nihil aliud est quàm relatio rationis, qua intelligitur peccator ad pœnam deputatus secundùm ordinem diuinæ iustitiæ: non enim potest intelligere in peccato, nisi actum ipsum, & reatum pœnæ: & multa profert argumenta, quibus hãc sententiã persuadet, & alia nos subiungemus, ex quibus redderetur hæc opinio vtcumque probabilis. ¶In primis D. Augustinus super illud; Beati immaculati; siue potiùs super illud; Beatus vir cui non imputabit dominus peccatum; dicit, quòd peccatum videri à Deo, est imputari ad pœnam: tegi verò, est nõ imputari. Ex quo patet, nihil aliud esse hominem remanere peccatorem, quàm non ordinari ad pœnã. ¶Rursus idem confirmatur exemplo. In offendẽte enim Principem nihil aliud remanet nisi reatus ad pœnam. ¶Deinde probat Scotus maculam peccati non esse priuationem nitoris, & decoris gratiæ, vt arbitratur D. Thomas. Macula enim peccati suscipit magis & minus: id est, vna macula peccati maior est altera, & magis contaminat animam: priuatio verò nitoris, aut gratiæ nõ suscipit magis & minus: neq; enim vna priuatio est maior priuatio quàm altera: etenim vnus cæcus non est magis cæcus quàm alter; neque vnus mortuus plus est mortuus quàm alter: macula igitur priuatio nitoris non est. ¶Præterea, macula odij, & amoris inordinati erga proximum opposita sunt, & sibi inuicem aduersaria: si igitur macula priuatio est, vna alteram expelleret, & in eadem anima simul non morarentur; quod ex diuina Theologia constat esse falsum. ¶Vltimò, si macula peccati est in anima inhærens, sic vt animam commaculet & verè polluat, consequens est quòd Deus ex sua omnipotentia non possit animam lauare, & eam mundam, & pulchram efficere, nisi gratia abluente, & aliqua qualitate inhærente in anima, quæ ipsam pulchram efficiat. quod ab vniuersis Theologis falsum esse demonstratur. Quòd verò ita sequatur, demonstratur efficaci ratione. Nam si macula, & deformitas est animæ nostræ inhærens, intelligi non potest, & inuoluit manifestam contradictionem, quòd anima efficiatur pulchra, nisi pulchritudo ei inhæreat. ¶Gabriel in. 4. d. 14. q. 1. dicit, quòd trãseũte actu peccati non dicitur homo peccator ab aliqua entitate positiua manente in peccatore. Deinde dicit, quòd homo dicitur peccator post actum peccati ab ordinatione diuina, qua homo ordinatur ad pœnam ratione peccati præteriti: est enim, inquit, peccator ordinatus à Deo ad pœnam propter peccatum mortale. Ex quo infert, quòd peccatum dicitur deleri ex hoc q homo qui prius erat ordinatus ad pœnã, postmodùm ordinatur ad vitã. Cõsequẽter dicit, quòd macula, offensa, reatus, omnino idem sunt, vt etiam Scotus arbitratus est. Durandus in eadẽ distinctione. q. 5. videtur dicere, quòd mortale peccatũ remitti, nihil aliud est, quàm non ordinari ad pœnam æternam. Tandem Almaynus, Holchot, & ceteri huius classis sentiunt, hominem post actum peccati appellari peccatorem ab actu præterito, ratione cuius manet obligatus ad pœnam, propter quod, secundum istorum sententiam, sic definitur: Peccator est, qui ratione peccati quod commisit, est ordinatus ad pœnam. Tantum de aliorum opinionibus. Nunc veritas definienda est.

¶In

Quomodo maculetur anima ex actu peccati.

D. Tho.

Matth. 15.

Scotus. Quid sit macula peccati.

Primũ arg. August.

Secundum

Tertium.

Quartum.

Vltimum.

Gabriel.

Durand.

Almaynus. Holchot.

Autoris cē sura macula peccati nō est obligatio ad pœnam.

¶In primis hæc opinio Scoti falsa est, & plus quàm falsa: nam macula peccati à Deo nō est, sed obligatio ad pœnam à Deo est: macula igitur non est obligatio, neque ordinatio ad pœnam. Rursus, macula peccati turpis est, & vituperatione digna; obligatio ad pœnam vituperatione digna non est. Præterea, si Deus statuisset nullas contra peccatum inferre pœnas, adhuc peccatū commacularet animā, & eam pollueret: igitur macula non est reatus ad pœnam. Ad hæc, post remissam culpam, & ablutā maculam adhuc manet obligatio ad pœnam purgatorij, vt docet fides Catholica. Hoc etiā hac argumentatione fit planius. Nam qui sunt in inferno dānati, sunt peccatores, & inimici Dei, & habēt maculā, nō solū ratione peccatorū perpetratorum in via, sed etiā in inferno: at eis non imputātur peccata, quæ in inferno admittūt, ad nouam pœnam. Vltimò, idē probatur ex sanctis scripturis: nam peccatores dicūtur inimici Dei & abominabiles, vt patet ex illo Oseæ. 9. capite; Facti sunt abominabiles sicut ea quæ dilexerunt. Sed non sunt abominabiles ex eo quòd ad pœnam sunt deputati, quin potiùs ex eo deputātur ad pœnam, quia sunt abominabiles. & ad Roman. c. 9. Si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patiētia vasa iræ apta in interitum; sanè ista aptitudo ad interitum nō est ex deputatione ad pœnam, sed ex macula peccati: ob id enim deputantur ad interitum, & pœnam, quia sunt digni ira, & interitu. Hactenus cōtra Scotū. Gregorius Arimi. in secūdo. distinctione. 33. dicit, maculam peccati esse habitum vitiosum, & morbidam qualitatem ex peccato contractam: cuius sentētia firmissimis rationibus confracta est cùm de peccato originali ageremus. Diuus Thomas in hac quæstione, & in alijs multis locis, docet maculam peccati esse priuationē decoris gratiæ, & pulchritudinis spiritualis, quemadmodum macula corporalis est priuatio pulchritudinis corporalis. Itaque macula est indignitas animæ, & animam esse maculatam, nihil aliud est, quàm esse Deo ingratā, & inuisam. Sic habet D. Thomas infrà. q. 109. art. 7. Idem patet ratione. Nam in peccatore non est nisi actus peccati, & effectus peccati: macula non est actus peccati; manet enim in anima post actum peccati; nec verò est reatus ad pœnā, vt retrò demonstratum est: & nō est alius effectus peccati nisi facere hominem Deo ingratum, & inuisum, & decore gratiæ priuatum: hæc igitur est peccati macula. Sed & D. Thomas explicat optimè quomodo macula sit priuatio decoris gratiæ in ordine ad suam causam, exēplo vmbræ, quæ est priuatio luminis ex obiecto alicuius corporis, & secundum diuersitatē corporum obiectorum diuersificantur vmbræ: ad eundem modum macula est priuatio decoris gratiæ, ex actu peccati interpositō; & sic secundum diuersitatem peccatorum sunt maiores, vel minores maculæ. Dominus Caietanus disputat fusiùs quid sit illa macula; an sit auersio à Deo? & rursus inquirit, propter quid dicatur homo formaliter peccator, postquam peccauit, an per auersionem, an potius per maculam? Caiet. tenet quòd potiùs per maculam: dicit enim S. Thomas, quòd effectus peccati est macula, per quam homo est peccator: sed parum refert, sic, vel aliter dicere. Hoc tamen exploratum est, eandem esse priuationem, qua homo elongatur à Deo, & priuatur nitore, & gratia; sicuti per vnam qualitatē gratiæ homo vnitur Deo, & habet nitorem gratiæ. His constitutis, ad argumenta proposita satisfaciendū est. ¶Ad primum argumentum dicēdum est, quòd D. August. explicat optimè quid sit macula peccati: dicit enim, quòd non esse in peccato, est non esse reum peccati; & esse in peccato, est esse reum peccati: sicut qui adulterium admisit, licèt amplius illud nō faciat, reus adulterij est donec per indulgentiam cōdonetur. Itaque D. Augustinus in loco citato, cùm proposituum fuit argumentum, explicat grauitatē peccati ab effectu, & à posteriori (quod dicūt Dialectici) cæterùm si ex propria causa, & ex proprijs principijs hoc explicādum est, Deum videre peccatum, est odio habere peccatum, & peccatum esse illi ingratū, & inuisum. ¶Ad secundum argumentum nego antecedens: nā in offensore Principis, præter quam quòd est pœnæ obnoxius, est Principi inimicus, & inuisus. Sed quicquid sit de principe terreno, non potest negari quin in homine peccatore maneat eius voluntas auersa à Deo, & conuersa ad bonum commutabile; & contrarium asserere, fidei catholicæ aduersatur. ¶Ad tertium argumentum dicendum est, maculam non dicere solam, & meram priuationem, sed priuationem decoris, & nitoris in ordine ad suam causam quæ est peccatum; & sicuti vnum peccatū est grauius altero; sic macula vna, altera turpior est. ¶Ad quartum dicendum, quòd mille maculæ peccatorum nō sibi aduersantur, neque ex eodem subiecto se expellūt; siquidem tenent se ex parte auersionis, & priuationis decoris gratiæ, quæ ex diuersis causis, & peccatis oriri potest. ¶Ad vltimum quidam Theologi dicunt, Deum etiam de sua omnipotētia non posse maculam peccati ab anima tollere, nisi per gratiam, & pulchritudinem spiritualē animæ inhærentem: & conuincuntur argumēto superiùs adducto, quorum sententiā in præ

Caieta.

Argumēto rum solutiones.

Ad primū.

Aug. lib. 1. de nuptijs. ca. 26.

Ad secūdū.

Ad tertiū.

Ad quartū.

Ad vltimū.

sentia

Rom. 9.

Oseæ. 9.

Gregor. Arimin.

D. Tho.

sentia non reprobo; censebimus de ea in materia de gratia. Ego verò dico, quòd cùm macula peccati nihil aliud sit quàm animam esse ingratam, & inuisam Deo, planum est, Deum (quæ sua est omnipotentia) posse hanc maculam abluere, absque aliqua qualitate inhærente, per hoc solùm quòd fiat obiectum dilectionis diuinæ, & efficiatur illi grata, & dilecta; veluti homo est homini gratus & dilectus absq; aliqua qualitate inhærēte. Itaque quemadmodum anima est Deo grata, & inuisa, nó per aliquam qualitatem, aut entitatem positā in anima, sed ex hoc solùm quòd est obiectum diuini odij: ad eundem modum potest peccati macula tolli per hoc tantùm quòd sit obiectum diuinæ dilectionis; hoc, loquendo de Dei omnipotētia. Ex his satis mihi videor quid sit peccati macula exposuisse. Ex qua re efficaciter videtur colligi, maculam peccati esse in essentia animæ, & non in potētijs: anima enim est, quę est inuisa Deo, & ingrata, & decore gratiæ, & eius nitore priuata.

QVAEST. LXXXVII.

De reatu pœnæ; in octo articulos diuisa.

ARTIC. PRIMVS.

¶ Vtrùm reatus pœnæ sit effectus peccati?

¶ Conclusio est affirmatiua.

EXPLICATIO ARTICVLI.

HIc articulus exponatur, tres Cōclusiones sunt cōsiderandæ. Prima est, quā hīc statuit D. Thomas, patet ex illo; Tribulatio & angustia in omnem animam operantis malum. & Matth. 25. Ite maledicti in ignem æternū. Item Psal. 118. Maledicti qui declinant à mandatis tuis Domine. Contritio & infelicitas in vijs eorū, Psal. 13. &, Spes eorum tanquam lanugo, quæ à vento tollitur, & tāquam spuma gracilis quæ à procella dispergitur, Sapien. 5. sed in Deuteronomio maledictiones contra trāsgressores mandatorum Dei, & peccatores copiosè describuntur in hunc modum. Quòd si nolueris, inquit, audire vocem Domini Dei tui vt custodias & facias omnia mandata eius, & ceremonias, quas ego præcipio tibi hodiè; venient super te omnes maledictiones istæ, & apprehendent te. Maledictus eris in ciuitate, maledictus in agro, maledictum horreū tuū, & maledictæ reliquiæ tuæ, & maledictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, armenta boum tuorum, & greges ouium tuarum. Maledictus eris ingrediens, & maledictus egrediens. Ne quis autem paruifaciat maledictiones Dei pronuntiatas per Moysem famulum suum, addit propheta dicens; Quoniam qui malignantur, exterminabuntur; sustinentes autem Dominum ipsi hæreditabūt terram. Exterminare verò est extra terminos excludere: sunt autem fines & termini diuinæ maiestatis, diuinæ gloriæ, diuinæ dulcedinis, consolationis, propitiationis, diuinæque bonitatis ac influentiæ, extra quos protrudētur malignantes, & præuaricatores mandatorum, quātūm existentia naturæ patitur; quam vtique naturam Deus in eis cōseruabit, magis sanè ad suæ iustitiæ manifestationem, quàm ad solatium illorum; adeò quòd non attingent vltima, neque extrema quidem diuinæ maiestatis, aut gloriæ, aut dulcedinis, aut consolationis, aut propitiationis, sed clausæ eis erunt portæ vitæ, mœniaque cœlestis Hierusalem inaccessa: quia exterminator Angelus gladio flāmeo custodit ea: & tunc erit quod suprà diximus; mors depascet eos. Tunc quoque accipiet armaturam zelus altissimi, & armabit creaturā ad vltionem inimicorum suorum: nam pugnabit cum Deo orbis terrarum contra insensatos, positos iam extra terminos gloriæ suæ, propiciationis suæ, ac saluationis suæ. Vt autem summatim dicam, pars illorum qui non obediunt mandatis Dei, erit maledictio, plaga, anathema, exterminiū, mors prima, mors secunda, supplicium æternum, desolatio extrema, deplantatio sub omnem creaturā. Si quæris quo in loco? Respondet Ioan. Apostolus; In stagno ignis & sulphuris. Respondet insuper Iob; In terra tenebrosa & operta mortis caligine, vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Respondet denique Euangelium; In gehenna ignis, in igne inextinguibili, in igne ęterno, in tenebris exterioribus, vbi erit fletus, & stridor dentium; vbi vermis eorum non morietur. Addit Propheta; Vbi nulla est redemptio: ijs enim epithetis explicat scriptura magnitudinem damnationis venturæ in omnem animam præuaricantis mandatum omnipotentis Dei. Hæc omnia tam horrenda infligit misericors Deus in peccatorum pœnam. Rationem verò huius hanc meditatur D. Thomas in articulo. Nam quisquis contra ordinem insurgit, ab eo ordine, & principe ordinis deprimi debet: cùm ergo peccatum sit actus inordinatus, quicūque peccat, agit contra ordinem: iustum igitur est vt à principe ordinis deprimatur, & puniatur. Nunc ad secundam conclusionem pergamus quæ talis est.

Ad Rom. 2.
Matth. 25.
Psal. 118.
Psal. 13.
Sapien 5.
Deuter. 27.
Psal. 36.
Ioannes
Iob.
Secūda 66.

Peccator

Peccator triplicem pœnam incurrere potest: tres enim ordines sunt quibus subditur humana voluntas. Primò, subditur ordini propriæ rationis: secundò, ordini hominis spiritualiter, vel temporaliter gubernatis: tertiò subditur vniuersali ordini diuini regiminis: quare triplicem pœnam incurrit; vnam quidem à seipso, quæ est conscientiæ remorsus, de qua D. Augustinus; Iussisti Domine, & sic est vt omnis animus inordinatus pœna sit sibi. Aliam verò ab homine; tertiam à Deo. Tertia conclusio quam habet Diuus Thomas in solutione ad secundum. Reatus pœnæ non est ipsa pœna, neque deputatio ad pœnam; siquidem vtrumque horum bonum est, & à Deo est: esse vero reum pœnæ, malum est, sicut esse dignum pœna. Et in hoc sensu reatus pœnæ est effectus peccati. Atqui notandum est, hâc phrasim locutionis esse antiquissimam, appellare dignitatem, & meritum pœnæ, reatum pœnæ: de quo patet Deuteronomij. 21. & 31.

Aug. 1. conf. ca. 12.

Tertia cõc.

Deuter. 21. & 31.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ *Vtrùm peccatum possit esse pœna peccati?*

SVMMA TEXTVS.

Prima cõc.

PRima Conclusio. Peccatum per se nõ potest esse pœna peccati: nã cũ pœna omnis sit contraria voluntati, nõ potest fieri vt peccatum, quod voluntarium est, habeat rationem pœnæ. Deinde, omnis iusta peccati pœna irrogatur à Deo vindicante peccatum: si igitur peccatum esset pœna peccati, consequens est quòd Deus sit autor peccati. ¶ Secunda Conclusio. Peccatũ potest esse pœna peccati tripliciter: primò, ex parte causæ, quæ est remotio prohibentis; quia causæ inclinantes ad peccatum sunt passiones, tẽtatio diaboli, & similia, quæ per auxilium diuinæ gratiæ impediuntur: gratia autem subtrahitur per peccatum; vnde cùm ipsa subtractio sit quędam

Secunda.

pœna, sequitur quòd per accidẽs etiam peccatũ quod ex hoc sequitur, dicatur pœna: quia deserti homines ab auxilio diuinæ gratiæ, vincuntur à passionibus. Secũdò potest esse pœna ex parte substantiæ actus, quæ afflictionẽ inducit; siue actus sit interior, vt patet in ira, & inuidia; siue actus sit exterior, sicut cùm aliqui graui labore opprimuntur, & dãno, vt expleãt actum peccati, sicut dicitur; Lassati sumus in via iniquitatis. Tertio modo ex parte effectus vt si aliquod peccatũ dicatur pœna respectu effectus consequẽtis. Quoniã secum affert pudorem ignominiã &c. sed in his duobus modis vltimis non solùm vnum peccatũ est pœna præcedentis, sed etiam sui.

Sap. 5.

EXPLICATIO ARTICVLI.

DE prima conclusione dubitatio est nam videtur esse falsa. In primis D. Paul. ad Roma. 1. dicit; propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum. Ex quo loco August. efficaciter docet, quædam sic esse peccata vt etiam sint pœnæ peccatorum. & alibi; Iussisti Domine & sic est, vt omnis animus inordinatus pœna sit sibi. igitur autore Augustino actus ipse inordinatus secundum se pœna est. Ad hæc peccatum non solũ est actus voluntarius inordinatus, sed etiam est priuatio boni & ordinis, at hæc priuatio inuoluntaria est, quã nollet peccator incurrere, & est præter eius intentionem, ergo peccatum propriè pœna est. ¶ Rursus priuatio boni delectabilis aut vtilis inuoluntaria proprijssimè pœna est, sed peccatum est priuatio boni honesti inuoluntaria, quam peccator patitur inuitus, nollet enim quod ex peccato consequeretur. ergo peccatum in se pœna est. ¶ Præterea D. Thom. q. 1. de malo. art. 4. ad secũdum dicit apertè, quòd peccator patitur deordinationem rationis inuoluntariè, ex quo verissime dicitur vnũ peccatum esse pœnam alterius peccati, simile docet in. 2. d. 36. arti. 3. Idem demonstratur, nam contritio, ieiunium, disciplina, & cætera id genus sunt opera pœnalia, ac proinde corã Deo

Prior conclusio examinatur.

Primũ arg. Roma. 1. Aug. lib. 5. cõtra Iuli. c. 3. & de natura & gra. ca. 22. Aug. lib. 1. confe. c. 12.

Secundum

Tertium.

D. Tho. Quartum.

satisfactoria, at sunt opera volũtariè susceptа, ergo non sibi inuicem aduersantur volũtariũ,

Vltimum. & pœna. ¶ Vltimò nõ est necessariũ, vt pœna sit inuoluntaria, ergo licet peccatum sit voluntarium, non inde sequitur non habere rationẽ pœnæ. Antecedens ostenditur esse verũ, nam pœna puerorum decedẽtium sine baptismate est vera & proprijssima pœna,; docet enim sana doctrina eos verissimè puniri pro peccato originis, quod ex primo parente contraxere: At huiusmodi pœna inuoluntaria nõ est, siquidem nullam tristitiam secũ affert, vt superius planè demonstratum est: non est igitur necessarium ad pœnam vt inuoluntaria sit. Ex

Secũda D. Tho. cõclusio controuertitur. quo fit rationem D. Thomæ, qua sibi persuasit primam conclusionem articuli, non esse firmissimam, sed & secundam labefactare poterit Theologus dicẽs, omnem pœnam iustam, & quæ non sit peccatum à Deo esse, pœnam verò quæ simul sit peccatum, ex Deo nõ esse.

Scoti sentẽtia. ¶ De proposita dubitatione diuersæ sentẽtiæ Doctorum versantur. Scotus in. 1. distin. 36. q. vnica, arbitratur peccatum per se sumptum esse pœnam alterius peccati. Ad idem propẽdet Magister Sententiarum in eadẽ distinctione. Conradus in Commentarijs super istũ articulum docet, peccatum quatenus à libera voluntate progreditur, nõ habere rationem pœnæ (est enim voluntarium) verùm si cõsideretur quatenus recipitur in voluntate, & habet coniunctam boni, & ordinis priuationem, potest esse pœna peccati; distinctio est D. Tho. in secundo vbi suprà. Porrò istæ considerationes distinctæ sunt, nam primùm consideratur vt actio, deinde vt passio. quod patet in Passione Domini nostri: si enim hoc opus consideretur vt à Iudæis progreditur est immanissimum peccatũ, si vero consideretur vt in Christo susciptur, est opus patientię inlignis. Caietanus hic tenet peccatum, siue vt actio, siue vt passio consideretur, per se non habere rationem pœnæ, omnis enim pœna inuoluntaria est, peccatum verò secundũ vtramque cõsiderationem voluntarium est. ergo pœna nõ est. Deinde, pœna iusta à Deo est, at peccatũ iuxta vtramq; cõsiderationem à Deo nõ est, igitur pœna non est. Ad vltimum ex hoc quòd volũtas recipit in se peccatum, deterior fit, vt planè constat, sed Deo autore nemo fit deterior, vt habet omnium Theologorum prouerbiũ, desumptum ex Augu. lib. 83. q. q. 3. peccatũ ergo secundùm illam considerationem pœna non est. Sic hoc in loco Caietanus subuertit opinionem Conradi. At vero idem Caieta. in illud. 2. Regum. 12. Ecce ego suscitabo super te malum de domo tua, in eandem sentẽtiam descendisse videtur, dicit enim Deum nõ esse

Mag. sent. Conrad.

Caiet.

autorem peccati vt sic, sed quatenus est pœna peccantis. Idem constanter docet. 2. Regũ capitulo. 16. in illud verbum, Dominus præcepit ei vt malediceret Dauid, cuius sententiam improbat vehementer doctissimus Pater Cano libro. 2. de locis cap. 4. & nos eam subuertimus retro, cùm de causis peccati ageremus. Illa igitur doctrina, quòd vnum peccatum sit pœna alterius peccati, sic explicanda est, sicut habet Augustinus libro de prædestinatione sanctorum capitulo. 10. vt Deo tribuatur iudicium, id est, iusta vindicta, non autem peccatum. Porrò quomodo id fieri possit, dupliciter explicant Doctores. Magister enim explicat peccatum esse pœnam peccati, non quidem secundum suam naturam, quatenus habet rationem culpæ à voluntate liberè admissæ, sed secundùm effectum, putà corruptionem naturæ, & reatum æternæ mortis. Verùm secundum hãc explicationem omne peccatum, etiam peccatum primi hominis dici posset pœna, quod alienum est à sententia Pauli, & Augustini, apertè asserentis quædam peccata esse, quæ non sunt pœnæ. Quare aliter explicat Diuus Thomas dicens; peccatum habere rationem pœnæ, non quidem secundum suam formam & naturam (nam sic consideratum ex electione proficiscitur liberè à voluntate) sed secũdum suam causam ex qua oritur: puta subtractionem diuini beneficij, quo seruatur homo ne ruat in peccatum, hoc enim occulto & seueriſsimo Dei iudicio (quemadmodum Augustinus ait) vindicatur peccatum, dum Deus offensus peccatis præcedentibus, subtrahit beneficium suæ gratiæ, quo subtracto partim impulsu Dæmonis, partim sua infirmitate labitur in omne genus peccati. Propter hanc autem subtractionem gratuitæ præseruationis, quam & efficit Deus, & quæ pœna quædam est, & supplicium peccatorum: peccatum quod ex ea committitur, non solum peccatum est, sed & supplicium. Hunc modum dicendi calumniatur Scotus in secundo. distinctione. 30. non solùm vt falsum, sed vt durum & omnino omittendum, nam videtur sequi quod sequens peccatum non sit in potestate hominis, neque voluntarium, si est ex defectu auxilij diuini, quod ad operandum perneceſsarium est. Sed hæc obiectio friuola est, nam superius dictum est, quòd nunquam Deus sic denegat peccatori auxilium suæ gratiæ, vt non habeat sufficiens adiutorium ad cauendum peccatum, & ad persistendum in bono. ¶ His constitutis ad argumenta in contrarium proposita satisfaciendum est, ad primum copiosè dictum est quemadmodum intelligatur Diuus Paulus, quando

Cano.

Quomodo vnum peccatũ sit alterius pœna.

Aug. lib. 1. retra. c. 15. & Psal. 57. in illud super cecidit ignis.

Explicatio D. Tho.

Scotus.

Inanis est Scoti obiectio.

Argumentorum solutio.

Ad primũ.

quando dicit, Deum tradere peccatores in desideria cordis eorum, quòd si quis vim faciat in eo quod dicit, Deum tradere peccatores, iam huic in superioribus abunde satisfactum est, cùm de causis peccatorum tractaremus.

Ad secũdũ. ¶ Ad secundum argumentum dicendum est, quòd actus inordinatus pœna est peccantis causaliter, id est, causat amaritudinem, & afflictionem in anima peccantis, sic intellige Diuum Thomam vbi suprà quæstione de malo cum dicit peccatũ quodammodo, id est, causaliter habere rationem pœnæ.

Ad tertiũ. ¶ Ad tertium argumentum dicendum est, quòd malitia & priuatio boni est voluntaria etiam formaliter, licet non intenta: nemo enim intendens ad malum operatur, vt habet Dionys. Diuus Dionysius, & satis esset, quòd esset voluntaria concomitanter & indirectè. Non enim lassitudo, quæ sequitur ex ludo voluntario, vocatur pœna neque potus aquæ voluntariè sumptus ab ægrotante.

Ad quartũ. ¶ Ad quartum dicendum, quòd latius sumendo vocabulum, omne afflictiuum pœna appellatur, sed propriè, id quod patimur inuoluntariè pro culpa, pœna & supplicium D. Tho. est, de qua re differit optimè Diuus Thomas articulo 7. huius quæstionis.

Ad vltimũ. ¶ Ad vltimum argumentum dicendum est, euidenter ostendere, vt videtur, non esse de ratione pœnæ quòd sit inuolũtaria, vel quòd tristitiam inferat. Verùm ad rationem pœnæ perneccessarium videtur, vt non sit voluntaria & à voluntate approbetur. Peccatum verò non solum non est contra voluntatem, verùm etiam voluntarium est, & lubenti animo admittitur. Deinde dicendum est pœnam, quam patiuntur paruuli in Limbo esse contra eorum voluntatem habitualem: si enim scirent, dolerent & mœrore afficerentur, peccatum verò ex omni parte volũtarium est. Tantum de hoc articulo dictum sit.

ARTIC. TERTIVS.

¶ Vtrùm aliquod peccatũ inducat reatum æternæ pœnæ.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Oncluſio eſt. Omne peccatũ mortale inducit reatũ æternæ pœnæ Matth. 25. Matthæi. 25. Ibunt ij in Marci. 3. ſupplicium æternum. & Marci. 3. qui autem blaſphemauerit in Spiritum ſanctum, non habebit remiſsionem in æternum, ſed erit reus æterni delicti. Ex his autoritatibus conſtat eſſe aliquod peccatum quod inducat reatum æternæ pœnæ. Sed & ratione firmiſſima idem oſtenditur, de quouis peccato mortali. Quandiu enim manet peruerſitas ordinis, remanet reatus pœnæ: irreparabiliter autem peruertitur ordo cùm voluntas hominis, quæ Deo debet eſſe ſubiecta, ab ipſo auertitur per peccatum mortale; nam corrumpitur principium, quo homo debet ſubdi Deo, & ſine virtute diuina reparari non poteſt. Omne igitur peccatũ mortale quod charitatem aufert, quantùm eſt de ſe, inducit reatum æternæ pœnæ.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Oncluſio huius articuli eſt de fide catholica, conſtatque, tum ex diuinis reuelationibus ſuperiùs adductis, tum ex alijs multis quæ ſparſim in ſanctis ſcripturis habentur contra errorem Origenis, qui dicebat pœnam inferni aliquando eſſe finiendam. Sed eſt notandum, quòd Origenes non negabat eſſe aliquod peccatum quod de ſe pœnam æternam mereretur, ſed dicebat, ex Dei miſericordia & clementia, ad æternum ſupplicium non imputari. Illud etiam obſeruandum eſt, eſſe multos patres antiquos, qui Origenem ab hoc crimine liberant, dicuntque hanc doctrinam non ab ipſo Origene, ſed ab eius æmulis operibus Origenis fuiſſe infertam. Hanc doctrinam aſſerere videtur Homilia octaua, in librum Ioſuæ. In eandem ſententiam loquitur libro primo Periarchon, capitulo ſexto. Item tomo decimooctauo in Ioannem, exponens illud Ioannis octauo. Quò ego vado vos non poteſtis venire. Hoc idem apertiùs prodidiſſe cum in expoſitione primi, & 2. capituli. epiſtolæ ad Epheſios, teſtis eſt Hieronymus in commentarijs eiuſdem epiſtolæ. Theophilus etiam Alexandrinus libro ſecundo, Paſchalis, & Auguſtinus in libro de hæreſibus, hæreſi. 43.

Origenis error quòd pœna inferni erat aliquando finienda.

Ioannes. 8.

Hierony.

Theophil.

Auguſt.

resi. 43. Hieronymus in epistola ad Auitum, & in alijs plerisque locis huiusmodi errorem in Origene detestantur. Ruffinus tamen libro primo inuectiuarum asseuerat, Hieronymum in commentationibus epistolæ ad Ephesios comprobasse hoc dogma, cui etiam, Erasmus in adnotationibus Origenicis, indicat subscripsisse Ambrosium in expositione tertij capitis eiusdem epistolæ, de quo infra dicimus. Nunc apponere libet testimonia quædam Origenis superioribus locis ex diametro pugnantia, ex quibus hanc doctrinam à falsarijs fuisse impositam apertè liquet, nam super Ezechielem Homilia decimaquarta, inquit; Angelos malos in iudicio magnæ diei vinculis sempiternis sub tenebris esse seruandos, Homilia decimaquarta in Iosue idem constanter affirmat. Idem asserit Homilia. 14. Numerorum. & Homilia decimaoctaua, in eundem librum. Item Homilia prima, super Ezechielem & in expositione Psalmi. 37. hortatur peccatorem, vt hoc in seculo se præparet ad flagella, ne ignibus æternis reseruetur. Ex his locis apertum fit Origenem affirmare inferni supplicia nunquam finienda. Sed antequã hinc discedamus animaduertat Theologus necesse est, ne in sanctorum lectione pernicioſe fallatur; quòd Diuus Hieronymus ad finem libri decimioctaui, in Esaiam asserere videtur ignem inferni & damnatorum incendia aliquando esse finienda: cuius verba sic habent Porrò qui volunt supplicia aliquando finiri, & licèt post multa tempora, tamen terminum habere tormenta, his vtuntur testimonijs. Cùm intrauerit plenitudo gẽtium, tunc omnis Israel saluus fiet, & iterum, Concluſit Deus omnia sub peccato, vt omnium misereatur, & in alio loco sanctus loquitur; Iram Domini sustinebo quia peccaui ei, donec iustificet causam meam, & auferat iudicium meum, & educat me in lucem. & rursum; Benedicam te Domine quoniam iratus es mihi. auertisti faciem tuam à me, & misertus es mihi. Dominus quoque loquitur ad peccatorem: cum ira furoris mei fuerit, rursum sanabo. & hoc est quod in alio loco dicitur. Quàm grandis multitudo bonitatis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te. Quæ omnia replicant asseuerare cupientes post cruciatus atque tormenta, futura refrigeria, quæ nunc abscondenda sunt ab his quibus timor vtilis est; vt dum supplicia reformidant, peccare desistant, quod nos Dei solius debemus scientiæ derelinquere; cuius non solùm misericordiæ, sed & tormenta in pondere sunt: & nouit quem, quomodo, aut quandiu debeat iudicare: solumque dicamus quod humanæ conuenit fragilitati: Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me, & sicut Diaboli, & omnium negantium atque impiorum qui dixerunt in corde suo: Non est Deus, credimus æterna tormenta: sic peccatorum atque impiorum, & tamen Christianorum quorum opera in igne probanda sunt atque purganda, moderatam arbitramur & mistam clementiæ sententiam iudicis.

Ruffinus. Erasmus. Origenes excusatur. Hierony. Testimonia quibus videtur fulciri error falso Origeni impositus.

¶ Ex his sententijs Diui Hieronymi affirmãt nonnulli Diuum Hieronymum partim hac in re Origeni consensisse partim abnuisse: abnuisse quidem, quia crediderit tam dæmonum quàm infidelium æterna forè tormenta: consensisse autem, quia putauerit damnatorum fidelium peccata non forè æternis supplicijs punienda. Quod confirmãt, tum ex superioribus, tum verò ex alio testimonio Diui Hieronymi ex libro primo aduersus Pelagianos vbi ita scriptum est, si Origenes omnes rationabiles creaturas dicit non esse perdendas, quid ad nos? qui & diabolum & satelites eius, omnesque impios dicimus perire perpetuò: Christianos vero si in peccato præuenti fuerint saluandos esse post pœnas.

Quidã D. Hier. erroneũ Origenis adscribunt.

¶ Sed quòd hæc non fuerit Hieronymi sententia verisimè constat ex Apologia aduersus Ruffinum, & in plerisque alijs scriptis. Certè opinionem eorum qui fatentur damnatos, etiam Christianos ab infernis supplicijs tandem liberandos, omnino detestandam esse probat multis argumentis in Commento tertij capitis Ione Prophetæ, quæ in summam redacta sic habent. Primò, quia opinionem hanc definiendis damnatorum supplicijs nusquam diuina scriptura doceat. Secundò, quia in Euangelio ignis æternus dicitur & supplicium æternum; & apud Esaiam. Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Tertiò quia hæc sententia euertit penitus timorem Dei dum facilè homines labuntur ad vitia, putantes omnes improbos aliquando post pœnas forè saluãndos. Quartò, si post longum seculorum circuitum omnium rerum restitutio fiat, vt vna sit dignitas animarum, nulla distantia erit inter virginem & prostibulum; inter matrem Domini & inter victimas libidinum publicarum; idem erit Gabriel & diabolus, Apostoli & dæmones: idem prophetæ & Pseudoprophetæ, idem martyres & persecutores. Quintò, si finis omnium similis est, finge infinitas ætates cruciatuum: præteritum omne pro nihilo est: quia non quærimus quod aliquando fuerimus, sed quod semper futuri sumus. Ex his igitur apparet Hieronymum huius dogmatis

Prefato errore D. Hiero. caruisse probatur.

gmatis hostem, & ea quæ in commentario ad Ephesios scripsit, non ex sua, sed ex aliorum sententia retulisse. Quòd autem in fine Commentariorum Esaiæ, & aduersus Pelagianos asseuerat, Christianos post pœnas, & ignis tormenta saluandos, referendum est non ad ignem æternum inferni, sed ad ignem temporalem purgatorij, in quo cùm animæ fuerint ad tempus purgatæ, saluabuntur.

Quomodo pro delicto momentaneo æterna pœna reddatur.

¶Sed in præsentia dubitatur, cùm Deus æquitate summa iustè reddat vnicuique secundum opera sua, vt dicit Paulus ad Romanos secundo, quomodo ob temporalem, imo sæpè momentaneum lapsum perpetuas exigit pœnas? vbi æqui & iusti ponderatio? vbi (quod dici solet) misericordia Domini plena est terra? & illud Deuteronomij vigesimoquinto; Secundum quantitatem delicti erit & plagarum modus? Nam si vera sunt quæ diximus, delictum est vnum, at plagæ sunt multæ: delictum est momentaneum, punitio autem delicti est æterna: delictum cum modica delectatione committitur, stipendium verò delicti, damnatio mortis citra modum ac finem. Huius rei difficultatem explicat in primis eleganter Diuus Augustinus vigesimoprimo de ciuitate, capitulo secũdo, & ostendit quemadmodum diuinæ iustitiæ & æquitati maximè sit consentaneum, quòd pro breui peccato perpetuum exigat supplicium. In eadem re explicanda laborauit optimè Diuus Thomas hoc in loco, sed præcipuè tertio contra gentes capitulo. 144. Diuus Augustinus inquit, in retributione iustitiæ non semper considerari æqualitatem temporis inter culpam & pœnam: nam etiam in ciuili Republica pro breuissima adulterij culpa, capitè plectitur adulter, atque adeò perpetuò priuatur viuentium societate. Hæc Diuus Augustinus. Diuus Gregorius libro quarto Dialogorũ capit. quadragesimoquarto, huius rei aliam egregiam rationem persequitur dicens, quòd qui in suo æterno peccauit contra Deum, in æterno Dei puniatur. Dicitur autem aliquis in suo æterno peccasse, non solùm secundum actus continuationem in tota hominis vita durantis, sed quia hoc ipso quòd finem in peccato constituit, voluntatem habet in æternum peccandi. Quod explicat idem Gregorius loco citato his verbis. Voluissent iniqui sine fine viuere, vt potuissent sine fine peccare: ostendunt quòd in peccatis semper viuere cupiunt, qui nunquam desinunt peccare dum viuunt. Ad magnam ergo iudicantis iustitiam pertinet, vt nunquam careant supplicio, qui dum viuerent, nunquam voluerunt carere peccato. Huius rationis efficaciam sic exponit Diuus Thomas in summa contra gentes in loco superiùs citato. Etenim apud diuinum iudicium voluntas pro facto computatur: qui autem propter temporale bonum auersus est ab vltimo fine, qui in æternum possidetur, præposuit illius fruitionem fruitioni vltimi finis: ex quo consequens est, quòd multò magis voluisset in æternum illo bono temporali frui. Mortaliter igitur peccans sic puniri debet, ac si æternaliter peccasset. Certè diuinæ retributioni æquissimè consentaneum est, quòd qui duas creaturas vitæ perpetuæ, Angelum scilicet, & hominem in hoc condiderit, vt suæ ipsius essent (quod ait Petrus prima Canonica capitulo primo) consortes naturæ, quibus gratiæ subsidia, & vires supernaturales tribuerit, easdem si in officio vt filij perseuerent, ad suam secum sempiternam felicitatem admittat: sin verò aliquis violata fide, veluti transfuga in hostilibus castris suas fouerit vsque ad mortem inimicitias, perpetuis cruciatibus addicat, vt tam hostes, quàm filij, iuxta sua cuiusque merita, æterna sempiterni Dei sui vel perfruantur misericordia, vel perferant iustitiam. Hoc magis fiet perspicuum, si consideres grauitatem cuiusque vel minimi peccati mortalis, quæ certè est contumacia in Principem infinitæ potentiæ, cui audet negare obedientiam, & transfugere ad hostem illius, & quasi abiurato vero Deo, & patre beneficentissimo, atque proprio & naturali Rege, quem super se regnare non vult, in obsequium se dæmoni tradit, quem colere pro Deo eligit, & tanquam Regi obtemperare, & seruire. Nulla igitur est iniustitia, etiam si punitio sit infinitæ durationis: quinimo certo certius apparet ex ordine rerum, eum qui fontem deserit vitæ suæ, mox pabulum fieri mortis: mortis verò æternæ, si in æternum existit desertor. Deserit autem omnis præuaricator legis. Nec quicquam potest esse confinius rationi, quàm vt procùl fiat & elongetur ab omni misericordia, qui misericordiarum benignissimo patri & Domino rebellem se facit: est autem rebellis omnis ille qui suam voluntatem diuinæ voluntati anteponit.

¶Ad hæc, nihil æquius, quã vt exulet tãdẽ à curia cœlesti, qui edicta cœlestis curiæ sustinere non voluit, & extrudatur virtute omnipotentis in locum horroris, mortis, & sempiternæ caliginis, qui dum viueret, perturbator fuit legum, pacis & vitæ. Denique nihil æquius, iustiusque est, quàm vt omnis crea-

S. Tho.

Peccator se ipsum in obsequiũ dæmoni tradit.

Anteponere humanã volũtatem diuinæ, rebellio quædam est.

tura conuertat se in vindictam illius, qui omnium creaturarum contempsit autorem, prout futurum pronunciauit scriptura Sapientiæ quinto, dicens; Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad vltionem inimicorum. Induet pro thorace iustitiam, & accipiet pro galea iudicium certum. Sumet scutum inexpugnabile æquitatem: acuet autem diram iram in lanceam, & pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos. Istæ probationes visæ sunt mihi aptæ & idoneæ ad ostendam legis diuinæ æquitatem; qui his non fuerit contentus, consulat Diuum Thomam in locis adductis, & sedabitur eius animus; nos ad sequentem articulum properamus.

ARTIC. QVARTVS.

¶ Vtrùm peccato debeatur pœna infinita secundùm quantitatem.

SVMMA TEXTVS.

Prima con. ¶ PRima Conclusio. Peccato mortali ex parte auersionis debetur pœna infinita, quæ est pœna damni, videlicet infinita amissio infiniti boni, scilicet Dei.

Secũda cõ. ¶ Secunda Conclusio. Ex parte conuersionis respondet peccato mortali pœna sensus finita. Probatio vtriusque conclusionis hæc est: quia in peccato mortali duo considerantur; quorum vnum est auersio ab incommutabili bono quod est infinitum; & ex hac parte peccatum quodammodo infinitum est: aliud quod est in peccato, est inordinata conuersio ad commutabile bonum, & ex hac parte peccatum est finitum; tum, quia ipsum commutabile bonum est finitum; tum etiam, quia ipsa cõuersio est finita: actus enim creaturæ non possunt esse infiniti. Ex ijs consequens est vt peccato ex parte auersionis correspondeat pœna infinita, videlicet pœna damni, quæ est amissio infiniti boni, scilicet Dei: ex parte autem inordinatæ conuersionis correspondeat pœna sensus, quæ est finita.

EXPLICATIO ARTICVLI.

VT hic articulus diligentiùs exponatur, sciendum est, esse duplicem peccati mortalis pœnam, scilicet pœnam damni, & pœnam sensus. Vtraque significatur illis in verbis; Ite maledicti in ignem æternum; in illo verbo, discedite, pœna damni intelligitur, nempe carentia visionis diuinæ & eius præsentiæ: peccator namque qui in peccato mortali ex hac vita demigrat, à regno cœlesti in perpetuum relegatur, diuinoque priuatur conspectu. Pœna sensus in sequentibus verbis declaratur; Ite in ignem æternum. Vocatur à Theologis pœna sensus, quæcunque sensibilis læsio, & quæcunque tristitia & afflictio voluntatis, quæ ex apprehensione rei nociuæ, vel intellectuali, vel sentiente proficiscitur. Quapropter & in anima separata est etiã sine corporeo sensu pœna sensus, id est, pœna affligens, & mœrore afficiens. ¶ His ad hunc modum breuiter expositis, in primis inuestigandum est; Vtrùm pœna damni sit in omnibus qui damnantur æqualis? Partem affirmantem quæstionis hæc argumenta probant. Principiò, priuatio non suscipit magis & minus; neque enim vna cæcitas est maior altera; neque vna mors plus priuat vita quàm altera: at pœna damni, quæ est carentia diuinæ visionis & gloriæ, priuatio est sicut visu carere: erit igitur in omnibus æqualis. Deinde, pœna damni est non videre Deum: at non videre Deum, non suscipit magis & minus. Rursus, pœna damni est infinita; est enim amissio infiniti boni: vnum verò infinitum non est maius altero: igitur hæc pœna in omnibus qui damnantur æqualis est. Propter hæc argumenta quidam Theologi parùm acutè arbitrantur hanc pœnam in omnibus esse æqualem: sed eorum sententiam esse falsissimam, his rationibus, quas subiungam, animaduersis, cuique Theologo erit perspicuum. ¶ In primis ex sacra & diuina Theologia facilè constat non omnia peccata esse

Mortalis peccati est duplex pœna.

Matth. 25.

An pœna dãni in omnibus damnatis sit æqualis.

Primũ arg.

Secundum

Tertium.

Cùm non sint æquales peccatorũ omniũ auersiones nec subinde pœna dãni eis correspõdẽs est æqualis.

esse æqualia, sed quædam alijs esse grauiora. Ex hoc principio aliud enascitur manifestum, auersiones peccatorum non esse in omnibus peccatis æquales: magis enim auertit, & separat à Deo infidelitatis peccatum, quàm furti. Ex his consequens est, maculas peccatorum non esse in omnibus æquales. Vnde videtur efficaciter concludi, pœnam damni, quæ correspondet auersioni, non esse in omnibus æqualem. Deinde, si pœna damni in omnibus æqualis esset, id esset præcipuè, quoniam quodammodo infinita est. Sed hæc ratio videtur inanis, siquidem auersio etiam infinita est, cùm auertat, & separet hominem à bono infinito, at non est in omnibus æqualis, quanquam etiam priuatio est. Iam verò si hæc pœna damni in omnibus æqualis existit, consequens est, quòd tantam pœnam damni habeat paruulus in limbo, quantam Iudas in inferno: quod asserere, à Theologia diuina alienum est. Crediderim ergo cum Abulensi, super Matthæũ capitulo vigesimoquinto, quæstione. 64 o. quòd eos, qui ob grauiora crimina in maiori sunt inimicitia Dei, relegatio ab eius regno, & carentia diuinæ gloriæ acriùs excruciet: vehementiùs etenim indignantur qui à maiori hoste in exilium mittuntur, patriaque & suis bonis spoliantur, quàm qui ab hoste, qui non est eis tam inimicus, priuationem illam patiuntur: quamuis enim priuatio, quando in se pura est, maior, minor ve esse nequeat, vt summæ tenebræ, summa cæcitas, tamen in ratione causæ augeri potest, vt magis ac magis extorqueat: nec enim pœna damni carentia diuinæ visionis & gloriæ vtcunque est, sed carentia & priuatio diuinæ gloriæ propter peccatum: vbi igitur peccatum grauius fuerit, exilium illud grauius erit; sicuti quando in exilium mittuntur homines, grauius erit exilium, quò causa exilij turpior & magis abominabilis est. Certè iniquo animo tulit Absalon se damnari vt non videret faciem Dauid patris sui, tulissetque aniquiori animo, & maiorem confusionem habuisset, si causa huius exilij turpior fuisset. Alias rationes persequitur Abulensis in loco citato, ad ostendendum, quemadmodũ pœna damni maior sit in vno quàm in alio damnatorum in inferno, quas legendas omnino censeo.

Abulẽsis in Matthæũ.

Absalon.

Soluuntur argumẽta.

¶Nunc argumenta in contrarium refellenda sunt. Ad primum dicendum est, in primis esse quasdam priuationes quæ suscipiunt magis & minus, vt ignorantia, ægritudo, peccatum: falsum itaque est illud axioma, quòd priuatio non suscipit magis & minus, præcipuè cùm priuatio non tollat omnino habitum contrarium. Vel dicendum est, quòd quanquam priuatio in se maior aut minor esse nequeat, at ratione causæ magis aut minus torquere poterit, sicut suprà expositum est. Siquis enim propter Dei amorem eligeret in perpetuum Dei visione carere, vt fratres multos lucraretur (sicut quidam Doctores in primis graues explicant illud Diui Pauli; Optabam ego esse anathema à Christo pro fratribus meis) certè hæc non est pœna damni, quanquam est carentia diuinæ visionis, & gloriæ. Pœna igitur damni est priuari diuina gloria, & summi Patris conspectu propter peccatum. Vnde quò grauius & pudentius fuerit peccatum, turpior erit pœna damni, & maiori tristitia & pudore afficiet. Ex his patet quid dicendum sit ad secundum argumentum.

Ad primũ argum. Aliquando priuatio recipit magis & minus.

¶Ad vltimum dicendum est, pœnam damni esse infinitam, quia est amissio boni infiniti: verùm causa propter quam hoc bonum infinitum amittitur, quæ peccatum est, non in omnibus est æqualis, & idcirco hæc amissio non exæquo omnes excruciat. Hæc satis de dubitatione proposita: ad reliqua veniamus.

Ad secũdũ & tertium.

¶De pœna sensus, certum est atque exploratum esse finitam, & diuersam pro criminum diuersitate: patet ex illo Psalmi vigesimiseptimi; Da illis secundum opera manuum suarum; & Psalmi sexagesimiprimi; Quia tu reddes vnicuique iuxta opera sua. Ratio huius euidens est: nam sicuti ratio iustitiæ expostulat vt diuersum præmium pro diuersitate meritorum correspondeat bonis, sic ratio iustitiæ exposcit vt diuersum supplicium pro diuersitate criminum mali patiantur. Sed quanquam hæc veritas sit certissima, in contrarium pugnant optima argumenta.

Pœna sensus.

Psal. 27.

Psal. 61.

¶In primis, peccatum mortale quod aduersus Deum committitur, est infinitum; ergo meretur pœnam infinitam. Antecedens verum esse ostenditur in hunc modum. Nam peccatum tantò grauius est, quantò persona, contra quam est peccatum, maior est; sicut grauius est percutere personam principis, quàm hominis plebeij: sed qui dedit mandatum Deus, est bonum immensum, immensaque eius maiestas, habens in nos infinitam potestatem: omnis igitur contemptus, omnisque rebellio quam committimus contra ipsum, infinitæ malitiæ est & iniquitatis: at malitia infinita iustissimè infinito supplicio punitur. Nec satis expedit difficul-

Argumẽta. Primũ arg.

D. Tho. tatem huius argumenti Diuus Thomas solutione ad secundum dicens, procedere ex parte auersionis, cui proinde meritò respondet pœna damni quodammodo infinita, ad modum superiùs expositum: hæc, inquam, solutio non omnino valet: nam odium Dei etiam ex parte conuersionis est contra bonum infinitum, & contra Deum. Ex quo patet, non esse in vniuersum verum, quòd conuersio in omni peccato sit conuersio ad bonum commutabile. Idem confirmatur: quia suprà quæstione septuagesimasecunda Sanctus Thomas dixit; quòd diuisio peccati contra Deum, contra proximum, & contra se ipsum, est diuisio ex parte obiectorum: odiũ igitur Dei est contra bonum infinitum, & contra Deum.

Secundum ¶ Deinde sic argumentor. Quantò is qui meretur dignior & melior est, eò magis crescit meritum. Ex quo argumento efficaci concludunt Theologi, meritum Christi Domini fuisse infinitum: igitur quò persona quæ offenditur dignior & melior est, tantò maior erit offensa. Vnde si persona offensa est infinita, cui infinitis titulis obstricti sumus, peccatum in illam admissum erit infinitum.

Tertium. ¶ Ad hæc, occidere infinitos homines, infinita malitia est: occidere enim vnum hominem, aliqua malitia est; occidere duos, in duplo maior malitia est: ergo velle occidere infinitos homines, infinita malitia est: sed odium Dei multò grauius peccatum est, quàm velle occidere infinitos homines: ergo infinita malitia est.

Quartum. ¶ Præterea constituamus quòd perseueret & cõtinuetur odium Dei per integram horam, in qua sunt infinita instantia, in quolibet instanti est maior odij malitia: ergo ad finem horæ erit infinita malitia.

Vltimum. ¶ Vltimò, si peccatum mortale non meretur pœnam infinitam secundùm acerbitatem & dolorem, sequitur quòd veniale peccatum puniatur tanto dolore, & cum æquali acerbitate. Patet: nam vtrique debetur pœna finita: ergo est proportio inter pœnas; finiti enim ad finitum semper proportio est. Sit ergo pœna mortalis peccati vt octo, & venialis vt duo, & sit aliud mortale peccatum in duplo minus, erit pœna eius vt quatuor. Sit rursus aliud in duplo minus, & sic erit pœna eius vt duo, & crescat peccatum veniale, vel ducatur in consuetudinem, tunc ergo euidenti argumento concluditur peccatum veniale acerbiori pœna puniri, quàm mortale. ¶ Hisce argumentis, quanquam valida videantur, sententia nostra non labefactatur: est enim fidei sententia, cui non potest subesse falsum. Argumenta itaque hoc modo sunt confutanda.

Solutio argumẽtorũ. ¶ Ad primum argumentum optimè respondet Diuus Thomas solutione ad secũdũ, & ad

Ad primũ. confirmationem huius argumenti dicit Ca-

Caietani solutio ad conf. argumenti. ietanus; oportere omnino operantem habere aliquem vltimum finem, & impossibile est habere duos vltimos fines: cum igitur qui odio habet Deum, non habeat Deum pro vltimo fine, oportet vt habeat aliquod bonum commutabile, & sic in omni peccato virtualiter saltem est conuersio ad bonum commutabile: cum igitur hæc conuersio finita sit, finitam pœnã promeretur. Sed certè hæc solutio quanquam acuta est, non omnino satisfacit.

Improbatur Caiet. solutio. ¶ Nam licèt omne peccatum oriatur tãquam ex radice, ex conuersione ad bonum commutabile, nihilominus qui odit Deum, de se & ex parte obiecti grauius peccat quàm si odisset hominem, aut Angelum supremum, vel alium perfectiorem, & sic in infinitum. Item redit illud argumentum sæpissimè repetitum, quod est huiusmodi. Odium boni malitia est; & maioris boni odium maior malitia est, & sic in infinitum: ergo infiniti boni odium, infinita malitia est. Propter quod alij

Aliorum solutio. Theologi alio modo propositum argumentum dissoluunt: dicunt namque peccatum mortale ex Dei misericordia & clementia ad infinitam pœnam non imputari, quamuis peccatores de rigore iustitiæ infinitam pœnam fuerint promeriti: de cuius responsionis absurditate censebimus quæstione sequenti contra quosdam Theologos, qui arbitrantur, peccatum veniale de rigore iustitiæ mereri infinitam pœnam, sed ex Dei misericordia & clementia ad pœnam tantùm temporalem & finitam imputari. Quapropter melius standum est in alia solutione quam habet Diuus Thomas in articulo. Dicendum enim est, quòd in peccato mortali semper est conuersio finita; id est, licèt offendat bonum infinitum, offendit tamen finitè. Pro

Operatio circa obiectum infinitũ nõ subinde est infinita. cuius declaratione sciendum est, quòd operatio circa obiectum infinitum non est infinita: vnde amor, & visio Dei, quam habent beati in patria cœlesti, non sunt actus infiniti. Ratio est, quoniam obiectum non dat totam suam nobilitatem & perfectionem actui humano. Illud etiam intelligendum est, quòd operatio de meliori obiecto semper melior est, si cætera sunt paria: cæterùm non est tantò melior, quantò obiectum melius est: veluti cognoscere Angelum vt duo, perfectio est vt duo, licèt Angelus sit perfectus vt centum; & cognoscere

Deum

Deum erit perfectio vt quatuor, licèt Deus sit infinitè perfectus; & sic actus melioris obiecti semper melior est, sed non tantò melior, quantò obiectum melius est. Quibus animaduersis confutatur facillimè argumentum primo loco propositum.

Ad secũdũ. ¶ Ad secundum argumentum dicendum est, non esse eandem rationem: nam meritum Christi Domini ex parte personæ operantis infinitatem quandam habet: ex coniunctione enim ad Deum, & ad diuinam voluntatem, quæ opera humana à Christo Domino effecta Deo Patri offerebat, infinitum habebat valorem. Ex quo efficaciter docent Theologi, meritum Christi fuisse infinitum. Neque est eadem ratio de peccato, quod licèt offendat bonũ infinitũ, offendit tamẽ finitè.

Ad tertiũ. ¶ Ad tertium argumentum dicendum est, quòd nunquam est voluntas efficax occidendi infinitos homines; & dato quòd esset, non esset infinita malitia simpliciter, sed in certo genere: quemadmodum cognitio animæ Christi, qua videt infinita in verbo, non est infinita modis omnibus; tum, quoniam videt infinita per modum vnius; tum, quoniam non videt infinita simpliciter, sed in certo genere: quòd copiosiùs tractatur in tertia parte Diui Thomæ.

Ad quartũ. ¶ Ad quartum idem dicendum est, sicuti de intensione & augmento qualitatis continuo, quæ in quolibet instanti maior est, & ad finẽ horæ infinita non est.

Ad vltimũ. ¶ Ad vltimum dicendum est, quòd pœnæ non sunt proportionabiles, sicuti perfectio hominis, & equi; quanquam vtraque finita est, nunquam exæquari possunt, quoniam sunt diuersarum rationum. Rursus, charitas viæ, & charitas patriæ cœlestis; lumen matutinum, & lumen meridianum nunquam exæquari possunt, quoniam habent diuersos essendi status. ¶ Itaque pœna peccati venialis est in infinitum minor pœna peccati mortalis, etiam quantum ad cruciatum: & nullum peccatum mortale potest descendere vt puniatur tam leui cruciatu sicuti peccatum veniale. Almaynus in tractatu de peccato veniali capitulo vigesimotertio, respondet, pœnam venialis peccati esse in infinitum minorem pœna peccati mortalis, quia in infinitum minus malum est puniri pro veniali, & per accidens, quàm puniri pro peccato mortali, & per se, tanquam inimicum: sed falsa est hæc solutio: nam statuit, quòd peccatum veniale tanto cruciatu puniatur, quanto mortale, licèt ex modo puniendi sit differentia. Caietanus in quæstione sequenti articulo quarto concedit, non solùm quòd sint proportionabiles pœnæ, sed quòd possunt esse tot peccata venialia, vt pœna ignis sit maior quàm pro peccato mortali. Durandus in quarto distinctione vigesimaprima, quæstione secunda, ad primum dicit, quòd pœna debita peccato veniali proportionem habet cũ pœna debita peccato mortali, quantum ad cruciatum, cùm quælibet sit finita, & finiti ad finitum semper sit aliqua proportio; non est igitur, inquit, inconueniens si multa peccata venialia in damnatis æqualiter puniantur, sicut vnum peccatum mortale.

Peccati venialis pœna in infinitum excedit à supplicio peccati mortalis. Almay.

Caiet.

Duran.

¶ Tria ergo sunt quibus cruciantur in inferno: Primum, priuatio visionis: Secundum, pœna vermis; & ista est improportionabilis pœnæ purgatorij, & pœnæ debitæ pro peccato veniali: Tertium est pœna ignis; & ista, secundum Caietanum & Durandum est proportionabilis. Sed ego puto quòd est falsissima doctrina: nam eadem ratione oportet concedere, quòd plus pro multis venialibus punitur quis quàm pro vno mortali: & mirum est quòd pro grauiori peccato non detur grauior pœna ignis. Nec satis est dicere, quòd pœna damni est maior quæ correspondet peccato mortali: non enim adhuc certum est inter Theologos, pœnam damni in vno damnato esse maiorem quàm in alio, de quo suprà disputauimus.

Tria sunt quibus dãnati cruciãtur.

Autoris solutio.

ARTIC. QVINTVS.

¶ Vtrùm omne peccatum inducat reatum æternæ pœnæ.

SVMMA TEXTVS.

Prima cõc.

¶ PRima Conclusio. Solũ peccatũ mortale inducit reatum æternæ pœnæ. Hanc conclusionẽ probat tum autoritate Diui Gregorij, tũ firmissima ratione adeò dilucidè, vt alia cõfirmatione, aut explicatione non sit opus. ¶ Secũda conclusio, quæ habetur solutione ad tertium. Peccatũ veniale in inferno punitur pœna nunquam finienda: & id quidem ratione status: nam in illo statu nulla erit remissio, aut indulgentia.

Secunda.

EXPLICATIO ARTICVLI.

QVÆSTIO huius articuli in magnas nos conijciebat quæstiones; In primis, vtrùm sit aliquod peccatum quod pœnam temporalem mereatur: Rursus, vtrùm peccatum mortale & veniale hoc ipso distinguantur, quòd peccatum mortale pœnam æternam mereatur, peccatum verò veniale temporariam. Sed & illud in quæstionem verti poterat, vtrùm ne peccatum veniale & mortale in hoc discernantur, vt peccatum mortale sit contra finem, veniale verò contra media. Sed de his omnibus commodissimè disputabitur quæstione sequenti. Illa verò magna controuersia, vtrùm venialia peccata in purgatorio remittantur, & quomodo remittantur; & vtrùm purgatorij locus ex scripturis, & Patribus demonstrari possit, & alia ad hanc materiam spectantia, in materia de clauibus diligentissime inuestigantur. Quapropter his prætermissis, ad examen secundæ cõclusionis deueniamus.

Secũda cõclusio examinatur Scotus. Primũ arg. ¶ De secunda conclusione est dubitatio inter Theologos: nam eam inficiatur Scotus in quarto distinctione vigesimaprima, & mouetur his argumentis. In primis, Deus punit citra condignum, vt habet vera doctrina Theologorum omnium: at si puniret peccatum veniale in inferno pœna nunquam finienda, puniret certè vltra condignum; siquidem peccatum veniale non meretur supplicium æternum, sed tantùm temporale.

Secundum ¶ Deinde, hoc de rigore videtur iniquũ, cùm peccato veniali nó debeatur per se, nisi tẽporalis pœna: neque enim quòd peccato mortali coniungatur, facit ipsum in infinitum grauius.

Tertium. ¶ Tertiò, post pœnitentiam à confessario iniunctam, si ante peractam pœnitentiam incidat homo ille in mortale, ratione cuius condemnetur, talis punietur solùm temporaliter pro peccato in sacramento pœnitentiæ remisso: quia illa pœnitentia, & pœna temporalis erat. Idem ergo est dicendum de pœna debita pro peccato veniali. ¶ Durandus in quarto distinctione vigesimaprima, quæstione secunda affirmat, veniale, quod non est remissum quo ad culpam, non remitti in inferno, sed si sit remissa culpa in via, expiabitur pœna inferni. Hæc sententia ab his autoribus asserta, facillimis argumentis confutatur, sed breui sermone: nam exactior huius rei tractatio non est huius instituti, sed spectat ad materiam de pœnitentia.

Durand.

Pœna debita etiã peccatis remissis nunquã in inferno finitur. ¶ Dico itaque, pœnam debitam pro peccatis venialibus, atque etiam pro mortalibus iam remissis, in inferno nunquam esse finiendam ratione status, vt verum sit illud; In inferno nulla est redemptio: omnis namque remissio, & satisfactio pro peccato, innititur gratiæ, & acceptationi diuinæ: sed opera damnatorum non sunt Deo accepta: ergo per illa non potest fieri satisfactio. Prima propositio huius argumenti sic demonstratur: nam Genesis capitulo quarto habetur; Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius; quo significatur, Deum hominum munera non respicere, nisi homines ipsi sint grati, & accepti Deo. Cui consonat illud Ecclesiastici trigesimoquarto; Dona iniquorum non probat altissimus: loquitur in eandem sententiam Esaias Propheta. c. 1. & Diuus Paulus primæ ad Corinthios capitulo decimotertio; Deinde, satisfactio, & remissio non fit nisi quando meritum passionis Dominicæ applicatur, vt constat apertissimè ex sanctis scripturis: at damnatis in inferno non applicatur meritum passionis Dominicæ: ergo nulla est redemptio, aut satisfactio. Præterea, peccata semper placent damnatis: ergo peccata venialia puniuntur in inferno, pœna nunquam finienda; siquidem nunquam remittuntur, aut tolluntur: veluti si quis detrudatur in carcerem propter æs alienum quod debet, si nunquam erit soluendo, iustum & æquum est vt nunquam ex carcere exeat. Hæc omnia confirmantur euidentissimo argumento. Nam si in inferno est satisfactio pro peccato, aut pro pœna; igitur pro his qui sunt in inferno, esset orandum, sacrificandum, & pro illis indulgentiæ accipiendæ; quod prædicauit quidam Parisijs, sed coactus est retractare sententiam. Hæc satis videntur esse ad sententiæ Diui Thomæ defensionem, & demonstrationem.

Gene. 4. Eccle. 34. Esai. 1. 1. Corin. 13

Solutio argumẽtorũ ¶ Argumenta verò in oppositum adducta facillimam habent solutionem. Æternitas enim pœnæ non respondet peccato veniali in inferno ratione grauitatis peccati, sed quoniam non est locus remissioni, aut indulgentiæ.

Quomodo Deꝰ puniat & præmiet citra condignum. ¶ Est alia dubitatio, quomodo Deus retribuat vltra, & puniat citra condignum, quod est paradoxum Theologorum, si reddit vnicuique iuxta opera sua. Respondetur, ex eo quòd merita nostra eius sunt dona, neque ex parte obiecti adæquant dignitatem gloriæ, sed solùm ratione suæ gratiæ: quicquid nobis gloriæ, quod quantocunque merito rependat, confert vltra condignum, sanè quod non per nostram sufficientiam, sed per eius gratiam obtinemus: in quo sensu ait Apostolus, Paulus.

lus non esse condignas passiones, &c. At verò quomodo citra condignum puniat, non est ita intellectu facile. Ideo citra condignum ab aliquibus Deus punire dicitur, ex eo quòd cum iustè nos eodẽ tẽporis articulo quo delinquimus posset in tartara conijcere, indulget nihilominus nobis pro sua misericordia tempus vitæ quomodo possimus resipiscere: at verò hæc expositio non constaret in Angelis, qui simul & in culpam lapsi sunt, & supplicio traditi. Ob idque secunda potest adhiberi expositio, quòd quamuis in inferno ex lege iam posita ad iustum Deus agat cum reprobis, nihilominus quia meritò potuisset acerbiora in illos supplicia statuere, dicitur citra condignum punire. ¶ Tertia explicatio est, quòd cùm Deus de iustitia possit peccatores in nihilum redigere (quod esse verum Caietz. demonstrat Caietanus in articulo præcedẽti) & tamen Deus non eos in nihilum redigit, dicitur punire citra condignum.

ARTIC. SEXTVS.

¶ Vtrùm reatus pœnæ maneat post peccatum?

SVMMA TEXTVS.

Prima con. PRima Conclusio. Post actum peccati, manẽte macula & auersione à Deo, manet reatus pœnæ. ¶ Secũda Conclusio. Post ablatam maculam per verã pœnitentiam aliquando manet reatus ad pœnam.

Secunda.

Tertia. ¶ Tertia Conclusio. Hæc pœna quę manet post ablatam culpam, non est proprie pœna, sed appellatur pœna satisfactoria.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Lutherani negant satisfactionẽ DE secunda conclusione est nobis concertatio cum Lutheranis. Lutherani enim negant post remissam culpam, & peccatoris iustificationem, manere reatum ad pœnam. Negat hoc Lutherus articulo quinto apud Roffensem, & probat ex illo Romanorum octauo. Roma. 8. Nihil damnationis est his qui sunt in Christo Iesu, id est, iustificatis per Christum Iesum. Sed reatus ad pœnam est aliquid damnationis: non ergo manet post remissam culpam. Deinde, adducit illud ad Romanos tertio. Rom. 3. Iustificati gratis per gratiam ipsius, & redemptionem quæ est in Christo Iesu, quem proposuit propitiatorem per fidem in sanguine ipsius: sed sanguis Christi est sufficientissimum pretium, tum pro culpa, tum pro vniuersa pœna: ergo iniuria irrogatur Christo si alia pœna insuper exigatur. ¶ Quæstio hæc disputatur copiosiùs tertia parte, quæstione octuagesimasexta, articulo quarto, & in additionibus in tertiam partem, quæstione decimatertia. Nunc breui sermone demonstrandum est aliquando post remissam culpam, & peccatoris iustificationem manere reatum ad pœnam. In primis hoc definit Con Concil. Tri. cilium Tridentinum Sessione sexta, capitulo decimoquarto, & adducit in huius rei confirmationem illud; Memor esto vnde excideris: & age pœnitentiam, & prima opera fac: & illud; Quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur, & rursus; Pœnitentiam agite, & facite fructus dignos pœnitentiæ: in quibus sententijs, & his similibus, non est sermo de pœna æterna, quæ vnà cum culpa remittitur, sed de pœna temporali, quæ non tota semper cum culpa dimittitur. quod planè asserunt diuinæ literæ. Nam secundo Regum capitulo duodecimo postquam Nathan dixerat Dauid; Dominus transtulit peccatum tuum, continuò subiungit, Veruntamen filius tuus morte morietur. Ecce post remissam culpam exigitur pœna. Moysi & Aaron dimissum esse peccatum diffidentiæ in scripturis legimus Numerorum decimo, &. 14. at propter illud peccatum non sunt ingressi in terram promissionis, quam vehementer desiderabant: Idem accidisse constat Mariæ sorori Moysis, Dauidi, & Niniuitis, & alijs quos in cilicio, cinere, gemitu, luctu, ieiunijs alijsque afflictionibus post remissam culpam pœnituisse constat. Certè Dauid post veniam obtentam dicebat; Ampliùs laua me Domine ab iniustitia mea: & postquam Manasses ab impietate sua conuersus est ad Dominum, & obtinuit veniam peccatorum, vt patet. 2. Paralipomenon trigesimotertio, punitur tamen in populo suo propter peccata iam dimissa vt patet Ieremiæ decimoquinto, Gladium ad occisionem, &c. propter Manassem, &c. Apoc. 2. 2. Corin. 7. Acto. 2. Luc. 3. 2. Reg. 12.

Soluuntur Lutheri argumenta. Ad primũ. ¶ Ad argumenta Lutheri, ad primum dicendum est, quòd loquitur Paulus de baptizatis, qui

qui baptiſmalem innocentiam conſeruant & retinent: nam in baptiſmo deletur tum culpa, tum vniuerſa pœna. Rurſus poteſt explicari ſententia Pauli de vniuerſis iuſtificatis per Chriſtum. Reatus enim pœnæ in homine iuſto nihil habet damnabile, nam poſt remiſſam culpam dæmon nihil aduerſus nos habet: quod ſignificat Paulus in verbis quæ paulò pòſt ſubiungit; Si Deus pro nobis, quis contra nos?

Ad ſecũdũ. ¶ Ad ſecundum argumentum negatur conſequentia: nam quanquam pretium ſanguinis Chriſti ſufficientiſsimum & exuberantiſsimum ſit, quantum verò ad efficaciam, voluit Chriſtus Dominus nobis applicari per ſacramenta, & per noſtra opera, quibus Dei gratiæ cooperamur, quæ ex merito Chriſti nobis donantur. Hæc autem ſatisfactio, beneficium atque ſatisfactionem redemptoris Chriſti adeò non obſcurat, vt magis etiam commendet, illuſtretque: illa enim præeunte, ac præcipuè operante iuxta diuinam ſcripturam iudicium facimus & iuſtitiam, delicta noſtra contra nos ipſos vindicantes, pœnam pro ipſis debitam perſoluentes: denique hac ratione teſtantes, nos Chriſti crucem lubenter amplecti, abnegare nos ipſos, mortificare carnem. Sed eſt notandum, quòd iſte error Lutheranorum ſumpſit initium ex alio errore: docet namque paſsionem Domini eſſe noſtram iuſtitiam, & homines non eſſe iuſtos per iuſtitiam inhærentem nobis, ſed per iuſtitiam Chriſti nobis imputatam. Ex quo eliciunt tertium errorem, quòd omnes ſumus æquè iuſti atque beatiſsima Virgo Maria: contra quos errores alio in loco dimicabimus.

Luth. error ex alijs erroribus natſcitur.

Vtrùm manente peccato tollatur reatus ad pœnã in hac vita. Rationes dubitandi.

¶ Eſt alia dubitatio; vtrùm manente peccato tollatur reatus ad pœnam in vita hac præſenti? Videtur quòd fieri poſsit in illo qui ieiunat in gratia, & non habet niſi venialia, de quibus nullo modo pœnituit, ſed habitualiter perſeuerat in illis; tale ſiquidem ieiunium eſt ſatisfactorium pro alijs, quare non pro ipſo? vel ſaltem poſtquam doluerit de venialibus, quare non acceptabitur pœnitentia, vel ſatisfactio præterita? vel ſi ſic ageret, ego offero pro craſtina die pro peccatis meis: videtur enim quòd poſsit; ſicuti aliquis celebrat pro eo qui primus dederit eleemoſynam, vel pro anima quæ hodie venerit ad purgatorium.

Reſponſio. ¶ Certè non magis poteſt quis ſatisfacere pro peccatis non remiſsis, quàm pro peccatis quæ non habet, ſed habebit: non autem poteſt quis hodie ſatisfacere pro peccatis quæ committet; aliàs ſtatuatur quòd Petrus hodie ieiunet, ita vt ſatisfaciat pro pœna vt quatuor, & craſtina die mentiatur, & fiat reus pœnæ vt duo, tunc ſequitur quòd erit in culpa & non erit reus pœnæ, ſiquidem iam ſatisfecit. Quòd ſi dicas ſatisfeciſſe pro tempore quo educitur de peccato: contrà, ſaltem ille ſi diſcedat ſine pœnitentia mendacij, nunquam erit in purgatorio, iam enim ſatisfecit in via. Argumenta in contrarium oppoſita perſpicuam habent ſolutionem, & ideo ad ſequentem articulum deueniamus.

ARTIC. SEPTIMVS.

¶ Vtrùm omnis pœna ſit propter culpam?

SVMMA TEXTVS.

Prima cõc. PRima Concluſio. Pœna ſatisfactoria nõ ſemper eſt pro culpa: interdum enim qui non peccauit, pœnam voluntarius pro alio ſuſtinet; ſicut etiam in rebus humanis videmus, quòd aliquis in ſe transfert alterius debitum.

Secunda. ¶ Secunda Concluſio. Pœna propriè dicta, quam inuiti veluti ſupplicium patimur, ſemper eſt propter culpam.

Tertia. ¶ Tertia Concluſio. Pœna medicinalis ad exercitium virtutum non eſt ſemper pro culpa, vt patet in Iob; quamuis hæc habeat fundamentum ex originali peccato.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Vtrùm afflictiones huius vitæ ſemper ſint pœnæ peccatorum. HIC articulus magnam & difficilem excitat quæſtionem; Vtrùm afflictiones quæ in hac vita eueniunt hominibus, propter impietatem & ſcelera eueniant, an propter aliam cauſam; quod fuit caput diſputationis inter Iob & eius amicos. Arbitrabantur namque amici Iob, eum afflictum fuiſſe à Deo propter impietatem & ſcelera; contrà verò Iob diſputabat, pœnas & aduerſitates huius vitæ non ſemper aduenire propter hominum peccata & ſcelera: quam cõtrouerſiam Deus ipſe arbiter dirimit c.38. ſed de argumẽto libri Iob accura-

Iob. Iob.38. Argumẽtũ libri Iob.

accuratior explicatio ex sanctis Patribus petenda est, præsertim ex Diuo Thoma, Titelmano, Francisco Vatablo, Isidoro Claro, neque enim inter omnes conuenit caput disputationis inter Iob & amicos fuisse, vtrum Iob sit à Deo afflictus propter impietatem & scelera, an propter aliam causam. Sed vtcumque res ista se habeat, manifestum est afflictiones, & aduersitates huius vitæ non semper obuenire propter impietatem & scelera. Item perspicuū est, quòd ex diuina prouidentia ali quando malis bona concedantur, & iustis aduersa inferantur, quod potissime explicant sancti Patres ex afflictionibus & calamitatibus quibus per omnia malorum genera Iob iactatus fuerit absque culpa præcedente. Afflictionum enim, vt probe hic distinguit Diuus Thomas, alia est qua percutitur impius vt puniatur, alia vt corrigatur, alia ne futura committat, alia vt dum salus obtinetur, saluator amplius ametur. Bono, si percutitur, merita cumulantur, tum patientiæ, tum humilitatis & animi moderationis, & desiderium futuræ vitæ amplius exardescit. Sed de his alio in loco commodius differetur.

ARTIC. OCTAVVS.

¶ *Vtrùm aliquis puniatur pro peccato alterius.*

SVMMA TEXTVS.

Prima cõc. PRima Conclusio. Pœna satisfactoria vnº punitur pro peccato alterius.

Secunda. ¶Secunda Conclusio. Pœna propriè dicta nullus punitur pro peccato alterius.

Tertia. ¶Tertia Conclusio. Pœna medicinali vnus punitur pro peccato alterius, populus pro Rege, filius pro patre.

Quarta. ¶Quarta Conclusio. In bonis spiritualibus nullus punitur pro peccato alterius: in hoc enim bonorum genere verum habet illud paradoxum Christianum, quod nemo læditur nisi à se ipso.

EXPLICATIO ARTICVLI.

DE secunda conclusione huius articuli magna controuersia est, videtur enim aduersari sanctis & diuinis literis; nam Exodi vigesimo, dicitur; Ego Dominus zelotes visitans iniquitatem patrum in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me. Idem habetur capitulo trigesimoquarto, & Deuteronomij quinto. & vt suprà adduximus propter peccata Manasse punitur populus, Hieremiæ decimoquinto. & Matthæi vigesimotertio. & Lucæ duodecimo dicitur, vt veniat super vos omnis sanguis iustus, &c. & Ioannis capitulo nono habetur, neque hic peccauit nec parentes eius, sed vt manifestetur gloria Dei in eo, quo in loco significatur peccatum parentum interdum esse causam punitionis filiorum. Sed in contrarium & in confirmationem sententiæ Diui Thomæ adducitur illud Ezechielis decimooctauo, & Hieremiæ trigesimoprimo. quid est quod inter vos vertitis in Prouerbium in terra Israel dicentes, patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt, viuo ego dicit Dominus Deus, si erit vltra vobis parabola hæc in prouerbium in Israel. Ecce omnes animæ meæ sunt, vt anima patris, ita & anima filij mea est, anima quæ peccauerit ipsa morietur: hic locus hunc sensum habet secundum Diuum Hieronymũ. Quomodo si quis velit dicere, patres vuam acerbam comederunt, & dentes filiorum obstupuerunt, ridiculum est, & nullam habens consequentiam: sic iniquum est atque peruersum, peccare patres, & filios nepotesque cruciari: sed anima quæ peccauerit ipsa morietur, &c. Certè sancti Patres & Theologi recentiores maximè laborauerunt vt hæc loca diuinarum scripturarũ exponerent, & ad concordiã reducerent, videntur nãque pugnãtiã inter se habere. Nodum huius difficultatis variè explicant sancti Patres. Augustinus disputans hãc quæstionẽ quomodo iustè pro alterius peccatis in alijs vindicetur, nam pro peccato Achan triginta sex viri fuerunt interfecti ex tribus millibus quæ missa fuerant ad expugnandam ciuitatem Hay. quæstioni propositæ tandem respondet sed interrogationis forma; An aliud inquit, iudicantibus hominibus est præceptum, ne quemquam pro altero puniant: & Dei iudicia non sint eiusmodi, qui alto & inuisibili consilio suo nouit quatenus extendat etiam temporalem hominũ pœnã salubrẽque terrorem? Visibiles igitur (vt deinde subiũgit) afflictiones hominum, siue mortes quoniam his quibus ingeruntur, & obesse & prodesse

Examinatur secũda conclusio articuli.

Exo. 20.

Exod. 34. Deute. 5.

Ezechi. 18. Hiere. 31.

Hierony.

Augu. lib. quæstionũ super Iosue ad. 7. c. q. 8.

possunt,

possunt, nouit Dominus in occulto prouidentiæ suæ quemadmodum quibusque iuste dispenset, etiam cum aliorum peccata in alijs videtur vlcisci: pœnas verò inuisibiles quæ non nisi nocent, & prodesse non possunt, ita nullus Deo iudice pro alienis peccatis luit, sicut homine iudice nullus nisi pro sua culpa istas visibiles luere debet: & in Deuteronomio quæstione. 42. proferens quod dicit Dominus per Moysem, non morientur patres pro filijs, & filij non morientur pro patribus, vnusquisque in suo peccato morietur, dicit; Ecce non solum Prophetæ hoc dixerunt, verùm etiam lex dicit, sua culpa quemque interimedum: nō autem patris sui aut filij sui. Quid est ergo quod alibi dicitur, Deus reddens peccata patrum in filios in tertiam & quartam generationem? An de filijs nondum natis illud intelligitur, propter peccatum originale quod etiam ex Adam traxit genus humanum: hic autē de filijs iam natis facta est distinctio, vt vnusquisque in peccato suo moriatur? Non enim trahit aliquid ex patre, qui iam natus erat, quando pater eius peccauit. Ex sacris igitur scripturis & ex his quæ paulò anteà adduximus ex Diuo Augustino colliges, filium nō esse à iudice humano puniendum & occidendum pro crimine sui patris, licet à Deo puniri possit pœna temporaria, & quæ prodesse potest saltem alijs; pœna tamen inferni siue gehenna nunquam à Deo punitur pro scelere suorum parentum. Hanc explicationem sequitur hic Diuus Thomas & eam explicat pro instituti breuitate. Ex hac doctrina colligunt diuini Theologi, parentum scelera filijs in spiritualibus nunquam obesse. Vnde si quis à sceleratissimis & contaminatissimis originem trahat, dummodo ipse sanctis præditus sit moribus, nihil ei nocebit parentum iniquitas, aut ignobilitas generis; apud Deum quippè nec præpucium, neque circuncisio aliquid valet, sed noua creatura: atque ideò Christi generatio ab illaudatis aliquot tam mulieribus quam viris deducitur, & forte hac laude non caruit Abraham, qui cum à scelerato Thare genitus sit, relicta patria & cognatione & domo patris sui Domino adhæserit: testis huius rei est Epiphan. libr. 1. aduersus hæreses tom. 1. Theophilactus. Matth. 1. Contrariū huius docet D. Augustinus. Sed quòd scelera parentum nihil obsint filijs, asseuerant vniuersi sancti Patres, Augustinus libro de bono coniug. capitu. 16. Chrysosto. homil. 3. in Matthæū, & homil. 9. in eundem. Ambrosius de paradiso capitu. 4. Hieronymus in Epistola ad Pámachium contra errores Ioannis Hierosolymitani: qui plura de sideratis sanctorum testimonia legat Gratianū 56. distinctione decreti. Sed videamus quid D. Hieronymus de proposita difficultate sentiat; is namque exponens illud Hieremiæ; Patres nostri peccauerunt & non sunt, & nos iniquitates eorum portauimus, dicit, illam sententiam Exodi. 20. Ego sum Dominus Deus tuus Deus æmulator, visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem, & aliam similē Exod. 34. accipi debere quasi Prouerbium, & parabolam, vt aliud in verbis sonet, aliud in sensu teneat, id est, quòd illud Prouerbium non sit verum, nisi filij æmulatores sint parentum, & fatetur super Ezechiel. 18. se diu deceptum putasse hæc duo testimonia Exod. non esse parabolam, sed simplicem explicare sententiam, & passum esse scandalum occultum, quòd iniustitia videatur alium pro alio puniri. Item Augustinus ex eo inquit, quòd addidit, qui me oderūt, intelligitur eos puniri pro peccatis parentū, qui in eadem peruersitate parentum perseuerare voluerunt. ad eundem modum explicat D. Gregor. libro. 15. morali. capitulo. 22. in vna expositione, nam in altera exponit de peccato originali. Item Chrysostomus in Psalmo. 84. gratias (inquit) tibi Deus quia addidisti, in his qui te non cognouerunt; cæterum si taceres, omnes condemnares. Rabanus superiores sequitur. Cæterum pauci sunt, qui hunc locum intelligant de pœna temporali, in quibus est Hugo de Sancto Victore, & Achacius, quos optimè sequitur Diuus Thomas hoc in loco; nam Hieronymus quem hic citat nusquam apparet, & reuera hic videtur germanus sensus, maximè si addas illud Hierem. 2. frustra percussi filios vestros, disciplinam non recepistis: sic enim legit Achacius vbi nostra editio habet, non receperunt. ¶ Tertiam explicationem huius difficultatis adhibet D. Gregorius loco dudū citato, scribit enim quòd ille locus Ezechiel. 18. intelligendus est & elucidandus de peccato primi parentis, filius enim post aduentum Christi, & baptismi susceptionem non portabit iniquitatem patris, quia continuò lauatur per baptismi sacramentum. Cęterum alia sententia in qua dicitur Deum visitare iniquitates patrum in filios in tertiam & quartam generationem, intelligenda est in veteri lege. Quod si quis argumentetur contra hoc ex diuina Theologia, nam etiam in veteri lege institutum erat remedium ad peccatum originale tollendum, ex quo consequens est, quòd in omni ætate filius non portabat iniquitatem patris. ¶ Respondeat Theologus, in fauorem Gregor. quòd etsi in omni ætate fuerit antidotū & remedium ad peccati originalis remissionē & cōdonationem, cæterum nō fuit

Quomodo intelligat quod Deus reddat pecata patrū in filios.

De quo latius. 2.2.q. 64.art. 2.

D. Tho.

Epipha. Theophil. Aug. 16. de ciui. c. 13.

Chrysosto. Ambros. Hieron.

Gratianus.

Thre. 5.

Exod. 20.

Exod. 34.

Aug. cōtra Adaman. c. 7. & de quæstionibus noui & vet. testa. c. 18.

Gregorius

Chrysosto.

Rabanus.

Hugo de S. Vict. Achacius. D. Tho.

Hiere. 2.

Gregor.

Argumētū

Responsio.

fuit remedium ad aperiendam ianuam regni cœlorum vsque ad Christi aduentum, & idcirco in illa ætate veteris legis filius portabat iniquitatem patris in Limbo, etiam si peccatum originale iam non haberet. Ad hunc etiá modum conciliat hæc duo lóca quæ videntur inter se pugnare glossa ordinaria. Sed certè explicatio videtur violenta, præstat autem scripturas adductas distinctè & per partes explicare. In primis illa sententia Exodi. 20. Ego Dominus zelotes visitãs iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem, & alia consimilis. Exodi. 34. Duplicem habet commentarium, prior est, vt intelligatur de filijs & posteris qui imitantur vitia parentum, vt textus ipse indicat subdens, ijs qui oderunt me. Alter commentarius est quem sequitur hîc Diuus Thomas, vt sit sensus de pœna temporali, & quæ rationem medicinæ quæ possit prodesse habeat, quo genere pœnæ nihil prohibet aliquem puniri pro peccato alterius vel à Deo vel ab homine, vt filios pro patribus, & subditos pro dominis, inquantum sunt quædam res eorum. Hunc commentarium amplectitur hîc Diuus Thomas. Illa verò sententia anima quæ peccauerit, ipsa morietur, & filius non portabit iniquitatem patris, hunc habet sensum, id est non dabit pœnas filius pro iniquitate paterna, neque pater iustus luet pœnas ratione scelerum filij iniusti, sed iustus referet fructum iustitiæ suæ, hoc est, viuet propter iustitiam suam, & impius dabit pœnas propter iniquitatem propriam, non alienam, & iustus vita viuet & non morietur, neque in hoc seculo neque in futuro: sensus apertus est, quòd scelera parentum nihil obsunt filijs in bonis spiritualibus, neque scelera filiorum patribus in eisdem bonis. Illud vero, non dicent vltra, patres comederunt vuam acerbam & dẽtes filiorum obstupuerunt, sed vnusquisque in iniquitate sua morietur; duplicem habet explicationem, altera est Diui Hieronymi, quæ in initio dubitationis fuit proposita, altera est quæ mihi maximè probatur, vt sit sensus, futurum est tempore Christi, vt veri Israelitæ non reijciant causas pœnarum suarum in aliena scelera, nempè in scelera auorum suorum, sed agnoscent se esse peccatores, & fatebuntur se dignos morte sempiterna ob delicta sua, à qua tamen se per Christum asseruandos esse credent. Hæc de ista quæstione.

¶ Sed quæstio est inter Scholasticos non parua, num innocens absque culpa possit pœna æterna inferni siue gehennæ puniri. ¶ A parte affirmante sic arguitur. Nam Deus est Dominus vitæ & mortis, poterit ergo absque iniustitiæ crimine beatos in infernum præcipites dare ad mortem sempiternã, & homines improbos in cœlum euehere: certè si beatos ex cœlo deijceret (ex cõcordi omnium Theologorum sententia) nulli irrogaret iniuriam.

¶ Deinde Deus statuit firmo decreto, quòd homines contrahant peccatum originale ex primis parentibus, ac subinde mortem, calamitates, & exilium perpetuum: poterit ergo statuere vt filius puniatur in inferno pro patris sceleribus. ¶ Tertiò sic, nam Deus potest innocentem hominem & alioqui iustum annihilare, vt est in confesso apud omnes Theologos, poterit ergo innocentem mittere in gehennam ignis; & non tantùm hoc, sed etiam probatur quòd sæpenumero Deus innocentem qui non debet puniri condemnet, quod apertè & sine circuitione aliqua scriptum est Sapient. 12. his verbis. Quis dicet tibi quid fecisti, aut quis stabit contra iudicium tuum, aut quis in conspectu tuo veniet vindex iniquorum hominum, aut quis tibi imputabit si perierint nationes, quas tu fecisti? & paulò pòst subdit admirabilem sententiam. Cum ergo sis iustus, iustè omnia disponis, ipsum quoque qui non debet puniri condemnas, ex quo testimonio liquidò colligitur Deum sæpenumero condemnare innocentem qui non debet puniri. ¶ In contrarium proponuntur grauissima argumenta. In primis, alienum videtur ab omni iustitia & ratione innocentem condẽnare, & grauissimis inferni cruciatibus torquere, sanè videtur ab omni bonitate & misericordia esse prorsus abhorrens & exterum, eum qui non debet puniri, condemnare, non ergo Deus id poterit efficere. Mentiri enim ideo Deus non potest, quoniã mentiri imperfectio est quæ hominem bonum nõ decet, nedum Deum Opti. Max. Sed condemnare innocentem, & dissonum est rectæ rationi, & crudelissimum ab omnibus existimatur: non ergo poterit Deo competere vt condemnet innocentem. Hæc argumenta vtrinque adducta Theologos in varias trahunt sententias. Quidam affirmationem quæstionis amplectuntur, vt Gregorius Ariminensis in. 1. distin. 40. quæstione. 5. articulo. 3. Quidam verò negatiuam partem sustinent vt Scotus in. 1. distin. 41. Echius centuria. 3. Marsilius in. 1. q. 46. ¶ Ad huius rei expositionem est prima cõclusio. Pœna temporaria quæ medicina est, & prodesse potest, innocens in hac vita affligi & castigari potest, hæc enim propriè pœna non est, sed medicina, de qua re dictum est diligentiùs in articulo præcedẽti. ¶ Secũda cõclusio. Deus potest statuere vt innocens careat perpetuò visione beatifica, patet hoc euidenti ratione in homine condito in puris merisque natura-

Glossa ordi. Exod. 20. Exod. 34. Ezec. 18. Hier. 31. Hieron. Vtrum innocẽs possit pœna æterna puniri. Primũ arg. Secundum. Tertium. Sapien. 12. In contrarium. Greg. Ari. Scotus. Echius. Marsil. De' potest statuere vt innocẽs careat gloria.

naturalibus, & ad visionem beatificam nullo modo destinato: hic enim homo licet innocens existeret & sine culpa, ad visionem beatificam non admitteretur. ¶ Tertia conclusio. Deus potest suo iure occidere innocentes pro peccatis aliorum, quod sæpè iam fecit, vt in Diluuio, & in Pentapoli, & in primogenitis Ægyptiorum, & in exterminio Amalech & Chananæorum ad introitum Israel, & in filijs Acham, quod creditur præcepisse Iosue. 7. & in paruulis Beniamin Iudi. 20. & in Iabes Galaath, Iudic. 21. hoc fecit Dominus iure suo quia habet dominium vitæ & mortis, sine dispensatione in præcepto de non occidendo innocentem: de qua re edisserit eleganter D. Tho. 1.2.q.81.artic.1.ad primum. & artic.2. ad secundum. &.q.87.artic.7.&.8.&.2.2. q. 108. art.4.&.164.art.1.ad.4.& in.3.p.q. 14. attic.1. ad tertium. ¶ Quarta conclusio. Deus potest (quæ sua est potentia absoluta) innocentem hominem mittere in gehennam ignis: hoc cõfirmant esse verum argumenta quæ inducta sunt pro affirmatione quæst. ¶ Sed aduertat Theologus, quòd si ea res accideret, innocens non propriè diceretur damnatus, neque propriè esset damnatio aut punitio, nam vbi culpa non est, damnatio propriè aut punitio non est; secundum quem modum etiam argumẽta partis negatiuæ apertissimè cõfutantur. ¶ Sed supereſt explicare illam sentẽtiam adductam Sapien. 12. quæ in hunc modum habet. Ipsum quoque qui non debet puniri condẽnas, quę certè nisi aptè exponatur, in animis hominũ scandalum generat: verùm tripliciter explicatur. Prima explicatio, qui iudicio hominũ non videtur puniendus, si tu eum punis, iustè id facis. Secunda explicatio est, id est, ipsum qui non recipit correctionem, condemnas in perpetuum. Tertia explicatio est, ipsum qui non debet puniri considerando suam innocẽtiam condemnas, id est punis aliquando ad suæ patientiæ probationẽ, sicut patet in sancto Iob. Inueni quendam Theologum nouitium qui aliter hunc locum elucidat, dicens in nostra editione vulgata esse mẽdum, corrigendumque ex Græco hoc modo; eum qui non debet puniri condemnare, exterum extimas à tua virtute, id est alienum est à virtute & bonitate diuina. Sed valeant isti nouatores qui suo ingenio scripturarũ intelligẽtiã metiri audẽt. ¶ Sequitur alia parua quæstio; an peccatum aliquando sit medicina & antidotum ac remedium: hæc quæstio facillimè explicatur, namque dicẽdum est, quòd peccatum ex Dei misericordia aliquando cedit in bonum, hoc intelligunt sancti Patres ex illo diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, omnia etiam peccata vt habet gl. Vsque adeò inquit Augustinus omnia cooperatur Deus in bonum diligentibus se, vt etiam si qui eorum deuient & exorbitent, etiam hoc ipsum faciat proficere in bonum, dum humiliores redeunt & doctiores. Hoc ipsum confirmant sancti Patres ex Psal. 1. Folium eius non defluet, & omnia quæcunque faciet semper prosperabuntur; sed aduertat Theologus, hoc ex diuina bonitatis clementia prouenire, nam peccatum de se mortem affert & damnum salutis spiritualis, venenum itaque est non medicina: ex quo cõsequens est quòd non sit appetendum, sed Deus adeò est bonus vt non sineret mala fieri, nisi vt bene faceret nobis etiam de malo. ¶ Illud etiam vertunt Theologi in dubium, nũ possit aliquis puniri in bonis spiritualibus & vitæ sanctitate pro peccato alterius. ¶ Ad huius rei expositionem est prima conclusio. In gratia charitate & gloria, & in earum rerum detrimento & iactura nemo potest puniri pro peccato alieno, nam scripturæ clamitãt, in his bonis quenquam recepturum pro suis operibus. ¶ Secunda conclusio in bonis alijs spiritualibus videlicet in prædicatione & doctrina potest vnus puniri pro altero, Deus nãque vt constat ex scripturis crebro comminatur se non missurum prędicatores propter scelera populi, Regis aut sacerdotis, hoc passim legitur in sacra scriptura. vt Ezech. 3. Ecce data sunt super te vincula, &c. & Esai. 5. mandatur nubibus, id est, prædicatoribus ne pluant super vineam propter peccata populi. Vnde Deuteronomio. 17. propter peccata populi minatur Deꝰ, cœlos illos de quibus dicitur; Cœli enarrãt, &c. id est, prędicatores futuros ęneos, ne pluant imbrem doctrinæ super eum. ¶ Tertia conclusio. Iustum & rationabile videtur, quòd homo interdum patiatur detrimentum in bonis spiritualibus exiguis & minoris momenti, vt bonum spirituale præstantius adquirat, sic esse faciendum scribit Diuus Gregorius libro. 3. dialo. sic docet euidens ratio, nam iustum & rationabile est interdum omittere orationis suauitatem, & otij sancti quietem propter officia charitatis præcipua. Tantum de hoc articulo. Ad sequentem quęstionem transeamus.

Deus põt innocentes pro alienis peccatis occidere.

Iosue. 7. Iudi. 20. Iudic. 21.

D. Tho.

Deꝰ potest innocẽtem mittere in gehẽnam.

Exponitur locꝰ Sap. 12

An peccatũ aliquando sit remediũ

Roma. 8.

Augu. li. de correct. & gratia. c. 9.

Psal. 1.

Num quis in spiritualibus puniri possit, p peccato alterius.

Prima cõc.

Secũda cõ.

Tertia cõc.

QVAEST. LXXXVIII.

De peccato veniali per comparationem ad mortale; in sex articulos diuisa.

ARTIC.

ARTIC. PRIMVS.

¶ Vtrùm peccatũ ueniale conuenienter diuidatur contra mortale.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. AFfirmans est conclusio. Nam peccatum mortale & veniale opponuntur sicut reparabile & irreparabile. Peccatum enim mortale dicitur ad similitudinem morbi mortalis, qui ita vocatur ex eo quòd inducit defectum irreparabilem, per destitutionem principij vitalis. Sic principium vitę spiritualis, quæ est secundùm virtutem, est ordo ad vltimum finem, qui si destitutus fuerit, reparari non potest per aliquod principium intrinsecum, sed solùm per virtutem diuinam: quia inordinatio eorũ quæ sunt ad finem, ex fine reparatur. Sed defectus vltimi finis non potest per aliquid aliud quod sit intrinsecum reparari, sicuti nec error qui est circa prima principia: & huiusmodi peccata dicuntur irreparabilia: illa verò quæ habẽt inordinationem circa ea quę sunt ad finem, conseruato ordine ad vltimum finem, reparabilia sunt, & venialia denominantur, à venia.

EXPLICATIO ARTICVLI.

De differentia inter veniale & mortale peccatum. IN huius articuli expositionem prima quæstio examinanda est; Vtrùm distinctio inter peccatum veniale & mortale authentica sit, & ex diuinis literis habeatur? An ne scholastici doctores nomina huius distinctionis sibi confinxerint? Certè VVicleph hæreticus irridet istam Theologorum distinctionem, dicitque quòd quanquam frequens sit in ore popularium, & Prælatorum, qui meliùs sciunt extorquere pecunias pro peccatis, quàm ab illis mundare, & licèt balbutiant sæpe in ista distinctione, est tamen perridicula, vt ipse existimat. Insuper arbitratur hæreticus, peccatum mortale & veniale in hoc potissimè distingui, quòd omne peccatum hominis reprobi & præsciti sit peccatum mortale, & omne peccatum prædestinati (quamlibet graue sit) est veniale. Hunc errorem confutat diligenter & eleganter in primis Thomas VValdensis, libro de sacramentis capitulo 154. & 155. VVicleph error. VValdẽsis. Lutherus verò dissimili ratione istam Theologorum distinctionem subuertit, & labefactat: dicit enim, omnia opera, etiam hominis iusti, esse peccata mortalia, sed non imputari per Dei misericordiam ei qui credit in Christum, qui iustificat impium. Rursus dicit, idem opus esse peccatum mortale, & opus iustum & rectum. Est peccatum mortale, quatenus à libero arbitrio proficiscitur: & est opus rectum & iustum, quatenus à gratia procedit; sicque elucidat illum locum Diui Pauli Romanorum septimo; Mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati. Ex qua sententia ex consequenti concedit, quòd simul, & in eodem tempore idem homo sit iustus, & peccator: imò quod eadem actio simul sit bona, & mala. Nihilominus veritas catholicæ fidei est, quòd huius distinctionis nomina non sunt in scholis conficta, sed Patres ex scripturis illa tradiderunt, & ea à multis seculis ad nos deducta, perpetua obseruatione custodimus. Lutherus. Rom. 7. Conclusio catholica.

¶ Ex peccatis igitur aliud appellatur mortale, sumpta appellatione ex scripturis, Iacobi primo; Peccatum verò cùm consummatum fuerit, generat mortem: & primæ ad Corinthios decimoquinto. Stimulus verò mortis peccatum feriens ad interiora animæ, vt separet gratiam viuificantem ab anima: & idcirco appellatur mortale, hoc est mortiferum, faciens animam mori. Dicitur nihilominus etiam mortale, quia æterna morte est dignũ, & damnatione perpetua, quæ appellatur mors secunda Apocalyp. 21. Sed explicandum est diligentiùs, quomodo qui peccatum mortale committit, mortuus dicatur, cùm interim spiret, respiret, ac singula officia vitæ exerceat? & quomodo peccatum mortale vitam spiritualem eripiat, ac mortem afferat animæ peccantis? Certè sicut anima est vita corporis, sic vita animæ est spiritus Dei, dans ei esse quoddam diuinum, suoque vigore intus ingenerans vitam spiritualem, & diuinæ naturæ consortem: de quo latiùs dicemus in materia de gratia. Et quemadmodum anima vitam corpori non tribuit, nisi quamdiu in ipso manet debita humorum & qualitatum proportio: sic & Spiritus sanctus non viuificat spiritum hominis, nisi quamdiu consistit rectus Peccatum mortalis appellatio è diuina scriptura eruitur. Iac. 1. 1. Cor. 15. Apo. 21. Quomodo qui est in peccato mortali dicatur mortuus.

in ordine ad legem æternam, & obedientiam mandatorum Dei. Tolle corporis temperaturã per vulnus, aut morbum, ſtatim anima è corpore migrat, & corpus emortuum relinquitur: tolle per inobedientiam ſubiectionem hominis ad legem Dei, ſtatim ſe recipit in ſuum principium ſpiritus Chriſti cum omnibus chariſmatibus vificantis gratię, nec manet vltrà in homine peccatore, niſi corporea quædam vita, ſine ordine confuſa, ſubiecta legi mortis. Ex his, ni fallor, vtcunque explicatur, quomodo peccatum mortale eripiat vitam gratiæ.

Venialepecatũ quare ita dictũ ſit

¶ Veniale autem peccatum ſic vocarunt Patres, eò quòd venia dignum exiſtat propter exiguitatem offenſæ: non enim prorſus auertit hominem à Deo, neque ponit inimicitiam inter Deum, & hominem: de quibus ſcribit Ioannes; 1. Ioan. 1. Si dixerimus quòd peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt; & Iacobi 3. In multis offendimus omnes: & Prouerb. 24. Iac. 3. Pro. 24. Septies in die cadit iuſtus; in quibus verbis ſignificatur, eſſe quędam peccata leuia, quæ hominẽ iniuſtũ, & Dei inimicũ nõ efficiũt Hæc veritas definita eſt in Cõcilijs contra Pelagium, qui exiſtimabat hominem ex facultate liberi arbitrij poſſe omnia peccata venialia cauere. De hac re diſputat copioſè Diuus Auguſtinus lib. 1. de natura & gratia c. 36. & 38. Pelagius. Concil. Milenit. c. 6. 7. & 8. Cõci. Trid. ſeſſ. 6. c. 11. & can. 23.

¶ Sed videtur certè quòd hæc differentia peccati venialis & mortalis in Nouo teſtamento nõ inueniatur. Vna enim ſentẽtia aduerſus omnia peccata decreta eſt, dicente Domino; Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati: & rurſum; Sermo quem loquutus ſum, is iudicabit eum in nouiſſimo die: & Ioannes clamat. Qui non obtemperat filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum. Hæc ſunt argumenta Diui Baſilij, loquentis de his, qui maiora tantùm peccata vitabant: propter quæ ſubiungit. Primùm quidem ſciendum eſt, in Nouo teſtamento differentiam hanc non inueniri. Loquitur de peccato mortali & veniali, vt videtur. Idem docet Chryſoſtomus. Vide multa digna lectu quę Hieronymus ſcribit in huius rei confirmationem in epiſtola ad Cteſyphontẽ, vbi probat non eſſe leuẽ culpam in exiguo contemnere Deum: & ponit exẽplum in Adam, in vxore Loth, in Sammeia viro Dei occiſo à leone, 3. Reg. 13. & in Anania, & Saphira. His omnibus reſpondendum eſt, id tãtùm docere, quòd quædam peccata, quæ hominibus leuia videntur, coram Deo ſint mortalia, & grauiſsima quidem. Illud etiam dicat Theologus pro argumenti confutatione, quod plerũque in ſcripturis ſanctis dum vox, peccatum, per ſe ponitur, accipitur pro his quæ deliberato animo contra legem Dei fiunt, efficiuntque hominem Dei inimicum, quæ propriè peccata appellantur, vt Ioan. 20. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Hinc etiam ſecundum Diuum Thomam in hoc articulo, cùm peccatum veniale committitur, non tam contra legẽ Dei agitur, quàm præter legem: quod in ſequentibus diligentius explicabitur. Chryſoſt. ſerm. de leuiũ peccatorũ periculis. Hieron. 3. Reg. 13. Ioan. 20. D. Thom.

¶ Iam eſt ſecunda quæſtio; quomodo peccatũ veniale & mortale inter ſe opponãtur; & qua ratione diſtinguantur: non enim de hac re eſt vna ſententia doctorum, ſed variant in infinitum opiniones. Sed vt veritas euidentiſsimè demonſtretur, concluſiones quæ ſequuntur ſunt obſeruandæ. Quomodo veniale & mortale peccatum differant.

¶ Prima concluſio. Peccatum mortale & veniale non ex eo diſtinguuntur, quòd mortale obligat ad pœnam æternam, veniale verò ad temporalem: nam licèt Deus non ſtatuiſſet pœnam pro peccatis, peccatum mortale & veniale inter ſe diſtinguerentur. verbi gratia. adulterium, & mendacium officioſum. Deinde, qui ſunt in inferno damnati, prolabuntur quotidiè in nouas culpas, & non in nouas pœnas: ergo peccatum, ſiue mortale, ſiue veniale, non eſt obligatio ad pœnam. Tertiò ſic. Quando quis per veram contritionem dolet de peccatis, remittitur ei omnis culpa, vt habet ſana doctrina; ſed non remittitur ei omnis pœna, vt omnis ſcriptura teſtatur: itaque poſt remiſsionem peccati manet obligatio ad pœnam: ergo peccatum aliud eſt quam obligatio ad pœnam. Prim. cõcl. Veniale & mortale nõ diſtinguuntur eſſentialiter ratione obligationis ad pœnam.

¶ Secunda concluſio. Peccatum mortale & veniale non diſtinguuntur eſſentialiter: quia peccatum mortale æterna pœna ſit dignum, venia le verò temporali: ſiquidem prius eſt quod cõmittamus peccata, quàm quòd ſimus digni ſupplicio, aut pœna. Hac enim de cauſa pœna & ſupplicio digni ſumus, quia peccamus; ſicuti ſumus digni præmio, quia ſtudioſa opera facimus. Deinde, de ſe notũ eſt & perſpicuum, actum inordinatum eſſe peccatum: at non eſt per ſe notum quòd peccatum ſit dignũ ſupplicio, aut præmio apud Deum; & ideo quòd ſit peccatum, non rectè definitur per hoc, quòd ſit dignum pœna, aut ſupplicio. Secũ. cõcl.

¶ Tertia concluſio. Peccatũ mortale & veniale non in hoc diſcernuntur, quòd peccatum mortale ſit contra finem, veniale verò contra medium: quod malè colligunt quidã Theologi ex litera huius articuli, quã nõ rectè intelligunt. Probatur ſic: nam peccata mortalia ſunt contra finem, & cõtra media. Rurſus, peccata venialia & cõtra finẽ, & cõtra media committũtur: ergo ex hoc nõ diſtinguũtur. Antecedẽs ſic oſtẽdo. Nã adulteriũ, quod eſt peccatũ mortale, eſt cõtra mediũ, ſcilicet cõtra caſtitatem, & iuſtitiam. Rurſus, magnum infidelitatis peccatũ eſt contra finem. Hoc ipſum de peccato veniali cõprobatur: nã mendaciũ, quod eſt veniale peccatum, eſt contra medium, nimirum contra fi- Tert. cõcl.

delita-

delitatem,& veracitatem: cæterùm motus non plenè deliberatus infidelitatis est peccatum contra finem,cùm tamen,vt liquidò constat,sit peccatum veniale. Quando ergo docet sanctus doctor,quòd peccatum mortale est contra finem, veniale verò contra medium, sic explicandus est, quòd peccatum mortale auertit hominem ab vltimo fine,& facit hominem Dei inimicum, eripitque vitam spiritualem, quæ est charitas: veniale verò non est contra charitatem, neque auertit hominem ab vltimo fine: & iuxta hanc explicationem cessant omnes calumniæ Scoti in 2.distinctione 21.

Quar. cõcl. ¶ Quarta conclusio. Hæc peccata non distinguuntur ex eo quòd mortale sit contra præceptum,veniale contra consilium;in quo errat turpiter Scotus in 2.d.21.q.1. nam ducere vxorem est contra consilium Domini consulentis hominibus virginitatem, & vitam cælibem, dicente Paulo;De virginibus præceptum Domini non habeo,consilium autem do:at ducere vxorem, nullum peccatum est: ergo agere contra consilium,peccatum veniale non est. ¶Sed argumentabitur fortasis aliquis in fauorem Scoti: In primis,hic actus;nolo esse religiosus; est malus, siquidem bonus nõ est; &in indiuiduo & in exercitio non datur actus indifferens,vt suprà habitum est:at non est contra præceptum, sed contra consilium;ergo agere contra consilium,peccatum est.Hoc ipsum confirmatur valido argumento. Nam iste actus; nolo nunc pœnitere; malus est, & vituperabilis ; nam includit in se hunc actum,volo nunc in peccato permanere: sed huiusmodi actus non est contra præceptũ, sed contra consilium : statuo enim, disputationis causa,quòd tunc præceptum de contritione habenda non obligat;cùm enim sit præceptum affirmans,pro omni tempore non obligat: iam verò ducere vxorem,est ponere obicem Spiritui sancto,qui semper solicitat & mouet ad meliorem statum:est igitur malus actus, cum tamẽ non sit nisi contra consilium.

Scot. 1.Cor.7. Obiectio. Argu.prim. Secundũ. Tertium. ¶ Hoc idem confirmatur. Nam qui vouit, aut promisit se facturum contra Dei consilium, ex omnium Theologorum suffragio peccat, quia ponit obicem Spiritui sancto, & se obstringit vt consilium Dei sequi non possit: ergo ducere vxorem,peccatum est, siquidem ducere vxorem,est ponere obicem Spiritui sancto, & se veluti obstringere ad statum in quo consiliũ Dei de virginitate sectanda sequi sit impossibile.

Solutio. Ad primũ. ¶Sed hæc argumẽta facillimè confutantur. Nã ad primum dicendum est,quòd ille actus ex obiecto indifferens est,sed ex circunstãtijs in exercitio operis potest esse studiosus;vt si quisdicat; nolo esse religiosus, nec sectari vitam cælibem, quia imbecillus sum,& infirmus,labores religionis ferre non potens. ¶Ad secundum argumentum viri doctissimi dicunt,illum actum esse peccatum veniale;videtur enim quòd obiectum huius actus,quod est nõ pœnitere, nullam habeat bonitatem: sed certè argumentum propositum non soluunt.Nam cùm in illo tempore non sit obligatio ad pœnitentiam habendam,neque vlla lege id sit præceptum, non apparet quomodo obiectum illud malum sit.Propter quod dicendum est pro confutatione argumenti,quòd ille actus quanquam ex obiecto videatur indifferens, aut in malum sonare, ex circunstantijs potest esse studiosus;vt si quis prædicaturus,aut lecturus dicat inter se;nunc tempus est legendi,aut prędicandi,pœnitentia verò peccatorum in aliud tempus differatur ; certè in hoc opere nihil est culpabile,aut vituperatione dignum.

Ad secundũ

Ad tertium ¶ Ad tertium argumentum dicendum est,non esse peccatum ponere obicem ad altiorem statum in his ad quæ non tenemur ex præcepto, aut lege. Ad confirmationem dicendum, quòd qui vouit facere contra consilium , non ex eo peccat,quia interponit obicem ad altiorem statum, sed quia promittit Deo vt rem acceptam & gratam, illud quod Deo non placet, neque gratum esse potest:quanquam enim non displiceat Deo quòd non sequaris eius consilium,displicet quòd promittas ei nunquam sequuturũ eius consilium.

Quin. cõcl. ¶ Quinta conclusio. Peccatum mortale & veniale non ex eo differunt, quòd omne peccatũ præsciti & reprobi sit peccatum mortale,& omne peccatum prædestinati sit veniale:sic intelligunt istam distinctionem hæretici , VVicleph & Lutherus;sed hæretico falluntur spiritu: nam constat ex scripturis,reprobos fecisse peccata venialia,& prædestinatos multa peccata mortalia, vt patet in Paulo,in Magdalena;& reprobis aliquando sunt dimissa peccata, vt videre licet in Saul,& Iuda.

Lutherus. VVicleph.

Sexta cõcl ¶ Sexta conclusio.Peccatum mortale & veniale ex sese differunt,& non tantùm ex Dei gratia & misericordia.Hæc conclusio statuitur contra Gersonem,qui in 3.p.suæ Theologiæ,titulo de vita spirituali lect.1.quem sequitur Almaynus titulo 3.c.20.opinatus est;quòd omne peccatum veniale,etiam verbum otiosum,de se est peccatum mortale,& meretur supplicium æternum; sed ex misericordia Dei & clemẽtia sunt quędã peccata leuia,quæ ad pœnam temporalẽ nobis imputãtur. Sed istorum sentẽtia est absurdissima,&fauet hęresi Lutheranæ:nã si omne peccatum est mortale,cum ex diuina reuelatione nõ constet aliquod genus peccati ex Dei clementia factum fuisse veniale, consequens est omne peccatum esse mortale; quod est hæreticum. Deinde,est prorsus impossibile , quòd pecca-

Gerson. Almaym.

tum Deo non displiceat: est enim euidens contradictio quòd sit peccatum, & odio non habeatur à Deo: ergo est prorsus impossibile quòd Deo non displiceat peccatum, quantum ipsum peccatum meretur. Præterea si peccatum mortale ex Dei misericordia potest fieri veniale; ergo peccatum mortale ex Dei gratia & misericordia poterit ad culpam non imputari; quod est fauere hæresi Lutheranæ: aiunt enim Lutherani, omne opus iusti esse peccatum mortale, sed non imputari in peccatum credenti in Christum, qui iustificat impium.

Argum. Gersonis. ¶ Sed videamus quibus argumentis hanc opinionem prædicti autores sibi persuaserunt.

Prim. arg. ¶ Primum argumentum sic habet. Peccatum veniale potest puniri à Deo pœna æterna, imò annihilationis pœna, vt constat: ergo omnis offensa est mortifera secundum rigorem iustitiæ. Antecedens sic probatur: quia nulla pœna est tam mala, sicut culpa, & offensa Dei vel minima, propter quod potius est toleranda ab homine vniuersa pœna, etiam annihilationis, quàm vt peccatum vel minimum committat.

Secundum. ¶ Secundò sic. Peccatum veniale de facto in inferno punitur pœna æterna, vt antea dictum est: & Deus non est iniustus: ergo meretur illã.

Tertium. ¶ Tertiò sic; quælibet offensa Dei vel exigua nisi remittatur, expelleret & excluderet hominem à gloria Dei in perpetuum, aliàs maneret culpę dedecus sine decore iustitię: sed quòd culpa remittatur, est ex pura liberalitate Dei remittentis & condonantis: ergo de se omnis offensa mortifera est.

Quartum. ¶ Deinde, pro infinito bono non debet committi offensa vel minima, sic adeò vt si quis bonum infinitum possideret, iustissimè illo bono pro offensa commissa spoliaretur: ergo infinitè est demeritoria omnis offensa. Idem confirmatur. Nam maius damnum mihi infert, qui est in causa vt peccem venialiter, quàm qui furatur rem familiarem meam: sed qui furatur rem familiarem, peccatum mortale committit: ergo qui est autor vt peccem venialiter, peccatum mortale committit.

Confir.

Quintum. ¶ Præterea, constituamus hominem in puris naturalibus, id est, neque ad gratiam, neque ad gloriam destinatum: rursus constituamus hunc hominem peccare venialiter, & mori in peccato veniali, certè tale peccatum punietur pœna æterna: nã nõ habet homo vnde soluat, scilicet, gratiam: peccatum ergo veniale de se meretur pœnam sempiternam.

Vltim. ¶ Vltimò, peccatum veniale non est remissibile, nisi per gratiam & acceptationem diuinam: ergo de se irremissibile est. Ex hac doctrina deducit Gerson nõnulla dogmata. In primis, quòd nulla offensa Dei est venialis de se, sed solùm ex diuina gratia & misericordia; & quòd distinctio peccati mortalis & venialis non est essentialis, sed solùm per respectum ad diuinam misericordiam. Deinde, quòd nullum peccatum mortale considerando Dei offensam est minus alio, nisi vnũ infinitum possit esse minus alio: quia omne peccatũ est de se infinita offensa Dei. Tertiò infert, quòd non minus obligamur ad gratiarũ actionem, ex eo quòd venialia non imputat ad mortem & damnationem æternam, quàm ex eo quòd remittit & condonat mortalia. Quæ omnia sunt falsissima & periculosissima in vera doctrina: & quando aliud argumentum nõ supeteret ad huius autoris opinionem confutandam, hoc satis pro magno argumento est, quòd ex ea opinione talia dogmata conficiantur. Sed argumentis obiectis respondeamus.

Soluuntur argumenta Gersonis.

¶ Ad primum argumentum respondetur, quòd licèt Deus possit iustè punire peccatum vel minimum pœna æterna, quando coniungitur cũ mortali, cuius causam in sequentibus explicabimus; at verò non esset punitio iusta, si pro solo peccato veniali quis puniretur pœna sempiterna, ex quo sequitur, quòd licèt Deus qui est Dominus vitæ & mortis, possit hominem habentẽ peccatum solum veniale cruciare pœna sempiterna & annihilationis, hæc tamen propriè pœna non est, quæ correspondeat peccato: nam etiam hominem iustum, & alioqui innocentem potest mittere in gehennam ignis, vt suprà indicatum est. Ad probationem verò qua probatur antecedens, dicendum est, quòd malum culpæ maius est quàm malum pœnæ; pœna namque est propter culpam: cæterum cum peccatum veniale sit leuis culpa, ęquum est vt leuissima pœna puniatur. Deinde dico, quòd punire pœna æterna in genere mali pœnæ, maius malum est, quàm peccatum veniale in genere culpæ: culpa enim venialis in suo genere est leuis & exigua: punire verò pœna æterna in genere mali pœnæ est summum malum, & ideò non est iustum vt tantilla culpa, tam graui pœna puniatur. Sed & illud dicendum est, quòd malum culpæ, & malum pœnæ sunt diuersarum rationum, & ideo comparari non possunt.

Ad primum

¶ Ad secundum argumentum dicendum est, quòd peccatum veniale punitur in inferno pœna æterna ratione status, quia homo est extra statum merendi & satisfaciendi.

Ad secundũ

¶ Ad tertium argumentum dicendum, quòd si peccatum veniale non est coniunctum cum mortali, falsum est quod dicit Gerson, quòd excludat & expellat à vita gloriæ: nam ipse Deus ex lege quam statuit, tenetur dare gloriæ regnum amicis suis, nõ obstante peccato veniali, quod quidem ex ipsa lege gratiæ quam statuit Deus suis amicis, etiam si in hac vita pœnitentiam non agant, statim remittitur

Ad tertiũ.

mittitur ex natura ſtatus cum anima emigrat à corpore, quamuis pro pœna in purgatorio detineantur. Vel dicendum, quòd quanquam peccatum veniale à conſequutione gloriæ non nihil impediat, non inde eſt conſequens quòd mereatur excluſionem à regno, ſed dumtaxat ſequitur quòd ſit defectus & imperfectio, qualis omnis à vita beata procul abeſſe debet. Sanè obligatio ad perſoluendam pœnam in purgatorio non eſt peccatum, nec mortale, nec veniale, at niſi pœna perſoluta ſit, ad regnum cœlorum nunquam peruenitur.

Ad quartũ. ¶ Ad quartum dicendum eſt, peccatum veniale non eſſe committendum pro quocunque bono temporali, non quòd ſit grauius, aut minus graue detrimentum, ſed quoniam de ſe malum eſt, & rationi diſſentaneum, & ob id nulla ratione committendum, nec pro ſeruanda quidem omnium hominum ſalute. Illud verò quod addidit Gerſon ex merito peccati veniali promereri hominem, vt ſpolietur bono quocunque etiam infinito quod poſsidet, falſiſsimum eſt, non enim qui peccat venialiter meretur perdere charitatem Dei & vitam gratiæ: quod etiam ex humanis conijcere licet, nam ſi amicus contra amicum leuem offenſam committat, non proinde meretur, vt amicitiam & amorem amittat; quanquam amicum offendere pro vlla re mundi nunquã liceat: ſic ſanè peccatum veniale pro quocunque bono non eſt admittendum, ſed ſi committatur, non meretur tam grauem pœnam vt omnibus bonis qui peccauit, ſpolietur.

Ad confir. ¶ Ad confirmationem reſpondetur, quòd licet qui inducit me ad peccatum veniale, maius detrimentum inferat, quàm qui à me furatur rem familiarem, non ſequitur quòd peccet mortaliter, nam eſt detrimentum alterius ordinis, ſicut ſuprà expoſitum eſt.

Ad quintũ. ¶ Ad quintum reſpondetur, quòd ſi homo conditus in puris naturalibus peccaret venialiter & moreretur in illo, puniretur pœna æterna, nam non haberet vnde ſolueret. Vel dicendum quod homini condito in puris naturalibus Deus prouideret de remedio tum peccati mortalis, tum peccati venialis, ne eſſet in ſempiternum miſer.

Ad vltimũ. ¶ Ad vltimum argumentum dicendum eſt, quòd nullum peccatum de ſe eſt remiſsibile poſitiuè, quia nullum peccatum ponit gratiam, & charitatem, quæ eſt remiſsionis principium: peccatum verò veniale eſt remiſsibile negatiuè; id eſt, de ſe non habet quare non poſsit remitti, quia de ſe non contrariatur charitati, ſed peccatũ mortale eſt irremiſsibile poſitiuè, quoniam charitati & amicitiæ aduerſatur. Hactenus docuimus quomodo peccatum mortale & veniale inter ſe non diſtinguantur: ſupereſt exponere veras rationes differentiæ inter peccatum mortale & veniale, quas hic perſequitur Diuus Thomas, vna eſt quod peccatum veniale non tam eſt contra legem, quam præter legem. Hãc rationem differentiæ conſtituit hic Diuus Thomas in ſolutione primi, quam etiam conſtituit in 2. diſtinctione 42. idem ſentit Magiſter in diſtinctione 35. Durandus verò in 2. diſtinctione 42. tenet contra vniuerſos Theologos, quòd peccatum veniale propriè ſit contra legem, & quòd qui peccat venialiter propriè agat contra legem. Idque oſtendit eſſe verum his argumentis. ¶ In primis peccatum veniale in diuinis ſcripturis abſolutè vocatur peccatum, ſi dixerimus quia peccatum non habemus &c. & non eſt homo qui non peccet: ergo ſecundum ſcripturæ ſtylum & phraſim peccatum veniale eſt contra legem.

Peccatũ veniale eſt præter legem. D. Thom.

Mag. ſentẽ.

Durãdi opinio.

Argum. Durandi.

Pri. argum. 1. Ioan. 1.

Eccli. 7.

¶ Deinde, mendacium eſt contra dictamen legis naturalis, & furari rem minimam eſt contra præceptum legis negatiuum, non furaberis.

Secundum

¶ Vltimò, diuiſio peccati in mortale & veniale eſt diuiſio generis in ſuas ſpecies, ſicut diuiditur animal in hominem & equum, ergo definitio peccati in genere competit peccato veniali. Definitio autem peccati ſic habet. Eſt dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei. ¶ Sed certè Durandus ſine ratione deſerit modum loquendi antiquorum qui veriſſimus eſt, & diuinis literis conſentaneus, nam Matthæi 19. dicitur. Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. At qui tantum peccat venialiter non ſolùm ad vitam gratiæ ingreditur, ſed eam habet, ergo ſeruat mandata, vnde non agit contra mandatum. Scribitur etiam, Si quis dixerit quoniam diligo Deum, & mandata eius non ſeruat, mendax eſt, ſed qui tantum peccat venialiter, & peccato veniali tantùm tenetur, diligit Deum ſuper omnia, ergo ſeruat mandata, non ergo agit contra mandatũ. Sed & Paulus dicit, qui diligit proximum legem impleuit, & rurſus. Plenitudo legis eſt dilectio, ſed qui tenetur tantum peccato veniali diligit proximum & Deum, ergo implet legem, ac ſubinde contra legem non agit. Vltimò, qui tenetur tantum peccato veniali, non agit contrà charitatem, quæ eſt finis legis, dicente Paulo, finis præcepti eſt charitas, igitur non agit contra legem. Sed inſtat Durandus, ſi hæc ita ſe habent, ſequitur quòd veniale peccatum non ſit verè & propriè peccatum. Ad hoc Caietanus, hoc in loco liberè cõcedit non eſſe ſimpliciter & propriè peccatum, ſed ſecundum quid: ſed & Durãdus in loco dudũ citato idem cõcedit de peccato veniali quod cõmittitur per actum imperfectę deliberationis, quod & probat optima ratio

Tertium.

Mat. 19.

1. Ioan. 2.

Rom. 13.

1. Tim. 1.

Caiet.

ne, nam ratio peccati consistit in voluntate, & deliberatione; vt scilicet qui agit, plenè secum deliberet prius quam exeat in actu, ergo vbi est imperfecta deliberatio, imperfectum peccatum

Tripliciter aliquid dicitur peccatū secundum quid.

est. Sed multo elegantius Dominus Caietanus nobis tradit, quòd tribus modis peccatum aliquod dicatur secundum quid peccatum, & imperfectè, tum ex imperfectione deliberationis, vt motus non plenè deliberatus infidelitatis, tum ex parte obiecti & materiæ, tum verò ex parte præcepti, quando præceptum non est necessarium ad amicitiam cum Deo habendam, vel conseruandam, vt verbum otiosum, itaque autore Caietano, omne peccatum veniale vndecunque proueniat, est peccatum secundum quid & imperfectè: & hæc est sententia Diui Thomæ, aperta in solutione primi. Sed vt hæc euidentius explicentur, mihi videtur dicendum, quòd hæc quæstio; vtrùm peccatum veniale simpliciter, & sine addito sit appellandum peccatum, est cõtrouersia de nomine, certum tamen est & exploratum, quòd in sacra pagina simpliciter, & sine addito appellatur peccatum. Illud etiam pro certo habendum est, quòd peccatum veniale comparatum mortali est imperfectum peccatum, & secundum quid. Plerumque etiam in scripturis, dum vox peccatum per se ponitur, accipitur pro peccato mortali, quod efficit hominem Dei inimicum vt Ioannis 20. quorum remiseritis peccata remittuntur eis, &, Ioan. 8. qui facit peccatum, seruus est peccati. Nihilominus mihi videtur quod absolutè & sine addito peccatum veniale sit appellandum peccatum. Nec tamen sequitur vt argumentatur Durandus, quòd absolutè & sine addito sit contra legem, nam cum

Ioan. 20.

Augu. definit peccatū mortale.

Diuus Augustinus definit peccatũ esse dictum vel factum, vel concupitum contra legem Dei, definit peccatum quod est potissimè peccatum, cuiusmodi est peccatum mortale: vel dicendũ (& hæc est exactior huius rei explicatio) quòd dupliciter peccatum aliquod est contra legem, tum quia est contra intentionem legis, & contra charitatem quæ finis legis existit, secundum quem modum solum peccatum mortale est contra legem, tum verò quia est contra virtutem, & contra rationem, atque adeò contra dictamen rectæ prudentiæ, & iuxta hunc sensum, peccatum veniale est contra legem, mendacium enim officiosum, est contra veritatem, & contra dictamen rectæ rationis. Ex his

Soluũ. arg. Durandi.

ni fallor argumenta Durandi, solutionem habent. ¶ Nam ad primum dicendum, dumtaxat, ostendere quòd peccatum veniale sit simpliciter peccatum, quod nos liberè concedimus.

Ad primũ.

¶ Ad secundum dicendum est, iam esse liquidum ex dictis, quemadmodum peccatum veniale vno in sensu sit contra legem, in alio verò minimè.

Ad secundũ

¶ Ad tertium, etiam ex dictis facilè satisfieri potest, sed sciendum quòd autore Diuo Thoma in solutione primi, peccatum analogicè dicitur de peccato mortali, & peccato veniali, qua propter cùm diuiditur peccatum in peccatum mortale & veniale, non est diuisio generis in suas species, sed analogi in sua significata: dissplicet hoc Durando in loco citato, sed quoniã res est minimi momenti ab eius rei defensione supersedendum est, vt ad difficiliora transeamus. Habemus ergo ex Diuo Thoma, primam rationem differentiæ inter peccatum mortale & veniale, sed potissima ratio distinctionis apud Diuum Thomam est, quòd peccatum mortale est contra finem, veniale vero contra medium ordinatum ad finem, hunc modum dicendi calumniatur Scotus, vt antea dictũ est in secundo, distinctione 21. sed defendit illum Caietanus, & certè defensio, & Apologia minimè est difficilis, nam sententia Diui Thomæ est, quòd peccatum mortale auertit ab vltimo fine, & facit hominem Dei inimicum, eripitque vitam spiritualem quæ est charitas, peccatum vero veniale non est contra charitatem, neque auertit hominem ab vltimo fine: & hoc est dicere, quòd peccatum mortale sit contra finem, veniale vero non est contra finem. Tertiam rationem, differentiæ persequitur D. Thom. in solutionibus argumentorũ, quæ, vt verum fatear, obscurissima est. Scribit enim Diuus Thomas, peccatum mortale & veniale in hoc differiminari, quòd in peccato mortali constituitur vltimus finis in creatura, & qui peccat mortaliter fruitur creatura, atqui peccat venialiter, non constituit vltimum finem in creatura, neque fruitur ea, ex qua sequitur alia differentia, quòd qui peccat mortaliter, conuertitur se ad bonum commutabile, & auertitur à bono incommutabili, qui vero peccat venialiter, licet se conuertat inordinatè ad bonum commutabile, non auertitur à bono incommutabili. Istæ duæ differentiæ in magnum disputationis campum nos conijcerent ad edisserendum quemadmodum qui peccat mortaliter constituat vltimum finem in creatura. Item ad explicandum quem finem habeat peccatum veniale Deum an creaturã? nisi istę quæstiones magno agmine argumentorum & defensionũ fuissent à nobis explicatæ, suprà q. 1. Quapropter his prętermissis ad aliam dubitationem accedamus.

Ad tertium Peccati diuisio analogica.

Potissima differentia inter peccatum mortale & veniale. Scot. Caiet.

Vtrùm omnis qui agit contra præceptũ, peccet mortaliter.

¶ Alia quæstio solet moueri, vtrùm omne præceptum obliget ad peccatum mortale, ita vt sit cõsequens, agit quis contra præceptum, ergo peccat mortaliter. Quæstionę istã eleganter tractat Caie-

Caiet. Caietanus in opusculo 27. quæstionum q. 21. in hunc modum. In primis statuendum est pro certo, hoc differre inter præceptum & consiliũ, quòd consilium est de his bonis quorum oppo sita mala non sunt: datur enim consilium de virginitate, quam si quis noluerit seruare, non peccat: præceptum autem est de his bonis quorum omissio mala est, soli enim illi actus virtutum cadunt sub præcepto, quorum omissio est peccatum, vt patet inducendo singula, & propterea Apostolus dicit. De virginibus præceptum non habeo, consilium autem do: & subdit, si nupserit virgo, non peccat; habet ergo præceptum pro materia præcepta, actum bonum, cuius oppositum est peccatum, & vice versa omne peccatum opponitur alicui præcepto. Deinde statuendum est pro certo, quòd actus trifariam distribuuntur, aut sunt indifferentes, aut cadunt sub consilio, aut vero sub præcepto: certum autem est quòd indifferentia, vel ea quæ cadunt sub consilio, agendo, vel omittendo peccatum non est, restat igitur vt quod peccatum est, opponatur commissioni vel omissioni præceptæ. Ex quibus principijs euidenter sequitur, non quidquid cadit sub præcepto vinculum habere mortale, nisi quis putet omne peccatum esse mortale. Itaque conficitur hoc argumentum, omne peccatum opponitur præcepto, & non omne peccatum est mortale, ergo aliquod peccatum quod non est mortale, est contra præceptum, ex quo consequens est, quòd nõ omne præceptũ obligat ad mortale. Sed vt hoc euidentius pateat intelligendum est, quòd præceptorum duplex est genus, in primo genere sunt præcepta quæ præcipiunt actus bonos, qui sunt necessarij ad habendam vel conseruandam charitatem Dei vel proximi, & quorum contrarij aduersantur charitati, cuiusmodi est præceptum de credendis articulis fidei, de reddendo vnicuique quod suum est, quorum contraria vt infidelitas, & iniustitia, charitati & iustitiæ manifestè aduersantur. In secundo genere existunt quorum actus non sunt necessarij ad charitatem, vel habendam, vel conseruandam, & quorum contrarij non dissipant charitatem, vt sunt præcepta quæ præcipiunt affabilitatem, vrbanitatem, veritatem in dictis, & factis, ex eo enim quòd quis mentiatur iocosè, aut paululum sit tristis, non propterea lædit amicitiam Dei neque hominum, & hæc præcepta non obligant ad mortale. Ex hac doctrina sequitur, quod quando suprà dictum est eum, qui peccat venialiter, non agere contra mandatum, sed præter mandatum, esse intelligendum de mandato præcipuo, quale est illud quod iubet necessaria ad charitatem. Ex eadem doctrina deducit Caietanus multa esse & innumera præcepta iuris positiui moralia, quæ non obligant ad mortale, vt est præceptum de ieiunio, quod ex vi sua (vt existimat Caie.) non obligat ad mortale, sed tantum ex consuetudine, & interpretatione doctorum. Hæc doctrina Caietan. vera est, sed quod producit in exemplum verum non est, nam lex ieiunij est lex grauis, & omnis lex in materia graui obligat ad peccatum mortale, vt dicendum est in materia de legibus: sed hoc non pertinet ad præsens institutum.

Præceptorũ duplex genus.

1. Cor. 7.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ *Vtrùm peccatum mortale & veniale differant genere.*

SVMMA TEXTVS.

PRima conclusio. Peccatum veniale ex euentu non differt genere à peccato mortali, dicitur peccatum veniale ex euentu, quod iam consequutum est veniam, & sic dicit Ambrosius, quod omne peccatum per pœnitentiam fit veniale. ¶ Secunda conclusio. Peccatum veniale ex causa non distat genere à peccato mortali, vocatur veniale ex causa, quod habet aliquid diminuens culpam, vt peccatum ex ignorantia vel ex animi perturbatione. ¶ Tertia conclusio. Peccatum veniale genere suo distat genere & specie à peccato quod est mortale genere suo, ita quod aliquod peccatum dicitur veniale genere suo, & aliquod mortale genere suo, secundum quòd genus vel species determinantur ex obiecto, nam si voluntas fertur in aliquid quod secundum se repugnet charitati per quam homo ordinatur in vltimum finẽ, illud peccatũ habet ex suo obiecto quòd

Prim. cõcl.

Ambros.

Secũd. cõcl.

Tert. cõcl.

sit mortale, & sic appellatur mortale genere suo, siue sit contra Dei dilectionem, vt blasphemia & periurium, siue contra dilectionem proximi vt homicidium & adulterium, quando verò voluntas fertur in id quod in se continet quandã inordinationẽ, nõ tamẽ contraria tur dilectioni Dei & proximi, sicut verbum otiosum, risus superfluus, & similia, talia ex suo genere sunt peccata venialia. ¶ Vltima conclu sio. Peccatum veniale ex genere suo potest fieri mortale ex parte operantis, vel quia in eo cõstituit vltimum finem, vel quia ordinat ipsum ad aliquid quod de suo genere est peccatum mortale, vt si aliquis ordinat verbum iocosum ad adulterium committendum: si militer etiam ex parte agentis contingit aliquod peccatum ex genere suo mortale, fieri veniale: quia actus est imperfectus, & non plenè deliberatus, vt patet in subitis motibus infidelitatis.

Vltl. cõcl.

EXPLICATIO ARTICVLI.

EX doctrina huius articuli duo sunt obseruanda, alterum est, quòd est aliquod peccatum mortale, quod non differat specie à peccato veniali, sicut furtum paruum & magnum, furtum enim paruum ex suo genere est peccatum mortale, sed ex leuitate & exiguitate materiæ est peccatum veniale. Alterum est, quòd peccatum illud dicitur mortale ex suo genere quod habet obiectũ repugnans de se charitati Dei vel proximi; peccatum vero veniale ex genere est quod habet obiectum charitati non repugnans: quæ est vera & genuina differentia inter peccatum mortale & veniale, quam hic paucis verbis comprehendit diuinus Doctor.

ARTIC. TERTIVS.

¶ Vtrùm peccatum veniale disponat ad mortale.

SVMMA TEXTVS.

PRima conclusio. Duplex est dispositionis genus, quædam disponit directè, alia verò indirectè: dispositio enim est quodammodo causa eius ad quod disponit, vnde secundum duplicem modum causæ, erit duplex dispositionis genus: est enim causa quædam mouens directè ad effectum, sicut calidum calefacit: est etiam causa indirectè mouens remouendo prohibens, sicut remouens columnam, dicitur mouere lapidem super impositum: iuxta quem modum actus peccati dupliciter ad aliquid disponit. Ad cuius rei expositionem statuitur

Prim. cõcl.

¶ Secunda conclusio. Peccatum veniale ex genere non disponit directè ad mortale ex genere, nam actus disponit directè ad actum similem secundum speciem, peccatum verò mortale ex genere, differt specie à peccato veniali ex genere.

Secũd. cõcl.

¶ Tertia conclusio. Peccatum veniale potest disponere per quandam consequentiam ad mortale quod est mortale ex parte agentis, quia augmentata dispositione vel habitu per actus peccatorum venialium, libido peccandi potest intantum crescere, quòd ille qui peccat finem suum constituat in peccato veniali. Vnicuique enim habenti habitum inquantum huiusmodi, finis est operatio secundum habitum, vnde multoties peccando venialiter ad peccatum mortale disponetur.

Tert. cõcl.

¶ Quarta conclusio. Indirectè tanquam remouendo

Quar. cõcl.

mouendo prohibens peccatum veniale ex genere potest disponere ad mortale ex genere: nam qui peccat venialiter prætermittit aliquem ordinem, & ex hoc quòd consuescit voluntatem suam in minoribus debito ordini nõ subijcere, disponitur ad hoc quòd etiã voluntatem suam non subijciat ordini vltimi finis, eligẽdo id quod est peccatum mortale ex genere.

Vlti. cõclu. ¶ Vltima conclusio in solutione vltimi argumenti. Alio modo disponunt opera bona & studiosa ad peccatum mortale, alio modo venialia peccata: nam opera bona disponunt multum remotè & occasione sumpta, sed peccata venialia multum propinquè & veluti per se, tum per quandam consequentiam & redundantiam, tum remouendo prohibens vt dudum explicatum est.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Caiet. DE peccatorum venialium periculis & quomodo sint cauenda diligenter loquitur optimè & christianissimè Dominus Caietan. admonetque viros Christianos vt magnopere caueant leuium peccatorum pericula, & de illis confiteantur sigillatim, quippè quæ multis modis disponant ad mortale, & multa secum afferant incommoda, impediunt feruorẽ charitatis, faciunt homines tepidos quos Deus solet euomere. De eadem re Diuus Augustinus & D. Hieronymus habẽt multa lectu digna, vt enim (inquit Hiero.) creatorem non in cœlo tãtùm miramur, & terra, sole, oceano, elephantis, equis, bobus, pardis, vrsis, leonibus, sed etiam in minutis quoque animalibus, formica, culice, muscis, vermiculis, & istiusmodi genere, quorũ magis scimus corpora quam nomina, eandemque in cunctis veneramur solertiam: ita mens Christo dedita æquè, & in maioribus, & in minoribus intenta est, sciens etiam pro otioso verbo reddendam esse rationem: vide etiam sermonem Chrysostomi de leuium peccatorum periculis optimum. Sed & Diuũ Basilium lege loquentem de his qui maiora tantùm peccata vitabant. Sed & philosophi de hac re mirum in modum philosophantur. Plutarchus sic scribit: Vt, qui desperat se fore diuitem largiùs impendit, at qui iam spe vicinus est opulento, is nec pusillum contemnit lucellum, nec minimis parcit: ita qui confidit se fore bonum virum; & minima vitia studet corrigere, & nihil negligit quod aliquo modo conducat ad bonam mentem. Seneca, vt initia morborum quãuis leuia, serpunt, ita si vitia & affectus vel leuissimos semel admittas, crescunt & augescunt. Celebratur & Mimus Publianus (ait Erasmus) admodum prouerbiali specie, etiam capillus vnus habet vmbram suam, id est, quantumuis pusillũ commodum iuuat, quantumuis exiguum delictum nocet. Itẽ Prouerbiũ, etiã minutula pluuia imbrem parit: quoties res initio pusilla crescit in maius, quemadmodum apud Plautum, nunc in te cadũt folia, post cadent arbores. Quare in minutis vigilandum ne paulatim incidamus in maxima incommoda, admonente Prouerbio maiora perdes parua ni seruaueris. Cui simile est illud, assidua stilla saxum cauat, admonet nihil esse tam durum quod non emolliatur, nihil tã arduum quod non efficiat assiduitas. Plinius tradit inueniri silices formicarum pedibus attritas, idque grauissimum exemplum esse putat quantam vim habeat assiduitas etiam in minimis. Vnde Augustinus, dicis peccatum quidẽ est, sed tamẽ paruum est, nec nos dicimus quia capitale peccatum est, sed tamen si frequentius exerceatur, & ieiunijs, vel eleemosynis non redimatur, nimis immũdam animam facit. Noli despicere peccata tua quia parua sunt, nam & pluuiarum guttæ sunt, sed flumina implent, & moles trahunt, & arbores cum suis radicibus tollũt. Tu qui dicis quia paruum peccatum est, velim scire quoties tale peccatũ admittis, si tot paruulas plagas in corpore, & tot maculas aut scissuras in vestibus tuis fieri velis? cùm ergo in corpore plagas, nec in veste tua scissuras, vel maculas fieri acquiescis, qua conscientia hoc facere in anima tua non metuis? ac sic quicũque hoc fecerit, plus amat vestem & carnem suam, quam animam: cùm enim ad imaginem Dei facti simus, quoties aliquid turpe, aut loquimur, aut facimus, toties Dei imaginem sordidamus.

August. sermo. 4. de igne purgato. & 21. de ciui. c. 27. Hiero. epi. ad Thesiphont. & in epitaphio Nepotia.

Chrysost. Basil.

Plutar.

Seneca.

Plautus.

Plinius.

Augustin. sermo. 244.

Peccata Dei imaginẽ in nobis inficiunt.

ARTIC. QVARTVS.

¶ Vtrùm peccatum veniale possit fieri mortale.

SVMMA TEXTVS.

PRima conclusio. Veniale non potest fieri mortale, sicut idem

Prim. cõcl.

actus numero primò sit peccatum veniale, & posteà mortale; quia peccatum consistit principaliter in actu voluntatis, sicut & quilibet actus moralis; vnde non dicitur vnus actus moralis si voluntas mutetur, quamuis etiam actio secundùm naturam sit continua, si autem voluntas non mutetur, nõ potest esse quòd de veniali fiat
Secũ. cõcl. mortale. ¶ Secunda conclusio. Quod est peccatum veniale ex genere potest fieri mortale dupliciter, tum si in veniali constituatur finis, tùm inquantùm refertur ad mortale, vt dictum est. ¶ Tertia cõ
Tert. cõcl. clusio. Multa peccata venialia quãtumcunque in infinitum multiplicentur, non efficiunt vnum peccatum mortale, neque omnia peccata venialia possunt habere tantum de reatu, quantum vnum peccatum mortale: quod patet ex parte durationis, quia mortale habet reatum pœnæ æternæ, veniale reatum pœnæ temporalis: patet etiã ex parte damni, quia mortale meretur carentiam diuinæ visionis, cui nulla alia pœna comparatur: patet etiam ex parte pœnæ sensus quantum ad vermem conscié tiæ, quamuis fortè quantum ad pœnam ignis non sunt impropor
Vlti. cõclu. tionabiles pœnæ. ¶ Vltima conclusio. Dispositiuè multa peccata venialia faciunt vnum peccatum mortale, secundùm duos modos dispositionis, sicut suprà traditum est.

EXPLICATIO ARTICVLI.

IN hoc articulo quæstiones variæ sese offerebant explicandæ, nisi in alijs locis essent à me commodius elucidatæ; illa est princeps; vtrùm idem actus voluntatis numero successiuè possit esse bonus & malus, ex quo oriebatur alia quæstio; vtrùm idem actus numero voluntatis, qui prius fuit peccatum veniale, posteà possit fieri mortale. Sed de hoc copiosè disputatum est retro cùm de actuum humanorum bonitate, vel malitia disputatum est: sed & illud potest reuocari in dubium, quod asserit Diuus Thomas, pœnam damni, scilicet carentiam diuinæ visionis, esse omnium pœnarum grauissimam, veruntamen etiam & hoc superius explicatũ dedimus. Sequitur ergo controuersia huic articulo propria; Vtrùm ne multa peccata venialia efficiant vnum mortale? ¶ A parte affirmatiua sic arguitur, malitia peccati mortalis finita est, ergo per multa peccata venialia exequari potest. ¶ Deinde, Diuus Augustinus dicit expresse, quòd multa peccata venialia aggrauãt animam, sicut vnũ grande peccatum, quem locum tractans glossa dicit, quòd multa peccata venialia efficiunt vnũ mortale. ¶ Tertio, si famulus furetur à Domino suo singulis diebus trientem, in centum diebus efficitur peccatum mortale, nam infert graue dãnum Domino suo: sed hæc furta minutissima non sunt nisi peccata venialia, ergo multa peccata venialia efficiunt vnum mortale. ¶ Quartò, si quis promisit Deo per votum se daturum hospitali singulis diebus vnum trientem, si per annũ integrum non soluat, peccat mortaliter, nam infert graue damnum hospitali, at fractiones huius voti singulis diebus sunt peccata venialia. Sed hæc argumenta non sunt tam valida vt de vera sententia Diui Thomæ nos deijciant.

An pluralitas peccatorũ venialiũ efficiat vnũ mortale. Prim. arg. Secundum. Augustin. habetur de pœnitentia d. 1. cap. tres sunt. Tertium. Quartum.

¶ Dicendum est ergo, esse dogma certum, peccata venialia licèt in infinitum multiplicentur, non efficere vnum peccatum mortale, neque æquare reatum peccati mortalis. Quod ostẽdo esse verum his argumentis, nam peccatum mortale & veniale differunt in infinitũ, ergo in inuicem transire non possunt. Patet antecedens, nã peccatum mortale meretur pœnam æternam, veniale temporalem; rursus, peccatum mortale auertit à Deo, & meretur priuationem gratiæ; peccatum verò veniale non auertit à Deo, neque meretur priuationem gratiæ. Secundo ea quæ differunt specie in inuicẽ transire non possunt, sed peccatum mortale & veniale differunt specie, vt suprà dictum est: ergo. Tertiò, priuationes diuersæ nõ possunt in inuicẽ transire, sunditas non potest transire in cæcitatem, sed peccatum mortale & veniale sunt diuersæ priuationes: ergo. Præterea, peccatum mortale & veniale habent magnitudinem diuersarum rationũ: ergo peccata venialia nunquam possunt efficere peccatum mortale, sicut numerus nunquam potest facere lineam, neque linea corpus. Antecedens

Conclusio negatiua.

cedens verò patet, nã magnitudo peccati mortalis consistit in auersione à Deo vltimo fine, magnitudo verò peccati venialis consistit in deordinatione à medijs, non in auersione ab vltimo fine. Vltimo, peccata venialia non diminuunt charitatem: ergo non efficiunt peccatum mortale. Antecedens demõstratur à Diuo Thoma 2.2.q.24.art.10. Ad argumentain oppositũ. ¶ Ad primum dicendum, quòd malitia peccati mortalis quodammodo est infinita, nam auertit à Deo infinito bono. Deinde dico, quòd nõ sunt eiusdem rationis, & ideò licet peccata venialia multiplicentur in infinitum, non possunt æquare vnum peccatum mortale. Sed hic obseruandum est, quòd Diuus Thomas hoc in loco dicit, quòd fortassis pœna debita pro peccato mortali habet proportionẽ cũ pœna debita pro peccato veniali, quia vtraque finita est, & pœna ignis, ex quo concludit Caietanus, quòd tot possunt esse peccata venialia, vt sit maior pœna ignis, quàm pro vno mortali, sed hęc sententia mihi non probatur, & ideò dicendum, quòd istæ pœnæ sunt proportionabiles, quantum ad detẽtionẽ, peccatũ enim veniale in inferno punitur, & pœna quidem sempiterna, vt suprà dictum est: verùm quantum ad dolorem non sunt proportionabiles, cũ enim maior dolor maiori peccato debeat correspondere, & inter peccatum veniale & mortale nulla sit proportio, consequens est, quòd dolores non sint proportionabiles. ¶ Ad secundum argumentum dicendum est, quòd peccata venialia aggrauant multùm, quando disponunt ad mortale: glossa verò stulta est, & non meretur responsionem. ¶ Ad tertium dicendum, quòd ille famulus tenetur restituere illam summam in pecuniæ, alioqui peccabit mortaliter, licet in furtis ison peccauerit nisi venialiter: & tenebitur excommunicationis censura, si non restituat, si hoc illi præceptum est sub sententia excommunicationis: non tenebitur quidem ad sententiam excommunicationis ratione peccati venialis, sed ratione damni notabilis quod intulit, sicut qui vindemiauerũt vineam, tenentur restituere quamquam singuli non peccauerint nisi venialiter. Deinde dicendum est, quòd in hic famulus in principio statuit apud se de his furtis minutissimis furari magnam pecuniæ summam, in principio peccatum mortale admisit, nam statuit grauem damnum inferre domino suo. Vltimò dicendum, quòd licet in furtis minutissimis non peccet famulus nisi venialiter, nihilominus peccat mortaliter quando incipit damnum notabile, quod per se sufficiat ad peccatum mortale furti, verbi gratia, si his furtis minutissimis accedatur ad summam duorũ argenteorum, furtũ illud, licet non sit nisi venialis, est peccatum mortale, non quia peccata venialia efficiant vnum mortale, sed ratione damni illati, nam in illo furto illatum est graue damnum quòd antea datum non fuerat. ¶ Ad quartum idem dicendum est. Sed ad finem huius articuli obseruandum est, quòd peccatum veniale potest fieri mortale, multis modis, primò, quãdo constituitur in eo finis, deinde, quando ordinatur ad peccatum mortale. Tertiò, quando disponit ad mortale, & paratur periculum ad cõmittendum peccatum mortale. Quartò, quando fit peccatum veniale contra conscientiam definitiuè iudicantem esse peccatum mortale, vel vehementer dubitantem & habentem plura argumenta suadentia esse peccatum mortale. Vltimo, quando fit ex contemptu. Ad cuius rei explicationẽ obseruandũ est, quòd peccare venialiter ex contẽptu infra limites venialis nõ est peccatum mortale, hoc enim est ex contemptu secundum quid peccare venialiter: cæterùm si quis simpliciter & absolutè peccet ex contemptu, non addens istam modificationem in minimo, vel exiguo peccato, talis contemptus est peccatum mortale, verùm cũ quis præterit præceptum prælati, vt faciat contra mãdatum illius in minimo, hoc certè minuit rationem contemptus, vt tanquam imperfectus actus non sit contemptus simpliciter, & per hoc, nec peccatum mortale. Tantùm de hoc articulo. Alij duo articuli ex dictis possunt facilè intelligi.

D. Thom. Ad argum. in oppositũ. Ad primum

Caiet.

Pœna peccati mortalis & venialis ex parte detentionis in inferno æqualis est, nõ vero ex parte doloris.

Ad secundũ

Ad tertium

Ad quartũ. Quot modis peccatũ veniale fiat mortale.

Peccare venialiter ex contemptu intra limites peccati venialis, nõ est peccatũ mortale.

QVAEST. LXXXIX.

De peccato veniali secundum se, in sex articulos diuisa.

ARTIC. PRIMVS.

¶ Vtrum peccatum veniale causet maculam in anima.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Conclusio est negans. Quia non excludit, nec diminuit charitatem, neque alias virtutes, sed solùm actũ earum impedit, macula autem importat aliquid manens in re macula ta, & sic macula magis videtur pertingere ad detrimentum habitualis nitoris quam actualis. Quare proprièloquendo non causat maculam, & sic alicubi causare dicitur,

tur, hoc est, prout impedit nitorem qui est ex actibus virtutum, & non simpliciter.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Veniale impedit feruorem charitatis qui est duplex.

OBseruandum est, quòd etiam solet dici veniale peccatum impedire feruorem charitatis, quod pulchrè exponit sanctus doctor dicens, quòd feruor charitatis accipitur dupliciter, vno modo secundum quòd importat intensionem inclinationis amantis in amatum, & talis feruor est charitati essentialis, & non diminuitur per veniale peccatum. Alio modo dicitur feruor charitatis, secundum quòd redundat in motus dilectionis, atque adeò in vires inferiores, vt quodammodo non solùm cor, sed etiã caro exultet in Deũ: & talis feruor diminuitur per peccatum veniale.

D. Thom. De hac re scribit optimè Diuus Thomas. 2. 2. q. 24. arti. 10. & q. 7. de malo, arti. 2. Obseruandum est etiam, reuocari in dubium inter Theologos; vtrùm peccatum veniale inducat Dei offensam & displiceat Deo? cuius rei expositionem in primis eleganter persequitur Diuus Thomas in 4. d. 16. quęstione. 2. articulo. 1. quę 2. ad 3. dicitque peccatum mortale ita displicere, quod faciat etiã ipsum peccantem Deo displicentem, inquantũ pulchritudinem gratiæ quã Deus in ipso amat, aufert, sed peccatũ veniale quamuis Deo displiceat, siquidẽ est inordinatũ, nõ tamen facit peccantem Deo displicere, quia non priuatur charitas gratiæ, sed quodammodo obnubilatur, inquantùm eius processus ad exteriora impeditur.

Quomodo peccatũ venialè displiceat Deo, & quẽ nitorẽ tollat.

Greg. Et ideò Gregorius dicit quòd peccatum veniale obscurat, sed mortale obtenebrat, ex quo patet quòd veniale non facit peccantem venialiter tantùm esse in offensa Dei, licèt Deus sit offensus peccato veniali. Sequitur etiam ex dictis quomodo peccatum veniale tollat actualem nitorem extrinsecum, quia obscurat, sed non intrinsecum quia non obtenebrat. De quo fusiùs Capreolus in 4. d. 16. ad quintum.

Capr.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ Vtrùm conuenienter designẽtur peccata venialia. 1. ad Cor. 3. per lignũ, fœnum & stipulam.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. AFfirmans est conclusio, nam sicut hæc congreganturin domo, & non pertinent ad substantiã ædificij, vnde cõburi possunt ædificio remanente, ita etiam peccata venialia multiplicantur in homine, ædificio spirituali manente, & pro istis patitur ignem, vel temporalis tribulationis in hac vita, vel purgatorij post mortem, & tamen salutem consequitur æternam, reducunturque omnes gradus ad hæc tria, videlicet ad lignũ quod diutius manet in igne, ad stipulam quæ citissimè cõburitur, & ad fœnum quod medio modo se habet, secundùm quòd venialia sunt maioris vel minoris grauitatis, & citius & tardius per ignem purgantur.

EXPLICATIO ARTICVLI.

VNiuersa huius articuli explicatio in eo consistit, vt diligenter & accuratè explicetur sententia Diui Pauli 1. Corint. 3. quæ sic habet. Si quis autẽ superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, vniuscuiusque opus manifestum erit, dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur, & vniuscuiusque opus quale sit ignis probabit, si cuius opus manserit quod superædificauit, mercedem accipiet, si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem. Ex ista namque memorabili sententia grandis quæstio nascitur quæ ab omnibus inquiritur. Vtrùm per lignum, fœnũ, & stipulam peccata venialia intelligantur, & an ne finem habeat gehennæ ignis, an verò hîc sit sermo de igne purgatorij qui terminum habet & finem, & qui peccata venialia purgat.

1. Cor. 3.

Quæstio dẽ intelligẽtia loci D. Pau.

¶ Responsio. Varias explicationes habet iste locus apud sanctos patres, sed mea sententia non commodè explicatur, nisi de peccatis leuibus, & de loco purgatorij, quem asserit ecclesia catholica, & negant solùm hæretici: quod ex eo liquet, nam sermo est planus de pœna aliqua purgatoria post hanc vitam, quæ finienda est. Loquitur enim Paulus de tempore, & die illo quo manifestanda sunt opera cuiusque, dies autem ille post hanc vitam erit, & pro eo die dicitur, quòd non solũ opus examinabitur, sed quòd persona non sustinensignem salua erit, sic tamen quasi per ignem transiens ad salutem, quod sub proprietate verborum diceretur, sic tamen vt purgetur & expietur prius. Dicant quæso negantes pœnam purga-

Responsio

purgatoriam significari his verbis, quid per ignem probantem operam communem perfectis & imperfectis intendit Paulus? per ignem, quo persona, combusto opere suo salua erit: alioqui si ratione ignis probantis iste locus intelligitur, etiam de primis qui ædificant aurum, argentũ, dici potuit, ipsi tamẽ salui erũt, sic tamen quasi per ignem: omnium siquidem opera igni probari describuntur: quorsum ergo Paulus inter opera & personas tã subtiliter distinxit? quorsum ignem non ad personas, sed ad opera tantùm priorum applicauit, in alijs autem ignem & operibus, & personis, cum diuersis effectibus applicauit? nam describit ignem afficere detrimento opera horum, ipsos autem saluare, & hæc omnia in illa die, qua manifestum fiet cuiuscunque opus quale sit. Fateamur ergo ex hac vltima particula haberi aliquã in altera vita pœnã purgatorij, pro leuibus culpis, quæ per lignum, fœnũ, & stipulam significantur, de qua re loquitur optimè Diuus Gregorius. Sed sciendũ est quod Diuus Thom. in libro aduersus errores Græcorũ, & Armeniorũ, allegat testimoniũ Theodoreti ex expositione epistolę ad Corinth. his verbis, Dicit Apostolus, quòd saluabitur sic tãquã per conflatorium ignem purgantem quicquid interuenit per incautelam præteritæ vitæ, ex puluere saltem pedum terreni sensus, in quo tamdiu manet, quamdiu quicquid corpulentię, & terreni affectus inhæsit, purgetur, pro quo mater Ecclesia hostias, & dona pacifica deuotè offert. Hæc quidem verba nusquã nec in Latinis, neque in Gręcis Theodoreti commentariijs extant, credi potest ea vel à Græcis quibusdã purgatorio infensis esse subtracta, vel ex alio opere Theodoreti, quod fortassis excidit, esse desumpta. Illud etiam aduertendum est, quod ex hoc loco Pauli perperam intellecto, & ex Chrysostomi expositione tentârunt Græci in Concilio Basiliensi, fidem ecclesiæ Romanæ labefactare, quæ statuit locum purgatorij post hanc vitam esse: sed genuina & germana huius loci expositio superiùs indicata est; sed & nunc distinctius & accuratius explicabitur, si prius videamus neothericorum explicationes, & Patrum antiquorum. Magnus Basilius, & Chrysostomus sic interpretantur, quasi dicat Paulus, id feci quod proprium debet esse periti architecti: ieci tutissimum fundamentum Christi: videant nunc ij qui se magistros vestros esse profitentur, quo pacto superextruant, digna ne, an indigna tam nobili fundamento: nam apparebit cuius sit virtutis illa extructio; igne enim examinabitur. Nam qui fuerit malæ structuræ causa, reseruabitur ad perpetuam pœnam, & hoc est quod dicit; Ipse autem saluus erit, sic tamẽ quasi per ignem; vt sit sensus: cùm ille dies venerit, ędificatio quidem, & structura inanis apparebit, at ipse seruabitur vt igni perpetuo comburatur, nec enim Græcum verbum, sed ne nostrũ quidem Latinum, seruo, tantùm salutem dare significat, sed etiam efficere ne aliquid corrumpatur; etenim nobis consuetudo dicendi est, in igne salua esse quæ non pereunt, nec in cinerem cõuertuntur. Noli igitur, cum ignem audis, in nihilum redire ardentes arbitrari. Hanc expositionẽ mirificè amplectũtur neotherici Theologi. Sed plures sunt qui de igne purgatorio, & de peccatis venialibus hunc locum explicant. Certè huius loci germanam expositionem apud Augustinum sæpissimè leges. Explicatio Diui Augustini hûc tendit, vt per aurum, argentum, & lapides pretiosos, opera bona intelligat; lignum verò, fœnum, & stipulam, ad peccata venialia referat, quæ vel igne tribulationis præsentis vitę, vel igne purgatorio post hanc vitam expiãda sunt. Hanc expositionem amplectitur & explicat hîc Diuus Thomas, & quod Diuus Augustinus multis & fusissimis verbis explicauit, Diuus Thomas tribus (quod aiunt) verbis conclusit, & loco difficillimo scripturarum lucem dedit amplissimam. Diuus Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum, & libro. 2. contra eundem, & in Apolog. contra eundem, semper intelligit, aurum, & argentum, & lapidem pretiosum pertinere ad opera bona; lignum verò, fœnum, & stipulã, ad opera mala, cùm multi id exponant non de bonis, & prauis, sed de gradibus bonorum. Origenes est à sententia Hieronymi ho. 14. in Leuit. Ambrosius illud, ligna, fœnum, stipulã, exponit de doctrina curiosa & superflua. Solus Diuus Augustinus ligna, fœnũ, stipulã, interpretatur peccata esse venialia, quæ admiscent se procurantibus terrena, & pro his patientur ignẽ vel tẽporalis tribulationis, vel purgatorij in alia vita. Hinc collige contra Lutherum, & quòd sint peccata venialia, & quòd sit purgatorij locus: nam profectò Paulina sententia alium in modum commodè & aptè explicari non potest. Et hæc de isto articulo dixisse sufficiat.

Greg. 4. lib. dialo. c. 39. & habetur c. qualis 25. dist.

D. Thom.

Concil. Basiliense.

Basil. Chrysost.

August. li. de fide & operi. c. 15. & 16. & 21. de ciu. c. 25 & 26. & de octo dulcitij quęst. q. 1

D. Thom.

Hieron.

Orig. Ambros.

Purgatorij locus colligitur.

ARTIC. TERTIVS.

¶ Vtrùm veniale peccatũ potuerit esse in statu innocentiæ.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio est. Homo in statu innocentiæ nõ potuit peccare venialiter: quia veniale in nobis contingit vel propter imperfectionem

Conclusio.

ctionem actus, sicut sunt subiti motus in genere mortaliū, & nō plenè deliberati; vel propter inordinationem existentem circa ea quæ sunt ad finem, seruato debito ordine ad finem vltimum. Sed vtrumque horum contingit propter quendam defectum ordinis, ex eo quòd inferius non continetur firmiter sub superiori: nam insurgunt in nobis subiti motus, quia sensualitas non est omnino subdita rationi. Quòd autem subiti motus insurgant in ipsa ratione, prouenit in nobis ex hoc, quòd ipsa executio actus rationis non subditur deliberationi. Quòd verò animus humanus inordinetur circa ea quæ sunt ad finem, seruato debito ordine ad finem, prouenit ex hoc, quia ea quæ sunt ad finem, non ordinantur infallibiliter sub fine qui tenet summum locum, quasi principium in appetibilibus. Et quia in statu innocentiæ erat infallibilis firmitas ordinis, vt semper inferius contineretur sub superiore, quamdiu ratio hominis continetur sub Deo, ideò necesse erat inordinationem incipere ab eo, quòd summum hominis, id est, mens Deo non subderetur: id autem peccatum mortale est, non veniale. Ex quibus liquido constat, quòd homo in statu innocentiæ non prius potuit peccare veniale, quàm mortaliter.

EXPLICATIO ARTICVLI.

An in statu innocentiæ potuit esse peccatū veniale.

Scotus. Prim. argu.

SCotus in 2. d. 21. q. 5. mouet calumniā contra sententiā Diui Thomę, & ipse vehementer sentit contrariū: quod esse verum, his argumentis suadet.

¶ Nam iustitia originalis non perfectiùs coniūgebat hominem Deo quàm gratia iustificans, & gratum faciens: sed cum gratia iustificante potest esse peccatum veniale, vt constat ex illo; Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus: ergo in statu innocentiæ potuit esse peccatum veniale. Ioannes.

¶ Deinde, homo in statu innocentiæ constitutus potuit dicere verbum otiosum: quis prohibet? Iustitia enim originalis erat donum Dei ad sedandas passiones constitutum; verbum autem otiosum sine animæ perturbatione, aut passione dici poterat. Secundum.

¶ Tertiò; ab extremo ad extremum sic natura comparatum est, vt non fiat transitus nisi per medium: sed peccatum veniale est medium quoddam inter peccatum mortale, & iustitiam originalem: ergo ab statu iustitiæ originalis ad peccatū mortale transitur per peccatum veniale. Ex quo cōsequens est, quòd in illo statu priùs potuit homo peccare venialiter. Tertium.

Gabriel in eadem distinctione fauens Scoto arguit sic. Nam homo in statu innocentiæ plenam habuit libertatem: ergo potuit operari, & non operari, sic vel aliter operari: potuit ergo suo arbitrio prius eligere peccatum veniale quàm mortale. Hoc ipsum cōfirmat. Nam alioqui non merebatur primus homo in peccatis venialibus cauendis, siquidem non poterat peccare venialiter. Gabr. argu.

¶ Sed & Almaynus cōsentiens Scoto in suis moralibus tractatu. 3. ca. 21. ad hunc modum argumentatur. Deus potuit interdicere primo parenti esum ligni vetiti, sub pœna debita peccato veniali, sicuti interdixit statuens pœnam grauissimam peccato mortali: sed illo præcepto constituto potuit Adam illud transgredi, sicut fuit transgressus præceptum illud grauissimum: potuit ergo in statu innocētiæ peccare venialiter. Almay. arg.

¶ Sed prędicti autores inuehuntur in sententiam D. Tho. spiritu dissensionis, & non vident se impugnare doctrinam Diui Augustini, cum doctrinam D. Tho. subuertere adnituntur. Conclusio enim Diui Thomæ est clarissima sententia D. Augustini. 14. de ciuita. Dei cap. 10. & 26. ex quibus locis D. Thom. composuit præsentem articulū. Scribit Diuus Augustinus, quòd in illo statu fuisset deuitatio peccati tranquilla, qua manente, nullum omnino aliunde malum quod contristaret, irruebat, nullis agitabantur primi parentes perturbationibus animorum, nullis corporū lædebantur incommodis: multaque dicit Diuus Augustinus in huius sententiæ confirmationē, quem omnino legendum censeo. Hoc ipsum confirmatur euidentibus argumentis. Conclusio. Augustin.

¶ Nam si potuit esse peccatum veniale, durante illo felicitatis statu, potuit ergo esse aliquod pœnale & acerbum: maius enim damnum est peccare venialiter, quàm pœnæ, & acerbitati esse subiectum. Rursus, si potuit esse peccatum veniale;

niale; ergo potuit esse pœna, siquidem pœna debetur peccato veniali. Præterea ex alio principio idem demonstratur. Nam si potuit esse in illo statu peccatum veniale, consequens est quòd potuerit esse error: Errant enim qui operantur malum: imò cósequens est, quòd potuerint esse habitus vitiosi; nam ex actibus malis generantur habitus vitiosi. Profectò eadem ratione potuisset primus homo de tali peccato non pœnitere, & sic fuisset translatus cum illo, sicque pro eo in purgatorio punitus fuisset. Hæc argumenta ex diuina Theologia erutà manifestè conclusionem Diui Thomæ demonstrant. Sed superest argumentis in contrarium adductis satisfacere. ¶ Ad primum argumentum dicendum est, quòd iustitia originalis, qua homo in statu innocentiæ erat præditus, pluribus modis coniungebat hominem Deo, quàm gratia iustificans: nam subdebat vires inferiores rationi, & rationem ipsi Deo; præstabatque rectitudinem integram, quæ peccato veniali aduersatur; atque adeò compescebat appetitum sensitiuum, sic vt nullum haberet inordinatum motum. Et quemadmodum in illo felicitatis statu non potuit esse opus intemperantiæ, ex qua infirmitas corporis sequeretur, sic sanè non potuit esse peccatum veniale ex quo sequeretur animę infirmitas. ¶ Ad secundum dicendum, quòd Adam in statu felicitatis perseuerans non potuit dicere verbum otiosum; tum ratione status felicissimi, cui aduersabatur omne peccatũ veniale, & omne malum; tum verò ratione iustitiæ originalis, quæ faciebat hominem rectum, & ex omni parte perfectum; tum deniq́ propter prouidentiam diuinam, quæ non sinebat hominem in illo statu in aliquod incommodum labi. ¶ Ad tertium dicendum, quòd peccatum veniale nõ est medium necessarium ad peccatum mortale: & quanquam peccatum veniale minùs repugnat statui innocentiæ, nihilosecius tamen quia peccatum mortale est illius status destructiuum, potuit primus homo peccare mortaliter. Porrò cũ peccatum veniale non destruat illum statum, cumq́ omnis defectus & culpa aduersetur illi felicissimo statui, consequens est quòd in eo nõ potuit esse peccatum veniale. ¶ Ad quartum dicendum, quòd licèt homo in statu innocentiæ perfectam libertatem habuerit, at illo statu permanente non potuit in aliquod incommodum incidere, sicut confirmatus in gratia, & in bono non potest peccare mortaliter stante illo dono. ¶ Ad confirmationem dicendum, quòd homo in illo statu merebatur per actum quo detestabatur peccata venialia, sicut homo confirmatus in gratia meretur per actum quo detestatur peccata mortalia, quæ nunquam committet stante illo dono. ¶ Ad vltimum dicẽdum, quòd si præceptum fuisset positum sub pœna peccati venialis, tunc per peccatum veniale destrueretur ille felicitatis status, & sic nunquam potuit esse peccatum veniale in illo statu. Ex his quæ diximus (si vera sunt) sequitur, quòd in statu innocentię non potuerunt esse motus subiti, & inordinati: quod probant apertè rationes adductæ in confirmationem conclusionis Diui Thomæ.

Ad rationes in oppositũ. Ad pri. arg. Quomodo originalis iustitia Adæ hominem Deo coniũgebat.

Ad secundũ

Ad tertium

Ad quartũ. Gabr.

Ad confir.

Ad vltimũ. Almay.

ARTIC. QVARTVS.

¶ *Vtrùm peccatum veniale potuit esse in Angelis.*

SVMMA TEXTVS.

Conclusio.

Conclusio est negans. Nã maior est perfectio intellectus eorum quàm hominis in statu innocentiæ. Intellectus enim angelicus non est discursiuus, procedens à principijs in cõclusiones, & vtrumq́ horum intelligens seorsum prout in nobis occurrit: quia conclusiones considerat vt in principijs sunt. Cùm ergo in appetibilibus fines sint sicut principia, & ea quæ sunt ad finem sicut conclusiones, mens angeli non fertur in ea quæ sunt ad finem, nisi vt sunt sub ordine finis. Quare ex sua natura habent vt nõ possit in eis esse deordinatio circa ea quæ sunt ad finem, nisi sit etiam circa ipsum finem, quod est peccatum mortale. Et boni angeli mouentur in ea quæ sunt ad finem in ordine ad debitum finem, qui est Deus: & propter hoc actus eorum sunt actus charitatis, & sic in eis non est veniale. Sed mali semper mouentur ad finem peccati superbiæ, & ideò in omnibus quæ propria voluntate agunt, mortaliter peccant, & omnia quæ venialia videntur, procurant, vt homines ad sui familiaritatem trahant,

hant, & eos in peccatum mortale deducant.

EXPLICATIO ARTICVLI.

An angeli possint peccare venialiter.

QVęstio huius articuli non est magno pere controuersa inter Theologos, sed certè videtur difficile ad intelligẽdum, quòd angelus non possit peccare venialiter: nam potest mentiri sine pernicie alterius, nec videtur quid obstet: rursus potest velle nocere in paruis. Sed & angelus malus prouocat homines ad risum, & ad alias huius generis leuitates, in quibus non est nisi peccatum veniale. Explicatio huius dubitationis hæc est.

In triplici statu angelus consideratur.

Tripliciter loqui possumus de angelo; tum in suis naturalibus; tum in statu gloriæ, vel damnationis; tum deniq́ue in statu in quo creatus est. De tertio dubitari potest: Sed non videtur verosimile quin fuerit creatus in tam excellenti statu sicut homo: plura enim leguntur apud sanctos de perfectione angeli in sua creatione, quàm de primo homine; vnde si primus homo non poterat peccare venialiter, consequens est quòd neq́ue angelus potuerit peccare. Hoc ipsum confirmatur. Nam si loquamur de lege communi, & constituta; quid si peccasset venialiter, vbi fuisset punitus? Item, si fieri potuit, non est verosimile ex tanta angelorum multitudine quin aliquis peccauerit venialiter solùm. Neq́ue aliquis doctorum hoc reuocat in dubium, nec quisquam putat quòd aliquis angelorum fuerit in purgatorio, imò demonstratur hoc esse prorsus impossibile.

Via angelorum tribus instantibus fuit absoluta.

¶ Nam via angelorum (vt habet vera sententia) tribus instantibus fuit absoluta. In primo instanti non potuêre peccare; in secundo instanti fuêre viatores perfecti; in quo si concesseris quòd bonus angelus peccauit tantùm venialiter, euidenter sequitur quod tale peccatum non fuerit punitum; siquidem in tertio instanti continuò angelus est beatificatus, vnde in tertio instanti puniri non potuit. De secundo etiam non videtur dubitandum. Nam beatos angelos exploratum est non posse peccare venialiter, cùm in vita beata non possit esse peccatum. De damnatis verò æquè certum est, cùm omnia opera sua dirigant in finem superbiæ, & in Dei odium. De primo autem, id est, si angeli sint relicti in puris naturalibus, ratio Diui Thomæ videtur probare non esse verosimile quòd peccarent venialiter: quoniam angelus omnino perfectè deliberat, & refert actum vsq́ue ad vltimum finem: quę sententia efficaciùs persuadebitur, si sentiamus cum D. Thoma, angelos fuisse conditos in beatitudine naturali.

Ad argum. in oppositũ

¶ Ad argumentum in contrarium respondetur, quòd quando dæmon prouocat hominem ad hæc leuia committenda, hoc prætendit, vt pertrahat hominem in suam familiaritatem, & vt inducat illum in peccatum mortale; vel saltem omnia opera sua ordinat in finem superbiæ, & in odium Dei. Sed de hoc fusiùs in materia de angelis.

ARTIC. QVINTVS.

¶ Vtrùm primi motus sensualitatis in infidelibus sint peccata mortalia.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio.

COnclusio est negans, nisi eis consentiatur per rationem: quia sensualitas non potest esse subiectum peccati mortalis, cùm eadem natura sit sensualitatis in infidelibus, & fidelibus. Quare sicut non est mortale in fidelibus, neq́ue etiam est in infidelibus. Neq́ue etiam ex statu ipsius peccantis: quia dignitas personæ nunquam diminuit peccatum, sed magis auget. Vnde peccata infideliũ magis merentur veniam, propter ignorantiam; & fidelium peccata magis aggrauantur propter gratię sacramentum, secundùm Apostolum Hebræ. 10.

EXPLICATIO ARTICVLI.

An primi motus sensualitatis in infidelibus sint peccata mortalia.

QVæstio huius articuli non habet magnas dubitationis causas, sed quoniam Theologi omnia disputant, & reuocant in dubium, nonnullas rationes in medium producam. Pręcipua ratio dubitãdi hęc esse videtur: quia sicut dicimus, quòd actus ebriorum sunt peccata, & mortalia quidẽ, quia sunt liberi in sua causa, ita motus sensualitatis sunt liberi in sua causa, putà in primo parente; quia si ille non peccasset, non insurgerent tales motus: saltem hoc procedit maximè in infidelibus, qui sunt in originali peccato. Hoc ipsum confirmatur: quia vt suprà disputauimus, motus sensualitatis, quos voluntas, vel ratio potest impedire, etsi nunc non possit, sunt peccata. Deinde; quare imputatur nobis peccatum Adæ ad culpam, & non ea quæ sequuta sunt ex peccato Adæ, scilicet motus sensualitatis? & dato quòd non imputentur ad mortale, videtur

detur certè quòd saltem imputentur ad venia-
Altisiodor. le. Propter hæc argumenta Altisiodorensis in 2. libro, tractatu 28. capitulo 1. tenet quòd isti motus sunt peccata, saltem in infidelibus; cuius sententiam vehementer impugnauimus in superioribus; nunc verò duobus argumentis illam refello euidenter. Tum, quia in ipso Adam isti motus non erant mortales, nec veniales; quippe qui erant merè naturales. Deinde arguitur omnino inuincibiliter, quia sequitur quòd etiam ante vsum rationis imputarentur. Quòd rectè sequatur, patet: quia solùm imputantur propter peccatum Adæ: ergo æquè imputantur pueris, sicut adultis; sicut etiam peccatum originale. Hæc sufficiant pro hoc articulo; nam argumenta alio in loco sunt confutata.

ARTIC. SEXTVS.

¶ *Vtrùm veniale possit esse cum solo peccato originali sine mortali.*

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Concluſio est. Impossibile est quòd veniale peccatum sit cum solo originali sine mortali. Probationes quas adducit Diuus Thomas in huius rei confirmationem sunt maximè obseruandæ. Prima probatio est; quia pro peccato originali puniuntur homines in limbo puerorum, vbi non est pœna sensus, vt infrà dicetur: in infernum autem detruduntur homines propter solùm peccatum mortale: ergo non erit locus in quo possit puniri ille qui habet peccatum veniale cum originali solo. Neque enim potest dici quòd in purgatorio puniatur: nã in purgatorio tantùm purgantur, & expiantur qui vitam æternam sunt consequuturi. Altera probatio Diui Thomæ sic habet. Nam antequam perueniat homo ad annos discretionis, defectus ætatis prohibens vsum rationis excusat eum à peccato mortali; vnde multò magis excusat à veniali: sed cùm vsum rationis habere inceperit, primum quod tunc homini cogitandum occurrit, est de seipso deliberare: & quidem si seipsum ordinauerit ad debitum finem, per gratiam consequetur remissionem originalis peccati: sed si non ordinat seipsum ad debitum finem, secundùm quòd in illa ætate est capax discretionis, mortaliter peccabit non faciens quod in se est; & tunc non erit in eo peccatum veniale sine mortali. Itaque vt argumentatio Diui Thomæ breuius comprehendatur, sic arguitur. Vel homo cùm peruenit ad vsum rationis, quando est capax virtutis & vitij, conuertit se in Deum, & ad debitum finem; vel non se conuertit: si se conuertit, consequitur remissionem peccati originalis per gratiam: si non se conuertit, peccat mortaliter: & sic nunquam potest esse peccatum veniale cum solo originali.

EXPLICATIO ARTICVLI.

EX doctrina huius articuli magnæ & innumeræ quæstiones emergere solent, & magna concertatione inter Theologos disputari; fuitque doctrina huius articuli occasio errandi viris doctissimis & acutissimis. Nam dum explicant, quomodo puer perueniens ad annos discretionis debeat se in Deum, & in debitum finem conuerterere, inciderunt in damnatas opiniones, quòd poterat quis gratiam & remissionem peccati obtinere absque fidei lumine supernaturali: quòd poterat se homo disponere ad gratiam, & ad dona supernaturalia sine aliqua Dei

Doctrina hæc multis occasio fuit variè errandi.

cognitione: hæc, & alia errata ex doctrina huius articuli viri acutissimi colligebant.

¶ Vt ergo doctrina huius articuli diligentiùs examinetur, est quæstio principalis; Ad quid teneatur homo cùm primùm peruenit ad vsum rationis, vtrùm ne teneatur se conuertere in Deum, & in debitum finem? Et ad partem negatiuam arguitur. Primò; tum, quia nullus Theologorum meminit huius præcepti, nisi solus Diuus Thomas. Tum deinde, quoniam tale præceptum non extat in sanctis literis, neque in sanctis Patribus: Tum tertiò, quia nullus, etiam de numero eorum qui timent Deum, & sunt soliciti de salute suâ, se accusat, aut confitetur de tali transgressione, cùm tamen nemo sit qui audeat affirmare se implêsse tale præceptum. Ergo non est ponendum tale præceptum. Tum quartò, quia nemo potest certè cognoscere quâdo primò peruenit ad vsum rationis: quis enim vnquam notauit; Ego nunc primùm habeo vsum rationis? Non potest itaque constare quâdo obligat hoc præceptum: ergo non extat tale præceptum. Præterea, cùm homo peruenit ad vsum rationis, non potest certò cognoscere Deum esse: nam cognitio Dei est difficillima, & aduenit homini post longum tempus, & diuturnam inquisitionem: ergo non tenetur cùm primùm peruenit ad vsum rationis se in Deum cõuertere. Item, in primo instanti quando homo peruenit ad vsum rationis, non potest cognoscere legem esse; ergo non tenetur lege. Consequentia argumenti nota est, sed antecedens probatur. Nam non potest cognoscere Deum legislatorem, sicut suprà ostensum est; & hoc est præambulum ad cognoscendam legem: ergo non potest cõgnoscere legem esse. Præterea, hoc præceptum nõ est per se notum: ergo necessarium est tempus vt cognoscatur.

¶ Iam verò contraria sententia, quòd nullum tale præceptum extet, est probabilis inter viros sapientes: Ergo qui peruenit ad vsum rationis potest eam inculpabiliter ignorare, & sic poterit peccare venialiter, & quòd non fiat reus transgressionis illius præcepti, quod Diuus Thomas introducit. ¶ Sed dato quòd esset tale præceptum (quod non satis probatur) vnde constat quòd obliget statim atque homo peruenit ad vsum rationis? Contrarium enim videtur verum his argumentis. Tum, quoniam qui est in peccato mortali, non tenetur statim se conuertere in Deum, vt habet sana doctrina; & multò minùs qui est baptizatus, cùm iam sit in gratia: ergo nec ille qui est in originali peccato. Tum deinde, quia transacto illo primo instanti, non tenetur statim: ergo neque in primo instanti erat talis obligatio. Tum etiam, quoniam hoc præceptum est affirmatiuum, & tunc non est necessitatis tempus: ergo non obligat. Vltimò, primus homo à Deo conditus, atque angelus in prima sui conditione, & in primordio suæ creationis non habuit tale præceptum: ergo nec homo cùm primùm peruenit ad vsum rationis. ¶ In contrarium est; quia si pro illo instanti non obligat, cùm non sit maior ratio de alio tempore, eadem ratione nunquam obligabit: quod non est dicendum. Nec videtur sufficiens solutio communis, quòd tenetur semel in vita: hoc enim est absurdum dicere, quòd Adam, aut Mathusalem, qui millenos annos vixerunt, possent nongentos annos licitè transigere, absque eo quòd conuerterentur in Deũ, & in debitum finem. Neque satisfacit alia solutio, quòd dantur inducię: nam de iure naturali non possunt determinari tales inducię, iure autem positiuo multò minùs.

¶ Ad huius rei expositionẽ est prima propositio. Homo cùm peruenit ad vsum rationis, non tenetur se conuertere in Deum explicitè, & distinctè. Hæc est expressa sententia Caietani in 2.2. quæstione 10. articulo 4. vbi dicit expressè, quòd ad diligendum Deum explicitè, vt finem naturæ, & vniuersi, non tenetur homo semper, cùm sit præceptum affirmatiuum; nec statim, quia non tenetur priùs diligere, quàm cognoscere: constat autem quòd post multùm temporis spatium aduenit homini ista cognitio, naturaliter loquendo. Idem docet hoc in loco: & probatur efficaciter ex ratione Caietani, & ex alijs rationibus suprà positis, quibus probatum est quòd homo statim postquam peruenit ad vsum rationis, non potest Deum cognoscere, naturaliter loquendo: nemo autem obligatur ad impossibile, vt ait Diuus Hieronymus, & certum est. Item procedit argumentum dudum factũ; quia non omnes sciunt, nec possunt scire tale præceptum statim. Item nusquam legitur hoc præceptum: ergo temerè asseritur. Assumptum probatur: quia vel esset illud; Conuertimini ad me; quod habetur apud Hieremiam, Oseam, Ezechielem, & Ioelem, & alios Prophetas; vel illud; Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo; quod habetur Deuteronomij 6. & Matthæi 22. & Lucæ 10. Sed illud præceptum; Conuertimini ad me; vt patet ex proprijs locis, fit ad peccatores, peccatis actualibus irretitos, nec fit mentio de alijs. Item illud præceptum expressè est de pœnitẽtia: quia in omnibus locis vbi ponitur, agit de pœnitentia. Sed ad pœnitentiam (vt est communis sententia) non tenemur statim. Aliud verò præceptum, de dilectione Dei, refellitur eisdem argumentis. Item, non tenetur quis statim credere: ergo neque ad Deum conuerti. Antecedens patet ex Paulo; Quomodo credent ei quem non audierunt? quomodo autem

An homo pertingẽs ratione vsum teneatur se in Deũ conuertere.

Prim. argu.

Secundum.

Tertium.

Quartum.

Quintum.

Sextum.

Septimum.

Vltim.

Pars affirmatiua.

Prim. cõcl.

Caiet.

Homo non tenetur semper diligere Deũ explicitè vt est finis vniuersi, & naturæ.

Deut. 6.

Rom. 10.

tem audient sine prædicante? sed non quilibet statim potest habere prædicatorẽ: ergo nec potest credere. Deniq́ue confirmatur nostra sententia, ex sententia Diui Thomæ de veritate, D.Thom. quæstione 14. articulo 11. ad primum, vbi docet expresse, quòd homo satis abũdè satisfacit huic præcepto, si ordinat se in debitum finem, & si proponat sequi bonum, & fugere malum.

Capr. ¶ Oppositum huius partis tenet Capreolus in 2. distinctione 40. quæstione 1. ad argumenta Scoti contra secundam conclusionem, vbi dicit, quòd statim atq́ue aliquis peruenit ad vsum rationis, tenetur se in Deum referre. Et probatur quòd ita sit his argumentis.

Prim. arg. ¶ In primis, Diuus Thomas tum in hoc articulo, tum verò in illa quæstione citata, de veritate, apertissimè docet quòd homo perueniens ad vsum rationis tenetur se in Deum conuertere.

Secundũ. ¶ Deinde, regula est Theologorum celebris, quòd facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam, neq́ue deficit in necessarijs: sed credere Deum esse, est necessarium ad salutem, dicente Heb. 11. Apostolo; Accedentem ad Deum oportet credere quia est: ergo si homo, cùm peruenit ad vsum rationis, faciat quod in se est, Deus illuminabit illum, vt cognoscat Deum esse.

Tertium. ¶ Præterea, si homo in primo instanti vsus rationis non potest Deum cognoscere, consequens est quòd sit extra statum salutis, & quòd non habeat remedium ad salutem æternam cõsequendam: quod asserere, absurdum est, & ab omni Theologia alienum. Quòd verò rectè sequatur, patet. Nam sine Dei cognitione non Heb. 11. potest esse salus, dicente Apostolo. Sine fide impossibile est placere Deo; & accedentem ad Deũ oportet credere quia est &c. ¶ Ad hæc, Di Quartum. uus Thomas in articulo docet, quòd qui hoc D.Thom. præceptum adimplet, & se conuertit in Deum, iustificatur, & obtinet remissionem peccati originalis: ergo necessum est dicere quòd loquatur de conuersione in Deum, explicitè, & distinctè: imò quòd loquatur de cognitione in Deum supernaturali; nisi velis dicere cum Pelagio, quòd homo ex viribus naturæ remissionẽ peccatorũ possit consequi, & sine cognitione Dei superna turali. ¶ Argumenta hæc magna sunt, & quæ requirebant accuratam disputationem, nisi breuitatis studio cogeremur rem paucis expedire. Dicebant ergo viri doctissimi ad hæc argumenta, multa quæ postmodum recantare sunt coacti.

Pri. opinio. In primis aiebant, quòd homo perueniens ad vsum rationis poterat habere gratiam, cùm primum peruenit ad vsum rationis. Patet; quia facienti quod in se est, Deus non denegat gratiã, vt est in Theologorum prouerbio. Item, ille est in statu peccandi: at si non esset quo posset saluari, esset iniquissima cõditio; cùm Deus sit prior ad miserendum, quàm ad puniendum. Itẽ est viator: ergo est in statu salutis. Hæc enim est conditio damnatorum, vt non possint saluari. Hoc ipsum confirmatur ex illo; Qui vult omnes homines saluos fieri: &, Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi. Ex quo loco videtur, quòd omni homini, si per illum non stat, sit data facultas perueniendi ad vitam æternam. Quid ni? nã si ille possit peccare, vt dictum est, cùm nõ posset habere gratiam; non posset consequi remissionẽ peccatorum, & sic esset in malo obstinatus; & certè sequeretur illud incommodum quod ab vniuersis Theologis censetur maximum, quòd possit esse peccatum veniale cum solo originali: siquidem si non potest dari gratia in primo instanti, deinceps certum est posse peccare venialiter, & sic esset peccatum veniale cum solo originali. Sed quid multa confero in huius rei confirmationẽ? exploratũ namq́; est ex vera Theologia, quòd in quocunq́ue temporis momento potest homo saluari, & gratiam iustificationis habere. Deinde aiebant viri doctissimi, quòd talis posset habere gratiam, virtutes, & dona, priusquam cognoscat Deum. Probatur; quia faciens pro primo instanti totum quod potest, habebit gratiam: sed non potest (vt statuitur pro certo) pro illo instanti cognoscere Deum: ergo poterit consequi gratiam priusquam Deum cognoscat. Item si non posset habere gratiam antequã cognosceret Deum, sequeretur quòd neq́; per totam vitam. Constituamus enim quòd nunquam de vero Deo aliquid audiat, quia viuit inter Barbaros. Deinde, talis pro illo instanti primo habet ignorantiam inuincibilem de Deo; ergo talis ignorantia non impedit quin habeat gratiam, si faciat quod in se est. Præterea; in puero baptizato, & postmodum nutrito inter Barbaros, manet gratia in homine adulto, & sine cognitione Dei: ergo hoc non videtur impossibile. Nec valet dicere, quòd si faciat quod in se est, Deus illuminabit eum; quia ad minus oportet quòd prius faciat quod in se est; & sic semper est verum, quòd antequam Deum cognoscat, merebitur illuminari, & ex consequenti gratiam, & remissionem peccatorum. His addebãt viri doctissimi, quòd omnis talis in primo instãti potest saluari; nam Deus vult omnes homines saluos fieri. Deinde, omnis talis potest habere gratiam, vt ostensum est, & non necessariò perdet: ergo saluari potest. Certè si eo temporis momento relinqueret Deus hominem sine remedio, non esset prouisor vniuersalis, & sufficiens; nec Christus esset redemptor vniuersorum. Præterea arguitur ex illo verbo Domini. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata: sed talis qui peruenit ad vsum rationis, potest seruare omnia man 1. Tim. 2. Eccli. 15.

data; quia nemo obligatur ad impossibile: ergo potest saluari. ¶ Ex his principijs ratiocinantes colligebant viri sapientissimi, quòd aliquis posset saluari sine cognitione Dei, atque etiam sine fide Christi. Nam fieri potest (inquiunt) quòd primo tẽpore vsus rationis puer nõ modò Christum, sed ne Deum quidem agnoscat, vt potè apud Barbaros sine vlla religione, notitiave diuinitatis educatus. Is ergo vt faciat quod in se est, satis est si se conuertat in honestum finem, & proponat bonum sequi, & fugere malum. Sed facienti quod in se est, Deus nunquam denegat gratiam. Ergo habebit gratiam sine cognitione Dei, aut Christi. Hoc ipsum confirmatur ex autoritate Diui Thomæ: nam apertè docet, quòd si se conuertat in debitum finem, consequetur gratiam, & remissionem peccati originalis. Nã si detur oppositum, euidenter sequitur posse eũ hominem habere peccatum veniale cum solo originali: si enim se conuertat in debitum finẽ, certè nõ peccat mortaliter, cùm benefaciat pro ætate, & institutione quam habet. Nec est in solo originali peccato, quod, autore D. Thom. nũ quam datur in homine adulto: vel si datur, profectò tunc poterit peccare venialiter, & sic peccatum veniale erit cum solo originali. Hæc dicebant viri doctissimi ad confutanda argumenta superiùs posita, & ad explicandum, quemadmodum homo cùm peruenit ad vsum rationis nõ teneatur se in Deum conuertere explicitè, & distinctè. Sed istæ opiniones iam sunt omnino dãnatæ, & ab ipsis autoribus reprobatæ: de quarum confutatione non est necesse edisseri à nobis in præsenti; nam huius rei exacta inuestigatio non est huius loci, nec instituti, sed pertinet ad materiam de fide.

Ad ratiões Capreoli.

¶ Nos verò aliter dissoluemus argumenta proposita in fauorem Capreoli.

Ad primũ.

Nam ad primum dicẽdum est, quòd si homo cùm primum peruenit ad vsum rationis referat se in debitum finem naturæ humanæ consentaneum, proponatque sequi bonum, & fugere malum, implicitè & virtualiter (quod aiũt Theologi) se conuertit in Deum autorem naturę, proponitque eum sequi, & mandata eius seruare.

Ad secundũ.

¶ Ad secundum argumentum respondetur, quòd non est Theologorum regula, quòd facienti quod in se est ex facultate naturæ, Deus nunquam deneget gratiam; est tamen certa & explorata bonorum Theologorum regula; quòd facienti quod in se est ex diuino auxilio, Deus nunquam denegat gratiam. Deinde dicendũ est, quòd puero rectè deliberanti de salute sua in primo instanti vsus rationis statim infundetur lumen supernaturale fidei, per quod cognoscet illud primum principium religionis, quòd Deus sit, & quòd inquirentibus se remunerator sit. Neque hæc illuminatio erit mirrculosa, sed erit regularis diuinæ prouidentiæ, ad quam spectat, neminem dimittere sine sufficienti remedio, & auxilio necessario ad salutem.

Quomodo intelligatur quod facienti quod in se est, Deus non deneget gratiã.

Quòd si obijcias; cognitionem Dei hominibus aduenire post longum tempus, & diutinam inquisitionem: Dico illud esse verum, si de cognitione, quam nostris viribus comparamus, fiat sermo; nam ad cognitionem supernaturalem, quam Deus docet hominem, non est tempus necessarium; subitò enim Deus potest omnes homines docere scientiam, & doctrinam ad salutem necessariam. His addendum est, quod dicunt viri doctissimi, Durandus in 4. d. 4. q. 7. & doctissimus Victoria in relectione, de perueniente ad vsum rationis; & sapientissimus Cano in relectiõe de sacramẽtis, nõ oportere statim vt puer rectè de se deliberat, infundi ei lumẽ supernaturale, aut iustificari per gratiam, sed sat esse si proximè, vel etiam post aliquam moram temporis, secundum diuinę prouidentiæ moderationem, iustificetur: quo quidem interuallo egregiè poterit de rebus supernaturalibus erudiri, easque tenere per fidem. Quòd si argumentetur Theologus, quòd tunc poterit peccare venialiter; quod reprobat Diuus Thomas in articulo; dicendum est, ad prouidentiam Dei spectare, tueri & conseruare illum hominem, ne interim committat veniale peccatum: sicut ad prouidentiam Dei pertinebat vt primus homo in statu innocentiæ non priùs peccaret venialiter, quàm mortaliter, quod anteà explicatum est. Vltimò dicendum, quòd sicut potest esse ignorantia inuincibilis fidei in his qui nihil audierunt de Euangelio, sic potest esse ignorantia inuincibilis Dei in homine cùm primum peruenit ad vsum rationis: & quemadmodum si illi faciant quod in se est, statim illuminantur à Deo, sic de puero isto sentiendũ, si faciat quod in se est pro illa ætate, & institutione.

Durand. Victoria. Cano.

Non est necessarium mox vt puer rectè de se deliberat, lumine supernaturali perfundi, sed sat est post aliquã moram prout destinabit diuina prouidentia.

Ad tertium

¶ Ad tertium argumẽtum iam explicatum est, quemadmodum homo cùm peruenit ad vsum rationis non sit extra statum salutis, & quod nã remedium habeat, quanquam ex viribus naturæ non possit Deum cognoscere pro illo primo instanti.

Ad vltimũ.

¶ Ad vltimum argumentum negãdum est omnino (nam est damnata opinio) quòd quis possit aut gratiam, aut salutem consequi sine cognitione Dei supernaturali.

Quomodo autem homo cùm primum peruenit ad vsum rationis possit habere cognitionem Dei supernaturalem, satis prolixè in superioribus explicatum est. Nunc verò maneat fixa & immota illa sententia, quòd homo per facultatem naturæ suæ non potest in primo instanti vsus rationis Deum cognoscere. Ex quo fit, eum non teneri præcepto legis naturæ sese in Deum conuertere explicitè, & distinctè: quod asser-

assertum est in prima conclusione, qua proba-
ta & demonstrata, sequitur secunda conclusio.

Secũ. cõcl. ¶ Homo perueniens ad vsum rationis tenetur se conuertere in Deum, eo modo quo potest conformiter ad cognitionem quam habet. Si cognoscit Deum, tenetur habere hunc actum; volo colere Deum; vel, volo, aut propono seruare legem Dei. Sin autem non cognoscat, satis est vt proponat bene viuere, conformiter ad dictamen rectæ rationis; vt, volo honestè viuere; nolo malè agere: hoc expressè dicit Sanctus Thomas de veritate, q. 14. ar. 11. ad 1. & hoc in loco in solutione tertij. Et sic explicata hæc sententia de homine cùm primùm peruenit ad vsum rationis, est verosimilis, & valde probabilis; cuius verosimilitudinem hæc argumenta suadent. In primis, quilibet tenetur accipere fidem, & legem Christi cùm primùm ei fuerit sufficienter promulgata; nec liceret alicui differre in certum tẽpus, neque satis esset accipere semel in vita, sed tenetur proponere viuere in lege Christi, & ipsum colere. Ergo etiam cùm primùm ei est promulgata lex naturalis, tenetur eam recipere: sed non recipit, nisi proposito seruandi illam, & viuendi conformiter ad legem; ergo tenetur habere tale propositum. Consequentia videtur nota; quia non minùs obligat lex naturalis quã Christiana, cùm sit æquè diuina. Promulgatur autem lex naturalis, cùm homo peruenit ad annos discretionis, & cognoscit quòd viuendum est conformiter ad rectam rationem, & quòd non est nocendum proximo, vel aliquid simile. Deinde, tunc videtur quòd instet tempus vt homo de sua salute cogitet, & ei operam det: & omnino est grauissima negligentia quòd aliquis nõ disponat de ratione vitæ suæ, ex qua dependet salus, & damnatio eius. Et cùm statim oporteat benè aut malè agere, videtur certè quòd statim oporteat disponere de summa vitę, aliàs videtur grauissima negligentia. Hoc ipsum confirmatur. Nam si quis haberet curam alterius quò ad omnes actiones eius, & dependeret ex eo salus, vel perditio illius, videtur quòd peccaret mortaliter si non statim prouideret de salute alterius, si statim posset alius periclitari; ergo multò plus obligatur de seipso. Item aliàs sequitur, quòd aliquis habens vsum rationis facit totum quod debuit in vita sua, & tamen damnabitur. Consequens non videtur credendum. Quòd rectè sequatur, patet manifestè de illo qui peruenit ad vsum rationis, qui facit totum quod debuit in tota vita sua; qui si nullum actum teneretur habere statim, consequens est, quòd si se haberet merè negatiuè, & moriatur, iam faciat totum ad quod tenebatur, & tamen damnabitur, siquidem habet peccatum originale quod nunquam est remissum. Et confirmatur. Nam ille seruat omnia mandata, & tamen non saluabitur: & sic non est vniuersaliter verum quod Dominus dicit. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Item, si non teneretur statim; ergo poterit tunc solùm peccare venialiter; & tunc si ille sit in peccato originali, erit peccatum veniale cum solo originali: quod videtur inconueniens; quia tale peccatum veniale non habet locum vbi puniatur: quia non punietur in limbo, cùm ibi non sit pœna sensus; nec in purgatorio; quia est via ad gloriam; nec in inferno damnatorum; nam in eo tantùm puniuntur qui sunt in peccato mortali. Certè quòd non possit esse veniale cum solo originali supponunt pro certo Innocentius III. & Concilium Florentinũ. Ad hunc ergo sensum intelligenda est celebrata opinio Diui Thomæ de conuersione in Deum in primo instanti vsus rationis. Et hæc est doctrina non solùm Theologorum, sed Philosophorũ, de qua nobilem illam fabulam veteres prodiderunt, de Hercule; cui peruenienti ad vsum rationis, & de æquo & bono deliberanti, occurrerũt duę matronę pulcherrimę, scilicet Virtus, & Voluptas; & vtraque suis allectamentis puerum ad se trahere conata est, sed vicisse tandem Virtutem. Sed & Pythagoras hoc ipsum docuit sub inuolucris quibusdam & tegumentis. Nam vitæ humanæ speciem vnius literæ similitudine sic adumbrauit, vt totum eius cursum facilè deprehendere liceat. Cùm enim in pueritiam nec virtus, nec vitium, neque alicuius vitæ generis instituendi deliberatio incidat, quòd electionis compos non sit, nec suo regatur arbitrio, eam mirum ob causam hic vnam, communemque facit viam. Ineunte verò adolescentia, quòd hoc tempus à natura ad eligendum, quam quisque viuendi viam sit ingressurus, datum est, eã diuidit, virtutis alteram, alteram vitiorum faciens. quod eleganter in primis descripsit Maro in opusculo, cui titulus est de litera Y.

Litera Pythagoræ discrimine secta bicorni,
Humanæ vitæ speciem præferre videtur.
Nam via virtutis dextrum petit ardua callem,
Difficilemq; aditum primùm spectantibus offert;
Sed requiem præbet fessis in vertice summo.
Molle ostentat iter via lata, sed vltima meta
Præcipitat captos, volutq; per arduа saxa.

¶ Nunc superest argumentis in principio adductis satisfacere. Ad primum argumentum dicendum, quòd hæc Diui Thomæ sententia non habet nisi paucos assertores, & paucas rationes numero, sed pondere, & momento graues. ¶ Ad secundum argumentum dicendum est, quòd quamuis expressè hoc præceptum in sanctis literis non inueniatur, ostenditur ex lumine rationis naturalis; sicuti cætera præcepta quæ naturali lege mandantur ex sanctis

Quos actus teneatur habere perueniens ad vsum rationis. D. Thom.

Rationes secundæ conclusionis.

Mat. 19.

Innocẽ. III. c. maiores de baptis. Cõci. Flor. decreto de vnione Grecorum.

Herculis fabula.

Pythagor.

Virgilius.

Ad rationes in principio dubij positas respondetur.

Ad primum

Ad secundũ

Basil. ctis Patribus. Diuus Basilius in commentario super Psalmum primum, sententiam Diui Thomę apertè docuit.

Ad tertium ¶ Ad tertium argumentum dicendum, quòd homines probi se accusant de transgressione huius mandati, quando de rebus dubijs in communi, & in genere se accusant: & hoc satis esse ait Caietanus, neque oportere quemquam hominum de hac re amplius solicitum esse, & scrupulis torqueri. Mihi verò videtur necessarium, quòd qui cognouit hoc præceptum, se accuset sigillatim, & determinatè, tanquam de re dubia. Nam quando quis cognoscit aliquod præceptum, & dubitat an fortè fuerit illud transgressus, certè tenetur in particulari dubitationem hanc confessario patefacere, & non sat fuerit in genere dubitationem indicare.

Caiet.

Sententia autoris.

Ad quartũ. ¶ Ad quartum argumentum dicendum, quòd per coniecturas potest homo cognoscere quando peruenit ad vsum rationis; sicuti per coniecturas cognoscimus, quando homo tenetur ad præceptum confessionis, vel Eucharistiæ sumendæ.

Ad quintũ. & sextum. ¶ Ad quintum & sextum dicendum, quòd confirmant euidenter primam conclusionem; & dico, quòd si sermo sit de homine in syluis nutrito, vel de homine secundùm facultatem naturæ, non tenetur se in Deum conuertere explicitè, sed satis est proponere sequi bonum, & fugere malum, & ad deliberandum de bono satis est ad annos discretionis peruenisse. Imò hoc est ad annos discretionis peruenisse, scire scilicet discernere inter bonum & malum.

Ad septimũ ¶ Ad septimum dicendum, quòd tempus, quãdo homo potest de bono & æquo deliberare, est, quando ad annos discretionis peruenit. Vel dicendum, quod cùm dicimus, hominem cùm primùm peruenit ad vsum rationis teneri in Deum se conuertere, non est sensus, quòd in primo instanti statim teneatur se conuertere: homo enim de sua natura est rationalis, & discursiuus, & in sua deliberatione indiget tempore, & discursu. Sensus ergo præcepti est, quòd post deliberationem statim tenetur se in Deum conuertere.

Ad octauũ. ¶ Ad octauum dicendum, quòd nos loquimur secluſa ignorantia: nam ex ignorantia à præceptis legis naturæ sæpissimè homo excusatur: illa verò stante, ad prouidentiam Dei pertinebit, quòd non peccet priùs venialiter, quàm mortaliter, ne sequantur inconuenientia, quæ suprà sunt commemorata. Deinde dico, hoc præceptum esse per se notum: siquidem per se notum est, quòd cùm homo ad annos discretionis peruenit, inter bonum & malum debeat discernere, ac deliberare.

¶ Ad alia argumenta, quibus comprobatur, quòd non statim obligat hoc præceptum, iam dictum est; & demonstratæ sunt rationes ob quas hoc præceptum obliget statim, & quemadmodum obliget omnes homines, tum baptizatos, tum infideles. Et hæc dicta sint in defensionem huius præcepti; nam de puero peruenientę ad vsum rationis, aliæ innumeræ quęstiones solent moueri. In primis, quid sit hominem peruenire ad vsum rationis? Deinde, vtrùm possit quis peruenire ad vsum rationis circa vnam materiam, & non circa aliam? Tertia quæstio; vtrũ possit quis peruenire ad vsum rationis sufficientem ad peccatum veniale, & non ad mortale? Quarta quæstio; vtrùm possit puer in primo instanti vsus rationis peccare? quæ habet potissimam dubitationem de puero baptizato existente in gratia. Quinta quæstio; vtrùm puero peruenienti ad vsum rationis, & facienti quod in se est, & proponenti sequi bonum, & fugere malum, detur continuò gratia, & remissio peccati originalis? Est etiam alia quæstio; vtrùm huic puero sufficiat ad gratiam habendam lumen naturale ex parte intellectus? Has, & alias quæstiones explicat Victoria in relectione, de eo qui peruenit ad vsum rationis. Cano in relectione de sacramentis, in communi Par. 2. Durandus in quarto, distinctione quarta, quæstione septima. Altisiodorensis libro tertio, tractatu tertio, quæstione vltima ad finem. Et hic sit finis materiæ de peccatis.

Quæstiões quę de puero peruenięti ad vsum rationis agitari solent.

Mag. Vict.

Cano.

Durand.

Altisiodor.

QVAESTIO. XC.

De legibus, in quatuor articulos diuisa.

Introductio ad materiam de legibus.

THeologis, & iurisprudentibus communis est disputatio hęc de legibus, sed diuersa ratione. Nã iurisprudentes de legibus considerant, quatenus ordinant nos in communem pacem reipublicæ: at verò Theologi tractant de illis, inquantum ordinant nos ad æternam illam felicitatem, quæ in Dei visione sita est. Sed non solùm in fine, sed etiam in principio differentia est. Nam Iurisperitus considerat leges quæ ab hominibus sunt constitutę: vt habetur ff. de constitutionibus Principũ l. 1. Theologus verò considerat præcipuè legem diuinam, quę Deum habet autorem; secundum illud;

Theologi & iurisperiti diuersimodè de legibus tractant.

Esa.33. illud; Dominus iudex noster, Dominus legifer noster. Hinc subsequitur alia differentia. Nam ratio & methodus disputandi de legibus in sacra Theologia altior est, & sublimior, propterea quòd de omnibus legibus vna ratiõe cõsiderat, scilicet quatenus in Deũ nos ordinant, & dirigunt. Iurisprudentes secundum peculiares fines diuisi sunt, vt scientiæ ipsæ sunt diuisę. Itaque Cæsaræum ius componit pacem in exteriori republica. Ius Pontificium in republica Christiana, & ecclesiastica. Ius verò Theologorum docet bene & feliciter viuere in ordine ad rempublicam cœlestem.

Distributio huius tractatus. ¶ Illud etiam animaduertendum est, quòd Diuus Thomas tractatum de legibus in quatuor distribuit partes. Principiò agit de definitione legis. Deinde, quàm variè diuidatur ostendit. Proximo loco de legis effectibus inuestigat. Quartò, de legibus in particulari, scilicet de lege æterna, de lege naturali, de lege humana, de lege Mosaica, & demùm de lege euangelica. Sed & illud consideratione dignum est, quòd Diuus Thomas in initio huius tractatus statuit pro certo, & pro euidenti, legem esse; vnde aggreditur continuò ad explicandum, quid sit lex. Non enim existimauit vir sanctus esse necessarium edisseri à nobis, an sit lex, cùm res ipsa de se satis sit comperta, atque explorata sine argumentorum confirmatione. Sed hæretici Lutherani cogunt nos hanc primam disputare quæstionem: Num lex sit. Existimant enim, Christianum hominem tantummodo teneri ad credendum, & reliqua omnia esse libera, & indifferentia. Deinde aiunt, hominem iustum non teneri ad alicuius legis obseruationem, sed esse liberum ab omni lege & mandato. Præterea asserunt, Christum Dominum nõ esse datum hominibus in legislatorem cui obediant, sed in redemptorem cui confidant. Probant hæc dogmata varijs testimonijs diuinæ scripturæ. In primis est illud ad Galatas. 5. Quòd si spiritu ducimini, nõ estis sub lege. Cui consonat illud Diui Gregorij; Lege non constringitur Spiritus sancti donum. Deinde in eodem capitulo dicit Paulus; Fructus autem spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas: aduersus huiusmodi non est lex: & capitulo 3. eiusdem epistolæ dicit Paulus; Lex propter transgressionem posita est: & 1. ad Timoth. cap. 1. Lex iusto non est posita: & ad Romanos capitulo 13. Plenitudo legis est dilectio: & iterum; Qui diligit proximum, legem impleuit: & 1. ad Timotheum capitulo. 1. Finis præcepti est charitas. Habito autem & adquisito fine, cessat solicitudo de medijs. Vnde dicit Augustinus tractatu 7. in primam epistolam Ioannis. Dilige, & fac quòd vis. Et Chrysostomus homilia 2. in prima epistola ad Timotheum explicans illud; Finis præcepti est charitas; dicit, quòd charitas est finis præcepti, sicuti Christus est finis legis. Sed adueniente Christo cessauit omnis obligatio legis Mosaicæ. Ergo adueniente charitate cessat obligatio cuiuscunque legis, & mandati. Ex his testimonijs videtur sequi, hominem iustum ab omni lege & mandato esse liberum. Ad idem confirmandum adducunt diuinas literas, in quibus Diuus Paulus prędicat libertatem Christianam; vt est illud ad Galatas 3. Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum; & illud ex cap. 5. State, & nolite iterum iugo seruitutis contineri: & in eodem capitulo. Vos in libertatem vocati estis fratres: & 2. Corinthiorum 3. Vbi spiritus Domini, ibi libertas. Quibus testimonijs abutuntur Lutherani, vt dicant, hominem Christianum ab omni lege & mandato esse liberum. Hæc sunt argumenta hæreticorum. Sed alij homines curiosi admittunt quidem leges esse, sed negant eas esse necessarias. Existimant enim, quòd feliciùs esset actum cum genere humano, si nulla foret lex; nullumque mandatum: nam ablato mandato, aufertur occasio peccandi, & condemnatio ad mortem. Dicit enim Paulus; Vbi non est lex, nec præuaricatio; & iterum; Virtus peccati lex. Tolle igitur mandatum, & sublata erit omnis illaqueatio mortis. Hoc ipsum confirmat hæc ratio. Nam in vita beata, vbi regnant omnes felicissimè, nullum est mandatum: ergo magna esset felicitas, si nullum foret mandatum. Ad huius rei expositionem est prima conclusio.

Chrysost. Gal.3. Gal.5. Ibidem. 2.Cor.3. Rom.4. 1.Cor.15.

Vtrũ sit lex Lutherani. Gal.5. Greg.1. dial. c.1. Gal.5. 1.Tim.1. Rom.13. 1.Tim 1. Auguſt.

Prim. cõcl. Nõ potest esse lege cõstare respublica.

¶ Respublica sine lege constare non potest. Nam si respublica esset sine lege, & liceret cuique viuere pro suo arbitratu, licita essent latrocinia, adulteria. Rursus, vbi non est lex quę decernat præmium bonis, & supplicium sceleratis, non est respublica, sed perditio, & confusio reipublicæ. Certè vbi non est lex, non est iustitia: quæ enim est iustitia proprio arbitratu viuere? sine iudice, sine lege, sine mandato? Iam verò vbi non est lex, non est obedientia, neque ordinis cognitio. Et quid obsecro his sublatis erimus? nonne irregulares? sine Deo, sine lege, in hoc mundo? nonne bruta animantia magis quã homines? Insuper per legem cognitio peccati. Nam concupiscentiam nesciebam (inquit Paulus) nisi lex diceret, Non concupisces. Qui autẽ ignorat, ignorabitur, vt idem testatur Apostolus. Itaque per legem cognitio peccati; per legẽ testificatio diuinæ circa nos voluntatis; per legẽ directio naturæ in Deum; pædagogia quoque & disciplina virtutis. Denique, per legem demõstratio ordinis; nam lex, siue mandatum suapte

Rom.7. 1.Cor.14.

natura conuincit & dominij potestatem esse in mandante, & obediendi necessitatem his qui mandatum acceperunt; illum maiorem, istos minores; illum dominum, istos subditos. Propter quod in paradiso, cùm natura esset adhuc incorrupta, bene per omnia consentiens, & in se, & cum suo conditore, opus erat legis mandato, & hoc sub pœna mortis; sic enim habet scriptura. Gen.2. Quare Deus protoparentibus esum pomi paradisi vetuerit. Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas: in quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris: non ob aliam causam mandatum adhibuit, quàm vt immobili decreto mandati euidenter constaret, plenitudinem dominij rerum omnium, etiam ad pomum vsque, idque in medio paradisi, cunctaque etiam minima, quale est pomum, venire in vsum hominis sola Dei beneficentia, gratuitaque voluntate. Tum tertiò, vt hinc constaret, hominem tanta necessitate subiectum esse legislatori Deo, vt in omnibus, ne pomo quidem excepto, parere teneatur. Sed finio; nam res, quam persuadere adnitor, confirmatione non indiget: adeò exploratum est rem publicam sine mandato & lege constare non posse. Secũd.cõcl. Christus legislator, cui obediendũ. Cõci Trid. sess.6.cano. 21. ¶ Secunda conclusio. Christus Dominus est legislator, cui Christiani obedire tenemur: & contrarium est dogma hæreticum. Sic definit Concilium Tridentinum; Qui dixerit, Christum Dominum datum esse à Deo hominibus in redemptorem cui fidant, & non in legislatorem cui obediant, anathema sit. Idem patet ex illo Esaiæ 33. Dominus iudex noster, Dominus legifer noster: & Ioannis 13. Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem: & ca.14; Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me: & iterum; Hoc est præceptum meũ, vt diligatis inuicem. Sed supra omnia est illud Matthæi vltimo; Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris &c. docentes eos seruare omnia quę mandaui vobis: & Diuus Paulus ad Roman.3. Legem destruimus per fidem? absit. sed legem statuimus. Nam (vt ait Augustinus) per fidem impetratur gratia, qua lex impletur: & ad Hebræos.c.7. Translato sacerdotio, necesse est vt legis translatio fiat. In quo significat, sic Christum veterem legem abrogasse, vt nouam instituerit; quoniam translatio legis non est vbi vna alteri non succedit. Propter quod quando Diuus Paulus ad Ephes. 2. dicit, Christum euacuasse legem mandatorum in decretis; non vtcunque dicit euacuasse, sed in decretis; quæ Diuus Augustinus, Chrysostomus, Theophilactus referunt ad mandata euangelica, quæ Christus in monte proposuit. Ex his manifestè constat, quomodo regnum Christi non sit sine lege: inferiùs verò demonstrabitur, quomodo vir iustus teneatur legibus, in q. 96.

Esa.33. Ioan.13. Ioan.14. Mat.vlt. Rom.3. Aug. Heb.7. Ephes.2. Augustin. Chrysost. Theophil.

¶ Ad argumenta hęreticorum, ad primum testimonium dicendum est, quòd qui ducuntur Spiritu sancto, non sunt sub lege; id est, lex non est illis molesta, tales non coguntur lege, sed sunt supra legem; quia etiam si lex non esset, præstarent ea quę legis sunt: non, inquam, sunt sub lege, tanquam sub pędagogo cogente, & seruiliter restringente. Alij interpretantur hoc modo. Non estis sub lege, accusante, & damnante: lex enim non tenet vos reos & obstrictos pœnis suis; quia adiuti spiritu, quo ducimur invita quotidiana, præstatis legem. Communis explicatio sanctorum est, referre hanc sententiam ad legẽ veterem. Cum verò dicit Gregorius, lege non constringitur Spiritus sancti donum; duplex est sensus. Prior est, quòd aduersus dona Spiritus sancti lex non militat: Posterior sensus est; quòd qui ducitur Spiritu sancto, nõ sequitur cõmunẽ legẽ, & cõmunẽ cursum. Ex hoc tamẽ nõ sequitur, virũ iustũ nulla lege teneri. ¶ Ad secundũ testimonium dicendum, quòd aduersus dona Spiritus sancti non est lex cogens, neque accusans, nec damnans. Propter quod dicit Chrysostomus; Sicut equi, fræno morigeri, non indigent scutica; sic qui habet charitatem, non indiget lege minante. Chrysostomus verbum illud, huiusmodi, refert ad personas; Quid enim præcipias illi (inquit) qui omnia in se habet? Augustinus in principio videtur referre ad personas; postea apertè ad res refert: sed quomodocunque referatur, explicatio germana huius testimonij iam dicta est. ¶ Ad tertium testimonium respondetur, non esse sensum, quòd iustus ampliùs non teneatur lege, sed quòd lex pædagogus sit; hoc est, posita non propter iustos, sed propter iniustos; id est, ad coercendas transgressiones, & custodiendos homines in eam fidem, quæ reuelanda erat. Vide firmum huius loci commentarium Augustini lib. de spiritu & litera ca.9. & 10. Planissimus commentarius est, quòd lex iusto non est posita: id est, imposita tãquam iugum incomportabile: lex namque viro iusto iugum est suauissimum. Propter quod dicit Dominus; Tollite iugum meum super vos: iugum enim meum suaue est, & onus meum leue. ¶ Ad illud; Plenitudo legis est dilectio; respõdetur, esse verissimum quòd qui habet charitatem Dei, & proximi, legẽ impleuit: sed nunquã erit charitas, nisi sit voluntas parata ad obediendũ Deo, & legibus, & maiorũ mandatis. Quare Diuus Paulus describẽs officia charitatis sic ait; Charitas patiẽs est, benigna est, nõ æmulatur, nõ agit perperã: quẽadmodum verè dicimus, quòd ad salutẽ sufficit charitatẽ habere: ex quo nõ est cõsequens, quòd nõ sit necessaria pœnitẽtia; siquidẽ ad habendã charitatẽ requiritur pœnitentia. ¶ Ad aliud testimoniũ; Finis præcepti est charitas,

Soluuntur hæreticorũ captiones. Ad primum testimoniũ sacræ scripturæ. In quo sensu iusti sub lege nõ sint. Ad secundũ testimoniũ. Chrysost. Ad tertium testimoniũ. Augustin. D. August. Christus. 1.Cor.13. Ad quartũ testimoniũ.

ritas: (ex quo cõficiebatur tale argumentũ; Ad ueniente fine ceſſat operatio de medijs: ſed om nia mãdata ordinãtur ad charitatẽ; vnde qui ha bet charitatẽ,nõ tenetur ſeruare mãdata) dicen dũ eſt, veriſimũ eſſe axioma quod aſſumitur in argumẽto,ſecundũ illud quod iã habet,ſed non ceſſat operatio ordinata ad permanendũ in fine iã adepto,& ad illũ cuſtodiendũ, & vt magis ac magis habeatur; & ideo habẽtibus charitatẽ prę cipitur vt vigilẽt,pugnẽt,& reſiſtãt. Sed & illud dicendũ eſt pro confutatione argumẽti; nõ om ne quod ordinatur ad finẽ,ceſſare adueniente fi ne,ſed id tantũ,quod dicit imperfectionem; vt motus,& tẽdentia in finẽ,at parere Deo, & eius mãdata ſeruare,imperfectio nõ eſt. Solutio eſt Diui Thomæ ſuprà q.4.ar.4.ad vltimum. ¶ Ad alia teſtimonia Diui Pauli,quibus prędicat liber tatẽ Chriſtianã,dicendũ eſt,quòd loquitur de li bertate à ceremonijs, & pręceptis legis Moyſi, vt patebit textũ intuẽti. Inde verò concludere, hominẽ Chriſtianũ eſſe liberũ ab omni lege, tũ humana,tũ diuina,eſt cõculcare veritatẽ, & D. Paulũ. Nã D.Paulus fuſiſimè loquitur de obe diẽtia pręſtãda poteſtatibus ſublimioribus,& de dãnatione quã ſibi adquirũt qui eis reſiſtũt; & ad Heb.13. Obedite prępoſitis veſtris,& eis ſub iacete. ¶ Iã verò ratio poſtulat vt reſpõdeamus illis,qui admittũt legũ obſeruationẽ,ſed dicunt multò meliùs & feliciùs nobiſcũ fuiſſe actum,ſi nulla lex foret. Certè ſi nulla eſſet lex,ſicut nul lũ eſſet peccatũ,ita nulla eſſet virtus,ſed viuerẽt homines vt bruta animalia, exleges,ſine ratione & ordine. Prętera dicendũ eſt,quòd ſi nulla lex eſſet quę homicidiũ,aut adulteriũ nobis prohi beret,ſanè homicidiũ,& adulterium peccata eſ ſent; ſiquidẽ ſecundũ ſe mala ſunt, & nõ mala, quia prohibita. Item, peccata eſſent; quia à Deo odio haberẽtur ſi fierent. Ex alia parte peccata nõ eſſent,quia vbi nõ eſt lex,nõ eſt prævaricatio, nec peccatũ. Volo igitur dicere, q; ſi nulla eſſet lex,ſequeretur euidẽs cõtradictio,& ſic im poſsibile eſt, nullã legẽ eſſe. De hoc in alio loco vberiùs diſſertũ eſt. ¶ Quod verò obijcitur, in beatorũ republica,& in vita beata nullã eſſe legẽ,in quæſtionẽ nos inducit, ad inueſtigandũ, vtrũ hoc verũ ſit. Nã pro parte negatiua ſic arguitur. In primis, beati neceſſariò diligũt Deũ, vt habet ſana doctrina: ſed de actibus neceſſa rijs pręcepta & leges nõ dãtur: ergo in vita beata leges nõ ſunt. ¶ Deinde; in vita beata non po teſt eſſe peccatũ: ergo nõ poteſt eſſe inobediẽtia Ex quo cõſequens eſt, nõ eſſe opus lege, aut mã dato. ¶ Iã verò lex diuina, ſecundũ Auguſtinũ eſt, qua mali miſeriã, & boni vitã ęternã merentur: at in beata vita nõ eſt ſtatus merẽdi: ergo in vita beata non eſt lex. Sic docet Driedo. Contrariũ docet D. Thomas infrà q.93.ar.6.quę ſen

D.Thom. Ad cætera teſtimonia.

Rom.13.

Heb.13.

Si nõ eſſet lex, ſequeretur euidens cõtradictio

Vtrũ in vita beata ſit lex aliqua. Prim. argu.

Secundũ.

Tertium. Aug.li.1.de lib.arb.c.6: Driedo. li.1 de libertate Chriſtiana c.5. D.Thom.

tẽtia ſine dubio veriſima eſt. Nã lex diuina eſt æterna: ergo in ęternũ perſeuerat. Deinde, ſi in vita beata nõ eſt lex, inde eſſet, quia in ea peccatũ eſſe nõ poteſt. Sed hęc ratio nõ cõuincit; nã Chriſtus Dñs, ſecundũ verã Theologiã, habuit præceptũ moriẽdi, cùm tamẽ peccare nõ potuerit. Ad vltimũ, beati in vita beata quanquã neceſſariò amãt diuinã eſſentiam, liberè tamen ſe habẽt in exequẽdis alijs miniſterijs, & diuinis iuſſis ſibi iniunctis, vt planè cõſtat de angelorum miniſterio: ergo vita beata nõ eſt ſine præcepto & lege. ¶ Sed obſeruandum eſt, quòd ſicut grauia, eadem grauitate deſcendũt in locum ſuum, & in eo iam adepto conquieſcũt; ſic hominesea dẽ lege æterna dirigũtur in finem, & in eius adeptione feliciter conquieſcunt: & ſicuti virtutes morales, temperantia, & fortitudo, manebunt quidem in vita beata, ſed non vt pugnent contra paſsiones, neque vt eas moderentur, ſed vt ſuo fine fruantur in ſempiternum; ſic invita beata manet lex, non vt dirigat nos in finem, ſed vt in fine iam adepto conquieſcamus. Ex dictis patet, quomodo ſine lege nullum regnum conſiſtat. His conſtitutis, quæ ad exordium huius tractatus ſpectant, ſequitur vt inueſtigemus, quid ſit lex. Hæc de exordio.

ARTIC. PRIMVS.

¶ *Vtrùm lex ſit aliquid pertinens ad rationem.*

SVMMA TEXTVS.

Concluſio eſt affirmãs, quam in argumẽto, ſed contrà, probat Diuus Thomas: quoniam imperare ad rationem pertinet; imperare autem, & prohibere, legi cõuenit. In articulo autem ita probatur. In vnoquoque genere id quod eſt principium, eſt menſura, & regula illius generis: ſed ratio eſt principium actuum humanorum: ergo ipſa eſt menſura actuum humanorum. At lex nihil eſt aliud quàm regula, & menſura actuum, ſecundùm quam quis ad agendũ inducitur, vel ab agendo retrahitur: ergo lex ad rationem pertinet.

Concluſio.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Vtrũ lex sit voluntatis. Almayn.

QVibusdam videtur quòd lex sit voluntatis, & non intellectus. Huius sententiæ est Almaynus in suis moralibus cap. 2. & suadetur sic esse. Quoniam lex in sanctis scripturis Dei voluntas appellatur: vt Matthæi 7. & 12. Qui fecerit voluntatem patris mei; id est, qui paruerit præceptis patris cœlestis: & 2. Machabæorum 1. scribitur, Deus det vobis vt faciatis eius voluntatem; id est, vt obseruetis eius legem.

Prim. arg. Mat. 7. & 12

2. Mach. 1.

Secundum. ¶ Deinde, ad eam potentiam pertinet ordinare in finem, quæ principaliter illum respicit: sed voluntas principaliter respicit finem; siquidem obiectum voluntatis est finis: ergo ad voluntatem pertinet ordinare, & statuere, & per consequens condere leges: ergo lex non est rationis sed voluntatis.

Tertium. ¶ Præterea, lex est quæ mouet subditos ad aliquid faciendum, vel non faciẽdum: at proprium officium voluntatis est mouere vniuersas potentias ad operandum: vnde videtur quòd lex sit voluntatis, & non rationis.

Durand. ¶ Durãdus in distinctione vltima, 1. sententiarum, quæstione 2. affirmare videtur, quòd voluntas diuina sit regula nostrarum actionum. Ex quo prætendit probare, quòd teneamur conformare nostram voluntatem voluntati diuinæ; siquidem voluntas diuina est norma, & regula nostrarum actionum. Hoc ipsum confirmat. Nam lex naturalis, & vniuersa lex habet quòd sit lex à voluntate diuina: ergo voluntas diuina præcipuè lex est. Et sic docere videtur, quòd id, quod immediatè obligat homines, est id quod Deus vult nos velle: per legem verò exteriùs explicatam innotescit nobis diuina volũtas.

Gre. Arim. ¶ Gregorius Ariminẽsis in vltima distinctione 1. sententiarum, in hac videtur esse sententia, legem ex æquo ad voluntatem, & rationem pertinere: probatque ex Diuo Augustino definiente peccatum, quòd sit dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei æternam: & subiungit; lex æterna est ratio, vel voluntas diuina. Ex eodem principio comprobat prædictus autor, quòd tenemur nos conformare voluntati diuinæ; nam non minùs diuina voluntas est lex, quàm ratio diuina.

Aug. 22. lib. cõtra Faust. c. 27.

D. Thom. Et certè Diuus Thomas in solutione tertij non videtur negare quin voluntas sit lex; sed tantùm affirmat, quòd ratio, primariò & præcipuè sit lex. Et in superioribus, quæstione 19. articulo 9. apertè docet, quòd diuina voluntas est regula nostræ voluntatis.

¶ Ad huius rei expositionem obseruandum est, quòd lex habet varias conditiones; & effectus; & sic habet diuersa nomina. A latinis vocatur lex; à Græcis vocatur νόμος, ab Hæbreis Thora; quæ quidem nomina licèt idem significent, non tamen habent eandem nominis etymologiam. Lex, latinè ab eligendo dicitur, vt docet Cicero libro 1. de legibus. Leges namque præciendo quid faciendum sit, quid verò fugiendum, docẽt nos rectè eligere.

Legis nomina. Cicero.

D. Thom. Diuus Thomas in hoc articulo existimat deduci hoc vocabulum à ligando, eò quòd veluti vinculo alligat homines. Hæc nominis etymologia consonat sacræ scripturæ. Hieremiæ capitulo 2. A seculo confregisti iugum, rupisti vincula, dixisti, non seruiam: & in Psalmo 2. Dirumpamus vincula eorum, & proijciamus à nobis iugum ipsorum.

Hier. 2.

Psal. 2.

Isidor. Isidorus arbitratur deriuari hoc vocabulum à legendo, eò quòd leges publico scripto mandantur, & leguntur. Hinc est quòd Dominus daturus legem populo Exodi 19. vt omnibus esset nota, fulgure & tonitruo & clangore buccinæ manifestauit legem ferendam.

Exod. 19.

Græci verò vocant nomon, à verbo νέμειν, quod est, tribuere; leges enim tribuunt vnicuique quod suum est. Hæbrei vocant Thora, à verbo quodam quod significat, doceo, siue disp̃ono: leges enim continent doctrinam rerum agendarum, iuxta illud; Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.

Psal. 18.

Psal. 118. Certè lex in Psalmo 118. varijs nominibus appellatur, dicitur enim, lex, præcepta, testimonia, mandata, iudicia, iustificationes, iustitia, via, veritas, verbum; vt mirum sit eandem penè rem toties varijs modis repetitam esse.

Vis directiua & coactiua legis. ¶ Illud etiam est obseruandum, quòd lex vniuersa habet duplicem vim; directiuam, & coactiuam. Directiua est, quæ ostendit quid faciendum, quid verò fugiendum: & obligat subditos in conscientia, etiam si nullus adsit, qui supplicia inferat. Alia est vis coactiua per illationem pœnarum, & vtraque est necessaria generi humano. Nam

Oderunt peccare boni virtutis amore:
Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

Deut. 33. Hoc significatur Deuteronomij 33. vbi legitur, quòd lex diuina ignea sit. Nam sicut in igne est claritas, & virtus comburendi, sic sanè in lege est lux illuminans ad dirigendum, & virtus ad mouendum & coercendum. His constitutis est prima conclusio.

Prim. cõcl. Lex essentialiter est in ratione. Lex quid. Aristot. ¶ Lex secundum substantiam, & essentiam in ratione consistit. Lex enim est imperium faciendi, vel non faciendi, vt de se patet. Sed imperium est actus intellectus, vt definitum est suprà quæstione decimaseptima, & asserit Aristoteles sexto ethicorum capitulo decimo: vnde lex in ratione consistit. Deinde, lex est regula praui & recti: sed ratio est regula humanarum actionum: ea enim est quæ dirigit, & regulat voluntatem, alioqui cæcam: igitur in ratione consistit. Præterea, volũtas nostra vt recta sit, oportet vt rectę rationi sit cõsentanea:

in

in hoc enim est peruersitas nostræ voluntatis, quòd rationi rectæ non pareat: ergo ratio regula est, non voluntas.

Efficaciores rationes. ¶ Sed efficacioribus argumentis ostendendum est, quòd lex non sit voluntatis, sed rationis. Nam in voluntate tantùm inueniuntur volitio, & nolitio; qui actus nullum præ se ferunt imperium, nec præceptum. Nam licèt ego intelligam euidenter Prælatum meum velle optatissimè vt prædicem, aut legam, non teneor parêre, donec id loquens mihi præcipiat: loqui verò intellectus est, & non voluntatis.

¶ Deinde, homines tenemur nos conformare, & obedientes esse diuinæ legi: quod sic manifestum est, vt probatione non sit opus. At non tenemur nos conformare voluntati diuinæ beneplaciti; nam quamuis ego intelligam Deum velle patrem meum occidere, licet mihi, & honestum est de hac re contristari. Rursus, Deus præcepit Abrahæ vt filium suum interficeret; at nolebat illud fieri: præcepit homini sanato, Marci primo, vt taceret, at nolebat vt taceret.

Mar. 1.

Not. ¶ Deinde, si lex est volũtatis, maximè est actus quando vult Petrum Deum diligere: sed hic actus non est lex. Quòd sic ostendo. Nam eadem ratione esset lex, voluntas, qua Petrum vult condemnare: quod est falsum, & aduersatur sanæ doctrinæ; nam tunc Petrus non posset saluari secundùm legem, & esset contra legem vt saluus fieret.

¶ Sed dicet Theologus, quòd lex non est omnis actus voluntatis, sed tantùm est actus voluntatis quando Princeps vult subditos suos obligare. Sed hoc falsissimum est: nam si Princeps præcipit, & vult præcipere, licèt nunquam de obligatione cogitet, est vera lex: imò verò si Princeps velit ponere leges, licèt non velit subditos obligare, oritur vera obligatio in subditis ad obediendum: quoniam ex legis positione, necessario consequio sequitur obligatio: quemadmodum si aliquis velit iurare, licèt non se velit obligare, ex religione iuramenti manet obligatus: sicut in simili casu docent Theologi, quòd qui vouet aliquid Deo, licèt non velit se obligare, nascitur obligatio vt adimpleat votum. Etenim obligatio seruandi votum non nascitur ex voluntate hominis volentis se obligare, sed ex vinculo voti quod Deo nuncupatur. Idem demonstratur autoritate maiorum. Aristoteles decimo ethicorum capitulo nono dicit, quòd lex est sermo ab aliqua prudentia, & mente profectus; quæ omnia ad intellectum pertinent, non ad voluntatem. Cicero varijs definitionibus definit legem, quæ euidenter demonstrant esse rationis, & non voluntatis. Lex, inquit, est ratio insita in natura, quæ iubet ea quæ facienda sunt, prohibetque contraria. Et iterum; Lex est recta, & à numine Deorum tracta ratio, imperans honesta, prohibensque contraria. Et alio modo; Lex est recta ratio imperandi, atque prohibendi. Præterea, lex est recta ratio in iubendo, & vetando. Lex est naturæ vis, mens, & ratio prudentis, iuris atque iniuriæ regula. Lex est ratio, mensque sapientis ad iubendum, & ad vetandum idonea. Et alio in loco; Cùm legem dico, nihil aliud intelligi volo, quàm imperium, sine quo nec domus vlla, nec ciuitas, nec gens, neque hominum vniuersum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest. Isidorus quoque distinctione prima, capitulo, consuetudo, dicit; Consuetudo quæ ratione constat, lex est.

Lex quid.

Isidorus.

Secũd. cõcl. Lex cõsistit in ratione practica.

¶ Secunda conclusio. Lex in ratione practica consistit, non in speculatiua. Officium namque practicæ rationis est dirigere ad studiosas operationes, non cognoscere veritates: at verò officium legis est dirigere ad studiosas operationes: ergo in practica consistit. Deinde, potissimum officium prudentiæ, quæ maximè virtus practica est, est rectè præcipere: sed officium legis est præcipere: ergo in ratione practica consistit. Iam verò lex pertinet ad prudentiam gubernatiuam, cuius officium est legibus multitudinem regere, vt scribit Diuus Thomas secunda secundæ, quæstione quadragesimaseptima, articulo vndecimo. Prudentia verò gubernatiua non speculationẽ, sed praxim dirigit, & docet quid agendum sit, quid verò fugiendum.

D. Thom.

Tert. cõcl. Lex includit actum voluntatis.

¶ Tertia conclusio. Lex etiam includit actum voluntatis. Pro quo obseruandum est, quòd vt Princeps ferat aliquam legem, non solùm requiritur vt iudicet fieri oportere; nec verò quòd velit sic fieri, sed præterea requiritur, quòd id quod iudicat fieri oportere, & id quod vult fieri, statuat non solùm consulendo, & exhortando, sed etiam præcipiendo. Ex quo euidens est, quòd vtraque potentia, tum intellectus, tum voluntatis, concurrat ad legem constituendam. Nam intellectus fieri oportere iudicat; & voluntas approbat quòd fiat, & tandem sequitur imperium legis.

Quid ad legem statuẽdam requiratur.

Not. ¶ Illud etiam obseruandum est, quòd quando duæ potentiæ concurrunt ad aliquem actũ, illi potentiæ tribuendus est actus, ad quam pertinet secundùm substantiam suam, & secundum id quod perfectissimum est. Et quoniam lex secundùm substãtiam est imperium, regula, lux; & hoc est potissimùm in lege, quod manifestè in ratione consistit; ideo lex rationis est, non voluntatis. De qua re vide Diuum Tho-

Thomam suprà quæstione decimaseptima, vbi agit de imperio. ¶ Ad argumenta in principio posita satisfaciendum est. Ad primū dicēdum est, quòd licèt lex secundùm substantiam in ratione consistat, habet tamen vim mouendi, & dirigendi à voluntate, quemadmodum expositum est in tertia conclusione; & ideò voluntas appellatur. Vel dicatur (& hæc est vera solutio, quam accepi ex Magistro in 1. distinctione 45.) quòd voluntas diuina secūdùm proprietatem, tantùm est voluntas diuina bene placiti, de qua dicitur; Omnia quæ voluit Dominus fecit: & iterum; Voluntati eius quis resistit? Cæterùm secundùm figuratam locutionem dicitur Dei voluntas, quod propriè voluntas non est; vt prohibitio, præceptum, consilium, quæ sunt signa diuinæ voluntatis, sicut literas Principis appellamus eius voluntatem.

Arg. solut. Ad primum

Mag. sentē.

Ad secundū ¶ Ad secundum dicendum, quòd vtraque potentia, tum intellectus, tum voluntas, tendit in finem; sed diuersa ratione: voluntas appetendo, desiderando; intellectus ostendendo, illuminando, & ordinando quid faciendum sit, quid verò fugiendum.

Ad tertiū. ¶ Ad tertium dicendum, quòd lex ea parte qua includit actum voluntatis, habet vim & energiam mouendi: propter quod concessum est in tertia conclusione, quòd includit actum voluntatis. Vel dicendum, quòd voluntas mouet vniuersas alias potentias efficienter, applicando eas ad proprias operationes: lex verò mouet illuminando, præcipiendo, vetando, quę motio in ratione consistit.

¶ Ad alia argumenta dicendum, falsissimum esse nos teneri ad cōformandam nostram voluntatem diuinæ voluntati in volitis: de quo inuestigatum est copiosè suprà quæstione 19. articulo 9. Præterea dicendum, quòd voluntas diuina appellatur regula, & lex, propter rationes commemoratas. Hæc de isto articulo dixisse sufficiat.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ *Vtrùm lex semper ordinetur in bonum commune.*

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Conclusio est affirmās, quæ non solùm intelligitur de facto, sed etiam de iure. Itaque intelligendum est, quòd si cessat ratio boni communis, & eius vtilitas, statim lex cessat, & vim obligandi non habet. Rursus ex eadem conclusione intelligitur, quòd lex, quæ instituitur in priuatum commodum, lex non est, sed iniquitas.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Conclusio proposita sic probatur à Diuo Thoma. Ratio est principium humanorum actuum, & ideo in ipsa aliquid esse debet quod rationem principij habeat, respectu omnium aliorū: hoc autem principium in rebus operabilibus est finis vltimus, qui respectu hominis est felicitas, aut æterna beatitudo; ergo lex maximè respicit ordinem ad felicitatem communem, & commune bonum.

Argumēta contra conclusionem. Argu. prim.

¶ Sed videtur profectò quòd hæc assertio Diui Thomæ falsa sit. Nam lex naturalis, de tuenda propria vita, vera lex est; at hæc lex non habet pro fine bonum commune, sed propriam cuiusque vtilitatem.

Secundum.

¶ Rursus, lex quæ præcipit vt eleemosynæ pauperibus tribuantur, vera lex est: at non respicit vtilitatem publicam, sed vtilitatem pauperum.

Tertium.

¶ Tertiò, lex de correctione fraterna, vera lex est, & iusta; at non ordinatur in bonum commune, sed in fratris particularem emendationem: cuius indicium manifestarium est, quòd si ex mea admonitione non expectatur fratris emendatio, non teneor ex lege correctionis fraternæ illum admonere, aut corrigere.

Quartum.

¶ Quartò, si lex debet semper institui in bonum commune, consequens est, quòd si cessaret commune bonum, & publica vtilitas, lex amplius non obligaret; quod apertè falsum est. Nam si lex prohibeat, ne quis habeat cum Sarracenis commercium; hac de causa, quoniam solent huiusmodi homines corrumpere eos qui cum illis versantur; certè tametsi ego intelligam ex meo commercio nullum periculum nec mihi, nec reipublicæ parari, nihilosecius teneor seruare legem. Hoc ipsum explicatur alio exemplo. Si lex prohibet ne scholares serico vestiantur, quoniam hac de causa exhauriuntur opes reipublicæ; quamuis scholarium aliquis euidenter cognoscat quòd ex eo paternæ opes nihilo extenuantur, tenetur nihilominus lege. Sed & tertium huius rei adhibeamus exemplum. Si lex vetet ne noctu arma deferantur, ne sequatur reipublicæ perturbatio, tametsi ego intelligam nullam subsequuturam perturbationem ex eo quòd arma deferam, nihilominus teneor legem obseruare,

uare, & iussis principum parêre.

Vltim. ¶ Vltimò, leges regiæ, quæ exigunt tributa, & vectigalia, veræ leges sunt, & ad rempublicam constituendam necessariæ; verùm non respiciunt bonum commune, sed priuatam Regis vtilitatem.

An regesbona subditorum in proprios vsus conuertere valeant pro suo arbitratu. 1.Reg.8. ¶ Sed efficacioribus argumentis ostendendum est, quòd Reges & Principes possint conuertere omnia bona subditorum, & reipublicę, in proprios vsus pro sua voluntate. Id ostenditur esse verum ex illo 1.Regum.8. Populo enim Iudęorum petenti Regem, Samuel ex persona Dei sic loquitur: Hoc erit ius Regis. Filios vestros tollet, & ponet in curribus suis, facietque sibi currus & equites, & pręcursores quadrigarum suarum, & constituet aratores agrorum suorum, & messores segetum, ac fabros armorum suorum. Filias quoque vestras faciet sibi focarias, vnguętarias, ac panificas: & sic de alijs conditionibus ad seruitutem pertinentibus. In qua sententia videtur Dominus Regi tribuisse facultatem conuertendi omnia bona subditorum in priuatum commodum; imò cogendi illos ad seruitutem; sic enim dicit textus sacer; Et faciet vos seruos &c. Cui simile est illud; Reges gentium dominantur eorum, & potestatem exercent inter illos, non autem sic inter vos: quibus verbis apertissimum discrimen constituisse videtur inter potestatem regiam, & inter potestatem quam ipse erat instituturus; tribuereque potestati ciuili hanc autoritatem, vt dominentur subditis, & potestatem exerceant in illos.

Luc.22.

Secundum. ¶ Deinde, Reges & Principes appellantur Domini, vt constat ex vsu loquendi: ex quo consequens est, quòd subditi sint serui. Insuper sequitur, quòd possint bona subditorum in propriũ commodum conuertere; Dominus enim potest bona seruorum suorum in propriam vtilitatem referre.

Vltim. ¶ Vltimò, Reges & Principes, multa regna, & multas prouincias bello sibi subegerunt: sed bona eorum qui victi sunt in bello, iure gentium sunt victorum: ergo Reges & Principes habent dominium in vniuersis bonis suorum subditorum, sic vt possint ea in proprios vsus conuertere. Hęc omnia confirmantur. Nam Aristoteles

Arist. summus Philosophus lib.1.polit.& lib.3.cap.10. vbi regna distinguit, dicit apertè, esse quasdam gentes adeò barbaras, & feras, vt non possint regi nisi principatu despotico; id est, ad voluntatem, & ad nutum Regis. Et hanc sententiam, vt

D.Thom. veram, approbat Diuus Thomas.3.de regimine Principũ cap.11. Ad huius rei expositionem est prima conclusio.

Prim. cõcl. Lex non est instituenda in bonũ priuatum. ¶ Lex non in priuatum commodum debet instituj; quòd si secus fiat, lex non est. Conclusio hæc est veluti communis animi sensus, & conceptus omnium sapientium. Plato enim dicit, legislatores communis pacis gratia leges condere debere. Aristoteles ait. Leges ad communem reipublicæ salutem sunt accommodandæ. Cicero; Constat, inquit, leges pro salute reipublicæ tuenda esse instituendas. Isidorus, & habetur eius sententia distinctione 4.cano.Erit. sic scribit; lex non pro priuato commodo, sed pro omnium ciuium vtilitate conscripta. Huic consonat sacra scriptura Esaiæ 51. Lex à me exibit, & iudicium in lucem populorum requiescet: & Sapientiæ 6. Cum esletis ministri regni eius non rectè iudicastis. Ecce in hoc loco diuina scriptura omnes Principes & Reges appellat ministros regni, non dominos. Ex qua diuina sententia in confirmationem nostræ conclusionis duo argumenta educuntur. Primum sic. Nam lex est proprium opus publicæ potestatis: sed potestas publica de se in bonum publicum ordinata est: ergo lex in bonum commune & publicum institui debet. Secundò sic. Nam Reges & Principes non sunt domini, sed administri & dispensatores reipublicæ vt liquet ex prędicto testimonio: & Diuus Paulus hoc nomine eos compellat dicens; Ministri enim Dei sunt in hoc ipsum seruientes: ergo non possunt instituere leges ad priuatum commodum & vtilitatem. Certè sicut potentię naturales de sua natura institutæ sunt vt tueantur bonum totius suppositi; sic potestas publica in commune bonum instituta est. Itaque quemadmodum potentia viuiua data est animanti, vt conspecto bono prosequatur illud, & inspecto malo fugiat illud: sic potestas publica instituta est vt bonum commune procuret, & detrimentum reipublicæ caueat.

Plato 1. dial. lo. de legi. Arist. 4. polit. c. 1. Cic. li. 1. & 2 de legib. Isidorus. Esa. 51. Sap. 6. Reges ministri regni appellãtur. Rom. 13.

Secũd. cõcl. ¶ Secunda conclusio. Asserere quòd Principes & Reges habeant dominium in bonis subditorum suorum, ita vt possint conuertere ea in propriam vtilitatem, & instituere leges in proprium commodum, dogma est pestiferum, & omnibus modis execrandum. Hanc conclusionem probat diligenter Diuus Thomas.3. de regimine Principũ c.11. & 3. libro de eruditione Principũ.c.3. In primis ex illo Deutero.17. vbi præscribitur forma regni, & iuris dicendi; Cùm (inquit) constitutus fuerit Rex, non multiplicabit sibi equos, nec reducet populum in Ægyptum, equitatus numero subleuatus: non habebit vxores plurimas quæ alliciant animam eius, nec argenti aut auri immensa pondera: describetque sibi Deuteronomium legis huius, & habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ, vt discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba eius, & ceremonias, & vt videlicet possit populum dirigere secundum legem diuinã; nec eleuetur cor eius in superbiam super fratres suos, neque declinet ad dextram, neque

Dogma pestiferum cõfutatur. D.Thom. Deu.17.

Not. que ad sinistram. In quo testimonio obseruandum est in primis, quòd subditos Regum appellat fratres, non seruos. Deinde obseruandum est, quòd illa phrasi Hebræa; Non declinet ad dextram, neque ad sinistram; admonetur, vt in omnibus sequatur æquitatem, & iustitiæ rectitudinem. Sed & illud animaduertendum quod dicit textus sacer; Vt longo tempore regnet ipse, & filij eius super Israel; quasi dicat, si secus faciat non regnabit longo tempore super Israel. Idem ostenditur ex illo Ezechielis 46. Non accipiet Princeps de hæreditate populi, nec de possessione eorum, sed de hæreditate sua dabit filijs suis. Et in 34. inuehitur in Principes & Reges, qui bona subditorum in proprium commodum retorquent, dicens; Væ pastoribus Israel, qui pascunt semetipsos: nonne greges pascuntur à pastoribus? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat, occidebatis; gregem autem meum nõ pascebatis: quod infirmum fuit non consolidastis, & quod ægrotum non sanastis; quod confractum non alligastis, quod abiectum non reduxistis, & quod perierat non quæsistis, sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia. Tertium testimonium est. 3. Regum. 21. vbi legitur, quòd Achab & Iezabel vxor eius, infelicissima morte perierunt, eò quòd vineam Naboth subditi sui per violentiam vsurparunt. Et in Concilio 8. Toletan. capitulo 10. Reges Gothorum Christiani, quando principatum instituebant, ad hunc modum iurabant. Erunt actibus iudices; vita modesti, non respicientes proprij iura commodi, sed consulentes patriæ egenti. Huic veritati consonat omnis doctrina Aristotelea, Platonica, & Christiana. Aristoteles dicit octauo ethicorum capitulo decimo & vndecimo, quòd ille est legitimus Rex, qui bona subditorum præcipuè intendit, & procurat, & qui in bonis suis maximè abundat, ne videlicet subditos grauet; & qui in primis laborat vt subditi studiosè operentur, sicut pastor ouium. & in tertio libro politicorum in principio scribit, quòd regnum non est propter Regem, sed Rex propter regnum. Ad hunc enim finem Deus autor naturæ instituit Reges, vt bonum reipublicæ tueantur ac defendant: quòd si omnia in priuatum commodum conuertant, tyranni sunt, non Reges. Vnde Bernardus ait; Parui deiectique animi est, de subditis non profectum quærere subditorum, sed quæstum proprium. Non mediocris gloriæ est vox illa Apostoli; Non requiro datum, sed fructum. Indecens est valde principi, voluntate, pro lege vti. Non est maior domino suo qui ait, Non veni facere voluntatem meam: non minus deiecti, quàm elati animi est, veluti rationis expertis, non pro ratione, sed pro libito agere, nec iudicio agi, sed appetitu. Quid tam bestiale, & tam indignum cuiuis vtenti ratione quàm viuere vt pecus? quis in te, rectore omnium, tantam contumeliam naturæ, honoris iniuriam ferat, sic degenerando, generale opprobium feceris tibi proprium. Psalmo 48. Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus &c. Quid tã indignum tibi, quàm vt totum tenens, non sis contentus toto, nisi minutias quasdam atque exiguas portiones ipsi & tibi creditæ vniuersitatis, tanquam non sint tuæ, satagas, nescio quomodo adhuc facere tuas. Vbi etiam meminisse volo te parabolæ Nathan, de homine qui centum oues habens, vnam, quæ erat pauperis, concupiuit. Huc quoque veniat factum, imò facinus Regis Achab, qui rerum summam tenebat, & vnam vineam affectauit: auertat Deus à te, quod ille audiuit. occidisti, & possedisti. Augustinus de verbis Domini exponens illud Matthæi, Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari. Igitur, inquit, quod Cæsar præcipit, ferendum est, quod imperat, tolerandum. Sed fit intolerabile, dum prædam exactores accumulant. Et postea exponens verbum Ioannis Baptistæ, quod militibus dixit; Neminem concuciatis, neque calumniam faciatis; sed estote contenti stipendijs vestris. Hoc, inquit, sumi potest de militibus, prætoribus, cunctisque rectoribus: quicunque enim sibi stipendia publicè decreta consequitur, si ampliùs quærit, tanquam calumniator, & concussor sententia Ioannis condemnatur.

Ezec. 46. Ezec. 34. 3. Reg. 21. Cõci. Tolet. 8. Arist. Rex propter regnũ, nõ è conuerso. Ber. li. de cõsidera. ad Eugeni. Psal. 48. August.

¶ Sed iam ordo disputationis expostulat vt argumentis ex ratione deductis, idem confirmemus. Certè hac vna ratione præcipuè distinguitur potestas Regia, à Tyrannica; quòd potestas Regia commune bonum, & subditorum suorum commoda prosequitur, & procurat: Tyrannica verò priuatum commodum, & quo modo ciues suos spoliet. Hoc ipsum euidenter confirmatur. Nam Reges, si legitimi sunt, habent autoritatem & ius dominandi à republica: nec enim Reges ex sua natura habent quòd alijs imperent; at ratio ipsa demonstrat, rempublicam non instituere Regem in vtilitatem & commodum Regis, sed in vtilitatem reipublicæ quam defendat, & conseruet. Iam verò regnum constat ex hominibus, veluti corpus ex membris; & sicut domus ex parietibus. Ex quo consequens est, finem regũ esse, homines & rempublicam tueri, & propugnare: vt sicut Deus, qui est Rex Regum, & Dominus dominantium, cuius virtute Principes imperant, nos regit, & gubernat; non propter suam vtilitatem, sed propter nostram salutẽ; ita & Reges faciant, & alij

Argum. veritatem ostendentia

& alij dominatores in orbe. Olim regni Iudices, Cambysæ Regi Persarum dixerunt, quandam inueniri legem, qua liceret Regi facere quidquid libeat. Iulia quoque nouerca Antonij Caracallæ, priuigno dicenti; Vellem te ducere vxorem si liceret; respondisse fertur. Si libet, licet: an nescis te Imperatorem esse, & leges dare, non accipere? Quo audito, furor inconditus ad effectum criminis roboratus est, nuptiasque cum nouerca celebrauit. In hanc sententiam à Liuio scienter & verè dictum est, Reges, domini rerum temporum; quia trahunt cuncta, non sequuntur. Absit hæc doctrina peruersa à republica Christiana, & ab animis Regum fidelium. Ex quo haud immeritò laudatur Antigonus, qui, dicente quodam, omnia Regibus esse honesta & iusta, ita per Iouem (inquit) Barbarorum Regibus, nobis autem ea dumtaxat honesta sunt, quæ honesta, & ea iusta sunt, quæ iusta.

Cambyses. Iulia. Liuius. Antigonus.

¶ Vltimò probatur nostra sententia exemplis adductis: quia omnes Principes & Reges, qui bonis reipublicæ in proprios vsus abusi sunt, infeliciter perierunt. Primò quidem Reges Romani propter eorum superbiam & violentiam quam exercebant, eiecti sunt à regno; vt Tarquinus Superbus, cum filio, sicut historiæ tradunt. Item Achab & Iezabel infelici morte perierunt, pro violentia quam fecerunt Naboth de vinea sua, vt 3. Regum scribitur. Traditur etiam ibidem, quòd canes linxerunt sanguinem suorum cadauerum, in prædicta vinea, in argumentum sceleris admissi contra Naboth.

Tarquinus. Achab & Iezabel. 3. Reg. 21.

Soluſi. arg. Ad primum secundum & tertium.

¶ Sed iam tempus est vt argumentis in contrarium satisfaciamus. Ad primum, secundum & tertium dicendum est, esse commune omnibus legibus, quòd instituantur in commune bonum, quod ex priuatis ciuium bonis dependet. Prodest enim maximè reipublicæ quòd quisque ciuium conseruetur; alioquin extingueretur respublica, & funditus periret. Rursus prodest reipublicæ quòd ciues non egeant, & eis suppetant necessaria, atque adeò maximè prodest reipublicæ quòd vitia extirpentur, ad quod præceptum correctionis fraternæ destinatur. Et sicuti omnia membra in salutem capitis ordinantur (siquidem ab eo eorum salus dependet,) sic sanè omnia ciuium commoda (licèt priuata videantur) ad salutem reipublicæ referuntur. Vel dicendum est, quòd legislator cum instituit leges, semper intendit commune bonum, quanquam ciues, quando eas executioni mandant, non semper ad commune bonum respiciant.

Ad quartũ.

¶ Ad quartum argumentum dicendum est, quòd ratio legis aliquando cessare videtur, respectu alicuius particularis, & non respectu reipublicæ, & tunc lex non cessat, nec eius obligatio emortua manet. Exempli gratia. Prohibet lex & vetat ingressum alicuius oppidi sub sententia excommunicationis: & ratio legis quæ respicit commune bonum, hæc est, ne eo in loco occultentur crimina; aut verò ne ex commercio oppidanorum incommodum aliquod subsequatur hominibus Christianis. Certè lege sic statuta, licèt ego intelligam me non interfuturum, neque communicaturum criminibus, lege teneor. Cæterùm si lex desinat esse vtilis aut commoda reipublicæ, tunc omnino lex cessat, & obligatoria non est: vt si esset lex instituta, quæ tempore pacis dumtaxat esset opportuna, tempore belli iam cessat, & minimè obseruanda est.

¶ Ex hac doctrina aperitur via ad multas rerum difficultates elucidandas, quarum rerum explicatio exemplis euidentiùs illustrabitur. Præcipit lex, quòd testamentum minus solemne, id est, sine certo numero testium, & sine tabellione, pro infecto habeatur, & nihil valeat: & finis & scopus legis est, vt eatur obuiam fraudibus, & dolis, cùm mortuus homo pro seipso respondere non valeat. Si se offerat casus, in quo quis instituit testamentum minus solenne sine fraude & dolo, quippe qui non habeat testes, neque tabellionem, coram quibus suam voluntatem patefaciat, profectò tale testamentum inualidum est, & pro infecto habendum: nam ratio legis, propter quam instituta est, cessat in particulari, non autem in communi: & lex (vt est in prouerbio) non respicit casus particulares, sed id quod communiter, & vt in plurimum accidit, vt habetur in l. iura, & duabus sequentibus. ff. de legibus, & senatusconsultis, & ff. de regulis iuris l. ea quæ rarò. Sed & aliud exemplum huius rei producere libet. Nam lex instituit grauissimè, vt matrimonium clandestinum de cætero non valeat; nectebantur enim variæ fraudes in matrimonij clandestini celebratione: & finis legis instituendæ fuit, his fraudibus obuiam ire. Offerat se casus, in quo quis contrahit matrimonium clandestinum, bona fide, & sine dolo, profectò matrimonium non valet: nam ratio legis cessat in particulari euentu, non autem in communi.

Not.

Lex peculiãres casus nõ respicit.

¶ Sed argumentabitur aliquis contra hoc. Nam lex correctionis fraternæ est instituta in commune bonum: at cessante ratione legis in particulari, cessat legis obligatio: nam si scirem quòd mea admonitio non tibi proderit, non te debeo admonere; lex enim diuina non obligat ad inutile, & superuacaneum. Ergo hæc doctrina falsa est.

Dicen-

Solutio. Dicendum tamen, quòd quamuis hæc lex instituatur in commune bonum, effectus tamen huius legis semper ad particulare hominis commodum dirigitur, & refertur: & ideò cessante effectu in particulari, cessat legis obligatio: cæterùm effectus legum, quæ superius commemoratæ sunt, in communi bono consistunt. Vel dicendum, quòd lex de correctione fraterna nunquam cessat, nec eius obligatio extinguitur, sed est lex affirmans, cuius proprietas est, vt obliget quando oportet, & sicuti oportet: at quando nō est spes emendationis, non oportet admonere; & ideo non obligat.

Ad quintū. ¶ Ad quintum argumentum dicendum, quòd leges in argumento propositæ respiciunt, & habent pro scopo & fine, commune bonum, & rei publicæ salutem: nam bonum commune est, & reipublicæ salus, quòd regi suppetant necessaria ad tuendam rempublicam.

Ad argum. quòd principes bona ciuiū in propria cōmoda conuertere valeāt. ¶ Sed superest respōdere ad argumēta proposita, ad probandum, principes posse conuertere bona subditorum in proprios vsus pro sua voluntate. Nam ad primum argumentum dicendum est, quòd ea quæ commemorātur à Samuele in loco citato, non sunt ea quæ reges secundum iustitiam debent facere, sed ea quæ solent facere per violentiam, & insolentiam; quæ Samuel enumerauit diligentissimè, vt populum à petitione regis deterreret. Hęc est explicatio sanctorum Patrum, Hieronymi, & Cypriani.

Ad primū. Hieron. Cypria. Ad secundū ¶ Ad secundum testimonium dicendum est, quòd in eo testimonio potiùs condēnatur ratio dominandi & imperandi gentilium, quàm approbetur; à qua voluit Christus suos maximè abhorrere.

Ad tertium ¶ Ad tertium dicendum, quòd reges non eo sensu vocantur domini, vt subditi sint serui; Reges enim non imperant seruis, sed liberis; sed vocantur domini, quia imperant dominatione politica, & ciuili, non despotica, qua dominantur seruis.

Ad vltimū. ¶ Ad vltimum dicendum, quòd quamuis principes haberent plenum dominium in eos quos bello ceperunt, non est consequens quòd habeant plenum dominium in populos, quos bello non subegerunt, ex quorum potiùs consensu & electione reges imperant, & principatum tenent.

no. Ad confir. ¶ Ad confirmationem, & ad autoritatem Aristotelis dicendum, quòd loquitur de hominibus barbaris, qui more ferarum oberrant, & nulla fœdera seruant, sed rapiunt aliena: & huiusmodi quidem principes possunt vi armata in ordinem redigere, & in seruitutem cogere. Sed hæc solutio in magnam nos induceret quæstionem; vtrùm reges nostri possint bona Indorum in proprios vsus conuertere pro sua voluntate. Ratio quærendi est duplex; tum, quia sunt bello capti; tum, quia sunt barbari, & indomiti: sed de hac quæstione alio in loco commodiùs inuestigabitur.

ARTIC. TERTIVS.

¶ *Vtrùm cuiuslibet ratio sit factiua legis.*

SVMMA TEXTVS.

Oncluſio eſt. Condere legem vel pertinet ad totam multitudinem, vel ad perſonam publicam quæ totius multitudinis curam habet. Concluſio.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Roȸatio concluſionis eſt huiuſmodi. Lex præcipuè reſpicit bonum cō mune, vt dictum eſt, & ad illud tanquam ad finem ordinatur: ſed ordinare aliquid in commune bonum, ſpectat ad totam multitudinem, vel ad eum qui totius multitudinis curam gerit: ergo condere legem pertinet ad multitudinem, vel ad eum qui multitudinis curam gerit. ¶ Nihilominus contra prædictam concluſionem opponimus. Principiò, Argu. prim. Chriſtus Dominus, & Summus Pontifex, eius vicarius omni dubio procùl habent autoritatem condendi leges; at non ſunt reſpublicæ, neque habent vicem reipublicę: Chriſtus enim à Deo habet autoritatem condendi leges, & Sūmus Pontifex à Chriſto Domino: ergo ſententia Diui Thomæ falſum dicit. ¶ Deinde, patreſ- Secundum. familiàs habent autoritatem condēdi leges, quibus, qui ſunt ex familia, parēre tenentur. Inſuper, magnates regni habent autoritatem leges inſtituendi; atque adeò ſenatus ciuitatum condunt leges: ſed & Abbatiſſæ in ſuis monaſterijs præcepta inſtituere poſſunt: & vota præcedentium in populis obligant ſucceſſores; vt votum de ſeruādo aliquo die feſto, quod populus Deo nuncupauit, haud dubiè obligat ſucceſſores. Porrò vniuerſæ perſonæ prædictæ nec ſunt reſpublicæ, neque habēt autoritatem reipublicę. ¶ Tertiò, par in parem non habet autoritatem, Tertium. vt eſt in prouerbio: ſed reſpublica non eſt ſuperior ſeipſa: ergo non poteſt leges ſibi inſtituere. ¶ Poſtremò, ſi ex conſenſu multitudinis depen Quartum. det legis obligatio, conſequens eſt, quòd ſi reſpublica legem non acceptaret, vim obligandi non haberet: hoc autem aſſerere, eſt inuertere vniuerſam rempublicam, & perturbare, & introducere popularem & vulgi gubernationem. ¶ Ad huius rei expoſitionem, & argumentorum confutationem ſciendum eſt, quòd condere leges contingit dupliciter: Vno modo, pro

Cõdere leges bifariã contingit.

pro eo quod est ordinare, & dictare substantiam legis: atqui hoc modo ad viros prudentes spectat, quorum consilio & opera principes vtuntur ad deliberandum, an lex sit instituenda, & quomodo, & quo ordine promulgãda. Altero modo sumitur pro eo quod est publicè proponere leges obseruandas, & eas edicere: & hoc est officium publicæ potestatis. Illud etiam est animaduertendum, quòd dirigere, & ordinare in commune bonum, potest fieri bifariam. Tum ex intentione operantis, consulendo, admonendo; & hoc pacto dirigere in commune bonum cuique priuatæ personæ conuenire potest: nam cuique est insitus naturalis amor patriæ, vt dicit Cicero libro primo de legibus, vt plus velit commune bonum, quàm proprium. Alio modo contingit dirigere in commune bonum efficaciter, sic vt possit efficaciter ordinare omnia media quæ ad custodiam communis boni sunt necessaria: & hoc pacto ordinare in bonum commune, dumtaxat est officium publicæ autoritatis. Vltimò aduertendum est, quòd habere curam reipublicæ duobus modis euenire potest: Primo, quando quis commissam & iunctam ab ipsa republica habet; sicuti respublicæ gubernationis causa se regibus tradiderunt: Alio modo euenit quòd habeat curam reipublicæ ab altiori potestate commissam, sicuti Christus Dominus, in quantum homo, habet à Deo autoritatem in omnem Ecclesiã, vt patet ex Psal. 2. Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion, &c. Christus verò hac autoritate fungens instituit Petrum, & Romanum Pontificem in Vicarium; non quòd sit Vicarius reipublicæ, aut Ecclesiæ, sed vicarius Christi & Dei. Quãdo ergo dicit Diuus Thomas, quòd condere leges pertinet ad eum qui habet curam reipublicæ, intelligendus est, altero istorum modorum. Et sic confutatur primum argumentum. ¶ Ad secundum argumentum de præceptis parentum dicendum est primò, quòd præcepta parentum eo modo obligant, sicuti leges: nam sicut præcipitur obedire præpositis, sic iubetur obedire parentibus, vt patet ex illo; Filij obedite parentibus vestris. ad Ephes. capitulo sexto. & ad Colossen. 3. Si igitur culpa est non obedire præpositis, & culpa erit non obedire parentibus. Vnde inter scelera in quæ Deus permisit gentes incidere, numeratur parentibus non obedire. Sed obseruandum est, quòd non semper sunt inobedientes filij si non faciant parentum voluntatem, sicut religiosi non sunt inobedientes continuò atque non faciunt prælati voluntatem; sed duntaxat quando non obseruant prælati præceptum. Ex hoc sequitur, quòd vt filij dicantur inobedientes, oportet quòd parentes iniungant per modum præcepti, exigendo debitum obedientiæ paternæ. Vltimò dicendum est, quòd præcepta parentum non sunt verè leges: tum ex eo, quia non diriguntur in commune bonum, sed in bonum familiæ particulare: tum verò & potissimè, quoniam parentes non habent vim coactiuam, & coërcitiuam: licèt enim parentes possint infligere leues pœnas, non tamen possunt seuerè & grauiter animaduertere in familiam. Ex his intelligitur facilè, quomodo obligent præcepta virorum vxores proprias. Et idem iudicium est de præceptis Magnatum in suis oppidis, & de statutis Senatorum in ciuitate, & de mandatis Abbatissarum in suis monasterijs. Dicendum namque est, quòd omnia hæc præcepta obligant coram Deo, at leges non sunt, propter rationes commemoratas. Vtrùm verò Abbatissæ habeant iurisdictionem & officium spirituale, cuius ratione & potestate possint ponere præcepta more prælatorum in religionibus, alia quæstio est, quàm explicant Doctores in quarto in materia de clauibus: & Pater Soto in distinctione vigesima, quæstione prima, articulo quarto. Ad illud verò quod inquiritur, vtrùm quando populus facit votum seruandi festum, obligatio transeat ad posteros; respondent Theologi summa consensione neganter: tum, quoniam obligatio voti est onus personale, sicuti obligatio persoluendi officium horarium, & suscipiendi sacramenta: & ideò non transit in tertiam personam: Tum deinde, quoniam votum est actus voluntatis, quo homo se, & omnia sua in Deum refert: & sicuti matrimonium sine consensu propriæ voluntatis instituì non potest, sic nec votum nuncupari valet: & ideò quando pater voto promisit se præsentaturũ filium in templo, ex vinculo voti tenetur illud adimplere filius tantummodo ex obedientia paterna; itaque illa obligatio non transit in posteros ratione voti; potest tamen transire ratione statuti, vel consuetudinis: de quo diligentiùs in materia de voto edisserendum est. Sed iam operæpretium est dissoluere alia duo argumẽta inducta ad probandum, quòd respublica non possit leges statuere. ¶ Ad primum dicendũ, quòd potestas gubernatiua, & legislatiua à Domino Deo est, secundũ illud; Nõ est potestas nisi à Deo: &, Per me reges regnãt, &c. Atqui hac autoritate resp. potest leges instituere, quę omnẽ multitudinẽ obligẽt: hæc eñ autoritas superior est, & planè diuina.

Soluuntur argumẽta. Ad secũdũ.

Ephes. 6. & Coloss. 3.

Roma. 1.

Cicero.

Psal. 2.

Vxores quæ liter obedire teneãtur viris.

Soto.

Obligatio voti in tertiam personam non transit.

Vt filij inobedientes dicãtur qd requiratur.

Ad aliaduo argumẽta.

Ad primũ.

Roma. 13. Prouer. 8.

Ad secũdũ. ¶Ad secundum dicendum, quòd lex diuina non requirit consensum multitudinis, & populorum vt obliget: nam lex diuina obligat vniuersos homines, etiam inuitos. Deinde dicendum est, quòd lex Ecclesiastica non requirit consensum reipublicæ vt habeat vim obligandi: nam potestas Ecclesiastica non est à republica, nec pendet ex ea. Certè si multitudo populi Christiani posset acceptare, & non acceptare leges Ecclesiasticas, superior esset Summo Pontifice. Ex quo intelligitur, in quanto errore versantur qui affirmant leges Pontificias non obligare donec à populo acceptentur. Illud etiam dicendum est pro argumenti confutatione, quòd quando respublica transtulit omnem suam potestatem in Principem, tum ad leges condendas, tum ad omnem rationem gubernandi; si multitudo non acceptet leges ab eo institutas, irrogatur illi grauis iniuria: nam princeps habet autoritatem supra rempublicam coërcitiuam, & punitiuam, & ideo potest obligare populum, etiam inuitum. Verum tamen est, quòd si in principio, siue iure, siue iniuria, lex non est acceptata, deinceps vim legis non habet: scribit enim Augustinus; Leges instituuntur, cùm promulgantur; firmantur, cùm moribus vtentium comprobantur: vnde firmæ non sunt, nisi more confirmentur. Aliam huius rei rationem adhibet Gratianus in eodem loco. Nam si consuetudo habet tantam vim vt antiquam legem abrogare valeat, multò magis poterit in principio obstare ne vim habeat obligandi, sed est necessarium vt obsistatur ab omnibus, vel à pluribus, & non satis est quòd à paucioribus. Vltimò dicendum est, quòd si legislatores dissimulant videntes legis præuaricationem, & inobedientiam, iam non habet vim legis. Huius generis est lex pronunciata in Concilio Lateranensi, Sessione nona, decret. 9. quòd clerici non persoluentes diuinum officium, teneantur pro rata fructus iam perceptos restituere: hæc lex non fuit in Ecclesia acceptata, neque in consuetudinem ducta; & ideò non habet vim obligandi; sic docet Soto libro decimo de Iustitia, quæstione quinta, articulo sexto. Tenentur tamen restituere de fructibus iam perceptis ad arbitrium viri prudentis & sapientis.

Aug. & habetur ca. in istis. dist. 4.

Gratianus.

Cõci. Late.

Soto.

ARTIC. QVARTVS.

¶ Vtrùm promulgatio sit de ratione legis?

SVMMA TEXTVS.

Concluſio.

Concluſio est affirmans, quæ probatur in primis. Nam dicitur in decret. distinctione. 4. quòd leges instituuntur cùm promulgantur. Deinde, lex est regula humanarum operationum: sed regula, nisi applicetur ad mensurandum, vana est & inutilis: applicatur autem per promulgationem, & communem notitiam: ergo vt lex obliget, requiritur promulgatio. Et sic ex doctrina huius articuli & præcedentium colligitur legis definitio, quæ sic habet. Lex est quædam rationis ordinatio ad bonum commune, ab eo qui curam cõmunitatis habet promulgata.

Legis definitio.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Argumẽta contra conclusionem.

Concluſio huius articuli non habet paruam dubitationem. Nam certè videtur quòd lex non requirat promulgationem vt habeat vim obligandi: idque ostenditur de lege diuina, & deinceps de lege humana. In primis, lex diuina, quæ præcipit baptismi necessitatem, obligat omnes homines, cum tamen non omnibus sit promulgata: sunt enim multi infideles qui nihil prorsus audierunt de Euangelio, qui lege baptismi tenentur; excusantur tamen ex ignorantia inuincibili. ¶ Deinde, lex quæ vetat ne repudium fiat vxoris legitimæ, obligat vniuersos: vnde repudium si inter gentes fuit celebratum, pro inualido habetur. Cuius rei argumentum euidentissimum est, quòd si ad nostram religionem conuertantur, ad primam vxorem iam repudiatam redire coguntur. ¶ Præterea, lex de vnica vxore habenda obligat omnes homines, etiam eos quibus non est promulgata. Quod patet eodem prorsus argumento, quod superiùs est commemoratum: nam si infideles qui nihil audierunt de Euangelio, conuertantur ad religionem nostram, ad vnam & primam vxorem redire iubentur.

Primũ arg. de lege diuina.

¶ Iam verò lex diuina reuocatoria habet vim obligandi

obligandi prius quàm promulgetur. Quod ostendo esse verum argumento deducto ex fide nostra irrefragabili. Nam lex vetus, & omnia legalia mortua sunt, & reuocata statim post mortem Christi; & obligatio circuncisionis, & vniuersæ legis Mosaicæ cessauit antequam discipuli Christi Euãgelium promulgauerint. ¶ Vt verò momentum & pondus huius argumenti elucidetur, sciendum est, quòd inter Diuum Hieronymum, & Augusti num ingens olim concertatio fuit de cessatione legalium, vt testantur Epistolæ aliquot vltrò citroque missæ. Diuus Augustinus distinxit triplicem temporis differentiam; vt legalia ante Euangelium fuerint viua, mox à morte Christi mortua quidem, sed non mortifera. Demum Euangelio diuulgato, eadem omnibus fuerint mortifera, tam Iudæis, quàm gentibus. Diuus Hieronymus duplicem tantùm faciens temporis differentiam; alteram, ante mortem Christi; alteram, post mortem Christi, prorsus contendit à morte Christi, per quam facta est legis impletio, legis ceremonias non solùm mortuas, sed & mortiferas fuisse. Ex quibus facilè intelligitur, quòd licèt prædicti patres & proceres Ecclesiæ in aliquo differant, in hoc tamen rectissimè consentiũt, quòd statim post mortem Christi lex vetus & mortua fuerit, & reuocata. Et hæc est veritas fidei diuinæ, & irrefragabilis, de qua ediffereretur copiosiùs in sequentibus, cùm de cessatione legalium actum fuerit. ¶ Ex hac veritate sic eruitur argumentum. Lex diuina reuocatoria habuit vim obligandi statim à morte Christi, priusquã Euangelium promulgaretur: ergo lex vt habeat effectum suum & vim obligandi, non requirit promulgationem.

Hieron. & Augustini discordia.

Lex vetus post mortẽ Christi abolita.

¶ Hoc idẽ ostẽditur esse verũ de lege humana. Nam si Romæ reuocaretur ista lex, quæ vetat ne quis percutiat clericum sub sententia excommunicationis, & in populis reipublicæ Christianæ non promulgaretur; percutiens clericum non esset excommunicatus; quòd si celebraret, non efficeretur irregularis, quamuis ipse ex ignorantia existimaret se esse excommunicatum. Hæc argumenta probant, promulgationem non esse necessariam vt lex habeat vim obligandi.

Secundum argumẽtũ de lege humana.

¶ Sed alia argumenta non omnino inualida probare videntur, non satis esse quòd lex publicè proponatur, sed esse necessarium quòd singulis promulgetur, & nota fiat. Nam lex est regula quædam: regula verò si ignota sit, vana est, & inutilis: ergo vt sit regula vniuersalis, oportet vt omnibus nota sit. ¶ Deinde, exẽplum legum humanarum ex lege naturali sumendum esse videtur, quæ est lex verissima, & præcipua: sed lex naturalis omnibus & singulis innotescit per lumen rationis naturalis (de quo quidam interpretantur illud; Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum & illud; Signatum est super nos lumen vultus tui Domine) vnde videtur, quòd vt leges humanæ habeant vim obligãdi, oportet omnino quòd omnibus & singulis innotescant.

Alia argumẽta & lex singulis promulgari debeat.

Primũ arg.

Secundum

Ioan. 1.

Psal. 4.

¶ Præter hæc argumenta quæ fiunt contra cõclusionem Diui Thomæ, est alia obiectio. Nam non videtur planè explicare Diuus Thomas, num promulgatio sit de ratione legis: nam licèt percontatus fuerit in articulo hoc ipsum, respondendo tamen solùm dicit, quòd lex sine promulgatione non habet vim obligandi. Et suadetur quòd promulgatio non sit de ratione legis. Nam promulgatio legis tantùm est applicatio regulæ ad mensurandum, vt docet Diuus Thomas in articulo: sed applicatio regulæ non est de ratione regulæ, sed est tantùm conditio requisita ad mensurandum. Certè promulgatio nihil aliud videtur esse quàm notitia legis: sed quòd lex innotescat, non est de ratione legis: ergo promulgatio non est de ratione legis. Ad huius rei expositionem sequentes conclusiones sunt obseruandæ.

Alia obiectio contra conclusionem.

Vtrùm promulgatio sit de ratione legis.

¶ Prima conclusio. Nisi lex sit sufficienter promulgata, non habet vim legis. Hæc conclusio patet in primis in lege naturali, quæ omnibus hominibus est sufficienter promulgata per lumen rationis naturalis, de quo scriptum est; Signatum est super nos lumen vultus tui Domine. Secundò hoc manifestatur ex lege diuina veteri. Nam post illa generalia decem verba, quæ sunt mandata decalogi, subdit scriptura; Populus videbat voces & flammas, montemque fumantem; ad insinuandam legis manifestationem. Item probatur ex lege noua: nam quando lex Euãgelica cœpit promulgari; Factus est repentè de cœlo sonus; & rursus; Conuenit multitudo, & mente confusa est, & erant ibi de omni natione gentiũ; vt insinuaret maximam manifestationẽ, quæ in huius legis promulgatione inuenta est. Eadem veritas declaratur exemplo autoris naturæ, qui fecit luminaria in firmamento cœli, non solùm hominibus, sed brutis, in signa & tempora, & ideo adeò manifesta illa omnibus proposuit. Hoc idem docet Iustinianus dicens; Leges sacratissimæ quæ constringunt hominum vitas, intelligi ab hominibus debent: & ratio est euidens; quia cùm lex sit regula, & habeat vim directiuam, si in secreto poneretur, esset laqueus impositus hominibus, & non regula ad operandum. Deinde, lex (vt

Prima cõc. Si lex non sufficiẽter promulgatur, non habet rationẽ legis.

Psal 4.

Exod. 20.

Act. 2.

Iustinia. l. leges sacratissimæ. C. de legibus & const. & c. 1. de postula. prælato. & ca. cognoscentes de cõstitu.

antea dictum eſt) eſt quoddam præceptum: Præceptum verò intelligi nequit, niſi is qui præcipit manifeſtet, & intimet: Dominus enim non præcipit ex eo quòd apud ſe ſe ſtatuit aliquid faciendum, vel non faciendum, ſed oportet quòd intimando, & iubendo præcipiat. Euidens ergo eſt eſſe neceſſariam promulgationem vt lex habeat vim obligandi. Sed quæ, & quáta ſit neceſſaria, explicare difficile eſt.

Secúda cō. Quæ promulgatio requiratur ad legem.

¶ Secunda concluſio. Vt lex habeat vim obligandi, non eſt ſufficiens promulgatio vt in curia, aut in ciuitate regia promulgetur. Hæc concluſio eſt de conſenſu omnium Theologorũ, & probatur ex authentico quod incipit; Vt factæ nouæ cõſtitutiones: vbi cauetur, quòd conſtitutiones nouè factæ non valeant niſi poſt duos menſes elapſos à die quo ſunt pronuntiatæ. Et ratio ſuffragatur: Nam lex vt eſt regula quædã vniuerſalis ad omnes pertinens, ita oportet quòd generaliter proponatur, & non in aliquo certo loco: nam ſi in aliquo certo loco proponitur, non eſt credibile quòd poſsit ad notitiam eorum, qui in abditiſsimis regnis commorantur, peruenire.

De lege Põtificia.

¶ Sed quæritur; Vtrùm ſit idem iudicium de legibus à Romano Pontifice conſtitutis: erit ne ſatis ad legis Pontificiæ promulgationem vt Romæ publicè proponatur? Syluester, & Panormitanus tenẽt hoc ſufficere. Caietanus in hoc articulo tenet contrarium, cui ſubſcribit Soto libro. 1. de iuſtitia q. 1. artic. 4. & mouentur iſta ratione. Nam Imperium Summi Pontificis tam latè patet ſicut Imperium Regis, & multo ampliùs; & leges eius nõ ſunt minus vniuerſales: non eſt ergo cauſa quare leges Regis non ſatis ſit vt promulgentur in curia tantùm, & leges Pontificiæ habeant vim obligandi, ſi in curia Romana proponantur.

Syluc. verbo lex §. 16. Panor. c. nouerit de ſenẽtia excõ. Caieta. Soto.

Tertia cõc.

¶ Tertia concluſio. Vt lex ſufficiẽter promulgata cenſeatur, non eſt neceſſe vt ad ſingulorum notitiam perueniat. Hæc cõcluſio definita eſt in authentico ſuprà cõmemorato & in ea. 1. de poſtula. prælat. vbi ſic habetur; Quando lex publicè edicitur, non eſt neceſſarium quòd per ſpeciale mandatum ſingulorum auribus inculcetur; & ratio eſt aperta. Nã ſi hæc promulgatio eſſet neceſſaria vt lex haberet vim obligandi, nulla lex obligaret; ſiquidem effici nõ poteſt, quòd in tot regnis, & prouincijs, & millibus hominum aliquis legem non ignoret. Idem comprobatur ex vſu reipub. Nuſquam enim cõſuetum eſt in repub. quòd lex ſingulis hominibus promulgetur. Sed vt hoc meliùs intelligatur, obſeruandũ eſt, quòd quando ſubditi ignorant inuincibiliter legem promulgatam, excuſantur à culpa trãſgreſsionis. Hoc verum eſt in vniuerſum; ſiue quantum ad tempus, ſiue quantum ad perſonas, ſiue quantum ad leges. Quantum ad tempus, ſiue præceſſerit promulgatio ante multos dies, ſiue ante multos annos. Quantum ad perſonas, ſiue ſit ruſtica perſona, ſiue literata, ſi ignorat inuincibiliter legem, ab eius tranſgreſsione excuſatur, quantum ad leges, ſiue ſit lex naturalis, ſiue diuina, ſiue humana. Sed eſt differentia, quòd lex diuina naturalis per quàm raro ignoratur inuincibiliter: lex verò humana frequentiſsimè. Hoc autem intelligendum eſt cum duplici limitatione. Prior eſt, quantum ad forum animæ; ſecus eſt quantum ad forum externum, & contentioſum ex iuris præſumptione. Poſterior limitatio eſt, vt hoc ſit intelligendum, quantum ad obligationem culpæ, non quantum ad alios effectus legis. Vnde ſi aliquis contraxiſſet matrimonium cum conſanguinea in gradu prohibito, ignorans inuincibiliter legem, immunis eſt à culpa: verùm quantum ad alios effectus liber non eſt: etenim matrimonium illud eſt irritum, & inualidum, & ſeparandi ſunt. ¶ Illud etiam obſeruandum eſt, quòd ſubditi qui ignorant inuincibiliter legem, lege tenentur, & obligantur. Vnde ſequitur, non eſſe idem excuſari à legis impletione, & per legem non obligari. Nam ſi quis ignoret inuincibiliter res inuentas, domino non eſſe reſtituendas, excuſatur à culpa per ignorantiam inuincibilem: cæterùm lege naturali & diuina tenetur reſtituere. Idem eſt iudicium de lege baptiſmi. Certè hæc lex obligat omnes, quamuis qui nihil audierunt de Euangelio excuſentur ignorantia inuincibili. Ratio huius eſt: nam virtus obligandi ab ipſa lege dependet; non à notitia ſubditi: ergo ſi eſt ſufficienter propoſita obligat omnes, licèt quidam ciuium ignorẽt. Iuriſcõſulti aliqui nõ indocti oppoſitũ habẽt, vt Panormitanus, Ioannes Andreas, & Baldus: arbitrantur enim idem eſſe omnino excuſari à tranſgreſsionis culpa, & per legem non obligari. Quibus videtur conſentire Caietanus in hoc articulo ad ſecundum dicens, quòd lex tantùm obligat, quando peruenit ad notitiam eorum ad quos lex pertinet, vel per eos ſteterit quò minus perueniat: ſed certè noſtra ſententia eſt veriſsima, & irrefragabilis, quæ ſatis euidenter probatur ex argumentis ſuperiùs adductis. Sed adhuc demonſtratur euidentiùs. Nam illi qui ignorant inuincibiliter legem poſt eius publicam promulgationem, excuſantur à legis tranſgreſsione: ergo lege tenentur: nemo enim excuſatur ab eo ad quod non tenetur. Deinde, ſi poſt legis ſufficientem promulgationẽ homo fide dignus efficiat alium certiorẽ qui ignorat inuincibiliter,

Duplex limitatio.

Panormi. & Ioannes Andræas in ca. cognoſcentes, de conſtitu. Bald. in lege leges ſacratiſsimæ C de legi. Caieta.

cibiliter, certè talis sua asseueratione nullam legem imponit: at tunc lege tenetur, postquã legem cognouit: ergo antea tenebatur. Sed dices, quem effectum habet hæc obligatio legis in illis qui ignorant eam inuincibiliter, siquidem liberantur à culpa, & à pœna atque si legem non haberent? Respondetur, licet hæc obligatio non inducat culpam, nec pœnam, inducit tamẽ multos alios effectus: nam si est lex irritans & rescindens aliquos contractus, si post sufficientem legis promulgationem aliquis ignorans legem inuincibiliter, celebret & instituat huiusmodi contractus, excusatur quidem à legis transgressione propter inculpabilem ignorantiam, sed contractus non valuit;

Exempla notanda.

Sit in exemplum lex quæ vetat matrimonia clãdestina, & ea celebrata nulla esse decernit. si quis post legem istam satis promulgatã contrahat matrimonium clandestinum, ignorans inuincibiliter legem, excusatur à culpa, sed matrimonium non valuit. Idem iudicium est de donatione facta à nouitio in religione ante duos menses professionis: nam si quis existimaret bona fide & ignorantia inculpabili donationem fuisse validam, non peccaret eam acceptando; cęterùm donatio irrita fuit & inualida; quapropter continuò atque resciuerit tenetur id quod donatum est domino vero restituere. Item sint in exemplum leges quæ decernunt & taxant rerum venalium pretia; si quispiam ignorans leges inuincibiliter, vẽdat res auctiori & maiori pretio, liberatur à culpa propter ignorantiam inculpabilem, sed tenetur restituere illud quod plus iusto accepit. Huius generis sunt leges quæ reuocant consuetudines, & leges antiquas, & priuilegia, si quis post sufficientem promulgationem vtitur priuilegijs antiquis ex ignorantia inculpabili, nõ peccat, sed effectꝰ nõ subsequitur. v. g.

Cõci. Trid.

in Cõcilio Tridẽtino reuocatũ est priuilegiũ & consuetudo vt clericus alteri possit confiteri sacerdoti, tametsi non esset expositus: certè siquis clericus ignorans inuincibiliter huius legis promulgationem & reuocationem, audit confessiones alterius, à culpa quidem excusatur, sed confessio inualida est, & ideo iteranda. Ex his duo patent. Vnum est, nõ esse idem excusari à legis transgressione, & per legem non obligari: Alterum est, quòd vt lex habeat vim obligandi non est necesse quòd veniat in

Quarta cõ.

notitiam omnium & singulorum. ¶ Quarta conclusio. Sufficiens promulgatio vt subditi peccent est, quòd veniat in eorum notitiam, vel per eos steterit quò minùs deueniat. & ita

Caieta.

est intelligendus Caietanus hîc. Nam si non est notitia legis ad hunc modum explicata, non est voluntaria transgressio legis: ignorantia enim causat inuoluntarium: ergo non est peccatum. Peccatum enim adeò est voluntarium, quòd si non est voluntarium, peccatum non est. ¶ Quinta conclusio. Leges tunc & nõ antè sunt sufficienter promulgatæ, quando sic propositæ sunt, vt moraliter loquendo in omnium notitiam deuenire valeant. Quòd tunc sint sufficienter promulgatæ, patet sine probatione: quòd verò non antea, patet. Nam absurdum videtur vt lex aliqua censeatur pro sufficienter promulgata, quando eius notitia haberi non potest moraliter. Secundo, quando lex est satis promulgata, si quis alleget in suum patrocinium se nescire legem, ius non admittit eius excusationem: nam non præsumit legem ab aliquo ignorari. Ergo secũdùm ius, hæc est sufficiens promulgatio, quãdo sic proponitur, vt moraliter loquendo ad notitiã peruenire valeat; alioqui non præsumeret ius à nemine posse ignorari. ¶ Quòd si quis dicat; Quid oportet fieri vt moraliter loquẽdo ad notitiam omnium peruenire valeat? Respõdetur, quòd de hoc vna certa regula constitui non potest, sed pro ratione legis, & pro amplitudine regnorum, & prouinciarum debet proponi ad arbitrium viri prudentis. In lege ciuili videtur esse necessarium quòd proponatur in insignioribus regni locis, & iuxta hanc formam præcipitur in illo authẽtico supra dicto, quòd lex Imperatoria proponatur in omnibus prouincijs, & quòd post istam promulgationem non valeat vsque ad duos menses ela psos, vt in hoc temporis spatio ad notitiã omnium peruenire valeat. In lege verò Pontificia necessarium videtur quòd proponatur per vniuersas diœceses; & si lex fuerit multum necessaria, & irritans contractus qui in republica solent celebrari, maior adhibenda est diligentia. Quod consultissimè fecerunt Patres in Concilio Tridentino in lege irritante matrimonia clandestina: præceptum namque est, quòd hæc lex non solùm per diœceses vniuersas, sed etiam per parochias vniuersas proponeretur; & quòd non valeret nisi post triginta dies à promulgatione. ¶ Ex his sequuntur quædam documenta maximè obseruanda. Primò sequitur, promulgationem legis sufficientem non fieri in instanti, aut in paruo tempore, sed in temporis spatio quo possit ad notitiam omnium deuenire. Secundò sequitur, posse accidere quòd lex sit sufficienter promulgata respectu quorundam, & respectu aliorum non sit satis proposita. Tertiò sequitur, posse accidere quòd lex sit sufficienter promulgata, & quòd aliquis ignoret eam; vel quia non adhibuit diligentiam; vel ex ignorantia inculpabili. Sequitur vltimò,

Quinta cõ. Quando leges sint sufficiẽter promulgatæ.

Quid oporteat fieri vt lex ad omnium notitiam perueniat.

Cõcil. Trid. Sess. 24. c. 1. de reform.

Documẽta notanda.

quòd licèt ego sciam euidèter sanctiones Regias esse Matriti promulgatas, non teneor donec fiat promulgatio per ciuitates, & oppida, sicut habet cósuetudo. Et idé iudiciú est de lege quæ reuocat priuilegia. Nã si ego scio Matriti esse legé promulgatã, vel Bullã quę reuocat priuilegiú de ouis comedendis, & de confessore eligẽdo, si ego Salmanticæ habito, pos sum vti antiquis priuilegijs, donec sit promulgata mihi per ciuitates, aut oppida, etiã parua, sicut habet consuetudo. Ex his patet, quomodo vt lex habeat vim obligãdi, requiratur promulgatio; & quæ, & quãta sit necessaria. ¶ Ad argumenta in contrarium, ad primum dicendum, quòd lex diuina, tum de baptismo, tum de repudio non faciendo, tum etiã de vnica vxore, obligat omnes: nam de se satis est promulgata. Cum hoc tamen rectè coniungitur, quòd aliqui, qui nihil audierunt de Euãgelio, excusentur ab eo ignorãtia inuincibili, sicut suprà dictum est. Secundò dico, & est notãda solutio, quòd aliud est iudiciú de lege reuocatoria, & aliud de lege præceptoria. Existimo enim quòd ad legé reuocatoriã nó requiritur promulgatio: imo credo quòd potest fieri per solú actum animi interiorem. Nam si Põtifex dicat apud se; nolo ampliùs meos subditos lege humana obligare; certè deinceps nó pecca rent, neque agerent cõtra legem: verum est tamen, quòd ex conscientia erronea existimarẽt se cõtra legem operari. ¶ Ad illud verò quod in eodem argumento quærebatur; vtrùm lex vetus fuerit mortua, & reuocata statim post mortẽ Christi, antequam lex Euangelica promulgaretur? Respõdetur, quòd inducit nos in magnam concertationẽ de cessatione legaliú, quæ vsque ad quæstionẽ. 103. definiri non potest: nunc quod attinet ad nostrú institutum, hic nodus dissoluendus est. Nam si lex vetus statim post mortẽ Christi reuocata fuit prius quàm lex Euangelica obligaret, & esset sufficiẽter promulgata, consequẽs est quòd in illo tempore mundus relictus sit sine lege aliqua diuina; vel quòd promulgatio nõ sit de ratione legis. Hoc argumẽtú variè dissoluũt Doctores. Certè videtur esse absurdum concedere quòd orbis sine lege diuina relictus sit: nã & si lex vetus mortua erat, iam præcesserat nouæ institutio, quam Christus prædicauerat, dum viuebat. Nó autẽ videtur absurdũ concedere, quòd orbis ex magna parte ad legé diuiná nó obligaretur propter ignorãtiam inuincibilẽ. Soto lib. 2. de iusti. q. 5. arti. 4. vt hoc inconueniens euaderet, in aliud maius incidit; dicit enim legé veterẽ non fuisse mortuã, neque extinctã vsque ad Domini resurrectionem: sed hoc maius inconueniens est, quàm admittere quòd orbis in paruo temporis spatio sine lege diuina relinqueretur. Secundò dico, quòd orbis neq; paruo quidẽ tẽpore sine lege diuina est relictus: nã statim post mortẽ Christi Apostoli tenebãtur strictissimè ad legé Euãgelicã; qui protinus eam susceperũt vt populis diuulgarẽt, iuxta illud; Suscipiant mõtes pacẽ populi, & colles iustitiã: sicuti Senatores in cõmitijs generalibus primitus leges suscipiunt. Tertiò dico, quòd gẽtes non tenebãtur ad legé Euangelicã vsque ad solemnẽ promulgationẽ. Nã vsque ad diẽ Ascensionis non fuit reuocatum illud præceptú; In viã gentiú ne abieritis; reuocatú autẽ fuit cùm dictú est discipulis; Prædicate Euangeliú omni creaturæ: & in gentibus nulla fuit lex abolita in passione Christi: nam præcepta moralia & supernaturalia immota perstiterunt. Vltimò, vt hic scrupulus penitus depellatur, dicendum est sine dubio quod lex vetus fuit mortua in passione Christi, etiam si nulla præcessisset promulgatio: nam est lex reuocatoria; & lex reuocatoria promulgationẽ non requirit, vt suprà dictú est. Item est ratio euidens: nam lex vetus ex primæua sua institutione fuit temporaria, & cõditionata: sic enim dicit Paulus; Lex propter transgressionem posita est donec veniret semen cui repromissum est: ergo stante redemptione continuò euanuit, & emortua est: sicuti si esset lex regni proposita vsque ad præfinitum tempus, elapso illo tempore cessat absque alia promulgatione. Sed de hoc diligẽtius, cùm de cessatione legalium disputatum fuerit. ¶ Ad aliud argumentú de lege humana respondetur, quòd illa lex est reuocatoria; & lex reuocatoria non requirit promulgationem: secus est de præceptoria. Ratio discriminis est: nam lex præceptoria inducit obligationem, & est regula ad mensurandos actus humanos: Reuocatoria autem tantùm abrogat. Certum autẽ est quòd legislator sua voluntate, aut suo dicto potest legem tollere: secus est de lege reuocatoria, quæ irritat contractus, & inhabiles reddit personas: nam ista lex promulgationem etiam requirit. ¶ Ad alia argumenta, quibus probabatur esse necessarium quòd lex omnibus & singulis promulgaretur, ad primú respõdetur, quòd lex, vt est quędã regula moralis, ita oportet quòd proponatur moraliter, sic vt moraliter in notitiam omnium deuenire valeat: non autem est necesse quòd in singulorum notitiam deueniat. ¶ Ad secundum respondetur, esse discrimen inter legem naturalem, & humanam: nam lex naturalis continet prima principia rerum agendarum vniuersalissima, sine quorum notione nemo hominum valet aliquid studiosè operari; & ideò est nota omnibus

Solutio argumẽtorũ. Ad primũ.

Obseruanda solutio.

Reuocatoria non requirit promulgationẽ.

Vtrũ post mortẽ Christi statim fuerit lex vetus mortua.

Soto.

Apli post mortẽ Christi statim tenẽbãtur lege Euãg.

Gala. 3.

Ad alia argumenta.

Ad primũ.

Ad secũdũ.

Ad vltimũ. nibus & perſpicua. ¶ Ad vltimum, in quo quærebatur, vtrùm promulgatio ſit de ratione legis, reſpondetur, quòd D. Thomas nó planè declarauit, an ſit de ratione legis, vt argumentum probat. Mihi tamen videtur, quòd ſit de ratione legis, & de ſubſtantia: nã ſi non eſt intimatio, certè præceptum non eſt: intimatio ergo eſt de ratione legis: & hæc intimatio non eſt applicatio; ſicut quãdo ignis applicatur ad comburendum; ſed eſt intimatio, applicatio legis, veluti præferens imperium legis. Præterea, hæc intimatio non eſt notitia legis, quæ non eſt de eſſentia legis, ſed eſt intimatio precipientis & mandantis. Ex his patet definitio vera & perfecta legis. Lex eſt ordinatio rationis, in commune bonum inſtituta, ab habente autoritatem promulgata. Hactenus de prima parte huius tractatus, ſequitur de legis diuiſione, & varietate.

Legis definitio.

QVAESTIO XCI.

De diuerſitate legum; in ſex articulos diuiſa.

ARTIC. PRIMVS.

¶ Vtrùm ſit aliqua lex æterna?

¶ Concluſio eſt aiens.

EXPLICATIO ARTICVLI.

HÆC concluſio in hunc modũ probatur: quoniam Lex nihil aliud eſt quàm dictamen practicæ rationis in Principe qui gubernat aliquam communitatem perfectam: mundus autẽ iſte diuina gubernatur prouidentia; vnde ratio gubernationis in Deo, ſicut in quodam vniuerſitatis principe, legis rationem habet. Quoniam verò diuina ratio nihil ex tempore concipit, ſed ab æterno omnium habet conceptum, lex illa æterna erit.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ Vtrùm in nobis ſit aliqua lex naturalis.

CONcluſio eſt. Datur lex aliqua naturalis, quæ nihil aliud eſt quàm participatio legis æternæ in rationali creatura.

EXPLICATIO ARTICVLI.

PRopoſitæ concluſionis probatio ſic procedit. Cùm lex ſit regula, vel menſura, duobus modis in aliquo eſſe poteſt: Vno modo tãquam in regulante, & menſurante. Alio modo, vt in regulato, & menſurato: regulatur enim vnumquodque ſecundum rationem mẽſuræ quam participat. Cùm igitur omnia, quæ diuinę prouidentiæ ſubduntur, à lege æterna menſurentur, ac regulentur, omnia illa participabunt aliqua ratione ipſam æternam legem, quatenus ſcilicet ex illius impreſſione habent inclinationes in proprios actus, & fines. Sed tamen quoniam inter cæteras, creatura rationalis excellẽtiori quodam modo talis impreſſionis participium habet; ſibi enim & alijs prouidet ad debitum actum & finem; ideo participatio æternæ legis in rationalibus creaturis lex naturalis appellatur.

ARTIC. TERTIVS.

¶ Vtrùm ſit aliqua lex humana?

¶ Concluſio eſt affirmans.

EXPLICATIO ARTICVLI.

HAec aſſertio ita probatur. Quoniã ſicut in ſpeculatrici intellectu ex cognitione primorum principiorum medio diſcurſu cognoſcũtur varię concluſiones, ita etiam ex præceptis naturalis legis, veluti ex quibuſdam communibus principijs, & indemonſtrabilibus, oportet rationem humanam procedere ad alia quæ dã peculiariter diſponenda: quæ quidem particulares diſpoſitiones ſecundùm humanam rationem adinuentæ, leges humanæ dicuntur, obſeruatis alijs conditionibus, quas ad legis rationem pertinere dictum eſt.

ARTIC. QVARTVS.

¶ Vtrùm neceſſarium fuerit eſſe legẽ diuinam?

¶ Concluſio aiens eſt.

EXPLICATIO ARTICVLI.

QVatuor rationibus demonſtrat D. Thom. huius articuli concluſionẽ. Prior eſt; quoniam homo ordinatus eſt ad beatitudinem; ad quam, quoniam excedit proportionem facultatis humanæ, per legem ſupernaturalem & diuinam dirigi debet. Deinde, quia humanum iudiciũ incertum eſt, maximè quo ad contingentia & ſingularia: vt ergo in particulari homo agnoſcere poſſet quid ſibi agendum eſſet, quidque vitandum, oportuit eum per legem diuinam inſtrui, quæ non poteſt errorem admittere. Præterea, homo tam in motibus interioribus, quàm in exterioribus rectitudinem habere debet; & homo, cui competit legem humanam condere,

condere, non potest de motibus internis iudicium ferre: danda est ergo lex diuinâ quæ circa tales actus hominem ordinet, & rectificet.

Augusti. Tandem id manifestum est, quoniã ex D. Augustini sententia, lex humana non potest omnia, quæ malè aguntur, prohibere, quin simul bona tollantur multa: necessaria ergo lex diuina fuit quæ omnia peccata prohiberet, quandoquidem commodè per solam legem humanam auferri non poterant. Has quatuor rationes designat Proph. dum ait; Lex Domini immaculata, id est, nullam peccati turpitudinem admittens; Conuertẽs animas; quoniam non solùm actus exteriores, sed interiores dirigit; Testimonium Domini fidele; quoniã certissimum & infallibile; Sapiẽtiam præstans paruulis; quia scilicet hominem ad supernaturalem finem & diuinum ordinat.

Psal. 18.

ARTIC. QVINTVS.

¶ Vtrùm lex diuina sit vna tantùm?

SVMMA TEXTVS.

Prima con. PRima Conclusio. Lex diuina non est vna, sed distinguitur in nouã, & veterem. ¶ Secunda Secũda cõ. Conclusio. Hæ duæ leges non distinguũtur veluti duę species eiusdem generis, sicuti homo, & bos discriminantur; sed differunt sicut perfectum & imperfectum in eodem genere.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Hebræ. 7. PRiorem conclusionem ita probat D. Tho. in argumento, sed contrà. Nam (vt dicitur ad Hebræ. 7.) translato sacerdotio necessum est vt legis trãslatio fiat. Sed est duplex sacerdotium, vt ibidem dicit Paulus; scilicet Leuiticum, & sacerdotium Christi: ergo etiam erit duplex lex. Secunda autem cõclusio probatur ex illo

Galat. 3. ad Galat. 3. vbi status veteris legis comparatur statui puerili sub pædagogo; status verò legis nouæ, statui viri perfecti. Et manifesta fit conclusio ex tribus quæ ad legem pertinent, scilicet vt ordinetur ad commune bonum, vt dirigat actus humanos secundum ordinẽ iustitię, & vt inducat homines ad mandatorum obseruantiam: quæ tria perfectiùs multò inueniuntur in lege noua, quàm in veteri. Hæc namque ordinabat ad bonum cõmune sensibile, atque terrenũ, & illud proponebatur statim populo, vt patet Exod. 3. vbi inuitatur ad regnũ Chananæorũ. At lex Noua ordinat ad bonũ intelligibile, & cœleste: qua de causa Christus Dominus eius autor à regno cœlorum incepit, vt patet Matth. 4. Deinde lex vetus vt in pluri-

Exod. 3. Matth 4. mũ actus externos ordinabat: at lex noua præcipuè actibus internis ordinandis incumbit. Tandem illa ad mandata obseruanda timore pœnæ inducebat; at hæc amore procedit infuso à Spiritu sancto, qui datus est nobis. Quare optimè dixit Augustinus; Breuis est differen-

Aug. cõtra Adaman. tia legis & Euangelij, timor, & amor.

ARTIC. SEXTVS.

¶ Vtrùm detur aliqua lex fomitis?

SVMMA TEXTVS.

Prima cõc. PRima Cõclusio. Sẽsua litatis inclinatio, quæ fomes dicitur, in alijs animalibus simpliciter habet rationẽ legis, eo pacto quo in talibus lex dici potest. ¶ Secun-

Secunda. da Conclusio. Fomes in hominibus non habet rationem legis, sed potiùs est deuiatio à rationis lege.

EXPLICATIO ARTICVLI.

PRior conclusio ad hunc modum probatur. In alijs animalibus inuenitur sensualitatis inclinatio directè: ergo simpliciter habet vim legis; quoniam omnis ordinatio, & inclinatio inuenta in his quæ legi subijciũtur, lex participatione dicitur. Secunda verò conclusio probatur. Talis sensualitatis inclinatio cõuenit homini secundum quòd à diuina iustitia destituitur originalis iustitię dono, & vigore rationis: ergo non competit ei ex sua prima institutione, in qua tanquam legem fortitus est diuina ordinatione, vt secundum rationẽ operaretur: habet ergo vim legis talis impetus, prout est pœnalis ex diuina lege, consequens hominem propria dignitate destitutũ.

LATIOR EXPLICATIO QVAESTIONIS.

HÆC quæstio breuis est, & facilis. Vt igitur sententiam D. Tho. breuiter habeamus, notandum, quòd quatuor in vniuersum

Quatuor leges. sunt leges tantùm: Lex æterna, naturalis, humana, & diuina. Lex æterna est ratio diuinæ

AEterna. prouidentiæ, qua cuncta gubernantur, & re-

guntur:

guntur: quæ quoniam in Deo ab æterno est, lex æterna nominatur; quam Platonici, Numen, appellant, cuius arbitrio omnia regũtur.

Naturalis. Secunda est Lex Naturalis, quæ est impressio legis æternæ, nostris animis indita, & inscripta. Et appellatur Lex Naturalis; tum, quoniã à natura indita est, tum verò, quoniam in finem naturalem dirigit. quam Paulus appellat legem mentis; aliquãdo internum hominem.

Paulus.

Humana. Tertia est Lex Humana, quæ ex hac naturali, & indita per rationes & syllogismos collecta est. Et vocatur Humana, quia humano ingenio inuenta est. Rursus appellatur Ciuilis; quoniam instituta & destinata est in bonum ciuium.

Diuina. Quarta est Lex Diuina, quæ est ordinatio rationis, à Deo excogitata, quæ in finem supernaturalem hominem dirigit. Quæ diuiditur in legem Veterem, & Nouam. Sed notandum, quòd sicut ex principijs suaptenatura cognitis colligitur Lex Humana & Ciuilis per ratiocinationem & syllogismum; ita ex principijs reuelatis à Deo colligitur lex Ecclesiastica. Prædictis addidit D. Thomas legem fomitis, quæ nihil aliud est quàm inclinatio potentiarum sensitiuarũ in sua obiecta: quæ potest reduci ad legem naturalem: & est à Deo directè, & indirectè. Directè, si consideretur quatenus est quædam inclinatio naturalis in propria obiecta; vniuersa enim inclinatio naturalis à Deo est. Indirectè, quatenus anteuertit rationem, & illi repugnat, hoc pacto à Deo est, tanquàm à remouente prohibens: nam Deus propter culpam primi parentis abstulit iustitiam originalem, qua ablata, potentiæ sensitiuæ inclinant contra rationem sæpenumero. Hæc est sufficiens diuisio legum, ita quòd nec sint plures, neque pauciores.

Lex fomitis quid.

Obiectiones de lege æterna. ¶Sed videtur quòd in hac diuisione triplex vitiũ cómittatur; Primũ est, quia numerantur multæ leges, quæ leges nõ sunt. Secũdũ est, q̃ prætermittũtur multæ leges, quæ veræ leges sunt. Tertiũ est, quòd numerãtur plures quàm op⁹ sit. ¶Quòd in hac diuisione numerẽtur leges, quę veræ leges nõ sunt, p̃batur. Primò, lex æterna, non est vera lex: nam omnis lex aliquibus imponitur: sed ab æterno non fuit aliquis cui lex imponeretur; solus enim Deus fuit ab æterno: ergo non est vera lex. ¶Secundò, promulgatio est de ratione legis, vt suprà dictum est: sed promulgatio non fuit ab æterno; non enim fuit cui promulgaretur: ergo non est lex æterna. ¶Vltimò, si lex ab æterno fuit; ergo ab æterno Deus fuit legislator: rursus ergo ab æterno fuit creatura cui legẽ imponeret. Gratitate huius argumenti conuicti sunt omnes Theologi, quòd Deus ab æterno non fuit Dominus, sed ex tempore: nam si ab æterno fuit Dominus, ab æterno fuit creatura cui dominaretur. ita asserit Augustinus; & Origenes vt faceret Deum Dominum ab ęterno, fecit creaturas æternas.

Primũ arg.

Secundum

Tertium.

Augu. 5. de Trini. c. 16. & 12. de ciui. c. 15. Origen. li. 1. peri ar.

¶Præterea, quòd nulla sit lex naturalis, probatur. Nam id quod est per naturam, immobile est omnino, & eandem vim habet apud omnes: ignis quoniam suapte natura calidus est, vbique calidus est. Sed nulla lex est immobilis, neque habet eandem vim apud omnes: ergo nulla lex est naturalis. Probatur minor. Nã si aliqua lex est secundum naturam, maximè, reddendum est depositum: sed hæc est variabilis: nam homini furioso non est reddendus gladius, quem habeo in depósito. ¶Secundò, lex diuina & supernaturalis est contra legem naturalem: ergo lex naturalis bona non est, quia contrariatur legi diuinæ: rursus ergo lex non est: nam quæ bona lex non est, lex nõ est. Probatur antecedens: nam lex diuina præcipit quòd diligat homo Deũ plusquàm seipsum: lex verò naturalis inclinat magis in bonũ proprium. Rursus, lex diuina præcipit quòd vitã pro Christo ponamus: lex verò naturalis inclinat vt quisque vitam suam tueatur. ¶Vltimò, lex diuina dictat vt innocens occidatur: lex naturalis vt innocens non occidatur.

De lege diuina probatur non fit necessaria. Nam in statu legis naturę poterat esse salus, vt patet: ergo non est necessaria lex diuina supernaturalis. Quòd in statu legis naturæ poterat esse salus, affirmat D. Paulus cum ait; Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt.

De lege fomitis, quòd non sit vera lex, euidentiùs demõstratur. Nam lex inclinat ad studiosam & rectam operationem: lex fomitis inclinat ad peccandum, & ideo à D. Paulo appellatur lex peccati; & in alio loco appellatur virtus peccati. Secundò, qui seruat legem & illi præstat obedientiam, non peccat: sed qui præstat obedientiam legi fomitis, peccat ergo. Ex omnibus his patet, quomodo in ista diuisione, & legum partitione numerantur multę leges, quæ veræ leges non sunt. ¶Habet etiam aliud vitium hęc diuisio, quòd prætermittuntur multæ leges. Primò, in ea non fit mentio de lege spiritus, de qua fit sermo à Paulo ad Rom. 8. Rursus non fit mentio de lege permissiua, de qua iuris prudentes multa dicunt: atque adeò non fit sermo de lege iniusta, quæ

De lege naturali.

Primũ arg.

Secundum

De lege diuina.

Roma. 1.

De lege fomitis.

Primũ arg.

Secundum

Probat q̃ multæ leges prætermittantur.

Roma. 8.

vera lex est, & verè obligat. quod sic probatur. Nam iniusta sententia verè obligat in conscientia: ergo iniusta lex verè obligat. Consequentia inde probatur. Nam sentẽtia nil aliud est quàm lex quædam particularis. Probatur antecedens: nam sententia qua condemnatur innocens, probatus nocens secundum allegata & probata, coram Deo est iniusta sentẽtia: nam fundatur in falsa præsumptione, & allegatione: at innocens tenetur illi obedire, vt
D. Tho. demonstrat D. Thomas in. 2. 2. q. 67. articu. 2. Deinde, excommunicatio iniusta obligat in
D. Tho. conscientia, vt videtur docere D. Tho. in addition. q. 21. articu. vltimo; Et in hoc casu vera
Gregor. est illa sententia Gregorij; Sententia Pastoris, siue iusta, siue iniusta, semper timenda est. Vltimò id probatur euidẽtiùs: nam si Episcopus per magnam iniustitiam priuet aliquem suo beneficio, & illud conferat alteri, collatio tenet, & valida est. Ex his argumentis constat, quomodo in ista diuisione multæ leges prætermittantur.

Prob. quòd numerẽtur plures leges quam opus sit. ¶ Tertium vitium habet hæc diuisio. Nam numerantur plures leges quàm opus sit. Omnis enim lex, æterna est: ergo superfluè aliæ leges numerantur. Probatur antecedẽs: nam D. Aug. 22. cõ tra Faustum ca. 27. Augustinus definit peccatum sic; quòd sit dictũ, vel factum, vel cõcupitum contra legem Dei æternam. Vniuersum ergo peccatum quod fit contra legem, est contra legem Dei æternam; & sic omnis lex est æterna. Vltimò, lex diuina supernaturalis sine dubio æterna est: nam lex diuina est iudicium, siue dictamen diuinum. Sed iudicium diuinum non mutatur, nec est de nouo: quicquid enim Deus iudicat, ab æterno iudicauit. Ergo malè diuiditur contra legẽ
Leges tantùm quatuor. æternam. ¶ His argumentis non obstantibus, veritas est, quòd tantùm sunt quatuor leges; æterna, naturalis, humana, & diuina. Et quòd ita sit, probatur. Primò, ex sacra scriptura: nam
Prouer. 8. de lege æterna, quæ est diuina sapientia, dicitur; Dominus possedit me ab initio viarũ suarum, & antequam quicquam faceret, ab æterno ordinata sum: & paulò pòst; Quando ponebat legem aquis cum ipso eram cũcta componens. De lege naturali dicitur; Gentes quæ
Roma. 2. legem non habent, naturaliter quæ legis sunt
Roma. 13. faciunt. De lege humana habetur; Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: &,
Luc. 10. Qui vos audit, me audit. De lege diuina scribi-
Hiere. 31. tur; Dabo legem meam in visceribus eorum, & in cordibus eorum scribam eam. Idẽ patet optima ratione: nã lex est forma & regula qua dirigitur homo ad studiosas operationes. Vel ergo dirigitur in finem supernaturalem, & sic erit lex diuina; vel dirigitur in finem naturalẽ; & hoc potest accidere dupliciter; vel per legẽ inditam, & animis nostris inscriptã, & sic erit lex naturalis; vel per legem humano ingenio excogitatam, & sic erit lex humana. Quoniã verò omnes istæ leges à lege æterna deriuantur (ab illo namque perpetuo lumine, omne lumen quod in nobis est deriuatũ esse cognoscitur) sic ponitur lex æterna. Optima ergo est diuisio legis in quatuor differentias. ¶ Sed Aristote. 5. Ethi. c. 7. nota quòd Aristoteles tantùm diuidit ius, in naturale, & positiuum: & meritò. Nam Aristoteles non cognouit legem supernaturalem, & finem supernaturalem. De lege verò æterna non fecit mentionem; quia instituebat tãtùm disputare de legibus, quibus homines gubernantur in repub. ¶ Præterea nota, quòd iuris prudentes tantùm diuidunt ius, in naturale, & positiuum: & positiuum diuidunt, in ius gentium, & ciuile: itaque tantùm distinguunt tria iura; naturale, ius gentium, & ciuile. Iurisperiti enim tantùm loquuntur, vt Aristoteles loquitur: nos verò, qui in hac diuisione vniuersitatem legum volumus comprehendere, meritò partiti sumus leges in quatuor differentias.

Diuisio iuris, à iuris peritis facta.

Soluuntur obiectiões de lege æterna. His ita constitutis ad argumenta in oppositũ respondetur. Et in primis ad illa argumenta, quibus probabatur, magnum vitium in hac diuisione esse commissum, eò quòd numerẽtur leges, quæ veræ leges non sunt. Ad quod primo dicò, legem æternam, esse veram legem, &
Lex æterna vera lex est primariam inter omnes. Et ad primum quod
Ad primũ. fiebat in contrariũ, respõdetur quòd lex imponitur illis qui existunt in se, vel in esse cognito. Ea enim quæ in seipsis non existunt, apud Deum existunt secundum esse cognitũ,
Roma. 4. secundum illud; Qui vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt. Conceptus igitur legis æternus qui in Deo existit, quatenus ordinatur ad gubernationem creaturarum cognitarum, habet rationem legis. Secũdò dico, quòd omnes creaturæ sunt Deo præsentes in æternitate, non tantùm secundum esse cognitum, sed etiam secundum veras existentias, & naturas reales. Hoc affirmat D. Tho. 1. p. q. 14. arti.
D. Tho. 13. Quare non videtur mirum quòd Deus præcipiat aliquid in æternitate. Tertiò dico, quòd lex æterna dicitur, quia est conceptus Dei æternus; non quòd ab æterno præcipiat. ¶ Ad secũ
Ad secũdũ. dũ respõdetur, q̃ lex promulgatur tũ verbo, tum scripto: & lex æterna vtroque modo habuit promulgationem ex parte Dei: nam verbum diuinum æternum est, & liber vitæ æternus est: cæterùm ex parte creaturæ audientis & inspicientis non fuit promulgatio ab æterno. Vel dicendum, lex æterna cum sit tam perfecta, non eget promulgatione sicut leges humanæ, quia in se habet vim maximam: sicut si tantæ esset virtutis lex Regis, quòd sine promulga-

mulgatione posset regere, non esset necessaria promulgatio. Vnde ad omnia hæc argumẽta respondetur, & optimè, quòd cum lex æterna sit ipse Dei conceptus, lex dicitur analogicè de lege æterna, & alijs, sicut ens de Deo & creaturis: vnde eminentiori modo conuenit illi ratio legis. Ad hoc autem quòd ista sit vera lex, non requiritur quòd acceptetur, sed sat est secum ferre imperiũ ab æterno. Vnde optimè dicit Soto. q.2. primi de iustitia, quòd est lex ferens, non lata, non impressa, sed imprimens. ¶ Ad tertium dicendum mihi videtur, quòd potest concedi quod est legislator ab æterno. Et dico non esse eãdem rationem de domino & creatore: nã dominus dicit actualem gubernationem: creator dicit actionem transeuntem in exteriorem materiam; & ideo sine creatura intelligi non possunt: legislatio verò dicit tantùm præceptum mentis diuinæ internum, & ideo sine creatura existente intelligi potest. Secundò dico, quòd licèt lex æterna sit, non est consequés quòd legislator æternus sit (nam licèt volitio creandi æterna sit, creatio verò æterna non est) quoniam legislatio dicit quòd actu præcipiat, & promulget legem. ¶ Contra conclusionem ais: Si est legislator ab æterno; ergo superior; ergo habet inferiores; ergo Dominus. Respondetur primò, quòd non erat superior formaliter. Secundò dico, quòd erat superior, quia sibi debebatur superioritas super omnes creaturas venturas: sicut Adam quando solus erat, poterat dici superior omnibus qui erant venturi, quia illud sibi debebatur. Ratio horum est, quia hæc relatiua sunt secundum dici: vnde non requiritur quòd extrema actualiter existãt, sed quòd dicant ordinem ad ipsa; sicut ego modò dicor prior Antichristo, licèt ipse nondum fuerit. ¶ Ad alia argumenta contra legem naturalem, ad primum respondent quidam Theologi, quòd præcepta legis naturalis sunt in triplici differentia. Quædam sunt adeò immutabilia vt etiam autoritate diuina immutari non possint, vt præcepta Decalogi, nõ mẽtiẽdũ, nõ furãdũ, &c. Alia sunt præcepta quę licèt autoritate humana immutari nequeãt, autoritate tñ diuina mutari possunt, vt præceptum de insolubilitate matrimonij, & præceptum de vnica vxore habenda. Alia sunt præcepta legis naturalis, quæ immutari valent autoritate humana, vel per dispensationem, vel per ἐπιείκειαν id est, iusti & ęqui interpretationem; & in hoc numero ponitur præceptum de reddendo depósito. Sed Aristo. alio modo pergit ad soluẽdam dubitationẽ, dicés; quòd naturale ius in habente naturam penitus immutabilem, immutabile est, & semper habet eandẽ vim apud omnes: cæterùm natura humana mutabilis est, & ideo quod est naturale homini, mutationem habet. Certè æquitas naturalis postulat vt reddatur depositum, & sic semper seruandum erat, si recta semper esset natura: at quia aliquando praua est, non est reddendum depositum, ne eo abutatur ad suam prauitatem & malitiam. ¶ Ad secundum quidam Doctores, inter quos est Bonauẽtura, & Gabriel in.3. dist.27. &.d.29. sentiunt, quod lex diuina est contra legem, & contra rationem & inclinationem naturalem. Huius sententiæ errorem non est præsentis loci demonstrare. Dicendũ ergo, quòd sicut fides non est contra naturã, sed supra naturam; ita lex gratiæ non est contra, sed supra naturam. Et ad argumentum in contrarium respondetur, quòd lex naturalis inclinat hominem vt diligat Deum plusquam seipsum, vt optimè dicit D. Thom. 2. 2. q. 26. artic. 3. ¶ Ad aliud argumentum de occisione innocentis, respondetur, esse aduersarium legi naturali, quòd ille qui non habet dominiũ vitæ & mortis, occidat innocentem, cæterùm quòd occidat innocẽtem Deus, qui habet dominium vitę & mortis, non aduersatur legi naturali. ¶ Ad aliud argumentum de lege humana, respondetur, quòd Dominus in illa sentẽtia tantùm reprobat mandata hominum, quę diuinis mandatis repugnant, vt patet legenti textum: cæterùm non reprobat omnia mandata hominum; alioqui Christus secum nõ constaret: alibi enim dicit; Quæcunque dixerint vobis, seruate, & facite; & in alio loco; Quivos audit, me audit, &c. Ad aliud de lege diuina respondetur, quòd status naturalis non sic interpretandus est, quòd tantùm in eo obligaret lex naturalis: nam ab exordio mundi fuit præceptum de fide, spe, & charitate supernaturali, sine quibus nulli vnquam contigit salus: ita dicitur in Concilio Tridentino, & Paulus; Sine fide, ait, impossibile est placere Deo. Appellatur autem status legis naturæ; tum, quoniam non continebat aliquod præceptum iuris diuini positiuum; tum verò, quoniam non continebat aliquod præceptum scriptum: in illo namque statu regebantur homines per inspirationes internas: tum tertiò, quoniam nõ continebat nisi præcepta moralia, non ceremonialia, nec iudicialia: præcepta enim supernaturalia enumerantur inter moralia, vt ait D. Thomas infrà q.100. arti. 1. supra quem locum adnotat optimè Caietanus; Quòd ea præcepta nominantur moralia, quæ secluſa omni lege positiua obligarent, vel ex ratione humana, vel adiuta lumine fidei. v. g. Lex naturæ obligat vt vnum Deum colamus, non autem se extendit vt credamus illum esse trinum; cæterùm

Soto.
Ad tertiũ.
Obiectio.
Solutio.
Ad argumẽta de lege naturali
Ad primũ.
Aristot. 5. Ethi. c. 7.
Ad secũdũ. Bonau. Gabriel.
D. Tho.
Ad tertiũ.
Ad argumẽta de lege humana.
Ad argumẽta de lege diuina.
Conci. Tri. Sess. 6. ca. 7. Hebræ. 11.
D. Tho. Caieta.

terum ſuppoſita diuina reuelatione, quæ bona ſupernaturalia nobis oſtendit, ipſa ratio dictat quòd credamus primę veritati reuelanti. Tum vltimò, quoniã non continebat niſi præcepta quæ præciſè erant neceſſaria ad ſalutem conſequendam. ¶ Ad illud Diui Pauli; Gentes quæ legem non habent, &c. reſpõdetur, quòd gentes ex facultate naturæ poſſunt implere præcepta, quantum ad ſubſtantiam operis; cæterùm non poſſunt implere præcepta meritoriè coram Deo; quia hoc non poteſt fieri ſine gratia. Secundò, D. Paulus non dicit quòd omnia, ſed aliqua. Vel, gentes naturaliter quæ legis ſunt faciunt, natura ſanata per gratiam: ita explicat D. Augu. ¶ Ad argumenta, de lege ſomitis, dicendum; quòd non eſt vera lex; tum, quoniam nõ ſubditur rationi; tum quoniam non conſiſtit in mente, ſed in membris: ſed dicitur tantùm lex metaphoricè, quoniam incitat, & imperat deſideria carnis, velimus, nolimus. ¶ Ad alia argumenta, quibus probabatur aliud vitium committi in hac diuiſione, quòd prætermittantur leges, quæ veræ leges ſunt. De lege ſpiritus reſpõdetur, quòd eſt lex quã Spiritus ſanctus inſcribit cordibus noſtris; & hæc eſt idem quòd gratia, & ſic non eſt propriè lex, ſed figuratè: vel eſt lex charitatis, quæ diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum: & hæc idẽ eſt cum lege Euangelica. De lege verò permiſsiua, dico q̃ diffunditur per alias leges; nã lex aliqua humana permiſsiua eſt, & lex diuina permiſsiua eſt: permiſit namque libellum repudij apud veterem populum; ſolùm lex ęterna nullum peccatum impunitum relinquit. De lege verò iniuſta dicendũ quòd non eſt vera lex: ita ait D. Auguſtinus: & D. Iſidorus dicit, quòd vt ſit vera lex, oportet quòd ſit honeſta, iuſta, & poſsibilis: ita ait D. Thomas multis locis huius materiæ. Conſentit illud; Væ qui condũt leges iniquas. Hæc ſententia eſt communis conſenſus omnium Theologorum, & iuris prudentiũ ſuper caput Quam pleriq́ue, de immunitate Eccleſiarum: & 11. q. 3. cap. Epiſcopus. Et ratio euidens eſt: Nam lex eſt quædam regula: ergo agere ſecũdum regulam, rectum eſt, & nõ iniuſtum. Secundò, ſi lex iniuſta, eſt vera lex, ſequitur euidens contradictio: nam qui facit ſecũdũ eam, nõ peccat, ſed facit id quod debet: ſi verò obligat ad iniuſtitiam, facit id quod non debet: ergo euidens eſt contradictio. Sed nota, quòd quando lex diuina eſt in contrarium, potiùs debet homo mori, quàm obedire: vt ſi cogitur homo cognoſcere illam quæ verè ſua vxor nõ eſt, potiùs debet mori, quàm obedire. Cæterùm quando lex vel ſententia iniuſta non aduerſatur legi diuinæ, ille qui innocens cõdem natus eſt, poteſt ſe à lege, vel ſententia eximere, ſi poteſt citra ſcandalum, & citra vim illatã contra iudicem: poteſt etiam obedire ſententiæ, ſicut contingit, quãdo innocens occiditur ſecundum allegata & probata; de quo tractat diligenter Soto lib. 1. de iuſtitia q. 6. articu. 4. ¶ Ad alia argumenta vltima, quibus probatur quòd leges plures numerẽtur quàm opus ſit, reſpondetur; quòd omne peccatum dicitur eſſe contra legem æternam: quoniam omnis lex eſt participatio legis æternę; nõ verò quoniam vniuerſa lex ęterna ſit. ¶ Ad ſecundum reſpondetur, quòd lex æterna, diuina eſt; ſed differt à lege poſitiua diuina, quòd lex æterna ab æterno in Deo exiſtit; lex verò diuina poſitiua eſt inſcripta in cordibus noſtris, vt dicitur Hierem. 31.

Paulus.

Aug. de ſpiritu & lite. c. 26. 27. & 28.

Ad alia argumẽta q̃ prætermittãtur leges, quæ veræ leges ſunt.

Ad primũ.

Ad ſecũdũ.

Ad tertiũ. Aug. lib. 1. de lib. arb. c. 5. & 7. & epiſto. 50. ad Bonifa. Iſidor. li. 5. Ethimolo. ca. 3. & 21. Eſa. 10.

Soto.

Ad argumenta quibus probat̃ q̃ numerẽtur plures quã ſit op⁹ leges.

Hiere. 31.

QVAESTIO XCII.

De effectibus legis; duobus articulis comprehenſa.

ARTIC. PRIMVS.

¶ Vtrũ legis ſit homines bonos facere?

Concluſio eſt. Proprius effectus legis eſt facere bonos eos quibus datur vel ſimpliciter, vel ſecundũ quid.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Concluſio huius articuli ex eo probatur: quoniam lex nihil aliud eſt quàm dictamen rationis in præſidente, quo ſubditi gubernãtur. Virtus autẽ ſubditi eſt vt bene ſubdatur ei à quo regitur, & gubernatur. Propriũ ergo legis erit inducere ſubditos ad propriam ipſorum virtutem. Cùm autem virtus ſit quę bonos facit habentes, ex eo quòd homines ad propriam ordinat virtutem, etiam eos bonos efficiet. Et quidem ſi intentio ferentis legem in verũ tendat bonum, quod eſt bonum ſecundùm iuſtitiam, per talem legem homines boni ſimpliciter efficiuntur: ſi autem feratur in id quod nõ eſt verum bonum, ſed vtile, vel delectabile, aut verò diuinæ repugnans iuſtitiæ, tunc efficit tantùm homines bonos ſecundùm quid, in ordine videlicet ad tale regimen: nam huiuſmodi bonum inuenitur etiam in perſe malis. Sicut bonus latro dicitur, eò quòd ad illum finem rectè & accommodè operatur.

Vtrùm lex humana & ciuilis intẽdat facere homines bonos ſimpliciter.

¶ Cæterùm in hoc articulo eſt peculiare dubiũ de lege humana & ciuili, vtrùm intendant facere homines bonos & ſtudioſos ſimpliciter:

ter: an satisfuerit quòd ordinetur ad pacem, & ad humanam prosperitatem?

Primũ arg. ¶ Pro parte negatiua arguitur. Nam nemo hominum est simpliciter bonus sine gratia & charitate, vt testatur omnis Theologia: sed lex ciuilis nihil dictat de gratia & charitate: ergo non intendit veram virtutem.

Secundum ¶ Secũdò, lex ciuilis tantùm intendit facere bonum ciuem, & bonum subditum, vt patet ex discursu D. Thomæ in articulo: sed alia est virtus boni ciuis, & boni viri: potest enim bonus ciuis,

Tertium. pessimus esse: ergo. ¶ Tertiò, bonum absolutè attenditur circa veram animæ virtutem interiorem: sed lex ciuilis non intendit virtutẽ animæ interiorem, alioqui non differret à lege

Quartum. Ecclesiastica, & spirituali. ¶ Quartò, quàm plurimæ leges ciuiles ordinantur in bonum vtile, quales sunt, ne asportẽtur merces extra regna: sed bonũ vtile differt à bono honesto virtutis: ergo lex ciuilis non quærit bonũ virtutis.

Vltimum. ¶ Vltimò, si lex ciuilis intendit veram virtutem, consequens est quòd non satisfacit legi, qui obseruat eam per actum malum; quod asserere, stultum est. Nam qui seruat ieiunium in quadragesima, & intemperatè comedit, rectissimè obseruat ieiunium, vt asserunt omnes

In contrarium. Theologi. In contrarium est, quoniam lex ordinatur in felicitatem reipublicę: felicitas verò reipublicæ in virtute consistit.

Ari. 8. Eth. c. 1. & 11. & 1. poli. c. 8. & 3. politi. ca. 4. ¶ Pro huius rei explicatione notandũ primò ex Aristotele, quòd homo suapte natura est animal sociabile, & inclinatur à natura vt vitã agat cum alijs in societate, quæ vita nominatur politica & ciuilis. Accidit hoc homini ex eo, quoniam homo solitarius non potest tueri corpus suum, neque animum suum perficere virtute, & doctrina absque aliorum adminiculo. Hanc necessitatem explicat Sapiens cùm

Eccli. 4. ait; Væ soli, quoniam cùm ceciderit, nõ habet subleuantem se. Rursus, sermo, qui est animi nostri nuncius, quo præcellimus omnia animantia, vt ait Aristot. ad hunc vsum datus est

Aris. in præfatiõe rhetori. ad Alex. hominibus, vt viuant in societate, & inter se colloquantur. Certè ipsa sapientia sine sermone ingrata esset, & insuauis. Propter quod dici

Eccle. 20. tur; Sapientia abscondita, & thesaurus inuisus, quæ vtilitas in vtrisque? Tertiò, ipsa voluntas, cuius ornamentum sunt ipsa iustitia, & amicitia, sine societate imperfecta manet, & manca. Nam iustitia sine multitudine exerceri nõ valet; & amicitia sine societate prorsus interit:

Cicero lib. de amicitia. propter quod dicit Cicero, quòd nihil solitarium amat natura. Si, inquit, esset vir qui in cœlum ascenderet, naturamque mundi, & siderũ

Augu. opusculo de amicitia. pulchritudinem inspiceret, sine amico ingrata esset cõsideratio. Idem docet D. Augustinus.

¶ Ex hoc principio sequitur, societatem, & vtilitatem politicam non esse inuentum & artificiũ humanum, sed planè diuinum, & naturale, ad quod homo à natura inducitur, sicut genus humanum naturaliter inclinatur ad sobolem procreandam ne pereat genus humanũ. ¶ Secundò nota, quòd vt homines rectè viuant vitam ciuilem, necesse est vt inter se rectè cõsentiant, & concordẽt; vt vnusquisque, vt est pars multitudinis, rectè se habeat erga alios; sicut patet in membris corporis, quibus rectè consentientibus, conseruatur corpus; dissentientibus verò, continuò dissipatur. ¶ Tertiò est notandum, quòd ad istum consensum efficiendũ necessaria est quædam virtus, quæ nominatur politica, cuius officium est perficere vt ciues inter sese rectè se habeant. ¶ Quartò notandum, quòd ex his principijs statim sequitur, esse necessariam potestatem aliquam superioris ad inferiorem: nam societas est necessaria ad incolumitatem hominum; societas verò sine rectore consistere non potest, dicente sacra scriptura; Vbi nõ est gubernator, populus corruet: ergo necessaria est autoritas publica gubernatoris. ¶ Vltimò nota, quòd licèt nemo possit rectè vitam ciuilem viuere, nisi honestè & laudabiliter viuat; cæterùm nõ est necessarium vt quisque exerceat officium boni ciuis, quòd præstet omnes partes virtutis, nulla excepta: sed satis est quòd præstet eas, quibus neglectis perturbatur respublica.

Prouer. 11.

¶ Sit ergo prima conclusio. Omnis lex intendit facere subditos bonos, ea bonitate quæ suo fini conuenit. Nam ille qui respicit aliquẽ finem, & impellit ad illum, debet efficaciter mouere subditos ad illius finis consequutionẽ; alioqui si non posset ducere ad statutum finẽ, imperfecta & inanis esset potestas. Ex hoc sequitur, quòd lex diuina contẽdit facere subditos bonos, ea bonitate quæ competit filijs Dei per adoptionem: nam hæc lex ducit nos in finem supernaturalem, qui in Dei visione, & amore filiali consistit; & hoc est quod dicit Dominus; Estote perfecti sicut pater vester, &c. & D. Paulus; Estote imitatores Dei sicut filij charissimi. ¶ Secunda conclusio. Lex humana & ciuilis contendit facere subditos bonos, bonitate politica. Nam munus & officium legislatoris est, perficere bonum publicum, & societatem ciuilem, vt sæpè dictum est: sed hoc bonum consistit in bonitate politica, vt ciues rectè se habeant inter se: ergo lex ciuilis intẽdit bonitatem politicam. ¶ Tertia cõclusio. Lex ciuilis intendit veram & propriam virtutem: nam quærit virtutem politicam, quæ vera virtus est. ¶ Vltima conclusio. Lex ciuilis non habet finem propositum, facere subditos ex omni parte, & vndique bonos, & perfectos: nam tantùm

Prima con. Lex intendit subditos bonos facere.

Matth. 5. Paulus Ephe. 5.

Secũda cõ.

Tertia cõc. Lex ciuilis intendit veram virtutẽ.

tantùm quærit virtutem politicam,& imperat omnia opera virtutum, quæ neceſſaria ſunt vt ciues rectè viuãt vitam ciuilem;aliàverò opera non requirit. ¶ Ad primum argumentum reſpondetur, quòd lex ciuilis contendit facere ſubditos bonos,bonitate ciuili, & politica, quæ in ſuo genere perfecta virtus eſt: non tamen facit ſubditos ſimpliciter bonos in ordine ad finem ſupernaturalem. Ex qua ſolutione inferunt Theologi, in hoc demonſtrari celſitudinẽ chriſtianę religionis, quòd extra eam nulla ſit perfecta virtus. Ex quo rurſus eliciũt quatuor documenta maximè obſeruanda. Primum eſt,quòd ſine Dei cognitione,& relatione in ipſum Deum,non eſt perfecta virtus.Secundum eſt,quòd non eſt perfectè actus moraliter bonus, niſi fiat propter Deum ſummè dilectum.Tertium eſt, quòd in homine infideli, viuente ſecundùm doctrinam moralem humanitus traditam, non eſt perfecta virtus. Quartum eſt,quòd in ſolo populo fideli,viuẽti ſecundùm legem ſupernaturalem,eſt perfecta virtus. Hanc doctrinam docet S. Thomas ſæpè,nominatim.2.2.q.23.art.7.& D.Auguſtinus in multis locis.Ex hoc verò non ſequitur, quòd apud infideles, & gentes non fuerunt veræ & perfectæ virtutes in ſuo genere;ſed tãtùm infertur,quòd non fuerunt perfectæ virtutes in ordine ad finem ſupernaturalem, & coram Deo.¶ Ad ſecundũ reſpondetur, quòd lex ciuilis intendit facere ciues bonos,bonitate politica,vt ſuprà dictum eſt: cæterùm quoniam non facit ſubditos bonos ex omni parte,accidere poteſt quòd alia ſit virtus boni ciuis,& viri boni. Sed de hoc iterum redibit ſermo in ſequentibus. ¶ Ad tertium reſpondetur,quòd lex ciuilis quærit veram animi virtutem in ſuo genere perfectam,ſed differt à lege Eccleſiaſtica: quòd lex eccleſiaſtica intendit veram virtutem ad finem ſupernaturalem;lex ciuilis ad finem naturalẽ.Rurſus eſt alia differentia:nam lex Eccleſiaſtica habet vim puniti uam ſpiritualem,id eſt, ſententiam excommunicationis;lex ciuilis habet tantùm vim coacti uam temporalem. ¶ Ad quartum reſpõdetur, quòd (vt ait Ariſtoteles)ciuitas conſtituta eſt propter ſufficientiam,& in bene viuendi gratia conſiſtit.In qua ſententia duo fines declarantur ciuitatis conſtituendæ; vnus eſt, vt viuant ciues;alius eſt,vt beatè viuant:& ideo neceſſe eſt quòd in ciuitate ſint leges de neceſſarijs ad vitam, atque adeò de bonis moribus, vt ciues beatè viuant:& leges quæ ſunt de neceſſarijs ad vitam,ſuapte natura ordinantur in bonum virtutis, ne ciues propter indigentiam à bono virtutis diſcedant. ¶ Ad vltimũ reſpõdetur,quòd legiſlator veram intendit virtutẽ, & vt ſubditi ex veritate ſtudioſi ſint;& ad hoc præcipit actiones ſecundùm ſubſtantiam bonas, & ſtudioſas. Quòd ſi ſubditus faciat operationes ſecundùm ſubſtantiam bonas, licèt malam circunſtantiam adhibeat, ſatisfacit legi,licèt ab intentione legiſlatoris deficiat. Nã in hoc habet verum illud prouerbium; quòd finis legis nõ eſt ſub præcepto. ¶ Quòd ſi quis obijciat;Si ſubditus deficiat ab intentione legiſlatoris,violat legem:ergo peccat. Probatur antecedens ex lege, Non dubium. C.de legi. & conſtitutionibus.Non dubium,inquit, cõmittere in legem,qui verba legis amplectitur, & contra legis nititur volũtatem:ergo qui violat intentionẽ legis,non ſatisfacit legi.Ad hoc reſpondetur,quòd duplex eſt intentio, vel voluntas legis: Vna,incluſa in animo legiſlatoris, vt ſubditi ſtudioſi ſint;& hæc pertinet ad finẽ legis, & iſte finis legis non eſt in præcepto: Alia eſt intentio incluſa in ipſa lege,quæ ſubſtantia,& anima legis eſt; & violare hanc intẽtionem,eſt agere contra legem, licèt verbo tenus legem impleamus.v.g.in lege ſtatuẽte pretium frumenti, ſi quis vendat triticum taxato pretio,ſed vt augeat non vult vendere ſine ſacis,agit in fraudem legis.Præterea, ſtatuit lex, ne quis dies ingrediatur collegium: vir ditiſsimus,vt ingrediatur collegium,facit donationem omnium bonorum ſuorum: iſte verè circunuenit mentem legis, & contra legis nititur voluntatem: nam reuera pauper non manet,& illa donatio ficta fuit. ¶ Sed videtur q; finis præcepti cadat ſub præcepto.Nam charitas eſt finis præcepti,vt ait Paulus;& eſt in præcepto:ergo.Reſpõdetur,quòd charitas poteſt comparari ad alia præcepta,& poteſt comparari ad Deum ipſum.Si referatur ad alia præcepta,eſt finis omnium præceptorum,& ſic non cadit ſub præcepto: propter quod qui adimplet alia præcepta ſine charitate,verè ſatisfacit præceptis. Si verò cõferatur ad Deum ipſum, eſt medium ad Deum poſsidendum,& ſic cadit ſub præcepto.Vel dico,quòd charitas patriæ eſt finis omnium præceptorum,quę non cadit ſub præcepto: charitas viæ medium eſt, non finis.¶ Sed videtur vlteriùs,quòd lex humana non ſolùm præcipiat ſubſtantiam operis, ſed etiam modum vt rectè fiat. Nam lex eccleſiaſtica mandat clericis vt dicant horas canonicas attentè,quòd ſi non faciunt,non ſatisfaciunt legi: ergo lex non ſolùm præcipit ſubſtantiam operis,ſed etiam modum vt rectè fiat.Reſpondetur, quòd oratio quæ attenta non eſt, oratio non eſt,ſed dat ſine mente ſonum: & ideo commemorata lex præcipit ſubſtantiam operis,non modum: ſed de hoc in materia de oratione.

¶ Dubium

Solutio argumẽtorũ. Ad primũ.

Corollaria

D.Tho. Aug.4.lib. cõtra Iuli. ca.3.lib.5. de ciui.à c. 12. vſq; ad 20.&.14.de Trini.ca.1.

Ad ſecũdũ.

Ad tertiũ.

Ad quartũ. Ari.2.poli tico.c.2.

Ad vltimũ.

Obiectio.

Solutio. Duplex intẽtio legis.

Nota.

Num finis præcepti cadat ſub præcepto. 1.Timot.1.

Vtrũm lex humana præcipiat modũ operis.

Oratio ſine attentione oratio non eſt.

Dubium. ¶Dubium aliud est; Vtrùm sicut non est eadem virtus boni ciuis, & boni viri, ita non sit eadem virtus boni viri, & boni principis. Causa dubitandi est: nam D. Thomas expressè dicit hîc, quòd est eadem virtus boni principis, & boni viri; quam sententiam accepit ex Aristotele. ¶In contrarium est: nam sicut potest accidere quòd sit bonus ciuis, & malus vir; ita potest accidere quòd aliquis sit bonus vir, & ineptus ad imperandum: & econuerso, quòd sit bonus ad imperandum, & malus vir. Hoc dubium non est multum difficile. Vide expositionem apud Caie. in comment. supra istum articulum.

Ratio dubitandi. D. Tho. Arist 3. politi. c. 3. In contrarium.

ARTIC. SECVNDVS.

¶Vtrùm legis effectus, imperare, vetare, permittere, & punire, conuenienter enumerentur?

¶Conclusio est affirmans.

EXPLICATIO ARTICVLI.

SVfficientia diuisionis in hoc articulo contentæ, sic ostenditur. Nam lex ordinatur ad actus humanos dirigendos. Ex his autem quidam ex genere suo boni sunt; vt actus virtutis; quorũ respectu ponitur tanquam actus legis, præcipere, vel imperare. Alij verò ex genere suo mali sunt; vt actus vitiosi; quorum respectu ponitur alius legis actus, qui est prohibere. Alij legis actus indifferentes sunt, qui videlicet parũ in se bonitatis habent, aut malitiæ; & respectu illorum additur, tanquam legis actus, permittere. Quoniam autem lex ad sui obseruationem & obedientiam timorem pœnæ inducit, additur alius legis effectus, & actus, qui est punire. Hæc conclusio sic explicata, est de consensu omnium Theologorum, & iurisprudentium. Sed in eius explicationem est primum dubium; An obtemperare legi ex metu pœnę laudabile sit? Hoc dubiũ explicat hîc D. Thomas solutione ad tertium. Et est aduertendũ, quòd Lutherus tenet, metum pœnæ esse malum: ex quo cõcludit duo dogmata: Alterum est, quòd obtemperare legi metu pœnæ, non est laudabile, sed illicitum: Alterum est, quòd iustus timendo pœnam, peccat. Adducit in patrocinium huius sententiæ illud; Non accepistis spiritum seruitutis in timore: sed spiritum filiorum: ergo hominem christianum non decet habere spiritum timoris. ¶ Deinde allegat illud; Timor non est in charitate: sed perfecta charitas foras mittit timorem. Ex quo tale conficit argumentum. Charitas non excludit nisi malum; sed excludit timorem pœnæ: ergo timor pœnæ malus est. ¶Tertiò sic arguit: nam id quod nõ prodijt ex spiritu charitatis, malum est, dicente Paulo; Si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autẽ non habuero, nihil mihi prodest. Et iterum; Nihil sum: & iterum; Factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens: sed timor pœnæ non prodijt ex spiritu charitatis: igitur malus est. ¶Quartò arguit, & est violentum argumẽtum: nam qui obtemperat legi metu pœnæ, magis timet pœnas, quàm culpas contra legẽ: ergo peccat. Antecedens probatur manifestè: timet culpas contra legem, & timet culpas propter pœnas, ergo magis timet pœnas. Probatur consequẽtia ex illo axiomate Aristotelis; Propter quod vnumquodque tale, & illud magis. Ex quo argumẽto videtur esse consequẽs euidentissimum, quòd talis timor peruersus sit: nam timere magis pœnas, quàm culpas, peruersitas est. ¶Item adducit illud ex sacris scripturis, Deum solum esse timendum; quod videtur affirmari in illis verbis; Nolite timere eos qui occidunt corpus, &c. ¶Præterea sic arguit: quoniam metus pœnæ oritur ex amore proprio, qui semper vituperatur, dicente Paulo; Charitas non quærit quæ sua sunt. &, Erũt homines seipsos amantes. ¶ Vltimò probat, quoniam timor pœnæ oritur ex diffidentia, iuxta illud; Confidite, nolite timere: sed diffidentia est peccatum: ergo metus pœnæ semper est peccatum: ergo obtemperare legi metu pœnæ semper est peccatum. Hæc sunt argumenta Lutheri. ¶In huius rei expositionẽ variant Doctores catholici. Adrianus quodlib. 4. q. 2. tenet, quòd timor pœnæ secundum se non est bonus, nisi referatur in alium finem honestum, & rectum: vt si quis considerãs pœnas inferni, & illas exhorrens, detestetur culpam, quia turpis, & contra diuinam amicitiã: hæc operatio studiosa est, licèt ex metu pœnæ originem traxerit: at verò si sit finis euadere pœnas, ita quòd timeat culpas vt caueat pœnas tanquam propter finem, illa operatio studiosa non est. Idem sentit Almaynus ca. 3. suorum moralium: & quod magis mouet, sapientissimus Soto in. 4. d. 14. q. 2. arti. 5. dicit, quòd timere culpam propter pœnas, laudabile est, si illa dictio, propter, dicat causam motiuam; sed si dicat causam finalem, laudabile non est. Et probatur hæc sententia. Nam obtemperare legi propter honores, & voluptates temporales, laudabile non est: ergo obtemperare legi propter metum pœnæ, laudabile non est. Consequentia inde probatur: nam effugere pœnas etiam est bonum propriũ. Deinde probatur ex varijs sententijs D. Augustini: tractatu. 43. in Ioannem dicit in hunc modum; Non magnum

Vtrùm obtemperare legi ex metu sit laudabile. D. Tho. Lutherus.

Argumẽta pro Lutheri sententia. Roma. 8.

Secundum 1. Ioan. 4.

Tertium. 1. Corin. 13

Quartum.

Ari. 1. post. ca. 2.

Quintum.

Matth. 10.

Sextum. 1. Corin. 13

2. Timot. 3

Vltimo.

Adrianus.

Almay.

Soto.

Augustin.

magnum est pœnas timere; nam hoc & seruus nequissimus, & crudelissimus latro facit. & in Psal. 32. sermone. 1. Qui metuendo non facit malè, malè faceret si liceret: itaque si facultas non datur, voluntas rea tenetur. Hanc rem explicat eleganter D. Augustinus super Psal. 118. sermone. 12. Aliter, inquit, mulier adultera timet virum suum, aliter casta. Adultera ne veniat, casta ne deserat. Idem habet super eundē Psal. sermone. 25. & in epistola ad Anastasium expressis verbis scribit, quòd abstinere à peccato, & obtemperare legi metu pœnæ, non est iustitia. Et infrà; Qui metuit gehennam, non Deum metuit, sed ardere. Ex his omnibus sententijs colligitur tale argumentum. Quj metu pœnæ obtempetat legi, sic affectus est, quòd si non esset pœna, legem transgrederetur: sed talis affectus peruersus est: ergo peccat.

Sententia vera.

¶Pro expositione catholicæ veritatis est prima assertio. Timor pœnæ laudabilis est: & oppositum asserere, est hæreticum dogma. Probatur in primis ex illo; Progenies viperarum quis vobis demonstrauit fugere à vētura ira?

Timor pœnæ laudabilis.

Matth. 3.

Matth. 10.

Item ex illo; Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam verò non possunt occidere; sed timete eum qui potest corpus & animam mittere in gehēnam ignis. Quibus verbis Dominus persuadet metum gehennæ, & ex illo deterret homines à peccando. Sed quod Deus persuadet, bonum est: ergo metus gehennæ laudabilis est. Idem demōstratur ex varijs scripturæ locis, in quibus iste timor magnopere

Prouer. 15.

Eccles. 1.

commendatur: Per timorem declinat omnis à malo; &, Timor Domini expellit peccatum: & iterum; Qui sine timore est, non poterit iustificari: & illud; Initium sapientię timor Domini. Plena est scriptura huiusmodi testimonijs.

Cōcil. Tri. Sess. 6. ca. 8

Hæc veritas definita est in Concilio Tridentino contra impijssimum Lutherum. Eandem

Tertul. lib. 2. contra Marcionē.

Basilius Psal. 33.

Chr. libris de compūctione cordis.

sententiam habent vniuersi Patres. Tertulianus, D. Basilius, D. Chrysostomus, D. Augustinus consentiunt cæteri Patres, quos numerat diligenter Roffensis articu. 6. contra Lutherum.

¶Secunda propositio. Non solùm est laudabilis metus pœnæ, sed etiam est donum Dei. Patet ex illo Roma. 8. Non accepistis spiritum timoris iterum in seruitute. In qua sententia manifestè significatur, quòd spiritus timoris sit donum Dei: quod optimè intelligens Dauid,

Aug. tractatu. 3. & 9 in primam canonicam Ioannis.

Secūda cō. Roma. 8. psal. 118.

orabat dicens; Confige timore tuo carnes meas. Deinde, iste timor est initium sapientię, & iustificationis, vt asserit sacra scriptura: sed initium iustificationis donū Dei est. Vltimò, iste timor est præparatio ad gratiam, & ad pœ

Concil. Tri.

nitentiam, vt definitur apertè in Concilio Tridentino: sed præparatio ad gratiam ex dono

Tertia cōc.

Dei est, vt habet fides catholica. ¶Tertia propositio. Euidēs est ratione naturali quòd metus hic laudabilis sit. Pro cuius declaratione aduertendum est, quòd tribus modis potest quis timere culpas propter pœnas. Vno modo, quòd desistat à peccato, & obtemperet legi, timendo pœnam ex charitate: vt cùm quis timet pœnam inferni sempiternam, & separationem à Deo, quam charitas summo modo detestatur: & hic timor, est timor filialis, & honestissimus. Alio modo potest quis cauere culpas propter pœnas, isto affectu, quòd si nō esset pœna, offenderet Deum, & legi non obtemperaret: hic timor est seruilis, habens seruilitatem coniunctam, & est peccatum: quoniā qui sic metuit, habet istam volitionem conditionatam; si pœna non esset, Deum offenderem. Malitiam huius timoris explicat optimè D. Augustinus, adducens exemplum de mulie

Tripliciter potest quis timere culpas propter pœnas.

August. tra. 9. in primam cano. Ioan.

re adultera, quæ vellet adulterium committere, sed timet maritum ne veniat. Tertio modo potest quis timere culpas propter pœnas, non referendo in finem charitatis, sicut in primo casu; neque habendo illum affectum conditionatum, sicut in secundo casu; sed absolutè metuendo pœnas. Et dico, istum timorem esse laudabilem: nam cadit supra materiam debitam cum debitis circunstantijs: ergo bonus est. Deinde, talis timor introducit nos ad charitatem: ergo bonus est. Certè D. Augustinus

Aug. tract. 3. in primā cano. Ioan.

eleganter comparat istum timorem fętę introducenti filum amoris. Quemadmodum fęta non sufficit ad consuendum corium, sufficit tamen ad introducēdum filum: sic metus pœnæ non sufficit ad charitatem, sed introducit charitatem. Pro cuius maiori explicatione notare oportet, quòd timor, & dolor conueniūt in materia: vtrūque namque est de malo pœnæ. Rursus rectè conueniunt, quòd vtrumque est de his quæ nobis nolentibus accidunt, vt asserit Augustinus. Differunt tamen, quia dolor est de malo præsenti: timor de malo futuro. Ex hoc statim sequitur, quòd sicut contingit rectè, & non rectè dolere de malo præsenti: ita contingit rectè, & non rectè timere malum futurum. Sequitur secundò, quòd sicut dolor, quantumcūque magnus, malus nō est, si non abducit nos à mandatorum obseruatione: ad eundem modum timor, quantumcūq; magnus, malus non est, si ab obseruatione mā datorum Dei nos non abducit. Vtrumque namque inuentum est in Christo Domino: aiebat enim; Tristis est anima mea vsque ad mortem: & Marci. 14. Cœpit pauere, & tædere. Sequitur tertiò, quòd si dolor, aut timor auertit nos à diuinis mandatis, malus est: vt patet in eo qui ex dolore & timore negat fidem. Sequitur quartò, quòd iustus timēdo pœnam

Timor & dolor in Christo. Marci. 14.

non

non peccat, nisi Christus peccauit timendo; quod asserere, blasphemia est. Sequitur vltimò, quòd obtemperare legi metu pœnæ, & timere pœnam absolutè, licèt non referatur in alium finem, laudabile est. Probatur: nam timere alias miserias & calamitates huius vitæ, laudabile est: ergo timere pœnam, laudabile est. Idem demonstratur in homine peccatore, in quo metus inferni laudabilis est, vt docet fides catholica: peccator verò cùm timet pœnas, non habet alium finem nisi effugere pœnas. ¶ His constitutis ad argumenta in oppositum respondetur. Ad primum, quòd ex illo testimonio adducto potiùs confirmatur nostra sententia. Nam si Patres antiqui à Deo acceperunt spiritum timoris: ergo spiritus timoris bonus est. ¶ Ad secundum respondetur, quòd charitas perfecta excludit timorẽ, non quòd malus sit, sed quoniam minus bonus sit; quem admodum formæ substantiales aduenientes excludunt dispositiones præcedentes, quæ alioqui bonæ erant & vtiles. Secundò dico, quòd charitas excludit metum seruilem, habentem seruilitatem coniunctam; id est, istum affectum; facerem malè, si liceret impunè. ¶ Ad tertium argumentum respondetur, esse omnino negandum, quòd omne opus extra charitatem factum, malum sit: concedo tamẽ, quòd omne opus extra charitatem meritorium non est: & hoc apertè significat Apostolus cùm dicit; Extra charitatem nihil sum, &c. ¶ Ad quartum argumentum respondetur, quòd non sequitur; iste timet culpas propter pœnas; ergo magis timet pœnas: nam non timet culpas propter pœnas, tanquam propter pretium, & finem vltimum: sicut non sequitur; Deus voluit incarnationem filij sui propter homines; ergo magis dilexit homines. Pro quo sciendum est, quòd metus pœnæ cũ sit ex inclinatione naturali, in Deum tandem referendus est. Insuper, omnis operatio studiosa in Deum ordinatur suapte natura: timor pœnæ est operatio studiosa, vt suprà demonstratum est: ergo in Deum suaptenatura destinatus est. Aliam solutionẽ solent adhibere Theologi prædicto argumento, dicentes, quòd peccator qui metuit culpas propter pœnas, metuit plus pœnas intẽsiuè, sed appreciatiuè plus metuit Deum. Sed hæc solutio habet maximã difficultatem, vt patebit Theologo rectè consideranti. Alij verò dicunt, quòd qui metuit pœnam, habet voluntatem subiectam diuino iudicio: & quamuis metuat pœnam, dicit; Non sicut ego volo, sed sicut tu: quemadmodum Christus Dominus metuebat pœnam: & hic timor nulla ratione peruersus est. ¶ Ad quintum argumentum respondetur, quòd timor pœnæ nõ est alterius timor quàm Dei infligentis pœnam. Nullum enim est malum pœnæ in ciuitate quod non fecerit Dominus. Itaque timere solum Deum infligentem pœnam, non excludit timorem pœnæ. ¶ Ad sextum argumentum respondetur, concedendo quòd timor pœnę ex amore sui oriatur, & habeat originem: cæterùm amor sui intra limites rationis consistens, laudabilis est; qui si extra limites rationis consistat, malus est, & omnium malorum origo, qui meritò in scriptura reprobatur. ¶ Ad septimum argumentum negatur quòd metus pœnæ semper oriatur ex diffidentia, vt patet ex Christo Domino, qui metuebat, nullam habens diffidentã. ¶ Est aliud dubium; Vtrùm sit officium cuiusque legis mala permittere. Pro parte negatiua sic arguitur. Nam lex diuina & æterna nullum malum permittit: ergo non conuenit vniuersæ legi mala permittere. Probatur antecedens: alioqui si lex æterna permitteret peccatum, esset aliquod peccatum, quod non esset contra legem diuinam. ¶ Deinde, hoc differt inter legem diuinam, & humanam; quòd lex humana multa mala concedit, & impunita relinquit, quæ vniuersa lege diuina vindicantur: ita asserit Diuus Augustinus. ¶ Præterea, qui est causa peccati, reus peccati tenetur, vt planè constat: sed qui permittit peccata cum possit obstare, est causa peccati, saltem sine qua non: ergo legislator qui permittit mala fieri cum possit obstare, reus peccati tenebitur. ¶ Item, lex amicitiæ postulat vt caueamus offensiones amici cum cauere possumus: ergo legislator qui permittit mala fieri cum possit obstare, legem amicitiæ subuertit erga Deum. ¶ Iam verò quòd Deus non debeat permittere mala fieri, sic ostendo. Primò, quando vnum contrarium est infinitum, destruit prorsus alterum contrarium: sed Deus est summum bonum, & infinitum: ergo destruit penitus omne malum, & sic non permittit mala fieri. ¶ Secundò, omnis sapiens gubernator & moderator excludit omne malũ, & defectum ab his quorum gerit curam, quantum potest: ergo vel Deus non potest excludere malum, & sic non erit omnipotens; vel si non excludit, & permittit, istorum inferiorum curam non habet. ¶ Tertiò, quòd Deus permittat mala fieri, idẽ est atque esse autorem omnium malorum, & necessitare nos ad peccandum. Nam cũ Deus certò sciat nos non posse absque eius adiutorio mala cauere, perinde est permittere, & nõ dare adiutorium, atque necessitare nos ad peccandum; sicut si præciperet vt videremus sine lumine, necessitaret nos ad peccandum.

Solutio argumẽtorũ. Ad primũ. Ad secũdũ. Ad tertiũ. Ad quartũ. Solutio difficilis. Ad quintũ. Ad sextũ. Ad septimũ. Vtrùm sit cuiusq; legis officiũ mala permittere. Primũ arg. Secundum Aug. lib. 1. de lib. arb. c. 5. & 7. Tertium. Quartum. Vtrũ Deus mala permittat. Primũ arg. Secundum Tertium.

Vltimum. ¶ Vltimò, si Deus vellet peccatum, excusationem haberemus in nostris peccatis: Volũtati enim eius quis resistit? Ad eundem modum, si Deus permittit peccata, excusationem apertam habemus; voluntati enim diuinæ, & Deo volenti permittere quis resistet? Idem confirmatur; nam mala fiunt non Deo inuito, & renuente; si enim nollet, non fierẽt peccata, nec vlla malatergo fiunt, vel permittũtur Deo volente; sed voluntati eius quis resistit? ergo si Deus vult permittere mala, excusationem habemus de peccatis nostris.

Confir.

Prima cõ. Omnia peccata Deo permittẽte fiunt. ¶ Pro explicatione sit prima cõclusio. Omnia peccata, quantũcũque enormia, fiũt Deo permittente, & volẽte permittere. Nam vt ait Augustinus; Non potest aliquid fieri, nisi quod Deus omnipotens velit fieri, vel sinẽdo fieri; sicuti mala; vel ipsa faciendo, vt bona. ¶ Secunda conclusio. Ex multis causis permittit Deus mala fieri. Prima, vt cõseruet liberum arbitriũ nostrum: siquidem in initio constituit Deus hominem in manu consilij sui, &c. Hanc causam explicat optimè D. Basilius. Quòd si dicas; in cœlis, vbi mala non fiunt, libertatẽ esse; Respondetur, quòd in cœlis est voluntas, & libertas inflexibilis propter consummatam beatitudinem, & propter æternum vitæ præmiũ: hîc verò libertas est flexibilis in malum, vt pugna & victoria sit glorioſior; & etiam, quoniam hoc nostra natura postulabat. Prẽterea, permittit Deus mala fieri, vt bona sint: dicit enim Augustinus; Deus omnipotens, cùm sit summè bonus, non permitteret mala fieri, nisi adeò esset omnipotens vt benefaceret etiam de malo, secundum illud Pauli; Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonũ. Ex quo concludit Augustinus, bonum est mala fieri. quam sententiam explicat D. Thomas. 1. p. q. 19. artic. 9. Præterea, Deus permittit mala fieri propter perfectionem vniuersi, sicut ait Dionysius, & D. Augustinus. Pro quo nota, quòd ad particularem gubernatorem & moderatorem spectat quidem excludere omne malũ & defectum ab his quorum curam gerit, quãtum potest: ad vniuersalem verò rectorem spectat permittere defectus aliquot, ne bonum cõmune impediatur. Diuina enim prouidẽtia dispositum est, quòd sint corruptiones propter generationes, & quòd sit malum culpæ propter bonum virtutis. Si enim non fuisset tyrannorum persequutio, non vtique fuisset Martyrũ patiẽtia. Vide alias rationes propter quas permittat Deus mala fieri in vniuerso, quas habet D. Augustinus lib. 3. de libero arbitrio prope medium. ¶ Tertia cõclusio. Non verè dicitur, quòd ea quæ fiunt in mundo, fiunt aut Deo volente, aut nolente. Nam si primum dixeris, sequitur quòd peccata quæ fiunt in mundo, fiant Deo volente; & sic facis Deum autorẽ, & causam omnium malorum. Si verò dixeris quòd peccata fiunt Deo nolente, cõsequitur vt dicas, Deũ non esse omnipotẽtem; siquidẽ multa fiunt Deo nolente, & renuente. Sequitur rursus vt dicas, quòd voluntas Dei nõ semper adimpletur. Item, si Deus vellet efficaci volitione quòd destrueretur omne peccatũ, continuò aboleretur: igitur neutrum est dicẽdum, sed quòd fiunt mala Deo permittente. Prætera, fiunt mala Deo nolente, in hoc sensu, quòd Deus non vult operari, nec cooperari peccato. Item in alio sensu, quoniam Deus odio habet peccatũ. Quòd si dicas, quòd omnis qui peccat, facit contra volũtatem Dei: ergo peccatum fit Deo nolente. Antecedens patet ex omnibus sanctis. Respõdetur, quòd omnis qui peccat facit contra volũtatem Dei, ad sensum iam dictum. Prætera, facit contra voluntatem Dei, quoniam facit contra præceptum Dei, quod appellatur Dei voluntas metaphoricè, & appellatur à Theologis voluntas signi: non autem facit contra voluntatem beneplaciti, de qua dicitur in scripturis; Omnia quæcũque voluit fecit in cœlo & in terra: & prætera; Voluntati eius quis resistit? De hac affirmat omnis scriptura, quòd semper adimpletur. Quòd si rursus dicas; mala fieri, & mala non fieri, sunt contradictoria: sed Deus nõ vult quòd mala nõ fiant; cum enim sint multa mala, volũtas diuina nõ impleretur: ergo vult quòd mala fiant. Respondetur, quòd licèt sint contradictoria, cæterùm velle mala fieri, & velle mala non fieri, non sunt contradictoria; quandoquidem vtrũque est affirmatiuũ: neutrum ergo debet concedi: sed concedendum, quòd fiunt mala Deo permittente. ¶ Quarta propositio. Deus nullum malum permittit ad istum sensum, id est, Deus nullum malũ impunitum relinquit, nisi fortasse dicatur impunitum, quia non statim punitur; quemadmodũ dicitur Ecclesia. 8. Quia non citò contra impios profertur sententia, filij hominum sine timore perpetrant mala, cum tamen ex eo plus deberent timere, dicente Paulo; Ignoras quòd benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Cui simile est illud; Tacui, silui, patiens fui, tandem veluti parturiẽs loquar, dissipabo, & absorbebo simul. ¶ Quinta conclusio. Deus permittit minora bona concedendo: in hoc sensu matrimonium dicitur esse permissum, non quòd malum sit, sed quòd minus bonum sit, dicente Paulo; Si accepisti vxorem, non peccasti; si nupserit virgo, non peccauit: tribulationem autem carnis habebunt eiusmodi: ego autem vobis parco. ¶ Sexta conclusio. Deus permittit

Aug. in Enchiri. c. 95.

Secũda cõ. Causæ ob quas Deus mala permittat.

Eccles. 15.

Basil. homilia q̃ Deus non est autor malorũ

Aug. in Enchi. c. 11. & 96.

D. Tho.

Dion. c. 3 de diui. nominibus.

Aug. in Enchiri. ca. 11

Tertia cõc.

Quarta cõ. Deus non permittit malũ quia relinquat illud impunitum.

Eccle. 8.

Roma. 2.

Esa. 42.

Quinta cõ.

1. Corin. 7.

Sexta cõn.

permittit per indulgentiã minora mala, ad cauẽda maiora peccata. Sic dicit D. Paulus; Hoc autẽ dico secundũ indulgentiã, & nõ secundũ imperiũ: id est, non præcipio tanquã bonũ necessariũ, sed indulgeo, vt minus malũ. Hãc sententiã explicat Augustinus de vsu coniugij vitãdæ fornicationis causa: quẽ vsum definit D. Augustinus esse peccatũ veniale, & opus habere indulgentia & venia. Itaque Deus permittit minus malũ propter maiora dãna euitãda. De hoc genere permissionis intelligũt quidã Doctores illud verbũ; Irascimini, & nolite peccare. Hæc cõclusio inducebat nos in maximam difficultatẽ, vtrũm sit licitum cõsulere minus malũ ad euitandũ maius malũ, sed de hoc disputatum fuit suprà in materia de consilio.

1. Corin. 7.

Aug. lib. de bono cõiug. ca. 10. & 11.

Septima conclusio.

¶ Septima conclusio. Deus potest permittere malũ per subtractionẽ pœnæ in hac vita. Patet hoc Matthæi. 19. dicente domino; Moyses ad duritiã cordis vestri permisit vobis libellũ repudij: itaque non erat Iudæis licitũ vxores repudiare: nõ tamẽ puniebatur, qui repudiabat, & dabat libellum repudij. ¶ Vltima cõclusio. Deus permittit quædã dispensando. Hoc genere permissionis permisit Deus Patribus anti quis vxorũ pluralitatẽ, vt populus fidelis augeretur: itaque dispẽsauit in illo præcepto; Erũt duo in carne vna; nõ quatuor, nõ sex. Quomodo autẽ Deus in præceptis legis naturæ valeat dispẽsare, inferiùs exponẽdũ est. Ex his facile est intelligere, quomodo vniuersa lex habeat in officio præcipere, prohibere, punire, permittere. Lex æterna in primis præcipit vniuersa bona, prohibet vniuersa mala, punit omnia scelera, vt dicit Augustinus. Præterea lex diuina æterna permittit mala fieri propter bonũ vniuersi. Rursus tolerat malos, & expectat ad pœnitẽtiã ex ordine diuinæ sapientiæ. Tertiò permittit minora bona, vt antea dictũ est. Quartò, permittit minora mala ad euitanda maiora mala, atque adeò permittit per subtractionem pœnæ in hac vita, sicut suprà ostensum est.

Matth. 19.

Vltima cõ.

Aug. lib. 1. de lib. arb. c. 5. & 7.

¶ Sed veniamus ad legẽ naturalẽ, & ostendamus quemadmodum hæc officia legi naturali conueniant. Pro cuius declaratione ostendendum est, quòd opera humana sunt in triplici differentia. Quædã sunt turpia, quædã honesta, alia indifferẽtia. Rursus aduertendũ, quòd honesta atque turpia sunt in duplici differentia: quędam sunt honesta, vel turpia ex natura sua; alia ex legis positione; quia sunt præcepta, vel prohibita: & hinc habuit ortum illa distinctio Theologorũ, ꝙ quædam sunt prohibita, quia mala; alia mala, quia prohibita; & hoc est quod scribit Aristoteles, quòd iustũ, aliud est naturale, aliud legale. His cõstitutis, lex naturalis prohibet turpia, quæ suapte natura turpia sunt. Rursus præcipit honesta, nõ omnia, sed quæ sunt opportuna, & necessaria ad finẽ naturalem consequendũ. Punit verò transgressores legis naturalis testimonio propriæ cõscientiæ, quod est grauissimũ supplicium, dicente D. Paulo; Cogitationibus se inuicẽ accusantibus: & dicente Augustino; Iusisti Domine, & sic est, vt omnis animus inordinatus pœna sit sibi. Vltimò, lex naturalis permittit: permittit namque indifferẽtia, quæ non sunt præcepta, neque prohibita. Rursus permittit in hoc sensu, quoniam dictat quòd leges humanæ, & legislatores permittant minora mala, vt maiora vitentur. De lege diuina supernaturali certum est quòd prohibet omnia peccata: hac enim de causa appellatur lex immaculata. Rursus præcipit omnẽ actũ ad salutẽ æternã necessarium. Ex quo eliciunt Theologi vnũ documẽtum insigne, quòd omnis actus necessarius ad salutem cadit sub præcepto: sed non dicunt Theologi, quòd omne mediũ necessarium ad salutẽ cadit sub præcepto: prædestinatio enim est medium necessariũ ad salutẽ, & sub præcepto non cadit. Rursus, gratia est medium necessarium ad salutẽ, quæ tamẽ sub præcepto nõ cadit: nã præcepta nõ dantur de habitibus, sed de actibus. Præterea, lex diuina punit trãsgressores pœnis potissimè spiritualibus, excõmunicatione, suspẽsione. Vltimò, permittit mala fieri ad tẽpus, vt patet de libello repudij. De lege humana, quòd præcipiat, prohibeat, puniat, & permittat non solùm indifferentia, sed etiã minora mala ad euitanda maiora, notiùs est quàm vt sit ostẽdẽdũ. ¶ Ad argumẽta in oppositũ, & ad primũ respõdetur, quòd lex æterna omne malũ prohibet; permittit tñ mala fieri, propter causas superiùs cõmemoratas. Illud autẽ prouerbiũ Iurisconsultorũ; Qui auctoritate legis peccat, non peccat: intelligẽdum est de lege præceptiua, nõ de lege permissiua. ¶ Ad secundũ argumẽtũ respondetur, esse verissimũ illud discrimẽ, cum hoc tamẽ rectè cõiungitur, quòd lex diuina & æterna permittit mala fieri ad tẽpus ex ordinatione diuinæ sapientiæ & iustitiæ. ¶ Ad tertium respondetur, ꝙ legislator qui permittit minora mala ad cauenda maiora, nõ est causa peccati, sicuti gubernator non est causa submersionis nauis, ex eo ꝙ nauim nõ gubernat, sed quãdo nõ gubernat nauim, potẽs & debens gubernare: sic gubernator reipublicæ quãdo permittit minora mala ad cauẽda maiora, non est causa peccati, quia nõ tenetur ea prohibere; imo si prohiberet, peccaret grãde peccatũ. Itaq; vt quis dicatur causa peccati indirecta, necesse est ꝙ teneatur, & possit, & nõ faciat. ¶ Ad quartũ argumẽtum ex dictis patet quid dicendũ sit: nam qui

Triplicia sunt humana opera.

Ari. 5. Ethi. ca. 7.

Roma. 2.

Aug. lib. 1. confe.

Documentũ insigne.

Ad primũ argumẽtũ.

Ad secũdũ.

Ad tertiũ.

Ad quartũ.

permittit minora mala ad cauēda maiora dam na ſui amici, in nullo lædit amicitiam.

¶ Ad argumenta, quibus probatur Deum nō permittere mala fieri, ſigillatim reſpondendū

Ad primū. eſt. Ad primum reſpondetur, q̄ quādo vnum contrarium eſt infinitum, & agit per modum naturæ, deſtruit prorſus oppoſitum: cæterùm quando operatur liberè per intellectum & voluntatē, deſtruit de oppoſito quantū oportet, & ſicuti oportet: Deus autē in adminiſtratione rerum liberè operatur. Alterā ſolutionē habet Caietanus. 1.p.q.2.art.3.ad primum. ¶ Ad

Caieta. Ad ſecūdū. ſecundū reſpondetur, eſſe latū diſcrimē inter rectorem particularem, & vniuerſalē, de quo

Ad tertiū. ſuprà dictū eſt. ¶ Ad tertiū dicendū eſt, quòd Deus nulli hominum denegat auxilium ſufficiens, quo poſsit conuerti, & ſaluari, de quo di

Ad vltimū. ligēter in materia de gratia diſputabitur. ¶ Ad vltimū reſpondetur, quòd ſi Deus vellet peccatum, haberemus excuſationē; non quidem quoniā peccatum infallibiliter ſequeretur, ſed quoniam illud opus eſſet conforme diuinæ voluntati, & ſic bonum eſſet. Ex permiſsione verò Dei licèt infallibiliter ſequatur peccatū, nō habemus excuſationem; qm̄ opus permiſſum non eſt cōforme diuinæ volūtati, & legi.

Vtrū liceat legiſlatori cooperari malo. ¶ Ex definitione huius dubij ſequitur alia quæſtio non parua; Vtrùm non ſolùm liceat legiſlatoribus permittere mala fieri, ſed etiā coo-

Primū arg. perari & adiuuare, vt mala fiant? Quòd vtrūq; liceat, probatur. Nam Deus optimus coopera tur ad malū: ergo legiſlatoribus licet coopera ri ad malū. Cōſequētia euidēs eſt, & probatur antecedens. Nam actus peccati ex Deo eſt, iux ta illud; Nihil poteſtis facere ſine me. Et ratio euidēs eſt: nam prima cauſa plus influit in effo

Secundum ctum, quàm ſecunda. ¶ Secundò, lex permiſsi ua eſt, quòd ementes & vēdentes ſe decipiant citra dimidiū iuſti pretij, vt habetur capitulo cū dilecti, & capitulo, cū cauſa, de emptione & vēditione. Sed hoc malū non ſolùm permittit legiſlator, ſed etiam adiuuat, & cooperatur vt fiat: præcipit enim, & cogit quòd illud exceſsi uum pretium ſoluatur. Rurſus, lex permiſsiua eſt quòd vſuræ ſoluātur, & meretrices permit tantur: hæc verò mala nō ſolùm permittit legi

Tertium. ſlator, verùm etiā adiuuat vt fiant. ¶ Tertiò ſic arguitur: licitū eſt alijs cooperari ad malū: ergo etiā legiſlatoribus. Conſequētia euidēs eſt, & probatur antecedēs. Nā ſi nō liceret coope rari ad malū, certè nō liceret facere cōtractum cū vſurario. Rurſus, nō liceret ſoluere vſuras: alius enim recipiēdo peccat. Itē, iuramētū de ſoluēdo vſuras nō obligaret, cuius cōtrariū ha betur capitulo, debitores, de iureiurādo. Inſuper nō liceret viro reddere debitū vxori habēti votū caſtitatis. Itē, nō liceret exigere iuramē tum ab infideli, quē ſcio perfalſos Deos iuraturū: in his em̄ omnibus cooperamur ad peccatū alterius. ¶ Vltimò, Lot nō ſolùm coopera- Vltimum

tus eſt ad alterius peccatū, verùm etiā obtulit Geneſ. 19. filias ſuas Sodomitis, vt eis abuterētur: & Aa- Exod. 32. ron ſummus Sacerdos fēcit vitulū cōflatilem, quē adorauerūt filij Iſrael, in quo cooperatus eſt ad malū illud quod eſt commiſſum contra Deū, & in iſto opere Aaron à crimine excuſatur à ſanctis Patribus: ergo cooperari ad malū illicitū nō eſt. ¶ In contrariū eſt: nam peius eſt Affirmati- ua pars. cooperari, quàm cōſentire: ſed conſentire pec catū eſt, dicēte Paulo; Digni ſunt morte nō ſo- Paulus. lùm qui faciūt, ſed qui cōſentiūt faciētibus: ergo. Deinde, cooperari, eſt operari: ſed operatio eſt mala: ergo & cooperatio mala eſt. Hāc quæſtionē explicat, vel potiùs implicat, & cōfundit Adrianus quodli. 3. art. 2. Ego verò faci Adrianus. le expediā his aſſertionibus. In primis dico, q̄ Autoriſen tentia. qui inducit alterū ad peccādū, ſine dubio peccat; nā eſt cauſa directa peccati. Secūdò dico, qui cōſulit peccatū, ſine dubio peccat; nā mouet directè ad peccādū. Tertiò dico, qui petit rē quā alius ſine peccato præſtare nō poteſt, ſine dubio peccat: nā petit rē illicitā. Quartò dico, qui operatur ad malū alterius, cōſentiendo, adiuuādo, præſtādo fauorē, ſine dubio peccat; nā conſentit & adiuuat malū. Vltimò, qui cooperatur ad peccatū alteri⁹, vel poti⁹ vtitur peccato alterius parati ad peccādū, ſic q̄ nullū detrimētū ſpiritale alteri præſtat, quin potiùs ipſe facit quod debet, nihil peccat. Hoc vltimū aſſertū probat efficaciter eſſe verū tertiū argumētū adductū. Itaq; quādo ego ſoluo vſuras, mea operatio bona eſt, qua alius in ſuā pernicie abutitur. Rurſus, quādo peto iuramentū ab infideli, rē optimā expoſco: at q̄ ille iuret per falſos Deos, ſua culpa eſt. Ex hac definitione ſequitur, q̄ ad iſtū modū cooperari, nō eſt cōſentire, nec adiuuare malū. ¶ His cōſtitutis Solutio ar- gumētorū. ad primū argumētū reſpōdetur, q̄ Deus propriè nō cooperatur ad malū: quādo em̄ produ- Ad primū. cit actū peccati, quantū in ſe eſt, bonū facit, & præſtat auxiliū generale ad operādū, quo peccator abutitur ad ſuā perditionē: ſed de hac re plura dicta ſunt in materia de peccatis. ¶ Ad Ad ſecūdū. ſecūdū reſpōdetur, q̄ illę leges permiſsiuę tantùm permittūt mala fieri, & adiuuant vt mala permittātur, ſed nō adiuuāt vt fiāt mala. Et in deceptione citra dimidiū iuſti pretij, dicendū eſt, q̄ permittit fieri, & denegat actionē parti læſæ, cęterùm nō adiuuat, nec præſtat fauorē, vt alius qui recipit, nō reſtituat. ¶ Ad tertium Ad tertiū. iam dictū eſt in vltima aſſertione, quomodo Ad vltimū. cooperari ad malū nō ſemper ſit cōſentire & adiuuare malū: ¶ Ad vltimū argumētū reſpon Diſsidiū in ter Aug. & Ambro. de facto Lot. detur, q̄ de facto Lot eſt quæda varietas inter

D. Augu-

Aug. habetur sententia. 14. d. c. quod ait. Amb. 32. q. 7. c. offerebat.

D. Augustinũ, & D. Ambrosiũ. Nam D. Augustinus adscribit hoc perturbationi mẽtis illius, quapropter dicit, hoc nõ fore imitãdũ. D. Ambrosius videtur hoc factũ virtuti adscribere, habebat enim Lot pro certo, tãtam esse filiarũ cõstantiã, vt etiã si corpore violarentur, mẽte incorruptæ manerent. Itẽ alia de causa potest excusari; quia cõsuluit minº malũ; & cõsulere minus malũ, non est peccatũ, sed licitũ, vt antea dictũ est. ¶ Ad factũ Aaron dicendũ est, quòd Dominus Caietanus super Exodũ. c. 23. efficaciter demõstrat, quòd nullã excusationẽ mereri potest. Aliqui tamẽ Doctores illũ excusant, hac de causa; quia petijt inaures aureas ab vxoribus & filiabus Israel, vt populum alio qui cupidũ à tanto scelere deterreret, fabricauitq; vitulũ aureũ, pro certo habẽs, nõ eò insaniæ populũ venturũ, vt adoraret vitulũ pro Deo suo. ¶ Ex declaratione huius dubitationis sequitur in primis, quòd permittere mala fieri, bonũ est; alioquin Deus nõ permitteret. Sequitur secundò, q̃ duplici de causa permittuntur mala fieri: tum, vt bona cõseruẽtur, iuxta sententiã Domini; Sinite zizania crescere, ne eradicetur simul & triticũ: tum verò ad cauenda maiora dãna, iuxta sententiã D. Augustini; Tolle meretrices, & omnia implebuntur libidinibus. Sed cauẽdum est maximè, ne permissio sit adiuncta cooperationi, & participationi mali. Ex quo elicit Caie. opusc. 17. quæstionũ. q. 13. quòd nõ licet q̃dificare synagogas Iudæorũ: nã synagoga de se ordinatur ad superstitionẽ Iudaicã, & ideo ædificare synagogã, est cooperari ad malũ. Sed cõtrà: nã sequitur, q̃ nõ liceret ædificare domos meretricũ. Patet, quia etiã illæ domus de se ordinãtur ad peccãdũ, vt patet. Respõdetur, falsum est; imo solùm ædificantur vt malæ mulieres ibi recludãtur, sed sua culpa erit, vt ibi positæ peccent.

Aug. habetur sententia. 14. d. c. quod ait.
Amb. 32. q. 7. c. offerebat.
Caieta.
Bonum est permittere mala fieri.
Matth. 13.
Augustt.
Caieta.

QVAESTIO XCIII.

De lege ętterna; in sex articulos distincta.

ARTIC. PRIMVS.

¶ *Vtrùm lex æterna sit summa ratio in Deo existens?*

SVMMA TEXTVS.

Conclusio.

Oncluſio eſt affirmans. Oportet namque in quo libet gubernãte & rectore præexistere rationẽ ordinis eorum quæ agẽda sunt ab his qui gubernationi subdũtur; sicut in quo libet artifice præexistit ratio eorũ quæ per artẽ constituuntur. Deus autem conditor vniuersorum per sapientiã suam dicitur, & omniũ actuum ac motuum creaturarum gubernator. Quare ratio diuinæ sapientiæ, quæ cũcta ad suos fines mouet, legis rationem obtinet.

EXPLICATIO ARTICVLI.

HActenus egit D. Tho. de definitione legis, de eius partitione, & de legis effectibus. In hac quæstione aggreditur disputare de legibus in particulari, & primùm de lege ętterna, de qua definit, q̃ est summa ratio in Deo existẽs ab ætterno. Pro declaratione huius cõclusionis aduertẽdũ est, q̃ in intellectu diuino tria existũt. In primis est cognitio omniũ effectuũ, etiã possibiliũ, iuxta illud; Qui vocat ea quæ nõ sunt, tãquam ea quæ sunt. Secũdò est in intellectu diuino ars ad efficiendũ omnia quæ voluerit in cœlo & in terra; sicut emẽ artifex per imaginẽ mẽtis suæ perficit opus; ita Deus perficit opus suũ: vnde est illud; Quod factũ est, in ipso vita erat: id est, res creatæ nõ solùm sunt in Deo secundũ esse naturale, sed secundũ esse intelligibile. Tertiò, est ratio statuta ad gubernãdum, fine qua effectus proprios nõ cõsequuntur fines: & de hac ratione dicit S. Doctor, q̃ est lex æterna. quod sic ostẽdit. Nã lex est regula efficaciter mouẽs & dirigens in finẽ: sed summa ratio in Deo ab ætterno existẽs efficaciter mouet & dirigit vnãquãque rem in suũ finẽ: ergò est lex æterna. D. Augustinus ponit duas definitiones legis æternæ: Vna est, q̃ est summa ratio in Deo existẽs, cui semper est obtemperãdũ: Altera est, lex æterna est summa ratio, qua iustum est vt omnia sint ordinatissima. Aliã definitionẽ constituit lib. 22. contra Faustum. c. 27. dicẽs; Lex æterna est ratio, vel volũtas Dei, ordinẽ naturæ cõseruari præcipiẽs, & dissipari vetans. De lege æterna sic scribit Cicero; Lex æterna nõ est hominũ ingenijs excogitata, nec scitũ aliquod populorũ, sed æternũ quiddã, quod vniuersum mũdũ regeret, imperandi, prohibẽdiq; sapiẽtia. Et iterũ; Lex princeps ac præcipua mens est, inquit, omnia ratione aut cogentis, aut vetãtis Dei: ex qua illa lex quam dij humano generi dederũt, rectè laudata est. Est enim ratio, mensque sapientis, ad iubendũ, & ad deterrendũ idonea: quæ vis non

Exponitur conclusio articuli.
Roma. 4.
Ioan. 1.
Aug. li. 1. de lib. arb. c. 6
Lex ętterna quid.
Cicero lib. 2. de legib.

modò senior est, quàm ætas populorú, & ciuitatũ, sed æqualis illius, cœlũ ac terras tuẽtis, & regentis Dei. Nec enim esse mens diuina sine ratione potest, nec ratio diuina, nó hãc vim in rectis prauisq; sanciẽdis habere. Nec si regnãte Tarquino nulla erat Romæ scripta lex de stupris, idcirco nõ cõtra illã legẽ sempiternam Sextus Tarquinus vim Lucreciæ intulit: erat enim ratio perfecta à rerũ natura, & adrectè faciendũ impellens, & à delicto auocans; quæ nõ tũc demũ incipit lex esse, cũ scripta est, sed tunc cũ orta est: orta est autẽ simul cũ mente diuina. Quamobrem lex vera atque princeps, apta ad iubendũ & ad vetandũ, ratio est summi Dei. ¶Ex definitione huius articuli habet Theologus duo axiomata: Alterũ est, quanto in errore versantur, qui dicũt legẽ esse actũ voluntatis, & nõ intellectus. Lex em̃ æterna, quæ prẽstãtissima legũ est, summa ratio in Deo existẽs est: itaq; lex in mẽte cõsistit, nó in volũtate. Alterũ est, q̃ lex, & summa ratio in Deo existẽs, quãquã ad essentiã diuinã pertineat, promulgaẽ Verbo diuino, quod est personale in diuinis. Omnia em̃ quæ pertinent ad essentiã & personas in Trinitate, atq; etiã ad vniuersitatẽ creaturarũ, exprimũtur & declarãtur Verbo diuino, quod est infinitũ. ita asserit D. Th. solutione ad. 2. ex D. Augustino. ¶ Sed videẽ hoc esse falsum. Nã vt affirmãt Theologi constãter, essentialia sunt priora personalibus nostro modo intelligẽdi: sed lex æterna, & summa ratio in Deo existẽs dicitur essentialiter: ergo prior est lex ẽterna, quàm q̃ Verbo diuino ꝓmulgetur, & explicetur. Ad hoc argumentũ dicẽdum est in primis, q̃ nõ omnia essentialia sunt priora personalibus nostro modo intelligẽdi: nã actus primus intellect⁹ quo ꝓducitur Verbũ diuinũ, nostro modo intelligẽdi priùs intelligitur quã amor in volũtate: primus em̃ actus intellectus nó præueniẽ à volũtate vt cõstat. Ex quo quidam Theologi colligũt, quòd prius Pater, nostro modo intelligẽdi, produxit Verbũ, quàm q̃ voluerit producere Verbũ. de qua re diligẽtius disputatur in. 1. p. q. 41. arti. 2. Secunda solutio est, q̃ licèt summa ratio, & summa sapientia in Deo, nostro modo intelligendi, prius intelligatur quàm Verbũ diuinũ, cæterùm quatenus est promulgata, & explicatur Verbo diuino, posterius intelligitur.

Axiomata duo.

D. Tho.

ARTIC. SECVNDVS.

¶Vtrùm lex æterna sit omnibus nota?

Prima cõc.

PRima Cõclusio. Legẽ æternã nullus põt cognoscere prout in seipsa est, nisi solus Deus, & beati qui Deũ secũdũ essentiã vident.

¶Secũda Cõclusio. Omnis creatura rationalis potest talem legem agnoscere secũdũ aliquã eius irradiationẽ, maiorem, vel minorem.

Secũda cõ.

EXPLICATIO ARTICVLI.

PRima cõclusio articuli tãquã certa supponit à D. Thoma: secũdã autẽ ita ꝓbat: qm̃ veritatis cognitio, quę dã participatio est legis æternæ, cũ lex æterna sit veritas quædã incõmutabilis: veritatẽ autẽ omnes aliquali ratione cognoscũt, & eius cognitionẽ alij alijs pleniùs participãt: oẽs ergo legẽ æternam secũdũ aliquã eius participationẽ agnoscũt, & alij pleniorẽ habẽt illius cognitionẽ, quàm alteri. ¶Notandũ tñ est circa prędictas assertiones, q̃ lex ẽterna in suis effectibus aliqua ex parte nota est omnibus creaturis rationalibus: tũ, qm̃ habẽt impressam legẽ naturæ, quæ nil aliud est quàm quædam participatio, & scintilla legis æternæ: tũ verò, quoniã cognoscũt veritatẽ: cognitio verò veritatis nihil aliud est quã quædã irradiatio legis æternę: tũ vltimò, qm̃ ex animalibus brutis cognoscũt Dei sapiẽtiã incõparabilẽ, ita vt dicat Iob; Interroga iumẽta terræ, & docebunt te: interroga volatilia cœli, & dicẽt tibi: id est, in inquisitione diuinæ sapientiæ non est opus recurrere ad sublimitatẽ cœlorũ, ad latitudinẽ maris, ad lõgitudinẽ terræ; nã ipsa animantia minutissima quæ inter nos versantur, docent sapiẽtiã Dei incõparabilem. ¶Sed pro explicatione intelligẽdum est, q̃ hîc non inquiritur, vtrùm sit notũ omnibus legẽ æternam esse, & summã sapiẽtiã, qua vniuersa gubernantur; nã hoc notũ esse cognoscũt homines, sicut notũ est omnibus q̃ mũdus ꝓuidẽtia gubernetur: sed inquirimus, vtrùm sit notũ omnibus, quę, & qualis sit ista lex æterna. Et definit D. Thomas, quòd hoc ex parte notum est omnibus, sed nõ ex omni parte: nam solus Deus ex omni parte valet comprehendere suam sapientiã incomparabilem, & summam.

Iob. 12.

ARTIC. TERTIVS.

¶Vtrũ oẽs lex à lege æterna deriuetur.

¶Conclusio est affirmans.

EXPLICATIO ARTICVLI.

HIus cõclusionis probatio sic procedit. Sicut em̃ motus mouẽtis secũdi deriuatur à primo motore; & in artificibus ratio actuũ artis inferiorũ artificũ à priori artifice ꝓcedit; ita etiã oẽs rationes gubernationis quę in inferioribus gubernato-

bernatoribus inueniuntur, à ſupremi gubernatoris ratione oriri debét: rationes autē inferiorū rectorū ſunt leges inferiores, ſicut ratio ſuperioris agentis eſt lex æterna: oportet igitur vniuerſas leges à lege æterna deriuari. Cuius ſentētiæ veritatē videbit apertè Theologus, ſi vniuerſas leges annumerauerit. Nā dictamina mētibus noſtris à natura indita cōſtituūt legē naturalē. Rurſus, dictamina illa quæ ſunt in ſacra ſcriptura, cōſtituūt legē diuinā. Illa autē dictamina quæ nos deducimus, & colligim⁹ per diſcurſum humanū, vel ex ratione naturali, vel ex ratione reuelata, conſtituunt legem humanā, Eccleſiaſticā, & ciuilē. Et iſtæ ſunt vniuerſæ leges, quæ omnes deriuātur à lege ęterna, & à diuina ſapiētia: ergo vera eſt noſtra cōclu-
Prouer. 8. ſio. Cui cōſonat illud; Per me reges regnāt, & legū cōditores iuſta decernūt. ¶ Ex hac definitione ſequit̄ in primis, q̄ ſola lex ęterna eſt formaliter in Deo, & eſt ipſa Dei ſubſtātia: cęterę verò leges ſunt participationes, & effect⁹ legis æternæ, & ſunt formaliter in ipſis creaturis. Sequitur ſecūdò, q̄ lex æterna eſt quædā lex vniuerſalis, & regimē quoddam vniuerſale, cuius nutu omnia regunt̄: cęterę verò leges ſunt particulares, quæ fines particulares reſpiciūt. Sequitur tertiò, q̄ lex æterna eſt præſtātiſſima in
Obiectio. ter oēs. ¶ Sed cōtrà eſt argumētū. Nā lex diuina poſitiua eſt in Deo exiſtēs: ergo falſum eſt q̄ ſola æterna ſit formaliter in Deo. Probatur antecedens tū ex ipſo nomine: ea em̄ de cauſa nominat̄ lex diuina, quia eſt in Deo exiſtēs: tū verò, qm̄ hoc dictamē; Pueri ſunt baptizandi; euchariſtia ſuſcipiēda; credēdū in crucifixū; in mēte diuina cōſiſtit. Ad hoc argumētū reſpō-
Caieta. det Caiet. q̄ lex diuina eſt quædā participatio legis æternæ, & cōparata ad legē æternam eſt quædā lex particularis exiſtēs in creaturis formaliter. Nā lex vetus reuelata fuit antiquis patrib⁹, & diſpoſita per Angelos in manu mediatoris, vt dicit Paul⁹. Lex verò euāgelica eſt ſcri-
Galat. 3. Hieremias pta in cordibus noſtris; de hac em̄ dicit Hiere. Dabo legē meā in cordibus eorū, & in viſceribus eorū ſcribā eā: de quo infrà, cū de lege euāgelica dictū fuerit. Itaq; illud dictamē legis diuinæ, ſuperiùs cōmemoratum, in mēte diuina cōſiſtēs, ad legē æternā ſpectat, & ad diuinā ſapiētiā, cuius diſpoſitione omnia gubernantur.
D. Tho. ¶ Sed ad finē articuli aduertat Theologus, q̄ in illo, tribus verbis (vt aiūt) D. Tho. omniū legū proœmiū, & prīcipiū demōſtrat, quod pluribus verbis Cicero ex Platone acceptis perſuadet: nimirū, legē ęternā, & diuinā ſapiētiā omniū legū eſſe originē, & primariū principiū, à quo oēs leges deriuant̄: ſed ſatiùs eſt verba Ciceronis hîc ꝓponere; Sit igit̄ hoc iā à principio perſuaſum ciuibus, dominos eſſe ac moderatores omniū rerū Deos, ea quæ gerātur, eorū geri iudicio atq; numine, eoſq; optimè de genere hominū mereri, & qualis quiſq; ſit, quid agat, q̄d in ſe admittat, qua mēte, qua pietate colat religiones, intueri: piorūq; & impiorū habere rationē. His em̄ reb⁹ imbutæ mētes haud ſanè abhorrebunt ab vtili, & à vera ſententia. Quid eſt em̄ verius, quā neminē eſſe oportere tā ſtultè arrogātē, vt in ſe rationē & mentē putet eſſe, in cœlō, mundoq; nō putet? aut vt ea, quæ vix ſumma ingenij ratione cōprehendat, nulla ratione moueri putet? Quē verò aſtrorū ordines, quē dierū noctiumq; viciſſitudines, quē mēſiū tēperatio, queq; ea quæ ſignuntur nobis ad fruēdū, nō gratū eſſe cogāt, hunc hominē omnino numerari quī decet? Cūq; omnia quæ rationē habēt, præſtēt ijs quæ ſunt rationis expertia, nefaſq; ſit dicere vllā rē pręſtare naturæ omniū rerū, rationē ineſſe in ea cōſitētū eſt. Vtiles autē eſſe opiniones has quis neget, cū intelligat, quàm multa firmentur iureiurando, quantæ ſalutis ſint fœdera religioni, quàm multos diuini ſupplicij metus à ſcelere reuocarit, quàmq; ſancta ſit ſocietas ciuium, inter ipſos dijs immortalibus interpoſitis tum iudicibus, tū teſtibus? Habes legis proœmiū; ſic enim hoc appellat Plato.

ARTIC. QVARTVS.

¶ *Vtrùm neceſſaria & æterna ſubijciātur legi æternæ.*

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Onclusio eſt. Oīa quæ ſunt in rebus creatis, ſiue contingentia ſint, ſiue neceſſaria, legi æternæ ſubduntur: ea verò quæ ad naturam pertinēt diuinā, nequaquā legi æternæ ſubdūtur, ſed ſunt ſecūdùm rē ipſa lex ęterna. Probatur: nā ſicut in hominis gubernatione legi humanæ ſubdunt̄ ea quæ per homines fieri poſſunt; ea verò quæ ad naturā hominis pertinēt, vt, q̄ homo animā habeat, aut man⁹, & pedes, tali gubernationi, vt legi, minimè ſubiecta ſunt; eadē rōne de lege æterna dicēdū eſt, illi tm̄ res creatas ſubditas eſſe, non autē naturā diuinam.

ARTIC. QVINTVS.

¶ Vtrùm naturalia contingentia legi æternæ ſubdantur?

SVMMA TEXTVS.

Concluſio. CConcluſio eſt affirmans, quæ ex diſcrimine, inter legẽ diuinã, & humanã, manifeſta eſt. Lex nãq; hominis tãtùm ad rationales extẽditur creaturas, quæ ſibi ſubiectæ ſunt, non autẽ ad irrationales: at Deꝰ imprimit toti naturę principia ꝓpriorũ actuũ, ſicut homo imprimit ſubdito, denũciãdo quodã principiũ actuũ humanorũ: quare dicit Prou. 8. Deũ poſſuiſſe legẽ aquis. Irrationales ergo creaturæ legi æternæ ſubditæ ſunt, quatenus ſcilicet à diuina prouidentia in fines ſuos mouentur.

Prouer. 8.

ARTIC. SEXTVS.

¶ Vtrùm omnes res humanæ ſubijciantur legi æternæ?

SVMMA TEXTVS.

Prima con. PRima Concluſio. Rationales creaturæ non ſolùm legi æternæ ſubdũtur per naturalẽ inclinationẽ, ſicut aliæ res naturales, ſed etiã per cognitionẽ. Nã prętereaquòd nati ſumus ad habẽdas virtutes, vt dicitur. 2. Ethic. etiã homo legis æternæ aliqualẽ habet cognitionẽ, vt art. 2. dictũ eſt. ¶ Secunda Concluſio. In malis vterq; modus imperfectus, & quodãmodo corruptus inuenitur; in bonis autem vterque modus inuenitur perfectus. Probatur: quoniã primus modus, qui eſt naturalis inclinatio per habitũ vitioſum, in malis corrũpitur, & deprauatur; & ſecundus modus, qui eſt cognitio per paſſionem, quibus ſubiecti ſunt mali, obtenebratur, & offuſcatur. In bonis autẽ ſuper naturalẽ inclinationẽ quã ad bonũ habent, additur motiuum interius gratiæ, & virtutis: & cognitioni naturali boni cõiungitur cognitio fidei & ſapiẽtiæ: vnde in eis inclinatio & cognitio perficitur. ¶ Tertia Cõcluſio. Quãuis hoc ita ſit, tam boni, quàm mali legi æternæ ſubdũtur: illi quidẽ perfectè; iſti verò imperfectè: boni nãq; ſecũdũ legẽ æternam agunt, & operantur; mali autem ſubduntur quoad ſuas actiones, prout imperfectè cognoſcũt, & imperfectè ordinantur ad bonum: ſed tamen mali perfectè ſubduntur ei ex parte paſſionis; & quod actioni deeſt, à paſſione ſuppletur, inquantum in tantum patiuntur, inquantum quod legi æternæ conuenit, facere omittunt.

Ariſto.

Secunda.

Tertia.

EXPLICATIO ARTICVLORVM.

CIrca hos articulos eſt dubiũ; vtrùm omnia, tã neceſſaria, quàm cõtingẽtia, ſubdantur legi æternæ, ſic quòd nihil agatur in rerum vniuerſitate præter ordinem à Deo conſtitutum. Quæſtionem hanc differit D. Tho. arti. 4. 5. & 6. huius quæſtionis. ¶ A parte negãte arguitur. Primò. Id quod lege, & ratione regitur, fortuitum, & à caſu non eſt: ergo ſi omnia ſubijciuntur legi æternæ, & prouidentiæ, ſequitur quòd nihil ſit fortuitum, & à caſu: quod aſſerere, aduerſatur omnium hominum opinioni, & veræ Philoſophiæ. ¶ Deinde, illa quæ ſunt neceſſaria, non reguntur lege, & prouidentia: nam (teſte Ariſtotele) prudentia eſt recta ratio contingẽtiũ, de quibꝰ cõſiliũ eſt, & electio: ergo neceſſaria non ſubdũtur legi æternę. ¶ Tertiò, hæc veritas; homo eſt animal rationale; eſt neceſſaria, & æterna: at nõ ſubijcitur legi æternæ, nec diuinæ gubernationi: Deus nãque circa illam nihil immutare poteſt. ¶ Quartò, illa regũtur lege & ratione, quę cognoſcunt finem: ſed res naturales non cognoſcunt fines: ergo lege nõ reguntur. ¶ Sed probatur maioribus argumentis:

Vtrùm tam naturalia quã contingentia legi æternę ſubdantur.

D. Tho.

Primũ arg.

Secundum Ari. 6. Ethi.

Tertium.

Quartum.

Argumẽta ꝙ cõtingẽtia legi æternæ non subdantur. Eccle. 15. Roma. 1.

tis, quòd contingentia, legi æternæ non subdã tur. Ille enim qui relinquitur suo arbitrio, lege nõ regitur: sed homo dimittitur suo arbitrio, dicẽte scriptura; Constituit Deus hominẽ ab initio, & reliquit eum in manu consilij sui: & de peccatoribus asserit Paulus; Tradidit illos Deus in desideria cordis eorũ. Hæc omnia cõ

1. Corin. 9. Eccles. 9.

firmãtur ex D. Paulo dicente; Nunquid de bobus cura est Deo? & Eccles. 9. Vidi sub sole, nec velocium esse cursum, nec sapientium panem, nec artificum gratiã, sed in omnibus tempus, & casum. ¶ Probatur etiam multa fieri in

Argumẽta ꝙ multa fiant prẽter ordinẽ diuinę prouidẽtiæ.

rerum vniuersitate præter ordinem à Deo institutum. Nam Deus potest facere cõtra suam præscientiam: imo ego possum facere contra Dei præsciẽtiam; possum peccare, possum mereri, & Antichristus potest saluari, licèt Deus

Primũ arg.

oppositum præscierit; alioqui præscientia imponeret rebus necessitatem, & tolleret liberũ

Secundum

arbitrium, quod est hæreticum. ¶ Deinde, miracula quæ fiunt, sunt præter ordinem à Deo institutum, imo supra omnem ordinem, & cursum naturæ. ¶ Præterea, peccator operatur cõ

Tertium.

tra Dominum, iuxta illud; Lingua eorum, & adinuentiones eorum cõtra Dominum. Item contra Dei voluntatem agit, & contra legem æternam. Peccatum enim est factum, vel dictum, vel concupitum contra legem æternam Dei: ergo nõ omnia sunt subiecta legi ęternæ.

Esai. 3.

Vltimum.

¶ Vltimò, quòd peccata fiant, vel est consentaneum legi æternæ, vel nõ. Si primum; ergo bonum est peccata fieri, siquidem est dispositum secundùm legem æternam, & diuinę sapientię ordinem. Si secundum; ergo non omnia sunt

In cõtrariũ Sapien. 14.

subiecta legi æternæ. ¶ In cõtrarium est illud; Tua pater prouidentia omnia gubernas. Respondetur, non solùm est certum secundùm fidem, sed etiam est manifestum lumine naturæ, omnia esse subiecta legi æternæ. Et ratio

Omnia legi æternæ subduntur.

est clara: nam omnia reguntur, & administrantur diuina prouidentia. quod patet testimonio scripturæ suprà adducto, & ex illo; Cuncta sunt posita in ditione tua, & nemo est qui

Hester. 13. Sapien. 8.

possit resistere voluntati tuæ: & illud; Attingit à fine vsque in finem, & disponit omnia

Aug. lib. 9. de ciui ca. 22. 26. contra Faust. ca 3.

suauiter. D. Augustinus dicit; Nihil summis legibus creatoris, & eius ordinationi subtrahitur: & alibi scribit; Deus contra cursum naturę consuetum facit, sed contra summam legem non facit: alioqui contra seipsum faceret. Ex quo pro nostra sententia, altera colligitur ratio. Nam si Deus faceret contra legem æternam, faceret contra suam dispositionẽ: at Dei dispositio immutabilis est: ergo. Vltima ratio est euidens: nam nihil potest fieri præter ordinem causæ vniuersalis: sed lex æterna est causa vniuersalis: ergo nihil potest fieri præter ordinem legis æternæ. Certè hæc est differentia inter causam particularem, & vniuersalem; ꝙ præter causam particularẽ potest esse alia causa particularis illi non subiecta, quæ eius effectum impediat: cæterùm præter causam vniuersalem non potest esse alia causa particularis: vniuersa enim causa particularis operatur virtute causæ vniuersalis; & ideo omnes causę particulares in vniuersales reducendæ sunt.

Vtrùm diuina volũtas legi ęternę subdatur.

¶ Sed dubitatur; vtrùm volũtas diuina sit subiecta legi æternæ? Ratio dubitandi est: Nam diuina voluntas iusta est, & diuinæ sapientiæ consentanea: ergo subdita est legi æternæ. Respondetur, quòd voluntatis diuinæ actiones

Actiones diuinæ in duplici sunt differentia.

sunt in duplici differẽtia. Quædam sunt ad intra: vt cùm Deus amando se spirat Spiritũ sanctum; & huiusmodi actiones non mensurantur lege æterna; sunt enim naturales, & necessariæ, & ipsa Dei substãtia: Aliæ sunt actiones & volitiones ad extra, quales sunt volitiones quibus Deus vult mundum creare, cõstituere creaturas; & huiusmodi actiones non tam impropriè mensurantur lege æterna: ideo enim Deus voluit creare cœlũ tot syderibus distinctum, quia ita iudicauit per suam sapientiã fieri oportere: & hoc est quod dicitur Prouer. 3. Sapientia firmauit terram, & stabiliuit cœlos prudentia. Secundò dicendum est, quòd propriè loquendo diuina voluntas est infinitæ perfectionis, & de se rectissima; imo ipsa rectitudo: non ergo eget alia mensura, nec rectore vt ad finem suum perducatnr. Nihilosecius tamen sciendum est, quòd licèt in attributis diuinis vnum non sit causa alterius, vnum tamẽ est ratio alterius; sicuti Deus est æternus, quia est immutabilis; & est immutabilis, quia est actus purus. Ad eundem modum nõ absurdè concedet Theologus, quòd diuina sapientia est ratio diuinæ voluntatis. ¶ His cõstitutis, ad argumenta in principio posita respõdetur. Ad primum, quòd multa sunt fortuita, & quę euẽniunt à casu, si referantur ad causas particulares, extra quarum ordinem fiunt; at si referantur ad diuinam prouidentiam, & gubernationem, nihil est à Deo non præuisum, nõ præordinatum ab æterno; sicuti concursus duorum seruorum casualis est quantum ad eos, cæterùm à domino præuisus fuit, qui ideo misit illos scienter in hunc locum, vt vnus de altero nesciat: de qua re videndus est D. Tho. 3. contra gent. ca. 74. ¶ Ad secundum respondetur, quòd homo non est institutor naturæ, & ideo in operibus virtutis, & artis vtitur rebus naturalibus ad suum finem: propter quod prouidentia humana non se extendit ad res necessarias, quæ ex natura prodeũt, ad quas se extendit Dei administratio, & gubernatio, qui

Prouer. 3.

Solutio argumẽtorũ. Ad primũ.

D. Tho.

Ad secũdũ.

Ad tertiũ. eſt autor & cõſeruator naturæ. ¶Ad tertium quidam dicũt, ꝙ hominẽ eſſe animal rationale, eſt ens rationis, & quoddã cõplexũ propoſitionale. Hæc ſolutio cõfutatur: nã hominem eſſe animal, eſt magna perfectio: ergo non eſt ens rationis. rurſus, hominẽ eſſe animal rationale, eſt hominẽ eſſe ſubſtãtiã: ergo nõ eſt ens rationis. Alij dicunt, ꝙ hæc veritas; homo eſt animal rationale; æterna eſt, & immutabilis: ſed qm̃ veritas nõ eſt niſi in intellectu, autore Ariſtotele, ideo hæc veritas eſt ęterna in intellectu diuino, qui Deus eſt, ꝓpter quod extra Deũ nihil eſt æternũ: & quemadmodũ Deus nõ ſubdit̃ legi æternæ, hęc veritas nõ ſubditur legi æternæ. Hæc ſolutio mihi nõ placet: nam hominẽ eſſe animal rationale, eſt ens reale, vt ſuprà demõſtratũ eſt, & nõ increatũ: ergo creatũ. Rurſus, eſſe animal rõnale, vel eſt Deus, vel aliquid à Deo diſtinctũ; nõ primũ; ergo ſecundũ; ergo aliqd extra Deũ æternũ eſt. ¶Igitur ad argumẽtũ, quod attinet ad noſtrã cauſam, dicẽdũ eſt, hominẽ eſſe animal rationale, eſſe æternũ, & eſſe ſubiectũ legi æternæ: nã ꝙ naturæ humanæ debeatur ꝙ ſit rationalis, ex diuina ſapiẽtia & ordinatione diſpoſitũ eſt: & hũc ſenſum habet hęc veritas, homo eſt animal rationale. Quòd verò Deꝰ circa hãc veritatẽ nihil valeat immutare, nõ demonſtrat ꝙ diuinæ ſapiẽtiæ non ſit ſubiecta, ſed ꝙ ſit de eſſentia naturę humanę ꝙ ſit rationalis: Deus nãq; eſſentias rerũ nõ põt immutare. Itẽ dicẽdũ eſt ꝓ cõfutatione argumẽti, ꝙ hominẽ eſſe animal rationale, nõ eſt Deus, nec aliquid extra Deũ: nã hæc diuiſio eſt rerũ exiſtentiũ; id eſt, res exiſtẽs aut eſt Deus, aut aliquid extra Deũ: itaq; hominem eſſe animal rationale, priuſquã ꝓducatur homo in rerũ natura, nec eſt Deus, nec aliquid extra Deum. Vel dicatur, hominẽ eſſe animal rationale, eſſe aliquid creatũ, & extra Deũ, ad hunc ſenſum, ꝙ ſi ponatur in rerũ vniuerſitate, debeẽ illi ꝙ ſit creatura.

Ad quartũ. ¶Ad quartũ argumẽtũ reſpõdetur, ꝙ aliquid dupliciter operatur, & mouetur in finẽ: Vno modo, ꝙ ſe agat, & moueat in finẽ per cõſiliũ, & deliberationẽ; & ſic ſolę creaturę rationales ſe mouent in finẽ, & taliũ eſt cognoſcere finẽ, & media in finẽ: Alio modo vt directũ, & motũ in finẽ; ſicut ſagitta mouẽt in ſcopũ à ſagittatore, quẽ ſcopũ nõ cognoſcit ſagitta, ſed ſagittator: & ſicut certus ictus & motus ſagittæ in ſcopũ demõſtrat ꝙ dirigitur à ſapiẽte ſagittatore; ſic certꝰ rerũ ordo & curſus demõſtrat, ꝙ mũdus ſapiẽtia & ratione regatur. ¶Ad alia argumẽta, quibus ꝓbatur, ꝙ cõtingẽtia nõ ſubdãtur legi æternæ. dãtur legi ęternę. Reſpõdetur ad primũ, ꝙ homo relinquitur in manu cõſilij ſui, ad iſtũ ſenſum, ꝙ conſtituitur liberi arbitrij, & moderator, & rector ſuorũ operũ: hæc verò moderatio non excludit diuinã gubernationẽ, & legẽ æternã; ſicuti ꝙ res naturales habeãt virtutem operãdi nõ excludit diuinã virtutẽ. ¶Ad auctoritates ſacræ ſcripturæ, ad illã; Nũquid de bobus, &c. Reſpondetur, certè de bobus cura eſt Deo, ſed nõ pręcipua: & hoc ſignificat Paulus. Ad aliã Eccleſ. reſpõdetur, eſſe familiare, ꝙ in illo libro referantur dogmata ex perſona impiorũ, quale eſt illud; Vnus eſt interitus hominũ, & iumẽtorum, & æqua vtriuſq; conditio.

¶Ad alia argumẽta, quibus ꝓbatur multa fieri in rerũ vniuerſitate præter ordinẽ à Deo inſtitutũ, & præter legẽ æternã. Ad primũ eſt duplex ſolutio: vna eſt, ꝙ concluſio loquit̃ in ſenſu cõpoſito; id eſt, ſuppoſito ꝙ Deus lege ęterna aliquid ordinauerit, impoſsibile eſt quòd aliter eueniat in ſenſu cõpoſito; id eſt, conſtat ex repugnãtibus, ꝙ Deus aliquid ordinauerit, & aliter eueniat. Secũda eſt, ꝙ cõcluſio nõ dicit, ꝙ nõ poſsit fieri aliquid cõtra Dei præſciẽtiã, ſed ꝙ nõ poteſt fieri cõtra legẽ, & ordinationẽ diuinã efficaciter diſponẽtem. Certè lex diuina eſt diſpoſitio efficax, ꝙ dãnati iam nõ habeãt remedia aliqua, & ꝙ beati iam nõ mereãtur; cõtra iſtas leges nihil poteſt fieri. ¶Ad ſecundũ reſpondetur, ꝙ licèt Deus inſtituerit curſum naturæ ordinariũ, ſibi tñ reſeruauit vt aliquãdo faceret ſupra curſum naturæ ordinariũ; & tũc quãdo facit, non facit cõtra legem Dei æternã, ſed ſecũdũ diuinæ ſapiẽtiæ diſpoſitionẽ. ¶Ad tertiũ Caietanus. 1. p. q. 103. arti. vltimo dicit, ꝙ peccatores, qui peccãt mortaliter, duo inſpiciũt; alterũ eſt intẽtũ, & hoc conſtat eſſe bonũ, & ſic adimplẽt ordinẽ legis ęternæ, & diuinæ gubernationis: alterũ eſt præter intẽtionẽ, & hæc eſt deformitas actus, quæ in priuatione boni cõſiſtit; in hoc peccator declinat à bono determinato, & nititur cõtra illud. Ex quo ſequit̃, ꝙ peccator nulla ratione agit contra diuinã gubernationẽ in generali, ſed in ſpeciali. Magiſter Victoria aiebat, ꝙ Deus põt cõſiderari vt cauſa particularis cõſulẽs, & præcipiẽs; & huius cõſilijs, & præceptis reſiſtẽs, dicitur reſiſtere diuinæ gubernationi: alio modo cõſideratur vt cauſa vniuerſalis, & ſic nullus reſiſtit diuinæ gubernationi. Vel dicatur, quòd omnia quæ exiſtunt, verè ſunt ſubiecta legi æternæ: peccatum nõ exiſtit, ſed nihil eſt: non ergo eſt ſubiectum legi æternæ. D. Augu. tract. 1. in Ioãnem dicit, ꝙ qui peccat, nõ facit, ſed deficit. Vera ſolutio eſt, quòd peccator dum peccat, aliquo in ſenſu facit cõtra voluntatem Dei, & legem, & in alio ſenſu non. Facit certè

Ariſt. 6. me 32. tex. 3.

Solutio auctoris.

Ad argumẽta ꝙ multa fiant prẽter ordinem à Deo inſtitutum.

Ad primũ.

Ad ſecũdũ.

Ad tertiũ. Caieta.

Victoria.

Auguſt.

certè cõtra volũtatẽ signi,& cõtra pręcepta;& prohibitiones, quæ figurata loquutione Dei volũtas appellãtur: cæterùm nõ facit cõtra voluntatẽ beneplaciti,nec cõtra Dei efficacẽ ordinationẽ:de hac enim dictũ est;Omnia quęcũq; voluit Dñs fecit in cœlo & in terra: & iterũ;Volũtati eius quis resistet? & de ista asseritur,q̃ est causa omniũ vniuersalis,& q̃ ei omnia sunt subiecta.Certè de peccatoribus omnia fiũt quę Deus fieri ordinauit:ordinauit autẽ Deus permittere peccata fieri, & ita fit: dispoſuit parcere peccatori,& ita euenit;& punire peccatorẽ in peccato perſistẽtẽ, & ita cõtingit. Quemadmodum cùm peccator dimittit Deũ,incidat in Deũ,& in legẽ æternam, & in eius pœnã, ostendit multis in locis D.Augustinus.Ex dictis patet quid dicẽdum sit ad quartum argumentum.Hactenus de lege æterna.

Aug.in Enchi.c.100. lib.4.cõfe.ca.9.li 5.c. 2.3.lib.de libe.arb.c. 12.&.13. vsq; in fin. lib.

QVAESTIO. XCIIII.

De lege naturali; in ſex articulos diuiſa.

ARTIC. PRIMVS.

¶ *An lex naturalis ſit habitus.*

SVMMA TEXTVS.

Prima con. PRima Concluſio. Lex naturalis propriè,& eſſentialiter nõ eſt habitus. Probatur: quoniã habitus ſecundùm ſuã eſſentiã eſt id quo ratio aliquid agit;veluti grãmatica dicitur habitus,quoniã ipſa intercedente, intellectus orationẽ congruã cõſtituit:at lex naturalis nõ eſt quo ratio agit,ſed potiùs eſt q̃d per rationẽ cõſtitutũ: vnde

Secunda. nõ põt ꝓpriè habitus dici.¶Secũda Cõcluſio.Lex naturalis põt dici habitus impropriè, & ea ratione, qua habitus id dicitur,quod habitu tenetur;ſicut fides dicit id quod fide tenetur.Probatur:nam præcepta legis naturalis quandoq; actu à ratione conſiderãtur,quãdoq̃ue verò in ea ſunt ſecundum habitũ, quando non actu conſiderantur.

EXPLICATIO ARTICVLI.

VIdetur certè q̃ cõcluſio D.Tho.falſa ſit: idq; ſuadeẽt his argumẽtis.In primis:Lex naturalis eſt impreſſa mẽtibus noſtris,iuxta illud;Signatũ eſt ſuper nos lumẽ vultꝰ tui Dñe: & iuxta illud;Gẽtes quę legẽ nõ habẽt,naturaliter ea quę legis ſunt faciũt, & oſtendũt opus legis ſcriptũ in cordibus eorũ. Sed quidquid eſt in animis noſtris,vel eſt potẽtia,vel paſsio, vel actus, vel habitus. Sed lex naturalis nõ eſt potẽtia,vt per ſe notũ eſt;nec paſsio, nec actꝰ; alioqui cùm nihil agimus,non maneret in nobis lex naturalis.Ergo eſt habitus.Cõſequẽtia valida eſt à ſufficiẽti enumeratione.¶Rurſus, Lex naturalis impreſſa eſt mẽtibus noſtris, vt oſtẽſum eſt:ſed nihil eſt impreſſum in mentibus noſtris præter eſſentiã,potentiã,& habitũ primorũ principiorũ: ſed lex naturalis non eſt eſſentia,nec potẽtia:ergo eſt habitus primorũ principiorum.¶Tertiò,Lex naturalis,quæ eſt impreſſa mẽtibus noſtris, vel eſt facultas ad iudicãdũ,q̃ malũ eſt fugiẽdũ,bonũ ſectãdũ; vel eſt dictamẽ, & iudiciũ intellectus impreſſum mẽtibus noſtris: ſed tñ nõ eſt dictamẽ impreſſum à natura;dictamen eñ dicit iudiciũ prout progreditur ab operante: ergo eſt illa facultas aſſentiẽdi prædictis iudicijs,& dictaminibus.¶Vltimò,Lex naturalis manet in pueris,amẽtibus,dãnatis, in quibus nõ eſt actus: ergo lex naturalis habitus eſt. In cõtrariũ eſt ſententia D.Thomę.¶Pro explicatione veritatis ſciẽdũ eſt,q̃ lex naturalis nihil aliud eſt,quàm propoſitiones & iudicia per ſe nota, vel ex per ſe notis euidẽter deducta;vt malũ eſt fugiẽdum,bonũ amplectẽdũ;mẽdaciũ fugiendũ, veritas ſectãda.Secũdò notãdũ eſt,q̃ ſicut in intellectu ſpeculãte ponimus habitũ primorũ principiorũ, quo aſſentimur primis principijs ſpeculabilibus;ita in intellectu practico cõſtituimus habitũ primorũ principiorũ, quo aſſentimur primis principijs practicis;bonũ eſt ſequẽdũ, malũ fugiẽdũ:& hũc habitũ nominamus ſyndereſim,de quo agit D.Th.1.p.q.79.art.12.Tertiò ſciẽdum eſt,q̃ lex naturalis nõ ſic intelligẽda eſt,q̃ omnibꝰ immediatè nota ſit,& per ſe nota:nã primaria illa principia generaliſsima ſunt omnibus nota;alia verò particularia,& ſequẽtia requirunt induſtriã,& inſtructionẽ:de qua re infrà dicẽdũ eſt.Vltimò aduertẽdum eſt,q̃ lex naturalis non dicit eo in ſenſu,qm̃ impetu naturali rapiat homines, ſicut bruta feruntur; ſed qm̃ per lumẽ naturę inſitũ ducat homines in finẽ honeſtũ, ſicut decet ingenuã & liberã creaturã:hoc eſt quod dicitur; Quis poſuit in viſceribus hominũ ſapiẽtiã,& dedit gallo intelligẽtiam? His cõſtitutis,eſt prima propoſitio, ¶Lex naturalis nõ eſt habitus:nã lex naturalis eſt iudi-

Examinatur prior concluſio. Primũ arg. Pſal.4. Roma.2.

Secundum.

Tertium.

Vltimum.

Lex naturalis quid.

D.Tho.

Iob.38.

Prima cõc.

est iudicium euidens, & dictamẽ: iudiciũ verò actus est, nõ habitus: habitus verò iudicat, sed nõ est iudiciũ. ¶ Secũda propositio. Lex naturalis inest nobis per modũ habitus: nam licèt cesset actus, non continuò abòletur in nobis lex naturalis; trãseũte enim actu, manẽt illa iudicia, & dictamina in virtute, & in synderesi, quã diximus in superioribus habere virtutem ad hæc iudicia efficiẽda. Ex his statim sequit̃, ꝙ lex naturalis non est synderesis: hanc enim D. Tho. 1. p. q. 79. docuit habitũ esse, nẽpe virtutẽ mẽtis, quæ nos inclinat ad assentiendum principijs practicis; sicut habitus intellect⁹ est propẽsio, & appulsio ad assentiẽdũ principijs speculatiuis: atque hac ratione synderesis dicitur instigare ad bonũ, & murmurare de malo. In summa, sicuti habitus intellectus non est principiorũ collectio, sed virtus assentiendi illis; sic neq; synderesis est lex naturalis, sed virtus assentiendi illis principijs ac dictaminibus practicis, quę sunt lex naturalis. Vnde vbicũq; legatur synderesis esse lex intellectus nostri; vt est apud Basiliũ; intelligendũ est, nõ per essentiã, sed ꝙ synderesis est habitus cõtinẽs legẽ naturæ, quippe cuius virtute principia illa iudicamus. Sequitur secũdò solutio omniũ argumẽtorũ quæ in principio adducta sunt: omnia enim illa argumẽta efficaciter probant, ꝙ lex naturæ nõ semper manet in nobis per modũ actus, sed per modũ habitus, quod est verũ. ¶ Sed dubiũ est, vtrùm pueri, & amẽtes teneãtur lege naturali? Ratio dubij est. Nam ignorãtia nõ tollit legis obligationẽ, & vinculũ, vt suprà dictũ est, cũ de promulgatione legis agere mus. In cõtrariũ est, qm̃ eadẽ ratione tenerentur pueri lege diuina, & humana; quod asserere, falsum est. Rursus, iudiciũ de rebus agẽdis sumẽdũ est de his quæ per se cõtingũt rebus: sed pueri per se sunt inhabiles, & inepti ad cognoscendũ legẽ: ergo nulla lege tenẽtur. Secus est de absentibus, qui ignorant legẽ: hoc enim est per accidẽs, & ideo lege tenẽtur. Sed antequã hinc discedamus, operæpretiũ erit & diligẽtiùs, & vberiùs quid sit lex naturalis ex sanctis Patribus elucidare. ¶ Lex naturalis est lumẽ rationis humanæ, quod Deus naturæ conditor, vna cum natura inseruit mẽtibus hominũ ad aliquid faciẽdũ, vel nõ faciendũ; de qua Paulus; Gentes quæ legẽ nõ habẽt, naturaliter ea quæ legis sunt faciũt: & D. Augustinus; Lex tua, Dñe, in cordibus hominũ scripta est, quã nec vlla vnquã delet iniquitas. Certè quemadmodũ Deus omniũ rerum cõditor, & gubernator, rebus inanimatis, atque etiã ipsis animãtibus, ratione carẽtibus, impresit vires, & inclinationes secundum quas aguntur, & dirigũtur in suos fines, debitisq; suis funguntur officijs, à quibus, quia nõ seipsa agunt, sed ab autore naturæ infallibiliter agẽte agũtur, secũdum suarũ inclinationum necessitates deuiare non possunt: ita & ipse idẽ Deus, qui rationalẽ creaturã cõdidit ad imaginẽ, & similitudinẽ suam, impressit eidẽ rationali creaturæ quędã suorũ actuũ principia, ceu leges cõmunes, secũdum quas nõ sic inclinationis necessitate moueretur, sed secũdũ quas ex libera ratione seipsam dirigeret, habẽs in potestate etiã aliter facere, propter vim liberi ex ratione arbitrij, per quã potest & legis cõditorẽ, vt sibi præfectũ, ac superiorẽ apprehendere, & rationẽ, seu finẽ operũ legis cognoscere, & cõferẽdo vnũ ad alterũ examinare, atq; discernere. Vnde secundum Christi, & Pauli Apostoli doctrinam, volũtas hominis est tãquã vis media inter legẽ mẽtis, & legẽ carnis, inter cõsiliũ Dei, & consiliũ diaboli cõstituta, potens vel cohibere mẽbra sua in opus secundũ huius, vel illius cõsilium. Nemo, vt inquit Christus, potest duobus dominis seruire, &c. Nõ potestis Deo seruire, & Mãmonæ: quibus verbis apertè insinuatur, homiñẽ nũc huius, nunc illius cõsilio posse acquiescere. Cęterùm, quemadmodũ Deus imprimẽdo toti humanæ naturæ huiuscemodi principia cõmunia suorũ actuum dicitur præcepta quædã illi dedisse; siquidẽ inclinationes, & põdera à Deo cõditore naturæ impressa, quibus dictat ratio aliquid debere fieri, aut non fieri, sunt quædã Dei leges, quæ etsi per Adę peccatũ, aliaq; crimina voluntariè superaddita, sint obtenebrata, non tñ prorsus sunt extincta: de quo latiùs dicemus inferiùs. Hoc ipsum diluci dè satis explicat Augustinus Psal. 57. Cùm manu formatoris nostri in ipsis cordibus nostris veritas scripserit; Quod tibi nõ vis fieri, ne facias alteri; hoc antequã lex daretur, nemo ignorare permissus est, vt esset vnde iudicaretur, & quibus lex nõ esset data: sed ne sibi homines aliquid defuisse quererẽtur, scriptũ est & in tabulis, quod in cordibus nõ legebãt. Nõ enim & scriptum nõ habebãt, sed legere nolebãt, oppositũ est oculis eorũ, quod in cõscientia videre cogerẽtur, & quasi forinsecus admota voce Dei ad interiora sua homo cõpulsus est, dicente scriptura; In cogitationibus enim impij interrogatio erit. Vbi interrogatio, ibi lex. Sed quia homines appetẽtes ea quæ foris sunt, etiam à seipsis exules facti sunt, data est etiã scripta lex, nõ quia in cordibus scripta nõ erat, sed quia tu fugitiuus eras cordis tui, ab illo vbique es cõprehenderis, & ad teipsum intrò reuocaris. Propterea scripta lex quid clamat eis qui deseruerunt legẽ scriptam in cordibus suis? Redite præuaricatores ad cor: quis enim te docuit nolle accedi ab altero ad vxorẽ tuam?

Secũda cõ.

D. Tho.

Basil.

Vtrùm pueri & amẽtes teneantur lege naturali.

Quid sit lex naturalis.

Roma. 2. Aug. 2. confes. c. 4.

Matth. 6.

Augusti.

Matt. 7.

Sapient. 1.

Nota.

tuam? quis te docuit, nolle tibi furtum fieri? quis te docuit, nolle iniuriã pati; vel quidquid aliud vniuerſaliter, aut particulariter accidere poteſt? multa enim ſunt de quibus ſingulis interrogati homines clara voce reſpõdeãt, nolle ſe pati. Age, ſi nõ vis pati iſta, nũquid ſolus es homo? nõ ne in ſocietate viuis generis humani? Qui tecum factus eſt, ſocius tuus eſt, & oẽs facti ad imaginẽ & ſimilitudinẽ Dei, niſi terre nis cupiditatibus cõterãt quod ille formauit. Quod ergo tibi nõ vis fieri, noli alteri facere: iudicas eẽ malũ eſſe in eo quod pati nõ vis, & hoc te cogit noſſe lex intima in ipſo tuo corde cõſcripta: faciebas, & clamabatur inter manus tuas; quomodo cogeris redire ad cor tuũ cùm hoc pateris inter manus alienas? furtũ bonum eſt? nõ: interrogo, adulteriũ bonum eſt? & omnes clamant, non: homicidiũ bonũ eſt? omnes clamant, deteſtari ſe. Cõcupiſcere rẽ proximi bonũ eſt? non, vox omniũ eſt. Aut ſi adhuc nõ confiteris, accedit qui cõcupiſcat rem tuã, placeat tibi, & reſponde quid vis. Omnes ergo de his rebus interrogati, clamãt hæc bona nõ eſſe. Rurſus, de beneficijs nõ ſolùm de nõ nocẽdo, verùm etiã de nõ præſtando, atq; tribuendo: interrogatur omnis anima eſuriẽs, famem pateris? alius habet panem, & redũdat ei vltra ſufficiẽtiã, nouit te egere, nõ dat, diſplicet tibi eſurienti, diſpliceat, & ſatiato cũ alterũ eſurire cognoueris. Peregrinus tecto indigẽs venit in patriã tuã, non ſuſcipitur, ille tũc clamat inhumanã eſſe illã ciuitatem, facilè apud Barbaros eſſe ſibi potuiſſe refugium: ſentit iniquitatem, quia patitur: tu fortè nõ ſentis, ſed oportet vt te cogites peregrinũ, & videas quomodo tibi poſsit diſplicere, qui tibi nõ præſtiterit, quod tu in patria tua nõ vis peregrino præſtare. Interrogo omnes: vera ſunt hæc? vera: iuſta ſunt hæc? iuſta. Sed & Caſsianus de hac re excellentiſsimè loquitur; Deus hominẽ creãs omnẽ naturaliter ei ſciẽtiã legis inſeruit, quæ ſi fuiſſet ab homine ſecũdũ propoſitũ Domini vt cœperat cuſtodita, nõ vtiq; neceſſariũ fuiſſet aliã dari, quę per literã poſtea promulgata eſt: erat enim ſuperfluũ, extrinſecus offerri remediũ, quod adhuc intrinſecus tenebatur inſertum. Sed quia hæc, vt diximus, corrũpi cœpit libertate, vſuq; peccãdi, velut huius exactor, & executor, ac vindex, & vt ipſis ſcripturę verbis eloquar, adiutrix, appoſita eſt Moſaicæ legis ſeueriſsima, diraq́ue diſtrictio, vt vel metu pœnæ præſentis nõ penitus bonum ſciẽtiæ naturalis extingueret, ſecundũ prophetæ ſententiam; Legẽ dans in adiutoriũ: quę etiã ſecundũ Apoſtolũ; Pædagogus velut paruulis data fuiſſe deſcribitur, erudiẽs ſcilicet eos, atque cuſtodiẽs ne ab illa diſciplina, in qua naturaliter fuerant inſtituti, quadã obliuione diſcederent. Nam quòd ſit homini omnis ſcientia legis ab initio creationis infuſa, hinc manifeſtè probatur: q̃ mandata legis abſq; literæ lectione ante legẽ, imo ante diluuium omnes ſanctos obſeruaſſe cognoſcimus. Quemadmodũ enim ſcire potuiſſet Abel, necdũ lege mãdante, quòd offerre Deo de primitijs ouiũ ſuarum, & de adipe ipſarũ ad ſacrificiũ debuiſſet, niſi per inſitam ſibi legẽ naturaliter fuiſſet edoctus? Quemadmodũ Noe, quod mũdũ, vel quod immundũ eſſet animal, decreuiſſet, nondũ hæc legali diſtinguẽte mandato, niſi ſcientia naturali fuiſſet inſtructus? Vnde Enoch didicit ambulare cum Deo, nullã legis illuminationẽ ab aliquo conſequutus? Vbi legerant Sem & Iapheth legem; Turpitudinẽ patris tui non reuelabis; vt incedentes retrorſum patris verẽda velarent? Vnde monitus Abraham deuictis hoſtibus nihil accipere de eorũ ſpolijs acquieſcit, ne retributionem laboris ſui acciperet, vel decimas ſacerdoti Melchiſedech, quę Moſaica lege præcipiuntur, exoluit? Vnde ipſe Abraham, vnde Lot tranſeuntibus peregrinis humanitatis obſequia, & ablutionem pedũ, necdum Euangelico coruſcãte mãdato, ſuppliciter obtulerũt? Vnde Iob tantã deuotionẽ fidei, tantam caſtimoniæ puritatẽ, tantã humilitatis, manſuetudinis, miſericordiæ humanitatis ſciẽtiã, cõſequutus eſt, quantã nũc ne ab illis quidem, qui Euãgelia memoriter tenẽt, videmus impleri? Quem ſanctorũ legimus, ante legẽ, vllũ legis violaſſe mandatũ? quis illorũ non cuſtodiuit; Audi Iſrael, Dominus Deus tuus vnus eſt? Nõ facies tibi ſculptile nec vllã ſimilitudinẽ eorũ quæ in cœlo ſunt, ſiue quæ in terra, vel eorum quæ ſunt in aquis ſub terra? quis eorum nõ obſeruauit; Honora patrẽ tuũ; vel illa quæ in decalogo ſubſequũtur; Non occides; Non adulterabis; Non facies furtũ; Non falſum, &c. Nõ concupiſces vxorem proximi tui; aliaq́ue his multo maiora, quibus non ſolùm legis, ſed etiam Euangelij præuenẽre mandata? Deinde ſequitur in eadẽ collatione. ca. 24. Ita ergo intelligimus ab initio Deũ omnia creaſſe perfecta, nec fuiſſe quid ordinationi eius principali velut improuidę & imperfectę, neceſſe eſſet ſuperinduci, vel quid ei addi poſt hæc oporteret, ſi in illo ſtatu atq; diſpoſitione, qua ab ipſo creata ſunt vniuerſa, manſiſſent. Et idcirco in eos, qui ante legẽ, imo ante diluuiũ, peccauerũt, iuſto iudicio Deũ omnia animaduerſiſſe probabimus; quia trãſgreſsi naturalẽ legẽ ſine vlla meruerunt excuſatione puniri. Nec in illorũ incidemus blaſphemiã, calũniãq́; , qui ignorãtes hãc rationẽ derogãt veteris teſtamẽti veritati; ac detrahẽtes noſtrę fidei, ſubſannãteſq́; dicunt,

Caſsianus collatione. 8. c 23.

Galat. 3.

Genes. 4.

Gene. 7.

Genes. 5.

Leuit. 18.

Genes. 9.

Gene. 14.

Genes. 18.

Deut. 5.

Exod. 20.

dicũt, Quid ergo placuit Deo noſtro vt poſt tot annorũ millia legẽ voluerit promulgare, tãta ſecula paſſo hominem ſine lege tranſire? quòd ſi poſtea melius aliquid adinuenit, appa ret eum in primordio mũdi inferiora vel dete riora ſapuiſſe, & poſthæc velut experimentis edoctũ, cœpiſſe rectiora proſpicere, ac principales ordinationes ſuas in melius emendaſſe: quod immẽſæ præſcientiæ Dei cõuenire non poterit, nec ſine ingenti blaſphemia, hæc de Eccle. 3. ipſa, hæretica inſania proferẽtur, dicẽte Eccle ſiaſte; Cognoui qm̃ omnia quæ fecit Deus ab initio, ipſa erũt in ęternũ, ſuper illa nõ eſt quid addatur, & ab illis nõ eſt quid auferatur; & idcirco iuſtis nõ eſt lex poſita, iniuſtis autẽ & nõ ſubditis, impijs, & peccatoribus, ſceleratis, & cõtaminatis: illi náque habẽtes naturalis illius ątq; inſitæ legis ſanã atque integrã diſciplinã, nequaquã lege hac extrinſecus adhibita, literis deſcripta, neq; in adiutoriũ illi naturali data, indigebant. Ex quibus apertiſsima ratione colligitur, nec legẽ iſtã perſcriptã literis ab initio dari debuiſſe: erat em̃ hoc ſuperfluũ fieri, ſtãte adhuc naturali lege, & integra permanẽte, nec Euãgelicã perfectionẽ tradi ante legis potuiſſe cuſtodiã: nõ enim poterãt audire; Qui te percuſſerit in dexterã maxilla tua, prębe illi & alterã; qui cõtẽti nõ erãt talionis ęqualitate iniurias vlciſci proprias, ſed lethales calces ac telorũ vulnera pro alapa leuiſsima repẽ debãt, & pro minimo dẽte, percutiẽtiũ animas Matth. 5. expetebant. Sed nec illis poterat dici; Diligite inimicos veſtros, in quibus magnus fructus & vtilitas ducebatur, vt amicos ſuos diligerent, declinarent verò inimicos, & ſolo ab eis odio deſinerent, nec opprimere illos, & interficere feſtinarent. Hactenus Caſsianus.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ *An lex naturalis plura præcepta contineat?*

PRima Concluſio eſt affirmãs.

¶ Secũda Cõcluſio. Præcepta legis naturę ordinẽ quẽdã inter ſe habent, & alia alijs priora ſunt.

EXPLICATIO ARTICVLI.

PRimã cõcluſionẽ probat D. Tho. qm̃ præcepta legis naturalis in homine ita ſe habẽt reſpectu operabiliũ, ſicut principia prima in reb⁹ demõſtrabilib⁹. Prima aũt principia in demõſtrationibus multa ſunt: multa ergo erũt legis naturæ præcepta. Secũda cõcluſio ſic probatur: qm̃ ſecundũ ordinẽ inclinationũ naturaliũ eſt ordo prẽceptorũ naturæ, & homini primo inſita eſt inclinatio ad bonũ ſecũdũ naturam, in qua cũ cęteris ſubſtãtijs cõmerciũ habet; quia oẽs bonũ ſuũ appetũt: vnde primũ præceptũ illud erit, quod, bonũ eſſe faciẽdũ, & ſequẽdũ, malũ autẽ vitandũ, ac fugiẽdum docet. Poſt hæc, peculiaris quædã alia inclinatio ad bonũ magis particulare in homine ſita eſt, in qua tã tum cũ viuẽtibus cõmunicat, ſecũdum quã id naturale dicit, quod natura edocẽte omnibus animalibus cõmune eſt, vt cõmixtio maris & fœminæ, ac liberorũ educatio. Præterea ineſt homini quædã alia inclinatio ſibi propria, qua ad bonũ ſecũdũ rationẽ inclinatur, vt veritatẽ ſcilicet agnoſcat, vt in ſocietate vitã agat; & ratione huius inclinationis ꝓpriæ homini per legẽ naturalẽ præcipitur ignorãtiã vitare, alios, cum quibus cõuerſari debet, nõ offendere: ex quibus etiã plura eſſe legis naturalis præcepta cõprobatur. ¶ Pro huius doctrinæ expoſitione aduertẽdũ eſt primò, ꝙ quemadmodũ in motũ neceſſariũ eſt cõſtituere vnũ primũ motorẽ penitus immobilem, ratione cuius omnia moueãtur; ita in diſcurſu rationis, qui eſt quidã motus, neceſſariũ eſt cõſtituere vnũ primũ principiũ per ſe notũ, rõne cui⁹ omnia innotęſcãt: hoc principiũ in ratione ſpeculatiua eſt: de eodẽ idẽ affirmari, & negari eſt impoſsibile, cuius meminit Ariſtoteles. In cognitione verò practica eſt illud principiũ primũ; bonũ eſt ſequẽdũ, malũ fugiẽdũ; in cuius virtute omnia alia principia practica cõtinẽtur, cuius etiã meminit Ariſtoteles. ¶ Secũdò aduertẽdũ eſt, ꝙ præter hoc principiũ vniuerſaliſsimũ, quod eſt præceptũ vniuerſaliſsimum legis naturæ, ſunt alia præcepta magis particularia: quæ circa alias materias particulares verſantur: quę vt certo ordine cõprehẽdantur, adnotat optimè D. Tho. in arti. ꝙ id, ad quod habet homo inclinationẽ naturalẽ, honeſtũ eſt, & rectũ ſecũdũ inclinationẽ naturalẽ; contrariũ verò malũ eſt. Hoc axioma eſſe verum, vel hæc vna ratio cõuincit. Nã inclinatio naturalis naturę humanę à Deo eſt immediatè: ergo nec mala eſt, nec ad malũ inclinãs. Cõſequẽtia argumenti ex eo patet: nã Deus ad malũ nõ inclinat, nec ſollicitat. Antecedẽs verò ꝓbatur: nã ſolus Deus eſt autor naturæ humanæ, & omniũ cõſequentiũ ad naturã humanã, inter quæ præcipua eſt inclinatio naturalis: qui em̃ dat formã, dat conſequẽtia ad formã, vt vtamur verbis Ariſtotelis. Ex hoc principio, quod eſt veriſsimum, colligit D. Thomas tum præcepta, tum officia legis naturalis. Eſt náque in homine inclinatio naturalis conſeruandi ſeipſum. Eſt deinde inclinatio generandi ſibi ſimile, ſpeciem propriã conſeruando. Rurſus, eſt inclinatio homini naturalis, quatenus homo eſt, vt viuat vitã ſociabilem

Ariſtote. 4. met. tex. 9.

Ari. 1. Ethi. ca. 1.

D. Tho.

Ariſto.

D. Tho.

Legis naturalis officia.

ciabilẽ & politicã ſine aliorũ offenſione. Itaq; tria ſunt officia legis naturalis: primum, ad ſemetipſum decẽter viuere ſecundùm inclinationem naturæ inſitã ad conſeruationem ſui eſſe in cibo & potu. Secundum, decenter viuere in cõmunicando naturã ſuam alteri ad conſeruationem ſpeciei ſecũdũ inſitam inclinationem generandi ſibi ſimile, & ad educãdã illã. Tertium, ad Deum, & ad omnem hominẽ iuſtè viuere, ad parentes, ad filios, ad ſuperiores, ad æquales, ad inferiores, ſecũdũ inclinationẽ qua quiſque appetit bonũ honeſtũ, & ſecũdũ rationẽ iuſtè ac rectè agere. Et hæc omnia in erant naturæ humanæ ſub innocẽtiæ ſtatu. In tribus iſtis pendent principia naturalis legis, quæ tam ſerena, tam valida erat ſub innocentiæ ſtatu, vt ſecundum triplicia huiuſcemodi officia nihil huic legi eſſet impedimentum, ni hilque vel præter rationem, vel contra rationem poſsit homini ſubrepere: ſed dum homo ex liberi ſui arbitrij ratione à Deo ſe ſe auertit ad inferiora, ad carnalia, ad ſemetipſum ſeſe

Quid ex gratiæ originalis deſtitutione ſequutum fuerit.

flectẽs, iam iuſto Dei iudicio deſtitutus eſt gratia originalis iuſtitię, qua perdita, caro ſecũdum vires ſenſuales ſuos cœpit habere impetus ſtimulos, ac inclinationes etiam cõtra, aut præter legem naturalẽ. Atque ita homo cùm in honore eſſet, conſtitutus eſt in deliciarum paradiſo, vt ſolo Deo frueretur, per peccatum comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis, ab adoleſcẽtia ſua pronus ſecũndum carnales ſenſus viuere, magis quàm ſecundum rationem: hinc factum eſt, vt natura humana iam vitiata ſecundum vim generatiuam plus appetat coire, quàm lex naturæ ad conſeruationem ſpeciei decernit: ſecundum guſtũ quoque, guſtato fructu vetito, plus appetat comedere, & bibere quàm lex naturæ dictat ad decẽtem conſeruationem naturalis

Iob. 39.

eſſe. Vnde venter dicitur exactor Iob. 39. Clamorem exactoris non audit: atque ita iam in coitu, in cibo item & in potu ad opus voluptatis trahit hominem frequentiùs quàm naturæ conſeruandæ neceſsitas, aut generandi voluntas exigat. Secundùm inclinationem inſuper prauam animæ, derelictam ex Adæ ſuperbia, qua cupiuit ſicut Deus eſſe, iam factus homo cordis elati, magis pnus eſt diligere creaturas carnalibus ſenſibus perceptibiles, quàm creatorẽ, magiſq; ſeipſum quàm proximũ: & hinc natæ ſunt iam rixæ, diſſenſiones, omneque genus vitiorũ, de quibus Paulus; Vnde bella, & li-

Ad Galat. 5 Iacobi 1. 4.

tes, inquit Iacobus, in vobis? nonne ex cõcupiſcentijs quæ militãt in mẽbris veſtris? Ex hoc ſtatim ſequitur, eſſe plura præcepta legis naturalis: cũ hoc tamẽ rectè coniungitur, ꝙ eſt tantũ vna lex naturalis; tum propter vnitatẽ illius

Lex naturalis vna.

primi principij à quo omnia dependẽt; tũ verò propter vnitatẽ luminis naturalis quo omnia illuſtrantur: præcipuè verò propter vnitatem finis: finis autem eſt conſtituere hominem rectum, ſecundum inclinationem naturalem; quemadmodum lex diuina vna eſt, quãquã habeat pluta præcepta propter vnitatem finis. Sed ex hac doctrina magna oritur controuerſia; vtrùm detur inclinatio naturalis in malum? de qua quæſtione ſatis copioſẽ actum eſt ſuprà in materia de paſsionibus, & ideo ad alium articulum progrediendum eſt.

ARTIC. TERTIVS.

¶ *Vtrùm omnes actus virtutum ſint de lege naturali?*

SVMMA TEXTVS.

Prima cõc.

PRima Concluſio. Siloquamur de actibus virtutũ quatenus ſtudioſi ſunt, oẽs ſunt de lege naturali. Probatur: quoniã ad legẽ naturalẽ id omne ſpectat, ad quod homo ſecũdùm naturã ſuam inclinatur: at homo naturaliter inclinatur vt ſecundũ virtutẽ agat; nam vnũquodq; inclinationẽ habet naturalẽ ſecũdũ quod ſua propria exigit forma; ſicuti ignis ad calefaciẽdũ naturaliter inclinatur: ꝓpria autẽ hominis forma, quæ eſt anima rationalis, exigit vt homo ſecũdũ virtutẽ operetur: qua de cauſa dixit D. Damaſcen⁹, virtutes eſſe homini naturales. ¶ Secũda Cõcluſio. Si loquamur de ſtudioſis actib⁹ ſecũdũ ſe, prout ſcilicet in propria conſtituũtur ſpecie, nõ oẽs tales actus ſunt de lege naturę. Probatur: quoniam multa ab homine efficiũtur ſecundum virtutem, ad quæ natura nõ primò inclinat, ſed ea homines per rationis inquiſitionẽ inuenerunt, quaſi ad bene & quietè viuendum accommodata.

Damaſc. 3. lib. fidei orthodoxæ, c. 14.

EXPLI-

EXPLICATIO ARTICVLI.

Argumẽta contra priorẽ conclusionem. Primũ arg.

VT hic articulus clariùs elucidetur, in primis contra primam conclusionem arguitur. Aliqui actus honesti & studiosi sunt, qui etiam inquãtum honesti, non sunt de lege naturæ: ergo prima conclusio falsa est. Antecedens probatur in actibus supererogationis, vt abstinere à vino, & à carnibus, & dare eleemosynã quando non est grauis necessitas; omnes isti actus sunt honesti, & tamen non sunt de lege naturali, siquidem non sunt in præcepto. ¶ Secundò, actus virtutum supernaturaliũ fidei, spei, & charitatis, sunt actus honesti, & tamen non sunt de lege naturali: natura enim nihil dictat de operibus supernaturalibus. ¶ Vltimò, si prima conclusio dicit verum, non possumus constituere discrimen inter ea quæ sunt de lege naturali, & de lege humana: continuò enim atque aliquid est præceptum lege humana, pertinet ad genus virtutis, & sic continetur in præceptis legis naturæ: ergo omnes actus virtutis in speciali sunt de lege naturæ. ¶ Sed contra secundam conclusionem arguitur vehemẽtiùs. Nam lex naturæ præcipit vt obediamus superioribus: ergo dato quòd Christus est superior, lex naturæ præcipit vt ei obediamus: ergo omnia præcepta instituta à Christo, sunt de lege naturæ. ¶ Secundò, lex naturæ præcipit quòd obediamus mandatis superiorũ: ergo si constat hoc esse superioris mandatũ, lex naturæ præcipit quòd illud obseruemus. Probatur consequentia argumenti: nam id quod inclinat ad antecedens bonæ consequẽtiæ, inclinat similiter ad consequens, quod inde sub sequitur. ¶ Vltimò, potentia visiua, quoniã est perceptiua omniũ colorũ, inclinatur ad videndos omnes colores, siue sint à natura, siue ab arte, siue à supernaturali facultate producti. Rursus, iustitia, quoniam eius officiũ est cõstituere æqualitatem, constituit æqualitatẽ inter omne æquale, & iustũ, siue naturale sit, siue supernaturale; propter quod definiunt vniuersi Theologi, q̃ vẽdere charismata spiritualia, est cõtra iustitiã, & cõtra legẽ naturalẽ, licèt supernaturalia sint: ergo lex naturalis inclinat in omne honestũ, siue naturale, siue supernaturale sit. ¶ Pro explicatione huius difficultatis sciendum est, multis differre inter legem naturalẽ, & humanã, de quo suo loco dicemus, cùm de lege humana actũ fuerit, nũc sat est intelligere discrimen quod cõstituit Aristoteles. Ius, inquit, naturale eandẽ vim apud omnes habet, & nõ quia videtur, vel nõ videtur, id est, non quia ratione humana inuẽtũ fuerit, ius positiuum est, quod à principio nihil refert, sic, vel aliter fieri, postquã verò statutũ est, multũ refert. Itaq; omnẽ vim habet ex impositione. Et iterũ dicit; Ius naturale est quod omnes vaticinantur, licèt nulla sit pactio: & alibi scribit in hunc modũ; Ius naturale est consuetudo non scripta, nec ratione humana adinuẽta, sed nobiscũ nata; vt honorare parentes. Ius verò positiuũ est simile mẽsuris vini, & olei, quæ pro qualitate regionũ variãtur. ¶ Secũdò aduertẽdum est, quòd lex naturalis in primis statuit bonum esse faciendũ, malũ fugiendũ: bonum verò hominis est illud propter quod cõsequitur vltimũ finem suũ: vltimus verò finis hominis in perfectione intellectus, & volũtatis consistit. ¶ Tertiò est aduertendũ, quòd ad huius finis consequutionẽ quædã sunt adeò necessaria, vt eorum necessitas omnibus sit euidens; vt nõ esse mentiẽdũ, non esse adulterandum. Alia verò sunt necessaria quidẽ, sed eorũ necessitas nõ est omnibus euidẽs, sed indiget declaratione, & accurata industria, vt talẽ cõtractũ esse vsurariũ; & vniuersa hæc sunt de lege naturali: Alia sunt quæ cõducunt ad legẽ naturalẽ, & finẽ eius, sed nõ sunt necessaria, quæ p̃ diuersitate tẽporũ, & regionũ variantur: & in his discernẽdis lex humana vniuersa negotiatur. Ex his patere põt quemadmodum nõ omnia præcepta sunt de lege naturali. ¶ Ad argumẽta cõtra primã cõclusionẽ, ad primũ respõdetur, q̃ opera honesta supererogationis, quæ cõnumerãtur in argumẽto, sunt de lege naturæ, quãuis nõ sint de præcepto; quia ducũt, & perficiũt hominẽ ad id quod lex naturalis intẽdit, sicuti cõsilia Euãgelica sunt de lege Euãgelica. ¶ Ad secũdũ respõdetur, q̃ gratia non oritur ex natura, sed perficit naturam, & supra omnẽ naturã existit: sic præcepta supernaturalia nõ oriũtur ex inclinatione naturali, sed eã perficiũt. Quapropter quãdo dicit D. Thom. quòd omne honestũ vt tale, est de lege naturali, explicãdus est de bono honesto, quod rationi naturali est cõsentaneũ, non de bono honesto quod omnẽ rationẽ superat. ¶ Ad tertium argumẽtũ ex dictis patet, nẽpe ex discrimine inter præcepta naturalia, & legis humanæ. ¶ Ad argumẽta cõtra secũdam cõclusionẽ, ad primũ, & secũdũ respõdetur, q̃ dictamina legis naturalis sunt illa, quæ sunt per se nota, vel ex per se notis per euidẽtẽ cõsequẽtiã deducũtur: dictamina verò legis humanę sunt illa, quę inferũtur ex principijs legis naturæ, mediante arbitramẽto, & iudicio humano; veluti ex hoc principio, malefactores puniẽdi sunt, infert legislator prudẽtia humana: ergo fures sunt suspendẽdi. Cõsequentia argumẽti euidẽs non est: sed est cõsentanea secũdũ prudẽtiã humanã. Itaq; licèt mãdatũ humanũ ex lege naturali originẽ habeat, quia tamẽ venit ad homines medio

Secundum

Vltimum.

Argumẽta cõtra posteriorem cõclusionem. Primũ arg.

Secundum

Vltimum.

Differt lex naturalis ab humana

Aristo. 5. Ethi. c. 7.

Arist. 1. rhetori. ca. 13.

Lib. rheto. ad Alexan. ca. 1.

Solutio argumẽtorũ contra primam cõclusionem.

Ad primũ.

Ad secũdũ.

Ad tertiũ.

Soluuntur argumenta contra secũdam cõclusionem.

Ad primũ, & secundũ.

medio iudicio humano, lex humana appellanda eſt, ſicuti Chriſtus Dominus præcepit, quòd prælatis Eccleſiæ obediamus : cæterùm quoniam præcepta prælatorum deſcendunt ad nos medio iudicio humano, præcepta humana ſunt, non diuina.

Ad tertium ¶ Ad tertium argumentum negatur conſequentia: nam colores quicunque continentur in genere entium naturalium. Rurſus, ſuapte natura iniuſtum eſt quòd quis vendat ea quorum non habet dominium, ſiue ſint naturalia, ſiue ſupernaturalia. Cæterũ opera virtutũ ſupernaturalium non continentur in genere naturalium, neque ratione naturali comprehenduntur; & ideo præcepta de operibus ſupernaturalibus omnino ſupernaturalia ſunt. Ex hoc ſequitur, quòd non omne præceptum eſt de lege naturali. Rurſus ſequitur, quòd non omne peccatum eſt contra legem naturalem. Vltimò ſequitur, quòd non omnis qui peccat contra finem ſupernaturalẽ, peccet contra finem naturalem ; alioqui omne peccatum eſſet contra legem naturalem.

ARTIC. QVARTVS.

¶ *Vtrùm lex naturalis ſit vna apud omnes.*

SVMMA TEXTVS.

Prim. cõcl. Secũ. cõcl. Concluſio prima. Lex naturalis eſt vna apud omnes, quo ad ſua principia communia. ¶ Secunda concluſio, quo ad particularia iura, quæ veluti concluſiones inferuntur ex illis communibus, vt in plurimum ſunt etiam eadem apud omnes: poſſunt tamen aliquando deficere, & quo ad rectitudinem, & etiam quoad cognitionem.

EXPLICATIO ARTICVLI.

PRima concluſio articuli inde probatur: quoniam ſicut in ſpeculatiuis prima principia ſunt nota, quibus nemo poteſt diſſentire; ita in practicis, quo ad communia, eſt eadem veritas, & rectitudo in omnibus. Hoc docuit Diuus Iſidorus dum in libro etymolo. docuit, ius naturale eſſe omni nationi commune. ¶ Secunda autem concluſio ſic probatur: quia ratio practica verſatur circa contingentia, in quibus actiones humanæ reperiuntur; & quantò magis ad particularia deſcenditur, tantò ampliùs defectus inueniuntur. Et in hoc ratio eſt diuerſa in operabilibus à ſpeculabilibus: nam in his eadem eſt in principijs, & concluſionibus apud omnes veritas, etſi veritas cõcluſionum non ab omnibus percipiatur : at in operabilibus non eſt eadem veritas, vel rectitudo practica apud omnes, quo ad propria, ſed ſolùm quo ad communia. Quo fit, vt communia principia operabilium in particularibus euentibus poſſint inſtantiam admittere ; ſicut ſecundùm legem naturalem iuſtum eſt vt depoſita reddantur : ſed in aliquo caſu id obſeruandum non eſt, nec expedit, quin potiùs damnum ſecundum ſe tunc affert; vt ſi quis vellet depoſito adepto patriam impugnare. Eſt inſuper alia ratio Diui Thomæ: quoniam quantò plura ad rẽ vnam conſtituendam requiruntur, tantò magis ibi defectus admiſcetur; & quoniam plura præexiguntur, ſæpius aliquid deficit. In particularibus autem euentibus plura requiruntur, quàm requirantur ad commune iudicium; vnde quantò magis ad particularia deſcenditur, tantò eſt magis incerta lex, & inter homines diuerſa.

¶ Pro harum concluſionum maiori expoſitione aduertendum eſt, quòd præcepta legis naturæ quædam ſunt generalia, & omnibus nota; vt bonum eſt faciendum, & quod tibi non vis, alteri ne feceris; & hæc principia omnibus hominibus nota ſunt, & ſemper in omni euentu ſunt recta & iuſta. Alia ſunt quæ ex his principijs deducuntur; & inter hæc eſt diſcrimen: nam quædam facili negotio deducũtur; alia magna adhibita diligentia. Secundò eſt aduertẽdum, quòd cùm quærimus an lex naturæ vna ſit, poteſt habere duplicem ſenſum: primus eſt, vtrùm omnia præcepta legis naturæ ſint eadem apud omnes homines: ſecundus ſenſus eſt, vtrũ ius naturale in omni loco, & euẽtu eandẽ vim habeat, & ſit penitus inuariabile. Tertiò notandum eſt, quòd iſtæ concluſiones, quamuis neceſſariæ ſint, & vt in plurimum rectæ, & iuſtæ, aliquando tamen deficiunt. Probatur hac ratione, & manifeſtatur exemplo. Nam talia iudicia ſunt de rebus particularibus, quæ habent varias circunſtãſtantias: ergo eorum rectitudo ex circunſtantijs ſumenda eſt; ſed accidit ſæpenumero quòd circunſtantia variatur: ergo id quod prius erat rectum, & iuſtum, deſinit eſſe iuſtum ex mutatione circunſtantiæ. Explicatur hoc exemplo: nam ex hoc principio; quod tibi non vis, alteri ne feceris; ſtatim ſequitur; ergo alienum non eſt accipiendum, neque detinẽdum inuito dño: ex qua cõcluſiõe ſtatim ſequitur: ergo depoſitũ eſt reddendum; quod vt in plurimũ rectum eſt, & iuſtum : ſed ſi dominus depoſiti velit eo abuti in

Explicatur titulus quæſtionis.

ſuam perniciem, aut reipublicæ, ex mutatione circunſtantiæ bonum non eſt quòd depoſitum reddatur; & quod videtur deficere ex vna parte à lege naturali, ex alia parte incidit in legem naturalem. Nam ſicut lex naturæ præcipit quòd reddantur depoſita, ita præcipit quòd non reddantur depoſita in perniciem reipublicæ. Vltimò notandum eſt, quòd iſtæ concluſiones non ſunt notæ omnibus: multi enim ſunt qui eas nõ intelligunt propter ingenij imbecillitatem: alij verò, quoniam oportet multas circunſtantias aduertere, non poſſunt conſequi quid rectum, aut iuſtum ſit: alij autẽ propter paſsiones, & cupiditates deprauatas, quibus omne fas atque ne fas confundunt. Corolaria. ¶ Ex hac doctrina ſequitur, quædam eſſe præcepta legis naturæ, quæ nulla ratione ignorari valent, vt illud, Quod tibi non vis, alteri ne feceris. Alia verò ſunt quæ ignorantia inculpabili ignorari valent: vt apud imperitam multitudinem poteſt eſſe ignorantia inuincibilis, an ſit licitum mentiri pro ſeruanda vita hominis. Alia verò ſunt de quibus meritò poteſt dubitari inter Theologos, an poſsint ignorari inuincibiliter, vt de fornicatione ſimplici. Ratio huius doctrinæ eſt à priori: nam quantò concluſio diſtat magis à principijs, tantò minùs euidens eſt. Ex illo principio; quod tibi non vis, alteri ne feceris; continuò ſequitur, ergo aduerſus alterum non eſt dicendum falſum teſtimonium; cæterum non palàm ſequitur; ergo non eſt dicendum mendacium pro ſalute hominis ſeruanda. Item ex eodem principio ſtatim ſequitur, ergo non eſt adulterandum: nam adulterium ſine iniuria alterius committi non poteſt; verùm non tam apertè ſequitur: ergo non eſt fornicandum; nam fornicatio nemini videtur eſſe iniurioſa.

ARTIC. QVINTVS.

¶ *Vtrùm lex naturæ mutari poſsit.*

SVMMA TEXTVS.

Prim. argu. PRima concluſio. Lex naturalis mutari poteſt, ex eo quòd ſibi aliquid addi tur. Probatur: quoniam lege diuina, & humana aduenientibus, multa legi naturæ addita ſunt ad homi num vitam, & ſalutem vtiliſsima.

Secũ. cõcl. ¶ Secunda concluſio. Lex naturalis non poteſt mutari per modum ſubtractionis, ita vt modò aliquid de lege naturali eſſe deſinat, quod prius non fuerit: eſt enim, quoad ſua prima principia, penitus immutabilis; & quoad ſecũda principia primis proxima, quæ ex illis deducuntur, nunquam mutatur: verũ eſt tamen, poſſe mutari in aliquo particulari, propter ea quę interuenire poſſunt, vt ſuperiori articulo dictum eſt.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Argum. contra prio rẽ cõcluſionem. PRo articuli huius expoſitione clariori, in primis contra primã concluſionẽ arguitur. Nam, Non occides, eſt præceptũ ex illis primarijs: ſed hæc lex mutata eſt; nã præcepit Dominus Abrahã, Prim. arg. Gen. 22. vt occideret filium ſuum primogenitum inſontẽ. Secundum. ¶ Rurſus, lex naturæ præcipit ne furtum cõmittamus, nec verò fornicationẽ; ſed hæc mutata inueniuntur à Deo, vt cũ præcepit filijs Iſrael, Exod. 11. vt mutuata Ægyptiorum vaſa ſubriperẽt; & cũ Oſeæ. 1. præcepit Oſeę vt acciperet mulierẽ fornicariã. Tertium. ¶ Tertiò, lex naturę pręcipit vt aliena reſtituantur: hoc verò per legẽ humanã mutatum eſt; ſanctum nãq; eſt lege humana, vt qui certo tẽpore bona aliena poſſedit bona fide titulo præſcriptionis, nõ teneatur ea reſtituere. Quartum. ¶ Quartò, liber taſeſt de iure naturali, vt habetur in inſtitutis de iure naturali &c. §. ius gẽtium: ſed lex iſta mutata eſt: nã iure gẽtium, & cõſuetudine populorũ ſeruitus introducta eſt. Quintum. ¶ Quintò, matrimoniũ clandeſtinum iure naturæ erat validum, & hoc mutatũ eſt per Cõcilium Tridẽtinũ, & decretũ Cõci. Trid. eſt deinde eſſe nullum, & irritum. Vltim. ¶ Vltimò, iure naturali omnia ſunt cõmunia; ſed hoc ius iã eſt reuocatum, ac mutatum: ergo ius naturę mutari poteſt. Maior huius argumẽti eſt veluti proloquium inter Theologos. Arg. ſolut. Ad primum ¶ Ad hęc argumẽta dicẽdum eſt, & ad primum reſpõdetur, quòd in facto Abrahã pręceptum naturę nõ eſt mutatũ: nã lex naturæ tantùm præcipit, ne quis occidat priuata autoritate; Abrahã verò ex mãdato Dei, qui vitę, & mortis habet imperium, occidebat filium ſuum. Ex hac ſolutione ſequitur, quòd occidere innocentẽ, nõ eſt intrinſecè malum, alioqui Deus nõ mãdaret illud. Ad ſecundũ. ¶ Ad ſecundũ argumẽtum reſpondetur, quòd furtum eſt acceptio rei inuito dño: ex quo conſequens eſt, quòd ſi quis accipiat rẽ aliquam ex mãdato Dei, qui eſt Dñs vniuerſorum, furtum nõ cõmittit. Idẽ dicitur de fornicatione: nam fornicatio, & adulterium eſt acceſſus ad non ſuam. Ex quo ſequitur, quòd ſi quis ex mandato Domini accedat ad mulierem ſibi copulatam autoritate diuina, fornicarius, aut adulter non eſt.

¶ Ad

Ad tertium ¶ Ad tertium argumẽtum respondetur, quòd lex naturalis statuit vt suum cuique rest tuatur; quomodo verò,& quando acquirantur dominia rerum,lex humana decreuit:statuit itaq; lex præscriptionis,vt post certum tẽporis spacium aliena in dominium possessorum secederẽt, ita Ad aliaarg. quòd iã nõ possideãt alienum. ¶ Ad omnia alia argumẽta dicendum est, dupliciter aliquid esse de iure naturali:primò,quia ius naturale statuit, & decreuit quid sit faciẽdum,vel nõ faciẽdum; & hoc nõ mutatur,nec variatur statutis humanis. Alio modo dicitur aliquid de iure naturali, quia iusnaturale cõtrarium nõ statuit;sicuti possumus dicere,hominẽ esse nudum de iure naturali,id est,natura nõ dedit illiveſtitum,sed ars inuenit,& excogitauit vestes. In eodẽ sensu libertas est de iure naturali,id est,naturâ nemo seruus natus est. Idẽ cõmentarius est cum dicimus matrimonium clandestinum esse validum de iure naturali,id est,ius naturæ non decreuit illud esse inualidum.

ARTIC. SEXTVS.

¶ Vtrùm lex naturæ à cordibus hominum deleri possit.

SVMMA TEXTVS.

Prim. cõcl. PRima cõclusio. Lex naturalis, quoad sua prima principia, nulla ratione potest à cordibus hominũ deleri. Probatur in argu- Augu. 2. cõfes. mẽto,sed cõtrà, ex D. Augustino dicẽte;Lex tua scripta est in cordibus hominũ,quã nec vlla quidem deletiniquitas. Verũ est tamẽ,posse deleri in particulari operatione, secundũ quòd ratio à cõcupiscentia,vel passione impeditur, ne vt par est communia principia ad 2cõd. cõcl. particulares applicet actus. ¶ Secunda conclusio. Quo ad particularia præcepta,& secũdaria potest lex naturalisè cordibus hominum deleri. Probatur:quoniam persuasionibus pessimis, consuetudinibus prauis,atque corruptis habitibus potest,quo ad talia præcepta deleri, sicut in speculatiuis varij circa conclusiones errores contingere possunt. Qua de causa quidã non reputabant latrocinium peccatum esse,vt de Germanis refert Iulius Cæsar in libro de bello Galli co:alij verò vitia contra naturam, non vt peccata fugiebant, vt Paulus ad Rom.1. docet.

EXPLICATIO ARTICVLI.

HOmo certè à sua concupiscentia abstractus,& illectus agit multa contra naturalem legem,sed non inde sequitur legem naturæ vel à mente illius prorsus esse abolitam, vel non fuisse illi scriptã. Nam homo,sicuti iam dictum est,per vim liberi arbitrij victus aut metu,aut cõcupiscentia carnali, aut suasione diaboli, agere potest contra dictamen,& iudicium legis naturæ. Deinde,potest homo superstitione & persuasione falsa,aut consuetudine,& doctrina praua corruptus, credere vera esse multa particularia legi naturæ opposita,atque contraria; sed non inde sequitur, in eo extinctas esse leges naturæ illis particularibus oppositas. Potest namque homo praua suasione corruptus credere verum esse id quod contrariatur alicui naturali legi particulari, etiã actu intus suggerenti. Quemadmodum enim in speculatiuis non omnia principia sunt omnibus euidentia,& per se nota,sed solùm communissima,qualia sunt illa; de quolibet affirmatio, vel negatio vera est,de nullo verò simul; quodlibet est,vel non est;ita non omnia principia naturalis legis in moralibus sunt omnibus euidentia,& per se nota,sed ea solùm, quæ sunt communissima,qualia sunt bonum & iustum est faciendum,malum & iniustum est fugiendum; atque ita ratio potest contrarijs particularium principiorum assentire, & dictare adulterium & homicidium esse licitum,& faciendum, non obstante quòd intus naturalis legis stimulus in contrarium suggerat. Cæterùm donemus in homine vllo aliquod dictamen naturalis legis prorsus in sua specie esse extinctum,atque sopitum, non tamen inde sequitur,in eo esse prorsus extinctam legem naturæ communem,ex qua,tanquam ex principio communi,illud particulare, tanquam conclusio,natum est consequi. verbi gratia. Olim apud Germanos latrocinium non reputabatur iniquum,vt refert Iulius Cæsar. Secundum sententiam quoq; Pauli Apostoli, Gẽtes Romanorũ,vel Ægyptiorũ adeò erãt mẽtibus obtenebratę,vt pDeo vero,& immortali coleret imaginẽ corruptibilis hominis;& quod de

Homo quã libet prẽter naturę legẽ agat, non habet eam prorsus abolitam.

Cæsar de bello Galli co lib 6. Rom.1.

terius est, reptantia animalia, imagineſque volucrum, quadrupedum, & serpentum: quamobrem & Deus tradidit illos in reprobum sensum, quo facerent contra naturæ leges, & secundum concupiscentiam cordium suorum contumelijs afficerent corpora sua, mutantes naturalem vsum in eum qui est contra naturam, masculi in masculos, & fœminę in fœminas fœditatem operantes: consuetudineque praua adeò fuerunt corrupti, vt reputarent abominanda contra naturam vitia non esse peccata: in quibus tamen lex naturalis secundùm principia cõ munissima non prorsus erat extincta, cùm & Apostolus in eodẽ capite dicat de eisdẽ, quòd iustitiam Dei, sempiternam quoque virtutem, ac diuinitatem nouerint, ita vt sint inexcusabiles. Itẽ, immolare filios suos, & filias suas dęmonijs à multis gentibus putabatur licitum & honestum, ac faciendum esse; quod tamen ab eisdem in vniuersali sciebatur esse illicitum. Vniuersale principium legis naturæ est, bonum esse prosequendum, malum autem esse vitandum; & super hoc principio fundantur omnia alia legis naturæ præcepta: multa autẽ sunt prẹter cõ munisimi illius principij præceptum, quæ deriuãtur ex illo, in quo ratio errare nõ potest. Nec enim gens vlla est quæ nesciat declinandum esse à malo, & bonum esse faciendum, nihilque iniustè esse perpetrandum, sed error accidit in particularibus, an hoc sit bonum, iustum, & ęquum, an potiùs istud; an Christo, quem Christiani colunt, sit sacrificandum, cultusque latrię exhibẽdus, an potiùs ei quem gentes falsò credunt Deum esse. Nemo dubitat, an oporteat Deum honorare, colere, & diligere, sed super hoc, an hunc oporteat vt Deum colere, errant multi. Nemo dubitat an licitum, & honestum sit contra iustitiæ regulam agere, sed dubitatur, an hoc, vel illud sit agere contra iustitiæ regulam, an non. Nemo est qui nesciat, non esse fas cuiquam vt interimat aut semetipsum, aut filiũ contra iustitiam, aut contra naturalem legem; sed an ex tali, vel tali causa semetipsum occidere sit agere contra iustitiam, aut naturalem legem, ignoratur à multis. Vnde & Plato in libro Menois, Nemo, inquit, ambigit, nemo vel in iudicijs, vel alibi discepat an iustitia Deo placeat, an iniustitia displiceat, an is qui iniustè viuit sit pœna dignus, verũ de hoc potiùs homines inter se disceptant, quis iustè fecerit, & quid agẽdo, & quando agendo agit iniustè. Hactenus de naturali lege.

Plato.

QVAESTIO. XCV.

Delege humana secundũ se, in quatuor articulos diuisa.

ARTIC. PRIMVS.

¶ *Vtrùm vtile fuerit aliquas leges ab hominibus poni.*

¶ Conclusio est affirmans. Conclusio.

EXPLICATIO ARTICVLI.

HAnc conclusionem optimè probat Diuus Thomas. Nam humano generi maximè est necessarium vt aliquorum coerceatur audacia, & tuta sit inter improbos innocẽtia, & in ipsis improbis formidato supplicio refrẹnetur nocendi facultas: hæc autem omnia legibus exhibitis obtinenda sunt, vt ait Diuus Isidorus: ergo leges constituendæ sunt ab hominibus. Hanc rationem amplius ostendit D. Thomas. Quamuis enim homo naturalẽ habeat ad virtutem inclinationem, virtutis tamẽ perfectionem homo adipisci non potest, nisi media aliqua disciplina: sicuti quamuis homini sit naturalis inclinatio qua suis necessitatibus subueniendis insistat, non tamen eis completè poterit satisfacere, nisi media aliqua disciplina, & arte; non enim à natura habet tegumenta, neque alia omnia necessaria, nisi per artem ea quærat. Hanc verò disciplinam, qua homo perfici debet, non potest quiuis à se habere sufficienter: quoniam virtutis perfectio in eo sita est, vt homines ab indebitis retrahat delectationibus, ad quas cùm homines sint proni maximè, ac præcipuè iuuenes, oportet huiusmodi disciplinam ab alio sortiri. Et quidem eorum respectu, qui ad virtutem proni sunt, ex bona naturæ dispositione, aut ex consuetudine, aut ex diuino munere, & beneficio sufficit disciplina quædam, monitionibus, exhortationibusq; tradita: quoniam tamen sunt quidam proterui, & impij, & ad vitia proni, à quibus nullatenus auerti possunt, oportuit vi, ac metu eos à malignitate cohibere, vt id quod hominibus necessarium diximus, acquiratur. Huiusmodi autem disciplina metu pœnæ cogens, est legum disciplina: necessarium ergo fuit leges ab hominibus statui, quibus pax haberetur, virtutes quęrerẽtur, vitia fugarẽtur, & omnibus viris probis innocẽtia tuta esset. ¶ Hìc tamẽ adnotandũ est, quòd Luthe rus hæreticus negat leges humanas esse vtiles, aut necessarias, & citat in huius rei confirmationem illud; Sine causa colunt me, docẽtes doctrinas & mandata hominum; quod testimonium ita explicãt Lutherani, vt dicant, Christum Dominum deobligare homines Christianos ab obseruatione statutorum, quorumcunque hominum. ¶ Secundò, citat illud; Non addetis ad verbum quod ego vobis loquor, neque auferetis ex eo: sed leges humanæ sunt additiones ad legem diuinam: ergo prohibitæ sunt.

Isidor.

Lutherus. Prim. arg.

Mat. 15.

Secundum. Deut. 4.

¶ Tertiò

Tertium. Gal. 5. ¶ Tertiò allegat illud; Si spiritu ducimini, sub lege non estis: sed omnes Christiani ducuntur spiritu: ergo sub lege non sunt.

Quartum. ¶ Quartò adducit testimonia Diui Pauli, in quibus prædicat libertatem Christianam: quibus abutuntur isti hæretici, vt dicant, populum Christianum esse liberum ad faciendum quoduis, quod iustitiæ & charitati non aduersatur: vt verbi gratia, ad ducendam vxorem, ad vescendum quibuscunque cibis sine delectu, & quocunque tempore, & alia id genus; quo vno principio subuertunt placita Ecclesiæ, & decreta Pontificum vniuersa.

Quintum. ¶ Quintò, prælati sunt successores Apostolorum; Apostoli verò ipso nomine suam potestatem præ se ferunt: dicuntur enim legati, & missi: ex quo constat, non fuisse Apostolis, & eorum successoribus aliam potestatem quàm enunciandi quod habebant in mandatis: ergo non habent autoritatem noua præcepta instituendi.

Sextum. ¶ Prætereà, lex Euangelica est perfectissima, & est sufficiens ad omne opus: ergo superfluum est leges humanas constituere. Probatur ex illo; 1. Tim. 3. Omnis scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum, arguendum, ad corripiendũ, & erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei, & ad omne opus bonum institutus. Idem probatur ex illo; 1. Ioan. 2. Vnctio docebit vos de omnibus. Diuus Chrysostomus dicit, Chry. hom. 1. in epist. ad Titum. Euangelium omnia continet præsentia, & futura, & omnia quæ ad pietatem sunt necessaria: & Diuus Augustinus; August. tract. 49. in Ioan. Cùm Dominus Iesus multa fecisset, non omnia scripta sunt, vt ipse Ioannes Euangelista testatur; electa tamen sunt quæ scriberentur, quæ ad populi Christiani salutem necessaria esse videbantur.

Vltimũ. ¶ Sed ex alio capite Lutherani vltimò argumẽtantur. Lex Euangelica, secundum doctrinam Apostolorum, ex institutione Christi est lex libertatis, respectu veteris legis, quæ respectu nouæ legis fuit lex seruitutis: Apostoli enim definierunt legem Euangelij; esse legem libertatis, non ex eo solùm quòd à dominio peccati liberat, sed etiam quia minus onerat, præceptaque pauciora, ac leuiora habet, quàm olim habuit lex Moysi: Christus nempè appellat iugum suũ suaue, & onus leue. Vnde & Apostoli in Concilio congregati, Act. 15. definierunt, hominibus non esse imponendum iugum præceptorum veteris legis, propter ipsorum præceptorum & grauitatem, & multitudinem. Quid tentatis Deum, inquit Petrus, imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus? sed per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus saluari, quemadmodum & illi: & adijcitur in Concilio Apostolorum; Visum est Spiritui sancto & nobis, nihil vltrà imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria, vt abstineatis vos ab immolatis &c. Si nihil oneris vltrà voluerunt imponere, noluerunt igitur apponere seruitutem, neque maiorem, neque tantam, quanta fuerit veteris legis seruitus. Cum ergo canones, & decreta Pontificum, leges & constitutiones humanæ sint, multò graviores, & plures quàm præcepta veteris legis, consequens videtur, prælatos Ecclesiæ non bene agere adijcientes legi Euangelicę tantam humanarum legum, & constitutionum multitudinem. Sic & venerabilis Augustinus, suo seculo attendens graue onus humanarum traditionũ, eos qui huiusmodi traditionibus comprimebant populum, arguit. August. Ipsam, inquit, religionem nostram, quã Dei misericordia manifestissimis, & paucissimis celebrationum sacramentis voluit esse liberam, seruilibus quidam premunt oneribus, vt tolerabilior sit conditio Iudæorum, qui legalibus sacramentis, non humanis præsumptionibus subijciuntur. Si suo tempore dolebat Augustinus, quid hac nostra tempestate (inquit Gerson) dixisset, vbi per varietatẽ temporum incredibilis accessit humanarum præsumptionum varietas. ¶ Hic error Lutheranorum confutatur efficaciter ex testimonijs sacræ scripturæ, & ex traditionibus Ecclesiæ, à temporibus Apostolorum vsque ad nostra tẽpora deductis. Confutatur error Lutheri. Certè Diuus Paulus vindicauit sibi autoritatem excommunicandi, & condendi leges. 1. Cor. 5. 1. Cor. 7. Item potest confirmari rationibus euidẽtibus, quas habet Diuus Thomas in articulo: sed quoniam isti hæretici rationes despiciunt, & traditiones contemnunt, testimonijs diuinæ scripturæ sunt conuincendi. Christus Dominus sic dicit; Super cathedram Moysi sederunt principes & sacerdotes, quæcunque dixerint vobis, seruate, & facite: & iterum; Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus, & publicanus: &, Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit. Mat. 23. Mat. 18. Luc. 10. Sed vnus Diuus Paulus sufficit ad subuertendum hoc dogma impijsimũ; dicit enim; Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit: & iterum, Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit: & rursus, Obedite prælatis, inquit, & eis subiacete. Rom. 13. Heb. vlt. Sed est insigne testimonium Actorum 15. & 16. scribitur enim, quòd Paulus perambulabat Syriam & Ciliciam, confirmans Ecclesias, præcipiens custodiri mandata Domini, & Apostolorum, ac seniorum. Act. 15. & 16. Et hæc satis sunt ad confutationem huius erroris.

Soluũ. arg. Lutheri. Ad primum. ¶ Vnde ad primum argumentum respondetur, quòd in illis verbis nó reprobauit Dominus omnia mandata, & doctrinas hominum, sed carnales, & quę diuinis mandatis derogabant, cuiusmodi erant illæ traditiones Pharisæorum,

quibus præceptum, de honorandis parentibus, vanum, & ridiculum reddebatur: improbat superflua lauacra, & ceremonias, quas pro præceptis diuinis populo ingerebant, imò diuinis sanctionibus anteponebant: & quòd hic sit legitimus commentarius, patet intuenti literam.

Ad secundũ ¶ Ad secundum argumentum vt respondeatur, sciendum est, quòd hæretici Lutherani ex testimonio adducto in argumento, & ex alio Deut. 12. testimonio quod habetur Deuteronomij 12. quod habet in hunc modum: Quod ego præcipio vobis, hoc tantum facite, & non addetis, Gal. 1. neque minuetis ex eo. item ex illo; Si nos, aut angelus de cœlo aliud vobis euangelizauerit præter id quod euangelizatum est, anathema sit. Ex his testimonijs Lutherani omnes reijciunt omnia decreta Pontificum, & omnes leges humanas: quia, inquiunt, habent aliud Euangelium, & aliud præter id quod Euangelizatum est. Sed cum catholici quærunt ab hæreticis, vtrùm Prophetæ qui sequuti sunt Moysen, & Christus Dominus, & Apostoli, multa addiderint ad ea quæ lege Mosaica scripta sunt; certè muti sunt, & nesciunt respondere. Dicendum est ergo, quòd nihil est addendum diuinis scripturis, quod autoritatem earum labefactet, aut subuertat. Vel dicendum est, nihil esse addendum, aut auferendum ex diuinis literis: id est, verbum, quod non est diuinum, non est inferendum pro verbo diuino, & id quod est verbum diuinum, tan quam verbum hominum non reijciatur.

Ad tertium ¶ Ad tertium argumentum respondetur, verum esse, & manifestum, Diuum Paulum agere de abrogatione antiquæ legis; nam de hac erat controuersia inter Galatas, vtrùm ex necessitate obseruanda esset. Quòd si quis contendat facere sermonem de vniuersa lege, habet huius sententiæ varias explicationes in principio huius materiæ de legibus.

Ad quartũ. ¶ Ad quartum argumentũ respondetur, quòd Diuus Paulus loquitur de libertate Christiana, non carnali, quæ in hoc substantialiter consistit, vt homo à seruitute peccati liber, vni Deo adhæreat, semper ex amore faciens quæ ei placita sunt: ad hanc verò libertatem maximè conducunt statuta humana, vt omnia ex ordine fiant, quamuis libertatem carnis diminuant.

Ad quintũ. ¶ Ad quintum argumentum respõdetur, quòd Apostoli, & eorum successores non solùm sunt Apostoli, sed Episcopi, & pastores, quibus proinde competunt officia pastorum, pascere Act. 20. & gubernare. Attendite, inquit Paulus, vobis & vniuerso gregi, in quo Spiritus sanctus vos posuit regere Ecclesiam Dei. Item dico argumentum ex etymologia nominis esse inualidũ: sicut non valet; est consul; ergo tantum habet in officio consulere: est dictator; ergo habet tantum in officio dictare: est Episcopus; ergo habet tantum superintendere.

¶ Ad sextum argumentum respondetur, quòd in lege Euangelica continentur omnia necessaria ad salutem in communi, & in genere, & inter ea continetur vnum, quòd obediamus prælatis nostris: item continetur illud; State, & tenete traditiones, quas didicistis, siue per epistolam, siue per sermonem. Sed de traditionibus disputare, alterius negotij est. Ad sextum. 2. Thes. 2.

¶ Ad vltimum argumentum, quod assumit, legem Euangelij esse legem libertatis, non solùm ea ratione quòd ab omni peccato liberat, sed etiam quia minus aggrauat, præceptaque pauciora, & leuiora quàm lex vetus habeat; Respondetur, hoc vtique verum esse, quia per legem Euangelij efficiuntur homines liberi à iugo præceptorum legis Moysi, quod magis onerabat, tum ex difficultate oneris illius legis; tum ex multitudine præceptorum legis illius; tum ex infirmitate hominum quibus lex illa erat data, quorum erat ferre, seu portare legis onera. Grauitas oneris legis illius pensatur ex difficultate externorum operum, quorum plurima in lege illa ex seipsis erant grauia, ac difficilia. Infirmitas autem seu imbecillitas hominum sub lege illa patet, quia datio legis illius ex se gratiam non conferebat adiuuantem. Lex per Moysen data est, inquit Ioannes, gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Multitudo præceptorum manifesta est: nam, vt inquit Rabbi Moyses, ducenta & octodecim sunt præcepta affirmatiua secundum numerum membrorum hominis: trocenta autem & sexagintaquinque præcepta negatiua secundum numerum dierum anni, in quibus vniuersis custodiendis, singulisque pollutionum generibus cauendis, tanta, inquit, erat difficultas, vt vix vnum ex mille inueneris mundum. Inter hęc omnia præcepta erant pauciſsima moralia: cęteris omnibus igitur iudicijs, ceremonijs, & obseruantijs Christi morte sublatis, remanent in lege Euangelica sola moralia præcepta, superadditis præstantissimis quibusdam sacramentis, numero pauciſsimis, & obseruatione facillimis. ¶ Hic iam dixerit fortasis quispiam; lex Moysi, iuxta Pauli Apostoli doctrinam, fuit imposita hominibus adhuc imperfectis, tanquam adhuc paruulis & sub pędagogo degentibus: paruulis autem, atq; infirmis imponenda sunt non onera grauia, sed leuia, ac facilia, perfectioribus adijciuntur altiora: videtur igitur quòd lex Moysi debuerit pro illo populo minus onerosa esse, & præcepta cõtinere faciliora. Et hãc quoq; sentẽtiã videtur corroborare doctrina Christi, adijciẽtis legi antiquorũ præcepta quædam

Ad vltimũ. Ioan. 1. Rabbi Moyses. Præcepta veteris legis quot. Genes. verna. sedr. 3 folio 166. numer. 121. de fuisse 248. quotidiam sunt ossam corpore humano.

Obiectio. Nũ conueniẽter lex vetus grauis & onerosa fuerit.

quędam perfectionis obſeruatione difficillima.

Solutio. Reſpondetur iuxta Pauli Apoſtoli doctrinam, paruulus adhuc rudis ac petulans nondum eſt amans iuſtitiam, ſuarumque ſequax eſt paſsionum, & ideo ſua libertate vti non poteſt, neque ſuis viuere legibus, quaſi hæres; ſed ſub tutoribus, ac ſub pædagogo elementis quibuſdam ætati illi congruis ad tempus inſtruendus, ac manu ducendus eſt, coercenduſque monitis, præceptis, & externis operibus, quibus laſciuiens refrænetur ætas, donec venerit tempus perfectæ diſcretionis, adeundæ hæreditatis, vt iam non amplius ſolo timore ducatur, neque ſub ſolis viuat temporalibus elementis, ſed ex ſe ea quæ recta, & iuſta ſunt, faciat; & tunc illi ſunt intimanda, declaranda, expreſſęque vetanda, quæ dum paruulus erat, capere non poterat: huiuſmodi ſunt interni motus animi concupiſcentiarum, & cupiditatum, quæ in veteri lege, populo adhuc carnali, non ſic expreſſe erant vetitæ ſub comminationibus mortis corporalis, aut temporalis pœnæ infligendæ; quemadmodum neque motus interni charitatis, humilitatis, patientiæ, manſuetudinis illis proponebantur ſub ſpe cœleſtis, & æterni regni. Atque ita ſanè mandatis veteris legis Moſaicæ in Euangelio ſunt ſuperaddita mandata quædam moralia, difficillima his qui nondum ſpiritum habent Euangelij. Huiuſmodi ſunt, non aſpicere mulierem ad concupiſcendum; pro perſequentibus, & inimicis orare, eoſque diligere, & non reſiſtere illis, ſed patienter ferre iniurias illatas; animamque pro fratribus ponere; relinquere omnia propter Chriſtum, crucifigere carnem cum vitijs & concupiſcentijs ſuis: hæc, & id genus alia perfectionis opera populis carnalibus nondum ſuaui iugo Chriſti deductis difficilia, lege Moyſi non ſic expreſſa, præcipiuntur in Euangelio.

Matth. 5. & alijs locis.

Onus Chriſti leue. Sed non inde ſequitur, onus Euangelij hominibus ſub Euangelio eſſe grauius, quàm onus legis veteris erat hominibus ſub lege Moyſi degentibus. Nam ſpiritus Euangelij, qui legem charitatis ſcribit in viſceribus hominum, facit huiuſmodi præcepta eſſe leuia, & ſuauia, ſic animas intus afficiens, vt regnum mundi, & omnem ornatum ſeculi contemnant propter amorem Domini noſtri Ieſu Chriſti: ſpiritus autem legis Moyſi ſolùm indicans, quid nam eſſet faciendum, & non adiuuans ad implendum, timorem incutiebat populo illi, quàm diu adhuc manebat carnalis. Sed non inde ſequitur, per legem Euangelij Chriſtianos eſſe liberos à præceptis, & obedientia ſuorum parentum, Prælatorum, & ſuperiorum poteſtatum: Nam & ſupra præcepta legis Moyſi etiam oportuit veterem populum ſuis parentibus, & ſuperioribus obedire in multis operibus, ad quæ alioqui non obligabatur populus ille iure diuino. Vnde Paulus Apoſtolus, Spiritu ſancto Apoſtolico ſuo, præuidens quoſdam homines reprobos futuros, qui prauè eſſent intellecturi libertatem Euangelicam per Chriſtum nobis impenſam, toties, totque reiteratis vicibus inculcat, & exaggerat, nos iam factos Chriſtianos oportere ſubditos eſſe parentibus, præpoſitis, principibus, & ſublimioribus poteſtatibus.

Lex Moyſi grauis.

¶ Iam ſi quis dixerit, qui liberatur ab vna ſeruitute, & denuo premitur alia, vel æquali, vel maiori, non magis eſt liber quàm priùs extiterat; veluti qui liberatus ab vno vinculo corporali, rurſus aſtringitur alio æquali; aut fortiori. Sed canones, & decreta Pontificum, legeſque ſuperiorum poteſtatum ſunt multò graniores, & plures quàm olim veteris legis præcepta: ergo per legem Euangelij non efficiuntur homines magis liberi quàm erat veteris legis populus. Reſpondetur, ſecundam propoſitionem antecedentis falſam eſſe, ſicuti ex ſuperioribus manifeſtum eſt. Nam huiuſmodi leges poſitiuæ adiectæ præceptis Euangelij congruunt ad lucrum fidei, & Chriſtianę charitatis, ad fouendam tranquillitatem, & pacem reipublicæ, & ita non ſunt onus grauans, ſed alleuians; neque Papa, neque Imperator poteſt imperare hominibus ſibi ſubiectis, veluti ſeruis, & mancipijs, neque pro ſuis item lucris ac commodis canones, aut leges imponere, ſed pro lucro, commodo, & ſalute ſubditorum, quibus, ceu filijs, tanquam pater & paſtor præeſſe debet, non tanquam dominus gubernans libidine dominandi. Ex his igitur manifeſtum eſt, quo nam modo, qua inſuper ratione ſuper veteris legis populum fuerit iugum aſperum, atque amarum, & onus graue; nempè ſeruilis ille timor, quo populus ille legi vnius Dei cœli & terrę coagulabatur, pœnam habebat, atque animi amaritudinem. Onus inſuper mandatorum graue erat, cùm propter multa difficilia opera extranea illic iuſſa, & vetita; tum propter imbecillitatem virium populi illius adhuc rudis, qui quatenus manebat in lege Moyſi, nondum tranſiens in Chriſtum, non habebat ſpiritum dulcedinis ad iuuantem. Inſuper ex ſuperioribus liquidum eſt, quo nam modo, & qua ratione iugum Chriſti ſit ſuaue, & onus præceptorum eius leue: quantumlibet enim ipſe Chriſtus iuſſerit, aut prohibuerit internos animi motus, onus tamen leue eſt propter iugum Chriſti ſuaue, cęlitus humeris animarum noſtrarum immiſſum. Vnde iugum (de quo Chriſtus) à, iungere, appellatum, eſt Euangelica charitas, ex fide in Ieſum mediatorem, qua ad inuicem iungi-

Obiectio.

Solutio.

Superiorũ leges & præcepta qualiter imponi debeant.

Lex vetus grauis.

Iugũ Chriſti ſuaue.

Iugũ Chriſti quare iugũ appelletur.

iungimur, tanquam vnius corporis membra, mirabili quodam nexu Spiritus sancti adhærentia Christo vt capiti nostro: nobis autem nunc adinuicem tali iugo copulatis Christo, mandata eius non sunt grauia, id est, molesta, nobis quasi inuitis imposita, sed iucunda & delectabilia super aurum & topazion. Quòd si per iugum Christi velis intelligere legem euangelicam, & per onus, laborem in custodiendis mandatis, in eandem recurris sententiam. Nam charitas facit omnia esse voluntaria, & ita leuia, & suauia. Iugum charitatis, quamuis sit via arcta tumidis, elatis, superbis, camelis, seu gibbosis, id est, sarcinis cupiditatum oneratis, cæterisque omnibus qui nondũ intrauerunt angustam fidei portam, quã & pauci inueniunt currentes in campos licentiæ secũdum viam amplam, id est, secundum propriam concupiscentiam, seu secundum amorem sui, secundum amorem mundi huius, aut carnis suæ, qui sanè amor sui ducit animam ad perditionẽ: attamen larga, & suauis omnibus iam factis paruulis, & humiliatis, ambulantibus in ea dilatato corde, id est, amantibus & diligentibus, docente Propheta. Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum. Ex huiusmodi ergo Saluatoris testimonio non rectè cõcluditur; parentes & Ecclesiæ Prælatos non posse dare mãdata, aut ordinationes, quibus teneamur obedire: nam & charitas, qua & nos inuicem superiores arbitramur, facit nos lubenter, ac spontaneè obedientes esse parentibus, & senioribus, omnibus reddit debitum, cui honorem, honorem, cui tributum, tributum, cui obedientiam, obedientiam. ¶ Pro intelligentia autem doctrinæ Petri, cæterorumque Apostolorum, & seniorum desipientium, præcepta veteris legis, propter eorũ grauitatem, & multitudinem, non esse imponẽda populo Christiano, iam per Christum in libertatem vocato, sciendum est, quòd Petrus coarguit Iudæos, qui cõfisi in operibus legis Moysi putabant se non posse iustificari sine carnis circuncisione, & obseruatione legalium sacramentorum. Vnde in principio eiusdem capitis sic recitat Lucas; Quidam descendentes de Iudea docebant fratres, dicentes eis, Quòd nisi circuncidamini secundum morem Moysi, non potestis saluari: atque ita facta seditione non modica aduersus Paulum & Barnabam, ordinatum est, vt ipse Paulus & Barnabas, & quidam alij ex ipsis super hac quæstione ascenderent in Hierusalẽ. Ex quibus manifestum est, quosdam malè docuisse fratres, tradentes neminem posse saluari sine operibus legis Moysi, iugumque legis Moysi, quæ & lex Dei erat, adhuc post Christum datum habere vim obligandi ex ratione voluntatis diuinæ, quasi præcipientis, ac definientis, sine illis salutem esse non posse. Hoc autem falsum esse, in Concilio Apostolorum, & seniorũ Hierosolymis solenniter celebrato, & conuocato declarauit Petrus, approbauerunt Barnabas & Paulus, iudicauit Iacobus Hierosolymorum Episcopus: ad eum enim tanquam ad iudicem ordinarium in propria diœcesi residentem pertinebat pronunciare Apostolorum sententiam, etiã in præsentia Petri, vniuersæ Ecclesiæ Episcopi. Postquam tacuerunt Paulus & Barnabas, respõdit Iacobus inquit scriptura; Viri fratres &c. Priusquam tamen Iacobus definiret, magna inquisitione, & examinatione facta de quæstione illa, vtrùm de circuncisione lex Moysi esset ad salutem necessaria; surgens Petrus in Concilio primus, commonstrans primùm se diuinitus electum ad prædicandum gentibus, diuinitusque edoctum, explicat Deum purificare corda gentium ex fide, absque circuncisione & obseruatione veteris legis, & concludens ait: Nunc ergo vos quid tentatis Deum imponentes eis iugum legis Moysi, quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus? sed credimus vnũquemque, tam gentilem, quàm Iudæum saluari gratis per fidem in Iesum: sine fide non est circuncisus Iudæus melior gentili incircunciso. Fuit quidem populo Iudæorum ad tempus lex imposita, sed ex operibus legis sine fide non potuit iustificari: lex enim spiritualis erat, continens ceremonias, vmbras, figuras, signa Christi tunc futuri, quo adueniente, transierunt vmbræ, figuræ. In vtrisque igitur quamuis ad salutem necessaria est fidei gratia, neutris tamen imponenda sunt legis Moysi sacramenta. Hanc Petri sententiam approbauerunt Paulus & Barnabas, narrantes quanta Deus per eos prodigia & signa ostendisset inter gentes: atque ita tandem iudicio suo eandem sententiam confirmat Iacobus. Postremum placuit Apostolis, & senioribus cum tota Ecclesia, viros mittere ad Antiochiam &c. ¶ Sed videamus iam consequenter, etiam ex doctrina Apostolorum in eodem loco, consequens esse, eum qui iam per gratiam Christi salutem est assequutus, oportere obedire non solùm præceptis diuinæ legis, sed & Ecclesiæ prælatorum mandatis ac ordinationibus ad lucrum, & custodiam charitatis in plebe. Cum omnes ceremoniæ veteris legis, publicato iam Christi Euangelio, forent extinctæ, tamen & ibidem Apostoli ad lucrum, & custodiam pusillorum iusserunt ad tempus seruari quædam ceremoniarum præcepta; veluti abstinere à sanguine animantis, & à bestia suffocata, à carne idolis immolata, & à fornicatione quam gentes communiter sibi licere existimabant; quamobrem necessarium fuit eam simul cum alijs illicitis prohibere. Hæc ad literam fuerunt in exordio fidei prohibita, non ad obseruandum ceremonias

Charitas onera leuia facit.

Psal. 118.

Exponitur præceptum Apostolorũ Act. 15.

Quod oporteat eũ qui iustificatus est sub legibus superiorũ esse ostẽditur ex doctrina apostolorũ

monias legis,ſed propter neceſsitatem, ſeu vtilitatem illi tempore congruentem, vt videlicet expeditiùs,atque ſolidiùs Iudæi & gentes ſimul habitantes coaleſcerent. Iudæi nempè propter veterem conſuetudinem abominabantur ſanguinem,&ſuffocatum:eſus autem cibi idolis immolati ſi gentibus fuiſſet admiſſus, potuiſſet dare Iudæis occaſionem ſuſpicandi de reditu earũ ad idolatriam. Ad coagulandum igitur Iudæos ſimul & gentes in vnitatem fidei, & chriſtianæ pacis,quædam in principio vetuerunt Apoſtoli,quæ tranſeunte tempore,& ceſſante prohibitionis cauſa,facta ſunt licita. Fornicatio autem ſimplex,quæ eſt naturali iure illicita,& illic prohibetur propter gentes,qui putabant eam nõ eſſe peccatũ. En vides candide lector, Apoſtolos in generali ſynodo, docente Spiritu ſancto, ex cauſa prohibuiſſe quędam, quæ neque diuino iure,neque naturali erant illicita,aut vetita. Demum in fine eiuſdem capitis dicitur; Perambulabat Paulus Syriam & Ciliciam, confirmans eccleſias,præcipiens cuſtodiri præcepta Apoſtolorum & ſeniorum. Vides igitur ex Apoſtolica doctrina obediendum eſſe præceptis ſeniorum.

Nec obſtat ſi qui ſint,qui legibus poſitiuis ſubeſſe contemnunt: nam præfectus eccleſiæ non tam ad ſingula mẽbra,quàm ad vniuerſum corpus,ne pereat,habet attendere. ¶ Ad ea quæ ex doctrina Auguſtini ad inquiſitiones Ianuarij aſſumuntur in eodem argumento, reſpondetur, quòd Auguſtinus ibidem reſpondens quęſtionibus Ianuarij,in fine libri cõtra illos loquitur, qui religionem Chriſtianam oneribus,& conſtitutionibus humanis imprudenter onerare præſumunt,non habentes conſiderationem, an ita præcipi debeat communitati Eccleſiæ ad ædificationem aut pacis,aut fidei,aut bonorum morum. Vnde Auguſtinus ibi nihil facit obſeruationes illas,quæ neque ſanctarum ſcripturarum autoritatibus continentur, neque in Concilijs Epiſcoporum ſtatuta inueniuntur, neque conſuetudine vniuerſæ Eccleſiæ ſunt roboratæ, neque habent aliquid ad exhortationem melioris vitæ. Sub talibus autem non continentur leges ieiuniorum,aut feſtorum ſolennium,aut continentiæ,& cœlibatus miniſtrorum eccleſię,quæ & in Concilijs Epiſcoporum ſtatuta ſunt,&vniuerſalis Eccleſiæ conſuetudine roborata ad lucrum fidei,charitatiſque,& pacis communis,ęterarumque virtutum cuſtodiam, aut ad pacem,& tranquillitatem in republica fouendam adminicula:de quibus & Hieronymus loquitur in epiſtola ad Licinium; Vnaquęque prouincia,inquit,in ſuo ſenſu abundet,& præcepta maiorum, leges arbitretur apoſtolicas. Apoſtoli quidem diuinitus informati,docuerunt,Dei populum non debere grauari multiplicibus cerimonijs veteris legis,vmbris ſolũ,& figuris Chriſti tunc futuri; declarant hominem per fidem in Ieſum iuſtificari gratis ſine pręuijs operibus,ſed non ideo conſequens eſt,quin Pontifices etiam Apoſtolorum temporibus potuerint Eccleſijs iam in vnam rempublicã congregatis dare præcepta,ſeu ſtatuta ad Chriſtianæ fidei cuſtodiã: nam & Apoſtoli ab exordio tempus ſanctificãdi Sabbathum in diem Dominicam tranſtulerunt:item ſolennitatem Paſchalem,& Pentecoſtes ſtatuerunt celebrandas, quarum meminit Lucas in Actibus,& Ioannes in Apocalypſi. Item,à ſuffocato,& ſanguine,& à cibo ſimulachris immolato iuſſerunt abſtinere,quæ tamen neque naturali,neque diuino iure erant vetita. Vnde & Apoſtolus viro contentioſo,& moliẽti contradicere,obijcit conſuetudinem, tanquã pondus,& documentũ in his quæ agenda ſunt, & ſeruanda in Eccleſia Chriſti. Si quis,inquit, videtur contentioſus, nos talẽ conſuetudinem non habemus,neque Eccleſia Dei. Quia fuerũt hæretici,qui ex Auguſtini doctrina in eodem libro conati ſunt oſtendere,Eccleſiam nihil poſſe præcipere,quod aliàs non ſit à Deo præceptum,& idcirco nullam Eccleſiæ conſtitutionẽ obligare tranſgreſſorem ad culpam; animaduertendum eſt,Auguſtinum ibidem multas recitare obſeruantias celeberrimas à populo Chriſtiano cuſtodiendas,quas non reperimus aut Chriſtum,aut Apoſtolos iuſsiſſe in ſacris literis,ſicuti anniuerſaria celebratio Dominicæ paſsionis, Reſurrectionis, Aſcenſionis, diei Dominicæ poſt Sabbathum,& quadrageſimæ obſeruatio, ieiunõ ſtomacho ſumẽre corpus & ſanguinem Domini,cæteraque id genus alia multa,de quibus,cum per vniuerſam Eccleſiam cuſtodiantur,inſaniæ atque dementię,inquit, eſt dubitare an ea ſeruare oporteat. Ex ſcriptis ſanctorum Patrum, etiam eorum qui fuerunt viciniſsimi Apoſtolorum temporibus,reperimus plura eſſe ſeruata & cuſtodita in ritibus ſacramentorũ, in modis exorcizandi,baptizandi, conſecrandi, & ordinandi ſacerdotes,ac Epiſcopos, quæ in Euangelij codice non reperiuntur. Ipſe quoq; Paulus coarguit eos,qui menſis ſuis Euchariſtię ſacramentum miſcebant,addens etiam, ſeſe ad Corinthios venire de hoc nonnulla ordinaturum. Vnde Chriſtus tribuens ſucceſſoribus poteſtatem gubernandi ſuam Eccleſiam, ſimul dedit eis poteſtatem diſponendi quæ ad Eccleſiæ ædificationem,exaltationem,& charitatis cuſtodiam pertinerent; quemadmodum Paulus pręcipit Epiſcopis à ſe ordinatis, vt conſtituerẽt per loca,& ciuitates presbyteros atque Epiſcopos, imponens eiſdem, ne vlli hominum citò manus imponerent. Rurſus, in exordio naſcentis Eccleſiæ,cum nõdum poteſtates ſeculares erãt

Prefectus non tam ad membra quàm ad totum corpus attendere debet. Ad Auguſt.

Hiero.

Apoſtoli Dominicã diẽ, Paſchale feſtiuitatẽ & Pentecoſten celebrari ſtatuerunt.

Paulus.

Auguſt.

Christianę, multa non expediebant statuta, quę iam expediunt Ecclesiæ, cum reges & principes sunt fidei Christianæ defensores. ¶ Est dubium graue, vtrùm sit vtilius reipublicæ gubernari optimis legibus, an verò optimo Principe, sine aliqua legum positione? quam quæstionem disputat Aristoteles. Videtur certè, rempublicam gubernari optimo principe esse vtilius: nam in primordio generis humani respublica sine aliqua legum positione gubernabatur, & gubernatio optima erat. ¶ Secundò, vtraque virtus legum, scilicet directiua, & coactiua, præstantiori ratione inuenitur in principe, quàm in legibus scriptis: quod sic ostendo. Nam vis directiua multò efficacior inuenitur in principe; optimus enim princeps, quoniam est regula viua, animaduertit omnes circunstantias particulares, & statuit quid hîc, & nunc faciendum est: lex verò scripta, quoniam est regula vniuersalis, omnes casus particulares cauere non potest. Quòd verò vis coactiua præcipuè inueniatur in principe, liquet. Nam lex mortua iacet, princeps verò non sine causa gladium portat. ¶ Vltimò, consultiùs est saluti ægroti, quòd medicus sua prudentia, quàm ex literarum peritia ei medeatur. Et ratio est euidens: quoniam medicus omnes circunstãtias particulares considerat sua prudentia: ergo idem est dicendum in reipublicæ gubernatione. ¶ In oppositum est quod dicit Aristoteles loco superiùs adducto; Qui dicit, leges imperare debere, dicit Deum præesse debere; qui verò dicit regem imperare debere, dicit belluam imperare debere. Talis est enim natura libidinis, vt optimos etiam viros contorqueat, & incuruet. Et ratio est euidens: nam leges scriptæ definiũt quid sit faciendum, quid verò fugiendum, secluſa omni cupiditate, amore, & odio, & omni affectione: princeps verò quoniã homo mortalis est, sepænumero perturbatur passionibus, quæ illum à recto deflectunt. Secunda ratio, quia facilius est inuenire vnum, aut paucos legislatores prudentes, quàm multitudinem. Tertia ratio est, quoniam ea de quibus leges promulgantur, longi temporis consideratione instituũtur: iudicia verò quæ iudices pronunciant, breuissimè excogitantur. Quarta ratio est, quoniam leges amplectuntur omnes, & ad omnes pertinent: propter quod si aliquid arduum & difficile præcipiunt, nemo ægrè fert: princeps verò facilè venit in suspicionem, quòd ex odio, vel amore aliquid præcipiat. ¶ Pro explicatione est prima conclusio. Si posset inueniri vnus homo, cuius virtus esset longè maior quàm cęterorum hominum, essetque perfectæ & consummatæ virtutis, vtile esset, & iustum quòd hic vnus homo cum summa potestate administraret rempublicam. Hoc asserit expressè Aristoteles loco adducto, & hoc efficaciter probant argumenta primo loco posita. Ex hoc potest inferre Theologus, quòd Christus Dominus, quamuis non esset Deus, propter excellentem virtutem illius sanctissimæ humanitatis meritò esset rex & caput generis humani; quoniam in eo longè maior erat virtus, quàm cæterorum hominum in vnum collecta. ¶ Secunda propositio. Habita ratione naturæ, & conditionis humanæ, vtile est, imò necessarium, rempublicam legibus scriptis gubernari. Hoc probant efficaciter argumenta in secundo loco proposita. ¶ Tertia propositio. Vtile reipublicæ est vt quàm pauciſsima arbitrio principis cõmittantur; imò omnia quãtum cunque possibile est, legibus debent prescribi. Hoc asserit D. Thomas solutione ad secundũ ex Aristotele, & adducit in confirmationem huius rei omnes rationes, quæ ad probandam secundam conclusionem sunt allatæ. Ex hac doctrina colligunt Theologi, quòd iudex secundum allegata & probata debet occidere innocẽtem, contra propriam sententiam. De qua re disputat Diuus Thomas 2.2.q.67.art.2. Colligũt rursus, quòd iudex nihil debet definire ex proprio arbitrio, sed secundum leges, & iura. Colligunt tertiò, quòd etiam si principi, vt priuatæ personæ, constet talem hominem mereri mille mortes, non potest illum condemnare inaudita parte, & sine scientia publica: nam quemadmodum autoritas regis publica est, sic scientia publica esse debet. Nec hoc est de iure humano, quòd princeps solutis legibus seruare non possit, sed de iure naturali: nam lex naturæ postulat, vt actus publicus, cuiusmodi est, occidere hominem, publicã requirat scientiam, & autoritatem. Publica autem scientia tripliciter esse potest: vel ex propria confessione iudiciali; vel ex probatione legitima; vel ex notorio facto. Ex quo sequitur, quòd quando non fuit actus iudicialis, nec notorium factum, cooperari ad necem alterius, etiam ex mandato principis, est peccatum homicidij. Nec excusat subditos obedientia in dubijs: nam hęc obedientia habet locum, quando dubium est; exploratum autem est, occidere hominem inaudita causa, homicidium esse. Loquitur de hac re optimè Caietanus in summa, verbo, homicidium.

Vtrũ vtili' & reipublicæ legibus gubernari.

Arist. 3. polit. c. 11. & 12 & 5. eth. c. 6

Prim. arg.

Secundum.

Vltim.

Prim. cõcl.

Arist.

Secũd. cõcl.

Tert. cõcl.

Arist. 1. rethor. c. 1.

D. Thom.

Scientia publica.

Caiet.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ Vtrùm omnis lex humanitus posita à lege naturali deriuetur.

¶ Conclusio est affirmans.

Conclusio.

EXPLICATIO ARTICVLI.

HÆc conclusio sic probatur: quoniam (vt docet Diuus Augustinus) ea quæ iusta nõ est,

Aug. lib. de lib. arb.

est, lex non est: iustitia autem ex rationis regula est; quoniam aliquid eo iustum est, quo secundum rationis regulam producitur: ergo lex deriuatur, & pendet à regula rationis: at regula rationis est lex naturę; ergo omnis lex humana intantum legis rationem participat, inquantum à naturali lege deriuatur: quapropter si à lege naturę discedat, non lex, sed legis corruptio dicenda est. Exponit tamen Diuus Thomas conclusionem, ac docet, eam esse intelligendã de his quæ à lege naturali pendent, tanquam conclusiones ex principiis: huiusmodi namque à lege naturali vim habent, vt hoc præceptum; non est occidendum; vigorem habet ex illo, quo lege naturali præcipimur, ne malum alicui inferamus.

Quæ tamen à lege naturali procedunt per modum cuiusdam determinationis, ex sola humana lege vim habent, sicuti lex naturę habet, vt qui peccat, puniatur; at quod tali, vel tali punia tur pœna, id est quędam legis naturę determinatio, & dispositio, quę à sola humana lege vim, & robur obtinet. ¶ Sed tamen vt sententia D. Thomę in hoc articulo ampliùs explicetur, sciendũ est ex eodem Diuo Thoma, duobus modis posse fieri vt lex humana à lege naturali deriuetur. Vno modo, vt conclusio ex primis principijs deducta: Altero modo, quia determinat, & præscribit in particulari, quod in communi, & quadam generali ratione lex alia præcipiebat. Hoc statuto principio, est prima cõclusio. ¶ Vniuersa lex humana eatenus est lex, quatenus deriuatur à lege naturali. Probatur apertè: nã omnis lex humana eatenus est lex, quatenus iusta est: sed est iusta, quia consonat rectę rationi: & recta ratio est lex naturalis: ergo eatenus est lex, quatenus consonat legi naturali. ¶ Secunda conclusio. Leges humanę dupliciter deriuantur ex lege naturali. Quędam deriuãtur vt conclusiones ex primis principijs deductę, veluti ex illo principio; nulli malum est faciendum; colligit legislator, ergo non est occidendum. Alię verò leges deriuantur ex lege naturali, quia determinant in particulari præcepta naturę communia, vt, verbi gratia, præcipit lex naturę malefactores esse puniẽdos, sed quo genere supplicij, non determinat, sed illud definit lex humana. ¶ Contra secundam conclusionem est vnum argumentum. Nam cõclusiones quæ deducuntur ex principijs naturę, sunt ius naturale, & pertinent ad legem naturalem, vt antea dictum est: ergo non pertinent ad legem humanam. Hęc obiectio facillimè dissoluitur: nã dicendum est, quòd lex humana, quędam præcipit, quę etiam lege naturali præcepta sunt; idque facit propter duas causas; vel ad constituendas maiores pœnas in tali negotio; vel quoniam conclusiones tales deducuntur ex primis principijs per multas consequentias, & ideo non sunt omnibus manifestę: ne igitur aliquis posset causari, & prętexere huius rei ignorantiã, lege humana statuta est. Secundò dico, quòd conclusiones quę deducuntur ex primis principijs per consequentiam euidentem & necessariam, sunt certè de lege naturali, cęterùm cõclusiones quę deducuntur ex primis principijs ratione probabili secundum prudentiam, tales sunt de lege humana. verbi gratia. ex hoc principio, malefactores sunt puniendi, infertur necessariò, ergo latrones sunt puniendi: & hoc dictamen est de lege naturę: cęterùm non euidenter sequitur, ergo latrones sunt suspendendi; sequitur tamen ratione probabili secundum hominum prudentiam. Item est alia differentia: nam conclusiones quæ sunt de iure naturali, sunt necessariæ ad finis naturalis consequutionem: cõclusiones verò quę sunt de lege humana, sunt tantùm vtiles, non necessarię. Verum est tamẽ, quòd postquam statutę sunt, iã necessarię sunt. Vltimò dico, quòd lex humana præcipuè in hoc versatur, quòd determinat præcepta naturę cõmunia, vt, verbi gratia, præcipit lex naturę malefactores puniendos, sed non determinat quo genere suppliciorum; id lex humana determinat, & definit. Habet enim se legislator humanus sicut artifex, qui formam communem domus applicat ad hanc formam, vel illam pro sua voluntate. Itaque differt inter conclusiones de lege naturæ, & de lege humana: nam conclusiones de lege naturæ continentur in principijs primis virtualiter; sed tamen conclusiones de lege humana continentur sicut species sub genere respectu conclusionum, & principiorum legis naturalis. Itaque rectè sequitur, malefactores puniendi: ergo latrones puniendi; sed non sequitur, malefactores puniendi; ergo latrones suspẽdendi: sequitur tamen ratione probabili & congruenti, quoniam non apparet aliud genus supplicij esse conuenientius; sicut non sequitur, est animal, ergo homo.

Dupliciter lex humana à naturali deriuari potest.

Prim. cõcl.

Secũd. cõcl.

Obiectio.

Solutio.

Quare lex humana ea quę sunt de lege naturę præcipiat

Quid interest inter cõclusiones humanæ legis & naturalis, ex eisdem principijs deductas.

Lex humana præcepta legis naturæ determinat.

ARTIC. TERTIVS.

¶ *Vtrùm Isidorus conuenienter qualitatem positiuæ legis describat.*

¶ Conclusio est affirmans.

Conclusio.

EXPLICATIO ARTICVLI.

ISta conclusio probatur in primis autoritate ipsius Diui Isidori dicentis; Erit lex honesta, iusta, possibilis, secũdum naturam, secundum consuetudinem patriæ, loco, temporique conueniens, necessaria, vtilis, manifesta quoque. Exponitur, & probatur. Lex enim humana & est proportionata legi diuinæ, & legi naturæ, & vtilitati humanæ:

Isidor.

Probatio conclusionis.

manæ: ratione quorum dixit idem Isidorus, legem esse id quod religioni congruit, quod disciplinæ conuenit, & saluti proficit. Religioni enim congruere, habet ex eo quòd proportionatur diuinæ legi. Rationi conuenit, quia naturali legi subordinatur. Saluti proficit ex eo quòd ad humanam vtilitatem ordinem habet. Legem autem esse honestam, habet ex eo quòd religioni congruit. Esse verò iustam, possibilem, secundum naturam, secundum consuetudinem patriæ, loco, & tempori conuenientem, habet ex eo, quia disciplinæ conuenit. Quòd verò sit necessaria, vtilis, & manifesta, refertur ad illud, quod dixit, legem saluti conuenire, & expedire, atque nimis proficere. ¶ Obseruandum tamen est, quòd quantum ex Isidoro colligere licet, tres conditiones sunt necessariæ vt aliqua humana constitutio sit lex humana. Prima, vt sit honesta, & iusta: honesta ad Deum; iusta ad proximum: honesta, id est, veræ religioni congruens: & ideo iniquæ sunt omnes paganorum, & infidelium leges contra religionem, & fidem Christi institutæ. Deinde adijcitur, quòd lex sit possibilis, secundum naturam, secundum consuetudinem patriæ, loco, & tempori congruens, quibus omnibus significatur, humanam legē oportere esse congruam æquitati naturali secundum consuetudinem patriæ, & populi illius. Si enim lex promulganda, esset congrua religioni, sed adeò difficilis, vt verisimiliter non posset seruari à populo; vel populus sic esset dispositus, vt legem illam tanquam nimis onerosam recipere nollet, tunc lex illa vim obligandi non haberet: & ideo principes cum velint condere leges, si populus contradicat, & dicat, lex ista non conuenit consuetudini patrię nostræ, suspenditur legis obligatio: hoc enim casu princeps si velit legem suam imponere, & vim habere obligandi in foro conscientiæ, non esset rationabilis voluntas eius. Atque ita vna ex conditionibus sine quibus lex non meretur nomen legis, est, quòd sit loco, & tempori, & patrię conueniens, neque dissona consuetudini, quæ tolli non potest sine dispendio reipublicæ maiori, quàm sit vtilitas ex positione legis emersura. Tertia cōditio est, quòd lex sit necessaria, vtilis, manifesta, nulli priuato commodo, sed pro communi ciuium vtilitate conscripta: quibus omnibus significatur, legē in foro conscientiæ obligantē oportere esse necessariam maleuolis coercendis, bonis fouendis, atque protegendis.

Tres cōditiones requirūtur ad legē humanam.

ARTIC. QVARTVS.

¶ Vtrùm conuenienter Isidorus diuisionem legum humanarum, siue iuris humani ponat.

¶ Conclusio est affirmatiua. Conclusio.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Conclusio huius articuli ita probatur. Vnumquodque diuidi potest ratione eorum ex quibus constat: sed lex humana includit in sua ratione, vt deriuetur à lege diuina, vt ad commune bonum ordinetur, vt à communi rectore instituatur, & vt actus humanos dirigat: ergo ratione horum diuidi potest lex humana. Quia enim deriuatur à lege diuina, diuiditur in ius gentium, quòd à lege naturæ deriuatur, tanquam conclusiones ex principijs; & in ius ciuile, quod à lege naturæ ad modum particularis determinationis procedit. Quia verò ad bonum commune ordinatur, ideo diuersæ sunt leges, secundùm diuersitatē eorum qui tali bono dant operam: vnde aliæ sunt sacerdotum leges, aliæ populi &c. Quoniā autem instituitur à communi rectore, ideo secundum communitatem eorum erit legis diuisio. Primum commune regimen est Regnum, quando scilicet ciuitas ab vno gubernatur, & ratione huius accipiuntur constitutiones Principum. Aliud regimen est Aristocratia, id est, principatus optimorum, vel optimatum; ratione cuius sumuntur responsa prudentum, & Senatus cōsulta. Aliud regimē est Oligarchia, id est, principatus paucorum diuitū, & potentum; ratione cuius sumitur ius Prætorium, quod & Honorarium dicitur. Aliud regimen est populi, quod denominatur Democratia, secundum quod sumuntur plebiscita. Aliud tandem est Tyrannicum, à quo, quia omnino corruptum est, nulla lex sumitur. Tandem, quia lex humana directiua est humanorum actuum, distinguuntur leges ratione eorum de quibus feruntur; vt lex Iulia de adulterijs, lex Cornelia de sicarijs.

Probatio cōclusionis.

¶ Verùm in hoc articulo dubium maximū est; vtrùm ius gentium contineatur sub iure humano, an potiùs sub iure naturali. D. Thom. in huius rei expositione varius videtur: nam in hoc articulo planè definit, quòd ius gentium ad ius humanum pertineat; & in solutione ad primum apertè dicit, quòd ius gentium distinguitur à iure naturali, quod est commune omnibus animātibus; & in secundo articulo huius quæstionis, à nobis iam expositō, dicit apertè, quòd conclusiones quæ deducuntur ex primis principijs ad legem humanam pertineant: sed in hoc articulo scribit, quòd sunt de iure gentium conclusiones quæ ex primis principijs deducūtur: ex quo consequens est, quòd ius gentium pertineat ad ius humanum: idem habet expressè 2.2.q.57.ar.3. Sed in alijs locis minimè paucis dicit contrariū, vt videtur. Nā suprà q.94.art.2. dicit, quòd præcepta legis naturæ sunt illa quæ sequuntur incli-

Vtrū ius gētium sub humano contineatur. D. Thom.

inclinationem naturalem humanæ naturæ: ſed præcepta quæ ſunt de iure gentium maximè ſe quuntur inclinationem naturæ humanæ: ergo ſunt de iure naturali. Præterea, in q. 100. artic. 1. ſcribit Diuus Thomas, quòd præcepta decalogi ſunt de iure naturali: at præcepta decalogi ſunt maximè de iure gentium, ſiquidem ſunt communia omnibus nationibus; ergo ius gentium ad ius naturale debet reduci: itaque Diuus Thomas hac in re videtur eſſe varius. Sed philoſophi, & iuriſprudentes non rectè conſentiunt: nam Ariſtoteles dicit, quòd ius naturale eſt idē vbique, & apud omnes: & Cicero multis in locis dicit, quòd id quod communi hominum cō ſenſu approbatur, lex naturæ reputanda eſt. Cæterùm iuriſprudentes, vt eſt videre in inſtitutis de iure naturali, & ciuili, appellant ius gentium, quod eſt commune omnium nationum: itaque confundunt ius gentium cum iure naturali. Soto libro 1. de iuſtitia & iure q. 5. art. 4. hac ratione diuidit inter ius naturale, & ius gentium. Prima, inquit, principia quæ ſunt nota omnibus ſine diſcurſu, hæc pertinent ad ius naturale: concluſiones verò quæ inde deriuantur, ad ius gentium ſpectant. Sed hæc ratio diuiſionis ſtare nō poteſt: nam ex ea ſequitur, quòd præcepta decalogi non ſint de lege naturali, ſed de iure gentium; quod aſſerere, ab omni veritate alienum eſt, vt infrà patebit. ¶ His igitur prætermiſſis, vera & breuis explanatio Diui Thomæ hæc eſt, quòd quædam deducuntur ex principijs naturæ neceſſariò neceſsitate abſoluta: quædam verò facta quadam ſuppoſitione. Prima illa pertinent ad legem naturæ: poſtrema verò ad ius gētium ſpectant. Adhibitis exemplis illuſtremus rem. Ad cōſeruandum genus humanum neceſſaria eſt ſimpliciter & abſolutè coniunctio maris & fœminæ, quæ matrimonium eſt, vinculū perpetuum, & indiſſolubile, neceſſarium omnino vt proles humana ſuſcipiatur, & commodè educari poſsit; & ideo hæc coniunctio eſt de iure naturali: cæterùm conſiderando, quòd homines vt in plurimum ſunt perfidi, & abutuntur bonis matrimonij, introductæ ſunt iure gentium leges nuptiarum, quibus celebretur contractus teſtibus adhibitis. Eſt aliud exemplum. Neceſſarium eſt ſecundum naturam humanā, vt pecora alantur; & vt ſuppetat victus hominibus, quòd agri colantur: cæterùm præſuppoſita imbecillitate naturæ humanæ, quæ poſt peccatum manſit infecta, & magis inclinata ad bonū propriū, quàm ad bonum cōmune, neceſſariū fuit ex iure gentium introducere diuiſionem agrorum, & poſſeſsionum, & omnibus rebus diuiſis neceſſarium fuit quòd quædam pro alijs commutarentur; & ſic iure gentium introductus fuit numus. ¶ Ex hoc ſequitur, quòd ius gētium medium eſt inter ius naturale, & ius ciuile: & quoniam medium participat naturam extremorum, partim conuenit cum iure naturali, & partim cum iure ciuili. Conuenit cum iure naturali; quia eſt commune omnibus nationibus. Cum iure ciuili, quia fit conſenſu omnium populorum expreſſo, vel tacito, & non ex inſtinctu naturæ. Sequitur ſecundò, quòd ius gentiū ſimpliciter pertinet ad ius humanum, propter rationem modò aſsignatā. Sequitur tertiò, quòd ius gentium poteſt aboleri autoritate reipublicæ; nam diuiſio rerum, vt antea dictum eſt, introducta fuit iure gentium: cōſtat autem quòd in primordio Eccleſiæ tota fidelium multitudo habebat omnia in communi. Rurſus, ius gentiū introduxit, quòd victi ſeruiant victori: at lege Eccleſiaſtica ſtatutum eſt, quòd Chriſtiani capti in bello ſerui non ſint. Vltimò ſequitur, quòd ius gentium in nullo, iuri naturali derogare poteſt: quapropter in extrema neceſsitate omnia ſunt communia; in tali enim caſu quiſque tenetur iure naturali vitam tueri: ideo diuiſio rerum iure gentium introducta, huic iuri derogare nō potuit. ¶ Eſt aliud breue dubiū; Quid eſt quod dicit Diuus Thomas in articulo, quòd regimen mixtum eſt optimum inter omnes principatus, cùm in alijs multis locis idem contendat, principatum vnius eſſe optimum? Ex hoc principio colligit Diuus Thomas 1. p. q. 103. ar. 3. quòd mūdus ab vno gubernatur. Ex eodem principio colligit, 4. contra gentes c. 76. quòd Eccleſia ab vno Summo Pontifice debeat gubernari. idem demonſtrat latiùs primo de regimine Principū à cap. 2. vſque ad 8. Idē docet Ariſtoteles multis in locis, & 12. met. textu vltimo ſic cōcludit. Principum pluralitas mala eſt: ergo in orbe vnus Princeps. Hoc dubium exponit Caietanus in hoc articulo. Principatus vnius optimus eſt inter ſimplices principatus, non tamen comparando ad mixtum regimen; ſicuti dicimus, aurum metallorum eſſe optimum, ſed nō comparamus ad aurum, & argentum ſimul. Secunda explicatio eſt, quòd Monarchia ex vi regiminis inter principatus primatum tenet, ſed ex imperfectione, & imbecillitate hominum mixtum imperiū vtilius eſt; quoniam volunt homines imperij eſſe participes. Tertia explicatio eſt, quòd Monarchia primatum tenet, quando vnus, qui præeſt, eſt præſtantior virtute, non ſolùm ſingulis, ſed omnibus: ita teſtatur Ariſtoteles. Ex quo colligunt vniuerſi Theologi, quòd Summus Pontifex debet eligi non ſolummodò optimus Cardinalium, ſed optimus inter omnes Chriſtianos. Sed de hac re inferiùs erit abundantior ſermo.

Ariſt. 5. eth. c. 7. Cicero.

Soto.

Vera dubij explicatio.

Duplicitер quædam ex principijs naturæ deducuntur.

Pri. corola.

Secundum.

Tertium.

Dubium de mixto regimine. D. Thom.

Ariſt. 3. eth. c. 10. 4. poli. c. 4.

Explicatio Caiet.

Ariſt. 3. pol. lect. 9. apud D. Thom.

QVÆ-

QVAESTIO XCVI.

De potestate legis humanæ, in sex articulos diuisa.

ARTIC. PRIMVS.

¶ Vtrùm humana lex debeat poni in cõmuni.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. AFfirmans est conclusio. Probatur: quoniam lex cùm sit pro communi ciuium vtilitate instituta, bonum commune respicere debet: bonum autem commune ex multis constat, & varijs, ac multiplicibus actionibus procuratur: debet ergo lex ad multa respicere, ratione personarum, temporum, & locorum; & ita, vt optima sit, longoque tempore duret, ea quæ communia sunt, respicere debet.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ Vtrùm lex humana debeat omnia vitia cohibere.

¶ Conclusio est negans.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Probatio cõclusionis. COnclusio articuli sic probatur: quoniam humanæ leges imponi debent hominibus iuxta eorum conditiones, & capacitatem: est namque mẽsura quædam humanorum actuum: mensura autem (vt ex 10. metaph. constat) mensurato debet esse homogenea, & proportionata: hac de causa dictum est quæstione superiori, legem debere esse posibilem, secundum naturam, secundum patriæ consuetudinem. Hac eadem ratione, non eadem præcepta perfectis viris, & pueris imponuntur, quippe qui non sunt in virtute æquales. Quoniam ergo lex humana imponitur hominum communitati, debet illi proportionari: communitas autem hominum aliquos admittit defectus; est enim maior pars communitatis hominum imperfectorum. Lex ergo humana non debet omnia vitia cohibere, sed ea solùm quæ grauiora sunt, & à quibus maior pars communitatis abstinere poterit.

ARTIC. TERTIVS.

¶ Vtrùm lex humana præcipiat omnium virtutum actus.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. CONclusio est. Lex humana non præcipit omnium virtutum actus, nisi eos qui ad bonum commune ordinantur immediatè, vel mediatè. Probatur. Lex ad bonum commune ordinatur: ergo tantùm debet eos actus virtutum præcipere, qui ad tale bonum ordinem habent. Quare optimè dixit Aristoteles, legem præcipere opera fortis, & temperati, & mansueti, & his similia. Arist. 5. eth.

EXPLICATIO ARTICVLOR.

EX his articulis hoc dogma colligat Theologus in primis, quòd lex humana debet esse rationalis, ac reipublicæ vtilis: quòd si præceptũ fuerit sine ratione, neque attulerit aliquam vtilitatem, neque remouerit damnum, plus mali afferens quàm boni, iniquum est. Sed hîc, ne quis ad sola quorundam hominum singularia quædam damna spectãs, putet legem aliquam hinc esse damnosam, quòd multis sit peccandi occasio, consideranda nimis est hæc sententia secunda. Rationabilis legislatoris legem dantis est, considerare commune reipublicæ bonum, & non spectare ad illud quod in raris, aut pauciori bus, aut per accidens fit, neque ad damnũ quod eueniet alicui, aut paucioribus ex tali lege, aut regimine tali. Et ideo si legis intentio non perficiatur in quolibet singulorum, non idcirco mutanda est lex: nam iura constituuntur in his quę frequenter accidunt, non in his quæ rarò, aut in vno, aut altero casu accidere possunt. Neque leges item sic scribi possunt, vt omnes casus, qui quandoque acciderint, comprehendantur, sed sufficit ea quæ plerumque accidunt, contineri: & ideo cùm in aliquo casu sententia legis manifesta est, is qui iurisdictioni præest, ad manifestiora debet procedere similia, considerata legis ratione, & vtilitate secundum ipsius legislatoris voluntatem: suntque in casibus plerisque leges Bonũ cõmune considerandũ à legislatore.

beni-

benigniùs interpretandę, quàm ſonant earum verba, quemadmodum docet Imperator ff. de legibus & ſenatuſconſultis. Nulla, inquit, iuris ratio, aut æquitatis benignitas patitur, vt quæ ſalubriter pro vtilitate hominum introducuntur, ea nos duriori interpretatione contra commodum eorundem hominum producamus ad ſeueritatem. In fraudem legis facit, qui ſaluis verbis legis, ſententiam legis circumuenit. Vnde opera, ſola lege humana, aut præcepta, aut prohibita, non ſunt ſecundum ſe bona, aut mala, ſed in medio conſtituta, ſic bona & vtilia, vt interdum etiam propter locum, tempus, & perſonam ſint mala. Et ideo lex humana non poteſt ſic vniuerſaliter accipi, quin interdum liceat contra tenorem legis facere, ad conſeruandam fortiorem æquitatem quandam naturalē tunc emergentem. Opera verò lege naturali iuſſa, aut prohibita, ſecundum ſe ſunt bona, aut mala; vt diligere Deum, odiſſe Deum, mentiri, falſum teſtimonium dicere, adulterari, blaſphemare Deum; & ideo lex naturalis, & diuina vniuerſaliter ſuper hæc opera fertur: at nō eſt lex purè humana, quæ ſuper vllum genus operum vniuerſaliter lata eſt. Et ideo lex humana non poteſt eſſe omnino immutabilis. Neque tamen legiſlator debet legem ſuam poſitiuam mutare ſecundum diuerſitatem variationis ſingulorum hominum, & temporū; ſicuti peritus medicus, qui medicinam præparat, ac variat prout opus eſt vnicuique ſingulari ſecundum diſpoſitionē complexionis ipſius in ſtatu quem habet; ſed neceſſarium eſt, vt regimen legis communis ſit definitū ad commune bonum totius gentis, licèt ſit quibuſdam conueniens, quibuſdam verò nequaquam. Proinde oportet rectores, & legiſlatores eſſe ſapientes, atque prudentes, & tales eſſe, qui tātum illuminationis ſint aſſequuti, quantum ſufficit non ſolùm ad regendum ſeipſos ſolos, ſed quantum ſufficit ad dirigendum, & regendum alios; vt conſiderent, quid in condenda lege, aut in dando præcepto liceat, deceat, & expediat vtilitati, aut directioni eorum, quibus lex, aut præceptum imponitur, ne incidant in damnationem, quam cōminatur Eſaias cap. 10. Væ qui condunt leges iniquas, & ſcribentes iniuſtitias ſcripſerunt, vt opprimerent in iudicio pauperes, & vim facerent cauſæ humilium populi, vt eſſent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent. Quid facietis in die viſitationis, & calamitatis de longe venientis? ad cuius fugietis auxilium, & vbi derelinquetis gloriam veſtram?

¶ Aliud eſt legem aliquam humanam eſſe iniuſtam, aut iniquam; aliud eſt eam eſſe inutilem. Lex iniuſta ſeu iniqua, ſicut iam mox dicemus, contrariatur bono humano, aut diuino. Inutilis verò eſt, quæ non ſic contrariatur bono humano, ſed tamen nullam adfert communitati vtilitatem. Verùm hîc (ne mox pro arbitrio noſtro reijciamus omnem legem, quæ nobis non videtur continere vtilitatem aliquam) ſciendum eſt, multa eſſe præcepta, ſtatutaque humana purè poſitiua, quorum vtilitates & rationes non mox omnibus ſunt manifeſtæ; ſed non ideo mox putandum eſt, conſtitutiones illas non deriuari à lege æterna, aut non fundari in quadam naturali æquitate: quemadmodum in veteri lege multa erant præcepta purè poſitiua, habentia præter rationem figuralem in Chriſtum, etiam rationē quandam moralem naturalis cuiuſdam occultę æquitatis. verbi gratia. præcepta de occiſione, & immolatione auium, vaccarum, ſeu vitulorum & hircorum; de nō induenda veſte contexta ex lana & lino; de non arando in boue & aſino; de non miſcenda carne cum lacte; & de non edendo ſanguine, & id genus alia multa, nullam videtur habere vtilitatem, neque ad mores bonos, vt populus bene ſeſe habeat inter ſeſe, neque ad Deum creatorem ſuum; verùm ſi conſideresco ditiones loci, temporis, & reipublicæ Iudæorum, patebunt in huiuſmodi præceptis etiam rationes quædam, & cauſæ æquitatis moralis, de quibus latiùs infrà dicemus.

Fraus legis quid.

Lex humana nō omnino immutabilis.

Eſa. 10.

Aliud lex iniuſta, aliud inutilis.

ARTIC. QVARTVS.

¶ *Vtrùm lex humana imponat homini neceſsitatem in foro conſcientiæ.*

SVMMA TEXTVS.

Prima concluſio. Leges humanæ iuſtæ habent vim obligandi in foro conſcientiæ. Probatur: quoniam omnis lex iuſta deriuatur à lege æterna, iuxta illud. Per me Reges regnāt, & legum condi tores iuſta decernunt. Cùm ergo ab illa deriuetur quæ omnes ligat, etiam hæc obligare poterit. Prim. cōcl. Pro. 8.

¶ Secunda concluſio. Leges iniuſtæ per contrarietatem ad bonum humanum non obligant in conſcientia, niſi ratione ſcandali vitandi. Probatur: quoniam tales magis ſunt violentiæ, quam leges, dicente Diuo Auguſtino; Legem non eſſe eam, quæ lex iuſta non fuerit, ſed Secūd. cōcl. Aug. lib. de lib. arb.

sed ne detur alijs occasio turbatio
Mat. 5. nis, seruanda est, iuxta illud; Qui te angariauerit mille passus, vade cũ illo duo alia: & qui abstulerit tibi
Tert. cõcl. tunicam, da ei palliũ. ¶ Tertia cõclusio. Leges institutæ per contrarietatem ad bonum diuinum, vt leges tyrannorum idolatriam præcipientes, nulla ratione obseruandæ sunt. Obedire namque oportet magis Deo, quàm hominibus, vt
Act. 4. dicitur Actor. 4.

EXPLICATIO ARTICVLI.

QVæstio huius articuli non simplex est, sed multiplex, & habet plura capita. Nam in primis disserendum est de lege ciuili, & deinde de Ecclesiastica, tertiò, de lege pœnali, & denique de multitudine legum, qnomodo obligent in conscientia.

Verũ lex humana obliget in conscientia. ¶ Est igitur prima quæstio; Vtrùm lex humana obliget in foro conscientiæ? Pro parte negatiua sic arguitur. Nam si lex humana obligat in foro conscientiæ, poterit obligare ad culpam mortalem: sed non potest. quod sic ostendo. Nam sicut inducere gratiam nemo hominum potest; ita priuare gratia nemo hominũ potest: hoc autem facit culpa mortalis: ergo lex humana non
Secundum. obligat ad culpam mortalem. ¶ Secundò sic arguitur, & hoc argumentum præcipuè procedit de lege ciuili. Nã potestas ciuilis, & secularis nõ habet potestatẽ ligãdi, & absoluẽdi in foro conscientiæ; hanc enim potestatem Dominus tribuit soli Petro, & Ecclesiæ: ergo potestas ciuilis non
Tertium. habet autoritatẽ ligandi in cõscientia. ¶ Tertiò, sicuti subditi tenentur obedire principibus, sic filij parentibus, vxores maritis, serui Dominis: sed prædictæ personæ non habent autoritatẽ obligandi in conscientia: ergo neq; principes. ¶ Vltimò, si leges humanę obligarent ad culpam in foro conscientiæ, consequens est, quòd essent obseruandæ cũ periculo vitę: quod asserere, durissimum est. Quòd rectè sequatur, patet: nã obligãt ad culpam, & potiùs est moriendum, quã peccãdum vel minimum peccatum. ¶ Sed probatur
Adhuc probatur alijs argumẽtis. maioribus argumentis quòd lex ciuilis non obliget ad culpam in foro animæ. Nam potestas ciPrim. argu. uilis non est spiritalis, vt planè constat: ergo nõ
Secundũ. pertinet ad forum animæ spiritale. Deinde, finis potestatis ciuilis est bonũ aliquod temporale, nimirum salus reipublicæ, tranquillitas, & cõuictus ciuium: sed hoc nihil ad forum animæ
Tertium. spirituale: ergo. Tertiò, potestas ciuilis nõ potest ponere pœnã spiritualẽ, vt apertè constat: ergo non potest obligare in foro animæ spirituali. Quartò, si posset obligare ad culpã, esset omni-
Quartum. no mãca, & imperfecta; nã posset obligare, & nõ posset soluere. Vltimò, si princeps secularis po-
Vltim. test obligare ad culpã suis legibus, vel esset in potestate sua obligare, vel nõ: hoc secundum dici nõ potest; nã etiã prælati Ecclesiastici suis legibus aliquãdo nõ obligãt ad culpã: neq; verò primum potest dici; nã semper esset dubium an obligẽt ad culpã in foro cõscientię; nunquã enim illud in suis legibus declarãt. ¶ In cõtrarium est
In contrarium. illud; Omnis anima potestatibus sublimioribus
Rom. 13. subdita sit: & iterum. Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit: & paulò pòst; Qui potestati resistunt, condẽmnationẽ sibi acquirunt: condẽnatio verò nõ incurritur nisi propter culpã: & iterum; Subditi estote nõ solùm propter irã, sed propter conscientiã: id est (explicãte D. Ambro
Ambros. sio) nõ solùm propter vltionẽ præsentẽ, sed propter iudicium futurum, in quo testificãte conscięntia, ipsa punietur. Similẽ sententiã habet D.
1. Pet. 2. Petrus cum inquit; Subditi estote omni creaturæ propter Deum; siue regi quasi præcellenti, siue ducibus ab eo missis. Certè in his duobus
Aug epist. 54. ad Macedonium. locis adductis D. Augustinus & D. Chrysostomus, & omnes ferè veteres interpretantur Apo-
Chry. super Paulum. stolos de potestate ciuili, quod textus planè indicat. Sed est aduertẽdum, quòd licèt D. Paulus tãtùm agat in hoc loco de lege ciuili, ratio verò qua parẽdum statuit, cõmunis est etiã potestati Ecclesiasticæ. In potestatẽ enim Ecclesiasticã in primis cõuenit illud; Nõ est potestas nisi à Deo. Quare sicut trãsgressores legum ciuiliũ rei sunt apud Deum, sic trãsgressores legum Ecclesiasti-
Mat. 18. carum. De lege Ecclesiastica sunt aperta testimonia, vt illud; Si Ecclesiam nõ audierit, sit tibi tan-
Luc. 10. quã ethnicus, & publicanus: &, Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit: & Paulus; Obedite præpositis vestris, & eis subiacete. Hęc
Heb 13. veritas definita est in Cõcilio Cõstantiẽsi cõtra
Cõcil. Cõstãtien. sess. 8. & 15. Ioãnẽ V Vicleph, & in bulla Leonis cõtra Luthe-
Prob. cõcl. prima. rum ar. 27. ¶ Ad istã veritatẽ demõstrandã sunt euidentes rationes. Prima est. Nã lex humana à Deo est: ergo obligat in cõscientia sicut lex diuina. Cõsequẽtia est nota, & probatur antecedẽs: nã non solùm dicitur opus Dei, quod ipse solus producit; sed etiã quod medijs causis secundis efficit: ergo nõ solùm dicitur lex diuina, quã ipse solus Deus sanciuit, sed etiã lex quã homines autoritate diuina promulgãt, & statuunt: quẽadmodum lex Põtificia nõ solùm est quãPapa per se instituit, sed etiã quã alij inferiores autores Põ-
Prob. sect. tificicia autoritate instituunt. Secunda ratio est, quoniam potestas, tum ciuilis, tum Ecclesiastica, necessaria est vt homines bene & faciliter viuant. Potestas ciuilis constituit, & conseruat pa-

cem

cem publicam: Potestas Ecclesiastica dirigit homines in finem supernaturalē. Sed vtraque potestas est vana, & finem suum nō consequetur, si careat potestate obligandi in cōscientia: nā si subditi nō tenentur obedire, vana est potestas imperandi. Videte alias rationes apud Roffensem, Castro, & Driedonem. ¶ Sed dubitabit aliquis; Qua ratione potestas humana potest inducere obligationē in cōscientia? Ad hoc respōdetur, quòd potestas humana habet istā vim obligādi, quatenus subditur legi æternæ & diuinę: quēadmodū causæ secūdæ naturales producūt suos effectus, nō absolutè & per se, sed quatenus subduntur efficaciæ primæ causæ. Sic in proposito dicēdum est, quòd hæc vis obligandi ex duplici voluntate dimanat; ex voluntate potestatis humanæ institutētis, & præcipiētis aliquid in particulari, tanquā ex causa secunda; & ex voluntate diuinæ, & æternæ potestatis ordinātis, quòd illud, quod autoritate humana fuerit institutum, ratum sit, & firmum. ¶ Sed ex hoc magna nascitur quæstio; Vtrū per legē humanam possit aliquid præcipi, quod nō sit præceptum iure naturali aut diuino? Gerson tenet, quòd potestas humana nō potest noua præcepta instituere, præter ea quæ Deus præcipit. Eandem sententiam habet Almaynus. Itaq; dicunt prædicti autores, q; quādo Ecclesia tulit legē de ieiunio, non nouam instituit legē, sed declaratuit de lege diuina ieiunium esse præceptum. Secundò dicūt, quòd vniuersæ leges, tā ciuiles, quā Ecclesiasticæ, nihil aliud sunt, quā declarationes earum legum, de quibus poterat dubitari, an essent cōstitutæ lege naturali, aut diuina. Tertiò dicunt, q; si constaret aliquid esse præceptum ab Ecclesia, quod nō esset constitutum lege naturali, aut diuina, nō obligaret in conscientia. Probatur hoc: nā omnes leges humanæ, vt antè dictum est, nō habēt vim obligādi, nisi quatenus ex lege naturali, & diuina deriuātur: ergo omnes leges naturales, quæ habēt vim obligādi, iure naturali, & diuino sancitæ sunt. Hoc argumēto nō obstante, hæc sentētia falsissima est, & nihil differt ab hæresi Lutherana. Asserunt enim Lutherani, nihil esse credēdum, aut præcipiēdum, quod expresso Dei verbo nō cōtineatur. Cōfutatur hoc dogma. Primò, lex humana est, quòd semel in anno cōfiteamur peccata nostra. Rursus, lex humana est, quòd abstineamus à carnibus die Veneris, atq; etiam ne instituatur matrimonium in secundo, tertio, & quarto gradu consanguinitatis: sed istæ leges non sunt de iure naturali, aut diuino: quod sic probatur. Nam potest Ecclesia in eis dispensare, & eas abrogare pro sua voluntate. ¶ Secundò, Diuus Paulus expresse dicit; Præcipio ego, non Dominus: ergo secundum Diuum Paulum, aliquid est præceptum, quod iure naturali, & diuino Dominus non præcipit. Præterea, sicut Deus præcipit vt obediamus potestatibus sublimioribus; ita præcipit filijs obedire parentibus: sed absurdum dogma est, quòd parentes non possint mandare filijs suis, nisi quod iure naturali, & diuino præceptum est: ergo absurdum dogma est asserere quòd prælati nō possunt mandare subditis, nisi illud quod alioqui iure diuino mādatum est. Vltimò, si ita est, vt isti dicunt, sequitur quòd respublica nō possit abrogare legem, quā semel instituit: quod falsum est. Sequela probatur: nam secundum istorum sententiā, ista lex est de iure naturali, aut diuino. Hęc omnia cōfirmantur: nā vt ait Aristoteles, Iussum humanū est, quod à principio nihil differt sic vel aliter fieri, post legis verò positionem multum refert: ergo ea quę præcipiuntur legibus humanis, in differētia erāt, & non lege diuina prohibita. ¶ Ad argumenta respondetur, quòd lex humana deriuatur à lege diuina, mediante autoritate, & potestate humana; & ideo humana est, non diuina. Itaq; differt inter legem humanam, & diuinam: quòd lex diuina sicut à solo Deo fertur, ita à solo Deo abrogari potest: lex verò humana sicut per hominē instituitur, ita per hominem annullari potest. Secundò differunt: nam lex diuina vt iusta sit, & perinde obligatoria, satis est voluntas legislatoris: verùm lex humana vt iusta sit, & vim obligandi habeat, non satis est voluntas legislatoris, sed requiritur quòd sit vtilis reipublicę, & de bono honesto. Vltimò differunt; quòd lex diuina habet immediatè autoritatem ex determinatione & definitione diuina: lex verò humana deriuatur à diuina, mediante voluntate, & determinatione potestatis humanæ. Conueniūt tamen in hoc lex diuina, & humana; quòd lex diuina constituit aliquid in esse, & in genere virtutis, aut vitij. Nam eo ipso quòd lex diuina aliquid statuit, studiosum est, & necessarium, quod alioqui non erat; & eo ipso quòd prohibet aliquid, malum est, quia prohibitum: sic lex humana cōstituit aliquid in esse, & in genere virtutis, aut vitij, sic quòd post statutum, peccatū est secus facere. Hoc ita posito, & probato quòd lex humana obligat ad culpā, restat exponere quibus regulis cognoscamus quādo obligat ad peccatum mortale, quando verò ad veniale. De hac re disserit Sylvester verbo lex. q. 8. & 17. & verbo præceptum, & verbo inobedientia, & dicit, se de hac re nihil exploratum potuisse habere. Tandē ponit duas regulas canonistarū. ¶ Prima regula est Ex voluntate legislatoris pēdet vis obligādi ad peccatū mortale, aut veniale. Itaq; si vult obligare ad mortale, obligat; sin minus, non obligat. Hæc regula falsum dicit: nā si legislator seriò & verè præcipit rē alioqui graue, & maximè ad bonum

Roffens. ar. 17. Castro verbo Ecclesia hæresi. 3. Driedo. de libertate Christiana c. 8. & 9. Quomodo humana potestas in cōscientia possit obligare

Vtrū lex humana possit aliquid præcipere non præceptum à Deo. Gerson in tractatu de vita spirituali lect. 4 Almayn. li. de potesta. Ecclesiast. c. 10. & 12.

Probatur hæc sententia.

Sētētia Gerson. reprobatur.

1. Cor. 7.

Solut. arg.

Differentia inter diuinā & humanā legem quo ad vim obligandi.

Cōuenientia inter humanā & diuinā legē.

Regulæ ad dignoscendū quando lex humana ad peccatū mortale obligat, aut vero ad veniale.

Prima regula Sylvest.

Ariſt. 5. eth. c. 7.

num cõmune conducentẽ,non eſt poſitum in eius poteſtate quòd nõ obliget ad peccatũ mortale.Rurſus,ſi legiſlator præcipiat rẽ alioqui leuem,& minimi momẽti, nõ eſt poſitum in eius poteſtate quòd lex illa obliget ad mortale. ¶Secunda regula.Ex verbis,inquit,legis inueſtigandũ eſt quãdo lex obliget ad peccatum mortale, quãdo verò ſolũ ad veniale. Nã ſi præcipit ſub anathematis ſententia;vt ſi dicat hoc pacto,præcipimus,mãdamus,ſtrictè prohibemus; obligat ad peecatũ mortale:ſi verò dicat,ſtatuimus, ordinamus,obligat ad veniale.Hãc regulã eſſe falſam oſtẽdit optimè Caietanus in opuſculo 27. quæſt.q.21. Nã lex ieiunij quadrageſimæ verè obligat ad peccatũ mortale,vt patet ex cõſenſu omniũ Chriſtianorũ;at nõ præcipitur ſub ſentẽtia excõmunicationis,neq; habet iſtũ tenorem, præcipio,mãdo.Deinde,lex diuina præcipit ne quis mẽtiatur ſub iſto tenore;præcipit dñs; ſed nõ obligat ad mortale:ergo illa regula falſum dicit:oportet ergo declarare veras regulas quibus hoc intelligatur. Et ideò prima regula ſit. ¶Quando lex humana obligat ad peccatũ mortale,aut veniale, talis obligatio ex leuitate, vel grauitate materiæ inueſtiganda eſt. Si enim res quæ præcipitur,grauis eſt, & ad bonũ cõmune maximè cõducens,obligat ad peccatũ mortale, alioqui nõ.¶Secũda regula. Quãdo trãſgreſsio legis humanæ cõtrariatur charitati,aut iuſtitiæ, talis lex obligat ad peccatũ mortale;ſin aliter,ad veniale.v.g.eſt in Hiſpania penuria tritici, præcipit lex ne deferatur extra regnũ triticum, obligat ad peccatũ mortale:nã contrariũ facere, eſt in graue detrimẽtũ reipublicæ,aut proximi. Itẽ, tẽpore belli lex quæ mãdat ne efferãtur arma extra regnũ,obligat ad peccatũ mortale:cęterũ lex quæ ſtatuit quo genere veſtiũ cuiq; ſit vtendũ, cõmuniter non obligat ad mortale,niſi eſſet in graue detrimentũ reipublicę:nam tũc obligaret ad peccatũ mortale.¶Tertia regula. Quãdo lex humana minatur pœnã capitis,aut exilij perpetui trãſgreſſoribus,obligat ad peccatũ mortale: nã ſeueritas pœnę eſt argumentũ,quòd res quę præcipitur, grauiſsima eſt. ¶ Quarta regula. Quãdo lex præcipit aliquid ſub anathematis ſentẽtia, euidẽs eſt quòd obligat ad mortale: nã ſeueritas pœnę hoc manifeſtè oſtẽdit.¶Quinta regula. Trãſgredi legẽ humanã ex contẽptu:peccatũ mortale eſt:nã contẽnere ſuperiorẽ, peccatũ mortale eſt.Sed hæc regula nõ eſt adeò certa,vt oſtẽdit Dñs Caie.inſua ſumma,verbo, cõtẽpts. Nã contẽnere legẽ intra limites legis leuis & nõ maximi momẽti,peccatũ veniale ſolũ eſt.¶Sed cõtra iſtas regulas exiſtũt aliquot argumenta.In primis,prælati ſæpe præcipiũt res leues ſub ſentẽtia excõmunicationis,vt experiẽtia docet;& tamẽ verè obligãt ad culpã grauẽ:ergo regulæ noſtrę verę nõ ſunt.Reſpõdetur,ſentẽtia excõmunicationis,ſiue iuſta,ſiue iniuſta,timẽda eſt: cęterũ quãdo cõſtat rẽ præceptã eſſe leuiſsimam, nõ obligat in cõſcientia.¶Secũdò,nã prælati interdũ obligãt ad res minoris momẽti; vt ne ingrediatur ſubditus in talẽ domum, neq; trãſeat per talẽ vicũ;& obligãt ad mortale:ergo regulæ ſuprà poſitę nõ ſunt verę.Reſpõdetur,quod res minoris momẽti cõparata ad honeſtatẽ,& bonũ nomẽ religioſorũ,aut clericorũ,efficitur res maximi momenti:& ideò obligat ad mortale. ¶Tertiũ argumẽtũ.Nã cõſtitutiones religioſorũ interdũ nõ obligãt ad culpã ex volũtate legiſlatoris,vt patet in cõſtitutionibus D.Dñici: ergo leges ex volũtate legiſlatoris nõ obligabunt ad culpã:tota ergovis obligãdi in legibus erit ex volũtate legiſlatoris.Reſpõdetur negãdo cõſequentiã:nã cõſtitutiones quę nõ obligãt ad culpã nõ ſunt verę leges,neq; prælatus propriè imperat,neq; exigit obedientiã,ſed potiùs habent modũ admonitionis,&cõſilij,quã legis:proprietas enim legis eſt obligare ad culpã:nã ſi lex eſt; ergo regula eſt;ergo obediẽtia eſt;ergo deficere ab ea,obliquũ eſt,& peccatũ. ¶Ad argumẽta propoſita in principio queſtionis reſpondetur; Ad primũ dicendũ, quòd legiſlatores humani nõ inducũt obligationẽ ad culpã vt agẽtia principalia,ſed quatenus innitũtur vi,& efficacia ſuperioris cauſæ,vt antea dictũ eſt. Secũdò reſpõdetur,hominẽ plus poſſe in malũ quã in bonũ; iuxta illud;Perditio tua ex te,tantũmodo auxiliũ tuũ in me.¶Ad ſecundũ reſpõdetur,quòd ligare,& abſoluere,vt ſunt actus clauiũ,importãt remittere,& detinere peccata iudiciaria poteſtate.Quod verò hîc diſputamus,longè diuerſum eſt:nã obligare ad culpã,eſt tantũ cõſtituere legẽ,& cõſtituere aliquid in genere virtutis,cuius proinde contrariũ,vitiũ erit:proprietas nãq; legis eſt obligare ad obediẽtiã.¶Ad tertiũ reſpõdetur,quòd præcepta parentũ,& aliorũ ſuperiorũ ſine dubio obligãt ad culpã,pro qualitate præcepti,& materię.¶Ad quartũ reſpõdetur,quòd de difficultate huius argumẽti in ſequẽtibus diligẽtiſsimè pertractandũ eſt.¶Ad omnia alia argumẽta reſpõdetur,cp poteſtas ciuilis vt obliget in cõſcientia,nõ opus eſt vt ſit poteſtas ſpiritualis,ſed ſat eſt quòd conſtituat aliquid in genere virtutis,& obediẽtiæ; cuius proinde contrariũ, vitiũ erit.¶Sequitur grauiſsimũ dubiũ; Vtrũ leges humanę obligẽt ad ſui obſeruationẽ cũ periculo vitę.De hoc verſantur tres opiniones inter doctores.Prima dicit, quòd nulla lex humana obligat cũ diſcrimine vitę. Et probatur ſic. Nã quiſq; iure naturali tenetur vitã ſuã tueri,& cõſeruare:huic aũt iuri naturali ius humanũ derogare nõ poteſt.Hãc ſententiã improbat hîc dñs Caietanus magnis argumẽtis.Secũda eſt Caietani,

Secũda regula Sylue.

Caiet.

Quinque regulæ ad dignoſcendũ quãdo humana lex mortale inducat peccatũ aut ſolũ veniale.

Prima regula.

Secũ.regu.

Tert. regu.

Quar.regu.

Quin.regu.

Caiet.

Obiectiões contra iſtas regulas.

Prima.

Reſponſio.

Secunda.

Reſponſio.

Tertia.

Reſponſio. Cõſtitutiones quæ nõ obligãt ad culpã, non ſunt verè leges.

Ad argum. in contrariũ adducta ſatisfit.

Ad primum

Oſeę.13.

Ad ſecundũ

Ad tertium

Ad quartũ.

Ad omnia alia argum.

An humanę leges cũ vitæ diſcrimine obligẽt ad ſui cõſeruationem. Pri.opinio.

Caiet. opinio.

ni,

Prim. argu. Caiet.

ni, quòd vniuersa lex humana quæ obligat ad peccatũ mortale, obligat ad sui obseruationem cũ discrimine vitę. Et probat in hũc modũ. Nã quilibet homo, quicquid habet, & quicquid est, est reipublicæ; sicuti pars, quicquid est, totiꝰ est; ergo lex humana quæ respicit bonũ cõmune, potest disponere, & ordinare de vita hominis in ordine ad bonũ cõmune. Secũdò, potiùs debet homo mori, quã celebrare matrimoniũ cũ cõsobrina sua in gradu prohibito, vt planè cõstat; at hoc est prohibitũ de iure positiuo tantũ. Tertiò Sacerdos potiùs debet mori, quã celebrare sine corporali extra altare, & sine vestibus sacerdotalibus & cæteris de iure humano requisitis. Vltimò, in capitulo, sacris, de his quæ vi fiũt, definitur, quòd sacerdos potiùs debet mori, quã communicare cũ excõmunicatis: cõmunicare verò cũ excõmunicatis tantũ est prohibitũ iure humano. Hæc sentẽtia Caietani falsissima est: nã lex naturalis præcipit vt subueniamus pauperi in extrema necessitate cõstituto, sed nõ obligat cũ discrimine proprię vitę: ergo lex naturalis non obligat ad sui obseruationẽ cũ discrimine vitę: ergo multò minùs lex humana. Deinde, lex diuina obligãs ad peccatũ mortale, nõ obligat cũ discrimine vitę: ergo nec humana. Antecedẽs probatur. Nã Dauid in extrema necessitate comedit de panibus propositionis, qui solis sacerdotibus erãt dedicati: & in ea re nõ peccauit, vt dicit Dñs. Rursus, Mathathias pugnauit in die Sabbathorũ, existimãs se nõ teneri ad obseruationem Sabbathi in tãta necessitate. ¶ Soto lib. 1. de iustitia & iure q. 6. ar. 4. tenet mediã opinionẽ, & statuit hãc regulã. Quãdo leges humanę præcipiũt aliquid sub pœna capitis, obligãt ad sui obseruationẽ cũ discrimine vitæ. Sed diligentiùs tractat hãc quęstionẽ in 4. d. 22. q. 1. art. 4. ¶ Pro huius rei expositione aduertẽdũ est primò, quòd hîc nõ quærimus, an pro vitanda morte, culpa vel mortalis, vel venialis sit cõmittẽda; nã certissimũ est apud omnes Theologos, nullã culpã, vel minimã, pro quocunq; periculo vitãdo esse cõmittendã; sed tantũ quærimus, vtrũ superueniente periculo vitę, & discrimine, cessẽt legũ humanarũ obligatio. Secũdò notandum est, quòd discrimẽ vitæ aliquãdo sequitur ad obseruationẽ legis humanę, quod à legislatore optimè præuisum est: aliquãdo verò sequitur per accidens ab extrinseco. Quod potest accidere dupliciter; tũ in odiũ, & in contẽptum legũ humanarũ; tũ verò in periculũ personę. Quibus positis, sit prima propositio. ¶ Lex humana potest obligare ad sui obseruationẽ cũ discrimine vitę. Probatur. Nã homo nõ solũ quantũ ad ea quæ possidet, sed quantũ ad seipsum est pars reipublicæ: ergo respublica potest vitã eius discrimini exponere pro cõseruando, & tuẽdo bono publico. ¶ Secũda propositio. Quãdo periculũ mortis sequitur ex actu præcepto, quod à legislatore præuideri potuit, leges humanæ obligãt ad sui obseruationẽ cũ discrimine vitæ. Probatur hoc, & illustratur exẽplis. Si Episcopus tẽpore pestis præcipiat parochis vt in parœcia pmaneãt, vt administrẽt sacramẽta, tenẽtur obedire nõ obstãte periculo vitæ. Itẽ, prẽcipit Episcopus visitatoribus vt suũ officiũ exerceãt quãdo hæretici grassantur, tenẽtur obseruare præceptũ cũ discrimine vitę. Itẽ, præcipit Dux militibus, & dat signũ aggrediẽdi cõtra hostes, tenẽtur parere, nõ obstãte periculo vitæ. ¶ Tertia cõclusio. In cæteris casibus lex humana nunquã obligat ad sui obseruationẽ cũ discrimine vitæ, nisi quãdo agit de defensionẽ fidei, & virtutũ. Pro explicatione huius cõclusionis meminisse oportet illius distinctionis celebris, esse quædã prohibita, quia mala, putà, quia habẽt intrinsecã malitiã, vt mẽdaciũ, adulteriũ: alia verò sunt mala, quia prohibita, scilicet, quia nõ habẽt in se intrinsecã malitiam, vt comedere carnes in die Veneris. In illis quæ sunt primi generis, potiùs debet homo subire mortẽ, quã legẽ frãgere, licèt solũ sit peccatũ veniale: potiùs nãq; debet homo mori, quã adulterari, aut mẽtiri; licèt mendaciũ leue sit. Quoniã illa quæ sunt intrinsecè mala, nulla ratione rectè fieri possunt. In illis verò quæ in secũdo genere dicũtur esse ad inuestigandũ quãdo obligãt cũ discrimine vitæ, attẽdenda est grauitas materiæ quæ præcipitur. v. g. lex Põtificia præcipit quadragesimale ieiuniũ, aut festorũ obseruationẽ, cæterũ qui infirmatur, nõ tenetur ieiunare, sed excusatur: quoniã Ecclesiæ nõ tãti refert ieiuniũ, quãti salus hominis. Si igitur alicui incutiatur metus mortis, si ieiunet, aut festũ obseruet, si illud fit in odiũ, & contẽptum legũ Ecclesiasticarũ, ad ostendẽdũ legẽ, & fidẽ nostrã esse falsam, & nullius valoris, potiùs debet homo oppetere mortẽ, quã legem humanã frãgere; propter ius diuinum, quo tenetur homo fidẽ suã cõfiteri: cæterũ si incutiatur metus mortis alia de causa. v. g. ex nequitia hominis scelerati, nõ tenetur legẽ seruare cũ tanto discrimine. Similiter si quis tyrãnus incutiat metũ mortis sacerdoti nisi celebret corã excõmunicatis, si id fiat in contẽptũ legũ Ecclesiasticarũ, tenetur potiùs mori, propter rationẽ superiùs cõmemoratã: cæterũ si fiat alia de causa, ad ostendẽdum se nõ esse excõmunicatum, optimè potest celebrare corã excõmunicatis: nã Ecclesiæ nõ tãti refert in hoc casu prohibere excõmunicatorum cõmercium, quã seruare vitã hominis. Hæc est vera explicatio huius dubij. ¶ Ad argumentũ primæ opinionis respõdetur, nõ semper obligari hominẽ vitã suã seruare, sed aliquando eã exponere periculo tũ pro amico, tũ pro republica honestũ est. ¶ Ad argumẽtũ primũ secũdæ opinio-

Secũd. cõcl.

Tert. cõcl.

In obseruatione illorũ quæ prohibentur, quia mala, debet homo quodcũque notissimũ capitis periculũ subire: secus est de obseruatione dorum quibus vel ipsa prohibitio malitiã imparti ta est.

Secũdũ.

Tertium.

Vltim.

Quòd non obliget humana lex cũ vitæ periculo.

1. Reg. 21.

Mat. 12. 1. Macha. 2.

Soto.

Notã quis sit sensus præfatę quęstionis.

Prim. cõcl.

Ad argum. primæ opinionis. Pro amico, & reipublicæ vitã exponere laudabile est. Ad primum arg. 2. opin.

opinionis respõdetur, tãtùm probare, quòd respublica id posit efficere, sed quòd id faciat in vniuersis legibus quæ obligãt ad peccatũ mortale, certè nõ probat. ¶ Ad secundũ argumẽtum respondetur, quòd licèt prohibitio matrimonij decernẽs irritũ esse matrimoniũ inter cõsanguineos, sit de iure Ecclesiastico; nihilominus statuto quòd nõ est verũ matrimonium accedere ad cõsanguĩneos sine dispẽsatione, est cõmittere fornicationẽ, quæ iure diuino prohibita est.

Ad secundũ

¶ Ad tertiũ & quartũ argumẽtum respõdetur, quòd sacerdos nõ tenetur potiùs mori, quã celebrare sine corporali, aut lumine. Itẽ dico, nõ teneri sacerdotẽ potiùs mori, quã celebrare corã excõmunicatis: nã capitulũ, sacris, superiùs adductũ, habet duas veras expositiones. Prior est, quãdo offertur periculũ in contẽptum legũ Ecclesiasticarũ. Posterior est, quãdo cogitur sacerdos cõmunicare in crimine criminoso: de qua re vidẽdus est Syluester, verbo, excõmunicatio. §. §. 6. in fine, & Soto loco supra citato. ¶ Ex his soluitur facilè argumẽtum quod maximè exaggerat Caie. Nã peccatũ mortale nõ est admittẽdum pro quocunq; periculo vitãdo: sed lex humana obligat ad peccatũ mortale aliquãdo, vt antea dictũ est: ergo pro quocunq; periculo cauẽdo nõ est frãgenda. Respõdetur, hoc argumẽtum etiã de lege obligãte ad peccatũ veniale, p̃bat. Respõdetur secundò, quòd nihil probat: nã superueniẽte periculo cessat obligatio legis humanę; & ideo nõ cõmittitur peccatũ, nec mortale, nec veniale.

Ad tertium & quartum

Sylues. Soto. Argumẽta Caiet.

Solutio.

¶ Est aliud dubiũ; vtrũ leges pœnales in cõscientia obligẽt. Hæc quæstio potest versari in duplici sensu. Prior est, vtrùm ad id q̃ præcipitur, obliget in foro cõscientię. Posterior est, vtrũ homo qui trãsgreditur legẽ pœnalẽ, teneatur in cõscientia pœnã persoluere. De priori sensu nunc agẽdum est, & pro parte negatiua sic arguitur. ¶ In primis, leges quæ statuunt irregularitatis pœnã, nõ obligãt ad culpam. Quod sic ostẽdo. Iudex enim qui occidit iustè malefactores, irregularis est. Rursus, bigamus irregularis est, cui nulla subest culpa, vt habet sana doctrina. ¶ Secundò, votũ, aut iuramẽtum pœnale nõ obligat in cõscięntia: ergo neq; lex pœnalis. Cõsequẽtia optima est, & probatur antecedẽs. Nã si quis promittat Deo se nunquã lusurũ, aut si luserit, se ieiunaturũ, certè si ludit, nõ peccat, sed tenetur ieiunare. ¶ Tertiò, leges populorũ, quib⁹ caueẽ ne oppidani cędãt syluã cõmunẽ, q̃ si aliqui inueniãtur cędẽtes, soluãt statutã pœnã, sine dubio nõ obligãt ad peccatũ, sed tãtum ad pœnã, vt cõstat ex cõsensu oĩum populorũ. ¶ Quarò, cõstitutiones in quibusdã religionibus nõ obligãt ad culpã, sed tãtùm ad pœnã: ergo eo ipso q̃ legislator statuit pœnã in trãsgressores, visus est esse cõtentus exigere pœnã, & nõ obligare ad culpã. ¶ Vltimò, leges sunt innumeræ, tã in lege diuina, quã in lege humana, quæ nullã formam præcepti, aut prohibitionis præ se ferunt, sed tãtũ pœnã statuunt; huiusmodi est illa; Qui furatus fuerit boue, quinque boues p̃ vno restituat; & 2. q. 3. c. Qui nõ probauerit, eãdẽ pœnã, quam iniecerit, patiatur, & l. capitalium ff. de pœnis, sic habetur; Incẽdiarij capite plectãtur. Ergo huiusmodi leges nõ obligãt in cõscientia; siquidẽ nihil pręcipiunt. In cõtrarium est: nã proprietas legis inseparabilis est obligare ad culpã, vt antea dictũ est. Sed leges pœnales sunt verę, & pręcipuę leges; ergo obligãt ad culpã. Hãc quæstionẽ tractat Sylues. verbo, inobediẽtia, ad finẽ; & addu cit opinionẽ Iurisperitorũ, q̃ leges pœnales nõ obligãt in cõscientia. Deinde, Summa angelica, vt refert Sylues ter ibidẽ, approbat distinctionẽ quandã, quã accepit ex Hẽrico Gãdau. quodlibeto 3. q. 22. q̃ quãdo leges pœnales pręcipiunt, aut prohibẽt aliquid, & pœnã adhibẽt in transgressores, obligãt in cõscientia: cæterùm quãdo nihil præcipiunt, sed tãtùm adhibẽt pœnã, non obligãt ad culpã. Exẽpla huius rei adducta sunt in vltimo argumẽto. Cõtraria sentẽtia sine dubio vera est. Dicẽdum est enim ex diuina Theologia, q̃ oĩs lex pœnalis obligat ad culpã. Hæc est sentẽtia D. Th. expressa suprà q. 87. ar. 7. & in 2. 2. q. 108. ar. 4. & hæc est nota lumine rationis naturalis. Ad quod explicãdum, aduertẽdũ est, q̃ pœna, & supplicium dicit respectũ ad culpã. Primò, quoniã habuit ortum ex culpa, secundũ illud; Per vnum hominẽ peccatũ intrauit in mũdum, & per peccatum mors: nomine, mortis, õe genus pœnæ intelligitur. Secundò, quoniã pœna est vt medicina culpæ: id enim quod per culpã labefactatum est, per pœnã ad æqualitatẽ reducitur. In quo admirãda est diuina clementia: nã voluit ex peccato pœnã nasci, quæ pœna vires peccati debilitet, & cõfringat; sic dicebat D. Aug. Iussisti Dñe, & sic est, vt oĩs animus inordinatus pœna sit sibi. & iterũ; Soles valẽtibus tuis legibus miscere salubres amaritudines in vitiorũ suauitate. ¶ Ex hoc principio sic cõcludo argumẽtũ. Pœna, & suppliciũ, culpæ debet correspõdere, si propriè loquẽdum est: ergo eo ipso q̃ legislator statuit pœnas in trãsgressores, demonstrat euidẽter ad culpã obligare. Huic consonat Aug. cùm inquit; Oĩs pœna iusta est, & pro peccato impẽditur: & Iob dicit; Quis vnquã innocẽs perijt? aut recti quãdo deleti sunt? ¶ Secũdò, si legislator statuit leges absolutè absq; pœnę adhibitione, cõstitutum est apud oẽs, quod obligat ad culpã: ergo si statuit pœnã in transgressores, euidẽs est quòd obligat ad culpã: nã q̃ statuit, signũ est quòd ardẽtiùs vult fieri quod præcipit. ¶ Tertiò, legislatores statuunt inæquales pœnas in trãsgressores: hoc autẽ faciũt, quia existimant

Prim. arg.

Secundum.

Tertium.

Quartum.

Quintum.

In cõtrariũ.

Sylues.

Sũma angelica.

Gãdauẽsis.

Omnis lex pœnalis obligat ad culpam.

D. Thom.

Rom. 5.

Aug. l. 11. cõfess. c. 12.

Aug. ll. 1. retract. c. 9.

Iob. 4.

ſtimãt, inæquales eos cõmittere culpas, vt ſeruẽ tur illud; Iuxta menſurã delicti erit & plagarum modus. ¶ Quartò, legiſlatores quando præcipiũt aliquid ſub pœna ſtatuta, cõſtituunt illud in genere virtutis, & obediẽtiæ: ergo cõtrarium facere, vitiũ erit. Hæc ſentẽtia cõfirmatur ex diuina ſcriptura: nã lex, quæ fuit poſita primis parẽtibus, pœnalis fuit, & habuit iſtum tenorẽ; In quocunq; die comederis ex eo &c. Sed hæc lex maximè obligauit ad culpam, vt cõſtat ex fide. ¶ Deniq;, indubitatũ eſt, q̃ ſi princeps præcipiat militi ſub pœna capitis ne deſerat locũ ſuum, ſi deſeruerit, peccatũ mortale cõmittit. Imò eſt regula generalis, quotieſcũq; lex præcipit ſub pœna capitis, aut priuationis oĩm bonorũ, aut exilij ꝓpetui, obligat ad peccatũ mortale. ¶ Ad primũ argumẽtum reſpõdetur, q̃ irregularitas in iudice, aut in bigamo, pœna nõ eſt: nec enim arcẽtur à ſacris ordinib⁹ ſuſcipiẽdis, vt afficiãtur pœna, aut ſupplicio, ſed propter decentiã: nõ enim decet vt qui ſanguine cõtaminatus eſt, ſacramẽta innocẽtiſsimi Agni diſpẽſet. Rurſus, bigamus nõ eſt irregularis propter pœnã, ſed propter ſignificationẽ: Chriſtus enim vnã Eccleſiã ſibi deſpõſauit. Ex hoc ſequitur; q̃ irregularitas duplex eſt; Altera eſt vera pœna, quæ incurritur ratiõe delicti; vt cũ excõmunicatus celebrat, aut ſuſcipit ſacros ordines; Altera eſt, quæ non eſt vera pœna, ſed incurritur propter decentiã, & ſignificationẽ, vt in caſibus cõmemoratis. Sequitur ſecũdò, q̃ quãdo in Bulla cruciatæ datur facultas abſoluẽdi ab oĩbus cẽſuris Eccleſiaſticis, nomine iſto intelligitur irregularitas ex delicto cõtracta; cæterũ nõ intelligitur illa quę cõtrahitur ꝓpter decentiã, & ſignificationẽ: de qua re videndus eſt Soto in 4. d. 22. q. 3. ar. 1. ¶ Ad ſecundũ argumentũ reſpõdetur, q̃ votũ pœnale poteſt fieri dupliciter; Vno modo, ſub diſiunctione; vt ſi quis promittat ſe nõ luſurũ, aut ſi luſerit, ieiunaturũ; certè ſi luſit, nõ eſt reus voti, ſed tenetur ieiunare: Alio modo poteſt fieri abſolutè; vt ſi q̃s promittat ſe nõ acceſſurũ ad talẽ mulierẽ, q̃ ſi fecerit, talẽ ſubiturũ pœnã; ſi faciat acceſſũ, reꝰ eſt voti, & inſuper tenetur ſubire pœnã. Ex hac ſolutione facilè eſt intelligere, quid dicendũ ſit de legibus, quibus canonici tenẽtur intereſſe ſacris, aut mulctã perſoluere. Certè ſi nõ interſunt, nõ peccãt, ſed tenẽtur mulctã perſoluere, Idẽ dicendũ eſt de legibus, quibus prælectores cathedræ tenẽtur legere, aut mulctã perſoluere: certè, per ſe loquẽdo, nõ peccãt, ſi nõ legant, ſed tenẽtur mulctã perſoluere. Secus eſt, ſi ex hoc ſequit detrimẽtum doctrinæ, aut cultus diuini. ¶ Ad tertiũ reſpõdetur, quòd ſtatuta dicta in argumẽto, propriè nõ ſunt leges pœnales, ſed ſunt cõuẽtiones populorũ, ne cõmunis ſylua deſtruatur, vel ſunt ſtatuta ſub diſiũctione, ne quis cędat, aut ſi cædat, ſoluat certã pœnã: de qua re iterum in ſequẽtib⁹ redibit ſermo. In hoc prædicamẽto collocãda ſunt ſtatuta cõfraternitatum, quę ſtatuũt aliquid faciẽdum, vel nõ faciẽdũ ſub certis pœnis: trãſgreſſores nõ ſunt rei culpæ; nã nõ ſunt leges propriè pœnales, & pœnæ quas ſtatuũt, nõ ſunt propriè pœnæ: nã eas ſuſcipiũt voluntariè. ¶ Ad quartũ reſpõdetur, q̃ ſtatuta religionum quæ nõ obligãt ad culpã, nõ ſunt propriè leges, ſed potiùs habẽt modũ admonitionis, & cõſilij, quã legũ. Vel dicẽdum eſt, q̃ quando legiſlator exprimit in lege pœnali, ſe nõ velle obligare ad culpã, ſed tãtũ ad pœnã, certè nõ obligat ad culpã. Sed quod hactenus docuimus, eſt, q̃ quãdo ſtatuit legẽ pœnalẽ, & id nõ explicat, certè obligat ad culpã. ¶ Ad quintũ argumẽtum reſpõdetur, q̃ leges humanæ interdũ ſtatuũt pœnas in trãſgreſſores legis naturalis, aut diuinę; vt quãdo ſtatuũt homicidas, & adulteros eſſe occidẽdos, & in his caſibus leges humanæ nõ inducũt nouã obligationẽ ad culpã, ſed præexiſtentẽ cõfirmãt. Quãdo verò eſt pura cõſtitutio humana, ſi quãdo ponitur ſine adhibitione pœnę, obligat ad culpã, etiãs eſt q̃ additio pœnę non diminuit culpã. Itaq́; ſiue lex pœnalis prę ſe ferat prę ceptũ, ſiue nõ, ſi tamẽ eſt vera lex, obligat ad culpã. ¶ Sed ex hoc naſcitur parua dubitatio; Vtrũ qui trãſgreditur legẽ pœnalẽ, cui⁹ trãſgreſſioni impoſita eſt pœna mortis, peccat duplex peccatũ; alterũ, quia trãſgreditur legẽ pœnalẽ; alterũ, quia ſe expoſuit periculo mortis? Videtur quòd peccet duplex peccatũ. Nã qui ſe exponit periculo mortis, homicida eſt: hic ſe exponit periculo mortis: ergo homicida eſt. Reſpõdetur, quòd nõ peccat duplex peccatum: nã qui furatur, nõ peccat duplex peccatũ; alterũ, quo furatur; alterũ, quo ſe exponit periculo ſuſpẽdij. Et ratio eũi dẽſt; nã periculũ nõ ſequitur ex natura rei, ſed ex legis pœnalis trãſgreſſione, & ideò totũ peccatũ fuit trãſgredi legẽ, cuius trãſgreſſioni ſtatuta erat pœna mortis. ¶ Sequitur iã vt diſputem⁹ quæſtionẽ in ſecũdo ſenſu; Vtrũ trãſgreſſores legis pœnalis obligẽtur in cõſcięntia ad pœnas ſub eundas? Hæc quęſtio poteſt intelligi dupliciter. Primò, vtrũ teneãtur ſoluere pœnas ante iudicis condẽnationem. Deinde, vtrũ teneãtur poſt iudicis cõdẽnationẽ ſoluere pœnas. De priori ſenſu agendũ eſt. ¶ Pro parte affirmatiua ſic arguitur. Nã prælati Eccleſiaſtici poſſunt efficere vt trãſgreſſor legis incidat in pœnã excõmunicationis ante iudicis condẽnationẽ, vt eſt in confeſſo apud oẽs Doctores: ergo legiſlatores humani poſſunt obligare ad ſubeũdas pœnas ante iudicis condẽnationẽ. Probatur cõſequẽtia: nã pœna excõmunicationis nõ eſt minùs acerba, imò eſt multò grauior cæteris. ¶ Secũdò, ſi legiſlatores nõ poſſunt obligare trãſgreſſores ad pœnas

Ad argum. in aduerſum.

Ad primum

Irregularitas duplex eſt.

In bullis nõ datur facultas abſoluẽdi ab irregularitate quãdo ob ſignificationẽ incurritur.

Ad ſecundũ Soto.

Votũ pœnale ſi fiat ſub diſiũctiõe, & frãgatur, nõ cõſtituit fractorẽ voti, ſecꝰ eſt ſi fiat abſolutè.

Quòd canonici, ſi ſacris nõ intersint, tenentur perſoluere mulctã, & non ob id peccant.

Ad tertium

Ad quartũ.

Ad quintũ.

An trãſgreſſores legis pœnalis obligentur in cõſcientia ad pœnas ſoluendas.

Argu. prim.

Secundum.

soluẽdas ante iudicis sententiã, sequitur ꝙ vanè, & absq; vllo effectu adhibẽtur in legibus pœna libus hæc verba, ipso iure, ipso facto. ¶ Tertiò arguitur ex capitulo, cũ secundũ leges, de hæreticis, lib. 6. ibi enim statuitur, ꝙ hæretici ab ipso die cõmissi criminis priuẽtur bonis suis, & teneãtur ea fisco cõsignare: ergo legislator potest obligare ad soluẽdas pœnas ante iudicis sententiã. Antecedẽs probatur: nã in illo capitulo statuit, quòd hæretici à die cõmissi criminis spolientur bonis suis, & ꝙ fiscus petat oĩa bona sua: ergo argumẽtum est, ꝙ à die cõmissi criminis est priua tꝰ dominio bonorũ suorũ. Rursus ex eodẽ principio colligitur, ꝙ statim tenẽtur ea restituere fisco, alioqui retineret alienũ inuito dño. ¶ Quartò, aliæ sunt leges quã plurimę, quæ obligãt ad soluẽdã pœnã ante iudicis sententiã, quas oportet diligẽter enumerare. In primis, in collegijs sunt statuta decernẽtia, vt qui hoc, vel illud fecerit, statim teneatur restituere ea bona quæ à collegio recepit: & nemini dubiũ est quin trãsgressoresistorũ statutorũ statim teneãtur ea restituere ante iudicis declarationẽ. ¶ Rursus, in nra vniuersitate sunt statuta, vt ꝙ ambierint, vel aliquid ab oppositoribus reꝯperint, ipso facto sint priuati iure ferẽdi suffragiũ: & certissimũ est, quòd statim absq; alia præuia declaratione incidunt in inhabilitatẽ, & statutã pœnã. ¶ Itẽ, sunt leges regiæ, quæ præcipiũt, vt iudices qui munera suscipiũt à litigãtibus, cõtinuò ea teneãtur restituere absq; alia iudicis declaratione, aut sententia. ¶ Prętereà, qui vẽdunt frumẽtum vltra taxatum pretium à republica, cõtinuò tenẽtur restituere, vt est in confesso apud vniuersos Theologos. ¶ Itẽ, qui deinceps nõ residẽt in suis beneficijs, tenẽtur statim fructus restituere, nec opus est iudicis declaratione: ita enim statutum est in Cõcilio Trid. ¶ Prætereà, qui habet duo beneficia curata post promulgationẽ Cõcil. Trid. ipso facto est priuatus oĩbus beneficijs, vt definitum est in Cõcil. Trid. sess. 7. c. 4. Itẽ, qui habet titulum Ecclesiæ parochialis, si intra annum nõ promouetur ad sacerdotij ordinẽ, absq; alia prꝫuia admonitione, præbẽda priuatus est; sic definitũ est capitulo, licet, de electione, li. 6. ¶ Prętereà, potest defunctus legare vxori suę bona sua hac conditiõe, si castè vixerit; vel si nõ trãsierit ad secũdas nuptias; qua cõditione nõ seruata, cõtinuò tenetur bona illa restituere ante iudicis sententiam. ¶ Deniq; hęc oĩa cõfirmãtur ex sacra scriptura. Nã certè in diuina scriptura sunt quædã prꝫcepta pœnalia, quæ obligãt ad subeundã pœnã ante iudicis sententiã, vti illud; Qui tetigerit mulierẽ fluxu sanguinis pollutã, immundus erit vsq; ad vesperã: hęc autẽ immundities cõtinuò incurrebatur absq; alia iudicis cõdẽnatione. Quæstionẽ hãc disputat optimè Soto li. 1. de iustitia q. 6. ar. 6. ¶ In huius expositionẽ sunt duæ opiniões cõtrarię. Vna dicit, ꝙ trãsgressores legũ pœnaliũ tenẽtur ad pœnas subeũdas ante iudicis condẽnationẽ. Hæc opinio est Alfonsi de Castro, li. 2. de iusta hæreticorũ punitiõe c. 6. & in libro quẽ cõposuit de lege pœnali. Hæc opinio est quorũdã Iurisperitorũ, nominatim Panormitani. Alia sentẽtia dicit, ꝙ trãsgressores legũ pœnaliũ peccãt quidẽ, sed ad pœnã subeundã nõ tenẽtur ante iudicis condẽnationẽ. Hãc doctrinã docet D. Tho. in 2. 2. q. 62. ar. 3. Caiet. eodẽ loco, & in sua summa, verbo pœna; Sylvester, verbo assasinus: & Adrianus quodli. 6. ar. 1. Cõrad. 1. li. de cõtractibus q. 7. & alij innumeri, quos citat Soto loco citato. ¶ Secũdò aduertendũ est, quòd vniuersę pœnæ quę legibus decernuntur, ad tria genera reduci possunt. Primũ genus est earũ pœnarum, quæ nullã requirunt actionẽ, nec ex parte iudicis, nec ministri, nec ex parte delinquẽtis; sed cõsistũt in priuatione, vt excõmunicatio, irregularitas. Secundũ genus est earũ, in quibus actio de linquẽtis miscetur passioni; vt pœna exilij, & pœna pecuniaria: nam in pœna exilij necessaria est actio delinquẽtis, vt proficiscatur in exiliũ. Tertiũ genus pœnarũ est, in quibus actio requiritur exequẽtis iustitiã; sed ex parte delinquẽtis tantũ passio requiritur, vt pœna mortis, vel abscisiõis mẽbrorum. His cõstitutis, est prima propositio. ¶ Trãsgressores legũ pœnaliũ, quæ dicunt, ipso iure, vel ipso facto, ante iudicis sententiã incurrũt pœnas, quæ in priuatione cõsistũt; cuiusmodi sũt, excõmunicatio, irregularitas, &c. Hæc cõclusio ab oĩbus tãquã certa cõcedit, & cõstat ex Ecclesiæ traditione: sed in assignãda ratione est quædã diuersitas Doctorũ. Caie. existimat ita esse, qm̃ prædictæ poenæ in priuatione cõsistunt: ergo absq; alia præuia actione, & admonitione incurrũtur. Soto alia via pergit, existimat em̃ ita esse, qm̃ excõmunicatio nõ est priuatio alicuius boni proprij, quod trãsgressor legis prius possederat; sed est priuatio bonorũ cõmunium, quæ ab ecclesia erat recepturus; vt priuatio cõmunionis spiritualis, & receptionis sacramẽtorũ; & ideo ecclesia eo ipso ꝙ quispiã est violator suæ legis, potest illũ facere inhabilẽ ad bona cõmunia suscipiẽda. Vtraq; ratio probabilis videtur; sed ratio Caie. vniuersalior est. Sequitur ex his, ꝙ si lex priuat aliquẽ vocẽ actiua, & passiua, si cõmiserit tale crimẽ, cõtinuò ac cõmittit crimẽ, absq; alia iudicis declaratione priuatus est voce actiua, & passiua. De voce passiua est summa consensio Theologorũ oĩum, & est apertè definitũ in capitulo, cũ singula, de præbẽdis, li. 6. De voce verò actiua Soto videtur docere, quòd priuatio vocis actiuæ nõ incurritur ante iudicis declarationẽ. Sed ego de hac re plurimũ dubito; tũ, qm̃ pœnę quæ cõsistunt in priuatiõe, cõtinuò incurrũtur, si vera

Tertium. Quartum. Quintum. Sextum. Septimum. Octauum. Cõci. Trid. sess. 23. c. 1. Nonum. Decimum. Vltim. Leuit. 15. Soto.

Duæ opiniones circa præfatã quæstionẽ. Castro.

Panor. c. ea nonũ de cõstitu. & ca. dilectidearbitris. D. Thom. Caiet. Sylvest. Adria.

Triplex pœnarũ genus

Pri. cõclu. Transgressor legis pœnalisq; dicit, ipso facto, ante iudicis sententiã incurrit pœnã in priuatione cõsistentem. Caiet. Soto.

De punitiõe vocis actiuæ. Soto.

sivera sunt quę suprà diximus: priuatio verò vocis actiuæ, pœna priuata est: tū verò, quoniā excōmunicatio cōtinuò incurritur ante iudicis declarationē; at excōmunicatio includit priuationē vocis actiuæ, & passiuę. Hęc nostra cōclusio vt vera sit, tres cōditiones requirit. Prima est, ꝙ dicat lex, ipso iure, vel ipso facto: nā leges pœnales, cū sint odiosę, in mitiorē partē sunt interpretādæ: propter quod, si dicat, sub sentētia excommunicationis, intelligendū est, ferēdæ, nō latæ. Secūda cōditio est, quòd sit actus exterior: nam actus interiores nō sunt subditi cēsuris Ecclesiasticis: propter quod si quis mēte cōcepit hæresim, & nō ore protulit, nō est excōmunicatus. Tertia cōditio est, quòd sit actus perfectus: nā si quis emisit sagittā animo interficiēdi clericū, & ictū errauit, nō est excōmunicatus: similiter si quis propinauit venenum, & inde mors nō fuit subsequuta, nō est irregularis. ¶ Secunda cōclusio. Trāsgressores legū pœnaliū ante iudicis sententiā nō tenētur subire eas pœnas, quæ in actione, & passione cōsistūt; & multò minus eas, quę in sola passione cōsistunt. Hāc conclusionē satis copiosè demōstrat Soto citato loco; & ostēdo eā esseverā his argumētis. Nā infligere pœnā pro delicto, est officiū iudicis, & magistratus: ergo nō est obligatio ad subeundā pœnā ante iudicis cōdemnationē. Probatur antecedēs: nā lex est regula mortua nostrarū operationū: oportet ergo quòd à iudice, & magistratu applicetur in trāsgressores: propter quod dicit Arist. Iudicē esse iustitiā viuā. Ex quo sequitur, quòd leges pœnales in duobus mēbris ad diuersos loquuntur. Nā quādo dicūt, ne quis hoc faciat; ad subditos loquūtur. Quādo verò dicūt, sub pœna cōfiscationis bonorū; ad iudices loquūtur, qui habēt in officio pœnas à violatoribus exigere. Et cōfirmatur. Nā ab omni humanitate alienū est, quòd reus ipse, qui in occulto crimen cōmittit, ipse se condēnet ad iacturā bonorū suorū, ad exiliū, ad mortē, & quòd ipse se prodat: insuper, quod ipse sit iudex, testis, accusator, & executor iustitię. Vltimò, leges debēt esse tolerabiles, & quę commodè à subditis obseruari valeāt: nā leges difficiles, & quæ vix obseruari possunt, nō solùm sunt inutiles, sed pernicioſæ, & iniquę in laqueū animarū: propter quod D. Tho. in hoc 4. art. inter cōditiones legis iustæ cōstituit hāc præcipuā, ꝙ tolerabilis sit. Sed est prorsus intolerabile, quòd homo, qui cōmisit crimē in occulto, antequam deferatur in iudiciū, & antequā à iudice condēnetur, ipse se condēnet ad iacturā omniū bonorū suorū, ad exiliū, ad mortē: Ergo ad hoc obligare, iniquū est. Vide alias demōstratiōes apud Sotū, vbi suprà: probat enim satis copiosè, quòd lex pœnalis nō obliget ad pœnas soluēdas ante iudicis cōdemnationē. Sed oportet Theologū esse attētissimū, ad discernēdū id quod in lege pertinet ad legē iustitię, & id quod ad pœnā spectat v. g. est lex frumētaria, & statuit ne vēdat triticū vltra taxatū pretiū sub pœna quadrupli: si quis vēdat vltra taxatū pretiū, illū excessum iusti pretij cōtinuò tenet restituere: nā habet plusquā debet habere cōtra iustitiā, sed poenā quadrupli nō tenet restituere ante iudicis sentētiā. Idē dicēdū est de legibus, quæ præcipiūt tabellionibus ne aliquid accipiāt vltra taxatū pretiū sub poena quadrupli. Itē, est lex quę præcipit ne efferantur merces extra regnū: ꝙ si quis extulerit, eas perdet: qui hāc legē violat, peccat mortaliter, vt suprà dictū est: sed ad iacturā suarū merciū nō tenet ante iudicis sentētiā. Sed quid dicēdū est de tributis, quę imponūtur supra merces; tenētur ne ea persoluere homines ante iudicis cōdēnationē, seu declarationē, aut petitionē. Respōdetur, supposito ꝙ istę leges sint iustę (de quibus modò nō disputo) oportet in primis notare modū soluēdi hęc tributa, qui est in vsu patriæ, videtibus iudicibus, & cōsentiētibus. Ex hoc principio sequitur primū, ꝙ seculares tenētur soluere decimas ante iudicis declarationē: nā sic habet cōsuetudo populi Christiani, & meritò. Nā nō minus debētur clericis decimę, quā famulo, & militi stipendiū. Ex eodē principio sequitur, ꝙ nō tenemur soluere tributa, quę soluūtur ratione trāsitus per portā, vel pontē, nisi petātur. Nā durissimū est obligare aduenas ad sciendū statuta, quę sunt in portis, aut in pōtibus. Ex eodē principio sequitur tertiò, ꝙ nō tenemur soluere tributa, quę soluūt ratione trāsitus per saltus, id est, *los puertos secos*; nisi petātur. Sequitur quartò, ꝙ nō tenetur quis soluere tributū, quod vocat, collecta, vulgo, *pecho*, antequā petatur: nā hoc tributū solū pēdūt ignobiles: nemo aūt hominū tenet prodere suā ignobilitatē, antequā petatur. Sequitur præterea, ꝙ nemo tenetur soluere tributū, quod vocatur, *sisa* antequā petatur. Sed totū pōdus quęstionis huc appēditur, de tributo regis, quod vocat, *alcauala*; an teneātur subditi pēdere etiā si nō petatur? De hac re referā fideliter sentētiā Soto li. 3. de iust. q. 6. ar. 7. dicit ēm primò, ꝙ hoc tributū est exuberātissimū. Secūdò dicit, præ se ferre speciē quā dā iniustitię: tū, qm̄ soluitur de rebus necessarijs ad vitā, de quibus pēdi nō debebat, vt est statutū, l. vniuersi C. de vectigalibus: tū verò, qm̄ grauat magis pauperes, q̄ diuites: qui ēm pauperiores sunt, vēdunt res suas, & plus exoluunt. Cęterū si moderetur hoc tributū, iustissimum est, & æquale. Moderatio est duplex; vel ꝙ nō petatur decima, sed tricesima, vel vigesima; vel si petatur decima, quòd nō reddatur, nisi petatur. Hæc sētētia mihi placet maximè. ¶ Ad primū argumentū respōdetur, quòd excōmunicatio, cum sit pœnalis sunt pœnæ, quæ cōsistūt in priuatione,

Cōditiones requisitę ad veritatē cōclusionis.

Secūd. cōcl. De pœnis quæ in actione & passione consistūt, quæ nō sunt soluendæ ante iudicis sentētiam.

5. eth. ca. 4.

D. Thom.

Not.

De legibus tabellionibus impositis.

De tributis super merces impositis.

De decimis.

Tributa ratione trāsitus quando soluenda.

collecta vel *pecho*.

Sisa.

De *alcauala*.

Soto.

Ad secundū

ideo ipso facto obligāt ante iudicis declarationē vt dictū est in prima cōclusione. ¶ Ad secundū respōdet, quòd hęc verba; ipso iure; ipso facto; aliquādo habēt vim obligādi ante iudicis sentē tiā, sicut in pœna excōmunicationis, & irregula ritatis: aliquādo verò hoc tātū efficiūt, quòd iudex nō debet ferre sententiā supra pœnā, sed su pra crimē cōmissum: & ideo prędictę leges appellātur facti declaratiuæ. Sed si dicas; ergo si fa ctū est publicū, nō est necessaria iudicis declara tio. Respōdetur, esse necessariā declarationē iu-

Ad tertium Soto.

dicis, etiā cōdemnatoriā. ¶ Ad tertiū variè respō dēt Doctores. Soto tenet, ꝙ hęretici ante iudicis

An hæreticus amittat dominiū rerū ante condēnationē iudicis.

sentētiā nō amittūt, nec dominiū, nec possessio nē bonorū suorū. Et probat quòd ita sit: qm̄ in dicto c. statuitur, ꝙ fiscus nō possit spoliare hęre ticos bonis suis ante iudicis sentētiā. Alij dicūt, ꝙ hęretici ante iudicis sententiā priuati sunt do minio bonorū suorū, nihilominus habent eorū legitimā possessionē ante iudicis declarationē. Hoc vltimū probāt ratione supradicta: nā in dicto c. statuitur, ꝙ fiscus non spoliet hæreticum bonis suis ante iudicis sentētiā. Pro huius secun

Dominiū à possessione rei distinguitur.

dæ respōsionis declaratione notādū est primò, ꝙ ista duo, dominiū, & legitima rerū possessio, reipsa distinguūtur, & separātur, sicut videre est in fratribus D. Frāciſci, qui habēt rerū legitimā possessionē: dominiū verò nō habēt. Secūdò no tādū, quòd in illo c. cū secūdū leges, vt habet ista opinio, tria statuūtur. Primū statuitur, quòd hæ reticus cōtinuò amittat dominiū bonorū suorū & ea cedāt fisco. Secūdū statuitur, quòd fisc⁹ nō posit spoliare hæreticū bonis suis ante iudicis sentētiā. Tertiū statuitur, quòd facta cōdēnatio ne, cōfiscatio retrò agatur à die cōmissi criminis & quòd oēs donationes, & cōtractus ab hęreti-

Hæreticus ante iudicis sententiam amittit dominiū rerū suarum.

co factæ, ab illa die sint nullæ. Ex his principijs sequitur primò, quòd hæreticus ante iudicis sen tētiā amittit dominiū bonorū suorū: tū, qm̄ pœ næ priuatiuæ ipso facto inducūtur ante iudicis sententiā, vt dictū est: sed priuatio dominij est pœna priuatiua; ergo ipso facto inducitur: tū ve rò, qm̄ in dicto capitulo expressè definitur, ꝙ facta cōdēnatione, cōfiscatio retrò agatur in oīa bona quæ possidebat à die cōmissi criminis: er-

Prima obiectio.

go euidēs argumētū apparet, quòd à die cōmis si criminis bonorū suorū dominiū iā amiserat, siquidē de illis nō potuit disponere. Secūdò sequitur, quòd hæreticus ante iudicis senientiā ha bet legitimā bonorū suorū possessionē. Sequit tertiò, quòd fiscus nō potest spoliare hęreticum bonis suis ante iudicis declarationē. ¶ Cōtra hāc respōsionē sic expositā, sunt optima argumēta. Nā si hæreticus ante iudicis sententiā amisit bo norū suorū dominium, sequitur quòd retineat alienū inuito dño. Respōdet, ꝙ nō retinet alie nū inuito dño rationabiliter; nam est legitimus oīum bonorū possessor, mādante lege. ¶ Quòd si rursus dicas; Si hæreticus cōtinuò est priuatus dominio bonorū suorū ante iudicis sentētiā, cō sequēs est, quòd oēs cōtractus ab illo hæretico celebrati de bonis suis ante iudicis sentētiā, irriti sint, & nullius valoris; siquidē nō habet verū do miniū bonorū suorū. Respōdetur ita esse, & ita habet practica inquisitorū: rescindunt enim oēs contractus à die commissi criminis celebratos. ¶ Tertiò arguitur; Sequitur, quòd hæreticus oc cultus, de cuius hæresi, moraliter loquēdo, in iu dicio cōstare nō potest, nō possit cōficere cōtra ctus, & donationes de bonis suis. Cōsequens af serit ab oībus Theologis esse falsissimū. Quòd rectè sequatur, probatur. Nā iste nō habet domi niū bonorū suorū: ergo nō potest donare, aut vēdere. ¶ Itē, si priuatio dominij cōtinuò incur ritur, quia est pœna priuatiua; sequitur quòd cō tinuò incurratur priuatio possessionis legitimę, quia pœna priuatiua est. ¶ Vltimò, hæc priuatio dominij otiosè asseritur, & sine effectu: nā hære ticus ille occultus, de quo instituim⁹ disputatio-

+ nō sibi constat auctor.

nē, potest de bonis suis disponere, distrahere, & mutare, sicut prius: ergo hæc priuatio dominij inutilis est. Respōdetur ergo cū Soto, ꝙ hæreti cus nō amittit dominiū, nec legitimā possessio nē bonorū suorū ante iudicis sentētiā: quòd ve rò cōfiscatio retrò agatur à die cōmissi criminis facta cōdēnatione, nō est argumētū quòd non habeat dominiū bonorū suorū, sed quòd habet illud impeditū, sicut pupillus ante legitimā ætatē. ¶ Ad quartū respōdetur, aliud esse priuare ali quē bonis proprijs, quæ priùs possederat; aliud est impedire, & prohibere ne adquirat dominiū bonorū suorum, quæ ab alio suscepturus erat. Vtrūq; potest lex facere. Primū, post iudicis cō-

Violatores statuti vniuersitatis, quādo sint inhabiles.

dēnationē: alterū verò etiā ante iudicis cōdem nationē. Hoc supposito dicēdum est de statutis collegiorū, quòd statuta nō spoliāt trāsgressores bonis proprijs, sed efficiūt illos inhabiles ad su scipiēdū bona, quæ ex collegio suscepturi erant; & ideo ea bona cōtinuò restituere tenētur: nā is qui fundauit collegiū, noluit aliquē suis bonis frui, nisi sub ista cōditione. Ad id quod adduci-

Prim. dictū

tur de statutis nostræ vniuersitatis, Soto tenet quòd violatores statutorū nō sunt ipso facto in habiles ante iudicis declarationē. Alij verò dicūt ꝙ ipso facto sunt inhabiles; quorū sententia sēp mihi placuit. Pro cui⁹ declaratione dico primū, ꝙ qui nō est asscriptus albo scholariū, & fert suf fragiū, & periurus est, & tenetur restituere cathe drā, si propter ei⁹ suffragiū obtineatur. Quòd sit periurus, patet. Nā iurat se suffragaturū secūdū statuta Vniuersitatis; quod nō facit. Quòd te neatur restituere, patet. Nā iste non est elector, nec est pars huius Vniuersitatis: ergo nō habet ius suffragādi. Secūdò dico, qui est asscriptus ca-

talogo

talogo iurisprudētiū, & fert suffragiū in diuina Theologia, periurus est, & tenetur restituere, si cathedra ꝓpter eiꝰ suffragiū obtineatur. Hęc assertio patet ex argumētis suprà adductis. Et idē iudiciū est de eo, qui semel, & iterū suffragatur; & de eo, qui ponit plures cursus q̄ habeat; atq; adeò de eo, qui nō habet approbationis schedulā.

Tertium.

Tertiò dico, scholares qui ambiūt, vel aliquid ab oppositoribus recipiūt cōtra huius Vniuersitatis statuta, ipso facto sunt inhabiles ante iudicis declarationē. Quòd si ferāt suffragia, periuri sunt; & si cathedra ꝓpter eorū suffragia obtinea tur, tenētur restituere. Probatur hęc sentētia. Nā pœna priuatiua ipso facto inducit, vt patet in excōmunicatione, & irregularitate: sed ꝙ iste sit inhabilis ad suffragādū, est pœna priuatiua: ergo ipso facto inducit. Deinde, pœna priuatiua vocis actiuæ ipso facto incurrit, vt antea diximus: sed ꝙ iste careat voce suffragādi, est priuatio vocis actiuę: ergo ipso facto incurrit. Tertiò, quādo respublica statuit, ꝙ aliqui sint inhabiles ad bona aliqua suscipiēda, statim sunt inhabiles ante iudicis declarationē, vt videre est in filijs clericorū, & religiosorū, qui sunt inhabiles ad paternā hæreditatē suscipiēdā: ergo si Vniuersitas hęc statuit, esse inhabiles eos q̄ ambiūt, vel recipiūt aliquid ab oppositoribus, statim sunt inhabiles ante iudicis declarationem. Præterea respublica potest priuare violatores suarū legum bonis cōmuniꝰ ante iudicis declarationē: sed quòd scholares sint priuati iure suffragādi, est priuatio bonorū cōmuniū: ergo cōtinuò hęc pœna inducitur. Maior argumēti nota est in excōmunicatione & irregularitate. Vltimò, iusiurādū, ꝙ petit quādo cathedræ prouidētur, mea sentētia, oēm adimit huius rei dubitationē: nā in eo iuramēto numerātur oīa ꝓpter quæ suffragatores efficiūt inhabiles, vt respublica ostēdat eos esse iure suffragādi priuatos.

Ad sextum. Iudices munera suscepta restituere tenētur.

¶ Ad id, quod adducitur de iudicibus, dicēdū est, quòd iudices statim tenētur restituere munera suscepta ante iudicis declarationē; nā prædictæ leges nō spoliant violatores bonis suis, quæ antea possederāt, sed impediunt ne acquirāt dominiū munerū: quapropter ea cōtinuò tenētur restituere, sunt enim aliena.

Ad septimū.

¶ Ité, alia de causa tenētur iudices restituere. Nā hæc lex propriè nō est pœnalis, sed cōuētionalis: iurāt nāq; iudices, cū suscipiūt officiū iudicādi, ꝙ si munera acceperint, cōtinuò teneātur restituere.

Ad octauū. De clericis nō residentibus.

¶ Ad aliud, de lege frumētaria, dicēdū est, ꝙ lex frumētaria duo statuit: & statuit ne quis vēdat frumētū vltra taxatū pretiū; & statuit pœnā violatoribus. Si quis igitur vēdat vltra taxatum pretiū, statim excessum iusti pretij tenetur restituere: nā habet illū cōtra iustitiā: pœnā verò quadrupli nō tenetur restituere ante iudicis sententiā.

¶ Ad aliud vero, quòd adducit de clericis nō residētibus, dicēdū est, ꝙ tenētur restituere fructꝰ perceptos ante iudicis sentētiā, iuxta Cōcilij Trid. definitionē: tū, qm̄ Ecclesia potest statuere hāc conditionē cum cōfert beneficia, vt qui nō resederit, fructus teneatur restituere; sicut diximus de fundatore Collegiorū: tū verò, quoniā hæc lex in eo iudicio nō est pœnalis, sed est lex iustitię. Nā lex iustitiæ expostulat, vt qui nō facit officiū suum, stipendium pro officio destinatū nō percipiat: sed clericus qui nō resident, nō facit officium suum: ergo.

Cōci. Trid.

¶ Ad aliud, de clerico qui habet plura beneficia curata post Concilij Tridētini sufficientē promulgationē, respondetur, quòd statim ante iudicis declarationē priuatus est vniuersis beneficijs suis, propter ratiōes cōmemoratas. De clerico verò qui habet titulū beneficij curati, & intra annum ad sacerdotij ordinē nō est promotus, idē est iudicium: nā hæc lex nō est pœnalis, sed conuentionalis; confert namq; Ecclesia beneficium curatum hac lege, quòd si intra annum ad sacerdotij ordinem nō fuerit promotus, non habeat beneficium: sic docet Soto lib. 10. de iustitia q. 5. ar. 6.

Ad nonum. De eo qui habet plura beneficia curata.

Soto.

¶ Ad illud, de vidua, cui maritus legauit hæreditatē, si nō transit ad secundas nuptias, respondetur, quòd continuò ac transit ad secundas nuptias, tenetur hę reditatē restituere: nam illa donatio fuit conditionalis, & ideo non stante conditione, non tenet talis donatio.

Ad decimū.

¶ Ad vltimum respondetur, quòd illæ pœnę commemoratæ in argumento, cōsistunt in priuatione, sicut excommunicatio, & irregularitas; & ideo statim incurruntur.

Ad vltimū.

¶ Ex his documētis, quæ de lege pœnali statuta sunt, & decreta, facilè est intelligere, quid sit censendum de mandatis Rectorum in Vniuersitatibus, sub iuramento, & sub pœna præstiti iuramenti. Exempli gratia: Præcepta Rectorum in Vniuersitatibus, & Magistratuū in ciuitatibus, sunt huiusmodi; Vnumquemq́ue generalibus cōcilijs, cōgregationibus, & Missarū solēnijs debere adesse, sub pœna trium ducatorum, aut alterius mulctæ pæcuniariæ, aut verò sub pœna prę stiti iuramēti. Verùm in huiusmodi mandatis, & statutis pœnalibus cōsiderandi sunt singulorū sermonum sensus. Nā mandata, & statuta obligantia sub reatu peccati mortalis, debent esse in sermonibus, non ambigua, nec captiosa, sed manifestos habere sensus. Quando mandata, seu statuta dantur sub pœna corporalis laboris, aut exoluendi certā pæcuniæ quantitatē, aut cōfiscationis bonorū, aut sub pœna mortis, aut sub pœna excōmunicationis, aut suspēsiōis, huiusmodi loquutiones manifestū habēt sensū: intelligūtur em̄ intrāsitiuè, id est, sub pœna quæ est excōmunicatio, aut perditio vitæ, vel mēbri corporalis. Cū verò mādatur sub pœna iuramēti præstiti, loquutio nō potest habere talē sensū:

De mādatis Rectoris Vniuersitatis, sub pœna præstiti iuramenti.

nã iuramẽtum præstitũ nõ est pœna eius qui iurauit. Sensus itaq; loquutionis illius est accipiẽdus, sub pœna iuraméti, id est, sub pœna quæ debetur ei, qui violat, aut frágit iuramẽtum. ¶ Verũ vtrũ hæc statuta, & mãdata obligẽt sub peccato mortali, in dubiũ reuocatur à plerisq;: Tum, qm̃ grauissima pœna, quæ infligitur cõtra iurisiurãdi violatorẽ, liquidò coarguit inobedientiã esse graue peccatum: tum verò, quoniã scholares iuramẽto se obstringunt obedire rectori in licitis, & honestis: ergo si nõ obediant, periuri sunt, & iuraméti violatores: Tum tertiò, quoniã rector id videtur intẽdere, cum præcipit sub pœna præstiti iuraméti, vt nõ obediẽtes sint rei periurij, & digni qui puniãtur, tanquã iuraméti præstiti violatores. ¶ Verùm vt veritas intelligatur, dicẽdum est, omnia huiuscemodi mãdata sic generaliter expressa, sub pœna iuraméti, ad interessendum cõgregationi, aut missæ, non durè, & inciuiliter sunt accipiẽda, tanquã ipse mãdans per iuramẽtum voluerit sic vocatos, & iuratos obligare ad mortale periurium, si omiserint; sed præsumẽdum est de pia intẽtione mãdantis, quòd in cõmunibus mãdatis, pro cõmunibus causis, & nõ magni põderis, solùm velit ipsis iuramentum præstitum ad memoriã reuocare, ne mãdatum ipsius habeatur contẽptui, intendẽs ad pœnalitates quasdã tẽporales ab ipso imponẽdas, quas tenebuntur soluere post condemnationẽ. Quòd si rector quispiã intẽdat ita præcipere, vt nõ cõparentes sint rei periurij, & violatores iuraméti; dicẽdum est, quòd intẽtiones temerariæ mãdantiũ pro quibuslibet rebus parui põderis, nõ obligãt subditos vt teneãtur obedire sub pœna criminis illius, quod ipsi volunt trãsgressores subditos incurrere, sed rationabilis intẽtio, qualẽ sic mãdantes habere cõsueuerunt in rebus de se indifferẽtibus, ad talẽ, vel talẽ finẽ cõducentibus, est quæ obligationẽ cõstituit. Atq; ita mandãs per iuramẽtum, vel sub iuraméto, vt omnes adsint cõgregationi, intelligitur mandare ciuiliter, vt videlicet sub pœna violatori iuramenti debita, intimata, & cõminata, quæ & digna est inferri cõtẽnentibus, omnes cõpareant: quẽadmodum mãdata quædã, & statuta sub excõmunicationis pœna, nõ ipso facto illata, sed cõminata, & intimata vt inferẽda, nõ semper obligant trãsgressores illorum statutorũ sub reatu criminis, seu peccati mortalis. Ius decreuit, clericum, qui comã nutrit, esse excõmunicãdũ: sed nõ ob hoc mox iudicandus est clericus peccare mortaliter, si comã habeat laxioré; qui si monitus, contumax manserit, iam propter contumaciam, & contẽptum excõmmunicatur. Sic & in materia proposita, Rector ipse mandãs vt Doctores, vel scholares intersint cõuocationi suę generali, plerũq; adijcit huiusmodi clausulas generales, per iuramẽtum, vt ipsi sint memores iuraméti præstiti, vt nõ contemnant nec ipsum præcipientẽ, nec præceptum interim occupati aliquo exercicio laudabili, vt sciãt se absq; graui culpa nõ posse huiusmodi mãdata contẽnere, neq; posse abesse pro qualibet causa, quãtumuis leui. Huiusmodi enim cõgregatiões generales sunt institutæ ad orãdum pro prospero successu Vniuersitatum, aut pro fautoribus, & fundatoribus earum, & ad terminandũ causas cõcernentes honorẽ, & præuilegia vniuersitatis, ad corrigẽdum excessus, & defectus suppositorum, ac ministrorum, insuper ad ferendum honorẽ rectori & decorẽ vniuersitati. Ad huiuscemodi autem fines, seu vtilitates maximè promouentur vniuersitates, dum omnes, saltem personæ nobiles, ad generale rectoris mandatum sese præsentes exhibere studeant; ideo tales sine causa subtrahentes suas præsentias, regulariter nõ sunt ab omni culpa immunes, præcipuè veniali. Secus autem dũ rector sigillatim singulos vocari facit pro causis & negotijs arduis, quæ meritò exigunt præsentias, consensus, cõsilia, & deliberationes singulorũ, nõ habentium legitimam abessendi causam; quia tunc posset cõtingere mortalis culpa, etiã in eo, qui sine contemptu mandatum præterit. ¶ Ex his patet ad argumẽta proposita, quę vt ex actiùs dissoluãtur, aduertere oportet, quòd quãdo quis iurat se obtemperaturum rectori in licitis, & honestis, intelligitur iuramẽtum, secundũ præcepti qualitatẽ, & reipublicæ cõstitutiones. Itaq; si constitutio fuerit leuis, & nõ magni põderis, erit peccatum veniale, eam præterire sine causa; siue verò fuerit grauis, erit peccatum mortale; quẽadmodum religiosi vouent se seruaturos ordinis cõstitutiones, ex quo nõ est consequens, quòd cõtinuò ac violant constitutionẽ aliquam, sint violatores voti. Idẽ iudicium est de cõfratribus, qui iurãt se obseruaturos regulam fraternitatis. His addendum, quòd fortasis hęc mãdata, & statuta nõ sunt propriè leges pœnales, sed quædã cõuentiones, & constitutiones, quæ tãtùm obligãt, vt pœnas persoluãt; sicut dictum est de legibus, quę prohibẽt venationem, aut syluæ cæsiones sub grauibus pœnis. ¶ Sed dubiũ est de secũdo sensu quæstionis; vtrũ violator legis pœnalis teneatur subire pœnã post iudicis declarationẽ? In huius rei expositionẽ dico primũ. Violator legis pœnalis post iudiciscõdemnationẽ tenetur pati pœnã in lege statutã: id est, tenetur nõ resistere iudici, aut eius ministris. Patet euidenter: nam hîc locum habet illud Diui Pauli; Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Item, iudex iure infligit pœnam; ergo nocens tenetur eam pati; alioqui daretur bellũ iustũ ex vtraq; parte, quod nulla ratione admittendũ est. ¶ Secũdò dicẽdũ est, q̃ in subeun-

Prim. arg.

Secundum.

Tertium.

Veritatis ex positio.

Ad argum.

Vtrũ violator legis pœnalis teneatur subire pœnam post iudicis declarationem.

Prim. dictũ

Secundũ.

ſubeundis poenis, quæ in actione, & paſsione cóſiſtunt, de quibus antea diximus, nocés, poſt iudicis ſententiã, tenetur exercere eas actiones, quæ ſunt neceſſariæ ad ſubeundã poenã, quę ab alio quã à nocẽte cõmodè exerceri nõ valẽt. v. g. tenetur progredi in locũ vbi poena afficiẽdus eſt, tenetur ire in exiliũ, ſoluere pecuniã in ſentẽtia decretã, atq; adeò tenetur ſubire gradꝰ ſcalæ, ſi ſuſpẽdio perire debet. Patet hoc; nã nocens tenetur pati, & ſubire poenã: ſed ad ſubeundã poenã ſunt neceſſariæ tales actiones: tenebitur ergo eas exercere. ¶ Tertiò dico, ꝙ in poenis quę in paſsiõe cõſiſtunt, vt eſt poena mortis, poena abſciſionis mẽbrorum, ſatis eſt quòd nocẽs patiatur, & nõ cõtradicat. Nã leges humanæ eatenus habẽt vim obligãdi, quatenus expedit cõmuni bono: ſed ad cõmune bonũ cõſeruãdum ſat eſt quòd reus patiatur, & nõ cõtradicat: ergo nõ obligatur vt ipſe ſibi poenã inferat. Vtrũ verò poſſit ꝙs dãnari vt bibat lethale venenũ, aut pereat fame, etiã ſi ei cibus offeratur, quæſtiones ſunt quæ in 2.2. diligẽtiùs tractãtur q. 69. ar. vlt. ¶ Eſt aliud dubiũ; Vtrũ obediẽdum ſit Tyrãnorum legibus? Pro cuius rei expoſitione ſciẽdum eſt, ꝙ Tyrãnus duplex eſt; Vnus eſt Princeps, & Rex legitimus, qui tyrãnicè adminiſtrat rẽpublicam. Alius eſt qui per tyrannidẽ occupauit rẽpublicã. Et hoc poteſt accidere dupliciter: primũ, ex volũtate ciuiũ, ad vlciſcendũ ſe de rege proprio. Deinde verò, inuitis, & repugnãtibus ciuibꝰ. His cõſtitutis, ſit prima propoſitio. ¶ Regi proprio, & legitimo, quãdo iuſta præcipit, obtẽperandũ eſt, licèt rẽpublicã tyrãnicè adminiſtret. Hæc ꝓpoſitio ſuadetur ex illo; Super cathedrã Moyſi ſederũt ſcribæ & ſacerdotes, quæcunq; dixerint vobis, facite, & ſeruate. itẽ ex illo; Obedite dñis veſtris, nõ ſolũ bonis, ſed etiã diſcolis. Et eſt eui dẽs ratio. Nã princeps legitimꝰ habet verã autoritatẽ ſtatuẽdi leges: ergo ſubditi obtẽperare tenẽtur. ¶ Secũda propoſitio. Legibus tyrannorũ qui occupãt rempublicã ex voluntate ciuium, tenẽtur parẽre, ſi iuſta præcipiũt. Hæc quidẽ obligatio nõ naſcitur ex autoritate humana, ſed diuina, & lege naturali. Nã iſti ciues tenẽtur accẽptare leges, ſine quibus reſpublica ſine dubio periret: ſed in tali caſu reſpublica periret ſine talibꝰ legibus: ergo reſpublica tenetur acceptare tales leges. Deinde, iure naturali malefactores ſunt puniẽdi, & debita aliena ſunt reſtituẽda: ſed in tali republica ad hæc officia virtutum nõ pateret aditus, niſi tales leges ſeruarentur: ergo tenẽtur eas ſeruare. ¶ Tertia cõcluſio. Legibus Tyrãnorum, qui inuitis ciuibus opprimũt rẽpublicã, ſi iuſta præcipiant, tenẽtur obtẽperare ciues. Hęc cõcluſio patet ex argumẽtis ſuprà adductis in ſecundæ cõcluſionis confirmatione; & patet etiã hoc argumẽto. Nã Romani per violentiam occuparũt Iudæorũ regnũ: at dicit Dñs in Euãgelio; Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quę ſunt Dei, Deo. ¶ Sed cõtra ſecundã, & tertiã cõcluſionẽ eſt argumentũ optimũ. Nã iſti Tyrãni peccãt mortaliter, iudicãdo, & vſurpãdo iudiciũ: ergo ciues qui petunt iudiciũ, peccãt mortaliter. Antecedẽs argumẽti euidẽs eſt: Cõſequentia in de probatur. Nã quod ipſe ſine peccato præſtare nõ poteſt, non licet petere ab illo. Hoc argumentũ malè habet Caiet. in ſua ſumma, verbo, tyrãnus. Dicẽdum tamẽ eſt pro eius cõfutatiõe, quòd ſicut licitũ eſt homini luxurioſo cõſulere, & perſuadere vt nõ adulteriũ cõmittat, ſed fornicẽt; hoc eſt, vt cõmittat minus malũ: ſubintelligitur enim, quòd eſt paratus vti luxuriæ vitio; ſic licitũ eſt tyrãno occupatori reipublicæ cõſulere, & perſuadere, vt cõmittat minus malũ: conſtat autẽ eſſe minus malũ, quòd exerceat iuſta iudicia, reddẽdo vnicuiq; quod ſuũ eſt. Secũda cõfutatio eſt, quòd ciues, quãdo cõcurrũt ad tyrãnum vt ex æquo & iuſto iudicet, cõſtituunt illũ iudicẽ & arbitrũ, vt ſuas cõtrouerſias definiat, & ſic nõ eſt vſurpatũ iudiciũ: eligũt enim minus malũ, vt caueãt maius, hoc eſt, reipublicæ deſtructionẽ. Vel dicendũ eſt, quòd nõ petũt vſurpatũ iudicium, ſed qualitatẽ iuſtã vſurpati iudicij: hoc eſt, iam quòd vſurpat iudicium, iuſtè, & ſanctè iudicet.

Tertium.

Vtrũ ſit tyrannorũ legibus obediendum.

Prim. cõcl.

Mat. 23.

1. Pet. 2.

Secũ. cõcl.

Tert. cõcl.

Argum.

Caiet.

Solutio.

Secũ. cõclu.

ARTIC. QVINTVS.

¶ *Vtrùm omnes legi ſubyciantur.*

Prl. cõclu.

PRima cõcluſio. Oẽs qui poteſtati alicui ſubiecti ſunt, ſubdũtur etiã legibus illius: qui autẽ tali poteſtati nõ ſubdũtur, neq; illiusle gibus ſubiecti ſunt. ¶ Secũda cõclu ſio. Quantũ ad vim coactiuã, non ſubduntur legi viri iuſti, nec legũ conditores.

Secũ. cõcl.

EXPLICATIO ARTICVLI.

PRima cõcluſio articuli probatur ex illo Rom. 13. Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: qui autẽ poteſtati ſubditus eſt, ideo ſubditus illi dicitur; quia illius legibus paret. Duobus tñ modis poteſt quis poteſtati nõ ſubdi. Primò, quia abſolutus eſt ab eius ſubiectione; qua ratione qui in vno ſunt regno, alteri regno nõ dicuntur ſubiecti. Alio modo, quia ſuperiori lege regitur, vt in his, in quibus alicui ab Imperatore diſpenſatio traditur, vt non ſit ſubiectus Proconſuli; & hic non tenetur lege. Secunda concluſio diuerſo ex capite probatur. Nam iuſti non ſubduntur coactioni legis; quoniam non

Rom. 13.

egent

egẽt coactione ad obseruandã legẽ: plus em̃ spõte sua præstãt, quã lege præscribatur. Principes verò nõ subdũtur, quãtum ad vim coactiuã; qm̃ nõ habẽt superiorẽ, à quo cõpellãt, & nemo cogit à seipso. Aũ verò circa secũdã cõclusionẽ, de modo quo iusti à legib⁹ humanis eximũtur, magna cõtrouersia est. Luther⁹ hæretic⁹ ex quibusdã locis D. Pauli, indoctè, & malè intellectis, colligit, oẽs iustos esse liberos à quibuslibet superiorũ legibus. In primis ex illo, Vbi spiritus Dñi, ibi libertas: &, Si spũ ducimini, sub lege nõ estis: & iterũ; Lex iusto nõ est posita. Et potest cõfirmari hæc sentẽtia his argumẽtis. ¶ Nã iusti nõ subijciũtur legi, quãtũ ad vim coactiuã; quia nõ egẽt coactione ad legẽ obseruandã, vt prẽclarè docet D. Tho. in arti. & nõ subduntur legi quãtum ad vim directiuã, siquidẽ nõ indigẽt directione legis; dirigũtur nãq; ab Spiritu sancto; & hoc est quod apertè significat Paulus, cũ inquit: Si spiritu ducimini, sub lege nõ estis. ¶ Deinde, si oẽs essent iusti in republica, non esset necessariũ leges humanas cõstituere: ergo nõ indiget iustus vi directiua, nec coactiua legis: hoc est quod ostẽdit D. Pau. cũ inquit, Lex propter trãsgressores posita est. ¶ Pro explicatiõe sit prima cõclusio. Iusti homines tenẽtur seruare leges positas. Hæc cõclusio statuitur cõtra Begardos, & cõtra Lutherũ, qui tenẽt, oẽs iustos à quibuslibet superiorũ legibus esse liberos: & definita est de fide catholica in Cõcilio Tridẽtino; & probatur. Nã de parẽtibus Ioãnis Baptistæ dicitur, q̃ erãt iusti ambo, incedẽtes in oĩbus mãdatis & iustificationibus Dñi sine querela: & D. Paul. ad oẽs dicebat; Oĩs anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Et ratio est euidẽs: nã si iusti sunt exẽpti à iugo humanarũ legũ, sequitur q̃ oẽs essent exempti: nã quilibet diceret se esse iustũ, & sic sequeretur perturbatio reipublicę, & leges à nemine obseruarẽtur. ¶ Secũda cõclusio. Iusti absolutè & simpliciter subijciũtur legibus, & quãtũ ad vim directiuã, & quãtum ad vim coactiuã. Quãtum ad vim directiuã, ex superioribus clarũ est. Quãtum ad vim coactiuã, sic ostẽdo: Nã iusti donec in hac vita manẽt, possunt peccare, & deficere; & sic à legislatore possunt, & debẽt puniri. ¶ Sed dicet Theologus, Quid est ergo quod dicit D. Tho. in ar. esse exẽptos iustos à coactione legis? Respõdetur, sensum esse, q̃ iustus nõ metu legis, sed amore virtutis seruat legẽ. Rursus, cũ dicitur, quòd iust⁹ nõ est sub lege; sensus est, nõ est sub lege minãte, cogẽte, dãnante: nã adiutus diuina gratia præstat legẽ. In eodẽ sensu dicit Paul⁹, Iusto nõ est lex posita, id est, nõ est imposita tanquã iugũ importabile: iusto enim facillimũ est, & suaue implere legẽ. Videre huius sentẽtię cõmentarium in D. Aug. ¶ Ad argumẽta in cõtrarium, & ad autoritates D. Pauli ex dictis patet quid dicendum sit. Ad primã rationẽ propositã dicẽdum est, quòd licèt iustus sit satis inclinatus & propẽsus ex ductu Spiritus sancti ad bonum virtutis, nihilominus in particulari in omnibus negotijs nõ satis videt quid facto opus sit, & ideo indiget demõstratione, & legis directione. Secũ dò dico, quòd inter ea quæ docet Spiritus sanctus, hoc præcipuè docet, quòd maioribus obediamus, & eorũ legibus obtẽperemus. ¶ Ad secundã confirmationẽ respõdetur, quòd si oẽs essent iusti, nõ egeremus lege minãte, aut cogẽte; at indigeremus lege mõstrante, & dirigẽte. ¶ Secũdo dubitatur; Vtrũ principes, & legum cõditores obligẽtur in cõsciẽtia seruare suas leges. Pro parte negatiua hæc sunt argumẽta. In primis, si principes tenẽtur suis legibus: ergo coguntur, & obligãtur suis legibus: ex quo cõsequens est, q̃ subijciũtur legibus suis, quãtum ad vim coactiuã: quod esse falsum, demõstrat D. Thom. in ar. ¶ Secundò, lex sine vi coactiua lex nõ est, sed cõsilium & quędã admonitio: sed principes nõ subijciuntur legibus quãtum ad vim coactiuã, vt dictũ est: ergo lex, respectu principis, lex nõ est: ergo nõ obligat in cõscientia. ¶ Tertiò, lex humana obligat autoritate superioris; sed nullus obligatur, aut cogitur à propria potestate: ergo principes suis legib⁹ nõ tenẽtur. ¶ Quartò, si obligãt principes seruare suas leges, vel obligãtur à Deo immediatè, & hoc dici nõ potest; nã, vt supponimus, & statuimus, nulla de hac re extat lex diuina immediata; aut verò obligãtur à tota republica, & hoc dici nõ potest; nã hic loquimur de republica quę principi subiecta est: aut verò obligãtur à propria voluntate, & hoc asseuerari non potest: nã quis obligatur à propria volũtate, vel voto, vel iuramẽto, vel pactione: quorũ nihil inuenitur in proposito: ergo nõ obligãtur suis legibus. ¶ Vltimò, & videtur argumẽtum euidẽs, princeps potest dispẽsare, & eximere quẽ voluerit à legũ obseruatione: ergo vt primũ legẽ cõdidit, potest secũ dispẽsare, & se eximere à legũ obseruatione; & sic nunquã obligabit in cõscientia leges suas seruare. ¶ Ad hoc dubiũ explicãdum dico primũ, legislatores particulares tenẽtur suis legibus, & quãtum ad vim directiuã, & quãtum ad vim coactiuã. v.g. canonici, qui in suo capitulo cõstituunt legẽ, aut statutũ; Doctores vniuersitatis in suo claustro; Episcopus in suo cõcilio, siue vniuersali, siue particulari; oẽs isti tenẽt suis legibus & quãtum ad vim directiuã, & etiã coactiuã. Ratio est clara: nã cõmunitas, & cœt⁹ Doctorũ, Episcoporũ &c. quæ legẽ tulit, est superior ad vnumquẽq; in particulari, & ideo à quolibet suarum legũ violatore potest pœnas expetere. ¶ Secundò dico, principes supremi, qui non habent superiorẽ, nõ tenẽtur suis legibus, quæ ex æquo ad oẽs nõ pertineãt. v.g. leges quæ perscribunt

Lutherus.

Prim. argu. 1. Cor. 3. Gal. 5. 1. Tim. 1.

Secundũ.

D. Thom.

Tertium.

Prim. cõcl. Iusti tenẽtur leges positas obseruare.

Cõci. Trid. sess. 6. ca. 20 Luc. 1.

Rom. 13.

Secũd. cõcl.

Obiectio.

Solutio.

August. de grat. & lib. arb. c. 9. & 10.

Ad pri. arg.

Ad secundũ

Ad tertium

Vtrũ legislator teneatur legẽ seruare.

Prim. argu.

Secundũ.

Tertium.

Quartum.

Vltim.

Pri. cõclu. legislatores particulares suis legibus tenentur.

Secũd. cõcl. Principes supremi.

bunt

bunt modum cõuiuijs, veſtibus, & ſumptibus; & leges quę prohibẽt ne noctu deferãtur arma, nõ obligãt principes: nã æqualitas capitis & mẽbrorum in eiuſmodi eſt ſumma iniquitas. ¶ Tertiò dico, principes ſummi, & legiſlatores tenentur ſuis legibus quæ ex æquo ad oẽs pertinẽt, vt eſt lex ieiunij, lex frumẽtaria. Patet hoc: nã in lege, quæ incipit, Digna, C. de legibus & cõſtitutionibus, ſic habẽt; Digna vox maieſtate regnãtis, legibus alligatum eſſe principẽ profiteri. Idẽ habetur c. cum omnes, de cõſtitutionibus, vbi allegatur, veluti cõmunis naturæ vox, illa ſentẽtia; Patere legẽ, quã ipſe tuleris. Et ratio eſt clara: nã nõ eſt cauſa quare eximamus principẽ, & caput noſtrum à iure cõmuni ſeruãdo. Nã leges humanæ ordinãtur ad bonum commune, & vt efficiãt ciues bonos, & ſtudioſos; vtrumq; horũ, ſcilicet promouere bonum cõmune, & cõparare ſibi virtutẽ, nõ minùs pertinet ad principẽ, quã ad ſubditos: itaq; princeps tenetur ſuis legibus quãtum ad vim directiuam; ſed nõ tenetur quãtum ad vim coactiuã. Propter quod ſi Papa percutiat clericum, nõ eſt excõmunicatus; & ſi rex violet ſuã legẽ, nõ incidit in infamiã, nec in pœnã periurij. Huc alludere videtur illud, Cor Regis in manu Dñi, ſicut inundationes aquarũ, quocunq; voluerit, vertet illud. Sẽſus eſt, quòd cor regis in ſolis manibus diuinis poſitum eſt; & ſicut ipſe ſolus poteſt ingentẽ fluuium, & rapidum aliorſum cõuertere, ſic cor Regis, ſua deſideria ſectantis, ſolus Deus poteſt remorari, & aliorſum cõuertere. Sed ex hoc quòd Deus ipſum Regem liberiorẽ fecit, & à lege coactiua immunem, ipſe vigilantiùs diuinis mãdatis auſcultare debet, & ſuas leges ſeruare, ne incidat in illud improperium Chriſti; Dicunt, & nõ faciunt, & alligãt onera grauia, & digito ſuo nolunt ea cõtingere. ¶ Reſpõdetur ad argumẽta in cõtrarium, ad primum negatur cõſequentia: nã cogi lege, eſt poſſe coerceri, & puniri pœna legis. Itaque negãda eſt cõſequentia argumẽti. ¶ Ad ſecundum reſpõdetur, quòd ſi lex in vniuerſum careret vi coactiua, lex nõ eſſet: at quòd reſpectu principis, quoniã nõ habet ſuperiorem, careat vi coactiua, non amittit vim legis. Secundò reſpõdetur (& hãc ſolutionẽ nota) quòd fortaſſis lex lata à principe, reſpectu principis, nõ habet vim legis propriè loquẽdo: nã nõ eſt cauſa immediata, & proxima à qua princeps in cõſciẽtia obligatur, ſua lex, ſed eſt conditio requiſita, qua poſita, emanat iure naturali obligatio ad ſeruandã ſuã legẽ. Nã lex naturæ præcipit, vt caput ſe cõformet corpori, & mẽbris, & quòd patiatur legẽ, quã ipſe tulerit. ¶ Ad tertium, & quartũ argumẽtum ex ſecũdo patet ſolutio. Nã dicẽdum eſt, q̃ princeps obligatur ſuis legibus & ex voluntate diuina, & ex propria. Ex voluntate diuina, quoniã eſt lex naturalis, vt patiatur legẽ, quã ipſe tulerit. Ex voluntate propria, quoniã ferendo legẽ humanã cõſtituit ſe vnũ cum quo lex illa loquatur. ¶ Ad vltimũ argumẽtum diſſoluendũ hîc Dñs Caie. multa dicit, & optimè; ſed breuiter negãda eſt cõſequentia. Nã eximere homiẽ priuatũ, nõ eſt in pernicie reipublicæ; eximere verò principẽ eſt in ſummã reipublicæ pernicie: nã in principẽ, tãquã in exẽplar, oĩum oculi ſunt cõiecti. Secundò, qm̃ eximere ſe ſine cauſa eſt cõtra illã naturalẽ legẽ: Patere legẽ q̃ ipſe tuleris. ¶ Dubitatur præterea, an peregrini, & qui incertas habẽt ſedes, teneãtur legibus regionis ad quã declinãt? Ad hoc explicãdum, ſciẽdumq̃ peregrini ſunt in duplici differẽtia: quidã ſunt q̃ in aliena regione habẽt iã domicilium; alij verò qui vagãtur, & de prouincia in prouinciã demigrãt, vt qui proficiſcuntur in D. Iacobũ. Primi tenẽtur legibus ſuę regionis, in qua iã habẽt domicilium: nã iã ſunt incolæ, & tanquã ciues reputãtur. Secũdi verò nõ tenẽtur legibus ciuitatis, vel oppidi ad quod fortè declinãt. Patet: nã nullo iure lex illa ſpecialis obligat peregrinum per oppidum tranſeuntẽ; cęterùm tenẽtur legibus regni cõmunibus, alioqui reipublicę nõ bene eſſet cõſultum. ¶ Dubitatur vltimò, vtrùm clerici ſint exẽpti à legibus ciuilibus? Hãc quæſtionẽ adeò dilucidè explicat Victoria, in 1. relect. de poteſt. Eccleſiæ q. vl. & Soto in 4. d. 25. q. 2. ar. 2. vt maioris explicationis nõ egeat, quos legite. Hoc autẽ certiſſimũ eſt, q̃ licèt clerici ex priuilegio eximãtur à legibus ciuilibus, nõ eximũtur à legibus quæ ordinãtur ad bonũ cõmune, quæ nõ dedecẽt clericos; vt quòd certo tẽpore à venatiõe abſtineatur; q̃ nõ induãtur ſerico, q̃ nõ vendãt triticũ vltra taxatũ precium. Cæterùm nõ tenẽtur ſeruare leges quę dedecẽt clericũ; vt nemo vehatur mula; nõ enim decet clericũ vehi equo: atq; etiã nõ tenẽtur ſeruare leges quæ ſunt inſtitutę in clericorum odium. Hactenus de articulo 5.

Tert. cõcl.

Cap. cũ oẽs

Quomodo principes ſuis legibus teneantur. Pro. 21.

Mat. 23. Arg. ſolut. Ad primũ.

Ad ſecundũ

Ad tertium & quartum

Ad vltimũ Caiet.

An peregrini legibus regionis in qua ſunt teneantur.

An clerici teneãtur legibus ciuilibus. Victoria. Soto.

ARTIC. SEXTVS.

¶ Vtrùm ei qui ſubditur legi, liceat præter verba legis agere.

SVMMA TEXTVS.

Prim. cõcl.

PRima cõcluſio. Si accidat legis obſeruationẽ eſſe nocumẽto cõmuni ſaluti, nõ eſt obſeruãda. Lex nãq; ordinatur ad cõmunẽ hominũ ſalutẽ, & ea ratione obtinet vim legis, & obligat, qua cõmune bonũ reſpicit. Cõtingere aũt poteſt (quia legiſlator oẽs

&

& singulos euẽtus particulares intueri nõ potest) vt aliquando legis obseruatio in detrimentũ vergat salutis reipublicę: sicuti si lex statuat vt tẽpore belli portę ciuitatis maneãt clausæ, lex est vtilis cõmunitati, vt in pluribus; cæterũ si hostes eos insequãtur ciues, per quos ciuitas cõseruatur, aperiẽdæ essent portæ cõtra verba legis; quia tunc seruare legẽ, detrimentũ esset cõmunitatis. ¶ Secũda cõclusio. Siob seruatio legis secundũ verba nõ habeat subitũ periculũ, cui oporteat statim occurri, nõ pertinet ad quẽlibet interpretari, quid vtile, quidve noxiũ sit ciuitati; sed id ad principes pertinet: ipsi nãq; propter huiusce modi euẽtus facultatẽ habẽt dispẽsandi. Si verò sit subitũ periculũ, quod tantã morã nõ patitur, ipsa necessitas dispensationẽ habet annexã; quia necessitas nequaquã legi subdita est.

Secũd. cõcl.

EXPLICATIO ARTICVLI.

RAtio propositæ quæstionis est. Nã lex, regula est subditorum: sed nõ licet agere cõtra regulã: ergo nõ licet agere cõtra verba legis. Deinde, ei cõpetit esse legum interpretẽ, qui est earum cõditor: sed solus princeps potest leges cõdere: ergo nemini aliorũ fas est leges interpretari, sed tenẽtur secundum eas agere. Quæstio huius articuli materiã epicheiæ in disputationẽ producit; vtrũ subditis licitum sit ea vti; nã de principe nemo ambigit iuxta doctrinã Arist. 5. eth. 10. ¶ Pro huius rei expositione sciẽdum est, quòd sicut iustitia legalis in legibus statuẽdis respicit casus cõmunes, & cõsuetos, & ex magna parte incidẽtes; sic est alia virtus particularis, quã Græci vocant, epicheiã, Latini, æquitatẽ. De hac virtute dicitur; Tu autẽ dominator virtutis, cũ trãquillitate iudicas, & cum magna reuerẽtia disponis nos: Græcè habetur ἐπιείκεια, id est, iudicas ex æquo & iusto, & cum multa indulgẽtia disponis nos, hoc est, nõ seuerè, nõ crudeliter iudicas. ¶ Secundò notãdum, quòd hæc virtus, quæ vocatur æquitas, dirigit, & moderatur legẽ positã, propter defectus quos habet; quia posita est in vniuersali, & casus vniuersos particulares nõ potuit cõprehẽdere; itaq; respicit casus particulares extraordinarios, qui per legẽ cõmunem præuideri non potuêre. ¶ Tertiò notãdum est, quòd huic virtuti aduersantur duo vitia extrema; ex vna parte ei aduersatur legum superstitiosa obseruatio, sci licet quãdo quis est nimis iustus in legum obseruatione, etiã cõtra legislatoris intentionẽ. Hoc vitio peccauit Iephte, qui vt nimis seuerè seruaret iuramẽtum, occidit filiã suã. Idẽ potest dici de Saule rege, qui voluit occidere Ionathã filiũ suum, quòd summitate virgæ parum faui mellis degustasset, cõtra præceptum Saulis, qui præceperat vt nemo militum ante Solis occasum ali quid cibi degustaret. De hoc vitio dicuntur hęc prouerbia; Nimium ius, nimia iniuria est: & iterum, Noli esse iustus multum: & iterũ; Ne quid nimis. Ex altera parte aduersatur huic virtuti, fraudulẽta obseruatio legis verborum cõtra mẽtem legis. De hoc vitio dicitur, lege, nõ dubium C. de legibus; Nõ dubium est eum in legẽ committere, qui verba legis amplectẽs, cõtra legis nititur voluntatẽ: & in lege, cõtra ff. de legibus, sic habetur: Fraudẽ facit legi, qui saluis verbis legis mentẽ eius circumuenit. Hoc vitio sępe in republica peccatur. v. g. præcipit lex ne filij clericorũ paternã hęreditatẽ obtineãt: cõcredere amico illã vt det filio, est saluis verbis legis mẽtẽ eius circumuenire. Itẽ est lex Ecclesiastica, vt sacerdos in fauorẽ filij sacerdotium nõ renunciet, cõueniunt duo patres presbyteri, vt alter in alteriusfilium cõferat beneficium, & mutuo; isti amplectuntur verba legis, sed cõtra eius nituntur voluntatẽ, & ideo legũ trãsgressores sunt. ¶ Quartò notãdum est, quòd legẽ deficere in particulari, propter casus particulares incidẽtes, cõtingit dupliciter; negatiuè, & cõtrariè. Negatiuè deficit lex, quando deficit ratio legis in particulari, sed nõ est incõmodum seruare legẽ. v. g. lata est lex, vt quilibet sacerdos tali die celebret in satisfactionem suorum peccatorum; cognoscit quis certò se pro suis delictis abundè satisfeciſſe, cessat lex negatiuè. Cõtrariè cessat lex, quãdo obseruare legẽ, est cõtra legislatoris intentionẽ, & iniquè agit, vt patet in lege de depositis reddendis, si exposcãtur ad destructionem reipublicæ. His cõstitutis prima sit conclusio. ¶ Quãdo deficit lex in particulari negatiuè tantùm, nõ cessat obligatio legis, nec subdito licet cõtra verba legis agere. Notissimũ est exẽplum in lege ieiunij, cuius finis est extenuare corpus, & habere pacatas passiones: at si quis habet iã pacatas passiones, tenẽt nihilosecius lege ieiunij: nã deficit ratio legis in particulari; & cessãte ratiõe legis in particulari, nõ cessat obligatio legis, vt antea dictũ est. Deinde, lex humana ordinat in bonũ publi-

De epicheia disputatio.

Arist. Pri. notab.

Epicheia.

Sap. 12.

Secũd. not.

Teit. nota.

Iudicum. 11

1. Reg. 14.

Not.

Quar. nota. Dupliciter cõtingit legẽ in particulari deficere.

Prim. cõcl.

cum

cum,& bonum publicum obseruatur per publi cam legum obseruationem,quando commodè seruari possunt; alioqui propter istas exceptiones leges humanæ nunquam seruarentur.

Secũ. cõcl. ¶ Secunda propositio. Quando lex deficit in particulari contrariè, & subditus certò hoc cognoscit, potest agere contra verba legis, & vti

Epicheia. ἐπιείκειᾳ,& non tenetur ad superiorem recurrere pro legis interpretatione. Explicatur hoc exemplis. Dicit lex quòd depositum reddatur: exposcit quis depositum ad destruendam rempublicam;ex æqui & iusti interpretatione non teneor reddere. Item est lex vt ieiunemus in quadragesima,& à carnibus abstineamus: si nõ habeam alios cibos præter carnẽ, non teneor legem seruare. Et ratio euidens est:nam quod est pro charitate institutum,contra charitatem militare non debet.

Tert.cõclu. ¶ Tertia propositio. Quando est dubium an lex in tali casu obliget,nec ne; & est opportunitas consulendi superiorem, teneor superiorem consulere,qui est legitimus legum interpres; si verò non est opportunitas, teneor seruare legem. Nam in dubijs tutior pars est eligenda; & tutior pars est quòd obseruemus legem. Item hîc habet locum illud quod dici solet de rerum dominio,quòd in dubijs melior est conditio possidentis,& lex est veluti in possessione vt obseruetur.

Quar. cõcl. ¶ Quarta propositio. Quando est res dubia, vtrùm lex in tali casu obliget, & ex alia parte sit verosimile viro prudenti, quòd si legislator adesset,non obligaret illum, certè non obligabit: nam licèt sit dubium speculatiuum, est tamen certitudo moralis, & prudentialis, quod

Epicheia. Caiet. in eo casu licitum est vti ἐπιείκειᾳ.Sic sentit Dominus Caietanus hîc,cuius sententiam amplector libenter.

Quin.cõcl. ¶ Quinta propositio. Quando est dubium ex vna parte an lex obliget,&ex alia parte dubium est, an ex legis obseruatione periculum salutis immineat,non tenemur legem obseruare.Nam recta ratio dictat,quòd quando res dubia est,& vtrinque imminet periculum,minus periculum eligendum est:sed minus periculum est non seruare legem,quàm subire vitæ discrimen: ergo hoc obseruandum est.

QVAESTIO XCVII.

De legum mutatione, in quatuor articulos diuisa.

ARTIC. PRIMVS.

¶ Vtrùm lex humana debeat aliquomodo mutari.

Conclusio. COnclusio est huiusmodi. Lex humana dupliciex capite mutari potest; & ex parte ipsius rationis;& ex parte hominum.

EXPLICATIO ARTICVLI.

HIus articuli conclusionem probat Diuus Thomas autoritate Augustini, qui asserit, legem temporalem commutari per tempora diuersa iustè posse. Deinde sic explicat conclusionem. Lex humana est quoddam dictamen rationis, quo diriguntur actus humani: potest ergo & ex parte rationis, & ex parte hominum mutari. Ex parte quidem rationis,quia humanæ rationi naturale videtur,vt ab imperfecto ad perfectum proficiscatur, vt tam in scientijs speculatricibus, quàm in practicis videre licet. Ex parte verò hominum potest lex mutari, propter mutationem conditionum. Rectè namque fertur lex, vt populus moderatus, grauis, communisque vtilitatis diligentissimus custos creet sibi magistratus, per quos respublica administretur: cæterùm rectè adimitur populo talis potestas,si paulatim deprauatus habeat venale suffragium,& regimen flagitiosis, sceleratisque committat. Aug.li.1.de lib.arb.c.6.

Leges humanæ quare interdũ mutandæ sint. ¶ Quòd autem leges humanæ interdum mutandæ sint, & nouæ instituendæ, patet duplici de causa: tum,quoniam res humanæ, quas leges humanæ moderantur, mutationibus sunt expositæ: oportet ergo vt rebus mutatis leges de nouo instituantur: propter quod Deus optimus,qui instituit legem veterem, rebus mutatis eam aboleuit:tum verò,quoniam ita comparatum est, vt res humanæ in principio sint rudes, & imperfectæ, & sensim acquirant perfectionem: quod non solùm deprehenditur esse verum in mechanicis artibus, sed etiam in vniuersis legibus. Oportet ergo abolitis legibus imperfectis perfectiores inducere. His adde pro maiori declaratione, quòd lex humana bifariam est mutabilis; aut videlicet propter imperfectionem legis; aut propter mutationem communitatis,cui lex imponitur. Imperfectio humanę legis contingit,quia primùm legum inuentores intendentes aliquid inuenire reipublicę vtile, non valentes omnia ex seipsis considerare, instituerunt quędam statuta imperfecta,in multis deficientia, quæ successores longis experimentis gubernandi rempublicam magis facti oculati mutauerunt, instituentes talia, quæ in paucioribus possent deficere à communi vtilitate. Propter muta-

mutationem item communitatis plerumq; lex est mutanda, quatenus communitati aliter atq; aliter dispositæ, alię atq; aliæ congruunt leges; quemadmodum supra patuit, & in sequentibus latiùs manifestabitur: veluti; communis populus si sit bene morigeratus, cõmunisque vtilitatis diligentissimus custos, vtilis est ei lex statuẽs facultatem eligendi magistratum esse apud cõmunem populum: quòd si paulatim populus iste prauis moribus assuescat, habensque venale suffragium committat magistratum, per quẽ respublica est gubernanda, sceleratis atque flagitiosis hominibus, rectè tollitur populo talis potestas, & sublata lege illa rectè constituitur noua, qua potestas eligendi magistratũ ad pau corum bonorum hominum redeat arbitrium; quemadmodum elegãter declarat Augustinus.

Aug li 1. de lib. arb. c. 6.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ Vtrùm lex humana semper sit mutanda, quando occurrit aliquid melius.

¶ Conclusio est negans.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Conclusionem huius articuli D. Thomas ita exponit. Lex humana tunc rectè mutatur, cum communi vtilitati consulitur. Mutatio autem legis, quantum est de se, potiùs est in detrimentum reipublicæ & communis vtilitatis. Etenim ad legis obseruationem plurimum confert consuetudo, quæ per mutationem legis tollitur: vnde quando mutatur lex, minuitur vis constrictiua legis, inquãtum per talem mutationem tollitur consuetudo. Vnde non debet mutari lex, nisi ex alia parte tantum recompensetur communi saluti, quantum ex ista derogatur: & ita nisi maxima, & euidentissima vtilitas ex nouo statuto proueniat, vel nisi sit maxima necessitas, lex statuta mutari non debet; vnde in decretis d. 12. c. ridiculum, dicitur; Ridiculum est, & satis abominabile dedecus, vt traditiones, quas antiquitus à patribus suscepimus, infringi patiamur. ¶ Certè homines assuefacti ad legis alicuius obseruationem, facillimè & promptè legem obseruant; nouas verò legum mutationes, & institutiones ægrè & iniquo animo ferunt: & hoc est quod dicitur; Noli transgredi terminos antiquos, quos patres tui constituerunt: & ff. de constitutionibus Principũ lege 2. sic habetur in sententia; In nouis rebus statuendis, nisi euidens sit vtilitas, nõ inuertatur quod diu æquũ visum est.

Assuetudo ad obseruãdã legem multum iuuat.

Pro. 22.

ARTIC. TERTIVS.

¶ Vtrùm cõsuetudo possit obtinere vim legis.

Conclusio. Conclusio est. Consuetudo & habet vim legis, & legem abolet, & est legum interpretatrix.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Proposita conclusio sic probatur; quoniam lex à ratione, & voluntate legislatoris profiscitur; ratio autẽ & voluntas hominis nõ solũ manifestatur verbo, sed etiã facto: id enim vnusquisque eligere videtur, quod opere complet. Sicut ergo lex verbo potest mutari, & exponi, quatenus verba sunt signa conceptus; ita per exteriores actus multiplicatos, qui consuetudinem efficiunt, mutari potest lex, & exponi; imò causari aliquid quod vim legis obtineat, quatenus per tales actus interior voluntatis motus, & rationis conceptus declaratur. Vnde Augustinus, Mos, inquit, populi Dei, & instituta maiorum pro lege tenenda sunt: & sicut præuaricatores legum diuinarum, ita & contemptores consuetudinum Ecclesiasticarum coercendi sunt.

Aug. epist. 86. ad Casulanum.

¶ Notandum tamen est, quòd in prædicta assertione tria dicit Diuus Thomas. Primò, quòd cõsuetudo publica interpretatur leges. Secundò dicit, quòd consuetudo potest abrogare leges. Vltimò dicit, quòd consuetudo talis, ipsa sola absque alio præcepto scripto potest obtinere vim legis. Hæc omnia diligenter sunt examinanda. Circa primum notandum, quòd legitima huius ratio est, quia leges sicuti à principe habent autoritatem, ita ab illo habent expositionem: princeps verò interpretatur leges non solùm verbis, sed etiam factis, nempè ex tacita permissione & voluntate; cuius voluntatis argumentum efficax est consuetudo publicis moribus recepta, vidente principe, & consentiente. Secundò notandum, quòd vt consuetudo sit fida legum interpres, duæ conditiones requiruntur. Vna est, quòd sit publica, & neminẽ lateat; nam si à multis aliquid seruatur, sed in occulto, sic vt ad notitiam principis peruenire nõ valeat, hæc consuetudo non est fida legum interpres. Secunda cõditio est, quòd princeps formaliter, vel interpretatiuè approbet talem consuetudinem: id est, quòd sciat, & non puniat, etiam si delictum in iudicium feratur. Ex hoc colligitur primò, quòd consuetudo optimè interpretata est legem ieiunij: nam licèt antiqua lex fuerit, quòd non comedamus nisi semel in die, & id quidem hora nona, id est (*a las tres*) consuetudine introductum est, quòd noctu aliquid sumamus. Secundò sequitur, quòd consuetudo introducta à tabellionibus exigendi vltra taxatum pretium, non est legitima legum interpres, nec deobligat in conscientia. Idem dicendum est de stabularijs, qui exigunt vltra taxatum pretium: nam licèt id frequentissimè fiat, & ita fieri

Examinantur quædã propositiones articuli

Quæ requirãtur vt cõsuetudo legem interpretetur.

fieri Princeps cognoscat, nihilosecius tamen semper quando hoc crimen in iudicium defertur punitur grauiter. Quod est argumentum efficax, principem velle seruari suã legẽ optimè. Circa secundũ, quomodo cõsuetudo abroget, & vincat, duo sunt certissima. Vnum est, quòd qui in principio obsistit legibus, & illas frangit, peccat, & legum violator est. Propter quod qui modò obsistunt legibus Concilij Tridentini, aut Pij Quinti, vt possint allegare leges illas nunquam fuisse seruatas, grauiter delinquunt. Secundò certissimum est, quòd si hæc consuetudo ita inualuit, vt nullum vestigium legis supersit, & nemo iam puniatur propter eius transgressionem, certè talis consuetudo vincit legem, siue iustè, siue iniustè introducta fuerit. Exemplum habemus de obseruatione sabbathi circa cibos: fuit enim antiqua lex, quòd in die sabbathi carnibus non vesceremur; contraria consuetudine introductum est vt vescamur intestinis, & capitibus animalium.

Quando incipiat consuetudo in legem præualere. Sylvest.

¶Sed dubitatur, Quando consuetudo incipit præualere, vt legem vincat? Ad hoc dubium Sylvester, verbo consuetudo, dicit, quòd inter præsentes requiruntur decem anni, inter absentes viginti. Sed ista opinione prætermissa, veritas est, tunc consuetudinem vincere, & esse sufficienter introductam, quãdo viri probi, & prudentes censent esse introductam, nec alia euidẽtior regula statui potest. Sed quid si lex dicat expressis verbis; Non obstante quacunque consuetudine in contrarium; in tali casu consuetudo abrogabit legem? Sylvester verbo consuetudo, in partem negatiuam flecti videtur. Idem facit Soto. 1. de iustitia, quæstione. 7. articulo. 2. & ratio istorum hæc est. Quoniam consuetudo eatenus habet vim abrogandi legem, quatenus declarat volũtatem Principis volentis abrogare legem: sed voluntas principis satis explicata est, quòd non abrogetur consuetudine in contrarium. Hęc sententia mihi non placet: nam quibuscũque verbis lex statuta sit, potest à Principe per verba derogari: sed consuetudo approbata à Principe habet verborum vim, vt antè dictum est: ergo talis consuetudo vincit legem, quibuscunque verbis lata sit. Idem cõfirmatur. Nam in cap. si Episcopus, de pœnitentijs & remiss. libro sexto, dicit Papa, quòd nulla consuetudine introduci possit, vt quilibet sibi eligat confessarium, nihilosecius sacerdotes seculares ex consuetudine eligebant confessarium quem malebant, donec hæc consuetudo improbata fuit in Concilio Tridentino.

Sylvest. Soto. Prædicta sentẽtia excluditur. Conci. Trid. Sessio. 23. can. 15. Quæ requiratur vt cõsuetudo obtineat vim legis.

¶Circa tertium, quomodo consuetudo vim legis obtineat, notandum est, quatuor esse necessaria vt consuetudo legis vim obtineat. In primis requiritur, quòd id, de quo inducitur consuetudo, sit actus bonus, & possit esse materia legis iustæ: nam consuetudo habet vim legis: ergo debet esse de ea re, de qua lex statui possit. Quare de re illicita, & indifferenti nunquam præualet consuetudo vt vim legis obtineat. Secundò requiritur, quòd consuetudo sit vniuersalis, & non paucorum. Quare festa quæ seruantur à quibusdam, & ab alijs non obseruantur, interim dũ hęc consuetudo permixta est non habet vim legis. Tertia conditio est, quòd id, quod ducitur in consuetudinem, iudicetur ab omnibus obseruatu necessarium, & non tanquam faciendum ex populi deuotione, & affectu pio. Propter quod in vigilijs festorum Diuæ Virginis, quãuis consuetum est vt populus à carnibus abstineat, & ieiunet, talis consuetudo non habet vim legis, excepta Vigilia Assumptionis sanctissimæ Virginis. Quartà conditio, requiritur approbatio superioris expressa, vel interpretatiua. Cuius euidens argumentum erit, si superior puniat transgressores consuetudinis, ac si essent legis violatores. Hæc de consuetudine in genere dicta sint. De consuetudinibus in particulari, quomodo obligant ad peccatum mortale, disputat optimè Caietanus in sua summa, verbo, hora canonica, & verbo, ieiunium; & Ioannes Driedo libro. 1. de libertate christiana, capitu. 10. &. 11. & sequentibus. ¶Sed vt inspiciat Theologus, quàm consentanea vero sint quæ diximus, duo sunt consideranda ex definitione Iurisconsultorum. Primum sciendum est, quòd consuetudinem habere vim legis, indicat descriptio consuetudinis, quæ secundum eam significationem, de qua nunc loquimur, est ius quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur. Rationem autẽ quare habeat vim legis, assignat Imperator; Consuetudo, iudicio & consensu populi pro lege, inquit, suscepta, vim habet legis. Nam cùm ipsæ leges nulla alia ex causa nos teneant, quàm quòd iudicio populi pro lege susceptæ sunt, meritò etiam ea quæ sine vllo scripto populus probauit, ab omnibus tenẽda sunt. Neque enim interest, an suffragio, seu cõsensu populus suam voluntatem declaret, an rebus ipsis, & factis. Et ideo leges non solo consensu legislatoris, sed etiam tacito consensu totius populi per desuetudinem abrogantur. Quamobrem & consuetudo est optima legũ interpres. habes hæc omnia ff. de legibus & Senatusconsultis. ¶Secũdò, ad intelligẽdũ, quo nã pacto cõsuetudo vincit legẽ, cõsiderãda est sententia Iurisconsulti; Consuetudo, inquit, & ratio quæ cõsuetu-

Prima conditio. Secũda cõditio. Tertia conditio. Quarta cõditio. De particularibus cõsuetudinibus. Caieta. Driedo. Cõsuetudo quid.

dinem ſuaſit, ſeruanda eſt: quæ ſi ſit generalis, quam Princeps ſcit, & tolerat, legem tollit. Conſuetudo verò ſpecialis non adeò eſt valida vt legem generaliter, aut rationem legis generaliter vincat. C. quæ ſit longa conſuetudo, lege ſecunda.

ARTIC. QVARTVS.

¶ *Vtrùm rectores multitudinis poſſint in legibus humanis diſpenſare.*

Prima con. Secũda cõ.

PRima cõcluſio eſt affirmans. ¶ Secunda Concluſio. Si abſque ratione, pro ſola voluntate diſpenſatio fiat, infidelis erit ille qui diſpenſat, & imprudens.

EXPLICATIO ARTICVLI.

PRima concluſio probatur ſic. Quia contingit quandoque vt præceptũ multitudini vtile, huic particulari perſonæ, vel in hoc caſu ſingulari vtile non ſit: & quia periculoſum eſſet cuilibet committere iudicium an vtile ſit præceptum, necne, data eſt poteſtas diſpenſandi illi, cuius intereſt multitudinem regere: diſpenſatio ſiquidem importat commenſurationem alicuius communis ad ſingula: & ita aliquis diſpenſare dicitur, quia ordinat, qua ratione quodlibet præceptum à ſingulis adimplendum ſit. Secunda cõcluſio probatur: qm̃ ille eſt infidelis, qui non habet intentionem ad bonum commune: imprudens verò, qui rationem diſpenſandi ignorat; vnde Dominus dicit, Quis putas eſt fidelis ſeruus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam? Luc. 12.

Irritare, cõmutare, abrogare, interpretari, & diſpẽſare legem.

¶ Cæterùm pro explicatione doctrinæ huius articuli notandum eſt, eſſe latum diſcrimen inter irritare, commutare, abrogare, interpretari, & diſpenſare legem. Irritare, eſt ex poteſtate dominij legem tollere: pater enim hac poteſtate poteſt irritare vota filiorũ vſq; ad certam ætatẽ; & maritus vxoris vota. Abrogare verò eſt legem omninò tollere, ſiue ex poteſtate dominij, ſiue ex poteſtate gubernatiua. Commutare, eſt mutare obligationem in æquale, aut melius. Interpretari verò requirit ingenij acumen, & eruditionem, & non poteſtatem gubernatiuã, & pertinet ad [illegible]. Diſpenſare verò eſt autoritate ſuperioris ſoluere, vel relaxare in aliquo particulari legis obligationem, quando deficit negatiuè lex. Quid autem ſit legem deficere negatiuè, in articulo tertio ſuprà dictum eſt. ¶ Secũdò notandum eſt, eſſe certum ſecundum fidem catholicam, Prælatos, & ſuperiores habere poteſtatem diſpenſandi in ſuis legibus. quod patet ex illo; Diſpenſatio mihi credita eſt: ſed potiſsimè traditione ipſa Eccleſiæ liquet, à temporibus Apoſtolorum vſque ad noſtra tẽpora deducta. ¶ Tertiò notandum eſt, quòd ad legitimam ſuperioris diſpenſationem (de hac enim inſtituimus diſputare) tria ſunt neceſſaria; autoritas, cauſa, & prudentia. Hæc ſunt diligentiſsimè examinanda circa autoritatem diſpenſatoris.

Prælati poſſunt in ſuis legibus diſpenſare. 1. Corin. 9. Quæ requirãtur ad legitimã diſpẽſationẽ.

¶ Prima propoſitio. Ille qui condidit leges, poteſt diſpenſare in lege quam condidit: atque etiam in omnibus alijs ab æquali poteſtate ſtatutis. verbi gratia. Rex noſter poteſt diſpenſare in lege ſua, & in omnibus legibus à ſuis præceſſoribus ſtatutis, qui in æquali fuerunt poteſtate. Ex eodẽ principio ſequitur, quòd Papa poſsit diſpenſare in omnibus legibus Conciliorum: Concilium enim non habet maiorem autoritatem; quod definitũ eſt in Concilio Tridentino Seſsione vltima, can. vltimo. Vtrùm verò Concilium poſsit prohibere alicuius legis diſpenſationem, irritans ſuo decreto quidquid ſecus factum fuerit, diſputat optimè Victoria in relectione, de autoritate Papę, & Concilij; & reddit iſtam ſententiam probabilem ſatis, quòd poſsit Concilium irretire manus Pontificis vt in aliqua lege non valeat diſpenſare.

Prima cõc. Conc. Trid. Victoria.

¶ Secunda concluſio. Inferior poteſtas non poteſt diſpenſare in legibus latis à ſuperiore poteſtate, niſi quatenus ei commiſſum fuerit expreſſè, vel interpretatiuè. Hæc concluſio definita eſt in lege. 1. C. de legibus. & patet euidenti ratione. Nam inferior poteſtas non habet autoritatem in his quæ ſuperior poteſtas decernit. Sed eſt notandum, quòd aliud eſt in lege diſpenſare, aliud eſt abſoluere à culpa, vel à pœna propter culpam contracta. Eſt enim generale documentum in iure, quòd quando eſt excommunicatio lata in canone, licèt ſit lata à Summo Pontifice, ſi nominatim non eſt reſeruata Summo Pontifici, Epiſcopus, vel parochus poteſt abſoluere, at legem tollere non poſſunt. Secundò notandum eſt, quòd ad cauendos hominum ſcrupulos data eſt Epiſcopis autoritas abſoluendi ab omni culpa, & ab omni cenſura Eccleſiaſtica propter crimen occultum contracta; & diſpenſandi in omnibus irregularitatibus, excepta irregularitate contracta propter homicidium voluntarium, vt habetur in Concilio Tridentino, Seſsione vigeſimaquarta, canone. 16. de reformatione.

Secũda cõ. Conc. Trid.

¶ Tertia

Tertia cõc. ¶ Tertia conclusio. Potestates inferiores possunt dispensare in legibus latis à superioribus, in aliquibus casibus. Primùm, ex cõsuetudine, quæ est optima legum interpres. Qua ratione Episcopi possunt dispensare in vniuersis votis, exceptis tribus; religionis, castitatis, & peregrinationis Hierosolymitanæ. Secundò, in causis leuibus, in quibus recurrere ad Summum Pontificem esset prorsus intolerabile. Tertiò, in legibus statutis in commodum particularis oppidi. verbi gratia. est lex ne vinum venale aliunde vehatur. Prætor in hac lege potest dispensare, maximè consentiente populo: nam populus potest cedere iuri suo. Vltimò, (quod maxime aduertendum est) potest Episcopus dispensare in legibus latis à Summo Pontifice, in casibus qui frequentissimè accidunt. verbi gratia. potest dispensare in lege ieiunij, & abstinentiæ; nam causa dispensandi in hac lege frequentissimè occurrit, in qua recurrere ad Summum Pontificem omnino intolerabile est. Ex hoc principio Syluester colligit, quòd si duo contraxere matrimonium in gradibus prohibitis, & non facilè possunt adire Summum Pontificem, & sine scandalo non possunt separari, potest Episcopus dispensare vt de nouo contrahãt. Sed hæc sententia mihi non placet, nec verò probatur Soto in vltimo articulo. 1. de iustitia & iure. Nam si semel ianua hæc aperiatur, sæpenumero in republica daretur occasio fingẽdi huiusmodi necessitates. Verum est tamen, quòd impedimento superueniente matrimonio, potest Episcopus dispensare. verbi gratia. sunt duo legitimè coniuncti, & maritus cognouit consanguineam vxoris suæ, iste talis non potest petere debitum, sed tenetur reddere: in hac re potest Episcopus dispensare; sic sentiunt viri doctissimi, Soto, & Syluester locis adductis, Dominus Caietanus in commenta. super istum articulum.

Casus in quibus inferior dispensare valeat in legibus superioris.

Ieiunij lex dispensabilis ab Episcopo.

Syluest. verbo dispensatio, dubio. 9.

Soto.

Soto. Syluest. Caieta.

Causa necessaria ad dispensationem. ¶ De causa necessaria ad legitimam dispensationem quatuor sententiæ sunt notandæ. Prima est, si prælatus sine causa dispensat, peccatum committit: nam sicut dicit Diuus Paulus. 1. Corinthiorum. 10. Facultas dispensandi data est in ædificationem, & non in destructionem Ecclesiæ. Item, dispensare cum aliquo particulari, est illum eximere ab obligatione, & vinculo, quo alij vniuersi tenentur: hoc autem si fiat sine causa, in iniuriam vergit aliorum.

Prima sententia.

1. Corin. 10

Secũda sententia. ¶ Secunda sententia. In his, in quibus admiscetur obligatio iuris naturalis, aut diuini, si dispensatio sit obtenta sine legitima causa, inualida est; vt si Papa dispenset in voto sine legitima causa, si dispenset cum aliquo vt habeat plura beneficia curata; aut verò vt non resideat. Item, si dispenset cum Episcopo vt habeat potestatem testandi de bonis ecclesiasticis, quæ pauperibus erant distribuenda: dico, vniuersas istas dispensationes, si fiant sine causa legitima, esse prorsus inualidas coram Deo. Ratio euidens est: nam Summus Pontifex non habet autoritatem supra ius diuinum, & naturale, vt illud pro sua voluntate abroget: hæc autem de quibus diximus ad ius naturale, & diuinum pertinent. Ab ista sententia excipitur vnus casus tantùm. Nam si Summus Pontifex distribuat sacerdotium homini indigno, aut minus digno, certè collatio valida est, licèt contra ius naturale, & diuinum conferat; alioqui nihil esset tutum aut securum in Ecclesia Christi.

Tertia sententia. ¶ Tertia sententia. In his quæ tantummodo ex iure positiuo dependent, si dispensatio fiat, rata est: vt si dispensetur cum aliquo vt contrahat in secundo gradu, aut verò vt non dicat officium horarium, etiam si fiat sine causa, valida est dispensatio: nam hæc obligatio dependet à iure humano, quod legislator pro sua voluntate abrogare potest.

Quarta sententia. ¶ Quarta sententia. Si causa allegata ad petendam dispensationem falsò conficta fuit, dispensatio inualida est, & subrepticia: nam hæc dispensatio innititur causæ allegatæ, tanquam fundamento: quod si fundamentum non stat, ædificium ruit.

De dispensatoris prudentia. ¶ De prudentia verò dispensatoris duo notanda sunt; vnum est, ne præbeat occasionem suspicandi, quòd leges sunt statutæ propter turpe lucrum. Qua propter consuetudo illa, quòd non dispensetur in tali lege, nisi pro pecunia, abolenda est, sicut aboleuit eam Concilium Tridentinum Sessione vltima. Secundò notandum est, quòd legislator semper debet habere præ oculis illud axioma Diui Pauli, habere autoritatem non in destructionem reipublicæ, sed in ædificationem Ecclesiæ.

Cõcil. Tri.

QVAESTIO XCVIII.

De lege veteri, in sex articulos distributa.

ARTIC. PRIMVS.

¶ Vtrùm lex vetus bona fuerit?

Concluſio eſt. Lex vetus bona fuit, ſed non perfecta.

EXPLICATIO ARTICVLI.

PRima pars concluſionis, videlicet, quòd lex vetus bona fuerit, patet: quia concupiſcentiam reprimebat, quæ rationi aduerſatur; & peccata prohibebat, quæ ſunt contra rationem. quare dicit Apoſtolus; Condelector legi Dei, quoniam bona eſt. Sed aliquod eſt bonum perfectum, quod per ſe eſt ſufficiens perducere ad finem; & aliquod imperfectum, quod operatur vt ad finem perueniatur, non tamen per ſe eſt ſufficiens perducere ad ipſum finem. Finis autem legis diuinæ eſt perducere hominem ad felicitatem æternam: qui finis impeditur per quodcunque peccatum, & non ſolùm per actus interiores, ſed etiam per actus exteriores: vnde oportet vt totaliter faciat homo idoneum vt perueniat ad felicitatem æternam; quod fieri non poteſt, niſi per gratiam Ieſu Chriſti, per quam diffunditur charitas in cordibus noſtris, quæ legem adimplet. Sed hanc gratiam lex vetus non conferebat, quia reſeruabatur Chriſto, ſecundum illud; Lex per Moyſem data eſt, gratia per Ieſum Chriſtum. Vnde lex vetus bona fuit, ſed imperfecta. quare dicitur; Nihil ad perfectum adduxit lex. ¶ Sed contra primam partem propoſitæ concluſionis ſunt aliquot argumenta. Primum eſt. Nam Diuus Paulus ſic dicit; Si illud prius teſtamentum culpa vacaſſet, non vtique ſecundi locus inquireretur: ergo ſi illa lex culpa non vacauit, mala fuit.

Ioan. 1.
Hebræ. 7.
Argumẽta contra concluſionem.
Primũ arg. Hebræ. 8.

Secundum Ezec. 20.

¶ Secundò, Ezech. ca. 20. dicit Dominus; Dedi eis legem non bonam, & præcepta in quibus non viuent.

Tertium.

¶ Præterea, lex iuſta facit ſubditos bonos, & confert illis iuſtitiam: ſed lex vetus non conferebat iuſtitiam, quin potiùs præbebat occaſiones multas peccandi: dicit enim Diuus Paulus; Lex iram operatur: & iterum; Lex ſubintrauit, vt abundaret delictum: & rurſus; Peccatum ſine lege mortuum erat: cum autem ſuperueniret mandatum, peccatum reuixit, & ego mortuus ſum.

Roma. 4.
Roma. 5.
Roma. 7.

Quartum.

¶ Præterea, in lege veteri habetur illud memorabile; Non concupiſces; quòd non ſolùm concupiſcentiam frænauit, ſed illam mirum in modum auxit, dicente Paulo; ad Roma. 7. Concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret; Non concupiſces: peccatum autem per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam: ergo lex illa bona non fuit.

Roma. 7.

Quintum.

¶ Præterea, in illa lege ſcriptum eſt; Oculum pro oculo, dentem pro dente; quod præceptum veluti durum, & inhumanum reprobauit Dominus Matthæi. 5. dicens; Audiſtis quia dictum eſt antiquis, oculum pro oculo, &c. ego autem dico vobis, non reſiſtere malo, &c.

Matt. 5.

¶ Item, in lege Moſaica concedebatur vſura, & etiam libellus repudij, vt apertè conſtat Deuteronomij. 23. & 24. Hæc verò præcepta rationi naturali manifeſtè aduerſantur: ergo.

Sextum.
Deuter. 23. & 24.

¶ Item, ſacrificia veteris legis erant Deo ingrata, & inuiſa: ergo lex, quæ talia ſacrificia inſtituebat, bona non erat, ſed Deo ingrata, & inuiſa. Antecedens probatur ex innumeris ſacræ ſcripturæ locis. In primis Eſaiæ capit. 1. Quò mihi multitudo victimarum veſtrarum? plenus ſum. & paulò pòſt; Incenſum abominatio eſt mihi: & iterum, Calendas veſtras, & ſolemnitates veſtras odiuit anima mea, laboraui ſuſtinens: & in Pſalmo. 50. Si voluiſſes ſacrificium, dediſſem vtique: holocauſtis non delectaberis. & Pſalmo. 39. Sacrificium & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi; quem locum explicans Diuus Paulus ad Hebræos. 10. dicit in hunc modum; Oblationes, ſacrificia, & holocauſtomata pro peccato noluiſti, nec tibi complacita ſunt quæ ſecundum legem offerebantur. De hac re extat inſigne teſtimonium Hierem. 7. Non loquutus ſum cum patribus veſtris, nec præcepi eis cum eduxi eos de terra Ægypti de verbo holocauſtomatum, & victimarum. Vltimò, dicit Paulus in ſuis epiſtolis ſæpenumero improbans veterem legem, mortis legem, miniſtrationem mortis, literis deformatam in lapidibus, virtutem peccati, literam occidentem, illã eſſe legem.

Vltimum.
Eſai. 1.
Pſal. 50.
Pſal. 39.
Hebræ. 10.
Hiere. 7.

¶ Propter hæc argumenta Manichæi hæretici fuerunt in iſto errore, quòd lex vetus mala fuerit, & à Deo malo excogitata. Eundem errorem ſequuti ſunt Marcioniſtæ, vt refert D. Auguſtinus, Epiphanius, & Alfonſus de Caſtro. ¶ Pro explicatione catholicæ veritatis ſit prima concluſio. Lex vetus, bona fuit. Hæc eſt veritas diuina, & irreffragabilis: dicit enim Paulus; Lex quidem ſancta, mandatũ ſanctũ, iuſtũ & bonum, & 1. ad Tim. c. 1. Lex quidem bona eſt, ſi quis ea legitimè vtatur: & ad Galatas. 3. & Actorum. 16. Diuus Paulus obſeruauit legalia, & præcepit circuncidi Timotheum: & Dominus dicit; Non veni ſoluere legem, ſed adimplere. ¶ Secunda concluſio. Lex illa Moſaica imperfecta fuit: dicit enim Paulus ad Hebræos. 7. Nihil ad perfectum adduxit lex: & in eodem. c. reprobatio fit præcedentis mandati; id eſt, Moſaici mandati, propter eius infirmitatem: & ibidem vocat præcepta infirma, & egena elementa: & ad Galat. 2. dicit; Si ex lege iuſtitia; ergo gratis Chriſtus mortuus eſt. Ratio verò ex diuina Theologia euidẽs eſt. Nam finis, & perfectio legis humanę eſt efficere ſubditos bonos bonitate quadã ciuili, & politica, & deducere illos in tranquillitatem & pacem reipu-

Manichæi.
Augu. li. de hære. c. 21. & 46.
Epiph. li. 2. tomo. 2. hæreſi. 66.
Epipha. de Marcionitis libro. 1. tomo. 3. hæreſi. 42.
Caſtro, verbo, lex, hæreſi. 2.
Prima con. Roma. 7. 1. Timot. 1.
Galat. 3.
Actor. 16.
Secũda cõ. Lex vetus imperfecta Hebræ. 7.
Galat. 2.
Ratio euidens.

reipublicæ: finis verò legis diuinæ est efficere homines simpliciter iustos coram Deo,& deducere illos in sempiternam felicitatem, quæ in visione Dei sita est. Ergo lex censetur perfecta, quæ vsque ad illum finem homines perducit. Illa ergo bona quidem, sed imperfecta, quæ illum finem demonstrat, sed vsque ad illum finem non perducit. Huiusmodi fuit lex Mosaica: nam huiusmodi lex non conferebat gratiam, non iustificationem, non reconciliationem cum Deo. Omnis enim iustitia,& gratia, quæ antiquis patribus collata fuit, non fuit collata ex efficacia veteris legis, sed ex fide,& amore in Christum. A primordio namque generis humani fuit statutum præceptum de fide in Christum collocanda vniuersis hominibus, si modò salutem vellent consequi. Hoc asserit Diuus Petrus apertè Actorum. 4. Non est aliud nomen sub cœlo in quo oporteat nos saluos fieri, nisi in nomine Domini nostri Iesu Christi: & Ioannis. 1. Gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Ex quo statim sequitur, quòd lex fidei distinguitur à lege Mosaica propriè sumpta: sic distinguit eam Paulus in suis epistolis; signanter Romanorum. 3. Arbitramur hominem iustificari per fidem,& non ex operibus legis: & ad Romanos. 4. Non enim per legem promissio facta est Abrahæ, vt hæres fieret mundi, sed per iustitiam fidei.

Actor. 4.

Ioan. 1.

Roma. 3.

Rom. 4.

Obiectio. ¶Sed dicet Theologus; Si lex vetus imperfecta fuit,& inutilis, quorsum posita est? Deinde, Patriarchæ, & Prophetæ in statu veteris legis fuerunt iusti,& perfectissimi: ergo in lege veteri erat perfecta iustitia. Vltimò, in circuncisione, vt habet sana doctrina, conferebatur gratia, & remittebatur peccatum originale. Ad istam quæstionem explicandam dicendum est, quòd lex illa fuit posita ad causas idoneas, & vtilitates. Prima vtilitas est, vt cognoscerent homines se esse peccatores; vnde dicit Paulus; Per legem cognitio peccati. Cum enim per legem Mosaicam innotesceret quid esset faciendum, & id homines propter suam infirmitatem non possent perficere, & complere, necessarium erat vt sua peccata cognoscerent, quæ cognitio erat via ad suscipiendum Christum. Cùm enim in Euangelio prædicetur, Christum Dominum ad delenda peccata venisse, si homines non cognoscerent se esse peccatores, non vtique Christum susciperent. Et hoc est argumentum totius epistolæ ad Romanos, & ad Galatas. Nam vt Paulus doceret, fidem in Christum esse necessariam, in primis statuit, omnes homines esse peccatores, Gentiles, & Iudæos; & per Philosophiá moralem, & legem Mosaicam iustificari non posse. Secundò, fuit instituta lex, vt populum Iudaicum, alioqui rudem, & imperfectum, metu pœnarum in officio contineret, & paulatim erudiret ad altiorem doctrinã, & ad suscipiendum Christũ: vnde Diuus Paulus; Lex pædagogus, ait, noster in Christo fuit. Tertiò, posita fuit, vt esset vmbra Christi Domini, & legis Euangelicæ: vnde dicit Paulus; Vmbram habens lex futurorum bonorum. Idque factũ est, vt populus Iudæorum assuefactus in vmbra colere Christum, patefacta veritate meliùs illum susciperet. Quarta vtilitas est, data est lex vt gratia quæreretur: gratia data est vt lex impleretur; sic Diuus Augustinus. Vltima vtilitas est, vt terrendo mitteret ad fidem, & ad Christum, vt optimè dicit Augustinus. ¶Ex his patet ad argumentum primum positum contra secundam conclusionem. Ex eisdem principijs patet quid dicendum sit ad secundum argumẽtum. Nam Patriarchæ, & Prophetæ fuerunt iusti ex fide,& amore in Christum, non ex efficacia legis antiquæ, vt dictũ est. Ad tertium argumentum dicetur in subsequentibus, cum de efficacia sacramentorum veteris legis, & de differentia veteris, & noui testamenti actum fuerit. ¶ His positis, ad argumenta in principio posita, & ad primum dicendum est, quòd ille locus habet duplicem commentarium. Prior est, quòd cùm Paulus dicit; Si prius illud culpa non vacasset; non loquitur de lege ipsa, sed de cultoribus legis: quod patet ex sequentibus. Nam continuò subdit vituperans eos, Dicit scriptura, &c. Posterior commentarius est, quòd loquatur Paulus de lege ipsa: sic interpretatur Cyrillus, Theodoretus, D. Thomas, & Caietanus in illum locum. Itaque dicit Paulus, quòd vetus testamentum culpam habuit, non quia malum, sed quia imperfectum. Vnde culpam in eo loco non pro peccato, sed pro defectu vsurpauit. ¶ Ad secundum argumentum respondetur, quòd præcepta veteris legis dicuntur non bona, non quia mala fuerint, sed quia gratiã non conferebant: quapropter signanter dicit præcepta, & iudicia in quibus non viuent: id est, iudicia quæ vitam non præstant. Secunda explicatio est, quòd Iudæi dispersi propter suas iniquitates tradebantur legibus nationũ iniquis. ita interpretatur Hieronymus, & Vatablus. Gregorius verò, Hos, inquit, pannos infantiæ, quos inchoantibus dedit, ipse per Prophetam Dominus reprehendit dicens, Ego dedi eis præcepta non bona: mala enim quasi mala esse desinunt comparatione peiorum, & bona non sunt quasi bona comparatione meliorum: nam sicut peius delinquenti Iudæ de Sodoma atque Samaria dicitur, suprà capitulo. 16. Iustificasti sorores

Prima vtilitas legis veteris.

Roma. 3.

Argumẽtũ epistolarũ D. Pauli ad Romanos, & ad Galatas.

Secunda.

Galat. 3.

Tertia.

Hebræ. 10.

Quarta.

Aug. lib. de spiritu & litte. ca. 11. & lib. 22. contra Faustũ cap. 6.

Vltima.

Aug. lib. 4. cõtra duas epist. Pelagian. c. 5.

Solutio argumẽtorũ.

Ad secũdũ.

Ad tertiũ.

Argumẽta in principio facta soluũtur.

Ad primũ.

Cyrillus li. 1. de adoratione.

Theodore.

D. Tho.

Caieta.

Ad secũdũ.

Hierony.

Vatablus.

Greg. li. 28 mora. c. 17.

Ezec. 16.

in omnibus abominationibus tuis, quas operata eſt: itaque melioribus noui teſtamenti præceptis ſubſequẽtibus, præcepta bona, quæ rudibus data ſunt, non bona eſſe memorantur. ¶ Ad tertium & quartum argumentum vt ſatisfaciamus, ſciendum eſt, quòd Paulus innumeris locis ſuæ doctrinæ, præcipuè in epiſtola ad Rom. durius in legem viſus eſt aliquid dicere; vt, Lex iram operatur; Lex ſubintrauit vt abundaret delictum; & iterum, Per mandatum peccatum occîdit me, & operatum eſt in me omnem concupiſcentiam; quæ omnia mitigat Paulus ad Romanos cum inquit; Quid dicemus ad hæc? nunquid lex peccatum eſt? abſit: ſed occaſione accepta peccatum per mãdatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam. Hæc eſt mitigatio omnium quæ ſuperius dixerat Paulus: & ſenſus eſt; lex mihi pernicioſa eſt, & occaſione non data, ſed accepta ex noſtra imbecillitate, operata eſt in me omnem cõcupiſcentiam; id eſt, vehementiſſimam concupiſcentiam. Hæc enim ſunt ingenia mortalium, vt prohibitio inflammet peccandi libidinẽ, & exaugeat; iuxta illud Poetæ;

Nitimur in vetitum, ſemper cupimuſq; negata;

donec deſiderium illiciti operis vincat dilectio iuſtitiæ per ſpiritum gratiæ, qui datus eſt nobis. ¶ Ad quintum argumentum, de illis legibus; Dentem pro dente, oculum pro oculo; dicendum eſt, quòd Chriſtus Dominus non improbauit illas leges: erant enim optimæ pro ſuo tempore; ſed diſcipulos ſuos ad mitiorẽ, & perfectiorem iuſtitiam perduxit dicẽs; Ego autem dico vobis, non reſiſtere malo. Illud verò quod additur de vſura, & libello repudij, facilem habet explicationem: non enim pertinet ad præcepta, ſed erat quadam ratione permiſſum, prout in ſuis locis explicabitur. ¶ Ad vltimum argumentum, & ad vniuerſa illa teſtimonia, in quibus ſacrificia veteris legis improbari videntur, multiplex explicatio adhiberi ſolet. Prima eſt, quòd Prophetæ in illis verbis, & vaticinijs prædicebant ſacrificia illa ceſſatura tempore legis Euangelicæ, ſicut & factũ eſt. Ex hoc verò non eſt conſequens, quòd fuerint mala interim dum lex Moyſi vigorem habuit. Secunda explicatio eſt, quòd prophetæ illis in verbis non improbant ſacrificia, ſed peruerſam offerentium religionem: quippe qui cùm eſſent grauiſsimis delictis coinquinati, exiſtimabant ſe Deo placere ſuis ſacrificijs; quorum vitium taxat Eſaias dicẽs; Cum multiplicaueritis orationes veſtras, non exaudiam eas: manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt. Nomine, ſanguinis, in ſacro eloquio omne genus inquinamenti ſignificatur: & in capitulo. 58. In die ieiunij veſtri inuenitur voluntas veſtra, & debitores veſtros repetitis, & ad lites, & contentiones ieiunatis dicit Dominus. Tertia explicatio eſt, quòd ſacrificia externa ſecundum ſe, & ſine ratione ad aliud, non fuêre grata Deo, neque à Deo præcepta: hoc eſt quod dicit Dominus; Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare: & in Pſalmo. 49. Nunquid manducabo carnes taurorum, aut ſanguinem hircorum potabo? Itaque præcipit Dominus ſacrificia, tum vt Chriſtum ſignificarent; tum verò vt per ſacrificia exteriora animus verè pius & religioſus innoteſceret; tum etiam, vt ſic Deus ſapienter, & clementer imbecillitati illius populi conſuleret, qui ad ſacrificia erat vehementer procliuis. ¶ Sed & quædam diſcordia & diſſonantia videtur eſſe in ſacris literis: nam Hiere. 7. ſcribitur apertè in loco citato, quòd Dominus non præcepit de holocauſtomatis, aut ſacrificijs offerendis. Exodi verò. 20. ſic habetur; Altare de terra facietis mihi, & offeretis ſuper eo holocauſta, & pacifica veſtra: quæ videtur euidens contradictio. Sed ſi quis rectè perpendat, nulla eſt in dictis diſcordia. Nam Hieremias loquitur de præcepto Domini ore proprio ad populum, & propterea dicit; Cum patribus veſtris de holocauſtomatis non ſum loquutus. Decem enim præcepta dedit eis Dominus, collo quendo cùm populo per ſeipſum immediatè: hæc verò de altari, & de ſacrificijs mandauit Deus populo per Moyſem. Sic conciliat hæc loca Caietanus. Aloyſius verò alia incedit via: dicit enim, quòd Deus non eſt locutus cum patribus principaliter, & ex præcipuo deſtinato de victimis, & ſacrificijs: nam hæc propter aliud fuerunt inſtituta. Quid enim ſacrificia illorum animalium, niſi vnigeniti Dei filij mortem deſignabant? quid ſacrificia illorum animalium, niſi extinctionem carnalis noſtræ vitæ ſignificabãt? Qui ergo vmbras futurorum holocauſta eſſe voluit, tantũmodò rectè dicere poteſt, non præcepiſſe victimas, & holocauſta. Quod enim non propter ſe, ſed propter aliud inſtitutum eſt, quodammodo dici poteſt non fuiſſe præceptum. Hieronymus; Manifeſtè, inquit, intelligitur quòd primum decalogum dederit in tabulis lapideis ſcriptum digito Dei, & poſt offenſam idolatriæ, caputque vituli poſtea iuſſerit ſibi magis fieri quàm dæmonibus ſacrificia, auferens puram religionem mandatorum Dei, & poſt offenſam idolatriæ concedens ſanguinem victimarum, carniumque deſiderium. Item ex Concilio Illiberitano, quædam permittebantur cauſa infirmitatis, & ſacramenti futurorum; ſicut Dominus permiſit filijs Iſrael

Ad tertium & quartũ.

Roman. 4. & 5.

Roma. 7.

Ad quintũ.

Ad ſextũ.

Ad vltimũ.

Prima explicatio locorũ in quibus lex vetus improbari videtur.

Secunda.

Eſai. 1.

Eſai. 58.

Tertia.

Ioan. 4.

Pſal. 49.

Hiere. 7.

Exod. 20.

Explicatur quædã ſcriptura apparens cõtradictio.

Caieta.

Aloyſius.

Hieronym.

Concil. Illiberita. habetur. 31. q. 1. ca. ſi qua fuerint.

Israel offerri animalia sibi in sacrificium, quæ in Ægypto consueuerant immolare dæmonibus, malens ea sibi offerri, quàm idolis, & vt
Hierony. Matth. 5. essent illis sacramenta futurorū. Hieronymus sic scribit; Hoc quasi paruulis fuerat lege concessum, vt quomodo victimas immolabant Deo, ne eas immolarent idolis. Idem docet,
Burgens. Matt. 15. in additio. 1. Burgen. Et hæc de huius argumenti confutatione dixisse sufficiat: nam alias scripturas, in quibus D. Paulus veterem legem improbare videbatur, satis superque in superioribus eluci dauimus: nunc sequentem articulū videamus.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ *Vtrùm lex vetus à Deo data fuerit?*

CONclusio est. Lex vetus à bono Deo data est, qui est pater Domini nostri Iesu Christi.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Hæc conclusio probatur: quoniam lex vetus homines ordinabat ad Christum; tum de ipso testimoniū perhibens; vnde ipse dicit; Oportet
Lucæ vlti. impleri omnia quæ scripta sunt in lege, & in
Ioan. 5. Psalmis, & in Prophetis de me: & iterū; Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi: de me enim ille scripsit: tum verò per modum cuiusdam dispositionis, dum retrahebat homines à cultu idololatriæ, concludens eos sub cultu vnius Dei, à quo saluandum erat genus humanum. Et quamuis lex vetus non sufficeret ad saluandum, tamen aderat aliud auxilium à Deo hominibus simul cum lege, per quod saluari poterant, videlicet fides mediatoris, per quam iustificati sunt antiqui Patres, & nos iustificamur. ¶ Hæc conclusio est certa secun-
Confirmatur conclusio articuli Concil. Toletano primo, in assertione fidei; & in
Concil. Tolet. 1. Concilio Tridentino Sessione. 4. vbi in hæc
Conci. Tri. verba inquit; Siquis dixerit, alium esse autorē veteris testamenti, & alium noui, anathema sit. Sed & sacra scriptura noui testamenti apertissimè testatur veterem legem à Deo bono
Matth. 15. esse: nam Christus Dominus, loquens de lege Mosaica, appellat illam mandatum Dei, dicēs; Irritum fecistis mandatum Dei propter traditiones vestras: & D. Paulus plenissimè docet, Patrem Domini nostri Iesu Christi fuisse au-
Roma. 1. torem veteris testamenti, cùm ait; Paulus vocatus Apostolus, segregatus in Euangelium Dei, quod antea promiserat per prophetas suos in scripturis sanctis de filio suo: & iterū;
Hebræ. 1. Multifariè, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, nouissimè autem
1. Corin. 4. locutus est nobis in filio; & rursus; Habentes eundem spiritum fidei credimus sicut scriptū est, Credidi, propter quod locutus sum: insinuans per hoc, ab eodem spiritu vtrumque testamentum fuisse inspiratum: & Zacharias testatur eundem esse Deum Israel, qui loquutus est in veteri testamento per os sanctorum Prophetarum, & qui in nouo testamento visitauit, & fecit redemptionem plebis suæ: cui beatissima Virgo Maria assentiens in Canti-
Luc. 1. co ait; Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ. Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham & semini eius in secula. Et ne quem fortè crederemus fuisse prophetam, in quo Deus non esset loquutus,
Acto. 3. ideo Petrus addidit; Deus qui prænunciauit per os omnium prophetarum pati Christum suum, sic & impleuit. Quibus testimonijs hæc etiam demonstratio adiungitur. Cum lex Mosaica, in qua totum vetus testamentum pendet, ideo ab autore eius condita sit, vt cultores eius deducat ad Christum, tanquam ad finem legis, dicente Paulo, Finis legis est Christus; &, Lex nobis fuit pædagogus in Christo: quī fieri potest, vt malus ille Manichæorum Deus, perpetuus Domini nostri Iesu Christi, Deique omnipotentis acerrimus hostis, legē, ac testamentum promulgauerit, cuius ductu sectatores sui ducerentur ad cultum Christi, per quem ipse de regno eijciendus erat? dicente Christo; Princeps huius mundi eijcietur forās. Vnicus est igitur autor vtriusque testamenti, Pater Domini nostri Iesu Christi. Ex
Aug. lib. cō tra Faust. & contra Adaman. & cōtra aduersariū legis & prophetarum. hac conclusione confutatur error Manichęorum, asserentium legem veterem à Deo malo esse excogitatam: contra quos disputat optimè Augustinus. Cōmemorāt etiā sancti Patres
Epipha. in Anacephaleōsim. execrabilē hāc hæresim; Epiphanius, Hieronymus, & Plotinus. ¶ Sed vtrùm omnia mādata quæ sunt in veteri lege, fuerint à Deo tradita, sic vt nullū fuerit datū à Moyse tanquā à præcipuo legislatore, controuertūt sancti Patres.
Hieron. in præfatione ad Titum. Origenes, & Basilius dicunt apertè, multa Deum per Moysem fuisse locutum, sed aliqua Moyses propria autoritate mandauit; quod Dominus in Euangelio apertè designare videtur, cum dicit de libello repudij; Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis libellum repudij, ab initio autem non sic. Sed veritas est, quòd omnia mandata quæ sunt in lege veteri, fuerunt à Deo instituta: dicitur enim Exodi. 24. quòd Moyses legit populo volumen fœderis, & dixit populus; Omnia quæcunque locutus est nobis Dominus, faciemus. idem habetur Hebræorum nono. Et est ratio euidēs: nam si Moyses aliqua propria autoritate mandauit, quomodo discerne re poterimus, quid ex Spiritu sancto, quid
Plotin. li. 2 Panopliæ tit. 23. Vtrùm omnia veteris legis præcepta à deo data fuerīt. Orige. homilia. 16. in rume. Basili⁹ li. 5. cōtra Eunomi. ca. pen. Matth. 19. Exod. 24. Hebræ. 9.

ex propria autoritate mandauerit? & ſic erit rerum omnium confuſio. Loquitur de hoc optimè Magiſter Cano.

Cano li. 2. de locis ca. 16.

ARTIC. TERTIVS.

¶ *Vtrùm lex vetus data fuerit per Angelos?*

¶ Concluſio eſt affirmans.

EXPLICATIO ARTICVLI.

RAtio huius cõcluſionis deſumitur, non ſolùm quia diuina debent deferri ad homines per Angelos, ſed etiã quia imperfecta erat, & diſponebat ad perfectam ſalutem generis humani, quæ futura erat per Chriſtum: vnde conueniens fuit legem perfectam dari immediatè per Deum hominem factum, & legem veterẽ per miniſtros, vt probat Apoſtolus ad Hebræos. 1. Et ita fit etiam in artibus ordinatis, in quibus ſuperior principalem & perfectum actum operatur per ſeipſum, & ea quæ diſponunt ad perfectionem vltimam, per ſuos miniſtros: & Moyſes nõ videbat Deum facie ad faciem, niſi ſecundũ opinionẽ populi: vel per viſionem faciei intelligitur quædam eminens contemplatio, & familiaris infra diuinæ eſſentiæ viſionem. Ex quo ſequitur, quòd Moyſes non immediatè accepit legem à Deo.

Hebræ. 1.

¶ Hæc concluſio D. Thomæ adeò certa eſt, vt ſine temeritate negari nõ poſsit: dicit enim Paulus; Lex ordinata eſt per Angelos in manu mediatoris: item; Si ſermo, qui per Angelos dictus eſt (loquitur de lege veteri) factus eſt firmus, &c. idem ait D. Stephanus. Vnde, quotieſcunque in veteri teſtamento dicitur, Deum dediſſe legem, intelligendum eſt per Angelum, qui in perſona Dei loquebatur: ſic habet D. Auguſtinus. Propter quod vbi nos legimus in Exodo, Apparuit Dominus Moyſi in rubo, D. Auguſtinus cũ Septuaginta legit, Apparuit Angelus Moyſi. Nihilominus Angelus dicebat, Ego ſum Deus Abraham &c. quoniam in perſona Dei loquebatur; ſicut ſacerdos in perſona Chriſti dicit in miſſa; Hoc eſt corpus meum. Hęc habet D. Thomas in. 3. art. huius quæſtionis. Sed in ſolutione ad ſecundum dicit, quòd Moyſes non vidit diuinam eſſentiam; ſic certè habet D. Auguſtinus, & D. Gregorius. Contrarium huius docet D. Thomas. 2. 2. q. 174. artic. 4. nempe quòd Paulus vidit diuinam eſſentiam, & Moyſes: ſed concordari poteſt. Nam D. Thomas ſolùm dicit hic, quòd Moyſes non vidit diuinam eſſentiam in datione legis: quod confirmat efficaci argumento: nam poſtea dicit Moyſes, Oſtende mihi gloriam tuam; quibus verbis ſignificat, nõdum vidiſſe diuinam eſſentiã: quòd verò poſtea viderit, huic veritati non aduerſatur.

Galat. 3. Hebræ. 2. Actor. 7.

Aug. 2. lib. de Trini. c. 13. & 3. li. ca. 11.

Vtrũ Moyſes viderit diuinam eſſentiam. Aug. lib. 10 de ciui. ca. 13. & lib. 12 de Geneſi ad lit. c. 27. Gregor. in præfatione in Iob. c. 2. D. Tho.

ARTIC. QVARTVS.

¶ *Vtrùm lex vetus dari debuerit ſoli populo Iudæorum.*

PRima Concluſio eſt affirmãs.

¶ Secũda Concluſio. Nullum meritũ poteſt demonſtrari ex parte populi Iudaici, vt legem acciperet; ſed totum hoc referendum eſt in Dei miſericordiam, prædeſtinationem, & electionem.

EXPLICATIO ARTICVLI.

PRima concluſio huius articuli probatur: quoniam Deus dedit legem & alia beneficia illi populo, ꝓpter promiſsionem eorum patribus factam, vt ex eis Chriſtus naſceretur: decebat enim vt ille populus ex hoc quadam ſpeciali ſanctificatione polleret. Secunda concluſio probatur: nam expreſſè dicitur Deute. 9. Scito quòd nõ ꝓpter iuſtitias tuas Dominus Deus tuus dedit tibi terram hanc in poſſeſsionem, cùm duriſsimæ ceruicis ſis populus: ſed (ratio ibi præmittitur) vt compleret verbum ſuum Dominus, quod ſub iuramento pollicitus eſt patribus tuis Abraham, Iſaac, & Iacob: quæ autem promiſsio eis ſit facta, oſtendit Apoſtolus dicens; Abrahæ dictæ ſunt promiſsiones, & ſemini eius: non dicit, ſeminibus, quaſi in multis, ſed quaſi in vno, & ſemini tuo, qui eſt Chriſtus. Deus igitur & legem, & alia beneficia ſpecialia illi populo exhibuit propter promiſsionem eorum patribus factam, vt ex eis Chriſtus naſceretur. Decebat enim vt ille populus, ex quo Chriſtus naſciturus erat, quadã ſpeciali ſanctificatione polleret, ſecundum illud; Sãcti eritis, quia ego ſanctus ſum. Neque enim fuit propter meritum ipſius Abrahæ vt talis promiſsio ei fieret, vt ſcilicet Chriſtus ex eius ſemine naſceretur, ſed ex gratuita Dei electione, & vocatione: vnde dicitur; Qui ſuſcitauit ab oriente iuſtum, vocauit eum, vt ſequeretur ſe. Sic ergo patet, quòd ex ſola gratuita electione Patres promiſsiones acceperunt, & populus ex eis progenitus legem accepit, ſecũdum illud; Audiſtis verba eius de medio ignis; quia dilexit Patres, & elegit ſemen eorũ poſt illos. Hanc veritatẽ, nimirũ, quòd lex vetus tantùm data fuerit populo Iudaico, planè teſtatur Paulus dicens; Quid ampliùs Iudæo? multum

Deuter. 9. Galat. 3. Leuit. 19. Eſai. 41. Deut. 4. Roma. 3.

tum per omnem modum: primò, quia credita
Psal. 147. sunt eis eloquia Dei. Deinde dicitur; Nó fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis. Quare verò hunc populum elegerit, de quo nasceretur Christus, & cui legem particularem tribueret, & non alium, noli iudicare, si non vis errare: referendum namque hoc est in gratuitam Dei electionem, & prædestinationem, prout luce clarius demóstrat D. Thomas in articulo. Nec per hoc dici potest, in Deo fuisse acceptionem personarum: nam qui ex gratia, & liberalitate sua dat vni, & non alteri, non est personarum acceptor. ¶ Illud tamen obseruet Theologus, quòd quanquam sit veritas irrefragabilis, legem veterem soli populo Iudæorum esse datam, vt illam obseruaret, & custodiret; aduertat tamen esse execrabilem sententiam Manichæorum, vetus te
Manichæorum error. Testamẽtũ vetus quomodo ad christianos pertineat. Aug. li. 19. contra Faustum. stamentum non ad christianos, sed ad solos Iudæos pertinere: cuius sententiæ absurditatẽ demonstrat D. Augustinus. Sanè huius absurditas ex hoc deprehenditur, quòd testamentum ad eos pertinet, ad quos testamenti dona, ac promissiones pertinent, & qui testamenti conditiones exequũtur. Certum est autem nec veteris testamenti conditiones ab his, qui secundum carnem tantùm Iudæi sunt, seruari, nec propter tales eiusdem testamenti promissiones factas esse, sed propter veros Israelitas promissione seminis Abrahæ contentos:
Credentes in Christũ Israelitæ. 2. Corin. 1. hoc est, propter eos, qui credunt in Christũ, qui est summa, & finis omnium promissionũ veteris testamenti, dicente Paulo; Quotquot enim promissiones Dei, in ipso sunt. & iterũ,
Rom. 15. Dico Christum ministrum fuisse circumcisionis ad confirmandas promissiones patrũ: quæ quidem non ad eos pertinent, qui tantùm de semine Abrahæ sunt secundum carnem, sed ad eos (vt Paulus ait) qui filij sunt promissionis Abrahæ, & computantur in semine Isaac;
Rom. 9. de quo dictum est; In Isaac vocabitur tibi semen, qui est Christus: Abrahæ enim (vt idem
Gala. 3. Apost. ad Galat. scribit) dictę sunt promissiones, & semini eius: nó dicit, & seminibus, quasi in multis, sed quasi in vno, & semini tuo, qui
1. Pet. 1. est Christus: de cuius salute (vt Petrus ait) ex quisierunt, & scrutati sunt omnes prophetæ, qui de ventura in nos gratia vaticinati sunt. Quòd autem non solùm veteris testamenti promissiones, sed & cuncta alia eius ministeria propter nos, harum promissionum hæredes, facta sint, vt ad eas consequendas redderemur idonei, Paulus ad Corint. apertè his ver
1. Corin. 10 bis expressit; Nolo vos ignorare fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube, & in mari, & omnes eandem escam spiritalem manducauerunt, & eundem potum spiritalem biberunt; bibebant autem de spirituali, consequente eos petra: petra autem erat Christus: hæc in figura facta sunt nostri. & paulò pòst; Omnia in figura cõtingebãt illis: scripta sunt autem propter nos, in quos fines seculorum deuenerunt: & ad
Roma. 15. Rom. iterum; Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiã & consolationem spem habeamus. Quòd etiã vera veteris testamenti intelligentia à Iudæis ablata, ad nos transierit, idem testatur Apostolus dicẽs; Vsque in hodiernum diem idipsum
2. Corin. 3. velamen in lectione veteris testamenti manet nón reuelatum, quod in Christo euacuatur, sed vsque in hodiernum diem, cum legitur, velamen positum est super cor eorum. Quare cum ipsius testatoris voluntatem, & conditiones in testamento traditas, neque intelligant, neque seruent, manifestum est, testamentum illud ad nos pertinere, qui Christum, eius promissionum finem, tenemus, testatoris voluntatem cognoscimus, & propositas ab eo mandatorum conditiones seruamus. ¶ Sed videa-
Hæreticorum argumenta. mus hæreticorum argumenta, quibus probare nituntur, vetus testamẽtum ad christianos
Primũ arg. nulla ratione pertinere. In primis sic argumentatur Faustus; Hæreditas, inquit, in testamento veteri relicta adeò misera est, ac corporalis, ac longè ab animæ commodis, vt post bea
Faust. apud Aug. lib. 4. contra Faustum. c. 1. & & li. 10. c. 1. tam illam noui testamenti pollicitationẽ, quæ cœlorum nobis regnum, & vitam æternam repromittit, sit omnino fastidienda. ¶ Deinde,
Secundum. illi accipere debent testamentum, quibus vnà cum testamento hæreditas consignatur: sed vetus testamentum non solùm non cõstituit christianos hæredes, sed potiùs exhæredat; quis enim ignorat testamentum vetus Chananæorum terram repromittere, eamque solis Iudæis, id est, circumcisis, & sacrificantibus, & abstinentibus à carnibus, quas Moyses immũdas appellat, sabbatha obseruantibus, ac huiusmodi reliqua, datam fuisse? igitur testamentum vetus ad christianos pertinere nõ potest.
¶ Præterea, frustra testamentum ab illis accipi
Tertium. tur, qui testatoris voluntatem, & conditiones seruare nolunt: testamenti autem cõditiones sunt, vt testamenti hæredes circumcidantur, sacrificent, & ab illicitis cibis abstineant; quas conditiones christiani non obseruant: ergo à testamento veteri alieni esse probantur. ¶ Ad
Quartum. hæc, si quæ est causa, ob quam vetus testamentum recipiendum sit, hæc sanè erit, propter testimonia, quæ de Christo in lege, & prophetis habentur, quæ cùm nulla in eis inueniantur, iure scripturæ ipsorum contemnendæ videntur. Quòd verò in eis nulla sint de Christo va-

ticinia, apparet ex his teſtimonijs, quæ ad confirmationem fidei ex veteri teſtamento adhiberi ſolent, ex quibus vulgatiſsimum illud teſtimonium ex Deuteron. prolatum; Prophetam, ſcilicet, ſuſcitabo eis, ſimilem tibi; minimè ſpectat ad Chriſtum. Idem prorſus exiſtimandum eſt de alijs teſtimonijs, quæ ad hoc propoſitum citari ſolent. Quòd verò prædictum teſtimoniũ de Chriſto intelligi nequeat, ex his deprehendi poterit: quia non propheta Chriſtus, nec Moyſi ſimilis: ſiquidem ille fuerit homo, hic Deus; ille peccator, hic ſanctus; ille ex coitu natus, hic ex virgine procreatus; ille offenſor Deo ſuo in monte occiditur, hic patri perplacens propria patitur voluntate.

Deut. 18.

¶ Inſuper, veteris teſtamẽti lectio nihil iuuat ad mores componendos: quomodo enim ad eruditionem bene viuẽdi prodeſſe nobis poſſunt peſsima illa exempla, omni odio, & faſtidio digna, quæ nobis vbique in vitis Patriarcharum, & Prophetarum vetus teſtamentum proponit? videlicet ſoceros dormire cum nuribus; vt Iudas; patres cum filiabus, tanquam Loth; Prophetas cum fornicibus, tanquam Oſeas: Nazaræos Dei cum ſcortis, tanquam Samſon; maritos vxorũ ſuarũ noctes amatoribus vendere, tãquam Abrahã; duabus germanis ſororibus vnum miſceri maritum, tãquam Iacob; rectores populorum, tanquam Dauid, & Salomon, millenis & centenis volutari cum ſcortis, & alia multa cõſimilis fœditatis exempla, quæ enumerare longum eſſet. ¶ Hortantur inſuper nos ad veteris teſtamenti reprobationem non minùs Euangelicæ, & Apoſtolicę exhortationes, quã exempla: præſertim verò Apoſtolorum exemplum, qui ne intolerabili veteris teſtamenti ſeruitute diutiùs premerentur, quanquam Iudæi eſſent, ac ſub veteri teſtamento nati, illius tamen iugum excuſſerũt. Nos verò ècontra naturę beneficio conſequuti vt ſub ſeruitutis lege non naſceremur, Chriſto nobis protinus occurrente cum pleno munere libertatis, quàm miſeri & ſtulti erimus, & inſuper ingrati, ſi noſmetipſos vltrò addixerimus in ſeruitutem! Quippe Paulus inde Galatas arguit, quòd in circunciſionem relabẽtes, ad infirma repedarent, & egena elementa, quibus denuo ſeruire vellẽt. Quomodo ergo nos id admittemus, in quo videamus alios reprehendi? Turpe eſt certè in ſeruitutem ire, ſed turpiùs redire. ¶ Frequentes denique Chriſti, & Apoſtolorum eius admonitiones idem nos admonent; Nemo, inquit Chriſtus, pannum nouum veſtimento veteri aſſuit, alioquin maior ſciſſura fiet: neque vinum nouum veterno ſis vtribus credit; innuens, chriſtianam nouitatem Hebraicæ vetuſtati non eſſe miſcendam.

Quintum.

Sextum.

Vltimum.

Cum enim ſordidum ſit nouis veſtibus indutis, non donare inferioribus veteres veſtes, idcirco monuit nos veſtimentum vetus, hoc eſt, vetus teſtamentum, Iudæis, tanquam infimis ſeruis relinquere: idemq́ue legẽ & Prophetas, reſiccatis & inueteratis arboribus comparauit, dicens; Lex & Prophetæ vſque ad Ioannem: vt videlicet, iuxta Paulum, oſtẽderet nobis, omne quod veteraſcit, & ſeneſcit, interitui propinquum eſſe: & Paulus idcirco vetus teſtamentum, mortis miniſtrationem appellauit, cum dixit; Miniſtratio mortis, ſeu teſtamẽtum mortis in literis formatum lapideis; vt illud non aliter quàm ab autore mortis proditum vitaremus, ſcientes quòd lex illa (vt idẽ alio loco dicit) iuſto non eſt poſita, ſed parricidis, matricidis, & periuris; non autem his qui iuſtè viuũt in Chriſto. ¶ Ad iſtas obiectiones reſpondendum eſt, ad primam dicẽdum, nos non ideo recipere vetus teſtamentum, quia ſpes noſtra in temporalium rerum promiſsione defixa ſit, quandoquidem nec ipſos illius temporis ſanctos, & ſpiritales viros Patriarchas, & Prophetas his terrenis rebus fuiſſe deditos credimus: audiuimus enim prophetam abijcientem talem felicitatem, & ad vnũ Dominum confugiendum eſſe, cantantem, Erue me de manu filiorum alienorum, quorum filij ſicut nouellæ plantationes in iuuẽtute ſua: filiæ eorum circuncompoſitæ, & ornatæ vt ſimilitudo templi: cellaria eorũ plena eructantia ex hoc in illud: oues eorum fœcundæ, boues eorum craſſæ. Non eſt ruina ſepis, nec exitus, nec clamor in plateis eorum. Beatum dixerum populum cui hęc ſunt. Quam felicitatem Dauid irridens, protinus ècontrario addidit; Beatus populus cuius Dominus Deus eius. Sed ſicut Patres illi veteres in his promiſsis intelligebant, reuelante illis ſpiritu, quę per ipſa futura prænunciabantur, & ob hoc ad noui teſtamenti deſiderium accendebãtur; ita & nos cognoſcentes ea quæ per illa ſignabantur, in nobis fuiſſe completa, hac de cauſa veteris teſtamenti memoriam, veluti præſentis noſtræ felicitatis promiſsionem veneramur, & accipimus. ¶ Ad ſecundum dicendum ex D. Auguſtino, nos non tenere ſcripturas veteris teſtamenti ad conſequendam terrenam illam hæreditatem, ſed ad intelligendas in eis noui teſtamenti promiſsiones: veteris quippe teſtificatio, fidem nouo conciliat. Scimus enim temporalium rerum promiſsiones teſtamento veteri contineri, & ideo vetus teſtamentum appellari; & quòd æternæ vitæ promiſsio, regnumque cœlorum ad nouum pertineat; ſed in illis temporalibus figuras fuiſſe futurorum. Atqui hoc modo accipiendum eſſe à nobis

Soluuntur argumẽta. Ad primũ.

Pſal. 143.

Ad ſecũdũ. Aug. lib. 4. contra Faſtum. c. 2.

vetus

1. Corin. 10 vetus testamentũ Paulus docuit, cum ait; Omnia in figura contingebant illis: scripta sunt autem propter nos, in quos fines seculorum

Ad tertiũ. deuenerunt. ¶ Ad tertium dicendum, nos tenere scripturas veteris testamenti, non vt earum præcepta seruemus; nam postquam lux venit Christus, superfluè à nobis vmbræ illæ obseruarentur; sed ad testificationem, & ad fidei nostræ confirmationem. Sic respondet

Aug. li. 10. contra Faustum. c. 2. Augustinus. ¶ Ad quartam obiectionem respondet Augustinus libro. 16. contra Faustũ.

Ad quartũ. ca. 15. quòd illud testimonium ex Deuteronomio adductum, ad Christum maximè pertinet: nam quod simile dicitur, nõ ex omni parte & modo simile esse intelligitur. Non enim ea tantùm quæ vnius & eiusdem omnino naturæ sunt, similia dicuntur, vt olea oleæ, sed etiam quæ naturæ disparis sunt, vt olea oleastro, & far tritico: sic & filius Dei, qui tam longè à rebus mortalibus abest, agnus, & leo in sacris scripturis appellatur, vt in Ioanne legitur; Ecce agnus Dei; & in Paulo; Petra erat Christus; quæ ipsi nullo modo dixissent, nisi Christus cum eis aliquam similitudinem acciperet. Cum igitur Christus factus sit similis oui, quid mirũ si non dedignatus sit fieri similis Moysi, qui Moysi dissimilis erat. Similis quippe, quia homo; dissimilis, quia Deus; similis, quia factus in similitudinem carnis peccati; dissimilis, quia sanctus, & sine peccato; similis, quia natus de muliere; dissimilis, quia de Spiritu sancto natus; similis, quia vera morte in monte mortuus est; dissimilis, quia nõ propter sua peccata, sed propria potestate mortuus est; similis, quia offenso Deo propter scelera hominum, offensas humani generis pertulit moriẽs in corpore suo; dissimilis, quia non offenso

Ad quintũ. Deo propter suam culpam, mortuus est. ¶ Ad

Aug. li. 22. contra Faustum. c. 65. quintam obiectionem dicendum ex D. Augustino, quòd in veteri testamento grauia crimina narrantur de Patribus nostris: & id quidem

Quare sanctorũ scelera, in scriptura narrentur. sapienter, nempe vt eorum consideratione, quatuor hæc, scilicet fidem, eruditionẽ, timorem, ac spem consequamur. ¶ Primò, fidem;

Primo. vt nihil de veritate illius historiæ dubitemus, videntes quòd ipsa, tanquam fidelis speculi nitor, admotarũ sibi personarum non solùm quæ pulchra, atque integra, verùm etiam quæ deformia, vitiosaque sunt, indicat, nulliusque accipit adulandam personam, sed tam laudanda, quàm vituperãda hominum facta vel ipsa iudicat, vel iudicãda legentibus proponit: nec solùm homines ipsos vel laudabiles, vel vituperabiles intimans, verùm etiam quædam in vituperabilibus laudanda, & in laudabilibus

Secundo. vituperanda non tacens. Secundò, ad eruditionem nostram vitia Patrum refert; nõ quidem vt illa imitemur, & sequamur, sed vt sciamus illa vitanda esse, & fugienda, quæ scriptura vituperat. Tertiò, ad timorem, vt casus maiorũ

Tertio. sit timor minoribus. Si enim illos tam sanctos viros pernicioſa huius mundi blandimenta vicerunt, quantò magis imbecillioribus nobis timendum est? Quartò, ad spei consolationem,

Quarto. vt discamus in talibus lapsibus non desperandam salutem. Quidam enim in peccata prolapsi, desperatione plus peccant, nec solùm pœnitendi negligunt medicinam, sed ad explenda inhonesta, & nefaria desideria, serui libidinum, & scelerum, ac cupiditatum fiunt, quasi perdant si non fecerint quod libido, cum eos iam maneat certa damnatio. Aduersus hunc modum nimis periculosum, & execrabilem valet hæc commemoratio peccatorum. ¶ Ad sextum dicẽdum ex D. Augustino;

Ad sextum Aug. lib. 9. contra Faustum. c. 2. De exemplo Apostolorum legalibus præceptis renunciantium, dicimus, illos non desse cisse à præceptis illis vt significabant vitã, quæ est in Christo Iesu, vt ea non crederent fuisse futurorum figuras; sed à sola eorum obseruatione destitisse, quorum vmbræ, coruscante iam Euangelica luce, aufugerant: neque nos illa credentes iterum in seruitutem relabimur, quia non obseruamus quæ olim patribus iussa fuerunt ad nos prænunciandos, sed in libertate legimus quæ scripta sunt ad nos confirmandos. Paulus autem Galatas arguit, non tanquã religioſe scripturam circuncisionis legẽtes, sed tanquam superstitioſe circuncidi volentes.

Ad vltimã. Lib. 15. contra Faustũ cap 2. ¶ Ad vltimam obiectionem dicendum est ex D. Augustino, quòd testimonia illa Christi & Pauli nullum habent momentum. Pannum siquidem nouum, & vestimentum vetus; & vinum nouum, & vtres veteres, non duo testamenta significant, sed duas vitas, & duas spes.

Pannũ nouum, & vestimentum vetus, vinũ nouum & vtres veteres quid? Duas enim spes si quis habendas putauerit, vt & propter felicitatem terrenam, & propter regnum cœlorum Deo seruiat, hæc illam non capit: cum enim hæc aliqua tribulatione fuerit perturbata, deficiens homo amittet etiam illam; inde est illud; Nemo potest duobus dominis seruire. quod Christus exposuit dicens;

Matth. 6. Nemo potest seruire Deo & Mammonæ. Miscet itaque pannum nouum veteri vestimẽto, non qui vetus testamentum nouo miscet, sed qui continentiam vult habere spiritualem, & nondum spem deposuit carnalem. Quod autem addunt; Lex & prophetæ vsque ad Ioannem perdurant; non ita intelligendum est, quòd lex & prophetæ vsque ad Ioannẽ sunt, post Ioannem verò omnia abijcienda sint; sed quòd lex & prophetę vsque ad Ioannem sunt præparatores, & prænuncij aduentus Christi, quo aduenìente, præparatio, & prænunciatio

eorum

eorum cessat. Vtrumque tamen permanet ad prænunciatorum cõfirmationem, vt sciamus, aduentum Christi ab eis diuina dispositione prænunciatum longè antè quàm aduenisset. Remanent etiam ad conseruandam animi nostri gratitudinem, vt eis gratias habeamus, qui nobis tam felicem Christi aduentum prænunciarũt. Quemadmodum enim si quis pædagogum haberet (velut etiam Apostolus dicit, Legem nobis fuisse pædagogum ad Christi aduẽtum) vbi peruenerit ad ætatem, & acceperit præceptorem, non omnino reijcit pedagogũ, tanquam inimicum; sic nos cùm deducti simus in lege & prophetis vsque ad aduentum præceptoris Christi, reperto præceptore non reprobamus pædagogum, sed gratiam ipsi cõfitemur, quòd pueritiam nostram deduxit, & ad perfectiores disciplinas demisit. Manet igitur lex: quam ideo dicit Paulus iusto non esse positam; quia non est contra iustum, eò quòd iustus iam anticipauerit perficere quæ sunt legis; sed posita est iniusto, hoc est, contra iniustum ad condemnationem. Et ob hoc testamentum mortis dicta, nõ quia ab autore mortis data sit, sed quia mortem dari iubeat homicidis, adulteris, & præceptorum eius trãsgressoribus. Sic enim decebat mortis præire testamentum, vt primum mortui peccatis, iustitiæ viueremus. Lege de hac re D. Augustinum.

Aug. lib. 3. cõtra duas epist. Pelagia. c. 4.

ARTIC. QVINTVS.

¶ Vtrùm omnes homines obligabantur ad legem veterem?

SVMMA TEXTVS.

Prima con. PRima Conclusio. Lex vetus, inquantum manifestat legem naturæ, omnes obligabat: non quia eius præcepta erant de lege veteri, sed quia erant de lege naturæ, quæ omnes mortales ad sui obseruationem obstringunt. ¶ Secũda Conclusio. Quantũ ad illa quæ lex vetus superaddebat, non tenebantur aliqui ad obseruationem legis veteris, nisi solus populus Iudæorum, cui lex vetus data est, vt quandam prærogatiuam sanctitatis obtineret propter reuerentiam Christi, qui ex illo populo nascitu rus erat. Quæcunque autem statuuntur ad aliquorum specialem sanctificationem, non obligant, nisi illos; vt de religiosis patet, qui ad quędã perfectionis opera obligantur, ad quę seculares non obstringuntur.

Secũda cõ.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Concluſio secunda certissima est, tũ ex autoritate scripturæ; Annunciãs verbum suum Iacob, & iudicia sua Israel. Non fecit taliter omni nationi: & Paulus; Quid ampliùs Iudæo? multum per omnem modum. primũ, quia credita sunt eis eloquia Dei. Tum ex autoritate D. Dionysij dicentis; quòd multi gentiles per Angelos sunt reducti in Deum: constat autem quòd gentiles non seruabant legem veterem. Hoc ipsum comprobat ratio D. Thomæ in articu. Ex hoc sequitur, quòd in statu veteris legis aliæ nationes poterant saluari in lege naturæ. Non dico, in solo lumine naturæ; nam etiam in statu legis naturæ erat necessaria fides, & spes rerum supernaturalium: sicut enim beatitudo & salus erat supernaturalis; sic & media quibus obtineri debebat: vnde si Socrates, Plato ve ad vnguem seruassent legis naturæ statum, poterant saluari, non tamen sine fide diuinitus infusa. Ex ijsdem principijs sequitur, quòd magis tenebantur Iudæi seruare legem naturæ, quàm gentiles: quia duplici titulo prohibita erat illis violatio præceptorum naturalium; tum lege naturæ; tum lege diuina positiua. Præstabat etiam hoc illis lex scripta, quòd non poterant laborare tanta ignorantia, nec tanto tempore circa aliqua iuris naturalis præcepta. v. g. num iurandum esset in graui necessitate? vel an liceret fornicari? vel seipsum interficere? in quarum rerum ignoratione gentiles versati sunt.

Psal. 147.

Roma. 3.

Diony. c. 9. cœlestis hierar.

Fides in lege naturæ necessaria.

¶ Sed dubium est; Vtrùm gentiles potuerint recipere legem veterem? Et cum constet ex sacra scriptura quòd potuerint; Si quis, inquit Dominus, in vestram voluerit transire coloniam; dubitatio est, an potuerint recipere partem legis, & partem repudiare? Ratio dubitandi est: nam præcepta, & iudicia veteris legis iusta erant, & ad reip. gubernationem valde accommoda: potuit ergo quælibet respublica sibi assumere ex eis quæ magis apta & accommoda viderentur. ¶ Ad huius rei expositionẽ dicendum est primò, quòd quemadmodum vna natio & respublica potest accipere ceremonias,

Vtrùm gentiles legẽ veterem recipere potuerint.

Exod. 12.

Solutio.

monias, vel leges ab alia natione, seu republica; sicuti nos accepimus legem de decimis solu endis exemplo veteris legis; sic quælibet respublica potuit accipere quædam statuta veteris legis; sed hæc statuta haberent vim obligãdi humanam: verùm vt circuncisio, & lex vetus erant præcepta de iure diuino, non poterat gentilis recipere partem legis illius, & partem repudiare, dicente Paulo; Testificor circũcidenti se, quòd debitor est vniuersæ legis faciendæ. Sic enim se habebat in lege veteri circuncisio, sicut modò apud nos baptismus: sed qui baptizatur, tenetur ad omnia præcepta legis Euangelicæ: ergo qui accipiebat circuncisionem, tenebatur ad omnia præcepta legis veteris. Demum dicendum est, quòd gentiles non poterant aliqua statuta veteris legis recipere, & illa statuere vt humana præcepta, vt erat statutum de pluralitate vxorum, atque repudio, & similibus; quia Deus potest super his dispensare, licèt essent matrimonij indissolubilitas, vxorisque vnitas de iure naturali: respublica verò nõ pót dispẽsare in lege naturæ.

Galat. 5.

ARTIC. SEXTVS.

¶ *Vtrùm lex vetus conuenienter data fuerit tempore Moysi?*

¶ Conclusio est affirmans.

EXPLICATIO ARTICVLI.

ARticuli huius cõclusio in hunc modum probatur. Quia lex imponitur duris, & superbis, vt per legem compescantur, & domentur: & bonis, vt per legem instructi adiuuentur ad implendum quod intendunt. Sed homo superbiebat de scientia, & potentia. De scientia, quasi ratio sua naturalis sufficeret ad salutem: vnde permissus homo regimini suæ rationis absque adminiculo legis scriptæ expertus est suum defectum, ex hoc quòd vsque ad idolatriam, & turpissima vitia circa tempora Abraham est prolapsus; & ideo post hæc tempora fuit necessarium dari legem in remedium humanæ ignorantiæ; quia per legem cognitio peccati: sed postquam homo conuictus est per legem de ignorantia, conuictus est etiam de superbia, propter eius infirmitatem, dum implere non poterat quod cognoscebat. Sed ex parte bonorum lex data est in auxilium, quod quidem tunc populo fuit maximè necessarium, quando propter exuberantiam peccatorum lex naturalis obtenebrari incipiebat: oportebat enim huiusmodi auxilium quodam ordine dari, vt per imperfecta ad perfectionẽ manu duceremur. Vnde inter legem naturæ, & legem gratiæ oportuit legem veterem dari.

¶ Stabilita iam & probata conclusione Diui Thomę, quatuor sunt in præsentia elucidãda: In primis, quando incepit vetus testamẽtum: proximo loco, quando lex Moysi exordium habuit: deinde, quando circuncisio, & vtrùm circuncisio ad legem pertineat: ad vltimum, vtrùm per legem tantùm cognitio peccati, & propriæ infirmitatis. ¶ Testamentum vetus exordium habuit in Abraham; quod apertè testatur D. Paulus cum inquit; Fratres (secundum hominem dico) tamen hominis confirmatum testamentum nemo spernit, aut superordinat. Abrahæ dictæ sunt promissiones & semini eius: nõ dicit, In seminibus, quasi in multis, sed quasi in vno: & semini tuo, qui est Christus. Hoc autem dico, testamentum confirmatum à Deo: quæ post quadringentos & triginta annos facta est lex, non irritum facit ad euacuandam promissionem. Nam si ex lege hæreditas, iam non ex promissione: hoc est, exemplum vobis apud omnes homines tritum adducam. Nemo reijcit testamentum hominis, quod sit comprobatum: Dei verò testamentum audebit quis reijcere? At testamẽtum hoc Dei cum Abraham fuit, vt in semine eius, qui est Christus, benedicerentur omnes gentes: at hoc cõtigit annis ante legem datam plus quàm quadringentis. Quòd si lex, vt vos velle videmini, benedictionem hanc largitur, fœdus illud Dei cum Abraham reijcitur, atq; irritum fit. Testamenti itaque veteris initium fuit Abrahæ vocatio. Huius autem vocationis series hæc est. Dixit autem Dominus ad Abraham: Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram quam monstrauero tibi. Faciamque te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, erisque benedictus. Benedicam benedicentibus tibi, maledicam maledicentibus tibi. & iterum, Per memetipsum iuraui, In semine tuo benedicentur omnes gẽtes. Sed de nomine testamenti, quod commemorat Paulus, magnas mouẽt quæstiones sancti Patres. D. Hieronymus sic scribit; Si quis diligenter hebraica volumina, & cæteras editiones cum Septuaginta contulerit, inueniet, vbi testamentum scriptum est, non testamentum sonare, sed pactum, quod Hebræo sermone dicitur berith: sed nomen testamenti, quod Hebræo sermone vocant berith, & Græco diatichi, quam vocem noster interpres vertit in testamentum, variæ significationis est: nam significat pactum, conuentum, pollicitationẽ, fœdus; quod declarat Budæus, adductis idoneis testimonijs ex Demosthene, & Aristophane;

Quando inceperit testamentum vetus. Galat. 5.

Gen. 12.

Hieron. in comm. ẽta. super epist. ad Galatas.

Budæus.

phane: Sed & Septuaginta interpretes, pro pacto iſta voce vſos fuiſſe, manifeſtum euadit ex
Pſal. 82. locis ſcripturæ, in quibus illa vſi ſunt. Pſal. 82. Simul aduerſum te teſtamentũ diſpoſuerunt: conſtat autem eos ſignificare voluiſſe pactũ. Senſus enim eſt; inierunt omnes vicinæ regio
Gene. 26. nes contra te fœdus. Rurſus ca. 26. Geneſ. Videntes vidimus quòd Dominus eſt tecum, & diſponemus tecum teſtamẽtum: ſic enim vertit interpres, quo vſus eſt Auguſtinus, & hîc Septuaginta habent vocem græcam, quæ teſtamentum ſignificat. Nec tamen hoc in loco ſignificat teſtamentum morituri, ſed pactum,
Aug. 1. lib. loquutionum de Geneſi. quod Auguſt. aduertit, ſcribit enim ſic, citans hunc locum; Amant ſcripturæ, pro pacto, ponere teſtamentum. Sed & Lucas, linguæ Græcę peritiſſimus, in hac ſignificatione vtitur hac
Actor. 3. voce Actorum. 3. Vos eſtis filij Prophetarum, & teſtamenti: ſimiliter. c. 1. ſui Euangelij, Memorare teſtamenti ſui ſancti: quo in loco non ſignificat teſtamentum morituri, ſed pactum quod Deus pactus eſt cum maioribus de Saluatore ex ipſorum ſemine naſcituro. Dicendũ eſt ergo, quòd cum ſcriptura commemorat vetus teſtamentum, vt commemorat Paulus ad Galatas. 3. non diſtinguit inter teſtamẽtum morituri, & inter pactum; ſed vſurpat pro pacto, & fœdere inter Abraham, & Deum: vocatuŕque teſtamentum (quantum ego conijcio) quòd in eo fœdere, quid ex vtraq; parte ſit faciendum, teſtatum relinquat. ¶ Sed veniamus
Lex Moyſi quando inceperit. iam ad ſecundam quæſtionem, & conſideremus, quando lex Moyſi exordium ſumpſerit.
Galat. 3. Hoc explicat D. Paulus cum inquit, quòd lex data fuit quadringentis & triginta annis poſt teſtamentum cum Abrahamo conſtitutum: de quorum numero annorum acutè diſſerit
Aug. lib. 16 de ciui. ca. 24. Auguſtinus. Sed breuiùs & diſtinctiùs nos rem expediemus ex Ioanne Lucido; Ab ortu,
Ioãnes Lucidus li. 2. ca. 7. inquit, Abrahæ vſque ad legem datam Moyſi fluxerunt anni. 505. quod ſic patet. Abraham cùm genuit Iſaac, erat annorũ. 100. ex Geneſi
Geneſ. 21. ca. 21. Iſaac cum genuit Eſau & Iacob, annorum. 60. Geneſ. 25. Iacob cũ genuit Ioſeph. 91.
Geneſ. 25. ex Euſebio & ex Geneſi. 37. &. 41. Ioſeph autẽ
Geneſ. 37. vixit annos. 110. ex Geneſi. 50. & ſecuta eſt in
Geneſ. 50. de ſeruitus in Ægypto annis. 64. Deinde natus eſt Moyſes, qui ſtetit coram Pharaone, & eduxit populum de Ægypto, & accepit legẽ cũ eſſet 80. annorũ, vt patet Exod. 7. Ex his cõ ſurgũt anni ſimul. 505. qui cõputãtur ab Abraham vſque ad legem datam Moyſi: à quibus ſi ſubtrahas ætatis Abrahæ annos. 75. quando ipſe accepit repromiſsionem à Deo; nam dicitur Geneſ. 12. Septuaginta quinque annorum erat Abraham cum egrederetur de Haram; vtique conſequens erit, vt anno. 430. poſt repromiſsioné data ſit lex Moſaica. Sed de hac quæſtione ſatis dictum eſt.

¶ Ad tertiam ergo quæſtionem tranſeamus, quę facillimam habet explicationem. Nam ex ploratum eſt ex ſcriptura Geneſis, quòd circuncisio ſecundum rei veritatem nõ pertinet ad legem; & quòd multo ante tempore data fuerit, & inſtituta quàm lex: Paulus tamen in epiſtola ad Romanos, & in epiſtola ad Galat. pro eodem habet, circunciſionem, & legem; & ſic de ea agit, ac ſi eſſet pars legis: erat enim veluti præambulum, & introductio ad legem. Quapropter demonſtrato & probato quòd ex lege non erat iuſtitia, ſatis probatum eſt, quòd ex circunciſione iuſtitia non erat, & viceuerſa. Num circũcisio ad legem pertineat.

¶ Sed iam diſcutiamus quæſtionem, quæ vltimo loco poſita eſt. Lutherus quidem, cum dicat Paulus, Per legem cognitio peccati; malitioſa additione textum corrumpit, dicens; per legem non niſi cognitio peccati: cum tamen ex lege diuina multæ aliæ vtilitates generi humano prouenerint, quas commemorat Paulus dicens; Quid igitur lex? id eſt, quid officij & vtilitatis habet lex? Reſpondet Apoſtolus; Propter tranſgreſsionem poſita eſt; id eſt, ad trãſgreſsiones coercendas. Sic Chryſoſtomus, & Hieronymus. Faciebat autem id lex partim præſcriptione ritus multiplicis colẽdi Deum, partim terrore, & minis. Eſt alia expoſitio, quam tradit Auguſtinus, nempe, legem datam eſſe ad tranſgreſsiones aperiendas, ſeu detegendas. Hoc legis officium explicat aliquoties Apoſtolus dicens; Per legem cognitio peccati: &, Peccatum nõ cognoui niſi per legem. Data eſt igitur lex, vt populus ſuperbus cognoſceret tranſgreſsiones ſuas, & cogeretur de ſe ſentire humiliter, & agnoſceret gratia ſibi opẽ eſſe. Sed & aliam vtilitatem cõmemorat Paulus ipſius legis; Sub lege, inquit, cuſtodiebamur in eam fidem quæ reuelanda erat: itaque lex pædagogus fuit in Chriſto; ita vt antequã Chriſtus prædicaretur natus, mortuus, ſub lege cuſtodiebamur; illa enim, timore, veluti muro quodam continebat nos ne offenderemus; illa pœnis à ſe ſtatutis aduerſus trãſgreſſores, veluti carceribus, cancellis, vel ſeptis quibuſdam arcebat nos, ne præcipites iremus in omne malum: arcebat, inquam, nos, & cõtinebat ad eam fidem recipiendam, quæ reuelanda erat, ſcilicet per Chriſtum, & Apoſtolos. Itaque lex pædagogus noſter fuit in Chriſto. Alij vertunt ad Chriſtum; ſenſus eſt. Itaque legem rectè ſimilem fecerimus pædagogo: nam ſicut pædagogus aſsignatur paruulis, vt ætatem laſciuiẽtem, & ad vitia pronam refrænet, & metu ſaltẽ pœnæ à malis coerceat, firmetq; ac præ-
Vtrùm per legẽ cognitio peccati. Lutherus.
Vtilitas legis multiplex. Galat. 3.
Chryſoſt. Hieron.
Auguſt.
Roma. 3. Roma. 7.

ac præparet disciplinis maioris ætatis ad officia exequenda: ita lex nos paruulos, & ad omne vitium proclives coactione sua cohibuit à vitijs, & onere multiplicium mãdatorum; formauit, ac præparauit ad credendum in Chri-
Ambros. stũ, vt ex fide iustificemur: vel (vt Ambrosius legit) iustificaremur ex fide, id est, per fidem, & gratiam in Christo promissam. Sed & aliã vtilitatem admirabilem præbuit lex, quòd demonstrabat nobis Christum, per quem saluamur, & iustificamur. Alias vtilitates innumeras, & pergratas habemus ex lege, quas com-
Psal. 118. memorat Dauid Psal. 118. Mentitur ergo Lutherus dicens, quòd per legem non est nisi cognitio peccati.

QVAESTIO. XCIX.

De præceptis veteris legis; in sex articulos diuisa.

ARTIC. PRIMVS.

¶Vtrùm in lege veteri contineatur solum vnum præceptum?

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. CONclusio est. Omnia præcepta veteris legis sunt vnum, secundum ordinem ad vnum finẽ: sunt tamen multa, secũdũ diuersitatem eorum quæ ordinantur ad illum finem. Contingit enim ad vnum finem multa esse necessaria, vel expedientia; & secundum hoc possunt de diuersis rebus dari diuersa præcepta, etiam quæ ordinentur ad vnum finem.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Vnitas legis. IN huius articuli expositionem obseruandum est, quòd sicut in scientijs, vnitas scientiæ sumitur ex vnitate obiecti ad quod referuntur omnia quæ in scientia considerantur; sic vnitas legis sumitur ex ordine ad vnum finem, ad quem omnia, quæ in lege sunt, destinãtur præcepta. Hoc ita statuto, dicendum est, quòd in lege veteri erant diuersa præcepta, secundum diuersas materias in quibus versabantur; sed erat vna lex, & vnum præceptum ex vnitate finis. Quare in sancta scriptura, lex antiqua, vocatur vnum præceptum in illo; Finis præcepti charitas: omnis enim lex ordinabat ad dilectionem Dei, & proximi. ¶Sed dices, quot nã fuerunt præcepta in lege veteri? Certè multa. Burgensis dicit, quòd fuêre tot præcepta, quot dies in anno. Guilelmus Parisiensis dicit, fuisse multò plura, scilicet. 613. Idem docet Galatinus; vt meritò dixerit Petrus; Quid tentatis imponere iugum super caput discipulorum, quod nec nos, nec patres nostri portare potuimus?

1. Timot. 1. Burge. li. 1. scrutinij. d. 8. ca 9 Guil. l Parisien. li de fide & legibus. Galatinus li. 11 de arcanis catholicæ fidei. c. 4. Actor. 15.

ARTIC. SECVNDVS.

¶Vtrùm lex vetus contineat præcepta moralia.

¶Conclusio est affirmans.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CONclusio huius articuli probatur in primis ex illo; Addidit illis disciplinam, & legem vitæ hęreditauit eos. Disciplina autem pertinet ad mo-
Eccle 17. res; dicit enim Glossa ad Hebræos. 12. super
Hebræ. 12. illud; Omnis disciplina, &c. Disciplina est eruditio morum: per difficilia ergo, lex à Deo data, præcepta moralia continebat. Hoc ipsum probat D. Thomas optima ratione. Nam sicut principalis intentio legis humanæ est facere amicitiam hominum adinuicem; ita intentio legis diuinæ est constituere amicitiam hominis ad Deum: sed impossibile est hominem esse amicum Deo, qui est optimus, nisi homines boni efficiantur: bonitas autem hominis est virtus quæ facit bonum habentem: vnde de ipsa necesse erat dari præcepta; nam obscurata erat ratio propter consuetudinem peccãdi.

Caieta. ¶Cæterùm in hoc articulo dubium est à Domino Caietano de differentia inter legem diuinam, & humanam; in hoc, quòd diuina intẽdit principaliter amicitiam ad Deum; humana intendit principaliter amicitiam hominum inter se. Ex qua differentia, si vera est, videtur euidenter sequi, legem humanam ex fine suo peruersam esse, & iniquam. Nam lex humana de actu religionis quo Deus colitur, disponit, ac præcipit, sicut de cæteris virtutum actibus; & cùm omnia disponat in ordine ad principalem finem; quoniam omnia alia sunt propter illum; sequitur, quòd cultum Dei, in quo consistit amicitia hominis ad Deum, ordinet ad amicitiam hominum inter sese, quæ est magna peruersitas. Ad huius rei expositionem
Solutio dubij. sciendum est, quòd quemadmodũ ars aliqua, putà, domificatiua, habet pro præcipuo fine opus suum, videlicet domum, neque aliud ad ipsam pertinet, cum quo tamẽ rectè cõuenit,

Quæ sit differẽtia inter legem diuinam, & humanam. Argum.

quòd

quòd artifex ipse, vt mouetur à iustitia legali, ordinet opus artis ad bonum commune: huiusmodi namque ordinatio non pertinet ad artem secundum se, sed vt subditur iustitiæ legali, cuius officium est, bonum commune cõspicere: non dissimiliter lex humana pro præcipuo fine & scopo habet amicitiam & pacem hominum inter seſe, nec ad ipsam spectat ordinare hoc in amicitiam & pacem hominis ad Deum, sed hoc spectat ad legem diuinam, quæ est superior. Propter quod lex humana non secundum se, sed vt subsstat diuinæ legi, dirigit amicitiam hominum in amicitiã Dei.

Amicitia hominis ad Deũ dupliciter sumi potest.

Amicitia autem hominis ad Deum dupliciter sumi potest: tum ea, quæ est per gratiam, & charitatem: tum ea, quæ potest esse inter hominem, & Deũ in puris naturalibus. Et vtraq; potest sumi dupliciter, scilicet ex parte Dei amati, & ex parte hominis amantis. Si ex parte Dei sumitur, non potest recte ordinari in bonum humanum: esset enim peruersitas magna vti fruendis. Si autem sumatur ex parte hominis, potest recte ordinari ad bonũ commune humanum: tum, quia homo, secundum id quod est & sua est pars ciuitatis: tum verò, quia vtile honesto tali coniunctum ad augmentum & conseruationem boni communis spectat. ¶ Ad obiectionem igitur in oppositum dicendum est, quòd si lex humana disponeret de cultu diuino ex parte Dei, ordinando, & destinando illum ad pacem hominum, videlicet, vt propterea præcipuè colatur Deus, peruersa esset; sed hoc non facit lex humana: quamuis forsan multi legislatores impij hoc prætenderint, & adinuenerint multas fabulas propter hoc, vt insinuatur secundo metaphysicæ. Sed lex humana multis existentibus rationibus cultus Dei, de illis quæ spectant ad ipsam, disponit ad suum finem, scilicet ad bonum commune reipublicæ, abstrahens ab illis quæ ad se non pertinent: abstrahentium verò non est mendacium, neque peruersitas. Vnde quia gratia perficit, non destruit naturam, lex humana sic habet pro fine præcipuo bonum commune hominum inter seſe, vt non repugnet illi subordinatio ad vltetiorem finem ex altiori principio, prout est ex posito exemplo de arte adducto.

Ad argum.

ARTIC. TERTIVS.

¶ Vtrùm lex vetus contineat præcepta ceremonialia, præter moralia.

¶ Conclusio est affirmans.

EXPLICATIO ARTICVLI.

ASsertio præsentis articuli sic probatur. Quoniam lex diuina ordinauit homines ad Deum, quæ ordinatio non solùm est per actus interiores mẽtis, vt est credere, sperare, amare; sed etiam per quædam exteriora opera quibus homo diuinam seruitutem profitetur: isthæc verò opera ad cultum Dei dicũtur pertinere, qui cultus, ceremonia vocatur, quasi munia, id est dona Cereris; eò quòd primum Deo ex frugibus oblationes offerebantur; seu à Cerere oppido prope Romam; eò quòd vrbe capta à Gallis illuc sacra Romanorum oblata sunt, & reuerenter habita. Et quamuis colere Deum sit actus virtutis, & sic ad morale præceptum pertineat, determinatio tamen huius præcepti, vt colatur talibus hostijs, vel talibus muneribus, pertinet ad præcepta ceremonialia. ¶ Sed pro huius rei maiori explicatione notandum est, quòd præcepta ceremonialia præscribunt, quemadmodum Deus sit colendus; determinantque opera quædã exteriora, quibus homo profitetur seruitutem diuinam, & honorem soli Deo debitum, quæ latria à diuinis Theologis nuncupatur. Nihilominus Caluinus nõ tantum irridet ceremonias exteriores, quibus colitur Deus, verùm etiam omnes Theologos, nec Græcè nec Latinè doctos, inius vocat, quòd ex ignorantia linguæ Græcæ distinguant inter latriam, & duliam; vt latria significet cultum qui propriè debetur Deo; Dulia verò cultum & obseruantiam quæ creaturæ exhibetur. Sed quàm rectè Theologi nostri, & doctè hoc discrimen statuerint, vel ex his facilè patet. In primis Patres in Concilio Niceno 2. sic scribunt; Cultus ille latriæ in spiritu & veritate beatę Trinitati tribuitur ab orthodoxis: sanctis autem imaginibus non latriæ omnino, sed adoratio, exosculatio, & honor. Nam tametsi honor imaginis in prototypum, & primigenium transijt, tamen latria solius est beatę Trinitatis, non etiam veneranda rum imaginum, nec creaturarum cultores, & materiarum esse videamur. Damascenus verò & ipse Græcus in eandem sententiam scribit, cuius verba Latinè ita redduntur. Solum rerum omnium procreatorem, & opificẽ adoramus, & latriæ cultu veneramur. Vides ergo latriam dici cultum, siue honorem soli Deo debitum: quæ vox licèt significet seruitutem, quemadmodum & dulia, hoc tamen discrimine; vt vsus ex cõsensu Theologorum antiquorum obtinuit; quòd illa ad eam, quę soli Deo, hæc ad eam, quæ creaturæ debetur, seruitutẽ referatur. Cuius rei locupletissimus est Diuus Augustinus testis, qui hanc differentiã his verbis explicat; Latria, quod verbum Græcum est, & interpretatur seruitus, non quæcunque, sed illa qua tãtummodo Deo seruitur; hic est, inquit, diuinitati, vel si expressiùs dicendum est,

Cæremonia vnde dicta.

Caluinus.

Latria & dulia.

Cõci. Nicen.

Dama li. 3. Apologet.

Aug. lib. 15 contra Faustum c. 9. & lib. 10. de ciui. c. 1.

est, deitati debitus cultus: propter quem vno verbo significandum, quoniam satis idoneum non occurrit Latinum, Græco, vbi necesse est, insinuo quid velim dicere. Latriam quippe nostri, vbicunque sanctarum scripturarum positum est, interpretati sunt seruitutem: sed ea seruitus, quæ debetur hominibus, secundum quam præcipit Apostolus seruos dominis suis subditos esse debere, alio nomine græcè nuncupari solet; id verò dulia est. Sed Beda diligẽtiùs idem persequitur his verbis. Sed quæret fortè aliquis quomodo conueniat quòd præcipitur Domino soli seruiẽdum; Apostoli verbo, qui dicit: Sed per charitatem seruite inuicem? Sed huic facilè Græcæ linguæ, ex qua scriptura translata est, origo satisfacit; in qua seruitus duobus modis, ac diuersa significatione solet appellari. Dicitur enim latria; dicitur etiã & dulia: sed dulia intelligitur seruitus communis, hoc est, siue Deo, siue cuilibet rerum naturæ exhibita: à qua etiam seruus, id est, dulos Græcè nomen accepit. Latria autem vocatur seruitus illa, quæ soli diuinitatis cultui est debita, nec vlli est participanda creaturæ: vnde & idololatræ nuncupantur hi, qui vota, precesq;, & sacrificia, quæ vni Deo debentur, impẽdũt idolis. Iubemur ergo per charitatẽ seruire inuicem, quod ad duliæ seruitutem pertinet. Iubemur vni Deo seruire seruitute latriæ, vnde dicitur, Et illi soli seruies: quo in loco græcè ponitur verbũ latreusis, & iterũ; Nos emẽ sumus circuncisio spiritui Dei seruiẽtes, quod est in Græco, latreuondes. Ex his patet, quã indigna sit reprehensio Caluini aduersus Doctores Theologos.

Beda in. ca. 4. Lucæ.

Soli Domino seruiendũ quomodo intelligatur.

Idololatra quis.

ARTIC. QVARTVS.

¶Vtrùm præter præcepta moralia & ceremonialia sint etiam præcepta iudicialia?

¶Conclusio est affirmans.

EXPLICATIO ARTICVLI.

ARticuli huius conclusio inde patet: quoniam Deut. 6. sic habetur: Hæc sunt præcepta, scilicet statuta moralia, ceremoniæ, atque iudicia. Sanè ad legẽ diuinã pertinet, vt ordinet, & instruat homines quemadmodũ se debeant habere in ordine ad Deum, & inter seſe. Vtrũque autem horum in communi, pertinet ad dictamẽ legis naturæ, ad quod referũtur moralia præcepta, sed oportet quòd determinetur vtrũque per legem diuinã. Sicut igitur determinatio cõmunis præcepti, de cultu diuino, fit per præcepta ceremonialia; sic determinatio cõmunis præcepti, de iustitia seruanda inter homines, determinatur per præcepta iudicialia. Sic ergo actus iustitiæ in generali pertinet ad præcepta moralia: sed determinatio eius in speciali pertinet ad præcepta iudicialia. Vnde tria præcepta veteris legis ponere oportet; videlicet moralia, quæ sunt de dictamine legis naturæ; ceremonialia, quæ sunt determinationes cultus diuini; & iudicialia, quæ sunt determinationes iustitiæ inter homines seruandæ. ¶Sed pro ampliori huius doctrinæ expositione obseruandum est, quòd omnia præcepta legis Mosaicę in tria genera distribuuntur; in moralia, ceremonialia, & iudicialia; sic enim habetur Deut. 6. Hæc sunt præcepta, ceremoniæ, atque iudicia, quæ Dominus Deus mandauit vobis. Ratio huius diuisionis hæc est. Nam quidquid præcipitur in lege, aut est bonum secundum se; aut est vtile, quia lege positiua mandatum est. Si est bonum secundum se, pertinet ad præcepta, & leges morales, quæ legem naturalem in se continent. Si verò vtile est, quia lege positiua præceptum est: vel ordinat, & componit hominem immediatè, & in ordine ad Deum, & ad eius cultũ, & sic pertinet ad præcepta ceremonialia; vel cõponit hominẽ in ordine ad proximũ, & sic pertinet ad præcepta iudicialia.

Deute. 6.

Præcepta Mosaica ad tria genera reducũtur.

Deuter. 6.

ARTIC. QVINTVS.

¶Vtrùm aliqua alia præcepta cõtinentur in lege veteri, præter moralia, ceremonialia, & iudicialia.

SVMMA TEXTVS.

CONclusio sic habet. Omnia legis præcepta continẽtur sub moralibus, ceremonialibus, & iudicialibus: alia vero non habent rationem præceptorũ, sed ordinãtur ad præceptorum obseruationem.

Conclusio.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CONtra hanc conclusionem potest quis obijcere. Nam præcepta de fide, spe, & charitate, in lege antiqua non pertinẽt, nec reduci possunt ad aliquod istorum trium generum. quod sic probatur. Nam hæc præcepta maximè reducuntur ad præcepta moralia; adhæc verò non reducuntur: præcepta enim moralia sunt de lege naturali, hæc verò supernaturalia sunt. Respondetur, quòd præceptum fidei ad præcepta ceremonialia reduci debet: præscribebat namque

Obiectio.

Solutio.

Refutatur ſolutio.

namque ceremonias, & cultum externũ. Sed ſolutio hæc friuola eſt: nam eadẽ ratione præceptum de ſanctificatione ſabbathi, & omnis actus latriæ pertineret ad præcepta ceremonialia, quod falſum eſt: ſunt enim de lege naturæ præcepta. Caietanus infrà. q. 100. artic. 1. dicit, quòd præceptum fidei, vel ſpei, erat præceptũ morale ſupernaturale: credere enim, vel ſperare in Deum, ſecundum ſe bonũ eſt: & illa præcepta moralia dicuntur, quæ præcipiũt de his quæ ſecũdum ſe bona ſunt, licèt nulla lege poſitiua mandarentur, vel ſola ratione naturali docẽte, vel adiuta lumine fidei. Tertia ſolutio multò verior eſt, quòd præcepta fidei non pertinent præcipuè ad legem Moſaicam, ſed ad legem Euangelicam: quare Paulus ſæpè diſtinguit fidem à lege Moſaica, vt multis argumentis ſuprà eſt oſtenſum.

Caiet. alterа ſolutio.

Verior ſolutio.

ARTIC. SEXTVS.

¶ Vtrùm lex vetus debuerit inducere ad obſeruationẽ præceptorũ per tẽporales promiſſiones, & cõminationes.

¶ Concluſio eſt affirmans.

EXPLICATIO ARTICVLI.

ISta concluſio inde probatur: quoniam lex vetus diſponebat ad Chriſtum, ſicut imperfectum ad perfectum: vnde dabatur populo adhuc imperfecto, ad comparationem perfectionis quæ erat futura per Chriſtum: vnde comparatur puero ſub pædagogo exiſtenti: pueri autẽ mouentur ad aliquid faciendum ex puerilibus munuſculis, aut etiam minis. Sed perfectio hominis eſt, vt contemptis temporalibus, ſpiritualibus inhæreat, vt dicit Apoſtolus. Imperfectorum verò eſt, quod tẽporalia deſiderent, in ordine tamen ad Deum: ſed peruerſorum eſt in temporalibus bonis conſtituere finem. Quare legi veteri conueniebat manu ducere homines ad Deum per temporalia bona, quæ erant in affectu hominum imperfectorum.

Galat. 3.

Philip. 3.

¶ Sed pro huius concluſionis maiori elucidatione oportet animaduertere, quòd conuenienter ſatis lex Moſaica mouebat homines ad ſui obſeruationem, per comminationes, & promiſſiones rerum temporaliũ: dicitur enim Eſaiæ. 1. Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis; & Deuteron. 4. Cuſtodi mãdata mea, vt bene ſit tibi, & filijs tuis poſte, & permaneas multo tempore ſuper terram, quam Dominus daturus eſt tibi: & Leuiti. 26. Si ambulaueris in lege mea, dabo tibi pluuias in tempore ſuo, & terra dabit tibi fructus ſuos: & Deuteron. 28. ponuntur maledictiones temporales aduerſus præuaricatores mandatorum Dei. Et ratio huius eſt: nam cultores huius legis erant paruuli, & in virtute imperfecti; quare Paulus comparat illam legem pædagogo; fuit ergo congruum illa præmia inſtituere, quæ tali ætati conuenirẽt. Præterea, alia de cauſa inſtituta ſunt præmia temporalia, vt ex viſibilium rerum experiẽtia edocerentur, Deum eſſe fidelem in ſuis promiſsis, & ex hoc confirmarentur in fide, & indubiè, & ſine hæſitatione ſperarent bona ſpiritualia, quæ iuſtis erant promiſſa. ¶ Ex hoc verò non inferat aliquis, non fuiſſe in teſtamento veteri promiſsionem vitæ æternæ, & bonorum ſpiritualium: eſt enim maximus error, & qui maximè aduerſatur noſtræ fidei. Demõſtratur hoc eſſe verum. Primũ, in lege veteri erat expreſſa mentio de immortalitate animarũ, vt in illo; Deſcendam in infernum lugens filiũ meum, &c. & illud, Deus Abraham, Iacob, & Iſaac, nõ eſt Deus mortuorum, ſed viuorum, vt ait Dominus in Euãgelio: iterum ex illo in lege veteri ſæpe repetito; Appoſitus eſt ad patres ſuos: & 1. Regũ. 28. narratur vera apparitio Samuelis; in quo ſignificatur animã viuere poſt hanc lucem. Deinde, in teſtamento veteri erat expreſſa mentio de reſurrectione mortuorum: Iob. 19. Scio quòd in nouiſsimo die de terra ſurrecturus ſum. & Ezec. c. 37. deſcribitur optimè mortuorum reſurrectio. Tertiò, in veteri teſtamento promittitur Chriſtus, in quo erãt benedicẽdę omnes gẽtes benedictionibus ſpiritualibus in cœleſtibus; ita ait Pau. ad Galat. 3. & ad Epheſios. 1. Quartò, Patriarchæ, & Prophetæ, & viri iuſti in veteri teſtamẽto expectabant vitã æternã à Deo illis promiſſam; quod apertè teſtatur Paulus cũ de patribus antiquis inquit, Expectabant fundamenta habentẽ ciuitatem, cuius artifex & conditor Deus eſt: & paulò pòſt, A longè illas ſalutantes, dicebãt ſe aduenas eſſe ſuper terram. Et ſiquidẽ eius meminiſſent de qua exierant, habebant vtique tẽpus reuertendi, nunc autem meliorẽ appetũt, id eſt, cœleſtem. Idem confirmat multis exemplis de Abrahã, Moyſe, Noe, &c. Quod verũ eſſe rurſus cõfirmatur, & clarè oſtenditur. Nã ſancti Prophetæ, ab ipſa lege edocti, optimè cognoſcebant, & ita alios docebant, præmia iuſtis in hac vita non eſſe propoſita. Quapropter Pſal. 72. & Hierem. 12. & Iob. 2. Habacuc. 1. proponitur illa memorabilis quæſtio, quare via impiorum proſperatur; bene eſt omnibus qui operantur iniquitatem; quam quæſtionem ſic diſſoluunt ſancti Prophetæ, vt dicant, præmia æterna propoſita eſſe iuſtis in alia vita. Item, fideles in veteri lege tenebantur credere in Chriſtum, & ſperare promiſſa æterna:

Eſai. 1.

Deut. 4.

Leuit. 26.

Deut. 28.

Galat. 3.

In teſtamẽto veteri etiam vita æterna erat promiſſa.

Geneſ. 37.

Matt. 22.

1. Reg. 28.

Iob. 19.

Ezec. 37.

Galat. 3.

Hebræ. 11.

Pſal. 72.

Hiere. 12.

Iob. 2.

Habacuc. 1.

Hebræ.11. æterna: quod apertè testatur Paulus Hebræ. 11. cum ait; Sine fide impossibile est placere Deo &c. Oportet enim, inquit, accedētē ad Deum credere quia est, & quòd inquirentibus se remunerator sit: loquitur de remuneratione æterna, & spirituali, vt patebit intuenti. Sed probatur idem euidentioribus testimonijs.

Esa.64. Dani.12. Esaiæ.64. Oculus non vidit, &c. quæ præparasti diligentibus te. Dani. 12. Multi ex his qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt; alij in vitam æternam, alij in opprobrium sempiternum: & Sapientiæ.2. Hæc dixerunt impij, &c.

Sapi.2. Nec sperauerunt mercedem iustitiæ, neque iudicarunt honorem animarum sanctarum: Deus enim inexterminabilem fecit hominē, scilicet quantum ad rationalem animam: in quo testimonio apertè asseritur, & immortalitas animarum, & præmium æternum vitæ futuræ. Sed notandum, quòd aliud est dicere, vitam æternam, & bona spiritualia esse promissa obseruatoribus legis Mosaicæ propter eius obseruationem; & aliud est dicere, viuentibus in lege Mosaica ex spiritu fidei, & amore in Christum esse promissam vitam æternā. Primum enim est hæreticorum dogma, quod improbat B. Paulus in suis epistolis, & signanter Roman. 3. Arbitramur, ait, hominem iusti

Roma.3. ficari per fidem, & non ex operibus legis: &. c.

Roma.4. 4. Non enim per legem promissio Abrahæ, & semini eius, sed per iustitiam fidei: & clariùs

Galat.3. ad Galat. 3. Si ex lege iustitia; ergo gratis Christus mortuus est. Secundum dogma est fidei, vt suprà dictum est. De hac veritate lege

Aug. lib.4. contra Faustum.c.2. & lib. contra Adaman.c. 18. & 20. Diuum Augustinum, dicit enim; Ne quis existimet in solis noui testamēti libris bona temporalia esse contempta, audiat Prophetam abijcientem talem felicitatem, & ad vnum Dominum Deum esse confugiendum, cantantem; sic enim dicit; De gladio maligno

Psal.143. erue me, & exime me de manu filiorum alienorum, quorum os locutum est vanitatem, & dextera eorum dextera iniquitatis; quorum filij sicut nouellæ plantationes in iuuentute sua; filiæ eorum compositæ & ornatæ veluti similitudo templi. Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud. Oues eorum fœtosæ, abundantes in gressibus suis: boues eorum crassæ. Non est ruina maceriæ, neque clamor in plateis eorum. Beatum dixerunt populum cui hæc sunt: beatus populus cuius Dominus Deus eius. Attendant ergo quomodo irrideatur ista felicitas in hominibus impijs, & tota beatitudo in Deo solo inconcussa figatur. Illi enim dicunt beatum populum cui hæc sunt; sed potiùs, inquit propheta, Beatus ille populus, cuius Dominus Deus ipsius.

QVAESTIO. C.

De præceptis moralibus veteris legis; in duodecim articulos diuisa.

ARTIC. PRIMVS.

¶ *Vtrùm præcepta moralia ad legem naturæ pertineant?*

¶ Conclusio est affirmans.

EXPLICATIO ARTICVLI.

ARticuli huius conclusio sic probatur: quoniā præcepta moralia sunt, quæ secundum se ad bonos mores pertinent: mores autem humani dicuntur in ordine ad rationem, quæ est principium, & regula humanorum actuum; & boni sunt secundum se: quia secundū se rationi conueniunt, & congruunt. Procedit enim iudiciū rationis practicæ ex quibusdā principijs naturaliter cognitis, ex quibus diuersimodè prōcedi potest ad iudicandum diuersa. Nam quędā sunt in actibus humanis adeò explicita, quòd statim cū modica consideratione possunt approbari, vel reprobari; vt non facere homicidiū, furtū, & similia: In quibusdā verò requiritur nimia cōsideratio diuersarū circunstantiarum; vt corā cano capite est surgendū; & hęc à sapientibus iudicantur, & ab ipsis minores instruuntur. Sed alia sunt ad quę iudicanda indiget homo adiuuari per instructionem diuinā, vt est circa credēda; vt nō facias tibi sculptile.

¶ Verùm in hoc articulo duo obseruāda sunt: alterum est, quòd præcepta moralia ea sunt, quæ secundum se pertinent ad bonos mores. Vnde tametsi nūquam essent lege aliqua statuta, seruanda sunt ex naturali ratione: & ideo dicuntur pertinere ad legem naturæ. Sed & illud obseruet Theologus, quòd ex definitione articuli euadit manifestū, quomodo cùm lex Mosaica mortua sit, imo mortifera omnibus obseruatoribus suis, vt optimè docet Paulus, præcipuè in epistola ad Galatas; quomodo, inquam, adhuc laboramus in præceptis de calogi? Nam decalogus pars est legis veteris. Certè decalogus in lege veteri continetur: sed nihil continet præter præcepta moralia: Porrò præcepta moralia, quæ mores componunt secundum virtutem, ad ius pertinent naturæ: ius autem naturæ idem est apud omnes homines; quia natura eadem est apud omnes: Christus autem venit vt gratijs euangelicis ditaret naturam, non vt immutaret, sicut nec immutauit: nam eadem natura est hominum qui nunc

Quæ sint moralia præcepta.

viuunt, & qui fuerunt tam sub lege, quàm ante legem. Naturam ergo reliquit Deus integram, & tantùm ritum gentis extinxit, cõmutans veritate quidquid in figuram, vel typum futuri mediatoris institutum erat. Et quoniã tota lex vetus significatiua erat Christi, nusquam non admiscens ritum aliquem populo illi peculiarem; ideo totam legem interisse per Christum certum est quantum ad obligationem: nam etiam nunc suis typis, & figuris instituit, vti palàm constat ex scripturis Apostolicis. Verùm nihil in lege est quod obliget hominem, inquantum est veteris legis; nec decalogus quidem; sed si quid nunc est quod obliget eorum quæ in libris Mosaicæ legis inueniuntur, obligat id aut ratione iuris naturalis, ex cuius principijs profluit; aut quia in nouo testamento per Christum, aut Apostolos eius renouatum est, veluti pertinens ad populum nouæ legis; sicuti dicendum est de præceptis charitatis, & mandatis decalogi.

Tota lex figura Christi.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ Vtrùm præcepta moralia Veteris legis sint de omnibus actibus Virtutũ?

¶ Conclusio est affirmans.

EXPLICATIO ARTICVLI.

PRæsens conclusio tali ratione probatur. Etenim cùm præcepta legis ordinentur ad bonum commune, sicut suprà habitum est, necessum est quòd præcepta legis diuersificentur secundum diuersos modos communitatum. Est autem alius modus communitatis ad quam ordinatur lex humana, & ad quam ordinatur lex diuina. Lex enim humana ordinatur ad cõmunitatem ciuilem, quæ est hominum ad inuicem: homines autem ordinantur adinuicẽ per actus exteriores, quibus homines sibi inuicem communicant: huiusmodi autem communicatio pertinet ad rationem iustitiæ, quæ est propriè directiua communicationis humanæ; & ideo lex humana non proponit præcepta, nisi de actibus iustitiæ; & si præcipit actus aliarum virtutum, hoc est inquantũ assumunt rationem iustitiæ. Sed lex diuina ordinat homines ad Deum, vel in præsenti, vel in futura vita; vnde proponit præcepta de omnibus illis, per quæ homines bene ordinantur ad communicationem cum Deo, vt mens ei vniatur; quod per actus omnium virtutum contingit. Nã virtutes intellectuales bene ordinãt actus rationis in seipsis: morales autẽ bene ordinant actus rationis circa interiores passiones, & exteriores operationes. Ex huius articuli doctrina obseruandæ sunt duæ differentiæ inter legem humanam, ac diuinam, circa dispositionem, & ordinationem de omnium virtutum actibus. Prima est, quòd lex humana disponit de sola iustitia ex principali destinato; de alijs verò virtutibus vt ordinantur ad iustitiã. Lex autẽ diuina disponit de omnibus virtutibus, vt perfectus sit homo Dei, & ad omne opus bonum instructus. Lex enim diuina attendit coniunctionem hominis ad Deum; cõiunctio autem hominis ad Deum, integram & absolutam virtutem requirit. ¶ Secunda differentia est, quòd lex humana respicit rationem debiti ex vinculo iustitiæ: lex diuina respicit præterea rationem debiti obedientiæ. Pro cuius declaratione oportet intelligere, quòd ratio debiti obedientiæ est communis omni legi, & consurgit ex ratione præcipientis, & subditi. Sed est alia ratio debiti, qua debitũ est vt creatura suo creatori subdatur; quod ius ad iustitiam reduci autor est Aristoteles: sed est debitum propriè dictum vnius hominis ad alterũ, quod ad cõmune bonum, & ad iustitiam propriè dictam spectat. Sed aduerte, quòd secundum illud ius, seu debitum, non dicitur impropriè debitum, quòd non sit potissimè debitũ; sed quoniam non possumus exoluere illud ad æqualitatem, non pertinet ad iustitiam propriè dictam, cuius officium est æqualitatem in rebus constituere.

Discrimen inter humanam legẽ, & diuinã.

Secundum discrimen.

Ari. 5. Ethi.

ARTIC. TERTIVS.

¶ Vtrùm omnia præcepta moralia Veteris legis reducantur ad decem præcepta Decalogi?

¶ Conclusio est affirmans.

EXPLICATIO ARTICVLI.

PRobatio huius conclusionis ea est. Nam præcepta decalogi ab alijs differũt, quòd illa Deus per seipsum dicitur populo proposuisse, alia verò per Moysem. Illa ergo ad decalogũ pertinẽt, quorum notitiã homo per seipsum habet à Deo: huiusmodi autẽ sunt ea quę statim ex primis cõmunibus principijs cognosci possunt modica consideratione, & quę statim ex fide diuinitus infusa innotescũt. Inter præcepta ergo decalogi non computantur duo genera præceptorũ; illa scilicet, quę sunt prima, & cõmunia, quorũ nõ oportet aliquam editionem esse, nisi quòd sunt scripta in ratione naturali, tanquã per se nota; sicut quòd homo nulli debet malefacere, & alia huiusmodi. Et iterũ illa quæ per diligentẽ inquisitionem sapientium inueniuntur: hæc enim proueniũt à Deo ad populum, mediante disciplina sapiẽtium.

tium. Atque prima, & communia cõtinentur in præceptis decalogi, ſicut principia in concluſionibus proximis: ea verò quæ per ſapientes eliciuntur, continentur in eis ẽconuerſo, ſicuti concluſiones in principijs. ¶ In hoc articulo aggreditur Diuus Thomas ad explicandum decalogum. Vt verò eius explicatio meliùs intelligatur, ex diuinis ſcripturis ſtatuendum eſt, quid ſit decalogus, & de modo quo datus eſt, ac de tabulis lapideis. Hæc verò omnia Exodi. 24. Deuteron. 9. & 10. inueniũtur. Nam in capitulo 10. Deute. ſic dicitur. In tempore illo dixit Dominus ad me, Dola tibi duas tabulas lapideas, ſicut priores fuerunt, & aſcende ad me in montem: faciesque arcam ligneã, & ſcribam in tabulis verba quæ fuerunt in his quas ante confregiſti. Feci igitur arcam de lignis ſetim. Cumque dolaſſem duas tabulas lapideas inſtar priorum, aſcendi in montem, habens eas in manibus. Scripſitque in tabulis iuxta id quod prius ſcripſerat, verba decem, quæ loquutus eſt Dominus ad vos in monte, de medio ignis, quando populus congregatus eſt, & dedit eas mihi. Reuerſuſque de monte deſcendi, & poſui tabulas in arcam quam feceram, quæ hucuſque ibi ſunt, ſicut mihi præcepit Dominus. Hucuſque verba textus Deuteron. Decem autem verba hæc, quæ dicitur Dominus digito ſuo hîc inſcripſiſſe tabulis lapideis, ipſemet prius proprio ſuo ore promulgauerat ad vniuerſum populum, de medio ignis, dicens; Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo ſeruitutis. Non habebis deos alienos coram me. Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem quę eſt in cœlo deſuper, neque in terra deorſum, neque eorum quæ ſunt in aquis ſub terra. Non adorabis ea, neque coles: ego ſum Dominus Deus tuus fortis, Zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios, in tertiã & quartam generationem eorum qui oderũt me, & faciens miſericordiam in millia his qui diligunt me, & cuſtodiunt præcepta mea. Nõ aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum, neque enim habebit inſontem Dominus eum qui aſſumpſerit nomen Dei ſui fruſtra. Memẽto vt diem ſabbathi ſanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. Septimo autem die ſabbathũ Domini Dei tui eſt: non facies omne opus in eo, tu & filius tuus, & ancilla tua, iumentum tuum, & aduena qui eſt intra portas tuas. Sex enim diebus fecit Deus cœlum & terram, & mare, & omnia quæ in eis ſunt, & requieuit in die ſeptimo; idcirco bene dixit Dominus diei ſabbathi, & ſanctificauit eum. Honora patrem tuum & matrem tuã, vt ſis longæuus ſuper terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi. Nõ occides. Non mœchaberis. Non furtum facies. Non loqueris cõtra proximum tuum falſum teſtimoniũ. Non concupiſces domũ proximi, nec aſinũ, neque omnia quæ illius ſunt. Cunctus autem populus videbat voces, & lampades, & ſonitũ buccinæ, montẽq; fumantẽ: & perterriti, ac pauore concuſſi ſteterunt procùl, ac dixerunt Moyſi, Loquere tu nobis, & audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur. Et ait Moyſes ad populum, Nolite timere: vt enim probaret vos venit Deus, & vt terror illius eſſet in vobis, & non peccaretis. Stetitq; populus de longè. Moyſes autem acceſsit adcaliginem in qua erat Deus. Dixit præterea Dominus ad Moyſem, Hæc dices filijs Iſrael. Vos vidiſtis quòd de cœlo locutus ſum vobis. Hucuſque rurſum verba textus. Porrò hęc diligentia Dei, qua nõ ſolùm promulgauit iſta decem verba per modum edicti, ſed & proprio digito inſcripſit tabulis lapideis, & ipſas denique tabulas recludi fecit in arca fœderis ad perpetuã rei memoriã, meritò nos diligentes efficere debet circa propoſitam materiã. ¶ Sed dicet Theologus, Nõ ſatis intelligo quorſum dicat textus; decẽ verba; ſunt enim plura quàm quinquaginta, aut centum verba eorum quæ hic præcipit Dñs. Reſpondetur, iuxta phraſim noſtri ſermonis, & etiam Hebræorum, per verbũ, intelligimus ſententiam, ſeu dictum ſententioſum, quod licèt voculis pauciſsimis, velut verbum tuũ prolatum, diuitẽ nihilominus & copioſam habet ſententiã. Qua phraſi, hæc ſentẽtia, Plus vltra, dicitur verbũ inuictiſsimi Imperatoris noſtri Caroli Quinti. Saluatoris verò Chriſti verbũ erat, Beatius eſt dare quàm accipere. Verbum quoque tuũ, vel meum eſſe poteſt, Sine onere nihil; Mors oſtium vitæ; Virtus ludibrium diaboli; In paruis quies, &c. Eademque phraſi & de ſuis ſententijs dixit Salomon; Fili, audi verba mea æterna. Itaq; ſapientia volens epitomẽ dare eorũ quę pertinẽt ad mores benè inſtruẽdos, fecit decalogum, hoc eſt, ſermonẽ breuẽ decem verborum; id eſt, decem ſententiarum, quę adeò ſuccinctè, & voculis paucis tradũt capita, & fontes, imò verò plenitudinẽ legis naturalis, vt iure verba vocari poſsint; debeatq; meritò vnũquẽque pudere cauſa ſalutis propriæ nolle vel decem verba diſcere. Haud diſſimiliter quidquid de fide ſparſim in ſacris ſcripturis, aut aliàs per reuelationem Dei traditum eſt, id diligentia Apoſtolorum contractũ videmus in XII. articulos, veluti duodecim verba vnius Symboli. Sic, quidquid rectè orando peti poteſt, id ſimiliter per Chriſtum redactum legimus in ſeptem breuiſsimas petitiones: prout etiam prudentiſsimi Iuriſconſulti

Decalogus quid.

Exo. 24. Deut. 9. Deuter. 10.

Exod. 20.

Decalogi mandata.

Quomodo in decalogo ſint decem verba.

Reſpondetur.

ſummam iuris redegerunt ad tria capita; videlicet, honeſtè viuere, alterum non lædere, ius ſuum vnicuique reddere. Tantum de tabulis lapideis, & decem verbis ſcriptis in eiſdem.

Quot præcepta primæ tabulę, & quot ſecundæ.

¶ Nunc verò reſtat difficultas, ſed modica, quot ſint præcepta primæ tabulæ, & quot ſecundæ. Pro cuius expoſitione, hæc accipe.

Origenes. Hierony.

Origenes, quem Hieronymus ſequitur, quatuor præcepta primæ tabulæ tribuit, ex primo duo faciens; in quorum primo, ſpiritualem; in altero, craſſam illam, & externã idololatriam prohiberi dicit: vt primum ſit; Non habebis Deos alienos coram me: alterum, Nõ facies tibi ſculptile. In ſecundã verò tabulam ſex retulit, duo vltima præcepta, de non concupiſcendo vxorem, & non concupiſcendo rem proximi, cõnectens.

Auguſt.

At D. Auguſtinus, & ferè quotquot D. Auguſtinum ſecuti ſunt, primæ tabulæ tria præcepta, ſecundæ verò ſeptem tribuerũt: qui primum mandatũ, de vitanda idololatria, ſiue ſpirituali, ſiue corporali, vnũ faciũt; poſtrema verò præcepta, quæ ſunt de non concupiſcendo vel vxorem, vel rem proximi, in duo ſecãt. Quorum ſententia Eccleſiæ magis placuiſſe conſtat, vel ob id, q̃ magis ad myſteriũ ſanctę Trinitatis reſpiciat, vt primũ mãdatum referatur ad patrem, ſecundum ad Filium, cui proprium nomen eſt, Verbum Dei, non creatura, tertium ad Spiritum ſanctum, quo in nobis ſabbathizamus, id eſt, ab omnibus quæ caro ſine ſpiritu gignit, quieſcim', noſq; cõtinemus.

ARTIC. QVARTVS.

¶ Vtrùm præcepta Decalogi conueniẽter diſtinguantur?

SVMMA TEXTVS.

Concluſio.

Auguſt.

Concluſio eſt. Cõueniẽter diſtinguuntur ſecũdùm expoſitionem D. Auguſtini; qui ponit tria præcepta in ordine ad Deum, & ſeptem in ordine ad proximũ; & pro vno accipit, Non facies tibi ſculptile; &, Non habebis Deos alienos: ſed de concupiſcẽtia duo; vnũ videlicet de cõcupiſcẽtia vxoris, quæ reducitur ad cõcupiſcẽtiã carnis; aliud de rebus alienis, quæ deſiderant ad poſſidẽdũ, quod pertinet ad cõcupiſcentiã oculorum.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Decem verba, quę primùm per Moyſem Iudęis tradita, deinde per Chriſtum, & Apoſtolos chriſtianis omnibus commendata, quæ & Decalogi nomen obtinuerũt, ſic diſtinguũtur ſecũdum expoſitionem Auguſtini. Ego ſum Dñs Deus tuus; hæc verba vicẽ exordij obtinent.

1 Non habebis Deos alienos coră me. Non facies tibi ſculptile vt adores illud.
2 Non aſſumes nomen Dei tui in vanum.
3 Memento vt diem Sabbathi ſanctifices.
4 Honora patrem tuum, & matrem tuam vt ſis longæuus ſuper terrã, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.
5 Non occides.
6 Non mœchaberis.
7 Non furtum facies.
8 Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium.
9 Non concupiſces vxorem proximi tui.
10 Non domum, non agrum, non ſeruum, nõ ancillam, non bouem, non aſinum, & vniuerſa quæ illius ſunt.

ARTIC. QVINTVS.

¶ Vtrùm præcepta Decalogi cõuenienter numerentur?

¶ Concluſio eſt affirmans.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Probatio concluſionis.

Veritas huius cõcluſionis hac ratione oſtenditur. Nam hæc præcepta legis diuinæ ita ordinant hominẽ ad quãdam communitatem hominum ſub Deo, ſicut præcepta legis humanę ordinant hominem ad quandam communitatẽ humanam. Sed ad hoc quòd aliquis bene cõmoretur in cõmunitate, requiritur vt benè ſe habeat ad eum qui præeſt cõmunitati, & etiã bene ſe habeat ad alios ſocios communitatis. Oportet ergo q̃ in lege diuina primò ferãtur præcepta ordinãtia hominẽ in Deũ, & poſtea ordinãtia homines ad alios, pximos ſimul cõueniẽtes ſub Deo. Principi autem cõmunitatis tria debet homo. Primò, fidelitatẽ, quæ conſiſtit, vt honorẽ principatus ad aliũ nõ deferat; ideo dicitur, Non habebis Deos alienos. Secũdò, debet reuerentiã, vt nihil iniurioſum in eũ cõmittatur; vnde dicitur, Non aſſumes nomẽ Dei tui in vanũ. Tertiò, famulatũ in cõpẽſationẽ beneficiorum quæ ab ipſo recipiunt ſubditi; & ad hoc pertinet præceptum de ſanctificatione ſabbathi in memoriã creationis eorum. Sed ad proximos bene ſe habet aliquis, generaliter, & ſpecialiter; ſpecialiter, prout aliorum eſt debitor, eis reddẽdo debitũ, & ſic ponitur

præce-

præceptum de honorandis parentibus. Generaliter verò, vt nulli inferatur nocumentum, corde, verbo, vel opere; nec quantum ad consistentiam personæ, propter quod dicitur, Nõ occides, nec quantum ad personam coniunctam propter propagationem prolis, vnde dicitur, Nõ mœchaberis: & propter rem possessam ponit, Non facies furtum. Quantum autem ad nocumentũ cordis, Non concupisces; & ad nocumentum oris, Non loqueris contra proximum falsum testimonium.

ARTIC. SEXTVS.

¶Vtrùm præcepta Decalogi cõuenienter ordinentur?

¶Conclusio est affirmans.

EXPLICATIO ARTICVLI.

ARticuli huius conclusio sic probatur. Nam cum præcepta decalogi dentur de his quæ statim in promptu mens suscipit hominis, primò posita sunt quæ ordinant mentem in Deum, quorum contrarium est grauissimũ: ideo primò posuit, vt fideliter ei subdatur, nullam habens conuersationem cum inimicis: Secundò, reuerentiam: Tertiò, famulatum. Et in proximis magis repugnat rationi, & grauius est peccatum, si homo non seruet ordinem ad personas debitum, quibus magis est homo debitor; ideo primò ponitur præceptum pertinens ad parentes, & sic seruatur ordo in alijs. Grauius est enim opere peccare, quàm ore; & ore, quã corde. Et inter peccata operis grauius est homicidium, per quod tollitur vita hominis existentis, quàm adulteriũ, per quod tollitur certitudo prolis nascituræ; & adulterium grauius est furto, quod pertinet ad bona exteriora.

ARTIC. SEPTIMVS.

¶Vtrùm præcepta Decalogi cõuenienter tradantur.

¶Conclusio est affirmans.

EXPLICATIO ARTICVLI.

PRæsens conclusio sic probatur. Nã conuenienter traduntur duo præcepta affirmatiua, de honore parentũ, & sanctificatione sabbathi: quia Deo, & patri homo est magis debitor. Et in illis præceptis ratio assignatur, quæ non habẽt manifestam rationem, sicut ceremonialia: nã moralia habent rationem manifestam. Et pro missionem apposuit in præceptis, in quibus nulla vtilitas videbatur sequi, aut aliqua vtilitas impediri: quia credunt homines posse recipere vtilitatem ex pactis cum dæmonibus; & à patribus, tanquam recessuris, non expectatur vtilitas. Sed & pœnæ apponũtur in his qui proni sunt ad malum, prout in idololatria, propter gentium conuersationem; & in periurio, propter frequentiam iuramenti.

ARTIC. OCTAVVS.

¶Vtrùm præcepta Decalogi sint dispẽsabilia?

¶Conclusio est negans.

EXPLICATIO ARTICVLI.

PRo huius conclusionis ostensione statuit D. Thomas in primis, quòd ex superioribus manifestum est, tunc in præceptis debere fieri dispensationem, quando occurrit aliquis particularis casus, in quo, si verbum legis obseruaretur, contrariaretur intentioni legislatoris. Deinde statuit Diuus Thomas, quòd intẽtio legislatoris ordinatur primò quidẽ & præcipuè ad bonum commune; secundò ad ordinem iustitiæ, & virtutis, secundùm quem bonum commune conseruatur, & ad ipsum peruenitur. Ex his principijs deducit S. Thomas, quòd si quæ sunt præcepta quæ contineant ipsam obseruationem boni communis, vel ipsum ordinem iustitiæ, & virtutis, huiusmodi præcepta continent intentionem legislatoris, & ideo indispensabilia sunt, putà, si poneretur hoc præceptum in aliqua communitate, quòd nullus destrueret remp. neque proderet ciuitatem hostibus; siue quòd nullus faceret aliquid iniustè, vel malè; talia præcepta essent indispensabilia. Ex ijsdem documentis infertur, præcepta decalogi esse indispensabilia: continent enim intentionem legislatoris, & ipsum ordinem iustitiæ, & virtutis. Nam præcepta primæ tabulæ ordinant ad Deum, & sic ad bonum cõmune, & finale, quod est Deus: & præcepta secundæ tabulæ continent ordinem iustitiæ obseruandæ inter homines, vt scilicet nulli fiat indebitum, & cuilibet debitum reddatur. Verùm si aliqua alia præcepta traderentur ordinata ad ista præcepta, quibus determinantur aliqui speciales modi, in talibus præceptis posset fieri dispensatio, sic tamen, quòd in istorum præceptorum dispensatione non fiat præiudicium primis præceptis, quæ continent intentionem ipsius legislatoris; putà, si ad conseruationem reipublicæ statueretur in aliqua ciuitate, quòd de singulis vicis aliqui vigilarent ad custodiam ciuitatis obsessę, posset cũ aliquibus dispẽsari propter aliquã

Præcepta quæ indispẽsabilia.

Vtrùm præcepta moralia decalogi sint dispensabilia.

maiorem vtilitatem. ¶ Sed circa hanc doctrinam est grauis ac perdifficilis quæstio; vtrùm præcepta moralia, maximè quæ in decalogo continentur, sint dispensabilia. A parte affirmante hæc sunt argumenta. In primis, si hæc præcepta non sunt dispensabilia, maximè, quia sunt de lege naturali: sed ea quæ sunt de lege naturali (autore Aristotele) variari possunt: ergo dispensari possunt. ¶ Secundò, de lege naturali, & diuina tenemur reddere vota nostra quæ Deo promisimus; atque etiam tenemur iuramenta obseruare: sed in his omnibus dispensat non solùm Deus, sed etiam Summus Pontifex, quod constat manifestè ex traditione Ecclesiæ à temporibus Apostolorum.

Primũ arg.

Ari. 5. Ethi. ca. 7.

Secundum

Confir.

Idem confirmatur. Nam cùm Papa in voto dispensat, vel dispensat in lege humana, vel dispensat in lege diuina, vel naturali. Si detur primum, sequitur quòd Summus Pontifex possit pro libito suo, & sine causa legitima in votis dispensare; quod asserere, à sana doctrina alienum est. Si verò detur secundum, habeo quod desidero; nempe, Summum Pontificem in lege naturali, & diuina posse dispensare.

Tertium.

¶ Tertiò, dispensare cum aliquo, nihil aliud est, quàm autoritate superioris soluere, vel relaxare in aliquo particulari legis obligationem: sed Deus sua autoritate potest deobligare aliquem à furto, vel homicidio, vt constat: ergo potest in lege naturali dispensare.

Quartum.

¶ Quartò, homicidium in decalogo prohibitum est: at in hoc dispensat iudex, cùm occidit malefactores. Rursum, dispensauit Deus cum Abraham, quando præcepit vt occideret filium suum Isaac. Atque etiam dispensauit cum Samsone, vt seipsum occideret cum Philisthæis, vt habetur Iudic. 16. item cum Eleazaro, qui (vt narratur. 1. Machabæorum sexto,) interfecit elephantum, à quo oppressus statim occubuit. Deinde, dispensauit in furto, quando præcepit filijs Israel vt bona Ægyptiorum secum auferrent. Item dispensauit in fornicatione, quando præcepit Oseæ Prophetę vt acciperet mulierem fornicariam, & susciperet filios fornicationis.

Iudic. 16.

1. Mach. 6.

Quintum.

¶ Item, coniugium inter fratres iure naturali prohibitum est, vt habet sana doctrina: sed in hoc dispensatum est in primordio generis humani: nam certum est, quòd inter filios Adæ fuit verum matrimonium; & inter Abrahã & Saram, quos fuisse fratres, valde probabile est.

Sextum.

¶ Vltimò, obseruatio sabbathi est de lege naturali, cuius præceptum in decalogo continetur: sed in hoc fuit dispensatum tempore Machabæorum; dicitur enim. 1. Machabæorum. 2. Cogitauerunt inter se dicentes, Quicunque venerit ad nos in die sabbathorum pugnare, pugnemus aduersus illum.

1. Mach. 2.

¶ De hac quæstione versantur quatuor opiniones inter Doctores. Scotus in tertio, distinctione trigesimaseptima, quæstione vnica tenet, quòd duo priora mandata primæ tabulæ non sunt dispensabilia: tertium verò de sanctificatione sabbathi, & omnia præcepta secundæ tabulæ sunt à Deo dispensabilia. Durandus in primo, distinctione. 47. quęstione quarta tenet omnia præcepta decalogi esse prorsus indispẽsabilia: excipit tamen præceptum de honorandis parentibus, & non occidendo. Ocham in secundo, quęstione. 19. tenet, nihil adeò esse peruersum, & iniquum, quin dispensatione diuina possit fieri licitum, atque laudabile; etiam odium Dei. Et probat sic: nam quidquid non implicat contradictionem Deus potest facere, vt patet ex illo; Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum: sed hoc non implicat contradictionem: ergo Deus potest efficere. Deinde, si nulla esset lex, odium Dei non esset peccatum, sicut suprà traditum est in principio huius materię: sed Deus potest deobligare hominem ab vniuersa lege, tum naturali, tum positiua: ergo tunc odium Dei non esset peccatum. Diuus Thomas hoc in loco intendit, præcepta decalogi esse omnino indispensabilia; quia continent in se ipsam rationem recti, & iusti: quapropter ab eis deficere, semper illicitum & iniustum est.

Scotus.

Duran.

Ocham.

Lucæ. 1.

D. Thò.

¶ Pro explicatione sententiæ D. Thomæ sciẽdum est, quòd dispensare, est autoritate superiori, ratione legis manente inuariata, & in eodem sensu, aliquem eximere ab obseruatione, & legis obligatione. Nam si variatur ratio legis, vel mutatur eius sensus, non dispensatur lex, sed cessat, & fit interpretatio per epicheiã sicut suprà dictum est. Secũdò notandum est, quòd licèt ratio boni & recti possit præcipi sub quadam generali ratione, scilicet, non est iniustè operandum; iustitia est seruanda; nihilominus tamen à parte rei semper præcipitur in quibusdam actionibus particularibus; Non occides, Non furtum facies. Tertiò notandum est, quòd quibusdã actionibus humanis adeò est coniuncta ratio recti & iusti, vt sit propterea ab illis omnino inseparabilis. Contrariò verò quibusdam actionibus humanis adeò est coniuncta ipsa ratio praui, vt sit ab illis prorsus inseparabilis, vt est videre in Dei odio, atq; despectu. ¶ Ex his principijs cõcludo primũ, quòd illud præceptum vniuersale, non est iniustè operandum, est prorsus indispensabile.

Dispensarè quid.

Nam

Nam si liceret iniustè operari, & hoc potest dispensatio efficere, iam sequitur, quòd licitum, esset illicitum, & iustum, esset iniustum, & quòd consentaneum rationi, esset contra rationem. Denique sequitur euidens contradictio. Nam si licet operari iniustum: ergo licitum est & iustum, & ex alia parte operamur iniustè: ergo iniustum, est iustum. Secundò sequitur, quòd præcepta particularia earum rationum quæ continent rationem iusti & boni, prorsus sunt indispensabilia: nam in his dispensare, perinde est ac dispensare in illo præcepto generalissimo, iniustè non est operandum. Præterea, hæc operatio intrinsecè est mala, sic adeò quòd eius prauitas ab ea separari non potest: ergo implicat contradictionem, quòd licitè, & iustè exerceri valeat: nam si licitè exercetur: ergo licita est, & ex alia parte intrinsecè illicita est; ergo est licita, & illicita. Denique sequitur, præcepta decalogi esse omnino indispensabilia: nam continent in se ipsam rationem iusti; tum in ordine ad Deum; tum in ordine ad proximum: ergo indispensabilia sunt. Consequentia argumenti euidens est, & probatur antecedens. Nam in decalogo non præcipitur vt reddamus Deo debitum, & proximo quomodocunque, sed quando recta ratio dictauerit esse reddendum. Rursus, præceptum de non furando, non præcipit vt aliena non accipiamus, sed ne iniustè aliena accipiamus: atque adeò præceptum de non occidendo, non præcipit quòd nunquam occidamus, sed ne iniustè occidamus. Sed implicat contradictionem, quòd non liceat reddere debitum quando recta ratio naturalis dictat esse reddendum, & quòd liceat iniustè accipere alienum, aut iniustè hominem occidere. Præterea, præcepta decalogi affirmatiua præcipiùt id quod secundum se iustum est, & rectum; & præcepta negatiua prohibent id quod secundum se iniustum est, & iniquum; quo maximè distinguuntur à præceptis legis positiuæ: ergo est implicatio contradictionis, quòd dispensabilia sint: nam si dispensabilia sunt, ergo licet facere id quod secundum se iniquum, & iniustum est. Vltimò, præceptum illud generale, iniustè non est operandum, prorsus est indispensabile, vt ex dictis manifestum est: sed ex illo principio colliguntur præcepta decalogi vt conclusiones euidentes: ergo si illud principium est indispensabile, & immutabile, præcepta decalogi indispensabilia sunt.

Præcepta decalogi indispensabilia.

Solutio argumẽtorũ. Ad primũ. ¶ Ad argumenta in contrarium, & ad primum argumentum respondetur, quòd Aristoteles non loquitur de iusto naturali, quod continet in se rationem iustitiæ, & rectitudinis, scilicet iustitiam esse seruandam, iniustum non esse operandum: sed loquitur quantum ad modos particulares obseruationis iustitiæ, qui sæpenumero fallunt; vt quando depositum est reddendum, quando sit seruandum iuramentum. Secundò respondetur, quòd quando lex variatur, non est dispensatio, sed epicheia, vt dictum est.

Ad secũdũ. ¶ Ad secundum est multiplex dicendi modus. Diuus Thomas. 2. 2. quæstione. 88. articulo decimo, ad secundum, videtur docere, quòd cùm Papa dispensat in voto, non dispensat in iure naturali, aut diuino, sed tantùm in iure humano: nam votum est vinculum quoddam humanum, quod quisque sua voluntate instituit. Sed in hac ratione dispensandi multæ inuoluuntur difficultates, quas examinare non est præsentis speculationis. Doctissimus Magister Cano in relectione de pœnitentia, parum ante finem dicit, quòd Papa autoritate diuina à Christo Domino tradita dispensat in votis: & quòd habeat hãc autoritatem, patet ex illo; Quodcunque solueritis super terram, &c. Patet etiam ex perpetua traditione Ecclesiæ. Doctissimus Victoria solebat dicere, quòd Papa potest dispensare in votis, absque eo quòd dispenset in lege naturali, aut humana; sicut magnus œconomus Principis potest ex legitima causa dispensare in debitis domini sui, absque dispensatione legis naturalis: sic se habet Summus Pontifex Vicarius Christi Domini cùm in votis dispensat.

D. Tho. Cano. Victoria.

¶ Diuus Thomas in hoc articulo dicit, quòd in principijs secundarijs legis naturæ, quæ non sunt præcepta decalogi, cuiusmodi est præceptum de reddendo depositio, de voto seruando, potest cadere dispensatio: non autem in præceptis primarijs. Ratio differentiæ est: nam præcepta primaria, quæ sunt in decalogo, sunt conclusiones, quæ infallibiliter inferuntur ex illo generalissimo principio, iniustè non est operandum: cæterùm principia secundaria non inferuntur infallibiliter, & ideo contra ea operari non est simpliciter intrinsecè malum. Hanc conclusionem approbat, defenditque Pater Soto libro secundo de iustitia, quæstione tertia, articulo octauo.

D. Tho. Soto.

Ad tertiũ. ¶ Ad tertium argumentum respõdetur, quòd Deus non potest deobligare hominem à lege naturali: sed dato quòd possit, disputationis gratia, tunc adulterium & esset peccatum, & non esset peccatum, sicut demonstra-

tum fuit suprà in materia de legibus in principio. Deinde dico, quòd etiam si Deus tolleret legem naturalem, & id posset efficere, non est consequēs quòd in lege naturali semel statuta posit dispensare: nam ex eo quòd tollat legem naturalem, nulla sequitur contradictio: ex eo verò quòd dispenset in lege naturali, est euidens contradictio, quæ suprà à nobis demonstrata est. ¶Sed dicet Theologus, Si præcepta decalogi sunt indispensabilia, sequitur quòd Deus aliquid extra se velit necessariò: sequitur etiam, quòd Deus necessariò velit mendacium esse malum, adulterium esse iniustum. quod asserere, videtur aduersari diuinæ Theologiæ. Vniuersi enim Theologi defendunt, quòd Deus nihil necessariò amat nisi solam diuinam bonitatem.

Obiectiones.

¶Ad hoc dicendum est, quòd licèt Deus nihil eorum quæ extra se sunt necessariò velit, sed liberè; nihilominus necessariò vult, vt si homo sit, animal rationale sit, propter necessariam connexionem terminorum: sic Deus necessariò vult, vt si mendacium sit, malum sit; quoniam intrinsecè malum est: itaque Deus non vult vt sit mendacium, sed si sit, necessariò displicet illi, & execratur illud.

Solutiones.

¶Ad quartum argumentum respondetur, q̄ illud non fuit dispensare, sed vti autoritate dominij plena, quam habet Deus in res omnes: itaque non fecit quatenus legislator, sed quatenus Dominus. Si enim Deus fecisset, vt res alienas inuitis dominis rationabiliter filij Israel auferrent, furtum esset licitum, & esset dispensare in lege furti: at verò non sic fecit Dominus, sed res quarum habebat dominiū, sua iustissima voluntate ademit Ægyptijs, & tradidit filijs Israel. Eadem vsus est potestate in vita filij Abrahæ, & in vxore Oseæ, &c.

Ad quartū.

¶Sed ad quintum argumentum respondetur, quòd præceptum prohibens connubium inter fratres, non est præceptum primarium legis naturæ, continens in se rationem iustitiæ, aut iniustitiæ: & ideo in primordio generis humani propter eius propagationem dispensatum fuit.

Ad quintū.

¶Ad sextum respondetur, quòd illa cogitatio Machabæorum non fuit legis dispensatio, sed epicheia: non enim tenemur seruare diem festum cum periculo mortis: & Dominus dicit, quòd opera charitatis diem festū nō violant.

Ad sextū.

Matth. 12.

ARTIC. NONVS.

¶Vtrùm modus virtutis cadat sub præcepto?

SVMMA TEXTVS.

¶Prima Conclusio. Aliquis modus virtutis, putà quòd fiat ex scientia, cadit sub præcepto legis humanæ, ac diuinæ. Quod em̄ aliquis facit ignorans, per accidēs facit: vnde secundùm ignorātiam aliqui iudicantur ad pœnam, vel veniam, tum secundùm legem humanam, tum secundum legem diuinam. ¶Secunda Conclusio. Aliquis mod⁹ virtutis, putà quòd operetur aliquis volens, & eligēs, cadit sub præcepto legis diuinæ, nō autem sub lege humana. Nam in hoc importatur duplex motus interior, scilicet voluntatis, & intentionis; quæ duo non iudicat lex humana, sed diuina. ¶Tertia Conclusio. Modus ille virtutis, vt quis operetur ex habitu, non cadit sub præcepto aut legis diuinæ, aut humanæ. Nam operari ex habitu, est operari firmiter, & immobiliter, promptè, ac delectabiliter; & quantum ad hoc, modus virtutis non cadit sub præcepto legis diuinæ aut humanæ. Non enim ab homine, nec à Deo punitur vt legis transgressor, qui parentibus debitum honorem impendit, etsi habitum pietatis non habeat.

Prima cōc.

Secūda cō.

Tertia cōc.

EXPLICATIO ARTICVLI.

¶Hactenus dictū sit de firmitate præceptorum moralium, restat exponere, quomodo sit obseruandum præceptum ipsum: satis ne fuerit opus præcepti fecisse? an verò modus virtutis cadat sub præcepto? ¶Pro huius rei expositione notandum est, quòd modus virtutis triplex est. Vnus est, q̄ fiat ex charitate, & affectu amoris diuini. Secundus est, q̄ fiat ex habitu virtutis, promptè, ac delectabiliter. Tertius est, vt fiat opus bonū secundùm debitas circunstantias.

Triplex est modus virtutis.

De

De primo modo infrà diligentiùs inuestigandum est. De secundo modo certum est quòd non cadit sub præcepto: nam præcepta non dantur de habitibus, sed de actibus. De tertio modo est maior difficultas, an sit necessarium ad implendam legem, quòd opus sit bonum secundùm omnes circunstantias, vel potiùs possimus per opus malum, alioqui malum, satisfacere legibus. verbi gratia. teneor dare eleemosynam; confero illam propter inanem gloriam, numquid adimpleo præceptum? Rursus, tenetur quis audire missam, audit propter fœminam quam turpiter amat, adimplet ne legem? De hac re differit Diuus Thomas in hoc articulo, & sequenti. Sit tamen prima propositio in huius rei expositione. ¶ Nemo potest satisfacere legibus, nec diuinis, nec humanis, nisi per opus humanum. (Voco opus humanum, opus liberum.) Probatur hoc: nam facilius est violare legem, quàm illam obseruare: sed nemo violat legem nisi per opus humanum: ea enim quæ non sunt voluntaria, vel libera, non sunt contra legem, neque imputantur ad peccatum: ergo non possumus obseruare legem nisi per opus humanum. Et confirmatur: nam pueri ante vsum rationis non adimplent legem, ea de causa, quia non habent opus humanum, aut liberum. Ex quo sequitur, quòd qui dormiendo, aut ebrius recitauit officium diuinum, tenetur iterum vigilans recitare.

Legibus nō fit satis, nisi per deliberatū opus.

Obiectio. ¶ Sed contra hanc sententiam sunt aliquot argumenta. In primis, si quis per vim cogitur soluere decimas, aut tributum, verè satisfacit legi, & debito. Rursus, si cui iniunctus est dies ieiunij in pœnitentiam, & vi, vt adimpleat pœnitentiam, priuatur cibo, sine dubio satisfacit pœnitentiæ sibi iniunctæ. Item confirmatur: nam si tale præceptum esset positum sub pœna excommunicationis, certè non maneret excommunicatus: nam Ecclesia non iudicat de interioribus: ergo ad satisfaciendum legi non est necessarium opus humanum, & liberū. Ad hoc dicendum est in primis, quòd non est eadem ratio de debitore pecuniæ: nā quomodocunque pecunia veniat in manus creditoris, liber est à vinculo debiti: cæterùm impletio pœnitentiæ, & cuiuscunque præcepti, debet esse voluntaria; & ideo similitudo non consistit. Secundò dico, quòd quādo quis per vim soluit debitum, non implet præceptum coram Deo, quo tenetur alienum restituere, sed peccat peccatum mortale. ¶ Ad vltimum argumentum respondetur, quòd sine dubio ille maneret excommunicatus: nam licèt Ecclesia non præcipiat de actibus interioribus secundum se, potest tamen præcipere vt sunt principia, & circunstantiæ actuum exteriorū,

Solutio.

Ecclesia enim quæ præcipit vt singulis annis confiteamur peccata nostra, præcipit subinde vt illa recogitemus. Rursus, Ecclesia quæ præcipit vt dicamus officium diuinum, præcipit subinde vt attentè dicamus: & in Clementina multorum, de hæreticis, excommunicantur Inquisitores, qui odio, vel amore inquirunt, in quam censuram non incidunt, nisi istis affectibus delinquant. ¶ Secunda propositio. Possumus satisfacere legibus humanis, vtque diuinis per opus malum ex circunstantia; dummodò sit opus bonum ex obiecto. Quòd sit necessarium vt sit opus bonum ex obiecto, patet. Nam vt satisfaciamus legi, necessum est vt faciamus opus præcepti: sed præceptum non potest esse nisi de actibus bonis, vt suprà demonstratum fuit: ergo. Quòd verò non sit necessarium vt sit ornatum omni circunstantia, probatur. Nam licèt intentio legislatoris sit facere homines studiosos, & vt operentur benè ex omni parte; intentio tamen legislatoris non cadit sub præcepto; & ideo licèt aliquis deficiat in aliqua circunstantia, nisi sit expressa in præcepto, legem non violat, nec præceptum præuaricatur. ¶ Sed contra hanc sententiā sic arguitur. Nam si illo opere satisfacimus legi: ergo illud opus bonum est. Probatur consequentia: nam lex tātùm datur de actibus bonis. Deinde, si illo opere satisfacimus legi: ergo est opus cōsentaneum legi, & regulæ: ergo rectum est. Tertiò, præceptum opus inducit nos ad virtutem; sed prauum opus non inducit nos ad virtutem; ergo non satisfacit legi. Ad hæc argumenta dicendum est breuiter, ꝙ opus, quod ex obiecto suo bonum est, & ex circunstantia prauum, est commensuratum legi secundum id quod præcipitur in lege, licèt aliunde ex mala circunstantia inficiatur. Secundò respondetur, quòd eleemosyna data propter vanam gloriam, si referatur ad legem eleemosynæ, commensurata est legi eleemosynæ; si verò referatur ad legem de humilitate, & modestia seruanda, non est commensurata tali legi, & ideo peccatum est. ¶ Tertia conclusio. Vt obseruatio præcepti sit Deo grata, oportet vt sit ab spiritu amoris, & dilectionis diuinæ; quamdiu enim persona displicet Deo, nullum eius obsequium est Deo gratum: dicitur enim Genes. 4. Respexit Deus ad Abel, & ad munera eius: priùs respexit ad Abel, deinde ad eius munera: & in alio loco dicitur; Dona impiorū non probat altissimus.

Per opus malum ex circunstantia lex potest impleri.

Obiectio.

Solutio.

Gene. 4.

Eccli. 34.

ARTIC. DECIMVS.

¶ Vtrùm modus charitatis cadat sub præcepto legis.

SVMMA

SVMMA TEXTVS.

Prima con. PRima Concluſio. Modus charitatis eſt in prę cepto, quando diuina lex præcipit actum dilectionis, & charitatis: vt cùm diuina lex præcipit, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum ſicut teipſum.

Secũda cõ. ¶ Secunda Concluſio. Modus charitatis nõ cadit ſub alijs præceptis: nam præceptum de honorandis parentibus non includit quòd honoretur pater ex charitate, ſed ſolùm quòd honoret: vnde qui honorem tribuit, licèt charitatem nõ habeat, nõ fit huius præcepti trãſgreſſor, quamuis ſit tranſgreſſor præcepti, quod eſt de actu charitatis, propter quam trãſgreſſionem pœnam meretur.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Exponitur titulus articuli. QVæſtio hæc; vtrùm modus charitatis cadat ſub præcepto; habet iſtum ſenſum; vtrùm teneamur obſeruare præcepta ex ſpiritu amoris, & charitatis vt legibus ſatisfaciamus? ¶ Pro parte affirmatiua ſic arguitur.

Argumẽta. Primũ arg. Nam via recta, & certa ad conſequendam ſalutem eſt ſeruare diuina mãdata, iuxta illud; Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata: ergo ſi peccator ſeruat mandata, ſalutem conſequitur: ſed nõ poteſt ſalutem cõſe qui ſine charitate: ergo nõ ſeruat mãdata ſine charitate.

Secundum 1. Corin. 10 ¶ Deinde, pręcepto diuino tenemur habere Deũ pro vltimo fine; quod patet ex illo; Omnia in gloriã Dei facite: ergo tenemur referre vniuerſas operationes noſtras in Deũ, vt vltimũ finẽ ſuper omnia dilectũ: de ratione em̃ vltimi finis eſt, vt diligatur ſuper omnia,

Tertium. & cætera propter ipſum. ¶ Tertiò, ſi poſſumus adimplere diuina mãdata ſine charitate, conſequẽs eſt q̃ poſsimus ea adimplere ſine gratia Dei. Conſequẽs eſt dogma Pelagianũ, vt teſtatur D. Auguſtinus.

Augu. li. de hære. c. 88. Quartum. ¶ Quartò, quãdo peccator adimplet diuina mãdata, vel refert ſuas operationes in Deũ, vt vltimũ finẽ, vel non refert: ſi nõ refert, pręuaricator eſt pręcepti diuini, quo tenetur habere Deũ pro vltimo fine: ſi verò refert; ergo diligit Deũ ſuper omnia: nã de ratione vltimi finis eſt, vt antea dictũ eſt, vt diligatur propter ſe, & omnia propter ipſum. Huic ſententiæ videtur eſſe cõſentanea ſanctæ ſcripturæ teſtimonia, vt illud; Qui diligit Deum, legem impleuit. & illud; Plenitudo legis eſt dilectio; & illud, Qui non diligit, manet in morte: &. 1. Corin. 13. Si diſtribuero omnes facultates meas in cibos pauperum, & ſi tradidero corpus meum ita vt ardeã, nihil mihi prodeſt, ſi nõ habuero charitatem. Ex quibus teſtimonijs videtur ſequi, quòd ſine charitate legi nõ ſatisfacimus.

Probatur ex ſcripturis.

1. Corin. 13

Huic ſententiæ videtur fauere D. Thomas articulo hoc, vbi hanc quæſtionẽ inueſtigat: dicit namque, quòd quando quis honorat parentes, non habens charitatem Dei ſuper omnia, non eſt præuaricator præcepti de honorandis parentibus; eſt tamen præuaricator præcepti de dilectione Dei ſuper omnia: ergo tenemur ſeruare præcepta ex dilectione Dei ſuper omnia. Propter hæc argumẽta Dionyſius Ciſtercienſis in. 1. d. 17. q. 1. arti. 3. tenet partem affirmatiuam huius quæſtionis, & Capreolus fauere videtur in. 2. diſtinctione. 28. quæſtione prima, articulo tertio, ad argumenta contra quartam cõcluſionem.

D. Tho.

Dionys. Ciſterci.

Capreo.

¶ Pro explicatione veritatis ſciendũ eſt, quòd in actu dilectionis quo diligimus Deum, duo ſunt conſiderãda: vnum eſt ipſa dilectio, quæ eſt operis ſubſtantia; aliud verò eſt diligere iſto modo, ex toto corde, ex tota anima, ſuper omnia: & de iſto modo diſputatur, vtrùm cadat ſub præcepto diuinæ legis. Secundò ſciẽdum eſt, quòd charitas eſt finis omnium præceptorum; ſic enim dicit Paulus. 1. ad Timot. 1. Finis præcepti eſt charitas: omnia enim præcepta referuntur ad charitatem Dei ſuper omnia. Tertiò notandum eſt, quòd ipſamet charitas cadit ſub pręcepto particulari, & illo quidem maximo, Diliges Dominum Deum tuũ ex toto corde tuo, &c. Ex quo ſequitur, quòd charitas, ſi referatur ad alia præcepta, eſt finis illorum præceptorum; ſi autem referatur ad præceptum de dilectione, eſt eius ſubſtantia, & forma. Propoſita igitur quæſtio poteſt verſari in duplici ſenſu. Primus eſt, vtrùm poſsimus implere pręceptum charitatis ſine modo charitatis. Poſterior eſt, vtrùm poſsimus implere cætera diuina mandata ſine charitate, & eius modo. De priori ſenſu agẽdum eſt priùs, & dicendum, quòd quando inſtat obligatio de dilectione Dei, non poſſumus ſatisfacere huic præcepto ſine modo charitatis, ſcilicet ex toto corde, ex tota anima, ſuper omnia. Patet clarè ex illo; Diliges Dominum ex toto corde, ex tota anima, &c. in quibus verbis nõ ſolùm præcipitur ſubſtantia, ſed etiam modus dilectionis. Præterea, qui implet hoc præce-

1. Timot. 1.

Duplex ſenſus quæſtionis.

Matth. 22.

præceptum, amicus Dei constituitur: at nemo potest esse amicus Dei sine dilectione Dei super omnia. Rursus, qui implet hoc præceptum, diligit Deum, vt planè constat: sed qui diligit Deum, diligitur à Deo, vt apparet ex illo Ioannis. 14. Sed nemo diligitur à Deo nisi sit in gratia, & dilectione Dei super omnia: ergo nemo adimplet hoc præceptum sine dilectione Dei super omnia. Vltimò, dilectio commensurari debet rei amabili: sed obiectum huius dilectionis est Deus, qui est bonum infinitum: ergo dilectio commensurata huic præcepto ea est, quæ super omnia est: Deus namque præ omnibus diligendus est. Verum est tamen, quòd quadam ex parte potest adimpleri hoc præceptum ab homine existente in peccato mortali sine gratia, & Dei dilectione. Nam homo existens in peccato mortali potest respondere pro diuino honore, quando nomen eius blasphematur; & hoc est quadam ex parte implere præceptum dilectionis: cæterùm quando instat obligatio de dilectione Dei interiori, nemo potest huic præcepto satisfacere, nisi in gratia, & dilectione Dei super omnia constitutat. Hactenus de primo rei sensu.

Ioan. 14.

De secundo sensu breuiter agendum est, cuius rei veritas in tribus punctis consistit. Primū est, vt obseruatio præcepti sit grata Deo, necessarium est vt procedat à persona grata, & à gratia, & dilectione Dei super omnia. Hoc esse verum, suprà demonstratum est efficacibus argumentis. Secundò dico, vt adimpleamus præcepta diuina perfectè, tum quantum ad intentionem legislatoris, tum quantum ad substãtiam operis, necessum est vt eius impletio procedat ex gratia, & dilectione Dei super omnia. Nam intentio legislatoris est, vt nostra opera sint meritoria vitæ æternæ: sed nõ possunt esse meritoria sine gratia, & dilectione Dei super omnia: ergo. Tertiò dico, bene possumus satisfacere alijs præceptis diuinis, atque humanis sine gratia, & charitate Dei super omnia, ita vt non contrahamus nouam culpam. Probatur hoc: nã finis præcepti non cadit sub præcepto, vt patet ex dictis: sed charitas est finis omnium aliorum præceptorum, vt dicit Paulus: ergo non cadit sub præcepto. Deinde, si tenemur vnumquodque præceptum adimplere in gratia, & charitate, vel hæc obligatio oritur ex vi aliorum præceptorum, vel ex vi præcepti de charitate. Non nascitur ex vi aliorum præceptorum: nam alia præcepta, cùm sint naturalia, non excedunt modum naturæ: ergo non obligant vt adhibeamus modum charitatis, qui est supernaturalis. Quòd verò non oriatur ex vi præcepti de charitate, sic demonstro. Præceptum charitatis est affirmatiuum, quod obligat certo tempore, quod tempus non est necessariò coniunctum alijs temporibus in quibus alia præcepta obstringunt. Hæc omnia confirmantur ex consensu proborum hominum, qui existimant, satis impleſſe præcepta, si exequantur operum substantiam, licèt actu in Deum non referant. De hac re disputat locupletissimè Soto libr. 1. de natura & gratia capitulo. 22.

Prima assertio.

Secunda.

Tertia.

1. Timot. 1.

Soto.

¶ Ad primum argumentum in contrarium respondetur, verissimum esse, quòd ille qui seruat diuina mandata, saluus erit; sed peccator, licèt seruet aliqua diuina mandata, non tamen omnia: nam est transgressor illius præcepti, ratione cuius est in peccato: de quo si non pœniteat, saluus non erit. Secundò respondetur, quòd inter omnia præcepta est vnum de charitate, quòd sine gratia, & dilectione Dei super omnia impleri non potest.

Solutio argumẽtorũ. Ad primũ.

¶ Ad secundum argumentum dicendum est, esse præceptum affirmatiuum, quo tenemur habere Deum pro vltimo fine, in hoc sensu, quòd aliquo tempore determinato tenemur nos, nostraque in Deum referre, & illum præ cæteris diligere. Negatiuè verò semper tenemur nullam rem Deo anteferre: huic autem præcepto sufficienter satisfacimus, si faciamus opera in Deum referibilia, licèt actu in Deum non referamus, sicut traditum est contra Gregorium de Arimino. q. 18. artic. 9.

Ad secũdũ.

¶ Ad tertium argumentum respõdetur, quòd nemo potest implere diuina mandata, nisi adimpleat præceptum magnũ de charitate, quod sine gratia adimpleri non potest: & ideo sine gratia omnia diuina mandata adimpleri non possunt. Secundò respondetur, quòd etiã omnia alia sine adiutorio diuinæ gratiæ impleri non possunt post naturam lapsam: nam post naturam lapsam homo est veluti infirmus, qui aliquos passus progredi potest, sed non multos: non aliter homo post naturam lapsam vnum aut alterum præceptum adimplere potest, omnia tamen non potest sine adiutorio diuinæ gratiæ.

Ad tertiũ.

¶ Ad quartum iam dictum est quemadmodum teneamur habere Deum pro vltimo fine. ¶ Ad autoritates sanctæ scripturæ respondetur, quòd qui diligit Deum, sine dubio adimplet perfectè & consummatè vniuersam legem: ex hoc tamen non sequitur, quòd sine charitate diuina mandata impleri non valeãt.

Ad quartũ. Ad autoritates scripturæ.

¶ Ad autoritatem Angelici Doctoris Thomæ respondetur, quòd quando tempore quo aliquis tenetur honorare parentes, simul concurrit tempus quo tenetur diligere Deũ super omnia, si non habeat charitatem, & honoret parentes, est quidem præuaricator, non præcepti de

Ad Diuum Thomam.

pti de honorandis parentibus, sed præcepti de dilectione Dei super omnia: non tamen semper concurrit tẽpus quo tenetur diligere Deũ super omnia cum alijs temporibus aliorum præceptorum. Atque de præceptis moralibus hactenus.

ARTIC. VNDECIMVS.

¶ Vtrùm conuenienter distinguantur alia moralia præcepta legis præter Decalogum?

¶ Conclusio est affirmans.

EXPLICATIO ARTICVLI.

ASsertio præsentis articuli ita probatur: quoniam præcepta iudicialia & ceremoniæ, vim habent ex sola institutione, quia antequam instituerentur, non differebat, vtrùm sic, vel aliter fierent: sed præcepta moralia habent efficaciam ex ipso dictamine rationis, etiam si in lege nunquam statuerentur. Triplex autem horum est gradus: Nã quædam sunt communissima, & tam manifesta q̃ non indigent editione, sicut mandata de dilectione Dei, & proximi, quæ sunt fines præceptorum; & in his nemo errare potest secundũ iudicium rationis. Quædam verò sunt magis determinata, quorum rationem statim quilibet etiam popularis potest de facili videre: & tamen quia in paucioribus circa huiusmodi contingit iudicium humanũ peruerti, talia editione indigent; & hæc sunt præcepta decalogi. Sed quædam sunt quorum ratio adeò manifesta non est, sed solùm sapientibus; & ista sunt præcepta moralia superaddita decalogo, tradita populo à Deo per Moysem, & Aaron. Et quia manifesta sunt principia cognoscendi ea quæ non sunt manifesta, præcepta moralia superaddita decalogo reducuntur ad præcepta decalogi per modũ cuiusdam additionis ad ipsa: quia in primo præcepto prohibetur cultus alienorum Deorum, cui superaddũtur præcepta prohibẽtia cultum idolorum, & sub præcepto periurij prohibetur blasphemia; præcepto de honore parentum superadditur præceptum de honore senum; & sub prohibitione homicidij prohibetur quodlibet odium; & sub præcepto adulterij quodlibet meretriciũ; & sic de singulis. ¶ Hæc doctrina à D. Thoma in hoc articulo tradita est Theologis valde necessaria. Primùm, quia sicut ad res naturales cognoscendas plurimùm retulit omnia entia ad decem prædicamenta reduci; ita ad cognoscenda omnia genera vitiorum, & reponẽdos actus virtutum in suo ordine, plurimùm expedit ad decem præcepta referri. Deinde & confessoribus magnam vtilitatem affert, vt sciant ordinatè peccatorum conscientias discutere. Denique vtilis est etiã prædicatoribus, si quando voluerint legem diuinam populis interpretari: hinc enim discẽt quid circa quodq̃ præceptum sit tractandum. Illud etiam considerabit Theologus, quòd ordo quem D. Thomas hîc sequitur, aliquantò diuersus est ab eo quẽ artic. 1. huius quæstionis proposuerat: nam ibi communissima principia extra ordinem posuit, & tres gradus recensuit secundum ordinem nostræ cognitionis; hîc verò rerum ipsarum ordinem attendens triplicem gradũ statuit; in primo ordine ponit cõmunissima principia. Demum aduertat Theologus, quòd ea quæ in præceptis decalogi continentur, habẽt duo; & quòd sunt cognitione facillima, & q̃ sunt vsu frequentissima. Quare illa quæ his superadduntur, aut non sunt tam facilia cognitu, aut non ita frequẽter in communi vsu eueniunt. Et per hoc soluuntur dubia multa quæ ex hoc articulo suboriri poterãt, nempe, quare blasphemia sit superaddita secundo præcepto, cùm sit magis nota quàm periurium; & quare rapina superaddatur furto; aut vitia cõtra naturam superaddantur sexto præcepto, cum hæc omnia sint magis nota quantum ad culpam. Ratio est, quia licèt hæc ratione naturali faciliùs cognoscãtur, quàm ea quę cõtinẽtur in ipsis præceptis, tamẽ rarò eueniũt, & nõ sunt humano more frequenter occurrentia.

ARTIC. DVODECIMVS.

¶ Vtrùm præcepta moralia veteris legis iustificarent?

SVMMA TEXTVS.

PRima Conclusio. Præcepta moralia veteris legis iustificabant secundum quòd iustificatio importat significationem, vel dispositionem iustitiæ. Disponebãt enim homines ad gratiam Christi iustificantem, quam etiam significabant. Prima cõc.

¶ Secunda Conclusio. Si accipiatur iustificatio pro executione iustitiæ, sic præcepta moralia iustificabãt, in quãtũ cõtinebãt id quod secundũ se iustũ est. Secunda.

¶ Tertia cõclusio. Si accipiat iustificatio Tertia.

pro

pro executione iustitiæ, sic omnia præcepta legis iustificabant; aliter tamen & aliter. Nam præcepta ceremonialia continebant quidem iustitiam secundum se in generali, prout scilicet exhibebantur in cultu Dei: in speciali verò non cõtinebant secundum se iustitiam, nisi ex sola determinatione legis diuinæ: & ideo de huiusmodi præceptis dicitur, quòd non iustificabant nisi ex deuotione, & obediẽtia facientium. Præcepta verò moralia, & iudicialia continebant id quod secũdum se iustum erat, vel in generali, vel etiam in speciali. Sed moralia præcepta continebãt id quod secundum se est iustum secundum iustitiam generalẽ, quę est omnis virtus, vt dicitur. 5. Ethi. Præcepta verò iudicialia pertinebant ad iustitiam specialem, quæ consistit circa contractus humanę vitæ, qui sunt inter homines adinuicem. ¶ Quarta Conclusio. Si loquamur de iustificatione propriè dicta, qua homo iustus est apud Deum, non iustificabant: quia præcepta & sacramenta veteris legis non continebãt gratiam, nec eam conferebant, sicut ea quæ in noua sunt lege.

Quarta.

EXPLICATIO ARTICVLI.

NON est necesse demonstrari à nobis, quomodo lex vetus cum vniuersis suis præceptis non iustificabat homines coram Deo: scimus enim ex Diuo Paulo; Quia ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo. Cuius sententiæ duplex est expositio; Prior est, ex operibus legis non iustificabitur omnis caro; quia nemo est qui faciat legem, sed omnes sunt transgressores legis. Altera est, ex operibus legis, etiam si ipsa præstentur, non poterit aliquis iustificari apud Deum. Cùm enim iustificatio, de qua hic sermo est, sit gratuita, æquè ad efficiendam eam inualida sunt moralia atque ceremonialia præcepta. Quare omittere potuisset Apostolus genitiuũ, legis, & absolutè dicere, Ex operibus nõ iustificatur omnis caro coram Deo: verùm adiecit illam particulam, vt magis vrgeret Iudæos, qui in lege sibi data acquiescebant, quasi illa vim haberet iustificandi. Sed & D. Augustinus docet apertè, quòd ex merito operum legis, non tantùm ceremonialis, verùm etiam decalogi, & legis naturalis, nullus homo iustificabitur apud Deum. Hoc modo intellecta sententia videndum est, quomodo non pugnet cum illa, quæ est ad Roma. 2. Factores legis iustificabuntur. Augustinus exponens hunc locum, Iustificabuntur, inquit, ita dictum est, ac si diceretur, iusti habebũtur, aut deputabuntur: & affert locum similem ex cap. 10. Lucæ; Ille volens iustificare seipsum; id est, pronunciare, seu declarare se iustum: in qua significatione etiam accipitur illud Matthæi. 11. Iustificata est sapiẽtia à filijs suis; id est, pronunciata est esse iusta, calumniantibus eam interim Iudæis. Alijs item locis tum noui, tum veteris testamenti frequẽter in hac significatione obuium est, iustificare. Atque secundum hanc significationem vocabuli facilè est intelligere cociliationem istarum sententiarum: quia altera, quæ habet; Ex operibus legis neminẽ iustificari; accipienda est de iustificatione qua ex impio quispiam fit iustus: altera, quæ hoc loco habetur, Factores legis iustificabuntur; de acceptatione diuina, qua eum qui iam iustus est, propter obseruationẽ legis acceptat ad vitã. Potest difficultas hæc aliter expediri, vt dicamus, apud Paulum obseruationem legis, siue opera legis bifariam accipi: altero modo, vt fiunt citra fidem ab eo qui nondum credit; & iuxta hunc modum pronunciat Apostolus de operibus legis, quòd ex eis nemo iustificabitur apud Deum: Altero modo, vt sunt ex fide facta ab eo qui credit; & iuxta hunc modum pronunciat de eis Paulus, quòd qui ea fecerint, iustificabũtur apud Deum: quod & Diuus Iacobus astruit, disputationem ex operibus ex fide factis, ita concludens; Videtis, inquit, quoniã ex operibus iustificatur homo, & nõ ex fide tãtũ. Deinde proposito nouo exemplo eandẽ rem inculcans, Similiter, inquit, & Rahab meretrix suscipiens nuncios, &c. Quòd autem Ambrosius interpretatur, factores legis esse, qui credũt in Christũ, nõ est plena interpretatio, neq; vult ille sua interpretatione nullam esse operũ iustitiam; sed hoc tantùm vult, quòd nemo verè præstet legem, nisi qui credit in Christum.

Roma. 3.

Aug. li. de spiritu & litera. c. 8.

Roma. 2.

Augu. li. de spiritu & lit. c. 26.

Luc. 10.

Matth. 11.

Iacobi 2.

Ambros.

Diuus

D.Tho. Diuus Thomas in hoc articulo in ſolutione primi dicit, quòd factores legis iuſtificabuntur,id eſt,exercebunt opus iuſtitiæ.

QVAESTIO. CI.

De præceptis ceremonialibus ſecundum ſe; in quatuor articulos diuiſa.

ARTIC. PRIMVS.

¶Vtrùm ratio præceptorũ ceremonialium in hoc conſiſtat, quòd pertinent ad cultum Dei?

¶Concluſio eſt affirmatiua.

EXPLICATIO ARTICVLI.

HÆc concluſio probatur.Nam ceremonialia præcepta determinãt præcepta moralia in ordine ad Deũ, ſicut iudicialia determinant moralia in ordine ad proximum: ſed homo ordinatur ad Deum per debitum cultũ. Quare ceremonialia dicuntur,quę ad cultũ Dei pertinent immediatè,ſeu præparatiuè. ¶Hîc tantùm obſeruandum eſt,quòd D.Tho.in ſolutionibus argumentorum varias huius nominis, ceremonia, interpretationes & etymologias colligit, ſed non oportet in nominibus immorari,cum res ſit apertiſsima.Nam ceremonia nihil aliud eſt, quàm religio ſacrorum, quæ ad Dei cultũ Cicero. pertinent: ſic vſurpat Cicero hoc vocabulum ſæpiſsimè in ſuis operibus.

ARTIC. SECVNDVS.

¶Vtrùm præcepta ceremonialia ſint figuralia?

¶Concluſio eſt affirmatiua.

EXPLICATIO ARTICVLI.

PRo huius concluſionis elucidatione obſeruandum eſt, quòd duplex eſt cultus Dei; vnus interior, qui cõſiſtit in hoc, quòd anima coniungitur Deo per intellectũ,& affectũ; & alius exterior, qui ad interiorẽ ordinatur. Homo eñ cõpoſitus eſt ex anima,& corpore, & ſecundũ q̃ diuerſimodè intellectus, & affectus colẽtis Deũ rectè cõiungitur ipſi Deo, ſecũdũ hoc diuerſimodè exteriores actus hominis ad cultũ Dei applicãtur.Nã in ſtatu futuræ beatitudinis intellectus humanus diuinã veritatem in ſeipſa intuebitur.Quare exterior cultus non conſiſtit in aliqua figura,ſed ſolùm in laude Dei, quæ conſiſtit in exteriori cognitione, & affectione.Sed in ſtatu præſentis vitæ non poſſumus diuinã veritatẽ in ſeipſa intueri, ſed oportet radiũ diuinę veritatis nobis illuceſcere ſub aliquibus ſenſibilibus figuris; diuerſimodè tñ ſecundũ diuerſum ſtatũ cognitionis humanæ. In veteri enim lege nec ipſa diuina veritas erat manifeſta,nec adhuc propalata eratvia ad hoc perueniẽdi: vnde neceſſe erat exterioré cultũ veteris legis non ſolùm eſſe figuratiuũ futuræ veritatis manifeſtandæ in patria, ſed etiã eſſe figuratiuum Chriſti, qui eſt via ducens ad illã patriæ veritatẽ. In ſtatu autẽ nouæ legis hæc via iãm eſt reuelata: quare hanc non oportet præfigurari ſicut futurã, ſed per modũ præteriti, vel præſentis cõmemorari. Oportet autẽ ſolùm præfigurari futurã veritatẽ gloriæ nondum reuelatam,vt dicit Apoſtolus; Vmbram Hebræ.10. habens lex futurorum bonorũ,non ipſam imaginem rerum: vmbra enim minus eſt, quam imago;tãquam imago pertineat ad legem nouam,vmbra verò ad veterem.

ARTIC. TERTIVS.

¶Vtrùm debuerint eſſe multa ceremonialia præcepta?

¶Concluſio eſt affirmans.

EXPLICATIO ARTICVLI.

COncluſio iſta in primis probatur ex illo Oſeæ. 8. Scribam eis multiplices leges Oſeæ.8. intus:& Iob.11. Vt oſtenderẽ tibi ſecreta ſapientię,quòd multiplex ſit lex eius. Deinde ex eo,quòd inter homines ſunt aliqui proni ad malum,& alij ex natura, aut conſuetudine,ſiue ex gratia ad bonum:& quãtum ad omnes expediens fuit prẽcepta ceremonialia multiplicari, ne in idololatriam inciderent: ſed & ex parte bonorum ex multiplicibus præceptis aſsiduè mens in Deũ referebatur, & myſteriũ Chriſti quod figurabaẽ, magis propalabatur.

ARTIC. QVARTVS.

¶Vtrùm ceremoniæ Veteris legis cõuenienter diuidantur in ſacrificia,ſacramenta,ſacra, & obſeruantias.

¶Concluſio eſt affirmans.

EXPLICATIO ARTICVLI.

PRæſens concluſio ſic probatur. Nã in veteri lege ſingula prædicta ceremoniæ vocãtur.Sacrificia enim dicunẽ ceremoniæ Numer.15. Offeret vitulum, & ſacrificia eius Nume.15. ad libamẽta,vt ceremoniæ eius poſtulant. De ſacramẽtis etiã ordinis dicitur;Hæc eſt vnctio Leuit.7. Aaron, & filiorũ eius in ceremonijs.De ſacris etiã dicitur; Hæc ſunt inſtrumẽta tabernaculi Exod.38. teſtimonij

testimonij in ceremonijs Leuitarum. De obseruantijs etiam dicitur; Si auersi fueritis non sequẽtes me, neque obseruantes ceremonias quas pro posui vobis. Probatur deinde, quia sicut suprà dictum est, ceremonialia præcepta ordinantur ad cultum Dei; in quo quidem cultu considerari possunt & ipse cultus, & colentes, & instrumenta colendi. Ipse autem cultus specialiter cõsistit in sacrificijs, quæ in Dei reuerentiam offeruntur. Instrumenta autem colendi pertinent ad sacra, sicut est tabernaculum, & vasa, & alia huiusmodi. Ex parte autem colentium duo possunt considerari; scilicet eorum institutio ad cultum diuinum; quod fit per quandam consecrationem vel populi, vel ministrorum; & ad hoc pertinent sacramenta; & iterum eorum singularis conuersatio, per quam distinguuntur ab his qui Deum non colunt; & ad hoc pertinent obseruantiæ, putà, in cibis, & vestimentis, & alia huiusmodi. ¶ Hîc tamen obseruãdum est, quòd ceremoniarũ legis antiquæ fuêre quatuor species. Prima, sacrorũ. Sacra enim dicũtur ea, quæ ad cultum diuinum tanquam instrumenta peculiaria deputantur; sicut vestes sacerdotales, templa, & altaria. Circa templum nota, quòd tempore legis antiquæ fuit mobile tabernaculum, quo Deus colebatur. Fuit etiam templum firmum, & immobile à Salomone constructũ, à Zorobabele reædificatum: & hoc non vacat mysterio. Status tabernaculi mobilis significat trãslationem antiquæ legis: at verò status templi firmi significat firmitatem legis Euangelicæ; de qua firmitate scriptum est; Oculi tui videbunt habitationem opulentam, tabernaculum quod non transferri poterit. Secunda species fuit sacrificiorum, quæ erant in triplici differentia: erat enim sacrificium pro peccatis in remissionem sceleris admissi; erant hostiæ pacificorum pro gratiarum actione, & pro beneficijs impetratis; & erat holocaustum quod totum ardebat in reuerentiam diuinæ maiestatis. At in Euangelio Christus Dominus vno expleuit sacrificio variarum differentiam victimarum. Tertia species fuit sacramentorum, quæ erant ceremoniæ ad sanctificationem hominũ institutæ, siue omnium, vt circuncisio; siue singularium, vt ordinatio sacerdotum, & consecratio pontificum. Quarta species & vltima erat obseruantiarum; & dicebantur ritus quidam, qui obseruabantur ab illo populo in vestibus exterioribus, cultu, ac ciborum delectu. Hæc omnia & singula Diuus Thomas prosequitur adeò copiosè, vt nihil possit ei addi; atque adeò præclarè, vt nihil demi possit.

1. Reg. 9.

Sacra.

Templum.

Esa. 33.

Sacrificia.

Sacramenta

QVAESTIO CII.

De causis ceremonialium præceptorum.

IN hac quęstione, pro explicatione ferè totius veteris legis, eiusque intelligentia, libet ponere ob oculos tantùm literam Diui Thomæ, in qua vniuersam legem sic eruditè, sapienter, acutè, dilucidè interpretatur, vt planè in huius rei expositione seipsum, & omnes Doctores longo interuallo superet. Dicitur enim, & inter viros doctos celebratur, Burgensem ex Hebraismo ad Christianismum lecta hac quæstione, & suæ legis interpretatione, victum transisse, admirãdo doctrinam Diui Thomæ reconditam, & planè diuinam. Fatebatur enim, nusquam se intellexisse suæ Mosaicæ legis spiritum, & veritatem, vsque dum singulari Dei beneficio ex Diuo Thoma didicit. Sed in 4. articulo in solutione ad sextum, inuenit calumniator quod fugillet, & reprehendat. Dicit enim Diuus Thomas, quòd propitiatorium erat quædam tabula lapidea; cuius contrarium dicit expressè sancta scriptura Exod. 25. dicit enim, quòd propitiatorium erat tabula, vel instar tabulæ de auro purissimo: sic enim docet textus sacer, & sic vniuersi sancti Patres, quos ego legerim, apertè tenent; nec vnum inueni, qui dicat, quòd erat lapidea tabula; & in partibus Diui Thomæ, quæ manu scriptæ sunt in Bibliotheca Salmantina sic habet textus Diui Thomæ in solutione sexti. Et super arcam erat quædam tabula, quæ dicebatur propitiatorium. Itaque verus textus Diui Thomæ, & integra lectio non habet quòd propitiatorium erat tabula lapidea, sed quòd erat tabula super alas Cherubim; & illa dictio, lapidea, ex errore librariorum adiecta est: deleatur ergo de textu, & vera lectio restituatur. Sed legatur prorsus litera Diui Thomæ, quæ nulla expositione, sed attenta tantùm lectione indiget.

Propitiatõriũ vtrũ fuerit lapidea tabula.

Exod. 25.

QVAESTIO CIII.

De duratione prȩceptorum ceremonialium, in quatuor articulos diuisa.

ARTIC. PRIMVS.

¶ Vtrùm ceremoniæ legis fuerint ante legem.

¶ Conclusio est negans.

EXPLICATIO ARTICVLI.

PRoposítam conclusionem probat Diuus Thomas in primis ex illo Deu. 6. Hęc sunt præcepta & ceremoniæ quæ mãdauit Dominus Deus noster vt docerem vos: nõ autem indiguissent super his doceri, si prius prędictę ceremoniæ fuissent: ergo ceremoniæ legis nõ fuerũt ante legem. Aliam probationẽ subnectit D. Thom. pro cuius elucidatione statuit nonnulla principia. Primũ est, quòd ceremoniæ legis ad duo ordinabãtur, scilicet ad Dei cultũ, & ad figurandũ Christũ: quod quidem liquidũ est ex prędictis. Subiũgit aũt secundũ principiũ, quòd quicunq; colit Deũ, oportet vt per aliqua determinata eũ colat, quę ad exteriorẽ cultũ pertinẽt. Determinatio autẽ eorũ quę pertinẽt ad diuinũ cultũ, ad ceremonias spectat: sicut etiã determinatio eorũ per quę ordinamur ad proximũ, pertinet ad prędicta iudicialia, sicut suprà habitum est. Illud etiã principiũ obseruãdũ est, q̃ quẽad modũ inter homines erãt aliqua iudicialia, non ex autoritate legis diuinæ instituta, sed ratione hominũ ordinata; ita etiã erãt quędã ceremonię nõ ex autoritate alicuius legis determinatæ, sed solũ secundũ voluntatẽ, & deuotionẽ hominũ Deũ colẽtiũ. Ex his principijs efficaciter colligitur, fuisse ante legẽ ceremonias quasdã; verũ nõ ceremonias legis: quia nõ erãt lege institutę, & determinatæ. Verũ est tamẽ, q̃ ante legẽ fuerũt quidã viri prędicipui prophetico spiritu pollẽtes, qui ex instinctu diuino, quasi ex quadã priuata lege inducebãtur ad aliquẽ certũ modũ colẽdi Deũ, qui & cõueniens esset interiori cultui, & etiã cõgrueret ad significãda Christi mysteria, quæ figurabãtur per eorũ gesta; secundũ illud 1. Cor. 10. Omnia in figura cõtingebant illis. ¶ Hęc doctrina de se magnã mouebat quęstionẽ; Vtrũ ante legẽ fuerint vera sacramẽta à Deo instituta in peccatorũ remediũ & antidotũ; sed hæc quęstio à nobis prętermittẽda est, & in aliũ locũ referẽda: nã explicatur fusissimè 3. p. in materia de sacramẽtis. Illud tamẽ aduertat Theologus, q̃ sacramẽtum circuncisionis fuit institutũ ante legẽ, vt habetur Gen. 17. vnde nõ potest dici sacramẽtum legis, quasi in lege institutũ, sed solũ quia in lege obseruatũ: & hoc est quod dicit Dñs, Circuncisio non ex Moyse est, sed ex patribus. Illud etiam considerandum est, quòd discretio mundorũ animaliũ ab immundis, quę cõmemoratur Ge. 7. cũ dicitur; Ex oĩbus mũdis animalibus tolle septena & septena; de animalib⁹ verò immundis duo & duo; hęc, inquã, discretio non fuit ante legem, quantum ad esum, cum dicatur Gen. 9. Omne quod mouetur, & viuit, erit vobis in cibum: sed solùm fuit quantum ad sacrificiorũ oblationẽ, quia de quibusdã determinatis animalibus sacrificia offerebãtur. Si tamen quantũ ad esum erat aliqua animaliũ differẽtia, hoc nõ erat quia esus illorũ reputaretur illicit⁹, cũ nulla lege esset prohibitus; sed propter abominationẽ, vel consuetudinẽ; sicut & nũc videmus, q̃ aliqua cibaria sunt in aliquib⁹ terris abominabilia, quę in alijs comedũtur. Vel dicẽdum est ad explicationẽ sanctarũ scripturarũ, quòd animalia munda vel immunda, de quibus fit mẽtio in sacris scripturis, ante legẽ scriptã dicebãtur munda aut immunda, per præoccupationem: quæ figura locutionis nõ est infrequẽs in diuinis eloquijs. Dicebãtur itaq́; immunda, quoniã in lege prohibenda erãt, & eorum esus vitãdus.

Circuncisio ante legem instituta.

Ioan. 7.

Gen. 7.

Gen. 9. Ante legẽ quomodo animalia quędã munda dicebantur.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ *Vtrùm ceremoniæ veteris legis habe rẽt virtutem iustificãdi tẽpore legis.*

EXPLICATIO ARTICVLI.

VT explicet Diuus Thomas prædictam quæstionẽ, statuit principium certum & exploratum: nẽpe, quòd in veteri, & anti qua lege duplex immunditia obseruabatur: vna quidem spiritualis, quæ est immunditia culpæ: alia verò corporalis, quæ tollebat idoneitatem ad cultum diuinum; sicut leprosus dicebatur immundus, vel ille qui tangebat aliquod morticinum; & sic immunditia nihil aliud erat quàm quædam irregularitas. Hoc cõstituto, est prima conclusio. ¶ Ab immunditia secundi generis ceremoniæ veteris legis habebant virtutem emundandi; quia huiusmodi ceremonię erant quædã remedia adhibita ex ordinatione legis, ad tollendas huiusmodi immunditias ex statuto legis inductas; & ideo Apostolus inquit, quòd sanguis hircorum, & taurorum, & vitulæ aspersæ cinis inquinatos sanctificat ad emũdationem carnis. Et sicut ista immũditia, quę per huiusmodi cerimonias emundabatur, erat magis carnis quàm mentis: ita etiam ipsæ ceremoniæ, iustitię carnis dicũtur ab Apostolo parum suprà. Iustitijs, inquit, carnis vsq́; ad tempus correctionis impositis. ¶ Secunda conclusio. Ab immunditia verò mentis, quæ est immunditia culpæ, nõ habebãt virtutem expiandi; & hoc ideo, quia expiatio à peccatis nunquam fieri potuit nisi per Christũ, qui tollit peccata mundi, vt dicitur Ioan. 1. Et quia mysterium incarnationis, & passionis Christi nondum erat realiter peractum, veteris legis ceremoniæ non poterant in se cõtinere realiter virtutem profluentem à Christo incarnato, & passo, sicut continent sacramenta nouæ legis; & ideo non poterant à peccato mũdare, sicut Apostolus dicit, quòd impossibile est sanguine taurorum, aut hircorũ auferri peccata. Et hoc est q̃ Apost. vocat ea egena, & infirma elemẽta. Infirma q̃dẽ, q̃a nõ possũt à peccato mũdare: sed hęc infir-

Prim. cõcl.

Hebr. 9.

Secũ. cõcl.

Ioan. 1.

Heb. 10.

Gal. 4.

infirmitas prouenit ex eo, quòd sunt egena, id est, eò quòd nó cõtinent in se gratiã. Poterat au tẽ mẽs fideliũ tẽpore legis per fidẽ cõiũgi Christo incarnato, & passo; & ita ex fide Christi iusti ficabãtur; cuius fidei protestatio erat huiusmodi ceremoniarũ obseruatio, inquantum erãt figura Christi; & ideo pro peccatis offerebãtur sacrificia quædã in veteri lege, nó quia ipsa sacrificia à peccato mũdarent, sed quia erãt quędã protesta tiones fidei, quę à peccato mũdabat; & hoc etiã ipsa lex innuit ex modo loquendi; dicitur enim Leui. 4. & 5. quòd oblatione hostiarũ pro pecca to orabit pro eo sacerdos, & dimittetur ei; quasi peccatũ dimittatur nõ ex vi sacrificiorũ, sed ex fide, & deuotione offerẽtiũ. ¶ Nihilominus quę stio huius articuli, videlicet, Vtrũ ceremonię ve teris legis habuerint vim iustificãdi, satis cõtro uersa est inter Theologos, & pro parte affirmati ua arguitur. In primis, Leui. 16. dicitur sacerdos aspersione sanguinis expiare pręuaricationes, & peccata filiorũ Israel. ¶ Idẽ demõstratur ex auto ritate maiorũ. D. Gre. dicit in hũc modũ. Quod apud nos valet aqua baptismi, hoc egit apud ve teres, vel pro paruulis sola fides, vel pro maioribus virt' sacrificij, vel pro his qui ex stirpe Abra hã prodiêre mysteriũ circũcisionis. Innocẽ. III. cõstituit differẽtiã inter baptismũ, & circũcisionẽ: q̃ baptismus aperit ianuã cœlorũ; circuncisio verò minimè: asserit tñ, q̃ per vtrumq́; sacra mẽtũ peccatũ originale dimittebat. Illa dictio, per, dicit causam, vt in illo; Saluos nos facit per lauacrũ regenerationis &c. Certè D. Aug. varijs in locis docet, q̃ circuncisio valebat ad peccati originalis remissionẽ. & Mag. sentẽ. in 4. d. 1. citat varias sentẽtias Aug. Greg. Bedæ, qui circũci sionẽ videtur eximere ànumero reliquorũ sacra mẽtorũ veteris legis, & peculiariter tribuere ei vim iustificãdi. ¶ Tertiò, paruulis sine aliquo me rito cuiuscũq́; operãtis remittebatur peccatũ ori ginale adhibito circũcisionis sacramẽto: ergo sa cramẽtũ circũcisionis causabat gratiã, & peccatũ remittebat. Id enim vocamus causam, qua appli cata, sequitur effectus. ¶ Vltimò, homines in ve teri testamẽto adhibitis sacramẽtis, & sacrificijs efficiebãtur verè iusti, & verè filij Dei. Quod ap tè testatur Paul. cũ inquit, Quorũ adoptio est fi liorũ: ergo ceremonię antiquę cõferebãt verã iu stitiã, & verã gratiã. ¶ Pro explicatione hui' quę stionis sciẽdũ est, q̃ præcepta ceremonialia sunt illa, quæ sunt instituta ad præfigurãda Christi vẽ turi mysteria, & ad veros Dei cultus statuẽdos. Secũdò notãdũ, quòd triplex status humanæ vi tæ cõsiderãdus est. Primus est ante aduẽtũ Chri sti Dñi. Secũdus est post aduentũ Saluatoris vs̃q́ue ad finẽ seculi. Tertius est status gloriæ, quo beati diuina visione, & sempiterna fruũtur. Primus ille status ante Christũ fuit in vmbra, & te nebris; quapropter nocti optimè cõparatur Lucę. 1. Illuminare his qui in tenebris, & in vmbra mortis sedẽt: & Ro. 13. Nox pręcesit, dies autem appropinquauit. Hic verò status præcipuè in le ge Mosaica fuit plenus vmbris, & ceremonijs Christũ designãtibus: quę ceremoniæ adeò sa piẽter à Deo institutæ sunt ad continendũ illũ populũ in vero Dei cultu, atq́ue si nó essent ad Christũ designãdũ; & ita sunt institutæ ad Chri stũ Dñm præfigurandũ, atq́; si alia de causa nõ fuissent institutæ. Secũdus status est ab aduentu Dñi vs̃q́; ad finẽ seculi: & hic status partim con tinet veritatẽ antiquis Patribus promissam, par tim verò cõtinet expectationẽ futurorũ bono rũ; & ideo quadã ex parte vmbram cõtinet: pro pter quod Ecclesia comparatur auroræ in libro Cãtic. in qua tenebræ sunt luci permixtę: sed hic status nó deficit vs̃q́; ad lucidissimũ diem: vnde Ecclesia appellatur aurora cõsurgens, id est, pro grediens vs̃q́ue ad perfectum diem. Tertius sta tus est gloriæ, in quo nullæ sunt vmbræ, & per cõsequẽs nullæ ceremonię, propter quod Apo. 21. scribitur, quòd in Hierusalem cœlesti nullum erit templũ, sed Dominus omnipotens erit illius tẽplum; remoto autem templo, remouentur ce remoniæ. His positis sit prima cõclusio. ¶ Cere moniæ veteris legis emundabãt, & iustificabant ab immunditia carnis. Hanc conclusionem as serit D. Paulus dicens, Habuit prius illud taber naculum sanctum seculare; & paulò inferiùs, Habuit iustificatiões carnis: & iterũ, Sãguis spar sus inquinatos sanctificat ad emũdationẽ carnis: his verbis significatur, vetus testamẽtũ habuisse mundanã, & exteriorẽ sanctitatẽ, & iustitiã. Pro cui' explicatione aduertẽdũ est, q̃ immũditia est duplex: vna spiritualis, hoc est, immũditia pecca ti: altera est corporalis, quę tollebat idoneitatẽ ad cultũ diuinũ, & ad cõuictũ publicũ cũ alijs ho minibus; & sic leprosus erat immũdus; & qui tã gebat aliquid morticinũ: & hęc immũditia ni hil aliud erat quã quędam irregularitas. Ab hac itaq́; immunditia carnis ceremonię veteris legis populũ expiabãt: nã reddebãt homines idoneos ad cultũ diuinũ, & ad cõuictũ publicũ cũ alijs ho minibus. ¶ Secũda cõclusio. Ceremonię veteris legis nó emũdabãt, nec iustificabant ab immun ditia peccati. Hęc cõclusio est de fide catholica, quã docet D. Paul. dicẽs, Si per legem iustitia, ergo gratis Christus mortuus est: & c. 4. ceremo nias veteris legis appellat infirma, & egena ele menta: infirma quidem, quoniam non erant effi cacia ad conferendã salutẽ: egena verò, quoniã non continebant virtutem iustificandi: & ad Heb. 7. Nihil ad perfectum adduxit lex: & iterũ; Reprobatio fit prioris mãdati propter eius infir mitatem, & inutilitatem: & clarioribus verbis ad Hebr. 10. dicit Paulus; Impossibile erat sangui-

Leui. 4. & 5

Argumẽta quibus impugnatur assertio D. Thom. Leui. 16. Prim. argu. Secundum. D. Gre. li. 4. moral. c. 2. & habetur de cõsecratione d. 4. c. quod apud nos. Innocẽ. III. c. maiores de baptis.

Aug. lib. 4. cõtra Donatis. ca. 24. 3. lib. de nuptijs c. 11. & super Psal. 77. Paul. Magister. Beda. Tertium.

Vltim.

Rom. 9.

Triplex hominis status

Luc. 1.

Rom. 13.

Pri. cõclu.

Heb. 9.

Secũ. cõclu.

Gal. 2.

Gal. 4.

Heb. 7.

Heb. 10.

Rom. 4. nem hircorum auferre peccata. & ad Roma. 4. appellat Paulus circunciſionem, ſignum, & ſignaculum iuſtitiæ fidei. Ex quo loco colligunt ſancti Patres, circunciſionem non habuiſſe vim iuſtificandi, ſiue (vt ſcholæ loquũtur) efficiendi iuſtitiam ex opere operato; ſed tantum ſignũ fuiſſe, quemadmodum reliqua veteris legis ſacramenta: ſic certè hoc loco Ambroſius; Non habet circunciſio aliquid, ſed eſt ſignum tantũ. & Eucumenius, Data eſt circunciſio non vt iuſtitiam efficeret, ſed vt ſigillum eſſet, ac ſignum iuſtitiæ. Item & Tertullianus contra Iudæos multis rationibus probat, circunciſionem non habuiſſe vim iuſtificandi. Ratio verò ex diuina Theologia euidens eſt: nam nemo iuſtificari poterat à peccato niſi per Chriſtum, qui tollit peccatum mundi vt dicitur Ioan. 1. Chriſtus verò & eius paſsio tempore antiquæ legis nondum erat exhibita, vt conſtat: ergo ceremoniæ veteris legis non habebant virtutem iuſtificandi à Chriſto incarnato & paſſo: de hac ratione videdus eſt Diuus Thomas q. 103. ar. 2. Hæc ratio D. Thomę inducebat nos in maximam diſputationem, de differentia ſacramentorum nouæ & veteris legis; ſed hæc quęſtio propriè pertinet ad quartum ſentent. in principio. Nunc ſatis eſt cognoſcere, eſſe certum ſecundùm fidem catholicam, quòd ſacramẽta veteris legis non conferebant gratiam: definitum eſt hoc in Cõcilio Florentino in doctrina ſacramentorum, tradita Armenijs; & in Concilio Tridentino ſeſſ. 6. ca. 2. 7. & 8. de qua re differit copioſè doctiſsimus Cano in relectione de ſacramentis in communi 4. & 5. parte. ¶ Tertia concluſio. Hominesilio tempore iuſtificabantur per fidem, & deuotionẽ in Chriſtum venturũ. Hæc cõcluſio liquidò colligitur ex præcedenti. De qua re loquitur optimè D. Aug. ¶ Quarta cõcluſio. Ceremonię veteris legis erãt figurę iuſtitię efficiẽdę per Chriſtum. Hãc rẽ in primis elegãter, & ſuper omnes explicat D. Tho. in q. 102. pro cõcionatoribus. ¶ Ad argumẽta in oppoſitũ, & ad primũ reſpõdetur, quòd ceremonię veteris legis præſtabãt ſanctitatẽ exteriorẽ, ſicut copioſè explicatũ eſt in prima cõcluſione. ¶ Ad ſecũdũ argumẽtũ reſpõdetur, quòd in circũciſione remittebatur peccatũ originale, & cõferebatur gratia ad eius remiſsionẽ, ſed nõ cõferebatur virtute circũciſionis, quæ tamẽ erat ſignaculum iuſtitię fidei, vt teſtatur D. Pau. ſed conferebatur ex virtute fidei paſsionis Chriſti, quę in illo ſacramento præfigurabatur. ¶ Ad tertiũ argumẽtũ idẽ dicẽdũ eſt; de qua re ſi quis plura deſiderat, legat D. Th. 3. p. q. 70. ar. vlt. ¶ Ad vltimũ argumẽtum reſpõdetur, quòd Patres veteris teſtamẽti erãt verè amici Dei, & filij Dei adoptiui, prædeſtinati in adoptionẽ filiorũ Dei per Chriſtũ: cæterũ nõ acceperũt ſpiritũ adoptionis filiorũ ex legis obſeruãtia, aut ceremonijs, ſed ex fide, & amore in Chriſtũ Ieſum: quapropter pulcherrimè dicit D. Aug. quòd Patres veteris teſtamẽti, qui iuſti fuẽre, pertinebãt ad nouũ teſtamẽtũ. Sed hæc ſolutio inducebat nos in magnã diſputationẽ, vtrũ Patres veteris teſtamẽti fuerint verè & propriè filij Dei, an potiùs ſolũ dicãtur filij per figurã & typũ: ſed hæc quæſtio alterius eſt ſpeculationis, & in alio loco commodiùs diſputabitur.

Ambroſ. Eucumeni. Tertullian. Ioan. 1. D. Thom. Cõci. Flor. Cõci. Trid. Cano. Tert. cõclu. Aug. li. 1. cõtra duas epi. Pelagia. c. 7 & li 3. c. 4. Quar. cõcl. D. Thom. Ad pri. arg. Ad ſecundũ Rom. 4. Ad tertium Ad vltimũ. Aug. lib 3. cõtra duas epi. Pelagi. c. 4.

ARTIC. TERTIVS.

¶ *Vtrùm ceremoniæ veteris legis ceſſauerint in aduentu Chriſti.*

¶ Concluſio eſt affirmans.

EXPLICATIO ARTICVLI.

ARticuli huius aſſertionẽ probat D. Tho. autoritate diuinæ ſcripturæ: dicitur eã; Nemo vos iudicet in cibo, &potu, aut in parte diei feſti, aut neomeniæ, aut Sabbathi quę ſunt vmbra futurorũ: & ad Heb. 8. dicit, quòd nouũ teſtamentũ veterauit prius. His accedit optima ratio: nã ceremoniæ veteris legis ad cultũ Dei ſunt deſtinatę, vt ſuprà dictũ eſt: exterior aũt cult⁹ debet interiori cultui, qui in fide, ſpe, & charitate cõſiſtit, eſſe cõſentaneus: vnde ſecũdũ diuerſitatẽ interioris cultus debuit variari & immutari exterior cult⁹: cũ igitur in aduẽtu Chriſti, & adueniẽte lege Euãgelica, interior cultus fuerit immutat⁹, exterior etiã cultus immutatus fuit, ſic vt ceremoniæ veterislegis in aduẽtu Chriſti omnino ceſſauerint. Quod vt euidẽtiùs intelligatur, obſeruãdũ eſt, q̃ interioris cultus triplex ſtatus diſcerni poteſt. Vnus quidẽ, ſecundũ quẽ habetur fides, & ſpes de bonis cœleſtib⁹, & de his per quę in cœleſtia introducimur; de vtriſq; quidem, ſicut de quibuſdam futuris: & huiuſmodi ſtatus fuit fidei, & ſpei in veteri lege. Alius autem eſt ſtatus interioris cultus, in quo habetur fides, & ſpes de cœleſtibus bonis, ſicut de quibuſdã futuris, ſed de his q̃ quæ introducimur in cœleſtia, ſicut de preſentibus, vel preteritis; & iſte eſt ſtatus nouę legis. Tertius aũt ſtatus eſt, in quo vtraq; habẽt vt preſentia, & nihil creditur vt abſens, nec ſperatur vt futurũ: & iſte eſt ſtatus beatorũ, in quo nihil erit figurale ad diuinũ cultũ pertinẽs, ſed ſolũ gratiarũ actio, & vox laudis; vnde Apo. 21. dicẽtũ eſt de beatorũ republica; Templũ non vidi in ea, ſed Dñs Deus omnipotẽs tẽplum illius eſt, & agnus. Cõſimili ergo ratione ceremoniæ primi ſtatus, per quas figurabatur & ſecũdus, & tertius ſtatus, veniente ſecundo ſtatu ceſſare debuerunt; & alię ceremoniæ induci, quę conuenirent ſtatui cultus diuini pro tempore illo in quo bona cœleſtia ſunt futura: beneficia autem Dei,

Col. 2. Hebr. 8. Apoc. 21.

Dei, per quæ ad cœlestia introducimur, sunt præsentia. ¶ Vt autem ea quæ in hoc articulo adducit Diuus Thomas accuratè explicétur, no tandum est, quòd quæstio proposita, nimirum, An lex vetus cessauerit in aduentu Christi; po-
Sensus quæstionis duplex. test habere duplicem sensum. Prior est, vtrùm cessauerit quãtum ad vim obligandi. Posterior, vtrùm cessauerit quantum ad vim, & efficaciam. In vtroque sensu explicat fusissimè quæ-
Soto. stionem Soto lib. 2. de iustitia q. 5. art. 4. At verò veritas examinabitur argumentis quibusdam.
Prim. argu. Vtrũ lex antiqua cessauerit. ¶ Primum erit ad suadendum quòd lex antiqua nunquam cessauerit, & quòd duret in æternum. Nam in diuinis literis sæpenumero afferitur esse testamentum sempiternum legem veterem,
Exod. 30. Leui. 16. Baruch. 4. signanter Exod. 30. & Leuit. 16. & Baruch 4. sic habetur; Hic est liber mandatorum Dei, & lex
Secundum. in æternum. ¶ Secundò: Circuncisio instituta fuit in signum fidei Abrahæ; vt apertè testatur
Rom. 4. Pau. Rom. 4. Rursum, præceptũ de obseruatione Sabbathi datum fuit populo ad recolendum creationis beneficium: sed semper debemus esse imitatores fidei Abrahæ, semperq; debemus
Tertium. recolere creationis beneficium: ergo saltem hęc præcepta in sempiternum durant. ¶ Deinde, lex vetus, aut bona fuit, aut mala. Non mala, vt
Quartum. demonstratum est: ergo bona. Si bona: ergo mutari non debuit. ¶ Quartò, oblatio mundati leprosi ad legis ceremonias pertinebat: sed etiam in Euangelio præcipitur leproso emundato, vt huiusmodi oblationes offerat: ergo ceremoniæ
Heb. 8. Ephes. 2. veteris legis non cessauerunt Christo aduenien te. ¶ In contrarium est illud; Nouum testamentum veterauit prius: & illud; Legem mandatorum decretis euacuans. In hac quæstione explicanda est magna controuersia inter catholicos, hæreticos, & Iudæos; imò inter sanctos Patres,
Hieron. Augustin. D. Thom. Scot. Hieronymum & Augustinum non est eadem sententia; & inter Diuum Thomam, & Scotum est magna dissensio. Pro cuius rei expositione
Prl. cõclu. est prima conclusio. ¶ Lex vetus cessauit in aduentu Christi per legem Euangelicam. Ad hanc
Concilium Apostolorũ Act. 15. veritatem definiendam congregatum est Concilium Apostolorum, de quo fit mentio Actor. 15. Eandem veritatem demonstrat Diuus Paulus in suis epistolis, potissimè ad Galatas in cui-
Gal. 5. us c. 5. habetur illa insignis sententia; Si circuncidimini, Christus nihil proderit vobis: & paucis interpositis scribit; Euacuati estis à Christo qui in lege iustificamini; quibus verbis plane ex plicat, quo in sensu prius dixerit, Si circuncidimini, Christus vobis nihil proderit: id est, si credatis circuncisionem ad salutem esse necessariã, nihil vobis proderit Christi gratia. Idem com-
Heb. 7. & 8. probat ex professo ad Hebræos 7. & 8. in his locis habentur duæ insignes sententiæ; Translato sacerdotio, inquit, necesse est vt legis translatio fiat; & iterum; Testamentum nouum veterauit prius; & ad Ephes. 2. Legem mandatorum decre
Ephes. 2. tis euacuans. Lex mandatorum, est lex Moysi mandans, & non conferens gratiam, qua id quod mandatur, præstari potest: hanc Christus antiquauit, siue abrogauit per alia decreta. Præ-
Hieron. cepta legalia Euangelicis, ait Hieronymus, dog matibus commutauit. Ad eundem modum ex
Chrysost. Theophil. Eucumen. Coloss. 2. ponit Chrysostomus: item Theophilactus & Eucumenius idem docet ad Coloss. 2. cũ inquit, Nemo ergo vos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut Sabbathorum, quæ sunt vmbra futurorum; Corpus autẽ Christi; id est, nemo vos iudicet, aut condẽnet propter neglectũ Iudaismum; quia vmbrã corpore ipso præsenti nõ oportet tenere. Eadẽ veritas cõprobatur ex illo Saluatoris; Consumma
Ioan. 19. tum est; vbi significasse videtur, legẽ cũ omnibus quæ ad ipsam pertinent, per mortẽ suã esse terminatam. His, & alijs innumeris sanctæ scripturæ testimonijs conclusio proposita demonstratur. Oppositum huius veritatis est hæresis
Ebion & Cherinthus hæretici. August. Ebionis, & Cherinthi, vt autor est Aug. epist. 11. Rationes verò ad istã veritatem demonstrandã duæ sunt. Prior est, quoniam lex antiqua nõ da
Gal. 4. ta fuit in sempiternum, sed donec veniret pleni tudo temporis, vt dicit Paulus ad Galat. quarto: ergo adueniente temporis plenitudine continuò lex antiqua cessauit. Altera ratio est, quoniam status antiquæ legis totus erat in vmbris, & figuris præfigurantibus Christum vẽturum: ergo Christo adueniente, & eius luce coruscante statim lex antiqua cessauit. ¶ Secunda con-
Secũ. cõclu. clusio. Lex cessauit per legem Euangelicam, non solùm quantum ad ceremonialia, & iudicialia, verùm & quantum ad præcepta moralia. Nam Diuus Paulus absolutè, & absque vlla exceptione scribit, quòd translato sacerdotio vniuersa lex trãslata fuit; & iterum dicit, nouum testamentum vetus veterasse: & in epistola ad
Ephes. 2. Ephes. c. 2. apertè testatur, quòd Christus legem mandatorum euacuauit. Hæc conclusio statuta fuit ad explicandum illud axioma Theologorũ, quòd lex antiqua cessauit, quantum ad ceremonialia, & iudicialia; non verò quantum ad moralia præcepta. Si enim fiat sensus, quòd ex virtute legis antiquæ teneamur seruare præcepta moralia, falsum est, & contra fidem: si verò sit sensus, quòd tenemur seruare præcepta moralia ex lege naturali, quæ immutabilis permanet, & quia in lege Euangelica sunt confirmata, verus & catholicus sensus est.
Omnia præcepta legis antiquæ cessauerunt.
Tert. cõcl. ¶ Tertia conclusio. Lex vetus non cessauit statim post Christi natiuitatẽ: nã licèt Christus sit veritas quã illæ ceremoniæ prefigurabãt, multa tamẽ in lege cõtinebantur, quæ significabant ea quæ Christus in vita sua gesit; potissimè

ea, quæ in morte sua Christus passus est: & ideo non oportuit quòd statim nato Christo lex antiqua euanuerit. Probatur ita esse: nam Christus dum vixit, diligenter obseruauit legem, & vniuersa legalia, & exhortabatur cæteros vt illa obseruarent: ergo legalia nondum mortua erant.

Aug. epist. 19. Hieron. Præterea, Diuus Augustinus & Hieronymus cõstanter affirmant, quòd lex vetus viua fuit vsq; ad mortem Christi.

Heb. 7. & 8. Vltimò, Diuus Paulus ad Hebr. 7. & 8. manifestè dicit, quòd lex vetus nõ fuit translata, nisi mutato sacerdotio: sed sacerdotium Mosaicum non fuit mutatum quoadusque Christus, qui est sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, in ara crucis se obtulit in hostiam gratissimam Patri, cuius sacerdotij functio finiuit & extinxit sacerdotium Mosaicum: ergo vsque ad illud tempus lex antiqua viua erat.

Quar. cõcl. ¶ Quarta conclusio. Lex antiqua in morte Christi penitus extincta fuit, & mortua: tum, quantum ad obligationem; tum, quantum ad vtilitatem, & efficaciam. Probatur: nam (vt dicit Paulus) translato sacerdotio necesse est vt legis translatio fiat: sed in morte Christi translatum est sacerdotium Mosaicum, & institutũ est sacerdotium nouum: ergo tunc lex vetus extincta fuit. Deinde, Christus in consecratione sui sanguinis sic loquitur; Hic sanguis noui & æterni testamenti; significans se in effusione sui sanguinis, & in morte sua nouum instituere testamentum: testamentum autem nouum inuetterauit prius, vt dicit Apostolus ad Hebr. 8.

Hebr. 8. Vltimò, in morte Christi velum templi scissum est à summo vsque ad imum; quamdiu verò hoc velum integrum erat, lex antiqua perseuerabat: ita argumentatur Diuus Paulus ad Hebr. 9.

Mat. 27. Heb. 9. ¶ Sed aduersus hanc doctrinam sunt argumenta quædam, quibus probari videtur, legem veterem statim ab aduentu Christi cessasse, & abolitam esse. Nam sanctæ scripturæ partim testantur præcepta legalia esse figuras, & vmbras eius gratiæ, quæ per Christum exhibita est: iuxta illud; Vmbram habens lex futurorum bonorum, & Ioan. 1. Gratia & veritas per Iesum Christum facta est; partim testantur, Christum adimplesse legem, vt in illo; Non veni soluere legem, sed adimplere: partim verò testantur, Christum esse finem legis; ad Roman. 10. Finis legis Christus est ad salutem omni credenti. Ex quibus videtur colligi, quòd aduenière Christo lex antiqua statim euanuit, sicut coruscante luce vmbræ statim euanescunt. Hoc idem confirmatur ex illa sentẽtia Mat. 11. & Luc. 16. Lex & Prophetæ vsq; ad Ioannẽ: ergo lex antiqua ante mortẽ Christi iã mortua erat. Ad hęc argumẽta patet solutio ex tertia cõclusione, præterquã ad vltimum, ex Luc. 16. ad quod respõdetur, illã sententiã nõ ita intelligẽdã esse, vt post Ioãnẽ vtraq; omnia abijciẽda sint, sed q̃ lex & prophetæ vsq; ad Ioannẽ sunt tanquã præparatores, & prænũcij aduentus Christi, quo aduenière, præparatio & prænuncia tio eorũ cessat; vtraq; tamẽ remanẽt ad prænunciatorũ cõfirmationẽ, vt sciamus, aduentũ Christi diuina dispesatione ab eis lõgè antè prænũciatũ. Communis huius scripturæ explicatio est, q̃ qui Ioannẽ præcesserũt, prædicebãt Christũ venturũ; Ioãnes verò Christũ iã natũ digito ostẽdebat. ¶ Sed iã tẽp⁹ est vt argumẽtis positis in principio satisfaciamus. Ad primũ dicendum, quòd sempiternũ, siue æternũ, aliquãdo accipitur in sacris scripturis pro duratione lõga temporis, vt illud Psal. 75. A mõtibus æternis. Secũdò respõdetur, q̃ lex illa vetus nõ fuit prorsus abolita, sed potiùs explicata perfectiùs, & meliùs obseruata, iuxta sentẽtiã Christi; Nõ veni soluere legẽ, sed adimplere. Quantò ergo perfectior est spiritus, tantò & ipsa lex perfectior est effecta per aduentum Christi, & meliùs intellecta. Vel tertiò dicit̃, q̃ quãtũ ad præsignãta, præsertim Christũ, perseuerat lex: de qua re infrà erit abũdãtior sermo. ¶ Ad secũdũ respõdetur, q̃ fides Abrahæ fuit cõmẽdata, quia credidit promissioni factæ de semine vẽturo; & ideo Iudęi antequã veniret Christus, protestabãtur per circũcisionem fidẽ Abrahę: postquã autẽ venit Christus, qui est semẽ verũ, alio signo profitemur, & explicam⁹ fidẽ, per baptismũ, in quo regeneramur. Sabbathũ verò quod illi custodiebãt, recolẽtes beneficiũ creationis, mutatũ est nũc in diẽ Dñicam, in qua resurrexit Christus. Et quidẽ dies Dñicus ipsius Christi, requietionis dictus est: sicut enim Sabbathũ erat dies in quo requieuit De⁹ ab omni opere quod patrarat; ita in hac noua mũdi reformatione Christus in die resurrectionis ab oĩbus laboribus suis quieuit: quare nos veneramur & colimus hũc diẽ, ipsi quoq; expectantes reformationẽ corporis nostri, cõfigurati claritati corporis eius, vt ad Phil. 3. dicitur. ¶ Ad tertiũ respõdetur, q̃ lex vetus fuit bona ad præsignãdũ Christũ vẽturũ, at postquã Christus venit, & veritas est effecta, nõ licet obseruare: nã cõtineret falsã significationẽ. De qua re vide Aug. q̃ multis rationibus ostẽdit, quare lex, cum bona fuerit, mutata sit. ¶ Ad quartũ respõdetur, q̃ mysteriũ redẽptionis humani generis cõpletũ fuit in passione Christi; vnde tũc Dñs dixit; Cõsummatũ est; & ideo tũc totaliter debuerũt cessare legalia, quasi iã veritate eorũ cõsummata; in cuius signũ in passiõe Christi velũ tẽpli legitur esse scissum. Et ideo ante passionẽ Christi, Christo prædicãte, & miracula faciẽte, currebãt simul lex, & Euãgeliũ; quia iã mysteriũ Christi erat inchoatũ, sed nõdũ cõsummatũ: & ꝓpter hoc mãdauit Christus Dominus ante passionem leproso, vt legales ceremonias obseruaret. ¶ Hæc solutio, quæ

Obiectiões cõtra prædicta. Heb. 10. Ioan. 1. Mat. 5. Rom. 10. Mat. 11. Luc. 16. Solutio obiectionũ

Arg. solut. Ad pri. arg. Quid æternũ designet in scripturis Psal. 75. Mat. 5. Ad secundũ Sabbathum in diẽ Dominicã mutatum. Phil. 3. Ad tertium Aug. lib. de vera religione c. 17. & 18. Ad quartũ. Ioan. 19. Matth. 27.

D.Thom. quæ est expressa sententia Diui Thomæ in hoc articulo solutione ad secundum, exhibet nobis tria diuinæ Theologiæ documenta. Primũ est, quòd lex vetus vsque ad mortem Christi permanebat in præcepto, & habebat vim obligãdi. Secundum est, quòd baptismus vsq; ad Christi mortem erat in consilio, non in præcepto: baptismus namq; viuente Christo non solũ institutus fuit, verũ & in vsu habitus, vt habetur Ioan. 3. & 4. Ioã.3. & 4. Tertiũ assertum. Statim à morte Christi circuncisio, & tota lex extincta est, nec amplius habuit vim obligandi. ¶ Hæc vniuersa doctrinę D. Tho. documenta cõuellere & labefactare nititur Scotus lib. 4. sen. d. 3. q. 4. & statuit in cõtrarium alia tria documẽta. In primis docet, quòd circuncisio, & vniuersa lex post institutionẽ baptismi extincta est quantũ ad vim obligandi, & perseuerauit tantùm sub consilio. Deinde, de baptismo docet, quòd ab eius institutione vsq; ad Christi passionem fuit in consilio, in quo rectè conuenit cum D. Thom. sed addit, quòd à baptismi institutione vsque ad promulgatum Euangelium mansit etiam sub consilio; in quo omnino discedit à sententia Diui Thomæ, qui dicit, baptismum statim à morte Christi in præcepto fuisse. Postremò docet Scotus, nec vim obligandi, nec vtilitatem circuncisionis, & legis extinctam esse in morte Christi; imò ait obligasse vsque ad sufficientem promulgationem Euangelij; quoad eos saltim, qui ignorabant in Euangelio baptismũ esse institutum, & legem circuncisionis reuocatam. Et quòd hæc asserta Scoti vera sint, probatur in hunc modum. In primis, quòd institutio baptismo circuncisio solùm permanserit sub consilio, sic ostenditur, scilicet quòd licebat Iudæo indifferenter vti baptismo, & circuncisione. Nam si Iudæus paruulum suum ante passionem post institutum baptismum ad prædicationem Christi, vel Petri baptizasset, & non circuncidisset, si paruulus ille fuisset mortuus, salutem fuisset consecutus; recepisset siquidem gratiam ex baptismo: baptismus enim ex prima institutione contulit gratiam: ergo circuncisio non erat necessaria, nec in præcepto. Deinde, pater Iudæus, in fide instructus, habebat remedium sufficiens ad salutem sui paruuli, nempe baptismum: non ergo tenebatur illum circuncidere. Ad hæc, præceptum baptismi totaliter aufert circuncisionem, reddendo eam prorsus inutilem, ac pernicioſam: ergo & consilium huiusmodi baptismi tollit eius necessitatem, relinquendo eam sub consilio. Consequentia inde probatur: quia si alicuius rei præceptum est alterius prohibitio, eiusdem consilium tollit saltem necessitatem alterius rei; sicuti consilium virginitatis tollit nuptiarum præceptum, & cui præciperetur virginitas, omnino interdicerentur nuptiæ. Sed iam probandum est, quòd baptismus ante passionem non tantùm erat in consilio, verùm etiam in præcepto; in quo etiam sententia Diui Thomæ labefacta ri videtur: & arguitur sic. Nam Iudæus de doctrina Christi sufficienter instructus, ad eius prędicationem tenebatur legẽ Christi susc ipere, & Christianus fieri: at Christianus effici non poterat nisi per baptismum: ergo baptizari tenebatur; ac subinde baptismus iam erat in præcepto. Hoc ipsum confirmatur. Nam si gentiles ante passionẽ conuerterẽtur, tenebantur baptizari, vt planè constat: ergo etiam Iudæi. Quomodo ergo verùm est quòd baptismus ante passionem non erat in præcepto? Sed tertium assertum Scoti confirmatur maioribus argumentis, scilicet, legem Euangelicam post passionẽ, ante promulgationem Euangelij nullam vim obtinuisse obligandi, saltẽ apud eos qui prædicationẽ Euangelij ignorabãt. Primo sic: nullus aliter se habet ad aliquã legẽ quàm prius, nisi quia est illi aliter promulgata: sed ante passionem non tenebãtur homines ad baptismum: ergo nec tenebantur quoadusq; eis fuerit promulgatus; quæ promulgatio nõ statim à passione Christi fuit facta in vniuerso orbe. Secundò, post mortem Christi vsq; ad tẽpus promulgationis Iudæi tenebãtur circũcidere paruulos suos, quia nullo modo cõstabat eis circuncisionẽ esse reuocatã; certũ autẽ est Iudęũ eã conferre paruulo suo, vt vtilẽ, & necessariã ad salutem: ergo vel tenebãtur habere falsam opinionẽ de circũcisione, vel tenebantur eam paruulo adhibere. Quòd verò teneren tur falsam opinionem de circuncisione habere, nullo modo dicendum est; quia Deus nullũ decipit, nec obligat vt necessariò decipiatur. Tertiò sic: nusquã homo fuit relictus sine certo remedio, de quo nõ esset certus, quærat certũ remediũ: sed illo tempore medio post passionẽ Christi, ante publicationẽ Euangelij nullum fuit certũ remedium Iudæis datum de nouo; quia nec publicatum: ergo remansit idem quod prius, & æquè certum remedium sicut prius. Et cõfirmatur hoc ipsum. Si enim circuncisio non habebat suã vim apud ignorantes Euangeliũ, cõsequens est quòd esset mundus sine remedio pro paruulis, interim dum promulgabatur Euangelium. Præterea, si Iudęus Euangelij ignarus filium circuncideret, fieret infans ille saluus, & remitteretur ei peccatum originale: ergo circuncisio post passionem ante Euangelij promulgationẽ vim suã retinebat. Vltimò, si Iudęus, qui ignorabat in uincibili, & inculpabili ignorãtia Euangelij legem, applicaret puero circuncisionem; puer, vt dudum dicebamus, salutem cõsequeretur: ergo etiam si Iudæus, qui Euãgelij prædicationẽ audisset, & miraculorũ esset intuitus virtutẽ, quem

Prob. secũd. assertion. Scot.

Confir.

Proba. tert. assertio. Scot.

Prim. argũ.

Secundũ.

Tertium.

Quartum.

Confir.

Tertia,

Secunda.

Pri. assertio Scot.

Scot.

Argu. prim. Scot.

Magna cõtrouersia de tẽpore quo prȩceptum circũcisionis extinctum est.

Secundum.

Tertium.

iam inculpabilis ignorantia non excusaret, si, inquam, hic Iudæus tunc temporis circumcideret puerum, puer ille salutem consequeretur. Consequentia probatur: nam iniquitas circumcidentis non est cur misero infanti noceat, & detrimentum afferat. Nam si quis modò baptizaret infidelis puerum, intendens facere quod Christiani faciunt, licèt minimè in baptismum crederet, baptismus ille puero prodesset. Ad hęc argumenta satisfaciendum est, & in primis ad ea argumenta quæ primum documentum Diui Thomæ subuertere videbantur. Sed operę pretium erit prius illud Diui Thomæ documẽtum certis rationibus confirmare. Aiebat itaque Diuus Thomas, quòd circumcisio, & vniuersa lex ante passionem Christi erat in præcepto; ita que vsque ad mortem Christi non est extincta quantum ad vim obligandi. Quod documentum ex dictis vtcunque patere poterat, sed euidentiùs demonstratur. Certè baptismus non solùm succesit circumcisioni, sed multis alijs ceremonijs, & lauacris quæ baptismum præfigurabant: sed prædicta lauacra, & cæteræ ceremonię non cessauêre vsque ad passionem Christi: nec Scotus ait illa cessasse: ergo nec circumcisio, donec passionis tempus aduenit, extincta est. Itẽ, Eucharistia succesit agno Paschali, & est instituta ante Christi passionem: at obligatio erat vt agnus immolaretur, & sic Christus fecit, vt patet ex historia cœnæ: obligabat ergo lex vetus vsque ad Christi passionem. Hoc ipsum docet Augustinus dicens, Venit fides quæ prius illis obseruationibus pronunciata est, post mortem verò & resurrectionem Domini reuelata, illa sacramenta vetera amiserunt vitam officij sui: atque in hoc libenter fatetur se consentire D. Hieronymus. His accedit glossa super illud ad Hebr. 10. Hostiam & oblationem noluisti, quæ ait, Noluisti, scilicet à tempore passionis: nam tunc illa displicere cœperunt, quando est cõplęta veritas, cuius erant figuræ, vt scribit Augusti nus. Præterea, Christus nemini dixit se abrogare, & reuocare veterem legem vsque ad passionis tempus; imò dixit, se non venisse ad soluendam legem, sed ad implendam: quòd si vinculũ circumcisionis abstulisset, & eius necessitatem reuocasset, quomodo quadrabat quòd legem verè & diligenter obseruabat? Imò Apostoli Domini etiam post Pentecosten dubitabant, vtrũ legalia essent obseruanda, nec ne: vnde Diuus Petrus, Absit, inquit, Domine, quia nunquã mã ducaui omne commune & immundum: & de circumcisione, vtrùm seruanda esset, magna fuit disceptatio inter discipulos Domini. Item Dan. 9. dicitur, quòd vsque ad dimidium hebdomadæ stabit pactum: quam sententiam elucidantes sancti Patres dicunt, per illud tempus significari Christi Domini passionem, & mortem.

Persuasio quòd lex vetus ante passionẽ erat in præcepto

Aug. epist. 19. ad Hieron.

Et glos. Ps. 39.

Augu. super Psal. 39.

Act. 10.

Act. 15. Dan. 9.

¶ Hoc itaque sic probato, & constituto, ad primum argumentum Scoti dicendum est, consequentiam argumenti esse inualidam: nam pater eo in casu peccaret, non quidem propter necessitatem gratiæ filio conferendæ, sed propter necessitatem legis adimplendæ. Circumcisio enim non solùm data est in remedium peccati originalis, sed in signum quo populus ille ab alijs distingueretur; & ideo erat præceptum de circumcisione: tametsi paruulo sufficienter erat prouisum de salutis remedio: quêadmodum de Cornelio Centurione scribitur, qui sanctificatus per Spiritum sanctum postea baptizatus est: & Zacharias tenebatur circumcidere Ioannem Baptistam, quamuis certò cognoscebat Ioannem fuisse in vtero sanctificatum. Certè præceptum circumcisionis datum est à Deo ipsi Abrahæ iam iustificato, vt palàm testatur Paulus: nihilominus tenebatur se, & alios circumcidere. Ex hac doctrina confutatur secundum argumentum.

Solut. arg. quæ Scotus proposuit. Ad primum

Act. 10.

Rom. 3. & 4

¶ Ad tertium dico, consequentiam nullam esse, solùmque concludere, vbi res illę secum pugnant, & simul fieri non possunt, vt in virginitate patet, & matrimonio; cui enim præcipitur virginitas, omnino matrimonium interdicitur, & ideo consilium virginitatis tollit matrimonij necessitatem, & præceptum: verùm quando res vna alteram secũ patitur, argumenti consequentia bona esse nequit: nec enim orationum consilium in quadragesima tollit ieiunij præceptũ. Cum ergo lex vsque ad veritatem redemptionis esset posita, non est cur peculiariter circumcisio dicatur per baptismi consilium amisisse vim obligandi. Hæc dicta sint in defensionem primi documenti Diui Thomæ, quod vt verum & certum amplectuntur vniuersi ferè Theologi. Durandus in 4. d. 1. q. 9. Paludanus q. vltima. Richardus d. 3. art. 5. q. 3. Maior d. 3. q. 1. Adrianus q. 1. ¶ Sed iam deueniamus ad argumenta facta contra secundum documentum. Nam quãuis Diuus Thomas in hoc articulo, solutione ad secundum, non apertè doceat quòd baptismus vsque ad passionem Christi dumtaxat esset in cõsilio, quin potiùs dicit, quòd lex & Euangeliũ currebant simul: nihilominus tamen 3. p. q. 66. art. 2. expressè id docet. Propter quod ad primum argumentum in contrarium dicendũ est, quòd Iudæus quidem ad prædicationem Christi tenebatur legem Euangelicam suscipere, & Christianus fieri; at eo temporis interstitio ad suscipiendam Euangelij legem, & Christianismum, non erat necessarium baptismum suscipere; quandoquidem non erat præceptum de baptismate, nisi pro tempore succedẽte passioni. Ad confirmationem dicat Theologus, non esse eandem rationem de Iudæo, & gentili: nam cũ gentilis

Ad secundũ & tertium.

Durand. Palud. Richar. Maior. Adria.

Ad argum. contra secũdã assertionem.

Ad confir.

gentilis circuncidi non posset, illico baptizari tenebatur: quamuis indubiè credendum est, Iudæos, ante passionem Christi, in fide Christi instructos, statim esse baptizatos: idque apertè cõstat Ioannis. 3. & 4. vbi habetur, Apostolos ante mortẽ Christi baptizasse. Atq; hactenus de secundo documento. Deinceps tertium documẽtum Diui Thomæ asserendum est, & defendendum. Et profectò documentum Scoti, scilicet, quòd lex & circuncisio non fuerit extincta, & mortua in passione Christi, sed vsque ad sufficientem Euangelij promulgationem viuam permanere, vt mihi videtur, non solùm pugnat cũ sanctis Patribus, Augustino & Hieronymo, & Doctoribus scholasticis, quos suprà commemorauimus, verùm etiam cum diuinis scripturis, quarum testimonia in superioribus diligenter commonstrata sunt. Vnde ad primum argumẽtum Scoti respondetur, quòd illo tempore medio, quo nondum erat Iudæis reuocatio legis prædicata, non obligabantur ad circuncisionẽ, ex aliqua vi circuncisionis, nec ex diuino præcepto, quod erat reuocatum in Christi passione, sed obligabantur ex quadam erronea conscientia, qua existimabant circuncisionem adhuc esse necessariam. Nam vt optimè docet Diuus Thomas 1.2.q.19. conscientia erronea obligat. Quòd si quispiam contra hanc doctrinam argumentetur in hunc modum. Præceptum de baptismo non habuit vim obligandi ante promulgationem Euangelij: ergo præceptum de circũcisionis obligatione non perdidit vim suam ante reuocationis sufficientem promulgationem, & ita non statim post mortem Christi; Respondeat Theologus, consequentiam esse nullam, & similitudinem non consistere: plura enim requiruntur ad constituendum, quàm ad destruendum: & ad hoc quòd lex superioris obliget, plura requiruntur quàm ad hoc quòd non obliget: quia ad secundum sufficit sola superioris reuocatio; ad primum autem non sufficit sola institutio, sed requiritur promulgatio. Verùm licèt sola reuocatio præcepti tollat eius vim obligandi, nihilominus tamen subditus, cui datum est illud præceptum, obligatur ad illud obseruandũ, donec sibi innotescat reuocatio; non quidẽ virtute præcepti, sed propter dictamen conscientiæ, vt suprà dictum est. Hæc solutio satis confutat argumentum primum. Sed aduertat Theologus, Scotum grauiter errare in eo quòd existimat, tunc legis obligationem incipere, quando in notitiam venit subditorum: quod profectò falsum est; sed tunc incipit obligare, cum primũ publico edicto à Principe ponitur. Nã prædicatio Apostolorum non fuit positio legis; quia ipsi non erant legislatores Euangelij, sed Christi promulgatores, licèt particulares possent alias leges ponere. Vnde in festo Pentecostes non fuit data lex orbi, sed virtus facultasque Apostolis ad illam promulgandam. Nam antea dixerat Christus; Ite, & promulgate Euangelium, docete omnes gentes, baptizantes eos &c. quod signum est, iam tunc obligasse Euangelium, ac baptismum. Item ad idem arguitur: si lex neminẽ obligaret quoadusq; legem audiret, impropriè ignorantia diceretur excusare: nam excusatio non est nisi ab eo ad quod homo tenetur; si ergo ignorantia excusat, signum est, vinculũ legis de se ad omnes extendi: sed ignorantia protegit ignorantem à culpa. Tertiò ad idem argumentor, sequeretur, si qui nondum audiuit, nõ obligatur, quòd neque dum ignorantia fieret vincibilis, ita vt sua culpa non audiret, obligaretur. Nam quæro, quando cœpit obligari? ad quod certè responderi non potest, nisi quando data est lex. Et quartò ex eodem modo opinandi sequeretur, quòd postquã quis liberatus esset à lege veteri, & obligatus nouæ, contingere posset sine noua mutatione legis, vt rursus absoluerẽtur à noua, & teneretur veteri: quoniam si Iudæus à Hierosolymis distans, post Pentecosten audisset legem Christi obligare, qui antequam signa sufficientia videret, fidem daret, non tamen leuiter, quod fieri poterat, iam tunc nõ obligaretur ad antiquam, & teneretur nouæ: si verò postea pseudoprophetæ contrarium ei dicerent adhibendo signa & testimonia falsa, ita vt citra culpam rediret ad priorem fidem, rursus eximeretur à nouæ legis obligatione, & subditus fieret veteri. Et per hoc dissoluitur etiam secunda solutione hoc argumentum, quo ait, nullus aliter se habet ad aliquam legem quàm prius nisi quia est sibi aliter promulgata: sed ante passionem non tenebantur homines ad baptismũ: ergo nec tenebantur quousque eis fuerit promulgatus; quod vsu non venit statim à passione. Distinguitur nãque prior præmissa: si enim intelligat nullum ante promulgationem aliter se habere ad legem, quantum ad vinculum obligandi, id abnuendum est; imò statim quòd à Principe lex solenniter edicitur, obligat. Si autem intelligat, quòd nemo constituitur in culpa antequam legem sciat, libenter fatemur; cũ temperamento tamen, nisi per se steterit quominus illam audierit. ¶ Ad secundum argumentum dicendum est, quòd Iudæus tenebatur circuncidere paruulum, non quidem ex vi præcepti, sed propter ignorantiam, & conscientiã erroneam, sicut suprà expositum est. Profectò si lex præcipiens circuncisionem sic haberet; omnes posteri Abrahæ circuncidantur vsque ad pũctum temporis quo Messias passus fuerit; nemo asseuerare posset, post illud tempus legem obligare: nihilominus tamen qui tempus ignoraret,

Ioã. 3. & 4.

August. Hieron.

Ad argum. contra tertiam assertionem.

Ad primum

Error Scot.

Ad secundũ

teneretur postea circuncidi propter ignorantiã. Certum autem est, legem veterem non fuisse in stitutam nisi vsque ad illud tempus quo Christus dixit: Consummatum est. Ad id verò quod ponitur in argumento, quòd Deus nullum decipit, nec obligat vt decipiatur, dicit Adrianus quæstione citata, quòd nullus obligatur de per se, & ex solo Dei præcepto credere aliquid falsum, sed de per accidens, & ex aliquo adiuncto bene tenetur. v. g. nullus tenetur credere de hostia nõ cõsecrata, q̃ sit cõsecrata; tamẽ si credat sacerdotem cum intentione consecrandi, formam protulisse supra debitam materiam, tenetur credere eam esse consecratam. Vnde simili argumento probaretur, quòd Christus post partum Mariæ non erat incarnatus, vel genitus, & hoc sic; Iudæus ante promulgationem sibi factam quòd Christus venit in carnem, tenebatur credere Christum non incarnatũ esse, ex quo nõ cõstat de illius impletione; & Deus non obligat ad aliquem errorem: ergo post partum Mariæ Christus nondum erat natus; sed sicut hic per accidens tenebatur ad hoc propter ignorantiam impietionis, ita similiter in proposito ad hoc obligatur propter ignorantiam reuocationis. Sed hæc solutio explicata est suprà cum de conscié-

Ad tertium tia erronea actum est. ¶ Ad tertium dicendum, quòd licèt genus humanum nunquam fuerit relictum sine certo remedio salutis, de quo satis constaret inter homines, non tamen oportet q̃ omni homini in particulari sit semper paratum tale remedium, vt patet in paruulis infidelium, & in paruulis qui moriuntur in vtero matrum; de fatuis, & amentibus idem iudicium est: non ergo incommodum est de quibusdam Iudæorum, quibus nondum Euangelium satis promulgatum erat. Sed & illud addunt Theologi in cõfutatione huius argumenti, quòd post passionẽ Christi ante Euangelij completam promulgationem, non erant homines sine certo remedio. Nam qui notitiam legis habebant Euangelicæ, poterant vti baptismo in remedium peccati; qui verò ignorabant, poterant vti circuncisione, nõ tanquam sacramento veteris legis, sed quasi remedio legis naturæ, quod non cessauit vsque ad

Mat. 10. sufficientem Euangelij promulgationem, vt in

Mat. vlt. frà dicetur. Præceptum enim illud; In viam gentium non abieritis; non est reuocatum vsque ad

D. Thom. ascensionem Matthæi vltimo; Docete omnes gentes, de quo videndus est Diuus Thomas in

Obiectio difficilis. 4. d. 3. art. 5. ¶ Contra hoc est difficillimum argumentum. Sacramenta legis naturæ abolita sunt per mortem Christi, aliàs nunc etiam manerẽt: ergo neque per modũ legis naturæ poterat prodesse circuncisio. Confirmatur: nam sacramenta legis naturæ etiam præfigurabant Christum: ergo falsa erat significatio illa tunc. Pro solutione supponatur cum doctoribus in 4. d. 3. eo tẽpore remansisse remedia legis naturæ. Ita Capreolus q. 3. artic. 3. Soto 2. de iustitia q. 5. arti. 4. Respondetur modò primò, quòd remedium legis naturæ tunc exhibitum, prout erat legis naturæ, abstrahebat à Christo aut venturo, aut iã nato, sicut dicit Diuus Thomas 2. 2. q. 1. artic. 3. de fide Iudæi Christo iam nato. Secundò respõdetur, quòd postquam Christi Euangelium sufficienter est promulgatum, nullum superstitit remedium præter Euangelica sacramenta: antè verò ideò erant remedia, quia sacramenta illa duo continebant, nempe protestationem Christi venturi; alterum verò erat protestatio fidei diuinæ: & pro hac secunda parte, licita remedia erant ante claram Euangelij lucem. Ex hac doctrina euidenter confutatur confirmatio huius argumenti, atque etiam quartum argumentum propositum. ¶ Ad vltimum argumentum Ad quartũ. & vltimũ. Doctores Theologi, inter quos est doctissimus Soto. Soto, loco citato negat consequentiã argumenti: & ratio est; nam circuncisio de se nihil iã tũc proderat, nisi per fidem applicantis. Qui autem credebat Euangelio, vel tenebatur credere, iniquè, & peruersè applicabat fidem adhibita circuncisione, quam sciebat iam esse extinctã, alioquin concedendum esset, quòd etiam in hac ẽta te Iudæi circuncidentes liberos suos illis ad salutem prosunt; quod asserere, hæresis est execranda: qui autem inuincibiliter illo sacramento vtebatur ignorans, rectè suam fidem applicabat. Hęc est solutio doctissimorum hominum. Si quis verò dicat, quòd eo tempore interim dum promulgabatur lex Euangelij sufficienter, quãdiu durabat circuncisio vt remedium naturę, valebat ad remittendum peccatum originale in paruulis, à quocunque applicaretur, etiam hęretico: dum verò haberet animum faciẽdi quod facerent veri fideles, non diceret (vt ego iudico) aliquid improbabile. Nam illud remedium adhibitum paruulis erat veluti sacramentum, quo adhibito, ex opere operato remittebatur peccatũ originale, & ideo valebat in remedium, etiam si ab infideli applicaretur. Nec est idem iudicium de Iudęis, qui nunc temporis liberos suos circũcidunt: nam in hoc tempore non permanẽt naturę remedia; siquidem Euangelium iam sufficienter diuulgatum est.

ARTIC. QVARTVS.

¶ Vtrùm post passionem Christi legalia possint seruari sine peccato mortali.

¶ Conclusio est negans.

EXPLI-

EXPLICATIO ARTICVLI.

Gal.5. HÆc conclusio in primis probatur ex illo; Si circũcidimini, Christus nihil vobis prodest. Sed nihil excludit fructum Christi nisi peccatum mortale: ergo circuncidi,& alias ceremonias legis obseruare post passionem Christi, est peccatũ mortale. Huius rei altera demonstratio est: nam ceremoniæ veteris legis, vt suprà dictum est, protestationes quædam erant Messiæ venturi: confessio enim fidei non modò verbis, sed etiam factis fit: fides autem quam nos de Christo confitemur, eadem est quam profitebantur antiqui; non solùm quia de eodem est Christo, verùm quia easdem veritates ambo populi cõfitemur, scilicet eius natiuitatem, passionem, & resurrectionem: tamen per enunciationes diuersi temporis fatebantur illi veritatem illam Esaiæ; Ecce virgo concipiet,& pariet filium; nos autem quòd concepit,& peperit. Sicut igitur qui modò assereret Christum nasciturum, passurum,& resurrecturum, impius esset, quoniam falsum, & execrabile dogma astrueret; sic & ille qui ceremonijs antiquæ legis idem protestaretur. Vn-

Aug.19.cõtra Faust.c. 16. de contra Faustum scribit Diuus Augustinus. Iam non promittitur nasciturus, passurus, resurrecturus, quod illa sacramenta quodammodo personabant; sed annunciatur quòd natus sit, passus sit, & resurrexit, quod hæc sacramenta, quæ à Christianis aguntur, iam personant.

An legalia aliqua ratione obseruare liceat post Christi passionem. Prim.arg. ¶ Pro huius rei expositione notandum, quòd postquàm iam probatum est & demonstratum in superiori articulo, legalia vniuersa in morte Christi antiquata esse, & abrogata; tum quantũ ad vim obligandi: tum etiam quantum ad virtutem iustificandi; restat examinandum in præsentia, num aliqua ratione liceat ea obseruare post passionem Christi. ¶ Et à parte affirmatiua sic arguitur. Apostoli, quos post confirmationem Spiritus sancti non est credendum peccasse mortaliter, post mortem Christi obseruauerunt legalia. D. enim Paulus circuncidit Timotheum,& seipsum purificauit vt ingrederetur in templum secundum ritum Mosaicum: & Diuus Petrus obseruauit legalia, & concilium Apostolorum præcepit gentibus ad fidem conuersis vt abstinerẽt à sanguine suffocato, quod erat obseruatio legis Mosaicæ: ergo obseruare legalia post mortem Christi non fuit peccatum mortale. ¶ Deinde arguitur ex autoritate Diui Augustini qui ait; Fateor sanè quòd in eo quod epistola mea continet, quòd ideo sacramenta Iudæorum Paulus celebranda susceperit, cum iã Christi esset Apostolus, vt doceret, non omnia esse pernicioſa his qui ea vellent, sicut à parentibus acceperunt, per legem custodire; minus me posuisse, sed addere debuissem, illo dumtaxat tẽpore, quo primùm fidei gratia reuelata est: tunc enim non erat hoc pernicioſum, progressu verò temporis illę obseruationes ab omnibus Christianis erant deserendæ: & paulò pòst sic scribit; Non impudenter flagito, vt nos intelligere sinas Pauli dictum; Si circuncidimini, Christus nihil vobis proderit; dictum esse contra eos, qui propterea volebant circuncidi, quòd aliter putabant in Christo saluos esse non posse. Hoc ergo animo, hac voluntate, hac intentione quisque tunc circuncidebatur, Christus ei omnino nihil proderat, sicut alibi apertè dicit; Nam si per legẽ est iustitia, Christus gratis mortuus est; hoc declarat & quod ipse commemorasti: Euacuati estis à Christo qui in lege iustificamini, à gratia excidistis. Itaque illos arguit, qui se iustificari in lege credebant; non qui legitima illa in eius honorem, à quo mandata sunt, obseruabant: ergo post passionem Christi poterant obseruari legalia sine peccato mortali. ¶ Præterea, licitum est discernere cibos iudicando alios mundos, alios immundos, & ad manducandum prohibitos: ergo licet post passionem Christi legis ceremonias obseruare. Antecedens autoritate Diui Pauli ad Roma.14. probatur, vbi videtur significare, quòd qui discernit cibos, relinquẽdus est suę conscientiæ; sic enim ait, Vnusquisque in suo sensu abundet; id est (interpretante glossa) in suo consilio dimittatur, ne scandalum passus, à charitate, quæ est mater omnium virtutum, recedat: ergo hæc obseruatio ceremoniarum stat cum charitate; imò vt postea apertè dicit, non licet coram tali, cibum, quem ille communem, & immundum existimat, comedere cum offendiculo talis fratris: sic enim ait; Si propter cibum frater tuus contristatur, iam non secundum charitatem ambulas. Hoc idem confirmatur ex Cõcilio Bracar.& habetur 30.d.c.si quis. Si quis carnẽ manducãtem ex fide cũ religione prẽter sanguinẽ,& idolo immolatam & suffocatam, crediderit condemnandum, tanquam spem non habentem qui eam manducat, anathema sit. Ex quo videtur, illa nõ solùm licere, sed cadere sub obligatione. ¶ Ad hæc, licet simulare cultum idololatriæ: licebit ergo post passionem Christi simulatè & fictè seruare legis ceremonias,& circuncisionem. Antecedens patet in primis autoritate Diui Hieronymi, commendantis Iehu de vtili simulatiõe idololatrię, qua se simulauit velle colere Baal, vt habetur 4.Reg.10. quo in loco scribit Hieronymus; Vtilem simulationem,& in tempore assumendam Iehu Regis Israel nos docet exemplum; qui cum non potuisset interficere sacerdotes Baal, nisi finxisset se idolum velle adorare, id simulatè fecit; de quo videtur per Dominum commendari: sequitur enim paucis interpositis. Quia studioſe fecisti & quod rectũ erat,

Bracarense concilium.

Quartum.

Hieron.

4 Reg.10.

Secundũ.

Aug. epist. vlt. ad Hieron.

Tertium.

Rom.14.

erat,& quod placebat in oculis meis &c. Idem
4.Reg.5. comprobatur ex eo quod habetur 4.Reg.5.vbi Naaman Syro rogante Eliſeum; Hoc ſolùm eſt de quo depreceris Dominum pro ſeruo tuo. Quando ingredietur dominus meus templum Rémon, vt adoret;& illo innitente ſuper manũ meam,ſi adorauero in templo Rẽmon, adorante eo in eodem loco,vt ignoſcat mihi Dominus ſeruo tuo pro hac re &c. Reſpondit Eliſeus ei: Vade in pace. Per quod videtur Eliſeus ei intimaſſe,quòd hoc modo ſimulare adorationem idoli,licuit ipſi. Et quòd hoc ſimulare intẽdebat Naaman,patet: quia(vt dicit gloſſa) voluit ibi cum domino adorare, ne offenderet Dominũ ſi pariter non adoraret:magis autem diſplicuiſſet domino idololatræ alium Deum adorare,
Quintum. quàm ſimpliciter non adorare.¶ Item, quidam Chriſtiani in his qui appellantur Presbyteri Ioãnis,modò circuncidũtur,ut conformentur Chriſto in ſua circunciſione; quorum hominum ritus non reprobãtur à Theologis; quin potius ap
Caiet. Sextum. probantur à Caietano 3.p.q.37.art.1. ergo nunc licitum eſt ſeruare legalia.¶ Vltimò, ſi non liceret,maximè quia continent ſignificationẽ Chriſti venturi:ſed hoc non obſtat:nam in prophetijs continetur eadem ſignificatio, quibus nunc vtitur Eccleſia,ſuntque multa in vſu Eccleſiæ, quæ ex veteri lege ſunt deſumpta; vt vſus lucernarum, & thuris, & vſus veſtium ſacrarum, primitiæ,decimæ,& cætera id genus. In contra
Gal.5. rium eſt illud; Si circuncidimini, Chriſtus vobis nihil proderit. De hac re fuit diſceptatio magna
Auguſtini & Hieron. de ceſſatiõe legaliũ magna concertatio. inter Diuum Auguſtinum & Hieronymum, vt teſtantur epiſtolæ aliquæ vltro citroque miſſę. Continebat enim ea concertatio duplicẽ quæſtionem:alteram de ceſſatione legalium,ſcilicet, vtrùm poſt mortem Chriſti licitum fuerit aliquando ſeruare legalia:alteram verò de intellectu illius quod dicit Paulus,ſe in faciem reſtitiſſe Petro,quia obſeruabat legalia; vtrùm verè, &
Gal.2. ex animo fuerit à Paulo reprehenſus,vel totum illud factum fuerit per quandam compoſitionẽ & ſimulationem. Iſtam concertationem verbo ſiſimam inter Auguſtinum & Hieronymum
D.Thom. habitam,redegit in compendium Diuus Thomas ſumma diligentia,dicitque,ſummam controuerſię in quatuor conſiſtere: Primum, Diuus
Aug.ſentẽtia. Auguſtinus diſtinguit triplicem temporis differentiam, vt legalia ante mortem Chriſti fuerint viua, ſtatim poſt mortem Chriſti fuerint mortua,ſed non mortifera. Mortua quidẽ,quia nullam habebant vim,nec efficaciam,neque aliquis tenebatur illa obſeruare. Sed non mortifera,quia poterant obſeruari vt ſynagoga cum honore ſepeliretur. Demum poſt mortem Chriſti, & promulgationem Euangelij ſufficientẽ mortua erant & mortifera. Confirmat hanc ſententiam Diuus Auguſtinus partim ex eo quòd ſanctæ ſcripturæ paſsim teſtantur, Diuum Petrum & Paulum poſt mortem Chriſti obſeruare legalia; partim verò ex eo, vt ſynagoga cum honore ſepeliretur; hoc eſt, vt conſuleretur dignitati & honori veteris legis. Si enim vſus ceremoniarum antiquæ legis ſtatim interdictus fuiſſet; ſicut vſus rituum gentilium; gentiles ad fidem cóuerſi exiſtimarent legem antiquam fuiſſe malã, & omnino deteſtandam. Certè conceſsit hoc Deus optimus zelo & affectioni qua afficiebantur ad legem Moſaicam Iudæi ad fidem conuerſi: illa namque natio erat tenaciſsima ſuæ religionis. Diuus Hieronymus duplicem conſtituit Hieron. de cretum. temporis differentiam; alteram ante mortẽ Chriſti; alteram verò poſt mortem; contenditq;, ceremonias veteris legis ſtatim poſt mortem Chriſti non ſolùm fuiſſe mortuas,ſed etiam mortiferas. Secundò differunt Diuus Hieronymus & Auguſtinus: Hieronymus enim exiſtimat Apoſtolos verè & ex animo nunquam ſeruaſſe legalia,ſed diſsimulaſſe pro tempore, & occultaſſe ſuam ſententiam,ad imbecillitatem Iudęorum ſe accommodantes. Itaque abſtinebant ab immundis,ſed non propter legem ſeruandam, ſed propter aliascauſas; nempè propter abominationem, vel aliquid huiuſmodi: veluti ſi quis modò quieſceret in Sabbatho, non propter legis obſeruationem, ſed propter animi quietem. Diuus Auguſtinus exiſtimat Apoſtolos verè & ex animo ſeruaſſe legalia, non tamen ponentes ſpem ſalutis in illis, quaſi ad ſalutem eſſent neceſſaria. Tertiò diſcrepant, quòd Hieronymus liberat & Petrum, & Paulum à peccato; quamuis Petrus à Paulo fuerit reprehenſus. Exiſtimat enim Diuus Hieronymus, quòd illa Pauli reprehenſio fuit facta ex conuentione,& pactione inter Petrum & Paulum, vt tandem legalia ſepelirentur. Itaque neuter eſt onerandus peccato; vterque namque egit diligentiſsimè negotium Euangelij. Diuus Auguſtinus exiſtimat Diuum Petrũ peccaſſe venialiter; non quia obſeruabat Iudęorum conſuetudinem, ſed quia indiſcretè plus nimis adhærebat parti Iudæorum, ex quo ſcandalum gentibus ſubſequebatur. Diuus Auguſtinus manifeſto argumento conuincit Diuum Petrum peccaſſe: nam Diuus Paulus dicit, Pe- Gal.2.
trum fuiſſe reprehenſibilem,& non rectè ambulare ad veritatem Euangelij;& cogere gentes Iudaizare. Vel ergo id verè dixit Paulus; vel falsò. Si verè: ergo peccauit Petrus: ſi falsò; ergo mentitus eſt Paulus,& ſuum aſſertum confirmauit iuramento dicens, Ecce coram Deo quòd non mentior. Quartò diſcrepant. Nam Diuus Hieronymus exiſtimat, quòd Paulus non verè & ex animo reprehenderit Petrum,ſed per quandam diſsimulationem,& compoſitionẽ. Diuus

verò

verò Augustinus existimat, Paulum verè & ex animo reprehendisse Petrum; quia verè reprehẽsibilis erat. Certè quæstio est difficillima, quę Doctores Ecclesiæ maximè torsit. ¶ Pro sententia Diui Hieronymi, quòd vera sit, sunt optima argumenta. In primis, hanc sententiam amplectuntur multi Doctores Ecclesiæ, Origenes, Eusebius, Didimus, Apollinaris, Chrysostomus, Theophilactus, Eucumenius super epistolã ad Galatas: Cassianus libro collat. 17. ¶ Deinde, Apostoli post mortem Christi credebant legem vel habere vim aliquam, vel esse penitus exinctam. Si primum, decipiebantur; quod non est dicendum: nam Spiritus sanctus docuit illos omnem veritatem. Si verò secundum; ergo non verè & ex animo obseruabant: nullus enim verè obseruat rem prorsus inutilem. ¶ Tertiò, inter dogmata, quæ proponebantur fidelibus credenda in initio nascentis Ecclesiæ, vnum erat, legẽ veterem cessasse iam, vt patet ad Galat. 3. c. Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictũ. &. c. 5. Si circuncidimini: Christus vobis nihil proderit: & iterum, Qui in lege iustificamini, à gratia excidistis: ergo obseruare ceremonias legis, erat contrarium huic dogmati: nunquam ergo licitum fuit. ¶ Quartò, vera est & catholica sententia, quòd seruare legalia post sufficientem Euangelij promulgationem, mortiferum erat: sed Paulus purificauit seipsum secundum ritum legis Mosaicæ post sufficientem Euangelij promulgationem. Nam si rectè tẽpora supputemus, hoc factum est post viginti annos à passione Christi: ergo Diuus Paulus non verè & ex animo seruauit legalia, alioqui peccaret mortaliter. ¶ Quintò arguit Erasmus. Nam totum illud quod adducit Augustinus de mortuis, & mortiferis legalibus, de synagoga cũ honore sepelienda, potiùs ratione humana, quã diuinis scripturis subnixum est: ergo reprobandũ. ¶ Item arguit. Nam si sententia Diui Augustini amplectenda est de illo medio tempore in quo legalia erant mortua, sed non mortifera, quia nondum Euangelium satis euulgatum; sequitur quòd nunc temporis multæ nationes, ad quas non accesit rumor Euangelij, possent seruare legalia, & suos paruulos circuncidere; siquidem illis non est sufficienter promulgatum Euãgelium. ¶ Vltimò, idé est protestari fidẽ verbis, & factis; sed si quis verbo affirmaret Christum nasciturum, aut passurum post eius mortem, falsa esset, & perniciosa fidei protestatio: ergo qui post mortem Christi obseruaret legalia, falsò, & pernitiosè protestaretur fidem; siquidem falsò protestatur fidem Christi venturi, & passuri. Et confirmatur. Nam hoc argumento probat Diuus Thomas artic. 4. huius quæstionis, quòd legalia post Euangelij promulgationem sunt mortifera. Secundò confirmatur: Nam legalia post mortem Christi vel amiserunt officium significandi, vel non: si secundum; ergo continẽt falsam significationem: si verò amiserunt, sequitur quòd Apostoli nunquam seruarent legalia: nam seruare legalia amisso officio significandi, non est seruare legalia.

Hieronymi sententia optimis argumẽtis suadetur. Prim. argu. Orig. Euseb. Didimus. Apolli. Chrysti 1. de sacerdotio. Theophila. Eucumeni. Cassianus. Secundũ. Tertium. Gal. 3. & 5. Quartum. Quintum. Erasmus in annota. epi. ad Gala. Sextum. Vltim.

¶ Sententia Diui Augustini habet pauciora, sed maiora argumenta. In primis eius sententia approbata est in Concilio Florentino, vbi postquã Concilium definiuit, legalia cessasse in aduentu Christi; subditur, Nõ tamen negat sancta Synodus à Christi passione, vsq; ad promulgatũ Euãgelium, illa potuisse seruari; dum tamen minimè ad salutem necessaria crederentur. Huius definitionis meminit Caietanus in hac quæstione ar. 4. & Soto lib. 2. de iustitia q. 5. art. 4. Sed ego hãc definitionem in Concilio Florentino non inuenio. Diuus Augustinus allegat Diuum Cyprianum in eius patrocinium, & Diuum Ambrosiũ idem sentientes. Tertiò allegat Diuum Paulum, qui apertè dicit, quòd Petrus fuit reprehensibilis, & quòd non rectè ambularet ad veritatem Euangelij. Nefas autem est dicere, quòd in sancta scriptura est aliquod mendacium. Quartò, citat scripturas diuinas, quæ passim testantur, Paulum verè circuncidisse Timotheum, & seipsum purificasse. Cum Diuo Augustino sentiũt omnes Doctores scholastici, excipio vnũ Adrianum, qui sententiam Diui Hieronymi defendit in 4. q. 1. Vltimò, si reprehensio Diui Pauli contra Petrum de cessatione legalium fuit facta fictè, & non ex animo, sequitur quòd Diuus Paulus facit infirmum argumentum ad confirmandos Galatas in veritate de cessatione legalium: siquidem illa reprehensio ficta fuit, & non vera. ¶ Ad primum argumẽtum Diui Hieronymi respondetur, quòd plerique Doctores, quos allegat Diuus Hieronymus, sunt suspecti de hęresi, vt autor est Diuus Thomas in commentarijs epistolæ ad Galat. c. 2. ¶ Ad secundum argumentum respondetur, quòd Apostolis statim post mortem Christi, & aduentum Spiritus sancti non est apertè reuelatum hoc mysterium de cessatione legalium, sed postmodum procedente tempore est illis patefactum. Et quòd ita sit, probatur. Nam cùm postmodum suborta esset controuersia de hac re inter fideles, conuocatũ est concilium, de quo habetur Actor. 15. in quo reuelãte Spiritu sancto hæc veritas definita est, magna inquisitione facta, vt ibidem asseritur. Secundò, & melius respondetur, quòd Apostoli optimè intelligebant non esse seruanda legalia, tanquam necessaria ad salutem: hoc significat Diuus Paulus cum inquit; Qui in lege iustificamini, à gratia excidistis: id est, illi quibus persuasum est, necessariam esse legem ad salutem, gratiam

Aug. sentẽtia cõprobatur. Cõci. Flor. Caiet. Soto. Cypri. Ambros. Paul. Adria. D. Hieron. Arg. soluũ. Ad primum D. Thom. Ad secundũ Act. 15. Gal. 5.

tiam Christi perdiderunt. Rursus, intelligebant optimè esse licitum obseruare legalia ad sepeliẽdum synagogam cum honore, dum tamen in illis spem salutis non ponerent, vt rectè admonet Diuus Augustinus epistola 11. & 18. ¶ Ad tertiũ argumentum respondetur, quòd si Apostoli seruassent legalia, ea cura & solicitudine, quasi essent necessaria ad salutem, sine dubio præbuissent fidelibus offendiculum, & illa obseruatio fuisset dogmati catholico contraria: sed non ita obseruabant: nam aliquando seruabant, aliquando non seruabant: in quo apertè significabant, obseruationem legalium non esse necessariam, sed licitam, propter causam superiùs commemoratam. ¶ Ad quartum respondetur cum Capreolo in 4. d. 3. q. 3. art. 3. quòd duplex fuit Euangelij promulgatio: altera, qua prædicatum est mysterium redemptionis nostræ, & necessitas seruandi legem Euangelicam: altera, qua propositum est vniuerso orbi, solùm Euangelium seruãdum, & ritus legis Mosaicæ abijciendos. Prior facta fuit per Apostolos. Posterior verò creditur facta post excidium Hierosolymitanum. Destructo namque templo discipuli Domini cœperunt prædicare, ritus legis Mosaicæ esse abijciendos; & post istud tempus nemo fideliũ obseruabat legalia. Hæc Capreolus. Mihi verosimilius videtur quod dicit Scotus q. 4. quòd Apostoli habuerunt specialem reuelationem quando inceperũt hanc doctrinam tradere populo. ¶ Ad quintum respondetur, quòd quamuis sententia Diui Augustini de permissione legalium non habeat pro se euidentes scripturas, habet tamen optima argumenta, quæ suprà allata sunt. De eo verò quòd fuerit Petrus verè reprehensibilis, habet pro se euidentes scripturas. ¶ Ad sextum respondetur, iam satis esse euulgatum Euangelium in toto mundo, & ideo omnia signa interiora, & exteriora tum legis naturæ, tum legis scriptæ, quę paruulis proficiebant, iam sunt prorsus inutilia, & nullum supereſt illis remedium, nisi remedium baptismi: per accidẽs enim est quòd aliqui ignorent legem Euangelicã: Deus nãq; sufficientissimè prouidit de remedio necessario. ¶ Ad vltimũ respõdetur, q̃ seruare legalia animo protestandi Christum venturum, & passurum, post mortem Christi semper fuit mortiferum: sed seruare legalia vt synagoga sepeliretur cum honore, aliquando licitũ fuit. Vel dicendum est cum Caietano arti. 4. suprà, quòd seruare legalia vt viua post mortem Christi pernicioſum erit mendacium, & hæreticum: obseruare verò illa vt mortua, ad sepeliendum illa cum honore, aliquo tempore licitum fuit. Pro cuius declaratione sciendum est, differentiam esse inter verba, & facta, licèt vtraque sint significatiua: quòd verba tantùm sunt significatiua; facta verò & sunt significatiua, & res in cultum Dei ordinatæ: & ideo omisso officio significandi possumus eis aliquando vti. Ex hoc sequitur, quòd nunc nec licet seruare legalia, vt viua, propter pernicioſum mendacium; nec licet seruare vt mortua; quoniam cum iam sint sepulta, sunt Deo ingrata, & inuisa. ¶ Sed iam supereſt vt argumenta, quæ in principio posita sunt, dissoluamus. Ad primum argumentum iã satis dictum est, quomodo Apostoli seruabant legalia, & quomodo sententia Diui Augustini præferenda sit in hac parte sententiæ Diui Hieronymi: patetque intellectus illius quod dicit Paulus, se in faciem restitisse Petro; quanquàm quidam commentati fuerint, Cepham hùc, cui in faciem restitit Paulus, nõ fuisse Petrum Apostolum, sed alium quempiam ex Septuaginta discipulis, hoc nomine vocatum. Sed hanc opinionem, vt commentitiam, ac friuolam, reijcit Hieronymus; cùm ipsa res doceat, hunc sermonem ad Petrum, & ad illius collegas pertinere: negat autem vllum Cepham notum nobis præter Apostolum Petrum, qui Syrorum lingua, Cephas dicitur; quòd illis Cephas idẽ sonat quod nobis ac Grẽcis Petrus. Illud verò quod ex actis Apostolicis adducitur, non pugnat cum nostra sententia. Nam ea quæ commemorantur, non sunt prohibita ad obseruandas ceremonias legis, sed ad hoc quòd posset coalescere vnio gentium, & Iudæorum simul habitantium. Iudæis enim propter antiquam cõsuetudinem sanguis & suffocatum erant abominabilia; comestio autem immolatorum simulachris poterat in Iudæis circa gentiles aggenerare suspicionem reditus ad idololatriã: & ideo ista hæc fuerunt prohibita pro tempore illo, in quo de nouo oportebat conuenire in vnum gentiles & Iudęos: procedente autem tempore, cessante causa, cessat effectus, manifestata nimirum Euangelicę doctrinæ veritate, in qua Dominus docet, quòd nihil quod per os intrat, inquinat hominem; & quòd nihil est reijciendum, quod cum gratiarũ actione percipitur. Fornicatio autem prohibetur specialiter, quia gentiles non reputabant eam esse peccatum. Ambrosius explicans illud; Qui videbantur esse aliquid; admonet, ab Apostolis in Actis Apostolorum non fuisse præscripta nisi tria; quartum de suffocato, à Græcis additum; & Irenæus aliquoties referens hunc locum, non addit mentionem suffocatorum. Sed quàm parum huic sententiæ sit tribuendum, vel ex eo liquet, quòd editio vulgata, quam legit vniuersa Ecclesia, & approbat Concilium Tridentinum vt authenticam, quatuor commemorat, nempe vt abstinerent ab idolothitis, à fornicatione, à sanguine, à suffocato: hæc igitur lectio amplectenda, & sententia Ambrosij reijcienda est.

¶ Sed

Ad tertium

Ad quartũ. Capr.

Duplex Euãgelij promulgatio.

Scot.

Ad quintũ.

Ad sextum

Ad vltimũ.

Caiet.

Soluũ. arg. in principio facta.

Mat. 15. 1. Tim. 4.

Ambros. Gal. 2.

Irenæus li. 3. aduersus hæreses ca. 12.

Quãdo cessauerit obligatio abstinendi à sanguine, & suffocato.

¶ Sed dubitabit Theologus, quãdo cessauerit obligatio abstinendi à sanguine, & suffocato, & idolothitis; siquidem iam non tenemur abstinere ab illis? Miror sanè, quòd nullus hæreticorum dixerit, quòd tenemur abstinere à suffocato, quia Apostoli præceperunt, & reuocatũ non

Cõcil. Gangren.

est: imò Concilium Gangrense, & habetur eius definitio 30. d. c. si quis carnem; sic statuit; Si quis carnem comedẽtem damnauerit, excepto suffocato, anathema sit. Propter hoc argumentum glossa tenet, quòd tenemur; & adducit in

Glos.

sententiæ suæ patrocinium capitulum Presbyteros 50. d. & cap. sicut satiùs 32. quæst. 4. & Diuum Augustinum de bono coniugali; & habetur 32. q. 4. cap. Sicut satiùs est fame mori, quàm

Augus.

Cõcil. Aurelianen.

idolothitis vesci; & in Concilio Aurelian. 2. ca. 20. iubetur excommunicari, qui vescitur bestiarum morsibus extincto, vel quolibet morbo, vel casu suffocato: & in canone 62. Apostolorũ sic habetur; Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut omnino quicunque ex sacerdotali consortio comederit carnes in sanguine animæ cæsas, aut à bestijs arreptum, aut suffocatũ, deponatur; hæc enim lex prohibuit: sin verò laicus sit, à communione excluditur. Dicendũ est igitur, quòd illa obseruantia durauit vsque ad

Tertullian.

tempora illorum Conciliorum: nam & Tertullianus fecit mentionem, quod durauit 150. annis, in cap. 9. Apologetici, post quæ tempora ex instinctu Spiritus sancti cessauit obligatio.

Ad secundũ

¶ Ad secundum argumentum iam satis expositum est, quemadmodum docuerit Augustinus, fuisse licitum seruare legem vsque ad sufficientem Euangelij promulgationem.

Ad tertium

¶ Ad tertium dicendum, quòd nemo tenetur discernere cibos, iudicando alios mundos, alios immundos; nisi fortasis ex erronea conscientia: vt si quis ex errore existimaret nunc esse abstinendum à sanguine & suffocato. Et quòd hæc sit sententia Pauli in loco citato ex epistola ad Roman. euidentius est, quàm vt sit ostendendum. Concilio Gangrensi iam superius responsum est.

Ad quartũ.

¶ Ad quartum dicendum, quòd iuxta quorundam opinionem non solùm idololatria, sed etiã simulatio idololatriæ est per se mala; & quæ per se mala sunt, indispensabilia sunt, nec possunt benè, nec absque peccato fieri: de quorum numero dicunt esse simulationem idololatriæ Ly

Lyra. Burgens.

ra, & Paulus Burgensis vt patet 4. Regum capit. 5. Sed istud solùm veritatem habet de simulatione, vt dicit mendacium facti; quomodo hypocrita dicitur simulare personam iusti hominis, & ex hoc ipso facto mentiri; non autem vt simulatio se extendit ad omnem simulationẽ: qui enim in theatris personam idololatrantis agit, inuocando Iouem, aut sacrificando, vt fieri solet, non peccat, nec mentitur facto. Nam vt dicit Augustinus, à ratione mendacij secludenda

Aug. lib de mendacio.

sunt ioca, quæ nunquam putanda sunt esse mẽdacia: habent enim euidentissimam ex pronunciatione, atque ipso iocantis affectu speciem animi nequaquam fallentis, etsi non vera nunciantis. Hæc ille. Item, seriò se simulando contingit verum velle occultare per signum, quo verosimiliter credimus alios decipiendos, quomodo Dauid coram Rege Achis simulauit se furere: & si quis hoc modo simulet idololatriam, dum non requiratur confiteri cuius sectæ sit, aut talis apud alios habeatur, qui facto suo alios in errore confirmet, vel à veritate deijciat, non videtur magis peccare idololatriam simulando, quã si metum, vt Iosue, aut furorem simularet, vt Dauid; & hoc videtur concessisse Elisæus Naaman, & Hieronymus commendare in Iehu: & sic licuit, maximè ex causa, simulatè seruare legalia: quomodo si quis coram sortilego leuando nomina inscriptorum dicat; si videbas furem currebas cum eo, non animo inuocandi dæmonẽ, sed vt sciscitetur an alius talis sit, & eum ab errore reuocet, dicitur simulare superstitionem.

Ad quintũ.

¶ Ad quintum respondet fusissimè Caietanus loco citato: nos breuiter respondemus, quòd quemadmodum abscindere carnem illam circũcidendo pro sanitate, nullum est peccatum, ita illi Indi si pro imitatione Christi circuncidũtur, non censentur legis Mosaicæ obseruatores: sive rò volunt imitari Christum vt circunciſum sub lege Mosaica, culpabiliter circuncisionem obseruant. Sed hoc est vrgens argumentum aduersus eos, quòd admoniti ab Ecclesia Latina nolunt dimittere talem ritum, & puniretur apud eos qui dimitteret: ergo existimant circuncisionem esse necessariam; saltem existimant se teneri. Fortassè consuetudo habet vim legis circa hoc. Sed miror profectò, quòd cùm Christianos videant nullibi facere, tam mordicus teneant: fortè excusantur ignorantia inuincibili: vtinam ita sit; quia in grauibus erroribus detinentur.

De ritu & circuncisione apud Indos.

Extat libellus autore Damiano Gois Lusitano, illorum ritus referens, & defendens, & in eorũ patrocinium est argumentũ, quòd Ecclesia Romana scit, & eos non damnat, quin potius admittit illos ad communionem, & habet illos vt Christianos. ¶ Ad sextum argumentum dicendum, quòd post sufficientem Euangelij promulgationem, mortiferum est obseruare legalia. Extat de hac re autoritas Innocẽtij III. Absit, inquit, vt in illam hæresim damnatam incidamus, quæ affirmat, legem veterem cum Euangelio esse obseruandam: & Diuus Augustinus testatur se consentire cum Diuo Hieronymo, in hoc, quòd qui post Euangelij sufficientem promulgationem seruat legalia, incidit in barathrum condemnationis. Et hęc est concors omnium

Ad sextum

Innocẽ. III. in c. maiores de baptismo.

Aug. epist. 18. & 19.

nium Theologorum sententia, vsu Inquisitorũ confirmata: nam qui probatur seruasse legalia, continuò punitur vt hæreticus, & apostata. Huius rei rationes non est difficile demonstrare. Nam seruare legalia, vt viua, continet perniciosum, & hæreticum mendacium: obseruare verò vt mortua, cùm iam sint sepulta, est Deo valde ingratũ, & inuisum, & omnino superstitiosum. Sicut igitur si aliquis in Ecclesia modo caneret amatorio, ingratum opus esset Deo; ita illæ ceremoniæ, vtpote mortuæ, & sepultæ, iam Deo ingratæ sunt, vt testatur Esaias secundum expositionem Diui Hieronymi dum dicit; Quò mihi multitudo victimarum vestrarum? & Malach. 1. Non suscipiam munus de manu vestra, nec est mihi voluntas ampliùs in vobis. Ad argumentum ergo positum concessa sequela, negatur minor. Et ad probationem; quia prophetię, etiam si præsignarent Christum, recipiũtur tamen ab Ecclesia, & eis vtitur; ergo & ceremonijs; negatur consequentia: & ratio discriminis est: quia in ceremonijs legalibus nulla vtilitas supererat, sed ex prophetijs, quibus vtitur Ecclesia, maxima redundat vtilitas. Primum ad confirmandam fidei doctrinam. Deinde ad cõfundendos Iudæos, quoties de aduentu Messiæ disputare oportuerit. De quo vide Augusti num super Psalmum 58. Præterea, vt illi qui extra Ecclesiã sunt, videntes antiquitatem nostræ religionis, ipsi quoque fidem nostram profiteãtur. Deinde dicendum, quòd Ecclesia vtitur modò quibusdam rebus, quibus & antiqua vtebatur: sed tamen nostra Ecclesia non vtitur his rebus; quia in lege veteri fuerunt præceptæ, nec quatenus præsignant Christum venturum: hoc enim iam abolitum est, & mendacium esset, vt suprà ostensum est; sed quoniam iudicat diuino cultui conuenientes esse huiusmodi res, ideo lege humana de nouo instituit ad sacrificia peragenda.

Esa. 1. Hieron. Malach. 1. Augustin.

QVAESTIO CIIII.

De pręceptis iudicialibus, in quatuor articulos diuisa.

ARTIC. PRIMVS.

¶ Vtrùm ratio præceptorum iudicialiũ consistat in hoc, quòd sint ordinantia ad proximum.

¶ Conclusio est affirmatiua.

EXPLICATIO ARTICVLI.

PRo huius conclusionis elucidatione statuit Diuus Thomas discrimen non semel in superioribus explicatum, inter moralia præcepta ex vna parte, & inter ceremonialia, & iudicialia ex alia. Moralia enim sunt illa, quæ efficaciter ex principijs naturalibus concludun tur. Ceremonialia verò, & iudicialia non nisi ar bitramento quodam, & vel aliqua institutione diuina, vel humana inferuntur: vt si, exempli gratia, dicamus; Deus est colendus: ergo hoc, vel illo modo est colendus. Deinde statuit Diuus Thomas rationem iudicialiũ præceptorum in duobus consistere. Primò, vt non inferantur ex principijs naturæ tanquam eorũ conclusio; & in hoc differunt à moralibus, conueniuntq; cum ceremonialibus. Secundò, vt ad conuictũ hominum inter se inuicem spectent; & in hoc à ceremonialibus discernuntur. Etenim sicut ex illo principio, quòd Deus est colendus, arbitratu diuino instituta sunt hęc, & illa sacrificia, quæ natura sua nihil ad mores referebant; sic ex illo, quòd pax est in republica pro viribus custodienda, collecta sunt iudicialia, vt qui vnam furaretur ouem, quatuor solueret, & quòd fur nocturnus in flagranti delicto interficeretur, diurnus verò minimè &c.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ Vtrùm præcepta iudicialia aliquid figurent.

Conclusio.

COnclusio sic habet. Pręcepta iudicialia secundò à ceremonialibus hoc distinguuntur: quòd ceremonialia instituta erant in figuram, vmbrãque futurorum; iudicialia verò nõ nisi ex consequenti.

EXPLICATIO ARTICVLI.

DIscrimen in conclusione huius articuli constitutum ex præcedenti articulo originem ducit. Etenim cùm cultus ille priscorum patrum ad populi sanctitatem pertineret, quæ quidem sanctitas ex mediatore Christo dependebat, condecens erat ac necessarium (quod suprà expositum est) vt per easdem ceremonias eundem venturum profiterentur. Attamen cum iudicialia nõ ad diuinum cultum, sed ad iustitiam, & æquitatem inter ciues conciliandam instituerentur, ratio non postulabat vt prognostica essent eiusdẽ futuri Messię. Nihilominus quia totus ille status populi

Iudicialiũ & ceremonialium distinctio.

populi in expectatione erat eiusdem venturi Dei, ex consequenti, eadem iudicialia aliquam eius præferebant vmbram, iuxta verbum Pauli; 1. Cor. 10. Omnia in figura contingebant illis. Exempla, decimarum solutio significabat perfectionem, quæ vltima denarij vnitate designatur Christo tribuenda: atque illud Exod. 21. quòd seruus Hebræus post seruitia sex annorum esset septimo anno liber, figurabat, post militiam huius mũdi, subsecuturam esse libertatem cœlestem, quæ erit perfectũ Sabbathum. Quapropter gẽtilium iudicia, vt putà Græcorum, & Romanorum, nullum recondebant mysterium, sicut Hebræorum leges. Exod. 21.

ARTIC. TERTIVS.

¶ Vtrùm præcepta iudicialia veteris legis perpetuam obligationem habeant.

Conclusio. Conclusio sic habet. Tametsi iudicialia præcepta sic prorsus fuerint euacuata, & extincta, vt post Christi resurrectionem nulla tenus sint obligatoria; differunt tamen & in hoc tertio à ceremonialibus, quòd quamuis ceremonialia nullatenus iam seruare licuerit, nihilominus licet iudicialia iteratò instituere.

EXPLICATIO ARTICVLI.

PRima pars cõclusionis huius articuli iam satis suprà demonstrata est, vbi ostendimus, totam prorsus legem, quantum ad Mosaicam vim, cessasse. Secunda verò pars ex superiori articulo colligitur. Ratio enim quare ceremonialia reuiuificare modò nõ licet, illa suprà assignata est; quia cùm signa fuissent prognostica futurorum, præsente veritate, facta sunt falsa mendacia. Cum ergo hęc ratio in iudicialibus non reperiatur, quia non per se instituta sunt ad significandum, nihil periculi inest, si iterum constituantur in noua lege. Hac ergo ratione ab Ecclesia constitutæ sunt decimæ, & primitiæ, & reliqua quæ ad iudicialia spectabant.

ARTIC. QVARTVS.

¶ Vtrùm iudicialia præcepta possint habere certam aliquam diuisionem.

¶ Conclusio est affirmans.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Conclusio huius articuli ita patet: quoniam non ineptè præcepta iudicialia veteris legis in quatuor membra distinguuntur. Nam cùm prudentia ferendarum legum ars quædam sit illustrissima; ars autem ordine ac dispositione præluceat; cõdecens fuit, vt iudicialium numerus, quibus respublica instituebatur, secundum insignes eiusdem reipublicæ partes atque ordines disponeretur. Ordines autem isti quatuor sunt numero; Principis scilicet ad subditos, subditorumque inter se, totiusque reipublicæ ad exteros, ac partium inter se vnius familiæ. Igitur de Principibus latę sunt diuinitus leges, quemadmodum tum creandi essent, tum etiam vt se erga populum gererent, ac subinde quemadmodum vicissim à populo colerentur. Mox circa ciues latæ sunt leges emptionum & venditionum, aliorũque contractuum, qui liberè inter homines fiũt. Decretaque proinde iudicia in malefactores, qui iura violarent. Deinde leges adhibitę, quẽadmodum se populus tum in bellis gerendis, tum in susciendis peregrinis erga exteras gentes deberet conuersari: ac demum circa domesticam familiam superadditę sunt & alię de seruis, de vxoribus, & filijs. ¶ Quæstionem hanc de præceptis iudicialibus adeò dilucidè disserit Diuus Thomas, vt ferè nihil sit necessarium addere. Illud tantum potest reuocari in dubium, Num populus Christianus regendus sit præceptis iudicialibus in lege Mosaica prescriptis. Ratio dubitandi est. Nam illę leges sunt optimę, & à Deo institutę, & licitum est eas restaurare: quomodo ergo non satius est his legibus populum Christianum regere, quàm alijs humana prudentia inuentis, quę incertę sunt, & infirmę prouidentię? Ad huius rei expositionem dicendum est, ex dictis satis esse liquidum, quemadmodum populus Christianus per Christum liberatus est ab obseruantia legalium ceremoniarum, & iudiciorum; non autem ab obseruantia moralium, quæ sunt etiam de lege naturę; nec ab obseruantia diuini cultus, qui consistit in dilectione, & honore vnius summi & veri Dei. Et quoniam hęc omnia continentur distinctè in præceptis decalogi, de quibus scribitur Deut. 5. ideo ante omnia erudiendus est, & assuefaciẽdus populus Christianus in obseruantia decem præceptorum. De alijs verò præceptis iudicialibus hęc documenta sunt seruanda. Primum, quòd licitum est ea restaurare, & in vsum reducere: cuius documenti veritas in 3. articulo demonstrata est. Secundum documẽtum. Ex hoc quòd in lege veteri continentur, non habent

Dubiũ circa totam quæstionẽ. Nũ Christiani regendi sint iudicialibus præceptis Mosaicis. Deut. 5.

vim obligandi; si quidem vniuersa lex Mosaica extincta est. Tertium documentum. Leges à Principibus Christianis institutæ præceptis iudicialibus veteris legis consimiles, rectæ, & bonæ iudicantur, vt quòd decimæ soluantur, quòd non liceat ducere fratriam, rationabile videtur, quia ita Deus olim statuit, & statui Christianismi huiusmodi leges incommodæ non videntur. Quartum documentum. Vniuersa præcepta iudicialia nunc temporis restaurare non licet: ad hoc enim valet illud Prouerbium; Distingue tempora, & concordabis iura. Et certum est, multa in illo tempore fuisse optima, quæ nunc expedientia non sunt, & quàm plurima vni populo, & regioni conueniunt, quæ alijs prouincijs incommodarent: vt quòd post septimum annum debitores non soluerent; & lex præscribens libellum repudij, & cætera id genus.

¶ Sed ad finem aduertat Theologus, quosdam ex canonistis grauiter errare, existimantes, decimas soluere esse de iure diuino; & ideo in noua lege huiusmodi vinculum perduraſſe. Errant certè: nam ius diuinum naturale tantùm præscribit vt dentur necessaria alendis ministris: quòd verò sit decima, vel quarta pars, non præscribit, sed Ecclesia lege humana hoc instituit, quam legem potest mutare, & abrogare, atque instituere quomodo aliunde alantur ministri.

Decimę nō sunt de iure diuino ~

QVAESTIO CV.

De ratione iudicialium præceptorum, in quatuor articulos diuisa.

ARTIC. PRIMVS.

¶ *Vtrùm conuenienter lex Vetus de Principibus ordinauerit.*

¶ Conclusio est affirmans.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Conclusio præsens sic probatur. Nã in bona ordinatione Principum duo attenduntur; quorum vnum est, vt omnes habeant partem in principatu: quia per hoc conseruatur pax populi, & omnes talem ordinationem amant, & custodiunt, vt dicitur in 2. politicorum. Aliud est quod consideratur secundum formam regiminis, vel principatus; cuius cùm sint diuersæ species, vt Philosophus tradit in tertio Politicorum, præcipuè tamen existit regimen vnius, in quo vnus principatur secundum virtutem, & Aristocratiam, id est, potestatẽ optimorum, in qua aliqui pauci principantur secundum virtutem. Vnde optima ordinatio Principum in aliqua ciuitate, vel regno est, in qua vnus præficitur secundum virtutem, qui omnibus præsit; & sub ipso sunt aliqui principantes secundum virtutem, qui principatus ad omnes quodammodo pertinet: tum, quia ex omnibus eligi possunt: tum, quia etiam ab omnibus eliguntur. Talis enim est optima politia bene conmixta ex regno, inquantum vnus præest; & Aristocratia, inquantum multi principantur secundum virtutem; & Democratia, id est, potestas populi, inquantum ex popularibus possunt eligi principes, & ad populum pertinet electio Principum. Omnia hæc erant in lege statuta. Nam Moyses, & eius successores gubernabant populum quasi singulariter omnibus principãtes; quod est quædã species & forma regni, in qua imperat, & regit vnus princeps. Aderat enim Aristocratia, cum eligerentur Septuaginta duo seniores secundum virtutem: dicitur etiam Deuteronomij. 1. Tuli de vestris tribubus viros sapientes, & nobiles, & constitui eos principes. Aderat etiam Democratia, & potestas populi, cum ex popularibus poterant eligi principes: dicitur enim Exod. 18. Prouidi de omni plebe viros sapientes &c. & quòd populus eos eligeret, habetur Deuteronomij 1. sic enim scribitur; Date ex vobis viros sapientes &c. Patet ergo quòd de principibus lex antiqua rectè ordinauerit. Deut. 1. Exod. 18. Deut. 1.

¶ Sed pro ampliori huius rei intelligentia notandum est, quòd Aristoteles triplicem distinguit gubernandi rationem. Cum enim vnus ad vtilitatem communem respiciens gubernat, Regiam potestatem vocamus: cùm verò pauci gubernant, plures tamen vno, Optimatum gubernationem; vel ex eo, quia optimi præsunt; vel ex eo, quia ad optimum publicum administrant. Cum autem multitudo gubernat ad cõmunẽ vtilitatẽ, vocatur cõmuni nomine omniũ respublica. His autem gubernandi rationibus, quæ rectæ sunt, & probę, aduersantur alię improbę, & minimè ferendę. Regię gubernationi opponitur Tyrannis. Tyrannidem esse dicimus dominatum vnius ad proprium commodum intendentis. Optimatum gubernationi aduersatur paucorum potentia per tyrannidem, cum ad opulentorum commodum gubernatio dirigitur. Reipublicæ verò gubernationi aduersatur popularis. Statum verò popularem appello, cum ad commodum egenorum gubernatur, & ad communem vtilitatem non respicitur. Inter rectas & probas gubernandi rationes optimam esse Regiam potestatem & gubernationem asseuerat Aristoteles in locis dudum citatis: consentit Diuus Thomas tertio Politicorum & Triplex gubernãdi ratio ex Arist. 8. eth. c. 10. & 3. polit. à medio vsq; ad finem. Arist. D. Thom.

Arist.

& opusculo de regimine principum, à cap. 2. vsque ad 8. & 1. p. q. 103. arti. 3. & 4. contra gentes, c. 76. Ex quo efficaciter probat Diuus Thomas, quòd in Ecclesia vnus pastor præest: quia Christus Dominus optimam gubernandi rationem in Ecclesia constituit. ¶ Huius autem sententiæ, quæ certa est, quatuor sunt demonstrationes. Prima desumitur ab vnitate, & pace, quę in republica rectè instituta præcipuè intenditur. Finis enim regentis & gubernantis est vnitas, & pax: vnitatis autem & pacis congruentior causa est vnus quàm multi. Certè si plures gubernant, & imperant, vt recta sit gubernatio, necesse est conueniant in vnum, gerantque vicem vnius gubernantis: alioqui populus dissensionibus scinditur. Multò ergo melius & congruentius gubernatur respublica, si vnus princeps imperat, & leges præscribit. Si enim plures gubernantes seruant pacem in republica, est, quia imitantur vnum principem: ergo multò melius vnus princeps in reipublicæ administratione pacem seruabit, & tuebitur.

Vnitas ad gubernatiõnem necessaria.

¶ Secunda demonstratio sumitur ex potestate gubernandi, & virtute. Ita namque comparatũ est, vt virtus vnita fortior sit quàm diuisa, & sparsa. Ex quo principio tale conficitur argumentum. Si vniuersa potestas gubernandi, quæ est in multis, ad vnum ducem & principem deuoluitur (si verùm est principium commemoratum) efficacior est: ergo melior & congruentior est ratio gubernãdi, quando vnus princeps rempublicam administrat. ¶ Tertia demonstratio ex regimine naturali, quod in rerum vniuersitate cernitur, desumitur. Sanè omnia rerũ terrestriũ & cœlestium exẽpla ad vnum principatum nos deducunt. In homine certè, quem μικροκοσμὸν appellant, omnia corporis membra ad vnum capitis imperium reguntur. Idem constat in animalibus, quæ gregatim viuunt; inter quæ datur vnus rector, ad cuius motum mouentur, & eo quiescẽte, requiescunt; vt animaduertere licet in apibus, & gruibus. Si inferiora ista nihil nos mouent, quid dicemus ad primum illud, quod philosophi appellant, mobile; quod suo cursu Solem, Lunã, stellasque secum trahit? Sed altiùs adhuc erigamur, & quartam adducamus demonstrationem. ¶ Ex autoritate diuinę gubernationis, si veterum Iudæorum rempublicam à Deo institutam esse consideremus; quæ sine controuersia typus nostræ fuit; vnus Pontifex cæteris omnibus sacerdotibus præerat, cui non paruisse, capitale erat. In republica Christiana à Christo Domino instituta, atque fundata, vnus Pastor præficitur. Item, tot Angelorum millia, singuli suos ordines, & singuli ordines suos principes habent. Atque ita tandem omnia & cœlestia, & terrestria ad vnum in cœlis principem, & ducem, & Deum, & Dominum reuocantur. Constat ergo euidenter, eam rationem gubernandi præstantissimam esse, in qua vnus rẽpublicam administrat. Verũ Diuus Thomas hoc in loco, & suprà quæstione 95. articulo 4. contrarium videtur docere. Nam in his locis existimat, gubernationem mixtam esse omnibus anteponendam: qua in re videtur Diui Thomæ doctrina euidentem habere contradictionem. Quam obiectionem Dominus Caietanus amouere, & labefactare conatur; sed nescio vtrùm legitimam adhibuerit explicationem. Dicit enim Caietanus, quòd Monarchia, & principatus vnius est optimum regimen, cõparando simplices principatus inter se; & quia talis comparatio simpliciter est formalis, ita absolutè loquendum est, & respondendum, quòd optimus principatus est Monarchia; sicut si dicatur, quòd optimum metallorum est aurum, non comparamus aurum, ad aurum & argentum simul. Sed melior solutio est, quòd ex ratione regiminis melior ratio gubernãdi est Monarchia, principatu mixto: sed secundum humanam infirmitatem mixtum est melius, quia homines volunt principatus esse participes. Profectò Aristoteles 3. Politic. sic existimat, principatum vnius esse optimum, si tamen vnus sit præstantior virtute, non modò singulis, sed omnibus alijs: iniquum enim est aliquem dominari similibus, aut partem toti, nisi sit præstantior toto. Sed quis est hic, & laudabimus eum? Vnde quemadmodum oratio de se melior est eleemosyna; at secundum tempus, melior est eleemosyna, si omnes fame perirent: sic principatus vnius melior est, si est vnus qui virtute & sapientia præstet, alioqui melior est principatus mixtus. Sed & aliam adhibeamus solutionem, dicentes, quòd in principatu regio, si modò rectè administratur, adest principatus mixtus: eliguntur enim senatores, consiliarij, prætores, qui simul rempublicam administrant. Hæc dicta sint de explicatione huius articuli: nam aliæ quæstiones quæ hîc moueri solent de regia potestate; vtrùm ne sit de ratione regni quòd vnus sit super omnes simul? vel satis sit quòd sit supra singulos? & vtrùm melius sit Regem per electionem creari, quàm per sanguinis successionem? & vtrùm respublica pro libito possit mutare regimen, & repudiare Regem, & dare potestatem gubernandi multis, aut paucis pro sua voluntate? Denum, num Rex sit dominus omnium rerum suorum subditorum, sic vt in proprios vsus possit eas conuertere? alio in loco commodiùs disputantur: nunc his omissis ad alium articulum progrediamur.

D. Thom.

Caiet.

Solutio melior.

Alia solutio.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ Vtrùm conuenienter fuerint tradita præcepta iudicialia quantum ad popularium conuictum.

¶ Concluſio eſt affirmans.

EXPLICATIO ARTICVLI.

HÆc concluſio inde probatur; quoniã duplex eſt communicatio hominũ adinuicem: Vna quidem quæ fit autoritate Principum; alia autem fit propria voluntate priuatarum perſonarum. Et quia voluntate vniuſcuiuſque diſponi poteſt quod eius poteſtati ſubditur, ideo autoritate principũ quibus ſubiecti ſunt homines, oportet quòd iudicia exerceantur, & pœnæ malefactoribus inferantur: ſed poteſtati priuatarum perſonarum ſubduntur res poſſeſſæ: quare in his propria autoritate communicare poſſunt emendo & vendendo, & ſimilia faciendo. Circa vtrumque lex ſufficienter ordinauit, inſtituendo iudices, ordinem iudicij, numerum teſtium, & certas pœnas pro diuerſis delictis. Sed & circa poſſeſſiones, & earum diuiſiones, nec non & earum ſucceſſionem, ſic etiam circa pauperes, de quibus omnibus ſunt certæ ordinationes. Ergo ſufficiẽter ordinauit.

¶ In ſolutionibus argumentorum explicat Diuus Thomas eleganter in primis omnia præcepta iudicialia, quæ in lege continentur, quæ ad popularium conuictum ſpectabant: vnde doctrina hæc maximè eſt obſeruanda his qui ſanctas ſcripturas intelligere cupiunt, quæ lectionem magis expoſtulant, quam explicationem.

ARTIC. TERTIVS.

¶ Vtrùm iudicialia præcepta ſint conuenienter tradita quantum ad extraneos.

¶ Concluſio eſt affirmans.

EXPLICATIO ARTICVLI.

ISta concluſio ſic probatur: quoniã ſicut pacificis, ſiue habitare volẽtibus, ſiue peregrinis tranſeuntibus, erat poſitus ordo, vt patet Exodi 22. 23. ita etiam hoſtiliter ſe gerentibus. Nam antequam iniretur bellum, offerebatur pax. Secundò, præcipiebatur vt bellum cœptum fortiter exequerentur. Tertiò, vt impedimenta remouerentur. Quartò, vt victoria moderatè vterentur, parcendo mulieribus, & paruulis, & lignis fructifera regionis non incidendo.

Exo. 22. 23.

¶ In ſolutione primi argumenti mouet Diuus Thomas grauem quæſtionem; Vtrùm inconuenienter præcipiatur, quòd Ammonites & Moabites, etiam poſt decimam nationem, non intrarent in Eccleſiam Domini in æternum. Ratio quæſtionis eſt. Nam Diuus Petrus Actor. 10. dicit, In veritate comperi, quoniam non eſt acceptor perſonarum Deus, ſed in omni gente qui timet Deum, & operatur iuſtitiam acceptus eſt illi. Sed illi qui ſunt Deo accepti, non ſunt ab Eccleſia Dei excludendi: Illud ergo legis præceptum inconueniens eſſe videtur. Huic obiectioni ſic reſpondet Diuus Thomas, vt dicat, quòd homines nullius gentis excludit lex à cultu Dei, & in his quæ pertinent ad animæ ſalutem: dicitur enim Exod. 12. Si quis peregrinorum in veſtram voluerit intrare coloniam, & facere Phaſe Domini, circuncidetur prius omne maſculum eius, & tunc ritè celebrabit, eritque ſimul ſicut indigena terræ. Sed in temporalibus, quantum ad ea quæ pertinebant ad communitatem populi, non ſtatim quilibet admittebatur, ratione ſupradicta: ſed quidam in tertia generatione, ſcilicet Ægyptij, & Idumęi: alij verò perpetuò excludebantur in deteſtationem culpæ præteritæ, ſicut Moabitæ, & Ammonitæ & Amalechitæ. Sicut enim punitur vnus homo propter peccatum quod commiſit, vt alij videntes timeãt, & peccare deſiſtant; ita etiam propter aliquod peccatum gens vel ciuitas poteſt puniri, vt alij à ſimili peccato abſtineant. Poterat tamen aliquis diſpenſatiuè in collegium populi admitti, propter aliquem virtutis actum; ſicut Achior dux filiorum Ammon appoſitus eſt ad populum Iſrael, & omnis ſucceſsio generis eius: & ſimiliter Ruth Moabitis, quæ mulier virtutis erat eximiæ: licèt poſsit dici, quòd illa prohibitio extendebatur ad viros, non ad mulieres, quibus non competit eſſe ciues. Hæc ſolutio in magnam nos conijcit quæſtionem, vtrùm ſtatuta, quæ in quibuſdam Eccleſijs & Religionibus obſeruantur, vt qui ex Iudæis, vel Sarracenis originem trahunt, ad Religionis, vel Eccleſiæ ingreſſum non admittantur, licita ſint & conuenientia.

Vtrùm optimum fuerit præceptum de Ammonitis & Moabitis.

Deut. 23.

Exod. 12.

Iudith. 14.

Vtrùm qui ex Iudæis originẽ ducunt, optimè à religionibus excludãtur.

¶ A parte negatiua hæc argumenta proponuntur. Primum ex ſacra ſcriptura. Nã Paulus dicit, Quicunque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis: non eſt Iudæus, neque Græcus, non eſt ſeruus, neque liber; non eſt maſculus, neque fœmina: hoc eſt, in negotio iuſtificationis, & Chriſtianiſmi Deus non reſpicit neque nationem, neque conditionem, neque ſexum, neque vllam prorſus qualitatem carnalẽ, ſed fidem quæ per charitatẽ operatur. Huius ſimile eſt quod habetur ad Coloſſenſes

Gal. 3. Prim. argu.

Colos.3. ses tertio, In Christo, inquit Paulus, non est gentilis, nec Iudæus, circuncisio & præputium, barbarus & Scytha, seruus ac liber, sed omnia, & in omnibus Christus: id est, in hoc negotio non refert an Iudæus quis sit, an gentilis, circuncisus an præputiatus, barbarus an Scytha. His ergo euidentibus scripturis condemnari videntur statuta Religionum, Collegiorum, Vniuersitatum, ac Ecclesiarum, quæ eos, qui ab Hebræis, vel Sarracenis originem trahunt, excludunt, & ad participium dignitatum & graduum non admittunt. Sed & alia scriptura euidentior solet in huius rei confirmationem adduci.

Rom.11. Nam Diuus Paulus ad Romanos vndecimo multis demonstrat, in negotio salutis æternæ, & in statu religionis Christianæ Iudæos esse gentibus præferendos: ad hoc enim pertinent illæ sententiæ; Si delictum illorum diuitiæ sunt mundi, & diminutio eorum diuitiæ gentium, quantò magis plenitudo eorum. & iterum; Quòd si delibatio sancta est, & massa; & si radix sancta, & rami: & post pauca comparat gentilem conuersum oleastro, Iudæum verò conuersum ad Christianismum ramo naturali: & tandem efficaci argumentatione concludit, Israelitas cæteris gentibus anteponendos; siquidem gentes introductæ sunt in Christianorum cœtum, & salutem sunt consequutæ vt Israelitæ tandem conuerterentur: ergo præcipuè intendit Deus Israelitarum salutem, & quòd introducantur in Christianorum Ecclesiam, vnde in Ecclesia primarias partes obtinere debent. Hoc ipsum comprobatur altero argumento ex Concilijs producto.

Secundũ.

Cõci. Basil. Nam in Concilio Basilienſi sessione nona dictum est, ne sint commercia Christianorum cum Iudæis; sed in fauorem Iudæorum qui ad fidem conuersi sunt, sic statuit Synodus, vt qui per gratiam baptismi ciues sanctorum, & domestici Dei efficiuntur, hac lege statuimus, vt ciuitatum, & locorum in quibus sacro baptismate regenerantur, priuilegijs, libertatibus, & immunitatibus gaudeant, quæ ratione dumtaxat natiuitatis & originis alij consequuntur.

Tertium. Certè hoc statutum Concilij Basilienſis sanctum, & omni æquitate plenum esse videtur, & contrarium edere statutum vergit in detrimentum fidei catholicæ; atque nominis Christiani, & salutis, & conuersionis plurimorum, dum intelligunt, conuersorum filios in tertiam & quartam generationem exclusos esse à religionibus, & Ecclesiæ dignitatibus. Huic accedit personarum acceptio, quàm repudiat Diuus Iacobus, inquiens,

Iacobi.2. Nolite in acceptionem personarum accipere fidem Domini nostri Iesu Christi; Peruertitur enim iustitia distributiua, dum prętermittuntur digniores, & sapientiores, ex quibus magnum emolumentum haberent Ecclesię; ratione cognationis naturalis, quæ nihil confert, aut aufert ad dignitatem & merita personarum, & eliguntur alij ad Ecclesiarũ regimen, hoc titulo præcipuè, quia ex gentilibus sunt orti parentibus: & charitatis ordo pessundatur, dum eos qui de nouo conuertuntur ad fidem, perpetuo ignominiæ stemmate inurimus, quamuis polleant sanctitate insigni, & vitę puritate admirabili excellant.

Probatur pars affirmatiua quæstionis. ¶ Sed partem affirmantem quęstionis probant quatuor demonstrationes irrefragabiles, quibus euidenter ostenditur, esse dogma execrandum, & planè hæreticum, asserere, quòd hæc statuta iusta, & recta non sint. Prima eruitur ex sacra scriptura veteris testamenti, in qua apertissimè statuitur, quòd Ammonites & Moabites, etiam post decimam generationem non intrabunt in Ecclesiam Domini in æternum: habetur decretum Deuteronomij vigesimo tertio, idque factum est à Deo in detestationem culpæ præteritæ: ergo licitum erit statutum, in quo excluduntur Iudæi recenter conuersi à dignitatibus Ecclesiæ, & à Religionibus, & Collegijs in detestationem culpæ præteritæ, quæ non minor est quàm Ammonitarum: persecuti sunt enim Christianos, & crucifixerunt Christum.

1.Tim.3. ¶ Secunda demonstratio educitur ex illo primæ ad Timotheum tertio, vbi admonet Paulus, Episcopum Ecclesiæ Dei non eligendum neophitum, Græca voce significans nuper natum, seu nuper insitum; quem Apostolus recens baptizatum vocat, ne in superbiam elatus, scilicet occasione noui honoris, incidat in iudicium diaboli: cui definitioni maximè consonat statutum, quod defendere adnitimur.

Cõci. Trid. ¶ Tertia demonstratio colligitur ex definitione Ecclesiæ catholicæ. Nam sacrum Concilium Tridentinum grauiter præcipit, quòd de ordinandis, & consecrandis prius fiat examen verum de moribus, & genere, & natalibus. Extant etiam de hac re statuta, autoritate Ecclesiæ Romanæ confirmata in Ecclesia Toletana, in Collegijs Vniuersitatum, in Religionibus Diui Iacobi, Sancti Dominici, Diui Hieronymi. Asserere verò quòd in re tam graui erret turpiter Ecclesia catholica, temerarium dogma est, & execrandum. Quid? quòd nostra ætate coacti sunt quidam ab Inquisitoribus recantare palinodiam, quòd dixerant, statuta similia licita non esse. His accedit Concilium quartum Toletanum, c.64. & refertur 17. quæstione quarta, capitulo

Concil.4. Toleta.

pitulo, constituit, vbi habetur, Iudæis & qui ex Iudæis sunt, officium publicum non committatur: vbi glossa, & Archidiaconus sic loquuntur; id est, de familia ipsorum: vel loquitur de Iudæis nouiter ad fidem conuersis.

¶ Ad quartam demonstrationem pertinent hæc quæ sequuntur. Nam certè quòd recenter conuersus prædicet Euangelium Christi, vel Episcopatum, aut dignitatem habeat, minimè securum ac tutum visum est Diuo Paulo. Alia quæ sequuntur ex hoc incommoda, non est meæ autoritatis proferre, ne quem pudefaciam, aut ne cui grauis & molestus sim: hoc certè verissimum est, Diuum Thomam in solutione primi, similia statuta comprobasse: additque Diuus Thomas vnam sententiam memorabilem, quòd non obstantibus prædictis statutis poterat dispensatiuè aliquis in collegium, vel cœtum admitti, propter aliquem virtutis actũ, sicut Iudith 14. dicitur, quòd Achior dux filiorum Ammon appositus est ad populum Israel, & omnis successio generis eius. Certè hoc documentum Diui Thomæ, & hæc limitatio statuti præ se fert magnam æquitatem, & speciem iustitiæ, quæ poterat in nostris statutis obseruari: sed de hoc viderint Patres Ecclesiæ. Desino tandem in re minimè grata tantum versari, & ad argumenta respondere aggredior.

Limitatio D. Thom. obseruanda

Iudith. 14.

Arg. solut. Ad primum ¶ Ad primum ex sanctis scripturis apertè distinctèque respondet Diuus Thomas solutione ad primum, quæ iam commemorata est in principio explicationis.

Ad secundũ ¶ Ad secundum ex Concilio Basilienſi dicendum est in primis, illud Concilium authenticum non esse. Deinde dicendum est, quòd loquitur de priuilegijs, & immunitatibus quæ communiter seruantur in populis in hominum conuictu: non enim facit sermonem de dignitatibus, collegijs, & gradibus &c.

Ad tertium ¶ Ad tertium argumentum, in quo commemorantur incommoda ea quæ in prædictis statutis apparent, illud breuiter dico, quòd cum Diuus Paulus præscribit non eligendum in Episcopum neophitum, optimè intelligit in tali præcepto non lædi iustititiam, non charitatem labefactari, non bonum fidei & salutis præpediri, quin potius bonum diuinum promoueri, periculum Ecclesiarum caueri, fidem, & religionem stabiliri.

ARTIC. QVARTVS.

¶ *Vtrùm conuenienter fuerint tradita præcepta quantum ad domesticos.*

¶ **Conclusio est affirmans.**

EXPLICATIO ARTICVLI.

Conclusio præsens hac ratiõe ostẽditur. Nam circa domesticas personas sunt tres combinationes, videlicet domini ad seruum, viri ad vxorem, & patris ad filium. Et quantum ad omnia, lex vetus conuenientia edidit præcepta: nam circa seruos prouidit, & quantum ad labores, & pœnas: ita etiam circa vxores, vt ducerentur de sua tribu, ne confunderentur; & quòd frater duceret vxorem fratris defuncti sine liberis, ne periret memoria fratris; prohibuit etiam quasdam personas propter reuerentiam naturalem: præscribit etiam qualiter vxores deberent tractari: & circa filios instituit, vt patres in disciplinis & moribus eos instruerent, & ne vacent commessationibus, & lasciuijs. Hæc omnia esse ordinata in veteri lege probat Diuus Thomas productis testimonijs ex sacris eloquijs. ¶ Sed vt ea quæ hîc ab autore dicuntur, explicationem habeant, dubitatio est non parua, Vtrùm in veteri lege fuerit præceptum vt vxores ducerentur ex eadem tribu, sicut apertè docet Diuus Thomas in litera. Pro cuius rei intelligentia obseruandum est, latissimum esse discrimen inter editionem vulgatam, & omnes alias circa hanc legem connubiorum. Editio vulgata sic habet Num. 36. Omnes viri ducent vxores de tribu, & cognatione sua, & cunctæ fœminæ maritos de eadem tribu accipient, vt hæreditas permaneat in familijs, nec sibi misceantur tribus: sed ita maneant, vt à Domino separatæ sunt. Hactenus vulgata: quibus verbis obligabantur omnes tam viri, quàm fœminę contrahere matrimonium intra tribum suã: quibus verbis oppositum sępe apparet factum esse. Nam Aaron, de tribu Leui, accepit vxorem Elisabeth, de tribu Iuda: & Ioiade Pontifex de tribu Leui, duxit Iosabeth de tribu Iuda, & Elisabeth mater Ioannis Baptistę erat de filiabus Aaron vt dicitur Lucę 1. & erat cognata Beatę Marię, quod esse non poterat sine tribuum commixtione. Quòd si dicas, vt solet dici, quòd fuit dispensatum inter has duas tribus propter earum dignitatem, & propter figuram Christi qui futurus erat Rex, & Sacerdos: hoc asseuerari non potest de Dauid, qui duxit Michol filiam Saulis de tribu Beniamin. Certè si finis legis respiciatur, hęc lex debet intelligi de solis filiabus, quę ex defectu masculorum sortiuntur hęreditatem paternam, ne videlicet hęreditas transeat de tribu in tribum, non de alijs nec viris, nec fœminis: sic intelligit Caietanus. Simile quid insinuat Diuus Thom. in hac quęstione articulo secundo ad secundum. Augustinus etiam concedit, quòd mulieres non succe-

Vtrũ fuerit præceptũ in lege veteri de ducenda vxore ex eadem tribu.

Num. 36.

Exod. 6.

4. Reg. 11. 2. Paral. 22. Luc. 1.

Caiet. D. Thom. Augustin.

succedentes in hæreditate poterant succesiuè nubere maritis tribuum diuersarum. Nam Iudicum capitulo decimo scriptum est, quòd post Abimelech surrexit dux in Israel Thola filius Phua patrui Abimelech, vir de Issachar: & sic Phua fuit frater Gedeonis, qui fuit pater ipsius Abimelech de tribu Manasse. Idem defendit Burgensis, quòd liberum erat connubium tam viri, quàm fœminæ inter diuersas tribus, exceptis fœminis in hæreditate paterna constitutis, quæ solæ per hanc legem tenebantur nubere intra suam tribum; sicut filiæ Salphaad, propter quas lata fuit hæc lex. Et quanquam Lyra explicans 36. capit. Numerorum siue asserendo, siue disputando teneat, quòd nemini licebat extra suam tribum matrimonium contrahere, tamen Iudicum 10. aliter sentit, & similiter in tractatu de differentia nostræ translationis, & Hebraicæ veritatis. Et Sanctus Thomas in quarto, distinctione 30. quęstione secunda, articulo primo quæstiuncula tertia ad quartum, concedit liberum matrimonium filiabus Aaron, in quibus deerat ratio huius legis; quod ex consequenti concedendum videtur de cæteris omnibus, quibus deesset eadem ratio, id est, non succedentibus in hæreditate paterna. Certè Leuitic. 21. iubetur, vt Pontifex ducat vxorem virginem de populo suo, & non arctatur ad tribum, vel stirpem suam; nec opus fuit vnquam vlla dispensatione ad hoc, vt existimat Lyranus. Similiter excusatur Salmon, quòd duxerit Rahab, quæ non solùm non erat de eadem tribu, sed erat alienigena Chananitis. Et Abulensis Iosue sexto, quæstione 58. respondet ad argumentum huius legis, quòd hæc lex non obligabat ad ducendum vxorem de tribu propria, sed ad non ducendum de aliena, ne confunderentur possessiones, & transirent de vna tribu in aliam. Et quanquam hæc solutio nimis contorta, & violenta videatur, satis est, quòd vbi deest ratio legis, omnes concedunt quod liberum erat connubium; & ita tenendum est, sicque explicanda editio vulgata, & sententia Diui Thomæ interpretanda. Hactenus de lege veteri dictum sit: nunc de Euangelica lege pauca differamus.

Burgē. in additione super Num. c. 36.

Lyra.

D. Thom.

Leuit. 21.

Abulens.

QVAESTIO CVI.

De lege Euangelica, in quatuor articulos diuisa.

ARTIC. PRIMVS.

¶ *Vtrùm lex Euangelica sit lex scripta.*

CONclusio est. Lex Euangelica principaliter est indita in corde, secundariò verò est scripta.

EXPLICATIO ARTICVLI.

ISta conclusio sic probatur. Nam potissimùm in legè noui testamenti est gratia Spiritus sancti, quæ datur Christi fidelibus per fidem Christi: vnde Romanorum octauo; Lex spiritus vitæ in Christo Iesu liberauit me à lege peccati, & mortis. Habet tamen lex noua quædam disponentia ad gratiam Spiritus sancti, & ad ipsius gratiæ vsum pertinentia, quæ sunt quasi secundaria in lege noua, de quibus oportuit fideles Christi instrui verbis, & scriptis, tam circa agenda, quàm circa credenda; & ideo dicendum est, quòd principaliter noua lex est indita, secundariò verò lex scripta. ¶ Sed videbitur forsan alicui, quòd gratia Spiritus sancti diffusa in cordibus nostris non sit principaliter lex Euangelica. Lex enim est actus rationis practicæ, præcipiens quid sit faciendum, quidve cauendum. At gratia Spiritus sancti est habitus in essentia animæ, vel in voluntate existens: ergo lex Euangelica secundùm substantiam nequit esse gratia Spiritus sancti. ¶ Ampliùs, Spiritus sancti gratia etiam in cordibus antiquorum Patrum diffusa fuit; at verò tunc temporis non erat lex Euangelica: ergo non potest intelligi quomodò lex Euangelica principaliter sit gratia ipsa Spiritus sancti. ¶ Ad hæc, si lex Euangelica præcipuè est lex indita in cordibus, sequitur quòd Euangelium Ioannis, primò & principaliter sit gratia Spiritus sancti in hominum cordibus infusa; & scriptum Euangelium, propriè non erit Euangelium, aut lex noua: quod asserere, à catholica religione alienum est. ¶ Ampliùs sequitur, quòd Euangelium prædicatum, & annunciatum, propriè Euangelium non sit, sed secundariò, & minus principaliter: at Dominus proprijssimè loquitur cùm ait, Prædicate Euangelium omni creaturæ. Sed pro horum confutatione, & veritatis elucidatione est obseruandum, quòd lex vno modo appellatur practicæ rationis dictamen, dirigens intellectū quid faciendum, cauendumve sit; alio modo dicitur inclinatio, & propensio appetitus ad aliquid faciendum, aut fugiendum; in quo sensu Roman. 7. concupiscentiæ inclinatio, propensioque,

Rom. 8.

Argumēta in cōclusionem.

Prim. argu.

Secundū.

Tertium.

Quartum.

Duplex legis acceptio.

Rom. 7.

sioque, lex membrorum nuncupatur. Et in isto sensu, omnia, adhûc & irrationabilia, inclinãtur ad prosequendum, vel fugiendum quæ sibi conueniunt quadam lege æterna participata, dictãte diuino intellectu. Differt autem secũda legis acceptio à prima; quòd prima intellectum dum taxat illustrat; secunda verò corroborat appetitum ad aliquid agendum, aut cauendum, suppeditatque vires, vt quæ per intellectum bona esse cognouimus, voluntate prosequamur. Certè inclinatio hæc efficacior est ad operandum, quã illa prima; tum ob rationem modò commemoratam; tum quia proficiscitur ex amore voluntatis, illa verò ex metu: vnde dicitur 2.Cor.3. Vbi spiritus Domini, ibi libertas: & ad Rom. Non accepistis spiritum in timore. Hac de causa dicit Apostolus, iusto legem non esse positam; non quòd non teneatur ad legem, & ad legis præcepta, sed quia sponte operatur quæ lex præcipit, & ad pleraque alia se extendit, quæ lege scripta non sunt. Illud etiam obseruãdum est, quòd ex peccato originali tria homini mala præcipuè subsequuta sunt; cæcitas in intellectu, infirmitas & ægritudo in voluntate, inimicitia cum Deo. Primum sanauit Christus cœlesti lumine fidei; Secundum verò gratia Spiritus sancti diffusa in cordibus nostris, qua corroborantur nostræ voluntates ad bona prosequenda; similiter & tertium malum gratia ipsa sanauit, per quam nosre conciliauit Deo. Sensus ergo conclusionis articuli est, quòd Christus nouam legẽ infudit animis nostris, inclinando nos ad opera cœlestia per gratiam Spiritus sancti, quam effudit in nos abundè. Hanc ob rem lex noua principaliter indita est in corde. Inde enim ad bona opera inclinamur, vt ea opere compleamus; è contra verò lex vetus in lapidibus scripta extitit, & inde ad corda hominum transferebatur. Harum legum differentiam explicat Augustinus tam accuratè, quàm diligẽter lib. de spiritu, & litera; vbi potissimè incũbit, vt explanet, quo pacto sit legis Euãgelicæ proprium, esse inditam in cordibus nostris: ad quod adducit illud Hier.31. Ecce dies venient, dicit Dñs, & consummabo testamentum nouum super domum Israel, & super domũ Iuda, & dabo legem meam in visceribus eorũ, & in cordibus eorum scribam eam: quod de lege Euãgelica interpretatur D. Paulus Heb.8. Cui cõsonat illud; Manifestati quòd epistola Christi estis, ministrata per nos, non atramento scripta, sed spiritu Dei viui; non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. ¶ Quòd verò lex Euangelica præcipuè sit indita in cordibus, rationibus Theologicis cõprobatur. Primò, quando Euangelica lex in primis fuit promulgata in die Pentecostes, erat lex noua, nec dum scripta, quousque Matthæus scripsit primum Euangelium: ergo indita erat in cordibus hominum, & infusa diuinitus. ¶ Ad hæc, illa quæ in lege veteri continebantur, præcipuè attinebant ad obseruationes factorum quæ scripto tradi poterãt: at lex Euangelica, est lex fidei viua, quæ maximè in cordibus hominum inseritur. Certè lex vetus extrinsecus posita est, vt iniusti terrerentur; lex autem noua intus posita est, vt homines iustificarentur: dicente Paulo; Litera occidit, spiritus autem viuificat: id est, litera illa lapidibus impressa occidebat, lex verò Euangelica viuificat. ¶ Insuper, Christus fuit nouus legislator, qualis ab exordio mundi nullus vnquam fuit: oportuit ergo quòd nouam, & inauditam legem ferret, singulariq; modo eam promulgaret, vt putà eã in cordibus hominum infundendo. Ex quo sequitur, quòd fuerit hominum mentibus indita: in quo significatur nouus quidam lapsus, & suauis, à superiori causa, qui in penetralibus cordis recipitur, non violenter superfusa, non terribili clangore buccinæ proposita, sed molli oratione interius loquentis. Meritò ergo noua lex indita dicitur. ¶ Ad argumenta ergo in initio posita dicamus. Ad primum patet solutio ex secũda acceptione legis. ¶ Ad secũdum dico, quòd patres veteris testamenti gratiam habebant, & charitatem: at gratia erat eo in statu veluti aduentitia, & per participationem accepta, quatenus attinebant ad nouum testamentum: nam & illis, & nobis per Christum gratia collata fuit: at in nobis est proprius, & per se fructus, vnde & lex gratiæ dicitur. Sanè si nihil lex Euangelica aliud haberet, nisi docere operanda, & fugienda, diceretur litera occidẽs, vt Aug. loco citato sæpe dicit; sed illa docet quid faciamus, prębetq; auxiliũ quo faciamus. ¶ Ad tertium dico, quòd etsi lex Euãgelica præcipuè sit lex indita in cordibus, nullatenus tamen dicendũ, quòd Euangeliũ scriptũ, impropriè sit Euãgelium, sed quòd sit secundariò, & minùs principaliter lex Euangelica, nõ tamen impropriè. Quis enim audeat dicere, Euangeliũ Ioãnis nõ esse propriè Euangelium? Profectò leges scriptæ, propriè leges sunt. Item, quis non videt Euangelium esse bonam & felicem annunciationem? at huiusmodi enunciatio fit Euangelio scripto. Vnde temerarium dogma esse decerno, si quis dicat, Euangelium Ioannis, aut Matthæi, quia est scriptum, impropriè esse Euangelium. ¶ Sed hinc parua quædam quæstio suboritur, quę diu, multùmque torsit Augustinum; vtrùm sit legis Euangelicæ proprium, quòd sit indita in cordibus: quòd enim hoc cõpetat legi naturali, planissimè testatur Paulus cùm ait, Gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt: eiusmodi legẽ nõ habentes, ipsi sibi sunt lex; qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis: id est, eiusmodi non

2.Cor.3. Rom.8. D. August. Hier.31. Heb.8. 2.Cor.3. Lex Euãgelica præcipuè indita est cordibus hominum. 2.Cor.3. Solut. arg. Ad primum & secundũ. Ad tertium & quartum. Vtrùm sola lex Euangelica sit in cordibus scripta. Rom.2.

non habentes pædagogiam legis scriptæ, ipsi sunt vice legis, qui ostendunt vita sua opus legis scriptum in cordibus suis: est enim homini ingenita notitia de agendis, ad discernendum inter honestum, & turpe. Itaque naturæ lex notitia est menti impressa de operibus legis: ergo illud non est proprium legis Euangelicæ, siquidem & isthæc prærogatiua legi competit naturali.

Solutio dub. Respondeo, nullo modo posse negari naturalem legem mentibus nostris esse impressam, & inditam; sed non sicut lex vitæ, & spiritus, quæ est in Christo Iesu. Lex enim Euangelica non solùm menti, & intellectui indita est, vt sciamus discernere inter honestum & inhonestum, sed data in cordibus nostris, & in illis scripta, vt quę facienda nouimus, amemus, & diligamus. Rursum, lex Euangelica ideo appellatur lex spiritus, & vitæ, quia suppeditat spiritum, & vitam ad ea quæ præcepta sunt adimplenda. Alio modo explanatur isthæc difficultas hîc ad secundum: lege Diuum Thomam.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ *Vtrùm noua lex iustificet.*

SVMMA TEXTVS.

Prim. cõcl. PRima conclusio. Lex noua, vt est ipsa gratia Spiritus sancti, iustificat. ¶ Secunda conclu-

Secũ. cõcl. sio. Quod secundariò attinet ad legem nouam, vt sunt documenta fidei, & præcepta humanum affectum ordinantia, & actus humanos, non iustificat.

EXPLICATIO ARTICVLI.

2. Cor. 3. VTraque conclusio probatur. Nam 2. Corinth. 3. dicitur. Litera occidit, spiritus viuificat; & Augustinus per literam intelligit quamlibet scripturam extra homines scriptam, etiam moralium præceptorum, qualia in Euangelio continentur: quare etiam literæ Euangelicę occiderent, nisi intus adesset gratia fidei sanans: & alibi dicit; In veteri testamento lex extrinsecus posita est, vt iniusti terrerentur: sed in nouo intrinsecus data est, vt iustificarentur.

Gratia iusti ficans variis modis à Christo venit. ¶ Aduertendum tamen est in præsentia, quòd gratia iustificans, qua homines cum Deo reconciliantur, cuius solus Deus autor est, per meritum Christi multipliciter prouenit ab eo in homines. Primò, per signa à Deo constituta, quæ dicuntur sacramenta, quibus appositis, homines iustificantur coram Deo. Secundò, per propria opera; cùm, scilicet, aliquis gratiam assequutus, per opera propria meretur eius augmentũ: verùm hoc potiùs attinet ad gratiæ augmentum, quàm ad eius inchoationem: augmentum enim præexigit rei existentiam. Tertiò, prouenit gratia à Deo etiam quò ad inchoationem, mediante propria dispositione, in qua principem locum tenet Dei vocatio gratuita, auxiliumque diuinæ gratiæ: suus tamen locus relinquitur humanæ industriæ, vt homo consentiat vocanti, tum ex parte intellectus, tum ex parte affectus. Hi sunt regulares modi, quibus gratia in homines prouenit; præter quos adhùc est quartus, videlicet, miraculosa conuersio. Vt enim in operibus naturæ quædam fiunt suprema Dei potestate, præter communem cursum; vt subita illa germinatio virgæ Aaron; ita in operibus gratiæ nonnulla exuberante potestate diuina proueniunt, præter regularem cursum, vt fuit Pauli conuersio.

Corollaria apprimè notanda. ¶ Ex ijs sequitur primò, quòd gratia, & charitas tempore Euangelij vberiùs infunduntur, quàm vnquam fuerint hominibus allata: quod liquet discurrendo per illas quatuor vias, quibus in præcedentibus ostendimus Deum conferre gratiam. Et primò, quòd attinet ad sacramenta, certum est quòd nostra non solùm sunt signa præcedentis passionis, aut comitantis gratiæ, verùm etiam sunt eius efficacissima instrumenta: continent enim pretium sanguinis Christi. Ob id ab Spiritu sancto fontes appellantur, ex quibus gratia indeficienter profluit: vnde ait Esaias 12. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris. De ijs sacramentis dicitur in Concilio Tridentino, sessione septima in prologo, quòd per hæc sacramenta, nostra iustitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amissa reparatur. At omnia sacramenta, quæcunque antè fuere, licèt eis adhibitis paruuli iustificarentur, nunquam tamen gratiam conferebãt ex opere operato vt aiunt Theologi. De secunda autem via diligenter considerandum est, quòd cùm per sacramentum baptismi Christo crucifixo simus complantati, & ad idem corpus attinemus, & eodem spiritu viuimus, vt ipse dicit Ioannis decimoquinto. Ego sum vitis, vos palmites; In qua similitudine continentur ista duo: equidem vitis cum palmitibus pro eodem supposito computantur, & eadem anima viuunt. Attamen sic est similitudo ista accipienda, vt in vnoquoque iustificato sit formalis iustitia inhęrens, vt explicatur in Cõcilio Tridẽtino, sessione sexta, canone septimo. Sicuti ergo cuique fidelium licet dicere cum Paulo, Viuo ego, iam non ego, viuit in me Christus; ita & iustificatis,

Sacramẽta, gratiæ fontes appellãtur. Esa. 12. Cõci. Trid. Ioan. 15. Cõci. Trid. Gal. 2.

& in Christo manentibus licet dicere. Operor ego, iam nō ego, operatur verò in me Christus. Ob id opera nostra, prout virtutem, & influentiam mutuantur à capite, efficaciter, & de condigno sunt meritoria gratiæ, & gloriæ. Caietanus ingeniosè id probat opusculo de fide, & operibus c. 9. & deinceps. Hanc autem prærogatiuā non potuerunt habere opera præcedentium; quia nondum erat caput, quod per membra efficienter operaretur. Sed ne Caietano tantam doctrinam tribuamus, in Trid. Concil. sic dicitur; Ipse Christus Iesus tanquam vitis in palmites, & tanquam caput in membra virtutem influit. Ex quo sequitur, quòd, quò ad hanc viam, nostra lex multùm excedit veterē; nam illi non erant Christo coniuncti nisi per fidem, tanquā fini; ista tamen non erat Christi realis influētia, vt modò est: operari enim supponit esse, tunc non erat Christus. De tertia via magnum argumentum suppeditat cōuersio mundi tā subita. Olim enim notus solùm in Iudea Deus, sed posteaquā orbi lux noua noui Euāgelij illuxit, multa hominū millia, non solùm vocata, sed & iusti ficata, & ad beatitudinem admissa sunt. Et si cō sideremus diuinam liberalitatem, quid non est sperādū de Deo? sicut & dicitur; Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum &c. Tunc demum illa pietatis viscera super nos effusa sunt. At motiua ex parte intellectus modò euidentiora sunt quàm anteà: vnde & Hiere. c. 31. in illa verba prorupit; Non docebit vir vltrà fratrem suum, dicens, Cognosce Dominū: omnes enim à minimo vsq; ad maximum cognoscent me: quem locum Augustinus vbi suprà c. 24. dicit de statu gloriæ esse intelligendū: alij tamen id intelligunt de præsenti statu, vbi tot sunt argumēta diuinæ gratiæ, vt ferè non sit opus doctore: exaggeratio est solita, & frequens in scriptura. Atqui ex parte affectus motiua talia sunt, vt etiam rebelles ad Christum trahant: in quo sensu intelligendum est illud; Ego cū exaltatus fuero à terra, omnia trahā ad me ipsum; id est, cùm hominibus enunciatū fuerit pro illis me vitam posuisse, motiuum hoc tātæ erit efficaciæ, vt homines quasi inuitos trahat: huius explicationē vide apud Diuum Leonem in sermone de passione Domini, qui incipit, Decursis. Sed & de quarta via, videlicet, de miraculosa conuersione, non est opus verba in hoc absumere, cùm in nouo testamento passim de hoc extent exempla, in veteri autem aut nulla, aut rarissima sint. Omnis verò Apostolorum conuersio miraculosa fuit, ex piscatoribus videlicet eos facere mundi principes. Deinde illud, quod parabolicè dicitur apud Luc. 14. Cōpelle intrare eos &c. indicat hoc, nouam quandā viā sternendam fore, qua homines ad Deū vocarētur, imò & cōpellerentur: quæ sunt miraculosæ cōuersiones. ¶ Sequitur secundò, quòd gratia, & charitas est proprius, & per se fructus legis Euangelicæ. Hoc patet ex dictis. Cōtinet enim Euangelium, & exhibet Christum, qui fons est gratiarum omnium, & sicut habetur Sap. 7. Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa. Sic & in lege Euangelica constituti dicere possumus quòd omnia media, & instrumenta ad gloriam & gratiam assequendam cum Christo fuerimus consecuti, quem lex antiqua ostendebat quidē futurū, sed non exhibebat præsentē. At verò de ijs gratię instrumentis qualiter à Christo pendeant, extat exemplū præclarum Zacha. 4. vide ibi Hiero. certè est pulcherrimus locus. ¶ Sequitur tertiò, quòd quicunq; gratiam adepti sunt ab origine mundi, ex hoc ipso modo pertinent ad nouum testamentum; sic ait Diuus Thomas ar. 1. ad 3. & Augu. Sed & ex physicis conuenię tiam inueniemus: quod enim cōpetit alicui per accidens, reducitur ad id quod est per se. v. g. si lignum, aut aqua est calida, id ei accidentaliter conuenit; ignis enim per se, & veluti essentialiter calidus est; quæcunq; naturam calidi participant, eo ipso reducuntur ad naturam ignis quasi illam participantia: ergo cùm gratia Spiritus sancti per se sit legis Euangelicę fructus, quā fideles noui testamenti tāquam hęreditario iure sibi vendicare possunt: quicunq; autem gratiā anteà consequuti sunt, hoc ipso quodāmodo attinent ad nouum testamentū, atq; adeò quodā modò hūc pertinet quod in confessione fidei ponitur, c. firmiter, de summa Trinitate: vnam, scilicet, esse fideliū vniuersalem Ecclesiā, extra quā nullus omnino saluatur; nam isthæc vnitas ex vnitate capitis regentis, & spiritus viuificātis maximè attenditur. At verò hoc caput, & hic spiritus gratię potissimè attinent ad nouū testamentum. ¶ Quartò sequitur, quòd iustificare, propriè Euangelicę legi competit, quod legi veteri nullatenus cōuenire anteà ostendimus. Cōclusio est D. Thomæ hīc ar. 2. & August. Ratioque suffragatur: nam gratia Spiritus sancti est veluti causa formalis in iustificatione impij, de qua dicitur; Iustificati gratis per gratiam ipsius. Sicut enim cum illuminatur aēr, licèt sit tenebrarum expulsio, & infusio lucis, materialiter expulsio illa est, & formaliter est infusio luminis: ita in impij iustificatione est expulsio peccati, & illius remissio, & collatio gratię; & ista est prior in genere causæ formalis, illa verò in genere causæ materialis. Præterea, lex Euangelica est, quæ gratiam propriè continet, & illā cōfert: ergo iustificatio est proprius effectus nouæ legis: Propter quod Saluator mūdi ingrediens ait; Spiritus Domini super me, vt mederer contritis corde, vt prædicarem &c.

Caiet. — Cōci. Trid. sess. 6. c. 16. — Rom. 8. — Hier. 31. — Augustin. — Ioan. 12 — Leo Papa. — Luc. 14. — Gratia & charitas fructus per se legis Euangelicę — Sap. 7. — Zach. 4. — Hieron. — D. Thom. — Aug. lib. de spiritu & litera. c. 24. — Aug. vbi sup. c. 17. — Rom. 3. — Esa. 61.

AR-

ARTIC. TERTIVS.

¶ Vtrùm lex noua debuit dari ab initio mundi.

¶ Conclusio negat.

EXPLICATIO ARTICVLI.

HÆc conclusio probatur: quoniam lex noua principaliter est gratia Spiritus sancti, quæ abundanter dari nó debuit, antequam peccati impedimentum ab humano genere tolleretur, consummata redemptione per Christum, vt dicitur Ioan. 7. Ioannis septimo. Quod etiam patet ex perfectione nouæ legis. Non enim aliquid statim ad perfectum deducitur à principio, sed quodam temporali successionis ordine; sicut aliquis priùs est puer, posteà vir. Quare lex pedagogus fuit in Christo, vt ex fide iustificemur. Item patet: nam lex noua est lex gratiæ, vnde oportuit hominem sibi relinqui in statu legis veteris, quò in peccatum cadendo suam infirmitatem agnosceret, & quantum gratia egeret: & hanc rationem Rom. 5. assignat Apostolus Romanor. 5.

¶ Cæterùm in hoc articulo præcipuè inuestigandum est, quàdo noua lex habuerit vim obligandi quò ad omnes? Cuius quæstionis definitio hæc est. Lex noua habuit vim obligandi quò ad omnes à festo Pentecostes; etsi oppositum sit probabile, scilicet, quòd à morte, & resurrectione Christi statim obligârit.

Quàdo habuerit vim obligandi omnes lex noua.

Prim. arg. ¶ Prior pars sic probatur. De ratione cuiuscunque legis est promulgatio, vt quæstione 90. articulo 4. habuimus: at in die Pentecostes, & nó ante fuit promulgatum Euangelium: ergo ex tunc cœpit obligare. Et confirmatur: quia Act. 2. Act. 2. legitur, illos qui audiêre Euangelium, ad prædicationem Petri fuisse baptizatos: ergo signum est ex tunc incepisse legis obligationem.

Secundum. ¶ Ad hæc, nam Christus discipulis silentium imposuit, ne prædicarent; sed præcepit vt manerent, & quiescerent in eodem loco, quousque virtute ex alto induerentur: ergo nec lex anteà obligabat quàm virtus eos firmaret. Patet consequentia: quia qui prohibuit prædicationem Euâgelij, visus quoque est tollere vim obligatoriâ. Et dixi; quò ad omnes; nam Apostolos statim à morte, & resurrectione Christi obligabat; sed

D. Thom. & omnes quotquot Euangelium sciebant, secundùm sententiam Diui Thomę 3. parte, quęstione 66. articulo 2. vbi dicit, præceptum baptismi, qui est ianua legis Euangelicæ, obligare statim à morte Christi.

Marc. vlt. De Apostolis verò patet Marci vltimo, vbi Dominus increpauit incredulitatem illorum, & duritiam cordis.

Soto. ¶ Alia verò pars conclusionis est Soti libro 2. de iustitia, quæstione 5. articulo 4. & 4. distinctione 3. quæstione vnica, articulo 2. & Durandi distinctione 1. quæstione 9. & ratio est: lex enim vetus cessauit in morte Christi: ergo statim cœpit obligare noua; aliàs illud tempus à morte Christi vsque ad Pentecosten sine lege esset. Ad hæc, promulgatio nullam vim confert legi, sed institutio: atqui fuit instituta ante mortem Christi: ergo mox à morte eius obligat: nam constituta fuit vt vim haberet post mortem. Et probo minorem ex Matthæi 28. Mat. 28. vbi dicitur, Docete quæcunque vobis mandaui. Præterea, nam à morte Christi vsque ad Pentecosten erat baptismus remedium sufficiens ad tollendum peccatum, & non erat aliud scientibus Euangelium: ergo obligabat eos ad suscipiendum baptismum. Consequentia patet: nam omne medium ad salutem necessariũ cadit sub præcepto: sed tale erat tunc baptismus: ergo tunc baptismus obligabat: ergo & Euangelica lex; quia per baptisma profitemur totam legem Euangelicam. Et hinc exploditur sententia Scoti dicentis, circumcisionem fuisse in consilio ab aduentu Christi vsque ad Euangelij promulgationem. Nam sicut lex vetus fuit abolita per mortem Christi; sic & circumcisio, quæ erat quasi ianua veteris legis. Item falsum est quod ipse 4. distinctione 3. quęstione 4. asserit, nempe quòd circumcisio erat in consilio post institutionem baptismi: nam Genesis 17. ponitur lex circumcisionis sub hac Gen. 17. forma, vt qui non circunciditur, deleatur de populo suo; vbi significatur, peccatum mortale esse non circuncidi, vt ibi explicat Augustinus; in Augustin. quo etiam Abulensis deceptus est. Nec ratio Abulens. Scotica aliquam præ se fert energiam; Consilium, scilicet, de virginitate tollit matrimonij obligationem; at tunc erat consilium de baptismo: ergo tollebat præceptum circumcisionis. Ad hanc enim dico, quòd cùm consilium non secum patitur præceptum, verum dicit; quando verò nulla est repugnantia, consilium non tollit præceptum; veluti consilium orationis non tollit præceptum ieiunij in quadragesima. Vnde etsi paruuli per baptismum tunc saluarentur, parentes tamen peccarent non circuncidendo illos, etiam iam baptizatos. Quare etiam si adulti baptismo iustificati essent, tenebantur ad circumcisionem, sicut qui modò iustificantur contritione, ad confessionem tenentur.

Durand. Exod. 12. & super Matt. c. 26. q. 44.

¶ Sed quia sententia Soti in commentarij principio posita probabilior videtur: ideo ad argumenta pro alia parte respondetur.

Ad primũ. Ad primum ergo nego minorem; imò in ipsa morte Christi fuit facta promulgatio legis nouæ; nam tunc facto ipso promulgauit, cùm ea quæ

quæ prædixerat, consummauit. Deinde, ante suam mortem omnia sacramenta instituit, mortem, & resurrectionem suam reuelauit: nam quidam ex Phariſæis miserunt ad sepulchrum custodes, quia dixerat, tertia die se resurrecturum; & discipuli euntes in Emaus dixerunt Christo; Tu solus peregrinus in Hierusalem, & hæc ignoras? ergo lex iam tunc satis erat promulgata. Peña verò 3. parte, quæstione 66. articulo 2. dicit, quòd diuina lex non eget tanta promulgatione, sed satis est si alicui vni reueletur, vt ille alijs dicat.

Mag Peña.

Ad secundũ ¶ Ad secũdum dico, quòd silentiũ illud erat, vt discederẽt ab officio prędicationis ante cõfirmationem Spiritus sancti; nõ tamẽ legis obligationem auferebat. Igitur secundùm hanc sententiam à morte Christi erat obligatio quò ad omnes, sed excusabantur à culpa per ignorantiam.

D. Thom. Durand. Ricard. Capr. Ista sententia est Diui Thomæ 3. parte, quæstione 66. articulo 2. & Durandi 4. distinctione 1. quæstione 9. Ricardi distinctione 3. quæstione 3. Capreoli ibi maximè distinctione 3. quæstione 1. articulo 3. Hinc sequitur contra Scotum vbi suprà, quòd baptisma à morte Christi non fuit sub consilio, sed sub præcepto, quod probo. Nam vel erat sub consilio ignorantibus illud baptisma; vel ijs qui sciebant legem baptismi. Ignorantibus non erat in consilio: nam ex ignorantia tenebantur ad præceptum de circuncisione. Ijs verò qui sciebant legem baptismi, notum erat circuncisionem iam esse abolitam: ergo id tantùm remedij necessarij supererat, scilicet, baptismus: ergo non in cõsilio, sed in præcepto erat; sicque ex consequenti tota lex Euangelica obligabat.

Ad primum Soti. ¶ Qui oppositum tenet, potest respondere ad primum Soti, quòd in eo tempore non esset ordis absque lege; habebant enim Apostoli legẽ, & alij multi quibus innotuerat per prædicationẽ Christi: gentes verò lege tunc carebant scripta, sed suis sacramentis, & fide iustificabantur ante sufficientem promulgationem, vt suprà diximus.

Ad secundũ ¶ Ad secundum dicatur, promulgationem de ratione legis sic adeò esse, vt sine illa vim non obtineat.

Ad tertium ¶ Ad tertium, quòd præceptum baptismi obligabat quidem scientes: nam sacramenta confirmata sunt morte Christi, vt docet Augustinus super Ioannem 19. at reliqua Euangelij præcepta non obligabant nisi pro tempore sufficientis promulgationis.

Obiectio. ¶ ¶ Quòd si quis insurgat contra vtramque conclusionis partem; Euangelium, & eius præcepta ante mortem Christi fuisse lata; nullum verò in morte: ergo anteà obligabãt. Ad hoc dicit Cano super tertiam partem vbi suprà, quòd post mortem indixit Christus præcepta, vt patet de pœnitentia; Quorum remiseritis peccata &c. Sed Soto 4. distinctione 5. quæstione vnica, articulo 2. dicit, omnia præcepta fuisse à Christo data ante mortem, vel viua voce aliquibus reuelata, vel prædicatione publicè promulgata, etsi posteà fuerint explicata. Negatur ergo ante mortem obligare, quia dabantur, vt posteà obligatura. ¶ Sed ad finem sciendum, quòd lex Euangelica non debuit dari ab initio mundi: nam vel exhiberet Christum gratiarum fontem; & hoc non oportuit ab origine mundi, ne statim post peccatum homines tanto munere donarẽtur. Sic enim expediebat dignitati venientis, vt sic expectaretur; sicque expediebat humilitati susciptentis. Neque debuit esse lex Euangelica ad hoc vt daret gratiam alterius rationis; esset enim id contra diuinæ prædestinationis ordinem, qua præfinitum erat, vt omnes gratiam consequerentur mediante Christo. Ex quo post colligere fideles noui testamenti suam felicitatem, prout dicitur Luc. 10. Beati oculi qui vident quæ vos videtis &c. Et si poëtarum verbis vti liceret, hoc est aureum seculum quod ipsi comminiscuntur. De hoc tempore vaticinatus est Esaias; Erit lux Lunæ, sicut lux Solis &c. vide inibi Diuum Hieronymum.

Soto. Ioan. 20. Luc. 10. Esa. 30.

ARTIC. QVARTVS.

¶ *Vtrùm lex noua sit duratura vsq; ad finem seculi.*

SVMMA TEXTVS.

Prim. cõcl. PRima conclusio. Statui legis nouæ nullus alius status succedet secundũ diuersitatem legis. Et enim status nouæ legis tanquam perfectior successit statui veteris legis, tanquam imperfectiori: sed in hac vita nullus status potest esse perfectior quám status nouæ legis; quia nihil potest esse propinquius vltimo fini, quàm quod ad ipsum immediatè introducit, vt lex noua facit, secundum Apostolũ ad Heb. 10. Habẽtes itaq; fratres fiduciã in introitu sãctorũ in sangui ne Christi; quã initiauit nobis viã

Heb. 10.

nouam;

nouam; accedamus ad eum.

Secũ. cõcl. ¶ Secunda concluſio. Si loquamur prout perfectius, & minus perfectè ſe habent homines ad eandem legem, ſic variari poteſt. Sic enim frequenter ſtatus legis veteris fuit variatus, cùm quandoq; leges optimè cuſtodirentur, quandoq; omnino prætermitterentur: ſic etiam ſecundum diuerſa tempora, & perſonas diuerſificatur ſtatus nouæ legis, in quantum gratia Spiritus ſancti perfectiùs, vel minùs perfectè habetur.

Tert. cõclu. ¶ Tertia concluſio. Non eſt ſpectandus aliquis ſtatus in quo perfectiùs habeatur gratia Spiritus ſancti, quàm hactenus habita fuerit: maximè ab Apoſtolis, qui primitias ſpiritus acceperunt, & tempore prius, & abundantiùs cæteris.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Vtrũ lex vetus perpetua fuerit.

IN hoc articulo duo ſunt inueſtiganda ex diuinis literis. Alterum eſt, num lex vetus finem habuerit; an potiùs ſit duratura vſq; in finẽ ſeculi. Quòd enim ſit duratura vſque in æternum, probant Hebræi ex ſanctis ſcripturis, in quibus frequentiſimè dicitur; Legitimum ſempiternum erit vobis; & alia ſimilia verba, quæ indicant planè, legem in ſempiternum duraturam. Sed quæſtio hæc non eſt cur hoc loco nos detineat, cùm in ſuperioribus fuerit demonſtratum, legem veterem ceſſaſſe, & antiquatam eſſe. Certè Ieremiæ. 31. dicitur planè; Ecce dies venient dicit Dominus, & feriam domui Iſrael, & domui Iuda fœdus nouum, non ſecundum pactum quod pepigi cum patribus veſtris, & cætera quæ ſequuntur. Vnde dicendum eſt, quòd, ſempiternum, accipitur pro longo tempore, ſicut oſtendit Diuus Auguſtinus. Vel lex vetus dicitur duratura in ſempiternum, ſecundum præcepta moralia ſimpliciter & abſolutè; ſecundum ceremonialia verò, quantum ad veritatem per ea figuratam: ſic interpretatur

Gen. 13. Exod. 28. Leui. 16. Hier. 31.

Aug. lib. 1. quæſtio. in Gen. q. 31. & li. 16. de ciuit. ca. 21. & 26.

Diuus Thomas ſuprà quæſtione 103. articulo tertio ad primum. Vel dicitur inſtituta in ſempiternum, id eſt, tamdiu, quamdiu pactum cum patribus erat initum, donec veniret ſemẽ quod repromiſſum eſt. Profectò, æternum, in ſanctis ſcripturis non ſemper ſignificat æternitatem, ſed continuitatem temporis vſque ad terminum præfixum, de qua re loquitur optimè Diuus Auguſtinus. Sed & alia interpretatione vſurpatur paſsim, legitimum ſempiternum, in diuinis eloquijs. Sanè, ſempiternum, dicitur, quod nullo die intermittendum eſt: ſic Exodi 28. & Leuitic. 16. Item ſecundum Gregorium, teſtamentum vetus appellatur, æternum, quia intellectus illius nunquam mutatur. Ex his patet, quomodo teſtamentum vetus in ſempiternum fuerit duraturum. Sed iam conſideremus aliam quæſtionem; Num lex noua ſit duratura vſque in finem mundi? de quæſtione hac varij ſunt exorti errores in Chriſtianorum republica. Nam (vt ſcribit Auguſtinus) Montanus, & Priſcilla poſuerunt, quòd promiſsio Domini de Spiritu ſancto dando non fuit completa in Apoſtolis, ſed in eis. Sed & Manichæi poſuerunt, quòd fuit completa in Manichæo, quem dicebant eſſe Spiritum paracletum: & ob id vtriſque non recipiebant Actus Apoſtolorum, in quibus apertè ſcribitur, quòd illa promiſsio fuit in Apoſtolis completa; ſicut Dominus iteratò eis promiſit Actu. 1. Baptizabimini in Spiritu ſancto non poſt multos hos dies; quod impletum legitur Actuum ſecundo. Prædicti ergo autores dicebant, eſſe ſpectandum aliud tempus, & aliam legem Spiritus ſancti. Sed iſtæ vanitates & deliramenta excluduntur per hoc quod dicitur; Nondum erat ſpiritus datus, quia nondum Ieſus erat glorificatus: ex quo ſignificatur, quòd ſtatim glorificato Chriſto in reſurrectione, & aſcenſione fuit Spiritus ſanctus datus. Sed & quidam hæretici, qui flagellantes nominantur, dixerunt, Euangelium poſt aduentum ſuæ ſectę iam deſijſſe. Sed contrà ſunt aperta teſtimonia, quæ probant Euangelium duraturum vſque ad finem ſeculi: Eccleſiaſtici. 17. Teſtamentum æternum conſtituit cum illis, & iuſtitiam, & iudicia ſua oſtendit illis. Et conſtat hîc non fieri ſermonem de veteri teſtamento, quia illud antiquatum eſt, & reuocatum, vt probat Paulus ſæpe, præcipuè in epiſtola ad Hebræos, & Baruch capitulo 2. Et ſtatuam illis teſtamentum alterum ſempiternum, & Pſalmo 110. Redemptionem miſit Dominus populo ſuo, mandauit in æternum teſtamentum ſuũ. Et ipſa veritas hoc idẽ cõfirmat, dicens, Amẽ dico vobis, quod nõ præteribit generatio hæc donec omnia fiant: quæ verba exponens Theophilactus ſuper Lucam,

D. Thom.

Aug. lib. 2. locutionũ in Exod.

Greg. ho. 6. ſuper Ezec.

Nũ lex noua ſit duratura vſq; in finem.

Aug. lib. de hæreſi. c. 26 & li. 19. contra Fauſt. c. 31. & de vtilitate credẽdi c. 3.

Act. 1.

Ioan. 7.

Eccli. 17.

Baruch. 2.

Theophil.

cam, ait; Generationem vocat, non eos qui tunc aderant, sed omnium fidelium generationem: solet enim scriptura hoc nominare modo: vt, Hæc est generatio quærentium dominum.

Quia autem turbationes, & bella, & alterationes dixit futuras tam elementorum, quàm rerum, vt ne quis suspicetur, quòd fortè aliquando destruendus sit Christianismus, dicit, non: non enim præterbit hæc Christianorum generatio: cœlum quidem & terra immutabuntur, sermones autem mei, & Euangelium meũ non peribunt, sed manebunt. Tametsi commoueantur omnia, fides tamen in me non deficiet.

Apparet autem hoc loco, quòd Ecclesiam omni creaturæ præferat: Ecclesia enim eius, & verbum, ac Euangelium nequaquam peribunt.

Hactenus Theophilactus. Præterea, in verbis, quibus quotidie vinum in sanguinem Christi transubstantiamus, sic dicitur, Hic est calix sanguinis mei, noui & æterni testamenti, quod pro vobis, & pro multis effundetur &c. quę verba & si non expressè inueniãtur in Euangelio, certò tamen credendum est, Ecclesiam illa à Christo recepisse. Idem patet ex Paulo dicente, Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis pastorem magnum ouium in sanguine testamenti æterni Dominum nostrum Iesum Christum. Heb.13.

Obiectio. ¶ Sed dices; si Euangelium vsque in perpetuũ duraturum est, quem sensum habet illa sententia Domini; Prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerso orbe, & tunc veniet consummatio? Nam Euangelium Christi iam diu est prædicatum in vniuerso orbe, nec tamen adhuc venit consummatio: ergo Euangelium Christi, nõ est Euangelium regni, sed futurum est aliud Euangelium Spiritus sancti. Mat.24.

Respon. Certè cum Christus statim in principio prædicationis dixerit, Appropinquauit regnum cœlorum; stultissimum est dicere, quòd Euangelium Christi, nõ sit Euangelium regni. Vnde prædicatio Euangelij Christi potest intelligi dupliciter: vno modo quantum ad diuulgationem notitiæ Christi; & sic prædicatum fuit Euangelium in vniuerso orbe, etiam tempore Apostolorum, vt Hieronymus & Chrysostomus affirmant; & iuxta hanc interpretationem, quod additur, Et tunc erit consummatio; intelligitur de destructione Hierusalem, de qua tunc ad literam sermo erat. Hieron. Chrysost.

Alio modo potest intelligi prædicatio Euangelij in vniuerso orbe, cum pleno effectu; ita scilicet, quòd in qualibet gente fundetur Ecclesia: & hoc modo tenendum est cum Augusti no in epistola ad Esycium, quòd nõdum fuerit Euãgelium vniuerso orbi diuulgatum, sed hoc facto, veniet consummatio mundi, de qua re videndus est doctissimus pater Victoria in relectione de Indijs, in 1.p. August. Victoria.

QVAESTIO CVII.

De comparatione nouæ legis ad veterem, in quatuor articulos diuisa.

ARTIC. PRIMVS.

¶ Vtrũ lex noua sit alia à lege veteri.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Conclusio est. Lex noua non est alia à lege veteri respectu finis: vtraque enim ordinat hominem vt Deo subdatur. Est autem vnus Deus & noui, & veteris testamenti: vnde Apostolus; Vnus Deus qui iustificat circũcisionem ex fide, & præputium per fidem. Rom.3. Sed differt noua à veteri secundũ perfectum, & imperfectum: quia lex vetus est quasi pædagogus paruulorum secundum Apostolum: Gal.3. lex autem noua, est lex perfectionis, quia est lex charitatis, de qua dicitur, quòd est vinculum perfectionis. Colos.3.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Legis veteris & nouæ multiplex differentia. Rofectò lex vetus, & noua multis differunt: eam rem explicat Diuus Thomas eleganter in hac quæstione per quatuor articulos, & Soto li.2.de iustitia q.8.arti.1. & 2. nos breui sermone rem explicabimus. ¶ Prima differentia sumitur ex dignitate legislatoris. Vet° enim lex per Moysem data est: Noua verò per Deum hominem factũ promulgata est. Hanc prerogatiuam exaggerat multis Diuus Paulus dicens, Multifariè multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, nouissimè diebus istis locutus est nobis in filio &c. Heb.1. ¶ Secunda differentia sumitur ex ratione subiecti: nã lex antiqua fuit data extra hominẽ, & in tabulis lapideis scripta: lex verò noua diffusa est in cordibus nostris, & in visceribus nostris per Spiritum sanctum. De hoc discrimine differit optimè D. Aug. & inquirit, vtrùm sit propriũ legis nouæ, quòd sit diffusa in cordibus nostris D.Thom. Soto. Aug.lib.de spiritu & lit.c.26.

nostris : nam de lege naturali asserit Diuus Paulus, quòd sit lex scripta in cordibus nostris: hanc difficultatem explicat optimè Diuus Augustinus, quem lege.

Rom.2.

¶ Tertia differentia est ex parte vniuersalitatis: nam lex illa data fuit populo peculiari Iudęorum: lex verò noua data fuit vniuerso mundo, iuxta illud; Euntes in mundum vniuersum, prędicate Euangelium omni creaturę.

¶ Quarta differentia sumitur ex tempore: nam lex illa fuit temporalis, & ad tempus duratura, donec veniret plenitudo temporis, vt asserit Paulus: noua verò durabit vsque in finem seculi.

Gal.4.

¶ Quinta differentia attenditur ex parte vmbræ: nam lex vetus vniuersa, vmbra erat, & figura: lex noua veritas est, iuxta illud; Gratia & veritas per Iesum Christum facta est.

Ioan.1.

¶ Sexta differentia est, quòd lex vetus non iustificabat coram Deo: lex verò noua pręstat veram iustitiam apud Deum : de quo discrimine vide Soto in 4. distinctione 2. quęstione 1. articulo 1. & 4. & Cano in relectione de sacramentis in communi, parte vltima.

Soto. Cano,

¶ Septima differentia est, quòd lex vetus non aperiebat ianuam regni cœlorum: lex verò noua id efficacissimè pręstat: de quo discrimine loquitur optimè Innocentius III. & Soto loco dudum citato.

Innocē. III. & maiores de baptis. Soto.

¶ Octaua differentia est, quòd vetus testamentum ideo dicitur vetus, quòd prędicta tantùm temporalia, caducaque promittebat, quę senescunt : nostra verò lex noua dicitur, eò quòd sempiterna pollicetur, quæ semper virescunt: hoc discrimen persequitur Augustinus, quod à nobis in superioribus expositum est. Istę sunt notabiles differentię, sed quæ sequuntur, sunt maximè notandæ. Breuissima (inquit Augustinus) differentia inter legem veterem & nouam est, timor, & amor. Lex illa fuit timoris; hęc verò amoris: prosequitur hoc discrimen Augustinus libro contra Adamantium capitulo decimoseptimo, & libro tertio contra duas epistolas Pelagianorum capitulo quarto. Ex hac differentia sequitur alia, quòd illa lex fuit lex seruorum; hęc verò filiorum, & liberorum: istud discrimen ponit Paulus, dicens; Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum.

Au. li. 4. cō tra Faust.

Rom.8.

¶ Ex hac doctrina nascitur ingens controuersia; vtrùm Patres veteris legis, qui placuerunt Deo, & fuêre iusti, fuerint verè filij Dei adoptiui; an per figuram & typicè. Quidam autores in primis graues tenent partem negatiuam huius quæstionis, & comprobant eam ex sanctis scripturis.

Nū patres antiqui iusti fuerint verè filij Dei adoptiui.

Arg. ex scripturis. Rom. 8. Prim. arg.

¶ Nam dicit Paulus, Non accepistis spiritum seruitutis in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum: ergo (testante Diuo Paulo) Patres antiqui non habuerunt spiritum adoptionis filiorum.

ex sacris scripturis. Gal.4.

¶ Deinde, inter nouum & vetus testamentum hoc constituitur discrimen : quòd vetus testamentum in seruitutem generabat; nouum verò in libertatem filiorum : dicit enim Paulus; Quando venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt adoptionem filiorum reciperemus: ergo ante Christi aduentum non erat filiorum adoptio. Præterea Ioannis 1. dicitur, quòd Verbum caro factum dedit potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius : ergo ante Christi aduentum in mundum non erat talispotestas: quod videtur apertè significari 1. Ioan. 3. Videte qualem charitatem dedit nobis pater, vt filij Dei nominemur, & simus.

Ioan.1. 1.Ioan.3.

¶ Secundò, adducunt autoritates sanctorum Patrum, Ambrosij, Augustini, Cyrilli, Athanasij, Chrysostomi, Theophilacti, Eucumenij, quos omnes diligenter recensetLeo super Esaiam c. 1. in illud verbum, filios enutriui; hi omnes constanter affirmant, quòd Iudęi non secundum veritatem, sed typicè & secundum figuram filij Dei appellati sunt.

Arg. ex sanctis patrib. Ambros. Augustin. Cyril. Athnas. Chrysost. Theophil. Eucumeni.

¶ Idem confirmant optima ratione, (vt ipsi existimant) Vbi non est regeneratio, non est filiatio: sed in veteri testamento non fuit regeneratio in filios Dei, quod sic ostendo. Nam baptismus in lege noua fuit institutus, qui est sacramentum regenerationis, & renouationis, iuxta illud; Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c. & illud; Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis: ergo in veteri testamento filiatio non erat. His argumentis non obstantibus veritas est diuina, & irrefragibilis, quòd Patres veteris testamenti, qui placuerunt Deo, erant verè & propriè filij Dei adoptiui. Hanc sententiam in primis confirmo ex sanctis scripturis: dicit enim Paulus, loquens de patribus antiquis; Quorum est adoptio filiorum, id est, ad quos pertinet adoptio filiorum: ipsos namque olim Deus in filios, & in populum peculiarem elegerat. Idem testatur ad Galatas 4. illa comparatione, dicens; Quanto tempore hęres paruulus est, nihil differt à seruo, cùm sit Dominus omnium, sed sub tutoribus est vsque ad præfinitum tempus à patre: in quo manifestè significatur, quòd Patres veteris testamenti erant verè filij & hęredes, licèt tractarentur vt serui, & paruuli. Valent ad istam veritatem confirmandam sanctæ scripturę, quę passim testantur, Iudęos filios Dei esse appellandos; vt illud; Filios enutriui &c. & illud; Ego dixi dij estis, & filij excelsi omnes: &, Filius meus primo

Argument. à ratione. Ioan.3. Patres veteris testamēti erāt propriè filij adoptiui. Rom.9. Gal.4. Esa.1.

geni-

genitus Israel. Præterea multi ex patribus antiquis fuêre prædestinati, vt planè constat: sed omnes prædestinati, sunt prædestinati in adoptionem filiorum Dei, vt apertè testatur Paulus: ergo erant verè filij Dei. Item Paulus dicit de vniuersis prædestinatis; Quos præscifit, & prædestinauit conformes fieri imagini filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Ex quo testimonio liquidò colligitur, omnes prædestinatos fuisse prædestinatos in filios Dei, & fratres Domini nostri Iesu Christi. Eadem veritas ostenditur argumentis. Primò, filiorum adoptio nihil aliud est, quàm ius ad paternam hæreditatem ex gratia adoptantis: sed patres antiqui iusti habuerunt ius ad paternam hæreditatem ex gratia patris cœlestis, vt docet fides catholica: ergo filij adoptiui veri fuerunt. Deinde, adoptio filiorum in gratia, & charitate consistit: charitas autem (vt est in prouerbio Theologorum) diuidit inter filios regni, & filios perditionis: sed patres antiqui iusti habuerunt gratiam, & charitatem: ergo erant veri filij Dei adoptiui. Vltimò, patres antiqui iusti, qui modò regnant in cœlo, sunt verè filij Dei, & contrarium est dogma hæreticum: ergo dum viuerent, erant verè filij Dei: nemo enim sanctorum est filius Dei in cœlo, qui dum vixit, non habuit spiritum filiorum Dei. Sed videre oportet quid de hac re sentiat Augustinus, qui ex professo tractat hanc quæstionem libro tertio contra duas epistolas Pelagianorum capitulo quarto, quo in loco refellit obiectionem Pelagianorum. Pelagiani namque dicebant, Diuum Augustinum asserere, Spiritum sanctum adiutorem virtutis in veteri testamento non fuisse. Quis (inquit Augustinus) catholicus hoc concedat? an verò negandum est, illum ad nouum testamentum pertinere, qui dixit; Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis? vel illum qui dixit; Posuit super petram pedes meos, & direxit gressus meos, & immisit in os meum canticum nouum? & paucis interpositis dicit, omnes iustos ab exordio mundi vsque ad Ioannem Baptistam fuisse filios promissionis, & gratiæ, hæredes Dei, cohæredes autem Christi: & tandem concludit: Absit vt Noe iustum, & prioris temporis iustos ad supernam Hierusalem, quę mater nostra est, & libera, pertinere negemus. quod apertè testatur Paulus ad Galatas quarto. Hæc Diuus Augustinus. Ex hac doctrina sequitur, quòd quando constituitur discrimen inter veterem, & nouam legem, quòd illa sit lex timoris, hæc amoris; illa seruorum, hæc filiorum; referendum est discrimen ad statum vtriusque legis, & non ad singulas personas. Nam in illa lege non defuêre qui ducerentur amore, & essent Dei filij: nam illis etiam dictum est, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo: Deuteronomij sexto, & in nostra Christus comminatus est nobis ignem æternum. Itaque sumendum est discrimen non ex conditione singularum personarum, sed ex statu vtriusque legis. Status enim antiquæ legis erat status puerorum, & imperfectorum, qui potiùs timore quàm amore ducuntur: status verò nouæ legis, est status liberorum, & filiorum, qui potiùs amore quàm timore ducuntur.

Ephes. 1. Rom. 8.

Augus.

Deut. 6.

¶ His constitutis, & probatis, ad argumenta, quibus probabatur patres veteris testamenti non fuisse verè filios adoptiuos, respondendum est, & ad autoritates sanctarum scripturarum dicendum est, quòd loquuntur de adoptione filiorum perfecta, quam habemus post Christi aduentum: quæ multis differt ab adoptione filiorum, quæ erat in veteri testamento. Nam illa dabat ius ad paternam hæreditatem: ista verò præterea habet consortium, & participium filij Dei in natura humana, & communionem in carne & sanguine, vt dicit Paulus Hebræorum secundo. Propter quod non confunditur vocare nos fratres. Præterea: ista non solùm dat ius ad paternam hæreditatem, sed possessionem, quam non præstabat illa antiqua, donec veniret plenitudo temporis. Deinde, ista liberat nos à seruitute legis, quam libertatem antiqua non præstabat. Demum, ista introducit nos ad Deum Patrem cum magna fiducia; propter quod dicit Paulus Romanorum quinto. Per Christum accessum habemus in gratiam istam, & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. Secundò respondetur cùm Diuo Augustino loco citato, quòd prædictæ sententiæ tantùm significat, quòd Iudæi, qui pertinebant ad vetus testamentum, non habuerunt spiritum adoptionis filiorum, sed spiritum seruitutis. Illi verò pertinebant ad vetus testamentum (autore Augustino ibidem) qui ex metu pœnæ obseruabant legem, & præmia terrena, & caduca sectabantur; & qui existimabant literam legis ad vitam sufficere. Illi verò qui in veteri testamento placuerunt Deo, pertinebant ad nouum testamentum: nam per fidem Christi iustificati sunt, & hæredes Dei, cohæredes autem Christi constituti sunt. Tertiò respondetur cum Diuo Thoma quęstione 107. articulo primo ad secundum, quòd sanctę scripturę loquuntur de comparatione vtriusque legis, & vtriusque ętatis, non de singulis personis.

Ad argum. in contrarium.

Ad autoritates scripturæ.

Heb. 2.

Rom. 5.

D. Thom.

¶ Ad autoritatem Sanctorum respondetur, quòd Iudęi qui pertinebant ad vetus testamentum, sicut iam expositum est ex Diuo Augusti-

Ad autoritates sãctorum.

no,

no, secundum veritatem non erãt filij Dei, sed serui, habentes spiritum seruitutis; sed nomine tenus erant filij, & eorum filiatio erat vmbra, & figura nostræ filiationis. De his igitur verissimè dicitur, quòd erant filij tantùm typicè: cæterum patres veteris testamenti, qui erãt iusti apud Deum, & prædestinati, sine dubio pertinebant ad nouum testamentum, & erant verè & propriè filij Dei adoptiui. Vel dicendũ pro confutatione argumenti, quòd patres qui fuêre iusti in veteri testamento, erant verè & propriè filij Dei adoptiui, & simul erant filij secundum figuram, & typicè: nam eorum vera filiatio præfigurabat nostram filiationẽ longè perfectiorem; sicut ea quæ aguntur in nouo testamento præfigurant, & delineant ea quę geruntur in vita beata. ¶ Ad rationem ex Theologia respondetur, quòd vera adoptio filiorum Dei, in gratia, & charitate, & iure ad paternam hæreditatem consistit, quæ propriè fuit in patribus veteris testamenti, licèt longè perfectior sit in patribus noui testamenti, qui regenerantur & incorporãtur in Christo, per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abundè, vt dicit Paulus. Et quòd hæc sententia sit amplectenda, sic probatur. Nam Angeli sunt verè filij Dei adoptiui; at non regenerantur per baptismа. Rursus, qui saluantur per baptismum sanguinis, aut flaminis, sunt verè & propriè filij Dei; at non regenerantur per baptismum aquæ. Sed vt hæc doctrina exactiùs intelligatur, animaduertendi sunt tres status; sub lege, sub gratia, sub gloria; quibus correspondet triplex adoptio secundum Apostolicam doctrinam. Status legis fuit quidẽ filiorum, sed qui tractabantur vt serui, testante Paulo; Quanto tempore hæres paruulus est, nihil differt à seruo, cùm sit dominus omnium. Status Euangelij, est status filiorum perfectorum, qui magna fiducia accedunt ad patrem cœlestem, quemadmodum scribit Paulus, dicens, Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, abba pater. Hanc veritatem patefacit illa familiarissima inuocatio, qua Deum, Patrem nostrum, inuocamus. Eandem veritatem docent sancti Patres suprà commemorati. Status beatitudinis est illorum, qui plenè sunt consecuti hæreditatem, & perfectissimam adoptionem, de qua dicit Paulus, quòd filij Dei ingemiscunt adoptionem filiorum, expectantes &c. Ex quo sequitur, quòd in omnibus his statibus est vera adoptio filiorum; sed in perfectione est magna differentia. Et hæc de ista quæstione. ¶ Nunc autem aliam differentiam vtriusque legis, quæ præcipua est, considere-

Ad rationem. Ad Titũ 3. Galat. 4. Roma. 8. Roma. 8.

mus, quam persequitur Diuus Augustinus. Lex antiqua appellatur lex factorum: Noua verò lex fidei, vt patet ex Paulo. Pro cuius elucidatione scire oportet, quòd lex factorũ non dicitur ea, quæ facta præcipit; alioqui lex Euãgelica esset lex factorum: nam præcipit, Non concupisces; Benefacite his qui oderunt vos; Hoc facite in meam commemorationem. Sed ea dicitur lex factorum, quæ præcipit facta, & opera, & non largitur adiutorium spiritus vt fiunt opera. Lex verò fidei præscribit fidem, qua impetratur Spiritus sanctus, per quẽ opera fient suauissimè. Ex quo sequitur, quòd lex Euangelica non dicitur lex fidei, quoniam tãtum præscribit fidem, vt Lutherus arbitratur; sed propter causam commemoratam.

Augu. li de spiritu & litte. c. 13. Rom. 4. Lex factorum quæ dicatur.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ *Vtrùm lex noua veterem compleat.*

¶ Conclusio est affirmatiua.

EXPLICATIO ARTICVLI.

VIdebitur fortassis alicui, quòd hæc conclusio D. Thomæ falsa sit. Nam implere, & euacuare, contraria sunt: sed lex noua euacuauit veterem, vt patet ad Ephes. c. 2. Legem mandatorum decretis euacuans. In contrariũ est illud; Non veni soluere legem, sed adimplere. Nihilominus dicendum est, quòd lex noua veterem adimpleuit. Primùm, quantum ad finem: cùm enim finis vtriusque sit hominem Deo coniungere, imperfectè illud factum est à veteri, perfectissimè autem à noua, quæ non solùm confert gratiam, verùm & ad gloriam inducit. Secundò, quantum ad effectum: nam iustificatio, quam vetus figurabat, in noua perficitur. Tertiò, quantum ad promissa prophetarum: propter quod sępe in Euãgelio repetitur, Hoc factum est, vt implerẽtur scripturæ prophetarum. Et antiqui Sancti in oratione petebant Esa. 25. Consilium tuum antiquum verum fiat. Nam quod per prophetas suos Deus promiserat, præstitit in Euangelio. Quartò, quantũ ad præcepta moralia, quę explicatiùs, & copiosiùs in Euangelio traduntur, atque adeò eis consilia superadduntur. Quintò, quantũ ad iudicialia, eò q; ad quandã trãquillitatem, & pacẽ propemodũ cœlestem homines inuehit, dũ docet, nullis perturbationibus, aut aduersitatibus cedẽdũ esse. Vltimò, impleuit quantum ad ceremonialia, dum figuris succesit veritas, & hęc ceremonialia implẽdo euacuauit: nã adueniente corpore, id quod vice corporis (tãquam vmbra erat) meritò excluſum fuit: sic intelligitur illud; Non veni soluere legem, sed adimplere: non enim legem, tanquam malam, penitus abrogauit. Quòd si

Obiectio in conclusionem. Ephes. 2. Matt. 5. Lex noua in quo veterem compleuit. Esa. 25. Matth. 5.

luce prodita cedunt vmbræ, si iam factis ipsis præsto est quod prophetæ prædixerant, nihil legi derogatur, sed potiùs accedit perfectio. Habuit illa tempus suum, habuit honorē suū: illa typis quibusdam adumbrauit quod nunc orbi repræsentatur: illa ceremonijs & præceptis carnalibus ceu cancellis quibusdam circūsepsit cupiditates hominum, ne impunè prolaberentur in omne flagitium, quò capaciores essent euangelicæ doctrinæ; nunc quod perfectum est exprimitur: illa carnalis, & crassa hactenus profuit, vt homines peccatum suum agnoscerent: nunc absque ceremonijs datur gratia, quę peccata diluat. Nō magis illa lædit, quàm si pictæ imagini regis rex ipse viuēs succedēs omnium oculos in se deflectat: aut si puer imbecillus progressu temporis grande scat in virum adultum, aut si frondibus, & folijs succedat fructus maturus, aut si Lunam & stellas Sol exoriens obscuret. Quod illa promisit, præstare conata est, nec potuit, nunc ad plenum præstatur. ¶Sed oportet explicare illud; Legem mandatorum decretis euacuans. Lex mandatorum, est lex Moysi, mandans, & non conferens gratiam, qua id quod mandatur præstari potest. Hanc Christus antiquauit, siue abrogauit per alia decreta: præcepta legalia, Euangelicis (ait Hieronymus) dogmatibus commutauit. Ad eundem modum exponit Chrysostomus, item Theophilactus, & Eucumenius, nisi quòd hi & alium habent cōmentarium, per decreta intelligentes fidem; vt sit enallage numeri. Erasmus diuersum planè tradit sensum, motus præpositione, in, quæ est apud Græcos, & meminit huius non solùm in annotationibus, sed in trāslatione sua expressit: habet enim ad hunc modum; Legem mandatorum in decretis sitam abrogans: verùm cùm certior sit sensus Hieronymi, & grę corū, meritò reprehenditur Erasmus, qui coniecturam suam miscuit textui scripturæ.

Lex mandatorum.

Hieron.

Chrysost. Theophil. Eucumen.

Erasmus.

ARTIC. TERTIVS.

¶Vtrùm lex noua in veteri cōtineatur?

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Conclusio est. Lex noua virtualiter continetur in lege veteri: nam quæ implicitè, & sub figura in ipsa continentur, explicitè, & apertè traduntur in noua. Vnde Chrysostomus exponēs illud quod habetur Marci. 4. Vltrò terra fructificat, primū herbam, deinde spicam, demum plenum frumentum in spica; dicit, Primò herbam fructificat in lege naturæ, postmodum spicas in lege Moysi, postea plenum fructū in Euangelio. Est ergo lex noua in veteri sicut frumentum in spica.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Auguſt. li. de cathechizandis rudibus.

Conclusio D. Thomæ est Diui Augustini: scribit enim quòd lex noua occultabatur in veteri, & vetus lex manifestatur in noua. Eadē est sententia Diui Gregorij homilia. 6. in Ezechielē elucidans illud; Quasi sit rota in medio rotæ, scilicet Euangelium in lege contentum. Sed adhuc explicandum est, quomodo lex noua contineatur in veteri: nam quod attinet ad figuram Ezechielis, tam lex noua continetur in veteri, sicut vetus in noua. Deinde ex alio capite exurgit dubium; quia si lex noua continetur in veteri, sicut effectus in causa; sequitur quòd lex vetus est perfectior noua: consequēs autem absurdum est: ergo non satis explicatur quomodo lex noua contineatur in veteri. Explicatio huius dubij hæc est. Nam in primis dicendum est, quòd lex vetus continet nouā, potestate, & virtute; sicut semen fructum: hæc est explicatio Concilij Florentini. Sed & illud intelligendum est, quòd genus continet species; & rursus species continēt genus, at diuersimodè: nam genus continet species in potentia, & in confuso; at verò species continēt genus in actu, & formaliter: nam genus est de intrinseca ratione speciei: sic igitur lex antiqua cōtinet nouā, sicut imperfectū, quod dicit D. Thomas; & hoc est continere potestate, quod dixit cōciliū. Adhæc, lex noua cōtinet veterē in eminentia quadā & perfectione, sicut rationale cōtinet sensitiuū, & quadrangulus triāgulum: vnde vtrūq; verū est, quòd altera alterā continet. ¶Sed vt hæc clariora sint, distingue tria prę cipua, quę cōtinētur in lege Euāgelica; videlicet, fidē, moralia prę cepta, & sacramēta gratiæ. Et quidē fides nostra continebatur in antiqua lege implicitè, quæ progressu tēporis fuit distincta, prout in concilio suprà citato fuit declaratū: quòd fides de processione Spiritus sancti cōtinebatur implicitè in Symbolo Apostolorū, & postmodū Cōciliū Nicenū explicitè, & distinctè declarauit. At verò moralia prę cepta distinctè, & explicitè satis in antiqua lege cōtinebātur, sed hominū abusu obscurata erant: luce autē Euāgelica manifestata sunt. At sacramēta gratiæ cōtinebantur in antiqua lege

Quomodo lex noua in veteri contineatur.

Cōcil. Florent Sessione. 10.

Tria in lege noua cō tenta.

Concil. Nicenum.

lege ſicut ſignatum in ſigno, quæ quidem nó eſt realis continentia, ſicut cõtinetur effectus in cauſa efficienti,& ideo non ſequitur perfectiorem eſſe legem antiquam.

ARTIC. QVARTVS.

¶*Vtrùm lex noua ſit grauior veteri.*

SVMMA TEXTVS.

Prima cõc. PRima Concluſio. Lex vetus ex parte operum exteriorum,quæ in ſeipſis quã dam difficultatem habẽt,eſt multò grauior lege noua. ¶ Secunda Concluſio. Circa opera virtutum in interioribus actibus,putà quòd aliquis promptè, & delectabiliter operatur, & opus virtutis exercet, ratione cuius dicitur virtutẽ verſari circa difficile, quantum ad hoc, præcepta nouę legis ſunt grauiora.

Secũda cõ.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Prima concluſio articuli probatur. IN huius articuli expoſitionem illud aſſerendum eſt, & comprobãdum, legem veterẽ multò grauioré fuiſſe quàm noua ſit: idque probatur ex

Acto.15. illo; Cur tentatis imponere ſuper nos iugum,

Galat.4. quod nec nos,neque patres noſtri portare potuimus?Sed Apoſtolus Paulus tradidit id apertiùs ſub allegoria duorum fratrũ filiorũ Abrahæ;vbi comparat ſtatum legis antiquæ, ſeruituti; & ſtatũ nouæ legis, libertati: Sed & Salu-

Matt.11. uator Matthæi 11. dicit; Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis;laboratis, laboribus legis; & onerati eſtis, oneribus legis antiquę:& ſubdit,Tollite iugum meum ſuper vos,quod ſuaue eſt,& onus leue; & commutabo iugum antiquæ legis in iugum meum leue.

Obiectio. Matt.5. ¶ Contra hanc veritatẽ videtur eſſe ipſe Chriſtus dicens; Niſi abundauerit iuſtitia veſtra plus quàm Scribarum & Phariſæorum,nó intrabitis in regnum cœlorum:& illud; Arcta eſt via quæ ducit ad vitam: lata verò quæ ducit ad perditionem. Ex his teſtimonijs videtur,q; lex noua grauior eſt veteri:cuius oppoſi

Solatio. tũ S.Thom.docuit in litera.Ad hoc dubiũ reſpõdeẽ primò, q; abſq; dubio fideles in nouo teſtamẽto nó ſolùm in eodẽ genere præcepti magis tenẽtur quã antiqui ſancti olim, vt dixi mus: verùm ad quædã opera præclara magis obligãtur ſancti, ad fidẽ magis explicatã, atq; adeò ad charitatẽ feruentioré,vt omittã noua præcepta de ſacramẽtis, quæ in lege Euãgelica poſita ſunt. Et horum ratio eſt manifeſta: quia ſicut Luc.7. dicitur, Cui plus dimittitur, Lucæ.7. plus diligit;ita eſt rationi cõſentaneum, vt cui plus donatũ eſt,plura reddat obſequia,& plus diligat. ¶ Sed in præſentiarũ, quãtũ ad grauitatẽ legis vtriuſq;,tria diſcrimina ſunt cõſiderãda. Primum eſt,q; lex antiqua plura, eaq; grauiſsima opera exteriora decernebat, præter moralia præcepta quæ omnibus gẽtibus erant communia:at verò lex noua moralibus præceptis pauciſsima ſuperaddidit,eaq; actu facilliAuguſt. ma. Propter quod D. Auguſt. admonet in epiſtola ad inquiſitiones Ianuarij,cauẽdũ eſſe, & id quidẽ maximè Prælatis Eccleſiæ, concilijs, ſummis Põtificibus,ne multitudine præceptorũ & legũ, oneroſum reddãt ſuaue iugũ Euangelij, quod Chriſtus impoſuit ſalubriter. Verùm neq; ex hoc occaſionẽ habẽt religioſi quę relæ,neq; hæretici detrahẽdi Eccleſiaſticis ſtatutis.Et quod dico de religioſis, intelligo de Eccleſiaſticis: nã aliud eſt quod omnibus imponitur,velint nolint;aliud verò quod ſponte aſſumitur. Quicũq; autẽ clericalẽ ſtatũ,aut religioſum aſſumpſit,ſua ſpõte ſe addixit cultui diuino,cui annexa eſt perpetua cõtinentia, & alia ſtatuta quæ pertinẽt ad ſtatũ. ¶ Secũdũ diſcrimẽ eſt, q; in veteri teſtamẽto erãt quidem perferẽda onera grauia exterius, interius autẽ nó cõferebãt auxiliũ quo homo reficeretur:at lex noua,multitudine & abundãtia gratiæ, & donorũ,tædiũ leuat operãtiũ. Optimum teſtiEſa.41. moniũ eſt apud Eſaiã de vtroq;. Egeni & pauperes quærunt aquas & nõ ſunt. Aperiã in ſupremis mõtibus flumina,& terrã inuiam in riuos aquarũ. ¶ Tertiũ diſcrimẽ eſt,quòd in veteri teſtamẽto præcipiẽtem quidẽ Deũ audiebãt, ſed non videbant laborantem:at verò de nouo teſtamento ſcriptum eſt; Oculi tui vi-Eſa.30. debunt præceptorem tuum, & aures tuæ audient verbum poſt tergum monẽtis.Et Actorum.1. Cœpit Ieſus facere, & docere: atq; Acto.1. adeò propter hãc cauſam multitudo maxima hominũ ſecuta eſt Chriſtũ, ſicut prædictũ eſt Micheæ.2.circa finẽ: Cõgregãs cõgregabo te Micheæ.2. Iacob.Cauſa quare ſecuti ſunt eũ,ſequit; Aſcẽdit enim iter pãdẽs ante eos. ¶ Sed adhuc videtur argumentũ cõtra hãc veritatẽ:qm̃ in nouo teſtamẽto multò grauiores perſecutioneſ ſunt cõtra Chriſti fideles, quã vnquã antè infurrexerũt,ſicut ait Paulus;Omnes qui piè volũt vi-2.Timo.3. uere, perſecutiones patientur. Reſpondetur, quòd huiuſmodi perſecutiones non oriuntur ex natura operum, quæ præcipiuntur, vel ex legum conſtituto; ſed potiùs inuidia diaboli, & miniſtrorum eius,qui inuidit proſperis Eccleſiæ ſucceſsibus: & tamẽ hinc oritur magna

Ioan. 15. fidelibus consolatio, quam Saluator posuit; Si mundus vos odit, scitote quoniã me priorem
2. Cor. 1. vobis odio habuit: & sicuti dicit Apostolus. 2. Corinth. 1. Sicut in nobis abundant passiones Christi, ita & per Christum abundat consolatio nostra. Hinc habetur, multò leuiorem esse legem Euangelicam, quàm fuerit antiqua. Et hæc dicta sufficiant pro hac quæstione.

QVAESTIO CVIII.

De his quæ continentur in lege noua, in quatuor articulos diuisa.

ARTIC. PRIMVS.

¶ Vtrùm in lege noua aliqui actus exteriores debeant prohiberi, & præcipi.

SVMMA TEXTVS.

Prima cõc. PRima Conclusio. Opera inducẽtia ad gratiã, cuiusmodi sunt sacramentorum opera, in lege noua præcipiuntur. ¶ Secunda Conclusio. Opera exteriora quæ prodeunt ex instinctu gratiæ, quæ habent necessariam cõnexionem cũ charitate, & gratia, in lege noua præcipiũtur, ac cõtraria prohibentur. ¶ Tertia Cõclusio. Opera quæ non habẽt necessariã cõnexionẽ, neq; contrarietatẽ ad fidẽ, vel charitatem, nõ sunt præcepta, neque prohibita ex prima legis institutione, sed relicta sunt à Christo legislatore vnicuique secũdum quòd alicuius curã gerere debet. Vnde liberũ est circa talia determinare quid sibi expediat facere, vel vitare: & prẽsidẽtibus ordinare suis subditis quid in talibus sit faciendum, vel vitandum. Vnde quãtum ad hoc, lex Euangelica dicitur lex libertatis: quia lex vetus multa determinabat, & pauca relinquebat libertati hominum determinanda.

Secunda. Tertia.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CIrca primã cõclusionẽ aduerte, nõ solùm inde sequi, & intelligi necessitatẽ sacramẽtorũ, verùm & cõueniẽtiã. Necessitas quidẽ, vt à causa vniuersali, qualis est Christi humanitas, effectus gratię proueniãt, mediãte instrumẽto particulari, qualia sunt sensibilia sacramẽta singulis applicata fidelibus. Nã sicut Sol nullum corpus generat, nisi mediãte cõcursu particularis causæ, per quã cõmunis virtus determinatur ad singularẽ effectũ: ita virtus Christi capitis nostri neminẽ iustificat, nisi mediãte sacramẽto, re, aut voto suscepto, per quod cõmunis influẽtia ad particularẽ effectũ applicatur. Cõueniẽtia verò colligitur ex vtroq;. Quemadmodũ em̃ Verbũ caro factũ est, id est, quod erat inuisibile, sensibilẽ formã accepit, vt animalis homo ad spiritualẽ vitã reuocaretur; ita oportuit vt instrumenta verbi sensibilia essent, vt fonti cõsentanea. Et sicut in Christo Dño est sensibilis forma humanitatis, & est latẽs diuinitas, cuius virtute omnia operabatur; ita in sacramentis est sensibilis forma, quæ foris appareret; & est diuina virtus quę secretiùs operatur, vt habetur. 1. q. 1. c. Multi, ex Diuo Gregorio. Gregor.

¶ Circa secũdã cõclusionẽ occasio sese offerebat latissimè disputandi cõtra Lutheranos, de vtilitate, & necessitate operũ, verùm hũc laborem multi antè subierũt. D. Augustinus, Rofensis, Castro, & Soto lib. de natura & gratia. De operibus quæ præcedũt, decernit Cõciliũ Tridentinũ. Vt autẽ aliquid dicamus, oportet duos extremos errores vitare, & media via incedere. Primus est eorũ, qui existimãt, exteriora opera quę hominibus apparẽt, satis sibi esse ad sanctitatẽ interiorẽ, interiori mũditia neglecta. Hic error in aduẽtu Saluatoris nostri prę- ualere incipiebat, atque vtinã hac nostra tẽpestate penitus absit. Propter quod Christus Dñs in Euãgelio frequẽter arguit cõtra hypocritas, sed potissimũ. c. 23. Matthæi, vbi cõparat homines eiusmodi sepulchris dealbatis, quæ extrinsecus hominibus pulchra apparẽt, intus autẽ plena sunt vermibus & fœtore. Tales sunt homines, qui interiori mũditia neglecta, exteriori contenti sunt: de his etiam dicitur; Si laueris te nitro, & multiplicaueris tibi herbam Borith, maculata es in iniquitate tua coram me. Alterum extremum est vitandum, huic oppositũ, quòd interior sanctitas sola necessaria est, & sufficiens: exteriora verò opera sunt tãquã inutilia negligenda. Et in hac parte multò deteriùs quã alij, lapsi sunt Lutherani: nã docẽt solã fidẽ sufficere ad sanctitatẽ internam,

Ang. lib. de fide & ope. ca. 14. & 15. Roffens. articulo. 32. Castro, lib. de hæres. titulo fides, hæresi. 2. & verbo opera, hæresi. 1. Soto. Matt. 23. Hiere. 2.

nam,& exteriora opera non solùm esse inutilia, verùm ex suo genere esse peccata, atque adeò mortalia; propterea quòd trāsgredimur semper duo præcepta;vnum de concupiscentia vitanda,quod nunquā præstare possumus; & alterum, à quo semper deficimus, de dilectione Dei super omnia.D.Augustinus dicit, hunc errorem antiquissimū fuisse, vtpote qui Apostolorum temporibus exortus fuit. Quidam enim ex epistolis Pauli (quibus fidei doctrina magnificatur) hunc intellectum hauserunt,quòd sola fides sufficiebat ad salutem:& propter hāc causam alij Apostoli occurrerūt, scribentes epistolas Canonicas,docentes,non solùm fidem, sed & alia opera exteriora esse ad salutem necessaria, sicut Petrus, Iacobus, Ioannes,& Iudas:& dicit,quòd hunc errorem notauit Petrus,quando dixit, loquens de epistolis Pauli, In quibus sunt quædam difficilia intellectu,quæ indocti, & instabiles deprauāt in sui ipsorum perditionem. Vt summā ergo colligamus eorum quæ necessaria sunt,sit prima conclusio.¶Opera exteriora,quę gratiam præcedunt,nullatenus meritoria sunt;verumtamen non sunt semper peccata.Prior pars huius conclusionis est de fide. Et ratio est:quoniā omnia opera existentis extra gratiam,sunt opera inimici:fundamētū autem meriti Christiani est charitas.Hanc veritatem catholicam astruit Apostolus.1.Corin.13. Si linguis hominum loquar,& angelorum, &c. Secunda pars conclusionis est doctrina fidei, quæ decernitur in Sess.illa.6.c.7.Et ratio suffragatur:quoniam opus naturale eleemosynæ bonū est,cōfessio fidei informis donū est Spiritus sancti; similiter nō est malū à flagitijs recedere: ergo impia hæresis est dicere, quòd omnia opera peccatoris sint peccata. ¶Secunda conclusio. Post iustificationis gratiam acceptam exteriora opera sunt fidelibus necessaria, atque adeò meritoria. Et primùm, quòd sit necessarium post adeptā gratiā,& sanctitatē interiorē,cauere exteriora crimina omnibus hominibus(prę terquā cæcis Lutheranis) manifestissimū est, dicēte Paulo de operibus carnis quę sunt exteriora; Quoniā qui talia agūt,regnū Dei nō cōsequētur.At verò ꝙ exteriora opera bona sint necessaria iustificatis,decernit Concil. in eadē Sess.6.can.24.&.25.& docet, per bona opera & præcepta diuina impleri,& gratiā adeptā in cremēta suscipere.Sed vtraq; pars probatur ex sentētia iudicis Matt. 25. Ite maledicti in ignē æternū;sitiui enim,& nō dedistis mihi bibere, &c.Itē,Venite benedicti patris mei; sitiui ēm, & dedistis mihi bibere. Ecce ergo vbi ratione operū exteriorū aut cōdēnātur à iudice Christo in fine seculi, aut illis beatitudinē confert.

Aug. de fide & operibus.c.14.

1.Pet.3.

Prima con. Opera gratiam præcedentia meritoria non sunt.

1.Corin.13

Concil.Tri.

Secūda cō,

Galat.5.

Concil.Tri.

Matth.25.

¶Tertia cōclusio.Exteriora opera non solùm incipiētibus necessaria sunt, sed etiā viris vndique perfectis. Probatur primò ex illo; Si vis perfectus esse,vade,& vēde omnia quæ habes &c. Ecce ad perfectionē requiruntur etiā exteriora opera.Et per sentētiā Christi non solùm intelligūt Sancti interiora opera, sed etiā exteriora exercitia. Secundò probatur testimonio Pauli;Castigo corpus meū,& in seruitutē redigo:& tñ de perfectione Pauli nemo vsquā dubitauit.Hæc conclusio est definitio fidei,quæ habetur in Cōcil.Vienens.in Clemēt. Ad nostrū,de hæreticis,vbi secūdus error,sextus, & octauus ad hoc pertinēt, ꝙ exteriora erāt tantùm incipiētiū,& imperfectorū, & quòd viris perfectis sunt negligēda: habetur etiā Concil. Trident.¶Quarta cōclusio. Euangelicæ legis perfectio principaliter cōsistit in interiori ornatu cordis;exteriora autē opera ad eius conseruationē necessaria sunt. Duas habet partes hæc cōclusio, vt patet. Prior probatur ex illo; Omnis gloria eius filiæ regis ab intus; & hic sensus est ꝓprius illius loci, & literalis;vbi spōsa Christi,ipsa scilicet Ecclesia,de interioribus potissimùm ornatibus laudatur;sed tñ nō cōtēnuntur externi,vt patet ibidē; In fimbrijs aureis circumamicta, &c.Rationē autē huius cōclusionis Saluator indicat in Euangelio;Spiritus est Deus, & ideò in spiritu & veritate illū adorare oportet. Tertiò probatur. Potissima perfectio christianæ vitæ cōsistit in actu præstātissimarū virtutū;eiusmodi autē sunt Theologicę virtutes,quarū actus in corde tenus perficitur:ergo &c.Maior probatur:quoniā beatitudo(vt probat Arist.)cōsistit in actibus perfectioris virtutis: ergo, &c. Prior itaque pars de fide est tenēda,& cōstat ratione: secūda autē pars probatur.Nā sicut anima rationalis per se spiritualis est, sed eius cōiūctio cū corpore salua esse nō pōt sine corporalibus auxilijs; ita licèt sanctitas christianæ vitæ principaliter sit spiritualis,indiget tñ ad sui conseruationē corporalibꝰ exercitijs. Quod adhuc ampliùs ostēditur.Ita enim natura cōparatū est,vt charitas lāgueſcat,nisi corporaliū operū fomenta adhibeātur.Nā intelligere ipsum, quod spiritualissimū est,sine phātasmate nō possumus. Itē necessariū est ad cōseruationē internę sanctitatis fraternis necessitatibus subuenire, alioqui (vt ait Ioānes in sua canonica)qui viderit fratrem suū necesse habere, & clauserit viscera misericordię in illū,quomodo charitas patris manet in illo?sed ad subueniēdū ꝓximis in necessitatibus necessaria sunt opera exteriora,ergo &c. Tādē,Deus est autor corporis,& animæ:ergo in eius obsequiū & interiores actꝰ,& corporales impēdere oportet.Cęterùm quātū sit inter

Tertia cōc.

Matth. 19.

1.Cor.9.

Cōc. Vien.

Cōcil. Trī. Sess.6. can. 20. Quarta cō.

Psal. 44.

Ioan.4.

Aristot. 10. Ethi.

Ioannes.

vtraque opera discrimen, Saluator ostẽdit, cõponens litem inter illas duas sorores Lucę. 10. vbi non reprehẽdit Martham, sed præfert illi Mariam. Quanquam autẽ spirituales viri aliquando exterioribus implicentur, nõ propterea censendi sunt ab spiritu decessisse, sicut in sani Begardi fabulantur. Dicebant enim, viris contemplationi deditis non esse adorandam Eucharistiam, ne ab interiori contemplatione impedirentur, &c. secũdum illud quod Apostolus dicit; Si spiritu viuimus, spiritu & ambulemus, secundum spiritum operantes. Vide solutionem ad primum.

Lucæ. 10.

Galat. 5.

Nota. ¶ Circa tertiam conclusionem notandum est, quòd licèt consiliorum opera relicta sint libertati singulorum, & prælatorum Ecclesiæ, non tamen est vna eademque mẽsura respectu omnium. Nam vnusquisque de operibus cõsiliorum sua sponte potest assumere id quod sibi libuerit: ita quòd nullus terminus singularibus hominibus præfixus est, nisi quem præscripsit lex naturæ. Non enim licet immoderatis ieiunijs, aut alijs exercitijs seipsum interficere. Extra huhc autẽ casum vnusquisque poterit quãcũque afflictionem sibi imponere, sicut fecit Ioannes Baptista, de quo à Spiritu sancto laudatur. Verũtamẽ Ecclesiæ prælati nõ possunt absque modo de consiliorum operibus præcepta aut leges imponere, sed quantum necesse fuerit ad obseruandam legem diuinam, & ad ecclesiasticum decorem, alioqui facerent contra euãgelicam libertatẽ, & graui onere subditos premerent, cõtra id quod Saluator docet. Clauditis regnum cœlorum, & alios nõ sinitis intrare, neque vos intratis. At prælati religionum medio modo se habent: nam sunt rectores eorum, qui se, & omnia sua sponte obtulerunt, & ideò plura possunt præcipere: sed tamen modus seruandus est, vt ea quæ de nouo statuunt, consentanea sint singulorum professioni, & regulæ professæ.

Matth. 3.

Matth. 23.

Quæ requirantur ad spiritus libertatem. ¶ Circa solutionem ad secundum argumentũ nota, quòd ad libertatem spiritus duo requiruntur necessaria. Primum, quòd moueatur homo à principio intrinseco: nam quod rebus naturalibus est naturale, hoc in rationalibus exigitur vt liberum sit. Secundum, quòd illud principium sit naturę principali consentaneũ: nam cum animal decidit ab eminenti loco, nõ est ille motus simpliciter naturalis, quia nõ est consentaneus principali naturæ, quamquam conueniat graui, inquantũ graue. Ad hũc modum, is qui operatur ex vehementia passionũ, aut ex habitu vitioso relicto in anima, nõ operatur liberè plena libertate spiritus; quia licèt sit principiũ intrinsecè mouens, non tamẽ est consonũ naturæ rationali, sed sensitiuæ. Propter quã causam cõtendit Cicero, solos sapiẽtes esse liberos, stultos autẽ omnes esse seruos. Stultos appellat, qui ægritudine animi laborãt: vnde Iaco. 1. dicitur, Vnusquisque tẽtatur à concupiscentia sua abstractus & illectus. Is qui concupiscentiæ suę non resistit, ab ipsa cõcupiscentia illectus abstrahitur, & veluti compellitur: sed qui spiritu ducuntur, maximè liberi sunt; quoniam principium illud intrinsecũ non solùm est naturæ rationali consentaneũ, verùm & cœlesti, & diuinæ.

Cicero, in parado.

Iaco. 1.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ *Vtrùm lex noua sufficienter ordinauerit exteriores actus.*

¶ Conclusio est affirmans.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Conclusio huius articuli sic probatur. Nam lex noua, nulla alia opera exteriora determinare debuit præcipiendo, & prohibendo, nisi sacramenta, & moralia præcepta, quæ de se pertinent ad rationem virtutis; vt non esse occidẽdum, furandum, & similia; quia in exterioribus illa solùm debuit præcipere, vel prohibere, per quę in gratiam introducimur, vel quæ ad rectum vsum gratiæ ex necessitate pertinent. Vnde ipse Christus sacramẽta instituit; quia gratiã ex nobis consequi non possumus: sed rectus vsus gratiæ est per opera charitatis, quæ quidem secundum quòd sunt de necessitate virtutis, pertinent ad præcepta moralia, quæ etiam in lege veteri tradebantur. Quare quantum ad hoc, lex noua super veterẽ addere non debuit circa exteriora agenda, & determinatio prædictorum operum in ordine ad cultum Dei pertinet ad præcepta ceremonialia legis, in ordine verò ad proximũ, ad iudicialia. Et ideo quia istæ determinationes nõ sunt secũdum se ex necessitate interioris gratiæ, in qua lex cõsistit, idcirco nõ cadũt sub prẽcepto nouæ legis, sed relinquũtur humano arbitrio; quędã quidẽ, quãtum ad subditos, prout pertinẽt sigillatim ad vnũquẽque; quædã ad prælatos tẽporales, vel spirituales, prout pertinẽt ad cõmunẽ vtilitatẽ. ¶ Sed circa hũc articulũ cõsiderãdũ est, q̃ (vt anteà aduertimus) in Euãgelica lege tria sunt potissima; scilicet sacramẽta gratiæ, fides, & moralia præcepta. Et sacramẽta quidẽ de nouo instituta sunt, eaq́; immediatè à Christo Dño: & ad ea pertinet gubernatiua potestas, quę cõsequitur sacramentũ ordinis. Nã quãuis possit aliqua potestas spiritualis esse in Ecclesia, quæ dat̃ absq; cõsecratione; cuiusmodi est potestas, q̃ Theologi vocãt, iurisdictionis; ea tũ nõ semper in cõsecratis ministris inuenitur,

Tria sunt potissima in lege noua.

inuenitur, & de nouo à Christo instituta est, quemadmodum & ipsa sacramenta: si quando fors fuerit, de hac potestate erit nobis magnus sermo; licèt aliquando ista potestas detur sine cõsecratione spirituali. Ratio horum est, quia cum sacramenta sint instrumenta gratiæ, à nullo alio quàm à Deo autore procedere debebant. Fides autem non est de nouo instituta in Euangelica lege; quoniam Apostolus loquens de Euangelio dicit, quòd iustitia Dei in eo ex fide in fidem reuelatur: cuius sensus est, quòd Euangelica lex procedit ex fide præcedentium patrum in fidem subsequentium; sed quod implicitũ erat in antiquis, hoc in fidelibus noui testamenti explicatum est. Vnde plura tenemur explicitè credere, quàm tenerentur antiqui; quoniam plura, eaque maxima demum accepimus: scriptum est autem; Et nos non spiritum huius seculi accepimus, sed spiritum Dei, vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis. At circa præcepta moralia nihil nouum institutũ est; sunt enim insita naturæ: neque amplius extensa, sed elucidata à Christo Domino, & ab erroribus expurgata; quoniam propter malitiam hominum deciderãt, & propter incuriam interpretum legis. ¶ Dubitatur tamen, quare in Euangelica lege nulla sacramẽtalia sint instituta à Christo Domino, cùm nostra sacramenta puriora sint antiquis; tamen veteres codices repleti sint sacramentalibus ad cultum Dei? Respondetur primò, id factum fuisse propter dignitatem & excellentiam nostrorum sacramẽtorum, quæ tam præclara sunt, vt etiam si nuda, & nullis sacramentalibus suffulta proponerẽtur, omni essent veneratione digna: sacramẽta verò antiqua, quia erant egena, indigebant sacramentalibus. Secundò, propter commendandam celsitudinẽ Apostolicam, vt Apostolos non solùm veneremur vt prælatos, sed vt legum latores, quibus commisit Christus autoritatem condendi sacramentalia: vnde Christus discessurus dixit eis; Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum. Quam dignitatem Paulus agnoscens, dicebat, constitutis quibusdam sacramentalibus; Cætera cùm venero disponam: Quare sacramentalia non sunt à Christo instituta. Tertia ratio fuit, propter abundantiam Spiritus sancti, qui semper est affuturus Ecclesiæ. Eiusmodi enim sacramentalia pro diuersis temporibus mutari oportuit. Loco igitur legis mortuæ viuificãtem spiritum reliquit Ecclesiæ, de quo Christus dixit; Ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis; non tantùm vobis petentibus vt maneat vobiscum, sed cum vestris successoribus vsq; in æternũ. Nota tertiũ argumentũ D. Thomę.

Roma. 1.

1. Cor. 2.

Quare in lege noua nulla sint à Christo sacramẽtalia instituta.

Lucæ. 22.

1. Corin. 11.

Ioan. 14.

ARTIC. TERTIVS.

¶ Vtrùm lex noua hominem circa interiores actus sufficiẽter ordinauerit.

¶ Conclusio est affirmans.

EXPLICATIO ARTICVLI.

HÆc cõclusio sic explicatur. Primò, quantum ad seipsum secũdũ duos interiores motus, videlicet voluntatem hominis ordinauit secundum diuersa præcepta legis, vt abstineat aliquis nõ solùm ab operibus exterioribus, quæ secundũ se sunt mala, sed etiam ab interioribus, & occasionibus malorum. Deinde ordinauit intẽtionem, vt in bonis quæ agimus, nec quæramus gloriam humanam, nec humanas diuitias. Ordinauit postea interiorẽ hominis motũ, quo ad proximũ, vt nõ temerariè & iniustè iudicemus. Vltimò, docet modũ adimplendi euãgelicã doctrinã, diuinũ auxiliũ implorãdo, & mãdata seruando: non enim sufficit sola cõfessio fidei, vel solus auditus. ¶ Cæterùm diligenter oportet animaduertere, quòd in hoc articulo habemus cõpendiariã illius Dominici sermonis in monte explicationem, de quo D. Augustinus dicit, quòd summam continet christianę perfectionis. Cuius Dominici sermonis prę cipuum intentum est, docere non solum quæ necessaria sunt ad salutẽ, verùm etiam quæ cõueniũt ad perfectionis apicẽ assequendum; de quo intelligitur illud; Consummatio abbreuiata inundabit iustitiã; quẽ locũ intelligit Paulus de Euãgelio. Circa ordinẽ cõtextus, primùm in illo Dominico sermone indicat hominib⁹, quis sit eorum finis; qm̃ ex eo regulæ morales ducũtur, excludendo errores, quibus olim Philosophi decipiebãtur circa humanã felicitatẽ, vt est videre apud Aristotelẽ, Ciceronẽ, & Plutarchũ. Secũdò, cõmẽdauit Apostolici officij dignitatẽ, vt viderẽt quãta attẽtione discenda erat sibi lex, quã alijs tradere tenerẽtur: propterea dixit; Vos estis lux mundi, &c. Tertiò, qm̃ moralis vitæ fundamẽtũ est lex naturæ, veluti optimus doctor: hãc suppositit, excludẽdo falsum intellectũ legis, & cõstituẽdo tale principiũ, velut in cõfuso, q̃ interior sanctitas est fidelibus summè recolẽda: id em̃ significare voluit cum dixit, Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarũ & Pharisęorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Et ita explicuit tria præcepta, circa quæ maximè errabant, videlicet, quintum, sextum & secundum: & ita cœpit ordinare actus interiores reuocando ab illicitis. Quartò loco Saluator exclusit errorem circa quædam iudicialia, qui error vergebat in detrimentum moralis vitæ. Occasio

Aug. lib. de sermone Domini in monte.

Esa. 10.

Arí. 1. Ethi. ca. 1.

Cicero lib. de finibus.

Plutarc. li. de placitis philoso.

autem errandi illis fuit, quòd permissiones legis accipiebant tanquam præcepta. Demum id quod ex iustitia exequendum erat, ex liuore animæ faciebant, existimantes ita licere; & hucusq; Saluator reuocauit animum. Quintò, contra appetitum honorum Saluator compo suit animum hominis, docens, non esse flectē dam intentionem hominis ad aliquod bonū temporale, sed ad cœlestia: duo potissimū bo na exclusit, scilicet diuitias, & gloriā, propter rationes D. Thomæ solutione ad. 4. At verò circa temporalium solicitudinem correxit Sal uator excessum mentis humanæ, dum docuit cauēda illa quatuor, quæ D. Thomas aduertit solutione ad. 5. & animum humanū circa proximum composuit, & docuit rectam existima tionem semper habendam de proximo, quan tum fas est. Sed eam rationem apposuit huic rectæ existimationi, vel ne esset in irreuerentiam sacramentorum, vel in detrimētum Ecclesiæ, dicens, Nolite mittere margaritas ante porcos; & attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, &c.

ARTIC. QVARTVS.

¶ Vtrùm cōuenienter in lege noua sint proposita quædam consilia.

¶ Conclusio est affirmans.

EXPLICATIO ARTICVLI.

CONclusio articuli ita probatur. Nā præcepta data sunt de his quæ sunt necessaria ad consequendum finē vitæ æternæ: consilia verò sunt de his, per quæ meliùs & expeditiùs homo prædictum finē consequi tur. Est enim homo constitutus inter res mūdi huius, & spiritualia bona, ita quòd quantò plus vni eorum inhæret, tantò plus recedit ab altero. Qui ergo totaliter inhæret rebus mundi huius, constituens finem in eis, totaliter excidit à bonis spiritualibus; & talis inordinatio tollitur per præcepta. Sed quòd homo totaliter abijciat ea quæ sunt mundi, non est necessarium ad peruenientum ad vltimum finem, quia potest homo vtens rebus mundi huius, dummodò in eis finem non constituat, ad beatitudinem peruenire: sed expeditiùs perueniet, totaliter abdicando à se res mundi; & ideo de hoc dantur consilia Euangelij. ¶ Sed pro huius doctrinæ expositione diligenter inuestigandum est, quæ nam dicantur consilia Euangelica: rursus, de quibus danda, quærenda que sunt cōsilia euangelica: proximo loco, quot sint euangelica consilia: & vltimò, de cō silijs euangelicis in particulari determinādum est. Vt igitur à primo exordiamur, Consilium

Consilium Euangelicum quid.

definitur à Cicerone, aliquid faciendi, vel nō faciendi excogitata ratio. Quoties enim (teste Aristotele) per plura aliquid fieri potest, cōsilio inquiritur per quid facillimè & optimè fiat. Itaque non est āliud, ipsum consilium, quàm ratiocinatio, inquisitio, ratio, siue sentē tia consequendi id inter plura, quod aptius, expeditiusque ad præconceptum finem videtur. Ex hoc facilè est intelligere, quæ dicantur Euangelica consilia; ea videlicet, quæ cùm ad salutem consequendam necessaria non sint, tamen vt parandæ salutis ratio expeditior habeatur, ac facilior, à Christo proponuntur, atque consuluntur. Vnde discrimen, quod scriptura inter consilia, & præcepta statuit, considerandum est; quòd præcepta tanquam obser uatu necessaria præscribuntur: Consilia verò in beneplaciti libertate relinquuntur, vt spōte suscipi intelligamus. Hinc Apostolus, cum cœ libatum persuadere vellet, ita pronuntiat, De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do, tanquam misericordiam cōsequutus à Deo, vt sim fidelis. Quò spectat quod Ambrosius perspicuè dixit; Consilium inuitat voluntarios; præceptum verò adstringit etiam inuitos. Vbi præceptum est, ibi lex; vbi consilium, ibi gratia: præceptum, vt ad naturam reuocet; consilium, vt ad gratiam prouocet. Neq; aliter sentit Hieronymus, vt eius verba declarant; Vbi consilium datur, offeren tis arbitrium est; vbi præceptum, necessitas ser uientis: sed maioris est mercedis quod nō co gitur, & offertur. Hactenus explicatū est, quæ nam dicantur consilia Euangelica. ¶ Nunc cō sideremus diligenter, de quibus dentur consilia Euangelica. In cuius rei explicationem scire oportet, quòd consilium nunquam quæritur, neque datur de ipso fine, vt finis est, eò q̄ finis principij rationem habeat; principiorum autem non fit inquisitio, sed velut certa in mē te agentis præconstituta manent: at cōsilium, inquisitio quædā rationis est. Quis enim prudens vnquam consilio inquirit, num Deo sit adhærendum; cùm is sit finis ac scopus, quo certò tendimus omnes? dicente propheta in persona Ecclesiæ; Mihi adhærere Deo bonū est. Cæterùm de medijs quibus ad finem peruenitur, dat, accipitque cōsilium vir prudens; non tamen de quibusvis medijs; quia non de his quæ certò determinata sunt, aut natura, aut præcepto, aut necessitate. Quis enim consilio inquirit, num cibo vti debeat, an potu; vel parentes colere, aut mortem euadere, cùm primum, natura; secundum præcepto; tertiū necessitate certò determinatum existat? Ad hęc, non dātur cōsilia de his quæ minuta sunt, seu potiùs talia, vt nihil referat sic vel aliter fieri.

Cicero.

1. Cor. 7.

Ambr. epistola. 81. & lib. de Viduis.

Hiero. li. 1. aduersus Iouinia. & ad Eustochiū de custodia virgini.

De quibus dentur euā gelica cōsi lia.

Sunt

Sunt tamen quædam media salutis inueniendæ, quæ licèt in neutram partem sint definita, mirum in modum conducunt ad vitam æternam consequendam, eò quòd sint incitamenta, ac subsidia quædam accõmoda ad mundi, carnisque illecebras vincendas, hominemque expeditum faciunt, vt totus Deo, diuinisque rebus inhæreat. Quis enim ad Christũ sequendum eo est expeditior, qui non solùm omnes corporis, mundique blandientis voluptates, nec facultates modò, sed earum quoque à se desiderium, voluntatemque abdicarit, atque præciderit, seque in Dei solius, & præfecti sui potestatem transtulerit? quod quidem omnes qui consilia euangelica paupertatis & obediẽtiæ amplectuntur, profitentur. Certè qui consilia euangelica amplectuntur, & suscipiunt, voluntaria quadam animi inductione, & vehementi quodam vitæ perfectionis ardore omnia resecant, quæ cœlestia meditanti impedimentum aliquod obijcere possunt, quæve meditationis huius propositum frangere, aut debilitare, aut aliquo modo interrumpere valẽt. Et in his quidem consilia euãgelica versantur: de qua re satis, vt arbitror, dictum est. ¶ Deinceps ad tertiam quæstionem transeamus: ea est, quot sint euangelica consilia. Cui quæstioni sic respondeo. Omnia enumerare euangelica consilia, non est operæpretium, neque ad tractatum præsentem attinet; principalia verò tria sunt; de castitate, paupertate, & obediẽtia. Castitas eorum est, qui seipsos castrauerũt propter regnum cœlorum, & vti Tertullianus dixit, & Augustinus, qui se volũtarios probãt spadones. Paupertas ad eos pertinet, qui semel omnia relinquunt, vt Christum Dominum, exemplo Petri & Apostolorũ perfectè sequantur. Obedientiam verò prẽstant, qui vt seipsos plenè abnegent, non solùm à cupiditatibus, verum etiam à voluntate sua (quod scriptura admonet) prorsus auertũtur, dum eius, quem superiorem Christi loco elegerunt, voluntati se totos subijciunt. De his nunc demõstrationes singulatim auspicabimur. Et primò quidẽ de virginitate, & cœlibatu; secundò, de paupertate euangelica; tertiò, de obedientia & abnegatione sui ipsius differemus. ¶ Quæritur ergo; Consilia virginitatis, & continentiæ quibus scripturis data sint? Christus Dñs laudat illud genus eunuchorum, qui propter regnum cœlorum seipsos castrauerunt: & ne præceptum hoc magis quàm consilium putaremus, continuò subiunxit; Qui potest capere, capiat: quæ vox hortantis est Domini, vt ait Hieronymus acsi dicat; qui potest pugnare, pugnet, superet, ac triumphet. Id ille potest, cui datum est. Datur autem omnibus, qui vt Hierony. ibidem testatur, petierint, qui voluerint, qui vt accipiant, laborauerint. Omni enim petenti dabitur, & quærens inuenit, & pulsanti aperietur. Apostolus autem planissimè dixit; Bonum est homini mulierem non tangere: ac rursus, De virginibus præceptum Domini non habeo, cõsilium autem do, tanquam misericordiam cõsequutus à Deo, vt sim fidelis. Existimo enim hoc bonum esse propter instantem necessitatem; quoniam bonũ est homini sic esse. Atq; iterum de vidua scribens, Cui vult, inquit, nubat, tantùm in Domino: beatior autem erit, si sic permaneat secundum meum consilium. Puto autem quòd ego spiritum Dei habeam. Et iterum; Qui matrimonio iũgit virginem suã, benè facit; & qui non iungit, melius facit; hæc enim cogitat ea quæ sunt Dei, illa quę mundi: illa coniugalibus vinculis alligata est, hæc libera vinculorum; illa sub lege, ista sub gratia. Bonum coniugium, per quod est inuenta posteritas successionis humanæ, sed melior virginitas, per quam regni cœlestis hæreditas acquisita, & cœlestium meritorum reperta successio. Per mulierem cura successit, per virginem salus euenit, vt Ambrosius dicit. ¶ Sed hic obseruandum est, quòd ratio potissima, quare virginitas, aut continentia præfertur, non est carnis integritas, sed libertas ad seruiendum Deo, & exemptio à solicitudine magna, quam secum fert matrimonij vinculum. Nam (vt in commoratis verbis dicit Apostolus) qui sine vxore est, solicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo: qui autem cum vxore, solicitus est quæ sunt mũdi, quomodo placeat vxori, & diuisus est: & mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore & spiritu: quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro. ¶ Sed videamus argumenta, quibus hæretici continentiam, ac cœlibem vitam impugnare, ac subuertere nituntur. In primis proferunt illud; Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi: & paulò pòst; Crescite, & multiplicamini, & replete terram. Ecce Dominus suis verbis præceptum edixit. Huic autem quomodo quadrat, quod dicit Apostolus, Bonum est homini mulierem non tangere? Deinde citant illud ex Paulo; Vnusquisque suam vxorem habeat, & vnaquæque suum virum: non est ergo sanum cõsilium à matrimonio abstinere. Sed & illud adijciunt argumentum; Paulum tunc temporis, cum consiliũ hoc inculcabat, coniugem esse, & Deo sub coniugali continentia militare: idque probant ex illo; Rogo te & germana compar, hoc est coniux, adiuua illos. Hæc & alia similia proferunt hæretici; sed breuiter diluuntur. Nam ad pri-

Quot sint Euãgelica consilia.

Tertul. lib. 1. ad vxorẽ. Aug. li. vni co de virginitate. c. 23. & 24.

Eccle. 18.

De virginitate, & continentia. Matth. 19.

Hier. super Matt. c. 19. & lib. 1. cõtra Iouini.

Ambr. epistola ad Syriciũ Papã, & li. de virginitate, & in exhortatione ad virgines.

Hæreticorum argumenta.

Genes. 2.

Phili. 4.

Solutio.

mum testimonium dicendum est, quòd aliud conditor Deus, aliud prædicator Euangelij Paulus spectabat. Nam Deus cùm dixit, Non est bonum hominem esse solum; tunc sanè replenda erat terra hominibus: cùm verò sic diceret Paulus, Bonum est homini mulierē non tangere; replēdum restabat cœlum animabus sanctis. Deus in exordio humani generis voluit vt propagaretur natura; sed postmodum genere humano multiplicato, & patefactis cœlis, voluit (vt angelorum ruina citius instaurare tur) homines à congressibus carnis abstinere, & vt hîc inciperent Angelis similes esse. Nec tamen id præcepit, sed consuluit; & quidem ijs dumtaxat, qui voluntarij sunt. Sed & verba illa; Crescite, & multiplicamini; non sunt præcipientis, sed dantis facultatem propagādi naturam; sicut & illa, Dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, sunt donātis imperium super omnia animantia munda. Sed quamquā præcipiendo dixerit Dominus, Crescite, & multiplicamini; id præceptum in eo sensu accipiendum est, vt detur opera generis humani propagationi, quando necessarium est propagare naturam: vbi autem illa sufficienter est facta, & multi in eodem opere insistunt, cessat obligatio legis naturæ, vt singuli rei vxoriæ dent operam. Quid verò mirum, si statu rerū mutato, mutentur præcepta? Vnde D. Hieronymus contra Heluidium sic scribit; Pro conditione, inquit, temporum, alij, illi scilicet patres veteris legis, subiacuerunt sententiæ; alij nos, in quos fines seculorū deuenerunt. Quā diu lex illa permansit, Crescite & multiplicamini; & maledicta sterilis quæ non parit; nubebant omnes, & nubebantur, & derelictis parentibus fiebat vna caro; quādo verò vox illa pertonuit, Tempus breuiatum est, reliquum est, vt qui habent vxores, sic sint quasi non habeant, & qui sine vxore est, cogitet quæ Dei sunt, aliter scilicet res se habet. Illud verò q̄ objicitur, Vnusquisque propter fornicationē vxorem suam habeat; non sic intelligendum est, vt præcipiatur, vt vnusquisque rei vxoriæ det operam; sed loquitur D. Paulus quantum ad vsum: id est, vnusquisque vtatur vxore sua, quæ iam per præcedentem contractum sua facta est. Vel loquitur D. Paulus cum infirmis, & cum illis, qui libidine vruntur, & cum illis, quibus dixerat, quòd si non se continent, nubant; melius est enim nubere quam vri. Quod verò adducitur ex D. Paulo ad Philip. 4. Diuū Paulum vxoratum fuisse, difficilem habet explicationem: nam ex loco allegato malè opinati sunt nōnulli, Paulum habuisse vxorem. Clemens Alexandrinus sentit Paulum habuisse vxorem ex hoc loco; & Ignatius refert Paulū inter coniugatos. Origenes Roma. 1. super illud, Paulus seruus Iesu Christi, inquit; Sicut quidam tradunt, cū vxore vocatus est, de qua dicitur in epistola ad Philip. Rogo te germana compar. Caietanus elucidans prædictam sententiam sentit Paulum habuisse vxorem, sequutus Erasmum, vt solet. Sed mirum est ex leuissima coniectura quenquam hoc sentire potuisse, cùm nusquam aliàs huius rei vestigiū appareat, sed potius oppositum. Coniectura est, quòd dictio græca, quam noster interpres vertit, rogo te germana compar, sit anceps ad vtrumque sexum: vnde Erasmus vertit, Rogo te germana compar: sed cōiectura debilis est, & nullius momenti. Quāuis enim græca vox, quam interpres vertit, cōpar, si ad verbū eam interpreteris, sonat, qui idem ducis iugum, nihil tamen necesse est, vt tale iugū accipiamus, quale est in matrimonio: nam commodè ad modum intelligitur iugum, quale est in propagando Euangelio: & huiusmodi iugum Paulū hoc loco intelligere verosimile est, dum respicimus ad similia vocabula, quibus in hac epistola vtitur; inter cætera, vocans cooperariū, commilitonem, siue coathletam. Sed & aliud argumentum conficitur ad confutandam prædictam coniecturam. Nam iam post Conciliū Tridentinum non licet prouocare ad aliam translationem, & in hac nostra nihil est dubij: nam sic habet; Rogo te germane compar. Quin & Hieronymus in epistola ad Eustochium de custodia virginitatis, potius asserit Paulum virginem: De virginibus consiliū Domini proposuit. Cur? quia & ipse vt esset virgo, non fuit imperij, sed propriæ voluntatis. Neque enim, inquit, audiendi sunt, qui ipsum habuisse vxorem confingunt, cum de continē tia differens, & suadens perpetuam castitatem intulerit; Volo autem omnes esse sicut me ipsum: & infrà, Dico autem innuptis, & viduis, bonum est illis si permanserint sicut ego. Consentiunt Chrysostomus, Theophilactus, & Eucumenius. Ac de consilio virginitatis satis dictum est, de cuius laudibus scripsere sancti Patres, Martialis Christi discipulus in epistola ad Tolosanos; Clemens Apostolorū comes; post hos Ignatius Martyr, post hunc Tertullianus, deinde Eusebius, exinde Cyprianus, D. Athanasius, Basilius, Ambrosius, Augustinus, D. Hieronymus: accuratissimè autem D. Hieronymus contra latratus Heluidij & Iouiniani, nihil præter impuritatem eructantium.

¶ Sequitur alia quæstio; vbi nam consiliū pauertatis euangelicæ à Christo doceatur? Apud Matth. c. 19. dicit Dominus, Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Ac deinde consilium de voluntaria paupertate sectanda proponitur, addita

Origenes.

Caieta.

Erasmus.

Hierony.

Chrysost. Theophi. Eucume.

Martialis.

Cyprianus. Athanas. Basil. Ambros. August.

Hierony.

Ignatius.

Tertullia.

Eusebius.

Matth. 19. habetur cō silium pauertatis.

Vtrùm Paulus vxoratus fuerit.

Clemēs li. 3. Stromat.

Ignatius epistola ad Philadelphienses. c. 5.

addita verborum formula singulari, quę illud capessentis arbitrio relinqueret: ait enim Dominus; Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus; & habebis thesaurum in cœlo, & veni sequere me. Huiusmodi paupertatis cultores ac professores erant Apostoli, quorum nomine fidenter dixit Petrus ad Christum, Ecce nos reliquimus
Actó. 4. omnia, & sequuti sumus te. Legimus Actor. 4. primos Christi discipulos possessiones suas vẽ didisse, & pretium ad Apostolos, vt pauperibus distribueretur, detulisse, nihilque fuisse in
Actó. 5. ter eos proprium. Legimus Acto. 5. grauissimas pœnas Ananiæ & Saphiræ ob huiusmodi Deo deuotam pecuniam interceptam irrogatas. Sed dicet aduersarius; Pauper vbique iacet; &,

Impiger extremos currit mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes?

& hanc eligendam suadet Euãgelium? Et magnum pauperies opprobrium, inquit quidam. Sed missa faciamus ista hæc prophanorum hominum dicta: nos filij sanctorum sumus, alumni traditionis diuinæ, quia erudimur in aliam vitam, quam simul cum felicitate æterna repositam habemus in cœlis. Actionis quidem humanæ vtique finis est felicitas. Omnis enim omnium hominum labor, ac studiũ in eo est, vt sit sibi benè: nemo namque respiciens ad malum, operatur. Iuxta finium autem diuersitatem, diuersa datur de medijs institutio, præceptio, aut consultatio. Qui opinati sunt finẽ hominis, hoc est, felicitatem consistere in diuitijs, contẽptim docuerunt de paupertate. Qui verò in voluptatibus eam consistere voluerunt, sanctæ virginitati, & cœlibatui, & abstinentijs mirum in modum detraxerunt. Qui autem in virtute eam collocauerunt, vt Stoici, cæteris paulò cordatiùs philosophantes, ij laudibus sanè celebrauerunt, quicquid virtuti colendæ subsidio esse considerabant. Cæterùm, quia ipsi vim, præcipuaque membra veræ virtutis ignorabant, & qualis esset consummatio eius per felicitatem, quę saluum facit totum hominem intus & foris, & quaque versum in beatitudine æterna, ideò de paupertate, de humilitate, de pudicitijs, & de abstinentijs, de dilectione, & pœnitudine, qua mẽtem in melius commutamus, & vt semel finiam, de officijs hominis tendentis in Deum, veræ pietatis felicitatisque principium ac finem, imperitiùs, ineptiusque disseruerunt, quàm cõueniebat, vibrantes enses suarum disputationum velut in tenebris; & reuera vix meliùs iudicãtes de prædictis, quàm cæci de coloribus. Itaque illis dimissis, inquiramus, quid filius Dei, quid Spiritus veritatis, qui de cœlis venerunt, vbi vera possidetur felicitas, quid eorum Apostoli docuerunt de paupertate euangelica prosequenda, sicut suprà demonstrauimus, quid per ipsos doctum sit de virginitate, ac cœlibe vita. In primis autem obseruare debes, variam esse paupertatem. Est enim paupertas, quam pateris, & quam eligis. Illam parit vel necessitas, vel rerum indigentia contra voluntatis affectum: In istam te inducit volentem spiritus fidei, religioso quodam ardore commutandi caduca æternis, terrena cœlestibus. Illa pœna peccati est, ista vehiculum ad portũ felicitatis: illa qui stringitur, miser est; quia patitur, neque eluctari potest, quanquam conetur: istam vel fugientem sequitur homo pius spontanea deuotione, & dimittere non vult, nec rogatus quidem, neque impulsus: illa inter media, seu indifferentia; ista verò inter eximia bona euangelica est collocãda; quam Baptista fortiter inchoauit, Christus insigniter verbo factoque commẽdauit, Spiritus autem Dei mox post primum illapsum visibilem in corda hominum consummauit, ac veluti politiam quãdam digessit ad ipsam millibus Christi fidelium conuersis. Quam rectè spõtaneã, fidelem, ac euangelicam appellamus. Nam si voluntaria non est, vt nõ sunt communes indigentium paupertates, pertractatio eius non hoc loco fieri debet, sed alio quopiã, vbi agitur de miserijs, cæterisque mundi malis, dum fic visum est superis, fortiter perferendis. Si tamen voluntaria est, nõ tamen fidelis ac euãgelica, hoc est, propter fidem Christi, & euangelij prædicationem, aut saltem ob spem Euãgelicæ salutis præelecta cæteris, parum habet vnde admodum commendari debeat. Quid enim paupertas Diogenis, aut Cratis Thebani, aut aliorum similis propositi; quid, inquã, boni ipsis peperit, præter admirationem quandam inter homines, & philosophandi cõmoditatem? At quam nos spiritu fidei apprehendimus, secundum formam quam duces religionis nostræ præmonstrarunt, ea demum & viam veræ philosophiæ colendæ statuit, & cẽtuplum pro dimissis rebus accipit, & omnia mundi bona possidet; insuper & ius ad regnũ Dei tribuit, eaque omnia in hoc seculo superaddens; denique in futuro vitam æternam; cuius nunc demonstrationem exordiemur. Sed & illud inter prima obseruandum est, quòd paupertas euangelica simul cum Euangelio mundo illata est. Ioannes præcursor Domini, & prædicator Euangelij primus, ipse dimisis omnibus factus est incola deserti, contentus locustis, & melle syluestri pro esca, & cilicio de pilis camelorum pro vestimento, prædicãs regnum Dei, & dicẽs, Qui habet duas tunicas, det

Voluntaria paupertas.

D. Ioan. Baptista.

det non habenti. Poſt hunc venit filius Dei, dicens, Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput ſuum reclinet: & ipſe prædicans regnum Dei, dicit, Omnis ex vobis qui non renuntiat omnibus quæ poſsidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus: vnde & adoleſcenti dixit, Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni ſequere me. Poſt filium verò miſſus eſt Spiritus ſanctus viſibiliter in ſpecie flammarum, & ita ignefecit pectora credentium, vt dicat ſcriptura, Omnes etiam qui credebant, erant pariter, & habebãt omnia communia; poſſeſsiones & ſubſtantias vendebant, & diuidebant illa omnibus prout cuique opus erat. Rurſus; Multitudinis autem credentium erat cor vnũ, & anima vna, neque quiſquam eorum quæ poſsidebant, ſuum aliquid eſſe dicebant, ſed erant illis omnia communia: ſubiũgit, Quotquot enim poſſeſſores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, & apponebant ante pedes Apoſtolorum, & diuidebatur vnicuique prout cuique opus erat. Et iſtud quidem tunc temporis, cùm eſſet multitudo credentium aucta in millibus, vt ex eiſdẽ actis patet. Ad hæc, duces fidei intonant conſtanter; Ecce nos reliquimus omnia, & ſequuti ſumus te Chriſtum Dominum noſtrum nudum nudi; non tantum retia noſtra, & nauicu las quas habemus, ſed etiam omnia quæ mundi ſunt, & acquiri à nobis poſſunt relinquẽtes. Paulus. Potiſsimum autẽ filius accreſcẽs Paulus Apoſtolus, Exiſtimo, inquit, omnia detrimentum eſſe propter eminentem ſcientiam Ieſu Chriſti Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam. Neque eſt in Eccleſia hoc genus vitæ ſine certa, eaque ampliſsima Dei promiſsione introductum. Enimuerò Saluator ab Apoſtolis interrogatus, Ecce nos reliquimus omnia & ſequuti ſumus te, quid ergo erit nobis? Reſpondit Chriſtus, Amẽ dico vobis, quòd vos qui reliquiſtis omnia, & ſequuti eſtis me, ſedebitis ſuper ſedes &c. & omnis (nõ ſolùm vos) qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut vxores, aut filios, aut agros (nota diſiunctam particulam, nam qui vel vnum dimiſerit, quantò magis qui vniuerſa) propter nomen meum; & Marci. 10. Marcus ait, Propter me, & Euangelium meũ, centuplum accipiet. Marcus centies tantùm, nunc in tempore hoc, domos, & fratres, & ſorores, & matres, & filios, & agros, cũ perſequutionibus, & in futuro ſeculo vitam æternam; Matth. 19. quod ipſum Matthæus dixerat, centuplũ accipiet, & vitam æternam poſsidebit.

¶Sed iam conſideremus aliam quæſtionem; Quomodo conſilium obedientiæ nobis proponatur? Certè Chriſtum Dominum præſtantiſsimum ducem, & exemplar obedientiæ habemus: venit enim non ſuam facere voluntatem, ſed patris cœleſtis, & miniſtrare, & non miniſtrari; adeò vt humiliauerit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Quòd ſi verba magis quàm facta mouent, audi Dominum dicẽtem, Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me: quæ verba, vt generaliter omnibus dicta rectè quidẽ accipi poſſunt, ſed peculiariter ad eos pertinent, qui pro ſuo modo ſe Chriſto ita confor mant, vt nulla in re ſui iuris eſſe velint, & alieno potius arbitratu viuere ſatagunt, dum præfecti ſui, quem loco Chriſti ſibi elegerunt, voluntatem & imperium vltrò ſequuntur. Horũ præfectus, vti Baſilius docet cap. 22. in conſtitutionibus, Chriſti perſonam obtinet: vnde quemadmodum oues paſtori obediũt, ea per gentes via, qua paſtor eas duxerit. Huiuſmodi autem fideles & excellentes Chriſti imitatores Eccleſia ſemper habuit, cuius rei teſtes per quàm idoneos habemus Baſilium, Auguſtinum, Hieronymum, Benedictum, Gregoriũ, Caſsianum, Bernardum, Dominicum, Franciſcum, alioſque innumeros euangelicæ obediẽtię profeſſores. Alij vitulos, aut arietes, aut alia huiuſmodi rationis expertia Deo offerunt: ille verò qui vouet votum obedientiæ, ſeipſum deuouet Deo. Hoc votum obedientiæ ſuper omne votum eſt. Nam filium offerre, aut filiã, aut pecus, aut prædium, hoc totum extra nos eſt; ſemetipſum autem Deo offerre, & voluntatem, ac arbitrium propriæ libertatis denegare, vt Deo ſeruiamus, & voluntati patris cœleſtis obſequamur, hoc eſt perfectius & eminentius omnibus votis, quæ Deo offerri ſolent. ¶Vt verò rationem huius conſilij euangelici, quod eſt obedire vſque ad mortem, à fonte (quod aiunt) tibi aperiam, recolendum eſt illud, quod aſſerit D. Dionyſius, Pauli diſcipulus; Diuinũ amorem ecſtaſim facere; hoc eſt, amatorem ſic extra ſe rapere, vt nõ ſinat eum ſui ipſius eſſe, ſed eius quem amat. Vnitiuus enim eſt amor, nec ceſſat, donec effecerit inter amantẽ & amatum, vnũ velle, & vnũ nolle, cor vnum, & animam vnam; quò tandem cum Apoſtolo dicat; Viuo ego, iam non ego, ſed viuit in me Chriſtus: cuius affectu & arbitrio perinde feror, ac ſi ipſe non haberem affectum, aut arbitriũ. Fons itaque huius obedientiæ eſt amor ecſtaticus, quo velut liqueſcit anima in Deum. Diximus igitur de voluptatibus carnis abdicandis per continentiam, quoniam

De obediẽtiæ cõſilio. Ioan. 6. Matt. 20. Philip. 2. Baſil. Dionyſ. Ratio obedientiæ.

qui

qui cum vxore est, solicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori,& diuisus est. Diximus præterea de bonis externis posthabendis per spōtaneam paupertatem; quia facilius est camelum per foramen acus transire,quàm diuitem intrare in regnum cœlorum.Nūc verò dicimus de abrenunciatione propriæ volūtatis,quę fit tum per obedientiam fidei,& charitatis;tum per votum obedientię voluntariū, atque spontaneum.Et dictum est satis, quantum ego existimo ; nam laudes huius consilij prosequi infiniti operis est.

Vtrùm in lege veteri cōsilia fuerint. D. Tho.

¶Vt tamen explicationi huius articuli finem imponamus, quæritur; Vtrùm in lege veteri consilia perfectioris vitæ proponerentur? D. Thomas in hoc articulo respondet negatiuè: cuius rei hæc est prima persuasio. Nam lex vetus non erat filiorum,nec lex perfectæ libertatis spiritus,sicut lex Euangelica;sed erat veluti seruorum iugum: consilium autem libertatem importat,non seruitutis iugum. Secunda persuasio est. Nam lex antiqua terrenis promissionibus alliciebat homines ad obseruantiam præceptorum;cōsilia verò à terrenis auocant:at verò in lege Euangelica thesauri cœlestes aperti sunt, pro quibus comparandis facilimum est terrena despicere,sicut significatur in illa parabola de thesauro abscōdito in agro, quem qui inuenit homo,abijt,& vendidit omnia sua,& emit illum. Tertia persuasio.Lex antiqua propter imperfectionem nō adducebat homines ad perfectionis culmen,vt dicit Paulus : at in noua lege est tanta gratiæ abundantia,vt non solùm viri fortes, sed etiam infirmi perfectionem affectent:Vnde Esaię.60.de statu nouæ legis tale habetur vaticinium ; Minimus erit in mille, & paruulus in gētem fortissimam.Sed ex hoc nō inferat Theologus,quòd viri iusti, & sancti in antiquæ legis statu non haberēt ex instinctu Spiritus sancti consilia à Deo,tum virginitatis,tum obedientiæ, atque etiam paupertatis, quæ & animo lubenti, & forti amplectebantur. Quid enim Nazaræi; quid Rechabitæ,quid prophetarum filij aliud erant, quàm monachorum præuia quædam simulachra,sed pro temporis ratione non omnino consummata, atque absoluta? Perfectio enim,vt in cæteris,ita & hæc Christo, & eius exuberanti gratiæ debebatur. De Iessæis etiā, & de Essenis veteris testamenti monachis, mira & stupenda refert Philo in suis scriptis. Sed & Diuus Hieronymus asseuerat, Heliā, Heliseum,Danielem,& Ioannem Baptistam à matrimonio abstinuisse,& vitam cœlibem duxisse.Iosephus.18. antiquitatum, & Solinus aiūt, ante aduētum Christi Essenorum collegium, instar nostrorum Anachoretarum, sanctè in deserto Iudææ viuendo ab vxoribus abstinuisse. Atque de legibus satis dictum est. Nūc de necessitate gratiæ ad legem adimplendam dicendum videtur.

Matt. 13.

Hebræ. 7.

Esa. 60.

Nazaræi. Rechabitę. Prophetarum filij.

Iessæi. Esseni.

Hiero. li. 1. cōtra Ioui. & in Zacha 11. li. 2. c. 10

QVAESTIO CIX.

De exteriori principio humanorum actuum, scilicet de gratia Dei, in decem articulos diuisa.

IN TRACTATVM DE GRATIA INTRODVCTIO.

PRiusquam explicationem literæ Diui Thomæ aggrediamur, operæpretium erit nōnulla præfari, quæ discipulū Theologiæ præparēt ad huius tractatus cognitionem,& intelligentiam. Est enim hæc disputatio difficillima,& obscurissima. Nā cùm gratia Dei asseritur, liberū arbitrium videtur auferri:cum verò liberum arbitrium in mediū profertur, gratia Dei tolli apparet. Sed & alia difficultas , parua & magna cruciat ingenia. Nam occasione huius, quidam non rectè sentientes , arbitrati sunt,D.Paulū in hanc doctrinam nos inducere , vt faciamus mala , quibus positis,eueniāt bona; vt sic diuitiæ gratiæ Dei in nobis magnificentur, & abundent. Atqui ex eadem re alia nascitur magna controuersia.Nam cùm subsidium gratiæ Dei vni conferatur,& non alteri; videtur esse iniquitas, & acceptio personarum apud Deum.Vrget insuper maximè illud. Nam cùm gratia diuina sit necessaria,vt rectè viuamus,& salutem consequamur æternam ; cùm huius gratiæ adiutorium haudquaquam Deus omnibus cōferat, videtur profectò quòd Deus in necessarijs desit;siquidem vniuersis hominibus non concedit adiutorium suæ gratię,sine quo homo neque ad Deum conuerti,neque rectè vitam instituere,aut verò salutem consequi aliquomodo poterit.His , & alijs difficultatibus D. Augustinus olim tenebatur. Ne autem vocabuli ignorantia teneamur,gratiæ nomen quot modis in sacris literis accipiatur , exponēdum est: non enim vnam tantùm habet significationē, sed plures , illasque admodùm inter se distinctas. Primò namque gratia dicitur id omne, quod gratiosè conceditur , siue naturale illud sit,siue supra naturam.Qua significatione nomen gratiæ vsurpat D.Thomas.1.p.q.21.ar.4. cùm docet , in omni opere , siue naturale sit, siue

Difficilis hæc gratiæ disputatio.

Aug. lib.1. cōtra Pela. & Celest.c. 47.li. 5. cōtra Iulia. c. 4.epist. 46. &.47. & li. 4.cōtra epistolas Pelagia.ca.6.li. de natura& gratia per totum.

Quot modis gratiæ nomē vsurpetur. D.Tho.

ſiue ſupernaturale, rationem gratiæ reperiri, atque iuſtitiæ; ita vt ſemper illud verũ ſit, Vniuerſæ viæ Dñi miſericordia & veritas. Quòd namque Deus creaturam ex nihilo producat, gratia eſt, atque beneficium ſingulare; ſed tamen poſtquam ſtatuit condere, atque creare, quòd condat iuxta conditiones, ac proprietates cuiq́ue naturæ debitas, nónullum iuſtitiæ præſefert veſtigium, atque imaginẽ. Hac eadem ratione vtitur nomine gratiæ Conciliũ Conſtantinopolitanum VI. cùm definit, Angelos per gratiam eſſe immortales, qui quidẽ ſuaptè natura immortales ſunt, vt prima parte demonſtratum eſt. Pelagius etiam hãc gratiæ ſignificantiam ſequitur. Cùm etenim omnem gratiam diuinitus infuſam negaret, omneq́ue auxilium ſupernaturale tolleret, aiebat, naturam hominis, ſecũdum quam conditi ſumus, gratiam eſſe. Quòd inſuper mentem, liberũq́ue arbitrium nobis cõceſſerit Deus, gratiam dicebat: & quidem non inepta ratione: quia ingentes creatori noſtro gratias referre debemus, quoniam ipſe fecit nos, & non ipſi nos, & quòd ſuper omnia opera manuum ſuarum nos conſtituit. Hanc gratiæ acceptionem approbat ſæpè D. Auguſtinus. Condemnat tamen Pelagium, quòd eam gratiam, qua chriſtiani ſumus, agnoſcere noluerit, quam Dominus prædicabat, cùm dicebat; Si vos filius liberauerit, verè liberi eritis; & Paulus, Infœlix homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Ieſum Chriſtum. Vide D. Auguſtinum lib. vnico de natura & gratia. ca. 10. &. 11. Sed tamẽ rariſimè huiuſmodi prima ſignificatione gratiæ vtuntur ſacræ literæ. Accipitur præterea gratiæ nomen pro miſericordia, & beneficentia: qua ratione loquitur Paulus dum inquit; Vt in hac gratia abũdetis; vbi abſque dubio de eleemoſynæ largitione loquitur: inſtituit enim epiſcopos circa eleemoſynas largiendas, quas gratiam appellat. Dein de vſurpatur nomen gratiæ, ad ſignificandam rei ſpeciem & pulchritudinem; ſicuti ſit in illo; Vt addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo: & iterum; Fallax gratia, & vana eſt pulchritudo. Mox accipitur gratiæ nomen, vt ſignificat donum ſupernaturale infuſum, ſiue habituale illud ſit, ſiue actuale, ſiue internum aut externum, quod naturæ viribus conſequi non valemus; & huiuſmodi donum, gratia appellatur, quia gratis conceditur, & donatur, non autem ex debito, ſicut dicitur Roman. 4. Merces non imputatur ſecundùm gratiã, ſed ſecundum debitum; itaque gratia non eſt ex debito: & c. 11. habetur illa inſignis ſententia; Si gratia, non ex operibus; aliôqui gratia iam non eſſet gratia. Huius ſignificationis frequẽtiſsimus eſt vſus in ſanctis ſcripturis: quod obſeruatione dignum eſt, ne quiſpiam arbitretur, gratiæ nomen in ſanctis ſcripturis ſemper pro gratia iuſtificãte vſurpari. Poſtremò ſignificat gratiam ipſam iuſtificantem per quam ſumus diuinæ naturæ conſortes: quæ quidem non ideò ſolùm gratia dicitur, quia gratis donatur, ſed etiam quia gratos Deo nos conſtituit, atque vitæ æternę hæredes efficit: ad quã ſanè gratiam, omnes aliæ gratiæ, tanquam ad finem, & ſcopum ordinantur: de hac gratia loquebatur Apoſtolus dicẽs, Per fidẽ acceſſum habemus in gratiam iſtam, in qua ſtamus, & gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei: &. ca. 6. Gratia Dei, vita æterna; id eſt, gratia Dei radix eſt immortalitatis: & ad Hebr. 12. Itaque regnum immobile ſuſcipientes habemus gratiã per quam ſeruiamus placentes Deo, cum metu, & reuerentia: & ad Romanos. 7. Quis me liberabit, &c. gratia Dei per Ieſum Chriſtum: &. c. 11. Reliquiæ Iſrael ſecundum electionem gratiæ ſaluæ factæ ſunt: & ad Epheſios. 1. Gratificauit nos in dilecto filio ſuo. De hac ſignificatione gratiæ loquitur Pater Soto libro. 1. de natura & gratia. c. 2. Circa quam illud aduertẽdum eſt, in Concilio Tridentino Seſsione. 6. can. 11. condemnari erroris eum, qui dixerit, gratiam iuſtificantem eſſe fauorem Dei, & nõ potiùs inhærentem iuſtitiam. Atque hæc de nominis ſignificatione dicta ſufficiant.

¶Sed tamen vt ad ea quæ altiora ſunt progrediamur, intelligendum eſt, quòd cùm de gratiæ neceſsitate diſputationem inſtituimus, vt homo rectè viuat, præcipuè loquimur de homine in ſtatu naturæ lapſæ, in quo quidem ſtatu non ſolùm ipſe homo caret iuſtitia, & donis, quibus abundabat in ſtatu innocentiæ, & felicitatis, ſed etiam ſecundum corpus & animam manet vulneratus, & à Deo auerſus, atq; à diuinis bonis, ita vt abhorreat illa per voluntatem impiam, & intellectum ignorantia & tenebris plenum. Quanquam etiã D. Thomas nonnunquam loquatur de homine abſolutè in quouis ſtatu, vt demonſtret, vniuerſum hominem in omni ſtatu, & ætate, ſubſidio diuinæ gratiæ eſſe indigum. Vt autem melius & & exactiùs iſta intelligantur, obſeruet Theologus, quòd quamuis humana natura ſecundùm rem non fuerit niſi in quadruplici ſtatu; in ſtatu ſcilicet originalis iuſtitiæ in Adam, & in ſtatu peccati originalis, in ſtatu gratiæ quæ datur nobis per Chriſtum, & in ſtatu glorię, & beatitudinis: tamen vt communior atque copioſior ſit doctrina, in ſex ſtatibus eam cõtemplari poſſumus, vt probè & eleganter Caietanus in q. 109. arti. 2. & Doctiſsimus Soto lib. 1. de natura & gratia in principio docẽt. Primus ſtatus

Conci. Cõſtantino. 6. actione. 11.

Aug. epiſt. 95. & Pſal. 144. in illud, Memoriam abundãtiæ, &c.

Roma. 5.

Auguſt.

2ª grę accepto.

2. Cor. 8.

3ª grę accepto.

Prou. 1. & 31.

4ª grę accepto.

Roma. 4.

Roma. 5.

Roma. 7.

De quo ſtatu hominis ſermo fiat in hac diſputatione.

Status in quibus natura humana põt cõſiderari.

ſtatus eſt in puris meriſque naturalibus; vt ſi homo conderetur à Deo ſine gratia,& ſine iuſtitia originali,& ſine aliquo dono ſanante naturam, atque etiam ſine peccato; ſed tantùm compoſitus ex corpore, & anima rationali cũ ſuis potentijs. In quo ſtatu arbitrantur quidam Adam fuiſſe creatum; ſed falluntur grauiter, vt in prima parte demonſtratum eſt. Secundus ſtatus eſt naturæ integræ, per quem non intelligimus hominem in puris naturalibus conſtitutum,ſed hominem cõditum in ſtatu conſono rationi naturali: hominem, inquam, in quo pars ſenſitiua eſt ſubiecta rationi; & ipſa ratio eſt bene affecta erga Deũ, vt eſt finis naturæ;eo pacto, vt in naturalibus eſſet omnino rectus, atque perfectus: de qua rectitudine nonnulli Theologi interpretãtur illud; Fecit Deus hominem rectum, & ipſe ſe immiſcuit quęſtionibus multis.Tertius eſt ſtatus feliciſsimus iuſtitiæ originalis, in quo credimus primum hominem fuiſſe conditum. Quartus eſt ſtatus gratiæ, per quam iuſtificamur in Chriſto ſeruatore noſtro. Quintus eſt ſtatus naturæ lapſæ,in quo homo cõſideratur in peccatum iam prolapſus. Sextus eſt ſtatus gloriæ, & beatitudinis. In his omnibus ſtatibus inueſtigat Diuus Thomas, qua ratione gratia Dei ſit neceſſaria. Sed ex his nonnullæ dubitationes emergunt,quarum expoſitio, & intelligentia magnam lucem & vtilitatem eſt allatura, ſine quarum obiectionum cognitione Theologus in hac diſputatione tanquam cæcus ſæpe offendet.

Differt homo cõditus in puris naturalibus, ab homine conſtituto in ſtatu naturæ lapſæ.

¶Dubitatur ergo; Quomodo differat homo conditus in puris meriſque naturalibus, ab homine in ſtatu naturæ lapſæ conſtituto? Certè Caietano autore,loco citato, atque Magiſtro Soto conſentiente lib. 1.de natura & gratia.c. 2.&.3. inter hos duos ſtatus differt ea ratione, qua inter hominem nudum, qui propter peccatum fuit veſtibus expoliatus, & inter hominem qui ſuapte natura cõditus eſt ſine veſte, nunquamque habuit illã. Vterque enim æquè nudus incedit; ſed prioris nuditas, & ſpoliatio,pœna eſt propter delictum; poſterioris verò nuditas non eſt pœna, ſed naturæ cõditio. Eadẽ ratione appetitus ſenſitiuus iuſtitia originali deſtitutus,rebellis erat rationi,quæ quidem rebellio pœna erat peccati, atque eiuſdẽ effectus. Cæterùm ſi homo in puris naturalibus conderetur,hæc eadem rebellio in appetitu ſenſitiuo locum haberet, ſed tamen eo tempore pœna non eſſet, ſed quædam conditio ipſius naturæ.Itaque donum iuſtitiæ originalis hanc rebellionem compeſcebat aduerſus rationem,quo ablato dono,ſubſequuta fuit rebellio;nihil minus ſubſequutura,ſi homo eſſet conditus in puris naturalibus; ſicut lapis, qui in loco ſupero detinetur, ablato impedimẽto tam velociter & naturaliter deſcendit,ſicut lapis ille qui nunquam tali detentus fuit impedimento. Sequitur ex his primò, quod ſi Deus crearet Petrum non deſcendentem ab Adam, & conderet Paulum ad Adam deſcendẽtem, Paulus in naturalibus non haberet aliquẽ defectum,quo Petrus careret. Sequitur prætereà, hominem in ſtatu naturæ corruptæ poſſe operari ex facultate naturæ, id omne quod operari poteſt homo in puris naturalibus conſtitutus. Deinde ſequitur, commentum eſſe quod quidam Theologi dicunt, in nobis eſſe quoſdam languores,& quaſdam morbidas qualitates poſt peccatum originis, propter priuationẽ originalis iuſtitiæ. Tandem infertur, quòd quando dicunt Theologi, hominem in naturalibus vulneratum fuiſſe, nõ eſt ſenſus, quòd homo ſit læſus in naturalibus;ſed id intelligẽdum eſt, quia homo amiſit donum ſupernaturale,quo mediante,continebatur in rectitudine naturali, & in officio virtutum erga finem naturalem.Sed ne ambiguitate nominis decipiamur,obſeruandum eſt,per hominem in natura lapſa conſtitutum, intelligendum eſſe hominem cum ſolo peccato originali: nam ſi poſtea peccata admiſerit actualia, iam nõ inſtar hominis ſpoliati erit, ſed homini malè veſtito aſsimilabitur: quare tunc per malos habitus erit pronior ad malum,& ad bonum ineptior. Ratio autem horum hæc eſt; quia deſtitutio gratiæ,& iuſtitiæ originalis,quę ſpoliationem ſequitur, non eſt per ſe effectus ſpoliationis, ſed per accidens,ſicut remouentis prohibens. Quare ſicut lapis non mouetur velocius aut tardius quando prohibens remouetur, quàm ſi inciperet moueri nunquam impeditus: ita natura humana poſt peccatum originale, per quod iuſtitia originali fuit deſtituta, manet æquè ad bonum & malum propenſa,ac ſi eſſet in puris naturalibus producta, atque creata.

Corollariũ primum.

Corollariũ ſecundum.

Quis dicatur homo in ſtatu naturæ lapſæ.

Quo differat homo in natura integra, ab homine in puris naturalib⁹,& in iuſtitia originali.

¶Sequitur præterea alia dubitatio; Quo pacto differat homo in natura integra conſtitutus,ab homine cõſtituto in puris naturalibus, atque ab homine conſtituto in iuſtitia originali?In huius dubitationis elucidatione mirũ eſt quàm varij & diſsidentes ſint Doctores inter ſeſe:nos tamen breuiſsimè hæc perſtringemus,quoniam de hac re in ſequentibus copioſior futurus eſt ſermo.Differt itaque inter naturam humanam in puris meriſque naturalibus conſtitutam,& inter hominem in ſtatu naturæ integræ conditum:quoniam in puris meriſque naturalibus contrariantur inter ſe appetitus ſenſitiuus,& rationalis,vnde ſequitur illa rebellio,& pugna inter carnem & ſpiritum,de

qua

qua loquitur Paulus cùm dicit; Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem: & alio in loco; Sentio aliam legem in membris meis, repugnantē legi mentis meæ. Quanquam enim Paulus de homine in natura lapsa loquatur; idem tamen iudicium ferendū est de homine in puris naturalibus constituto, sicut demonstratum est. Cæterum in statu naturæ integræ nulla est rebellio inter carnem, & spiritum; quia in tali statu cōsideratur homo ita bene compositus, & constitutus ad finem suæ naturę proportionatum, vt sine aliqua pugna, aut difficultate in bono virtutum perseuerare possit; quanquam pro sua libertate possit ab eo statu rectitudinis desistere. Intelligimus autem per hominem constitutum in statu naturæ integræ, hominem constitutum in statu rationi consentaneo, cum dono sanante naturam, ad officia virtutum, & ad finem naturæ nostræ consentaneum. Verùm per hominem constitutum in iustitia originali, intelligimus hominem rectum; tum in ordine ad finem naturæ suæ proportionatum; tum verò in ordine ad finem supernaturalem. Itaque status iustitiæ originalis supra statum naturæ integræ addit gratiam, quæ est principium bonorum meritorum, & quę facit homines gratos Deo, & consortes diuinæ naturæ: additque cætera charismata Spiritus sancti, quæ ipsam gratiam consequuntur in homine viatore, nempe fidē, spem, & charitatem. Quò tamē hæc doctrina exactiùs intelligatur, animaduersione dignū est, & apprimè considerandum, quòd licèt donum originalis iustitiæ duo habeat officia; & rectificare hominem in ordine ad finē supernaturalem; & sanare naturam in ordine ad finem naturalem; in hac disputatione secernimus officium primum, & hominem contemplamur, ac si tantummodò cōditus esset cum dono sanante naturam in ordine ad finē sibi consentaneum. Quod sanè donum, quamuis supernaturale esset, à Diuo Thoma naturale vocatur; tum, quoniam esset illius status conditio; sicuti lumen gloriæ naturale esse beatis dicere solemus: tum verò, quoniam hoc donū perficiebat hominem in ordine ad finem suæ naturæ consentanenm, & non ampliùs: tum tertiò, quoniam homo habens tale donū, per facultatem naturę poterat vniuersum bonum naturæ proportionatum perficere; quoniam tale bonum facultatem naturæ humanæ non exuperat, & ex alia parte natura perfecta erat, & integra: poterat ergo illa præstare. Addit insuper Caietanus subtilissimè, rationem humanam ex coniunctione ad donum iustitiæ originalis habere in se vigorem, quo possit concupiscentiam frænare, & in officio detinere virtutum. Itaque non tātùm hoc ex dono supernaturali habebat, sed etiam in se ex reali quadam proprietate isto fruebatur vigore. Nam vnaquæque res ex coniunctione ad aliam superiorem, & nobiliorem habet in se maiorem perfectionem. Cogitatiua in homine ex coniunctione ad rationem est nobilior in ipso, quàm in brutis. Appetitus insuper sensitiuus ex coniunctione ad voluntatem, qua in homine gaudet, perfectior est multò in illo quàm in cæteris animantibus: & eadem ratione potentia vegetatiua, quia in animalibus coniuncta est animæ sentienti, qua coniunctione caret in plantis, perfectior reperitur in animantibus, quàm in plantis. Eodem ergo modo humana ratio ex coniunctione ad iustitiam originalem perfectior in se ipsa reperitur. Hactenus expositum est, quid in hoc tractatu sit intelligendum per hominem in puris naturalibus constitutum, ac per hominem cōstitutum in natura integra; insuper per hominem cōstitutum in iustitia originali; demum quid per hominem constitutum in natura lapsa. Non tamen est necessarium à nobis tractari, quid sit intelligendum per hominem constitutum in gratia; neque verò per hominem constitutum in statu felicitatis, & beatitudinis: nam hæc clariora sunt, quàm vt nostra expositione indigeant.

Donum sanans naturam quare naturale appelletur.

Caiet. optimè loquitur.

¶ Illud etiam considerandum est, quòd de salute nostra duo extremi errores exorti fuēre in Ecclesia. Alter eorum, qui in gratiam Dei iniurij, libero arbitrio, & suis operibus plus iusto tribuebant; horū hæresim & pernicioſam opinionem D. Paulus, acerrimus gratiæ Dei defensor, manifestis argumentis falsitatis conuincit, ostendens, omnes esse peccatores, & egere gratia Dei. Hunc errorem post quadringentos annos suscitauit Pelagius, qui ausus est Deo dicere; Tu fecisti nos homines, nos verò iustos nos facimus. Alter error est eorum hominum, qui gratiæ Dei tantum tribuunt, vt liberum voluntatis nostræ arbitrium auferant, dicentes, non esse liberum arbitrium si gratiæ eget adiutorio, atque subsidio: asserentes insuper, Deum sine nobis nostram iustitiam in nobis operari: ex quo colligūt, sola fide opus esse ad Dei misericordiam obtinendam, & opera non esse necessaria, dicēte Paulo; Arbitramur hominem iustificari per fidem sine operibus legis. Aduersus hūc errorem scripsēre Petrus, & alij Apostoli, appellantes hos hęreticos, depraua-tores epistolarum D. Pauli. Hanc hæresim suscitauit nostra ætate M. Lutherus. Inter hos scopulos doctrina fidei medium tenet: neque enim aufert liberum arbitrium; neque ei tantum defert, vt sine gratia aliquid posse, quod

Extremi errores circa iustificatiō nostrā.

Paulus.

quod ad ſalutem ęternã ſpectet, doceat. Hanc doctrinã tueri ac defendere pro virili in hoc tractatu conabimur. Præterea obſeruandum eſt, quòd Diuus Thomas vniuerſum tractatũ de gratia in quinque diſtribuit partes: in primis de gratiæ neceſsitate ediſſerit; deinde quid ſit gratia demonſtrat; adhæc de gratiæ diuiſione diſputat; proximo loco de cauſa gratiæ pertractat; & tandem de effectibus gratiæ ſermonẽ inſtituit. Hæc pro introductione dixiſſe ſufficiat; nunc ad rẽ ipſam proficiſcamur.

Diſtributio huius vltimæ partis, in qua de gratia diſputat D. Tho.

ARTIC. PRIMVS.

¶Vtrùm homo ſine gratia poſsit cognoſcere aliquod verum? id eſt, vtrùm gratia ſit neceſſaria ad cognoſcendũ quodcumq; verum?

SVMMA TEXTVS.

Prima cõc. ¶PRima Cõcluſio. Ad cognitionem cuiuſcũque veri homo indiget diuino auxilio vt intellectꝰ à Deo moueatur ad ſuum actum. Ratio huius eſt; quoniam Deus eſt primum mouens, & prima cauſa, ſine cuius motione, cauſa ſecunda operari non valet. ¶Secũda Concluſio. In cognitione cuiuſcũque veri homo dependet à Deo dupliciter; tum, qm̃ ab eo accipit facultatem, & formam per quam intelligit; tum verò, quoniam mouetur à Deo ad intelligendum. ¶Tertia Concluſio. Non indiget homo ad cognoſcendam veritatem in omnibus noua illuſtratione ſuperaddita, ſed ſolùm in quibuſdam, quę naturalem excedunt cognitionẽ. Nam vnaquæque forma indita rebus creatis à Deo habet efficaciã reſpectu alicuius actus determinati, in quem poteſt ſecundũ ſuã proprietatem, & vltra quẽ nõ poteſt, niſi per aliquã formã ſuperadditã: ſic ergo intellectus humanus habet aliquam formã, ſcilicet lumen rationis naturalis, quod ex ſe eſt ſufficiens ad cognoſcenda quædã intelligibilia, ad quorum notitiam per ſenſibilia poteſt deuenire. Altiora verò non poteſt cognoſcere, niſi perficiatur fortiori lumine fidei, vel prophetiæ, quod lumẽ gratiæ dicitur, in quantum eſt naturę ex dono Dei ſuperadditum.

Secũda cõ.

Tertia cõc.

EXPLICATIO ARTICVLI.

VT ea quę hîc ab autore dicũtur, meliùs intelligantur, obſeruandũ eſt, quòd veritates, quę poſſunt cognoſci, ſunt in duplici differentia. Quædam ſunt ſupernaturales, illæ ſcilicet, quæ per fidem traduntur, & diuinis oraculis nobis manifeſtãtur; vt Deũ eſſe trinũ & vnũ; Deum eſſe hominẽ. Aliæ ſunt naturales, quæ ſcilicet per lumen naturale cognoſci poſſunt. Atq; hæ rurſus in duo genera diuiduntur: nã quædã illarũ pertinent ad ſpeculatiuam, & theoricã cognitionẽ; quædã verò ad practicam, & ad eam doctrinam quæ de moribus pertractat, & inueſtigat; vt ſunt ea quæ diſputantur de virtutibus, & vitijs. Et quidem de veritatibus, quæ ad cognitionem ſpeculatiuam pertinent, non eſt neceſſe in præſentia diſputare: certum eſt enim atque exploratũ, cp poſſunt cognoſci ſine Dei gratia ſpeciali; & ita quæſtio præſens ſolùm intelligitur de veritatibus naturalibus ad mores pertinẽtibus, atq; etiã de veritatibus ſupernaturalibus ad doctrinam fidei ſpectãtibus. ¶Vt ergo diſputatio certiori methodo diſponatur, quæritur in primis; Vtrùm homo ſine gratia Dei ſpeciali poſsit cognoſcere veritates pertinẽtes ad mores? In qua re eſt opinio Gregorij in. 2. d. 26. q. 1. concl. 1. quòd ſine gratia ſpeciali, & ſuperaddita nõ poteſt homo in ſtatu naturæ lapſæ cognoſcere aliquã veritatem moralem, quę ad vitę rectã inſtitutionẽ aliquid valeat. Idem tenet Capreolus in. 2. d. 28. q. 1. con. 1. & exiſtimat eſſe opinionẽ D. Thomæ in hoc articulo. Argumẽta quibus hæc opinio nititur ſunt huiuſmodi. ¶In primis, homo ex primi parentis peccato, & in illius peccati pœnã contraxit rerũ agendarũ ignorantiã: ergo eget ſpeciali auxilio, quo id, quod fugiendũ eſt, aut verò ſequendũ, cognoſcat. Conſequẽtia euidẽs eſt: antecedẽs probatur ex D. Auguſtino, qui ait; Ad miſeriã iuſtæ dãnationis pertinet ignorantia, & difficultas quam homo patitur ab exordio natiuitatis ſuæ: neque ab iſto malo quiſ-

Quotuplex ſit veritas, quæ à nobis cognoſci poteſt.

An homo ſine gratia poſsit cognoſcere veritates morales.

Grego.

Capre.

Primũ arg.

Augu li. de nat. & gra. c. 7. 3. de libe. arbi ca. 18. & in Enchi. c. 26. & 1. retra. c. 9.

quiſquá niſi per Dei gratiam liberatur. In quo Auguſtinus duo affirmat; & q̃ cótraximus ex peccato primi parentis ignorantiam, & q̃ non poſſumus liberari ab illa niſi per Dei gratiá: & idem expreſſè habet lib. 6. contra Iulianum, vbi ita ait; Ignorantia minuitur veritate lucente; cócupiſcentia corrigitur charitate magis ac magis feruente, & nihil boni horũ duorũ à nobis eſt: &. 2. de Baptiſ. paruul. c. 4. dicit; Nolũt homines facere quod iuſtũ eſt; vel quia latet, vel quia non delectat. Vt autem noſcatur id quod latebat, & ſuaue fiat quod non delectabat, gratia eſt quæ hominis adiuuat volũtatẽ. Idem confirmat Hugo de S. Victore lib. 1. de
S. Thom. ſacram. p. 7. c. 26. imò & D. Thom. ſuprà q. 85. art. 3. docet, hominẽ per peccatũ incurriſſe vulnus ignorantiæ, per quod intellectus fuit ordine naturali, quẽ ad verum cognoſcendũ habe
Secundum bat, deſtitutus. ¶ Deinde, ſancti viri à Deo inſtantiſsimè petũt, vt eos illuminet ad huiuſmodi veritates morales cognoſcendas. Igitur ipſi ex ſe non poſſunt tales veritates cognoſcere; aliôqui fruſtra id petiiſſent, & orâſſent, vt do-
Auguſt. cet D. Auguſtinus in multis locis. Antecedẽs patet ex illo Pſal. 142. Notã fac mihi viã in qua ambulem: & Pſal. 118. Da mihi intellectum, &
Aug. epiſto la. 89. 95. & 107. ſcrutabor legẽ tuam. Hac ratione vtitur ſæpè D. Auguſtinus ad probandã gratiã Dei cõtra Pelagium. ¶ Vltimò, hæc ſententia confirmatur teſtimonio ſanctarum literarum. Nam D.
Vltimum. 2. Cor. 3. Paulus inquit; Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, tãquam ex nobis, ſed ſufficiẽtia noſtra ex Deo eſt: vbi apertè docet, etiã ad bonam cogitationẽ habẽdam neceſſariam
Rom. 8. eſſe Dei gratiã: & iterũ; Spiritus adiuuat infirmitatem noſtrã; nam quid oremus, neſcimus.
Sapien. 9. & Salomon orat iſto modo, dicens, Da mihi ſedium tuarũ aſsiſtricẽ ſapientiam: & ſtatim, Mitte illam de cœlis ſanctis tuis, & à ſede magnitudinis tuæ, vt mecum ſit, & mecum laboret, vt ſciam quid acceptũ ſit apud te. Fatetur igitur Salomon, hominem ſine ſapiẽtia cognoſcere non poſſe quid acceptum ſit Deo; & ex conſequenti, neque illud quod in moribus ſu giendum, proſequendumve ſit.

Contraria ſententia vera. D. Tho. ¶ Contrariam ſentẽtiam tenent vniuerſi ferè Theologi in. 2. d. 28. & abſque dubio ita ſenſit D. Thomas: dicit emẽ expreſſè hoc in loco, hominẽ nõ indigere noua illuſtratione gratiæ ad veritates naturales cognoſcẽdas: & cùm oſtenderet Deũ cõcurrere cũ omni creatura ad propriũ actũ; quia Deus eſt primũ mouẽs; poſteà cõcludit, hominẽ nõ egere lumine ſuperaddito ad cognoſcẽdũ omne verũ: nam lumẽ naturale ſufficiẽs eſt ad aliqua vera cognoſcenda. Ex quo planè colligitur, hominem ex proprijs viribus, abſq; dono gratiæ ſuperaddito, poſſe veritates naturales cognoſcere; aliôqui lumẽ naturale nõ eſſet ſufficiẽs. Omnis enim forma naturalis ad illud tantùm ſufficiens dicitur, ad quod nõ eſt opus auxilio gratię ſpeciali; vt forma ignis nõ diceretur ſufficiẽs ad generandũ ignẽ, ſi ad talẽ actionem indigeret auxilio gratiæ ſuperaddito. ¶ Sed vt iſta clariora reddantur, obſeruãdum eſt, aliud eſſe cognoſcere vniuerſa quæ ad virtutes morales pertinẽt, q̃d ſcilicet in quauis re nobis ꝓpoſita, & oblata proſequẽdũ, & fugiẽdũ ſit: aliud verò cognoſcere vnã, aut alterã veritatẽ moralẽ. Deinde eſt cõſiderãdũ, in huiuſmodi veritatibus moralibus duplicẽ poſſe haberi cognitionẽ; quarum vna imperfecta eſt, multis admixta dubitationib', quæ ſanè ſufficiẽs nõ eſt ad impellendã efficaciter voluntatẽ erga ea quę honeſta ſunt, neq; ad eandẽ efficaciter ab inhoneſto auertendã. Altera perfecta eſt, & cõſtans, nullã admittens dubitationẽ, atq; adeò certa, & firma, certò & firmiter de honeſto, & turpi iudicans. Quibus ita cõſtitutis, ſit prima cõcluſio. ¶ Homo pro ſtatu naturæ lapſæ poteſt viribus proprijs cognoſcere aliquas veritates morales, & interdũ iudicare quid ſequendũ ſit, quid verò fugiendũ. Probatur: quia ſi oppoſitũ aſſeratur, humanum videlicet intellectũ nullã poſſe huiuſmodi cognoſcere veritatẽ ex peccato primi parẽtis, procul dubio dicẽdũ eſt, etiã intellectũ nõ infirmitatem ex tali cõtraxiſſe peccato, ſed penitus extinctum remãſiſſe: quod quàm ſit abſurdũ, notiſsimũ eſt. Conſequẽtia patet: nam qui ægrotãt, quãuis laborent ægritudine, ſi aliquid vitæ ſupereſt, poſſunt certè nõnulla operari. Id ipſum confirmatur. Nã homo proprijs innixus viribus abſque ſpeciali aliquo adiutorio poteſt veritates ſpeculatiuas cognoſcere, vt ipſimet qui cõtrà ſentiũt, cõcedunt; & Paulus teſtatur dicẽs; Inuiſibilia enim ipſius à creatura mundi intellecta conſpiciuntur, &c. Nam quod notũ eſt Dei, manifeſtũ eſt in illis; id eſt, quod de Deo ratione naturali poteſt cognoſci, manifeſtũ fuit in illis: Deus enim illis reuelauit, nẽpe per rationis lumẽ, de quo ſcriptum eſt; Signatũ eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine: ergo etiã per eandẽ ingenij vim, & facultatẽ, poterit homo aliquas veritates practicas cognoſcere. Probatur cõſequẽtia: nã practicæ veritates non minùs ſunt perſpicuæ, & claræ, quàm ſpeculatiuæ, vt illæ ſunt; Quod tibi non vis, alteri ne feceris; Bonũ eſt ſequẽdũ, malum autẽ fugiendũ: quod ſanè non obſcurè Paulus aſtruit dicens; Gentes quæ legem nõ habẽt, naturaliter ea quæ legis ſunt faciunt: oſtendunt enim opus legis ſcriptũ in cordibus ſuis. Deinde, vnaquęq; res per ſuã formam abſq; aliquo alio ſpeciali Dei auxilio poteſt actum produ-

Diſtinctio notanda.

Prima cõc.

Rom. 1.

Rom. 2.

cere

ducere suæ naturæ proportionatum: gladius namque absque peculiari Dei auxilio scindit, & absque illo ignis comburit: ergo eadem ratione homo per lumen rationis poterit veritates sibi proportionatas agnoscere absque alio auxilio superaddito; nisi hominem alijs cunctis rebus infeliciorem constituere volumus. Præterea, homo suapte natura est animal rationale: ergo ex proprijs viribus habet cognitionem sufficientem, qua possit vitam secundùm rationem instituere; sicuti bruta sufficiẽti cognitione prædita sunt vt secundũ sensum viuant. Ad hæc, generale auxilium, & commune quo Deus cum omnibus rebus ad proprias concurrit operationes, haud quaquàm peculiaris gratia, & speciale donum nuncupari debet; quoniam debetur ex pacto rerũ naturis: debetur autẽ naturæ humanæ iam productæ, vt Deus concurrat cum ea ad intelligendum, & volendum, sicuti ad videndum concurrit: ergo non eget speciali auxilio ad veritates cognoscendas. Tandem, homo viribus proprijs absq; alio speciali auxilio iudicare potest eleemosynam esse dandam quando non oportet: ergo eisdem adiutus viribus iudicare poterit, eleemosynam esse dandam quando oportet. Consequentia ex eo nota est: quoniam intellectus noster pronior est ad verum, quàm ad falsum. Antecedens probatur: nam aliôqui Deus auxilio suo speciali concurreret ad iudiciũ practicum falsum; quod asserendũ non est. Hanc veritatem ostẽdit Cicero varijs rationibus in lib. Academ. quæst. ¶ Secunda conclusio. Homo in statu naturæ lapsæ non potest viribus proprijs, sine gratia, & Dei illustratione peculiari, habere certam cognitionem, atque iudicium de eo quod est faciendum, & fugiẽdum in omni re ad veritates morales pertinẽte. Probatur ex illo; Cogitationes mortaliũ timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ: corpus enim quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitãtem. Vbi manifestè Sapiens affirmat, nostra iudicia incerta esse, & fluctuantia, & cum falsitate permixta: & huius incertitudinis causam assignat commercium quod habet animus cũ corpore, & ipsius sensualitatis violentiam, & rebellionem. Ex quibus educitur optimum argumentum. Nam cupiditates corporeæ, & affectus violenti perturbant rationis iudiciũ, vt docet Aristoteles in Ethicis: nam qualis quisq; est, talis finis videtur ei: sed homo post primi parentis peccatum effectus est pronus & procliuis ad omnia mala, & oppugnatur affectibus violẽtissimis: igitur impossibile est vt possit iudicare in omni euentu verè, & syncerè, atque constanter, & sine errore. Quod etiam confirmatur: Nam in hoc distinguitur homo sanus ab ægro; quòd sanus potest per seipsum integrè, & perfectè munus suũ exercere; æger verò id aliqua ex parte potest, non tamen integrè, & perfectè: sed officium, atque opus humani intellectus integrum & perfectum est, in vnaquaque re proposita videre sine errore quid sit bonum, & quid malum; & ex alia parte intellectus noster pro statu isto est valde æger: ergo suis viribus non potest integrè, & perfectè hoc munus suũ exequi: eget ergo ad id integrè, & perfectè obtinendum peculiari quadam Dei illustratione, & particulari auxilio. Hanc sanè intellectus ægritudinem proposuit Sapiens, Cunctæ res, inquit, difficiles; non potest eas homo explicare sermone, non satiatur oculus visu, neque auris auditu impletur. Certè si potentiæ istæ nequaquã saturari possunt, multò minus poterit intellectus, cui istæ potentię deseruiunt, satiari. Eadem veritas ita probatur. Nam non est homo qui nõ peccet, vt diuina tradit scriptura; quod etiam verum esse circa bonum naturale morale, infrà demõstrabimus: ergo non est homo qui non erret: errant enim omnes qui operantur malum. Experientia id quod dicimus docet. Philosophi namque illi, qui viribus proprijs innixi, vnam aut alteram veritatem cognouerunt, in quàm plurimos errores lapsi sunt. Sola anima Christi hanc fuit dignitatem adepta, quòd omnes cognouit veritates naturales, vt expresse docet D. Thomas. 3. p. q. 12. art. 1. ¶ Ex his argumentorũ solutiones liquidò constare possent. Claritatis tamẽ gratia ad primũ, quod ex D. Augustini, & ex D. Thomæ autoritate desumptum fuit; quoniam asserũt ambo, ex primi parentis peccato in pœnam illius cõtractam fuisse ignorantiam rerum agẽdarum; Respondetur, eos loqui iuxta secundę cõclus. sensum; quòd videlicet non potest homo viribus proprijs, sine gratia, & speciali auxilio, habere certam cognitionem, atque iudicium de eo quod faciendum est, vel fugiendum in omni euentu ad veritates morales pertinente: nihilominus homo in statu naturæ lapsæ potest aliquod verum absque auxilio speciali cognoscere, vt planè testatur D. Augustinus. Vel dicendum est, eos loqui de intellectu practico, qui sedes est prudentiæ. Virtus namque prudentiæ supponit in appetitu omnes virtutes morales; quoniam veritas huius prudẽtiæ est, conformiter se habere ad rectum appetitum. Quia ergo per peccatum primorum parẽtum appetitus factus est rebellis, ideò intellectus accepit in se vulnus ignorantiæ; non quidem in cognoscendo, sed in exequendo, & imperando. Respondetur tertiò, hominem per pec

Secũda cõ.
Sapien. 9.
Aristo.
S. Tho. 1. Ad 2. Ecclesi. 1. Ad argumenta. Ad primũ. August. Aug. lib. 1. retract. c. 4

catum incurrisse hoc vulnus in vtroque intellectu, tam speculatiuo, quàm practico. Intellectus enim speculatiuus in statu iustitiæ originalis, aut naturæ integræ, habuit infallibilem ordinem ad verum, sic adeò quòd errare non poterat: in statu verò naturæ corruptæ sæpenumero errare potest. ¶ Ad secundum argumentum dicendum est, esse donum singulare, quòd Deus suo speciali auxilio hominem adiuuet ad cognoscendas veritates naturales, vt certiùs, & expeditiùs, & absque erroris cõsortio homo veritatem cognoscat. Quapropter D. Thomas. 1. p. q. 1. art. 1. & 1. contra gent. c. 4. ostendit, fuisse necessarium, vt aliqua, quæ ratione naturali possunt cognosci, nobis proponerentur per fidem catholicam credenda, & diuinis reuelationibus nobis innotescerent, vt videlicet certiùs, & expeditiùs, & sine errorum admixtione breuius veritatem cognoscere remus. Deinde dicendum est, quòd nos etiam à Deo bona naturalia petimus, vt panem, pluuiam, valetudinem, &c. & his acceptis gratias Domino referimus, vt confiteamur, Deũ omnium bonorum esse autorem, & fontẽ. ¶ Ad tertium argumentum respõdetur, sanctas scripturas tantùm definire, hominem ex facultate naturæ nihil posse eorum respectu, quæ ad vitam æternam per Christum Dominum nobis promissam pertinent. Commentarius iste Cõcilij Mileuitani est, Arausicani, & Tridentini. Non itaque definiũt scripturæ sanctæ, nos ex facultate naturæ viribus proprijs non posse aliquid verum cognoscere, sed non posse verũ, modo exposito, cognoscere. Illud etiam est obseruandum, in sacro eloquio illam cogitationem in pretio haberi, & tanquam aliquid reputari, quæ nos in beatitudinem ducit; quæ verò ad hunc finem non conducit, quantumuis acuta, tanquam nihilum æstimatur. Hac loquendi formula vsus est D. Paulus; Si habuero, inquit, prophetiã, & nouero mysteria omnia, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Vnde veritatis cognitio, quæ ad beatitudinem non conducit, nihil iuxta hanc loquẽdi phrasim appellari potest. ¶ Circa eandem D. Thomæ rationem, qua in hoc articulo vtitur, est alia quæstio; An lumen naturale nostri intellectus possit inclinare ad falsum? Et quidem videtur pars affirmans vera. Nam in sacro Trinitatis mysterio, dialectica ars, & syllogistica labefactatur, cùm tamẽ lumini naturali innitatur. Iste enim syllogismus expositorius ad falsum inducit nos: Hęc essentia diuina est pater: hæc essentia diuina est filius: ergo filius est pater. ¶ Deinde, in eodem mysterio illud commune principiũ lumine naturali notum: De eodem idem affirmari, & negari est impossibile; falsum comprobatur, cùm eadem penitus diuina essentia sit pater, & non pater.

Ad secũdũ.

S. Tho.

Ad vltimũ.

Conci. Mileui. can. 4. &. 5. Arausi. c. 6. &. 7. Tride. sess. 6. c. 1. 2. & 3

1. Cor. 13.

An lumen intellectus possit ad falsum inclinare.

Primũ arg.

Secundum

¶ Præterea, primum principium naturali lumine cognitum docet, Deum non posse facere id quod contradictionem implicat: hoc autẽ principium falsum est: ergo lumẽ naturale ad falsum inclinat. Minor probatur: nam id dicitur implicare, & inuoluere contradictionem, quod intellectui bene disposito repugnat: at multa facit Deus quæ repugnant intellectui benè disposito, si intra rationis humanæ limites cõtineatur; vt quòd Deus sit homo: quòd sit mortuus: ergo illud principium falsum est: omnis siquidem philosophorum schola vnico consensu assereret, tales propositiones rationi rectę esse contrarias. Nihilominus tamẽ, vt rem ipsam planè intelligamus, sit prima conclusio. ¶ Lumẽ naturale intellectus nostri nõ potest ad falsum inclinare. Quæ cõclusio probatur varijs rationibus. Principiò: Tale lumen est à Deo immediatè: ergo non potest inclinare ad falsum; aliòqui Deus ipse ad falsum induceret. Deinde, si ignis, ex eo quòd ascendit, peccaret, idemque lapis, cùm descendit, efficeret; tale peccatum proculdubiò in autorem naturæ referendum esset. Si ergo lumen naturale intellectus nostri ad falsum inclinaret, hæc rationis peruersitas in Deum autorem naturæ referenda esset. Ad hæc, Deus nõ potest infundere intellectui nostro habitum inclinantem ad falsum: ergo neq; producere poterit lumen naturale quod ad falsum inclinet. Consequentia est euidens: antecedẽs probatur: quoniam hac de causa Theologi conuincunt, fidei non posse subesse falsum; quoniam est à prima veritate menti nostræ infusa, quæ fallere nequit. Tandem, Deus ipse per lumen naturale loquitur nobis, vt patet ex illo; Deus enim illis manifestauit: & statim subdit; Inuisibilia enim ipsius à creatura mundi intellecta conspiciuntur. Si ergo hoc lumen nos falleret, Deus nos falleret, & ita mentiretur. ¶ Sed posset aliquis obijcere; Si lumẽ naturale est immediatè à veritate prima, vt in rationibus pro conclusione adductis dictum est: ergo erit tam infallibile, & certum, sicut lumen fidei. Ea enim de causa lumen fidei infallibile dicitur, quoniam tale lumen est immediatè à veritate prima, quę fallere non potest, sicut neque falli. Respõdetur, negandam esse consequentiam propter diuersam in vtroque lumine rationem. De lumine etenim naturæ non ita certò nobis constat, cùm multi arbitrentur, se ex illo conclusiones elicere, qui tamen sæpè falluntur: at de lumine fidei certissimè nobis constat; quippe cùm habeamus exteriorem regulam infallibilẽ, Ecclesiam scilicet, quæ est columna, & firmamentũ veritatis,

Tertium.

Prima cõc.

Lumen naturale intellect' ad falsum inclinare nequit.

Obiectio.

Rom. 1.

Solutio.

veritatis, per quam certi de diuino lumine reddimur. Deinde, alia de causa neganda est consequentia: quamuis enim vtrūq; lumen infallibile sit, & certissimū, est tamen magis infallibile & certum lumen fidei, lumine naturalis rationis; quoniam, vt constat, vna veritas maior est, & certior altera. Postremò dici potest, non esse omnino certū in homine nullam esse naturalem inclinationem ad malum, & ad mendaciū, cùm multi talem in homine asserant inclinationē, vt suprà ostensum est: cæterū de lumine diuinitus infuso certissimū est, illud ad mēdacium, aut ad falsum inclinare non posse. Ex quo cōpertum est apud Theologos, fidei diuinæ falsum nulla ratione subesse posse. ¶ Secunda conclusio. Acumē humani ingenij, si sit fide, & timore Dei destitutum, sæpè est vanum, imò & pernicioſum. Hoc clarissimè docent sacræ literæ, in quibus dicitur; Vani sunt sensus hominum, in quibus non subest scientia Dei: &, Euanuerunt in cogitationibus suis, & dicētes se esse sapientes, stulti facti sunt. Quòd verò pernicioſum sit, docet apertè D. Augustinus super Psal. 31. Quid valet, inquit, si quis nauem gubernare sciat, & non in portū, sed in saxa festinat? Quid valet virtus equi si fræno nō regatur, nisi ad præcipitiū? ¶ Ad argumēta initio posita satisfaciendū est. Ad primū respōdetur, neq; in mysterio sacræ Trinitatis, neq; in alijs nostræ religionis arcanis labefactari artē syllogizādi, aut Dialecticā. In illo nāque expositorio syllogismo, vel mediū nō est plenè, & omnibus modis singulare, vel variatur appellatio. Simile vitium cōmittitur in hoc syllogismo, qui expositorius videtur; Hic motus est actio: hic motus est passio: ergo actio est passio. ¶ Ad secūdum negandū est illud cōmune principiū falsum esse: fortè nāq; propositio negans falsa est, quæ si cōcedatur, dicēdū est, nullum esse incōueniens, duo contradictoria de eadē re simul affirmari, & negari, respectu diuersarū personarū. Sicuti de eodē Christo dicitur, eum esse immortalē, atq; mortalē; respectu tamē diuersarū naturarū, quas in seipso habet. Illud nāq; principiū primū tantùm dicit, nō posse affirmationē, & negationē simul de eodē respectu eiusdē efferri. ¶ Ad tertiū respōdetur, fortè id solùm implicare cōtradictionē, quo posito, duo inferuntur contradictoria, vt planè docet D. Thomas. 1. p. q. 25. arti. 3. 4. & 5. Insuper dicendū est, id, iuxta aliquorū Doctorū sententiā, implicare cōtradictionem, quod intellectui benè dispositio repugnat; attamē intellectus qui bene dispositus est, & institutus, tanquàm certū habet, & exploratū, Deū posse plura facere quàm ratio humana possit cōprehēdere. ¶ Sequitur iam aliud dubiū, cuius explicatio apprimè necessaria est literæ D. Tho. intelligēdæ; Vtrùm scilicet homo sine speciali Dei auxilio possit veritatibꝰ supernaturalibus, aut doctrinæ fidei assentiri? Et quidē nō reuocamus in quæstionē, vtrùm per vires nostras, & per lumē naturale possimus mysteria fidei assequi: certum est enim, ea nō posse cognosci nisi Deo reuelāte, & edocēte; sed quod quærimus est, Vtrùm supposita Dei reuelatione possimus ei viribus proprijs assentiri, absq; eo q̄ voluntas nostra, & intellectus aliquo speciali auxilio gratiæ illustrentur? Quòd autē possimus talibus veritatibus assentiri sine speciali auxilio Dei, videtur esse verū varijs argumentis. ¶ Per vires namq; nostras naturales possumus assentiri rebus falsis, atq; rebus fidei contrarijs: ergo multò magis per easdē vires poterimus rebus fidei assentiri. Antecedens vel experiētia docēte certū est: cōsequētia autē probatur: quia intellectus noster pronior est ad assentiēdum his quæ vera sunt, quàm his quæ sunt falsa. ¶ Deinde; per vires nostras possumus assentiri cuicūq; rei cui inest aliqua similitudo, & species veri, & quæ probabili testimonio cōfirmatur, & ratione apparēti conuincitur; sicuti rebus à fide dignis traditis assensum præbemus. Sed in fidei veritatibus quàm plurima inueniūtur quæ tales veritates probabiles reddūt: poterit igitur illis intellectus assentiri viribus proprijs solummodò adiutus. ¶ Tertiò, facillimum est ea credere, de quibus euidenter cōstat taliā esse credibilia: sed tales sunt res fidei: nā euidēs est eas esse credibiles, vt docet D. Thomas. 2. 2. q. 1. artic. 4. ad. 2. & 3. ergo possumus illis fidē adhibere ex proprijs viribus. ¶ Confirmatur deinde; quoniā ratio naturalis docet euidenter mysteria religionis nostrę esse credibilia: ergo etiā docet esse possibilia. Nam id quod est impossibile, incredibile est. Rursus, si ostendit esse possibilia; ergo ostēdit ea esse vera; quia in ęternis nō differūt, esse, & posse: nō ergo egemus lumine supernaturali vt eas cognoscamus. ¶ Hoc ipsum cōfirmatur. Nam hæc cōsequētia optima est. Hoc est euidēter impossibile: ergo hoc est euidēter incredibile: ergo optimè etiā ex oppositō cōsequētis ad oppositum antecedentis infertur; hoc est euidēter credibile: ergo hoc est euidēter possibile. Mysteria autē fidei nostræ esse credibilia, dudū autoritate D. Thomæ cōprobatū est. ¶ Deinde, naturalis ratio ostēdit mysteria nostrę religionis nō esse impossibilia, vt docet D. Thomas. 1. p. q. 32. arti. 1. & loco citato ex. 2. 2. ergo demōstrat euidenter esse possibilia. Sed in his quæ cōpetūt Deo ad intra, ea quæ possunt inesse, necessariò insunt (si nāq; Deus potest esse trinus & vnus, necessariò est

Secūda cō.
Sapien. 13.
Roma. 1.
Auguſt.
Ad argumenta.
Ad primū.
Ad secūdū.
Ad tertiū.
S. Thom.
Vtrùm homo sine speciali auxilio possit doctrinæ fidei assentiri.
Primū arg.
Secundum
Tertium.
Quartum.
Quintum.
Sextum.
S. Thom.

trinus & vnus;aliôqui Deus mutationi obnoxius eſſet) ergo demonſtrat eſſe vera euidenter. Non igitur egemus auxilio ſupernaturali

Septimum vt illis aſſentiamur.¶Inſuper,miracula à Chriſto Dño effecta euidenter oſtendunt illũ eſſe Deũ: ergo demonſtrant etiã euidẽter illũ non poſſe mentiri:at ille dixit, Deũ eſſe trinum & vnũ: ergo euidẽter etiã demonſtrabũt hoc eſſe verũ:non igitur neceſſaria eſt peculiaris illuſtratio,vt huic, & ſimilibus veritatibus aſſentiamur. Quòd autẽ miracula à Chriſto Domino perpetrata euidẽter oſtendãt illũ eſſe Deũ

D. Tho. docet conſtãtiſsime D.Thomas.3.p.q.47.art. 5.&.2.2.q.5.art.2.& de veritate.q.14.arti.9.ad quartũ.Ad hæc,dæmones,& dãnati, conuicti credũt, ſic adeò vt diſſentiri nõ poſsint articulis fidei;& hoc ſine lumine infuſo habẽt: ergo eadem ratione & nos idẽ poterimus præſtare,

Octauum. etiã ſi lumine deſuper infuſo careamus.¶Præterea, veritas fidei noſtræ tandẽ in autoritatẽ reſoluitur humanam: ergo fide humana poſſumus ei aſſentiri.Conſequẽtia nota eſt: antecedẽs probatur: quia ſi chriſtianus aliquis rogetur,quare credat Deũ eſſe trinũ & vnũ?reſpõdebit ſtatim,ſe ideò credere, quia habet teſtimonium Dei in ſe. Quòd ſi eum roges, Vnde ſcis te habere teſtimoniũ Dei in te poti' quàm Lutherus hæreticus? Reſpondebit proculdubio, quia hoc mihi proponit Eccleſia credendũ,quæ eſt colũna,& firmamentum veritatis. Quòd ſi tãdẽ interroges;Vnde ſibi ſit exploratũ hanc eſſe verã Chriſti Eccleſiã? Certè vel ei recurrendũ eſt ad teſtimoniũ Dei internũ,vel ad autoritatẽ maiorũ, quæ fide humana tenetur.¶Poſtremò, infidelis,fide noſtra cognita,

Vltimum. iudicare poteſt illã eſſe verã;imò poteſt credere,& velle baptizari,cũ obice tñ volũtatis prauæ,ita videlicet,vt in baptiſmo gratiã nõ recipiat; quia voluntatẽ habet perſiſtẽdi in aliquo actuali peccato. Huiuſmodi homo aſſentitur omni doctrinæ fidei,& nõ ex fide infuſa;quia illi in baptiſmo neq; eſt infuſa fides, neq; gratia.Igitur aſſentitur per vires ſuas.Quod argumẽtum in hæreticis etiã firmũ apparet; qui ex viribus proprijs, omni ſupernaturali auxilio deſtituti,maximæ parti fidei chriſtianæ aſſentiũtur.Cõtrariũ tñ ſuadẽt illæ ſententiæ inſignes;Nõ ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis; & nemo poteſt dicere, Dñs Ieſus, niſi in Spiritu ſancto.¶In huius quęſtionis expoſi

Durand. tionẽ variæ ſunt Doctorũ ſentẽtiæ.Nã Durandus in.2.d.28.q.1.cenſet, nos proprijs viribus poſſe aſſentiri doctrinæ fidei: nõ quidẽ aſſen-

Scotus. ſu euidẽti,ſed opinatiuo. Scotus in.3.d.23.q.1. aſſerit,hominem poſſe aſſentiri vniuerſæ fidei catholicæ,& prædicationi chriſtianæ per fidẽ

Caieta. humanã.Caietanus varius videtur:nam. 1.2.q. 109.art.4.aſſerere videtur,ſuppoſita diuina reuelatione poſſe hominẽ credere,omnem fidei doctrinã eſſe veram,ſine aliquo peculiari auxilio diuinæ gratiæ.Sed tamẽ.2.2.q.6.art.1.tandem cõuictus teſtimonio D.Thomæ, & veritate ipſa,tenet,aſſentiri rebus fidei ſecũdũ ſcripturas, & ſenſum Eccleſiæ eſſe actũ eleuãtem hominẽ ſupra naturã ſuã;& ex conſequẽti eſſe ſupernaturalẽ,qui nõ poteſt haberi ſine ſpecia-

D.Tho. li Dei auxilio.Cæterũ D.Tho. perpetuò hanc tuetur ſentẽtiam,vt in hac q.patet. &.2.2.q.6. arti.1.cuius opinionẽ communiter omnes Doctores ſequuntur.de qua re videndus eſt M.Soto.2.de nat.& grat.c.8.& Vega lib.de iuſtific. q.9. Vt tamẽ eam exponamus,obſeruãdũ eſt, apud omnes ſanctos veritates fidei cognoſci nõ poſſe,niſi Deo illas tradẽte,& reuelãte:qm̃ nihil eſt in principijs naturæ ex quo deduci poſsit aliquod argumẽtũ firmũ ad huiuſmodi res indagãdas. Quapropter ſi gratiã vocamus hãc externã Dei reuelationẽ,vel certè internã, certũ eſt neminem poſſe cognoſcere res fidei ſine gratia. Vnde & Pelagius dicebat, gratiam Dei neceſſariã eſſe ad credẽdum, quæ ſcilicet proponeret, & aperiret quidnã credẽdũ eſſet, vt ex Conc.Mileuit.cõſtat. Illud etiã eſt obſer-

Cõc. Mileu. uãdũ,credere res fidei eſſe actũ liberũ, & volũtariũ:quoniã rebus fidei nõ aſſentimur niſi volentes, & piè affecti erga illas; ita vt in noſtra facultate,& voluntate poſitũ ſit illis diſſentire quotieſcunq; libuerit. Quò fit, vt ad credẽdũ vtraq; potẽtia cõcurrat,intellectus,ſcilicet, & volũtas: ſed diuerſimodè,& ex vtriuſque optima diſpoſitione pendeat actus fidei. Quarè

Duplex quæſtionis ſenſus. cùm quæritur;vtrùm ad credendũ rebus fidei ſit neceſſariũ auxiliũ gratię,duplicẽ ſenſum admittit quæſtio. Primus eſt; vtrùm ad credẽdũ ſit neceſſariũ auxiliũ gratiæ ex parte voluntatis,ad hoc,ſcilicet, vt volũtas piè afficiatur erga res fidei.Secundus ſenſus eſt;vtrùm ad cre-

Prima cõc. Abſq; gratia veritates fidei cognoſcere nemo valet Aug lib.de gra Chriſti cõtra Pel. c.5 1. lib.1. cõtra duas epiſt. Pela. ca.3.&.19. li 4.c.6.li. de præ.ſan. per multa ca. & li. de gratia, & liber.arb.ca. 7.&.14. Phil.1. dendũ ſit neceſſariũ ſpeciale auxiliũ,vt intellectus rebus fidei poſsit aſſentiri. Vtrũq; autem ſenſum cõplectimur in hac quæſtione.Ad cuius reſolutionẽ ſit prima concluſio.¶Credere vniuerſam Chriſti fidẽ, atq; doctrinã aſſenſu chriſtiano,id eſt,aſſenſu certo,& ob eam cauſam,quia veritas prima dicit,nemo poteſt ſine ſpeciali auxilio gratię Dei:& cõtrariũ aſſerere, Pelagianũ eſt,& impiũ.Dixi,aſſenſu certo, & indubitato;quia aſſenſu opinatiuo,id eſt,cum dubitatione permixto alteri' partis, bene poſſumus aſſentiri ſine gratia Dei ſpeciali, ſicuti in hæreticis accidere videmus. Hãc concluſionẽ affirmat D.Aug. multis in locis ſuæ doctrinæ cõtra Pelagiũ:& probatur apertis ſanctarũ literarum teſtimonijs:Dicit enim Paulus; Vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolùm vt in

eum

eum credatis, sed etiã vt pro illo patiamini: vbi manifestè vtrũq; asserit esse donũ Dei, & pati
1.Cor.7. pro Christo, & in eum credere: & iterũ; Misericordiã cõsequutus sum, vt fidelis essem: quẽ
Aug.lib.de gratia & libe.arb. locũ pertractãs D. Augustinus ait, Ex hoc modo colligo, quòd nõ possum⁹ habere ipsam fidẽ, nisi Deo miserãte: & ad Rom. 12. Vnicuiq;
Rom. 12. diuisit Deus mẽsurã fidei. Igitur fides ex Deo
1.Cor.12. est. & 1. Cor. 12. Paulus ponit fidẽ inter dona
Ephes. 2. Spiritus sancti, & ad Ephes. 2. Gratia estis saluati per fidẽ, & hoc nõ ex vobis: Dei eñ donũ
Ioan.6. est: & Ioan. 6. est apertũ testimoniũ, vbi Christus ita dicit, Nemo potest venire ad me nisi pater qui misit me, traxerit eum. Sed venire ad Christũ, est credere in illo, & illius doctrinæ fidẽ habere, vt cõstat ex eodem capite, vbi Christus dicit, Omnis qui audit à Patre, & didicit, venit ad me: & paulò inferiùs, Sunt (inquit) quidã ex vobis qui nõ credũt, propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me,
Ioan. 12. &c. Deinde Ioan. 12. dicitur; Cùm autẽ tanta signa fecisset, nõ credebãt in eum: & huius rei causam reddens, subdit; Propterea nõ poterãt credere, quia iterũ dixit Esaias; Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua. Ex quo testimonio tale cõficitur argumẽtũ. Illi homines, cùm Christus prædicabat Euangeliũ, credere nõ poterãt; quia excæcabãtur à Deo: sed Deũ excæcare (omnibus Doctoribus consentienti bus) nihil aliud est, quàm nõ illuminare: igitur sine interiori, & speciali illuminatione credere nõ possumus res fidei, neq; illis firmũ assensum præbere. Hæc veritas diffinita est in Con
Concil. Trid. Sess. de iustificatione can. 3. cilio Tridẽtino vbi dicitur, neminẽ posse sine inspiratione Spiritus sancti credere, diligere, aut sperare, sicut oportet, vt illi iustificationis
Cõc. Arau. ca. 25. gratia cõferatur: & in Cõcilio Arausicano ita dicitur; Si quis initiũ fidei, & ipsum credulitatis affectũ nõ per inspirationẽ Spiritus sancti, sed naturaliter nobis inesse dicit, Apostolicis
Phil. 1. dogmatibus cõtrarius probatur; dicẽte Paulo; Vobis donatũ est, non solùm vt in eum credatis, sed etiã vt pro eo patiamini. & canone. 6. idẽ diffinitur, & can. 7. dicitur, Si quis dixerit, per naturæ vigorẽ bonũ aliquod, quod ad vitã æternã pertineat, eligere vt expedit, aut cogitare, aut prædicato Euangelio consentire se posse affirmat sine illuminatione Spiritus sancti, hæretico fallitur spiritu, nõ intelligẽs vocẽ
Cõc. Mile. can. 4. Dñi, Sine me nihil potestis facere. & in Conc. Mileuit. diffinitur cõtra Pelagium, vtrũq; esse donũ Dei, & scire quid facere debeamus, & di
Aug.lib.de fide ad Petrum.c.32. & in.1.can. Ioan. c.3. ligere vt faciamus. His similia docet D Augu. dicens, Firmissimè tene, & nullatenus dubites, posse quidẽ hominem verba Euãgelij legere, aut audire, sed diuinis præceptis obedire neminẽ posse, nisi quẽ De⁹ sua gratia prẽuenerit, vt quod corpore audiuit, fide percipiat. Neq; enim qui plãtat est aliquid, neq; qui rigat, sed qui incremẽtũ dat Deus. ¶ Secunda cõclusio. Hæc peculiaris gratia, quæ requiritur ad christianè credẽdũ modo in priori cõclusione exposito, necessaria est tam ex parte volũtatis, vt voluntas piè afficiatur erga res fidei, quàm ex parte intellectus, vt eleueẽ ad assensum eorũ quæ captũ, & naturã nostrã superãt. Huius cõclusionis prior pars, qua dicitur, gratiã necessariã esse ex parte volũtatis, probatur: qa pia affectio volũtatis, & volitio efficax ad credendũ, quæ necessaria est ad fidẽ, est actus supernaturalis: ergo haberi nõ potest à nobis sine auxilio speciali gratię. Idẽ cõfirmatur ex illo Acto. 16. de Lydia, quæ credidit, & baptizata est; de qua ibidẽ dicitur. Et aperuit Dñs cor mulieris cuiusdã. Et de illis qui nõ credũt, dicit Ioã. 14. Indurauit Dñs cor illorũ. In sanctis autem literis, cordis nomine, volũtas, & affect⁹ designatur. Necessariũ igitur est ad credẽdũ, vt voluntas, & affectus noster Dei gratia piè afficiatur, & emolliatur. Quod sanè videtur apertè diffinitũ in Conc. Arausicano can. 5. vbi dicitur: Si quis sicut augmentũ, ita ipsum initiũ fidei, sci licet ipsum credulitatis affectũ, quo in Deum creditur, nõ per gratię donũ, id est, per inspirationẽ Spiritus sancti corrigẽdo volũtatem nostrã ab infidelitate ad fidẽ haberi dixerit, Apostolicis dogmatibus cõtrarius esse probatur. & can. 7. Si quis per naturę vigorẽ bonũ aliquod quod ad salutẽ vitę æternę pertineat, posse haberi dicat, absq; illuminatione, & inspiratione Spiritus sancti, qui dat omnibus suauitatem in cõsentiẽdo, & credẽdo veritati, hęretico fallitur spiritu. Quod autẽ ex parte intellectus sit necessariũ auxiliũ gratiæ ad credẽdũ res fidei, probatur primò ex can. supra citato in hac cõclusione, vbi Cõciliũ vtrũq; dixit esse necessariũ ad credẽdũ, scilicet, illuminationẽ, & inspirationẽ Spiritus sancti; ex quibus inspiratio ad volũtatẽ pertinet, illuminatio autẽ ad intellectũ. Deinde idẽ probatur ex illo; Omnis qui audiuit à patre, & didicit, venit ad me. Ex quo testimonio tale elici potest argumẽtũ. Non veniũt ad Christum, id est, nõ credũt in Christo, nisi qui audiũt, & discũt à patre: sed audire, & discere, ad intellectũ pertinet: necessarium est igitur vt pater illustret intellectũ eorũ qui credituri sunt: quapropter dixit Christus Petro; Beatus es Simõ Bar Iona: quia caro, & sanguis nõ reuelauit tibi, sed pater meus, &c. Reuelare autẽ nihil est aliud quàm intellectũ illuminare: necessaria est ergo illustratio diuina ex parte intellectus ad credendũ. quod non obscurè designatur Ioan. 12. vbi de illis, qui nõ credide runt, duæ assignantur rationes: quarum prima

Secũda cõ. Gratia ex parte volũtatis etiam exigitur.

Acto. 16.

Ioan. 14.

Cõc. Arau.

Gratiæ auxilium ex parte intellectus necessarium ostenditur.

Ioan. 6.

Matt. 16.

Ioan. 12.

est,quia habebant oculos excęcatos;id est,intellectũ non illustratũ,neq; illuminatũ:Altera verò,quia habebãt cor induratũ,id est,volũtatem nequaquã piè affectã diuinis inspirationibus.Vt ergo illi possent credere, nõ solùm indigebant auxilio ex parte volũtatis, sed etiam ex parte intellectus.Neq; ad id probãdũ deest ratio. Nã supra naturã & facultatẽ intellectus nostri est,assentiri rebus, quarũ causas assequi nequaquã valemus,& quarũ rationes inuenire nullatenus possumus: tales autẽ sunt res fidei: nõ igitur illis assentiri possumus,nisi intellect⁹ noster Dei gratia, & peculiari auxilio illustretur.Sed tñ antequã ad argumẽtorũ solutiones veniamus, libet nonnulla obseruare, quibus pleniorẽ huius quæstionis habeam⁹ resolutionẽ.Primũ est,sacra Concilia definire, gratiam Dei esse necessariã omninò,non vt firmiùs, & faciliùs credam⁹, sed vt simpliciter credamus. Nõ enim dicit Dñs,Sine me difficile poteritis aliquid efficere;sed simpliciter ait,Sine me nihil potestis facere. Alterũ est,hãc Dñi sentẽtiã à quibusdã recẽtioribus Theologis exponi de generali Dei auxilio: cæterũ catholicus sensus est,si de auxilio Dei speciali interpretetur, ita enim adducta interpretãtur Concilia. Postremò est obseruãdũ,quãquã prædicatio, & reuelatio Euãgelij donũ singulare sit, ad credendũ tamẽ necessariã esse gratiã copiosiorẽ multò, subministrationẽ scilicet spiritus,& luminis interioris. Quod verũ esse,satis est manifestũ ex testimonijs sanctarũ scripturarũ, & Cõciliorũ adductis. Certè Pelagius hãc Dei gratiã agnoscebat,q̃ Deus nobis Euangeliũ suũ reuelauerit;at q̃ reuelato, & prædicato Euangelio nos credamus,in liberũ referebat arbitriũ, aiebatq̃ ad hoc nequaquã esse necessariũ Dei adiutoriũ,aut lumẽ desuper infusum:cuius errorẽ satis iam cõfutatus, & explosus est. ¶Reliquũ est iam argumẽtis satisfacere. Ad primũ dicendum est, intellectũ nostrũ propẽsiorẽ quidẽ esse ad assentiendũ veris quàm falsis, si tamen sermo sit de veritatibus naturalibus.Nam si loquamur de veritatibus supernaturalibus,quæ proportionatæ nõ sunt intellectui nostro, nõ ita se res habet; quia veritates illæ ex genere suo excedũt facultatẽ intellectus nostri, & ex consequẽti ex sua natura ineptior est ad assensum illis præbẽdũ.¶Ad secundũ eadẽ ratione respõdetur:si nãq; res supernaturales sunt, & intellectui nostro improportionatæ, quales sunt res fidei, etiã si habeãt aliquã verisimilitudinẽ,& specie,nõ potest intellectus, viribus tãtùm proprijs adiutus,illis assentiri, propter improportionẽ ipsarũ rerũ; quæ quidẽ ad assensum ita necessaria est,sicuti veri species, aut similitudo. Vel dicẽdũ est,intellectum assentiri quidẽ posse rebus omnibus, in quibus aliquã veri speciẽ cõtẽplatur, assensu tñ imperfecto, & opinatiuo; cæterùm assensu certo & cõstãti nõ potest credere viribus proprijs.¶Simili ratione ad tertium respõdere possumus: quãuis ẽm articulos fidei, ex eò q̃ credibiles esse euidẽter cognoscimus, credere possimus per vires nostras aliquali assensu, & imperfecto; quia tñ nostri intellectus aciẽ subterfugiũt, & ei sunt improportionati, non possunt à nobis absque Dei speciali adiutorio credi ea ratione qua oportet, & eo modo quo in conclusionibus positis traditũ est. ¶Ad quartũ argumẽtũ negãda est cõsequẽtia:multa ẽm sunt credibilia,quæ re ipsa impossibilia sunt:nã vtraq; opinio, quæ de distinctione quãtitatis à substãtia circunfertur,probabilis est, cùm tñ vna earũ à parte rei impossibilis sit.Insuper, tã pars aiens, quàm negãs, quæ in illa traduntur quæstione; An Deus sua potentia possit materiã sine forma cõseruare;probabilis est,& credibilis,& tamẽ si rẽ ipsam spectemus,earũ vna impossibilis est. Qua de causa optimè dixit Aristoteles in Topicis,multa falsa esse probabiliora veris: cuius phrasim sequẽtes dicere etiã possumus, multa impossibilia,probabiliora possibilibus iudicari. ¶Ad quintũ argumẽtũ aliquibus respõdere placet cõcedendo priorẽ cõsequẽtiã, videlicet;hoc est mihi euidẽter impossibile: ergo hoc est mihi euidenter incredibile: secũdã tñ negãt;hoc est mihi euidẽter credibile:ergo est mihi euidẽter possibile:quia hæc(inquiũt) argumẽtatio nõ procedit ex oppositõ cõtradictorio cõsequẽtis,sicut fit in hac;est homo:ergo est animal:nõ est animal:ergo non est homo.Ratio est,qm̃ hæ duæ propositiones; hoc est mihi euidenter incredibile; & hoc est mihi euidẽter credibile;nõ opponũtur, cùm ambæ sint aientes. Attamẽ hæc solutio non eneruat vim argumẽti: quãuis enim in argumẽtatione proposita nõ procedamus ex oppositõ consequẽtis,argumẽtamur tñ ex oppositõ prędicati consequentis,quæ forma exacta est, & firma. Quemadmodũ ẽm rectè sequitur; est homo; ergo est animal;rectè etiã infertur:est non animal: ergo est nõ homo:in qua sanè argumentatione tãtùm argumẽtamur ex oppositõ prędicati cõsequẽtis. Quapropter aliter respondẽtur, negãdo secũdã cõsequẽtiã optimã esse; & id quidẽ optima ratione:variatur enim appellatio,neq; seruatur eadẽ argumẽtãdi forma,ratione illius aduerbij, euidẽter. Quando enim dico;hoc est mihi euidenter impossibile; ergo est mihi euidẽter incredibile; numerantur,& tradũtur in antecedẽte omnes causæ, aut saltẽ præcipuæ, ob quas aliquid est incredibile. Si enim res mihi est euidenter impossibilis, nulla

Gratia Dei necessaria ad simpliciter credendum.

Ad argumẽta.

Ad primũ.

Ad secũdũ.

Ad tertiũ.

Ad quartũ.

Ad quintũ.

Notanda solutio.

ratione

ratione adduci potero vt eam tãquã credibilẽ apud me habeã. Cæterũ cũ ex oppoſito conſequẽtis ita dicimus, hoc eſt euidenter credibile mihi; ergo eſt mihi euidẽter poſsibile; in antecedẽte nõ numerãtur, neq; adducũtur omnes cauſę cõſequẽtis, quare ſcilicet aliquid ſit poſſibile; nõ em̃ cauſa poſsibilitatis eſt credulitas, quin potiùs ex poſsibilitate oritur, & efficitur res credibilis, & in antecedẽte credulitas ſola ponitur poſsibilitatis cauſa. Quamobrẽ cùm in priori argumentatione ita argumentamur; hoc eſt euidẽter mihi impoſsibile: ergo eſt euidẽter mihi incredibile; videmur argumẽtari à cõiũcta ad ſuã partẽ: quippe cùm omne quod eſt mihi euidẽter impoſsibile, eſt mihi euidenter incredibile; nõ tamen è diuerſo, quidquid euidẽter mihi eſt incredibile, eſt etiã mihi euidẽter impoſsibile: multa enim ſunt ad quę credenda nullis argumẽtis adduci potero, quæ tamen nõ ſunt mihi euidẽter impoſsibilia. Atta men cum ita dicimus; hoc eſt mihi euidenter credibile: ergo eſt mihi euidẽter poſsibile; potiùs argumẽtari videmur à parte ad cõiunctã: qm̃ quædã pars poſsibilitatis, & minima quidem, eſt ipſa credulitas; & omne quod euidenter eſt mihi poſsibile, eſt mihi euidenter credibile, nõ tñ omne quod eſt euidenter mihi credibile, eſt mihi euidẽter poſsibile. Simile vitiũ cõmittitur in hac argumentatione: quãuis em̃ rectè ſequatur; hoc eſt euidẽter nõ intelligibile; ergo hoc eſt euidẽter incredibile; nõ tamen rectè infertur; hoc eſt euidẽter credibile; ergo hoc eſt euidenter intelligibile: myſteria enim fidei ſunt euidenter credibilia, & non ſunt euidenter intelligibilia. ¶ Sed vt omnia quæ circa hoc argumẽtum dici poterant, percurramus, annotare oportet, illã priorem conſequentiã; hoc eſt mihi euidenter impoſsibile, ergo hoc eſt mihi euidenter incredibile; poſſe alicui ineptam videri: quoniã procedit ab eo quod minus latè patet, ad id quod latiùs patet; vel (vt dialectici dicunt) procedit ab amplo ad magis amplum; qui modus procedendi ineptus eſt: latiùs ſiquidẽ patet incredibile, quàm impoſsibile; quippè cùm incredibile, ex eo quod eſt terminus intra animã, extẽdat ſignificatũ ſuũ ad id quod eſt, fuit, erit, poteſt eſſe, & poteſt imaginari: at impoſsibile cũ ſit terminus extra animã, tantùm extendit ſignificationem ſuam ad id quod nec fuit, nec erit, neque eſt, nec poteſt eſſe; nõ autẽ ad id quod imaginari poteſt, cùm impoſsibilia imaginationi & cogitationi noſtræ ſubdãtur. Attamẽ re vera argumẽtum hoc nihil probat. Quomodo enim mihi credibile erit, quod impoſsibile eſſe video? poſſum certè credibile reſpectu aliorũ iudicare, quod mihi euidens eſt eſſe impoſsibile; quod autem mihi credibile fiat, qui eius impoſsibilitatem intueor, qua ratione fieri poterit? Optima ergo eſt cõſequẽtia, neque in eo proceditur ab amplo ad magis amplũ. Nam quãuis incredibile, & impoſsibile, ſi per ſe ſumantur, ita ſe habeant, vt incredibile latiùs pateat quàm impoſsibile; ratione tamen illius particulæ, euidẽter, quæ in argumento additur, optima eſt cõſequentia: quoniam in antecedẽte, cum dico; hoc eſt mihi euidenter impoſsibile; numero omnes cauſas propter quas nulla ratione res mihi credibilis fieri poteſt. Atq; hæc pro quinti argumẽti ſolutione dicta ſint. ¶ Ad ſextũ dicendum eſt, rationem naturalẽ euidẽter oſtendere, myſteriã fidei non habere euidentẽ impoſsibilitatem: ſi namque euidẽter eſſent impoſsibilia, nulla ratione credibilia eſſe poſſent. Hæc ſolutio vt intelligatur, obſeruandum eſt, ſuppoſita fide in cordibus noſtris rationẽ humanam demonſtrare proprietates, quæ inde ſubſequuntur, nequaquam euidenter impoſsibiles eſſe: ſicuti ſuppoſitis centris & epicyclis, atque etiam preſuppoſita terrę mobilitate, ita ſcilicet, vt terra circulariter circa cœlum moueatur, Aſtrologus demonſtrat, planetarum effectus, & influxus optimè ſe habere, atque optimè ordinatèque procedere: de qua ſolutione videndus eſt D. Tho. 1. p. quæſt. 32. art. 1. ¶ Ad ſeptimum reſpondetur, miracula à Chriſto Domino effecta, euidentia ſigna diuinitatis extitiſſe, his quidem qui miracula cognoſcebant, & modum quo illa fiebant; quæ ſanè ſine fide infuſa cognoſci nequaquam poterãt. Vel dicendum eſt, euidentiam in atteſtãte nõ eſſe fidei aduerſam, imò compatitur eam ſecum. quã rem copioſè tractat Caietanus. 2. 2. quæſt. 5. artic. 1. Eſt autem euidentia in atteſtãte, quando veritates reſoluimus in autoritatem dicentis, quãdo talis autoritas eſt euidẽs, & infallibilis. Euidentia autem rei vocatur, cũ res ex proprijs principijs, ſiue à priori, ſiue à poſteriori cognoſcimus. De dæmonibus autem dicendum eſt, eos inuitos quidem, atque ſignorum multitudine cõuictos credere: ideo enim de eis dicitur; Dæmones credunt, & contremiſcunt: ſicuti nos autoritate aſſerentium credimus, Romam eſſe, quam nunquam vidimus. Sed tamen hæc dæmonum fides vera non eſt; quippè qui eam non reſoluunt in veritatem primam, ſed in ſignorum magnitudinem, & multitudinem. ¶ Ad id verò quod de fidei reſolutione obijciebatur, commodè reſpondere non poſſumus, quoadуſque Domino concedente ad quæſtionem primam. 2. 2. perueniamus. ¶ Ad vltimũ reſpõdetur, tali homini in baptiſmo fidem informẽ infundi. Eſt autẽ fides informis

Acuta obiectio.

Solutio.

Ad ſextũ.

Ad ſeptimũ.

Euidẽtia in atteſtante ſecum compatitur fidem.

Dęmonum credulitas.

Dęmonũ fides non eſt vera.

Ad octauũ.

Ad vltimũ.

Fides potest infundi sine charitate.

formis ea, quę charitate, & gratia destituta est. Sicut enim manere potest, imo re vera manet in peccatoribus fides sine charitate & gratia: ita etiã absque eis aliquãdo infundi poterit in principio: ita docet M. Soto libro. 2. de nat. & gratia. c. 8. & est D. Thomæ sententia. 2. 2. q. 6. art. 2. ad. 3. Quare si talis homo credit, per fidẽ infusam credit. Vel dicendũ est, talẽ hominẽ, licèt in baptismo nec fidẽ, nec gratiã suscipiat, si credit articulis fidei assensu quodam certo, & firmo, adiuuari auxilio peculiari ante baptismum, & in baptismo, & post baptismum, & quotiescũque credit modo exposito. Atq; hactenus de isto articulo.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ Vtrùm homo possit velle, & operari bonum absque gratia?

SVMMA TEXTVS.

Distinctio D. Tho.

DIuus Thomas supposita distinctione huic respondet quæstioni nõnullis assertionibus. Distinctio ita habet. Natura humana potest bifariã cõsiderari. Primùm quidem in statu naturæ integræ: qua ratione in primo parente fuit absque peccato. Deinde, in statu corruptionis, & disipationis; quo modo in nobis inuenitur. Et quidem tam in statu naturæ integræ, quã in statu naturæ corruptæ homo indiget diuino auxilio ad faciẽdum, vel volendũ quodcunq; bonũ: diuino, inquã, auxilio generali quo eget tãquam mouẽte primo. Sed tamen discrimen est; q̃ in statu naturæ integræ poterat homo velle, & operari bonum suæ naturæ proportionatũ, quale est bonũ virtutis acquisitæ, & hoc quidem per sua naturalia: quãuis nõ posset velle, & operari bonũ, suã excedẽs facultatẽ, & naturã; quale est virtutis infusæ, nisi speciali quodã Dei auxilio. Attamen in naturæ corruptæ statu non solùm homo nõ potest per sua naturalia velle & operari bonũ, suã excedens naturam, sed nec vniuersum bonũ sibi proportionatum adimplere põt. Quia verò natura humana per peccatũ omnino corrupta nõ est, ac proinde neq; toto naturæ bono priuat, potest homo viribus suis aliquod peculiare bonũ peragere; vt ędificare domos, plãtare vineas: sicuti infirmus, quia nõ totaliter vita priuatus est, sed sanitate vitę, etsi non possit omnẽ motũ exercere quẽ sanus habet, potest tamen aliquẽ. Homo igitur in statu naturę integræ tantùm egebat virtute superaddita virtuti suæ naturali ad operandum & volendũ bonũ supernaturale; sed in statu naturæ corruptæ etiã est necessaria talis virtus superaddita, vt ipsa natura sanetur, quò possit omne bonum sibi proportionatum velle, & operari.

EXPLICATIO ARTICVLI.

NON est necesse edisseri à nobis in præsentia, quid intelligat D. Tho. per hominẽ cõstitutũ in natura lapsa; quid verò per hominẽ constitutũ in statu naturæ integræ: siquidẽ in prologo huius materiæ hoc satis prolixè explicatũ dedimus. Vt verò in explicatione huius articuli ob oculos habeatur, quid sit status naturæ lapsæ, quid verò naturæ integræ, libet definitiones huius rei hoc in loco rursus apponere. Igitur per naturã integram nõ intelligimus hominẽ in puris naturalibus cõstitutũ, sed hominẽ cõstitutum in statu cõsono rationi naturali, id est, hominẽ in quo pars sensitiua est subdita rationi, & ipsa ratio est benè affecta in ordine ad Deũ, vt est finis naturalis. Porrò in hoc statu cõstituitur homo per vigorem rationis, qui vigor nõ est iustitia originalis, sed est vnus effectus ab illa dimanãs. Nã iustitia originalis habuit plures effectus: conferebat nãq; rectitudinem perfectam, tum in ordine ad supernaturalia, tum verò in ordine ad naturalia. Itaque quãquã donũ iustitiæ originalis habuerit officia duo;

Quid natura lapsa, quid etiam natura integra.

cia duo; & rectificare hominẽ in ordine ad finem ſupernaturalẽ; & ſanare naturã humanã in ordine ad finẽ naturalẽ; in hac diſputatione ſecernimus primũ officiũ, & munus, & cõtemplamur hominem atq; ſi eſſet ſolùm conſtitutus cum dono ſanante naturã ad finẽ ſuæ naturæ proportionatũ, & conſentaneũ. Hoc autem donũ quãuis nõ procedat à principijs naturalibus, cõputatur tamẽ inter bona naturæ: quia nõ cõfert homini aliquod bonũ ſupernaturale, neq; eleuat naturã humanã ad finẽ aliquem ſupernaturalẽ. Sed de hoc copioſiùs in allegato loco ſcriptũ eſt. Per ſtatum naturæ lapſæ intelligimus eũ ſtatũ, in quo homo nõ ſolùm caret iuſtitia originali, & vigore illo naturæ, & illis donis quibus abundabat in ſtatu innocẽtiæ, ſed etiã ſecundũ corpus, & animã manet vulneratus, & auerſus à Deo, & à bonis diuinis; ita vt abhorreat illa per volũtatẽ, & intellectũ, ignorantia & tenebris plenũ. ¶ Igitur de homine ſic cõſiderato, quærimus; Vtrùm ſine gratia ſpeciali poſsit facere aliquid boni operis? Quæſtio ſane grauiſsima eſt, ac difficilis propter argumẽta quæ in vtrãq; partẽ adduci poſſunt. Partẽ enim negãtẽ cõfirmare videtur innumera argumẽta, quæ vt faciliùs intelligantur, ac memoria retineri poſsint, in quatuor ordines, ac prædicamẽta diſtribui poterũt: ita, vt primũ ex ſanctis ſcripturis ea quæ hãc videtur partẽ probare, afferamus. Deinde ſacrorũ Cõciliorum decreta; ad hęc ſanctorũ, & Doctorũ dicta; poſtremò & vltimò rationes quæ præcipuè hãc partẽ difficilẽ atque obſcurã reddunt, adducẽtur. ¶ In ſanctis quidem ſcripturis pars negans expreſſa videtur. Nam dicit Dñs; Sine me nihil poteſtis facere: & Paulus; Quid habes quod non accepiſti? & infrà; Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt: & iterũ; Deus eſt qui operatur in nobis velle & perficere pro bona volũtate: Igitur ſi nihil ſine Deo facere poſſumus, ipſa bona voluntas, & operatio bona, imò & cogitatio eſt à Deo. ¶ In hãc partẽ videtur inclinare Concilia & Summorũ Pontificũ decreta, quæ ſecũdũ ordinẽ inter argumẽta obtinent. In Concilio ſiquidẽ Arauſi cano, can. 9. ita definitũ eſt; Quoties bona agimus, Deus in nobis & nobiſcum operatur vt operemur: & can. 20. eſt illa inſignis ſententia; Multa bona fiunt in homine, quæ nõ facit homo: nulla verò bona facit homo, quæ nõ facit Deus vt faciat homo; vbi adducitur illud; Sine me nihil poteſtis facere: &, Non eſt volentis, neq; currẽtis, ſed Dei miſerentis: quã ſententiã etiã habet Celeſtinus Papa in epiſt. ad Epiſcopos Galliæ. c. 7. 8. vbi dicit, neminẽ bene vti libero arbitrio, niſi per Chriſtũ. Præparatur, inquit, volũtas à Dño vt boni aliquid agat paternis inſpirationibus, vt ſingulis bonis motibus volũtatis humanæ magis illius valeat auxilio: &. c. 9. inquit; Deus in ipſo libero arbitrio operatur, vt ſancta cogitatio, piũ cõſiliũ, omniſq; motus bonæ volũtatis ex Deo ſit, quia per illum aliquod bonum poſſumus, ſine quo nihil poſſumus. Eãdẽ ſententiã habet Sozimus in alia epiſtola. Idẽ videtur ſentire Conc. Mileuitan. can. 4. ¶ Tertiũ prædicamẽtũ cõtinet argumẽta deſumpta ex ſanctorũ & Doctorũ autoritatibus. Nã D. Auguſt. ait, neminẽ ſibi ſufficere ad incipiẽdum, vel perficiẽdũ quodlibet opus bonũ; ſed ſufficiẽtia noſtra ex Deo eſt: & iterũ; Liberũ arbitriũ admalũ ſufficit, ad bonum, parũ, niſi adiuuetur ab omnipotẽti Deo: & alibi dicit, liberũ arbitriũ captiuatũ non valere, niſi ad peccãdũ: & rurſus; Nõ poteſt homo aliquid velle, niſi ab eo adiuuetur, qui malũ non poteſt velle: hoc eſt, gratia Dei per Ieſum Chriſtũ Saluatorẽ noſtrũ: itẽ inquit; Liberum arbitriũ hominis ſine gratia nõ valet niſi ad peccãdum: & alio loco; Liberũ arbitriũ pronum ad nequitiã lapſum fuit, & cũ ad virtutis indolẽ, ſine Dei auxilio, nihil poſsit, ad omne peccati genus ſubſiſtit idonea præditũ virtute. D. etiã Hieronymus idem videtur expreſſe dicere: ita aſſerit Roffenſis in art. 36. cõtra Lutherum: & docet, hanc eſſe Patrũ ſententiã, vt homo ſine auxilio ſpeciali non poſsit boni quicquã effice re. Idẽ tenet Arimin. in. 2. d. 26. 27. 28. Capreolus in. 2. d. 28. q. 1. con. 2. Quin potius D. Tho. cum dixit, hominẽ viribus ſuis aliquid poſſe, nõ auſus eſt ponere exẽpla, niſi in rebus indifferẽtibus: ſicut plãtare vineã, colere agros, &c. ¶ Superſunt etiã rationes quibus idipſum confirmẽt, quæ in quarto ordine reponendę ſunt; quæ ferè omnes ex Auguſtino acceptæ ſunt: earũ prima talis eſt. Error eſt dicere gratiam Dei nõ eſſe ad ſingulos actus neceſſariã, vt autor eſt Aug. Nõ ergo poſſumus aliquẽ actũ bonũ ſine auxilio Dei ſpeciali efficere. ¶ Deinde, error eſt aſſerere, nos poſſe tẽtationẽ vincere abſq; Dei gratia ſpeciali, vt aſſerit Augu. Vrgẽte ergo tẽtatione nõ poſſumus in bono perſiſtere ſine gratia Dei ſpeciali, quod ſanè in quotidiana petitione, cũ dicimus. Et ne nos inducas in tẽtationẽ, deſignamus. ¶ Tertiò, ſi Deus in nobis ſine auxilio ſpeciali operatur opera bona moralia virtutis acquiſitæ, ſequitur Deũ eodem auxilio cõcurrere in operibus bonis & malis: quod ſanè maximũ eſt incõueniẽs. Probatur conſequentia. Nam Deus etiam concurrit ad opera vitioſa auxilio generali & communi. Argumentũ hoc eſt D. Auguſtini quo ipſe vtitur ad probandam gratiã Dei ſpecialẽ. ¶ Prætereà, fideles ſæpe petimus à Deo adiuuari

Vtrùm homo ſine gratia poſſit aliquod bonũ operari.

Arg. ex ſcriptura. Ioan. 15. 1. Corin. 4.

2. Corin. 3.

Arg. ex cõcil.

Cõc. Arau.

Celeſtinus.

Sozimus.

Cõc. Mile.

Arg. ex ſanctorum autorit.

Aug. lib. de prædeſt. ſanct. ca. 1.

Lib. de correctione, & gratia.

Lib. 3. contra duas epiſt. Pelagi. ad Bonifa. ca. 8. ibidẽ lib. 1. c. 3. & lib. 2. ca. 7.

Lib. de ſpiritu & lite. ca. 4.

Lib. de prædeſti. ſanct. cap. 3.

D. Hieron. 3. dialo. cõtra Pelagi.

Roffenſis.

Greg. & Capreo.

D. Tho.

Prima ratio.

Epiſtola ad Paulinum.

Secunda ratio.

Aug. ibidẽ

Tertia ratio.

Aug. 1. lib. contra Pelag. c. 17.

Quarta ratio.

uari in bonis operibus exequendis; ergo non possumus bona opera efficere sine auxilio Dei speciali. Auxilium enim illud generale non petimus, cùm sit quodammodo cuicúque creaturæ debitum: sicuti ea de causa non petimus, vt ignis comburat, aut quòd sol illuminet hûc nostrum hemisphærium. Argumẽtum est etiã D. Augustini. ¶ Quintò, in philosophis, & in alijs qui natura duce viuebant, veræ virtutes esse nequaquam poterãt, vt demonstat Diuus Augustinus: ergo per facultatem naturæ non potest bonũ virtutis acquisitæ perfici; alioqui illi veras virtutes habere possent. ¶ Ad hæc, ad opus moraliter bonum requiritur, vt tale opus referatur in vltimum finem; iuxta illud, Omnia in gloriam Dei facite: quod ostendit Diuus Augustinus ex illo ad Roma. 14. Omne quod non est ex fide, peccatum est: quod ita interpretatur, quod non fit propter Deũ, tanquam propter vltimum finem; peccatum est. Et ratio idem confirmat: Nam opus, cui deest circunstantia vltimi finis, malum est: sed infideles, & qui Deum non cognoscunt, non referunt opera sua in vltimũ finem, qui est Deus: omnia ergo opera infideliũ peccata sunt. Cõfirmatur hoc ipsum. Nam Paganus iure naturę tenetur omnia opera sua referre in Deum iure dominij, & creationis; sed non refert: ergo in omni opere suo peccat. Quod etiã ex eo probatur. Nam qui talis est, habet idolũ pro Deo, in quem se, & sua retulit: ergo omnia opera illius praua erunt, cùm circunstantia pessimi finis vestiantur. ¶ Ad hæc (vt quidam optimi Theologi censent) omne opus bonum existẽtis in gratia est meritorium æternæ vitæ; quoniam relatum est in finem supernaturalẽ actu, vel habitu: at eadẽ ratione omne opus idololatræ relatum est in suum idolum, habitu, vel virtute: ergo omne opus illius malum est. Et cõfirmatur idem. Nam iste infidelis vel refert omnia sua in idolum, vel non refert: Si refert, manifestum est opus eius esse malum: Si non refert, etiam erit opus malum; quia conscientia erronea obligat, & conscientia erronea dictat huic infideli, idolum esse vltimum finẽ suum, in quem teneatur omnia referre: ergo si non refert, cum operetur contra conscientiã, opus malum perpetrabit. ¶ His annectitur aliud argumẽtum. Nam si homo posset per vires suas sine Dei gratia operari bonum moraliter, posset etiam ex viribus suis se disponere ad gratiam, & ad eam se præparare infallibiliter consequendã. Quod falsum esse, ex eo patet: quia si ita esset, initiũ salutis nostræ esset ex nobis, & non ex Deo. Consequentia probatur. Nam operãti bonum moraliter, & dictamẽ rationis sequenti, Deus infallibiliter confert gratiam.

Aug. epist. 107. & lib. de gratia & lib. arbi. ca. 13.

Quinta ratio.

Augu. 5. de ciui. ca. 12. &. 15.

Sexta ratio

Aug lib. 4. cõtra Iulia. c. 2. &. 3.

Confir.

Septima ratio.

Confir.

Octaua ratio.

¶ Tandem, non possumus adimplere diuina præcepta sine speciali auxilio gratię Dei: igitur neque possumus sine ea operari bonũ moraliter. Consequentia probatur: quia opus omne moraliter bonum, vel est adimpletio alicuius præcepti, vel est opus cõsilij: & opera consilij difficiliora sunt operibus præceptorũ. Antecedens probatur ex Concilio Mileuitano, & ex Celestino Papa, definientibus, ad quodcũque peccatũ vitandũ necessariũ esse adiutoriũ, & auxiliũ gratiæ Dei. ¶ Contrariã sentẽtiã tenet Magister Sententiarũ in. 2. d. 26. & D. Thom. in hoc articulo. Idẽ asserit D. Bonauẽtura. 2. d. 26. q. vlt. & Scotus ibidẽ. & Gabriel ead. d. q. 1. Hos sequũtur omnes ferè alij Doctores scholastici, vt M. Soto lib. 1. de natu. & gratia. c. 20. Vega lib. de iustific. q. 14. & Decan. Louaniẽs. lib. 1. art. 7. Vt ergo debito ordine ꝓcedamus, sit prima conclusio. ¶ Homo sine auxilio speciali, tantùm suis viribus adiutus, potest bonũ aliquod morale operari, sed rarò, & difficulter. Probatur: quia si ita nõ esset, nequaquam vulnerata fuisset per peccatũ humana natura, sed penitus extincta; quãdoquidẽ non posset aliquẽ conatũ ad bonũ habere. Quod quidẽ ita cõfirmatur. Nam operari bonũ moraliter, id est, secundũ rectã rationẽ naturalem, nullo apposito fine supernaturali, est opus proportionatũ viribus humanis. Igitur cùm vires humanæ naturæ nõ sint penitꝰ per peccatũ extinctę, necessum est dicere hominẽ posse aliquod bonũ morale operari. Deinde, infidelis potest ex naturali cõpassione, & nõ propter aliũ finẽ dare eleemosynam indigenti: at talis actus est moraliter bonus: potest igitur homo per vires suas operari aliquod opus moraliter bonum. Maior nota est, & conceditur à Gregorio. Minor probatur. Nam si ille actus non est bonus, maximè quia nõ refertur in Deũ: hoc autẽ nõ obstat: nã actus honesti ex se, & ex sua natura cẽsentur relati in Deũ, nisi in malũ finẽ positiuè ab operãte referãtur. Cuius ratio est; Nam actus bonus, nisi ex malo fine vitietur ab operãte, naturalẽ ordinẽ habet ad rectã rationem cũ qua cõsonat; & recta ratio naturalẽ ordinẽ & concẽtũ cũ diuina ratione, cuius nostra hęc ratio participatio quædã est. Quare ea opera quæ cõsona sunt rectæ rationi, etiã si ab agẽte ad altiorẽ finẽ nõ referãtur, cõsonãt etiã conseqũter cũ diuina ratione, & habẽt ordinem ad illã. Præterea, homo per naturæ facultatem potest intelligere parẽtes esse honorãdos, & debitũ restituẽdũ; poterit ergo hæc aliquando operi mandare: cognitio enim practica ad operandũ suapte natura destinatur. Hoc ipsum ex eo probatur; quoniã homo natura sua est animal rationale, id est, aptum natũ vt secũdũ rationẽ

Vltima ratio.

Cõcil. Mile. c. 24. Celestin. c. 10.

Mag. sent. D. Tho. Bonauent. Scotus. Gabriel. Soto. Vega. Decanus Louanienſ.

Prima con.

Probatur conclusio.

vitam

vitam instituat: ergo in aliquo opere potest viuere secũdum rationem. Certè cùm omnis creatura per suę naturę facultatem possit actũ eidem proportionatum elicere, per eandẽ facultatem homo poterit opera suæ naturæ conuenientia opere complere; qualia sunt, honorare parentes, egenis subuenire, &c. nisi velimus humanam naturam cæteris infeliciorem statuere, & eam asserere potius dæmonis figmentum, quàm opus manuum Dei. Ad hæc, homo iure naturali tenetur operari secũdum rationem: ergo facultate naturæ poterit hoc præstare: quoniam ridiculũ esset si natura ad aliquid obligaret, ad quod sufficientia principia non concederet. Item, homo ex facultate naturæ potest operari bonum honestum mala intentione, & malo fine: ergo poterit idipsum bona intentione, & bono fine operari. Si namque homo potest ambulare mala intẽtione: ergo poterit etiã ambulare valetudinis gratia: & si potest comedere cùm nocet, poterit etiam cùm prodest idem præstare. Certè qui huiusmodi negaret consequentias, stultus & insipiens videretur, & esset.

Secũda cõ. ¶ Secunda conclusio hæc sententia est quã habet D. Thomas hîc. Namque dicit, hominem per facultatem naturę posse aliquod opus bonum perficere; & articulo sequenti docet, hominem per facultatem naturæ posse adimplere mandata quantum ad substantiam operis: & in alio articulo asserit, hominem, quamuis per naturæ facultatem non possit opera vitæ æternæ meritoria operari, posse tamen ea operari quæ ad hanc vitam conducunt. Idem asserit. 1. p. q. 23. in introductione materiæ de prędestinatione, &. 2. 2. q. 137. ar. 4. in corp. & ad. 3.

D. Tho.

Tertia cõc. ¶ Tertia conclusio hæc sententia est quã D. Augustinus amplectitur: dicit enim, hominẽ per facultatem naturæ posse plantare vineas, ædificare domum, diligere amicos, &c. & exponens illam sententiam Pauli; Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt; dicit, gentes habere aliqua opera, quę non solùm vituperare non possumus, sed quæ etiam meritò laudamus: & rursus, Non adeò, inquit, imago Dei est peccatis attrita, quin etiam in impietate vitæ possint homines facere aliqua legis opera, de quibus fortè dictum est; Habent opus Dei scriptum in cordibus suis: & addit, in impijs esse quædam bona opera, sine quibus difficilè vita hominis, etiã nequissimi, transigitur.

Aug. lib. 3. hypogno. Lib. de spiritu & lite. c. 27. & 28.

Quarta cõ. ¶ Quarta conclusio. Hæc sentẽtia conformis est sanctis scripturis. Nam dicit Paulus, philosophos esse inexcusabiles; quoniam cùm Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerũt, aut gratias egerũt. Vbi Paulus eos ex eo condemnat, quoniã per facultatem naturæ Deum non glorificauerũt, sicuti per eandem facultatem illum cognouerunt: &. c. 2. Gentes quæ legem nõ habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt: id est, natura duce: & Christus Dominus ait, Si diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nam & Ethnici hoc faciunt. & iterum, Si saluta ueritis fratres vestros tantùm, quam mercedem habebitis? In qua sententia Dominus sapienter distinguit inter opera bona moralia, & supernaturalia: his consentit Paulus, cũ ait; Si Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum. In qua sanè sententia nequaquam condemnat Paulus iustitiã nostrorum operum per facultatem naturæ cõparatam, sed tantùm dicit esse imperfectã. Ex his omnibus liquidò colligitur, nõ omne opus hominis peccatoris esse malum: quod definitum est in Concilio Tridentino, & probatum est iam alibi. Neque hinc colligitur, sentẽtiam Gregorij hæreticam esse, aut coincidere cum errore Lutheri. Quod vt intelligatur, obseruãdum est, Lutherum inter alia hoc asseruisse impium, omnia opera quæ fiũt ab homine dum est in peccato, etiam illa per quę se ad gratiam disponere nititur, esse peccata, & mereri odiũ Dei: atque adeò dicit, ipsam contritionem, & dolorem peccatorum reddere hominem magis peccatorẽ, vt videre est apud Roffensem art. 6. contra Luth. Dicebat secundò ad idem confirmandum, hominem carere libero arbitrio; & proinde omnia ex necessitate euenire, vt liquet ex eodem Roffensi arti. 36. Ad hunc errorem confirmandum assumpsit sibi Lutherus tanquam certam & exploratam Augustini sententiam, quam absque dubio Gregorius sequitur, nimirum, hominem ex se nõ posse bonum operari, & liberum arbitrium ex se tantũ ad peccatum valere. Ex quibus omnibus Lutherus inferebat, liberum arbitrium nihil esse, sed tantùm rem de solo titulo. Sed tamen Lutherus in vtroque deceptus est. Primò, in eo quòd negauit liberum arbitrium: deinde, quia existimauit id sequi ex ea sententia quam habet Gregorius, quam ipse existimauit fuisse Diui Augustini. Nam quamuis verum esset, hominem pro suis viribus non posse aliquod bonum operari: nihilominus esset adhuc liberum arbitrium, quo potest bona operari cum gratia Dei, quæ illi semper pręsto est, dum modò velit ipsa vti, & potest illam acceptare & refutare: quod quidem satis est ad arbitrij libertatem retinendam. Ex his ergo tribus quæ dixit Lutherus, peccatorem scilicet non posse bonũ operari, & nõ esse arbitrij libertatẽ, & tã dẽ liberũ arbitriũ sine gratia nõ valere, nisi ad peccãdũ, duo priora cõdẽnata sunt à Cõcilio; tertium

Rom. 1.

Paulus.

Cõcil. Trid. Sess. 6. can. 7.

Sententia Gregorij non est hæretica.

Lutheri impia sententia.

Roffensis.

Inutilis Lutheri collectio.

tertium autem, quoniam habebat viros catholicos qui nulla ratione Lutheri erroribus conſentiebant, nequaquam tanquam erroneum condemnatum eſt. Quod ita eſſe patet
Conci. Tri. ex cano. 5. & 7. Seſſ. 6. in quibus tantùm definitur, libertas arbitrij, & non omnia opera peccatoris, quibus ſe diſponit ad gratiam, eſſe peccata. Verba conc. ita habent: Si quis dixerit, omnia opera quæ fiunt ante iuſtificationẽ, quacũque ratione facta ſint, eſſe verè peccata, vel odium Dei mereri: aut quantò quis vehementius nititur ſe diſponere ad gratiam, tãtò eum magis peccare, anathema ſit. In qua ſentẽtia nequaquam definitur, omnia opera quæ fiunt ante gratiam, & iuſtificationem, eſſe bona, neque talia opera omnia eſſe mala, ſed definitur, poſſe peccatorem, ante gratiam iuſtificãtem, bonum operari, ſcilicet cùm præuẽtus diuino auxilio paulatim ſe diſponit, & mouet ad iuſtitiam per bona opera, ſcilicet per timorẽ & diſplicentiam peccatorum, per exercitium bonorum & honeſtorum operũ. Quod ſanè Decretum condemnat quidem ſententiã Lutheri, qui dicebat, omnia opera peccatoris, etiã illa, quibus ſe ad gratiam diſponebat, eſſe peccata: cæterum ſententiam Gregorij nullo modo attingit. Gregorius enim dicit, hominẽ ſine auxilio Dei nequaquam poſſe bene operari moraliter: cæterum non negat, huiuſmodi auxilium ſæpè conferri peccatoribus, & infidelibus: imo fatetur, omnia opera, quæ à peccatore, vel ab infideli efficiuntur, quibus ſe ad gratiam diſponũt, procedere ab auxilio ſpeciali, & eſſe opera quædam bona. Ex quo infertur, neq; Gregorium dixiſſe, neq; ex ſua ſentẽtia inferri, vniuerſa hominis peccatoris opera eſſe mortalia peccata. Nam in quæſtione citata ad. 9. cùm ſibi obiecíſſet, ex ſua opinione ſequi, omnia opera infidelium eſſe peccata, negat conſequentiã, & apertè affirmat, à peccatoribus, & infidelibus fieri multa bona opera ex ſpeciali Dei auxilio; maximè cùm incipiunt ſe ad gratiam, & iuſtificationẽ diſponere: quod quidem auxilium Deus illis nequaquam denegat. Quòd autem id non ſequatur ex ſentẽtia Gregorij, patet: quoniam peccatores, & infideles, quãuis careant gratia iuſtificãte, tamẽ ſæpe adiuuãtur à Deo auxilio ſpeciali ad bona opera faciẽda. ¶ Quinta concluſio. Homo pro ſtatu naturæ lapſæ nõ poteſt ſine ſpeciali Dei auxilio bene moraliter operari ſemper, neque vt
Quinta cõ.
D. Tho. in plurimum. Hæc propoſitio eſt D. Thomæ in hoc artic. & in art. 4. & in. 8. Quæ cõcluſio ita mihi certa videtur, vt contrarium ſine errore teneri non poſſe exiſtimẽ. Probatur: quia ſi peccator ſuis viribus, ſine ſpeciali Dei auxilio, poſſet ſemper, vel diu bene moraliter operari, ex conſequenti poſſet per multum tempus vitare omne peccatum viribus proprijs, & adimplere omnia præcepta illi occurrentia ſine ſpeciali auxilio gratiæ: quod falſum eſt, & periculoſum. Sequela probatur: quia qui operatur bene moraliter, dum ita bene operatur, non peccat; igitur ſi poteſt diu bene operari moraliter, poterit etiam per multum tempus vitare peccatum, & diuina mandata adimplere. Deinde, ſi homo eſſet ſanus & integer, ac nullo modo infirmus, poſſet per totam vitam operari bonum moraliter ſuis viribus; quia bonum morale eſt opus proportionatum homini ſano & integro: at homo per peccatum infirmus eſt; non igitur poterit operari bonum moraliter perfectè, & per totam vitam, ſed rarò, & cum multorum defectuum admixtione: quod Sancti dicere voluerunt in locis omnibus adductis, cùm aſſerunt, hominem ex ſe nõ poſſe aliquid boni operari; quia videlicet homo non poteſt perſeueranter bene moraliter operari, neque per totam vitã, neque per multum tempus.

¶ Sexta concluſio. Omnia illa opera, quibus peccator tendit, & diſponitur ad iuſtitiam, & gratiam iuſtificantem, ſiue mediatè, ſiue immediatè, non poſſunt fieri ſine Dei ſpeciali auxilio. Probatur: Nam ſi homo ex ſe efficere poſſet aliquod opus quod ad gratiam diſponeret, id eſt, ad quod mediatè, vel immediatè ſequeretur gratia, iam initium ſalutis ex nobis eſſet, & gratia iam non eſſet gratia, quia gratis nõ daretur. Deinde, omnis motus quo homo incipit tendere ad iuſtitiam, quoad vſque illã conſequatur, eſt motus ſupernaturalis; quoniam terminus eſt ſupernaturalis, ipſa videlicet gratiæ acquiſitio, & reconciliatio amicitię diuinæ; debet igitur habere initium ab aliquo agente ſupernaturali. Tertiò, Deus ſtat ad oſtium, & pulſat, & vocat ad ſe omnes peccatores: pulſat autem propter eum finem, vt peccatores à peccato excitet, & eos ad ſe reuocare poſſit: igitur quicũque relicto peccato ad iuſtitiam ſeipſos referunt, inde primò cœperunt conuerti, ex quo diuinæ gratiæ pulſanti corda non obtuſa habuerunt. Totius igitur motus ad iuſtificationem primum initium eſt gratia Dei; & ex conſequenti, nulla diſpoſitio ad iuſtitiam, ſiue mediatè, ſiue immediatè, ortum habet ex ſolis viribus humanis. Quod etiam manifeſtum fit ſanctarum ſcripturarũ teſtimonijs. Nam. 2. Petri. 1. dicitur, quòd omnia quæ ad vitam, & pietatem pertinent, nobis donauit: ergo quicquid ad gratiam diſponit, ex Deo eſt. & Ioan. 6. dicit Dominus, Nemo poteſt venire ad me, &c. Venire autem ad Chriſtum, ſignificat totum illum motũ iuſtificationis,

Sexta con.
2. Pet. 1.
Ioan. 6.

cationis, ex quo homo primùm incipit ad iustitiam disponi, quoad vsque illam consequatur. Idipsum sancti docent. Nam B. Prosper inquit, Omnia quæ ad vitam & pietatem pertinent, non per naturam, quæ vitiata est, habemus, sed per gratiam, qua reparata est, accepimus: & D. Augustinus, Quicquid, inquit, Cornelius & antequam in Christum crederet & cùm credidit, & cùm credidisset operatus est, totum Deo dandum est. Hoc confirmatur apertissimè Adami exemplo, in quo, quoniam erat primus naturæ humanæ autor, nó solùm est expressa imago naturæ, sed etiam nostrorú morú effigies, itavt ex eo quod ille gesit, quid nos facere, vel non facere posimus, inspiciamus. Adã igit̃ postquàm peccauit, nihil fecit, aut cogitauit quod ad peccatum repellẽdum, & ad iustitiam amissam recuperandam pertineret; sed (vt inquit scriptura) cũ ipse, & vxor eius viderent se nudos, consuerunt sibi folia ficus, & fecerũt sibi perizomata. Quæ omnia, vt patet, ad studium vitæ præsentis attinent, & ad hanc vitam tuendam, & ad cœli iniurias propulsandas sunt accommoda. Nunquã verò Adam de salute animæ suę cogitare cœpit, nisi postquam audiuit vocẽ Domini deambulantis in paradiso: sic enim dicitur; Cùm audisset vocem Domini deambulantis in paradiso, abscondit se Adam: & paulò infrà. Ait Adam ad Deum, Cùm audissem vocem tuam, timui, eò quòd nud⁹ essem, & abscõdi me. Diuina igitur voce permotus Adam timere cœpit (qui sanè timor est veluti primus gradus ad iustitiam) & cœpit suam nuditatem erubescere. Ex quo exemplo duo colligere licet; alterum est, hominis, dum extra gratiam Dei cõmoratur, maximum quod præstare bonum potest, esse, de sua valetudine cogitare, bona præsentia curare; quod Augustinus appellat bonum naturæ: & ponit huius rei exẽpla; vt colere agros, ædificare domum, &c. Alterum est, peccatorẽ sine Dei gratia non posse quicquam cogitare quod ad animæ salutem pertineat, nisi Deo excitante, & interius mouẽte, ac loquẽte. Quod confirmatur ex Concilio Arausicano, vbi dicitur; Si quis per naturæ vigorẽ bonũ aliquod quod pertineat ad salutem vitæ æternæ, cogitare, aut facere posse dixerit, hæretico fallitur spiritu. ¶ His constitutis, ad argumenta respõdere oportet. Ad autoritates sacræ scripturæ, quæ primum ordinem inter argumenta habebant, respondendum est. In sacris literis, vt docet Roffensis, id quod non est meritoriũ vitæ æternæ, sæpè appellari, nihil, vt constat ex Paulo. 1. Corin. c. 13. Si habuero prophetiam, & nouerim mysteria omnia, charitatẽ autem nó habuero, nihil sum. &. c. 7. Circũcisio nihil est, & præputiũ nihil est. Quod etiã docuerat D. Augustinus lib. de gratia Christi. c. 26. Vel dicẽdum est, quòd in sancta scriptura illæ voces distributiuæ non sunt vniuersaliter accipiendæ, vt logici eas accipiunt, sed ad eum modũ, quo assumi solent in vulgari sermone, scilicet pro eo quod frequenter, & maxima ex parte contingit. Quare illud, nihil, idem valet quod parum, & exiguum, & rarum. ¶ Eadẽ ratione satisfacere possumus ad argumẽta secundi & tertij prædicamenti, quæ ex Conciliorum dictis, & sanctorum sententijs accepta erãt. Aut certè loquuntur de opere quod ad nostrã iustificationem, & salutem æternam conducit, non autem de bono ciuili, & morali. Nõ enim misit Deus filium suum vt plãtaremus vineas, aut vt haberemus amicos, sed vt credentes in ipsum vita frueremur spirituali. Hanc autem legitimam, & propriam esse expositionem patet ex Augustino, & ex Concilio Mileuitano Arausicano, & Tridentino. ¶ Vt tamen apertior huius solutionis sensus sit, obseruandum est, bonum esse duplex; morale, & meritoriũ. Opus bonum morale (iuxta communẽ Theologorum sententiam) est opus, quod rectæ rationi est cõforme; opus videlicet, quod habet bonum obiectum, ac debitũ finem, omnesq; alias circunstantias, sine quibus nequaquam reperitur boni operis bonitas, & honestas. Bonum autem meritoriũ dicitur illud, quod prẽter ea, quæ dicta sunt, est tanti valoris propter suam excellentiam, id est, ex adiuncta forma supernaturali, vt sit dignum vita ęterna. Et ita bonum morale est tanquam mediũ inter peccatum, & meritum. Opus enim moraliter bonum, non est peccatum; quia in nulla re deficit à recta ratione. Neque etiam est meritum; quia caret illa excellentia supernaturali, quæ necessaria est ad constituendum meritum vitæ æternæ. Vnde bonum morale est quidem virtus, cæterum non perfectè, & absolutè; quia cùm bonum morale non sit charitate informatum, & ex consequenti non referatur in beatitudinem supernaturalem, non efficit hominem bonum in ordine ad optimũ; id quod est proprium veræ virtutis. Virtus enim est dispositio perfecti ad optimum. Sancti ergo Patres, & concilia loquuntur de bono meritorio, non de bono morali. ¶ Restat tandem rationibus satisfacere. Ad primam earum dicendum est, gratiam Dei particularem & specialẽ necessariam esse ad singulos actus meritorios, & conducentes ad vitam æternam; sed tamen eam necessariam nó esse ad singulos actus moraliter bonos. Deinde dici potest, gratiã Dei, iuxta D. Augustinum, esse necessariam ad singulos actus, id est, cogitare, velle, & operari.

Dicebat

Prosper li. contra Collatorẽ. c. 29

Augu. li. 1. de prædest. sancto. c. 7.

Gen. 2. & 3

Nota.

Conc. Arausican. can. 7

Ad argumẽta. Ad autoritates scripturæ.

Roffensis contra Luther. c. 36.

1. Corin. 13

1. Corin. 7.

Ad argumẽta secundo & tertio loco posita.

Aug. lib. 3. hypogn. & lib. de spiritu & litera ca. 27. & 28

Cõc. Mile. & Arausi. can. 6 & 7. Trid. Sess. 6 cano. 1. 2. & 3.

Duplex bonum, morale & meritorium.

Argumẽta dissoluuntur.

Ad primũ.

Dicebat namq; Pelagius, initium cogitationis ex nobis esse. ¶ Ad secundã respondetur, non posse hominem sine auxilio Dei speciali vincere tẽtationes meritorie; neq; verò omnes per totam vitã: vnã verò aut alteram vincere moraliter bene posse. Et quidem, quãuis vrgente tentatione nõ posset homo eam vincere, posset tamen alia opera moralia exercere, circa quæ tentationes non militant. ¶ Ad tertiã dicendum est, aliter cõcurrere Deum nobiscum in bonis operibus, atque in malis. Nam in bonis concurrit & ad materiale, & ad formale: at in malis operibus tantùm ad id, quod materiale est, cõcurrit. Quod siquis hinc inferre velit, argumentum Augustini contra Pelagiũ ineptum esse; negandum id erit: nam Pelagius cõcedebat hanc nobis gratiam à Deo tributam, vt scilicet possemus operari: quæ sanè posibilitas æquè ad bonum & ad malum se extẽdit, vnde aduersus illum argumentum concludit. quod cõtra nos nequaquã militat. ¶ Ad quartam respõdetur, fideles diuersa ratione à Deo petere adiuuari in operibus moraliter bonis, atque in bonis supernaturalibus. In illis siquidem auxilium precantur, vt facilius, & meliùs, ac delectabilius operari possint: in istis verò vt simpliciter possint: sine spiritu enim Dei vitam spiritualem viuere nequaquã possumus. ¶ Ad quintam respondetur, virtutes infideliũ ab Augustino vitia nuncupari; tum, quoniam infideles sunt in statu peccati grauissimi, & omnes eorum iustitiæ, tanquam pannus menstruatæ; tum verò, quoniam tales virtutes sine charitate sunt, qua sublata, quodcũq; bonũ in sanctis scripturis pro nihilo habetur, vt paulò antè dictũ est: tum tertiò, ratione infidelitatis; quæ quia per Antonomasiam peccatum vocatur, audet Augustinus omnẽ infidelium vitã peccatum appellare. ¶ Ad sextam respõdetur, ad opus moraliter bonũ sufficere si referatur in Deum, vt est autor naturæ, quem sanè per ipsius naturæ vires cognoscere possumus. Vel dicendũ est, vt opus moraliter sit bonum, nequaquã oportere vt in Deũ referatur explicitè, virtute, aut actu: sufficit namque si implicitè referatur. Et quidem omne opus bonum atq; honestũ suaptenatura in Deum refertur. Quapropter ad opus moraliter bonũ satis est si homo operari velit propter bonũ, & honestum, licèt Deum non cognoscat. quam rẽ suprà contra Gregoriũ q. 18. arti. 9. discussimus. ¶ Ad confirmationẽ respondetur, illã, si quid probat, tãtũ de idololatra probare. Deinde dicendũ est, illã communẽ atq; virtualẽ relationẽ, si multũ temporis intercedat, interrumpi, neq; sufficere ad inficienda omnia alia opera subsequẽtia, præsertim quãdo subsequẽtia opera suapte natura referũtur in Deũ, & nõ in idolum. Sicut enim ad lapidis descensum sufficit impetus à generãte sibi cõcessus; vt tamẽ ascẽdat, requiritur impetus proijciẽtis perseuerãs: eadẽ ratione vt opus moraliter bonũ in idolũ referatur, requiritur intentio quæ perseueret in tali relatione: sicut etiam siquis statueret ad D. Iacobũ ire peregrinationis gratia, qui omnia laboris, & itineris accidentia in ipsum retulit, profectò omnia ista virtute sunt in religiosum finẽ relata; attamẽ si aliquid impertinẽs in itinere eueniret, nequaquã cẽseretur relatũ in illũ finẽ; quin potiusi multũ tẽporis intercederet, interrũperetur intẽtio. Tandẽ dicẽdũ est, eum qui statuit dare eleemosynã pietate quadã naturali, virtute priorẽ intentionẽ interrupisse. Repugnãt emm hæc inter se, dare eleemosynã propter pietatẽ naturalẽ, & propter idolum. ¶ Ad aliud argumẽtũ negãda est cõsequẽtia. Triplex siquidẽ discrimẽ inter eos reperitur. Primũ nãq; opus bonũ suapte natura refertur in Deũ, & nõ in idolũ. Deinde, opus moraliter bonũ in homine in gratia existente est meritoriũ; non quia est relatũ virtualiter, aut formaliter, sed quoniã subiectum est gratum, quod sanè à Deo respicitur; iuxta illud, Respexit Dñs ad Abel, & ad munera eius. Tandẽ homo in gratia existẽs nequaquã priorẽ intentionẽ interrumpit: at idololatra qui dat eleemosynã ob pietatẽ naturalẽ, virtute interrũpit intentionẽ seruiẽdi idolo in eo opere. ¶ Ad confirmationẽ respõdetur, idololatrã illũ quãdo nõ refert opus in idolum, operari cõtra habitum erroneũ quẽ habet; non verò cõtra conscriẽtiã erroneã: conscientia nãque erronea est, quę dictat, hîc, & nũc nos obligari, & teneri. ¶ Ad argumentũ de dispositione ad gratiam, negatur sequela: & ad probationẽ respõdetur, non esse certũ operanti bene moraliter, & faciẽti quod in se est, ex solis viribus naturæ, Deũ conferre semper & infallibiliter auxilia necessaria, vt se vltimatè ad gratiã disponat. Intelligẽdũ est insuper, ꝙ operari benè moraliter, & sequi rectam rationẽ diu & per multũ tẽpus, atque in omnibus quæ se offerũt, nõ potest homo absque peculiari Dei auxilio: & ita primũ initium gratiæ ex Deo est. At verò homini qui operatur bene moraliter vnũ aut alterũ opus, rarò tamen, & maxima ex parte malè operatur, Deus nõ cõfert infallibiliter gratiã, neq; auxiliũ gratiæ, quo se ad iustificationem disponat. ¶ Ad vltimum respõdetur, omnia præcepta collecti uè, & etiã quædã illorũ quæ nimis ardua sunt, nequaquã posse hominem per vires proprias adimplere, neque per easdem posse omnes tẽtationes superare, aut verò quasdam illarum vehementes. At verò seruare vnum aut alterũ præceptum

Ad secũdũ.
Ad tertiũ.
Efficax argumentum D. Aug. cõtra Pelag.
Ad quartũ.
Quare Augu. omnia opera infideliũ vitia appellet.
Ad quintũ.
Aug. tract. 89. in Ioã. & lib. 3. cõtra duas epistolas Pela. ca. 3.
Ad sextum
Ad confir.
Ad septimum.
Genes. 4.
Ad confir.
Ad octauũ.
Ad vltimũ.

præceptum in re leui; atque superare leuissimas aliquas tentationes, idque rarò, potest homo per suas vires: neque oppositum in Concilio Mileuitano definitum est. ¶ Alia se offert quæstio exponenda, vt necessitas gratiæ, quam Diuus Thomas in hoc articulo inuestigat, intelligatur; Quæ nam scilicet opera bona præstare posset homo, si in puris naturalibus conderetur, id est, sine peccato, aut gratia? Et quidem si ea quæ articulo 1. dicta sunt, attendamus, facillima videtur solutio. Vt enim ex superioribus constat, inter hominem in puris naturalibus conditum, ac inter hominem post lapsum, quòd ad naturalia attinet, nullum est discrimen. Quod si verũ est, inferre inde possumus, posse id præstare hominem in puris naturalibus constitutum, quod efficere potest homo in natura lapsa viribus proprijs adiutus. Infertur rursus, hominem in puris naturalibus posse veritates aliquas cognoscere naturales, non tamen omnes: veritatem autẽ aliquam supernaturalem, absque peculiari Dei auxilio, nequaquam posse; sicuti homini post lapsum accidit, vt dictum est. Sequitur tertiò, hominem in puris naturalibus constitutum posse velle, & operari aliquod opus moraliter bonum: non tamen omne, neque aliquod quod meritorium sit, vt expositum est in hoc articulo, quæstione præcedenti. Tandem ex illo communi principio sequitur, esse aliquam felicitatem naturalem, ad quam peruenire posset homo si in puris naturalibus conderetur: quod etiam docet D. Thomas 1. p. q. 23. art. 1. & q. 62. ar. 1. & hic ar. 5. Hæc ergo præstare posset homo in illo statu.

Quęnã opera præstare posset homo si cõderetur in puris naturalibus.

D. Thom.

Felicitas hominis in puris naturalibus cõstituti inuestigatur.

¶ Sed tamen quæ nam felicitas sit ad quam peruenire posset, & quibus medijs illam adipisci valeret, explicatu difficile est. Videtur namque, quòd homo in puris naturalibus conditus necessariò miser esset, & infelix, & nulla ratione felix. ¶ Cum enim intellectus hominis suapte natura inclinetur ad omne verum cognoscendum; & per facultatem naturæ nequaquam posset consequi totius veri cognitionem, non posset habere naturalem beatitudinem, ad cuius statum talis cognitio maximè conducit.

Prim. argu.

Secundum.

¶ Deinde, voluntas suapte natura inclinatur ad omne bonum rationi consentaneum; hoc autem in illo statu adipisci non posset: ergo in illo statu beatitudinem consequi non valeret.

Tertium.

¶ Tertiò, homo in puris naturalibus conditus necessariò debet labi in aliquod peccatum mortale; quippe cùm per vires naturæ nõ possit omnem legem adimplere, neque verò omne bonum rationi consentaneum habere, vt suprà diximus de homine in natura lapsa: at peccato mortali iure naturæ supplicium æternum debetur: ergo necessariò homo in puris naturalibus conditus infelix esse debet, si dono gratiæ non liberetur à peccato.

¶ Præterea, qui mortaliter delinquit, offendit Deum, vt est finis, & autor naturæ: non ergo talis potest esse felix, nisi Deo per gratiam reconcilietur: hac autem caret homo in puris naturalibus. ¶ Quintò, ad naturalem beatitudinem necessaria est rectitudo quædam naturalis, vt omnes Doctores fatentur: at homo in puris naturalibus constitutus non potest talem rectitudinẽ habere; quia, vt dictum est, aliquando peccabit; non ergo potest esse beatus.

Quartum.

Quintum.

¶ Tandem, autor naturæ præcepit nobis seruare totam legem: ergo homini in puris naturalibus constituto concedere etiam debet virtutem ad obseruandam legem vniuersam.

Vltimũ.

¶ Confirmatur argumento quodam Diui Hieronymi. Aut enim possibilia dedit nobis autor naturæ mandata; aut impossibilia. Si possibilia: ergo in facultate nostra situm est totam legem adimplere. Si autem impossibilia, non erimus legum transgressores, si ea non obseruemus: nemo enim peccat in eo quod vitare non valet.

Confir. D. Hieron. dialog. contra luciferianos.

¶ Propter hæc argumenta quibusdam Doctoribus nostri temporis visum est, quòd versetur magna differentia inter hominem constitutum in puris merisque naturalibus, & inter hominem in natura lapsa, quod attinet ad virtutem, & sufficientiam operandi. Existimant enim, esse impossibile quòd Deus crearet hominem in puris merisque naturalibus, sic vt non conferret illi auxilium necessarium, & sufficiens, per quod posset ex viribus naturæ operari omne bonum rationi consentaneum, & efficaciter consequi suum finem, & beatitudinem naturalem. Itaq; per hominem constitutum in puris naturalibus intelligũt hominẽ constitutũ in natura integra, cum dono, & vigore sanante naturam, sic adeò, vt in bono, & officio virtutum possit permanere, & perseuerare, si vellet. Quæ sine dubio videtur esse Diui Augustini sententia; dicit enim; Si Deus adiutorium quo permaneret si vellet homini non dedisset, quia non talis natura facta est vt sine diuino auxilio posset permanere si vellet, non vtique sua culpa cecidisset: ergo si in puris merisque naturalibus non talis facta natura humana est, vt possit permanere si vellet, non sua culpa cadit, si non permanet; siquidem auxilium non est datum quo possit permanere si vellet. Et alibi docet ex hoc peccasse hominem, quia potuit permanere si voluisset; & subdit, hanc possibilitatem permanendi, & non peccandi, à natura liberi arbitrij per peccatum fuisse sublatam. Ex his sententijs Diui Augustini efficaciter videtur concludi, quòd homo in puris merisque naturalibus constitutus, habuisset auxilium necessarium, & sufficiens quo posset vniuersum bonum rationi humanæ

Aliquorum Doctorum opinio.

Aug. lib. de correcti. & gratia c. 11.

Aug. lib. 3. hypogno. fere per totum.

consentaneum perficere, & in eo permanere sine crimine. Sed hæc sententia non placet viris doctioribus. Nam ex opinione Theologorum omnium, naturalia manserunt integra post peccatum, tam in hominibus, quàm in angelis: sed hæc sufficientia operandi, & hæc integritas, & rectitudo naturæ nõ manet post peccatũ, & lapsum, vt docet sana doctrina; ergo hæc sufficiẽtia, & integritas naturæ nõ pertinet ad pura meraque naturalia. Deinde, homo ex natura sua est cõpositus ex corpore & anima rationali, ex spiritu & carne; cõstatq; carnẽ cõcupiscere aduersus spiritum, & spiritũ aduersus carnẽ: ergo cõstat euidẽter, quòd si homo cõstitueretur in puris naturalibus, cõstitueretur cũ pugna inter carnẽ & spiritum, quæ trahit hominẽ ad peccandũ. Certè illud elogium diuinę sapiẽtiæ; Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ prouidẽtię nostræ. Corp⁹ enim quod corrũpitur, aggrauat animã: & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantẽ; etiã habet verũ in homine cõsiderato in puris merisq; naturalibus. Iã verò si hoc auxilium, si, inquã, hic vigor sanãs naturam esset proprietas homini naturalis, & naturæ humanæ debitus; cõsequens est, quòd homo in natura lapsa sit mõstrum; siquidẽ caret principio, & proprietate suæ naturæ debito, veluti si careret intellectu, aut voluntate, aut certè auxilio generali & cõmuni. Maneat ergo fixa & certa illa sentẽtia Theologorũ, quòd homo in puris naturalibus, & in statu naturæ corruptæ nõ differũt quantũ ad sufficiẽtiã operãdi opera rationi naturali cõsentanea; quia in vtroq; vires humanę sũt æqualiter dispositæ, & affectæ; verũ nõ sunt illi homines æqualiter affecti & dispositi quãtum ad meritum. Etenim homo in puris naturalibus cõstitutus nõ est in peccato, neq; est auersus à Deo, & à fine vltimo: at homo in natura lapsa est in peccato, & auersus à fine vltimo. Quapropter si homo in puris naturalibus cõstitutus perueniẽs ad vsum rationis haberet istum actũ moraliter bonum; volo sequi bonũ, & fugere malũ; & cõtinuò moreretur, reciperet à Deo huius boni operis præmium: à Deo, inquã, vt est autor naturæ, qui nullũ opus bonũ irremuneratum relinquit, quãdo persona, quę operatur, nõ est in peccato, & à Deo auersa, & incapax præmij. Cũ igitur homo in puris naturalibus rectè & studiosẽ operatur, cũ nõ sit à Deo auersus, quin potiùs Deo gratus naturaliter, cõsequens est quòd in eo casu reciperet à Deo studiosi operis præmiũ. Sed homo in statu naturæ lapsæ, tametsi posset habere eundẽ actũ, scilicet volo studiosè agere, si statim moreretur, nõ reciperet præmiũ ab autore naturæ, si quidẽ esset à Deo auersus, & incapax præmij: homo enim Dei inimicus præmiũ ab eo nõ promeretur. Ex hac autem differentia

Oppositа sententia verior.

Sap. 9.

Noti

non habetur, quòd homo in puris naturalibus possit aliquid boni operis efficere, quod nõ possit homo in statu naturæ lapsæ. Hæc enim differentia, quantum ad meritum, tantùm oritur ex conditione personę operantis, nõ ex parte principij operatiui, nec ex parte virium naturalium, quæ in vno magis quàm in altero sint ad operãdum efficaciores. Neq; D. Augustinus huic nostrę sentẽtię vllo modo aduersatur. Nã homo in puris merisq; naturalibus cõstitutus, haberet indubiè sufficiẽs adiutorium à Deo autore naturę collatũ ad cauẽda singula peccata, & ad obseruãda singula legis naturæ præcepta, non tamen ad omnia simul, & per totam vitam; quemadmodũ potest quisque Grammaticam, Rhetoricã, Physicam, & cæteras bonas artes discere, nemo autẽ hominum, licèt sit ingeniosus, potest omnes cõprehendere. Hoc eodem exemplo confirmat hanc veritatem Diuus Hieronymus. Vel fortassis Diuus Augustinus loquitur de illo magno crimine quod commisit primus parens; quod profectò, tam graue non esset, si iustitiam originalem adhuc non suscepisset. Deniq; obseruandum est, quod Aristoteles, & omnes philosophi rectè sentientes dicunt, eum hominem, qui per facultatem naturę cognoscit, & colit Deum, esse curæ ipsi Deo, maximè qui proinde suppeditat illi non tantùm bona temporalia, sed & bona spiritualia quantum expedit ad eius salutem, & vitam rectè instituendam. Vnde autore Aristotele, felicitas hominis naturalis non solùm consistit in virtute, & studiosa operatione, sed præcipuè in prouidentia diuina erga homines. Quapropter ad Deũ nõ solũ pertinet distribuere præmia pro bonis (quod etiã ratione naturali cõstat) sed ad Deũ spectat vnicuiq; secũdum statum suum infundere cognitionem necessariam, qua Deum cognoscat & colat. Insuper pertinet ad ipsum condonare peccata hominibus, quæ illorum vitam beatam impedire valent. Hæc autem condonatio criminum, si homo esset conditus in puris naturalibus; id est, non destinatus ad gratiam, nec ad gloriam; fieret Deo disponente sic, vel per dolorem ex facultate naturæ comparatum, vel per hoc quòd homo proponeret bonum sequi, & malum fugere cum dolore peccatorum, vel alijs modis quibus diuina prouidentia hominibus prouideret. Sed hoc est diuinare per altissimas tenebras; oportet potiùs Deo gratias agere, & Christo liberatori, qui vocauit nos in admirabile lumen suum, quo illustrante cognouimus & peccata nostra, & redemptorem nostrum Iesum Christum, per quem à peccatis liberamur. Sed est dubium præcedentibus affixum, Quid sit auxilium speciale; quid verò generale? In cuius rei expositionem dicendum est, primò loco, Auxilium gene-

Homo in puris naturalib' haberet auxiliũ ad singula cauẽda peccata non tamen ad omnia.

D. Hiero. 1. dialog. contra Pelag.

Arist.

Arist. 1. eth. c. 8, & 9.

Quid sit auxiliũ generale, quid item speciale.

generale nõ esse habitum animabus nostris vel insitum, vel infusum: nã quocũq; habitu posito, adhuc egemus Deo primo mouente, & nobiscũ cooperãte, vel potiùs nobis cum illo cooperantibus; sicut causæ naturales, præter potentias, & vires quas habent, indigent præterea motu cœli vt possint operari. Hoc ita esse demonstrauit D. Thom. Diuus Thomas ar. 1. huius quæstionis. Proximè dicendum est, auxilium diuinæ gratię speciale nõ esse habitum, aut qualitatẽ: nã quocunq; habitu infuso animis nostris, indiget adhuc homo auxilio speciali ad operandũ: quod demonstrat, vt dogma fidei catholicæ, Diuus Augustinus; de Aug. lib. de natu. & gratia c. 26. quo copiosè agẽdum est in ar. 9. huius quęstionis. Itaque quemadmodũ oculus, licèt sit perfectissimus, nisi sit candore lucis illustratus, non potest videre; sic anima nostra, licèt sit sana per virtutes infusas, sine auxilio speciali operari nõ potest. His addendum est, atque dicendum, quòd auxiliũ generale est motio diuina, qua cõcurrit Deus cum omnibus creaturis, veluti ex pacto, & fœdere cũ illis inito ad operationes suas, Greg. & Capr. sibiq; connaturales. Sed docet Gregorius (vt refert Capreolus in 2. d. 28. q. 1. ad 12.) quòd Deus concurrit ad actũ bonũ, non solũ coefficiendo actum cum ipsa voluntate; hoc enim modo cũ omnibus agentibus concurrit; verũ etiã applicãdo, & mouẽdo ipsam volũtatem ad bonũ, in qua applicatione voluntas nõ necessitatur: est enim instrumentum liberum, & mouetur secundum naturã suã liberè. Cęterũ ad actũ malum tantũ concurrit cooperando ad actum illum naturalem, & ad substantiam illius actus, sed non applicat voluntatẽ ad malũ actũ. Hanc sententiã, vt veram, approbauit Capreolus in loco dudum citato. Sed mihi videtur, quòd hoc vltimum falsum sit. Nã res certissima est, volũtatem nostrã nihil posse velle boni, aut mali, nisi prius moueatur à Deo ad operandum; sicut penicillus nihil potest operari, nisi prius à principali agente ad operandum admoueatur. Ad extremum dicendum est, auxilium speciale esse gratuitam Dei motionem, & supernaturalem, qua concurrit Deus nobiscum vt operemur opera supernaturalia, & conducentia ad nostram salutem, & iustificationem. Vnde quanquam hæc motio nobiscum quandoq; concurrat ad opera naturalia, vt ad cognoscendum Deũ esse, & remuneratorem esse; nihilominus censeo esse auxilium Dei speciale, quoniam est gratuita Dei motio, ad nostram iustificationem spectans.

ARTIC. TERTIVS.

¶ Vtrùm homo per sua naturalia sine auxilio gratiæ possit diligere Deũ super omnia.

SVMMA TEXTVS.

Prim. cõcl. PRima conclusio. Homo in statu naturæ integræ nõ indigebat dono gratiæ superadditæ naturalibus bonis ad diligendum Deum super omnia, quamuis indigeret auxilio Dei ad hoc mouẽtis. Nam vnaquæque res particularis amat bonum propriũ propter bonũ cõmune totius vniuersi, quod est Deus. Quare homo in statu naturę integræ dilectionẽ sui ipsius referebat ad amorẽ Dei, sicut ad finẽ; & similiter dilectionẽ omnium aliarũ rerũ; & ita diligebat Deũ plꝰ quã seipsum, & super omnia. Secũd. cõcl. ¶ Secunda cõclusio. Homo in statu naturæ corruptæ nõ potest per sua naturalia Deũ diligere super omnia. Nã voluntas hominis propter corruptionẽ naturę sequitur bonũ priuatũ, nisi sanetur per gratiam Dei. Tert. cõclu. ¶ Tertia cõclusio in solutione primi. Homo in quocunq; statu indiget auxilio gratiæ speciali ad diligẽdũ Deũ dilectione infusa, & supernaturali: charitas enim infusa diligit Deũ eminẽtius quã natura; quia natura diligit Deũ, prout est principiũ, & finis boni naturalis: sed charitas, secũdũ quòd est obiectũ beatitudinis; additq; supra naturalem dilectionem quandam promptitudinem, & delectationẽ, sicut quilibet actus virtutis supra actum qui fit ex naturali ratione hominis nõ habentis virtutem.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Quæstio ar. latius ac fusius contro uertitur. QVæstio huius articuli admodũ difficilis est, & valde vtilis. Pro parte affirmatiua sunt quędã argumẽta nõ omnino inualida.

Prim.arg. ¶Primũ. Homo potest lumine naturali cognoscere, Deũ esse dignũ summo amore: & intellectus noster hoc ipsum quod intelligit, potest ꝓponere volũtati: ergo voluntas potest se cõformare cũ intellectu per suas vires, & ex cõsequẽti poterit diligere Deũ super oĩa. Cõsequẽtia inde probatur: quia quantã vim habet intellectus ad verũ cognoscẽdum, tantã habet voluntas ad amandũ. Secundũ. ¶Secũdò sic argumẽtor. Potest quisdiligere super oĩa delitias, & voluptates; quẽadmodum faciũt auari, & voluptuosi homines: igitur multò magis poterit per suas vires diligere Deũ super oĩa, in quo est multò maior causa, & ratio diligẽdi. Hoc ipsum cõfirmatur. Nã homines infideles, & ethnici suos falsos Deos diligũt interdũ eo amore vt oppetãt mortẽ pro illis; quæ dilectio summa est, vt postea videbimꝰ, & probatum sumus apertè: & hoc faciunt infideles per suas vires: igitur multò magis homines fideles poterũt per suas vires diligere Deũ super oĩa. Tertium. ¶Tertiò sic arguitur. Naturaliter inclinamur ad diligẽdũ Deũ plus quã nos ipsos, vt docet D. Tho. in pluribus locis suę doctrinę, signãter 1.p.q.60.ar.5. & hoc ipsum insinuat in hoc arti. dũ inquit, ꝙ quælibet pars magis inclinatur in bonũ totius, q̃ in bonũ propriũ; & loquitur de inclinatione naturali: ergo possumus diligere Deũ super oĩa per sola naturalia. Patet cõsequẽtia. Nã si possumus diligere Deũ plus quã nos ipsos; & nos ipsos diligimus plus quã alia oĩa, apertè sequitur ꝙ possumus diligere Deũ super oĩa. Quartum. ¶Quartò sic arguit. Si nõ possumus diligere Deũ super oĩa, sine gr̃a, & auxilio Dei, sequitur ꝙ possumus liquidò cognoscere nos esse in gr̃a; quod est falsum, & erroneũ. Quod rectè sequatur, patet. Nã possumꝰ esse certi ꝙ diligimus Deũ super oĩa: igitur ꝙ sumꝰ in gr̃a: siquidẽ dilectio Dei super oĩa sine gratia esse nõ potest. Antecedẽs sic ostenditur, tũ, qm̃ homo habet euidẽtiam de suis actibus; tũ verò, qm̃ habet euidẽtiã ꝙ diligit voluptatẽ sup̃ oĩa: habebit igitur euidẽtiã ꝙ diligit legẽ Dei super oĩa: tũ tertiò, qm̃ videt apertè quòd oppetit mortẽ pro vero Deo, & eius amore. Quintum. ¶ Quintò sic. Quãdo homo peruenit ad vsum rationis, & proponit per vires naturales, tũ intellectus, tũ voluntatis, bonũ sequi, & malũ fugere (quod sine dubio per sua naturalia potest facere, prout demõstratũ est suprà q.89.) diligit Deũ super oĩa: diligit enim bonũ honestũ, & virtutẽ super oĩa, ad quã se, & oĩa sua refert: ergo homo per vires naturæ potest diligere Deum super oĩa. Vltim. ¶Vltimò; Homo in peccato mortali existẽs diligit Deũ super oĩa, vt suprà demõstratũ est ex Adria. Adri. quodli. 1. art. 5. & D. Tho. 1.p.q.60.ar.5. ad vlt. scribit, ꝙ dæmones, & dãnati diligũt Deũ super oĩa, quatenus est bonũ quoddã cõmune, & vniuersale. D.Thom. Ad huius rei expositionẽ varijs vijs procedunt Theologi. Nã Scot. & alij in 2.d.28. & in 3.d.37. affirmare vidẽtur, ꝙ homo ex viribus naturalibꝰ potest diligere Deũ super oĩa. Capr. in 1.d.27.q.1. in respõsione ad argumẽta Aureoli, docere videtur, ꝙ volũtas humana per suas vires potest ꝓducere dilectionẽ eiusdẽ speciei, cũ ea dilectiõe quæ producitur ex charitate infusa, & supernaturali. Caie. in huius ar. cõmẽtario hoc modo procedit. In primis statuit, ꝙ diligere Deũ super oĩa est actus elicitꝰ volũtatis, quo homo se, & oĩa sua refert in Deũ: vnde nõ est idẽ operari propter vltimũ finẽ, & diligere Deũ super oĩa. Nã in quouis opere bono operatur homo propter vltimũ finẽ, saltem implicitè: opera enim bona suapte natura sunt relata in vltimũ finẽ: imò quãdo homo peccat, operatur propter vltimũ finẽ, prout suprà expositũ est. Deinde statuit pro certo, ꝙ dilectio Dei super oĩa est duplex. Vna est perfecta, qua se, & omnia sua homo refert in Deũ; sic adeò, vt nihil operetur ꝙ nõ sit in Deũ referibile. Et huic perfectę charitati aduersantur peccata venialia; nam hæc peccata nõ sunt referibilia in Deũ; quæ perfectio charitatis de lege ordinaria & secũdũ cõmunẽ cursum solũ inuenitur in vita beata. Alia est dilectio Dei super oĩa imperfecta, secũdũ præsentẽ statũ, qua homo se, & oĩa sua refert in Deũ, sic adeò, ꝙ pro nulla re huius mũdi perdere Deũ, & eius amicitiã velit: & huic dilectioni tãtũ aduersantur peccata mortalia. Exhis principijs sic decidit & definit quæstionẽ propositã. Nã homo in statu naturæ integræ ex facultate naturę poterat diligere Deũ super oĩa dilectione naturali perfecta; nã poterat nõ peccare; cęterũ in statu naturę lapsę ab hac dilectione deficit, & nõ potest eã præstare; nã ad minimũ debet peccare venialiter. Ex hac sentẽtia Caieta. si vera est, facilè patẽt cõclusiones D. Tho. Sed licet D. Caie. vera dicat, nõ tamẽ explicat quæstionẽ à D. Tho. propositã. Nã D. Tho. nõ loquitur de illa perfectissima dilectione quã habẽt beati, sed de dilectione Dei super oĩa, quę dũ hic viuimus, haberi potest: quod patet ex eo ꝙ dicit, ꝙ ad habendã dilectionẽ Dei supernaturalẽ indiget homo in statu naturę corruptę auxilio gr̃æ: & certũ est, ꝙ quanquã homo habeat charitatẽ Dei, & gr̃am, sępenumero habet peccata venialia ergo nõ loquit̃ D. Th. de pfecta Dei dilectiõe, cui aduersant̃ peccata venialia. Præterea, falsũ videt̃, ꝙ q̃ sunt in charitate, nõ diligãt Deũ super omnia simpliciter, quia habẽt peccata venialia: nã peccatum veniale non est magis dilectũ quã Deus ab eo qui est in charitate, sed potius magis diligit Deũ, quã mendaciũ; paratus est enim nõ dicere mẽdacium si repugnaret dilectioni Dei: quod certè est propriè & simpliciter diligere Deũ super omnia. Labefactata igitur hac explicatione Caiet. scire oportet, quod ipsemet Caietan.

Scot. Capr. Caiet. Dei dilectio supra omnia, duplex. Caiet. definitio. Vera dicit Caiet. sed nõ plenè euacuat quæstionis difficultatẽ

Caiet. alio in loco diuersa incedit via.

tan. in 1. q. de cõtritione in opusculo, alia via procedit, & dicit duo. Primum est, quòd homo potest ex viribus naturæ, sine aliquo speciali auxilio gratiæ, diligere Deum super omnia, etiam vt est obiectum supernaturale. Et conuincitur ad hoc affirmãdum illo argumẽto, quod à nobis factũ est in initio quęstionis, quòd homo potest cõstituere pro vltimo fine suo voluptates, aut diuitias: ergo & Deum. Secundum assertum est, quòd eiusmodi dilectio Dei super omnia potest esse in homine qui est in peccato mortali, sine charitate, & sine gratia iustificãte: quod probat. Nam homo potest esse certus quòd diligit Deũ super omnia; at nõ potest esse certus quòd habeat gratiã, & charitatẽ: igitur ista dilectio Dei super omnia nõ semper est cõiũcta cũ gratia iustificãte, & ex cõsequenti potest esse in peccatore.

Sententia Caiet. refellitur.

Hæc sententia Caieta. vt breuissimè decernam, est erronea planè. Nam primum quod affirmat, quòd ex viribus naturæ possumus diligere Deũ super omnia, vt est obiectum supernaturale, est error Pelagianorum, vt in sequentibus planum fiet. Alterum verò quod affirmat, quòd talis dilectio Dei super omnia potest esse in homine peccatore sine gratia gratum faciẽte, nullo modo potest sustineri, cum dicat apertissimè Christ⁹; Qui diligit me, diligetur à patre meo: & Prouer. c. 8. Ego diligentes me diligo. Sed huiusmodi homo, de quo loquimur, diligit Deum super omnia, & constituit sibi illum pro vltimo fine: ergo diligitur à Deo, & per consequẽs est in gratia coram Deo. Deinde sic arguitur: Qui diligit Deum super omnia (de quo dictum est) & constituit sibi Deum pro vltimo fine, vel est in peccato, vel in gratia. Si in gratia, victus est Caieta. Si dicas quòd in peccato mortali; Contrà: nam non est auersus à bono incõmutabili: ergo non est in peccato mortali. Cõsequentia euidẽs est, & antecedens probatur: nam habet Deum pro vltimo fine: ergo nõ est auersus ab vltimo fine, neq; à bono incõmutabili. Alij verò in hac quęstione explicanda distinguunt hoc modo. Nam dicunt, quòd Deus potest cõsiderari dupliciter; Vno modo secundum quòd per lumen naturæ cognosci potest; vt quòd sit vnus, bonus, iustus, omnium rerum optimus. Alio modo considera tur, secũdum quòd cognoscitur per lumẽ fidei, videlicet quatenus est trinus & vnus, & quatenus est beatificator hominum per claram diuinitatis visionem. Dicunt igitur prædicti autores, quòd Deum cognitum ex lumine rationis naturalis potest homo ex viribus naturæ diligere super omnia; at vt est obiectum supernaturale per lumen fidei præmonstratum, non potest diligere super omnia, sine Dei gratia. Et quidẽ ab hac ratione dicendi non abhorret D. Tho. in hoc articulo solutione ad primum: loquens enim de homine constituto in natura integra, sic definit, quòd poterat ex viribus naturæ diligere Deum super omnia, vt est principium, & finis rerum naturalium; sed vt est finis supernaturalis nõ poterat Deum diligere super omnia, sine auxilio diuinæ gratiæ.

Ioan. 14. Pro. 8.

Aliorũ doctorũ explicatio.

D. Thom.

Nimia quorundã diligentia.

¶ Hanc distinctionẽ quidam Theologi nimium acuti nihil valere ad propositam quæstionem definiendam vehemẽter probare contendunt his argumentis.

Prim. argu.

In primis, hæc distinctio dilectionis Dei, vt est obiectum naturale, & quatenus est obiectum supernaturale, est distinctio nouitia, & penitus inaudita sanctis Doctoribus, & Concilijs, qui simpliciter, & sine aliqua distinctione semper dixerunt, quòd non possumus diligere Deum super omnia sine gratia Dei.

Secundũ.

¶ Deinde, nullo modo est probabile, neque verosimile quòd nostra voluntas, quando proponitur illi Deus, talis, qualis cognoscitur per lumen naturæ, scilicet vt bonus, iustus, tunc possit diligere Deum super omnia; & quando idem Deus proponitur voluntati nõ solùm vt bonus, iustus, sed vt vnus & trinus, & amicus hominum, & beatificator, tunc non possit diligere Deum super omnia. Quod explicatur euidentiùs: nam certè si ego possum diligere Petrum, quia cognosco illum virum bonum, & honestum, si vlteriùs cognosco illum non solũ esse bonum, & honestum, sed esse mihi vehemẽter amicum, multò faciliùs potero eum diligere: ergo pari modo si possum ex viribus naturæ diligere Deum super omnia cognitum per lumen naturæ, multò faciliùs potero eum diligere cognitum per lumen fidei: nã fides docet de Deo, quòd non solũ habet eas perfectiones, quas ratio naturalis demõstrat, sed plures alias præstantissimas, & amore dignissimas.

Exponitur amplius argumẽti difficultas.

Explicatur adhuc vberius. Nam in dilectione Dei duo possumus cõsiderare: vnum est ipsa ratio diligendi, & obiectum formale dilectionis, scilicet bonitas diuina; alterum est modus diligẽdi, scilicet vt sit super omnia. Quod autẽ facit difficilẽ dilectionẽ Dei, nõ est forma, & ratio diligẽdi: nã vt dictum est, illa est summa bonitas, & nihil facilius, aut suauius est quã diligere bonitatẽ: quod ergo facit dilectionẽ Dei super omnia difficilẽ, & arduã est modus dilectionis vt sit super omnia. Quo statuto, sic arguitur. Non est difficilius diligere Deũ super omnia quãdo est cognitus per lumẽ fidei, quã diligere eundẽ secundum quòd est cognitus per lumen naturæ: ergo si homo potest Deũ diligere super omnia, vt est obiectũ naturale, poterit vtiq; vt est obiectum supernaturale. Probatur antecedẽs: nã tota difficultas diligendi Deum se tenet ex modo dilectionis, qui modus est idem in vtraque dilectione: nam vtraq; dilectio est super omnia.

Tertium.

¶ Præterea sic argumẽtor. Si homo potest p suas

vires diligere Deum super omnia vt est obiectũ naturale, idque dilectione absoluta, & efficaci, sequitur etiam quòd possit per suas vires velle oppetere mortem pro Deo: hoc autem est manifestè falsum, vt postea videbimus. Item arguitur. Stante ista voluntate absoluta, & efficaci; vo lo placere Deo in omnibus, & per omnia; possum vitare quodcunque peccatum quod occurrerit: ergo si homo per vires suæ naturæ potest habere eiusmodi voluntatem, sequitur quòd poterit per suas vires vitare quodcunq; peccatũ, & ex cõ sequẽti adimplere omnia præcepta legis: quod falsum est: nam qui diligunt Deum super omnia, isto modo adimplendo præcepta vniuersa, sine dubio diliguntur à Deo: ex quo consequẽs est, quòd habent gratiam. ¶ Ad extremũ sic arguitur ex Cõcilio Arausicano, vbi dicitur; Secundũ sanctarum scripturarum, & antiquorum patrũ definitiones hoc prædicare debemus, & credere, quòd per peccatum primi parẽtis ita inclinatũ est, & attenuatũ liberũ arbitriũ, vt nullus postea diligere, & credere, sicut oportet, possit, nisi illum gratia diuina, & diuinum auxiliũ prœuenerit. Ex quo testimonio, & definitione sic arguitur. Nã (vt fatetur D. Th. in hoc articulo) homo in statu naturę integrę nõ poterat diligere Deũ super omnia, vt est obiectum supernaturale sine gratiæ auxilio: sed Cõcilium loco citato definit, quòd in statu naturę lapsę nõ potest diligere Deũ super omnia, propter infirmitatẽ liberi arbitrij: ergo Cõcilium apertè loquitur de illa dilectione Dei, quã homo in statu naturæ integræ ex viribus naturę præstare poterat, quæ erat dilectio Dei, vt est principium, & finis naturæ. Igitur Cõcilium definit, quòd homo hãc dilectionem nõ potest habere pro hoc statu ex viribus suis. Hęc sunt argumẽta quibus homines bene docti subuertere conãtur prędictã distinctionẽ; de quorum sentẽtia vt liberũ definiã, sic statuo. Primũ, in eo quod asserunt, quòd homo in statu naturę corruptę non valet ex viribus liberi arbitrij diligere Deũ super omnia, etiã vt est principiũ, & finis naturę, verissimè dicunt, prout infrà demõstrabimus. In eo verò quod dicũt, nõ esse necessariã gratiã Dei supernaturalẽ, vt is qui potest diligere Deũ super omnia dilectione naturali, vt est principiũ, & finis naturæ, diligere valeat, vt est principiũ supernaturale, erroneo fallũtur spiritu. Vnde dico, quòd primus parens in natura integra cõstitutus, qui potuit ex viribus naturę diligere Deũ super omnia, vt est finis naturę, sine gratia diuina superaddita, non potuit diligere Deũ super omnia, vt finis supernaturalis est, & beatificator hominũ, & angelorũ: quod argumẽtis irrefragabilibus conabor ostẽdere. In primis, si argumẽta adducta aliquid efficiũt, probãt certè, quòd ad credendum articulis fidei ex parte intellectus lumẽ desuper infusum non sit necessarium, sed tãtùm quòd nobis sufficienter proponãtur. Nã inquiunt prędicti autores, homo ex viribus suis potest assentiri quibuslibet historijs; poterit ergo multo facilius assentiri historijs quę sufficiẽter à Deo nobis proponũtur. Deinde ex eorum probationibus cõsequẽs est, quòd primus parẽs in statu naturę integrę cõstitutus nõ indiguit gratia superaddita ad diligendum Deum super omnia, vt est finis supernaturalis: quod erroneum, & planè hæreticum est. Quòd hoc euidenter sequatur, manifestius est, quã vt probatione sit opus. Præterea sequitur, quòd beati in patria nõ indigeãt gratia superaddita ex parte voluntatis; siquidẽ proponitur illis Deus per visionem beatificã, vt summum, & perfectissimum bonum, omni amore dignissimũ, omnibus titulis colẽdum, adorandumque. Qui verò assereret, in vita beata gratiã, & charitatem non esse necessarias, erroneum doceret dogma cõtra Theologorum omnium sanam doctrinã. ¶ Sed & alia dogmata pestifera sequũtur ex prędicta sententia, videlicet, quòd nõ sit necessaria virtus spei superaddita ad sperãda bona supernaturalia; siquidẽ ad speranda bona naturę consentanea, non est necessaria hæc virtus superaddita; minus ergo erit necessaria ad sperandа bona illa ineffabilia, quę in vita beata nos manent: maiora enim bona ostensa, & possibilia, magis & vehementius animos in spẽ attollunt. Sed de fino; nam hęc vna sententia istorum autorum (si ego non sum cæcus) labefactat, & conculcat gratię necessitatem, quam vniuersa scriptura esse necessariam euidẽtissimè testatur. Nam iuxta istorum opinationem tantùm est necessarium sanare naturam; siquidem sanata natura sicut potest diligere Deum super omnia, vt est finis naturæ; sic potest diligere Deum, vt est finis supernaturalis, sicque habere gratiam, & charitatem sine gratia Dei superaddita. Et certè in angelis ex hac sententia dogma hæreticum sequitur, videlicet angelos bonos non indiguisse gratia superaddita, vt bonum supernaturale diligerẽt; siquidem in eis natura erat integra, & omni dubio procùl poterant ex viribus suis diligere Deũ, vt est finis naturæ; poterant ergo (si isti vera dicunt) diligere Deum super omnia, vt est finis supernaturalis. Maneat ergo certum, & exploratum, illam distinctionem amoris, siue dilectionis in bonum naturale, & in bonum supernaturale, esse ex necessitate admittendam, amoremque rei supernaturalis excedere omnes vires liberi arbitrij, essęque necessariam in omni statu, & in omni natura, tum humana, tum angelica gratiam superadditam ad hanc dilectionem habendam; quia obiectum est supernaturale excedens omnes vires liberi arbitrij.

¶ Sed

Vltim. Cõc. Arauf. 2. can. 25.

Horum doctorũ sentẽtia discutitur.

Quid nã ex eorũ dictis sequatur.

Autoris sententia aperitur.

¶ Sed omissis iã aliorũ opinionibus ad verã explicationẽ accedamus. In cuius rei gratiã aduertẽdũ est primo loco, quòd ex peccato primi parẽtis humana natura duo mala cõtraxit; Vnũ est, quoddã odium spiritualium, atq; cœlestiũ; Alterũ malũ est, quædã propẽsio, & pronitas in bona sensibilia. Vtriusq; mali extat exẽplum in primo parẽte. Nã Adã, qui ante peccatum amabat miscere colloquia cum Deo, statim cõmisso peccato sermones diuinos fugiebat. Ex quo factum est, vt homines ad facinora perpetranda simus fortes & valẽtes, & ad opera virtutum infirmi, & imbecilles: vnde verissima est illa sententia; Cogitationes mortalium timidę, & incertæ prouidẽtiæ nostrę: corpus quod corrũpitur, aggrauat animã: verissimèq; definiunt sacra Concilia, liberum humanæ voluntatis arbitrium per peccatum primi parẽtis attenuatum esse, & inclinatũ.

Mala ex peccato.

Sap. 9.

Duplex dilectio Dei super omnia.

¶ Deinde aduertẽdum est, duplicẽ esse dilectionẽ Dei super omnia; Vna naturalis, naturæ nostræ cõsentanea, qua diligimus Deũ, vt est principium, & finis naturæ: Altera est supernaturalis, & quæ omnẽ naturã excedit, qua diligimus Deum super omnia, vt est beatitudinis nostræ obiectum; vt quòd sit trinus & vnus, redẽptor & saluator; quæ in participatione bonorũ gratię & glorię cõsistit, & in vera amicitiæ ratione. Sed & illud nouisse oportet, quòd diligere Deum super omnia, vel (quod idẽ est) velle placere Deo in omnibus, & per omnia, etiã loquẽdo de dilectione Dei naturali, licèt sit vnus actus simplex, in virtute continet plurimas & difficillimas res. Nã nõ diligit Deum super omnia, qui vniuersa diuinæ legis mãdata nõ obseruat. Vnde cõtinet in se obseruationẽ, & impletionẽ omniũ mãdatorum Dei, & cõstituit Deũ vltimũ finẽ naturalẽ omniũ nostrarũ operationum; sicut dilectio Dei supernaturalis cõtinet in virtute omnium mãdatorum obseruantiã, & cõstituit Deum finẽ vltimum supernaturalẽ omnium nostrarũ operationum. Et quòd hoc ita sit, patet ex illo; Qui mãdata mea seruat, is diligit me: & iterum; Qui diligit me, sermonẽ meum seruabit: & Rom. 6. Omnia præcepta in hoc vno instaurantur, Diliges proximum &c. & qui diligit proximum, legẽ impleuit: & plenitudo legis est dilectio: & 1. Ioan. 2. Qui dicit se nosse Deum, & mãdata eius nõ seruat, mẽdax est: qui aũt seruat verbũ eius, in hoc charitas Dei perfecta est: & ca. 6. Hæc est dilectio, vt mãdata eius custodiamus. Vnde ille diligit Deum super omnia, qui non solùm anteponit vitam, & honorem Dei, & bonum diuinũ suis bonis, & vitæ propriæ, sed etiam singula mãdata Dei anteponit sibi, & suæ vitæ, & est paratus potius obire mortem, quàm transgredi vnũ mandatum Dei. Et sic vera dilectio Dei super omnia continet absolutam, & efficacem voluntatem adimplendi vniuersa mandata; quæ cum sint plurima, & de rebus difficillimis, & quę quotidie occurrunt in vita humana, sequitur, implere hoc præceptum, esse opus arduum, & difficillimum. ¶ Sed & illud non prætereundum est, quòd dupliciter potest contingere vt aliquis velit placere Deo in omnibus, & super omnia; Vno modo, volũtate inefficaci & imbecilli, quæ appellatur velleitas, & explicatur his verbis; vellem in omnibus, & super omnia Deo placere: Alio modo, voluntate efficaci, & absoluta. Hæc distinctio fundatur in illo verbo; Qui autem seruat verbum eius, in hoc charitas Dei perfecta est: quasi dicat, est alia charitas imperfecta, quæ mãdata Dei non seruat: & in illo; Nõ omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnũ cœlorum; sed qui facit voluntatem patris mei qui in cœlis est: in quo significatur, esse aliquos qui affectant Deo seruire, sed non præstant effectu. His constitutis, est prima conclusio.

Ioan. 14.

Rom. 6.

1 Ioan. 2.

1. Ioan. 2.

Prim. cõcl.

¶ Nemo hominum potest diligere Deum super omnia charitate infusa, sine gratia Dei speciali. Volo dicere, neminem posse diligere Deũ super omnia, vt est obiectum supernaturale, nisi eius voluntas eleuetur per gratiam Dei specialem. Hæc est veritas irrefragabilis, & de fide tenenda, & probatur testimonio Diui Pauli ad Roman. 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris: id est, dilectio, qua diligimus Deum, diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis: ergo non ex naturæ viribus: & 1. Ioannis ca. 4. Charitas ex Deo est: & Ecclesiast. 24. inter effectus diuinæ sapientiæ ponitur, pulchra dilectio; Mater, inquit, pulchrę dilectionis: & ad Galatas 5. numerat Paulus charitatem inter dona Spiritus sancti. & 1. Corinth. 12. postquam posuit multa bona Spiritus sancti, omnibus illis donis antepositit charitatem. Igitur sine dubio charitas est donũ Dei. Et 1. Cor. 8. cum dicat Paulus, Scientia inflat, charitas ędificat; quid insanius quàm dicere, eam quę inflat, esse à Deo, eam quæ ædificat, non esse ex Deo? Hæc veritas est definita in Cõcilio Mileuitano, Arausicano, & Tridentino. Sed & sancti Patres vniuersi idem constanter docent. In primis D. Augustinus conuincit Pelagianos, quòd charitas sit donum Dei, & dicit; Liberum arbitrium ad diligendum Deum peccati grauitate perdimus: idem in multis locis repetit, affirmans esse Pelagianum, dicere, quòd dilectio Dei sit in nobis, & ex nobis. Idem dicit Diuus Bernardus. His accedunt efficaces rationes ex diuina Theologia erutæ. Nam primò sic arguitur. Difficiliùs est diligere Deum super omnia, quàm credere fidei rebus: sed ad credendum rebus fidei est necessarium lumen supernaturale ex diuino auxilio speciali: ergo ad dili-

Rom. 5.

1 Ioan. 4.

Eccli. 24.

Gal. 5.

1. Cor. 12.

1. Cor. 8.

Cõcil. Mile. c. 4.

Arausc. c. 25.

Trid. sess. 6. can. 3.

Aug. epist. 107. & lib. de gratia & lib. arbi. ca. 18 & 19.

Epist. ad Vitalem.

Libr. 21. de ciu. c. 15. li. de gratia & lib. arbr. ca. 18. & 19.

D. Ber. libello de diligẽdo Deum.

gendum Deum super omnia est necessarium diuinæ gratiæ subsidium supernaturale. ¶ Deinde, si homo posset per suas vires diligere Deum super omnia, consequens est quòd possit adimplere omnia mandata ex viribus naturæ. Quòd rectè sequatur, patet: tum, quoniam qui diligit Deum super omnia dilectione supernaturali, omnem legem implet, & naturalem, & supernaturalem, vt suprà satis probatum existimo; tum etiam, quoniam vt superiùs dicebam, dilectio Dei super omnia continet voluntatem efficacẽ placendi Deo in omnibus, & super omnia; sed talis voluntas efficax, & absoluta, est sufficiens ad obseruanda omnia præcepta; stante enim illa voluntate nõ potest esse violatio alicuius præcepti: igitur si per vires naturæ potest quis diligere Deum super omnia, euidens est quòd per easdem vires poterit vniuersa legis mandata adimplere: sed hoc asserere, planè hæreticum est, sicut patet ex Concilio Mileuitano, vbi dicitur; Placuit, vt quicunque dixerit, ideo nobis dari gratiam, vt quod facere per liberum arbitrium poteramus, facilius faciamus, tanquam etsi gratia non daretur, possemus sine illa implere præcepta diuina, anathema sit. quam definitionem Concilij confirmat Innocentius I. & Celestinus Papa. ¶ Ex his patet, conclusionem primã esse irrefragabilem veritatem. Sed ea constituta dubitabit aliquis in hunc modum. Nam certè videtur, quòd probationes positæ non legitimè procedant: nam tantùm probant, quòd homo ex liberi arbitrij viribus non potest diligere Deũ super omnia; quod est certissimum: at non probant de dilectione Dei supernaturali, qua diligitur Deus vt est obiectum supernaturale, de qua loquitur conclusio asserta. Idem confirmatur. Nam in Concilijs, & Patribus inaudita est hæc distinctio de dilectione Dei, vt est principium, & finis naturæ, & vt est principium, & finis supernaturalis, & beatificator spirituum, & hominum. Respondetur, quòd qui sic obijciunt, omnem Theologiam, & omnem Christi gratiam conculcant, & subuertunt, vt paulò antè demõstraui copiosiùs. ¶ Secunda propositio. Homo ex natura lapsa, atq; in peccato mortali existẽs potest ex parte implere hoc præceptũ dilectionis Dei super omnia, sine gratia speciali. Hæc conclusio probatur. Nam dum quis in mortali peccato existens videt nomen Dei blasphemari, potest pro honore diuino respondere; quod est legem amicitię ex parte implere. ¶ Tertia cõclusio. Homo in natura lapsa, atq; etiam in mortali peccato existens potest habere actum volũtatis imperfectum, qui explicatur his verbis; vellem placere Deo in omnibus, & per omnia, & in nullo displicere. Hæc conclusio patet ex argumentis factis, & ipsis rerum experientijs. Sanè istum actum solent habere homines peccatores, & hæretici, qui pro suis erroribus patiuntur; vellem Deo placere. Sed est sciẽdum, quòd iste motus voluntatis, cùm sit imperfectus, & ineffi cax, non est vera dilectio Dei super omnia.

¶ Quarta conclusio. Non potest homo in natura lapsa, neque verò in natura integra viribus naturę adimplere præceptum dilectionis Dei super omnia, quantum ad substantiam actus; loquor de dilectione Dei, & amicitia Christiana. Hæc conclusio asseritur contra patrẽ Soto, qui lib. 1. de natura & gratia c. 22. docet, quòd quando occurrit necessitas respondendi pro Deo, & eius honore, tunc si homo respondeat, tametsi aliàs sit in peccato mortali, adimplet præceptũ dilectionis Dei quantum ad substãtiam operis. Sed hæc sententia falsa est, & reprobatur quarta conclusione nostra: nam vt docet Diuus Thomas suprà q. 100. art. 10. ad 2. sub præcepto charitatis continetur modus vt diligatur Deus ex toto corde; & ideo hoc præceptum non potest homo implere, nisi referat se, & omnia in ipsum, sicvt nihil contrarium eius amicitię committat. Ergo huius præcepti substantia est, vt diligatur Deus ex toto corde super omnia; & per consequens existẽs in peccato mortali nunquã adimplet hoc præceptum, etiam quantum ad substãtiam operis. Prętera sic argumentor. Nam à vera doctrina alienum videtur, si quis dicat, quòd quis in peccato mortali existens diligit Deum super omnia. Ad hæc, si tunc esset præceptum dilectionis, & charitatis, ille peccaret mortaliter, nisi aliter diligeret Deum: ergo non implet substantiam præcepti: si enim impleret charitatis præceptum, non ageret contra illud. Iam verò ex diuinis literis constat satis, quòd qui diligit Deum super omnia, diligitur à Deo, estq; Deo acceptus, & gratus: ergo fieri non potest vt quis diligat Deum super omnia, etiam quantum ad substantiam operis ex viribus naturæ sine gratia Dei speciali. Vnde dicimus, quòd quando aliquis respondet pro honore diuino in casu cõmemorato, implet præceptum de cultu diuino, impletque præceptum dilectionis ex parte; nõ tamen simpliciter implet præceptum dilectionis quantum ad operis substantiam: substantia enim huius præcepti includit modum istum, vt diligatur Deus ex toto corde. Hæc dicta sint de charitate infusa, & amicitia Dei, quam in cordibus nostris Spiritus sanctus infundit. ¶ De dilectione Dei naturali est prima conclusio. Homo conditus in natura integra potest ex viribus naturæ diligere Deum super omnia, dilectione naturali. Patet. Nam homo in statu naturæ integrę poterat operari virtute suæ naturæ bonũ, quod est sibi connaturale, absque superadditione gratuiti doni, licet non absque auxilio Dei mouẽtis:

Cõci. Mile. can. 5.

Innocen. I. epist. ad idẽ Concil. Celestinus epist. 1. c. 10

Prl. cõclu.

Ob.ectio.

Solutio.

Secũ. cõclu.

Tert. cõcl.

Quar. cõcl.

Impugnatur doctissimus magister Soto.

D. Thom.

De naturali dilectione quid sit sentiendum.

Prl. cõclu.

tis:diligere autem Deum ſuper omnia eſt opus homini connaturale:poterat ergo hoc opus ex viribus naturæ perficere.Hæc concluſio confirmatione maiori non indiget,ſi documenta noſtræ doctrinæ animaduerſa ſunt in ſuperioribus, vbi docuimus,quid bonorum operum poſsit efficere homo conditus in natura integra.

Secũd.cõcl. ¶ Secunda concluſio.Homo conditus in puris naturalibus poteſt aliquomodo diligere Deum ſuper omnia per ſola naturalia.Patet:nam in primo inſtanti vſus rationis poteſt ſe conuertere in Deum,& proponere ſtudioſè agere, & malũ vitare,quod eſt in cõfeſſo apud omnes; & tunc ſanè diligit Deum, & virtutem ſuper omnia. Deinde,in eodem inſtanti poteſt habere iſtum actum efficacem; volo placere Deo, & in nullo diſplicere.Præterea,autor naturæ præcepit huic homini vt diligat Deum ſuper omnia dilectione naturali: ergo dat ſufficientiam vt hoc opere præſtare poſsit;alioqui obligaret hominẽ ad rem ſuis viribus impoſsibilem.Deniq́ue,homo ille poteſt facere totum quod in ſe eſt,vt diligat Deum ſuper omnia;& hac dilectione nulla maior excogitari poteſt naturalis: ergo poteſt aliquomodo diligere Deum ſuper omnia.

Ter.cõclu. ¶ Tertia concluſio.Homo cõditus in puris meriſq́ue naturalibus non poteſt ex viribus naturę diligere Deum ſuper omnia dilectione perfecta.Patet.Nam homo in puris naturalibus conſtitutus non poteſt operari totum bonum naturæ proportionatum naturæ rationali, prout ſuperiùs fuit expoſitum; at verò ſi poſſet habere dilectionem Dei ſuper omnia perfectam,poſſet omne bonum naturæ proportionatum operari:ergo non poteſt habere talem dilectionem. Probatur minor:tum,quoniam qui diligit Deũ ſuper omnia,omnia mandata legis naturalis adimplet;includit enim hęc dilectio Dei perfecta, vt nihil Deo,& eius præceptis præponamus: tũ verò,quoniam voluntas efficax circa finem includit voluntatem efficacem mediorum quæ ſunt neceſſaria ad finem: & ſic ſi homo diligit Deum ſuper omnia,conſequens eſt quòd poſsit omnia præcepta naturalia adimplere ſine gra

Quar. cõcl. tia. ¶ Quarta concluſio. Homo conſtitutus in peccato originali poteſt vtcunq́ue diligere Deũ ſuper omnia.Hæc concluſio probatur ſufficien ter ex argumentis adductis pro tertia concluſio

D.Thom. ne:inſuper docet eam Diuus Thomas in 2.d.33. q.2.Sanè cùm peruenit ad vſum rationis,& conuertit ſe in bonum,& proponit ſtudioſè agere, quodammodo diligit Deum ſuper omnia, ſed non perfecta dilectione.Præterea,Diuus Thomas in loco dudum citato inquit, quòd poteſt eſſe rectitudo naturalis in homine cum auerſio

Caiet. ne à Deo,vt eſt finis ſupernaturalis: idem tenet Caietanus infrà q.113.art.2.Et cùm diſputaretur de angelis in prima parte conceſſum eſt à nobis,quòd in dæmonibus manet rectitudo, imò beatitudo naturalis:& ipſemet Diuus Thomas 1.p.q.60.artic.5. ad vltimum ſcribit, quòd dæmones, & damnati diligunt Deum ſuper omnia,quatenus eſt bonum vniuerſale. ¶ Quintã concluſio. Abſolutè & ſimpliciter dicendũ eſt, hominem in natura lapſa non poſſe ex viribus liberi arbitrij diligere Deum ſuper omnia, dilectione naturali. Nam dilectio Dei ſuper omnia perfecta continet in ſe obſeruantiam vniuerſalem omnium mandatorum Dei: hanc autẽ homo in natura lapſa præſtare non poteſt ſine auxilio Dei ſpeciali, vt probatum eſt ſufficienter ex Concilijs,Mileuitano,Arauſicano, probabiturq́ue euidentiùs in articulo ſequenti: & de hac perfecta Dei dilectione loquitur D.Thom. in articulo.Nos verò in ſuperioribus concluſionibus tantùm docuimus, quòd quando ſe offert ſpeciale præceptum dilectionis naturalis, poteſt aliquando homo illud implere ex viribus naturæ;vt ſi homo eſſet conditus in puris naturalibus, in primo inſtanti vſus rationis poteſt ſe in Deum conuertere,& poſt illud inſtans poteſt per breue tempus in bono perſeuerare,& abſq; peccato eſſe:verùm omnia mandata legis naturalis implere per totam vitam,& perfectam Dei dilectionem habere ex viribus ſuis non poterit. Ex hac definitione diſces,quàm mendaciter,& impudenter Lutherus contra Eccleſiam loquatur;dicit enim;Papiſtæ docent, quòd ratio ſine ſpiritu Dei poſsit diligere Deum ſuper omnia: ergo non opus eſt vllo Chriſti beneficio,ſed ſepeliunt Chriſtum,& fruſtra mortuum eſſe contendunt.Mentitur certè hic hæreticus:nam Eccleſia nunquam tale docuit; quin potiùs docet, nos egere gratia Dei vt diligamus Deum charitate infuſa;atq́ue adeò docet,nos non poſſe per facultatem naturæ diligere Deum dilectione naturali perfecta, vt abundanter demõſtratum eſt.¶ Ad argumenta in principio poſita,ad primum argumentum,conceſſo antecedenti, negãda eſt conſequentia:quia per peccatum primi parentis natura noſtra eſt reddita valde infirma ad diligenda bona ſpiritualia,propter repugnantiam partis ſenſitiuæ, & etiam propter deprauationem ipſius voluntatis;ex qua efficitur, vt ſit valde prona ad bona ſenſibilia.Altera conſutatio huius argumenti eſt, ſi dicamus; quòd probat voluntatem noſtram poſſe volũtate inefficaci diligere Deum,& velle illi placere; non autem competenter probat,quòd poſsit diligere Deum ſuper omnia,dilectione efficaci,& abſoluta.¶ Ad ſecundum neganda eſt argumenti conſecutio:nam tametſi appareant plures rationes bonitatis in Deo,quàm in voluptatibus,aut diuitijs,nihiloſecius tamen voluptatum, aut diuitiarum

D.Thom.

Quin.cõcl.

D.Thom.

Inuehitur autor in Lutherum.

Arg. ſolut. Ad pri. arg. in principio.

Ad ſecundũ Quare poſsit quis viribus proprijs diligere creaturã ſuper omnia, non tamen ipſum Deum.

uitiarum bonitas est magis sensibilis,& est obiectum magis præsens,& ideo facilius fertur homo in hæc sensibilia. Item est alia ratio. Nam quamuis cognoscamus plures rationes bonitatis in Deo,quàm in creatura,& ex hac parte voluntas alliciatur,& excitetur ad amandum Deū; cùm tamen plurima,& difficillima opera sint necessaria ad diligẽdum Deum super omnia, ideo non sequitur,quòd si possumus diligere creaturam super omnia,valeamus etiam diligere Deū super omnia.Nam vt dicatur aliquis diligere voluptates,aut diuitias plus quàm omnia, satis est vt anteponat illas alicui præcepto diuino:cæterum ad hoc vt verè dicamur diligere Deum super omnia, necessum est, vt obedientia, & obseruantia singulorum mandatorum non solùm anteponatur diuitijs,aut voluptatibus,sed & propriæ vitæ.Sed & aliam causam discriminis possumus demonstrare; quia in natura lapsa sumus auersi à Deo per peccatum; ex quo fit, vt totus noster conatus ex viribus naturæ non sit sufficiens vt voluntas conuertatur in Deum à praui tate peccati,nisi adsit gratia Dei,per quam natura sanetur,& peccatum condonetur. ¶ Ad cõfirmationem,de ethnicis,& infidelibus,qui interdum oppetunt mortem pro sua religione tuenda,dicendũ est,non inde esse consequens,quòd possit homo fidelis ex viribus oppetere mortẽ pro vero Deo sine speciali gratia Dei. Cuius rei variæ assignantur demonstrationes. Prima est, quoniam post peccatum primi parentis pronio res sumus ad malum,quàm ad bonum;& oppetere mortem pro falsa religione,malum est. Secunda est,quòd huiusmodi infideles cum oppetunt mortem pro sua religione,id faciunt adiuti ab ipsis dæmonibus,qui tacitè,& occultè suggerunt illis vires, & animum maiorem quàm sit animus humanus. Tertia est, quoniam vt quis oppetat mortem pro vero Deo,& pro eius dilectione,oportet vt pura sit vita, & immaculata, nullumque habeat peccatum mortale; alioqui non moritur pro Deo summè dilecto, quẽ suis peccatis mortalibus habet offensum: & hæc est vera huius difficultatis explicatio. Quarta est, quoniam licèt vir fortis possit ex viribus liberi arbitrij oppetere mortem pro republica tuẽda, at non potest sine diuino auxilio pro Deo, & eius dilectione mortem subire. Ratio discriminis est: quia viro forti potest constare euidenter,quòd salus, & incolumitas suæ reipublicæ est posita in sua morte:at verò homini Christiano non potest euidenter constare, quòd sua mors sit necessaria ad conseruãdum bonum diuinum. Sed & aliam confutationem huius argumenti audiui à viro doctissimo, quæ licèt mihi non probetur, fortasis alijs non displicebit; ea est,quòd potest homo ex viribus naturæ oppetere mortem pro Deo,& pro Christo; sed ex hoc non est consequens,quòd valeat diligere Deum super omnia.Nam ad dilectionem Dei super omnia est necessaria obseruatio omnium mandatorum Dei,& propositum nunquam diuinam legem præuaricandi; quæ omnia sine munere Dei haberi non possunt.Sed quomodo hæc sententia quadret cum illo Euangelij;Maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animá suam ponat quis pro amicis suis; iudicent doctiores; mihi non probatur, quòd quis diligat Deum plus quàm vitam propriam,quam pro illo profundit,& non diligat plus quàm omnia.

Ad confir. Infidelis an mortẽ oppetat pro vero Deo.

Cuiusdã viri docti explicatio.

¶ Ad tertium argumentum,concesso antecedẽti,negatur consequentia:quia quamuis naturaliter inclinemur ad diligendum Deum plus quã nos,tamẽ ista inclinatio est multùm debilitata, & extenuata post peccatum: quia exístit in nobis in parte sensitiua alia inclinatio, qua trahimur ad bona sensibilia,quæ inclinatio est multò vehementior,neque potest vinci sine auxilio Dei.Vel dicatur, quòd illa inclinatio naturalis, de qua loquitur Diuus Thomas loco superiùs citato,est quædam generalis inclinatio, quæ omnibus rebus,etiam insensibilibus, insita est, qua inclinantur vniuersæ res ad conseruationẽ boni vniuersalis,quod est Deus; ita vt si in periculum adduceretur vita, & esse diuinum, omnes res mallent Deum conseruari,quàm viuere, aut esse:ex qua inclinatione fit vt graue ascẽdat sursum ad vitandum vacuum. At verò hæc inclinatio ad Deum longè differt à dilectione Dei super omnia,de qua modò disputatur. Nam vt suprà dictum est,dilectio Dei super omnia non solùm consistit in hoc,quòd vitam diuinam anteponamus propriæ,sed etiam includit voluntatem anteponendi singula præcepta diuina propriæ vitæ,& saluti.His accedit,quòd homo in natura lapsa per peccatum à Deo, & ab vltimo fine auersus est,à qua auersione liberari non potest, nisi per gratiam Dei:quia peccatum in homine destruxit principium vitæ,quod est vltimus finis:& ideo sicut homo mortuus non potest sese viuificare;sic nec impius se iustificare, & in Dei amicitiam redire. ¶ Ad quartum negatur cõsequẽtia:quia nemo potest esse certus num seruauerit vniuersa legis mãdata;neque verò vtrũ ab omni peccato liber sit:non ergo poterit esse certus num diligat Deum super omnia voluntate efficaci,& absoluta. ¶ Ad quintum respondetur,quòd de perueniente ad vsum rationis possumus in triplici sensu disputare. Primus sensus, si est conditus in puris naturalibus: Secundus,si esset in peccato originali: vltimus, si esset baptizatus, vel in gratia constitutus. Si esset homo conditus in puris naturalibus, certè non posset diligere Deum super omnia,dilectione perfecta;

Ad tertiũ.

Ad quartũ.

Ad quintũ. De eo qui ad vsum rationis peruenit.

tùm

tum propter pugnantiam appetitus sensitiui cõtra rationem; tum propter corporis corruptionem: vnde non poterit operari totum bonum naturæ rationali consentaneum, & proportionatum. Ex quo consequens est, quòd non poterit diligere Deum super omnia, dilectione perfecta, & per totam vitam, & in his omnibus quæ occurrunt agenda. Verum est tamen, quòd si quis in puris naturalibus constitutus, perueniés ad vsum rationis, haberet illum actum dilectionis conuertendi se in Deum, quãtum in se erat, & statim moreretur, susciperet aliquod præmiũ ab autore naturæ; quia operatio erat moraliter bona, & quodammodo dilectio Dei super omnia, & operans à Deo per peccatum non erat auersus, nec Deo inimicus. Hinc facilè est intelligere, quid dicendum sit de homine constituto in peccato originali, qui dũ peruenit ad vsum rationis, conuertit se in Deum, proponitque studiosè agere. Dicendum namque est, quòd per illam conuersionem, & dilectionem virtutis, non reciperet præmiũ aliquod à Deo, quia est auersus à Deo, & ei inimicus; quapropter omnia eius opera, quamlibet studiosa, non sunt meritoria coram Deo, donec ad Deum conuertatur per specialem gratiam, & iustificetur. Insuper dicendum est, quòd talis dum proponit studiosè agere per vires liberi arbitrij, quodammodo diligit Deum super omnia, vt argumentum probat; at non perfecta dilectione: tum, quia est Dei inimicus; tum maximè, quia dilectio super omnia perfecta includit obseruantiam omniũ mãdatorum Dei, quam per totam vitam præstare non potest, sine auxilio diuinæ gratiæ: tum denique, quoniam includit propositum efficax nunquam transgrediendi diuina mãdata, quod sine diuinæ gratiæ munere nemini contingit.

De baptizato peruenięte ad vsum rationis.

¶ Sed iam exponamus quid dicendum sit de eo qui peruenit ad vsum rationis baptizatus, & proponit statim studiosè agere. De hoc sic decerno, vt dicam illum implere præceptum dilectionis Dei super omnia in illo statu; sed hoc ex munere gratiæ: siquidem iam habet gratiam iustificantem. Dico deinde, quòd nõ poterit diu, & per totam vitam in ea dilectione persistere, nisi diuinitus adiuuetur.

Optima difficultas.

¶ Sed ex dictis emergit quędá dubitatio nõ parua. Nam si homo in puris naturalibus constitutus non potest implere præceptum dilectionis Dei super omnia, quod obligat ex lege naturæ; consequens est, quòd obligat hominem ad id quod ratione naturali constat esse impossibile per vires naturæ. Dicere autem quòd autor naturæ obliget ad impossibile, aut quòd imputet homini id quod factu impossibile est, dogma execrandum est. Ad hanc dubitationem elucidandam multi multa dicunt; nos breui rem expedimus. Sunt qui dicant, quòd Deus prouidebit de auxilio diuinæ gratiæ vt possit tale præceptum implere. Sed istorum explicatio non probatur: nam loquimur de homine constituto in puris merisque naturalibus sine dono sanante naturam, aut illam supernaturaliter adiuuante, sed recto suæ naturæ; de quo constitutum est, quòd non potest ex viribus naturæ hoc præceptum implere. Aliorum responsio est, quòd ratio naturalis dictat vt homo faciat quod in se est, vt diligat Deum super omnia; quod si non facit, peccat contra rationem naturalem: cæterũ ratio naturalis non obligat ad aliquid quòd ipsa ratio demonstret per naturam esse impossibile; & ita ratione naturali non obligatur homo in puris naturalibus ad habendum amorem qui sit efficax ad omnia media necessaria ad finem, sed obligatur vt se conuertat in Deum, quantum in se est; quod si fecerit, piè credimus, quòd Deus illuminabit illum. Vel dicatur, quòd lex naturæ certè obligat vt diligamus Deum super omnia, & non obligat ad impossibile: nam possibile est quòd in primo instanti vsus rationis homo diligat Deum super omnia, dum proponit studiosè agere; poteritque in eo proposito per aliquod tempus perseuerare. Rursus potest omnia mandata diuinæ legis implere diuisiuè; nullum enim est præceptum quod implere non valeat, licèt omnia collectiuè obseruare nequeat.

Ad vltimũ.

¶ Ad vltimum argumentum dicendum, quòd homo existens in peccato mortali, absolutè & simpliciter diligit creaturam plus quàm Deum, prout in prima quæstione huius partis expositũ est. Ille verò locus qui ex prima parte obiectus est, ex superioribus facillimam habet solutionẽ. Atqui de hac quæstione satis dictum existimo. Aliæ quæstiones innumeræ solent tractari in hoc articulo, quæ ex alijs locis diuinæ Theologiæ hîc transportantur; Num sit speciale præceptum de dilectione Dei; & quando, & ad quid obliget. Rursus; vtrùm præceptum dilectionis ex toto corde, & ex omnibus viribus in hac vita expleri possit? Sed prædictæ quæstiones habẽt suam sedem apud Diuum Thomam 2.2. q. 44. Præterea Caietanus in hoc loco insinuat aliam quæstionem, & soluit illam; An dilectio Dei super omnia, quæ ex viribus naturę haberi potest, pertineat ad specialem virtutem; Legite apud autorem; neque enim est tanti momẽti, vt operæpretium sit in eius explicatione ampliùs immorari.

Supra q. 1. ar. 5.

Caiet.

ARTIC. QVARTVS.

¶ Vtrùm homo sine gratia Dei per sua naturalia possit præcepta legis implere.

SVM-

SVMMA TEXTVS.

Prim. cõcl. PRima conclusio. Homo in statu naturæ integræ per suas vires prę cepta legis implere poterat quantum ad substantiam operum, prout homo operatur iusta, & fortia, & alia virtutis opera; alioqui non potuisset in statu illo non peccare, & totum bonum naturæ rationali proportionatum perficere; cùm nihil aliud sit peccare, quàm transgredi diuina præcepta. ¶ Secunda conclusio. In statu naturæ corruptæ non potest implere omnia mandata diuina sine gratia sanante, propter imbecillitatem naturæ. ¶ Tertia conclusio. Quantum ad modum agendi vt ex charitate fiant, non poterant diuina mandata in vtroque statu impleri sine gratia adiuuante. Vnde Diuus Augustinus, cùm dixisset, quòd sine gratia nullum prorsus bonum homines faciunt, subdit; non solùm vt monstrãte ipsa quid faciendum sit, sciant, verùm etiã vt præstante ipsa faciant cum dilectione quod sciunt.

Secũd, cõcl.

Tert. cõclu.

Aug. lib. de correct. & gratia.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Prim. cõcl. D. Thom. discutitur. Prim. argu. CONtra primam conclusionem argumenta fiunt non omnino inualida, quæ alioqui Theologum minimè attentum decipere possunt. In primis; Si homo in statu naturæ integræ potest perficere omne bonũ, habet hoc ex dono sanante naturã; videlicet ex iustitia originali: ergo nõ poterat seruare omnia mãdata diuina per sua naturalia.

Secundum. ¶ Deinde, homo nõ poterat in illo statu felicitatis, & integritatis per vires naturales liberi arbitrij seruare præcepta fidei, spei, & charitatis; hęc enim opera de sua natura sunt supernaturalia: ergo non poterat implere omnia diuina mãdata.

Tertium. ¶ Præterea, non poterat implere præceptum de habenda gratia Dei, etiam quantum ad substantiam operis. Quòd verò sit præceptum de habenda gratia Dei, sic ostenditur: tum, quoniam est præceptum de habenda charitate, quæ sine gratia haberi non potest: tum deinde; quoniam tenemur præcepto diuino nõ perdere gratiam, siquidem tenemur præcepto non perdere nummos: ergo tenemur habere gratiam: tum tertiò, quoniam qui perdit gratiam, occidit se spiritualiter: ergo tenemur non perdere gratiam: tum deniq́ue si non extat præceptum de habenda gratia, consequens est posse fieri vt quis seruet omnia mandata, & non consequatur vitam ęternam. Demus enim quòd quis adimpleat cætera præcepta, & non habeat gratiam, certè regnum non possidebit. ¶ Quartò arguitur, & statuo pro certo, quòd homo peccauit primum peccatum superbiæ, quod est contra legem naturæ; tunc conficitur hoc argumentum. Homo non poterat in statu naturæ integræ in bono perseuerare sine peccato, nisi per auxilium gratię supernaturalis, vt habet sana doctrina: ergo per vires suæ naturæ non poterat non peccare, aliàs potuisset perseuerare. Explicatur hoc apertiùs. Nam si primus parens obseruasset illud præceptum de non comedendo de ligno vetito, perseueraſſet in æternum in gratia confirmatus: ergo nõ poterat illud seruare viribus naturę; alioqui sequitur euidenter quòd potuisset in bono perseuerare sine auxilio gratiæ. ¶ Vltimò arguitur ex testimonijs Patrum. Diuus Augustinus docet expressè, primum parentem indiguisse auxilio diuinæ gratiæ vt perseueraret in bono; & alibi, quòd homo in illo statu indigebat diuino auxilio ad custodienda diuina mandata. Et sacra Concilia definiunt, hominem sine auxilio Dei speciali non posse seruare vniuersa legis diuinæ mandata; & non distinguunt de homine in statu naturæ integræ, aut corruptæ. ¶ In huius rei expositionem dicendũ est, quòd Diuus Thomas in prima conclusione intelligendus est de præceptis naturalibus, & non supernaturalibus; in quo sensu verissima est conclusio Diui Thomæ, quam omnes Theologi summa cõsensione docẽt. Nam homo in tali statu habet perfectam, & integram naturam, neq́ue habet pugnam, qua caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem; neq́ue deprauationem voluntatis, nec corporis corruptionem; & ex alia parte præcepta legis naturæ sunt nobis proportionata: poterat igitur homo vniuersa legis naturalis mandata obseruare; & id quidem per liberi arbitrij vires: quæ sententia ex definitionibus Conciliorum manifestè colligitur. Nã cùm Concilia definiunt, hominem per facultatem naturæ vniuersa præcepta non posse implere, inducunt pro causa; quoniam liberum arbitrium

Quantum.

Vltim. Aug. lib. de correct. & gratia c. 11. Lib. de nat. & gratia c. 48.

Quis sit cõclusionis sensus.

Concil.

trium est extenuatum, & inclinatum per peccatum: ergo si esset integrum, vtique poterat vniuersa mandata seruare. ¶ His positis, ad argumẽta respondẽdum: & ad primum dicẽdum, quòd iustitia originalis, vt faciebat statum naturæ integrum, & rectum, sanabat naturam; non quòd eleuaret illam ad aliquid supernaturale, sed perficiebat animæ vires ad actus naturæ proportionatos: vnde ad huiusmodi operationes non indigebat homo auxilio supernaturali ex influentia gratiæ, quam habebat inquantum gratia eleuabat hominem ad finem supernaturalem. Dicendum itaque, quòd donum iustitiæ originalis, quatenus rectificabat hominẽ in ordine ad opera nostræ naturæ consentanea, inter dona naturalia numerandum est, prout expositum est in principio huius quæstionis, & in secundo articulo. ¶ Ad secundum negatur consequẽtia: quia Diuus Thomas loquebatur de præceptis naturalibus, nõ de supernaturalibus, de quibus, vtrùm possint seruari sine gratia, in sequentibus disputabitur. ¶ Ad tertium dicendum, quòd non habemus præceptum de habenda gratia: nã de habitibus non dantur præcepta; de qua re erit specialis quæstio ad finem huius articuli. ¶ Ad quartum dicendum, quòd peccatum primi hominis fuit superbia contra præceptum supernaturale positiuum, eò quòd quæsiuit propriam excellentiam frangendo illud præceptũ. Oportuit enim hominem humiliari sub manu Dei potentis, & præcipientis ne comederet de fructu illius arboris; cuius præcepti ratio nõ est cognita lumine naturali, sed lumine fidei; & sic primi parentes potuerũt tentari à dæmone, inquirente, Cur præcepit vobis Deus? Vnde concedi potest, quòd ex viribus naturæ non potuit seruari illud præceptum, præsertim præsuppositi dæmonis tentatione, sed opus erat fide supernaturali, & humilitate supernaturali ad illud præceptum seruandum. Vnde dicimus, quòd potestas ad non peccandum, quæ erat in primo parente, erat respectu præceptorũ naturaliũ: respectu verò præceptorũ supernaturaliũ indigebat auxilio gratiæ supernaturalis. Vel dicatur ad argumenti confutationem, quòd cùm asserunt Theologi, indiguisse primum hominem dono gratiæ ad perseuerãdum in bono, loquuntur de perseuerantia in bono, siue naturali, siue supernaturali. ¶ Ad vltimum argumentum ex testimonio Augustini ex nunc dictis patet quid dicendum sit. Vel loquitur de dono perseuerantiæ efficaci, quod Deus dedisset homini si non peccasset: dedit enim donum, quo perseuerare potuit; sed non dedit donum, vt actu perseueraret. ¶ Ad Conciliorum definitiones dicendum, quòd loquuntur de homine vulnerato, & constituto in natura corrupta. Vel loquuntur de vniuersali mandatorum Dei obseruatione vt oportet ad vitam æternam consequendam.

Ad argum. Ad primum. Ad secundũ. Ad tertium. Nõ est præceptũ de habenda gratia. Ad quartũ. Ad vltimũ. Ad Concil.

¶ Aduersus secundam conclusionem insurgũt viri doctissimi, & eam vt falsam reprobant. In primis Durandus in 2. d. 28. q. 4. Scotus quoque in eadem d. q. 1. & Diuus Thomas q. 1. articu. 2. Abulensis super Matthæum c. 19. q. 177. & 178. Argumenta pro sententia Durandi sunt huiusmodi. Primò, ad Rom. c. 2. inquit Paulus; Gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt: ergo ex viribus naturæ possunt seruari omnia præcepta legis. Quòd si quis dicat, quòd Diuus Paulus loquitur non de omnibus, sed de quibusdam; in contrarium est sententia Chrysostomi, qui elucidans prædictam sententiam, dicit, quòd omnia legis naturalis præcepta præstiterunt: & Diuus Thomas in solutione primi intelligit prædictum testimonium de omnibus operibus. ¶ Secundò sic arguitur. Homo in puris naturalibus constitutus per sua naturalia poterat seruare totam legem: ergo etiam in natura lapsa. Consequentia inde probatur: Nã, vt ex præcedentibus documentis constat, quidquid bonorũ operũ potest efficere homo in puris naturalibus, potest etiã in natura lapsa; nõ eñ differũt, nisi sicut homo nudus, & homo nudatus. Antecedẽs probatur; nã si homo esset conditus in puris naturalibus, non destinatus ad gratiam, neque ad remissionem peccatorum, neq; ad aliquod donum supernaturale, si non posset ex facultate naturæ seruare totam legem, & nõ peccare, sequitur euidenter, quòd homo in puris naturalibus constitutus ex necessitate debebat esse miser, & condemnari sine remedio: nã non poterat omnia mandata legis seruare: vnde necessum erat vt aliquando in peccatum mortale prolaberetur: peccato autem mortali supplicium æternum debetur. Nec potest res expediri, si dicamus, quòd Deus remittet, & condonabit peccatum: nam hoc est contra hypothesim; statutum est enim, quòd sit conditus in puris naturalibus, non destinatus ad donum aliquod supernaturale. ¶ Tertiò sic. Homo in statu naturæ integræ potuit seruare omnia præcepta diuina ad legem naturæ spectantia: ergo etiam in natura lapsa. Antecedens patet ex dictis. Consequentia inde probatur: nam peccatum non destruxit bonum naturale, neque ex parte intellectus, neque ex parte voluntatis. Quòd si dicas, quòd impeditur ex parte appetitus sensitiui, qui factus est rebellis, & pugnat contra rationem; hoc tantùm probat, quòd non possumus facilè omnia præcepta seruare: non tamen persuadet, quòd omnino non possumus. ¶ Quartò. Homo potest per spatium vnius diei implere præcepta quæ illi occurrunt, idque per suas vires: & ex ista obseruantia efficitur potentior ad idem facien-

Secũ. cõcl. D. Thom. exponitur. Durand. Scot. D. Thom. Abulens. Rom. 2. Argu. prim. Chrysost. D. Thom. Secundum. Tertium. Quartum.

faciendum die ſequenti: ergo poterit per ſuas vi
res die ſequenti præcepta ſeruare, & pari ratio-
ne, alia atque alia die, & ſic per totam vitam.
Explicatur vis & pondus huius argumenti. Nã
ſi homo, antequam acquireret habitum virtu-
tis, potuit ſemel & iterum ſeruare mandata, mul
tò melius poterit ſeruare poſt virtutem compa-
ratam. Certè homo adimplendo vnum præce-
ptum, fit habilior, & potentior ad ſeruanda alia,
& ita conſequenter per totam vitam.

Quintum. ¶ Quintò. Deus nihil præcipit impoſsibile; ſed
præcipit, non tantùm vt ſeruemus ſingula præ-
cepta, ſed etiam omnia, & vt non peccemus: er-
go poſſumus ſeruare omnia præcepta. Certè te-
nemur non peccare; at ſi non peccamus, ſeruа-
mus totam legem: ergo tenemur ſeruare totam

Confir. legem. Hoc idem confirmatur: quia alioqui ho-
mo non peccaret, habens iſtum actum volunta
tis; volo non ſeruare omnia præcepta legis; ne-
mo enim peccat in eo quòd renuit, & non vult
aliquòd impoſsibile. Imò videtur, quòd ſi ho-
mo non poteſt ſeruare totam legem, quòd iſta
volitio; volo ſeruare totam legem; eſſet temera-
ria, ſiquidem eſſet voluntas rei impoſsibilis.

Vltim. Argumẽta Pelagianorum. ¶ Vltimò ſic argumẽtabãtur Pelagiani. Vel poſ
ſibilia dedit nobis mandata Deus; vel impoſsibi
lia. Si poſsibilia, ſeruari poſſunt: Si impoſsibilia;
ergo nõ peccamus, ſi nõ ſeruamus: nemo enim
peccat in eo quod vitare non poteſt. Vel alio
modo cõficitur hæc argumẽtatio. Vel in nobis
eſt poſsibilitas non peccandi, vel neceſsitas. Si
primum; ergo poſſumus ſeruare totam legem.
Si ſecundum dederis; ergo non peccamus. Simi
lia argumenta conficiebat Pelagius, quæ com-

Auguſtin. memorat Diuus Auguſtinus libro de perfectio
ne iuſtitiæ. Profectò ſi natura noſtra non poſſet
ſeruare totam legem naturæ, ſed ex neceſsitate
aliquãdo deficeret, nõ falsò, ſed verè quereretur
genus humanum de ſua natura, quippe quæ ſit
miſerior cunctis rebus, & hanc inuidiam poſsit
reducere in ſuum autorem, qui condiderit ho-
minem, qui ſine peccato eſſe nõ poteſt. Si enim
Deus condidiſſet ignem, qui ſuapte natura ſine
defectu eſſe non poſſet, talis defectus in autorẽ
naturæ eſſet referendus: quemadmodum ſi infu
diſſet habitum, qui de ſua natura inclinaret ad
falſitatem; talis falſitas in autorem naturæ eſſet
referenda. In huius quæſtionis expoſitionẽ eſt

Prim. cõcl. prima concluſio. ¶ Homo in natura lapſa per vi
res ſuas poteſt aliqua præcepta legis naturæ ob-
ſeruare; vt honorare parentes; ſubuenire paupe
ri, & ſimilia. Hæc concluſio ex dictis ſatis liqui-
da eſt, neque habet contradictorem, niſi vnum
Gregorium Arim. cuius ſententiam in ſuperio-

Seçũ. cõclu. ribus fuſiſsimè impugnauimus. ¶ Secunda con
cluſio. Ad breue tẽpus poteſt homo ex viribus
naturæ omnia præcepta legis naturæ, quæ oc-
currunt, ſeruare. Nam præcepta affirmatiua nõ
obligant pro ſemper, neque omnia occurrunt ſi
mul implenda: negatiua verò ſine actu ſeruan-
tur; vt non occides. Et certum eſt, quòd homo
ad tempus poteſt ſe negatiuè habere, atque etiã
ſi opus fuerit reſiſtere iræ, quæ ad homicidium
ſolicitat, & prouocat. ¶ Tertia concluſio. Nemo **Tert. cõcl.**
hominum in ſtatu naturæ lapſæ ſine gratia Dei
poteſt implere omnia præcepta legis naturalis,
quantum ad ſubſtantiam operum: & contrariũ
dogma eſt hæreſis Pelagianorum. Sic docet Ma **Mag. Soto.**
giſter Soto lib. 1. de natura & gratia. ca. 22. ſic &
Diuus Thomas ſcribit in præſenti articulo. Pela **D. Thom.**
gius enim habuit duos errores: Vnus erat, quòd
poterat homo ex viribus naturæ iuſtificari corã
Deo, credendo, ſperando, & amando; quæ ope-
ra poterat præſtare ex viribus liberi arbitrij ſup-
poſita lege diuina, & Euangelij prædicatione,
quam ille appellabat gratiam. Secundus error
erat, quòd homo poterat ex viribus naturæ vni
uerſam legem implere. Fundamentum huius er
roris erat: nam ipſe exiſtimabat, quòd per pecca
tum primi parentis, liberum voluntatis arbitriũ
in deterius non eſſet commutatum, nec in ali-
quo extenuatum; quapropter arbitrabatur tan-
tam perfectionem habere, atque habuit in ſtatu
naturæ integræ. Vtrumque horum eſſe contra
fidem definierunt Patres Concilij Mileuitani, & **Cõcl. Mile. & Arauſic.**
Arauſicani. Certè Patres Concilij Mileuitani in
epiſtola, quam ſcripſerunt ad Innocentium, pla
nè teſtantur, liberum arbitrium poſt peccatum
ſic eſſe extenuatum, vt non poſsit legem imple-
re, niſi gratia adiuuetur: lex enim nouit iubere,
nõ iuuare. Hæc epiſtola habetur inter epiſtolas
Auguſtini num. 95. Idem definitur in Concilio **Cõci. Mile. ca. 5. Cõc. Tridẽ. ſeſſ. 6. ca. 2. & 13.**
Mileuitano: & in Concilio Tridentino in hunc
modum definitur; Formidare enim debent iu-
ſtificati de pugna quæ ſupereſt cum carne, cum
mundo, cum diabolo, in qua victores eſſe non
poſſunt, niſi cum gratia Dei, iuxta illud Pauli; **Paulus.**
Si autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis,
viuetis. Ex hoc colligitur euidens argumentum.
Si iuſtificatus non poteſt perſeuerare, quin ali-
quando mortaliter peccet ſine ſpeciali munere
Dei: ergo multò minus homo in puris naturali-
bus, aut in natura lapſa conſtitutus poterit eſſe
victor in pugna contra carnem ex viribus natu
ræ: conſentire autem concupiſcentijs carnis, cõ- **Aug. epi. 90 vſq; ad 96. li. de ſpiritu & lit. lib. de gratia Chriſti c. 8. & 9. li. de gratia & lib. arb. c. 10. & 11. li. 2. cõtra Pelag. & Celeſti c. 25.**
tra legem naturæ eſt: non ergo poteſt homo ſi-
ne diuino auxilio omne peccatum cauere con-
tra legem naturæ; ac ſubinde non poterit totam
legem implere. Ad hæc, in lib. de hæreſibus ſcri
bit Auguſtinus, pertinere ad hæreſim Pelagiano
rum, ſi quis dixerit, per vires naturæ hominem
poſſe vniuerſa legis præcepta ſeruare. Contra
iſtum errorem toto agmine dimicat Auguſti-
nus in multis locis, cuius argumenta ſunt. In pri

mis,

mis, Diuus Paulus in epistola ad Roman. & in epistola ad Galat. hoc persequitur argumentũ, vt ostendat, tam Iudeos, quàm Gentiles esse peccatores, & egere gloria Dei; ergo non possunt homines seruare vniuersam legem naturæ sine speciali Dei munere. Deinde, Diuus Paulus cũ dicit, Lex subintrauit vt abundaret delictum; & lex iram operatur; & litera occidit; loquitur apertè de lege naturali: loquitur enim de illo præcepto; Non concupisces; quod certè inter præcepta legis naturæ in decalogo continetur: dicit enim Apostolus, Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret; Non concupisces; ergo lex naturæ sine auxilio gratiæ seruari non potest. Præterea, quando dicit Paulus, Non iustificatur homo ex operibus legis; etiam manifestè comprehendit legem naturæ: nam si lex naturalis posset homines iustificare, gratis Christus mortuus esset; vt rectissimè ratiocinatur Diuus Paulus. Ad hæc, quãdo dicit Apostolus; Infelix homo, quis me liberabit de morte corporis huius? & respondet, Gratia Dei per Iesum Christum; manifestè loquitur de tentationibus carnis contra legem naturæ; nam præmiserat; Sentio aliam legẽ in membris meis; à quibus testatur se non posse liberari nisi per gratiam Christi. Sed & illud argumentum ex Diuo Paulo collectũ efficaciter rem concludit; dicit enim; Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus spiritus tenebrarum harum; planissimè loquitur de pugna, & tentationibus dęmonum contra legem naturæ. Ex his patet, quòd secundùm documenta Diui Pauli non possumus seruare totam legem naturæ sine gratia Dei speciali. Sed quoniam poterat quis dicere, quòd ex cõmemoratis testimonijs tantùm probatur, quòd non possit homo sic seruare totam legem naturæ, vt per eam iustus sit coram Deo; verius idẽ demonstratur ex illo; Abscondi à te faciẽ meã, & abijt profugus in errorem cordis sui: quibus verbis significatur, quòd homo, qui est in peccato, necesse est corruat in alia delicta, nisi ad Deũ conuertatur. cui concinit illud; Qui non in timore Domini continuerit se, citò corruet domus eius. Hoc ipsum docent sancti Patres, præcipuè Gregorius, & Diuus Chrysostomus eluci dans illa verba; Soluite, & adducite mihi. His ac cedunt rationes, quibus in superioribus ostensum est, hominem in natura lapsa per vires suas non posse omne bonum perficere, neque diligere Deum super omnia. Et est alia ratio. Nam lex scripta non potuit hominem iustificare, vt docet apertè Diuus Paulus: ergo multò minus lex naturæ. Probatur consequentia: nam lex scripta data fuit à Deo vt legem naturæ adiuuaret, atque perficeret. Sed quid si homo esset in gratia iustificante coram Deo, poterit ne seruare totam legem sine alio auxilio speciali? Videtur certè quòd possit: nam Diuus Thomas dicit, quòd non potest sine gratia: ergo cum gratia poterit. Sed certè non poterit: sic definitum est in Concilio Tridentino in loco proximè citato: sic ostẽdit D. Thom. ar. 9. & 10. huius quæstionis, ex vera & diuina Theologia. Hìc tantũ definit, quòd non potest homo seruare, & implere totam legem sine gratia sanante naturam: vnde si homo haberet sanam, & integram naturam, sicut in statu innocentiæ, posset quidem seruare totam legem: gratia verò iustificans non plenè sanat naturam. ¶ Quarta conclusio. Sunt quædã præcepta particularia, quæ propter incidentes tentationes ita sunt difficilia, vt homo sine auxilio Dei speciali illa præcepta non possit implere. Probatur ex illo quod dicitur Sapient. 8. Quia scio quòd nemo potest esse continens, nisi tu dederis: & Paulus ad Roman. 7. propter huiusmodi graues tentationes, dicit, Sentio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mẽtis meæ, & captiuum me ducentem in legẽ peccati. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum. Item in oratione Dominica quotidie petimus, Et ne nos induc as in tentationem; quod nihil aliud est, quàm dicere, ne in graui, & vehementi tentatione deseras nos: sed non peteremus id, si nostris viribus possemus tantis tentationibus resistere. Ratione idem probatur. Homo infirmus, & ęger quemadmodum nõ potest efficere quę homo validus, & sanus; ita si aliquod opus in particulari sit nimis laboriosum, non potest id exercere, neque paruo quidem tempore: sicut homo infirmus, non potest longum iter pedibus conficere, quamuis paulatim, & leuiter gradiatur: neque potest paruum spatium cursu velocissimo conficere. Igitur ad eundem modum, cùm liberum arbitrium sit infirmum, non poterit sine auxilio gratiæ, neque facere omnia opera studiosa per multum temporis, nec verò ea ad exiguum tempus, in quibus est maior difficultas. ¶ Ad argumenta in principio posita respondendum, & ad primum dicendum, quòd Diuus Augustinus sic explicat propositam sententiam. Nõ te moueat quod Apostolus dicit; Naturaliter ea quæ legis sunt faciunt; hoc enim agit spiritus gratiæ, vt imaginem Dei, in qua naturaliter facti sumus, instauret in nobis. Itaque commentarius Augustini est, quòd gentiles sanati per gratiam Spiritus sancti sine lege scripta ductu rationis naturalis operantur ea quæ ad legem naturę spectãt. Diuus Thomas elucidans hanc sententiam Pauli dicit, quòd loquitur de natura humana reformata per gratiam. Alius commẽtarius est, quòd Diuus Paulus non dixit, omnia quæ legis sunt faciunt, sed aliqua. Inde Diuus Augustinus inquit,

Ephes. 6.

Esa. 57.

Eccli. 27.

Greg. 22. li. mora. c. 12. Chryso. in Matt. c. 20.

Rom. 3. Gal. 2.

An existens in gratia possit seruare totã legẽ sine alio auxilio.

D. Thom.

Solutio ex Concil. Trident. & D. Tho.

Quæst. 66. 6.

Sap. 8.

Rom. 7.

Arg. soluũ.

Aug. lib. de spiritu & lit. c. 26 & 27

Ad pri. arg.

D. Tho.

Aug. lib. de spiritu & lit. c. 28.

quit, quòd neq; in malis adeò est destructa imago Dei, quin in sua impietate aliqua legis opera faciant. Et secundùm hanc explicationem respõdetur ad Chrysostomum, non esse intelligendũ quòd aliquis ex gentibus sic fuerit legis vniuersæ obseruantissimus, & omnia præstiterit opera, sed quidam, quædam opera; alij verò, alia: & ita verificatur, quòd gentes omnia quæ legis sunt præstiterunt, naturaliter. Sed verissimus cõmentarius est, quòd loquitur Diuus Paulus de gentibus ad fidem conuersis, vt efficaci ratiocinatione demonstrat Augustinus in loco superius adducto: legite autorem. Nos ad secundum argumentum confutandum reuertamur. ¶ Ad secũdum itaque dicendum, quòd de eius magna difficultate diximus quantum dedit Deus ad finẽ art. 2. recolite ea quæ in illo loco posita sunt, neque enim meliora se offerunt. ¶ Ad tertium negatur consequentia: nam licèt peccatum nõ destruxerit naturam, reddidit tamen illam imbecillam, & infirmam; & liberum hominis arbitrium post peccatum mansit extenuatum, & ad bona sensibilia inclinatum. Ad aliud, quòd naturalia manserunt integra post peccatum, dico, mansisse integra quantum ad essentialia, & quantũ ad potentias naturales; manserunt verò potẽtiæ & animæ vires debiles & infirmæ ad operandum constãter opera virtutis. His addat Theologus, mãsisse integra naturalia, sicut si homo esset cõditus in puris merisque naturalibus; sed homo conditus in puris naturalibus nõ poterat per sua naturalia omnia opera studiosa perficere, vt satis in superioribus demonstratũ existimo. ¶ Ad quartum negatur consequentia: nõ enim sequitur, quòd si homo possit vitare singula peccata, possit omnia ex viribus naturæ. Et argumentũ, quo contrarium probatur, habet vitium à sensu diuiso, ad compositum: comprobaturq; euidenter argumentum esse nugatorium, exemplo infirmi, qui potest aliquos gressus facere, at nõ potest diu persistere ambulando, quin cadat: sic sanè homo per peccatũ infirmus, & æger, propter humana negotia quibus mẽs implicatur, aliquãdo corruet nisi sanetur. Et quãquam homo per exercitium virtutum non fiat ineptior ad operãdum, sed habilior; at cũm homo in se sit debilis, & imbecillis, tandem aliquando corruet, sicut patet in exemplo infirmi: licèt enim ambulando fiat habilior, nihilominus si pergit ambulare, sine dubio corruet; imò ex ipso exercitio virtutum occasionaliter defatigatur homo, & lassatur vt cadat, nisi per gratiam adiuuetur. Ex his patet ad confirmationem argumenti.

¶ Ad quintum multa respondebant Pelagio sancti Patres. Diuus Hieronymus videtur concedere, quòd impossibilitas implendi mandata teneatur in crimine; & probat ex illo; Sentio aliá legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ &c. quibus verbis videtur significari, quòd sit peccatum in eo quod vitare non possumus. Sed profectò non possum intelligere Diuum Hieronymum, potiùs amplector illius sententiam, cum inquit; Qui dicit Deum præcipere impossibile, anathema sit. Diuus Augustinus alia pergit via: dicit enim, quòd homo potest implere omnia mandata, si sanetur à crimine: quare inuocamus Deum dicentes, De necessitatibus meis erue me. Diuus Thomas in articulo in solutione 2. & 3. contra gentes. c. 159. dicit, quòd homo habet semper paratum diuinum auxilium, vt omnia diuina mandata custodiat; iuxta illud; Qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem venire. Sed qui dicunt Deo, Recede à nobis, & scientiam viarum eius nolũt, & rebelles sunt lumini, ipsi sibi sunt perditionis causa. Et cap. 160. aliam solutionem persequitur dicens, quòd licèt homo peccator auxilio careat diuino, sibi erit imputandum; nam ille defectus ex præcedenti delicto originem trahit: sicut ebrius non excusatur ab homicidio, quando sciens & prudens in ebrietatem lapsus est, præuidens inde malum subsecuturum. Sed hæc solutio habet calumniam, prout in superioribus expositum est. Nam si hæc solutio vera est, sequitur certè, quòd postquam homo caret auxilio diuino, non imputetur ad nouam malitiam quòd non seruet diuina mandat, sicut ebrio non imputatur ad nouam malitiam quòd in ebrietatẽ occidat. Pergit Diuus Thomas aliam solutionem adhibere: scribit enim, quòd licèt homo non habeat potestatem implendi omnia mandata per totam vitam, potest tamen singula seruare, & quæcunque in particulari occurrunt: propter quod si transgreditur aliquod præceptum, voluntariè transgreditur.

¶ Sed dices, Quid est quòd Deus tribuat nobis possibilitatem seruandi singula, non tamen vt omnia seruemus? Certè hoc inde prouenit, quia diuinum auxilium mouet liberum arbitriũ secundùm conditionem suæ naturæ: conditio autem humani ingenij hæc est, quòd in tempore determinato possit adhibere diligentem vigiliam, sed per totam vitam nõ potest: tum propter diuersa negotia, quibus humana mens implicatur: tum propter imbecillitatem nostram: tum tertiò, propter defatigationem animæ nostræ, quæ in operando lassatur, & deficit.

¶ Sed contra prædictas solutiones est argumentum. Nam si constituamus hominem, qui nihil audiuit de gratia Dei, sed nutritus est inter barbaros, & tantùm ducitur lumine rationis humanæ, certè talis videtur quòd non peccet non seruando omnia præcepta; vel quòd non habeat præceptum seruandi omnia præcepta legis naturalis:

Explicatur paulò post. 2./

Augustin.

Ad secundũ

Ad tertium

Ad quartũ.

Ad vltimũ. D. Hiero. li. 2. cõtra Pelag.

Aug. lib. de perfect. iust.

D. Thom.

1. Tim. 2.

Quare homo possit seruare aliqua præcepta sine gratia non tamen omnia

Obiectio.

ralis: nam inuincibiliter ignorat gratiam Dei, & auxilia supernaturalia, per quæ poterat implere omnia diuina mandata. Ad huius obiectionis

Solutio.

expositionem dicēdum, quòd ille peccaret quidem non seruādo omnia mandata, sed nō quia non seruat omnia, sed quia non seruat singula quę potest per naturam seruare. Vnde dicimus, quòd homo in puris naturalibus non habet prę ceptum speciale seruandi omnia mandata, sed singula: verum est tamen, quòd habet aliud spe ciale præceptum, in quo omnia includuntur, sci licet de conuertendo se in Deum; sed hoc prę ceptum tantùm obligat hominē vt faciat quod in se est ex viribus naturæ, vt conuertat se in Deum efficaciter; quod potest facere per breue temporis spatium, vt antea declaratum est; vt cū peruenit ad vsum rationis. Vnde si homo habe ret illam volitionem, de qua fit sermo in argu mento, scilicet volo non seruare omnia manda ta collectiuè, quia scio me non posse ex mea im becillitate, & infirmitate, & gratiam Dei nō ag nosco; fortasis non peccaret mortaliter; sicut non peccaret modò, qui diceret, nolo vitare om nia peccata venialia collectiuè; quia scio hoc es se mihi impossibile secundum legem ordinariā, imò credo, quòd qui diceret, volo cauere om nia peccata venialia collectiuè per totā vitā, præ sumptionis & temeritatis argueretur: nihilomi nus in hac volitione esset peccatū veniale, quia videtur actus otiosus; sicut si diceret, volo non volare. Sed adhuc viri doctissimi non quiescūt, neq; sibi satisfaciunt: dicūt igitur, quòd aliquid esse possibile, vel impossibile, intelligitur bifa riam: Vno modo, logicè; alio modo, moraliter. Possibile logicè illud dicitur, quod non cōtinet euidentē contradictionem consideratis naturis rerum absolutè. Et illud impossibile, quod in cludit contradictionem. At moraliter loquēdo, illud dicitur impossibile, quod nunquam cōtin git, neque continget secundum facultatem libe ri arbitrij. Cum ergo decreuimus, esse impossibi le per vires liberi arbitrij hominem seruare om nia mandata, non loquimur, de impossibili Dialecticè, sed de impossibili moraliter; sicut di cimus, esse impossibile vt in hac ciuitate omnes homines sint studiosi; tametsi quilibet potest es se iustus & studiosus. Hæc autem doctrina fun datur in quodam principio moraliter certo & euidenti; quia omne quod natura sua est defe ctibile, necesse est quòd aliquando deficiat, nisi per aliquod fortius contineatur: sed liberum ho minis arbitrium, & maximè in natura lapsa, est suapte natura defectibile: ergo necessum est quòd aliquando deficiat, nisi diuinitus adiuue tur: hęc autem necessitas non efficit, vt quando homo deficit, non deficiat liberè; quemadmo dum hæc propositio verum dicit; necesse est ho

Præceptum est seruare singula mādata.

Notanda doctrina.

minem sæpenumero liberè operari; & tamen quotiescunque operatur, liberè operatur, & nō necessariò: sic etiam verum est, necessum est ho minem quandoque deficere; & quando deficit, liberè deficit. Ex his quæ dicta sunt, omnia ar gumenta proposita solutionem habent.

¶ Alia dubitatio sequitur, vtrū homo in natura lapsa, vel in natura integra possit per facultatem naturæ seruare præcepta supernaturalia quantū ad substantiam operum, videlicet præceptum fi dei, charitatis, & sacramentorum? ¶ A parte af firmatiua sic arguitur. Nam Diuus Thomas 2.2. q.171.artic.2.ad 3. apertè docet, aliqua esse quæ excedunt facultatem naturæ, quantum ad sub stantiam actus; vt suscitare mortuos; scire futura contingentia: alia verò sunt quæ excedunt fa cultatem naturæ, non quantum ad substantiā, sed quantum ad modum; vt diligere Deum su per omnia; credere articulis fidei. Ergo si dilige re Deum potest homo quantum ad substātiam operis ex facultate naturæ, multò magis poterit alia opera virtutum perficere quantum ad sub stantiam operis. Caietanus explicans prædictā sententiam Diui Thomæ idem sentit; quod sa nè magna assueratione docet in hoc articulo Capreolus in 1.d.17.articulo 1.ad 1. & ad secun dum Aureoli contra primam conclusionē am plectitur eandem sententiam.

De obseruā tione super naturalium præceptorū quantū ad substantiā.

Argu. prim. D. Thom.

Caiet.

Capr.

¶ Secundò arguitur. Præcepta sacramentorum sunt supernaturalia, vt planè constat: hęc tamen potest implere homo sine speciali Dei gratia; vt si aliquis baptizetur cum proposito permanēdi in peccato; certè adimplet præceptum baptismi, quantum ad substantiam operis, non enim te netur iterū baptizari. ¶ Tertiò. Is qui accedit ad sacramentum confessionis, putans se adhibuisse optimam diligentiam, cum tamen ex errore cul pabili in hoc fuerit deceptus, talis absque dubio adimplet præceptum confessionis, quantum ad substantiam operis; non enim iterum tenetur confiteri. ¶ Quartò sic arguitur. Paganus cùm nolit esse Christianus, potest credere esse verum quod prædicat Euangelium: ergo adimplet prę ceptum fidei quantum ad substantiā operis: & hæretici sperant quòd ex Dei gratia consequen tur vitam æternam; videntur itaque adimplere præceptum spei, quantum ad substantiam ope ris: non enim desperant. ¶ Præterea, homo exi stens in peccato mortali potest respondere pro honore Dei quando viderit nomen eius bla sphemari; & hoc est implere præceptum amici tiæ, & charitatis, quantum ad substantiam ope ris. Ad huius rei expositionem diximus nonnul la in præcedentibus, sed nunc rem definiam, explanaboque latiùs, tum etiam & vberiùs.

Secundum.

Tertium.

Quartum.

Quintum.

¶ Igitur Caietanus in hoc articulo sic proce dit. Dicit in primis, quòd alia quæstio est de cō

Caiet. explicatio & definitio.

gnitione præceptorum,alia de adimpletione. De cognitione autem ſupernaturalium dictum eſt in articulo primo,quòd non poteſt homo ex naturalibus cognoſcere, vt clarum eſt ; ſed ſuppoſita lege manifeſtante præcepta, poteſt homo quodlibet adimplere:& ad hunc ſenſum tractatur quæſtio à Diuo Thoma : nam & ad hunc ſenſum tractabatur contra Pelagium, qui dicebat, opus eſſe quidem gratia ad cognitionem legis,ſed non ad impletionem. Non ergo poteſt aliquis credere, niſi Deus reuelauerit; quia fides ex auditu;ſed facta reuelatione poſtquam aliquis audiuit,poteſt credere quemlibet articulum fidei,imò omnes,ſine fide infuſa, & ſine gratia ; vt ſi aliquis infidelis crederet quidem omnia, nollet tamen baptizari, vel eſſe Chriſtianus,ne perderet gratiam Regis,vel propter laborem legis ; talis non haberet fidem infuſam,neque indigeret auxilio ſpeciali, & ſatisfaceret præcepto fidei.Et idem de ſpe poteſt dici,de eo,qui ſperaret quidem,ſed non omnia crederet: talis non reciperet ſpem infuſam ; nihilominus ſatisfaceret præcepto de ſpe. Et de ſacramentis dicitur, quòd nihil cadit ſub præcepto quin illud poſsit impleri ſine auxilio ſpeciali:neque ſacramenta ſunt tam actus præceptorum,aut virtutum,quàm potentiæ; & ideò non eſt ad propoſitum vbi de præceptis loquimur. Concluditur ergo,quòd nullum eſt præceptum quod non poſsit aliquis implere quo ad ſubſtantiam operis,quantum ſufficit ad vitandum peccatum ſine auxilio ſpeciali. Et quòd hoc ita ſit, patet ex Diuo Thoma: dicit enim, quòd homo in natura integra conſtitutus poterat implere omnia mandata quo ad ſubſtantiam operum. Et probat hoc;quia aliàs non potuiſſet non peccare;vnde patet,quòd ex hoc quòd poterat adimplere omnia mandata quantum ad ſubſtantiam operum,infertur quòd poterat non peccare:ergo id ſufficit ad vitandum peccatum. Hic eſt Caietani diſcurſus, qui placuit etiam doctiſsimo Patri Victoriæ.Sed ſi res diligentiùs expendatur, contrarium eſt omnino tenendum. Vt autem veritas definiatur,ſtatuitur prima cõcluſio.¶ Aliqua præcepta ſupernaturalia poteſt homo implere ſine gratia iuſtificãte : poteſt,inquam,implere,quantum ad ſubſtantiam operũ; Patet:nam Chriſtianus exiſtens in peccato mortali adimplet præceptum fidei,& ſpei. ¶ Secunda concluſio. Aliqua præcepta ſupernaturalia poteſt homo implere quantum ad ſubſtantiam operum ſine auxilio ſupernaturali,ſed per vires naturę tantùm.Patet:nam qui baptizatur in peccato mortali exiſtens,peccat recipiendo baptiſmum;qui ſine dubio implet præceptum baptiſmi,in hoc ſenſu,quòd non eſt reus omiſsionis illius præcepti:at ad talem receptionem Deus nõ confert auxilium ſupernaturale; Deus enim nõ ſauet ad peccandum. Deinde, poteſt homo peccator facere confeſsionem informem,quã deinceps non tenetur iterare,in qua confeſsione facienda non adiuuatur diuinitus, ſiquidem peccat mortaliter,& Deus ad peccandum non adiuuat. Tandem,homo in peccato mortali exiſtẽs adimplet pœnitentiam ſibi impoſitam quantũ ad ſubſtantiam operis. ¶ Tertia concluſio. Non poteſt homo omnia præcepta ſacramentorum adimplere,etiam quantum ad ſubſtantiam operis,quod ſub præcepto mandatur.Hæc propoſitio videtur probabilis quantum ad ſacramentũ Euchariſtiæ. Nam qui communicat in peccato mortali indignè,non implet præceptum diuinũ communicandi,etiam ſi adimpleat præceptũ ea parte,qua Eccleſia obligat fideles,vt in Paſchate ſacramentum Euchariſtię ſuſcipiant:propter quod ſi feratur ſententia excommunicationis contra eos qui non communicauerunt, non cõprehendit eos qui indignè communicauerunt: ſed tantùm docemus,quòd non adimplet præceptum diuinum;quia eſt præceptum communicandi; ſic vt homo communicet ſpiritualiter vitam ex virtute ſacramenti : eſt enim hoc ſacramentum amicorum:vnde qui accedit ad altare, tenetur accedere vt amicus,iuxta illud; Qui mã ducat meam carnem, & bibit meum ſanguinẽ, in me manet,& ego in illo:hoc etiam ſignificat Paulus cum inquit; Probet autem ſe ipſum homo,& ſic de pane illo edat,& de calice bibat. Sẽtio ergo quòd eſt vnicum præceptum communicandi,& probandi ſe ipſum;quæ probatio eſt diſpoſitio ad communionem vitæ ſpiritualis. Quòd ſi aliquis contendat,quòd hoc præceptũ poſsit ſeruari quantum ad operis ſubſtantiam; quia tametſi peccet homo recipiendo ſacramẽtum,peccat tamen contra illud præceptum religionis,quo obligatur dignè facere quæ pertinẽt ad cultum diuinum(ſicut qui peccat indignè recipiens baptiſmum) nõ autem contra præceptũ ſpeciale recipiendi Euchariſtiam,probabiliter ſatis loquitur.Illud etiam aduertat Theologus ad intelligentiam prædictæ concluſionis, quòd ſi homo ex ignorantia accedat in peccato mortali ad ſuſcipiendã Euchariſtiã,exiſtimãs debitã feciſſe præparationẽ,nõ ſolũ verè adimplet præceptũ,ſed recipit primã gratiã ex virtute ſacramenti:quod docẽt pleriq; Theologi,nominatim D. Tho:in materia de Euchariſtia.¶ Quarta cõclũ ſio.Præcepta ſacramẽtorum nõ poſſunt adimpleri ſine culpa,niſi qui implet illa ſit in gratia iuſtificãte,vel exiſtimet probabiliter ſe eſſe in gratia iuſtificãte.Hęc cõcluſio probatur: nã peccat mortaliter,qui recipit,vel adminiſtrat ſacramentum indignè.Igitur ad impleda huiuſmodi præcepta ſine noua culpa,neceſſum eſt quòd non ſit

D.Thom.

Caie. ſequutus eſt doctiſsimus pater Victoria.

Vera definitio.

Prim. cõcl.

Secũd,cõcl.

Ter.cõclu.

Ioan.6.

Paulus.

Quar. cõcl.

sit conscius alicuius peccati mortalis, ille, qui vel administrat, vel suscipit. Probatur cõsequentia. Nam suscipere, vel administrare sacramenta in peccato mortali, est indignè ea suscipere, vel administrare. Sed est notãdum, quòd ad dignè suscipienda, vel administranda sacramenta, nõ est necesse quòd sit gratia iustificans in homine recipiente, vel administrante, vt in superiori conclusione patefeci; sed est necesse saltem ad administranda dignè sacramenta, quòd non sit conscientia peccati mortalis; alioqui indignè administrat sacramenta. Sed est obseruandum, quòd ad dignè suscipienda sacramenta baptismi, & pœnitentiæ, sat fuerit, quòd qui suscipit, vel non habeat conscientiam peccati mortalis, vel saltem habeat attritionem de peccatis suis; de qua re disputatur in materia de pœnitentia.

Quin. cõcl. ¶ Quinta conclusio. Aliqua præcepta supernaturalia sunt, quæ etiamsi homo possit implere, quantum ad substantiam operis, sine gratia iustificante, non tamen potest implere sine auxilio supernaturali, cuiusmodi est præceptum fidei, & spei. Hæc cõclusio statuitur contra Caietanum, & quantũ iudico, est certissima, & irrefragabilis; cuius rei istæ sunt demõstrationes. Prima, præceptum fidei obligat hominẽ vt sit verè Christianus: sed nemo potest esse Christianus nisi ex munere Dei: ergo nemo potest implere præceptum fidei sine munere Dei. Secunda demonstratio. Præcepto fidei affirmatiuo obligatur homo ad habendam fidem Dei, & veram fidem, vt planè constat; sed homo sine auxilio speciali non potest habere veram fidem; testatur enim vniuersa scriptura fidem esse donum Dei. Tertia demonstratio. Error est Pelagij, quòd præsuppositа prædicatione Euangelij possumus credere, aut sperare, & implere præcepta fidei, & spei: sed ab hac sententia nõ multum abest sententia quam impugnamus: ergo sententia est improbãda. Quarta demonstratio sumitur ex illo; Qui credit, habet testimonium Dei in se: ergo non sufficit omnis naturæ facultas vt quis adimpleat præceptum fidei, quantum ad substantiam operis quod præcipitur. Deniq;, vt in summa rẽ cõprehendã, præceptum fidei præcipit vt habeamus fidẽ supernaturalẽ: sed ex viribus naturæ nemo potest habere fidẽ supernaturalẽ: ergo nemo ex viribus naturæ potest implere hoc præceptum, etiã quan-

Sexta cõcl. tum ad operis substantiã. ¶ Sexta cõclusio. Nõnulla præcepta sunt ad quorũ impletionẽ, etiã quantũ ad substantiã operũ, necessariò requiritur gratia gratũ faciẽs. Probatur hæc cõclusio in præcepto de dilectione Dei supernaturali; cuius præcepti substantia est, vt diligatur Deus super omnia ex toto corde, & ex omnibus viribus; sed istum actũ nemo potest habere sine gratia gratum faciente. Deinde, in diuinis oraculis quotiescunque fit mentio de hac dilectione Dei supernaturali, semper intelligitur, quòd is, qui diligit Deum super omnia, sit Dei amicus, & coram Deo iustus, vt patet ex illo 1. Ioan. c. 4. Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo: & ex illo; Qui diligit me, diligetur à patre meo. Veritas etiam huius conclusionis manifestè patet in præcepto de cõtritione, quæ est dolor de peccatis propter Deum summè dilectum: quæ dilectio sine gratia gratum faciente haberi non potest, vt dudum probatum est. ¶ Vltima conclu- Vlti. cõclu.
sio. Nullum præceptum adimpleri potest meritoriè, nisi qui implet, sit in gratia gratum faciente: & hoc est quod dicit Diuus Thomas in hoc D. Thom.
articulo, neminem posse implere præcepta diuina quantum ad modum vt ex charitate, & meritoriè fiant sine gratia. Hæc conclusio probatur in primis ex illo Genes. 4. Respexit Dominus Gen. 4.
ad Abel, & ad munera eius: in quo significatur, quòd vt opera grata sint, & accepta coram Deo, persona operans debet esse grata, & accepta: siquidem odibilis est Deo impius; & impietas eius; & dona impiorum non probat altissimus: item ex illo Ioan. 4. Fiet in eo fons aquæ salien- Ioan. 4.
tis in vitam æternam: quo in loco, gratia appellatur fons vitæ æternæ, vnde vita æterna manat: & in Concilio Arausicano can. 18. dicitur; Cõc. Arauf.
Debetur merces bonis operibus, si fiant; sed gratia quæ non debetur, præcedit vt fiant. ¶ Ad argu- Ad argum.
menta respondendum est; ad primum duæ re- Ad primum
sponsiones adhiberi solẽt. Prior est, quòd quãquam dilectio Dei, aut credulitas quam potest homo habere ex facultate naturæ, non differãt secundùm substantiã in genere naturæ ab operibus supernaturalibus, differunt tamen in genere moris: & ideo non sat fuerit ad præcepta supernaturalia implenda, ponere opera quæ non differunt in genere naturæ; sed vt homo impleat præceptum credendi, necessum est, vt habeat credulitatem supernaturalem: sicut occidere hominem in genere naturæ, non differt in homine, & in tauro; at in homine est opus morale vitij, aut virtutis capax; in tauro minimè. Posterior solutio est, quòd Diuus Thomas in loco citato non asserit, quòd homo ex facultate naturæ potest implere præceptum dilectionis Dei super omnia, quantum ad substantiam operis, sed tantùm docet, quòd potest habere dilectionem Dei: quod est verissimum, quantũ ad substantiam operis in genere. Et quòd hic sit germanus sensus Diui Thomæ, patet. Nã eo in loco cõparat D. Thomas actum diligendi cum operibus miraculosis, & actibus prophetiæ; vt suscitare mortuos, & scire futura contingentia: actus autem miraculosos nemo potest per vires naturæ efficere, etiam quãtum ad rationẽ actus genericam: nemo enim potest scire futura con-

tingentia; at diligere Deum conuenit homini per naturam: similiter credere, & adhibere fidē his quæ competenter proponuntur. ¶ Ad secundū dum argumentum iam satis dictum existimo: explanatum namque est, quomodo præcepta supernaturalia sacramentorum sine gratia Dei speciali impleri possint. Ad tertium eandem respōsionem adhibere oportet. ¶ Ad quartum respondetur, quòd paganus, atque hæreticus non verè credunt, neque sperant, quapropter non adimplent præcepta supernaturalia quo ad substantiam operum. Nam vt quis adimpleat præceptum fidei, non sat fuerit quòd credat humana fide; sed oportet vt credat ex diuina reuelatione, & indubitata fide, atque irrefragabili. Neque verò hæreticus verè sperat, sed habet vanam fiduciam; non innititur diuinæ misericordiæ, sed potius suæ præsumptioni & temeritati. Verum est, quòd quantum ad præceptum negatiuum, quod includitur in virtute spei, verè adimplet; quia non desperat. ¶ Ad vltimum dicendum, quòd ex parte bene possumus implere præcepta supernaturalia quantum ad substantiam operis, sine gratia Dei speciali: nam quod hactenus definitum est, habet hāc sententiam, quæ omni dubio procùl verissima est, neminē posse credere, sperare, & diligere Deum super omnia, sine gratia Dei speciali.

Ad secundū

Ad tertium

Ad quartū.

Ad quintū.

¶ Sed ex hoc enascitur dubium non omnino facile; Vtrùm de gratia gratum faciente sit præceptum diuinæ legis? Marsilius in 2. q. 18. arti. 2. tenet, quòd post naturæ humanæ lapsum gratia gratum faciens fuit sub præcepto. Huius opinionis argumenta sunt hæc potissima.

Difficilis quæstio, de gratiæ præcepto. Marsil.

¶ In primis, fides fuit semper necessaria ad salutem: quia sine fide impossibile est placere Deo; & iterum; Qui non crediderit, condemnabitur: Sed fides informis exploratum est quòd nō sufficit ad salutem: ergo necessarium est habere fidem formatam: ergo & gratiam; ac subinde cadit sub præcepto. ¶ Deinde, si gratia gratum faciens non est sub præcepto: ergo obseruare totam legem non est sufficiens ad salutem. Probatur assumptum; quia si gratia non est sub præcepto, posset ergo quis seruare totam legem, & nō habere gratiam, & sic non saluaretur.

Prim. argu.

Hebr. 11.

Marc. vlt.

Secundum.

¶ Præterea, præceptum est, & quidem grauissimum, de habenda charitate; & charitas non potest haberi sine gratia: ergo est præceptum de habenda gratia. ¶ Ad hæc, tenemur præcepto non perdere gratiam; siquidem tenemur præcepto non perdere numos: ergo tenemur præcepto illam habere. ¶ Deniq;, qui perdit gratiam, quę est vita animę, occidit se spiritualiter: ergo peccat: tenetur itaq; gratiā habere. Ex hac opinione infert Marsilius, quòd licèt homo in statu naturæ integrę, id est, cum iustitia originali si

Tertium.

Quartum.

Vltim.

he gratia poterat adimplere omnia præcepta; nunc tamen non potest: quia non potest adimplere præceptum de habenda gratia, sine gratia: sed in statu integrę naturę poterat omnia mandata implere; quia nondum erat præceptum de gratia habenda; nōdum enim erat præceptū de fide Mediatoris. ¶ Sed hęc sententia videtur mihi falsa, & improbabilis, cuius rei sunt paucę demōstrationes, sed quę pondere suo rem satis demōstrant. Prima est: nam tale præceptum non inuenitur in lege, neq; in serie sanctarum scripturarum. Secunda est: nam præcepta diuinę legis nō dantur de habitibus, sed de actibus amoris, pœnitentię, fidei. Tertia est: nam si de gratia habenda est speciale præceptum, sequitur quòd qui fornicatur, aut transgreditur quodcunq; præceptum diuinę legis, peccat duplex peccatum, vnū ex genere fornicationis; alterum de habēda gratia. Vltima demōstratio est: nam gratia est quodammodo subsidium præuium, datum hominibus pro obseruatione aliorum præceptorum.

Cōtra Marsilium.

¶ Ad argumenta Marsilij satisfaciendum est, ad primum dicendum est, nō rectè sequi; tenemur credere; ergo tenemur habere fidem formatā: imò adulter qui baptizatur, credens omnia quę credūt Christiani, satisfacit præcepto fidei; quanquam non habet fidem formatam, vt superiùs explicatū est. Vel dicat Theologus, quòd quāquam teneamur habere fidē formatā, ad quam necessaria est gratia, nō est consequens quòd teneamur habere gratiā: nō enim omne medium necessariū ad salutē cadit sub præcepto; alioquin caderet sub præcepto diuina prędestinatio, Christus Dñs, Christianū esse hominē. Itaq; cū dicūt diuini Theologi, omne mediū necessarium ad salutem cadere sub præcepto, intelligunt de actibus qui sunt necessarij ad salutē, non de habitibus. ¶ Ad secundum negāda est argumenti cō sequentia: nā nō admitto, quēpiam posse seruare vniuersam legē, præcipuè mandatū illud maximū; Diliges Dñm Deum tuum &c. sine gratia iustificante, prout suprà explanatum est. ¶ Ad tertiū argumentum facilè respōdetur ex dictis: ostēsum est nāq;, quomodo nō omne medium necessarium ad charitatē habendā cadat sub præcepto diuinę legis. ¶ Ad quartum sic respōdeat Theologus, vt dicat, teneri Christianū nō perdere gratiā, sed nō speciali præcepto; sed tenetur nō perdere gratiā, nō fornicādo, nō adulterando; quēadmodū tenetur non perdere fidei habitū; nō quia de habitib⁹ dētur præcepta, sed quia tenetur nō discredere articulis fidei. ¶ Ad vltimum dicendum, quòd qui perdit gratiā, peccat quidē, vt argumētū efficaciter probat: nō quia est præceptum de habenda gratia, sed quia facit actū peccati per quē perditur gratia. Et sic quæstio proposita satis explanata manet.

Ad argum. Marsilij. Ad primum.

Ad secundū

Ad tertium

Ad quartū.

Ad vltimū.

AR-

ARTIC. QVINTVS.

¶ Vtrùm possimus sine gratia mereri vitam æternam.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. CONclusio est negans. Nã per sua naturalia nõ potest homo producere opera meritoria proportionata vitæ ęternę, sed ad hoc exigitur altior virtus, quæ est gratia: oportet enim actus perducentes ad finem esse proportionatos fini: vita autem æterna excedit proportionem humanæ naturæ. Potest tamen homo facere opera perducẽtia ad bonum aliquod connaturale homini, sicut laborare in agro, habere amicum, & similia. De hoc articulo non est in præsentia à nobis edisserendum; nam in vltima quæstione, cum tractatur de merito, iterum redit eadem quæstio.

ARTIC. SEXTVS.

¶ Vtrùm homo possit seipsum ad gratiã præparare per seipsum absque auxilio gratiæ exterioris.

SVMMA TEXTVS.

Prim. cõcl. PRima conclusio. Præparatio volũtatis ad bene operandum, & ad fruendũ Deo fieri non potest sine dono habituali gratiæ, quòd sit principium bonorum meritorum, vt dictum est. ¶ Secunda conclusio. Ad recipiẽdum hoc donum gratię habitualis nõ oportet vt homo præparetur per aliud donum habituale: quia sic procederetur in infinitum. ¶ Tertia conclusio. Ad recipiendum hoc donũ habituale oportet præsupponi aliquod auxilium gratuitum Dei interius mouẽtis animã, siue inspirãtis bonũ propositũ: his enim duobus modis indigemus auxilio diuino. Quòd autẽ ad hoc indigeamus auxilio Dei mouentis, patet: quia necesse est hominem conuerti ad vltimum finem per motionẽ primi mouentis. Cùm ergo Deus sit primũ mouens simpliciter, ex motione eius est, quòd omnia conuertantur in ipsum secundùm cõmunem intentionem boni, per quam vnumquodque intẽdit assimilari Deo secundum suum modum. Et ideo quòd homo conuertatur ad Deum, nõ potest esse sine Deo cõuertente ipsum: hoc autem est prę parare se ad gratiam, quasi ad Deũ conuerti; sicut ille qui habet oculũ auersum à lumine solis, per hoc se præparat ad recipiendum lumẽ solis, quòd oculos suos conuertit versùs solem.

Secũ. cõclu. Tert. cõcl.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Dubitatio articuli. IN hoc articulo tria sunt exponenda. Primùm cum Lutheranis disputandũ; vtrũ homo possit se prępparare ad gratiã; proximo loco cũ Pelagianis; Nũ homo possit se præparare ad gratiã ex facultate naturæ, sic adeò quòd illa præparatio sit meritum de condigno primæ gratiæ: demũq; cũ catholicis; Vtrũ homo possit se præparare ad gratiã ex viribus liberi arbitrij, sic vt illa præparatio sit meritũ de cõgruo gratiæ iustificatis. De hac re disputant Theologi in 2. d. 28. & in 4. d. 14.

Lutheri assertionis impiæ. Quod igitur ad primum attinet, Lutherus dicit, quòd liberum arbitrium post peccatum res est de solo titulo, & dum facit quod in se est, peccat mortaliter. Rursus dicit, quòd contritio, & cogitatio peccatorũ facit homine magis hypocritã, & dũ magis conatur se disponere ad gratiã, magis peccat. Vltimò dicit, quòd quò sceleratior est homo, citiùs illi Deus infundit gratiam: quòd si adornat se bonis operibus, sicut catus, facit se indignum diuina gratia, & facit iniuriã Christo.

Hæretica sententia Lutheri.

Hæc sententia est hæretica, & insanissima: dicitur enim Amos c.4. Præparare in occursum Dei tui. & 1.Reg.7. Prępărate corda vestra Domino. Prou.16. Hominis est præparare animam: & Ioãnes Baptista ad hoc munus missus est, vt præpararet Domino plebem perfectam: dicitur enim Luc.1. Præibis enim ante faciem Domini parare vias eius, scilicet per pœnitentiam, per infusionem timoris &c. Quòd verò sit etiam necessaria præparatio, probat illa parabola de ficu, quę expectatur per tres annos vt reddat fructum suũ. & illud, Expectaui vt faceret vuas, & fecit labruscas; & illud, Expectat vos Dominus vt miserea tur vestri: & illud etiam Hier.3. Tu fornicata es cum amatoribus multis: tamẽ reuertere. & illud. Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. Hier.3.35. & Zachar.1. & illud. Desiderium pauperum exaudiuit Dominus: &, Nolite obdurare corda vestra; &, Proijcite iniquitates vestras, & facite vobis cor nouum: huiusmodi sunt multæ sententiæ in scriptura. Hæc veritas est definita in Concilio Arausicano, & Tridentino, & docent illam omnes sancti Patres. Sed rationes euidentes eam confirmant. ¶ Nam natura ita comparatum est, vt forma perfecta in materiã non introducatur, nisi conuenientibus dispositionibus præparatã: ergo cũ Deus disponat omnia suauiter, non infundit gratiam supernaturalem, quæ est participatio diuinæ naturæ, nisi in materiam, & animam bene præparatam. ¶ Secũdò, Deus expectat nostrum consensum vt nos ad se conuertat: ergo expectat nostram præparationem. Probatur antecedens: nam si non expectat nostrum cõsensum, quorsum stat ad ostiũ, & pulsat? est ne impotens ad confringẽdos obices pectoris nostri? quorsum dicit, Hierusalem, Hierusalem quoties volui cõgregare filios tuos? &c. quorsum exhortatur, & immittit timorẽ inferni? ¶ Tertiò, gratia non destruit naturam, sed perficit: sed nihil est magis insitum in animis hominum, quàm in reconciliandis amicis esse necessariam pœnitentiam præuiam: ergo hæc requiritur ad habẽdam gratiam Dei. ¶ Sed arguit Lutherus ex illo; Si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Ecce, inquit Lutherus, quidquid extra charitatem fit, ex toto corde non fit, ac subinde hypocrisis est, & peccatum. Respondetur negando consequentiã: non enim sequitur, hoc est extra charitatem, & non prodest meritoriè; ergo est grande peccatum. Nam Deus multa bona operatur in peccatoribus, vt fidem, timorem inferni &c. quæ opera sunt quædam præparatio ad gratiam habendam. Secundò respondetur, quòd vltima dispositio ad gratiã est simul cum gratia, & ideo plurimùm valet corã Deo. An non magni momenti est conuerti in Deum, & resipiscere à via mala? ¶ Secundò, arguit Lutherus ex illo Ioan.15. Qui in me nõ mãserit, mittetur foràs, & arescet, & colligent illum, & in ignem mittent, & ardebit. Ex quo colligit Lutherus, quòd homo, qui est extra charitatẽ, continuò per opera sua magis ac magis arescit, tantùm abest vt ad gratiam possit se præparare. Respondetur, quòd hæc sententia loquitur de iudicio finali, in quo qui reperietur sine charitate, mittetur in ignem inextinguibilem. Secundò respondetur, quòd si fiat sermo de peccatoribus huius vitæ, sensus est, quòd peccatores per mala opera magis ac magis semper arescunt: cæterũ quãdiu hanc vitam mortalem viuimus, possumus per liberum arbitrium ab his malis conuerti, & ad gratiam nos præparare. ¶ Tertium argumentum desumitur ex sententijs Augustini; docuit Augustinus; quòd percipiendæ primę gratię in impio nulla merita præcedunt: meritis enim impij non gratia, sed pœna debetur: & iterum, Quid merebaris, ô peccator, quid merebaris? vide si occurrat tibi nisi supplicium, vide si tibi occurrat nisi pœna? habentur hæ sententiæ Augustini 3.lib. contra duas epistolas Pelag. ca.3. & 4.lib. contra Iulian. c.3. de verbis Apostoli serm. 11. & super Psalm.144. & super Psalm.31. in præfatione. Respondetur, sensum Augustini esse, quòd in homine impio non sunt merita ad gratiam habẽdam: licèt enim non haberet nisi vnũ peccatum mortale, esset dignus supplicio æterno: Cæterum non condemnat Augustinus singula opera quæ facit peccator, præcipuè illa quę facit adiutus diuino auxilio: ista enim opera licèt non sint merita gratiæ, non sunt merita pœnæ. Secundò respondetur, quòd vltima dispositio ad gratiam, de qua loquimur in præsentia, est simul cum gratia; itaq; non præcedit tempore ipsam gratiam. ¶ Quartum argumentum sumitur ex Concilio Arausicano, vbi definitur, quòd Deus non expectat nostram volũtatem vt nos conuertat: igitur non expectat nostram præparationem. Respondetur, sensum definitionis esse, quòd nos nõ præuenimus Deũ, sed ipse præuenit nos in benedictionibus dulcedinis, dãdo consensum libero arbitrio. ¶ Quintum argumẽtum. Nã iustificatio impij est quædam regeneratio, & quædam creatio, secundũ illud; Cor mũdũ crea in me Deus; & illud; Creati in operibus bonis &c. sed creatio nõ requirit præuiã aliquã dispositionẽ: ergo iustificatio nõ requirit præuiã dispositionẽ. Respõdetur, iustificationẽ fieri ex nihilo, in hoc sensu, quòd nõ fit ex meritis. Secundò dico, esse differentiã inter iustificationẽ, & creationẽ. Nã in creatione nullũ præsupponitur subiectũ; in iustificatione verò præsupponitur subiectũ; sicut in creatione animæ præsupponitur materia; & sicut anima nõ introducitur in

Hier.3.

Cõc. Arauf. 2.c.4. Trid. seff.6. c.5. & 6.

Mat.24.

Argument. Lutheri. 1.Cor.13.

Solutio.

Secũ. solut.

Secũ. argu. Lutheri.

Arg. solut.

Secũ. solut.

Tert. argu. ex Aug. doctrina.

Confutatur argumẽtũ.

Secũ. solut.

Quar. argu. ex Concil. Arauf. ca.4.

Quin. argu.

Pfal.50. Epheſ.2.

Solutio.

in materiam indispositam; ita gratia supernaturalis nisi animæ præparatæ non infunditur, vt sit verum illud Augustini, Qui creauit te, sine te, non iustificabit te, sine te. ¶ Præterea: Nam ei qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum; autore Paulo. ergo si requiritur nostra operatio ad primā gratiam, merces imputabitur nobis secundum debitum, & non secundum gratiam: itaq; gratia erit ex debito. Hoc argumentum non potest explicari vsque ad quæstionē vltimam, vbi differitur de merito bonorum operum. ¶ Vltimò ratiocinatur ex illo; Scio Domine quoniam nō est hominis via eius, neque viri vt ambulet, & dirigat gressus suos: ergo nemo potest se ad gratiā præparare per liberum arbitriū. Respondetur, quòd hic locus Hieremiæ intelligitur in primis de Nabuchodonosor, qui proposuerat in corde bellū inferre Ammonitis, & Deus mutauit viam eius, & misit in Hierusalem, vt puniret Iudęos. Igitur Hieremias inuocans Dei misericordiam, aiebat, se scire Nabuchodonosorem in Hierusalem venire ex Dei dispositione, & ordinatione, venireque aliò quàm ipse cogitauerat. Sed & hoc ipsum disponebat Deus, non cogendo liberum arbitrium, sed ordinando vt ei bonum appareret mutare sentētiam. Sed melior solutio est, interpretari prædictam sententiam de quouis homine: in qua Propheta declarat liberi arbitrij nostri insufficientiam, si diuinitus non adiuuetur. Vnde Diuus Augustinus sic admonet; Nō audeat quisquā liberum arbitrium sic defendere, vt orationem, qua dicimus, Ne nos inducas in tētationem, conetur auferre; & rursus neq; quisquam neget voluntatis arbitrium, & audeat excusare peccatum, sed audiamus Deum & præcipientē quid facere debeamus, & adiuuantem quæ facere possimus. ¶ Est secunda quæstio cū Pelagianis; An possit homo ex facultate naturę se præparare ad gratiā, ita quòd illa prępparatio sit meritū gratię, & glorię de cōdigno. Et videtur quòd sic ex illo Prou. 16. Hominis est præparare animam: & Zach. 1. Cōuertimini ad me: & Mat. 19. Si vis ad vitā ingredi, serua mandata; quibus verbis significatur, esse situm in nostra manu prępparare nos ad gratiam, & salutem cōsequi. ¶ Secūdò, si gratia non daretur ex meritis nostrę volūtatis, Deus esset acceptor personarū: quādoquidem inquirendū esset, quare potiùs dat vni, quā alteri efficacē præparationem. Item, gratia esset quoddāfatū casuale; nā daretur dormiēti, & somniāti, vel etiā reluctanti. ¶ Item, si Deus stat ad ostiū, & pulsat, certè assignanda est causa quare vnus conuertatur, & alius non conuertatur; & nō potest assignari nisi ex parte liberi arbitrij; quoniā vnus aperit, & alius non: ergo &c. ¶ Itē, si esset gratia necessaria ad hāc præparationē, periret liberum arbitrium: nam volūtati eius quis resistet? ¶ Deniq́ue, Deus expectat nostrū consensum, vt nos conuertat, vt suprà demonstratū est: ergo ex parte voluntatis nostræ est præparatio ad gratiā suscipiendam. Hæc sunt argumentā Pelagij, quæ magna ex parte accepta sunt ex Augustino; quibus Pelagius probat, hominem ex facultate naturæ se posse ad gratiam præparare. Sed hęc sententia est hęretica, & contra scripturas, & Concilia. Veritas catholica est, quòd gratia iustificans datur sine meritis, & quòd nemo se valet ad eam prępparare sine auxilio speciali. Demonstrat hoc Paulus cum dicit, Iustificati gratis per gratiam ipsius: &, Ei qui non operatur, merces non imputatur secundū debitū, sed secundū gratiā. Ex quo colligitur, quòd gratia non datur ex operibus, & meritis, alias non esset gratia: & iterum, Iustificati ex fide, & hoc non ex operibus vt ne quis glorietur. Quòd verò dispositio habeatur ex dono Dei, patet ex scriptura, ex illo; Prępparatur voluntas à Domino: &, misericordia eius pręuenit me; & iterum, Prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: & illud; Vniuersæ viæ Domini misericordia, & veritas Ioan. 6. Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum: non dixit, nisi pater duxerit; ne intelligatur, voluntatem nostrā aliquomodo pręcedere, sed dixit, nisi pater traxerit: nemo enim trahitur, qui prius volebat, sed trahitur, vt velit. 1. Cor. 4. Quis te discernit, scilicet à massa perditionis; & quasi si respondisset, Mea fides, meum bonum propositū; continuò subdit; Quid habes quod non accepisti, & si accepisti &c. 2. Paral. c. 30. dicitur, quòd Deus dedit cor vnum in Iudā, vt facerent iuxta præceptum Regis: & Ezec. 36. dicit Dominus, Ego dabo vobis cor nouum, & auferam cor lapideū. Itē cū dicitur in scripturis. Cōuertimini ad me; nostrę libertatis admonemur; sed cum dicimus, Cōuerte nos Dñe, & conuertemur; confitemur gratia Dei nos pręueniri, qui operatur in nobis velle, & perficere pro sua voluntate. Itaque Lutherus, & Pelagius dissimili errore, sed pari impietate blasphemant. Pelagius, vt assereret liberum arbitrium, gratiam Dei negauit: Lutherus, vt assereret gratiam Dei, liberum arbitrium negauit. Ecclesia Christi media via incedit, quę se curissima est: confitetur enim, gratiam Dei sine meritis dari. Rursus, cōfitetur ad hanc gratiam Dei habendam liberum arbitrtum adiutorio Dei esse disponendum: hanc veritatem definiūt Concilia, Mileuitanum, Arausicanum, Tridentinum, Carthaginense: eandem docent omnes sancti vno consensu; atque etiam præclaræ rationes, de quibus in sequenti dubio. Sed oportet omnino sententias Conciliorum in mediū proferre, sunt enim grauissimæ. In Concilio

Aug. super psal. 144. Sextum.
Rom. 4.
Vltim.
Hier. 10.
Solutio.
Patet hoc Ezec. 21.
Aug. tracta. 59. in Ioan.
Quæstio alia cū Pelagianis discutienda. Prim. arg. Pro. 16. & Zach. 1. & Mat. 19.
Secundum.
Tertium.
Quartum.
Vltim.
Aug. lib. 2. cōtra duas epi. Pelag. & epi. ad Vitalem.
Hæreticā est sententiā Pelagij probatur.
Rom. 3.
Rom. 4.
Rom. 11.
Ephes. 2.
Ioan. 6.
1. Cor. 4.
2. Paral. 30.
Ezech. 36.
Cōcil. Mile. Arausic. Carthag. Trident.
Cōc. Arausi. ca. 4.

Arausicano sic definitur; Si quis vt à peccato liberemur, contendit quòd Deus expectet voluntatem nostram, non autē vt & purgari velimus per Spiritus sancti infusionem, & operationē in nobis fieri confitetur, resistit Spiritui sancto per Salomonem dicenti; Præparatur voluntas à Dō mino; & Apostolo prædicanti, Deus est qui operatur in nobis & velle, & perficere pro sua voluntate: & iterum, Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, amantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, & pulsantibus, & quærentibus nobis misericordiam dicit conferri; non autem diuinitus vt credamus, vel hæc omnia sicut oportet facere valeamus, per infusionem & inspirationem Spiritus sancti in nobis fieri confitetur, resistit Apostolo dicenti; Quid habes quod non accepisti? & iterum; Gratia Dei sum id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit. Idipsum definitur Can. 7. & Can. 12. dicitur; Tales nos amat Deus, quales futuri sumus ipsius dono, non quales sumus merito nostro. & Can. 14. Nullus miser de quacunque miseria liberatur, nisi qui Dei misericordia præuenitur: sicut dicit Psalmista; Citò anticipent me misericordiæ tuæ: & iterū, Deus meus misericordia eius præueniet me. Præterea in Concilio Tridentino sic definitur. Declarat sancta Synodus, ipsius iustificationis exordium in adultis à Dei præueniente gratia sumendum esse; hoc est, à Dei vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocauit, vt qui per peccata erant auersi à Deo, per eius excitantem gratiam, adiuuantemque ad conuertendum se ad suam ipsorum iustificationem, eidem gratiæ liberè assentiendo, & cooperando dispo nantur. ¶ Ad argumenta in principio posita respondetur. Ad primum, quòd quando dicitur in scripturis; Conuertimini ad me; nostræ libertatis admonemur; sed cum dicitur, Conuerte nos Domine; gratia Dei nos præueniri confitemur. ¶ Ad secundum respondetur, quòd in iustificandis hominibus, & conuertendis, non est acceptio personarum: nam est gratia, in qua habet locum illud Euangelij, An non licet facere de meo quod volo? Rursus, non est casus, nec fatum; nam est gratia. Nunquid si ego haberem duos debitores, & vni condonarem debitum, & ab alio exigerem, esset fatum & casus? nō: sed gratia. Quòd si quęras, quare hunc trahat, & aliū non trahat? Non occurrit mihi aliud, nisi illud Pauli Rom. 10. O altitudo diuitiarum, &c. & illud, Nunquid iniustus est Deus? absit. & iterū. O homo tu quis es vt respondeas Deo; Cui ista responsio non placet, quærat alios doctiores, sed videat ne inueniat alios præsumptores. ¶ Ad tertium respondetur, quòd Augustinus cōdemnat istam sententiam, scilicet, quòd homines acciperent gratiam si consentirent: cæterū hæc cōdemnatio intelligitur, quasi noster cōsensus prę ueniat gratiam Dei, & motionē, aliàs noster cō sensus secundū fidē necessarius est: quod explicat optimè Soto lib. 1. de natura & gratia c. 15. & in fine quarti sententiarum, vbi explicat loca obscura suorū operum. ¶ Ad quartum respondetur, ad efficaciam diuinæ volūtatis pertinere nō tantū quòd res eueniāt, verū etiā quòd eueniāt eo modo quo Deus voluit: sed Deus voluit homine iustificari liberè secūdū cōditionē suæ naturę: ergo ita eueniet. ¶ Ad vltimū respōdetur, quòd Deus expectat nostrum consensum: nam (vt ait Augustinus) qui creauit te sine te, nō iustificabit te sine te: verùm non expectat nostrā voluntatem quasi ipsa præueniat, & inde sit initium boni; sed vt sequatur, & obediat diuinæ motioni. ¶ Sed iam sequitur tertia quæstio; Vtrùm homo possit per suas vires sine auxilio gratię se prępparare ad gratiā consequendā, sic adeò vt talis prępparatio sit meritum de cōgruo primæ gratiæ coram Deo? Et pro parte affirmatiua, quòd homo possit, sunt aliquot argumēta. ¶ Primum. Nā dispositio, & prępparatio ad habēdā gratiam sufficiens, est dolere de peccatis propter Deum: & hanc dispositionē potest homo habere per vires liberi arbitrij: ergo potest pervi res liberi arbitrij ad gratiam se disponere. Maior huius argumēti videtur euidens, & statuitur pro certa. Minor sic ostēditur; tū, quoniā possumus dolere de offensa amici propter amicū: tū deinde, quoniā Sarracenus potest dolere de offensa contra Mahometum: tū tertiò, quoniam potest dolere de peccato propter pœnas inferni ex viribus naturæ: tū præterea, quoniā potest homo sibi placere quòd offenderit Deū: ergo poterit dolere quòd offenderit Deum. Iam verò intelle ctus potest iudicare, esse dolendum propter offensam contra Deum commissam: ergo potest ob eā causam auersari peccata. ¶ Secundò sic arguitur. Puer cum peruenit ad vsum rationis, si proponat ex viribus naturæ sequi bonum, & fugere malū, continuò infunditur ei gratia: ergo ex viribus naturę potest prępparari ad gratiā. Antecedēs asserit à D. Th. suprà q. 89. art. 6. & patet euidēti ratione. Nā si differatur gratię infusio in illo tēporis intermedio, poterit esse peccatū veniale cū solo originali; quod existimatur absurdū ab vniuersis Theologis. ¶ Tertiò sic. Facienti quod in se est ex facultate naturę, & liberi arbitrij viribus, Deus nunquā denegat gratiā: ergo viribus naturæ possumus habere prępparationē sufficientē ad gratiam. Antecedēs asseritur à doctissimis Theologis: à D. Tho. de verit. q. 14. ar. 11. ad 1. cōsentit Alexāder Alēsis 3. p. q. 68. art. 3. Altisiodorēsis 3. p. q. 5. Gerson. in regul. morali. Alphabeto 24. litera, m, & Gabriel, & alij multi: imò

Can. 6.

Psal. 78. Psal. 58.

Cōci. Trid. sess. 6. c. 5.

Ad argum. Pelagij.

Ad primum

Ad secundū

Rom. 10.

Ad tertium Augustin. epist. ad Vitalem.

Mag. Soto.

Ad quartū.

Ad vltimū.

D. August.

Quæstio tertia inter catholicos.

Prim. argu.

Secundum.

D. Thom.

Tertium.

D. Thom. Alexā. Alē. Altisiod. Gerson. Gab.

D.Thom. imò D.Tho.in 2.d.28.q.1.ar.4.scribit,quòd homo ex viribus liberi arbitrij potest se ad gratiam disponere;& in huius rei confirmationē adducit illud veluti decantatum axioma;Nā facienti quod in se est,Deus nō denegat gratiam: & distinctione pręcedēti q.1.ar.4.ad 4. dicit, quòd homo meretur de cōgruo primā iustificationē: & in cōment. super epist.ad Hebr.c.6.elucidās illam sententiam, Non enim iniustus est Deus vt obliuiscatur operis vestri;scribit,quòd homo meretur de congruo primam iustificationem.

Quartum. ¶ Quartò sic arguitur. Si quis doleat de peccatis suis per attritionem,hoc est per dolorem imperfectum,eo modo quo potest dolere per suas vires;& cum illo dolore suscipiat sacramentum baptismi,aut pœnitētię;talis homo iustificatur, vt sentiunt omnes Theologi:sacramentū enim baptismi facit ex attrito contritū;& tamē dispositio quam habet ad gratiam,erat ex viribus naturæ comparata: ergo per suas vires potest quis se disponere ad gratiam.

Vltim. ¶ Vltimò sic arguitur. Homo potest per suas vires operari bene moraliter,&facere quod in se est:at inter opus supernaturale gratiæ, & opus moraliter bonum non est dare medium:igitur opus moraliter bonum dicit ordinem immediatum ad gratiam: ergo est præparatio ad gratiam.In hac quæstione Durandus in 2.d.28.q.5.Scotus.q. vnica eiusdē distinctionis,& in 4.d.14.q.2. & propemodum omnes Nominales, quos sequitur Adrianus quotlib.7.q.4.tenent partem affirmatiuam,scilicet quòd homo per suas vires sine speciali auxilio gratiæ potest se ad gratiam præparare, sic vt consequatur gratiam infallibiliter,& ex merito de congruo.D.Th.tenet contrarium in hoc articulo. Ad cuius quæstionis explicationē aduertendum est,quòd hanc quæstionem in primis eleganter disputat Soto de natura & gratia lib.2.c.3.Secundò notare oportet,quòd tres prę parationes inueniuntur ad habendā gratiā.Vna est vltima,& immediata;ad quā infallibiliter sequitur gratia;veluti cū pœnitet aliquē suorū delictorū efficaciter propter Deū,& statuit deinceps studiosè & rectè viuere;hęc est pręparatio ad quā efficaciter sequitur gratia,de qua dicitur; In quacūq; die ingemuerit peccator,ampliùsini quitatū eius nō recordabor. Est alia dispositio ad quā nō infallibiliter sequitur gratia.v.g.quando immittit Deus metū gehēnę, & illuminationes,& inspirationes quib⁹ homo cōmot⁹ per impfecta desideria iustificationis paulatim ad salutē trahit:istę sunt prępara tiones ad quas nō ilico sequit gratia.Tertia dispositio,quæ vix meretur hoc nomē,& est impropria dispositio; veluti cū quis in affectu peccati mortalis existens operatur aliqua opera moraliter bona, vt dare eleemosynā &c.hæc est dispositio ad gratiā multū remota,qua ratione cauet peccata. Hæc omnia dicta colliguntur ex rerum naturis. Nam ad formā ignis generandā est vltima dispositio & immediata,ad quā necessariò sequitur forma ignis v. g. gradus caloris vt 8. cum tanta raritate & siccitate:est alia dispositio ad quam non necessariò sequitur forma ignis. verbi gratia. minor gradus caloris cum minori raritate vel siccitate: est alia dispositio magis remota,scilicet quòd lignum sit siccum, & aridum ad cōbustionem q; aptum:hæc dispositio, impropriè est dispositio ad producendam formam ignis:nam dispositio propriè ea est,quæ se tenet ex parte agentis, nō quæ se tenet ex parte passi. His constitutis, est prima conclusio.

Optima cō gruentia.

Prim. cōcl. ¶ Vltima dispositio ad gratiam,ad quam infallibiliter sequitur gratia,non habetur ex facultate naturę,sed tantū dono Dei speciali;& cōtrariū docere,est Pelagianū:quare attentè,&cum scrupulo legendi sunt Doctores scholastici in hac parte,qui arbitrantes se contradicere D.Thom. contradicunt scripturæ,& Concilijs, quæ nunquam legerunt,sed tantùm methaphysicas rationes consuluerunt suo ingenio adinuentas.

Probatur:nam sufficiens prępara tio ad gratiam est dimouere animum ab iniquitate,&se in Deū conuertere;sicut qui est auersus à sole hanc habet præparationem. vt illuminetur, conuertere nimirum faciem suam ad solem. Sed hæc conuersio in Deum in scripturis attribuitur diuino auxilio,& misericordię;dicitur enim in Psal.79. Deus virtutum conuerte nos:& Hieremiæ.31. Conuerte me Domine,& conuertar.Threnor. 5. Conuerte nos Domine, & conuertemur. Quòd si Ioēlis.2.& Zachar.1.dicitur; Conuertimini ad me in toto corde vestro;nostræ libertatis admonemur: sed cum dicimus, Conuerte nos Domine & conuertemur; à diuina gratia nos præueniri confitemur:sic explicat D. Tho. solut.ad 1.& Augustinus 2.lib.contra duas epistolas Pelagi.c.8.dicit enim in hunc modum.Dicitur in scripturis,Aperi os tuum, & implebo illud;sed rursus legimus;Domine labia mea aperies;legimus quoque in scripturis;Intelligite insipientes in populo;& rursus legimus, Da mihi intellectum vt discam mandata tua; atque etiā legimus,Hominis est prępparare animam;sed cōtinuò dicitur,Præparatur voluntas à Domino; sic explicat Concilium Tridentinum, sessione sexta, canone quinto & sexto. Deinde, præparatio sufficiens ad gratiam appellatur tractio in scripturis instar motus corporalis: sed Ioannis 6.dicitur.Nemo potest venire ad me &c. Nec est secura quorundam Theologorum responsio,quòd hoc testimoniū referri debeat ad infusionē gratię:nā infusio gratię nec est tractio,nec cōuersio,sed termin⁹ cōuersiōis:quare si dispositio

Pſal.79. Hiere.31. Thre.5. Ioēlis.2. Zach.1. D.Thom. D. Auguſt. Pſal.80. Pſal.50. Prou.16. Cōcl. Trid. Ioan.6.

tio esset ex nobis, & Deus desuper infunderet gratiam, Deus propriè non nos traheret, nec cõuerteret. Item, præparatio ad gratiam sufficiens est initium, & bona pars nostrę salutis: sed quòd initium iustificationis sit ex nobis, condemnat Paulus cùm dicit; Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis: & iterũ, Quid habes quod non accepisti? & rursus, Quis prior dedit illi, & retribuetur: &, eosqui iustificantur appellat creatos in operibus bonis; quo significat, id omne quod attulimus in nostra creatione, attulimus in nostra iustificatione: & alibi vocat eos qui iustificantur sortè vocatos, in quo significat, quòd sicut in sortibus nihil valet industria humana, ita in iustificatione nihil valet industria humana sine gratia Dei. Quartò, præparatio ad gratiã est effectus prędestinationis, vt constat; sed effectus prædestinationis referuntur in diuinam voluntatem præuenientem Rom. 8. in illis verbis, Quos prædestinauit, hos & vocauit &c. cap. 9. Non est volentis, nec currentis &c. & in eodem cap. comparatur iustificatio nostra in ordine ad Deum; sicut lutum in manu figuli: lutũ verò nõ solũ informatur à figulo, sed pręparatur, & emolitur. Itẽ, vltima præparatio ad gratiã est, agere pœnitentiã, & diligere Deũ super omnia, vt patet ex scripturis: hæc autẽ opera sunt dona Dei. Item dispositio vltima ad gratiã est simul cũ gratia, & est meritũ vitæ æternæ, vt infrà patebit: sed meritum vitæ æternæ non potest haberi ex facultate naturę: ergo. Hanc sententiam sępe docet Augustinus, & 1. lib. retract. c. 23. retractat id quod dixerat aliquãdo cum Pelagianis, initium fidei esse à nobis. Definita est hæc veritas Cõcil. Tridẽt. Arausi. & Mileuit. vbi dicitur; quòd nos non incipimus operari, sed Deus est qui incipit.

¶ Secunda conclusio. Dispositiones imperfectę antecedẽtes nostrã iustificationẽ sunt etiam à Deo præueniente. Probatur ex rerum naturis, in quibus nõ solũ vltima dispositio est ab agente, sed etiam eæ dispositiones quæ paulatim disponunt ad formam introducendam, vt videre est in igne &c. ergo in nostra iustificatione nõ tantùm vltima dispositio est à Deo, sed etiã dispositiones quæ paulatim emolliunt corda nostra. Differt tamen, quòd agens naturale, quia est finitæ virtutis, semper procedit per imperfectas dispositiones, quæ paulatim disponant passum: at Deus, quoniam est infinitæ virtutis, aliquando subitò infundit gratiam; Potens enim est Deus subitò honestare pauperem: quod accidit in conuersione Pauli: nam continuò atque vocatus est à Domino, dixit, Domine, quid me vis facere? & Dauid à Nathan correptus continuò dixit, Peccaui. Idem patet in conuersione Apostolorum, qui vocati continuò sequuti sunt Dominum. Item in sacris scripturis, & in Concilijs clarè definitur, quòd initium nostræ salutis sit à Deo: atq; in eisdem definitur, quòd timor inferni sit donum Dei.

¶ Tertia conclusio. Opus moraliter bonum, & quicquid homo facit ex facultate naturæ propriæ non est dispositio ad gratiam, sed est veluti siccitas in ligno, quæ propriè non est dispositio, sed potiùs potentia passiua. Probatur: nam in generatione naturali omnis dispositio efficitur ab agente, qui conatur introducere suam formam in alterum: & nemo Philosophorum vnquam dixit, quòd lignum se disponit ad formam ignis per siccitatem: ergo similiter dicendum est in nostra iustificatione. Item, in sanctis scripturis, & Concilijs definitur planè, quòd omnis motus pertinens ad nostram salutem sit ex Deo, & quòd omne initium nostræ iustificationis sit ex Deo. Item hoc demonstrat ratio Diui Thomæ in articulo, si bene expendatur; quam defendit hic Caietanus contra Durandum.

¶ Quarta conclusio. Opus moraliter bonum, & quicquid sit ex facultate naturæ, licèt possit dici quædam dispositio remota ad gratiam, non tamen est meritum de congruo primæ gratiæ. Hanc demonstrat Soto libro 2. de natura & gratia capitulo 4. Pro cuius expositione notandum, quòd Scotus locis allegatis tenet, hominem ex facultate naturæ posse habere attritionem, quæ sit meritum de congruo primæ gratiæ iustificantis; & addit, quòd si est debitis circunstantijs prædita, videtur esse sufficiens dispositio ad gratiam, aliàs difficile est saluare, quòd Deus non sit acceptor personarum. Idem dicit de dilectione Dei, quam homo potest habere ex facultate naturæ. Idem sentiunt Durandus, Adrianus, & cæteri Nominales. Meritum de condigno (inquiunt isti doctores) esse, cui de iustitia præmium debetur. Meritum de congruo est, cui præmium ex sola congruitate debeatur: & hac ratione se tuentur ne sentiant cum Pelagio. Nos verò hanc notam istis autoribus non imponimus, licèt Lutherus Scoto, & propter Scotum omnibus Doctoribus scholasticis hanc notam hæresis Pelagianæ imponat. In hac cõclusione tantùm statui ostendere, quòd hoc meritum de congruo videtur pugnare cum gratia: quod probatur primò. Nulla est dispositio ex puris naturalibus, vt suprà demonstratum est: ergo non est meritum de congruo primæ gratiæ ex puris naturalibus. Probatur consequentia: nam maiorem energiam habet meritum de congruo, quàm dispositio. Secundò, meritum est correlatiuum ad præmium, mercedem, & debitum: vbi nulla est ratio debiti, vel præmij, non est ratio meriti; & qualis fuerit ratio debiti,

2. Cor. 3. 1. Cor. 4. Rom. 11. Ephes. 2. Colos. 1. Ephes. 1. Rom. 8. Rom. 9. Aug. lib. 2. contraduas epi. Pelag. ca. 7. & 8. 3. lib. hypog. & epi. 105. 106. & 107. Cõc. Tridẽ. sess. 6. ca. 5. & can. 3. Cõc. Arauf. 2. c. 24. & 25 Cõc. Mileu. per totum. Secũd. cõcl. Eccles. 11.

Tert. cõclu.

Caiet.

Quar. cõcl.

Mag. Soto.

Scot.

Durand. Adria. & Nominales

Meritũ de congruo cũ gratia pugnare videtur.

debiti, talis erit ratio meriti: sed prima gratia iustificans nulla ratione nobis debetur: dicit enim Paulus Rom. 4. Si ex debito, nō est gratia. Rom. 4. & 11. Rom. 11. Si ex operibus, iam nō est gratia: igitur non est aliqua ratio meriti in ordine ad primā gratiā. Confirmatur: nam autore Paulo meritū tollit gratiam: ergo si est aliqua ratio meriti, adimitur aliquid gratię. Tertiò, quāto tēpore Ecclesia Christi perpessa est bellum Pelagianorū, nemini Pelagianorum, vel catholicorum venit in mentē hæc distinctio meriti, cum tamē esset valde necessaria: nam vel Pelagiani se protexissent hoc merito, vel catholici tēperassent rigorē censendi: tamē in Concilio Palestino, vt autor est Augustinus, damnatur absolutè, qui dixerit, gratiam secundū merita nostra dari: in Concilio Milevitano definitur, gratiam nullis præcedētibus meritis nobis conferri: & in Cōcilio Arausicano definitur, quòd Deus nullis bonis meritis præcedentibus inspirat nobis fidem, & amorem: eadē definitio est in Concilio Tridentino. Quartò, si tēpore Pelagij esset inuētum hoc meritum de congruo, & Patres Conciliorum concessissent Pelagio, quòd homo ex facultate naturæ potest se disponere ad gratiam, & mereri illam de congruo, certè non ampliùs petisset: nā Pelagius, vir aliàs acutus, optimè cognouisset inter Deum & hominem mortalem non esse rigorem iustitiæ; sed tantùm congruentiā iustitiæ. Item, Pelagius ponebat meritum primę gratię, ne Deus videretur acceptor personarum, & ne gratia videretur fatum, vt autor est Augustinus: at si hoc meritum de congruo introducatur, facillimè tollūtur hęc inconuenientia Pelagij. Vnde Scotus dicit, quòd sine hoc merito difficile saluaret quomodo Deus non sit acceptor personarū; in qua re sentit cum Pelagio. Sed Patres Ecclesiæ nō referunt hoc in meritum nostræ volūtatis, sed in diuinam voluntatē præuenientem, secundum illud, Non est volentis &c. & illud; Cuius vult misereturr, & quem vult indurat. Vnde Augustinus dicit, quòd in iustificandis hominibus nō est acceptio personarum: quoniam est gratia, in qua habet verum illud; Nō licet facere de meo quod volo? an oculus tuus nequam est quoniam ego bonus sum? Item, non est fatum; nam est gratia: & ponit exēplū de duobus debitoribus, quorū vni creditor remittit debitū, ab altero verò exigit. Sed Paulus multò accōmodatius exemplū persequitur, de luto in manu figuli. Deniq; meritum de congruo non ex eo dicitur, quòd Deus propriè debeat nobis præmium, sed quoniam statuit legem certissimam de præmio reddendo: sed vt dicunt prædicti Doctores, Deus statuit legem infallibilem, quòd facienti quod in se est ex facultate naturæ, continuò datur gratia; & hoc quidem ex merito: ergo est meritum de congruo. Sed dimissis rationibus adducendæ sunt sententiæ patrum, qui in hac parte summum habent momentum. Augustinus explicans illud ad Romanos 3. Omnes peccauerunt, & egent gratia; dicit sic; Ante istam gratiā nihil præcesserit, nisi quod damnari merebamur: epistola 106. Ante iustitiam impius quid est nisi impius? quem si debitum sequeretur, quid eius merito nisi supplicium redderetur? epistola 107. Ibi grata est indulgentia, vbi iusta poterat esse vindicta, & serm. 15. de verbis Apostoli, exponens illud; Gratia estis saluati per fidē, & hoc non ex vobis. Non ex operibus, inquit, ne fortè dicas, promerui, & ideo accepi; non putes te promerendo accepisse, qui non promereres nisi accepisses. Gratia præcessit meritum tuum, nō gratia ex merito, sed meritum ex gratia. Nam si gratia ex merito, emisti, & non gratis accepisti. Pro nihilo, inquit, saluos facies illos. Quid est pro nihilo saluos facies? nihil in eis inuenis vnde salues, & tamen saluas. Gratis das, gratis saluas. Omnia merita præcedis, vt dona tua consequantur merita tua. Prorsus gratis das, gratis saluas, qui nihil inuenis vnde salues, & multum inuenis vnde damnes. Et super Psalmum 43. argumentatur sic. Antequam esses nō poteras mereri vt fieres; igitur antequam iustus esses, non poteras mereri vt iustus fieres. Non fuisti, factus es; quid Deo dedisti? malus fuisti; iustificatus fuisti; quid Deo dedisti? hæc argumentatio habet locū ex illo Pauli, Creati in operibus bonis; quo significatur, id nos afferre ad nostrā iustificationē, quod attulimus ad nostrā creationem. Similes sentētias habet Augu. super epist. ad Gal. c. 4. Item sunt illæ sententiæ Augustini; Meritis impij non gratia, sed pœna debetur: & illud, Quid merebaris ô peccator, quid merebaris? vide si occurrat tibi nisi pœna? vide si occurrat tibi nisi supplicium. Bernar. 67. serm. in Cāt. Nolo meritum quod gratiam excludit: horreo quidquid meum est vt sim meus. Ex hac definitione sequitur, quòd illę prępara tiones, quæ anteuertunt gratiam iustificantem, etiam si sint à Deo, vt metus inferni &c. non sunt meritum de congruo gratiæ iustificantis: hoc patet ex argumētis suprà positis. Item est alia manifesta ratio. Nam omne meritum nostrum, gratiæ & amicitiæ diuinæ innititur: quare si homo sit impius, nihil ei nisi supplicium debetur. ¶ Contra hanc sententiā arguitur. Nā Origenes dicit clarè, quòd pronūciare peccatū, meretur remissionē peccatorū: ergo ante remissionē peccatorū est aliqua ratio meriti in homine. ¶ Secūdò Augustinus epist. 105. dicit, nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito fit, si fides hanc impetrat, secundum quam ille dicebat; Propitius esto mihi peccatori; & descendit iustifi-

Aug. ser. 2. in Psal. 18.

Notanda Augustini sententia.

Ephes. 2.

Bernar.

Obiectiōes

Prim obie. Orig. hom. 3. in Leuit.

Secunda. D. August.

Cōc. Palest. Aug. epi. ad Paul.
Cōci. Mile. c. 5.
Cōci. Arau. c. 5.
Cōci. Trid. sess. 6. ca. 5.
Aug. lib. 2. cōtra duas epist. Pelag. c. 7. & 8.
Augu. loco allegato.

iustificatus merito fidei, fidelis humiliatus. epist. 106. Si quis dixerit, inquit, quòd gratiâ bene operandi fides meretur, non possumus negare, imò gratissimè cõfitemur. Idẽ dicit libr. de prædest. sanct. c. 1. lib. 1. ad Simplici. q. 2. & lib. de prædest. sanct. c. 7. dicit, quòd Cornelius meruit credere, quoniâ erat vir probus: & certè Augustinus pro certo habuit, quòd si fides esset à nobis, esset à nobis nonnullum meritum ad gratiâ iustificantẽ. Sed autore D. Tho. 2. 2. q. 6. ar. 1. & 2. fides aliquãdo infunditur prius tẽpore quàm gratia iustificãs: ergo potest esse meritũ nostrę iustificationis: ita videtur sentire D. Tho. super epist. ad Hebr. c. 6. explicans illud; Nõ enim iniustus est Deus vt obliuiscatur operis vestri. Et quòd meritũ de cõgruo non sit negandũ, euidentiùs demõstratur. Nã legimus Dñm Iesum, postquam vidit fidẽ quorundam, dixisse paralytico, Tolle grabatũ tuum, & ambula: igitur fides aliena meritoria fuit; siquidẽ promeruit paralytico salutẽ animæ, & corporis: hoc autem de condigno esse, penitus Theologica reprobant dogmata. Christo nãq; hoc vni reseruatur, vt alijs de condigno mereatur: est igitur meritum cõgruitatis. Ad hęc, Dñm tradidisse legimus, vt oremus pro persequentibus nos: hęc igitur oratio meritoria erit, vt inimici nostri reuertantur ad Deum, & cessent à vexãdis fratribus. Et rursum ipse quoque Dominus iubet; Dimittite, & dimittetur vobis, aut dimittemini: fac ergo peccatorẽ quẽpiam offensum, remittere iniuriam; quia obseruat Dñi prædictum mandatum, hic remittit; ergo meretur de congruo vt sibi dimittatur offensa cuius Deo debitor est: nam supponimus hũc esse sub noxa criminalis culpæ. Quid? quòd Paulum habemus ex precibus Stephani, vt Augustinus docuit: at verò non illi meruit gratiam iustificantem de condigno: ergo meruit de cõgruo: & de Centurione legimus, Dignus est vt hoc illi præstes: diligit enim gentem nostram, & ædificauit nobis synagogã. Quæ omnia confirmantur non ineuidenti argumento. Nam Patres antiqui (vt habet Theologorum communis opinio) meruerunt incarnationem Christi Dñi de congruo; meruerũt itaq; fontẽ gratiæ iustificantis: ergo meruerunt gratiam ex Christo, & per Christũ deriuatã. Quòd rectè sequatur, euidenter demõstratur. Nam si quis mereretur fontem lucis, ex cõsequio necessario mereretur lucem. Respondetur ad hoc, quòd multoties sancti Patres, quando de veritate constabat, non multũ erant soliciti de proprietate vocabulorũ; & sic inuenimus eos hîc vsos fuisse nomine, meritũ, in impropria significatione; quo etiã modo solemus nos dicere peccatoribus, Facite eleemosynas vt mereamini à Deo exaudiri; sensus est, facite quod in vobis est, vt Deus vestri misereatur. hoc fuit consilium Danielis; Peccata tua eleemosynis redime. Tob. c. 4. Eleemosyna à morte liberat: & illud Domini; Si dimiseritis, dimittetur vobis. Secundò dico, quòd homines per fidem merentur iustificationem; quoniam fides impetrat iustificationem; illa enim docet quomodo debeamus orare, & à quo debeamus petere. Tertiò dico, quòd quando Augustin. dicit fidem mereri iustificationẽ, loquitur de fide viua, & loquitur de augmento iustificationis, de quo intelligitur illud, Qui iustus est, iustificetur adhuc: & quòd hęc sit legitima expositio Aug. patet ex epi. 106. & ex Magistro in 2. d. 27. & ex D. Th. infrà q. 114. art. 5. ad 1. Dico quartò, quòd dispositio bona, siue ex libero arbitrio, siue ex diuino auxilio ante iustificationẽ dat nonnullã decentiã, & congruitatẽ, nõ tantũ ex parte Dei, sed etiã ex parte hominis, vt iustificetur. Quòd sit cõgruentia ex parte Dei, dicit Anselmus; Cũ punis malos, iustus es; quia illorũ meritis cõuenit: cũ verò parcis malis, iustus es; nõ quia illorũ meritis, sed quia tuę voluntati est congruũ. Quòd verò sit cõgruentia ex parte peccatoris, probatur ratione. Primò; quoniam homo peccator, qui bonis operibus est deditus, maiorẽ aptitudinẽ, siue vt propriùs loquar, minorem repugnantiam habet ad gratiam iustificantem, quã homo innumeris sceleribus coopertus; sicut lignum aridum maiorem aptitudinem habet vt comburatur, quàm humectatum. Secũdò, quoniam autore D. Thom. 3. p. q. 4. artic. 1. in natura humana erat cõgruentia vt assumeretur à verbo diuino, quę cõsistebat in dignitate naturę, & necessitate; erat enim ex omni parte peccato infecta: si igitur in natura humana erat cõgruẽtia vt assumeretur in vnitatẽ suppositi diuini, certè in bonis operibus ex facultate naturæ comparatis erit cõgruentia ad iustificationẽ. ¶ Sed notandũ, quòd hæc cõgruentia nõ fundat rationẽ iustitiæ; quare Deus sępe pręterit eam, & iustificat homines, in quibus hęc cõgruẽtia nõ reperitur, vt patet in conuersione Pauli, Magdalenæ &c. Secũdò, quia magis pertinet ad profunditatẽ diuini iudicij, vt ex duobus, in quibus est æqualis causa, & æqualis cõgruentia, dimittat vnũ, & alterũ iustificet, vt nõ glorietur omnis caro ex operibus corã illo. Itẽ notãdũ, quòd homo iustus, & amicus Dei potest mereri alteri primam gratiam de congruo, orans pro peccatore vt conuertatur: nam æquitas est, quòd Deus exaudiat amicos suos pro peccatoribus deprecantes. Cõfirmatur: nam D. Tho. 3. p. q. 2. art. 11. dicit clarè, quòd Patres antiqui meruerunt de congruo Incarnationem Domini: sed vocatur hoc meritum de congruo, quoniam non est lex infallibilis quòd exaudiatur amicus Dei pro altero. Demum dicendum est, quòd quanquam in

oratione

D. Thom. — Meritũ de congruo. — Marc. 2. — Mat. 6. Luc. 6. — Luc. 7. — Solutio. — Dan. 4. Tob. 4. — Mag. sen. & D. Thom. — Dispositio nonnullam congruentiã tribuit. Ansel. — D. Thom. — Cõgruentia non fundat rationẽ iustitiæ. — D. Thom.

oratione à peccatore fusa, insuper in operibus misericordię, atque in condonatione iniurię sit nonnulla vis ad impetrandam Dei misericordiam, vim meriti vllam non debet admittere Theologus; impetratio enim diuinæ misericordiæ innititur: meritum verò, iustitiæ; & de iustitia peccatori nihil debetur nisi supplicium.

¶ Sed ad illam argumentationem, de merito de congruo, quo Patres antiqui filij Dei incarnationem meruerunt, ex quo ratiocinabamur, Patres antiquos primam gratiam de congruo promeruisse, dicendum est, argumenti consecutionẽ esse nullam. Cuius rei duplex est causa; altera est, quòd Christus Dominus non fuit causa efficiens gratiæ quæ Patribus antiquis collata fuit. Causa enim efficiens non potest operari, antequam sit; & certum est, quòd gratia Patribus antiquis collata prior fuit tempore Christi Domini incarnatione, sed fuit veluti causa finalis propter quam conferebatur illis gratia in virtute Christi venturi, & propter pretium postmodum soluendum. Vnde consequentia argumenti nulla est; non enim meruerunt Patres antiqui Christum Dominum vt causam efficientẽ gratiæ suæ. Altera causa quare neganda sit consequentia, est: nam gratia antiquorum Patrum collata est illis ex meritis Christi præuisis; & id quidem gratis: postquam iam verò habuerunt gratiam, per illam meruerunt de congruo vt veniret desideratus gentibus, & exolueret pretium suæ redemptionis. Vnde euidens est, quòd non meruerunt sibi primam gratiam de congruo.

Ad argum. Ad primum ¶ Ad argumenta in principio facta, ad primum dicendum, quòd gratia iustificationis est donũ supernaturale, nec personæ, nec naturę, nec operibus nostris debitum: quare ratio naturalis de hoc nihil potest demonstrare: & detestatio peccati ex facultate naturæ comparata, non est dispositio, nisi valdè remota, sicut siccitas in ligno. Qua in re notandum, quòd sancti Patres quando pugnabant contra Pelagianos, non pugnabant rationibus humanis, sed scripturis sanctis, in quibus habetur illud; Sine me nihil potestis facere; &, Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? &, Non vos me elegistis &c. Secundò respondẽtur, quòd sufficiens dispositio ad habendã gratiam non est quicunq; dolor propter Deũ, sed efficax, & propter Deum summè dilectum, & cũ proposito firmissimo cauendi in futurum: hæc verò opera sine gratia haberi non possunt. Tertiò dicebat Victoria, quòd licèt possemus habere ex facultate naturæ contritionem, quod est falsum, Deus tamẽ reseruauit sibi præparationẽ ad gratiã, & eius infusionẽ, ne glorietur omnis caro coram illo ex operibus suis. Quòd aũt hoc sibi reseruauerit, patet ex Concilijs, & scripturis.

Secunda solutio.

Tertia.

Caiet. Caietanus 1. q. de contritione dicit, quòd diligere Deum super omnia, & detestari peccatum sũ per omne detestabile, non est sufficiens præparatio ad gratiam, sed requiritur acceptatio diuina, & diuinum auxilium speciale: hæc tamen solutio non est vera, vt videbitur suo loco.

Ad secundũ ¶ Ad secũdum, de puero qui peruenit ad vsum rationis, & proponit ex facultate naturæ sequi bonum, & fugere malum, respondetur, quòd Deus continuò adiuuabit illum ex parte intellectus, infundens illi lumen supernaturale fidei, sine qua impossibile est placere Deo; & ex parte volũtatis inspirans amorem diuinum, sine quo nemo viuit, nec iustificatur: hoc verò habemus ex diuinis reuelationibus, & scripturis.

Ad tertium ¶ Ad tertium respondetur, quòd homo non potest facere quod in se est, nisi diuina gratia excitetur: scriptum est enim; Sine me nihil potestis facere: ergo sine diuino adiutorio non potest facere homo quod in se est, vt iustificetur. hanc solutionẽ persequitur Diuus Thomas hîc ad secundum, & infrà quæstione 112. articulo 3. Secũdò dico, esse probabilem sententiam doctorũ, quòd facienti quod in se est ex facultate naturæ, Deus ex sua misericordia nunquam denegat gratiam. Ioan. 15. D. Thom.

Differt maximè opinio Scoti, à sententia Pelagij. ¶ Sed dicet Theologus; In quo differt hæc sententia à sententia Pelagij? Respondetur, primò: nam Pelagiani dicebant posse hominem ex facultate naturæ mereri primam gratiam de condigno: at Scotus, & cæteri, quacunque dispositione posita ex parte liberi arbitrij, dicunt gratissimè nobis conferri. Secundò differunt: nam Pelagius dicebat, hominem ex facultate naturæ sine fide supernaturali, & sine infusione diuini amoris posse consequi gratiam, & gloriam: sed catholici fatentur, quòd homini facienti quod in se est ex facultate naturæ, est necessaria fides supernaturalis, & amor desuper infusus, sine quo nemo viuit; quæ dona confert Deus facienti quod in se est, vt ad gratiam præparetur.

Nõ infalliliter datur gratia facienti quod in se est ex facultate naturę. Tertiò dico, quòd probabilius est, & magis consentaneum sanctis Patribus, præcipuè Augustino, non esse legem infallibilem, quòd homini peccatori facienti quod in se est ex facultate naturæ continuò conferatur gratia: nam si esset lex infallibilis, certè initium, & bona pars iustificationis esset ex nobis, profectò haberemus quid responderemus Paulo interroganti, Quis te discernit? nam possemus dicere, discernit me meũ propositum: quoniam facio quod in me est ex facultate naturę. Rursus haberemus quid respõderemus Paulo interrogãti; Quis prior dedit illi? nã dicemus, dedimus prius bonũ propositũ, & fecim⁹ quod in nobis est. Atq; possem⁹ soluere illã quæstionẽ, quã Paulus in epist. ad Roma. insolutã relinquit, scilicet, quid est quod hũc trahat, & aliũ non trahat? in promptu est responsio

secun-

secundùm istam sententiam. Trahit hunc; quoniam fecit quod in se est: alium minimè, quoniá non fecit quod in se. Deinde, si est lex infallibilis, quomodo definiunt Scripturæ & Concilia, hominem ex facultate naturę non posse aliquid facere quod ad vitam æternam sit vtile, sine gratia Dei speciali? Certè vtilissimum est ponere dispositionem ex facultate naturæ, ad quam infallibiliter sequatur gratia, & postmodum gloria. Item, dispositio ad quam infallibiliter sequitur gratia, est effectus diuinæ prædestinationis, vt constat. Sed effectus diuinæ prædestinationis in diuinam voluntatem præuenientem sunt referendi, vt constat ex scriptura: ergo. Quid verò sentiat Augustinus de hominibus facientibus quod in se est ex facultate naturę, animaduerte re licet 4. lib. contra Iulianum c. 3. & libro de natura & gratia c. 1. vsque ad 5. & c. 67. & 68. & libro 2. contra Pelagium & Celestium capit. 26. & epistola 105. ¶ Sed dicet Theologus; Excusabunt se homines facientes quod in se est ex facultate naturæ, dicentes, Quid ampliùs debuimus facere, qui fecimus quod in nobis est, & gratiam vnde cõuerteremur non accepimus? Quibus respondet Augustinus, Quiescant (inquit) homines hoc murmurare; fortè enim rectè quererentur, si non præsto adesset qui auersum reuocat, & credentem doceat. Non enim homines sunt in culpa, quoniam inuiti ignorant, sed quoniam negligunt medicinam. Quòd si instemus de hominibus qui nõ negligunt quærere remedium; Respondet Augustinus, quòd condemnantur ratione peccati originis; vel aliorum criminum quæ adhibuerunt supra peccatum originis. ¶ Ad quartum dicunt quidam, quòd licèt homo ex facultate naturæ possit habere attritionẽ, quæ cum sacramento iustificet hominem, non tamen inde conuincitur, quòd possit homo ex facultate naturæ se ad gratiam præparare: nam præparatio non est attritio solùm, sed cũ sacramẽto: hæc verò dispositio est supernaturalis, & ex diuino auxilio proficiscẽs. Quòd verò attritio ex facultate naturæ comparata, cum sacramento baptismi, vel confessionis satis sit ad iustitiam, asserunt Doctores graues. Soto lib. 2. de natura. cap. 3. in 4. in materia de pœnitentia. Cano, Victoria, & alij Magistri nostri: & probatur hæc sententia. Nam sacramẽta conferunt gratiam non ponentibus obicem, sed qui habet attritionem de peccato suo, & remouet animum à peccato, non ponit obicem: ergo recipit gratiam. Sed alij Theologi (quorum sententiam sequor) tenent; quòd attritio, quæ satis est cum sacramento ad iustificationẽ, debet esse supernaturalis, qualis potest esse in peccatore, vt metus gehennæ incussus à Deo; & omnino si non est prę̃paratio supernaturalis cũ sacramento, non est satis ad iustificationem.

Quid in hac causa Augu. sentiat.

Ad quartũ.

Mag. Soto. Cano, & Victoria.

Attritio quę cũ sacrameto ad iustitiã sufficit, supernaturalis est.

Probatur: nam in Concilio Arausicano definitur sic, quòd initium fidei, quo peruenimus ad regenerationem baptismatis, Deus desuper nobis infundit, & eius amorem; & qui contrarium dicunt, dogmatibus Apostolicis aduersantur: & alibi definitur sic. Salubriter confitemur, quòd in omni opere bono nos non incipimus, & postea à Deo adiuuamur, sed ipse Deus nullis bonis meritis præcedentibus nostris fidem & amorem inspirat, vt ad sacramentum baptismi accedamus. Idem definitur in Concilio Tridentino. Item, vt dignè accedamus ad sacramentum baptismi, est necessarium prius credere, & sperare salutem, quam in sacramento baptismi à sacramento requirimus: Sed hæc opera sine gratia Dei speciali haberi nequeunt: ergo &c. Item, sicut asseritur in scripturis, quòd sine fide impossibile est placere Deo: ita asseritur, quòd sine præparatione supernaturali nemo viuit, vel iustificatur: sed in nullo euentu potest esse salus sine fide supernaturali: ergo nec sine præparatione supernaturali. Confirmatur: nam certè est absurdum, & ferè contra scripturas, quòd homo adultus consequatur salutem ęternam sine aliquo actu supernaturali ex parte voluntatis. Itaque ad argumentum quartum negatur antecedens.

Cõc. Araus. c. 25.

c. 25.

Cõci. Trid. sess. 6. ca. 5. & 6.

¶ Ad vltimum respondetur, quòd licèt sit immediatus ordo inter opus morale, & opus gratiæ; non tamen est immediatus ordo inter opus morale, & tale opus gratiæ, scilicet gratiæ habitualis: mediat enim conuersio supernaturalis, quæ est præparatio ad gratiam.

Ad vltimũ.

ARTIC. SEPTIMVS.

¶ Vtrùm homo possit resurgere à peccato sine auxilio gratiæ.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio.

Concluſio est. Vt homo resurgat à peccato, indiget habitu gratiæ iustificantis, atque etiam interiori Dei motione. Nõ enim est idem resurgere à peccato, quod cessare ab actu peccati. Peccatũ nãq; transit actu, & remanet reatu. Sed resurgere à peccato, est reparari hominẽ ad ea quę peccãdo amisit.

At

At homo nõ potest reparari ad ea quæ peccando amisit sine habitu gratiæ iustificantis,& interiori Dei motione. Ergo hæc omnia requirũ tur. Probatur minor argumẽti. Nã homo peccando triplex detrimen tum incurrit; videlicet maculam, inquantum priuatur decore gratię ex deformitate peccati: incurrit corruptionem naturalis boni, in quantum natura hominis deordi natur, quando voluntas non est subiecta Deo; quo ordine sublato, tota natura hominis peccantis re manet inordinata; incurrit etiam reatum pœnæ, per quam homo peccando mortaliter meretur dã nationem æternam. Tria autem hæc non possunt reparari nisi per Deum. Nam Dei gratia prouenit ex illustratione diuini luminis, quæ reparari non potest nisi Deo denuò illustrante; vnde requiritur habituale donum, quod est lumen gratiæ: neque potest reparari ordo naturæ vt voluntas hominis Deo subijciatur, nisi Deo voluntatem hominis ad se trahente. Sed & reatus pœnæ æternæ non potest remitti, nisi à Deo, in quem est com missa offensa, & qui est hominum iudex. Vnde requiritur auxilium gratiæ vt homo à peccato resurgat, & quantum ad habituale do num, & quantum ad interiorem Dei motionem.

Detrimẽta peccati.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Conclusio D.Thom. cõfirmatur.

Hier. 2.

Conclusio Diui Thomæ est certa se cundùm fidem. Oseę 13. Perditio tua ex te, tantummodo in me auxilium tuum. Hiere. c. 2. Si laueris te nitro, & multiplicãueris herbam borith, immunda eris in conspectu meo. c. 30. Insanabilis est fractura tua ad alligãdum curationem tuam, non est vti litas in te. Quibus verbis significatur, quòd per nulla beneficia naturalia possumus à peccato emundari. Idem patet ex illo; Sana animã meã, quia peccaui tibi, & viã iniquitatis amoue à me. Item est primum principiũ in religione nostra, Nõ esse aliud nomen sub cœlo in quo oporteat nos saluos fieri, nisi in nomine illius; qui propte rea Iesus voluit vocari, quòd saluũ esset factur populũ suũ à peccatis eorum. Hic est agnus Dei qui tollit peccata mũdi; q. descẽdit in huc mũdũ peccatores saluos facere: vt saluũ faceret quod perierat; & venit vocare nó iustos, sed peccato res ad pœnitentiã: qui est propitiatio pro pecca tis nostris, & lauit nosà peccatis in sanguine suo. Certè hãc veritatẽ vel solũ argumentũ D. Tho. in contrariũ manifestè probat, quæ adeò explo rata est, vt Pelagius inimicus gratiæ Christi asse rat, gratiã Dei esse necessariã ad remissionẽ pec catorum, vt autor est Augustinus. ¶ Hoc suppo sito, est dubiũ; An homo per vires naturæ pos sit resarcire dãnum quod infert peccatũ contra ordinẽ naturæ. Et videtur quod sic. Nã D. Th. in 2. d. 28. in expositione literæ clarè dicit, quòd homo peccator per vires naturæ, licèt nõ possit resarcire dãnum quod intulit peccatũ cõtra or dinẽ supernaturalẽ, potest tamẽ restaurare dam nũ quod est cõtra ordinẽ naturalẽ. & probat au toritate Arist. in c. de oppositis, vbi dicit, quòd licèt à priuatione ad habitum non sit regressio, à vitio verò ad virtutẽ potest esse regressio: idẽ sentit d. 33. consentit Caietanus hic, & probatur. ¶ Nã habitus prauitũ nõ necessitant voluntatem vt permaneat in malo: ergo potest redire ad bo nũ oppositum, & continuo exercitio se subdere Deo, vt principium naturæ est. ¶ Secundò: vo luntas ex intẽperantia potest rẽdire ad tẽperan tiam per facultatẽ naturæ: ergo ex inobedientia potest redire ad obedientiã Dei, vt est principiũ naturæ. ¶ Tertiò, si homo cõderetur in puris na turalibus, cui nulla darẽtur præcepta supernatu ralia, necessariò debebat labi in peccatum mor tale: ergo si bonũ naturale restaurari nõ potest sine gratia Dei, ille homo necessariò debebat es se miser. In oppositũ est sentẽtia D. Thom. solu tione ad 3. quæ est verissima. Nã homo in pecca tũ lapsus nõ potest seruare omnia præcepta le gis naturæ; nec verò diligere Deum super om nia dilectione naturali, vt suprà probatum est; quæ opera sunt homini maximè na turalia: ergo non potest restaurare dam num quod infert pectatum in naturalibus. Secundò, homo peccator, quoadusque iu stificetur, habet vltimum finem sibi constitutum in commutabili bono. Rursus, meretur

Augustin. epist. 89. & 94.

Dubitatio. D. Thom. Prim. arg.

Caiet.

Secundũ.

Tertium.

Sententia verior.

supplicium æternum: ergo. Tertiò, est auersus à Deo, vt est principium naturæ; & non potest habere beatitudinem naturalem, & est dispositus ad vltimam miseriam: ergo &c. ¶ Ad argumenta respondetur, tantùm probare quòd possimus restaurare damna quodammodo, & secundum quid; non tamen omnia damna, vt dudum probatum est. Est aliud dubium; an de potentia Dei absoluta possit remitti peccatum sine gratia iustificante; Rursus, an possit remitti peccatũ sine qualitate, quæ est gratia; sed de hoc infrà q. 113. De expositione articuli huius vide Diuum Thomam 3. contra gentes c. 157. & 158.

Solut. arg.

ARTIC. OCTAVVS.

¶ Vtrùm homo sine gratia possit nõ peccare.

SVMMA TEXTVS.

Prim. cõcl. PRima conclusio. Homo in statu naturæ integræ poterat non peccare, neque mortaliter, neque venialiter per vires suæ naturæ. Nam peccare, nihil aliud est, quàm recedere ab eo quod est secundùm naturam; quod vitare poterat homo in eo statu.

Secũ. cõclu. ¶ Secunda conclusio. Homo in statu naturæ lapsæ indiget dono gratię habitualis sanantis naturam vt non peccet. Nam in statu naturæ corruptę, in quo inferior appetitus non est totaliter subiectus rationi, non potest esse quin contingant inordinati motus in appetitu sensitiuo: & cùm ratio hominis non sit totaliter subiecta Deo, contingunt multę inordinationes in actibus rationis. Nam cùm homo nõ habeat cor suum firmatũ in Deo, vt pro nullo bono consequendo, vel malo vitando ab eo separari velit, occurrunt multa propter quæ consequenda, vel vitanda homo recedit à Deo, præcepta eius contẽnendo; & sic mortaliter peccat; maximè in repentinis, in quibus homo operatur secũdum finem præconceptum, & secundum habitũ pręexistentem; quamuis ex pręmeditatione rationis homo possit aliquid agere præter ordinem finis præconcepti, & præter inclinationem habitus: sed quia non potest semper esse in tali præmeditatione, nõ potest cõtingere vt diu permaneat, quin operetur secũdũ voluntatẽ à Deo deordinatã, nisi citò per gratiã ad debitũ ordinẽ reparetur. Vnde indiget homo gratia habituali sanante vt à peccato abstineat.

Tert. cõcl. ¶ Tertia cõclusio. Homo iam sanatus per donũ gratiæ potest cauere omnia peccata mortalia, & singula venialia; nõ tamen omnia venialia simul. Nã hæc sanatio quæ fit per gratiã, primò fit in mẽte, appetitu carnali nondũ reparato; vnde Apostol⁹; Mẽte seruio legi Dei, carne autẽ legi peccati; in quo statu potest homo abstinere ab omni peccato mortali, quod in ratione cõsistit; sed nõ ab omni veniali, propter corruptionẽ appetitus inferioris, cuius motus singulos ratio potest reprimere, nõ tamen oẽs: quia dũ vni resistit, insurgit alius, & ratio nõ semper est peruigil ad huiusmodi motus vitãdos.

Rom. 7.

Quar. cõcl. ¶ Quarta cõclusio. Homo in peccato mortali, qui nõ est sanatus per gratiã, potest cauere singula peccata mortalia p aliquod tẽp⁹, sed nõ potest diu persistere quin labatur in aliud: nã autore D. Gregorio; Peccatum quod mox per pœnitẽtiam non deletur, suo pondere ad aliud trahit.

Greg. hom. 11. in Ezec.

EX-

EXPLICATIO ARTICVLI.

Triplex de peccatis cauendis error.

DE peccatis cauendis ab hominibus fuit triplex error. Primus Manichęi, ponentis in nobis mentē quandam malam, productā à malo Deo, quæ non potest non peccare. Secūdus est Lutheri, huic errori propemodū similis, asserētis naturā humanā post peccatum esse adeò dissipatā, & corruptā, vt in omni opere suo peccet mortaliter: cæterū inquit, q̄ hęc peccata per diuinā misericordiam non imputātur ei qui credit in Christū, qui iustificat impiū. Tertius error est Pelagij, asserētis, q̄ homo per sua naturalia sine auxilio gratiæ, etiā post peccatū, pōt cauere omne peccatū, & implere vniuersam legē, & tādē nō peccare. Cōtra hūc errorē disputat D. Tho. in præsentia.

Secundus error.

Tertius error.

De statu naturæ integræ quæstio.

¶ Vt verò eius doctrina explanatiùs & euidentiùs intelligatur, est prima dubitatio; Vtrùm in statu naturæ integrę possit homo sine gratia vitare ea peccata quę erāt contra præcepta supernaturalia; videlicet spei, fidei, & charitatis? Et est argumentū pro parte negatiua, q̄ nō possit: quia vitare peccatum, nihil aliud est quàm adimplere prȩceptū: sed prę cepta supernaturalia nō poterant impleri sine gratia, etiam in statu naturæ integræ: nemo enim pōt credere, sperare, & diligere sine auxilio gratiæ: igit̄ non poterat vitare peccata quæ erāt contra præcepta supernaturalia sine auxilio gratiæ. Dñs Caiet. in hoc articulo duo concedit: primū, q̄ ista præcepta supernaturalia in statu naturæ integræ non poterāt impleri sine gratia: Secundū, q̄ in illo statu poterat homo sine gratia vitare peccata, quæ cōmittūtur contra illa præcepta: nā inquit Caie. q̄ aliud est implere aliquod præceptū, & aliud vitare peccatū oppositū illi præcepto. Nā inquit. v. g. q̄ implet præceptū diligēdi, qui gratia adiuuāte diligit: vitat autē peccatū omissionis alicui⁹ prȩcepti, qui quātū est ex sua parte ita se gerit, vt nō apponat obicē gratiæ auxilianti ad diligendū: hoc autē, scilicet, nihil impedimēti apponere gratię mouēti, poterat homo facere per suas vires in statu naturæ integræ: & ex cōsequēti, secūdū hāc sentētiā, poterat per suas vires vitare peccata cōtra præcepta supernaturalia. Hic dicēdi modus multis argumētis in superiorib⁹ à nobis est improbatus, & ideo meliùs est dicere, q̄ est idē implere præceptū, & vitare peccatū illi oppositū; & q̄ homo in statu naturæ integræ, sicut per suas vires non poterat implere præcepta supernaturalia, ita etiam nō poterat per suas vires vitare peccata opposita illis præceptis. Et certè D. Tho. suprà q. 63. art. 2. ad. 2. apertè dicit, q̄ peccata, quę opponūtur virtutibus Theologicis, nō pōt homo vitare sine gratia; sicut neque pōt exercere illas virtutes sine gratia. Quādo ergo dicit D. Tho. in hoc art. q̄ homo in statu naturę integrę per suas vires poterat cauere oīa peccata, & nō peccare; intelligit̄ de peccatis quę aduersantur rectitudini naturali, nō de peccatis quæ aduersant̄ legi supernaturali.

Argumentum.

Caieta.

Vera sentētia.

D. Tho.

De statu naturæ lapsæ.

¶ Sed maius dubiū est; vtrùm in statu naturæ lapsæ homo possit sine gratia euitare, quin de nouo peccet? Nā de hoc sunt duæ sentētiæ cōtrarię. Altera est Dur. in. 2. d. 27. q. 3. & Scoti in. 2. d. 23. & Gab. in ead. d. q. 1. qui tenēt, q̄ homo in statu naturæ lapsæ sine gra pōt cauere omne peccatū. Sed D. Tho. hoc in loco cōtrariū docet, cuius sentētia sine dubio est fides catholica, & irrefragabilis, & cōtrarium dogma est Pelagianū.

Exponitur sententia D. Tho.

¶ Pro cui⁹ declaratione aduertēdū est, q̄ homo in statu naturæ lapsæ habet multa mala quę illū incitāt ad malū. Nā primū habet ignorātiā rerū agēdarum; deinde est vehemētissimè ꝓnus ad diligēdū se, & sua cōmōda, agitaturq; multis grauissimis affectib⁹: præterea habet hostes infestissimos, scilicet mūdū, diabolū, & carnē, qui ipsum cōtinuò ad malū inducūt. Vnde dicebat Paulus; Nō est nobis colluctatio aduersus carnē, & sanguinē, sed aduersus Principes & potestates tenebrarū, & aduersus spirituales nequitias: & Petr⁹; Fratres, sobrij estote, & vigilate: q̄a aduersarius vester diabol⁹ tanq̄ leo rugiēs circuit quærēs quē deuoret.

Ad Ephe. 6

1. Petri. 5.

¶ Secūdo loco est aduertēdū, q̄ præter ista mala quæ sunt cōmunia oībus hominibus tā iustis, q̄ iniustis, homines peccatores q̄ diu sunt in peccato, habēt duas alias causas, & grauissimas quidē, quæ illos inducūt ad peccādū. Prima est, q̄ volūtas hominis peccatoris nō est subiecta Deo, neque in eo firmata, sed potiùs auersa à Deo. Et quemadmodum homo Deo subiectus, est munit⁹ & armatus sufficiēter cōtra quodcūq; peccatum, iuxta id quod dicitur Eccli. 1. Radix sapiētiæ, timere Deū: ita è contrario cū homo careat ista subiectione animi, & volūtatis ad Deum, nō habet in se aliquod principiū, neq; aliquā virtutē qua possit in vniuersum peccata mortalia vitare. Secūda causa est, quia homo quādiu est in peccato mortali habet pro vltimo fine amorē sui inordinatum vsq; ad cōtēptū Dei; qui amor, vt scribit Aug. ædificat ciuitatē Babylonis. Ea enim de causa quisq; peccat, q̄a præponit suā cupiditatē diuinæ volūtati: quod mihi videt̄ significasse Paulus, cū inquit, Fugite auaritiā, quæ est idolorū seruitus; qui locus, si rectè intelligatur, significat fugiēdum esse in primis amorem propriū sui immodicū; quia omnia peccata, quæ sunt idolorū seruitus, ab amore sui immodico prodeunt. Et quòd hæc sit syncera huius loci explanatio, patet: nam vbi nos legimus, auaritiam, Græcè est vox quædam, quę non solùm

Ad Colo. 3.

ſignificat immodicũ ſtudiũ pecuniariũ, ſed ſignificat in vniuerſum vehemens quoddã ſtudium, quo quiſq; affectat, & deſiderat in quacũq; re & negotio ſibi cõmodare; quod nihil aliud eſt, quàm immodicus amor ſui. ¶ Tertio loco eſt aduertẽdum, q̃ quãdiu homo aliquis habet aliquã rẽ pro vltimo fine, naturaliter inclinat ad operãdũ propter illã quicquid operatur; & ſic ad hoc quòd operet, & nõ ꝓpter illã quã ſibi præſtituit vltimũ finẽ, neceſſe eſt accedat ad operãdũ præmeditatus, & cũ cõſilio, & cũ animo referẽdi & dirigẽdi operationẽ ſuã in aliũ finẽ, & nõ in illũ quẽ habet pro vltimo. Prima cõc. His cõſtitutis, eſt prima cõcluſio. ¶ Homo dũ eſt extra gratiã, ſine auxilio gratiæ nõ põt diu vitare quin incidat in aliud, & in aliud peccatũ. Hęc ꝓpoſitio ita certa eſt, vt oppoſitũ affirmare nemo poſsit ſine nota erroris Pelagiani. Pſal. 34. Et probatur primò ex illo; Via impiorũ tenebrę, & lubricũ, & Angelus Dñi perſequẽs eos. Igit̃ ſi peccatores ſunt extra gratiã Dei, & ambulãt in lubrico, & tenebroſo loco, neceſſum eſt vt offendant, & cadãt. Metaphora ſumpta eſt ab ijs, qui gradiũtur per loca lubrica, & decliuia in tenebris. Threno. 1. Idẽ probatur ex illo; Peccatũ peccauit Hieruſalẽ, ꝓpterea inſtabilis facta eſt. Igitur ex ipſo peccato naſcitur inſtabilitas in bono: & ex conſequẽti, illi qui gratia carẽt, nõ poſſunt diutiùs conſiſtere in bono. Quod idẽ elegantiſsimè eſt expreſſum in primo Pſalmo, cõparatione facta inter peccatorem & iuſtũ. Pſal. 1. Nam cùm primùm Dauid dixiſſet de iuſto homine; Et erit tãquã lignũ plantatũ ſecus decurſus aquarũ, quod fructũ ſuũ dabit in tẽpore ſuo: in quo ſignificat, homines iuſtos eſſe ſtabiles, & in melius ſemper proficere: ſtatim ſubiũgit de hominib' impijs; Nõ ſic impij, nõ ſic; ſed tanquã puluis quẽ proijcit vẽtus à facie terræ: in quo ſignificat, ꝙ quemadmodũ puluis vẽto agitatus nunquã cõſiſtit, ſic peccatores, & gratia deſtituti, & ſuis cupiditatibus agitati nũquã cõſiſtũt, & præcipites ferũtur in malũ. Idẽ põt probari ex illo quod dixit Cain de Gene. 4. ſe, Ecce proijcis me hodie à facie tua, & ero vagus, & profugus in terra: & qui inuenerit me, interficiet me. Vagus, inquit; vt intelligas, ꝙ peccatores nũquã cõſiſtũt, & ſunt expoſiti omnibus affectibus, & paſsionibus. Hæc omnia Chryſo. in Matt. 11. cõfirmãtur teſtimonio D. Chryſoſt. qui ait; ꝙ quemadmodũ nauis fracto gubernaculo non quò vult vadit, ſed quò tẽpeſtas impellit: ita, inquit, homo gratia Dei deſtitut' in præcipitia Gregor. peccatorũ defert. Huc pertinet illud D. Gregorij; Peccatũ quod per pœnitẽtiã mox nõ deletur, ſuo põdere ad aliud trahit. Itẽ arguitur ratione. Nã homo gratiæ deſtitutus auxilio, non põt diu & per longũ tẽporis ſpatiũ bene & ſtudioſè operari; nõ poteſt diu ſeruare totã legẽ, vt probatum fuit ſuperiùs: ergo nõ poteſt diu perſiſtere quin de nouo peccet. ¶ Secũda concluſio. Homo peccator non põt vitare omnia peccata mortalia, niſi habeat gratiã iuſtificantẽ, per quã ad Deũ cõuertatur. Hęc propoſitio eſt fides chatolica, & cõtrariũ pertinet ad hęreſim Pelagianorũ, quæ eſt cõdẽnata in Cõcilijs cõgregatis cõtra Pelagiũ, Arauſicano, Mileuitano, Paleſtino, & Tridẽtino: cõdẽnatio ſic habet. Si quis dixerit, gratiã Dei, qua in Chriſto iuſtificamur, valere ad remiſsionẽ peccatorũ quæ iam ſunt cõmiſſa, & non ad adiutoriũ ne cõmittãtur, anathema ſit. Teſtimonia ad hũc errorẽ cõuincẽdũ ſunt hæc. Non eſt volentis, neq; currẽtis, ſed Dei miſerẽtis. &, Fidelis Deus qui non patietur tẽtari vos vltra id quod poteſtis, ſed faciet cũ tẽtatione prouẽtũ vt poſsitis ſuſtinere. & illud, Ego rogaui pro te Petre vt nõ deficiat fides tua. & illud, Vigilate, & orate, ne intretis in tẽtationem: & quod quotidie orãtes petimus; Ne nos inducas in tentationẽ: & illud, Sine me nihil poteſtis facere: & illud, Non ſumus ſuffeciẽtes aliquid cogitare ex nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Diſputat fuſiſsimè D. Augu. contra hũc errorẽ in multis locis. In cuius rei cõfirmationem nõ eſt neceſſe à nobis excogitari noua argumẽta: nã in ſuperioribus ſatis probatũ exiſtimo, ꝙ homo ſine gratia nõ põt omnia præcepta legis implere, ꝙ nõ põt diligere Deũ ſuper omnia; tũ etiã ꝙ nõ põt ſe ad gratiã pręparare, atq; adeò ꝙ nõ põt à peccato reſurgere. Ex quibus efficaciter cõcluditur, ꝙ ex viribus naturæ nõ poſſumus oĩa peccata cauere. ¶ Sed cõtra ea quę dicta ſunt, nõnulla argumẽta proponunt. Homo, qui peccat, volũtariè & liberè peccat: igitur quacũq; oblata occaſione peccãdi poteſt nõ peccare; & ex cõſequẽti poteſt vitare omnia peccata. Reſpõdetur, ꝙ quãuis homo poſsit ſine gratia vitare vnũ aut alterũ peccatum, nõ tñ poteſt diu vitare omnia peccata, niſi diuinitus adiuuetur: quia licèt habeat liberũ arbitriũ, habet illud infirmũ, & ægrũ. Et ad formã argumẽti cõcedo, ꝙ liberè & volũtariè peccet, qñ peccat: & cũ infertur: ergo põt omnia peccata cauere; cõcedo quòd põt; ſed non ſuis viribus, ſed auxilio gratiæ, quod omnibus Deus ſemper liberaliter eſt paratus conferre. Vel dicatur, ꝙ poteſt ſingula peccata cauere, nõ tñ omnia, prout ſuprà expoſitũ eſt. ¶ Secũ dò ſic arguitur. Si ſine gratia nõ poſſet homo diu vitare peccata, ſequeretur ꝙ poſsit homo certò ſcire, & cognoſcere ſe eſſe in gra. Probat̃ ſequela: quia põt quis facilè experiri ꝙ diu nõ peccauit. Ad hoc argumẽtũ negatur ſequela: & ad probationẽ dico, neminẽ poſſe certò cognoſcere

Secũda cõ.

Roma. 9. 1. Corin. 10

Aug. epiſt. 89. & 95. lib. de nat. & gra. li. 2. de peccatorũ meritis lib. de ſpirit. & lite. li. de perfect. iuſtitiæ & 3. lib. cõtra duas epiſt. Pelag.

Argumẽta contra ea quæ dicta ſunt.

Solutio.

Secundum argum.

Solutio.

gnoscere an seruaret omnia præcepta, præcipuè illud maximũ, Diliges Dñm Deum tuũ ex toto corde: nemo itaq; pòt esse certus q̃ non peccauerit, iuxta illud; Delicta quis intelligit? Psal. 18. ab occultis meis mũda me. & Paulus, Nihil mihi cõscius sum, sed nõ in hoc iustificatus sum. 1. Corint. 4.

Tertium argum. ¶ Tertiò loco sic arguitur. Si homo, qui est extra gratiã, nõ potest diu manere sine peccato, sequeretẽ q̃ postquã peccauit, esset in periculo peccãdi, pbabilis, & ex cõsequẽti tenetur post peccatũ statim pœnitere, & dolere de peccato admisso; quod est cõtra cõmunẽ Theologorũ doctrinã. Quòd autẽ sequat rectè, pbatur. Nã qui amat periculũ, peribit in illo: ergo si statim post peccatũ est periculũ cadẽdi, statim tenetur se ad Deũ cõuertere, & sic cauere comme moratũ periculũ. Ad hoc argumentũ negatur q̃ peccator teneatur statim pœnitere, quia nõ statim post peccatum admissum est periculum probabile vlteriùs peccandi; sed si diutiùs per sistat in peccato, est periculũ de nouo peccandi: quando verò fuerit tale periculũ, concedo facilè, esse obligationẽ vt conuertatur in Deũ per verã pœnitentiã, vt tale periculũ effugiat. Valet etiã ad confutationẽ huius argumẽti, q̃ Deus peccatoribus sæpè confert auxilia, quibus possint vincere tẽtationes, etiã graues; quibus auxilijs efficitur, vt quãquam homo sit extra gratiã gratũ facientẽ, nõ tamẽ sit in periculo vlteriùs peccandi de nouo. ¶ Est aliud dubiũ; An homo iustus possit cauere omnia peccata venialia: in huius expositionẽ est primum assertũ. ¶ Homo potest esse sine peccato, sed per gratiã Dei. ita asserit Augustinus; & ratio eius est: nam aliàs derogatur euidenter libero arbitrio, & gratiæ Dei efficaci. ¶ Secũdũ assertum. Homo non potest esse sine peccato sinè grãtia Dei. Hæc sentẽtia est definita cõtra Pelagium in omnibus Concilijs cõtra eum congregatis, & constat ex multis testimonijs scripturarũ, quę suprà sunt adducta. ¶ Tertiũ assertum. Nullus homo nec viuit, nec vixit, nec victurus est sine peccato, licèt iustus sit; quare moraliter loquẽdo, bene possumus dicere, esse impossibile q̃ homo iustus caueat omnia peccata venialia. Ab hac regulã excipim⁹ Christum Dñm, & beatissimã Mariã Virginẽ, quã excipit Augustinus, & Conci. Tridẽtinũ. Hæc sentẽtia cõstat euidẽter ex scripturis sanctis. 1. Ioã. c. 1. Si dixerimus q̃ peccatũ non habemus &c. Iaco. 3. In multis offendimus omnes. Prouer. 18. Iustus in principio sermonis accusator est sui. Prouer. 24. Septies in die cadit iustus. Eccl. 7. Nõ est homo iustus in terra qui faciat bonũ. 3. Regũ. 8. Nõ est homo qui nõ peccet. Iob. 25. Nemo mundus à sorde. &c. & in Psal. Omnes declinauerũt, &c. nõ est qui faciat bonũ, &c. & in alio Psal. Dixi, confitebor aduersùm me iniustitiã meã, & tu remisisti iniquitatem peccati mei: pro hac orabit ad te omnis sanctus. & illud, Non intres in iudiciũ cum seruo tuo Dñe, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. & illud, Si iniquitates obseruaueris Dñe, Domine quis sustinebit? & ideò oramus quotidiè, Dimitte nobis debita nostra. Hæc veritas est definita in Conc. Mileui. Idem definiũt omnes sancti, Ambrosius, Cyprianus, Hieronymus, Augustinus, quos refert Driedo. Et notãdũ, q̃ S. Patres in cõfirmationẽ huius sentẽtiæ vtũtur eisdẽ rationibus, quibus vtitur D. Thomas in præsentia. Sed nõ erit inutile Cõciliorũ decreta in huius rei euidẽtiorẽ demonstrationẽ adducere. In primis, in Cõcilio Tridẽtino dicitur; Quòd si quis dixerit, hominẽ semel iustificatũ posse in totã vita omnia peccata, etiã venialia, vitare, nisi speciali Dei priuilegio, sicut de B. Virgine tenet Ecclesia, anathema sit. Itẽ in Concilio Mileui. definitur sic; Placuit, quod ait S. Ioãnes Apost. 1. can. 1. si dixerimus q̃m peccatũ nõ habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est; quisquis sic accipiẽdũ putauerit, vt dicat, propter humanitatẽ, siue humilitatẽ, nõ oportere dicere nos nõ habere peccatũ, nõ quia sit veritas, anathema sit. Et probatur à Concilio: quia statim subdit Apostolus; Si autẽ confessi fuerimus peccata nostra, fidelis est & iustus qui remittat nobis peccata: vbi satis apparet, hoc non tãtũ humiliter, sed etiã veraciter dici. Poterat enim Apostolus dicere, Si dixerimus quia nõ habemus peccatũ, humilitas in nobis non est: sed cùm dicat, Nos ipsos decipimus, & veritas in nobis nõ est: satis ostẽdit, cũ qui dicit se nõ habere peccatũ, decipi, & nõ verũ loqui. & can. 7. definitur, q̃ sancti pro semetipsis dicunt, Dimitte nobis debita nostra: sanctus eñ erat Apostolus Iacobus, quãdo dicebat. In multis offendimus oẽs. & Daniel. c. 9. sanctus erat, cũ diceret; Cum orarẽ, & confiterer peccata mea, & peccata populi mei Dño Deo nostro: quẽ locũ Concilũ Mileuit. adducit in cõfirmationem huius veritatis, & dicit, q̃ Daniel tãquã propheta præuidit, futuros esse aliquos qui malè intelligerẽt quod ipse dixerat, vniuersaliter peccauimus, iniquitatẽ fecimus; ideò dicit posteà, cũ cõfiterer peccata mea. Præterea sancti Doctores sic intellexerũt hãc veritatem esse catholicã. B. Augu. ab hac generalitate solã excipit B. Virginẽ: nã de Christo nõ potest dici quòd ex priuilegio non habebat peccatũ, sed quia erat Deus & homo, nõ poterat habere peccatum. B. Gregorius explicãs illud Iob; Nec enim reprehendit me cor meum in omni vita mea; inquit, quòd sunt quędã peccata quę

Dubiũ de peccatis venialibus.

Prima cõc. Aug. lib. 2. de peccatorum merit. ca. 6. lib. de spiri. & lit. in pricipio & in fin. & li. de natu. & grã. c. 10.

Secũda cõ.

Tertia cõc.

Aug. lib. de natu. & gratia. c. 36. Conci. Tri. Sess. 6. can. 23. 1. Ioan. 1. Iaco. 3. Prouer. 18. Prouer. 24. Eccle. 7. 3. Reg. 8. Iob. 25.

Psal. 18. 1. Ioan. 1.

Solutio.

Cõci Mile. c. 6. 7. & 8.

Driedo. 1. lib. de gratia & libe. arb. c. 5.

Cõcil. Tri. Sess. 6. can. 23.

Cõc. Mile. can. 6.

Daniel. 9.

Augu. li. de nat. & grat.

Gregor. 18 moral. c. 4.

à iuſtis vitari poſſunt; quæ dã verò quæ etiam à iuſtis vitari nõ poſſunt? & q̃ de primis dicit Iob: Nec em̃ reprehẽdit me cor meũ in omni vita mea: de ſecũdis verò dicit ipſe, Si iuſtificare me voluero, os meũ condẽnabit me: & primò dixerat, Peccaui, quid faciã tibi ô cuſtos hominũ? quod de venialib' intelligit. Cõtra hãc ſentẽtiã Celeſtius hæreticus, vt refert Auguſt. adducebat. 600. & eo plura teſtimonia ſcripturarũ: in quibus apertè aſſerit, q̃ homo in hac vita põt eſſe iuſtus, immaculatus, & perfectus, atq; adeò q̃ poſſit eſſe ſine querela, & ſine crimine, & etiã aſſerit, q̃ põt eſſe homo adeò iuſtus, vt nũquã eũ cor reprehẽderit. hoc aſſerit de Iob. c. 27. Itẽ adducit illud, Qui natus eſt ex Deo, nõ peccat. Ad hęc teſtimonia tã dilucidè reſpõdet Auguſt. vt nõ oporteat reſpondere.

Celeſtius hæreticus.

Augu. li. de perfectiõe iuſtitiæ.

Augu. loco citato.

¶ Quartũ aſſertũ. Homo iuſt' ad breue tẽpus põt eſſe ſine peccato. Hoc aſſerit Hier. 3. li. cõt. Pelag. in fin. & verificat illud in homine cõtinuò atq; egrediẽte ex fonte baptiſmatis. Sed nõtat Hiero. q̃ hoc tẽp', in quo eſt ſine peccato, nõ poſsibilitati humanæ, ſed diuinæ gratię eſt tribuẽdũ. ¶ Quæritur tñ, vtrũm poſsit aliquis aſſerere, q̃ aliqs, de priuilegio ſpeciali, nõ peccauerit venialiter, præter B. Virginẽ? Ad hoc dubiũ B. Augũ. reſpõdet, q̃ ipſe iudicat nullũ talẽ hominẽ eſſe, vel fuiſſe, vel futurũ eſſe; & q̃ teſtimonijs ſcripturę ſacrę ita videt eſſe definitũ. At verò dicit ſecũdò, q̃ ſi quis cõtẽdat eſſe aliquẽ qui nũquã peccauerit, & oſtẽderit teſtimonia ſcripturę aliter eſſe intelligẽda quàm ſonãt, nõ eſt ei aduerſandũ, ſed gratulãdũ: & alibi inquit; Vtrùm in hoc ſeculo vel ſit, vel poſſit eſſe aliquis ita iuſtè viuẽs, vt nullum habeat omnino peccatũ, põt eſſe aliqua quęſtio inter pios veroſq; chriſtianos; ad q̃ ipſe reſpõdet, q̃ poſt hanc vitã eſſe poſsit, quiſquis ambigit, deſipit. Secũdò dicit, q̃ ipſe nõ vult cõtẽdere, nõ eſſe poſsibile in hac vita; quia quãuis ſibi videatur nõ aliter eſſe intelligẽda teſtimonia ſcripturæ, ſicut eſt illud, Nõ iuſtificabit in cõſpectu tuo omnis viuẽs: ſi tñ aliquis oſtẽderet, q̃ illa teſtimonia aliter, & meliùs intelligantur, & q̃ eſt poſsibile q̃ in aliquo ſit plena iuſtitia, dum tñ cõfiteat q̃ multi plures ſunt iuſti, qui poſſunt dicere, Dimitte nobis debita nſra: & q̃ ille qui tã iuſtus eſt, nõ à ſeipſo, ſed adiuuãte gratia ſaluatoris habere pleniſsimã illã perfectionẽ cõſiteretur; nã qui hoc negauerit, nõ eſt deputandus in numero chriſtianorũ; talẽ Augu. nõ cõdẽnat. Itaq; B. Aug. nõ aſſerit ex ꝓpria ſententia (vt aliqui exiſtimãt) q̃ aliquis ſine peccato veniali poſsit vitã agere, ſed cõdeſcendẽs Pelagianis, inquit, ſub quadã cõditione impoſsibili de facto, ſcilicet ſi teſtimonia ſcripturæ poſſunt aliter cõmodè explicari, poterit aliquis dicere q̃ ex priuilegio gratię Dei aliquis poterit eſſe tã ſanctus. Reſpõdetur igitur ad dubiũ, q̃ valde temerariũ eſt, & proximũ errori, aſſerere, q̃ hoc priuilegiũ factũ ſit alicui ſancto, præterquã B. Virgini; vt ſi quis diceret, q̃ B. Dominic' nũquã peccauit venialiter. Ratio huius eſt, q̃a cùm hoc priuilegiũ nõ fuerit factũ Apoſtolis, vt poſt aduẽtũ Spiritus ſancti nunq̃ peccarẽt venialiter, vt patet ex Cõcil. Mileui. citato, vbi dicitur, quòd de ipſis Apoſtolis etiã intelligit illud, Si dixerimus, &c. profectò temerè aliquis aſſereret, hoc priuilegiũ factũ fuiſſe alicui ſancto inferiori, & contra cõmunẽ legẽ. Verũ eſt tñ, quòd fortè nõ eſſet ita temerariũ, ſi quis aſſereret, q̃ B. Ioannes Baptiſta ex ſpeciali priuilegio ſanctificationis in vtero, non peccauerit venialiter. Ratio eſt: q̃a in Cõc. Trideti. ponit ipſamet exceptio, niſi ſcilicet quis ex ſpeciali priuilegio, quemadmodũ de B. Virgine tenet Eccleſia: vbi inſinuatur, q̃ ſi hoc priuilegiũ fiat alicui ꝓpter magnã rationẽ, nõ ſit periculoſum illud dicere. Ex quo ſequit, quòd vbi fuerit aliqua ratio ſpecialis, vt in B. Ioanne Baptiſta ſanctificato in vtero, nõ ſit temerariũ aſſerere, quòd nõ peccauit venialiter. Confirmatur: quia de Ioãne Baptiſta canit Eccleſia; Ne leui ſaltẽ macularet vitã famine poſſet. Nihil ominus tutius nobis videt, neminẽ excipere prẽter B. Virginẽ, quã excipit Eccleſia: & ratio eſt, quia hac via dat occaſio vt aliquis dicat, q̃ etiã Ioãnes Baptiſta ex priuilegio nõ fuerit cõcept' in peccato originali, vel etiã Hieremias: vide Driedonẽ lib. 1. de gratia & libe. arbi. c. 5.

De B. Ioanne Baptiſta.

Cõc. Trid. Seſſ. 6. can. 23.

Quarta cõ.

An aliquis fuerit ſine veniali peccato.

Aug. li. de ſpiritu & litte. ca. 1.

Lib. de natura & gratia. c. 60.

ARTIC. NONVS.

¶ Vtrùm cõſtitutus in gratia poſsit operari bonum abſque auxilio gratiæ?

SVMMA TEXTVS.

Solutio dubij.

Prima cõ.

Secũda cõ.

PRima Cõcluſio. Homo in gratia cõſtitutus nõ indiget nouo auxilio habituali. ¶ Secũda Cõcluſio. Homo in gratia cõſtitut' eget auxilio Dei ſpeciali ad operãdum bonũ, & ad cauẽdum malũ. Probationes D. Thomæ ſic procedunt. Homo, inquit, ad rectè & ſtudioſè viuendum dupliciter auxilio Dei indiget: Vno quidem modo, quantum ad aliquod habituale donũ, per quod natura humana corrupta ſanetur, & ſanata eleuetur ad

operandum

1. Ioan. 1.

operandum opera meritoria vitæ æternæ, quæ excedunt proportionem naturæ creatæ: Alio autē modo indiget auxilio gratię, vt à Deo moueatur ad agēdum. Quantum ad primum auxilij modum, homo in gratia existens non indiget nouo auxilio, ne procedatur in infinitum: sed secundo modo indiget vt moueatur ad agēdū, propter duo. Primò quidē, quia nihil creatū potest prodire in actū sine virtute diuinæ motionis: Secundò propter cōditionem status humanæ naturæ, quæ etsi per gratiam sanetur quantum ad mentem, remanet tamen in ea corruptio, & infectio quātū ad carnē: remanet etiā quędā obscuritas intellectus ex ignorātia, secūdū quā nescimꝰ quid oremus, ꝓpter varios rerū euētus. Vnde necesse est vt à Deo dirigamur, & gubernemur, qui nouit omnia.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Duplex bonū, morale & meritorium.

PRO intelligētia quæstionis primo loco est aduertēdū, ꝙ aliud est bonū morale, & aliud bonum meritorīū, vt dictū est. Bonum morale dicimus opus cōsentaneū rectę rationi ex obiecto, & circunstātijs. Bonū meritorīū est opus, quod præter ea quę diximus, habet etiā quādā cōdignitatē, & proportionē ad vitā æternam.

Duplex auxilium.

Secūdo loco aduertēdū, ꝙ causæ secūdæ non possunt aliquid agere, nisi ex motione, & concursu causæ primæ, & superioris. Et ita Deus concurrit ad omnes operationes omniū rerū: qui cōcursus dicitur generalis: & præterea cōcurrit speciali alio quodam modo ad operationes bonas, & honestas; qui concursus dicitur specialis, qui est duplex. Vnus cōmunis omnibus hominibus, qui aliquid benè & iustè operātur, siue iusti, siue iniusti sint: Alter verò magis specialis, quo cōcurrit Deus, nō quidē cum omnibus iustis, sed cū certis quibusdā; qui concursus est quædā peculiaris, & selecta manutenentia, & assistētia, & prouidētia diuini numinis, fauētis, & custodiētis iustos viros peculiari quadā & solicita ratione, & maiori quàm reliquos. Tertiò est aduertēdū, ꝙ cùm quærimus, vtrùm homo iustus possit operari bonum per seipsum sine speciali auxilio; ea quęstio potest tripliciter intelligi; Vno modo; vtrùm possit operari per seipsum aliquod bonū morale: secūdo modo potest intelligi; vtrùm homo iustus per seipsum possit implere omnia præcepta, & diu bene operari: tertio modo; vtrùm possit per seipsum sine speciali auxilio operari aliquod bonū meritoriū: vel potius; vtrùm in iustificatis ad singula opera meritoria sit necessariū speciale auxilium: de quibꝰ singulis quęstionibus breuiter dicemus. ¶ Et quātū ad primā quæstionem, sit prima propositio. Homo iustus sine speciali auxilio per se potest operari aliquod bonū morale: ita tenet Caiet. hîc, & manifestè patet: quia vt superiùs cōstitutū est cōtra Gregorium Arim. homo extra gratiā positus potest per suas vires efficere aliquod bonū opus morale: igitur multò magis id poterit facere postea quā iustificatus est. ¶ Secūda propositio. Homo iustus per se, sine speciali auxilio, potest efficere aliquod bonū opus, quod alio qui extra gratiā nō poterat efficere. Hæc propositio mihi est valde probabilis: & probatur primò; quia per gratiā habitualē, & per virtutes infusas, quæ simul cū gratia infundūtur, homo efficitur potētior ad bene operandum quàm antea erat, & debilitatur cōcupiscentia: igitur poterit efficere aliquod bonū opus quod antea nō poterat. Et cōfirmatur hoc ex definitione Cōcilij Mileuitani, vbi dicitur; Quicūq; dixerit gratiā Dei, quā iustificamur per Iesum Christū Dñm nostrū, ad solā remissionē peccati valere, nō etiā adiutoriū cōferre ne peccata cōmittātur, anathema sit. ¶ Cęterùm quātū ad aliā quęstionē, in qua quęsitū est, vtrùm homo iustus possit sine auxilio gratiæ facere bonū diu, & perseuerare, Nominales, atq; etiam Hericus Ganda. quodli. 4. q. 10. & Durā. in. 2. d. 29. q. 3. videntur tenere partē affirmatiuā, ꝙ potest homo iustus sine auxilio gratiæ facere bonū diu, & perseuerare. Sed D. Tho. in hoc articulo apertè tenet cōtrariū, & Caiet. ibidē, & sine dubio est vera sentētia: vnde sit in hoc certissima cōclusio. ¶ Homo iustus indiget auxilio speciali ad quędā opera excellētia, ad implēda cūcta mādata, & diu perseuerādū. Probatur ex Augustino dicēte; Sicut oculus corporis plenissimè sanus, nisi candore lucis adiuuetur, non potest cernere: sic etiam non potest homo videre, etiam perfectissimè iustificatus, nisi æterna luce iustitiæ diuinitus adiuuetur: & alio loco adducit ad hoc probandum illud Canticorum. 8. Quæ est ista quæ ascendit dealbata, innixa super dilectum? & dicit, Quia dealbata bene ambulat, si tamen super eum, à

Sensus quæstionis.

Vtrū iustus possit per se operari bonū morale.

Prima cōc. Caieta. & Gregor.

Secūda cō.

Cōc. Mileuitana. can. 3.

Si iustꝰ possit perseuerare in operatione boni sine peculiari auxilio.

Henri. Ganda. Durand. D. Tho. & Caieta.

Vera sentētia.

Augu. li. de natu. & gratia. c. 26.

Lib. de gratia & libe. arb. c. 6.

quo dealbata est, incumbat. Propter quod & ipse Iesus, super quem incumbit dealbata, dixit discipulis suis, Sine me nihil potestis facere. Item sic argumentor. Homines sancti, & iusti quotidie petunt à Deo vt eos adiuuet: nam iustorum vox est, Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo: igitur indigent auxilio diuino post gratiam iustificante, alioqui frustra orarent, atque peterent. atque hæc res certa est. Sed probatur maioribus argumentis, ex illo; Cum metu, & tremore operamini vestram salutem. &, Seruite Domino in timore, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta; non dixit, vt non ostendat vobis viam iustam, sed ne pereatis de via iusta, quã iam estis ingressi. Item illud, Deduc me Domine in via tua. & rursus, Etenim illuc manus tua deducet me: & illud, Misericordia tua subsequatur me omnibus diebus vitæ meæ; & propterea oramus dicentes, Et ne nos inducas in tentationem. Demum error est Pelagij, asserere quòd homo sanatus per gratiã ampliùs nõ egeat auxilio gratiæ, sicut homo sanatus à medico ampliùs ope medici nõ indiget, vt autor est D. Augustinus, constituens discrimẽ inter hominem sanatum à medico corporali, & inter hominem sanatum à medico spirituali.

Phil. 2. Psal. 2.

Augu li. de natu. & gratia. c. 26.

¶ Cæterùm quantum attinet ad vltimã quæstionem, in qua quæritur, vtrùm homo iustus indigeat auxilio speciali ad singulos actus meritorios; sunt duæ diuersæ sententiæ. Nã Vega in opusculo de iustificatione q. 14. tenet partẽ negatiuam, scilicet quòd non indiget speciali auxilio; cæterum Gregorius Arimi. in. 2. d. 29. q. 1. tenet oppositum, & inquit, eam esse sentẽtiam catholicorum. Et certè huius quæstionis definitio pẽdet ex alia quæstione, in qua queri solet; Vtrùm ad cõstituẽdum opus meritoriũ sit necessariũ vt tale opus actualiter, vel virtualiter referatur in finẽ supernaturalẽ. Nam si ad meritorium opus satis est vt qui operatur habeat gratiam gratum facientem, & nihil aliud requiritur, proculdubio omnia opera moraliter bona facta ab homine iusto erunt meritoria; & ex consequenti non erit necessarium auxilium speciale ad singulos actus meritorios: quia, vt diximus, non solùm homo iustus, sed & peccator potest per suas vires facere aliqua opera bona moraliter: si autem ad meritũ constituendum est necessaria relatio in finẽ supernaturalem, vel actualis, vel virtualis, quod ego semper probabilius existimaui; profectò videtur quòd sit etiam valde probabile, quòd ad singulos actus meritorios requiritur auxilium speciale: vnde in hoc sit prima propositio.

De actu meritorio hominis iusti.

Vega.

Gregor.

An ad opus meritoriũ sufficiat relatio virtualis ad Deũ in habente gratiam.

Prima propositio de actu supernaturali.

¶ Ad singulos actus supernaturales, etiã in homine iusto, requiritur auxiliũ speciale, id est, ad credendum, ad sperandum, ad diligendum Deũ ex charitate. Et probatur ista propositio. Huiusmodi actus supernaturales ex sua natura sunt altioris ordinis, quàm naturales: igitur cõcursus, quo Deus cõcurrit cum quocũque homine, siue iusto, siue peccatore ad exercendos huiusmodi act', est altioris ordinis, & alterius generis, & rationis, quàm est cõcursus generalis quo cõcurrit cũ homine ad opera naturalia. Et hunc concursum altioris ordinis dicimus auxilium speciale: igitur ad actus supernaturales requiritur auxilium speciale. Præterea sic argumentor. Per habitus, siue infusos, siue acquisitos, potẽtia nõ mouetur, neq; impellitur ad operãdũ; sed officiũ habituũ est, facilitare potẽtiã ad hoc, vt cùm mota fuerit, faciliter & prõptè operetur: igitur homo iustus, quãuis habeat gratiã, & habitũ charitatis infusæ, non mouetur ab illo ad operãdũ supernaturaliter, sed mouetur à Deo speciali auxilio, & motione. & hoc videtur affirmare D. Tho. in hac q. art. 3.

Secũda cõ.

¶ Secũda propositio. Omnes actus meritorij vitæ æternæ sunt supernaturales. Probatur sic. Huiusmodi actus habẽt cõdignitatẽ, & proportionẽ ad vitã æternã, quæ est bonũ supernaturale: igitur sunt supernaturales. Itẽ, omnes actus meritorij vel eliciuntur à charitate, vel imperãtur; intãtùm em̃ sunt meritorij: sed charitas nullũ actũ elicit, neq; imperat, nisi in ordine ad finẽ supernaturalẽ, quem habet pro obiecto: igitur omnes actus meritorij sunt supernaturales. Patet cõsequẽtia: quia actus relatus in finẽ supernaturalẽ, saltem ex ipsa relatione supernaturalis est.

Tertia cõc.

¶ Sit tertia, & vltima propositio. Iusti ad singulos actus meritorios indigẽt auxilio speciali. Hæc manifestè sequitur ex dictis. Nã ad actus supernaturales indigent auxilio speciali; & actus meritorij sunt supernaturales, vt modò dictũ est: ergo. Et præterea probatur ex Innocentio I. qui ait, Omnes sancti sine adiutorio Dei nihil se agere posse testantur: & alibi loquens de iustis, inquit, Necesse est vt restituta nobis pristini status libertate per gratiã, eam gratiam queramus: quippè qui neq; alias diaboli tẽtationes & machinas nisi gratia iuuãte possumus vitare. Probatur ex Celestino. 1. epist. c. 6. vbi dicit; Nemo, etiã baptismatis aqua renatus, idoneus est ad superãdas diaboli insidias, ad vincẽdas carnis cõcupiscentias, nisi per quotidianum adiutorium Dei perseuerantiam bonæ conuersationis acceperit. Sanè vt rem hanc decernam, existimo, adeò esse certũ ad singulos actus supernaturales credendi, sperandi, ac diligendi esse necessarium auxilium Dei speciale, vt contrarium docere non solùm existimem esse improbabile, sed etiam temerarium dogma. Nam

Innocẽt. in rescripto ad Concil. Carthagi. In rescript. ad Concil. Mileuit.

Celestinus.

Celestinus

Celesti. epistola ad omnes Episcopos Galliæ c.8.&.9. Zosimus. Celestinus Papa definit, quòd gratia est necessaria ad singulos actus: & commemorat Zosimũ Papam definientem, quòd in omnibus actibus, motibus, causis, cogitationibus, Deus est adiutor: & prorsus habetis easdem definitiones in lib. de dogmat. Ecclesiæ, qui refertur inter opera D. Augu. & Conciliũ Arausicanũ ca.9. ita decernit; Quotiescũq; bene agimus, Deus in nobis, & nobiscum operatur vt operemur. Consimilẽ definitionẽ habetis in can. vlti. illius Concilij: & D. Augustinus in episto. ad Vitalem Carthaginẽsem, & in epist. ad Paulinum inter alios errores Pelagij recenset istũ, ꝙ gratia non sit necessaria ad singulos actus; & disputat grauissimè contra istum errorem lib. de nat. & gratia. c.26. & lib. cõtra Celestiũ ca.15. Item probatur ista sententia testimonijs sanctarum scripturarum. Dicitur Ioan.15. Sine me nihil potestis facere. Itẽ est illa sentẽtia, Nõ sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis.

Cõci. Arau. August. Ioan.15.

ARTIC. DECIMVS.

¶ Vtrùm constitutus in gratia indigeat auxilio gratiæ ad perseuerandum.

SVMMA TEXTVS.

Prima con. PRima Conclusio. Perseuerantia, si capitur pro habitu mentis, per quẽ homo firmiter stat ne remoueatur ab eo quod est secundùm virtutem per tristitias irruentes, simul cum gratia infunditur: quapropter ad istã perseuerãtiam habendam nihil requiritur præter gratiã habitualem. ¶ Secũda Conclusio. Si capitur perseuerãtia pro habitu, secũdum quem homo habet propositum perseuerandi vsq; in finem, simul infunditur cũ gratia, sicut continentia, & aliæ virtutes. ¶ Tertia Conclusio. Si capitur perseuerantia pro continuatione quadam boni vsq; in finẽ, ad hanc habendã constitutus in gratia nõ indiget alia habituali gratia, sed diuino auxilio ipsum dirigẽte, & protegente cõtra impulsus tẽtationũ. Vnde iustificatus debet petere donum perseuerãtiæ, vt custodiatur à malo vsque in finem vitæ: quia multis datur gratia, quibus nõ datur perseuerare in gratia.

Secũda cõ. Tertia cõc.

EXPLICATIO ARTICVLI.

IN hoc articulo est grauissima quæstio; Vtrùm homo iustificatus per gratiã habitualẽ, cũ diuino auxilio possit perducere vitam studiosam vsq; in finẽ: an verò requiratur aliud auxilium diuinę gratię specialius vt in bono perseueret vsq; in finem. ¶ A parte negatiua sic arguitur. Nã homo habẽs gratiã iustificantẽ, cũ diuino auxilio potest perficere omne bonũ, & cauere omne malũ: ad hoc em̃ est sanatus per gratiã, & habet præsentissimũ, & paratissimũ diuinũ auxiliũ: ergo non requiritur aliud diuinũ auxiliũ. ¶ Deinde, D. August. dicit, ꝙ sicut oculus corporis perfectè sanus sine splẽdore lucis nõ potest videre, sic homo sanatus per gratiã sine auxilio gratiæ nõ potest bonum operari: ergo præter hoc auxiliũ aliud superuacaneum erit. ¶ Tertiò, Homines iustificatos Deus nunquã deserit, nisi pri⁹ deserat̃ ab ipsis, vt ait Augustinus, & Concil. Tridẽtinũ Sess.6. ca.11. & 13. cui cõsonat illud, Contẽplãtes ne quis deserat gratiam Dei: ergo in potestate iustificati hominis est, perseuerare sine alio auxilio præter illud quod est necessariũ ad rectè viuẽdũ, & ad nõ peccãdũ; quod quidẽ Deus non subtrahit, nisi prius homo peccauerit, vt definit apertè Cõciliũ. ¶ Quartò sic arguit̃. Nã fieri põt vt homo iustificatus faciat semel opus quoddã bonũ, & cõtinuò moriatur; alius verò iustus sæpenumero operetur rectè, atq; studiosè, & ad extremũ moriatur in peccato. Ex quo sic conficitur argumẽtũ. Ille qui mortu⁹ est in gratia, nõ accepit aliquod auxiliũ motionis diuinæ, quod nõ susceperit ille qui dãnatus est: ergo donum perseuerãtiæ nõ est aliud auxiliũ præter illud, quo homo rectè vtẽs, benè & studiosè operatur: quin potiùs fieri potest, ꝙ aliquis iustificatus cũ sola attritione cũ sacramẽto pœnitẽtiæ statim moriatur sine aliquo bono opere, & cõtinuetur in illo gratia vsq; ad finẽ vitę, sine noua diuinæ gratiæ motione. ¶ Vltimò, bene potest accidere vt aliquis homo agat vitam quietissimè, & liberam ab huiusmodi tentationibus quæ perturbant animum; vel propter naturalem complexionem ad bonũ propensam; vel propter genus vitæ quod elegit quietum, & à negotijs femotum: & sic talis homo non indigebit ad perseuerandum, & ad superandam tentationem dono speciali perseuerantiæ.

Quæstio circa artic. Primũ arg. Secundum Aug. lib. de nat. & grat. c.26. & 28. Tertium. Augu. loco citato. Conci. Tri. Ad Heb.12. Quartum. Vltimum.

tiæ. Hoc ipsum confirmatur: quia potest accidere, quòd alicuius hominis iusti vitæ spatium sit breuissimum, & quòd in illa breuitate vitæ nulla occasio peccandi illi sese offerat, & ex consequenti ille talis sine aliquo speciali concursu perseuerabit in bono vsque ad exitũ vitæ. Idque iterum confirmatur. Nam si constituamus duos homines in æquali gratia coram Deo secundum præsentem statum, quorũ alter sit de numero reproborum, alter verò de numero electorum; quorum ille, qui est de electorum numero, interficiatur dormiens; certè talis perseuerabit in bono vsque in finẽ: at nõ habuit specialius donũ gratiæ quàm ille qui de numero reproborum erat, vt ex hypothesi constat: ergo ad perseuerandum vsque in finẽ non est necessarius specialis Dei concursus.

Explicatio quæstionis. ¶ Ad huius quæstionis explicationẽ tria sunt examinanda. Primum, vtrùm gratia gratum faciens, & iustificans conferat illi, in quo est aliquod auxilium, aut aliquid virium ad benè & studiosè operandũ. Secundò, supposito quòd conferat, videndum est, an homo iustus per suas vires, sine illo auxilio quod illi affert gratia habitualis quam habet, possit perseuerare vsque in finem vitæ. Tertiò, posito quòd non possit, videndum est, vtrùm id auxilium quod habet à gratia habituali sit sufficiens ad perseuerandum in bono vsque in finem; an potiùs requiratur præterea aliud auxilium speciale distinctum ab illo. His constitutis, sit prima pro

Prima cõc. positio. ¶ Gratia habitualis non solùm efficit hominem gratum Deo formaliter, sed cõfert auxilium ad benè operãdum. Probatur sic. Nã gratia habitualis sanat mentem humanã infirmam, & ad malum pronam: ergo cõfert vires ad benè operãdũ. Cõsequẽtia inde probatur: quia sanitas animæ nihil aliud est, quàm effici potentiorem ad bonum, quàm anteà erat. Itẽ sic arguitur. Defectus virium, & infirmitas in homine peccatore ex eo procedit inter alia, q̃ habet pro vltimo fine bonum commutabile: igitur illa res, quæ formaliter efficit vt homo abiecto illo deteriori fine habeat pro vltimo fine bonum incommutabile, confert eo ipso vires ad studiosè & rectè operãdum. Hoc ip-

Cõcil. Mile. can. 3. sum definitum est in Cõcilio Mileuitano vbi dicitur, Quicunque dixerit gratiam Dei iustificantem valere solùm ad remissionem peccatorum, quæ iam commissa sunt, & nõ etiam adiutorium conferat ne committantur, anathema sit. Hæc prima conclusio, primum dubium su-

Secũda cõ. perius propositum euidẽter elucidat. ¶ Secunda propositio. Homo iustus nõ potest perseuerare in bono per suas vires sine auxilio, quod est à gratia. Probatur ista propositio: quia perseuerare in bono vsque ad finem, est donum Dei: igitur non est sine auxilio gratiæ, nec potest fieri per vires naturę. Consequẽtia est euidens, & probatur antecedens: nam Paulus inquit, Qui cœpit in vobis opus bonum ipse perficiet vsque in diẽ Christi Iesu: & Dominus dicit, Elegi vos, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat. & Petrus; Deus omnis gratiæ qui vocauit nos in æternam gloriam suam modicũ passos, ipse perficiet, & consummabit. item Paulus; Quid habes quod nó accepisti? sed si homo à se, & per suas vires naturales perseuerat in bono, magnum aliquid ex se habet: & Iacobus scribit; Omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à patre luminum. Sed perseuerantia est quoddam præclarum & insigne bonum: ergo est donum Dei. & D. Augustinus sic inquit; Si dixerimus, istam perseuerantiam tam felicem & laudabilem sic esse hominis, q̃ nõ sit ex diuino munere, euacuamus id quod dixit Christus Petro, Ego rogaui pro te vt nó deficiat fides tua: & in toto illo lib. August. de cet, perseuerãtiam esse donum Dei; & sine dubio contrarium dogma est Pelagianum, prout infrà luce clarius demonstrabimus. Atqui ex hac secunda propositione patet determinatio & definitio secundæ dubitationis. Cæterùm quantum ad tertiam dubitationẽ, in qua quæritur; Vtrùm hoc auxiliũ, quod est à gratia habituali, sufficiat iustis ad perseuerandũ; an præterea egeant alio speciali: in hoc sit tertia pro-

Phili. 1. Ioan. 15. 1. Pet. vlti. 1. Corin. 4. Iaco. 1. Aug. de correctione, & gratia. c. 6.

positio. ¶ Gratia habitualis, & auxilium quod procedit ab ipsa, est sufficiẽs in suo genere ad hoc vt homo possit perseuerare. Hanc propositionem statuit D. Thomas in solutione ad. 3. vbi sic dicit; Nunc autem per gratiam Christi multi accipiunt & donum gratiæ, quo perseuerare possunt, & vlteriùs eis datur quo perseuerent. Ex quo euidens est, esse distinctum donum, posse perseuerare, ab eo quod est perseuerare. Nam posse perseuerare habet homo ex eo, quòd habet gratiam iustificantem, per quam natus est ex Deo, & efficitur particeps diuinæ naturæ, ex quo fit potens operari omne bonũ, & vitare omne malũ. Vnde. 1. Ioã. 3. dicitur, Omnis qui in eo manet, non peccat: & iterum, Omnis qui natus est ex Deo, peccatũ non facit; quia semẽ ipsius in eo manet; & nõ potest peccare, quoniam ex Deo natus est: in quo testimonio explicatur nobis potestas, & virtus gratiæ, & charitatis infusæ, per quã homo potest vitare omne malum. Quod autem dicitur, Et nõ potest peccare; intelligitur, quãtum est ex parte charitatis, qua nullus malè vtitur. Hinc est quod dicunt vniuersi Theologi, minimam gratiam, & charitatem, quãtum est ex parte sua, esse potentiorem quàm sit aliqua

Tertia cõc. D. Tho. 1. Ioan. 3.

tentatio,

tentatio obiecta vel à dæmone, vel à carne.

Obiectio. ¶ Quòd si aliquis obijciat contra prædictam conclusionem, frustraneam esse potentiã quæ non potest reduci ad actum: ergo cùm per solam gratiam iustificantem nemo perseueret sine speciali auxilio diuinæ gratiæ abundantiori, frustra est talis potentia, vel potiùs non est potentia. Ad hoc argumentum optimè re-

Caiet. solutio. spondet Caietanus, quòd dupliciter aliqua res potest esse sufficiens ad aliquem actum exercendũ. Vno modo, simpliciter sufficiẽs: quod accidit, quando ipsa res sola sine adminiculo alterius potest absolutè operationem producere: Alio modo potest dici sufficiens, nõ simpliciter, sed in suo genere, verbi gratia, visus in genere potentiæ est sufficiens ad videndum; & qui visum habet, dicitur posse videre: est tamen sufficiens vt potentia, non tamen simpliciter: nam sine obiecto atque lumine non potest videre: ita habens gratiam, & habitus virtutum potens est perseuerare, tametsi egeat auxilio diuinæ gratiæ, tum ad operandũ, tum

Obiectio. ad perseuerandum. ¶ Sed contra argumentabitur Theologus; Nam consimili ratione, qui non habet gratiam, potest perseuerare; quia Deus potest dare illi gratiam, & auxilia ad perseuerandum; & absque dubio potest perse-

Solutio. uerare, siquidem potest saluari. Respondẽdum, quòd hoc verbum, potest, est æquiuocum: aliquãdo accipitur pro eo quod fieri potest per aliquam potentiam, siue intrinsecam, siue extrinsecam: aliquando verò pro eo, quod est in se habere virtutem quandam positiuam ad aliquid efficiendũ. Primo modo dicimus, quòd etiam reprobus potest saluari, & perseuerare: sed secũdo modo ille qui est in peccato mortali non habet in se virtutem aliquam vt perseueret in bono, & caueat omnia peccata; sed Deus est potens illum iustificare; iustificatus verò recipit in se potestatem, & virtutem per quam

Quarta cõ. possit perseuerare. ¶ Quarta propositio. Præter gratiã iustificantẽ, & virtutes infusas, & auxilia gratiæ, quæ inde profluũt, iusti homines indigent alio speciali auxilio ad perseuerãdũ. Hæc propositio est de fide, quam probat latè

D. Tho. D. Thomas. 3. contra gent. c. 155. & constat ex

Con. Arau. can. 10. Concilio Arausicano, vbi dicitur, Adiutorium Dei etiam in sanctis, & renatis hominibus semper est implorandum, vt ad finem bonũ peruenire, & in bono perseuerare possint. & aper

Cõcil. Tri. Sess. 6. can. 22. tissimè idẽ definitur in Concilio Tridentino; Si quis dixerit, hominem iustificatum sine speciali Dei auxilio perseuerare posse, aut cũ illo non posse, anathema sit. Hanc conclusionem euidenter probant sententiæ sanctarum scripturarum, quæ in confirmationem secundæ conclusionis adductæ sunt. D. Hieronymus in ter alia sic scribit; Semper largitor, semper donator est, & non mihi sufficit quòd semel donauerit, nisi semper donator sit. concinit illud Pauli; Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, vt sublimitas sit virtutis Dei & non ex nobis: consonat illud Psalmi, Qui coronat te in misericordia, & miserationibus; hoc est, reddit præmium debitum bonis operibus, si fiãt: vt autem fiant, gratia Dei præcedit; vt autem perseueret homo, Dei magnum beneficium est; & ideo dicit, in misericordia, & miserationibus. Ex quo sequitur, quòd donum perseue-

D. Hieron. epistola ad Ctheliphõ.

Paulus.

Psal. 103.

rantiæ non cadit sub merito, prout ostendemus infrà q. 114. ¶ Sed quæret aliquis; Cùm gra-

Obiectio. tia habitualis sit sufficiens de se ad quamcũq; tentationem vincendam, & ad perseuerãdum in bono, cur non dicitur esse sufficiens simpliciter ad perseuerandum in bono? Ad hoc re-

Solutio. spondetur breuiter, quòd illud accidit ex parte subiecti in quo est: nam si gratia esset collocata in aliquo subiecto idoneo, sine dubio absque aliquo impedimento daret perseuerãtiam in bono: sed quia gratia habitualis est in subiecto infirmo, & ignorante, multis casibus incidentibus necessarium est auxilium copiosius, per quod nostra imbecillitas adiuuetur. Atqui hæc solutio in hominibus verum dicit; vtrùm verò in Angelis verum dicat, inferiùs est explicãdum. ¶ Sed iam æquum est vt argu-

Argumẽta soluuntur. menta proposita dissoluamus. Ad primum di-

Ad primũ. cendum, quòd licèt gratia habitualis secũdum se sufficiens sit ad omne peccatum vincendũ, & ad omne opus bonum præstandum; nihilominus ratione subiecti in quo residet, quod de facili potest à bono in malum conuerti, & ratione pugnæ quæ semper est à carne, dæmone, mundo, eget homo dono perseuerãtiæ, vt victor euadat. ¶ Ad secundum dicendum, q̃

Ad secũdũ. præter auxilium speciale, quod est à gratia iustificante, necessarium est aliud vberius ad perseuerandum vsque in finem, vt probatum est. Quare admonet scriptura; Qui stat, videat ne cadat: & alibi, Cum metu, & tremore operamini vestram salutẽ. Et ex sanctis scripturis apertissimè cõstat, fuisse multos qui habuerũt gratiam, & non perseuerarũt: quotquot verò perseuerarũt, id ex Dei munere habuerunt: vnde

Sapien. 4. dicit scriptura, Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius: in qua sententia significatur, donum perseuerantię esse concessum quibusdam iustis, qui proinde rapti sunt immatura morte: si enim diutius vixissent, gratiam perdidissent. ¶ Ad tertium respondetur, quòd ho-

Ad tertiũ. minem iustum Deus nunquam deserit, nisi prius ipse deserat Deum: cæterum vt nũquam deserat, oportet confirmari magno dono perseuerantiæ. Sed pro euidentiori intelligentia

ſciendum eſt, quòd quando dicunt S. Patres, & approbant ſacra Concilia, Deum ſua gratia ſemel iuſtificatum non deſerere, niſi prius ab eo deſeratur, explanatio eſt de gratia iuſtificante: nunquam enim gratiam iuſtificantem aufert ab homine, niſi propter peccatum mortale. Vnde Auguſtinus ſic inquit; Prævaricatorẽ legis Dei dignè lux deſerit veritatis. Si autem loquamur de ſubtractione auxilij efficacis, ali quando ſubtrahit illud propter peccatum: vn de ſequitur, quòd homo non conuertitur, ſed non ſemper cauſa huius ſubtractionis eſt pec catum, ſed aliquãdo ſola diuina volũtas: quod apertè, & ſine circuitione teſtatur D. Auguſtinus, Vni, inquit, ex duobus hominibus pijs, cur huic donetur perſeuerantia vſque in finẽ, illi autem non donetur, inperſcrutabilia ſunt iudicia Dei. Hoc ipſum confirmatur. Nam ſub tractio diuini auxilij aliquãdo nihil aliud eſt, quàm permiſsio vt cadat à iuſtitia: ſed talis per miſsio nó poteſt eſſe, quia peccauit iuſtus: neque in pœnam peccati antiquioris; quia iam erat dimiſſum per gratiam. Explicatur idem euidentius: quia nemo poteſt aſſerere quòd Adam permiſſus ſit cadere in peccatum primum, propter peccatum quod anteà admiſerat. Certè prius eſt permiſsio peccati, quàm ꝙ homo, vel Angelus labatur in peccatum: ergo huius permiſsionis non eſt cauſa peccatũ, ſed diuina voluntas, & prouidentia, ad quam pertinet non ſolùm prouidere bona, ſed etiã permittere mala. ¶ Ad quartum dicendum, quòd qui ſemel recepit auxilium diuinæ gratiæ ad benè operandum, & ſtatim eſt mortuus, maius & ſpecialius accepit donum, quàm ille qui ſæpiùs recepit auxilia diuina, & habuit plurima merita, & ad extremum mortuus eſt in pec cato, & perijt in æternum. Neque enim fuit à caſu, quòd vnus moreretur in gratia: ſed ex intentione Dei, & propoſito bonæ voluntatis ſuæ: & ſic continuatio gratiæ in fine vitæ eſt magnum donum perſeuerantiæ, iuxta illud, Sapien. 4. Raptus eſt ne malitia mutaret ſenſum eius, aut ne fictio deciperet animam eius. Vt verò hoc diſtinctè intelligatur, ſciendum eſt, magnum donum perſeuerantiæ eſſe neceſſarium ad ſalutem: ſed hoc diuinum donum in particulari non ſemper eſt vnius generis, ſed eſt multiplex, atque varium. In communi eſt quædam particularis prouidentia, qua Deus cuſtodit, atque fouet eos, qui perſeueraturi ſunt; qui eſt præcipuus effectus prædeſtinationis: quæ prouidentia efficit, vt quibuſdam ex perſeueraturis Deus conferat per ſpiritualem concurſum maiores vires tempore quo occurrunt tentationes: quoſdam alios antequam adueniãt tentationes Deus ſua particulari prouidentia adiuuat bonis conſilijs: alijs verò aufert occaſiones peccandi: alios tandem per particularem hanc prouidentiam eripit è vita, ne malitia immutaret ſenſum eorum: de hac particulari prouidentia intelligitur illud, Oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius in preces eorũ. & illud, Qui vos tãgit, tãgit pupillã oculi mei: & illud, Angelis ſuis Deus mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis. Ex hoc patet quid dicendum ſit ad argumentum propoſitum. Nam quòd quidam iuſti breuiſsimè ex hac vita eripiantur, & quòd alijs occaſiones peccatorum auferantur, & degant vitam à tentationibus liberam, totum hoc manat ex illa peculiari prouidentia, quæ efficit vt homines iuſti perſeuerent in bono. Ex qua doctrina quintũ argumẽtum euidẽtiſsimè confutatur. Hactenus de neceſsitate gratiæ dictum eſt.

¶ Sed ſupereſt grauiſsima quæſtio; Nam ſi neceſſaria eſt gratia ad rectè & ſtudioſe viuendum, ad ſeruanda diuina præcepta, ad diligendum Deum ſuper omnia, ad perſeuerandum in bono, conſequens eſſe videtur, quòd illis, qui gratiam diuinam non habent, non imputetur ad culpam quòd nó ſtudioſe viuant, quòd non conuertantur ad Deum, quòd non perſeuerent in bono; ſiquidem non habent auxiliũ gratiæ diuinæ, ſine quo nihil poſſunt facere. Vt ergo hæc difficultas, quę grauiſsima eſt, exponatur, quæritur; Vtrùm Deus vniuerſis hominibus conferat auxilium gratiæ ſuæ quo poſsint ſtudioſe viuere, perſeuerare in bono, & demum vitam æternam conſequi. A parte negante ſunt grauiſsima argumenta, & quàm plurima, quæ in tres partes diſtribuo. In prima conſtituo autoritates ſacrarum literarum: in ſecunda autoritates Conciliorum, & Patrum: in tertia fortiſsima argumenta. ¶ Primò addu citur illud, Nemo poteſt venire ad me, niſi pater qui miſit me, traxerit eum: &c. ſed reprobi non trahuntur à Deo, vt conſtat: ergo non poſſunt venire ad filium: ergo non habent auxilium neceſſarium & ſufficiens ad vitam æternam conſequẽdam. Confirmatur: nam Diuus Auguſtinus ex illis verbis Domini; Omnis qui audit, & diſcit à patre, venit ad me; colligit, ꝙ qui non venit, non audiuit, nec didicit à patre: ſed reprobus non venit: ergo nõ trahitur: ergo non poteſt venire ad filium. ¶ Item dicitur de Iudæis; Ideò nó poterant credere quia iterum dixit Eſaias; Excæca cor populi huius, &c. ergo illis hominibus erat impoſsibile credere: non ergo habebant auxilium neceſſariũ & ſufficiens ad credendum: & Paulus; Impoſsibile eſt eos qui ſemel ſunt illuminati rurſus renouari ad pœnitentiam: ergo iſtis hominibus impoſsibile eſt agere pœnitẽtiã. & eſt inſigne teſtimo-

Augu. li. de natu. & gratia. c. 22.

Augu. li. de correct. & gratia c. 8. & libro de bono perſeue. c. 8.

Ad quartũ.

Pſal. 90.

Ad vltimũ.

De neceſsitate gratiæ alia exponitur quęſtio.

An Deus omnib⁹ cõferat auxilia gratiæ neceſſaria.

Argu. ex ſacra ſcriptura.

Primũ arg. Ioan. 6.

Aug. libro de prædeſt. ſanct. ca. 8.

Secundum Ioan. 12.

Hebr. 6. Tertium.

Quartum. Prouer. 1. testimonium in huius rei confirmationē Prouerb. 1. vbi dicitur; Quia vocaui & renuistis, & ego in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cùm id quod timebatis aduenerit: & paulò infrà; Manè consurgent ad me, & non inuenient; clamabunt, & non exaudiam: quibus verbis diuina sapientia comminatur suis contemptoribus, se deinceps illis nō affuturam: & alia sunt multa testimonia. ¶ Deinde Concilia, & S. Patres quādo definiunt gratiam Dei esse necessariam ad salutem, non tantùm docent eam gratiam esse necessariam, qua possumus credere, sperare, diligere, perseuerare: sed eā, qua actu credimus, &c. hoc definit Concilium Mileuitanum, Arausicanum, Tridētinum: hoc statuit pro certo D. Augustinus: hoc ipsum testatur vniuersa scriptura, quòd cogitare, credere, &c. est donum Dei ad salutem necessariū; sed hæc dona gratię non dantur reprobis, vt constat: ergo non dat illis auxilia necessaria gratiæ ad salutem. Sed & D. Augu. super epist. ad Rom. ca. 62. docet apertè, sic denegatum fuisse auxilium gratiæ diuinæ Pharaoni, vt post indurationem non potuerit ad Deum cōuerti. idem docet Isidorus, Abulensis, Roffensis, & Driedo. ¶ His accedunt rationes. Primò, Deus pueris reprobis negat auxilium necessariū & sufficiens quo possint salutem consequi: ergo pari, aut potiori ratione denegat auxilium necessarium reprobis adultis propter sua delicta precedentia. Antecedens probatur: nam multis paruulis non potest applicari baptismus, qui est medium necessarium ad salutem; vt patet in pueris qui non egrediuntur ex vtero. ¶ Secundò, Deus denegat reprobis auxilium efficax quo in fine vitæ à peccato resurgant: nam si haberent efficax auxilium, absque dubio cō uerterentur: sed auxilium efficax est necessarium ad salutem: ergo denegat illis auxilium necessarium ad salutem. Cōfirmatur. Nā sine Dei conuersione efficaci nemo potest ad Deū cōuerti, vt dicit scriptura, Cōuerte me Domine, & conuertar: & ostendit ratio. Nam sine motione primæ causæ nemo potest operari: sed reprobus non conuertitur à Deo efficaciter: ergo non potest conuerti. ¶ Tertiò, Deus denegat reprobis donum perseuerantiæ: nam si daret, certè perseuerarent: sed donum perseuerantiæ est necessarium ad salutem, sine quo nemo potest salutem consequi: ergo reprobis denegatur auxilium sufficiēs ad saluté. ¶ Quartò, sine fide impossibile est placere Deo: sed multi ex reprobis non possunt habere fidem: ergo multi ex reprobis destituuntur auxilio, sufficiēti ad salutem. Probatur minor: etenim D. Augustinus apertè pronuntiat, eos etiam iustissimè damnari, qui non potuerunt habere fidem, non habentes à quo discerent: quā sententiam sequutus est ad literam D. Thomas 2. 2. q. 10. art. 1. vbi docet, quòd infidelitas negatiuè in quibusdam gentilibus non est peccatum; quippè qui non potuerunt audire Euangelium; condemnabuntur tamen propter alia peccata. ¶ Quintò, ex eo quòd Deus deneget auxilium gratiæ necessarium reprobis, non sequitur quòd Deus sit iniustus: nam propter præcedentia delicta poterat iure facere. Nec verò sequitur, quòd carent libertate arbitrij sui, aut facultate ad salutem consequendam: nam licèt ponatur hæc negatio auxilij diuini, solùm sequitur, quòd in sensu compósito saluari non possunt; at in sensu diuiso bene possunt: quemadmodum reprobus in sensu compósito, suppósito quòd reprobus est, saluari non potest, sed in sensu diuiso bene potest: ergo non est formidandum id cōcedere. ¶ Præterea, si Deus dat vniuersis hominibus, etiam reprobis auxilium necessarium & sufficiens, quod qui amplectitur, saluatur; qui reijcit, dānatur; sequitur quòd Deo tribuamus nos posse iustificari, & saluari; & libero arbitrio tribuamus nos actu conuerti, & saluari: qui est error peior quàm Pelagianorum. Pelagiani enim tribuebant libero arbitrio initium nostræ iustificationis, sed cōsummationē Deo tribuebant. ¶ Item arguitur ex diuina reprobatione. Nam D. Paulus sic de Deo cōcludit: ergo cuius vult misereatur, & quem vult indurat: in qua sententia D. Paulus reprobationem hominum diuinæ voluntati ascribit, sicut & prædestinationem, & electionem: & tamen si illa sententia de sufficientia auxilij verum dicit, euidenter sequitur, quòd homo ipse sit causa suæ reprobationis: ea enim de causa reprobatur, quia gratiam oblatam à Deo nō vult recipere: itaq; dabitur causa reprobationis, scilicet hæc, quia hic non voluit oblatam gratiam recipere: cuius contrariū dicit Paulus in eodem loco; Non ex operibus, sed ex vocante dictum est, Iacob dilexi, Esau autē odio habui. Explicatur hoc. Nam sicut Deus ab æterno firmiter statuit prædestinatis dare gratiam, & gloriam; sic statuit firmiter reprobis non dare gratiam finalem, quæ est necessaria ad salutem: ergo firma sententia statuit reprobis non dare auxilium necessarium. In contrarium est: nam si reprobi non habent auxilium necessarium ad gratiā, consequens est quòd non illis imputatur ad culpam impœnitentia; si quidem sine diuino auxilio pœnitere non possunt; & nemo obligatur ad impossibile. Item, non magis homo potest à peccato exurgere sine diuino auxilio, quàm possit sine pedibus ambulare, aut sine oculis videre: sed homini non habenti oculos

Argumēta ex Conci. Concil. Ex Augusti. lib. de præsanct. ca. 5. & li. de gratia & libe. arbit. ca. 4. & 5. Augusti. Ex alijs sanctis. Isido. li. de summo bono. c. 15. Abulen. super Exo. q. 12. Roffen. art. 36. contra Luthe. Driedo li. de captiu. & redemp. gen. humani. Prima ratio. Secunda. Tertia. Quarta. Hebræ. 11. Augu. li. de natu. & gratia. c. 4. & 8 D. Tho. Quinta. Sexta. Vltima. Roma. 9. In cōtrariū

non imputatur ad culpam quòd non videat: ergo si homo non habet auxilium gratiæ necessarium vt resurgat à peccato, nõ imputatur

Prima cõc. ei quòd non à peccato resurgat. ¶ Prima conclusio. Quilibet homo viator potest ad Deum conuerti, & saluari: & oppositum asserere, est dogma temerarium, & hæreticum. Ex quo eui dẽter sequitur, quòd quilibet homo in hac vita habet auxilium gratiæ necessarium, & sufficiens ad salutem consequendam. Probatur in primis ex sacris literis, quæ clamant, Deum esse paratissimum ad vniuersos peccatores indiscriminatim conuertendos, & recipiendos.

Apoca. 3. Matt. 11. Ioan. 1. 1. ad Tim. 2 Ezec. 18. 2. Petri 3. Esa. 49. Apoc. 3. Ecce ego sto ad ostiũ, &c. & Matt. 11. Venite ad me oẽs qui laboratis, &c. & Ioan. 1. Erat lux vera quæ illuminat omnẽ hominem, &c. & 1. ad Timot. 2. Qui vult oẽs homines saluos fieri. & Ezec. 18. & 33. Nolo mortẽ peccatoris, &c. cui cõsonat illud D. Petri. 2. can. c. 3. Nolens aliquos perire, &c. Esai. 49. idem docet adhibita similitudine; Nunquid potest mulier obliuisci infantem, &c. sed & Hierem. 3. elegantiori adhuc similitudine idem persequitur dicens; Vulgo dicitur, Si dimiserit vir vxorem suam, & discedens ab ea, &c. tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere dicit Dominus, & ego suscipiam te: est insigne

Hiere. 3. Prouer. 1. testimonium Prouer. 1. & 8. Sapiẽtia foris prædicat, in plateis dat vocem suam, & in capite turbarum clamitat, Quousque paruuli diligitis infantiam, & stulti ea quæ noxia sunt cupiunt? Ecce diuina sapientia omnes peccatores indiscriminatim ad se vocat. Eadem sentẽtia comprobatur autoritate Cõciliorũ, & omnium sanctorum Patrum. In primis in. c. firmiter, de summa Trini. definitũ est, quòd omnibus hominibus semper patet aditus ad veram pœnitentiam: quam sententiam sequutus D.

Concilia. D. Tho. Thomas. 3. p. q. 86. docet esse dogma hæreticum, asserere, esse aliquod peccatũ quod per pœnitentiam nõ possit deleri: loquitur de hac re optimè Origen. lib. 3. periarchõn, cum agit de libero arbitrio. Eandem sententiam docet

Origenes. Chryso. in illud Iacob dilexi, &c. Ambros. & Hieron. in illud; qui vult omnes homines, &c. Chrysostomus, Ambrosius, & Hieronymus. Sed Diuus Augustinus longiùs, & cum exemplis hanc sententiam confirmat, comparans duos peccatores grauissimos, Pharaonem, & Nabuchodonosorem; quantum ad naturam, ambo homines; quantum ad dignitatem, ambo Reges; quantum ad causam, ambo captiuum Dei populum detinebant; quantum ad pœnã, ambo flagellis, & verberibus clemẽter admoniti: quid ergo fecit fines esse diuersos? quoniam vnus manum Dei sentiens, in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit: alter verò libero contra Dei misericordiam pugnauit arbitrio: & subdit, Noli tuæ indurationis in

Augu. li. de prædesti. & gratia. c. 13 14. & 15. Dei iniustitiam referre causam; quoniam omnes viæ Domini misericordia, & veritas. Et si piè de Deo sentire volumus, etiam Pharaoni datam misericordiam comperiemus. Patiẽtia enim Dei valere ei debuit ad salutem. &. 1. lib. retrac. c. 19. retractat Augustinus, quòd aliquã do dixerit, aliquod peccatum in hac vita esse irremissibile, & subdit; De quocunque pessimo in vita hac cõstituto non vtique desperandum est; nec pro illo impudenter oratur, de quo non desperatur. D. Ambrosius compo Ambros. suit duos lib. de vocatione gentium, in quibus has duas quæstiones tractat: Altera est, vtrùm velit Deus omnes homines saluos fieri: Altera est; vtrùm donum diuinæ gratiæ, sine quo nemo saluus est, ab eo qui vult omnes homines saluos fieri, omnibus conferatur; & tandẽ concludit, quòd nulli nationi hominum Deus donum suæ gratiæ subtrahit. His accedunt fortissimæ rationes. Primò, Deus præcipit omnibus peccatoribus, quãdiu in hac vita sunt, vt conuertantur, & agant pœnitentiam, & perseuerent in bono: ergo dat sufficiens adiutoriũ ad hæc iussa adimplenda; alioqui præciperet impossibile; & iniustus esset, si puniret contrà facientes. Secundò, si homo esset conditus in puris naturalibus, & non esset destinatus ad finem aliquem supernaturalem, nec haberet media quæ illûc ducerent, non imputaretur ei ad culpam si non crederet, aut diligeret bona supernaturalia: sed si homo reprobus non habet sufficiens adiutorium ad bona supernaturalia, perinde est atque si esset conditus in puris naturalibus: ergo non imputabitur ad culpam quòd non credat, aut non diligat bona supernaturalia. Tertiò, si fas est de Deo credere, quòd homini pessimo deneget auxiliũ suæ gratiæ necessarium; sequitur, quòd homo sceleratissimus possit meritò dubitare, an fortasis ipse talis sit, & sic non esset tam execranda illa vox Cain, Maior est iniquitas mea quàm Gene. 4. vt veniam merear. Quartò, damnati in inferno non merentur noua supplicia propter peccata quæ ibi committunt; quoniam penitus sunt destituti diuina gratia: ergo si reprobus in hac vita est destitutus gratia necessaria, & sufficienti, non meretur noua supplicia propter peccata quæ hic committit. ¶ Secunda Secũda cõ. conclusio. Nemo hominum potest salutẽ consequi sine auxilio diuinæ gratiæ. Hæc definita est in omnibus Concilijs congregatis contra Pelagium, Mileuitano, Arausicano, Tridenti- Concilia. no; & patet ex sacris literis Ioan. 15. Sine me ni Ioan. 15. hil potestis facere. 2. Corinth. 3. Non sufficien- 2. Corin. 3. tes sumus cogitare, &c. &. 1. Corint. 12. Nemo 1. Corin. 12 potest dicere Dominus Iesus, &c. ¶ Tertia. Tertia cõc. Deus nemini hominũ denegat auxiliũ gratiæ necessa-

necessarium & sufficiens ad salutem. Hæc sequitur euidenter ex prima, & secunda conclusione. Vt verò hoc diligentiùs explicetur, sciendum, quòd Deus geminum donum suæ gratiæ conferre solet peccatoribus: Alterũ, quo possint resipiscere & saluari: & hoc donũ vniuersis hominibus confert, de quo dicitur; Ecce ego sto ad ostium, & pulso, &c. Alterũ est auxilium efficax, quo homo efficaciter conuertitur, & saluatur: & hoc vniuersis hominibus qui pereunt, non confert: nam certè si conferret auxilium efficax, conuerterentur: efficaci enim Dei motioni nemo resistere potest. & de hoc dono loquitur Dominus cùm dicit; Omnis qui audit à patre, & discit, venit ad me. Quòd hoc auxilium vniuersis hominibus non conferat, patet efficaciter ex illo; Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida: quia si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in te, in cilicio & cinere egissent pœnitentiam. Ecce quomodo hominibus Tyri & Sidonis non datum fuit auxilium efficax, quo sine dubio conuerterentur. Quare autem nõ sit datum, noli iudicare, si non vis errare: nam hoc ad inscrutabilia Dei iudicia referendum est. Præterea D. Augustinus multis in locis docet, quòd Deus quibusdam hominibus subtrahit auxilium suæ gratiæ. Secundò nota, quòd quamuis Deus vniuersis hominibus non conferat hoc auxilium efficax, non tamen propriè negat: nã est paratus conferre, si homines non contradicant, & resistant. Tertiò nota, quòd licèt homines qui pereunt, non habeant hoc auxilium efficax, nihilominus possunt saluari: nam possunt habere, & sua culpa non habent, licèt re ipsa nunquam habeant. Quemadmodum enim stante voluntate diuina beneplaciti, qua Deus me vult hodie legere, est nihilominus in me potestas vera vt non legam, licèt infallibiliter legam; non tamen necessariò: sic omnes qui pereunt, quãquam non habeãt auxilium efficax, possunt tamen habere, sed re ipsa nunquam habebunt. Est exemplum in rebus naturalibus. Nam qui habet mentem, intelligere potest: sed si non applicat mentem ad intelligendum, nunquam intelliget. Sed videamus quid de hac difficili quæstione D. Thomas scripserit. Is namque. 3. cont. gent. ca. 159. postquam demonstrauerat adiutorium diuinæ gratiæ ad salutem esse necessarium, obijcit sibi in hunc modum. Ergo non imputabitur ad culpam ei, qui non habet donum diuinæ gratiæ, si non cõuertatur: siquidem sine dono diuinæ gratiæ conuerti non potest. Huic obiectioni sic respondet D. Thomas; quãquam homo per motum liberi arbitrij non possit mereri, & adipisci gratiã, potest tamen impedimentum ponere gratiæ suscipiendæ: nam de quibusdam dicitur Iob. 21. Dixerũt Deo, Recede à nobis. &. 24. c. Rebelles fuerunt lumini. Ex quo sequitur, quòd homini, qui resistit gratiæ suscipiendę, meritò imputatur ad culpã quòd non suscipiat: nam Deus est paratissimus omnibus hominibus illam cõferre: vult enim omnes homines saluos fieri. Sequitur secundò, quòd illi soli priuantur gratia, qui ponunt impedimentum gratiæ suscipiendæ; quemadmodum sole illustrante totum orbem, ei qui claudit oculos meritò imputatur ad culpam si non videat, & si inde detrimentum subsequatur, licèt non possit videre sine lumine. Hactenus D. Thomas. D. Anselmus ad eũdem modũ, & distinctè quidem explicat hoc modũ huius difficultatis, & proponit tale argumentum. Vel diabolus recepit donum vt perseueraret, vel nõ. Si recepit, quomodo non perseuerauit? Si non recepit, quomodo imputatur ad culpã quòd non perseuerauerit? Respondet D. Anselmus, quòd non recepit, quia noluit recipere. eadem via pergit D. Ambrosius. Ex his facile est satisfacere argumentis in principio propositis, quę optima videbantur.

¶ Ad primum ex literis sacris, & ad primum testimonium Ioan. 6. respondetur, quòd reprobus non trahitur, sed Deus est paratus illum trahere si non contradicat, & resistat. Vel loquitur Dominus de auxilio efficaci. Ad secundum testimonium Ioan. 12. Non poterãt, &c. respondetur, quòd illi non poterant credere in sensu composito: quia dixerat Esaias, illos non crediturõs; & vaticinium Esaiæ non poterat falli. Vel, non poterant credere, id est, erat valde difficile credere propter suam duritiem & peruersitatem. Ad illud Hebræo. 6. Respondetur quòd ibi, impossibile, accipitur pro valde difficili, sicut familiare est in sacro eloquio. Vel dicẽdum, quòd est ibi sermo de pœnitentia ante baptismum, quæ iterari non potest, non de ea quam vocat Hieronymus secũdam tabulam post naufragium. Ad quartum testimonium respondetur, quòd ibi est sermo de auxilio efficaci gratiæ diuinæ. Vel dicendum, quòd ex eo testimonio maximè confirmatur nostra sententia: cõminatur enim Deus se destituturum peccatores, quoniam renuũt, & contradicunt. ¶ Ad autoritates Conciliorũ & Patrum respondetur, verissimum esse quòd donum gratiæ, quo actu credimus, diligimus, & perseueramus in bono, est necessarium ad salutem; sed dicunt, quòd donum fidei, & perseuerantiæ est paratus Deus cõferre omnibus hominibus, etiam sceleratissimis, & sua est culpa quòd non habeant. ¶ Ad Diuum Augustinum respondetur, quòd nonnulla dicit in illis commen-

Duplex gratię donum.

Apoca. 3.

Ioan. 6.

Matt. 11.

Aug. li. de præd. sanc. c. 6. & 8. & in Enchiri. c. 103. & li. 83. quæstionum q. 68.

Iob. 21.

Anſel. li. de casu diabo. li. c. 2. & 3.

Ambr. li. 1. de vocat. gent. ca. 2. & 5.

Ad argumẽta ex sacris literis.

Ad primũ & secundũ.

Ad tertiũ.

Ad quartũ.

Ad argumẽta Cõcil.

Ad D. Aug.

commẽtarijs;quæ postea retractauit.1. retrac. c. 19. & verius expressit suam sentẽtiam libro de Prædest.& gratia.c.14.&.15.atque etiam in opusculo de articulis sibi falsò impositis. Arti culus impositus sibi sic habebat, quòd Deus non velit omnes saluos fieri,etsi omnes saluari velint. Cui respõdet Augustinus; Cùm veri tas dicat,Si vos cùm sitis mali,nostis bona data dare filijs vestris,quomodo pater vester cœ lestis non dabit bona petẽtibus se? quomodo fieri potest, vt Deus nolit saluos fieri etiã eos, qui saluari volunt?Syncerissimè igitur creden dum est, Deum velle vt omnes salui fiant; ex quibus si multi pereũt, pereuntium culpa est: si saluantur, Dei donum est. ¶ Ad alios auto- res dicendum est in primis, quòd non sunt tã- tæ autoritatis vt ex sentẽtia catholica nos deij cere debeant: fortassis loquuntur de auxilio efficaci, quod vniuersis hominibus Deus non confert. ¶ Ad primam rationem neganda est consequentia: nam adulti habent præceptum conuertendi se in Deum, & agendi pœniten- tiam; & ideò illis non sunt negata auxilia gra- tiæ necessaria ad id faciendum:at verò paruu- li non possunt mũdari à peccato originali per actum suum, sed per sacramentum baptismi: qua in re Deus satis prouidet de baptismo aquæ;quantum patitur status,& suauis rerum dispositio. Est aliud discrimẽ:Nam adultus ha bet vsum rationis, & liberi arbitrij; & ideò si rectè viuat,& faciat quod in se est, certè Deus illuminabit eũ:paruulus verò non habet vsum liberi arbitrij,& ideo non est simile. ¶ Ad secũ dam respondetur, quòd reprobus non habet auxilium efficax quo efficaciter cõuertatur, & saluetur,sed Deus paratus est conferre auxiliũ efficax,si ipse non contradicat, & resistat. Ita- que hæc argumẽtatio inualida est; Reprobus sine auxilio efficaci non potest conuerti, aut saluari: sed reprobus non habet auxilium effi- cax:ergo non potest saluari. quemadmodum hæc argumentatio nihil valet; Sine lumine ne mo potest videre:sed qui claudit oculos, non habet lumen:ergo non potest videre,si quidẽ potest habere lumen, & sic potest videre. Ad hunc modum soluit hoc argumentum Diuus Augustinus lib.de correct.& gratia.c.11. &.12. quo in loco scribit, quòd primus parens in sta tu innocentiæ accepit donum quo potuit per seuerare,& non mori;sed non accepit donum vt perseueraret. ¶ Ad tertiam idem respõde- tur:dicendum est enim, quòd reprobus non habet donum perseuerantiæ vt in bono perse- ueret vsque in finẽ:sed tamen Deus non dene gat hoc donum perseuerantiæ: est enim para- tus omnibus conferre. ¶ Ad quartam respõ- detur,quòd multi non habent auxilia,nec op-

Ad alios autores.

Ad primam rationem.

Ad secũdã.

Augustũ.

Ad tertiã.

Ad quartã.

portunitates,nec media ad credẽdum:nihilo- minus tamen Deus non denegat illis fidẽ, nec media necessaria ad salutem consequendam: quoniam si rectè vtentes communibus au- xilijs rectè viuerent,& facerent quod in se est, certissimè illuminarentur à Deo. ¶ Quòd si obijcias;Sequitur quòd huiusmodi non credẽ do peccant, si quidem sua culpa est quòd ca- reant prędicatore,& auxilijs necessarijs ad cre dendum: nam si facerent quod in se est,Deus illuminaret illos.Ex quo rursus sequitur, q̃ in illis non est ignorantia inuincibilis circa fidẽ. Confirmatur fortissimè.Nam si homo præbe ret his hominibus auxilium sufficiens ad cre- dendum,peccarent non credendo : ergo cùm Deus det omnibus hominibus auxilium suffi- ciens ad crẽdendum, sequitur quòd peccent non credendo.Respondetur,quòd gẽtes,quę non audierunt Euangelium,præter instinctus naturales quibus odio habent homicidiũ, &c. habent diuinarum inspirationum vicissitudi- nes;non quales inter sponsum & sponsam, & inter dilectum & dilectam: propter quas dici- tur in Canticis,Sponsum nunc declinare, nũc transire,nunc manere. Deinde dicendum est, quòd si gentes his inspirationibus excitatæ,re ctè viuerent,& facerent quod in se est, certè à Deo illuminarentur de fidei veritate. Itaq; ad propositam obiectionem respondetur, quòd huiusmodi homines ignorant fidem, quia nõ rectè viuunt; non tamen peccant ignorando fidem,quia non tenentur rectè viuere, nec po nere se in gratia ad vincendam ignorantiam fidei:sicut hæreticus non tenetur se ponere in gratia ad vincendum errorem quem habet ad uersus fidem, sed satis est consulere viros do- ctos & catholicos à quibus instruatur.Eodem modo soluitur confirmatio argumenti: dicen dum est enim, quòd Deus dat vniuersis homi nibus sufficiens auxilium immediatè vt rectè instituant vitam;quòd si facerent, sine dubio illuminarentur : sed non dat immediatè auxi- lium,& medium ad credendum,& ideò multi excusantur à sua incredulitate, sed non excu- santur à vitæ peruersitate. Quando ergo dicit Augustinus,quòd multi sunt qui non possunt esse christiani,loquitur in eo sensu,secundum quem solemus dicere,ignorantem legem non posse legem implere; sed absolutè & simplici- ter potest saluus fieri quilibet homo, & esse christianus. ¶ Ad quintam respondetur,quòd licèt ex negatione auxilij necessarij & sufficiẽ- tis non sequerentur incommoda quę comme morantur in argumento, sequitur tamẽ quòd Deus obligaret huiusmodi homines ad impos sibile.Item sequitur, quòd datur status homi- nis in hac vita, in quo potest de sua salute de- sperare.

Obiectio notanda.

Confir.

Solutio.

Ad confir.

Ad quintã.

sperare. Demum est dicendum, quòd hæc negatio sufficientis auxilij tollit funditus libertatem ad vitam æternam consequēdā. Pro quo sciēdum est, quòd quemadmodū ex eo quòd confirmetur homo in bonum, non tollitur libertas; cæterum si necesitatur ad bonum, omnino tollitur libertas: sic si homo caret sufficiēti auxilio ad suam conuersionem, tollitur libertas ad conuersionem, licèt non ad alia opera: ex eo verò quòd non confertur auxilium efficax, non tollitur libertas ad nostram conuersionem; quia nostra culpa est quòd nō habeamus illud. ¶ Ad sextam dicendum est, quòd omnia hæc sunt dona Dei, & stare ad ostium, & pulsare, & introire, & cænare, & petere quod deest, & accipere quod donauit: omnia hæc tribuimus diuinæ gratiæ, nihil de nostris meritis & viribus præsumentes. Pro cuius declaratione notandum est, quòd cùm dicitur, omnes homines habere sufficiēs auxilium ad suam salutem, quod qui amplectitur, saluatur, qui reijcit, condemnatur; potest dupliciter intelligi. Prior sensus est, quòd qui amplectitur ex facultate liberi arbitrij, & ex talento naturali, saluatur: & hic sensus est Pelagianus: nam reducit discretionem bonorum & malorum in facultatem liberi arbitrij, & non in diuinā gratiam. Rursus tribuit consummationem & perfectionem operis libero arbitrio; initium verò gratiæ, Deo. Alter sensus est catholicus, quòd qui amplectitur sufficiens auxilium, excitatus à diuina gratia, & eo rectè vsus fuerit, habebit auxilium efficax fidei, & charitatis, quo efficaciter conuertatur ad Deum: & hunc sensum prætendit Diuus Thomas, quādo dicit suprà artic. 6. quòd facienti quod in se est ex diuino auxilio Deus non denegat gratiam; id est, rectè vtenti auxilio sufficienti, & diuina inspiratione, absque dubio dabitur auxilium gratiæ efficax: simile quid docet Concilium Tridenti. Sess. 6. ca. 9. ¶ Ad vltimam non potest exactè responderi, donec disputemus illam quæstionem; vtrùm ex parte nostra detur causa diuinæ reprobationis, quæ inuestigatur in. 1. p. q. 23. arti. 5. De hoc auxilio sufficienti solent moueri aliæ quęstiones. Prima est, quid sit hoc auxilium sufficiens; est ne actus, an habitus, an potentia? Ratio dubitādi est: nam si est actus, & diuina motio, videtur quòd semper sit efficax. Nam si Deus mouet hominem, homo cert è mouetur: hæc enim mutuo se consequuntur, & sunt correlatiua. Si verò est habitus, vel potentia; cedo quis habitus sit vel potētia? Ex hoc nascitur alia quæstio, in quo subiecto sit auxiliū sufficiēs; in homine nè, an in Deo ipso? est ne volūtas diuina qua Deus vult omnes homines saluos fieri? Tertia quæstio est, an hoc auxilium sufficiēs sit ad salutē? Nam vel requiritur aliquid præterea, vel non requiritur. Si requiritur: ergo non est sufficiens. Si non requiritur: ergo cum solo auxilio sufficiēti, sine efficaci potest quis salutem obtinere. Quartò dubitatur de huius auxilij vtilitate. Nam nemo hominum cum solo auxilio sufficienti saluabitur, nec saluus factus est, nec potest saluari: ergo superuacaneū est. Vltimò dubitatur, an ex duobus hominibus, qui æquale auxilium habent à Deo, possit esse vt vnus conuertatur, & alter nō? A parte affirmatiua videtur stare D. Augustinus, qui ponit duos peccatores æquales, Pharaonem, & Nabuchodonosorem, æqualiter admonitos, & vocatos à Deo; quorum vnus ingemuit, alter verò induratus est. & alibi sic scribit; Si duo aliqui æquali affectu in anima, & corpore, & æquali tentatione videāt alicuius corporis pulchritudinem, & ea visa, vnus moueatur ad illicitè faciendum, alter verò non; quid causæ putamus esse quòd in vno hæc motio sit, & non in alio? Certè inuestigatis omnibus causis, nihil aliud apparet, quàm hunc in castitate voluisse permanere, illum verò minimè. Ecce autore Augustino ex duobus æqualiter adiutis, vnus perit, alter in bono perseuerat. Et in huius rei confirmationē adducit exemplū de inuitatis ad nuptias, ex quibus æqualiter inuitatis, & vocatis, quidam venerunt, alij non. Diuus Gregorius elucidans hanc paraboläm de inuitatis ad nuptias, persequitur causas: quare ex duobus æqualiter vocatis vnus veniat, & alter renuat; nimirū, quia non æqualiter affecti erant: quemadmodum proposito lucro, aliter mouetur auarus, aliter pecuniarum contemptor. idem docet Origenes. ¶ Pro hac sententia fiunt hęc argumenta. Primò, ex duobus æqualiter vocatis potest esse vt vnus cadat, & alter in bono perseueret, vt constat: ergo ex duobus æqualiter vocatis, & attractis à Deo, potest esse quòd vnus conuertatur, & alter pereat. ¶ Secundò, Deus confert vniuersis hominibus auxilium sufficiēs ad salutem, vt anteà dixi; quod constituamus esse æquale in duobus peccatoribus; tunc vnus illorum cum tali auxilio potest saluari, altero pereunte; alioqui non esset auxiliū sufficiens: ergo hæc sententia vera est. Vt istę dubitationes diligenter explicentur, & suo ordine; ad primam dicendum est, quòd hoc auxiliū sufficiens est motio, & inspiratio diuina, qua quisque homo excitatur vt rectè vitam instituat. Itaque in elucidatione præcedentis quæstionis voluimus docere, non solùm Deum velle vt vniuersi homines salui fiant, sed etiam voluisse ab æterno conferre illis media opportuna ad salutem consequendam, & suo tempore efficaciter

Ad sextā. D. Tho. Ad vltimā. Difficultates circa auxiliū sufficiens. Prima dubium. Secunda. Tertia. Quarta. Vltima. Augu. li. de prædesti. & gratia. c. 5. Lib. 12. de ciui. c. 6. Lib. 83. quęstionum q. 68. Gregor. Origę. homilia. 1. in Exod. Expositio difficultatum. Ad primā dubitationem.

1. Cor. 7. efficaciter conferre. hoc significat D. Paulus cum inquit, Vnusquisque proprium donũ habet à Deo; alius sic, alius verò sic. Vnusquisq;, inquit, non vnus, aut alter: itẽ, ex Deo; ne quis arbitretur se suis viribus hoc donum obtinere. Rursus dico, quòd hoc donum sufficiẽs ad salutem efficax est ad id ad quod mittit Deus illud: non enim redit ad eum vacuum; sed nõ semper est efficax ad peccatoris conuersionẽ. Vltimò dicò, quòd hoc donum sufficiens est supernaturale, licèt conferatur vniuersis homi nibus: nam sine dono supernaturali nemo po
Ioan. 15. test salutem consequi, vt patet ex illo; Sine me nihil potestis facere. Sed hoc donum diuinæ gratiæ est sufficiens ad salutem: ergo est super
Ad secũdã. naturale. Ex his satis patere arbitror quid sit dicendum ad secundam dubitationem: dicen dum est enim, quòd hoc auxilium est in Deo tanquam in dante, & in homine tanquam in
Ad tertiã. recipiente. Ad tertiam dubitationem respondetur, quòd hoc auxilium, de quo dicimus, est sufficiens ad salutem, si homo vtatur eo, & nõ contradicat: quemadmodũ cibus est sufficiẽs ad vitam, si homo comedat, & traijciat in stomachum: & lumen est sufficiens ad videndum, si homo aperiat oculos: & intellectus ad intelligendum, si applicetur. Iste verò vsus quãuis sit donum Dei, est in libero arbitrio diuinitus adiuto. Vel dicatur, quòd illud auxilium de se est sufficientissimum ad salutem, sed vt actu saluemur, requiritur aliud: quemadmodum vt actu sim albus, requiritur vt albedo in actu existat; cæterùm vt possim esse albus, satis est
Ad quartã. quòd possim habere albedinem. Ad quartam dubitationem respondetur, quòd nemo efficaciter saluatur, nisi vtatur sufficienti auxilio: sed hoc non est demonstrare insufficientiam auxilij, sed nostram culpam, qui illud amplecti nolumus: quemadmodum cibus si non sumatur, nihil proderit: sed hoc non est demonstra re insufficiẽtiam cibi, sed tuum defectum, qui
Ad vltimã. non vis illum recipere. Ad vltimam dubitatio nem respondetur, quòd illa sententia proposi ta inter dubitandum habet verum de auxilijs externis, & antecedẽtibus: sed si loquamur de auxilijs internis, & de omnibus, falsa est. Nam in eo qui conuertitur, ipsummet conuerti, & amare Deum, est donum Dei, vt testatur scriptura: quod non habet, qui non conuertitur. Secundò, qui conuertitur, habet donum pœnitentiæ, & charitatis; quod non habet qui nõ conuertitur. Præterea, qui saluatur, habet donum perseuerantiæ, quod nõ habet qui perit. Vltimò, qui conuertitur, efficaciter conuertitur à Deo; quod non habet qui non conuertitur. Ex quo sequitur, quòd in sequentibus eandem vocationem, eiusdem vocationis est aliquis modus, vel aliqua ablatio impedimenti, vel aliquid simile nobis occultum, quod non est in eo qui non sequitur vocationem. Nam eædem inspirationes ex inspiratione diuina habent aliquam energiam in eo qui conuertitur, quam non habẽt in eo qui non conuertitur; sicut in simili casu declarat Caietanus. 3. p. Caieta.
q. 13. art. 2. & q. 62. artic. 4. loquitur de hoc D. Augustin. lib. de bono perseu. ca. 8. dicens, Cur Augustin.
ex duobus impijs vnus sic vocetur, vt sequatur vocationem; alius verò sic vocetur, vt non sequatur vocationem, inscrutabilia sunt iudicia Dei. Sed cur ex duobus æquè iustis, huic conferatur donum perseuerantiæ vsque in finem, alteri verò, non; inscrutabiliora sunt iudicia Dei. Sed hoc habeat Theologus certissimum, vnum fuisse prædestinatum à Deo; aliũ verò minimè.

QVAESTIO CX.

De gratia Dei quãtum ad eius essentiam; in quatuor articulos diuisa.

ARTIC. PRIMVS.

¶ *Vtrũ gratia ponat aliquid in anima?*

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Conclusio est affirmãs. Sicut enim lux ponit aliquid in illuminato; ita gratia ponit aliquid in anima recipiente gratiam. Nam quamlibet Dei dilectionem sequitur aliquod bonũ in creatura causatum: & secundùm differentiam huius boni consideratur differẽs dilectio Dei ad creaturam: vna quidem communis, secũdùm quã diligit omnia quę sunt, & per eam largitur esse naturale rebus creatis: Alia est dilectio specialis, secũdùm quam trahit creaturam rationalem supra conditionem naturę ad participationẽ diuini boni: & secundùm hanc dilectionem dicitur aliquem diligere simpliciter;

quia

quia secundum hãc vult Deus simpliciter creaturæ bonum æternũ, quod est ipse Deus. Sic ergo per hoc quòd homo dicit habere gratiam Dei, significatur quiddam supernaturale in homine à Deo proueniens. Verum est tamen, q̃ quãdoque gratia Dei dicitur ipsa Dei dilectio; secũdũ q̃ etiã dicitur gratia prædestinationis, prout gratuitò, & non ex meritis aliquos prædestinauit, vel elegit.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Differt gratia à charitate.

IN hoc articulo (qui breuem & per facilem explicationem habet) obseruet Theologus ex D. Thoma discrimen quod versatur inter gratiam, & charitatem. Nam charitas est per quã nos diligimus Deum: sed esse hominem Deo gratum, est esse dilectum à Deo: ex quo in homine donum quoddam gratiæ supernaturale prouenit, quod gratia nũcupatur, quo homo fit gratiosus corã Deo. Illud etiã obseruet discrimẽ, quod versatur inter dilectionẽ creaturæ, & inter dilectionẽ Dei. Nam dilectio creaturæ non causat bonum in creatura, quin potiùs ex bono præexistenti mouemur ad creaturæ dilectionem: at dilectio Dei causat bonum in rebus creatis. Et ita per dilectionẽ naturalem, & communem largitur esse naturale omnibus rebus creatis: per dilectionẽ specialẽ, & supernaturalem confertur nobis quoddam esse supernaturale, quo eleuamur in consortiũ diuinæ naturæ, & efficimur Deo similes. Vnde per hoc quòd homo dicitur habere gratiã Dei, significatur quoddam esse supernaturale in homine à Deo proueniens.

Dilectio Dei, & creaturæ.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ Vtrùm gratia Dei sit qualitas animæ inhærens?

SVMMA TEXTVS.

Prima cõc.

PRima Conclusio. Gratia, si sumitur pro auxilio Dei, sic non est qualitas animæ, sed motio diuinę inspirationis. Hæc cõclusio liquida est, sic vt non indigeat probatione. ¶ Secunda Conclusio. Si gratia accipiatur pro habituali dono, quo homo fit gratus, & iustus corã Deo, est qualitas aĩæ inhęrẽs.

Secũda cõ.

EXPLICATIO ARTICVLI.

DE quæstione huius articuli agunt Theologi in. 2. à dist. 26. vsq; ad. 28. & Marsil. in q. 17. & D. Tho. de veritat. q. 27. & nos nonnulla prælibauimus suprà q. 62. & 63. cùm de habitibus infusis disputaremus. Et quidẽ de hac quęstione nõ definit planè in diuinis scripturis, in quibus tãtùm legimus, q̃ per gratiã iustificamur, renouamur, &c. quæ verba hunc commentariũ habere videntur: id est, gratis, sine meritis iustificamur: propter quod scriptura diuina sine discrimine vtitur his vocibus, gratia iustificamur, & gratis iustificamur, id est, non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos. Sed neq; apud sanctos Patres de hac controuersia verbũ vllũ inuenimus, an ne gratia sit qualitas animæ inhærens? Præterea, si ex humanis coniecturis argumenta producere libet, planè videtur, quòd gratia Dei non sit qualitas animæ inhærẽs. Ex eò enim quòd miles habeat regis gratiã, nullã propterea habet qualitatem sibi inhærentem sed tãtùm significatur, quòd faueat illi Rex, & quòd à Rege diligatur. Demum, si ex naturalibus philosophari volumus, ita natura cõparatũ videmus, quòd virtutes, & potentię ad operandũ sunt accidentia distincta à subsãtijs rerũ: at gratia nõ est principiũ operandi, sed tantùm qua Deo grati sumus: nulla ergo firma ratione ostendi potest, quòd gratia sit qualitas animæ. In huius rei expositionẽ est prima cõclusio. ¶ Dogma temerariũ est, negare, gratiã, & charitatẽ esse qualitates diuinitus infusas, in in anima inhærentes. Probatur sic: nam in primis hoc est contra omniũ Theologorũ sentẽtiam. Deinde, in diuinis literis asseritur, gratiã, & charitatem cordibus nostris infundi; quod cõmodè & aptè explicari non potest, nisi statuamus, gratiam, & charitatem esse qualitates infusas: de qua re satis prolixè disputatum est retrò, cùm de habitibus infusis loqueremur. Præterea, in ca. maiores de Baptismo & eius eff. & in Clem. vnica, de summa Trinitate, & fide catholi. fit mentio huiusmodi habituum infusorum: & opinio Theologorum, quæ ponit hos habitus infusos, eligitur à Concilio vt probabilior, & sanctis scripturis magis cõsentanea. Ad hæc, in Concilio Tridentino definitur, quòd charitas Dei infunditur in cordibus eorum qui iustificantur, & ipsis inhæret. & alibi; Si quis dixerit, hominẽ iustificari sola

D. Tho. Marsilius.

Exponitur quæstio articuli.

Prima cõc.

Cõcil. Tri. Sess. 6. c. 7.

remissione peccatorum, excluſa gratia, & charitate, quæ in cordibus hominum per Spiritũ ſanctum diffunditur, & in illis inhæret, Anathema ſit. & iterum, Si quis dixerit, gratiam, & charitatem, qua iuſtificamur, eſſe tãtùm fauorem Dei, Anathema ſit. Quæ definitio ſacri Concilij quanquam varijs explicationibus elucidetur, nulla planior eſt, & aptior, quàm explicare de qualitatibus diuinitus infuſis. Hoc ipſum confirmatur varijs rationibus ex diuina Theologia adductis: quarũ prima eſt. Homo vel dicitur gratus Deo per hoc quòd Deus velit ei dare ſeipſum, & beatitudinẽ; vel per hoc quòd Deus faueat illi; aut verò per hoc quòd habeat in ſe donũ deſuper infuſum, per quod efficitur homo Deo gratioſus, & dilectus. Certè non dicitur homo habere gratiam, per hoc quòd Deus velit dare ei ſeipſum, & vitã æternam: nam prædeſtinato, qui eſt in peccato mortali, Deus vult dare ſeipſum, & vitam æternam; qui tamen neque eſt gratus Deo, neque eſt in gratia. Neque verò dicitur homo habere Dei gratiam per hoc quòd Deus illi faueat, ſic vt gratia ſit fauor diuinus: nam in Concilio Tridẽtino ſic definitur; Si quis dixerit, gratiã Dei, qua iuſtificamur, eſſe fauorem Dei, anathema ſit. Relinquitur ergo, gratiam Dei eſſe donum ſupernaturale in animis noſtris infuſum, per quod homo efficitur conſors diuinæ naturæ, & ſimilis Deo gratificatus, & dilectus. Præterea, paruuli baptizati iuſtificantur per iuſtitiam diuinitus infuſam, & illis inhærentem, vt definit Concilium Tridentinum: at non iuſtificantur per actum aliquem infuſum, vt planè conſtat: ergo iuſtificantur per qualitatem inhærentem, quæ per modum habitus illis inhæreat. Ad hæc, paruuli antequam baptizentur (vt docet fides catholica) habent in anima peccatum, maculam, & deformitatem illis inhærentem: ergo vt iuſtificentur, & abluantur, neceſſum eſt habeant in anima pulchritudinem inhærentem. Deformitas enim & macula inhærens, niſi per pulchritudinem, & iuſtitiam inhærentem auferri nõ poteſt: nuſquam enim dicitur homo pulcher, niſi habeat pulchritudinem quæ in illo inhæreat. Certè ponere huiuſmodi habitus, ſiue qualitates infuſas, pertinet ad ſuauem Dei diſpoſitionem, qua vniuerſas res adminiſtrat: Deus enim vniuerſis agentibus dat formas congruentes ad ſuas actiones, vt ſint illis conſentaneæ, & proportionatæ. Id ergo quod Deus facit in agentibus naturalibus reſpectu actionum naturalium, idẽ etiã efficit in agentibus ſupernaturalibus reſpectu actionum ſupernaturaliũ. Hoc ipſum confirmatur. Nam cùm homo ſecundùm eſſe naturale perficiatur habitibus acquiſitis ad operandum ſtudioſè, conſequens eſt vt in eſſe ſupernaturali perficiatur habitibus infuſis & ſupernaturalibus. ¶ Secunda concluſio. Non eſt certum ſecundùm doctrinam fidei, quòd gratia ſit habitus infuſus in anima inhærens. Nam hoc non colligitur ex ſacris literis, neque ex traditione Eccleſiaſtica, neque ex definitionibus Conciliorum: & Concilium Tridentinum in locis ſuprà commemoratis (vt rectè admonet doctiſsimus pater Soto. 2. lib. de natura & gratia. c. 18.) conſultò abſtinuit à nomine habitus, ſed tantùm definiuit, hominem iuſtificari per iuſtitiam diffuſam in cordibus noſtris, quæ illis inhæreat. ¶ Sed dicet Theologus; Profectò videtur q̃ ſacri Concilij Tridentini definitio non poſsit commodè intelligi, niſi de qualitate cordibus noſtris inhærente: nam definit apertè Concilium, quòd homo iuſtificatur per gratiam, & charitatem, quæ in cordibus hominum per Spiritum ſanctum infunduntur, & in illis inhærent. Certè cùm iuſtificatur homo corã Deo, non iuſtificatur per aliquam ſubſtantiam quæ cordibus hominum vniatur: neque eſt neceſſe quòd infundatur ei aliquis actus per quem iuſtificetur, vt patet in paruulis, qui ſine aliquo actu iuſtificantur: conſequens ergo eſt, iuſtificari hominem per aliquam qualitatem inhærentem. Vel explicandum eſt, quid ſit illud donum diuinitus infuſum quod cordibus noſtris inhæreat, per quod homo coram Deo iuſtificatur, cùm non ſit ſubſtantia, nec actus. Propter hoc argumẽtum Alphonſus de Vega in commentarijs Concilij Tridentini, explicans hæc verba modo citata, affirmat eſſe de fide, quòd tales habitus infuſi ponendi ſunt. Contrarium tenet Soto vbi ſuprà. ¶ Cæterùm ad veram explicationem Concilij Tridentini eſt notandum primo loco, quòd homo ſicut quando peccat actualiter, conuertit voluntatem ſuam inordinatè ad bonum commutabile, & auertit illam à bono incommutabili: ad eundem modum poſtquã præterijt actus peccati, illius animus habitu manet inordinatus; id eſt, manet conuerſus ad bonum commutabile, & auerſus à bono incommutabili: & ratione huius inordinationis, & prauitatis, quæ habitualiter manet in anima tranſeunte actu peccati, homo denominatur peccator. ¶ Secũdò aduertendum eſt, quòd dupliciter poteſt intelligi quòd Deus remittat peccatum homini. Vno modo, mutando & conuertendo animum hominis à prauitate, in qua erat, ad rectitudinem; quæ rectitudo dicitur iuſtitia interior, & inhærens. Alio modo poteſt Deus remittere peccatum homini nulla mutatione facta in anima peccatoris, ſed ipſo peccatore manente

Secũda cõ. Nõ eſt certum ſecundum fidem gratiã eſſe habitum.

Mag. Soto.

Vega.

Explicatur Cõcilium.

manente cum voluntate praua, & inordinata sicut erat anteà, concedendo illi veniam peccati, & non imputando illam prauitatem homini ad pœnam; quæ non imputatio dicitur iustitia extrinseca, & non inhærens, & imputatiua. ¶ Illud etiam aduertendum, quòd illa iustitia interior & inhærens, & illa mutatio voluntatis, qua peccator ex prauo fit rectus, potest fieri duobus modis. Vno modo per infusionẽ alicuius qualitatis supernaturalis permanentis in anima. Alio modo potest fieri à Deo sine infusione alicuius qualitatis permanentis, sed per solam actualem motionem diuini auxilij, quod auxilium sua efficacia conuertit animum hominis à prauitate ad rectitudinem.

Ad argum. ex Cõcilio. ¶ His positis ad argumentum sumptum ex decreto Concilij Tridentini dicẽdum est, quòd Lutherani affirmabant, iustificari hominem non per aliquam interiorem renouationem, sed per solam non imputationem exteriorẽ: contra quos Concilium definit, quòd Deus, quando iustificat peccatores, non solùm concedit illis veniam peccati, & non imputat illorum delictum ad pœnam, sed etiam interius conuertit, & renouat illorum animum, & ex prauo reddit illum rectum, atque bonum. Vtrùm verò Deus efficiat hanc interiorem renouationem per aliquam qualitatem permanentem, & infusam; vel potiùs per solam motionem actualem auxilij diuini, Concilium Tridentinum non definit: non enim illa quæstio pertinebat ad id quod erat propositum Concilio. Itaque ex definitione Concilij non colligitur, quòd gratia, & charitas sint qualitates infusæ, sed tantùm colligitur, esse dogma pertinens ad doctrinam fidei, quod iustitia, qua homo iustificatur, non est aliquid extrinsecum, sed est interior renouatio interioris hominis, quæ renouatio potest fieri vel per infusionem alicuius qualitatis permanentis, vel per solam actualem motionem auxilij diuini, sine aliqua qualitate. Et hæc est vera interpretatio illius decreti.

ARTIC. TERTIVS.

¶ Vtrùm gratia sit idem quod virtus?

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Conclusio est negãs. Pro cuius explicatione sciendum est, quòd Magister Sententiarum posuit gratiam idẽ esse cum virtute, sed solùm differre secundùm rationem; vt gratia dicatur secundùm quòd facit hominem gratum Deo: virtùs, secundum quòd perficit ad bene operãdum. Sed rectè considerantiratione virtutis, hoc stare non potest. Nam virtus cuiuscunque rei dicitur in ordine ad aliquam naturam præexistentem, quãdo vnũ quodque scilicet est sic dispositũ, secundùm quòd congruit suæ naturę. Sed manifestum est quòd virtutes acquisitę per actus humanos sunt dispositiones quibus homo conuenienter disponitur in ordine ad naturam, qua homo est: virtutes verò infusæ disponunt hominem altiori modo, ad altiorem finem: vnde ordinant ad altiorem naturam, hoc est, ad diuinam naturam participatam, quæ dicitur lumen gratiæ. Quare sicut naturale lumẽ rationis est aliquid præter virtutes acquisitas, quæ dicuntur in ordine ad ipsum lumen rationis; ita etiam ipsum lumen gratiæ, quod est participatio diuinæ naturæ, est aliquid præter virtutes infusas, quæ ab illo lumine deriuantur, & ad illud lumen ordinantur. Sicut enim virtutes acquisitæ perficiunt hominem ad operandum secundùm quòd congruit naturali lumini rationis: ita virtutes infusę perficiunt hominẽ secundùm quòd congruit lumini gratiæ. Non est ergo idem quod virtus; sed præsupponitur ipsi, sicut radix, & principium.

Impugnat Magistrũ.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Quis sensus quæstionis sit.

AD explicationem huius articuli intelligendum est, quòd hîc non dubitatur, vtrùm gratia gratum faciẽs sit habitus

infusus diuinitus, siue qualitas animæ inhærens: nam de hoc satis dictum est in superioribus: sed quæritur, vtrùm sit habitus operatiuus, quo disponimur ad rectè operandum; id enim dicitur virtus. Sed & illud certum & exploratum est, quòd gratia non est virtus fidei, neque verò virtus spei: est autem dubium, vtrùm sit virtus charitatis; de quo sunt contrariæ sententiæ. Altera Scoti in.2. distinctione.27. quæstione vnica; Richardi in.2. distinct. 26. quæstione quarta; Durandi quæstione.1. eiusdem distinctionis; Gabrielis itidem. q.1. Marsilij in.2. quæstione decimaseptima, art.1. vniuersi isti autores tenent, quòd gratia, & charitas sunt idem re, distinguuntur tamen ratione. Nam idem habitus dicitur gratia, quatenus nos reddit gratos Deo; & charitas, quatenus nos inclinat ad diligendum Deum. Hęc sententia potest probari his argumentis. ¶ In primis, omnia quæ in sanctis scripturis, & apud sanctos patres dicuntur de gratia, eadem dicuntur de charitate: ergo signum est quòd sunt idem re ipsa. Probatur antecedens: quia sicut gratia distinguit inter iustos, & iniustos, sic & charitas: & sicut charitas est forma virtutum omnium; ita & gratia: & sicut gratia est principium meriti, similiter & charitas. ¶ Deinde, charitas antecellit omnes qualitates infusas: ergo vel est idem cum gratia, vel est præstantior gratia: sed non potest dici præstantior gratia: ergo est idem cum gratia. Quòd autem charitas antecellat omnes qualitates infusas patet ex Diuo Paulo, ex Augustino, & Diuo Bernardo. ¶ Tertiò sic arguitur. Effectus formalis gratiæ est efficere hominem gratũ, & amabilem Deo: sed homo redditur formaliter gratus, & amabilis Deo per rectitudinem voluntatis, cùm hominis voluntas sic est affecta Deo, vt habeat illum pro vltimo fine, & bona commutabilia in comparatione ad Deum despiciat: hoc autem efficit formaliter charitas: ergo charitas, & gratia sunt idem. ¶ Præterea arguit Marsilius. Nam omnibus habitibus de medio sublatis, dum tamen permaneat charitas, adhuc homo manet gratus Deo; est siquidem Dei amicus, cùm charitas sit vera amicitia: ergo habet gratiam: ex quo consequens est, quòd charitas sit gratia. ¶ Deinde vrget Durandus. Est (inquit) prorsus impossibile quòd gratia, & charitas separentur: ergo impossibile est quòd distinguantur: quæ enim re ipsa distinguuntur, separari possunt. Antecedens probatur: quia si gratia separatur à charitate, certè homo ille qui haberet gratiam, saluaretur; placeret enim Deo, & esset illi gratus: & non saluaretur; si quidem charitatem non

An gratia sit charitas.

Scotus. Richar. Durand. Gabriel. Marsil.

Primũ arg.

Secundum

1.Corin 13 Aug.li.15. de ciui. ca. 18. Bernar.sermone.39. in Cantica.

Quartum.

Quintum.

habueret. Est igitur impossibile quòd ab inuicem separentur; si quidem ex eo quòd separentur, sequitur euidens contradictio. ¶ Ad hæc, si gratia distingueretur à charitate, ex eo quòd charitas est habitus operatiuus, quo diligimus Deum; gratia verò non est habitus operatiuus, sed qualitas diuinitus infusa, quæ dat esse supernaturale, & participium diuinæ naturæ; sequuntur hæc incommoda. Sextum.

¶ In primis sequitur, quòd fides & spes sine gratia iustificante non essent veræ virtutes in homine peccatore. Imo sequitur, quòd non existerent in homine peccatore: nam esse supernaturale quod confert gratia, præsupponitur ad quodcunque donum supernaturale; sicuti esse naturale ad quodcunque donum naturale. Vnde sicuti absque esse naturali nullum donum naturale intelligi potest; ita neque poterit intelligi donum supernaturale, nisi supposito esse supernaturali. Atque hoc est primum incommodum. Primum inconue.

¶ Sed & illud incommodum sequitur, quòd gratia sit præstantior charitate: quod aduersatur Diuo Paulo dicenti, Maior autem horum est charitas: & alio in loco; Super omnia charitatem habete, quod est vinculum perfectionis. Quòd rectè sequatur, patet: nam gratia confert esse supernaturale, ex quo oritur charitas; veluti anima confert esse substantiale, ex quo virtutes animæ deriuantur. Sicut ergo anima est præstantior cæteris virtutibus superadditis; sic gratia præstantior erit charitate, & reliquis donis diuinitus infusis. Secundum inconue. 1.Corin.13 Coloss.3.

¶ Item sequitur, quòd gratia esset in homine otiosa, siquidem non inclinaret ab bene operandum: hoc autem asserere, falsissimum est. Tertium incon.

Hæc omnia confirmantur. Nam in Concilio Tridentino numerantur plenè omnes causæ quæ concurrunt ad nostram iustificationem, inter quas præcipuè numeratur charitas, & non numeratur gratia, quæ in iustificatione hominis præcipuè concurrit, vt patet ex Paulo in innumeris locis: ergo nomine charitatis Concilium sacrum intelligit gratiam; alioqui Concilium prætermisisset præcipuam causam nostræ iustificationis. Confir. ex Conci. Trid. sess.6. c.7. &.8.

¶ Altera opinio est Diui Thomæ hoc articulo, & Caietani, & aliorum discipulorum Diui Thomæ, & eandem tenet D. Bonauentura in 2. distinctione. 26. quæstione quinta, & in.3. distinctione vigesimaseptima, articulo primo, quæstione.3. &.4. quæ opinio est magis consentanea sanctis scripturis, & rectæ rationi, & suaui Dei dispositioni. Vnde ad id explicandum, est aduertendum, quòd quemadmodum aliud est esse rei, aliud operatio: ita euidens ratio expostulat, vt alia forma constitute D. Tho. sententia Caie. & D. Bonauent. Exponitur D. Tho.

ſtituat eſſe rei, & aliæ formæ, & virtutes deſeruiant ad operationes rectè obeundas: & ſicut ad eſſe rei ſequitur operatio, & illud præſupponit; ita & forma illa quæ immediatè ordinatur ad operandum, præſupponit formam quæ eſſe conſtituit, & ab ea quodammodo proficiſcitur; vt videre licet in rebus naturalibus. Nam, verbi gratia, homo à forma ſubſtantiali habet eſſe, cæterum ab alijs formis accidentarijs, & ſuperadditis, quæ ſunt potentiæ, atque habitus, habet vt poſsit rectè operari; & illæ formæ, quæ ſunt potentiæ, & habitus, præſupponunt formam ſubſtantialem, & ab illa quadam ratione manant, & proficiſcuntur. Potentiæ quidem, & habitus naturales proficiſcuntur à forma ſubſtantiali, naturali quodam conſequio, &, quod dicunt metaphyſici, per ſimplicem quandam emanationem; veluti ſplendor oritur à ſole: habitus verò adquiſiti ſunt etiam ex illa, tanquam ex radice, & ſemine. Illud etiam aduertendum eſt, quòd homo iuſtus non ſolùm habet facultatem operandi opera ſupernaturalia, ſed etiam habet eſſe ſupernaturale, operibus ſupernaturalibus conſentaneum, quod patet ex illo. 2. Petri. c. 1. Maxima & pretioſa promiſſa nobis donauit, vt per hoc efficiamur conſortes diuinæ naturæ. Vnde & iuſti dicuntur filij Dei; quia ſicut filius participat naturam patris, ita & iuſti vt ſic participant quoddam eſſe ſupernaturale, & ſimilitudinem naturæ diuinæ; ex quo eſſe, & ex qua ſimilitudine efficitur quòd homo iuſtus ſit gratus, & amabilis Deo: nam per illud eſſe efficitur quadam ratione eiuſdem naturæ cum Deo; & certum eſt, quòd ſimilitudo naturarum conciliat amorem, & amicitiam. His conſtitutis eſt concluſio.

a. Pet. 1.

Quare iuſti filij Dei dicantur.

Concluſio. Gratia non eſt idem quod charitas.

¶ Gratia non eſt idem realiter quòd charitas; ſed diſtinguitur realiter à illa. Probatur ſic: nam in Concilio Vienenſi dicitur, quòd paruulis in baptiſmate, ſecundùm opinionem Theologorum probabiliorem, infunduntur gratia & virtutes Theologicæ; in quo videtur ſignificari, quòd gratia à virtutibus Theologicis diſtincta ſit. Quin etiam in diuinis literis ſemper diſtinctis nominibus compellantur, quod eſt argumentum diſtinctionis: & ad Romanos. 3. Iuſtificati gratis per gratiam ipſius &. 1. can. Ioan. capitulo quarto; Commendat autem charitatem ſuam in nobis, nō quaſi prius nos dilexerimus Deū, ſed quia ipſe priùs dilexit nos. Vnde prius eſt quòd nos Deus ſibi gratificat, & amabiles reddit, quàm quòd nos illum diligamus. Sed & ex dictis cōcluſio noſtra manifeſtè concluditur. Nam gratia dat eſſe ſupernaturale, quo homines iuſti fiunt cōſortes diuinæ naturæ: ſed charitas immediatè atque directè ordinatur ad diligendum Deū, & ad operandum: ſed forma quæ dat eſſe, diſtinguitur realiter à formis quæ deſeruiunt operationi; ſicut realiter differunt, eſſe, & operari: ergo charitas, & gratia realiter diſtinguuntur. Huic conſonat ratio Diui Thomæ in primis elegans, quam proſequitur in hoc articulo. Omnis enim virtus operatiua diſponit ſubiectum prout congruit ſuæ naturæ: ergo omnis virtus præſupponit naturam aliquā cui ſit congruens, & proportionata. Virtus naturaliter acquiſita præſupponit naturam, qua homo eſt. Virtus ſupernaturalis præſupponit naturam diuinam participatam, & eſſe quoddam ſupernaturale, cui congruat, & conueniat virtus ſupernaturalis diuinitus infuſa. Hæc autem participatio diuinæ naturæ à diuinis Theologis gratia nuncupatur, qua gratificat nos Deus, & amabiles reddit in dilecto filio ſuo. Sed ſupereſt diſſoluamus argumenta in contrarium adducta.

Ratio D. Th. elegās.

¶ Ad primum dicendum, quòd in ſanctis literis, & apud ſanctos Patres ferè eadem dicuntur de gratia, & charitate; non quia ſunt idem realiter, ſed quia ſunt ita connexę, vt vna ſine altera eſſe non poſsit: nihilominus tamē nonnulla dicuntur de gratia, quæ charitati conuenire non poſſunt. Nam gratia eſt principium formale, quod dat eſſe ſupernaturale, quod per diuinam generationē recipit homo, quod præſupponitur ad charitatem, quæ eſt virtus operatiua: gratia facit nos gratos, & dilectos Deo; charitas verò facit nos dilectores Dei. Verum eſt tamen, nonnullas excellentias eſſe communes tūm gratiæ, tum charitati, ſed differentes in modo. Nam gratia eſt forma virtutum, ſimiliter & charitas; ſed diſsimili ratione. Gratia enim eſt forma virtutum ratione ſubiecti: nam ex eo quòd facit hominem gratum, efficit ſubinde quòd opera hominis ſint meritoria, iuxta illud; Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius; priùs Dominus reſpicit, an perſona quæ opera efficit, grata illi ſit, & accepta. Charitas verò eſt forma virtutum ex parte finis: ex eo enim quòd reſpicit vltimum finem, habet in officio omnes alias virtutes in finem vltimum referre, atque dirigere. Deinde, gratia, & charitas vniunt nos Deo; ſed diſtincta ratione: nam gratia eſt per quam Deus vnit nos ſibi, & efficit nos conſortes diuinæ naturæ: charitas eſt per quā nos Deo vnimus, & illum amoris amplexibus complectimur.

Ad argumē ta.

Ad primū.

Gene. 4.

¶ Ad ſecundum argumentum dicendū, quòd charitas antecedit omnes habitus infuſos operatiuos; non autem ipſam gratiam, ex qua tanquam ex radice pullulant omnes reliqui habitus

Ad ſecūdū.

bitus operatiui: & Diuus Paulus in illo loco non confert charitatem cum gratia, sed cum alijs virtutibus infusis, fide, spe, & charitate.

Ad tertiũ. ¶Ad tertium argumentum dicendum, quòd effectus formalis gratiæ est reddere hominem gratum, & amabilem coram Deo; sed propriè & immediatè homo fit talis per hoc quod efficitur particeps diuinæ naturæ, & habet esse quoddam supernaturale, sicut suprà expositum est; quod sine dubio à gratia proficiscitur, & dimanat.

Ad quartũ. ¶Ad quartum dicendum, quòd in illo casu ille homo esset gratus Deo extrinseca acceptatione Dei, nũc verò homo est gratus Deo & amabilis per qualitatem animis nostris inhærentem. Vel dicendum, quòd secundùm legem ordinariam, qui diligit Deum, & habet charitatem, diligitur à Deo; at verò de potentia Dei absoluta non est necesse vt qui diligit Deum, diligatur à Deo, quantum ad bona supernaturalia: potest enim aliquis (de potentia Dei absoluta disputo) habere charitatem Dei, & quòd non acceptetur ad gloriam. Ex quo efficaciter demonstratur, quòd charitas reipsa à gratia distinguatur, & separetur. Vltimò dico pro confutatione argumenti, quòd ex eo tantummodò probatur, gratiam, & charitatem ita esse inter se connexas, vt vna sine altera esse non possit.

Ad quintũ. ¶Ad quintum dicendum, quòd Deus de potentia sua absoluta potest charitatem à gratia separare, vt in præcedenti solutione explicatum est: non tamen est necesse, quòd si distinguuntur realiter, possint ab inuicem separari: multa enim distinguuntur realiter, quæ propter necessariam connexionem non possunt separari. Est enim opinio bonorũ Theologorum, risibilitatem, aut intellectum non posse ab homine separari, quanquam realiter distinguantur.

Ad sextum ¶Ad sextum dicendum, quòd non sequitur primum incommodum: quanquam enim fides & spes maneant in homine peccatore sine gratia gratum faciente; at non habent rationem perfectæ virtutis; vt semper sit verum, quòd gratia sit radix, & principium virtutum, quæ diuinitus infunduntur. Itaque secundùm veram Theologiam asserendum est, quòd fides & spes, quæ permanent in homine peccatore, non sunt virtutes sine gratia iustificante, quanquam sunt habitus diuinitus infusi: de qua re alio in loco competentiùs edisserendum est.

Ad secũdũ incõueniẽs ¶Ad aliud incommodum dicendum est, nõ esse alienum à diuina Theologia, asserere, quòd gratia sit præstãtior charitate: nam cùm dicit Paulus, Maior autem horum est charitas; apertè confert charitatem ad fidem, & spem, atque ad cæteras virtutes infusas.

¶Neque verò sequitur tertium incommodũ: quanquam enim gratia immediatè non ordinetur ad operandum, non est consequens quòd sit otiosa; sicut forma substantialis non est otiosa, quamuis non ordinatur immediatè ad operandum: constituit enim esse, & naturam, ex qua omnis vis operandi dimanat: non dissimili ratione ex gratia manat omnis vis operandi supernaturalis, & omnes virtutes infusæ. Ad tertiũ.

¶Ad confirmationẽ ex Concilio Tridentino dicendum est in primis, quòd vnica ratio formalis iustificationis est iustitia interior, qua renouatur animus, & ad rectitudinem reducitur, quæ est iustitia Dei, non qua ipse Deus iustus est, sed qua iustos nos facit, quam vnusquisque in se recipit secũdùm propriam dispositionem. Disponimur verò per charitatem, fidem, spem, & pœnitentiam; vnde charitas est dispositio ad iustitiam interiorem, quæ gratia Dei est. Deinde dicendum est, quòd Concilium apertè commemorat gratiam inter causas iustificationis, vt videre licet can. 11. Sessionis. 6. Sed de hac quæstione satis dictum est, ad alium articulum progrediamur. Ad cõfir. ex Concilio. Concil. numerat gratiam inter causas iustificationis.

ARTIC. QVARTVS.

¶Vtrùm gratia sit in essentia animæ?

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Conclusio est affirmãs, quæ ex definitione præcedentis articuli euidẽter comprobatur. Nam si gratia esset virtus, oporteret eam esse in potentijs sicut in subiecto; quia potentia animæ est subiectum virtutis: sed quia probatum est, non esse virtutem, sed aliquid priùs virtute, oportet eam constituere in essentia animæ. Sicut enim secundùm potentiam intellectiuam homo participat cognitionem diuinam per fidem diuinitus infusam, & secundùm voluntatem, diuinum amorem per virtutem charitatis: ita etiam per

naturam

naturam animæ participat secundùm quandam similitudinem naturam diuinam per quandam regenerationem, siue recreationẽ, secundùm quam efficitur homo iustus, noua creatura, gratificata, & amabilis coram Deo.

EXPLICATIO ARTICVLI.

EX doctrina huius articuli facilè erit inuestigare definitionẽ gratiæ, quæ à nemine ferè rectè & exactè explicatur. Definitio gratiæ optima, quã Diuus Thomas constituit in hoc articulo & præcedenti, hęc est. Gratia est qualitas animę infusa, per quam efficimur consortes diuinæ naturæ, vt dicitur. 2. Petri. ca. 1. Huic consonat alia definitio, quæ sic habet. Gratia est quædam forma supernaturalis, quæ confert nobis esse, & vitam supernaturalẽ. Sicut enim Deus instituit vt homo viueret geminam vitam, tum naturalem, tum supernaturalem: ita contulit nobis duplex vitæ principium, veluti duplicem animam; vnum naturale, alterum supernaturale: & sicut ex anima, quæ est principium naturale, fluunt, & proficiscuntur potentiæ ad operandum opera vitę consentanea; sic ex gratia procedunt virtutes infusæ, quibus viuitur vita supernaturalis, & planè diuina. Tertia definitio gratiæ, quæ à quibusdam Theologis neothericis approbatur, sic dicit. Gratia Dei est vestis, & ornamentum animæ, quo anima pulchra, & grata efficitur coram Deo, sic vt in sponsam Dei accipiatur, & filiam. Hoc ornamẽtum animæ describit Esaias eleganter his verbis; Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo: quia induit me vestimentis salutis, & indumento iustitiæ circundedit me: quasi sponsam decoratam corona, & quasi sponsam ornatam monilibus. Alij verò sic definiunt gratiam. Gratia, inquiunt, est acceptatio ad gloriam. quæ definitio explicat proprietatem gratiæ diuinæ. Nam cùm simus filij per gratiam, consequens proprietas gratiæ est, quòd simus hæredes gloriæ, & quòd acceptemur ad gloriam. Hanc definitionem calumniatur doctissimus Pater Cano, in relect. de pœnitentia p. 1. sed sine magna ratione. Communissima verò definitio gratiæ, & quæ in ore omnium circunfertur, est; Gratia est qualitas animæ infusa, per quam reddimur grati, & amabiles coram Deo. Hæc definitio datur per causam formalem, quæ præcipuè explicat rei definitionem, & quidditatem; veluti si diceremus; albedo est quæ facit album: pulchritudo est quæ pulchrum efficit. ¶ Sed vt hæc definitio diligentiùs explicetur, quæritur; Vtrùm gratia habeat de sua natura reddere homines gratos, & amabiles coram Deo; an potiùs ex institutionẽ diuina, & ex Dei acceptatione: sicut potuit Deus facilè instituere, quòd homines albi saluarentur, nigri condemnarentur; & sicut re vera instituit, quòd baptismus aquæ nos lauet à crimine, non verò baptismus vini, aut olei. Ad propositam dubitationem, quæ non est perfacilis omninò, sic respondebit Theologus. In primis incunctanter asserat, gratiam (quæ est qualitas animę infusa) de sua natura efficere homines gratos Deo, & amabiles; alioqui non esset ratio, quare potiùs per istam qualitatẽ infusam nos redderet gratos, quàm per albedinem. Certè gratia est pulchritudo ordinis diuini, & quædam participatio diuinæ pulchritudinis, & naturæ, & ideo reddit nos amabiles Deo, & dilectos coram illo. Illud etiam indubiè asserat Theologus, Deum, quæ est sua omnipotentia, rectissimè posse efficere homines gratos sibi & amabiles absque aliqua qualitatẽ inhærente: vnde rectissimè poterat facere homines gratos absque gratia, quæ est qualitas diuinitus infusa: nam Deus rectissimè & verissimè potest amare hominem, absque eo quòd infundat ei qualitatem inhærentem. Certè ex sententia omnium Theologorum, Deus rectissimè potest iustificare hominem absque habitibus infusis. In superaddat Theologus, non esse omnino impossibile (loquimur de potentia Dei absoluta) quòd hæc qualitas diuinitus infusa inhæreat animæ, & quòd anima non sit Deo grata, neque accepta. Potest enim Deus efficere, vt cùm homo peccat mortaliter, prædicta qualitas perseueret in anima, & tunc anima non est Deo grata, neque amabilis. ¶ Sed contra hãc doctrinam argumentabitur Theologus ad hunc modum. Nam effectus formalis non potest separari à forma: non enim potest fieri quòd albedo inhæreat corpori, & non faciat album: sed esse hominem Deo gratum, est effectus formalis gratiæ, quæ est qualitas diuinitus infusa. quod sic ostendo. Nam gratia, quæ est qualitas animæ inhærens, habet aliquem effectum formalem: vniuersa enim qualitas habet aliquem effectum formalem; quemadmodum albedo facit album; sapientia sapientem; pulchritudo pulchrum; sed gratia, quæ est qualitas diuinitus infusa, non habet alium effectum formalem, nisi efficere hominem Deo gratum: ergo non potest separari à gratia, quin faciat hominem gratum: Cuius contrariũ asseueratum est in tertia

Definitio gratiæ.
2. Petri. 1.
Esai. 61.
M. Cano.
An gratia de se reddat homines gratos.
Obiectio.

assertione, quæ in explicationem dubij propo sita est. ¶ Hoc ipsum confirmatur. Nam effectus formalis non potest fieri sine causa formali, etiam si de omnipotentia Dei fiat sermo: non enim potest Deus supplere effectum causæ formalis; vnde non potest facere album sine albedine, neque hominem sine anima rationali: sed esse hominem Deo gratum, est effectus formalis gratiæ, quæ est qualitas diuinitus infusa, vt suprà ostensum est: ergo non potest fieri vt homo sit gratus Deo sine qualitate inhærente, & animis nostris infusa. ¶ Ad hæc argumenta confutãda dicunt Theologi, duplicem esse effectum formalẽ formæ; vnũ intrinsecum; alterũ extrinsecum. Intrinsecus, vt album ab albedine: & huius generis effectus non potest suppleri sine forma. Extrinsecus bene potest suppleri sine forma; exẽpli gratia; est aliquis similis alteri in albedine, cuius similitudinis causa formalis est albedo; si alter moriatur, altero superstite permanente, albedo permanentis desinit esse similis; & sic effectus formalis extrinsecus potest separari à forma. Explicatur hoc vberius alijs exemplis adhibitis, ad ostendendum quòd effectus formalis potest separari à forma, & inueniri sine forma. Quòd enim materia existat, est effectus formalis formæ; extrinsecus tamen: quòd enim materia existat, à forma habet. Vnde secundùm opinionem probabilem Theologorum, Deus potest facere vt materia existat sine forma. Idem patet in quantitate, quæ habet pro effectu formali distinguere partem extra partem in corporea substantia. Nihilominus tamen si Deus separaret quantitatem ab homine, non propterea confluerent partes vniuersæ ad punctum, sed maneret pars extra partem. Vel dicendum, quòd effectus formalis gratiæ, quæ est qualitas infusa, geminus est: Alter est, efficere hominem rectum, pulchrum, iustum, per qualitatem inhærentem in corde diffusam; & hunc effectum non potest Deus efficere sine gratia, quę est qualitas inhærens, vel saltem sine motione auxilij diuini rectificãte animam, quod in superioribus satis expositum est. Alter effectus est, reddere hominẽ gratum, & acceptum coram Deo: & hic effectus quoniam secundarius est ex primo dimanans, potest à gratia separari, & absque ea inueniri.

Confir.

Solutio. Duplex effectus formalis.

Duplex effectus gratiæ.

QVAESTIO CXI.

De diuisione gratiæ; in quinque articulos diuisa.

ARTIC. PRIMVS.

¶ Vtrùm gratia sufficienter diuidatur per gratiam gratum facientem, & gratiam gratis datam?

SVMMA TEXTVS.

Conclusio.

Conclusio est affirmans. Alia enim est gratia per quam homo coniungitur Deo, quæ vocatur gratia gratum faciens: per ipsam enim homo iustificatur, & dignus efficitur vocari Deo gratus, & amabilis. Alia est per quam vnus homo cooperatur alteri ad hoc quòd reducatur ad Deum: & hoc donum vocatur gratia gratis data; quia supra facultatem naturæ, & supra meritum personæ homini conceditur: quia verò non datur vt homo ipse iustificetur per eam, sed potiùs vt ad iustificationem alterius cooperetur, non vocatur gratum faciens. huic consonat quod dicit Apostolus; Vnicuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatẽ aliorum. 1. Corin. 12

EXPLICATIO ARTICVLI.

An sit optima articuli diuisio.

Videbitur fortasis alicui, quòd hæc diuisio gratiæ, in gratiam gratum facientem, & gratiam gratis datam, non sit sufficiens: sunt enim multa donorum, & gratiarum genera, quæ prædicta diuisione non comprehenduntur. Vita æterna est gratia, vt planè scribit Paulus Roman. 6. sed non est gratia gratis data, neque gratum faciens. ¶ Deinde, auxilia diuinæ gratiæ, quibus homo disponitur ad ipsam gratiam, & ipsamet dispositio ad gratiam, & auxilia quibus homo perseuerat in bono, certũ est quòd numerantur inter dona, & gratias quæ hominibus conferuntur diuinitus: at non sunt gratiæ gratis datæ; neque verò gratia gratum faciens. ¶ Sed & diuina prædestinatio, quæ præcipuè gratia Dei est, & beneficium potissimum, ista diuisione non comprehenditur. ¶ Præterea, hæc diuisio videtur habere aliud

Primũ arg.

Roma. 6.

Secundum

Tertium.

Quartum.

aliud vitium; nam eadem videtur esse gratia gratis data, & gratia gratum faciens, cũ tamen diuisio semper debeat per membra opposita designari. Quòd verò gratia gratum faciens sit gratia gratis data, sic ostendo. Nam gratia gratis data significat donum quod nobis à Deo gratis confertur: at gratia gratum faciens gratis nobis à Deo confertur: igitur est gratia gratis data. ¶ In contrarium est doctrina Diui Thomæ. Pro cuius elucidatione aduertẽdum est primò loco, quòd hîc non fit sermo de gratia increata, sed de gratia creata. Gratia increata vocatur à diuinis Theologis, Dei voluntas, qua Deus ab æterno nos dilexit. Quin etiam Spiritus sanctus appellatur donum, & gratia, vt videre licet apud Diuum Thomam. 1. parte quæstione. 38. Insuper gratia vnionis nuncupatur à Theologis gratia increata: nam est esse personale Verbi diuini, communicatum naturæ humanæ. Illud etiam aduertendum est, quòd hac diuisione non comprehendimus quodcunque donum quod gratis hominibus confertur: natura enim humana, & esse humanum gratis nobis confertur: at prædicta diuisione non continetur; siquidem hîc tantùm disputamus de gratia quæ est supra facultatem humanæ naturæ, & gratis nobis donatur. Sed & illud non est prætereundum, quòd gratia gratis data potest sumi vt nomen quoddam genericum, quo comprehendimus quidquid nobis gratis confertur: & hoc modo etiam gratia gratum faciens comprehenditur sub isto nomine: quia gratia prima iustificans gratis confertur, vt docet Paulus, & nos posteà demonstrabimus esse certam, & irrefragabilem fidem. Alio modo sumitur, vt sit nomen specificum, quo significamus quædam dona diuinitus data hominibus sine illorum merito, quæ ex vi sua non statim conferunt iustitiam illi in quo sunt. Inter quæ dona, & gratiam gratum facientem, est triplex differentia. Prima, quòd gratia gratis data immediatè, & propriè non datur in commodum & vtilitatem eius qui illam recipit, sed in vtilitatem aliorum; quod planè testatur Paulus dicens; Vnicuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatem aliorum. At verò gratia gratum faciẽs immediatè, & propriè datur in commodum & vtilitatẽ eius qui iustificatur, vt saluus ipse fiat, & placeat Deo. Secunda differentia est: Nam gratia gratum faciens per quodvis peccatum mortale perditur: nam vir iustus, si auerterit se à iustitia sua, committatque peccatũ mortale, statim desinit esse gratus Deo, & omnes iustitiæ eius ampliùs non recordabuntur, vt dicit Dominus apud Ezechiel. At gratia gratis data non perditur per quodvis peccatum mortale: scribitur enim Matt. 7. Multi dicent mihi in illa die, Nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & virtutes multas fecimus? Ecce gratia prophetiæ, & gratia miraculorum in hominibus nequam perseuerant. Idem ostẽdit Paulus. 1. Corinthiorum. 13. cum dicit, Si habuero prophetiam, & nouerim mysteria omnia, charitatem autem non habuero nihil sum. ecce autore Paulo donum prophetiæ, & scientiarum gratia sine charitate inueniri queunt. Sed quid in re manifesta immoramur? Certè Caiphas, cum esset nequissimus, prophetauit, nesciens quid diceret. Sed & Balaam, & Sibyllas donum prophetiæ habuisse exploratum est. Sed & illa differentia potissima est, quòd gratia gratum faciens semper est qualitas inhærens animæ per modum habitus, vt suprà ostensum est. Verùm gratia gratis data aliquando est donum habituale, vt donum fidei, donum scientiæ: aliquando est potestas; vt potestas miraculorum, potestas consecrandi: interdum verò infunditur per modum actus, & inspirationis; vt donum prophetiæ, & ipsamet motio diuina, & inspiratio. Qui cupit copiosiùs legere quemadmodum differat gratia gratũ faciẽs à gratia gratis data, legat D. Thomã. 2. 2. q. 172. nos ad difficiliora properamus. Sed supereſt argumenta in principio posita confutare.

Exponitur D. Tho.

D. Tho.

Gratia gratis data bifariam sumitur.

1. Corin. 12

Matth. 7.

1. Corin. 13

D. Tho.

¶ Ad primum namque dicendum est, quòd vita æterna, gratia nuncupatur, & est, sed est gratia consummata; gratia, inquam, alterius vitæ, & alterius reipublicæ, & regni, quam nemo habet dum hanc vitam mortalem viuit. Nos verò proposita diuisione solùm comprehendimus gratiarum genera, quæ viatoribus conferũtur. Vel dicat Theologus, quòd hæc gratia reducitur ad gratiam gratum facientem, à qua separari non potest, sicut & dona Spiritus sancti: & quantum ego sentio, ad gratiam gratum facientem reducuntur omnia gratiarum genera, quæ conferuntur diuinitus in vtilitatem, & commodum eius qui recipit, & quæ sunt veluti dispositiones, & præparationes vt homo iustificetur, & placeat corã Deo dilectus & gratus. Ex quo facilè consutatur secũdũ argumentũ. ¶ Ad tertiũ dicẽdũ, quòd gratia diuinæ prædestinationis nihil ponit in prædestinato, vt ostenditur in. 1. p. hîc verò agimus de gratijs quæ in cordibus hominũ infundũtur. ¶ Sed & quartũ argumẽtũ non est difficile depellere, si ea quæ in superioribus dicta sunt ad memoriam reducãtur. Nam in designata diuisione nõ accipitur gratia gratis data vt significat donum quod gratis cõfertur, sed donum quod gratis confertur in vtilitatem &

Argumẽto rũ solutio. Ad primũ & secundũ.

Ad tertiũ.

Ad quartũ.

commodum aliorum. Hæc de confutatione argumentorum.

An Deus propriè debeposit, & obligari.

¶In solutione secundi argumenti dicit Diuus Thomas vnam sententiam, quæ de se magnam mouet dubitationem: dicit enim, quòd Deus propriè nulli debet, & quòd nemini obligatur: cui consonat illud Diui Augustini loquentis cùm Deo, Reddens debita nulli debens: sed quomodo quadret cum prædicta sententia, quòd vir iustus meretur coram Deo de iustitia vitam æternam, non facilè explicatur. Nam si meretur illam de condigno, & de iustitia; ergo si Deus non reddit, & persoluit mercedem, iniustus erit: debet igitur de iustitia mercedem. Et augetur ratio dubitandi. Nam Christus Dominus, vt habet Theologorum vera ac sana doctrina, de omni rigore iustitiæ meruit apud Deum, & satisfecit de condigno, non solùm ad æqualitatem, sed & superabundanter pro peccatis generis humani: cum quo nullo modo cohærere videtur, quòd Deus de iustitia non obligetur eius satisfactionem acceptare, neque præmium persoluere. Sanè si iustitia expostulat, quòd pater reddat præmium pro meritis, iniustitia erit, & inæqualitas non reddere; vnde debet reddere, & obligatur persoluere. Magna sunt hæc argumenta fateor, sed quæ, donec tractetur de bonorum operum meritis, dissolui nequeunt; & ideò differetur illorum confutatio vsque ad quæstionem vltimã huius partis, in qua de merito inuestigatur.

ARTIC. SECVNDVS.

¶Vtrùm gratia conuenienter diuidatur in operantem, & cooperantem.

SVMMA TEXTVS.

VT ea quæ hîc ab autore dicuntur, plenè intelligantur, nonnulla principia ex Diuo Thoma sunt statuenda, ex quibus conclusiones facilè educuntur. Primũ enim statuendum est, quòd gratia vno modo accipitur pro diuino auxilio, quo Deus mouet nos ad bene agendum, & volendum: & alio modo pro habituali dono nobis diuinitus infuso: & vtroque modo gratia dicta conuenienter diuiditur per operantem, & cooperantem. Pro quo statuitur secũdum principium. Operatio, inquit diuinus Doctor, non tribuitur mobili, sed mouenti: in illo ergo effectu, in quo mens nostra est mota & non mouens, sed solus Deus mouet, operatio attribuitur Deo; & secundùm hoc gratia dicitur operans: in illo autem effectu, in quo mens nostra mouet & mouetur, operatio non solùm tribuitur Deo, sed etiam animæ; & secundũ hoc gratia dicitur cooperans. Vt autem intelligat Theologus, in quo effectu anima nostra se habeat vt mota tantùm, & in quo se habeat etiam vt mouẽs, statuit Diuus Thomas tertiũ principium. Duplex enim est in nobis actus. Primus est interior voluntatis: & quantum ad istum actum se habet volũtas vt mota, & Deus vt mouens, maximè cùm voluntas incipit velle bonũ, quæ priùs volebat malum: & ideo secundùm quòd Deus mouet humanam mentem ad hunc actum, dicitur gratia operans. Sed est alius actus exterior, qui à voluntate imperatur, & ideo operatio tribuitur voluntati: sed quia ad hunc actum etiam Deus nos adiuuat, interius voluntatem confirmando, & exterius facultatem operandi præbendo, respectu huius actus dicitur cooperans. His constitutis est prima Conclusio. Si gratia accipiatur pro gratuita Dei motione, conuenienter diuiditur per operantem, & cooperantem.

Prima cõc.

rantem. Nam si consideratur gratuita Dei motio, qua ratione nos mouet ad operandum, dicitur gratia operans: si verò consideratur qua ratione voluntas humana, gratuita Dei motione adiuta, exequitur bonum opus, dicitur gratia cooperans. ¶ Secunda Conclusio. Si gratia accipiatur pro habituali dono diuinitus infuso, sic est duplex effectus gratiæ, sicut & cuiuslibet formę: quorum primus est esse, secundus operatio. Vnde habitualis gratia, in quantum animam sanat, & iustificat, siue gratam Deo facit, dicitur gratia operans; sed in quantum est principium operis meritorij, quod procedit à libero arbitrio, dicitur gratia cooperans. Vnde gratia operans, & cooperans potest esse eadem, sed distinguitur secundùm diuersos effectus.

Secũda cõ.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Difficilis sentẽtia D. Thom. qua dicit, volũtatẽ nostrã cum desetit malũ, & vult bonũ, tantum habere se vt motam.

MAgnũ est explicare, quid est quod dicit Diuus Thomas, quòd in actu voluntatis, quo vult bonum, & deserit malum, se habeat tantùm vt mota, & non vt mouens. Ex quo colligit Diuus Thomas, quòd in actu interiori voluntatis est gratia operans, non cooperans: hoc videtur difficile ad explicandum. Nam quando Deus mouet voluntatem humanam ad aliquem actum interiorem, voluntas nostra non se habet tantùm vt mota. Quod ostendo argumẽtis exploratę efficacię, vt videtur. ¶ Actus enim interior voluntatis; vt, volo amare Deũ; volo deserere peccatum; est actus productus ab ipsa voluntate, tanquam à principio effectiuo: ergo voluntas habet se vt mouens, non tantùm vt mota.

Primũ arg.

Secundum

¶ Deinde, actus interior voluntatis, quo voluntas incipit velle bonum, est actus liber, non solùm quantum ad exercitium, sed etiam quãtum ad specificationem, vt planè constat: ergo voluntas liberè elicit actum illum: non ergo se habet tantùm vt mota.

¶ Tertiò sic. Nam motus proprius voluntatis est, quando ex volitione finis se mouet ad eligenda media: sed voluntas quando incipit velle bonum, & deserere peccatum, & dolere de eo, eligit dolorem propter finem, nempè vt satisfaciat Deo, & redeat cum illo in gratiam. ¶ Sed ex hoc articulo alia insurgit dubitatio. Nam certè Diuus Thomas, si rectè expendatur, non planè & dilucidè nobis explicauit, quid sit gratia operans, quid verò gratia cooperans. Vnde nonnulli ex doctrina huius articuli decepti arbitrantur, quòd in effectu gratiæ operantis mens nostra nihil agit, sed se habet veluti inanime organum, quod tantùm mouetur, & nullo modo mouet. Vt ergo veritas elucidetur, intelligendum est, quòd hic articulus positus est à Diuo Thoma ad exponendum Diuum Augustinum, qui in libro de gratia & libero arbitrio vtitur hac diuisione, quam etiam Diuus Augustinus ingeniosè, & acutè excogitauit, vt exponeret sacra Concilia, quæ ad explicandam Dei gratiam in hunc modum loquuntur; Multa bona operatur Deus in homine, quæ non facit homo; nulla verò facit bona opera homo, quæ non facit Deus vt faciat homo: qua in sententia apertissimè explicatur, quid sit gratia operans, & quem effectum habeat; quid rursum sit gratia cooperans, & quod sit eius officium. Gratia operans est, cùm mouetur homo à Deo, & excitatur, ipso homine nihil operante; vt cùm prædestinatur, cum excitatur, illuminatur, vocatur, quando Deus stat ad ostium & pulsat, ipso homine nihil de hoc cogitante. Gratia cooperans, quando Deus sic concurrit cum homine, vt etiam eius consensum, & comitem voluntatem requirat; veluti cùm mouet hominem vt pœniteat, vt amet, & diligat. Hæc est aptissima huius diuisionis expositio. Sed tamen magis cõgruit, tum Diui Augustini, tum Diui Thomæ sententiæ, si dicamus, quòd etiam in prima iustificatione, & conuersione peccatoris locum habeat gratia operans, atque etiam in multis alijs operibus, in quibus nostræ voluntatis consensus est perneccessarius. Quod vt rectè & verè intelligatur, animaduertendum est, quòd distinctio gratiæ, in operantem, & cooperantem, siue in præuenientem, & subsequentem, in sanctis literis expressa est, vt in Psalmo: Et misericordia eius præueniet me: & Misericordia eius subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ. Deus enim nolentem præuenit vt bene velit, & volentem subsequitur ne frustra velit, sed vt perficere valeat. Operans ergo gratia est, quæ præuenit, ac præparat voluntatem, non vt fiat voluntas;

Tertium.

Augustin.

Gratia operans, & cooperãs quid.

Psal. 58. Psal. 22.

tas; quia & ante hanc gratiam voluntas iam erat: sed vt voluntas bona fiat, & quæ priùs erat serua peccati, liberetur. Cooperans gratia est, quæ voluntatem iam bonam factam subsequitur, vt quod iam vult bonum, perficere possit. Nam voluntas hominis, quam homo naturaliter habet, non valet erigi vt bonum efficaciter velit, vel opere adimpleat, nisi per gratiam liberetur, & adiuuetur, iuxta Pauli sententiam; Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei; hoc est, non est volentis bene velle, neque currentis currere, sed miserentis Dei, qui operatur in nobis velle, id est, vt assentiamur vocanti; & currere, hoc est, vt operemur pro sua bona voluntate. Hæc doctrina est Diui Augustini: ex qua facilè est intelligere, quemadmodum etiam in ipsa iustificatione hominis, & conuersione voluntatis habeat locum & gratia operans, & cooperans: quod diligentiùs ad huc conabor explicare. Gratia operans, siue præueniens duplex est. Vna, qua præuenit peccatorem vt resurgat: Altera, qua peccator præuenienti Deo assentiens iam resurgit. Vtramque voluntatem præuenit Deus, sed priorem subministrando solus operatur sæpenumero: dum immittit in corda nostra bonum cogitatũ, & excitat nos. In altera, voluntas nostra Deum præuenientem subsequens ei per velle seu assensum cooperatur, dum excitata & mota à Deo incipit bene operari. Verùm illa prior gratia, qua Deus hominem præuenit, & incitat vt resurgat, iterum duplex est. Vna generalior, quæ est bonus motus, bonaque cogitatio; veluti cùm peccator Deo inspirante cognoscit peccatum suum, & cum terrore gehennæ conuertitur, & contremescit, etiam de amittenda æterna beatitudine dolet: Altera specialior est, & tot habet species, quot sunt species boni motus ad resipiscendum; veluti sunt auditio verbi Dei, immissio aduersitatis, quæ ferocientis hominis animum deijcit, & ad Deum respicere facit, remotio occasionis peccandi, ablatio, seu debilitatio tentationis, & id genus alia. Illa generalior nulli hominum vel sceleratissimo deesse cognoscitur: nulli enim hominum, dum in hac vita superstites sumus, hanc gratiam penitus subtrahit: nam per hanc stat ad ostium, & pulsat, initium nostræ salutis, quæ est peccati cognitio, in nobis operari desiderans. Quòd autem gratiam specialiorem omnibus peccatoribus Deus nõ impartiat, in causa est peccatoris induratio, gratiam illam communem seu generalem negligentis, de quo alio in loco memini me copiosiùs dixisse. Sed nos ad nostrum propositum reuertamur, vt ostendamus, quemadmodum cùm homo iustificatur, sit gratia operans. Certè gratia præueniens, siue operans, qua Deus hominem incitat vt iustificetur, gratia est eximia; sed non sufficit, nisi accedat gratia iustificans, quæ voluntatem sanat, & sola facit vt rectè viuatur. Ad hanc gradibus quibusdam peruenitur, quos omnes ad gratiam operantem, siue præuenientem referre rectè possumus. In primis, cùm non simus sufficientes ne aliquid quidem cogitare quasi ex nobis, Deus initio bonam cogitationem inspirat, qua Deum respicere, & peccatum nostrum agnoscere incipimus; quam solus Deus in nobis operatur, nec nobiscum: quia ad eam habendam nihil facimus, sed eam merè gratis nobis immittit, dum peccatum nostrum oculis nostris opponit. Hæc cognitio magis intellectu quàm affectu perficitur: præuolat intellectus, sed sequitur tardus, aut nullus affectus: subsequitur nonnunquam in anima adiuuante sensim gratia, vt cupiat desiderare. Hoc autem votum quo cupimus desiderare, est quædam voluntatis præparatio, quæ fidem iustificantem præcedit: quæ voluntatis præparatio, sua quidem opera habet; quæ tamen sunt merè Dei dona, iustificationem antecedẽtia. Nam homo cùm agnoscit peccatum suum, cùm pœnæ grauitatem mente reuoluit, incipit temperare à malitia, gemere, lachrymari, restituere alienum, facere eleemosynam de proprio, sitire iustitiam, eamque precibus apud Deum ambire satagit. Hæ cordis præparationes, ac voluntatis conatus, ac studia ad pietatem, nemo negauerit bona esse, & eum hominem talibus votis æstuantem quodammodo bonam voluntatem habere; tamen non est illa bona voluntas, qua rectè viuitur. Nam vt Augustinus ait in epistola ad Anastasium, sine spiritu non est voluntas hominis libera ad bonum, nisi liberata fuerit; non autem liberatur nisi per Spiritum sanctum diffundatur charitas in cordibus nostris, quæ est gratia præueniens, & iustificans, qua voluntas sanatur, vt sanata Dei adiutorio adimpleat legem. Hanc autem gratiam iustificantem voluntas nostra comitatur, ac veluti pedissequa subsequitur: non quidem tempore, sed ordine naturæ. Itaque velle pœnitere, velle resipiscere, velle accipere remissionem peccatorum, non est à sola voluntate, sed illud nobiscum operatur Deus, dum immutando maleuolam voluntatem, eam facit beneuolam, & suæ voluntati consentientem. Vnde volũtatem quidem nostram Deus immutat gratia sua operante, & præueniente; & sic operatur in nobis velle: sed tamen quia volũtas inuita mutari nequit, Deo coope-

Aug. in Enchi. c. 31. & 32.

August.

ratur,

ratur, dum ei consentit. Ex quibus consequitur, hominem iustificari non posse, nisi voluntas eius Deo iustificanti, ac sananti accedat, & eius gratiam sibi oblatam libenter suscipiat, amplectaturque. Itaque gratia iustificans, quatenus sanat animam, & voluntatem nostram facit benevolam, gratia præveniens est: quia tamen non fit sine voluntatis nostræ assensu, ex voluntate Dei in nobis inchoat meritum bonorum operum, pro quo reposita est nobis corona iustitiæ: & sic gratia cooperans dici potest. De gratia autem cooperante, & subsequente dixit Apostolus, Gratia autem Dei sum, id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboraui: non autem ego, sed gratia Dei mecum, id est, quæ mecum est, vel quæ mihi adest. In quo agnoscere potes humanam voluntatem simul adnitentem, & cooperantem diuino auxilio: ait enim se non passum Dei beneficientiam in se otiosam, aut sterilem esse; proinde in iustificatis voluntas non est in pijs actionibus otiosa. Vnde Paulus quemadmodum vbique gratiam Dei, & Spiritus sancti auxilium quàm maxime amplificat, quod est gratia præveniens, siue operans; ita simul acuit diligentiam nostram, iubens cauere, ne frustra gratiam Dei recipiamus, sed pro virili adiuuante gratia quotidiè crescamus, & proficiamus. Sed iam tempus est vt argumenta in principio posita confutemus: nam rei veritas iam satis prolixè explicata est. ¶ In confutationem verò argumentorum in primis illa sententia reijcienda est, & improbanda, quæ asserit, nostras actiones, & studia, quibus ad gratiam præparamur, proficisci tantùm à gratia, & non à libero arbitrio. Hæc enim sententia, vt prætermittam quòd sit hæretica, stulta est, & omni rationi aduersaria: nam prædictæ actiones sunt operationes vitales, vt credere, sperare, amare: vnde necesse est, vt à principio vitali, nempe à libera voluntate, & libero arbitrio prodeant. Sed & illud animaduersione dignũ est in primis, quòd vt res aliqua se moueat, non satis est vt concurrat efficienter ad actionem, & eam producat; siquidem ignis concurrit efficienter ad calefaciendum, & aqua concurrit efficienter ad motum in locum inferum: nihilominus si vera sunt quæ Physici dicunt, in istis operibus non se mouent, sed mouentur à generante qui dedit talem inclinationem, & propensionem. Sanè intellectus in prima intellectione non se mouet, alioqui esset processus in infinitum in nostri intellectus actionibus. Ex quo colligunt efficaciter Theologi, oportere omnino deuenire ad primam intellectionem ab autore naturæ inditam, & infusam. Certè voluntas nostra in appetitione, qua appetit beatitudinem, & bene se habere, non se mouet: ad hanc enim appetitionem natura trahitur, non proprio motu eam acquirit. Ex quo colligunt viri sapientes, & rectissimè quidem, quòd voluntas tunc propriè se mouet ad amãdum, vel odiendum, quando ex appetitione finis, ad quem ex natura inclinatur, determinat se per deliberationem, & consilium ad eligenda media ad illum finem ducentia: verùm in appetitione finis potiùs à natura mouetur. Si enim exquiras ab homine, quis mouit illum, quisve persuasit, vt velit beatitudinem, aut recte valere? statim respondebit, se ad hoc nulla persuasione nullave motione, aut deliberatione opus habere. Si verò quis interroget, quis te mouit, aut incitauit vt rebus bellicis operam dares, vel vt religionis habitum susciperes? continuò respondebit, quoniam ad beatitudinem, & gloriam consequendam hoc medium iudicaui ac deliberaui esse consentaneum. Hæc verò quæ dicta sunt, si non inscitè ad nostram causam applicaueris, conspicies facilè quàm vera sunt quæ hîc dicit Diuus Thomas, quàmque facilè argumenta proposita dissoluãtur. Quando enim Deus gratia sua præueniente auertit hominis voluntatem à malo, & conuertit in bonum, est gratia operans, licèt requiratur assensus nostræ voluntatis, & subsequatur voluntas nostra tanquam pedissequa: nam in hac conuersione potiùs voluntas mouetur, quàm se moueat, quanquàm liberè consentiat: trahitur enim voluntas virtute gratiæ: sed cùm homo iam habens benevolam voluntatem & sanatam, operatur ex gratia, iam est gratia cooperans, si quidem homo gratia præuentus iam se mouet.

¶ Ad vltimum aduertat Theologus, quòd idem opus secundùm diuersam considerationem potest esse gratia operans, & gratia cooperans. Nam vltima dispositio ad gratiam, videlicet pœnitentia, si consideretur vt antecedit gratiæ iustificantis infusionem ordine naturæ, dicitur gratia operans, & præueniens: sed si consideretur quatenus est effectus qui subsequitur gratiam iustificantem, & est meritum vitæ æternæ, est gratia cooperans, siue subsequens. Hoc documentum acceptum est ex Diuo Thoma hîc solutione ad tertium, cùm dicit, quòd eadem gratia, secundùm diuersas considerationes, est gratia operans, & cooperans. Idem insinuat quæstione. 112. articulo secundo. Ex his facilè erit obiectionibus, & argumentis propositis satisfacere. ¶ Nam ad primum, & ad secundum

Paulus. 1. Cor. 15.

Argumẽtis propositis respõdetur

D. Tho.

Ad primũ & secundũ.

secundum dicendum, quòd ex eis tantùm habetur, quòd hominis voluntas à Deo adiuta producat efficienter actum quo deserit peccatum, & Deum amplectitur: ex hoc verò non sequitur, quòd in illo actu se moueat, vt satis prolixè explicatum dedimus. ¶ Ad tertium argumentum dicendum est, quòd quando dicit Sanctus Thomas, quòd voluntas humana respectu actus interioris se habet vt mota, & non vt mouens, non est intelligendus de omni actu voluntatis interiori, sed debet intelligi respectu alicuius actus interioris: sic explicat Dominus Caietanus hîc, & dicit quòd diuinus Doctor se remittit ad ea quæ dicta sunt suprà quæstione. 9. articulo. 4. quo in loco elucidatum est, quemadmodum voluntas ad primum actum se habet vt mota, non vt mouens; Deus verò se habet vt mouens. Obseruat tamen Caietanus, & rectissimè admonet quòd per primum actum non intelligitur solus ille, quem habuit voluntas ante omnem actum à principio, sed etiam intelligitur ille actus, quem habet absque præuio consilio, & deliberatione præcedenti: & hoc significat Diuus Thomas, cùm dicit in articulo, præsertim quando volũtas incipit bonum velle. Vel dicat Theologus, quòd semper in prima conuersione peccatoris cùm infunditur gratia iustificans, habet locum gratia operans, tametsi peccator quodammodo videatur se mouere ex quadam præconsultatione, & deliberatione ad pœnitentiam agendam, vt argumentum adductum probare videtur. Pro quo animad uertendum est, quòd actus charitatis, aut pœnitentiæ primus, ac quiuis alius supernaturalis, qui tamen liber sit, dupliciter potest considerari. Vno modo, vt elicitus ab ipsamet potentia voluntatis, quantum ad substantiam operis: Alio modo, vt excedens facultatem naturæ. Si primo modo consideratur, satis liquet, quòd non est à gratia operante, neque cooperante, sed est à voluntate circa suum obiectum, vel ex viribus naturæ productus. Cæterùm si secundo modo consideretur, est quidem à voluntate efficienter: voluntas enim est quæ diligit. Sed quia ad talem actum dilectionis, tametsi voluntas liberè diligat, non se applicat, neque determinat ex aliquo principio creato, sed potiùs determinatur ex diuina motione, ideo vocatur gratia operans, & non cooperans: quia non est in nobis aliqua virtus, per quam operemur ante illam motionem; postmodum verò iam iustificatus homo, & habens habitus diuinitus infusos gratiæ, & virtutum, consideratur iam vt existens in actu, & vt habens vim ad operandum, & vt mouens in ordine ad alios actus, etiam interiores, vel ad continuandum præcedentes. Vnde idem actus potest esse à gratia operante, & cooperante: à gratia quidem operante, in initio: à gratia verò cooperante, in prosecutione, & continuatione. ¶ His rectè consideratis, ad tertium argumentum respondetur, quòd contritio in momento iustificationis est præparatio & dispositio ad gratiam iustificantem; non prout est ex nobis tantùm, sed prout ab speciali auxilio, & ab autore gratiæ mouente, & mutante humanam voluntatem: & ideò propriè homo non se mouet ad talem contritionem, sed mouetur à Deo; quamuis quantum ad substantiam operis potest concedi quòd homo se mouet. Vel dicatur, quòd gratia iustificans, quatenus sanat animam, & beneuolam facit voluntatem in ordine ad Deum, est gratia operans; quatenus verò est principium bonorum meritorum, & inchoat meritum, dum dolet propter Deum, & in satisfactionem suorum delictorum, est gratia cooperans. Ex his facilè est explicare, quemadmodum gratia operans non necessitat voluntatem. Neque propterea dicitur operans, quia sæpenumero non requirat assensum voluntatis, sed dicitur operans, quia ab ea est initium motus, & subsequitur nostra voluntas quasi pedissequa: de qua re legendus est omnino Pater Soto libro. 1. de natura & gratia capitulo decimosexto, quo in loco explicat optimè, quomodo gratia operans eliciat actum internum, & gratia cooperans actum externum. Vocat autem Diuus Thomas actũ externum, actum imperatum à voluntate sanata, & per gratiam rectificata. Hæc de isto articulo.

Ad tertiũ.

Caiet.

Dupliciter potest actus supernaturalis considerari.

Ad 3. explicatior solutio.

Pater Soto.

ARTIC. TERTIVS.

¶ Vtrùm gratia conuenienter diuidatur in gratiam præuenientem, & subsequentem.

SVMMA TEXTVS.

Concluſio.

Pſal.

Concluſio est affirmãs, & est expressa in sancta scriptura in Psalmo; Et misericordia eius præueniet me, & misericordia eius subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ. Diuiditur sanè gratia in præuenientem, & subsequẽtem, secundùm diuersos effectus.

Nam

Nam quinque sunt effectus gratiæ in nobis; quorum primus est vt anima sanetur; secundus vt bonum velit; tertius vt bonum quod vult, efficaciter operetur; quartus vt in bono perseueret; vltimus vt ad gloriã perueniat. Quare prout in nobis causat primum effectum, gratia vocatur præueniens respectu secundi effectus: & prout causat secundum, vocatur subsequẽs respectu primi effectus.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Idẽ est gratia operans & cooperans, quod gratia præueniens & subsequẽs.

Hic articulus satis prolixè explicatus est in præcedenti. Nam, mea sentẽtia, gratia operans idem est secundùm rem, atque gratia præueniens: & gratia cooperans idem est atque gratia subsequens: differunt tantùm secundùm considerationem. Illud tamen aduertat Theologus, quòd in hac diuisione nomen gratiæ comprehendit & gratiam acceptam pro dono habituali diuinitus infuso, & pro gratuita Dei motione; ne quis existimet, quòd tantùm fiat sermo de gratia habituali.

ARTIC. QVARTVS.

¶ Vtrùm gratiæ gratis datæ conuenienter numerẽtur ab Apostolo. 1. Cor. 12.

1. Corin. 12

SVMMA TEXTVS.

Conclusio.

Conclusio affirmat quòd Diuus Paulus conueniẽter numeret gratias gratis datas, per quas homo alteri cooperatur vt in Deum reducatur; nõ interius mouendo, sed exterius ducendo, & persuadendo. Vnde ea sub se hæc diuisio cõtinet, quibus homo indiget ad hoc quòd alterũ instruat in rebus diuinis, quæ sunt supra rationem.

EXPLICATIO ARTICVLI.

D. Tho.

Quomodo in particulari gratiæ gratis datæ conuenienter enumerẽtur à D. Paulo, latè reddit rationem D. Thomas in litera; præcipuè verò in commentarijs in Paulum. 1. Cor. 12. qui cupit plura videre, legat apud autorem, nos ad maiora proficiscamur. Certè quanquam diligentiã, & acumẽ D. Thomæ in hac parte ego & veneror, & exosculor, qui tã acutè per singulas partes omnia diuidat, & in portiones distribuat; suspicor tamen quòd Diui Pauli propositum non fuit in loco commemorato omnes gratias gratis datas, quibus dotat Deus Ecclesiæ suæ ministros, connumerare; sed satis habuit præcipuas commonstrare: quemadmodum non numerauit omnes Ecclesiæ administros, sed præcipuos, cum inquit; Alios quidẽ dedit Apostolos, Prophetas, Doctores: sed Theologus fruatur diligentia D. Thomæ, quam suspicio, & exosculor.

ARTIC. QVINTVS.

¶ Vtrùm gratia gratis data sit dignior gratia gratum faciente?

SVMMA TEXTVS.

Conclusio.

Conclusio sic habet. Inter gratiam gratum facientem, & gratiã gratis datam dignior est gratum faciens, & multis titulis præferenda: quia tantò vna virtus dicitur excellentior, quantò ad altius bonum ordinatur: finis autem potior semper est his quæ sunt ad finem: at gratia gratum faciens ordinat immediatè hominem ad coniunctionem finis: gratiæ verò gratis datæ ordinant ad quædam præparatoria ad vltimũ finem; sicuti per miracula, & prophetias, & similia homines inducuntur vt vltimo fini se iungant. Et ideo gratia gratum faciens est multo excellentior.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Videbitur fortasis alicui, quòd sint quædam gratiæ gratis datæ, quæ possunt de dignitate cum gratia gratum faciente inire certamen: In primis, visio beata, quæ est vita æterna, excellen-

excellentior eſt; ſiquidem perfectiùs nos coniungit Deo. Deinde, gratia vnionis in Chriſto Domino eſt gratia gratis data; quæ tamen multis titulis præſtantior exiſtit quàm omnis gratia gratum faciens; ſi quidem per illam efficitur quòd homo ſit filius Dei naturalis, per iſtam filius adoptiuus. Hæc argumenta habent duplicem ſolutionẽ, ſicut ſuprà inſinuatum eſt. Altera eſt, quòd Diuus Thomas loquitur de gratia creata, & de gratia inchoata, qualis in hac vita, & in hoc peregrinationis regno ſolet exulibus & peregrinis cõcedi: at gratia vnionis eſt gratia increata, & viſio beata eſt gratia conſummata, & gratia quæ ſolùm in beatitudinis regno ſolet impartiri, & diſtribui. Altera ſolutio habetur ſuprà articulo primo.

QVAESTIO CXII.

De cauſa gratiæ; in quinque articulos diuiſa.

ARTIC. PRIMVS.

¶ Vtrùm ſolus Deus ſit cauſa gratiæ?

SVMMA TEXTVS.

Prima cõc. PRima Cõcluſio. Solus Deus eſt cauſa principalis gratiæ: nam cùm gratia excedat facultatem omnis naturæ creatæ, non poteſt dari niſi à ſolo Deo: eſt enim quædam participatio diuinæ naturæ, quæ omnem aliam naturã excedit; & humanitas Chriſti nõ cauſat illam propria virtute, ſed virtute diuinitatis adiunctæ. Sacramenta autem cauſant illam inſtrumentaliter, principaliter verò per operationem Spiritus ſancti in ipſis: Angeli verò purgant, & illuminãt per modum cuiuſdam inſtructionis, non autem iuſtificando per gratiam. Ex his ſequitur aper-

Secũda cõ. tè ſecunda Concluſio. ¶ Cauſa inſtrumentaria gratiæ eſt humanitas Chriſti, atque etiam ſacramenta.

EXPLICATIO ARTICVLI.

DE cauſis gratię breui ſermone ediſſerendum, quas enumerabimus, ſequentes Concilij Tridentini definitionem, quod in Seſſ. 6. ca. 7. de cauſis gratiæ iuſtificantis grauiſsimè ſtatuit: Finalis cauſa gratiæ eſt gloria Dei, ac Chriſti, & vita ęterna: efficiens verò, miſericors Deus, qui gratuitò abluit, & ſanctificat, ſignãs, & vngens ſpiritu ꝓmiſsionis ſancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ. Ego ſum, ego ſum, inquit ipſe Dominus, qui deleo iniquitates tuas propter me. Narra ſi quid habes vt iuſtificeris. Eſai. 43. Deus eſt qui iuſtificat, & quos vocauit, hos & iuſtificauit ad Rom. 8. Gratiam & gloriam dabit Dominus, inquit Pſalmographus. Certè Roma. 8. Pſal. Deus eſt qui operatur in nobis fidem, ſpem, dilectionem, cordiſq; immutationẽ, quibus præparamur à Domino ad gratiam iuſtificantem ſuſcipiendam. Infundit inſuper nobis pretioſa illa dona, quibus efficitur in nobis cor nouũ, ſpiritus nouus, nouaque creatura ſecundum Deum. At gratia eſt qua efficitur homo noua creatura, habens eſſe quoddam ſupernaturale & participium, & conſortium diuinæ naturæ. Sed nõ deſunt neotherici Theologi, qui illud teſtimonium adductum ex Pſalmo (Gratiam & gloriam dabit Dominus) calumnientur, vt infirmum, & inualidum ad noſtrã aſſertionẽ perſuadendam. Dicunt enim, legitimum illius loci commentarium eſſe, non de gratia ſupernaturali, neq; verò de gloria ęterna; ſed de gratia, & honore huius vitæ, vt ſit commẽtarius; Deus ſuis in hac vita & gratiã, & honorẽ dare ſolet. Sed hic cõmentarius Iudæorũ carnaliũ eſt, qui in diuinis literis veteris teſtamenti nihil, quod ad vitam beatam, & æternã ſpectat, intelligere poſſunt: nos verò qui de vita ſpirituali, & de vita æterna præcipuè illum locum intelligimus, edocti à Chriſto, ſenſum D. Thomæ, & ſanctorum Patrum, relictis Hebraizantium ſomnijs, lubenter amplectimur; ex quo manifeſtè colligitur, Deum gratię eſſe cauſam efficientem præcipuam: cauſa autẽ meritoria, dilectiſsimus filius Dei vnigenitus Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui cùm eſſemus inimici, propter nimiam charitatẽ qua dilexit nos, ſua ſanctiſsima paſsione in ligno crucis nobis iuſtificationem meruit, & gratiæ reconciliationem, & pro nobis Deo patri ſatisfecit. Sed & multis alijs modis Chriſtus Dominus gratiæ iuſtificantis exiſtit cauſa; ſicut cauſa ſine qua non; ſicut cauſa exemplaris; imò verò ſicut cauſa efficiens, non vtique principaliter, ſed per modum inducentis, & impellẽtis principale agens ad effectionem noſtræ iuſtitiæ, & gratiæ iuſtificantis. Primum habes Ioan. 15. Ioan. 15.

Expoſitio aliquorum Iudaizãtiũ.

Quomodo Chriſtus Dominus ſit cauſa gratiæ.

dicente

dicente Domino ; Sine me nihil potestis facere ; quod & apta quadam parabola ibidem probat. Secundum ; videlicet iustitiam Christi esse exemplar primarium nostræ iustitiæ, & gratiæ. Probatur : quoniam qui dicit se in Christo manere, debet sicut ipse ambulauit, & ipse ambulare, primæ Ioannis secundo. 1.Ioan.2. Rursus, Christus passus est pro nobis, inquit Petrus, vobis relinquens exemplum vt sequamini vestigia eius : & tota scriptura Euangelica nihil aliud agit, quàm quòd proponat Christum in actionibus suis, & iustitijs imitandum. Tertium verò licet sic probare ; quoniam sicut Apostolus docet ad Hebræos capitulo septimo & nono, Christus ascendit in cœlum vt appareat nunc vultui Dei pro nobis semper viuens ad interpellandum pro nobis : ad interpellandum, hoc est, vt sua iustitia præsentata veluti interrumpat conceptam indignationem Dei aduersus genus humanum ; quæ indignatio intelligitur in nomine, vultus ; iuxta illud, Vultus autem Domini super facientes mala: atque hoc est quod Propheta rogat dicens; Protector noster aspice Deus, & respice in faciem Christi tui ; id est, in iustitiam Christi, in quo gratificati sumus coram Deo; de quo dixit Pater cœlestis, Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui ; id est, in quo vniuersi, qui mihi placent, gratificantur ; vel in quo placatus sum : hic enim est propitiatio pro peccatis nostris. Heb.7.& 9.

Causa instrumentalis gratiæ. Sed de causa exemplari motiua meritoria gratiæ satis dictum est. Causa instrumentaria gratiæ non solùm est sacramentum baptismi, verùm etiam omnia alia sacramenta à Christo Domino instituta, quæ virtute Passionis Domini nostri Iesu Christi in nobis gratiam causant, augent, conseruant, & continent.

Pri. obiect. de virtute sacramentorum. ¶ Sed videtur profectò, quòd sacramenta gratiam non causent. Nam gratia creatur in anima ; at nulla creatura potest assumi vt creationis instrumentum, vt efficaciter probat Diuus Thomas, prima parte, quæstione quadragesimaquinta, articulo quinto : ergo sacramenta non possunt gratiam causare. Quòd verò gratia creetur in anima, sic ostendo. Nam gratia non educitur de potentia animæ, cùm sit forma supernaturalis: ergo venit de foris; creatur itaque sicut rationalis anima. D. Thom.

Secunda. ¶ Deinde, gratia producitur in instanti, vt planè constat : at operatio sacramenti sensibilis fit in tempore, & requirit tempus vt existat : ergo non potest causare gratiam.

Ad hæc argumenta depellenda non est necesse afferri à nobis omnia quæ traduntur à Theologis, cùm de causalitate sacramentorum tractant, breuius enim faciliusque confutabuntur.

Ad primam obiect. Gratia non propriè creatur. ¶ Nam ad primum duo sunt dicenda. Alterum est, quòd gratia non propriè creatur : nam creari, sicut generari, est subsistentium ; accidentia verò sicut propriè non generantur, sic neque propriè creantur : doctrina est Diui Thomæ in hoc articulo ; quo dicto continuò labefactatur argumentum propositum. Sed & alia via potest confutari præsens argumentum, si dicamus ; quòd gratia educitur de potentia animæ. Nam illa forma educitur de potentia subiecti, si vera dicunt Physici, quæ dependet in esse & in conseruari à subiecto ; huius generis est gratia ; quæ accidens cùm sit, ab anima dependet, tum in fieri, tum in sui conseruatione ; non est igitur alienum à vera Theologia, asserere gratiam educi de potentia animæ obedientiali : ex quo consequens est, eam non creari. Alijs solutionibus solet dilui hoc argumentum à diuinis Theologis, cùm de sacramentis inuestigant, sed quæ à nobis adductę sunt solutiones, pro hoc loco, & tractatu satis erunt.

Gratia educitur de potentia animæ obediẽtali.

Ad secundã ¶ Ad secundum argumentum dicendum, quòd in vltimo instanti, quo desinunt verba prolata à ministro sacramentorum, quæ semper habent vicem formæ, infunditur, & causatur gratia. Quæ si obscurè dicta sunt, aduertat Theologus, non posse hîc de sacramentorum causalitate ad plenum sermonem haberi, nisi velimus extra chorum saltare. Præstabit certè ad aliam dubitationem explicandam accedere, quæ propriùs ad nostrum institutum pertinere videtur.

Vtrũ homo causa gratiæ dici possit. ¶ Sanè apparet, quòd homo suis operibus, quæ ex Dei adiutorio efficit, causet in se gratiam ; & sic videtur quòd homo ipse, qui ex Dei adiutorio se præparat ad gratiam suscipiendam per fidem, spem, pœnitentiam, & charitatem, debeat numerari inter causas gratiæ : vnde videtur concedendum, quòd homo ex Dei adiutorio præuentus, & excitatus, causet in se gratiam, & quòd se iustificet. Neque desunt in huius rei confirmationem argumenta probabilia.

Prim. arg. ¶ In primis, qui ponit vltimam dispositionem ad gratiam, facit hominem gratum : at homo qui per fidem, & spem, ac charitatem se conuertit in Deum, ponit vl-

timam dispositionem ad gratiam: ergo facit hominem gratum. Maior argumenti sic probatur: nam qui ponit vltimam dispositionem ad hominem, certè generat, & facit hominem; & sic in omnibus rebus naturalibus compertum est. Minor verò argumenti satis liquet, & quòd vltima dispositio ad gratiam sit pœnitentia, & vera ad Deum conuersio, & quòd hanc præparationem faciat homo diuinæ gratiæ subsidio præuentus.

Secundum.

¶ Deinde, quando homo crescit in charitate, & in bonis meritis, est causa augmenti gratiæ: vnde concedendum videtur, quòd sit causa gratiæ: ab eodem enim res augetur, & producitur.

Tertium.

¶ Deinde, actus supernaturales diuino auxilio producti maiorem proportionem habent cum gratia, quæ est forma supernaturalis & spiritualis, quàm sacramenta quæ sunt corporea, & sensibilia: sed sacramenta causant gratiam: ergo actus nostri ex supernaturali auxilio producti efficient gratiam. His argumentis nihil obstantibus, dicendum, nulla ratione posse concedi, quòd homo ipse præuentus à Deo, se iustificet, aut causet gratiam, aut dona diuinitus nobis infusa: propter quòd cùm definitur habitus infusus, sic dicimus; Est bona qualitas mentis, qua rectè viuitur, qua nullus malè vtitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur. Itaque opera & studia bona in argumentis commemorata, quæ præuenti ex adiutorio diuinæ gratiæ facimus, sunt præparationes quædam diuinitus nobis donatæ, quibus efficitur anima nostra apta & idonea vt recipiat gratiam iustificantem, diuinitus infusam ex dono Dei, quam Deus in nobis, sine nobis operantibus, non autem sine nobis consentientibus operatur. Pro certò igitur habeat Theologus, quòd iustitia nostra non potest dici ex nobis; ignorantes enim Dei iustitiam, & suam volentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti, inquit Paulus. Quemadmodum enim lutum se habet ad figulum in formatione vasis; ita se habet impius ad iustificatorem Deum in opere iustificationis. Lutum, quantumlibet præparatum, formam artis quam recipit, non ex se accipit, sed ex voluntate figuli: ita & peccator, quantumlibet se ad gratiam præparauerit adiutorio Dei, credendo, operando, pœnitendo, diligendo, non accipit illam neque ex se, aut propria virtute, sed ex virtute & operatione Dei intus abluentis, & infundentis gratiam: quam homo non magis efficit, aut creat in anima sua vllis suis operibus, quàm laborator inscius artis figulinæ, molliens & præparans lutum inducit formam artis; qui tamen, quoniam aptat materiam vasis formandis, ideò cooperari dicitur in opere artis: sic homo, quia verbo Dei, fide, pœnitentia, & dilectione præparat se ad suscipiendam gratiam, & iustitiam, ideo dicitur cooperari ad sui iustificationem; sed in genere causæ præparatoriæ. Quapropter neque ex nobis est iustitia nostra, qua iusti sumus coram Deo; neque tribui debet vllis operibus nostris, tanquam efficientibus illam: quod iam est satis demonstratum exemplo de luto adhibito: habesque aliud simile primæ Corinthiorum tertio: Ego plantaui, inquit Paulus, Apollo rigauit, sed Deus incrementum dedit; id est, non Paulus plantans, neque Apollo rigans dedit vobis incrementum iustitiæ, sed Deus. Simili modo dicere debemus, quòd peccator quidem se, fide, & spe conuertit ad Deum, diligit, pœnitet, supplicat, sed Deus est qui incrementum dat remissionis peccatorum, & salutis. Proinde longè est à vero vt gratia iustificans cadat sub merito actionis nostræ, prout iam demonstrauimus.

1. Cor. 3.

¶ Ad argumenta verò in oppositum in promptu sunt solutiones. Nam primum sic refellitur: dicet enim Theologus in primis, quòd illud axioma in argumento commemoratum, habet verum tantùm in formis naturalibus quæ ex ordine naturæ habent necessariam connexionem, & consecutionem cum vltima dispositione ab agente introducta: cæterùm non habet verum in formis supernaturalibus quæ desuper veniunt. Vel dicat Theologus, quòd homo qui dolet, qui resipiscit, & ad Deum conuertitur, non sua virtute ponit vltimam dispositionem, sed excitatus diuina gratia; propter quod dictum est in superiori quæstione, quòd conuersio & præparatio ad gratiam iustificantem est opus gratiæ operantis, non gratiæ cooperantis: in quo proinde opere potiùs homo mouetur, quàm se moueat, & agat. Vel dicito, quòd hæc præparatio, quam ponit homo diuina gratia præuentus, de se, & ex meritis suis non habet quòd sit vltima dispositio ad gratiam, ad quam ex necessaria connexione subsequatur

Ad pri. arg.

Nulla ratione homo est causa gratiæ.

Rom. 10. Optima similitudo.

quatur gratia; quin potiùs hoc habet ex acceptatione diuina: quod planè colligo ex Diuo Paulo dicente, Ei qui non operatur, credenti autem in eum qui iustificat impium, fides reputatur ad iustitiam: sermo est de fide formata; & dixit Paulus, quòd hæc fides ex Dei misericordia reputatur, & acceptatur ad iustitiam coram Deo. Rom. 4.

Ad secundū ¶ Ad secundum argumentum dicēdum, quòd quando crescit in bonis meritis, meretur vt Deus augeat gratiam, & dona sua, sed non est causa gratiæ. Est enim sententia ferè Theologorum omnium, quòd habitus diuinitus infusi augentur nostris operibus meritoriè, non efficienter: quæ sententia in materia de habitibus satis explicata est.

Ad tertium ¶ Ad tertium dicat Theologus, quòd actus supernaturales producti ex diuino auxilio habent quidem maiorem proportionem in essendo cum gratia, cæterum in causando longè maiorem obtinent sacramenta. Nam actus nostri, vt contritio, amor, & cætera id genus, sunt quædam præparationes liberi arbitrij ad recipiendam gratiam diuinitus infusam: sacramenta verò sunt quædam instrumenta viuifica ad gratiā conferendam.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ *Vtrùm requiratur aliqua præparatio ad gratiam ex parte hominis.*

SVMMA TEXTVS.

Prim. cōcl. PRima conclusio. Ad gratiam, quæ est habituale donum, præexigitur aliqua præparatio ex parte hominis: nulla enim forma potest esse nisi in materia disposita.

Secū. cōcl. ¶ Secunda conclusio. Ad gratiam, quæ est auxilium Dei mouentis ad bonum, nulla præparatio requiritur ex parte hominis, quasi præueniens diuinum auxilium; sed potiùs quæcunque præparatio in homine esse potest, est ex auxilio Dei mouentis ad bonum: & secundùm hoc ipse motus bonus liberi arbitrij, quo quis præparatur ad suscipiendam gratiam, est actus liberi arbitrij, moti & excitati à Deo, & à gratia præueniente: & quantum ad hoc dicitur homo se præparare, secundùm illud Prouer. 16. Hominis est præparare animum; & principaliter est à Deo mouente liberum arbitrium: & sic dicitur voluntas hominis præparari, & eius gressus dirigi à Domino. Pro. 16.

Tert. cōcl. ¶ Tertia conclusio. Præparatio, quæ est ad donum gratiæ habituale, nihil aliud est quàm motus liberi arbitrij moti à Deo. Sed obseruandum est, quòd est quædam præparatio ad gratiam simul cum infusione gratiæ; & talis operatio est meritoria, non gratiæ quæ iam habetur, sed gloriæ quæ non habetur. Est autem alia præparatio gratiæ imperfecta, quæ aliquando præcedit donum gratiæ habituale gratum faciens; & ista non sufficit ad meritum, nondum homine per gratiam iustificato; quia nullum meritum potest esse sine gratia. Illud etiam obseruare oportet, quòd non refert, vtrùm subitò, vel paulatim aliquis perueniat ad perfectam præparationem: contingit enim quòd quandoque Deus mouet hominem ad aliquod bonum, nō tamen perfectum; & talis præparatio præcedit gratiam: quandoque verò mouet perfectè ipsum ad bonum, & subitò accipit gratiam, vt Paulo Apostolo accidit, dum esset in progressu peccati; motū est enim cor eius, & statim gratiam est consequutus.

EXPLICATIO ARTICVLI.

DE necessitate præparationis ad gratiam in superioribus satis apertè, latè que edissertum est: sed libet hoc in loco subijcere sententiam & definitionem Concilij Tridentini, quæ sic habet in sexta sessione, canone quinto. Præterea ipsius iustificationis exordium in adultis à Dei per Christum Iesum præueniente gratia sumendum est; hoc est, ab eius vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur, vt qui per peccata à Deo auersi erant, per eius excitantem, atque adiuuantem gratiam ad conuertendum se ad suam ipsorum iustificationem, eidem gratiæ liberè assentiendo, & cooperando disponantur; ita vt tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens; quippe qui illam & abijcere potest: neque tamen sine gratia Dei mouere se ad iustificationem coram illo libera suæ voluntate possit: vnde in sacris literis cùm dicitur; Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos; libertatis nostræ admonemur: cùm respondemus; Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur; Dei nos gratia præueniri confitemur. Hæc concilium. Ex cuius definitione irrefragabili liquet esse veritatem diuinam & infallibilem quam hic definit Diuus Thomas in prima conclusione. Sed vt hæc veritas expendatur diligentiùs, argumentis eam concutiam.

Cõci. Trid.

D. Thom. cõcl. prim. discutitur.

Prim. arg. ¶ In primis; Paruulis in baptismo infunditur gratia absque aliqua eorum præparatione, aut dispositione.

Secundum. ¶ Rursus, Angelis collata est gratia in suæ conditionis primordio; Adamo etiam primo parenti, nec non & Christo Domino; in quibus omnibus nulla præparatio, aut dispositio præcesserit; quippe qui in primo instanti sunt iustificati, & gratiam habuerunt: falsa ergo est conclusio Diui Thomæ.

Exponitur conclusio. ¶ Hæc argumenta facillimè depelluntur, si animaduertamus sensum & mentem Diui Thomæ. Certè Diuus Thomas, vt ego iudico, in præsentia non loquitur nisi de præparatione ad gratiam in adultis; quod sanè Concilium expressè declarat, cùm dicit se loqui de exordio, & præparatione iustificationis in adultis: & sic primum argumentum obiectum de paruulis euidenter confutatur. Discipuli verò Diui Thomæ qui volunt interpretari Diuum Thomam, vt loquatur in vniuersum, bipartiti sunt. Nam Capreolus, Paludanus, Hispalensis, aiunt, quòd baptismus in paruulis imprimit characterem, qui est dispositio & præparatio ad gratiam; in iustificatis verò in vtero absque baptismatis sacramento dicunt Deũ imprimere, & infundere ornatum præparatorium ad gratiam. Sed hæc sententia iam ab omnibus gymnasijs explosa est. Alij verò dicunt (quorum sententia non est omnino improbanda) quòd quemadmodum adulti præparantur à Deo per proprium actum liberi arbitrij; sic paruuli præparantur ad gratiam per habitualem mutationem voluntatis, quæ auersa erat à Deo per peccatum. Et quemadmodum actus fidei, spei, & charitatis, sunt actuales quædam dispositiones ad gratiam suscipiendam; sic habitus fidei, spei, & charitatis sunt habituales quædam præparationes ad donum gratiæ suscipiendum: & sic sufficienter subuertitur primum argumentum.

Ad aliud, de angelis, & primis parentibus, atque adeò de Christo Domino, apertè & dilucidè respondemus, quod prædicti omnes per proprios actus sunt dispositi à Deo simul cum infusione gratiæ; quod latè demonstratum est prima parte, quæstione 62. Sed viso iam & explicato quemadmodum ad gratiam sit necessaria præparatio, superest vt exponamus, quæ nam sit hæc præparatio; & vtrùm sit meritoria vitæ æternæ? Et quidem illud primum quod exquiritur, disputabitur copiosissimè in quæstione sequenti, articulo tertio, nunc verò habeatur præ oculis sententia & doctrina Concilij Tridentini ex sessione sexta, canone sexto, vbi ità dicitur;

Ad secundũ An Angeli & primus parens receperint gratiã per dispositiones aliquas.

Cõci. Trid.

¶ Disponuntur autem ad ipsam iustitiam, dum excitati diuina gratia, & adiuti, fidem ex auditu concipientes, liberè mouentur in Deum, credentes vera esse, quæ diuinitus reuelata, & promissa sunt: atque illud in primis à Deo iustificari impium per gratiam eius per redemptionem, quæ est in Christo Iesu: & dum peccatores se esse intelligentes, à diuinæ iustitiæ timore, quo vtiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se conuertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tanquam omnis iustitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea mouentur aduersus peccata per odium aliquod, & detestationem, hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante baptismum agi oportet: deniquè dum proponunt suscipere baptismum, inchoare nouam vitam, & seruare diuina mandata. De hac dispositione scriptum est: Accedentem ad Deum oportet credere quia est, & quòd inquirentibus se remunerator sit. Et, Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Et, timor Domini expellit peccatum. Et, Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum, in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorũ, & accipietis donũ Spiri-

Ad pri. arg.

Capr. Palud. Hispa. de dispositione ad gratiam in pueris.

Spiritus sancti. Et, Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, docentes eos seruare quęcunque mandaui vobis. Denique, Præparate corda vestra Domino. Ex hac definitione constat, quæ nam sit præparatio ad gratiam suscipiendam. De eo verò quod consequenter quęritur, vtrùm hæc præparatio, quę est simul cum gratię infusione, sit meritoria gratię, vel glorię, non potest in hoc loco exactè inuestigari, donec in quæstione vltima differamus vberrimè de bonorum operū merito: illuc ergo quæstio referatur.

ARTIC. TERTIVS.

¶Vtrùm necessariò detur gratia præparanti se ad gratiam, & facienti quod in se est.

SVMMA TEXTVS.

Prima cõc. PRima conclusio. Si præparatio considereretur secundum quòd procedit à libero arbitrio, nullam necessitatem habet ad gratiã consequendam: quia gratia excedit omnem præparationem virtutis humanæ.

Secũda cõ. ¶Secunda conclusio. Si considereretur secundum quòd est à Deo mouente, tunc habet necessitatẽ ad id ad quod ordinatur à Deo, non quidem coactionis, sed infallibilitatis: quia intentio Dei deficere non potest. Vnde si ex intentione Dei mouentis est, quòd homo, cuius cor tangit, consequatur gratiam, infallibiliter eam con
Ioan. 6. sequetur, secundum illud; Omnis qui audit, & discit à patre, venit ad me.

EXPLICATIO ARTICVLI.

PRima huius articuli assertio in magnam nos conijciebat quæstionem, vtrùm detur infallibiliter gratia præparanti se ad gratiã, & facienti quod in se est ex puris meriśque naturalibus, nisi in superioribus satis copiosè fuisset explicata, nimirum quęstione. 109. articulo. 6. Igitur totum quæstionis pondus huc propendet, vt diligenter expendamus secundam Diui Thomæ assertionem: nam his argumentis videtur subuerti & labefactari. De secunda cõclusione D. Thom. est difficultas.

¶Principiò sic argumentor. Potest aliquis facere quantum in se est ex auxilio præueniente, & postmodum auxilio efficaci cõtradicere: ergo nõ semper facienti quod in se est ex diuino auxilio infallibiliter confertur gratia. Hoc ipsum confirmatur, & explicatur: quia vt præclarè docet Diuus Thomas, auxilium Dei semper est efficax ad id ad quod ordinatur; vnde nunquam redit ad Deum vacuum: sed Deus interdũ quã quam confert auxilium præueniens, non intendit conferre auxilium efficax, neque verò dare gratiam gratum facientem, alioqui nemo haberet auxilium præueniens, qui simul non haberet gratiam iustificantem: est ergo possibile vt homo faciens quod in se est ex diuino auxilio præueniente gratiam iustificantem nõ habeat. Primũ arg. D. Tho.

¶Secundò sic. Gratia iustificans semper datur merè gratis: ergo potest Deus eam denegare præparanti se ad gratiam, & facienti quod in se est. Consequentia inde probatur: quoniam si datur merè gratis, nemini hominum debita est, & sic nulla est iniuria si non conferatur. Secundum.

¶Tertiò sic: quia ex oppositio sequitur, posse hominem esse certum quòd habeat gratiam; quod est contra veritatem catholicæ fidei, vt infrà patebit. Quòd autem rectè sequatur, sic ostendo: quia potest homo esse certus quòd faciat quod in se est ex auxilio præuenienti, credendo Euangelio, desiderando placere Deo: imò videtur quòd possit esse certus quòd diligat Deum super omnia, sicut potest esse certus quòd diligat vxorem super omnia. Ad huius rei expositionem est prima conclusio. Tertium.

¶Veritas est irrefragabilis, & diuina (quam inficiari est dogma hæreticum) quæ asserit, homini præparanti se ad gratiam per actus fidei, spei, & charitatis, & pœnitentiæ, infallibiliter conferri gratiam iustificantem. Patet: quia est diuina promissio; Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos: &, Qui diligit me, diligetur à patre meo: & illud, Cor contritum & humiliatum Deus nõ despicies: & Ezechiel. decimooctauo & trigesimotertio; In quacunque die ingemuerit peccator, iniquitatum eius ampliùs non recordabor: & illud Ioannis; In hoc cognoscimus quoniam translati sumus de morte ad vitam si diligimus fratres. Item, vera dispositio ad gratiam est appropinquare Deo: at dicitur Iacobi quarto; Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis. Demum, sufficiens præparatio ad gratiam est audire, & discere à Pri. asseri. Psal. 50. Ezec. 18. & 33. Ioan. Iacob. 4.

Patre, & absque dubio dicitur Ioannis sexto, Ioan.6. Omnis qui audit à Patre, & discit, venit ad me. Hoc ipsum demonstratur rationibus euidentibus ex Theologia erutis. Nam si opposita sententia est vera, sequitur quòd homo faciẽs quod in se est ex diuino auxilio, & quod potest, & quod debet, damnaretur inferno; siquidem non habet gratiam iustificantem. Sequitur rursus, hominem per aliquod temporis spatium esse extra statum salutis, & non habere remedium, videlicet eo temporis interstitio, quo facit quod in se est ex diuino auxilio præuenitẽ te, & non confertur ei gratia iustificans. Præterea sequitur, hominem, qui diligit Deum super omnia, & dolet de commissis sceleribus; atque etiam Martyrem, qui verè oppetit mortem pro Christo, inferno damnari. Hæc omnia incommoda euidenter consequuntur, si nõ est lex infallibilis, quòd præparanti se & faciẽti quod in se est ex diuino auxilio statim gratia iustificans conferatur. Propter quod subit mirandum de Scot. Scoto, Doctore alioqui clarissimo, qui in 4. distinctione. 14. asserit, requiri certam temporis continuationem, vt contritio, & vera pœnitentia sit sufficiens dispositio ad gratiam. In eadem Caiet. salebra, vel peiori hæret Dominus Caietanus, qui in opusculo quæstione. 1. de contritione affirmat, non esse legem infallibilem, quòd facienti quod in se est ex diuino auxilio statim cõferatur gratia; & inducitur ad huius rei assertionem ex argumentis superiùs adductis, quæ reuera minimè concludunt, vt statim videbimus. Secunda. ¶ Secunda conclusio. Homini facienti illud ad quod Deus mittit auxilium præueniẽs, quo excitatur vt iustificetur, non semper confertur gratia iustificans. Hæc sententia est certa secundum fidem catholicam. Nam certum est, multos vocari à Deo, & non venire: non ergo omnibus vocatis datur gratia, quibus datur auxilium præueniens. Tertia. ¶ Tertia conclusio. Omnis qui facit quod est in se ex auxilio præuenienti, quod Deus ordinat intentione absoluta ad gratiam iustificantem, semper cõsequitur gratiam iustificantem: intentio enim Dei deficere non potest, neque verò frustrari.

Quarta. ¶ Quarta conclusio. Omne auxilium diuinæ gratiæ præueniens, quod reuera non attingit ad hominis iustificationem, ordinatur nihilominus à Dei voluntate conditionata ad iustificandum peccatorem, verùm voluntate, & intentione absoluta (præsuppositа tamen malitia, & induratione peccatoris) ordinatur ad eius condemnationem. Prima pars huius assertionis sic probatur. Nam illud auxilium erat sufficiens, quo si benè & rectè vteretur, posset, si vellet, conuerti, vt superiùs est demonstratum. Secunda pars sic demonstratur ex illo; Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida: quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes &c. Matt.11.& Luc.10. quibus in verbis comminatur Dominus supplicium æternum illis ciuitatibus, quia receperunt maiora beneficia suæ gratiæ: & Ioannis duodecimo; Hic sermo quem loquutus sum, Ioan.12. ipse iudicabit vos. Ex quibus consequitur, Deum ordinasse, & statuisse, quòd si homines diuino auxilio præuenti, & excitati, non consentirent, sed potiùs rebelles essent lumini, grauius & acerbius puniantur: secundum quem modum peccatores dicũtur thesaurizare iram pro beneficijs receptis. His constitutis ad argumenta proposita satisfaciendum.

¶ Ad primi argumenti confutationem dicen- Ad pri. arg. dum est, quòd faciẽti quod in se est ex diuino auxilio præuenienti, non semper confertur gratia iustificans; at facienti quod in se est ex diuino auxilio copioso quo homo conuertitur à via sua mala, resipiscit & diligit, sine dubio confertur gratia iustificans. Pro quo supponẽdum est, quòd duplex est gratiæ præparatio; Alia Duplex præparatio gratiæ. remota, quæ non est simul cum gratiæ infusione; vt bonus cogitatus, auditio verbi Dei; & homini habenti talem præparationem non semper confertur gratia. Altera est immediata, vt pœnitere, conuerti ad Dominum; & hanc semper sequitur gratia. Vel dicat Theologus quòd facienti quod in se est ex diuino auxilio præuenienti, sine dubio confertur auxilium aliud copiosius, quo efficaciter conuertitur: propter quod non admitto, quòd quis faciat quod in se est ex diuino auxilio præueniente, & quòd contradicat, & resistat auxilio Dei efficaciter mouenti.

¶ Ad secundum dicendum, nullam esse repu- Ad secũdũ. gnantiam, quòd gratia iustificans detur omni nõ gratis, & quòd detur infallibiliter ex Dei promissione: Deus enim hominem, quem prædestinat ad vitam æternam, infallibiliter creat; at non ex meritis, sed gratuitò creat. Deus etiã filium suum, quẽ promisit, infallibiliter dedit; at non ex meritis dedit.

¶ Ad tertium dicendum, non posse nos certò Ad tertium cognoscere quòd habeamus gratiam iustificantem: quia quanquam homo potest esse certus se habere quædam auxilia supernaturalia, non tamen potest esse certus se habere vltimam dispositionem ad gratiam: neque potest esse nobis exploratum an diligamus Deum super omnia dilectione supernaturali, aut verò an dolea mus de vniuersis sceleribus sicuti oportet, propter impedimenta occulta sceleris: Quis enim potest dicere, mundum est cor meũ, liber sum à peccato.

ARTIC. QVARTVS.

¶ Vtrùm gratia sit maior in vno quàm in alio.

SVMMA TEXTVS.

Prim. cõcl. PRima conclusio. Si gratia gratum faciens consideretur ex parte finis, vel obiecti, non potest esse maior, vel minor; quia secundũ sui rationem coniungit hominem summo bono, quod est Deus.

Secũd. cõcl. ¶ Secunda conclusio. Si gratia cõsideretur ex parte subiecti, potest suscipere magis vel minus, prout vnus perfectiùs illustratur gratiæ

Tert. cõcl. lumine quàm alius. ¶ Tertia cõclusio. Ratio aliqua diuersitatis huius potest sumi ex parte hominis magis se prępparantis ad gratiam, quãuis ex hac parte non possit accipi prima ratio huius diuersitatis; quia præparatio ad gratiam non est hominis, nisi in quantum liberum arbitrium præparatur à Domino.

Quar. cõcl. ¶ Quarta conclusio. Principalis & prima ratio huius diuersitatis accipitur ex parte Dei: quoniam diuersimodè dispensat dona gratiæ suæ, vt ex diuersis gradibus pulchritudo & perfectio Ecclesię consurgat; sicut diuersos gradus rerum instituit, vt vniuersum esset perfectum, prout patet ad Ephes. 4. vbi sic habetur; Vnicuique data est gratia secundùm mensuram donationis Christi.

Ephes. 4.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Lutheri stultissimus error. AD explicationem huius articuli obseruandum est, quòd Lutherani negantes iustitiam nostris animis inhærentem, omnes iustos æqualé iustitiam, & sanctitatem habere sentiũt; quia vna est sanctitas, & iustitia Christi, à qua omnes denominantur sancti. Sed certè adhuc in suo errore irrationabiliter procedunt: nam poterat sumi diuersitas gratiæ, & iustitiæ ex maiori fiducia credentium, quam ipsi existimant esse causam precipuam nostræ iustificationis. Nam certè irrationabile dogma est, asserere oẽs iustos esse æqualiter iustos inter sese. Imò ex ipsorum doctrina videtur deduci, esse æqualiter iustos atq; Christus Dominus; siquidem eadem iustitia iusti sunt. Sed quicquid sit de Lutheranorum errore, quẽ alio in loco commodiùs impugnabimus, sententia Diui Thomæ, quòd gratia in vno sit copiosior, & maior quàm in alio, est fides catholica. Nam in Concilio Tridentino sess. 6. c. 5. sic definitur, quòd vnusquisq; suam iustitiã recipit secundùm mensuram quam Spiritus sanctus partitur vnicuiq; prout vult, & secundùm propriã cuiusquè dispositionem & cooperationem: quibus in verbis ad literam sunt expressę, tertia, & quarta conclusio D. Tho. & Can. 24. definitur in hunc modum; Si quis dixerit, iustitiam accepta non conseruari, atq; etiam non augeri coram Deo per bona opera, anathema sit. Ex quo euidenter consequitur, gratiam esse maiorẽ in eodem homine nunc, quàm prius, & id quidẽ per bona opera. Ex quo rursus efficaci argumento deducitur, posse augeri, & esse maiorem quã in alio, qui in exercitio bonorum operum non tam diligens & studiosus fuerit. Illud etiam animaduertat Theologus, quàm rectè & verè dictũ sit in superioribꝰ, esse prorsus impossibile, quòd cum æquali auxilio vnus melius disponatur & perfectius quàm alius: nam si hoc contingeret, iam prima ratio diuersitatis esset ex libero arbitrio, & non ex Spiritu sancto: siquidem spiritus iuxta hanc opinionem æqualiter animum hominis moueret, & incitaret.

D. Thom. catholica sententia. Cõci. Trid.

ARTIC. QVINTVS.

¶ Vtrũ homo possit scire se habere gratiam.

SVMMA TEXTVS.

Prim. cõclu. PRima conclusio. Per diuinam reuelationem ex priuilegio potest aliquis scire se habere gratiam iustificantem, sicut Paulo dictum est; Sufficit tibi gratia mea.

Secũ. cõclu. ¶ Secunda conclusio. Secundùm legem ordinariã, & communẽ cursum nemo potest certò scire se habere gratiã; quia principiũ græ, &

obiectum eius est ipse Deus, qui propter sui excellentiam est nobis incognitus, & ideo eius præsentia in nobis & absentia per certitudinem cognosci non potest. Vnde homo non potest dijudicare an habeat gratiam. ¶ Tertia conclusio. Coniecturaliter per aliqua signa potest aliquis cognoscere quòd habeat gratiam; vt si percipit se delectari in Deo, contemnere res mũdanas; vel si non sit conscius sibi alicuius peccati mortalis: sed hæc cognitio est imperfecta: nã in Psalmo dicitur, Ab occultis meis munda me Domine. Delicta quis intelligit?

Tert. cõclu.

Psal. 18.

EXPLICATIO ARTICVLI.

IN hoc articulo quatuor sunt explicãda: In primis videndum est, & accuratè, & diligenter explicandum, quẽadmodum probatio Diui Thomæ rectè procedat: deinde de certitudine gratiæ est edisserendũ: proximo loco de certitudine fidei; demum de certitudine spei, ac confidentiæ: nã de his præcipuè hac tempestate scire magnum est operæpretiũ. Vt verò à primo exordiamur, videtur profectò quòd argumentatio Diui Thomæ non sit legitima. Probatio Diui Thomæ syllogismo explicata sic habet. Principium & obiectum gratiæ est ipse Deus; at Deus propter sui excellentiam est nobis incognitus: ergo eius præsentia vel absentia per certitudinem cognosci non potest: vnde homo non potest certò dijudicare an habeat gratiam; certitudo enim rei ex suis principijs tantùm haberi potest. ¶ Apparet certè quòd Diuus Thomas hoc argumẽti genere id quod vult non efficiat. Nam cum dicit, certitudinem cognitionis nisi ex principiorum cognitione non constare; aut loquitur de cognitione principiorum euidenti; aut de cognitione obscura, atque ænigmatica, qualis fidei nostræ esse cognoscitur. Si de cognitione euidenti, falsum est quod dicit Diuus Thomas: nam potest quis habere certitudinem quòd habeat fidem, & Christianus quivis certitudinem habet quòd Deus sit trinus & vnus, quanquam non cognoscat euidenter principiũ fidei, quòd Deus est, quemadmodum est gratiæ principiũ,

An D. Tho. ratio legitimè procedat.

Prim. arg.

¶ Si verò sanctus Thomas facit sermonem de certitudine inuidenti, & obscura, sequitur quòd possimus nos habere certitudinem, quòd simus in gratia; quemadmodum possumus esse certi quòd habemus fidem infusam: Deus enim qui est principium tum gratiæ, tum fidei, est nobis incognitus. Videtur profectò ex syllogismo Diui Thomæ efficaciter concludi, quòd non habeamus fidei Christianę certitudinem; siquidem Deus, qui est reuelator, & inspirator fidei, est nobis incognitus: vel quòd habeamus certitudinem quòd simus in gratia, quanquam Deus, qui est principium gratiæ, sit nobis incognitus. ¶ Iam verò nos habemus certã & immobilem certitudinem, quòd sit Deus; verũm hãc certitudinem non habemus ex proprij principij cognitione, sed ex creaturis, veluti ex effectibus causam primam esse euidenter commõstramus; ergo probatio D. Thomæ valida nõ est. Ad huius rei expositionem dicendum est, Diuũ Thomam loqui de cognitione principij sufficienti, & efficaci, vt possit nos certos efficere, & rei persuasionem minimè dubiam in animis nostris gignere: quo in sensu explicata ratio Diui Thomæ verissima est, & efficaciter rem demõstrat. Nam cùm cognitio rei ex cognitione principij dependeat, si cognitio principij est certa, & indubia, inducet nos profectò in certam cognitionem, & minimè dubiam: at si cognitio principij non fuerit constans, & certa, non poterit certã rei cognitionem in animis nostris efficere.

Secundum.

Tertium.

D. Thom. ratio aperitur.

¶ Vnde ad primum argumentum dicendum est, quòd quanquam homo habens fidem non cognoscat Deũ euidẽter, habet tamẽ certitudinem suæ fidei: est enim proprietas fidei & lumi nis huius, hominem certum efficere de mysterijs fidei, veluti scientia certum reddit intellectũ de conclusionibus quæ in scientia inuestigãtur, atque etiam certitudinem præstat de ipsa scientia; non tamen est consimilis ratio de gratia, & charitate, quę perficiunt vim appetitiuam, quarum proprietas non est certum reddere intellectum, sed vnire hominem Deo, & efficere vt tẽdat in ipsum: quare certò cognosci nequeunt absque Dei reuelatione speciali.

Ad pri. arg.

Distinctara tione Deus principium est fidei, & charitatis.

¶ Ex hoc facilè confutatur secundum argumẽtum: nam quanquam Deus est principium tum gratiæ, tum fidei, diuersa tamen ratione. Nam fidei, reuelando, inspirando, testificãdo; qui enim credit, habet testimonium Dei in se: gratiæ autem, & charitatis est principium interius secretò mouendo, & infundendo, & renouando voluntatem. Quod vt facillimè perspicias, scire oportet; quòd hominem esse in gratia nihil aliud est quàm hominem esse Deo dilectum, & charum; & tandem (vt vno verbo rem comprehendam) Deo gratum: hoc autem mysterium, vtrũ

Ad secundũ

à Deo

à Deo ameris, diligaris, in sinu Dei manet recõditum, neque huius cognitionis principium certum habemus, neque ex rerum euidentia, aut experientia, neque verò ex diuinis reuelationibus. Et quòd hæc sit legitima Diui Thomæ explicatio, liquet: nam dicit expressè, quòd non habemus principium vnde cognoscamus, vtrùm Deus sit absens, vel præsens, & intelligit per gratiam: nam quòd Deus sit præsens omnibus rebus per essentiam euidens est. ¶ Ad tertium dicendum est, Deum esse, ex creaturis euidenter demonstrari, per demonstrationem euidentem ex effectibus acceptam; & ideo principium huius cognitionis est euidens & exploratum, propter quod potest gignere in animis nostris certam & exploratam huius rei persuasionem: quin imo Diuus Paulus dicit hãc persuasionem Deũ nobis reuelasse, & inspirasse: inuisibilia enim Dei à creatura intellecta conspiciuntur &c. Ac de defensione Diui Thomæ hæc dicta sufficiant. ¶ Sequitur vt examinemus diligenter illã quæstionem; vtrùm absq; Dei speciali reuelatione secundùm legem ordinariam possit homo certõ cognoscere, se habere gratiam certitudine infallibili, cui non possit subesse falsum. De hac re est ingens controuersia inter Catholicos, & Lutheranos. Lutherani affirmant, Catholici cõstanter negant in 1. d. 17. vbi inuestigant, vtrùm possimus certò cognoscere nos habere Dei charitatem. Explicat hanc quæstionem optimè Soto lib. 3. de natura & gratia à c. 10. vsque ad finẽ, & in Apolog. contra Catherin. à c. 2. vsque in finem. Roffens. articulo 1. 11. & 12. contra Lutherum. Vega lib. 9. super Concilium Tridentinũ per totum. Existimant itaque Lutherani, quòd ea certitudine, qua fideles credimus Deum esse trinum & vnum, quisque tenetur credere quòd acceperit remissionem peccatorum, & quòd gratiam, & iustitiam iam fuerit cõsequutus propter Christi meritum. Deinde dicunt, quòd si quis parum dubitet, an sit iustificatus; hæreticus est, & non pertinet ad Deum, sed ad diabolum. Tertiò dicunt, quòd nulla est alia vera fides, & Christiana, nisi quæ exclusa ex animo omni formidine, & hæsitatione pacatam ita reddit conscientiam, vt credat firmiter, quòd remissionem peccatorum iam acceperit. ¶ Probant istum errorem ex varijs sententijs sanctæ scripturæ; adducunt primò illud; Ideo ex fide vt secundùm gratiam firma sit promissio: in quo testimonio videtur affirmari, hominem iustificari ex fide, & non ex operibus, vt certitudinem nostræ salutis habere possimus. ¶ Deinde citant illud; Iustificati ex fide pacem habemus ad Deum per Iesum Christum Dominum nostrum: hunc locum vehementer exaggerant Lutherani, & pacem interpretantur, conscientiam prorsus securam. Ex qua interpretatione colligunt, quòd quisque fidelis tenetur credere infallibili certitudine, quòd sit iam iustificatus. ¶ Præterea addunt illud; Ipse spiritus testimonium perhibet spiritui nostro quòd filij Dei sumus. hoc testimonium vehementer facit pro fide Lutheranorum. Nam cùm testimonium Spiritus sancti infallibile sit, consequens est quòd filius Dei qui habet hoc testimonium Dei in se, teneatur ei credere fide infallibili. ¶ Item citant illa verba Pauli eiusdem c. Si Deus pro nobis, quis contra nos? qui proprio filio suo non pepercit, sed pro omnibus tradidit illum: quomodo etiam cum illo omnia nobis non donabit? & iterum; Deus qui iustificat, quis est qui condemnet? ex quo testimonio colligunt, omnes fideles esse certos de sua prædestinatione, & salute: propter quod Diuus Paulus continuò subiungit; Quis nos separabit à charitate Christi? certus sum quòd nec mors, nec vita nos separabit à charitate quæ est in Christo Iesu. ¶ Quintum testimonium est 1. Corin. 2. Nos spiritũ Christi accepimus, vt sciamusque à Deo donata sunt nobis: ergo planè sci mus donum gratiæ nobis collatum. & 2. Cor. 1. Gloria nostra hęc est, testimonium conscientię nostræ. certè non esset magna gloria si ex suspecto testimonio originem traheret. ¶ Denique; est insigne testimonium in ca. vltimo eiusdem epistolæ; Vosmetipsos tentate si estis in fide, ipsi vos probate. An non cognoscitis vosmetipsos, quia Christus Iesus habitat in vobis, nisi forte reprobi sitis? Igitur reprobus est & infidelis qui nõ cognoscit Christum in se habitare per gratiam. Hæc testimonia adducunt ex Diuo Paulo. ¶ Ex Diuo Ioanne citant illud; Scimus quoniã translati sumus de morte ad vitam, quòniam diligimus fratres: & illud ex Apocal. Vincenti dabo manna absconditum, quod nemo nouit nisi qui accipit: & illud Petri; Satagite vt per bona opera certam faciatis vocationem vestram. ¶ Sed & hanc sententiam sancti Patres astruere videntur. Dionysius in primis in mystica Theologia inter mentales excessus computat vnionem, qua quidam sic arctè Deo coniunguntur, vt cum fiducia dicant, Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? quod sine magna certitudine dici non potest. Origenes in verba illa Pauli, Ipse spiritus testimonium perhibet spiritui nostro; apertè testatur, cùm nihil timoris est, hoc est, cum nihil propter pœnam, sed propter amorem patris cuncta perficimus, spiritum confirmare spiritum nostrum, quòd filij Dei sumus. Augustinus in libro de bono perseuerantiæ sic scribit; Sicut ergo sanctus cum Deum rogat vt sanctus sit, id vtique rogat, vt sanctus esse permaneat: ita vtique & castus cùm rogat vt castus sit, hoc sine dubio petit, vt in eo perseueret bonum.

Ad tertium

Rom. 1.

Vtrũ homo de sua gratia possit esse certus.

Mag. Soto.

Roffen. Vega. Hæresis Lutheri.

Probãt suũ errorẽ Lutherani.

Vti. testim. Rom. 4.

Secundũ. Rom. 5.

Tertium. Rom. 8.

Quartum.

Quintum. 1. Cor. 2.

Sextum. 2. Cor. 1.

Septimum.

Testimoniũ ex Ioã. 1. Ioan. 3. Apo. c. 2.

2. Pet. 1.

Arg. ex sententijs sanctorum. Diony.

Orig.

Auguſt.

num quod ſe accepiſſe cognouit. quibus verbis ſatis indicat, poſſe Sanctos viros noſſe hæc dona à Deo ſibi eſſe collata. Diuus Gregorius ſic ſcribit, Mens quæ diuino ſpiritu impletur, habet euidentiſsima ſigna ſuæ virtutis, & humilitatis; quæ ſi in vna mente conueniant, liquet quòd de præſentia ſancti Spiritus teſtimonium ferant. Sed & Bernardus multus eſt in aſſerenda certitudine gratiæ; ſed præſertim in ſermone 68. & 69. quærit, Num poſsint aliqui viri ſpirituales in hac vita ſibi arrogare vocem illam cũ fiducia, Dilectus mihi, & ego illi; & re diligenter & accuratè examinata, quòd poſsint, vehementer affirmat; & ſermone. 2. in octaua Paſchæ, ſic inquit, Spiritum nouum aduenisse certiſsimè noua conuerſatio teſtatur. Sed & in epiſto. 107. diligentiſsimè enumerat ſigna, quibus certiſsimè poſsimus cognoſcere peccata eſſe remiſſa, & cum Deo in gratiam redijſſe. Rationes verò ad iſtum errorem confirmandum nullas adducunt Lutherani. Sed vt veritas elucidetur, arguitur in patrocinium huius erroris. In primis ſic.

¶ Baptiſmus confert gratiam non ponenti obicem; ſed ego experior quòd non pono obicem, & quòd bono animo ſuſcipio baptiſma: ergo ſum certus quòd habeo gratiam, & iuſtitiam coram Deo. Maior eſt de fide: Minor patet experientia euidenti: ergo concluſio certa eſt & infallibilis. Hoc ipſum confirmatur: nam certum eſt quòd pœnitentiæ ſacramentum facit ex attrito contritum, vt in Concilio Tridentino definitur: ſed poteſt aliquis certò cognoſcere ſe accedere ad pœnitentiæ ſacramentum, habens dolorem propter pœnas inferni; quod experientia comprobatur: ergo poſt abſolutionem ſacerdotis poteſt certò ſtatuere quòd ſit in gratia, & quòd remiſsionem peccatorum fuerit conſecutus.

¶ Deinde, facienti quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam, alioquin iniuſtus videretur: ſed poteſt aliquis reipſa experiri quòd facit quod in ſe eſt: ergo poteſt eſſe certus quòd habeat gratiam.

¶ Præterea, veritas eſt infallibilis quòd in martyrio condonantur peccata, & quòd qui moritur pro Chriſto habeat Dei charitatem, iuxta illud; Maiorem charitatem nemo habet quã vt animam ſuam ponat pro amicis ſuis: ſed videt aliquis quòd vult mori pro Chriſto, & reipſa oppetit mortem pro Chriſto: ergo habet certitudinem infallibilem quòd habet Dei charitatem.

¶ Et confirmatur: nam Eccleſia ſancta non eſt magis certa de huius hominis martyrio, quã ipſe qui oppetit mortem: ſed Eccleſia indubitata fide adſcribit illum catalogo Sanctorum: ergo ipſe indubitata fide cognoſcit ſe habere gratiam, & ſanctitatem.

¶ Hoc idem confirmatur. Vnus enim poteſt eſſe certus de alio quopiam quòd ſit in gratia; ergo etiam poteſt de ſeipſo hoc idem ſtatuere. Antecedens eſſe verum ſic oſtenditur: nam ſacerdos puerum baptizans lauacro aquæ, adhibens veram & legitimam formam, certus eſt infallibili certitudine quòd puer ille remiſsionem peccatorum ſit conſecutus: quod colligere liquet hoc ſyllogiſmo. Fides docet quòd baptiſmus confert gratiam, & remiſsionem peccatorum non ponenti obicem: ſed ego certò cognoſco quòd puerum baptizaui ſub forma præſcripta à Chriſto Domino: ergo certũ eſt & infallibile puerum remiſsionem peccatorum conſecutum fuiſſe. Maior huius ſyllogiſmi eſt de fide diuina: Minor conſtat euidenti experientia.

¶ Præterea, vel homo fidelis poteſt certò cognoſcere quando adimpleat præceptum dilectionis, & charitatis; vel non poteſt. Si ſecundum dederis, nunquã habebit conſcientiæ ſecuritatem, & pacem. Si verò primum; ergo habet certitudinem, quòd habet gratiam, & charitatem.

¶ Item, puer baptizatus quando peruenit ad vſum rationis vel poteſt cognoſcere primum peccatum quod debet admittere, vel non poteſt. Si non poteſt: ergo non peccat: nemo enim peccat in eo quod cauere non poteſt. Si verò poteſt: ergo cognoſcit ſe habere ſanctitatem, & gratiam baptiſmalem.

¶ Vltimò, homo fidelis habet certitudinem infallibilem quòd habet fidem ſupernaturalem, & diuinam: ergo poteſt habere certitudinem de ſua gratia. Conſequentia inde probatur: nam vtrumque eſt donum Dei, cuius principium eſt nobis ignotum. Item probatur: Nam ſicuti noſtra iuſtificatio non ſolùm depẽdet ex diuina promiſsione, ſed etiam ex noſtra præparatione, & vera cõuerſione, in qua examinanda mens humana ſæpenumero mentitur; ſic aſſenſus fidei non ſolùm dependet ex diuina reuelatione, ſed ex noſtro aſſenſu firmo atque ſtabili, in quo examinando mens humana ſæpiſsimè fallitur: vt videre eſt in hæretico, qui exiſtimat ſe oppetere mortem pro vera fide. Antecedens probatur; tum, quoniam illud concedit lubenter Diuus Thomas ad ſecundum; tum verò, quoniam fidelis credit omnia quæ docet Eccleſia: ſed eſt certum de fide, neminem poſſe credere omnia quæ docet Eccleſia, niſi habeat fidem ſupernaturalem: ergo habet certitudinem infallibilẽ quòd habeat fidem ſupernaturalem. His poſitis, pro explicatione veritatis ſit prima concluſio.

¶ Per diuinã reuelationem ſpecialem poteſt homo iuſtus habere certitudinem infallibilem de ſua gratia. Hęc concluſio liquida eſt. Nam certum eſt Deũ poſſe id reuelare cui maluerit, & eum certum efficere: diſputare verò fuſè quibus in particulari hoc fuerit reuelatum, ſuperuacaneũ exiſtimo. Fuit quidem hoc reuelatum Deiparæ Mariæ, Angelo dicente, Aue gratia plena, Dominus tecum:

Gregor. li. 1. dialo. c. 1.

Ber. ſer. 19. in Cant. & 39. & 53. & 74.

Quartum.

Quintum.

Vltim.

Argumẽta difficilia.

Argu. prim.

Secundũ.

Tertium.

Confir.

Cõfir. ſecũ.

Prim. cõcl.

Quibus fuerit facta reuelatio ſuæ gratiæ.

cum: benedicta tu inter mulieres; Dixit & Saluator de Nathanael, Ecce verè Israelita in quo dolus non est. Dixit insuper paralytico, Cõfide fili, remittũtur tibi peccata tua. Item de Magdalena, Remittuntur ei peccata multa, quoniã dilexit multum; & iterum, Fides tua te saluam fecit, vade in pace: & ad Diuum Paulum dixit Dominus, Sufficit tibi gratia mea. Sed & omnibus Apostolis facta est hæc reuelatio, quemadmodum docet Diuus Thomas de veritate q. 24. artic. 9. & doctissimus Pater Cano lib. 6. de locis. c. 3. Meritò igitur potuerunt isti credere firma fide, quòd remissionem peccatorũ erant consecuti, & gratiam iustificantẽ obtinuerint.

D. Tho. M. Cano.

Secũ. cõcl. ¶ Secunda conclusio. Sine diuina reuelatione speciali nemo potest habere certitudinẽ infallibilem de sua gratia; & oppositum est dogma hæreticum. Probatur hoc primò ex diuinis literis, Iob. c. 9. Si venerit ad me, non videbo eum; & si abierit, non intelligam: & rursus; Si fuero simplex, hoc ipsum ignorabit anima mea: & iterum; Verebar omnia opera mea, sciẽs quòd nõ parceres delinquenti. Certè Iob diuinissimè loquitur de incertitudine gratiæ coram Deo: & Prouerb. 20. Quis potest dicere, Mundum est cor meum, purus sum à peccato? & c. 28. Beatus vir qui semper est pauidus. & Ecclesiast. 9. Nemo scit vtrùm odio vel amore dignus sit.

Iob. 9. Pro. 20. Eccle. 9.

¶ Sed dicet quis, hoc testimonio etiã probari quòd homines peccatores nõ certò cognoscãt se esse in peccato; quod est falsum: nã peccatores habẽt certitudinem infallibilem quòd sunt Deo ingrati, & inuisi. Respondetur, Salomonẽ illis in verbis non pronuntiare in vniuersum quòd nemo sciat vtrum odio vel amore dignus sit, sed loquitur tantùm de viris iustis, & sapientibus: nam præmiserat; Sunt viri iusti, & sapientes, & opera illorũ in manu Dei sunt, & nescit homo vtrùm &c. quasi dicat, licèt sint viri eximijs virtutibus, & sapiẽtia præditi, & omnia eorum opera in Deum videantur referri, nesciũt tamen vtrùm odio vel amore digni sint. Idem cõfirmatur ex illo; De propitiato peccato noli esse sine metu: quod ideo dictum est, quia nemo potest certò statuere, vtrùm remissionem peccatorum acceperit. huic cõsonat illud; Beata quis intelligit? & Diuus Paulus ait; Nihil mihi conscius sum, sed neque in hoc iustificatus sum: Dominus autem iudicat me. Ad idem propositum confirmandum solẽt citari diuinę scripturę, in quibus apertè asseritur, quòd nemo in hac vita debet esse securus, & sine metu; vt illud, Seruite Dño in timore, & exultate ei cum tremore: &, Cũ metu & tremore salutem vestrã operamini: &, Noli altum sapere, sed time: &, Qui stat, videat ne cadat. Quòd si aliquãdo diuinæ literæ promittunt pacem, & securitatem, vt in illo; In pace in idipsum dormiã & requiescam: & in illo, Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? & in illo, Vt sine timore de manu inimicorũ nostrorũ liberati seruiamus illi: explicatio catholica est, quòd homo fidelis secundùm varias animi affectiones nunc sperat, nunc timet, nũc confidit, nunc vacillat. Timet quidem cõsideratione iudiciorum Dei, & propriæ imbecillitatis: Confidit verò cõsiderans Deum esse suum protectorem, & redemptorem: propter quod dicebat Dauid, Ecce nõ dormitabit, nec dormiet qui custodiet Israel. Hæc consideratio est maximè accommoda hominibus consternatis, & in periculo mortis, & desperationis constitutis. Cæterùm homini multum confidenti, & dicenti in corde suo, In abundantia mea non mouebor in æternum; iudicia diuina mente sunt reuoluenda, vt in die bonorum memor sit malorum. Hoc documentum habemus ex Diuo Gregorio homil. 16. super Euangelia, & lib. 6. epist. epist. 22. Hæc igitur, quæ ex diuina scriptura adducta sunt, nostram conclusionem maximè demonstrant. Eandem veritatem confirmant omnes sancti Patres, quos referũt Soto, & Vega, locis citatis. Idem sentiunt omnes Doctores Scholastici, quorum sententiæ referuntur in 1. d. 17. Sed potissima probatio est; quoniã hęc veritas est definita in Concilio Tridentino. Sed libet adiungere probationes euidentes ex diuina Theologia. Prima est; quoniam nostra iustificatio non solùm pendet ex diuina promissione, & reuelatione, sed ex nostra conuersione, & præparatione, qua ex Dei adiutorio præparamur ad gratiam, secũdum illud, Conuertimini ad me &c. Pœnitentiam agite &c. sed nemo potest certò statuere quòd habeat veram conuersionẽ: tũ, quoniam licèt videatur vera conuersio secundùm substãtiam, ignoramus ex qua radice prodeat, ex gratia ne, an ex amore proprio, an verò ex firmo proposito; tum verò, quoniam vt rectè Diuus Gregorius ait, Mens humana sæpe sibi mẽtitur, & fingit de bono amare quod nõ amat. Deinde, Deus nemini ex adultis promisit gratiam, & remissionem peccatorum, nisi sub conditione, si crediderit, si conuersus fuerit, si seruauerit diuina mandata: cum ergo vera sui conuersio citra diuinam reuelationem nemini sit cognita, nec esse possit, sequitur euidenter, neminẽ posse certò statuere quòd habeat gratiam. Tertiò, diuinæ scripturę continent quidẽ generales promissiones, quòd qui crediderit, & conuersus fuerit, iustificabitur; sed de nemine pronuntiant, quòd verè cõuersus fuerit; de nemine, inquam, nunc temporis in terra viuẽtiũ: nemo ergo potest huius rei certam notitiã habere. Tunc sic argumentor. Diuina & infallibilis

Pfal. Greg. Cõci. Trid. Sess. 6. c. 9. & ca. 13. & 14. Gre. 1. par. pastora. c. 9

Pfal. 18. 1. Cor. 4. Eccli. 5. Pfal. 2. Phil. 2. Rom. 11. 2. Cor. 10.

lis certitudo haberi nō potest, nisi ex diuinis reuelationibus, quas Ecclesia proponit: sed diuinæ reuelationes non pronunciāt, te, aut illum, aut me habere gratiam: ergo non est certitudo infallibilis. Quartò, peccatum mortale destruit
Sap. 14. gratiam, vt patet ex illo; Odio est Deo impius, & impietas eius: & iterum; Odisti omnes qui
Psal. 5. operantur iniquitatem: sed nemo potest certò & infallibiliter constituere quòd non habeat
Psal. 18. peccatum mortale, secundum illud, Delicta quis intelligit? eò vel maximè, quòd peccamus sæpenumero ex ignorantia, secūdum illud Dui
1. Tim. 1. Pauli, Misericordiā cōsecutus sum, quia ignorans feci: ergo. Vltimò arguo ex ipsa rerū experientia: nō enim possum in animum inducere, quòd Lutherani etiam credant se esse iustificatos tāta certitudine quanta nos credimus Deū esse trinum & vnum. Et vt omnia argumenta in vnum colligam, sic argumentor. Certitudo infallibilis de aliqua re haberi potest, vel ex causis, vel ex effectibus, vel ex adiunctis rerum, & successibus: sed nullo istorum modorum potest homo de sua gratia certificari: quod sic ostēdo. Nā causa præcipua gratiæ est Deus, & diuina beneuolētia, quæ citra diuinā reuelationem est nobis prorsus incognita; causa verò secundaria sunt diuina sacramenta, quæ cōferūt gratiā homini bene dispositō: sed ex hac certificari non possumus; nam semper intētio ministri est nobis occulta, sine qua sacramentū non constat. Rursus, ignoramus omnino an habeamus legitimam dispositionem; ex effectibus verò, & operibus id non constat; nam vt antea dictum est, licèt opera videantur recta, ignoramus ex qua radice prodeāt: & hoc est quod di
Eccle. 9. citur Eccles. 9. Sunt viri iusti, & sapiētes, & opera illorum in manu Dei sunt; id est, solus Deus iudicat operum valorem, & pretium. Præterea, non possumus certificari ex rerum successu; nā vt dicitur Eccles. 9. eadem cunctis eueniunt &
Tertia cōc. bonis, & malis. ¶ Tertia conclusio. Qui magnū donum perseuerantiæ se certò habiturum certitudine absoluta & infallibili dixerit, hæreticus est. Hæc cōclusio eisdem verbis definita est in
Conci. Tri. Concilio Tridentino: & concluditur euidēter
Sess. 6. c. 16. ex præcedenti cōclusione, & eius probatione. Certè hic est legitimus sensus illius sententiæ
Eccle. 9. Eccles. 9. Nemo scit vtrùm odio vel amore dignus sit, sed omnia in futurū seruantur incerta. Præterea, donum perseuerantiæ est effectus infallibilis diuinæ prædestinationis: sed secretum diuinæ prædestinationis est nobis ignotum, di
Rom. 11. cēte Paulo, O altitudo diuitiarum &c. & iterū,
1. Corin. 4. Nolite ante tempus iudicare, donec veniat Dominus, qui manifestabit abscondita tenebrarū,
2. Tim. 2. & occulta cordis &c. & rursus; Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: Cognouit Dominus qui sunt eius: quibus verbis significatur, mysterium prædestinationis signaculo esse clausum. Idem significatur Apoc. 20. Apoc. 20. cum dicitur, tunc allatum esse librum vitæ, & apertū; vt intelligamus, prædestinationis secretum in hac vita occultum esse.

¶ Quarta conclusio. Nemo citra diuinam reue Quarta cō. lationē potest cognoscere se esse in gratia certitudine infallibili, licèt non sit fidei catholicæ certitudo. Hæc conclusio statuitur contra Ca- Catherinus impugnatur. therinum, & alios catholicos, qui in Concilio Tridentino constituebant geminam certitudinem infallibilem: alteram catholicam, & vniuersalem, quam omnes catholici habere tenentur: tenētur namque vniuersi catholici habere certitudinem infallibilem de mysterijs, & articulis fidei nostræ: Alteram constituebant particularem, & propriam, quam Spiritus sanctus operatur in cordibus filiorum Dei, præbens illis testi
Rom. 8. moniū quòd filij Dei sunt; iuxta illud; Ipse spiritus testimoniū perhibet spiritui nostro quòd filij Dei sumus. Hæc sententia aduersatur testimonijs sanctæ scripturę superiùs adductis. Rursus aduersatur definitioni Concilij Tridentini, in quo definitum est, neminem posse esse certū de sua gratia certitudine infallibili, cui nō possit subesse falsum. Item aduersatur euidentibus probationibus. Nam potissimum argumētum vt quis certò statuat se esse iustum, est, oppetere mortem pro Christo: sed hoc argumentum nō probat plenam, & infallibilem cognitionē; vt videre est in hęretico, qui moritur pro Deo,
1. Corin. 13 vt ipse existimat; & Diuus Paulus ait; Si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest: quibus verbis significat, posse aliquem mori pro fide cum affectu peccati mortalis. Deinde, maximū testimonium ad id persuadendum est testimonium bonæ conscientiæ, & nullius criminis esse conscium, sed hoc testimonium non præbet
1. Cor. 4. infallibilem notitiam, dicente Paulo, Nihil mihi cōscius sum, sed nec in hoc iustificatus sum. Præterea, nullum opus, siue externum, siue internum inuenitur in homine iusto, cuius simile non inueniatur in peccatore: ergo ex operibus nostris hanc certitudinem infallibilem habere nō possumus. Vltimò, reuelatio Spiritus sancti est reuelatio primæ veritatis: ergo qui huic nō credit, & dubitat an fortè sit iustificatus, hæreticus est: quod asserere, absurdum est, & contrarium sanctis scripturis.

¶ Quinta conclusio. Nemo potest habere certi Quinta cō. tudinem moralem de sua gratia, quæ omnem excludat hæsitationem, & metum. Hæc conclu Impugnatur Vega & Mag. Soto. sio est contra Vegam lib. 9. c. 46. & 47. & contra doctissimum Patrem Soto, qui in Apologia contra Catherinum affirmat, posse aliquem hic esse

esse certum de sua gratia certitudine quadam morali, atque certus est Romam esse. Et probatur in hunc modum: Nam sanctæ scripturæ superiùs adductæ pronuntiant apertè, quòd vir iustus semper debeat esse pauidus, & operari suâ salutem cum metu, & timore: ergo non habet certitudinem moralem, quæ omnem excludat hæsitationem, & metum. Deinde, id quod est certum moraliter, absque aliqua hæsitatione potest iuramento confirmari: sed nemo potest iuramento confirmare quòd iustus sit. Rursus, id quod est certum moraliter, moraliter euidens censetur; vt quòd Roma sit, quòd Indi sint: sed nemo potest euidèter cognoscere quòd iustus sit: ergo. Item, certitudo moralis, quæ excludit omnem dubitationem, conuincit, & necessitat intellectum: nemo enim sanæ mentis potest negare quòd Roma sit: sed homo non necessitatur, & conuincitur vt se esse iustum existimet. Præterea, homo iustus non solùm logicè, sed etiam moraliter potest decipi, & sæpenumero decipitur quando existimat se esse iustum: ergo non habet certitudinem quę excludat omnem dubitationem, & metum. Vltimò, vir iustus semper habet rationabilem causam dubitandi, an fortasse iustus sit: ergo nunquam redditur sic securus, vt sine metu sit. Antecedens probatur: nam potissima argumenta quibus potest statuere se esse iustum, non possunt dare tantam certitudinem vt excludant omnem metum & hæsitationem. ¶ Sed nunquid potest homo habere tantam certitudinem de sua gratia, quantam habet quòd sit baptizatus, quòd sit verus sacerdos, & à vero Episcopo ordinatus; & quantam habemus de eo quòd sacerdos habet intentionem faciendi sacramentum Eucharistiæ? nam de his rebus certitudinem habemus, quamuis non constent euidenter, nec ex diuina reuelatione, & quamuis dependeant ex nostris operibus. Vt hoc dubium melius intelligatur, sciendum est, quòd fides humana triplex est, id est, habet triplicem gradum. Vna est, quæ semper habet adiunctam dubitationem, & formidinę; veluti cùm quis assentitur rei ignotæ ex testimonio hominis, quem fallere, & falli posse certissimum est. Altera est, quæ excludit omnem dubitationem, & formidinem, quæ moraliter loquędo euidens & infallibiliter censetur; qualis est, quòd Roma sit, quòd Indi sint. Tertia est, quæ excludit omnem causam rationabilem dubitandi, licèt rarissimè possit esse deceptio; cuiusmodi est, quòd patres diligant filios suos, & quòd ministri sacramentorum habent intentionem conferendi sacramenta. His constitutis, ad dubium propositum respondendum est, & sit sexta conclusio. ¶ Vir iustus non potest habere certitudinem suæ gratiæ, sed tantummodò coniecturalem, & quæ non transcendit limites opinionis humanæ, quę habet semper formidinem adiunctam; sic dicit Diuus Thomas hîc: Diuus Bonauentura in 1. d. 17. p. 2. q. 3. Durandus q. 4. Richardus q. 5. Scotus q. 1. artic. 1. Gerson 4. p. in opusculo de signis bonis & malis. Roffensis artic. 1. & 11. contra Lutherum. Sed certè ad comprobandam nostram conclusionem non magnopere indigemus testimonijs Doctorum: nã argumenta in confirmationem præcedentis cõclusionis efficaciter demonstrant, quòd vir iustus semper habeat causam rationabilem dubitandi, an fortè iustus sit, & placeat Deo: ex quo sequitur statim, quòd homo iustus non potest esse tam certus de sua gratia, atq; certus est quòd est baptizatus, & quòd est verus sacerdos: nam vt de secundo certus sit, satis est intentio ministri conferentis sacramenta, de qua nullam habet causam rationabilem dubitandi, aut formidandi; de primo verò vt certus sit, requiritur certò statuere quòd non habeat peccata ex ignorantia, quòd acceperit remissionem peccatorũ, quòd placeat Deo, quòd vniuersa mandata rectè impleuerit: hæc verò citra diuinam reuelationem nemini cognita sunt. ¶ Septima conclusio. Licèt non ex certitudine, ex magnis tamẽ coniecturis potest vir iustus cognoscere se esse in gratia. Nam pro solatio nostræ peregrinationis Spiritus sanctus testificatur in cordibus filiorũ Dei, quòd filij Dei sunt. sic habet Diuus Paulus ad Roma. 8. de his testimonijs loquitur erudi tissimè Diuus Bernardus. Certè de consolatione, & pace iustorum asseruntur multa in sacris literis; vt in illo, Erit opus iustitiæ pax; & cultus iustitię silentium, & securitas in sempiternũ, cui consonat illud; Et pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras. Sed quanquam hæc pax magna sit, nunquam reddit hominem sic securum, vt prorsus sit sine metu; nam vt dicit Diuus Augustinus in Soliloquio; Vita hîc versatur in periculis, via in exilio, finis in dubio. His positis ad argumenta satisfaciendum est, & in primis testimonia scripturę sunt explicanda. ¶ Ad primum testimonium sacræ scripturæ respondetur, duplex esse genus diuinæ promissionis; Alterum dispositionis certæ, quod nunquam mutatur, etiam propter hominum peccata: huiusmodi est promissio de Christo nascituro, de quo dicit Paulus; Nunquid incredulitas illorum fidem Dei euacuabit? absit. Alterum est conditionatũ; huius generis est de venia danda peccatoribus promissio, si egerint veram pœnitentiã; & quoniam vera sui conuersio nemini citra diuinam reuelationem cognita esse potest, ideo nemo potest certò statuere quòd remissionem peccatorum acceperit. Diuus Paulus loco citato loquitur

Dubitatio.

Fides humana triplex.

Solu. dubij. Sexta cõcl.

D. Thom. D. Bonauẽ. Durand. Richard. Scot. Gerson. Roffen.

Sept. cõclu.

Rom. 8. D. Bern. ser. in octa. Paschæ ser. 3. de aduentu serm. 5. de dedicatione Eccleſiæ serm. 13. in paruis. Esa. 32. Phil. 4. August.

Ad argum. ex scripturis adducta respõdetur. Ad primum testimoniũ.

quitur de prima promissione, vt patebit legenti
Ad secundũ textum. ¶ Ad secundum respondetur, quòd
iste locus habet variam lectionem: quidam codi
ces legunt; pacem habemus; quam lectionem
Ambros. interpretatur Diuus Ambrosius; Chrysostomus
Chrysost. verò & Theophilactus legunt, habeamus: &
Theophil. vtraque lectio bona est. Si legamus; habeamus;
sensus est, non amplius peccemus, sed pacem cũ
Deo seruemus, persistentes in iustitia semel ac-
cepta. Si verò legamus; pacem habemus; explica-
tio est, iustificati ex fide iam habemus Deum
placatum, & reconciliatum nobis, quem prius
propter peccata infensum habebamus. Hic est
commentarius Diui Ambrosij, secundum quẽ
hic locus non facit pro securitate cõscientiæ Lu-
theranorum, excludente omnem dubitationẽ,
& metum. Sed quanquam hæc sententia intelli
gatur de securitate, & pace conscientiæ, quam
viros iustos habere certissimum est, nihil fauet
Lutheranis: nam hæc securitas conscientiæ nũ-
quam est adeò infallibilis, vt reddat homines
securos absque omni metu, & trepidatione.
Ad tertium ¶ Ad tertium respondetur, quòd testimonium
Spiritus sancti est vita sancta, & motus pij in
Deum, quos in nobis efficit Spiritus sanctus.
Ambros. Hic est commentarius Diui Ambrosij, secundũ
quem hic locus nihil facit pro fide Lutheranorum
speciali. Secundò respondetur, concedendo Spiritum sanctum testificari in cordibus filiorum Dei, quòd filij Dei sunt. Rursus, concedendo testimonium Spiritus sancti esse infallibile; ex hoc tamen non est consequens, quòd homo iustus possit certò statuere de sua iustitia. Nam vt aliquis assentiatur ex testimonio alterius infallibiliter, duo sunt necessaria: vnũ, quòd testimoniũ sit infallibile; alterũ, quòd cõstet de illo, ei, qui assentitur. Itaque dico, quòd Spiritus sanctus interdum inducit hominem iu stum ad iudicandum quòd sit in gratia; sed quo niam non cognoscit vtrùm iste impulsus sit ab Spiritu sancto, ideo nemo potest certò statuere de sua iustitia. Vltimò dico, quòd hoc testimonium Spiritus sancti est conditionale, quod patet ex textu: sic enim habet textus; Ipse spiritus testimonium perhibet spiritui nostro, quòd filij Dei simus: si filij, & hæredes, si tamen compa timur vt conregnemus: quòd verò ex animo, & legitimè compatiamur Christo, hoc nobis igno
Ad quartũ. tum est. ¶ Ad quartum respondetur, quòd ille locus euidèter probat, quòd meritò debeamus concipere magnam spem, & fiduciam de Dei misericordia, qui dilexit nos, & tradidit semetip sum pro nobis: cùm hac autem confidentia per sistit quidam religiosus metus, & trepidatio; nó quæ ex diffidentia erga Deum nascatur, sed ex cognitione propriæ imbecillitatis, ne fortè in aliquo deficiamus. Ad illud; Quis nos separabit à charitate Christi? certus sum &c. Respondetur, quòd loquitur de seipso; qui de ea re habuit specialem reuelationem. Vel dicẽdum est, quòd illis verbis explicat ingenium, & naturam charitatis, quæ est nolle ab amico separari. Similis locutio est in illa sententia Diui Ioannis; Qui natus est ex Deo, non peccat; id est, quantum est ex charitate non peccat; bene autem ex defectu liberi arbitrij. Vltimò dicendum est, quòd certi-
Certitudo apud Paul. nõ semper sumitur pro certitudine infallibili. tudo apud Diuum Paulum non semper significat certitudinem infallibilem, sed aliquãdo probabilem, & humanam: dicit enim Rom. 15. Certus sum fratres quòd estis pleni dilectione: & 2. Timot. 1. Certus sum quòd habitat in te fides 2. Tim. 1. non ficta; nemo autem dicat, quòd loquatur Diuus Paulus de certitudine infallibili: non enim habebat diuinam reuelationem quòd Romani essent pleni dilectione, aut quòd Timotheus esset verè fidelis. ¶ Ad quintum respõdetur, quòd
Ad quintũ. omnes in genere, & in communi scimus, magna & pretiosa dona veris iustis esse parata: vtrùm verò nos simus verè iusti, id prorsus ignoramus.
Ad sextum ¶ Ad sextum respondetur, non esse paruã gloriam nulla pallescere culpa, nullius criminis esse conscium, & habere securitatem conscientiæ.
Ad septimũ ¶ Ad septimum respondetur, quòd Diuus Paulus admonet Corinthios, vt se probent quantũ fieri potest, vtrùm in fide persistant. Item dico ex hoc loco optimè probari posse, nos certò cognoscere quòd habeamus fidem diuinam, & supernaturalem: de quo infrà disputandum est.
Ad test. Ioã. ¶ Ad testimonium Diui Ioannis respondetur, quòd illa certitudo est conditionata; si diligamus; nemini autem compertum est, vtrùm diligat ex dilectione supernaturali.
Ad testi. ex Apoc. ¶ Ad testimonium ex Apocalyp. dicendum est, non posse negari quin viri sancti habeant magnas coniecturas, & indicia vehemẽter probabilia, quibus probabiliter cognoscãt dona diuinitus collata se accepisse, prout inferiùs demonstrabitur.
Ad testim. D. Petri. ¶ Ad aliud ex Diuo Petro dicendum est, quòd nihil facit pro hæresi huius temporis, de certitudine gratiæ, & prædestinationis: quia non refert Diuus Petrus hanc certitudinem ad fidem, sed ad bona opera, siue ad virtutes, quas antè recensuit, quæ certitudo, probabilitas est. Græcanica schola interpretantur, vt nullo modo hic locus seruire possit hæresi de fide speciali, & securitate perseuerantiæ: Certam, aiunt, & firmam facite vocationem vestram, & electionem, alijs vitam vestram & mores considerantibus.
Ad sententias sanctorũ Patrum. ¶ Ad sententias sanctorum Patrum vt respondeant quidã, in magnas se conijciunt angustias, & inducunt opiniones minimè probabiles. In primis dicunt, quòd sancti in hac vita aliquando habent testimonia quędam adeò vehementer probantia, & testificantia quòd sint in gratia, & securitate cõ-

scientiæ,

scientiæ,quòd tũc nullam de hac re possunt habere dubitationem,ac trepidationem. Dicunt subinde,tale testimoniũ, licèt sit valdè magnũ, & veluti conuincens intellectum, non esse infallibile; quo fit, vt postmodum transacto illo motu dubitare possint, an tale testimonium fallibile & incertum fuerit,cùm illi non habuerint specialem reuelationem; quamuis manente instinctu Spiritus sancti non sinantur dubitare, aut trepidare; verùm postmodum redeuntes ad se,& considerantes propriam infirmitatem, incipiunt dubitare,num in aliquo falsi, & decepti fuerint. Hæc sententia videtur mihi falsa, & improbabilis,vt à peiori censura temperem. Nã dum dicunt,quòd permanente instinctu Spiritus sancti non sinuntur,neque possunt dubitare,aut trepidare,incidunt in errorem. Nam vel Deus reuelat illis quòd sunt in gratia, & Dei amicitia; quod dicere absonum est, & à vera Theologia alienum: nam hoc est inducere reuelationes speciales,& illuminationes temerè,& sine causa,quod ad hæresim Illuminatorum spectare videtur. Item,si diuina reuelatio fuit: ergo etiam postmodum transacto instinctu sunt certi,sic adeò vt dubitare, & trepidare nõ possint: nam de diuina reuelatione dubitare nunquam licitum est. Si verò non fuit diuinitus reuelatũ, quomodo non potest homo de hac re dubitare,ac trepidare, cùm nulla res, nullumve argumentum possit reddere hominem certum de sua gratia,& remissione peccatorum iam subsecuta,nisi diuina reuelatio? Certè hæc argumenta(vel ego sum cæcus)conuincunt,hanc sententiam esse omnino improbabilem. Sed & hoc argumentum hoc ipsum efficaciter commostrat. Nam,vt constat ex diuinis literis superiùs adductis,nemo secundùm legem ordinariam potest esse certus de sua gratia absque formidine,& trepidatione;quomodo ergo verum est quòd viri sancti, permanente quodam impetu Spiritus sancti,non possunt dubitare, aut trepidare de sua salute? Profectò si hic impetus,de quo prædicti autores loquuntur,tantam certitudinẽ præstat,furor est & insania, facitque homines insanos,& sui minimè compotes. Igitur hac sententia sic labefactata pro virili adnitendum est sanctis Patribus congruam solutionem & expli-
Prim. solut. cationem adhibere. ¶ Prior ergo solutio est, quòd tam varia possunt esse Spiritus sancti testimonia ad testificandum hoc quòd sit filius Dei,quòd poterit adipisci securitatem, & tranquillitatem conscientiæ,nunquam tamen tanta est in hacvita,vt reddat animum hominis absq; omni metu. Nam & Hilarion (cuius vitam scripsit Diuus Hieronymus)item & Diuus Augustinus post multos annos in obedientia transactos, soliciti erant cùm iam essent morituri. At qui hæc est prior solutio. ¶ Altera est,quòd viri iusti sunt certi de sua gratia, & nonnunqnam securi,certitudine probabilitatis,& confidentię de qua loquebatur Paulus cum dicit, Certus sum quod neque mors, neque vita &c. poterit me separare à charitate Christi Iesu: & in epistola ad Timoth. dicit, Certus sum quòd fides habitet in te non ficta: & in epistola ad Roman. Certus sum & ego ipse de vobis, quoniam & ipsi pleni estis dilectione. Vnde discimus, certitudinem hanc pertinere ad omnem persuasionẽ, etiam non infallibilem, sed probabilem tãtùm. Nemo enim dicat Paulum fide credidisse Romanos plenos fuisse dilectione,aut Timotheũ fuisse verè fidelem; nam talium rerum non solet esse reuelatio. ¶ Tertia solutio est,quòd sancti Patres loquantur de certitudine cõfidentiæ: itaque sunt signa certissima quæ nos commouẽt vt confidamus peccata nobis esse dimissa. Vt verò hæc certitudo exactè intelligatur,quomodo à certitudine fidei differat,aduertat Theologus, esse latissimum discrimen. Itaque hæc duo differunt valdè; credo certa fide mè consecuturum salutem,aut remissionem peccatorum; & spero certò me consecuturum salutem,aut peccatorũ remissionem. Primum est Lutheranum: Secundum est dogma catholicum. Nam ad veritatem primi requiritur, quòd Deus reuelauerit mihi meam salutem,aut prædestinationem: ad veritatem verò secundi satis est,quòd credam beatitudinem mihi esse possibilem, & affuturam quidem, si per me non steterit, quod est ex parte diuinæ misericordiæ, & omnipotentiæ: sicuti ad virtutem spei,quam constitui in homine, satis est esse mihi exploratum quòd per illum nũquam stabit,licèt non sim certus, an ego exignauia & pusillanimitate deficiam. Sed hoc in quarta huius articuli controuersia exponendũ erit,vbi etiam numerabuntur,quæ sint illa quæ nostram confidentiam certam reddant,& efficiant. ¶ Ad primum argumentum respondetur, quòd non habet magnam difficultatem; tum, quoniã non nobis constat de intentione baptizantis; tum verò, quoniam non certò constat vtrùm veram & legitimam dispositionem ad sacramentum habuerimus: tum tertiò, quoniã non certò constat vtrùm ex ignorantia culpabili impedimentum aliquod gratiæ suscipiendæ posuerimus. Ad confirmationem dicẽdum per omnia sicut ad præcedens argumentum: quibus addendum,quòd in sacramento pœnitentiæ nunquam est certò exploratum, an propositum cauendi peccata in futurum firmum sit, & stabile,sicut oportet, vt sacramentum conferat gratiam. ¶ Ad secundum respondetur,non esse certum apud Theologos,vtrùm faciẽti quod in se est ex facultate naturæ,semper Deus gratiã conse-

Secũ. solut.

Rom. 8.

Tert. solut.

Rationes soluuntur.

Ad primum

Ad secundũ

conferat; de hoc enim versantur opiniones Doctorum. Deinde, non est certum & exploratum quòd iste facit quod in se est: nam sæpenumero mens humana sibi mentitur, & fingit se amare quod non amat. ¶ Ad tertium respondetur, nó certò nobis cõstare, quòd verè, & ex animo moriamur pro Christo: quod videre est in homine hæretico, qui existimat se mori pro Christo, qui tamen pro suo errore moritur. Secundò dico, non esse certum inter Theologos, vtrùm martyrium condonet delicta sine vera pœnitentia, & conuersione; vera autem pœnitentia citra diuinam reuelationem nemini potest esse cognita. Ad primã confirmationẽ respondetur, quòd Ecclesia de hac re habet maiorem certitudinẽ: nam in Canonizatione Sanctorum, quantum ego existimo, habet assistentiam Spiritus sancti, vt nunquam decipiatur. Ad secundã confirmationem dicendum, quòd in solo casu argumẽti proposiri potest quis statuere certò quòd alius sit in gratia sine speciali reuelatione, ipse autẽ infans qui baptizatur nondum est capax ad hoc dijudicandum, & ideò non est certus; alij verò qui intersunt, de hac re certitudinem infallibilẽ habere non possunt; quia non possunt statuere an minister habuerit intentionem faciẽdi quod facit Ecclesia; neque verò potest esse certitudo absq; formidine quando adulti baptizantur, an adulti ponant obicẽ, & impedimentũ sacramento. ¶ Ad quartũ respondetur, quòd homines habent probabilitatem humanam quòd præceptũ dilectionis impleuerint; & hoc satis est ad pacẽ & tranquillitatẽ conscientiæ. ¶ Ad quintũ respõdetur, quòd puer dum peruenit ad vsum rationis non certò cognoscit an sit verè baptizatus. Deinde, non certò cognoscit quando peruenit ad vsum rationis, atq; adeò nõ potest certò cognoscere vtrùm habeat aliquod peccatũ occultum ex ignorantia culpabili. ¶ Ad vltimũ nõ potest exactè responderi, nisi priùs exponamus secundam quæstionem propositam. ¶ Secunda igitur quęstio est; Vtrũ possimus certò & infalliliter cognoscere quòd habeamus fidem diuinã, & supernaturalẽ. A parte negatiua sic arguitur. ¶ Nam infallibilis certitudo tantùm reddit nos certos de diuinis reuelationibus, quas Ecclesia proponit: sed diuina reuelatio non pronuntiat istum aut illum habere fidem supernaturalem; nec id Ecclesia proponit: ergo non est certitudo infallibilis quòd habeamus fidem supernaturalem. ¶ Secundò, fides diuina, & supernaturalis non solùm pendet ex diuina reuelatione, sed ex meo corde, ex meo assensu, ex mea firmitate qua credo: sed nemo potest certò statuere quòd credat ea firmitate & veritate quæ necessaria est: quod conuincitur optimo argumẽto. Nam hæreticus existimat se credere rectissimè, & firmissimè: at non verè credit: ergo.

Ad tertium. Ad primam confir. Ad secundã. Ad quartũ. Ad quintũ. Ad vltimũ. Vtrũ possimus certò cognoscere nos habere fidẽ diuinã. Prim. argu. Secundũ.

¶ Tertiò, peccatum infidelitatis, ex ignorantia culpabili procedens, destruit fidem, vt planè constat: sed nemo potest certò statuere se non versari in aliquo errore culpabili contra fidem: quod patet ex illo, Delicta quis intelligit? certè de his delictis loquebatur Paulus cum dicebat; Misericordiam consequutus sum, quia ignorans feci in incredulitate mea: ergo nemo hominum potest habere infallibilem certitudinem quòd habeat veram fidem, & diuinam. ¶ Quartò, potissimum argumentum ad cognoscendum quòd habeamus veram fidem, est, mortem pro ea oppetere: sed hoc argumentum fallax est, & non præstat infallibilem certitudinem, vt videre est in hæretico, qui se existimat mori pro vera & recta fide: ergo. ¶ Quintò, opinio est probabilis multorum Theologorum, quòd fides de nouo nunquam infunditur sine spe, & charitate: & certum est quòd fidem diuinam semper comitatur spes, nisi per peccatum desperationis auferatur: ergo si Christianus est certus certitudine infallibili quòd habet fidẽ diuinam, erit aliquando certus se habere spẽ & charitatem; quod est dogma hæreticum; nescit enim hoc, vtrùm odio vel amore dignus sit. ¶ Item, si Christianus haberet certitudinem infallibilem, quòd haberet veram fidem, maximè propter illam rationem, quæ præcipuè exaggeratur. De fide est, quòd nemo potest certò & inconcussanter assentiri omnibus quæ proponit Ecclesia, nisi habeat fidem diuinam, & supernaturalem: sed nos videmus assentiri firmiter, & sine formidine omnibus quæ proponit Ecclesia: ergo certi sumus quòd habemus lumen fidei diuinæ. Sed hæc ratio nihil valet: quamuis enim experiamur nos qualicunque credulitate assentiri doctrinæ Ecclesiæ, at non sumus certi quòd credamus tanta firmitate, & constantia quantam expostulat fides diuina: & licèt compertum esset nobis, nos credere constantissimè, ex hoc non licet colligere, quòd habeamus fidem diuinam; nam hæreticus credit magna constantia, & firmitate, qui tamen veram fidem non habet. ¶ Item, si est certitudo fidei infallibilis quòd Christianus habet fidem diuinam, & supernaturalem, sequitur quòd vnusquisque tenetur hoc credere, sicut credit alios articulos fidei, & quòd qui de hac re dubitat, hæreticus est: hoc autem asserere, durissimum est; nam hoc versatur in Doctorum opinione. ¶ Vltimò, cognitio certa de aliqua re haberi non potest nisi ex propria causa, vel ex effectibus: sed nullo istorum modorum possumus certò statuere quòd habeamus fidem diuinam. quod sic ostendo. Nam causa fidei diuinæ est diuina reuelatio: de nemine autẽ pronuntiat diuina

Tertium. Quartum. Quintum. Sextum. Septimum. Vltim.

uina reuelatio quòd sit verè fidelis; de nemine, inquam, nunc in terra viuentium: Effectus verò est oppetere mortem pro fide; sed hoc argumẽtum non concludere, suprà satis demonstratum est.

Prim. cõcl. ¶ Pro explicatione huius quæstionis est prima conclusio. Cuique Christiano euidentissimum est se credere: nam hoc ipsum in se experitur. vnde dicit Diuus Augustinus 13. de Trinitate cap. 1. Video me credere, si credo. idem asserit in opusculo de fide rerum inuisibilium cap. 1.

Augus.

Secũd. cõcl. ¶ Secunda conclusio. Christianus non est certus certitudine fidei infallibili quòd credat per habitum fidei infusum: nam non est certum secundùm fidem catholicam, quòd habitus infusi sunt constituendi, sed de hoc opinio Doctorum versatur, vt anteà dictum est in materia de virtutibus: ergo nemo habet certitudinem, sed tãtùm opinionem, quòd habeat habitum fidei.

Tert. cõcl. ¶ Tertia conclusio. Christianus certitudine fidei infallibili, cui non potest subesse falsum, certò cognoscit se habere fidem supernaturalem, & assensum fidei diuinæ. Probatur hæc conclusio ex illo, Vosmetipsos tentate, si estis in fide ipsi probate. Certè Diuus Paulus loquitur de probatione legitima, & minimè fallibili. Secundò probatur autoritate Patrum. Diuus Ambrosius, Theophilactus, Lyranus, explicantes illum locum expressè, dicunt, nos posse certò & incunctanter cognoscere fidem miraculorum, quæ non minus diuina est quàm fides catholica. Diuus Thomas elucidans prædictam sententiam super Paulum dicit, quòd possumus certò cognoscere nos habere fidem informem, quando scilicet credimus ea quæ proponit, & tenet Ecclesia: idem habet expressiùs hîc solutione ad secundum. Dominus Caietanus hîc dicit apertè, quod ex actibus fidei fidelis certò cognoscit se habere fidem, quod est donum Dei; sicut credit omnia alia credibilia, incarnationem, resurrectionem. Scotus in 3. distinctione 23. quæstione vnica pro comperto habet, quòd sicuti credimus Deum esse trinum & vnum; sic credimus nos habere fidem diuinam, & infusam. Soto in Apolog. contra Catherinum capitulo 5. dicit, quòd euidentissimè video me credere Deum esse trinum & vnum, si credo; sed non video an credam per fidem infusam, sed fide hoc teneo, quòd habeam fidem infusam. Vega libro nono super Concilium Tridentinum can. 37. non abhorret ab ista sententia. Deniquè omnes qui hac ætate scribunt contra Lutheranos, pro comperto habent, quòd si homo esset tam certus de sua gratia, atque est certus quòd est Deus trinus & vnus, haberet certitudinem infallibilem de sua gratia. His testimonijs accedunt rationes optimæ, quarum prima est. Homo Christianus est paratus negare omnem sensum, scientiam, & omnem euidentiam potiùs quàm à persuasione fidei discedat: ergo habet certitudinem supra omnem certitudinẽ, quòd habet fidem veram, & diuinam; alioqui quomodo potest habere talem animi præparationem & firmitatem? Secunda, vel Christianus est paratus negare omnem euidentiam, & certitudinem priusquam à veritate fidei dimoueatur; vel non est paratus. Si primum, habeo intentum. Si secundum, Christianus non est. Tertia, Christianus non petit à Deo vt tribuat ei veram fidem, sed vt augeat fidem. Rursus, non petit à Deo vt illuminetur an habeat veram fidem, sed vt confirmetur in vera fide: ergo argumentum certissimum est, quòd fidelis habet certitudinem infallibilem quòd habeat fidem diuinam. Quarta, Si Christianus non est certus certitudine infallibili quòd habeat fidem diuinam, & assensum fidei supernaturalis, sequitur quòd possit dubitare an sua fides, & suus assensus sit fallax: quod est falsissimum: nam dubius in fide infidelis est. Quòd rectè sequatur, patet: nam si fidelis de hac re non habeat certitudinem infallibilem, poterit ergo meritò dubitare an suus assensus sit fidei diuinæ, an humanæ, quæ fallax est. Sed respondebit Theologus, quòd fidelis meritò dubitat, an credat tanta firmitate, & promptitudine quantam fides diuina requirit; certus tamen est ex parte obiecti, & ex parte rei Deum esse trinum & vnum, & mysteria religionis esse verissima. Contrà. Nam fidelis est certus certitudine infallibili Deum à parte rei esse trinum & vnum, & mysteria religionis esse vera: sed hanc certitudinẽ infallibilem nulla res præstat nisi diuina reuelatio, & testimonium Spiritus sancti: ergo est certus infallibiliter quòd habet diuinam reuelationẽ. Deinde, ab eo quod res est, vel non est, propositio dicitur vera vel falsa, assensus verus vel falsus: sed fidelis est certus certitudine infallibili quòd Deus à parte rei est trinus & vnus: ergo est certus eadem certitudine quòd suus assensus est infallibilis. Præterea, lumen fidei ad hoc nobis tribuitur, vt præstet certitudinẽ, qua certissimè diuinis reuelationibus assentiamur. Deus enim præcipit nobis vt diuinis reuelationibus assentiamur; & non deficit in necessarijs: ergo præstat nobis lumen fidei, quo de hac re certissimi efficiamur. Vltimò, de ratione scientiæ est, vt homo habeat certitudinem de his quorũ habet scientiam; & de ratione fidei est, quòd habeat certitudinem fidelis de his quorum habet fidem; ergo qui habet scientiam, vel fidem, certus est se habere illam: argumentum est Diui Thomæ hîc ad secundum. Sed pro maiori huius rei explicatione tria principia sunt

Ambros. Theophil. Lyra.

D. Thom.

Scot.

Mag. Soto.

Vega.

obseruanda, ex quibus facilè erit cognoscere, quàm valida sint argumẽta superiùs adducta.

Nemo firmo assensu potest credere, nisi doceatur à Spiritu sancto.

¶ Primò statuendum est firmissima fide, neminem posse certò & incunctanter assentiri omnibus reuelationibus quas proponit Ecclesia, nisi doceatur ab Spiritu sancto. Poterit quidem homo ex sua opinione credere cum formidine veritatibus reuelatis, sicut credit historijs Sallustij, aut Liuij. Rursus, hæreticus ex sua pertinacia credit constantissimè aliquibus articulis fidei: cæterum credere certò & incunctanter omnibus reuelationibus quas proponit Ecclesia, sub ista ratione, quia sunt à Deo reuelatæ, non potest facere nisi doceatur ab Spiritu sancto.

Vltima resolutio fidei fit in primâ veritatem.

¶ Secundò notandum est, quòd vltima resolutio certitudinis & infallibilitatis, quæ est in assensu fidei, reducitur in testimonium primæ veritatis, iuxta illud; Qui credit in me, habet testimonium Dei in se. Itaque sicut vltima resolutio scientiæ fit in prima principia ex quibus causatur: ita vltima resolutio fidei fit in testimonium primæ veritatis. Itaque hæc est infallibilis argumentatio; Ego sum certus certitudine fidei quòd Deus sit trinus & vnus: ergo sum certus eadẽ certitudine quòd habeo testimonium Dei in me.

Qui dubitat de assensu, dubitat de obiecto

¶ Tertium principium. Assensus alicuius rei, & obiectum circa quod versatur, sic se habent, quòd nemo potest dubitare de veritate, aut certitudine assensus, quin consequenter dubitet de ipso obiecto. verbi gratia. habeo demonstrationem, quòd triãgulus habet tres angulos, &c. si incipio dubitare an meus assensus sit verus, incipio dubitare, an à parte rei triangulus habeat tres angulos: quòd si certus sum de obiecto, eandem certitudinem de assensu habeo.

¶ Ex his principijs colliguntur optima argumenta. Ex primo concludo hoc argumẽtum. De fide est, neminem posse certò & indubitatò credere omnibus quæ proponit Ecclesia, nisi doceatur ab Spiritu sancto: sed ego experior quòd credo indubitanter omnibus quæ proponit Ecclesia: ergo sum certus quòd habeo testimonium Spiritus sancti.

¶ Ex secundo principio elicio hoc argumentum multò euidentius. Fidelis credit certitudine fidei quòd Deus est trinus & vnus: ergo eadem certitudine certus est quòd habet testimonium Dei in se.

¶ Ex tertio sic colligo. Ab eo quod res est, vel non est, assensus dicitur verus, vel falsus: sed fidelis certitudine fidei certus est quòd Deus à parte rei est trinus & vnus: ergo eadẽ certitudine certus est quòd suus assensus infallibilis est, & diuinus.

¶ Ad confutanda argumenta in contrarium sciendum est, quòd multis differt inter fidem, & gratiam, quãtum ad certitudinem spectat. In primis, fides ponitur in intellectu ad dandam certitudinem de diuinis reuelationibus: gratia verò, & charitas potiùs ad voluntatem spectare videntur. Rursus, fides habet regulam externam, per quam examinatur, vtrùm vera sit, & recta, nempe Ecclesiam visibilem, quæ est columna, & firmamentum veritatis: gratia verò, & charitas non habent talem regulam. Tertiò differũt: Nam gratia dependet ex diuina acceptatione, & beneuolentia; fides verò minimè. His constitutis ad argumenta proposita satisfaciendum est.

Fides & gratia quo ad certitudinẽ multis differunt.

¶ Ad primum respondetur, Deum reuelasse, quòd qui certò & infallibiliter credit Deum esse trinum & vnum, habet in se diuinam reuelationem, & testimonium Spiritus sancti: nam fides est lumen quoddam; & lumen non solùm manifestat alia, sed etiam seipsum. Rursus, scientia non solùm præstat euidentiam obiecti, sed euidentiam sui ipsius: qui enim cognoscit euidenter triangulum habere tres angulos &c. cognoscit euidenter se huius rei euidentiam habere. Secundò respondetur, quod virtus fidei non solùm illa est, quæ reuelata est immediatè, sed etiam quæ deducitur per consequentiam euidentem ex diuinis reuelationibus: hæc autem veritas, quòd fidelis habeat veram fidem, deducitur ex reuelatis per euidentem consequentiam, ad hunc modum. De fide est, neminem posse assentiri omnibus quæ proponit Ecclesia, nisi habeat veram fidem, & diuinam: sed ego experior quòd assentior omnibus quæ proponit Ecclesia: ergo habeo veram fidem.

Argumẽta soluuntur. Ad primũ. Secunda solutio.

¶ Ad secundum, concedo, fidem diuinã non solùm pendere ex diuina reuelatione, sed ex fortitudine, & firmitate qua fideles credunt: sed fideles ea certitudine, qua credunt Deum esse trinum & vnum, credunt se habere testimonium Dei in se; maximè quia certificantur ex regula fidei externa, nimirum ex Ecclesia, quæ est columna, & firmamentum veritatis: certificantur præterea ex lumine fidei, quod ideo à Deo nobis tribuitur, vt nos certos efficiat.

Ad secũdũ.

¶ Ad tertium respondetur, quòd fidelis certissimus est quòd non habet errorem periculosum contra fidem: nam credit omnibus quę proponit Ecclesia, quæ est fidei magistra.

Ad tertiũ.

¶ Ad quartum respondetur, quòd potissimũ argumentum fidei non est oppetere mortem pro ea, sed credere omnibus quæ proponit Ecclesia ex testimonio Spiritus sancti intus testificantis.

Ad quartũ.

¶ Ad

Ad quintū. ¶ Ad quintum respondetur, quòd illa opinio non est vera, sicut ostensum est in materia de virtutibus. Deinde dico, dato vera esset; est opinio: ex opinione verò non sequitur certitudo infallibilis, sed tantùm sequitur, quòd aliquando habeamus opinionem probabilem quòd habemus charitatem, quod est verissimum. Ad sextum ¶ Ad sextum respondetur, illud argumentum esse optimum; de cuius efficacia in probationibus nostræ conclusionis copiosè disputatum est. Ad septimū ¶ Ad septimum respondetur, quòd fidelis tenetur credere quòd habet fidem diuinam; qui si de hac re dubitat, hæreticus est. Hæc est nostra sententia. Secundò dico, fidelem ad hoc non teneri; tum, quoniam de hoc versantur opiniones Doctorum; tum, quoniam Ecclesia de hac re nihil hactenus definiuit, licèt fortasis ita sit: quemadmodum multa dogmata tenemus nunc de fide, de quibus prisco tempore erant opiniones Doctorum; vt quòd Spiritus sanctus procederet à patre & filio. Ad vltimū. ¶ Ad vltimum respondetur, quòd ex causa, & ex effectibus cognoscit Christianus se habere fidem diuinam. Ex causis quidem, quoniam cognoscit se habere diuinam reuelationem, sicut suprà ostensum est. Ex effectibus verò, quoniam credit omnibus, quæ credit Ecclesia.

Quidā argumēta proposita in cōfirmationē cōclusionis dissoluere conantur, & probabiliter oppositum defendunt. ¶ Sed antequam hinc discedamus, operæpretium est explicare rationes quibus viri docti arbitrantur se posse argumentis satisfacere nostris, & contrariam defendere opinionem. In primis asserunt, quòd certitudo, qua aliquis credit se habere fidem supernaturalem, & diuinam, nunquam est tanta, quanta est de veritatibus à Deo reuelatis. Itaque nemo Christianorum est tam certus quòd habeat fidē supernaturalem, sicuti certus est quòd Deus est trinus & vnus. Quòd sic ostenditur. Nam etiam iuxta opinionem illorum qui certitudinem infallibilem de sua fide introducunt, fides non causat directè, & immediatè illum assensum, sed per reflexionem intellectus supra suum actum; fides enim directè tantùm certos nos efficit de reuelatis à Deo, ex quo argumentando colligit Christianus se habere fidem infusam, & conficit hunc syllogismum; Ego credo certa fide & infallibili Deum esse trinū & vnū: sed nemo potest certa & infallibili fide credere, nisi habeat lumē fidei: ergo ego habeo lumē fidei, & testimonium Dei in me. At nullus est discursus Theologicus qui sit tam certus sicut assensus principiorum, vnde talis discursus originem traxit: ergo nemo potest esse tam certus se habere fidem diuinam, atque certus est Deum esse trinum & vnum. Deinde dicunt, posse optimè euenire quòd aliquis catholicus non amittendo fidem possit dubitare, & ignorare an habeat fidem infusam; & diuinam, vt patet in hominibus scrupulosis, qui dubitant, an fortasis prolapsi fuerint in hæresim: at hæc dubitatio non destruit fidem: similiter potest quis dubitare, an credat tanta firmitate & constantia quantam expostulat fides. Dicere verò quòd hæc animi trepidatio & formido destruat fidem, improbabile omnino videtur; non enim huiusmodi dubitant, an Deus reuelauerit Deum esse trinum & vnum: ex quo deducitur, quòd non discedunt à ratione formali fidei, quæ est diuina reuelatio; ac subinde non perdere fidem euidens est. Quòd vt euidentiùs ostendatur, intelligendum est, quòd dubitare de certitudine assensus dupliciter accidere potest: tum, quantum ad substantiam actus; tum, quantum ad rationem assentiendi, an ne ego assentiar propter diuinam reuelationem, num assentiar tanta firmitate quanta oportet assentiri diuinis reuelationibus, & oraculis. Fidelis nunquam dubitat, an assensus, quō iudicat Deum esse trinum & vnum, sit infallibilis & diuinus; sed potest meritò dubitare, quæ sit ratio huius certitudinis, an sit pia affectio ex instinctu Spiritus sancti; an sit autoritas Ecclesiæ; an sit autoritas maiorum; an sit animi immutabilis firmitas, & adhæsio; sicut potest contingere in scientijs, quòd aliquis habens demonstrationem sit certus de ipsa conclusione, dubitet verò nū assentiatur sub ratione formali physica, aut Theologica; an verò Metaphysica. Certè Christiani simplices, & idiotę credunt quod credit Ecclesia Romana, & id quidem certissimè: at non certò statuunt qua ratione credant; an ne quia hæc fuit maiorum fides, an verò quia Deus reuelauit; & fortasis multi credunt articulos fidei esse veros, sed quia non credunt propter rationem formalem fidei, nimirum quia Deus reuelauit, fidem diuinam non habent. Probabilia sunt quæ à viris doctis dicuntur; quis negat? poteritque hac via vtcunque contraria opinio defendi. At si argumenta nostra diligenter, & accuratè expendantur, probabiliora sunt, & certiora. Nam certè licèt prædicti autores in omne latus se vertant, non possunt explicare quomodo qui est certus ex diuina reuelatione Deum esse trinum & vnum, non sit certus se habere diuinam reuelationem; & quomodo lumen quod certificat de obiecto, & veritate aliquā, non ex consequenti reddit certum, quòd assensus circa illud obiectum certus sit infallibilis; & quomodo si sum certus de veritate aliqua quòd sit infallibilis, & autoritate diuina confirmata, non sim certus quòd assensus circa illud obiectum sit infallibilis, planè diuinus, & autoritate diuina confirmatus. Sed iam pergamus vt disputemus

De certitudine spei duplex sensus quæstionis.

mus quartam quæstionem. ¶ Vltima quæstio in hoc articulo inuestiganda est de certitudine spei, & confidentiæ, quæ in duos sensus distribuitur. Alter est, vtrùm possimus certam spem, & confidentiam concipere, nos esse consecuturos peccatorum remissionem, & tandem æternam salutem. Alter sensus, vtrùm possimus certò cognoscere, nos habere in animis nostris spem supernaturalem, & diuinam.

An possimus certam spē habere de peccatorū remissione consequenda.

¶ Vt ergo primus sensus inuestigetur, à parte negatiua sic arguitur. Nam certitudo, potissimè si sit infallibilis, excludit omnem metum, & formidinem: at spes, quam Christiani habent, non excludit omnem metum, & formidinem, vt ex scripturis patet, & ex euidenti rerum experientia; ergo spes & confidentia Christiana certa non est.

Secundum.

¶ Deinde, de rebus supernaturalibus non potest haberi certitudo, præsertim si sit infallibilis, & diuina, nisi Deo reuelante; sed Deus non reuelauit Christianis quòd sint consecuturi salutem: ergo non possunt certò sperare se consecuturos salutem.

Tertium.

¶ Præterea, Lutherani sunt damnati in Concilio Tridentino, eò quòd iubent homines certò credere, id est, certò confidere; sic enim interpretantur hoc vocabulum, credere, vt videre licet in Concilio Tridentino, sessione 6. canone 9. & canone 12. ergo non est sana doctrina asserere nos posse certò sperare, & magnam concipere confidentiam nos consecuturos esse salutem, & peccatorum remissionem.

Cōci. Trid.

Quartum. Paul.

¶ Ad hæc, Diuus Paulus omni dubio procùl habebat spem, & confidentiam Christianam; at dicebat, Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum: & merita ratione. Nam spes Christiana innititur bonis operibus ex gratia prouenientibus: sic enim definitur spes à Theologis; Spes est certa expectatio futuræ beatitudinis, ex meritis & gratia proueniens; sed non possumus habere certitudinem de nostra gratia, & meritis, vt in superioribus liquidò demonstratum est: ergo non possumus certam & immotam spem de nostra salute concipere.

Vltim.

¶ Demum, illud est certum, quod deficere non potest; sed multi peccatores, qui habebant spem Christianam, à consecutione salutis defecerunt: ergo spes Christiana certa non est. In contrarium est: nam vniuersi Christiani tenentur habere spem, & confidentiam Christianam: at spes est certa expectatio futuræ beatitudinis: ergo tenentur certò sperare beatitudinem, & salutem æternam. In expositionem huius quæstionis, quæ non minima est, constituitur prima conclusio.

Prim. cōcl.

¶ Spes, virtus est diuinitùs infusa per quam certa cum fiducia nostræ salutis, & æternæ vitæ bona expectantur. Hæc conclusio confirmatione non indiget: nam continet spei Christianæ definitionem, quæ ab omnibus Theologis approbatur.

Secū. cōcl.

¶ Secunda conclusio. Quilibet fidelis faciens quod in se est, tenetur firma & certa spe expectare in hac quidem vita per sacramentum baptismi, & pœnitentiæ, peccatorum remissionē, in seculo autem futuro vitam æternam; quam spem nisi solidam & firmam habuerimus, frusta Christiani sumus. Nam certè parum est alioqui, Deo, & verbo Dei fidem adhibere, ac diuina quæ in Ecclesia prædicantur dogmata profiteri, nisi Christianus, Dei bonitate percepta, spem inde concipiat, ac fiduciam consequē dæ gratiæ & salutis æternæ. Hæc conclusio sic probatur. Nam quilibet fidelis tenetur sperare in Deo viuo, & de eius bonitate confidentiam concipere: at spes in Deo constituta, firma est, & stabilis, dicente Paulo, Vt per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam. Sensus huius sententiæ est; Respicientes in promissiones Dei magno animo sumus, nec frangimur aduersis, sed consolamur nos spe: nam propterea voluit Deus fidem suam gemino vinculo obstringere; primùm promissione; deinde iuramento, vt firmam habeamus consolationem; quam spem nos, inquit, Christiani pro anchora nauigationis nostræ habemus, quæ in tempestatibus magnis huius maris, id est, irrequieti mundi, animos nostros sic fulcit, vt etiam si in vita præsidijs destituamur, intrepidè dicamus; Etiam si me occiderit, in eum sperabo: &, In Deo sperabo, non timebo quid faciat mihi homo: & iterum, Deus meus in te confido, non erubescam. Ratio huius conclusionis aperta hæc est: Nam spes, quæ collocatur in homine, fallax est; quoniam & verbum hominis, & eius potentia deficere potest; at spes Christiana, quæ innititur promissionibus diuinis, Dei misericordiæ, & omnipotentiæ, fallax esse non potest. Sed dicet Theologus, Paradoxum certè videtur, quòd firmiter credere, certòque statuere non possimus; firma autem & certa spe vnūquemque esse iubemus, quòd in præsenti peccatorum remissionem, in futuro verò seculo sit consecuturus æternam salutem. Sed certè non est paradoxum, sed certissimum fidei dogma; quod vt intelligatur, sciendum est, nihil à nobis rectè credi (de fide diuina, & infallibili loquimur) cui subesse falsum possit; speramus autem etiam ea rectè, quæ secus nonnunquam euenire possunt: fidei enim ratio in veritate, tam quam à Deo reuelata, sita est; spei autem sufficientis-

Necessaria spes christianis.

Hebr. 6.

Iob. 13.

Psal. 55.

Differt inter spem & fidem.

cientissima ratio sita est in possibilitate eius adquirendi, quod secũdùm Dei promissiones speres. Itaque vt certò sperem me consecuturum salutem, sat fuerit salutem ex Dei promissione mihi esse possibilem, & certò adfuturã, si per me non steterit. Vt verò dicar certò credere remissionem peccatorum, & salutem cõsecuturum, oportet quòd Deus absoluta reuelatione id prædixerit.

Tert. cõcl. ¶ Tertia conclusio. Quanquam spes Christiana, qua parte in Deum defixa est (quem cognoscimus in suis promissis esse fidelem) certa & solida sit, sed qua parte respicimus nos, nostramque miseriam, & ignauiam, metum habet adiunctum & trepidationem. Cùm enim lapsum esse sciamus Cherub angelorum nobilissimũ, Salomonem hominem sapientissimum, Israelem populorum electissimum, Iudam inter Apostolos nominatum; cum etiam intelligamus, non magis deberi nobis Dei tutelam & gratiam quàm illis qui iam sunt à nobis nominati, aut Iudę vocato Apostolo, aut Sauli electo Regi, aut Nicolao constituto diacono, nõ possumus esse sine metu; præsertim cum Paulus admoneat, Noli altum sapere, sed time: & iterum, Qui stat, videat ne cadat: & Ecclesiast. 1. Qui sine timore est, non potest iustificari: & ad Philippen. 2. Cum timore & tremore operamini vestram salutem: & Prouerbiorum 28. Beatus vir qui semper est pauidus.

Quæ de causa timeamꝰ de salute nostra.

Rom. 11. Eccli. 1. Phil. 2. Pro. 28.

¶ Sed dicet Theologus; Si hæc, quæ dudum dicta sunt, veritatem continent, videtur esse concedendum, spem nostram infirmam, & incertam esse; siquidem ex nostris operibus pendens est, quæ exitum incertum habent. Dicendum tamen est, quòd hæc trepidatio nostra non debet animos nostros deijcere, sed magis Christo subijcere, & spem nostram erga illum excitare. Certi enim sumus & persuasi, quòd nostra spes, qua parte in Deum est defixa, deficere non potest, & hoc sat fuerit vt spes erga Deum certa sit, & immobilis: nam ad certitudinem spei, quam ego habeo in amico constitutam, vt firma sit & tuta, satis est esse mihi persuasum, quòd per amicum non deficiet, si mihi ipsi per ignauiam, & socordiam non defuero. Ex hoc sequitur, quòd spes Christiana maximè augetur ex bonis operibus, & ex mandatorum Dei obseruatione. Nam ex bonis operibus extenuatur ille timor, quem ex nostra miseria concipimus: hoc verò quoniam Lutherani inficiantur, probãdum est diligenter ex sanctorum Patrum testimonio. Asserit hoc Augustinus, Hilarius, Chrysostomus, Diuus Ambrosius, & Basilius: sed habemus ex scripturis firmiorem sermonem: nam 1. Ioannis cap. 3. sic legimus; Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum: cui consonat illud ex Psalmo; Spera in Deo, & fac bonitatem, & alibi; Bonus est Dominus sperantibus in illum, animæ quærenti illum: Threnorum cap. 3. Ratio huius asserti hæc est planissima. Nam Christus Dominus non est datus nobis tantùm in Redemptorem cui confidamus, sed etiã in legislatorẽ cui obediamus. Vt ergo spes nostra sit robusta, maximè expostulat studiũ bonorũ operũ, & mandatorũ Dei obseruationẽ. ¶ Quarta cõclusio. Vt spes Christiana certa sit, & solida, non requiritur hoc iudicium certum & infallibile; ego consequar salutem; alioqui omnes Christiani essemus certi de nostra prædestinatione, & perseuerantia; cuius contrarium definitum est in Concilio Tridentino: & esse verum, demonstratum est in præcedenti conclusione. ¶ Quinta conclusio. Certitudo, & securitas spei Christianæ innititur in hoc potissimùm, quòd certò cognoscimus Deum esse fidelem in suis promissionibus, misericordem, & omnipotentem: ex quo eruimus hanc persuasionem minimè fallacem; beatitudinem esse nobis possibilem ex Dei misericordia, atque adfuturam, si per nos non steterit: quæ ratio est sufficientissima vt spes nostra certa sit, & immobilis; de quo edisserit Diuus Thomas pleniùs 2. 2. quæstione 18. articulo vltimo. ¶ Sexta conclusio. Fideles nonnunquam possunt certò sperare & confidere quòd sint consecuti remissionem peccatorum, & quòd gratiam obtinuerint. Hæc conclusio probatur. Nam certitudo spei non sita est in diuina reuelatione de nostra iustificatione, aut gratia, sed eius certitudo in hoc constituitur, quòd Deus est nobis paratus conferre gratiam per sacramentum baptismi, aut pœnitentiæ, si per nos non steterit, & impedimentum non fuerit appositum, & si seruauerimus diuina mandata. Quando ergo nulla ratio dubitationis in nobis appareat probabilis, nulliusque criminis conscij fuerimus, certò possumus sperare nos consecutos fuisse peccatorum remissionem. Hoc ipsum confirmatur. Nam certitudo spei ac confidentiæ sæpenumero est de his quæ secus accidere solent, prout suprà probatum est. Sed & huius rei est alterum argumẽtum. Nam certitudo spei non excludit metum, & formidinem, & animi trepidationem, vt in superioribus commonstratum est. Hæc omnia confirmantur valido argumento. Nam Dauid, & Prophetæ, quòd essent consecuti remissionem peccatorum sępe sępiùs confidunt, & sperant, vt legitur passim in scripturis diuinis; sed hoc non semper est referẽdum ad diuinã reuelationem; ergo referre oportet ad certitudinẽ confidentiæ. Ad vltimum sic argumentor, & vi

Psalm.

Quar. cõcl.

Cõcl. Trid. sess. 6. c. 15. & 16.

Quin. cõcl.

D. Thom.

Sexta cõcl.

Aug. Psa. 38 Hilar. Psal. 118. Chrysost. hom. 15. imperfect. Ambro. 2. Cor. 3. Basil. in oratione de transfigu.

detur mihi argumentum irrefragabile. Nam homines deiecti, & fracti animi, & scrupulosi, qui scrupulis vrgentur ad desperationem, existimãtes se nunquam gratiam, & remissionem peccatorum consecutos, præcepto diuino obligantur, & obstringuntur sperare, & certam fiduciã concipere de Dei misericordia, & remissione peccatorum; alioqui homines iam morituros nulla ratio spei & confidentię poterat consolari, si non possent certò sperare, se iam per sacramentorum administrationem & susceptionem cum Deo in gratiam redijsse. Certè prædicti in illa hora constituti tenentur sperare certò se salutem æternam consecuturos; & rectissimè cognoscunt non esse aliud remedium nisi per sacramenti pœnitentiæ susceptionem se præparare, ac disponere: ergo certò tenentur confidere ac sperare se iam remissionem peccatorum fuisse consecutos; alioqui non video quomodo certò possint sperare sese ad visionem diuinæ essentiæ peruenturos. Huius conclusionis doctrina desumpta est ex Hosio Cardinali, lib. 1. de hęresibus nostri temporis circa medium. Progrediamur vt explicemus secundum quæstionis sensum; nam prior satis prolixè explicatus est.

In huius rei gratiam constituatur septima conclusio, quæ sic habet. ¶ Valde probabile est quòd possit quis esse certus, quòd habeat spem supernaturalem, informem saltem; nam formata spes ex charitate pendet. quam conclusionẽ confirmo his argumentis. Primò. Fides semper habet coniunctam spem, nisi per peccatum desperationis spes & confidentia Christiana aboleatur: sed quisque Christianus est certus quòd habet fidem Christianam, & diuinam, vt suprà demonstratum est: ergo quisque fidelis est certus quòd habet spem Christianam. Hoc ipsum demonstratur iterum. Nam fides est substantia sperandarum rerum, argumentum non apparẽtium, vt dicit Paulus: itaque est fundamentum, & principium spei. Sed quilibet fidelis est certus quòd habeat fidem christianam: ergo quilibet manet certus quòd habeat spem christianã. Prętereà, fides & spes semper sunt connexæ, atque coniunctæ; nisi quando per peccatum desperationis deperditur confidentia: ergo fidelis, qui experientia euidenter cognoscit se non fuisse prolapsum in desperationis peccatum, certò cognoscit se spẽ christianã habere: conficit namq; hunc syllogismum. Fides & spes cõiunctę sunt, quando spes per peccatum desperationis nõ deperditur: sed ego cognosco quòd in peccatũ desperationis nunquã inciderim: ergo cognosco me habere spem christianam. Maior syllogismi est certa, & irrefragabilis. Minor constat euidenter experientia, reliquum est vt conclusio sit certa. Sed iã ratio expostulat vt argumentis in principio positis satisfaciamus. ¶ Ad primum dicendum, quòd illud quod vndiq; est certum, excludit omnem dubitationem, & metum: sed spes christiana, qua parte nos respicit, non habet certitudinem, & ideò habet metum adiunctum: cęterũ ea parte qua in Deo defixa est, omnẽ excludit metum, & trepidationem. ¶ Ad secundum dicendum, in diuinis literis planè esse reuelatũ de diuinis promissionibus, in quibus impossibile est mentiri Deum, vt fortissimum solatiũ habeamus. ¶ Ad tertium dicendum, non damnari Lutheranos, quia iubent homines certò sperare in Deum viuum, sed quia iubent homines certò credere sibi esse remissa peccata per Christũ, & consecuturos salutem æternam, & quia dicũt solam fiduciam sufficere ad salutem. Vel dicendum, quòd si fidem pro fiducia accipias, quẽad modum isti accipiũt, fiducia timorem excludit; spes verò comitem ducit metum, & ideo certò sperare iubeo quemlibet fidelem se consecuturum salutem; confidere verò confidentia Lutherana penitus prohibeo. ¶ Ad quartum dicẽdum, tantùm ex vi argumenti comprobari, non posse nos habere certitudinem infallibilem de nostra iustificatione, quod planè verum est. ¶ Ad quintum dicendum, quòd spes christiana non innititur gratiæ iam habitæ, sed omnipotentiæ, & misericordiæ diuinæ, per quam ille qui non habet gratiam, potest & eam consequi, & ad salutem æternam peruenire. ¶ Ad vltimum dicendum, multos habentes spem Christianam solidam & firmam, salutem æternam non fuisse consecutos ex defectu liberi arbitrij, & ex ignauia, & culpa sua, sed non ex diuinæ misericordiæ, aut omnipotentiæ defectu, cui pręcipuè spes christiana innititur, & defixa est. Et vt huic quæstioni vltimam manum imponamus, sciendum est, quòd certitudo spei, & securitas est conditionata: in ea namque includitur hæc conditio; si non fuero ignauus, & væcors; si seruauero diuina mandata; vt constat ex Concilio Tridentino, sessione sexta, canone vigesimosexto; & ideo si non adimpleas conditionem, promissum non consequeris; neque propterea incerta est spei & confidentiæ christianæ ratio & definitio. Hæc, quæ de certitudine spei & confidentię dicta sunt, disputationis gratia dicta sint, vt doctiores id quod verum est, definiant. Nam de hac quæstione, certi & explorati nihil habeo, probabilia tantùm in medium adduximus. Hæc de tota quęstione.

Sept. cõcl. Potest quis esse certus de sua spe.

Heb. 11.

Ad pri. arg. in princip.

Ad secundũ

Ad tertium

Ad quartũ

Ad quintũ

Ad vltimũ

cõci. Trid.

QVÆ-

QVAESTIO CXIII.

De effectibus gratiæ, in decem articulos diuisa: & primùm quidem de iustificatione, deinde verò de merito.

ARTIC. PRIMVS.

¶ *Vtrùm iustificatio impij sit remissio peccatorum.*

SVMMA TEXTVS.

Conclusio.

AFfirmans est conclusio, quòd in iustificatione impij remittuntur peccata, & acquiritur iustitia. Sed cùm motus omnis denominetur à termino ad quem tendit, ideò hic motus denominatur potiùs iustificatio impij, quàm remissio peccatorum. Itaque iustificatio impij est trãslatio hominis ab statu iniustitię ad statũ iustitiæ. Ex quo sequitur, quòd iustificatio nõ semper habet adiunctã remissionẽ peccatorũ, vt patet in primo parente, qui in instanti suæ conditionis fuit iustificatus sine peccatorum remissione. Itaque iustificatio impij semper habet coniunctam remissionem peccatorum.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Multiplex iustificationis nomen in sancta scriptura.

EXplicandum est in primis, quomodo accipiatur hoc nomen, iustificatio, in hac disputatione; nam non est simplex huius vocis significatio in sanctis scripturis. Interdum enim vsurpatur pro eo quod est pronuntiare iustum, vt in illo; Qui iustificat impium, & qui condemnat iustum, vterque est abominabilis apud Deum: quæ significatio est familiarissima in sanctis scripturis. Interdum accipitur pro eo quod est liberum esse ab aliqua seruitute, vt Romanorum 6. Qui mortuus est, iustificatus est à peccato, id est, liber factus est à causis peccati, & à dura seruitute peccati. Aliquando accipitur pro eo quod est ius suum vnicuique reddere, vt Psalmo 81. & Deuteronomij 23. Pauperem & inopem iustificate; id est, quando pauper & inops de re aliqua in iudicio disceptauerint, reddite illis ius suum. Interdum vsurpatur pro eo quod est defendere, vt Iob 9. Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me. Interdum accipitur pro eo quod est ex non iusto fieri iustum: in quo sensu Theologi definiunt Adam in primordio fuisse iustificatum, & donatum iustitia originali. Item accipitur pro augmento iustitiæ, Apocalypsis vltimo. Qui iustus est, iustificetur adhuc: & Ecclesiast. 18. Ne verearis vsque ad mortem iustificari. Prætereà vsurpatur pro eo quod est ex iniusto facere iustum, vt Romanorum 4. Ei qui non operatur, credenti autem in eum qui iustificat impium, fides reputatur ad iustitiam: & capitulo 3. Iustificati gratis per redemptionem quæ est in Christo Iesu: & ad Titum 3. Iustificati gratis per gratiam ipsius, hæredes simus vitæ æternæ. Et in hac significatione vsurpatur hoc vocabulum in hac disputatione de iustificatione.

Pro. 17. Rom. 6. Deut. 23. Iob. 9. Apo vlt. Eccli. 18. Rom. 4. Tit. 3.

¶ Secundò notandum est, quòd iustitia, à qua nomen, iustificatio, deducitur, non significat iustitiam commutatiuam, aut distributiuam, non legalem, nec politicam; sed significat iustitiam integram, & rectitudinem, quæ facit hominem iustum, & rectum ex omni parte intus & foris, coram Deo, & hominibus. De hac iustitia dicit Dominus; Nisi abundauerit iustitia vestra plus quàm Scribarum & Pharisæorum &c. & Paulus; Iustitia in eo reuelatur ex fide in fidem: &, Qui non nouerat peccatum, pro nobis fecit peccatum vt efficiamur iustitia Dei in illo. ¶ Tertiò notandum est, quòd iustificatio impij semper habet adiunctam remissionem peccatorum. Est enim iustificatio impij recessus à peccato, & accessus ad iustitiam, quod patet manifestè ex innumeris testimonijs sanctarum scripturarum, quæ longum esset recensere. Diuus Augustinus super epistolam ad Romanos capitulo 8. dicit, Quos vocauit, hos & iustificauit, scilicet remissione peccatorum: & Concilium Tridentinum sic definit iustificationem impij, quòd sit translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Christum Saluatorem nostrum: quæ definitio manifestè colligitur ex illo, Qui fecit nos dignos in partem sortis sanctorum in lumine, & eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ. Eadem definitio apertissimè colligitur ex illo; Hæc aliquando eratis, sed abluti estis, sanctificati estis, iustificati estis. In ablutione signifi-

Mat. 5. Rom. 1. 2. Cor. 5. Iustificatio impij habet adiunctam remissionẽ peccatorum. August. Cõci. Trid. sess. 6. ca. 4. Coloss. 1. 1. Cor. 6.

significatur remissio peccatorum, & ablatio sordium quas peccatum inuexerat. In sanctificatione, & iustificatione significatur acquisitio sanctitatis, & iustitiæ. ¶ His constitutis, iam dubium grauissimum est cum Lutheranis; Vtrùm in iustificatione impij, cùm ei remittuntur peccata, sic remittantur, vt penitus auferantur, & radicitus euellantur? Pro cuius quæstionis dilucidatione sciendum est, quòd inter multos errores, quos habent Lutherani, hic est præcipuus, quòd in iustificatione impij, quando remittuntur peccata, non auferuntur peccata, sed credentibus in eum qui iustificat impium, non imputantur peccata, cùm reuera permaneant. Probant suum errorem his argumentis. ¶ In primis, concupiscentia carnis est verè peccatum: dicit enim Paulus; Concupiscentiam nesciebã, nisi lex diceret, Non concupisces: & de eadem iterum dicit; Sentio aliam legem repugnãtem legi mentis meæ &c. &, Caro concupiscit aduersus spiritum: & iterum, Iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum; id est, concupiscentia; sic enim explicant omnes sancti Patres; sed concupiscentia carnis manet in renatis, & iustificatis per baptismum, vt patet: ergo in iustificatione non tolluntur omnia peccata. ¶ Secundò, præceptum illud maximum dilectionis diuinæ in hac vita mortali impleri non potest, vt asserit Diuus Augustinus: ergo semper sumus transgressores huius diuini præcepti. Ex quo consequens est, quòd in iustificatione impij non tolluntur omnia peccata, sed non imputantur. ¶ Tertiò, in Psalmo 31. sic definitur iustificatio impij: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata: beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum: quo testimonio vtens Diuus Paulus concludit; Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Ad hoc confirmandum allegant illam sententiam; Charitas operit multitudinem peccatorum; nõ tollit, inquiũt, sed tegit. ¶ Quartò, omnes sancti Patres clamant cum Diuo Paulo, non esse condignas passiones huius vitæ ad futuram gloriam quę reuelabitur in nobis: & cum Esaia, Facti sumus immundi omnes, & quasi pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ: & cum Diuo Ioanne; Si dixerimus quoniam peccatum non habemus &c. & illud, Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt: & Christus Dominus rectissimè admonet, Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, Serui inutiles sumus: & illud, Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Citat & sententias Patrum, vt illam Diui Augustini; Væ etiã laudabili vitæ, si remota misericordia discutias eam, & illam Diui Gregorij; Omnis humana iustitia, iniustitia esse conuincitur, si districto iudicio iudicetur.

Lutheri error circa remissionem peccatorũ.

Prim. argu. Luthe.

Rom. 7.

Gal. 5. Rom. 7.

Secundũ.

Aug. lib. de spirit. & lit. ad fin. & li. de perfect. iust.

Tertium.

Psal. 31.

Rom. 4.

Quartum.

Rom. 8.

Esa. 64.

1. Ioan. 1.

Aug. lib. 9. confes. 13. Greg. lib. 9. mora. c. 14

¶ His tamen nõ obstantibus veritas catholicæ fidei dicit, quòd in iustificatione impij sic remittũtur peccata, vt nihil ex eis damnabile, aut culpabile maneat coram Deo. Probatur hæc veritas ex sanctis scripturis: dicit enim Dominus Ioannis 17. Sanctifica eos in veritate. Lutherus dicit, non sumus verè sancti, sed reputamur sancti: & iterum; Si vos filius liberauerit, verè liberi eritis: Lutherus dicit, quòd non verè liberamur à peccato, & rursus dicitur, Qui facit iustitiam, iustus est: Lutherus dicit, non qui facit iustitiam iustus est, sed cui non imputantur peccata: & ibidem dicitur, Videte qualem charitatem dedit nobis Deus, vt filij Dei nominemur & simus: Lutherus dicit, quòd non sumus filij Dei, sed quòd reputamur filij Dei: & Paulus; Quæ participatio iustitiæ cum iniquitate? quæ societas lucis ad tenebras? quæ conuentio Christi ad Belial? Lutherus dicit, quòd homo iustus habet participium cum iniquitate, & quòd filij lucis sint tenebræ, & quòd filij Dei sint filij Belial, & 1. Corinthiorum 6. cum recensuisset Paulus fornicarios, idolis seruientes, subiungit; Hæc aliquando eratis, sed abluti estis, iustificati estis, sanctificati estis. Lutherus dicit, hæc aliquando fuistis, & etiam modò estis, sed non imputantur vobis delicta vestra. Præterea Esaiæ 43. dicit Dominus; Ego sum qui deleo iniquitates vestras; & in Euangelio dicitur de Christo; Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi: & rursus, quòd lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo, & eripuit nos de potestate tenebrarum. Lutherus dicit, quòd manemus immundi, & in potestate tenebrarum. Hæc sententia Lutheri damnata est in Concilio Tridentino. Et certè Lutherani sunt stultissimi; nam dicunt, quòd homo manet immundus, & iniustus per voluntatem, sed non imputatur ei iniustitia propter iustitiam Christi, in quem credit: ergo simili ratione debent dicere, quòd manet hæreticus per intellectum, sed non imputatur propter Dei misericordiam. Cùm ergo statuant gratiam iustificantem ex parte intellectus, necessarium est constituant gratiam iustificantem ex parte voluntatis. Deinde sunt stultissimi alio titulo: nam non vident suam sententiam manifestam continere contradictionem. Nam si manet peccatum, vel Deus odit illud, vel non odit. Si non odit: ergo non est peccatum; nisi velis dicere, quòd sit aliqua culpa quam Deus odio non habeat. Si verò odit: ergo non condonat, nec remittit peccatum: tunc enim remittitur peccatum, quando animus offensi

In iustificatione impij sic remittũtur peccata, vt nihil damnabile coram Deo maneat.

Ioan. 17. Ioan. 8.

1. Ioan. 3.

2. Cor. 6.

1. Cor. 6.

Esa. 43.

cõci. Trid. sess. 5. c. vlt. & sess. 6. c. 7 & ca. 10. 11. & 12.

offensi placatur, & reconciliatur offendenti. Deniq́ue hæc sententia Epicurea est, & non
Ad pri. arg. Luthe. eget maiori impugnatione. ¶ Ad primum respondetur, quòd concupiscentia carnis propriè & verè peccatum non est, sed dicitur peccatum; tum, quia est fomes, & incitamentum peccati; tum, quia ex primo peccato derelicta est; sicuti scripturam, quam manus scriptoris facit, appellamus manum: exemplum est quod
Aug. adducit Diuus Augustinus docendi gratia: sic explicat Concilium Tridentinum sessione 5.
Ad secundũ capitulo vltimo. ¶ Ad secundum respondetur, illa verba Diui Augustiui tantùm probare, quòd iustitia nostra pro statu huius peregrinationis non habet eam perfectionem, quam habitura est in patria; & quòd nó tã perfectè dili gimus sicuti in vita beata, nihilominus perfectè diligimus quantum satis est mandato: dicit enim Diuus Ioannes; Qui seruat verbum eius, verè charitas Dei perfecta in ipso est. Sed de hoc dictum est copiosiùs suprà quæstio ne 109. articulo 3.
Ad tertium ¶ Ad tertium respondetur, quòd non imputari peccatum, maius est quàm tegi, dimitti, & tolli peccatum: ita docet Origenes lib. 4.
Orig. Hieron. Euthym. super epistolam ad Romanos: sic Hieronymus explicans illum locum Psalmi: Euthymi. ibidem. Itaque tunc non imputatur peccatum, quando nullum vestigium manet peccati. Nam si Deus non restitueret peccatorem ad pristinam dignitatem, aliquomodo imputaret illi peccatum. Sed vt argumentum efficaciùs confutetur, scire oportet, versari magnum discrimen inter Deum, summum iudicem, & alios iudices inferioris notæ. Nam alij iudices cùm non imputant hominibus scelera illorum, dimittunt illos liberos; ex quo non est consequens, quòd maneant verè liberi, neque verè iustificati; possunt enim manere in suo delicto, quod iudices latuit. Cæterùm ille homo reuera beatus est, & verè liber, quem Deus pronuntiat iustum, non imputans illi peccatum: ex eo enim quòd Deus non imputat peccatum, mundat à peccato, & verè iustum efficit, de
D. Thom. qua re loquitur optimè Diuus Thomas in solutione secundi dicens, quod dilectio Dei secum ducit quendam gratiæ effectum in homine, cui non imputat peccatum, per quem effectum renouatur homo, & fit noua creatura. Quòd verò dicitur in sanctis scripturis, quòd charitas operit multitudinem peccatorum, & beatum esse virum cuius tecta sunt peccata, locutio est metaphorica. Sanè in hoc sensu dicitur charitas operire multitudinem peccatorũ, quia qui habet charitatem, Deo non displicet propter peccata quæ prius admiserat; sicut dicitur Deus obliuisci peccatorum nostrorum propter pœnitentiam; non quia non cognoscit, sed quia habet se ad modum obliuioni tradentis, non puniendo peccata quæ fecimus. Sed qui in his locis scripturę dicitur tegere peccata, & operire propter charitatem, & obliuisci delictorum propter pœnitentiam, in alijs locis minimè paucis dicitur peccata delere, proijcere in profundum maris, tollere, lauare, & abluere. Hæc de confutatione tertij argumenti dixisse satis est.

¶ Ad quartum confectum ex varijs testimonijs scripturarum, responsum est suprà quęstione 18. articulo 1. vbi dimicauimus contra Lutheranos, asserentes omnia opera iusti esse peccata, & respondebimus diligenter articulo sequenti. Ad quartũ.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ *Vtrùm ad iustificationẽ impij requiratur gratiæ infusio.*

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. AFfirmatiua est cõclusio; cuius probatio hæc est. Nam in iustificatione impij remittuntur nobis peccata, secundùm quòd Deus offensus placatur; quæ pax consistit in dilectione qua nos diligit Deus; & ex parte ipsius actus diuini æterna est & immutabilis; sed quantum ad effectum, quem nobis imprimit, quandoq́; interrumpitur, prout ab ipso quandoq́ue deficimus, & quandoq́ue iterum recuperamus. Effectus autem diuinæ dilectionis in nobis qui per peccatum tollitur, est gratia, qua homo fit dignus vita æterna, à qua excludit peccatum mortale. Vnde nõ potest intelligi remissio culpæ, si non adsit infusio gratiæ: nam & si homo ante peccatum potuerit esse sine gratia, & sine culpa, tamen post peccatum nõ potest esse sine culpa, nisi gratiam habeat.

EXPLICATIO ARTICVLI.

An iustificemur iustitia inhærente.

PRima dubitatio est in hoc articulo, An iustificatio impij sit acquisitio iustitiæ internæ, quę animisnostris inhęreat; an potiùs iustificemur iustitia externa, quæ Christus iustus est, quæ nobis reputatur vt propria, atque si eam nos fecissemus; veluti filius cùm petit præmium à Rege propter patris merita, dignus est vt hoc illi præstetur, non propter propria merita, quæ nulla extant, sed propter patris merita, quæ propria reputantur. In huius quæstionis explicatione Lutherus lapsus est turpissimè, & hæreticissimè. Existimat namque homines iustificari coram Deo per iustitiam quandam extrinsecam, quæ manet in Christo, quæ reputatur nobis vt propria, quam, veluti manu, fide apprehendimus. Probat suum errorem varijs argumentis.

Hæresis Lutheri.

Prim. argu. Lutheri.

¶ In primis, ex testimonijs adductis in præcedenti articulo apertissimè constat, quòd omnis nostra iustitia est immunda coram Deo, & veluti pannus menstruatæ: ergo si remittimus homines ad proprias iustitias, non aliò quàm ad gehennam remittimus, quod optimè agnoscens ille, aiebat, Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine; quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens: & iterum, Si iniquitates obseruaueris Domine,

Iob. 9.

Domine quis sustinebit? & Iob 9. Scio quòd non iustificabitur homo compositus Deo: & iterum, Si habuero quidpiam iustum, non respondebo ei, sed meum iudicem deprecabor: & Daniel 9. Non in iustificationibus

Dan. 9.

nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis.

Secundum.

¶ Secundò, quis audeat, inquit, allegare in suum patrocinium ante tribunal Dei suas iustitias immundas, & non potiùs illam iustitiam summam Christi Domini, quæ nostra est? ipse enim est propitiatio pro peccatis nostris in sanguine suo, & ipse deleuit chirographum quod aduersùs nos erat, affigens illud cruci: ergo in nostra iustificatione ad iustitiam Christi recurrendum est.

Tertium.

¶ Tertiò, Christus est nostra iustitia, qua iusti

1. Cor. 2.

sumus coram Deo: ergo verum dicit Lutherus. Hoc expressè dicit Diuus Paulus; Christus factus est nobis iustitia, sanctificatio, &

2. Cor. 5.

redemptio: & iterum; Eum qui non nouit peccatum, pro nobis fecit peccatum, vt efficiamur iustitia Dei in ipso: quod intelligens Dauid dicebat; In tua iustitia libera me Domine: & iterum, In tua iustitia exaudi me Domine. ¶ Quartò, Diuus Paulus condemnat eos

Quartum. Rom. 10.

qui ignorantes Dei iustitiam, & suam volentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti: & alibi multò clariùs; Vt non inueniar in Christo habens meam iustitiam, sed iustitiam quæ ex Christi fide est.

Quintum.

¶ Quintò, Diuus Paulus habet expressè istum modum dicendi, quòd iustitia nostra non est propria, sed imputata; dicit enim; Credidit

Rom. 4.

Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiã; & iterum, Ei qui non operatur, credenti in eum qui iustificat impium, fides reputatur ad iustitiam.

Vltim.

¶ Vltimò, iustitia Christi infinita est, & sufficiens pro vniuersis delictis, & est nostra: non ergo indigemus alia iustitia. Hæc Lutherani.

Argu. prim. in fauo. Luthe.

¶ Sed in fauorem huius sententiæ arguitur ex Theologia: Probabilissima est sententia, & omnium Theologorum suffragio cõfirmata, quòd sola attritio cum sacramento satis est ad impij iustificationem: sed attritio sola non facit homi nis animum rectum, & iustificatum corã Deo: & attriti soli non sunt recti, & renouati corã Deo: ergo potest fieri hominis iustificatio sine animi rectitudine, & iustitia interiori.

Secundum.

¶ Secundò, de fide est, quòd paruuli iustificantur baptizati; sed non est de fide, quòd iustificãtur per actus, quos nullos habent, nec per habitus infusos: nam non est de fide, quòd sint habitus infusi: ergo iustificantur per iustitiam Christi extrinsecam sibi imputatam. Ex hac sententia Lu-

Errores Lutheranorũ.

theri facilè est intelligere errores vniuersos qui hac tempestate de iustificatione versantur. Primò errant Lutherani, dicentes, quòd iusti homines non sunt verè iusti, sed reputantur iusti. Secundò errant dicentes, quòd omnes iusti sunt æquales, & quòd sunt æquè iusti atque sanctissima Virgo: nam omnes sunt iusti vna eademque iustitia, qua Christus iustus est. Tertiò errant dicentes, quòd gratis, & sine respectu aliquorum operum (ita quòd ad nostram iustitiam nulla opera bona requirantur) iustificamur. Quartò errant dicentes, quòd nulla ex parte nostra est necessaria satisfactio pro nostris delictis; nam inquiunt, satisfactio Christi infinita est, & est nostra: nõ ergo egemus nostra satisfactione. Quintò errant dicentes, quòd fideles sunt certi certitudine fidei de sua iustitia, & sanctitate; nam dicunt, Christus est nostra iustitia, quæ à nostris operibus non dependet. Hæc quæstio est præcipua contra Lutheranos, quam explicat Soto libro 2. de

Mag. Soto. Vega.

natura & gratia, capitulo 19. & 20. Vega libro 7. capitulo 7. & libro 15. per multa capita. Ho-

Hosius.

sius Cardinalis in confessione fidei cath. à capitulo 68. vsque ad 74. Pro explicatione veritatis est prima conclusio.

Prim. cõcl.

¶ Iustitia, qua iusti sumus coram Deo, non est ex nobis, nec ex viribus liberi arbitrij compa-

rata:

rata: itaque est iustitia Dei, & iustitia Christi; sic
Rom. 10. dicit Paulus Romanorum 10. Ignorantes Dei
iustitiam, & suam volentes statuere, iustitiæ Dei
Phil. 3. non sunt subiecti: & ad Philippenses 3. Vt inueniar in Christo non habens meam iustitiam,
sed iustitiam quæ ex fide est Iesu Christi: & Ro-
Rom 3. manorum 3. Iustitia Dei per fidem Iesu Chri-
sti in omnes, & super omnes qui credunt in
eum; & iterum, Ex operibus legis non iusti-
Gal. 2. ficatur coram illo omnis caro: & ad Galatas
secundo; Si per legem iustitia: ergo Christus
gratis mortuus est. Simili argumento possu-
mus concludere; Si ex nobis, & ex viribus
liberi arbitrij iustitia est, ergo Christus gra-
Cõci. Trid. tis mortuus est. Hæc veritas est definita in Con-
cilio Tridentino, sessione 6. canone 7. & suprà
contra Pelagianos probauimus multis neces-
sitatem gratiæ vt iusti simus. Itaque ex hac
conclusione euidenter concluditur, iustitiam,
qua iusti sumus coram Deo, esse eximium Dei
Secũd, cõcl. donum in cordibus nostris diffusum.

¶ Secunda conclusio. Iustitia Dei, qua iusti
sumus, non est iustitia, qua Deus, aut Chri-
stus iustus est, sed qua efficit nos iustos, impar-
tiendo eam secundùm mensuram donatio-
nis Christi; sicuti aër clarus est claritate
Solis, non quæ permaneat in sole, sed quam
accipit à sole; aqua calida est calore ignis,
non qui permaneat in igne, sed quem reci-
pit ab igne. Item, omnes homines moue-
mur, & sumus, & viuimus in Deo; non
vita quæ permanet in Deo, sed quam ac-
cipimus à Deo. Item, dicitur fides Dei, non
qua Deus credit, sed quam impartit nobis:
atque adeò sapientia nostra dicitur sapientia
Christi, non qua Christus sapiens est, sed
Cõci. Trid. qua Deus nos imbuit, & instruxit. Hæc ve-
ritas definita est in Concilio Tridentino, ses-
sione 6. canone 7. explicat eam rem in primis
Aug. lib. de spir. & lit. c. 9. 11. 18. & 21 eleganter Diuus Augustinus elucidans illud
quod habetur Romanorum 3. Iustitia Dei
manifestata est. Ita, inquit, iustitia Dei, non
qua Deus iustus est, sed qua induit hominem
cùm iustificat impium. & super Psalmum 30.
sic inquit; Cum iustus fuero, tua iustitia est,
sed sic mea, vt tua sit, id est, à te donata:
3. lib. cõtra duas epist. Pelag. ca. 7. li. 4. de Tri. c. 12. in quæstion. super Exod. c. 25. & tract. 26. in Ioan. Hiero. Ber. epi. 190 & iterum; Quid est iustitia Dei? Quid est
iustitia hominis? Iustitia Dei est non qua Deus
iustus, sed quam Deus impartitur vt homo
iustus sit. consentit Diuus Hieronymus in
dialogo contra Pelagianos: & Diuus Ber-
nardus ait; Iustum me esse dixero, sed il-
lius iustitia; quæ nam illa est? finis legis
Christus est ad salutem omni credenti. Chri-
stus namque factus est mea iustitia: quæ fa-
cta est mea iustitia, non erit mea? mea tra-
ducta est culpa, & mea non erit indulta iu-
stitia? Denique omnes sancti Patres Eccle-
siæ Latinæ idem sentiunt, nempè quòd Chri-
stus est ipsa iustitia, & quòd de plenitudine
eius omnes accepimus, & participamus no-
stram iustitiam. Idem sentiunt vniuersi Pa-
tres Græci, Chrysostomus, Theophilus, Ori- Chrysost. Theoph. Orig.
genes explicantes illam sententiam Romano-
rum 1. Iustitia Dei in eo reuelatur. Ratio-
nes verò ad istum errorem conuincendum
sunt euidentes. In primis, cùm iustitia Chri-
sti sit vna, & inuariabilis, si omnes sumus
iusti iustitia qua Christus iustus est; ergo
omnes sumus æqualiter iusti; quod est do-
gma hæreticum contra scripturarum traditio-
nem. Secundò sequitur, quòd sumus certè
tam iusti sicut Christus; nam sumus iusti
eadem numero iustitia, & sanctitate, & obe-
dientia. Tertiò, Deus exigit à nobis fidem,
spem, & charitatem, vt secundùm istarum
virtutum dispositionem infundat nobis gra-
tiam, & iustitiam qua iusti simus, vt vni-
uersa scriptura planè testatur: ergo non su-
mus iusti iustitia qua Christus iustus est, sed
quam nobis impartitur vt iusti simus. Ad
hoc explicandum valet illa elegantissima com-
paratio Diui Pauli, de stellis, quarum vna
differt ab altera in claritate, vt dicitur pri- 1. Cor. 15.
mæ Corinthiorum capitulo decimo quinto.
Stellæ enim omnes ab vno Sole habent suum
splendorem, sed vnaquæque secundùm pro-
priam qualitatem, prout magis aut minus
diaphana est, recipit claritatem. Est etiam
illa comparatio elegantissima quam perse-
quitur Diuus Paulus Romanorum duodecimo, de Rom. 12.
corpore, & membris: dicitur enim, quòd om-
nes sumus vnum corpus in Christo Iesu.
In corpore verò sic se habet res, quòd om-
nia membra participant eandem vitam, sed
diuerso ordine, & diuerso gradu; aliter ocu-
lus, aliter caput; non aliter in corpore my-
stico aliud membrum est Beatissima Vir-
go, aliud beatus Paulus. Illa etiam compa-
ratio maximè quadrat, de palmitibus exi-
stentibus in vite. Omnes certè palmites à
vite virtutem recipiunt, sed non eundem
fructum habent; alij proferunt vuas, alij la-
bruscas. Quartò, iustitia, qua iusti sumus
coram Deo, est charitas de corde puro, con-
scientia recta, fide non ficta, dicente Di-
uo Ioanne; Scimus quoniam translati sumus 1. Ioan. 3.
de morte ad vitam, si diligimus fratres: & iterũ, Aug. lib. de spiritu & gratia & li. 3. contra duas epist. Pelag. c. 7. & li. de natura & gratia c. 38. 48. & 70.
Qui non diligit, manet in morte; loquitur aper-
tè de dilectione in nos proueniente, & diffu-
sa in cordibus nostris, vt optimè demonstrat
Diuus Augustinus: Sed charitas qua nos diligi-
mus, non est in Christo, sed in nobis: ergo,
Quintò, Lutherus dicit, quòd Christus efficit
nos

nos iuſtos per iuſtitiam extrinſecam, quæ maneat in ipſo, manentibus interim nobis in noſtris peccatis, & iniquitatibus. Ex quo ſtatim ſequitur, quòd reputet iuſtos, qui reuera iuſti non ſunt. Quòd ſi ita ſe res habet, quomodo verum eſt quòd iudicium Dei ſit ſecundum veritatem, quod aſſerit Paulus Romanorum 2. & Eſaias 5. Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum, & qui iuſtificatis impium in muneribus? Item vbi eſt illa promiſsio quam Dominus pollicetur per Ezechielem; Dabo eis cor nouum, & ſpiritum nouum tribuam in viſceribus eorum? vbi eſt illud 2. Petri 1. Quòd ſumus conſortes diuinæ naturæ? & illud ad Epheſios 1. Elegit nos in ipſo ante conſtitutionem mundi, vt eſſemus ſancti, & immaculati in conſpectu eius? Vltimò, non deeſt argumentum ex penetralibus metaphyſicæ adductum. Nihil enim poteſt denominare ſubiectum denominatione reali, & abſoluta, niſi inhæreat ſubiecto: albedo non facit album; nec ſapientia ſapientem; nec vita viuum niſi inhæreat ſubiecto, quod denominat: ergo non poteſt denominari homo iuſtus à iuſtitia quæ in altero permaneat. Valeant ergo iſti extrinſecarij hæretici cum ſuis nouis vocibus, & blaſphemijs, extrinſecus iuſtificari, & extrinſeca iuſtitia: nobis autem certiſsimum ſit, quòd iuſtitia iuſti in eo, & ſuper eum, ſicut impietas impij in eo, & ſuper eum.

Rom. 2. Eſai. 5. Ezech. 11. 2. Pet. 1. Epheſ. 1.

Tert. cõclu. ¶ Tertia concluſio. Iuſtitia, qua iuſti ſumus coram Deo, eſt iuſtitia Dei, & Chriſti, & noſtra. Dei quidem, quoniam efficit eam in nobis, ſecundum illud Eſaiæ 43. Ego ſum qui deleo iniquitates tuas: & Romanorum 8. Deus qui iuſtificat. Chriſti verò, non ſolùm quia eius merito efficimur iuſti, verùm etiam quia nemo efficitur iuſtus niſi de plenitudine eius accipiat. Noſtra etiam exiſtit: nam cùm donatur nobis, renouamur ſpiritu mentis noſtræ, & induimus nouum hominem, & efficitur in nobis nouus ſpiritus, nouum cor, noua creatura, vt teſtatur omnium ſcripturarum ſacra pagina.

Eſai. 43. Rom. 8.

Quar. cõcl. ¶ Quarta concluſio. Iuſtitia, qua coram Deo iuſti ſumus formaliter, eſt verè in animis noſtris inhærens, in viſceribus noſtris diffuſa. Hæc concluſio definita eſt ſecundum iſtum tenorem in Concilio Tridentino, ſeſsione 6. canone 7. 10. & 11. & concluditur euidenter ex præcedentibus concluſionibus; & concludunt eam Patres ex illo ad Romanos 5. Diffuſa eſt charitas in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis, per cuius gratiam renouamur ſpiritu mentis noſtræ, vt dicitur ad Titum 3. & renaſcimur in filios Dei, vt dicit Dominus Ioannis 3. & viuificamur in Chriſto, ad Galatas 3. & accipimus in nobis Spiritum ſanctum, in quo clamamus Abba pater; per quem efficimur conformes imagini filij Dei, ad Romanos 8. per quem abluimur, iuſtificamur, ſanctificamur. 1. Corinthiorum 6. per quem accepimus nouum ſpiritum, & nouum cor ſecundùm vaticinium Ezechielis capitulo 11. Vt ſimus conſortes diuinæ naturæ 1. Petri 1. Ex quibus omnibus manifeſtè liquet, hominem iuſtificari coram Deo per iuſtitiam quæ animis noſtris inhæreat, & in viſceribus noſtris ſit diffuſa. Nemo enim viuit per vitam quæ in altero permaneat: nemo ſanus efficitur per ſanitatem quæ in altero perſiſtat. Sed eſt notandum, quòd hæc concluſio poteſt habere duplicem ſenſum. Prior eſt, hominem iuſtificari coram Deo per habitus infuſos. hic ſenſus licèt certus ſit, non tamen eſt de fide, vt ſuprà oſtenſum eſt in materia de habitibus. Alter ſenſus eſt, quòd in his qui iuſtificantur, neceſſaria eſt renouatio hominis interioris, & quædam rectitudo mentis, & animæ. & hic ſenſus eſt de fide catholica, & diuina; ſiue hoc fiat per actum, ſiue per habitum, vel aliquid ſimile.

Ad Tit. 3. Ioan. 3. Ad Gal. 3. Rom. 8. 1. Cor. 6. Ezech. 11. 1. Pet. 1.

Quin. cõcl. ¶ Quinta concluſio. Qui iuſtificantur coram Deo, ſunt verè iuſti, & non tantùm reputantur iuſti. Hæc concluſio infertur euidenter ex prædictis, & definita eſt in Concilio Tridentino loco citato; & concludunt eam Patres ex illo; ad Romanos 5. Vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia; & iterum; Non ſicuti delictum, ita & donum; ſed delictum primi parentis effecit filios ſuos verè peccatores: ergo iuſtitia Chriſti efficit filios ſuos verè iuſtos. Propter quod pulcherrimè dicit Diuus Auguſtinus, quòd ſicut ſi iuſtus dicat quòd non habet peccatum, mentitur, & veritas in eo eſt; ſic ſi dicat quòd non habeat iuſtitiam, mentitur, & veritas in eo non eſt.

Cõci. Trid. Rom. 5. Aug.

Sexta cõcl. ¶ Sexta concluſio. Iuſtificatio impij non ſolùm includit remiſsionem peccatorum, ſed etiam acquiſitionem iuſtitiæ, & renouationem hominis interioris: Hęc concluſio liquidò concluditur ex prædictis; potiſsimè ex quarta concluſione. Nunc verò ſupereſt ſatisfacere argumentis in contrarium.

Argumẽta Lutherano rum diluun tur. ¶ Ad omnia argumenta Lutheranorum in communi reſpondetur, quòd nos ante tribunal Chriſti non producemus in noſtrum patrocinium, niſi iuſtitiam Chriſti, cuius merito, & titulo ſumus filij Dei, & hæredes vitæ æternæ. Sed obſeruet Theologus, quòd ille genitiuus,

Chri-

Christi, non designat subiectum, vt sit sensus, quòd sumus iusti iustitia quæ est in Christo; sed designat causam efficientem, ex qua omnis nostra iustitia deriuatur: propter quod optimè dicebat ille, In tua iustitia libera me Domine: & iterum, In tua iustitia exaudi me Domine. Sed præstat sigillatim respondere ad omnia Lutheranorum argumenta.

Ad primũ ¶ Ad primum ex illo, Facti sumus immundi omnes &c. dicendum est, quòd hic locus debet intelligi de iustitijs operũ, de quibus ex obseruatione legis Iudaicus populus gloriabatur, alioqui fœtidus, & immundus, & extra gratiam Dei positus. Et comparat Propheta diuinus istas iustitias panno menstruatæ, qui licèt in quibusdam partibus nitorem habeat, turpitudine, & aspersione sanguinis sic immundus est, & fœtidus, vt in conspectum hominum prodire non debeat. Hæc est legitima explicatio illius loci.

¶ Ad aliud: Non intres in iudicium &c. respondetur, quòd hic locus habet varias expositiones catholicas, de quibus actum est suprà quæstione 18. articulo primo. Breuis explicatio hæc est; quòd homo ex sese, & ex viribus liberi arbitrij non iustificabitur in conspectu Domini; bene autem iustificatur ex his quæ per eum, & in eo operatur Spiritus sanctus per fidem, & charitatem, quæ est diffusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum.

¶ Ad aliud ex Iob 9. Non iustificabitur homo compositus Deo, dicendum est, quòd homo, si consideretur qua parte homo est, & ex viribus liberi arbitrij, non apparebit iustus in conspectu Dei. Rursus, si consideretur vt iam est renatus per gratiam Spiritus sancti, tot imperfectionibus, tot impuritatibus inuoluitur, vt compositus Deo potiùs appareat iniustus, quàm iustus, tenebræ, quàm lux. Nihilominus tamen iustitia fidei, & charitatis magno est in pretio apud Deum; & ideo appellatur in sacro eloquio, iustitia Dei, id est, iustitia quæ multum valet apud Deum, & multum est, comparata Deo. Hoc siquidem est, quod est fœtus nouæ prolis comparatus viro perfectæ ætatis; quod lumen candelæ comparatum luci solis; quod semen comparatum arbori futuræ.

1. Ioan. 3. Omnis, inquit Apostolus Ioannes, qui natus est ex Deo, non peccat, quoniam semen Dei in eo manet, & non potest peccare, quia ex Deo natus est. Parum ne est habere semen Dei, & ex Deo natum esse? Certè gratia Dei gratificati, & iustitia Dei iustificati, non vtique iam nihil dicemur, quin potiùs vnum erimus cum

Ioan. 17. Deo, dicente Saluatore; Rogo pater, vt omnes vnum sint, sicut nos vnum sumus. An ne parum videtur esse membrum Christi, & Spiritum sanctum habere in nobis? Certè iustitia, qua iusti sumus, in magno pretio est apud Deum.

Ad secundũ ¶ Ad secundum iam satis dictum est, quomodo fideles ante tribunal Christi non producemus in nostrum patrocinium, nisi iustitiam Christi.

Ad tertium ¶ Ad tertium respondetur, quòd illa est figura locutio, & sensus est, quòd Christus efficit nos iustos atque sanctos; & dictum est, Factus est nobis iustitia, vt largitatem & exuberantiam doni demonstraret: quasi dicat, totus datus est nobis, vt sit fontalis ratio iustitiæ nostræ, & sanctitatis. Simili locutione dicit Paulus; Ephe. 2. Ipse pax nostra, qui fecit vtraque vnum; quam locutionem elucidat ad Colossenses dicens; Pacificans per sanguinem ipsius, quæ in cœlo, & quæ in terra sunt. Itaque dicitur, Pax nostra, id est, pacificator noster.

Ad quartũ ¶ Ad quartum respondetur, quòd Diuus Paulus non excludit omnem iustitiam, sed nostram propriam, id est, ex viribus nostris comparatam: statuit verò iustitiam quæ ex Deo est, quæ nostra efficitur, cum donatur nobis, per quam renouamur in spiritu mentis nostræ, & efficimur verè iusti, & sanctificati.

Ad quintũ ¶ Ad quintum, ex illo, Credidit Abraham &c. dicendum est, quòd Diuus Paulus hisce verbis non excludit veram iustitiam animis nostris inhærentem, sed eorum hominum opinionem, qui ex merito obseruatæ legis existimabant se venisse in Euangelij gratiam. Nam Deus non vendit remissionem peccatorum, & suam gratiam pro operibus, sed gratuitò condonat delicta, non imputando, & impartiendo iustitiam qua iusti efficiamur.

Ad sextum ¶ Ad sextum dicendum est in primis, meritò posse dubitari an hæc locutio sit admittenda; Christus est mea iustitia; sed quicquid sit de ista locutione, hoc certissimum est, quòd hæc iustitia non prodest nobis, nisi applicetur per fidem, spem, & charitatem; quibus mediantibus, renouamur in spiritu mentis nostræ, & efficimur sancti, & iusti coram Deo.

Ad alia arg. Ad alia duo argumenta deducta ex Theologia in sequenti dubio commodiùs respondebitur.

Vtrùm peccatũ remitti possit sine infusione gratiæ. Argu. Scot. ¶ Sequitur dubium inter catholicos; Vtrùm de potentia Dei absoluta possit remitti peccatum sine infusione gratiæ, & sine renouatione hominis interiori? Scotus in 4. distinctione 1. quæstione 6. distinctione 14. quæstione 1. distinctione 16. quæstione 2. tenet partem affirmatiuam quæstionis, & probat non infirmis argumentis.

Prim. argu. ¶ Nam homo post commissum peccatum dicitur tantummodo peccator ex reatu, id est, ex obligatione ad pœnam: sed Deus potest velle non punire peccatorem, & sceleratissimum

Iudam

Iudam ab inferni pœnis liberare sine infusione gratiæ: ergo potest remittere peccatum sine infusione gratiæ.

Secundũ. ¶ Secundò, peccatum & gratia sunt opposita mediata; mediat enim status in puris naturalibus, in quo homo conditus nec esset in peccato, nec haberet gratiam: ergo potest deleri peccatum sine gratiæ infusione. Consequentia inde probatur: nam potest homo remoueri ab vno contrario sine eo quòd deducatur ad alterum, quando sunt contraria mediata: album enim non solùm tollitur per nigrum, sed per pallidum, aut rubeum.

Tertium. ¶ Tertiò, peccatum habet duo contraria; rectitudinem naturalem, & supernaturalem, vt planè constat: ergo quæcunque istarum rectitudinũ ponatur, delebitur peccatum; & ex consequenti potest remitti peccatum per hoc quòd homo deducatur ad rectitudinem naturalem absque infusione gratiæ.

Quartum. ¶ Ad hæc, qualemcunque Deus potuit facere voluntatem, talem potest reparare postquam peccauit; sed potuit facere voluntatem in puris naturalibus, hoc est, sine peccato, & gratia: ergo potest talem reparare.

Argumẽta in fauorem Scoti. ¶ Sed in fauorem huius sententiæ Scoti argumentari possumus fortiùs. Nam si gratia, & peccatum sunt opposita immediata priuatiuè post peccatum, sequitur quòd Deus ex sua omnipotentia non potest hominem iustum à sua gratia deijcere absque eo quòd peccet homo ille. Consequens est manifestæ falsitatis. Nã Deus, quæ sua est omnipotentia, potest deijcere omnes sanctos à regno cœlorum, & illos à sua gratia depellere. Quòd rectè sequatur, patet: nam Deus non potest tollere lumen ab aëre, nisi per tenebras; nec potest tollere visum à Petro permanente, nisi per cœcitatem: quoniam sunt opposita immediata priuatiuè.

Prim. argu.

Secundum. ¶ Secundò, Deus potest remittere peccatum homini, dando ei gratiam; & postmodum potest abijcere illum à sua gratia: ergo in principio potuit remittere peccatum sine gratia.

Tertium. ¶ Tertiò, Deus potest annihilare peccatorem, in quo manet auersio, & prauitas peccati; & potest illum reproducere sine tali auersione: ergo potest tollere peccatum sine gratiæ infusione.

Quartum. ¶ Quartò, constituamus hominem in puris naturalibus, qui non habeat gratiam, nec charitatem, nec sit destinatus ad finem supernaturalem; si iste peccat, non priuatur gratia, nec charitate supernaturali: ergo sufficienter reducitur in pristinum statum, etsi gratia ei nunquam cõferatur. Confirmatur: alioqui sequitur, quòd homini constituto in puris naturalibus, vt Deus remittat peccatum quod fortè commisit, necesse sit vt Deus illum diligat dilectione supernaturali: nam gratia est dilectio gratuita, qua Deus nos amat in ordine ad finẽ supernaturalẽ. Confirmatur secũdo: nam sequitur apertè, quòd ille homo in illo statu si peccat peccatum mortale, non possit habere remedium. Quòd rectè sequatur, patet: nam peccatum, secundum istam opinionem, non habet remedium nisi per gratiæ infusionem: sed homo conditus in puris naturalibus non est destinatus ad aliquam gratiam supernaturalem: ergo remedium non habet. ¶ Vltimò, Deus propter meritum Christi remittit peccatum cum sola attritione, & susceptione sacramenti baptismi, & pœnitentiæ, vt habet Theologorum receptissima opinio: sed isti homines solùm attriti sunt verè peccatores; attritio enim sola non sufficit delere peccatum: ergo Deus remittit peccatum sine gratia iustificante.

Cõfir. secũ.

Vltim.

¶ In contrarium est autoritas Diui Thomæ, qui ad finem articuli dicit, quòd non potest intelligi remissio peccatorum sine infusione gratiæ. Hæc sententia Diui Thomæ potest confirmari optimis argumentis. ¶ Nam peccatum, præter reatum, & obligationem ad pœnam quam secum affert, est macula, & deformitas in anima existens: Sed deformitas non potest tolli ab aliquo nisi per pulchritudinem inhærentem, quam appellat Diuus Thomas infusionem gratiæ. ¶ Secundò, peccatum est auersio, & obliquitas à regula; sed est repugnantia, quòd auersio tollatur nisi per conuersionem. ¶ Tertiò, peccatum dicit vulnus, & animæ infirmitatem, vt planè testantur sanctæ scripturæ: sed est implicatio contradictionis, quòd anima vulnerata sanetur nisi per salutem inhærentem: ergo repugnantia est quòd tollatur peccatum, & vulnus sine renouatione animæ interiori. Hæc omnia confirmantur. Nam cùm remittitur peccatum, fit anima de immunda munda; sed hoc non potest fieri sine aliqua transmutatione vera, & reali: hæc autem transmutatio terminatur ad aliquam formam, quæ omnino peccato repugnat: ergo non potest deleri peccatum sine renouatione animi interiori. ¶ Quartò, ab vno contrario ad aliud contrarium non fit transitus nisi per transmutationem realem, sed in remissione peccatorum fit anima de immunda munda, & pulchra: ergo non potest fieri sine transmutatione reali ipsius animæ. Explicatur hoc: Quando anima fit de immunda munda, vel habet se sicut antea, vel alio modo. Si primum: ergo immunda, & sordida manet. Si verò secundum; ergo interius est renouata, & mutata.

D. Thom. vera sententia.

Cõfir. prim.

¶ Quintò, quando Deus remittit peccatum, & facit animam iustam, & rectam, vel aliquid in ea operatur, vel nihil: Si nihil operatur; ergo

manet

manet praua & immunda, ſicuti prius. Si aliquid operatur; ergo remiſsio peccati fit per tranſmutationem animi noſtri realem. Explicatur hoc exemplo. Nam cùm remittitur peccatum originale, vel manent potentiæ animæ noſtræ auerſæ, & deordinatæ ſicut antea, vel manent conuerſæ, & rectè ordinatæ. Si primum; ergo non eſt remiſſum peccatum. Si ſecundum; ergo iam eſt facta animi interioris renouatio.

Prim. cõcl. ¶ Ad huius rei expoſitionem eſt prima concluſio. Deus poteſt remittere omnem pœnam homini conſtituto in peccato mortali, permanente eius animo prauo, & iniquo. Probatur: nam Deus nulla neceſsitate compellitur ſumere vindictam de peccatoribus: ergo poteſt, ſi vult, non ſumere ſupplicium de peccatoribus. Hoc ita eſſe probat efficaciter argumentum primum factum pro opinione Scoti. Sed eſt notandum, quòd hæc condonatio pœnarum, remiſsio peccatorum propriè non eſt; nam manet homo prauus, & iniquus coram Deo.

Secũ. cõcl. ¶ Secunda concluſio. Poteſt Deus remittere peccatum ſine gratia quæ ſit qualitas animæ. Loquimur de potentia Dei abſoluta. Probatur hoc: nam Deus per auxilium ſuum ſpeciale, & inſpirationem diuinam poteſt animum hominis ad ſe conuertere, & à prauitate auertere. Rurſus, poteſt Deus hominem diligere, & efficere ſui dilectorem, ſine habitibus infuſis, vt ſuprà demonſtratum eſt. Sed contra hanc ſolutionem ſolent fieri non inualida argumenta, de quibus dictum eſt ſuprà quæſtione 110. ad finem.

Tert. cõclu. ¶ Tertia concluſio. Si gratia accipiatur vt ſignificet gratuitum Dei beneficium, repugnantia eſt quòd Deus remittat peccatum ſine gratia; nam ipſa remiſsio peccati eſt gratuitum Dei beneficium.

Quar. cõcl. ¶ Quarta concluſio. Si loquamur de perfecta peccatorum remiſsione, repugnantia eſt quòd remittatur peccatum ſine gratia, & diuina beneuolentia acceptante; ſiue accipiatur pro gratia creata, aut increata. Patet. Nam tunc eſt perfecta remiſsio peccati, quando redîmus in gratiam cum Deo, & ei reconciliamur, & inimicitia, quam peccatum inuexerat, deſtruitur: hoc verò ſine diuina beneuolentia fieri non poteſt. Et confirmatur ex rebus humanis. Nam tunc inter homines offenſa perfectè dimittitur, quando homo redit ad gratiam quam per peccatum perdiderat: & de hac perfecta peccatorum remiſsione loquitur Diuus Thomas in articulo, cum dicit, non poſſe intelligi remiſsionem peccatorum ſine infuſione gratiæ. Ex quo inferunt quidam viri doctiſsimi, quòd licèt poſſet facere, quòd tunc homo, qui nũc eſt in peccato, ſit ſine peccato, & ſine gratia, non eſt conſequens quòd poſsit remittere peccatum ſine gratia: nam hoc propriè non eſt remittere peccatum: non enim reſtituitur homo ad id quod perdiderat per peccatum. Quod ſi verùm eſt, omnia argumenta Scoti facillimè confutantur: probãt enim tantùm, quòd poſsit Deus poſt peccatum efficere quòd homo maneat ſine peccato, & gratia: hoc autem propriè non eſt remittere peccatum, vt dictum eſt. Sed de huius ſententiæ cenſura infrà dicendum eſt.

Quædam D. Thom. explicatio.

Quin. cõcl. ¶ Quinta concluſio. Repugnantia eſt, & eſt ex his rebus quæ fieri nequeunt, quòd Deus remittat peccatum homini qui actualiter adhæret peccato. Nam implicatio contradictionis eſt, quòd Deus non odio habeat peccatorem; & ſimilis repugnantia eſt, quòd peccatum non ſit contra diuinam voluntatem. Inſanit ergo Lutherus, qui dicit, hominem iuſtum in quolibet opere ſuo peccare mortaliter, tamen diligi & amari à Deo.

Sexta cõcl. qua aſſeritur D. Tho. ſententia. ¶ Sexta concluſio. Peccatum nulla potentia deleri, aut remitti poteſt ſine renouatione animi interiori, & tranſmutatione reali à prauitate ad rectitudinem: ſic docet Diuus Thomas hîc. Hanc renouationem interiorem appellat Diuus Thomas gratiæ infuſionem: idem docet de veritate, quæſtione vigeſima octaua, articulo ſecundo ad quartum. Caietanus hîc. Soto libro ſecundo de natura & gratia, capitulo decimo-octauo. Capreolus in quarto, diſtinctione prima, quæſtione ſecunda. Pro cuius rei declaratione aduertendum eſt, quòd poſt actum peccati tranſactum manet peccatum reatu, cuius ratio formalis non conſiſtit in ordinatione & imputatione ad pœnam, vt falsò docuit Scotus in quarto, diſtinctione decimaſexta, quæſtione ſecunda; ſed in priuatione ordinis & rectitudinis debitæ ineſſe. Et hæc priuatio appellatur à Theologis macula; à qua denominatur formaliter peccator, & immundus homo, & iniquus, vt optimè declarat Diuus Thomas ſuprà quæſtione 86. articulo primo & ſecundo.

Mag. Soto. Capr. Quid maneat poſt peccatum cõmiſſum. D. Thom.

¶ Ex hoc principio ſtatuto deducitur argumẽtum ad confirmandam noſtram concluſionem. Nam priuatio non poteſt tolli ab aliquo niſi per poſitionem eius formæ cuius eſt priuatio, vt conſtat ex omni Philoſophia: ergo peccatum remitti & deleri nihil aliud eſt, quàm animum reduci ad rectitudinem, cuius peccatum priuatio eſt. Deinde, ſi peccatum eſſet tantùm offenſa Dei, & reatus ad pœnam, optimè poterat intelligi eius remiſsio, & condonatio per denominationem extrinſecã, per non imputationẽ, per hoc quòd animus offenſi reconciliaretur offendẽti: verũ peccatũ eſt macula

& de-

& deformitas, & languor animæ inhærens: ergo repugnantia est quòd peccatum deleatur ab anima, nisi per rectitudinem, & pulchritudinem inhærentem. Item, peccatum est auersio à Deo, & à rationis norma: sed implicat contradictionem, quòd auersio tollatur nisi per conuersionem: ergo implicat contradictionem, quòd peccatum tollatur nisi per rectitudinem. Vltimò, ex eo quòd peccatum tollatur sine rectitudine animæ inhærente, sequitur euidens contradictio: ergo factibile non est. Antecedens probatur: nam ex hypothesi iam non manet peccatum, & ex alia parte manet anima praua, & obliqua: ergo est in peccato, & non est in peccato.

Quid rectitudo & iustitia animi interior.

¶ Sed dubitabit aliquis; Hæc rectitudo animi, & iustitia interior, sine qua nulla potentia potest deleri peccatum, est ne aliqua qualitas superaddita, an ipsemet animus rectè ordinatus? Respondetur, de lege ordinaria est qualitas superaddita, nempè gratia infusa, de cuius definitione superiùs dictum est: sed de potentia Dei absoluta non est necesse quòd sit qualitas superaddita: nam hæc rectitudo essentialiter in hoc consistit, quòd potentiæ animæ inter sese, & cum Deo sint rectè ordinatæ; hic autem debitus ordo potentiarum acquiri potest sine qualitate superaddita, per solum motum earum rerum quæ ordinantur: ergo Deus per motum diuinum potest ordinare nostras potentias sine qualitate superaddita. Confirmatur. Sanitas corporis non est qualitas realiter distincta à quatuor humoribus proportionatis; & pulchrido non est qualitas distincta à recta positione membrorum: ergo rectitudo animi non est necesse quòd sit qualitas distincta à potentijs rectè ordinatis. Exemplum est ex diuina Theologia. Nam peccatum originale, propter quod anima manet praua, & Deo inimica, non est aliqua qualitas morbida superaddita, vt perperam docuit Gregorius Arimin. sed est ipsæ potentiæ animæ nostræ deordinatæ, atque incompositæ: ergo rectitudo animæ nostræ non est necesse quòd sit qualitas superaddita, sed in hoc essentialiter consistit, quòd potentiæ inter sese, & cum Deo sint rectè ordinatæ.

An ad remissionem peccati sufficiat rectitudo naturalis. Mag. Victoria.

¶ Sed proximum est vt accedamus ad summam difficultatem explicandam, Vtrùm ne vt remittatur peccatum, satis sit rectitudo naturalis, an sit omnino necessaria rectitudo supernaturalis. Ad hoc dubium ita respondebat Victoria. Si loquamur de peccato quod priuat gratia, quale est vnumquodque peccatum mortale, de lege ordinaria impossibile est prorsus quòd remittatur peccatum sine rectitudine gratiæ supernaturali. Nam tunc remittitur peccatum, quando restituitur homo ad id quod peccando perdiderat. Si verò homo existens in puris naturalibus peccaret, ad remissionem huius peccati satis esset quòd restitueret illum Deus ad naturalia sine gratia. Hæc sententia nobis olim maximè placuit, sed rem exactiùs consideranti cum Caietano videtur dicendum, nullum peccatum mortale posse remitti sine rectitudine supernaturali. Nam ille cui remittitur peccatum sine rectitudine supernaturali, ad huc manet auersus à fine supernaturali: ergo ad huc peccatum remissum non est. Deinde, ille qui peccat mortaliter est subiectus priuationi gratiæ, & rectitudinis supernaturalis: ergo donec ei restituatur rectitudo supernaturalis, remissionem sui peccati non habet. Vltimò, qui peccat mortaliter, etiam in puris naturalibus existens, ponit obicem amicitiæ diuinæ, & efficitur indignus ad amicitiam diuinam: ergo non potest hoc peccatum deleri, nisi tollatur hæc indignitas. Sed hæc indignitas tolli non potest, nisi per dignitatem supernaturalem. Sed est sciendum, quòd aliqui Doctores non indocti aliter probant propositam sententiam; dicunt enim, quòd quicunque peccat contra legem naturæ, peccat subinde contra legem supernaturalem; itaque perdit rectitudinem naturalem, & supernaturalem. Probant in hunc modum. Nam qui adulterium committit, non solùm transgreditur præceptum de non adulterando, sed etiam præceptum supernaturale, vt nullam creaturam diuinæ amicitiæ præponamus. Hæc probatio mihi non placet: nam si homo existens in puris naturalibus peccat, non peccat contra præceptum supernaturale, si quidem nullum habet: oportet ergo recurrere ad præcedentes probationes. Quibus sic statutis, ad argumenta in contrarium respondendum est.

Vera sententia Caiet.

Ad argum. Scoti. Ad primum

¶ Ad primum respondetur, quòd in peccatoris animo post actum peccati non solùm manet reatus, & obligatio ad pœnam, sed macula, & prauitas animi, quæ nisi per rectitudinem animæ aboleri non potest. Sed quoniam in confutatione huius argumenti dictum est, peccatum non esse tantùm reatum ad pœnam, sed maculam, & deformitatem animi nostri, idque est præcipuum principium ex quo sententia Diui Thomæ confirmatur, libet hîc breui sermone commemorare incommoda quæ secum trahit peccatum, vt demonstrem euidentiùs, quemadmodum sine infusione gratiæ, & animi renouatione resarciri non valeant. Incommoda verò hæc sunt. Macula, quæ contaminat animam; tenebræ, quibus obscurat eam: vulnera, quibus illam sauciat in potentijs, ac viribus; mors insuper spiritualis, quæ diuidit inter animam, & gratiam viuificantem; deniquè

Incõmoda quæ secum trahit peccatum.

reatus,

reatus, quo homo manet reus & obstrictus iustitiæ vindicatiuæ iudicantis Dei. Quòd peccatum sit macula animæ, ex scripturis efficaciter probatur: nam Propheta dicit; Beati immaculati in via: Rursus interrogans, Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? respondet; Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam. Ad hæc Sapiens; Beatus dies qui inuentus est sine macula, id est, sine peccato: &, Christus exhibebit (inquit Apostolus) Ecclesiam suam sine macula, & ruga: quibus si adiũgas illud; Purgationem faciens veterum delictorum; & illud; Sed abluti estis; nõ poterit dubitari quin peccatum polluit, ac cõtaminat animam. Certè peccator, cùm peccat, euidentissimè polluit animam: dum amat, afficitur, & deliciatur in re vetita, bono incommutabili deserto: & quidem hoc indecens est, & indecorum, faciẽs in anima dehonestamentũ quoddam, non quidem nostris oculis visibile, sed Deo, diuinisque spiritibus conspicuum. Huc etiam pertinent diuinę scripturæ, quæ loquuntur de prophanatione qua peccatum communicat, & prophanum reddit hominem: habes Marc. 7. dicente Domino; Ab intus de corde hominum malæ cogitationes procedunt, adulteria, fornicationes, homicidia, furta, auaritiæ, nequitiæ, omnia hęc ab intus procedunt & communicant hominem: communicãt hominem, id est, communem faciũt, vt iam non sit specialis Domino electus de mundo in peculium sibi, sed sit factus quasi vnus de communi perditionis massa: & prophanus, id est, procùl à templo Dei sacro. Apostolus docet, hominem pium esse mundum à peccato, esse templum Dei. Porrò per peccatũ prostituitur mens hominis diabolo, & Angelis eius, quod est prophanare. Tantum de maculis peccatorum. Cui doctrinæ correspondent scripturæ loquentes de purgatione, ablutione, mundatione, lauacro renouationis, aqua munda, quã promittit Ezechiel, & similes, vt est videre in varijs locis scripturarũ. Quòd verò peccatum vulneret animam, commonstratur ex sanctis scripturis. Non est sanitas (inquit Propheta) in carne mea, infirmata sunt omnia ossa mea; intelligens per ossa, vires animi, quales sunt appetitus, ratio, & voluntas: quam vulnerationem docuit Saluator parabolicè, dicens, Homo descendebat ab Hierusalem in Hiericho, & incidit in latrones, & vulneratus est, & semiuiuus relictus. & Michææ. 1. Infirmata est in bonis quæ habitat in amaritudinibus: vbi glossa, infirmata est in virtutibus anima, quæ est in peccatorũ amaritudinibus. Vnde Esai. loquens de spirituali languore, & vulneribus animæ, dicit; Omne caput languidum, & omne cor mœrens: à planta pedis vsque ad verticem capitis non est in eo sanitas: vulnus, & liuor, & plaga tumens non est circumligata, nec curata medicamine, nec fota oleo. hæc Esaias; docens, quòd à principibus vsque ad extremam plebem, à Doctoribus vsque ad imperitum vulgus omnis anima sit ex peccatis vulnerata. Pulchra certè & in primis elegans metaphora, quam persequitur Esaias. Quemadmodum enim corpus dicitur ægrum, & vulneratum, dum vires eius vel morbo, vel inflictione plagæ ita destituuntur sua potentia naturali, vt non rectè valeant suis fungi officijs in bonum ipsius corporis; ita est de anima: peccando enim adeò obtenebratur mentis acies, & sensus hominis, eò quòd peccata sunt tenebræ quædam, vt homo veluti cæcutiens nesciat cernere verum, adeòque inuertitur voluntas, & quasi febrili igne inflammatur pars concupiscitiua, vt homo, tanquam sui impotens, & incontinens, ruat quacunque specie mali impulsus, & astrictus. Quòd verò peccatum præter vulnera naturalium virium inducat mortem spiritualem, docet expressè Iacobus dicens; Peccatum cùm consummatum fuerit, generat mortem: & Sapiens; Homo per malitiam occidit animam suam. Paulus verò insinuat eleganti phrasi, dicens, Stimulus mortis peccatum: quia dum transit ad interiora, videlicet ad consensum voluntatis, tunc diuidit gratiam Dei viuificantem ab anima. Postremò, quòd peccatum reatum inducat, quo anima manet rea iustitiæ vindicatiuæ Dei, expressè testatur scriptura Matthæi. 5. Ego autem dico vobis, omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio: qui autem dixerit, Racha, reus erit concilio: qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis. Quæ omnia si rectè expendat Theologus, videbit apertè quomodo peccatum remitti non possit sine gratiæ infusione. Nam licèt offensa, culpa, & reatus tolli possent per non imputationem, tamẽ macula non potest tolli ab anima, nisi gratia abluente; neque prophanatio, nisi gratia sanctificante: neque vulnus, aut languor sine gratia sanante: neque mors, nisi gratia viuificante. Hæc plus satis pro argumenti primi confutatione.

Psal. 118.

Marc. 7.

Luc. 10.

Mich. 1.

Esai. 1.

Peccatum mortẽ spiritualem inducit.

Peccatũ inducit reatũ pœnæ.

Matt. 5.

¶ Ad secũdũ respõdetur, quòd gratia, & peccatum non sunt opposita immediata respectu hominis absolutè considerati; datur enim medium, vt argumentum ostendit; at sunt opposita immediata respectu hominis lapsi in peccatum: in illo namque nõ datur mediũ. Ratio discriminis est: nam homo cõstitutus in puris naturalibus habet negationem rectitudinis supernaturalis: sed negatio non constituit illum in culpa;

Ad secũdũ.

Peccatũ & gratia an sint immediatè opposita.

in culpa: nam non est priuatio rectitudinis debitæ inesse: cæterum postquã homo peccauit, habet priuationem rectitudinis supernaturalis debitæ inesse, vel saltim posuit impedimentum ad diuinam amicitiam: & ideo nõ remittitur propriè peccatum, nisi rectitudo supernaturalis restituatur. Item alia de causa non datur medium. Nam post peccatum non restituitur rectitudo naturalis sine rectitudine supernaturali: tunc enim reduceretur homo ad rectitudinẽ naturalẽ, quando nec esset dignus, nec indignus diuina amicitia: hæc autem indignitas tolli nõ potest nisi Deus conuertat animum ad sese, & faciat illum dignum diuina amicitia. Loquitur de hac re optimè Diuus Thomas de verit. quæstione. 28. articulo. 2. ad quartum & quintum.

D. Tho.

Ad tertiũ. ¶Ad tertium respondetur, quòd peccatum vtriquè rectitudini aduersatur, naturali, & supernaturali: est enim vtriusq; priuatio: & ideo deleri non potest alterutra, sed vtraque debet restitui. Secundò respondetur, quòd rectitudo naturalis non potest restitui sine rectitudine supernaturali, vt iam dictum est. ¶Sed si vrgeas argumẽto quarto proposito: Deus ad illum statum potest reducere hominem, in quo primùm potuit condere cum sola rectitudine naturali: ergo potest restituere illum ad solam rectitudinem naturalem. Respondetur in primis, non esse eandem rationem: nam post peccatum, gratia & peccatũ sunt opposita immediata. Secundò, concedo ad bonum sensum quòd potest restitui homo ad rectitudinẽ naturalem, sed si non tollatur auersio à rectitudine supernaturali, semper manet in peccato.

Caieta.

Aliter dissoluit hoc argumentum Caietanus; dicit enim esse falsissimum quòd peccato aduersetur gratia, & rectitudo naturalis: rectitudo enim naturalis non aduersatur cuicunque peccato mortali, sed tantùm existenti contra legem naturalem: & hoc imperfectè. Nam peccatum non solùm priuat rectitudine naturali, sed etiam ex consequenti rectitudine supernaturali: propter quod verissimè dicit D. Thom. supra q. 109. arti. 7. quòd peccatum maius bonum aufert, quàm ponat rectitudo naturalis.

D. Tho.

Rectitudo naturalis potest esse cũ peccato.

Ex quo infert Caietanus, quòd rectitudo naturalis potest esse cum gratia, & cum peccato. Quòd posit esse cũ gratia, liquidũ est. Quòd verò cum peccato, patet. Nam in Angelis manserunt perfectiones naturales integræ: peccauerunt verò contra legem supernaturalẽ. Item in pueris, qui discedũt in peccato originali, manet secundum D. Thomam beatitudo naturalis, & tamẽ sunt auersi à Deo vt est finis supernaturalis. Istæ sunt confutationes argumẽtorũ Scoti. Sed & illud cõmemorari potest, quòd argumenta Scoti tantùm probant, posse Deũ facere, quòd iste qui nũc in peccato est, sit sine peccato, & sine gratia; hoc tamẽ nõ est propriè remittere peccatum, vt suprà dictum est.

Ad argumẽta in fauorẽ Scoti. Ad primũ.

¶Ad primum, quod fecimus in fauorẽ Scoti, respondetur, efficaciter conuincere quòd non sunt opposita immediata respectu hominis: nam datur medius status in puris naturalibus. Rursus nõ sunt immediatè opposita respectu hominis iusti, vt argumentum factũ ostendit; sed sunt immediatè opposita respectu hominis peccatoris, propter rationes superiùs commemoratas; sicuti respectu hominis errãtis in fide, lumen fidei, & error sunt immediatè opposita: nõ enim potest tolli error nisi per fidẽ; sed respectu hominis fidelis nõ sunt immediatè opposita: potest enim fides tolli sine errore, vt patet in vita beata. Item dicendũ est, quòd gratia non potest auferri nisi per priuationẽ: sed priuatio gratiæ non solùm est peccatũ, sed ablatio Dei voluntaria. Ad secundum idem dicendum est sicuti ad præcedens.

Ad secũdũ, & tertium.

¶Ad tertium respondetur, quòd ille homo reproductus reproduceretur auersus à Deo, & Dei inimicus: nam commisit peccatum semel, & eius nõ adhibuit remedium. Quòd si quis interroget; A quo reproducitur macula illius peccati quæ manet in anima? Respondent quidã, reproduci à Deo in esse cuiusdã accidentis illius suppositi; rationem verò peccati habere ab interiori voluntate hominis, qua commisit peccatum. Sed absonum videtur mihi vt concedatur macula à Deo produci, & ideo dicendum existimo, quòd comproducitur ex consequio, ex eo, inquam, quòd producatur homo qui fuerat peccator, & nunquã remedium sui peccati fuerat consequutus: veluti cùm Deus producit paruulum in originali peccato, originale peccatũ nõ producitur à Deo, nec sequitur ex productione naturæ humanæ quam Deus efficit, sed ex eo quia natura humana vitio Adami primi parentis est cõmaculata: sic Deus cũ reproducit hominẽ istum qui peccauerat, nõ producit peccati maculam, sed cõsequitur ex hominis anteriori voluntate. Secundò respondetur, quòd quando dicimus gratiã & peccatũ post lapsum esse opposita immediata, intelligimus subiecto permanente; sicuti tenebræ & lumen sunt opposita in aëre: at si aër nõ est, nec est lucidus, nec caliginosus.

Peccatum cõproduci à Deo aliquando posse.

Ad quartũ.

¶Ad quartũ respõdetur, q̃ si homo existens in puris naturalibus peccaret, quãuis non perderet gratiã, poneret obicem ad diuinam amicitiam, & esset indignus diuina amicitia; quæ indignitas nisi per rectitudinem supernaturalem tolli nõ potest. Alia verò inconuenientia quæ commemorantur in argumẽto, ex necessitate sunt deuorãda.

¶Ad

Ad vltimũ. ¶ Ad quintum respondetur, quòd cùm Deus remittit peccatum attritis virtute sacramenti, renouat illorum animos internè per informationem rectitudinis supernaturalis, quam appellat Diuus Thomas infusionem gratiæ.

An peccatũ & gratia ex natura sua opponãtur Scotus. ¶ Aliud dubium est; An gratia, & peccatũ opponantur secundùm naturam, an ex lege Dei, qui sic statuit, vt qui peccat, statim perdat gratiam? Scotus loco citato tenet, quòd opponuntur solùm ex statuto diuino. Caietanus verò

Opinio Caieta. vera. hîc docet contrarium; quod verissimum est. Nam peccatum est offensa Dei, qua homo est infensus, & inuisus Deo: gratia verò est, qua homo est acceptus, & gratus Deo: ergo repugnant suaptenatura. Deinde, idem homo respectu eiusdem temporis repugnãtia est quòd sit Deo gratus, & inuisus: ergo euidens repugnantia est inter offensam Dei, & gratiam. Vltimò, constituamus, docendi gratia, gratiam non esse qualitatem animæ inhærentem, sed qua homo est Deo gratus atque acceptus; tũc facilè est intelligere quomodo offensa Dei, & gratia suapte natura sibi aduersentur. Cum ergo disputant Theologi, an peccatum, & gratia de sua natura aduersentur, non quærunt de his qualitatibus animæ inhærentibus, sed de peccato vt offensa est, & de gratia pro eo quod est facere hominem gratũ Deo, & illi dilectũ. Addiderim etiam ego, quòd gratia, quæ est qualitas de sua natura, opponitur peccato. Nã gratia, quæ est qualitas, suaptenatuta habet facere hominem gratum, vt antea dictum est; alioqui non magis faceret hominem gratum quàm albedo, & nigredo: peccatum verò & offensa Dei suaptenatura faciunt hominem inuisum Deo: ergo de sua natura sibi aduersantur. ¶ Sed contrà. Nam Deus de potentia sua

Obiectiones pro Scoti opinione. Prima obiectio, absoluta potest acceptare peccatorem ad gloriam, & ad vitam æternam: ergo potest efficere quòd homo peccator sit gratus Deo: gratia enim nihil aliud est quàm acceptatio ad gloriam: ex quo consequens est, quòd peccatum, & gratia de sua natura non repugnant. Respõdetur, quòd gratia non est acceptatio ad gloriam, sed dignitas ad vitam beatam. Secundò respondetur, aliud esse, hominem esse acceptatum ad gloriam, aliud esse, hominem esse acceptum & gratum ad gloriam. Primum non semper efficit gratia: secundum verò maximè.

Secunda. ¶ Secundò, comedere carnes feria sexta ante legis positionem non aduersatur gratiæ: ergo gratia & peccatum ex legis positione aduersantur. Respondetur, lex humana potest efficere, quòd id quod non erat peccatum, sit peccatum deinceps, sed postquam est peccatum, de sua natura aduersatur gratiæ: sicut Ecclesia ex sua institutione consecrat calices, sed dato q̃ sint consecrati, vendere, ratione consecrationis, est simonia de iure diuino. ¶ Tertiò, suprà definitum est, de potentia Dei absoluta posse permanere gratiam, quæ est qualitas in homine peccatore: ergo suapte natura non opponũtur. Respondetur breuiter, quòd licèt gratia, quæ est qualitas, habeat de sua natura efficere hominem gratum, nihilominus Deus de sua omnipotentia potest hunc effectum impedire; sicut ignis suaptenatura calefacit; at istum effectum Deus potest impedire.

Tertia. ¶ Aliud dubium solet moueri in hoc articulo, contra id quod dicit Diuus Thomas ad finem articuli, quòd peccatum tollit, & corrumpit gratiam; An tollat gratiam efficienter, an potiùs demeritoriè; sic adeò, vt qui peccat, mereatur vt Deus auferat ab eo suam gratiam? Quæstio est quam tractant Theologi in. 1. distinct. 17. Durandus quæstione. 10. & alij in. 2. d. 26. Caietanus hîc. & 2. 2. quæstione. 24. articu. 10. Certè Scotus, & alij neotherici Theologi arbitrantur, quòd tantùm demeritoriè: quæ sententia probatur his argumentis.

An peccatũ tollat gratiam efficiẽter, vel demeritoriè. Duran. Caieta. Scotus.

Primũ arg. ¶ In primis, opera nostra non producunt efficienter gratiam, sed Deus desuper infundit illam: quomodo ergo opera nostra possunt corrumpere illam efficienter?

Secundum ¶ Deinde, gratia & charitas sunt formæ quædam supernaturales, vt planè constat: non ergo possunt corrumpi actionibus creaturæ: eleuantur siquidem super omnẽ creaturam, & super omnem facultatem, & virtutem creaturæ.

Tertium. ¶ Ad hæc, simus in hora vndecima feria quinta, tunc comedere carnes non corrumpit gratiam efficienter; quãdoquidem talis operatio studiosa est, & minimè prohibita: sed post horam duodecimam ille actus non habet aliquam vim & efficaciam, quam antè non habebat: non ergo corrumpit gratiam efficienter.

Quartum. ¶ Præterea, opera nostra non possunt esse instrumenta ad creandum, neque ad annihilandum, vt testatur Diuus Thomas in pluribus locis suæ doctrinæ: sed gratia cùm desinit esse, annihilatur: est enim quædam forma supernaturalis, quæ venit desuper, & quæ non educitur de potentia subiecti: ergo opera nostra non habent vim, aut energiam vt gratiam corrumpant.

Vltimum. ¶ Iam verò actus nostri tantùm corrumpunt habitum cui contrariantur: vnumquodque enim corrumpitur à suo contrario; iniustitia à iustitia; intemperantia à temperantia; sed peccatum non cõtrariatur gratiæ, quæ est in essentia animæ; sed virtutibus: ergo non corrũpit efficienter gratiã, sed virtutes.

Caietani vera sententia. ¶ Contrariã sentẽtiã sustinet Caiet. in. 2. 2. loco dudũ cõmemorato, atq; etiã in hoc articulo; quæ sentẽtia ostẽditur esse vera fortissimis argumẽtis. Primò sic. Peccatum expellit efficienter charitatem,

tatem,quæ est dispositio necessaria ad gratiã,& sine qua gratia consistere non potest:ergo expellit efficienter ipsam gratiam. Consequentia inde probatur:nam quanquam ignis nõ producat animam in corpore, expellit tamen eam à corpore efficienter, introducẽdo dispositiones contrarias rationali animæ. ¶ Secundò sic. Peccatũ est causa motiua, & inductiua quare Deus hominẽ à sua gratia abijciat: hæc enim causalis vera est,& verissimè dicitur; quia homo peccat peccatum mortale,priuatur gratia: ergo peccatum est causa efficiens, & motiua quare gratia corrumpatur. ¶ Vltimò sic. Constituamus, docendi gratia,nullum esse meritum, aut demeritum,fingamusque Deum nullum præmiũ, aut stipendium pro bonis aut malis operibus constituisse, tunc odium Dei, quod est omnium peccatorum maximum, dissiparet gratiam, & amicitiam: neque enim simul commorari possunt odium & amicitia Dei: at non meritoriè, siquidem ex hypothesi nulla est ratio meriti: ergo efficienter. Sed iam opus est vt argumentis in contrarium adductis satisfaciamus.

Argumẽta in cõtrariũ dissoluuntur.

Ad primũ. Oseæ.13.

¶ Ad primum dicendum,hominem plus posse in malo quàm in bono,iuxta illud;Perditio tua ex te, tantummodo in me auxilium tuũ. Itaq; opera bona,& studiosa,& quæ placeant Deo, nisi adiuti diuinitus efficere non valemus;peccare verò ex nobis possumus;si quidem peccare,deficere est.

Ad secũdũ.

¶ Ad secundum dicendũ,quòd peccatum non expellit gratiam efficiẽter ex eo quòd attingit ipsam gratiam, sed eò quòd introducit dispositiones contrarias, cum quibus gratia consistere non valet;sicut ignis cùm expellit rationalem animam ex corpore, non attingit rationalem animam,cum sit spiritus, sed introducit formas contrarias,eique repugnantes. Vel dicat Theologus,quòd forma accidentaria corrumpitur dupliciter; tum per actionẽ contrarij;tum verò ad desitionem subiecti. Et hoc duobus modis;vel quia desinit esse subiectum simpliciter; vel quia desinit subiectum esse dispositum; veluti si quis esset in causa q aër non esset diaphanus,ex consequio corrumperet lucem in aëre, quæ nisi in corpore diaphano conseruari non potest;non dissimiliter peccatum corrumpit gratiam, quia est in causa quòd subiectum gratiæ non habeat dispositiones conuenientes.

Ad tertiũ.

¶ Ad tertium dicendum, quòd ille actus post horam duodecimã acquisiuit entitatem,& proprietatem quandam moralem, virtute cuius expellit gratiam efficienter,& producit habitum vitiosum, virtuti contrarium.

Ad quartũ.

¶ Ad quartum dicendum, quòd gratia non propriè creatur, neque in nihilum redigitur, vt satis apertè in superioribus ostensum est.

Ad vltimũ.

¶ Ad vltimum dicat Theologus, peccatum contrariari gratiæ, remotè, & mediatè. Nam peccatum contrariatur charitati, vel virtuti, sine qua gratia consistere non valet. Vel dicat,quòd peccatum,si consideretur vt actus quidam, aduersatur virtutibus: si verò consideretur vt est offensa Dei, aduersatur gratiæ, & respicit personam offendentem. Itaque hęc ad inuicem aduersantur, & quidem immediatè,personam esse gratam Deo, & infensam & inuisam: de qua re legatur Caietan.3.parte q. 86.articulo.2. & Pater Soto libro. 2. de natura & gratia cap. 18.

Caieta. Soto.

ARTIC. TERTIVS.

¶ *Vtrùm ad iustificationem impij requiratur motus liberi arbitrij?*

SVMMA TEXTVS.

Conclusio.

Conclusio est affirmãs, quæ sic ostenditur, & demonstratur. Nam in iustificatione mouetur à Deo mẽs hominis ad iustitiam: ipse autem omnia mouet secundùm conditionem suæ naturæ. Cùm ergo homo secundùm propriam naturam sit liberi arbitrij, ideò in eo qui habet vsum eius,nõ fit talis motio sine motu liberi arbitrij, sed ita infundit Deus donum iustificantis gratiæ, vt cum dono moueat hominem ad acceptandum donum gratiæ,in ijs qui sunt huius motionis capaces.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Error Lutheri dãnatur.

IN hoc articulo in primis damnandus est error Lutheranorum,qui dicunt, hominem, cùm iustificatur, non plus agere quàm agat malleus in manu fabri,aut lutum in manu figuli. Hæc sententia condemnata est grauissimè in multis concilijs:& in Concilio Tridentino Sess.6. cap.5.&.9. Damnata est in vniuersis scripturis sanctis, quæ exigunt nostrum consensum ad nostram iustificationem;vt in illo Ioel.2. Conuertimini ad me:& Esai.45. Conuertimini ad me, & salui eritis.& Prou.16. Hominis est præparare animã:& ad Phili.2. Cũ metu & tremore operamini vestrã salutẽ &c. Deniq; est illud Prouerbiũ decãtatũ D. Aug. qui creauit te sine te, nõ iustificabit te sine te. Eadẽ sententia damnata

Conci.Tri. Ioel.2. Esai.45. Prouer.16. Phili.2. Augu.Psal. 144.

damnata est ab vniuersis patribus, & damnatur ex communi hominum consensu. Nihil enim est nobis magis euidens, nec euidentiori experientia comprobatum, quàm quòd liberè credamus, amemus, consentiamus.

¶Secundo sciendum est, quòd hæc quæstio, vtrùm homo liberè consentiat diuinæ gratiæ, & motioni cum iustificatur, habet summam difficultatem: tum ex efficacia diuinæ gratiæ, & diuinæ motionis; tum verò ex necessitate gratiæ: propter quod præclarè dicit Diuus Augustinus libro de gratia Christi, capitulo. 47. Cùm defenditur liberum arbitriũ, gratia Dei videtur negari: quando verò asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putatur auferri. ¶Ex efficacia diuinæ motionis hæc argumenta sumuntur contra liberum arbitrium. In primis, causa libera est, quæ positis omnibus requisitis ad operandum, potest agere, & non agere; hæc enim est definitio libertatis. Sed posita efficaci motione diuinæ gratię qua hominem iustificat, non potest voluntas non operari, & non consentire: Ergo nõ liberè consentit. Probatur minor: alioqui diuina motio non esset efficax, nec omnipotens, contra illud, Omnia quæcunque voluit fecit in cœlo & in terra. ¶Secundò, mouere, & moueri sunt correlatiua, & mutuò se consequuntur: ergo non liberè consentit: itaque sic concludo argumẽtum. Quando adest efficax diuinæ gratiæ motio, homo non potest non operari; & quando nõ adest, non potest operari: ergo nunquam habet libertatem. ¶Tertiò: Quando Deus mouet animum hominis ad iustitiam, nõ potest non operari, & nõ cõsentire: sed modò Deus mouet: ergo modò me necessitat. Profectò si quando sol oritur non possum non diligere amicum; si modò sol oritur, modò necessitor ad diligendum amicum. certè si quis moueret manum meam ad scribendum, cui ego resistere non valerem, scribere meum, liberum non esset, sed necessarium. Cum igitur homo, quã do iustificatur, diuinæ motioni non valeat resistere, consequens est quòd eius iustificatio libera non sit. ¶Vltimò, membra exteriora ea de causa non habent libertatem, quoniam imperio efficaci voluntatis non valent resistere: appetitus verò sensitiuus ea de causa liber est, quoniam resistere valet: ergo si non possumus resistere diuinæ motioni, liberum arbitrium hominis negandum est. Hæc argumẽta ex efficacia diuinæ motionis hanc quæstionem difficilem maximè reddunt. ¶Sed augetur difficultas ex necessitate diuinæ gratiæ. Nam si adiutorium diuinæ gratiæ necessarium est vt homo exurgat à peccato, & iustificetur, sequitur quòd reprobis, quibus negatum est hoc adiutorium diuinæ gratiæ, non imputetur ad peccatum quòd non exurgant à peccato, & non iustificentur. Explicatur difficultas huius argumenti. Nam non magis homo sine adiutorio diuinæ gratiæ potest à peccato resurgere, & iustificari, quàm sine pedibus ambulare, & sine oculis videre. Sed homini cæco non imputatur quòd non videat; & homini alligato non imputatur ad delictum quòd non ambulet. Ergo reprobo homini, cui Deus denegat adiutorium suæ gratiæ, non imputatur quòd non conuertatur. Iterum confirmatur. Nam si Deus denegat adiutorium suæ gratiæ homini bus qui pereunt, cùm hoc adiutorium sit necessarium, consequens est quòd Deus deficiat in necessarijs. Istas difficultates explicat optimè Soto libro. 1. de natura & gratia à cap. 15. vsque ad. 18. Nos breuissimè elucidauimus, primam quidem difficultatem suprà quæstione. 10. arti. 4. secundam verò retrò quæstione 109. articulo vltimo; recolantur quæ in ijs locis dicta sunt.

¶Nunc disputandum est cum catholicis. Pro quo sciendum est, quòd Caieta. ex conclusione huius articuli colligit aliam, quòd homo adultus, habens vsum liberi arbitrij, quando suscipit sacramentum, non suscipit gratiã, nisi habeat actualem liberi arbitrij motionẽ, & actualem intentionem. Probat hoc. Nam Deus cum iustificat impium, & confert gratiam, mouet liberum arbitrium hominis liberè secundùm conditionem eius & naturam: ergo si non mouet actualiter, euidẽs indicium est quòd non confertur gratia. Secundò, si sacerdotes, qui quotidie celebrant sine actuali deuotione, ex diuino sacramento susciperent gratiam, haberent certè magnum cumulum donorum, & virtutum, quod est contra experientiam. Hæc sententia Caietani meritò ab omnibus reprobatur: tum quoniam D. Thomas in articulo cùm loquitur de iustificatione impij, manifestè loquitur cùm fit iustificatio impij per actum liberi arbitrij, & non per virtutem sacramenti: tum verò, quoniam hæc euagatio mentis in susceptione sacramenti sæpenumero est naturalis, & inculpabilis: ergo non est consonum quòd impediat effectum sacramenti: tum tertiò, quoniam si hæc euagatio mentis impediret effectum sacramenti, consequens est quòd sit peccatum mortale, siquidem ponit obicem sacramento, quod est peccatum mortale. Vltimò, licèt hæc euagatio mentis sit in causa quòd non sit actu motio liberi arbitrij ex parte nostra, non tollit quin permaneat consensus voluntatis virtualiter; & hoc satis fuerit in omnibus negotijs tam diuinis quã humanis. Sed de hoc

Augustus.

An efficacia diuinæ motionis repugnet libertati arbitrij.

Primũ arg.

Secundum

Tertium.

Vltimum.

Necessitas diuinæ gratiæ an contraria sit libero arbitrio.

M. Soto.

Caiet.

Sententia Caiet. falsa.

agitur diligentiùs. 3. parte quæſtione. 79. vbi Caietanus tenet mordicus ſuam ſententiam.

Vtrùm de potẽtia Dei abſoluta poſsit iuſtificari homo adultus ſine motione liberi arbitrij. Scotus. Vega. Caieta.

¶Solet etiam diſputari, Vtrùm de potẽtia Dei abſoluta poſsit iuſtificari homo adultus ſine actu liberi arbitrij & conſenſione. Partem affirmatiuam tenet Scotus, Vega libro. 6. capitu. 3. Caietanus ſuprà quæſtione. 112. articulo. 2. Aliqui ex diſcipulis Diui Thomæ id negant in cõment. ſuper tertiam partem, quæſtione. 86. art. 2. vbi hæc materia inueſtigatur. Nobis opinio Caietani videtur probabilior: nam non apparet repugnantia, quòd Deus hominem dormientem in peccato mortali poſsit iuſtificare & animum eius ad ſe conuertere habitualiter, & rectum efficere. Confirmatur. Nam ſi aliquis actus liberi arbitrij eſt perneceſſarius ad noſtram iuſtificationem, concurrit certè vel diſpoſitiuè, vel meritoriè, vel efficienter: ſed omnes iſtas cauſalitates poteſt Deus ſupplere: ergo poteſt iuſtificare hominem adultum ſine actu liberi arbitrij. His explicatis, opus eſt vt ad autorem noſtrum reuertamur, & eius verba diligenter examinemus. Dicit enim Sanctus Doctor, voluntatem noſtram non moueri à Deo ad iuſtitiam, niſi conſentiente libero arbitrio: quæ ſententia videtur falſiſsima. Nam ſæpenumero Deus mouet humanam voluntatem excitante gratia, & præueniente, ſine noſtræ voluntatis aſſenſu: quod in ſuperioribus ſatis probatum exiſtimo, dum de gratia operante, & præueniente inſtituta eſt diſputatio. Quomodo ergo habet verum quod hîc dicit ſanctus Thomas? Certè excitatur, & illuminatur homo non rarò ſine propria deliberatione, aut conſenſione, ſed cùm nihil minus ipſe cogitaret, aut præmeditaretur: de qua re loquitur optimè Pater Soto libro. 1. de natura & gratia, capit. 16. Vt ergo hæc ſententia Diui Thomæ verum dicat, oportet vt intelligatur, quando Deus mouet humanam voluntatem vt iuſtitiam habeat, & efficaciter conſequatur: tunc enim diuina motio mouet hominis voluntatem ad acceptandum proprio conſenſu donum gratiæ oblatum. Pro cuius rei euidenti elucidatione aduertendum eſt, omnia bona opera operari in nobis Deum, vt planè teſtatur vniuerſa ſcriptura: nam in Pſalmo. 36. dicitur, quòd à Deo greſſus noſtri diriguntur; quodque omnia opera noſtra operatur in nobis Deus, ſcribitur Eſai. capitulo. 26. Verùm non minus certum eſt & hoc nos facere, cum facimus, quamuis ille faciat, vt faciamus, præbendo vires efficaciſsimas voluntati, qui dixit Ezechi. 36. Faciam vt in iuſtificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obſeruetis: quem locum adducens Diuus Auguſtinus, inquit; Faciam, vt faciatis; quid aliud dixit, niſi auferam à vobis cor lapideum, vnde non faciebatis, & dabo vobis cor carneum, vnde faciatis? Quando ergo legimus in ſcriptura, quòd omnia opera noſtra operatur in nobis Deus, quòd operatur & velle, & operari, & perficere, quòd operatur omnia in omnibus, quòd facit in nobis quod placeat coram ſe; nequaquam in eo ſenſu accipiendum eſt, vt ſic agi nos, cùm agimur ſpiritu Dei, putemus, quemadmodum faber agit, & mouet ſerram, aut ſecurim, ſed potiùs quemadmodum ſeſſor agit equum. Operatur quidem in nobis Deus, verùm non otioſis nobis, ſed voluntatis conſenſum, & conatum adhibentibus: quanquàm vt velimus ſine nobis operatur Deus, inquit Auguſtinus: de gratia & liber. arbitrio, capitulo. 12. ab ipſo enim præparatur voluntas noſtra. Cùm autem volumus, & ſic volumus vt faciamus, nobiſcum cooperatur: ſine illo tamen vel operante vt velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus. & alio in loco. Non ſolùm Deus poſſe noſtrum donauit, atque adiuuat, ſed etiam velle & operari. Operatur in nobis, non quia nos non volumus, aut nos non agimus, ſed quia ſine ipſius adiutorio nec volumus aliquid boni, neque agimus. Quemadmodum igitur à Paulo dictum eſt; Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Chriſtus: ſic quiſque qui in Chriſto iuſtificatur, poteſt dicere, Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Chriſtus: laboro autem, iam non ego, laborat verò in me Chriſtus. Vnde Auguſtinus; Nos quidem ambulamus, verum eſt: nos obſeruamus, nos facimus; ſed ille facit vt ambulemus, vt obſeruemus, vt faciamus: hæc eſt gratia Dei bonos faciens nos, hæc miſericordia eius præueniens nos. & iterum; Nos ergo volumus, ſed Deus operatur in nobis & velle: nos operamur, ſed Deus operatur in nobis & operari pro bona ſua voluntate: hoc nobis expedit credere, & dicere, hoc eſt pium, hoc verum, vt ſit humilis & ſubmiſſa confeſsio, & totum detur Deo. Hoc eſt quod pie, fideliter, veriſimè dicit Diuus Thomas, quòd cùm Deus quempiam ex adultis iuſtificat, ſic mouet ad iuſtitiam, vt etiam moueat ad aſſenſum voluntatis, ad acceptandum, & amplectendum donum gratiæ quod offertur à Deo. Itaque operatur in nobis Deus omnia opera noſtra, non nobis nihil agentibus, verùm conſentientibus, & cooperantibus nobis. Sed & ipſum velle conſentire cooperari, dona Dei ſunt. Sed reperies quoſdam Theologos, qui cùm dicit Sanctus Thomas, ad iuſtificationẽ impij requiri motum liberi arbitrij in adultis, interpretantur tantùm, quãdo adultus ex impio fit iuſtus. Exiſtimant enim, quòd Angelus, quãdo creatus

D. Tho. verba obſcura.

M. Soto.

Pſal. 36.

Eſa. 26.

Ezechi. 36.

Auguſt. de grat. & lib. arb. c. 16.

Auguſt.

Aug. degratia Chriſti contra Pel. & Celeſt. libro. 1. c. 25.

Aug. cõtra duas epiſt. Pela. lib. 4. ca. 6.

Aug. lib. de bono perſeuer. c. 13.

S. Thom.

Quorundã expoſitio.

creatus est in gratia, atque etiam primus parens, non fuit necessaria voluntatis assensio: non enim valent intelligere, quomodo in primo instáti suæ creationis potuerint liberè operari: sicut enim receperunt naturam à Deo, sic etiam gratiam: naturam receperunt sine consensione voluntatis, sic certè & gratiam sine assensu voluntatis accepisse existimantur: sed quantum valeat horum autorum sententia nó potest hoc in loco competenter examinari, & ideo huius rei tractatio ad alium locum referatur. Profectò Caietanus aliter sentit. 1. parte quæstione. 63. artic. 5. & ratio Diui Thomæ in hoc articulo, si valida est, de omnibus adultis, qui vtuntur vsu rationis, & liberi arbitrij, euidenter procedit. ¶Sed ex hoc argumento D. Thomæ volunt etiam nonnulli Theologi deducere, quòd voluntas, quando liberè præstat suum consensum Deo mouenti, cum iustificat animam, possit aliqua ratione concedi quòd se iustificat: si quidem se præparat ad iustitiam; possit quoque concedi, quòd sit causa suæ iustificationis; vtunturque his argumẽtis ad huius noui dogmatis confirmationem. ¶In primis. In sanctis scripturis frequentissimè dicitur, quòd homo sanctificat se, iustificat se, castificat animam suam, lauat, & mundat se: at prædictæ locutiones non essent veræ cum proprietate, si homo propriè non esset causa suæ iustificationis, & sanctificationis: ergo homo propriè est causa suæ iustificationis. Certè in diuinis literis apertissima & planissima sunt testimonia. 1. Ioan. 3. Omnis qui habet hanc spem, sanctificat se. &. 1. Petri cap. 1. Animas vestras castificantes. Hieremiæ capitulo. 4. Laua à malitia cor tuum. Similia reperies passim in sacro eloquio. His consonant sententiæ Petrum. Hieronymus explicans illud; Iustus ex fide viuit; sic scribit; Is qui ex sua fide viuit, causa est suæ viuificationis. Beatus Chrysostomus eandem docet sententiam, sed in hoc loco cautè legendus est; nam videtur libero arbitrio multum tribuere.

¶Non desunt rationes ex diuina Theologia ad idem confirmandum, quarum prima hæc est. Nam homo propriè & verè se disponit & præparat ad gratiam: ergo propriè & verè est causa suæ iustificationis. Consequentia argumenti inde probatur: nam qui disponit ad aliquam formam, est verè causa introductionis formæ, saltem in genere causæ materialis: & causa materialis vera causa est. Quòd verò homo propriè se disponat ad gratiam, demonstratur. Nam actus liberi arbitrij, fidei, spei, & charitatis, sunt veræ dispositiones ad gratiam, & iustificationem: vnde cùm homo per liberum arbitrium producat huiusmodi opera, consequens est quòd verè se disponat ad gratiam, adiutus tamen gratia prœuenienti. Atqui hoc argumentum tam efficax existimatur ab autoribus huius sententiæ, vt dicant efficaciter concludere, quòd inficiari hanc sententiam sit dogma temerarium. ¶Eius etiam rei alterum producunt argumentum. Hæc enim propositio; fides iustificat; vera ab omnibus censetur: quia non excludit charitatem, per quam præcipuè animi iustificatio fit: ergo consimili ratione concedendum est hominem se præparare ad gratiam, & iustitiam: nam hæc locutio non excludit virtutem diuinam, per quam homo disponitur. Et certè cùm homo virtute diuina adiutus producat dilectionem supernaturalem, quæ est immediata dispositio ad gratiam, videtur concedendum, quòd homo propriè se disponat ad gratiam. Hæc ratio colligitur ex Concilio Tridẽtino Sess. 6. can. 5. vbi post alia multa, quæ huic proposito conducunt, sic habetur. Cum in scripturis dicitur; Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos; nostræ libertatis admonemur. Ecce quemadmodum propter humanæ voluntatis liberum consensum, quem homo Deo mouenti præstat, dicitur se conuertere ad Deum: conuersio verò ad Deum est vera dispositio, & præparatio ad iustitiam.

¶Sed audiamus tertium argumentum. Hæc (inquiunt) assertio ab omnibus conceditur, quòd sacramenta nouæ legis causant gratiã, & efficiunt hominem gratum; in qua locutione non excluditur diuina virtus sacramentis assistens: consimili ergo argumentatione potest concedi, quòd homo præparat se ad gratiam, & efficit se gratum & iustum coram Deo: nam hæc locutio non excludit adiutorium diuinæ gratiæ, qua homo ad gratiam se præparat.

¶Sed vltimum argumentũ vehementer exaggeratur. Homo (inquiunt) propriè generat hominem, quanquam non causat rationalem animam; quia causat vltimam dispositionem ad introducẽdum rationalem animam, quod ex Physica nunc pro certo statuitur: cùm igitur homo à Deo adiutus causet vltimam dispositionem ad gratiam & iustitiam, vt suprà ostensum est, videtur concedendum, quòd homo efficit se gratum, & iustum. Autores huius opinionis sunt viri præclarissimi, quos honoris causa nomino. Ruardus Taper. articulo de iustificatione, pagina. 5. & Pater Cano libro. 12. de locis Theo. capitu. 13. ad. 7. Sed nunquam inducam in animum meum, vt hanc sententiã verã esse credam: imò cõtrariũ esse certũ, superiùs memini me latissimè & fusissimè demõstrasse, & argumẽta, quæ ab istis autori-

Caieta.

Animã seipsam iustificare quidam docẽt, cũ præbet consensum Deo mouẽti.

Primũ arg. ex scripturis.

1. Ioan. 3.

1. Petri. 1.

Hiere. c. 4.

Hierony. Abac. 2.

Chryso. homil. 42. ad ad populũ.

Prima ratio.

Secunda.

Conci. Tri.

Tertia.

Quarta.

Cano.

Anima nequaquã seipsam iustificat.

autoribus exaggerantur, facillima ratione labefactasse, & subuertisse. Nunc verò vt vltimã manum huic quæstioni imponam, sciendum
Augusti. est, quòd Diuus Augustinus nobiscum sentit. Is namque sermone. 15. de verb. Apostoli pro eodem existimat, quòd homo se faciat iustũ & gratum coram Deo, & quòd iustitia sit ab homine, & propria ipsius hominis. Sciendum est rursus, quòd testimonia scripturarũ ab his autoribus adducta parùm illos iuuant: nam loquuntur de homine iam iustificato, de quo di
Apoca. vlt. citur Apocal. vlt. Qui iustus est, iustificetur ad huc: & in alio loco dicit scriptura; Non verearis vsque ad mortem iustificari.

ARTIC. QVARTVS.

¶ Vtrùm ad iustificationem impij requiratur motus fidei?

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Conclusio est affirmãs, quæ ostenditur primò ex illo; Iustificati ex fide pacem habeamus ad
Roma. 5. Deum. Deinde euidenti demonstratione. Nam ad iustificationem requiritur quòd homo à Deo excitatus conuertatur ad Deum, iuxta illud; Conuertimini ad me. Prima autem conuersio in Deum fit per
Hebræ. 11. fidem, secundùm illud; Accedentem ad Deũ oportet credere quia est, & quòd inquirentibus eum sit remunerator: Ergo motus fidei perneccessarius est ad impij iustificationem; potissimè ille, quo homo credit Deum esse iustificatorem hominum per mysteriũ Chri
Roma. 4. sti: quod patet ex illo; Credenti in eum qui iustificat impium, fides reputatur ad iustitiam.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Fides necessaria. Sciendum est, quòd fidem esse necessariam ad nostram iustificationẽ est primum principium doctrinæ
Heb. 11. christianæ; quod patet ex illo; Sine fide impossibile est placere Deo. & iterum; Accedentem ad Deum oportet credere quia est, & quòd quærentibus se remunerator sit: & Marci vltimo. Qui non crediderit, cõdemnabitur: & Ioan. 3. Qui non credit, iam iudicatus est. Hæc veritas est definita in Concilio Tridentino Sess. 6. c. 6. &. 8. ¶ Secundò sciendum est, quòd fides duplex est, vel (vt propriùs loquamur) habet duplicem statum; implicitum, & explicitũ. Fides implicita est, qua lumine supernaturali edocti credimus Deum esse, & remuneratorem esse; quæ in virtute cõtinet omnia mysteria religionis christianæ. Hæc fides in omni tempore, & in omni statu fuit semper necessaria ad salutem: de hac enim loquitur D. Paulus cũ dicit; Sine fide impossibile est placere Deo. Fides explicita est, quæ cõtinet explicitè, & distinctè omnia mysteria religionis christianæ creditu necessaria, & mysterium Trinitatis, & incarnationis, &c. Et de hac fide certissimum est quòd post sufficientem Euãgelij promulgationem necessaria est ad nostram iustificationem & salutem: de hac enim dicitur; Qui nõ credit, iam iudicatus est: &, Qui non crediderit, condemnabitur: & Athanasius in Symbolo; Qui hanc fidem firmiter non habuerit, saluus esse non poterit. Vtrùm verò in aliquo casu extraordinario post sufficientem Euãgelij promulgationem satis sit fides implicita ad iustificationẽ, quæstio est grauissima, quæ solet tractari in. 2. 2. q. 2. de fide, & in materia de sacramentis. Nunc tantummodò explicandum est, quid sit illud, quod oportet credere cùm homo iustificatur: non enim tenetur, cum iustificatur, de omnibus fidei mysterijs recogitare, neque ea ad memoriam reducere. D. Tho. tribus verbis (quod aiunt) explicat nobis quid in hac re sit tenendum: dicit enim in solutione tertij argumenti quòd tenetur credere Deum esse iustificatorem hominum per mysterium Christi: idque copiosiùs explicat Concilium Tridentinum hoc pacto in Sess. 6. c. 6. Disponuntur, inquit, homines ad ipsam iustitiam, dum excitati diuina gratia & adiuti, fidem ex auditu concipientes, liberè mouentur in Deum, credentes vera esse quæ diuinitus reuelata & promissa sunt: atque illud in primis, à Deo iustificari impium per gratiam eius, per redemptionem quæ est in Christo Iesu; & dum peccatores se esse intelligentes, à diuinæ iustitiæ timore, quo vtiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se conuertẽdo in spẽ erigũtur, &c. ¶ Sed dubitatio sequitur valde magna; Vtrùm ad iustificationem impij sic requiratur motus fidei, vt sola fides sufficiat. Lutherus affirmat sola fide homines iustificari apud Deũ: estque hic articulus omnium hæresum nostri temporis fons & origo. Probat Lutherus in primis hoc argumẽto. ¶ Nam in sanctis scripturis frequen-

Marci vlti. Ioan. 3. Cõci. Trid. Fides duplicẽ statũ habet. Paulus. Athanasius Quid teneatur homo credere cùm iustificatur. D. Tho. Cõcil. Tri. Vtrùm sola fides sufficiat ad iustificationẽ Lutherus. Primũ arg.

quentiſsimè aſſeritur, quòd omnis qui credit, & habet fidem, ſalutem conſequitur: ergo ſola fides ſufficit ad ſalutem; alioqui multi crederent, qui non ſaluarentur. Antecedens argumenti patet ex innumeris ſanctæ ſcripturæ teſtimonijs. Roman. 1. Euangelium eſt virtus in ſalutem omni credenti. & c. 3. Iuſtitia Dei per fidem Ieſu Chriſti in omnes, & ſuper omnes qui credunt in eum. & Ioan. 3. Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ſic exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in ipſum non pereat. & iterum; Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, & Abac. 2. & Rom. 1. & ad Gala. 3. Iuſtus ex fide viuit. Atqui hoc eſt Lutheranorum primum argumentum. ¶ Sed ecce producunt alterum ex diuinis literis. Nõ iuſtificatur homo ex operibus legis, & iuſtificatur per fidem ſine operibus legis: ergo iuſtificatur ſola fide. Antecedẽs huius argumenti oſtenditur ex illo; Ex operibus legis non iuſtificatur omnis caro coram illo: & iterum; Arbitramur hominem iuſtificari per fidem, & non ex operibus legis: & rurſum; Scientes quòd ex operibus legis non iuſtificatur homo, niſi per fidem Ieſu Chriſti: & ad Roma. 4. Si Abraham ex operibus iuſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deum. quo in loco arguit Paulus hoc modo, ſicut exiſtimat Lutherus. Abraham, qui eſt forma, & exemplar credentium, & iuſtificandorum, nõ ex operibus, ſed ex ſola fide iuſtificatus eſt: ergo qui iuſtificatur, non iuſtificatur ex operibus, ſed ſola fide. Atqui hoc argumento putãt ſe euidenter ſatisfacere catholicis, cùm Lutheranos vrgent, quo in loco inueniatur in diuinis literis, hominem ſola fide iuſtificari; illud enim verbum, ſolã, nunquam inuenitur: vtiq; reſpondent, inuẽniri expreſſè: nam Lucæ. 8. dicitur; Noli timere, tantùm crede, & ſalua erit filia tua: ſed quanquam non inueniretur ſub hac nominis appellatione, inuenitur ſatis expreſſè & dilucidè: nam dicitur in diuinis literis, fide hominem iuſtificari, & non ex operibus alijs: dicitur ergo ſatis diſtinctè, quòd ſola fide iuſtificamur. ¶ Sed pergunt Lutherani, & aliud proferunt argumẽtum. Nam ad ſalutem & iuſtitiam tantummodo eſt neceſſarium verbũ Dei: ſic enim pronuntiat Iacobus. Suſcipite inſitum verbum, quod poteſt ſaluare animas veſtras: & Pſalmographus inquit; Miſit verbũ ſuum, & ſanauit eos: ſed verbum diuinum ſola fide apprehendimus: ergo ſola fide iuſtificamur. Sed & illa ratio non eſt contemnenda, qua quidam vtuntur. Nam Deus, quæ ſua eſt omnipotentia, poteſt ſaluare & iuſtificare hominem per ſolam fidem; & hoc videntur ſonare ſanctæ ſcripturæ: ergo ita eſſe, aſſerẽdum eſt, potiſsimè cum Sancti Patres, Hilarius, Ambroſius, & Origenes hãc locutionẽ; ſola fides iuſtificat; approbent vt veram, & planè diuinam: & B. Auguſtinus ſuper Pſal. 32. ſic habet; Fides tua, tua iuſtitia. & in lib. de perfect. iuſtitia dicit, quòd fides eſt vita animæ: & in Pſal. 88. elucidans illud, Deſtruxiſti eum ab emundatione, dicit, quòd ſola fides mundat nos. Bernardus epiſt. 77. dicit, quòd ſola fides iuſtificat. & D. Thomas. 3. p. q. 70. artic. 4. ad. 2. dicit planè, quòd ſola fides Chriſti venturi iuſtificabat Patres veteris teſtamenti: & 1. ad Timot. 1. lectione. 3. dicit de operibus legis, quòd non eſt in illis ſpes ſalutis conſtituenda, ſed in ſola fide: & D. Caietanus elucidãs Pſal. 2. dicit apertiſsimè, quòd ſola fides iuſtificat. quæ locutio etiã inuenitur in alijs Patribus Eccleſiæ, quos refert diligenter Vega lib. 1. ſuper Concil. Trident. c. 23. Dicunt itaque Lutherani, quòd ſola fide iuſtificamur; idque merè gratis, & ſine reſpectu bonorum operum. Sed nomine fidei non intelligunt fidem catholicam, & vniuerſalem, quam illi appellant fidem hiſtoriæ, ſed fidem quandam ſpecialem, qua quis certò credit, & ſtatuit ſibi peccata eſſe remiſſa per Chriſtum, ſicut credit Chriſtum eſſe mortuũ pro peccatoribus: & hanc fidem appellant ſpecialem, quia non credunt in genere, & in cõmuni tantùm peccata eſſe dimiſſa verè pœnitentibus, ſed quiſque certò credit ſibi peccata eſſe remiſſa. Ex hac fide ſpeciali facilè eſt intellige re omnes errores hæreticorum qui hac ætate graſſantur. In primis errant dicentes quòd ſola fides iuſtificat, excludentes ſacramenta, pœnitentiam cordis, charitatem, bonum propoſitum: hæc, inquiunt, non iuſtificant, ſed ſola fides. Rurſus in illo nomine fidei latet alius error: dicunt enim, quòd fides vera eſt, qua quis certò ſtatuit peccata ſibi per Chriſtũ remiſſa eſſe: hanc autem non eſſe veram fidẽ, ſed mendacem, infrà demonſtrabimus. Tertiò errant dicentes quòd ab iſta fide ſpeciali charitas nũquam ſeparari poteſt: quapropter concedunt cum catholicis, quòd fides quæ iuſtificat, eſt fides quæ per charitatem operatur; ſed in ſenſu hæretico, vt infrà explicabitur. Quartò errant dicentes quòd ab iſta fide ſemel ſuſcepta nemo decidere valet: nam hæc fides facit nos eſſe oues Chriſti; oues autem Chriſti nemo rapit de manu eius. Quintò errant dicẽtes quòd non eſt niſi vnum peccatum infidelitatis, & non eſt niſi vna iuſtitia, nẽpè fides ſola. Sextò errant dicentes quòd hæc fides, quãlibet præclara ſit, non eſt aliqua diſpoſitio, nec meritũ aliquod, nec aliquid conducit ad noſtram iuſtificationem, ſed eſt veluti manus qua apprehendimus

Rom. 1. Ioan. 3. Abac. 2. Rom. 1. Gala. 3. Secundum Roma. 3. Gala. 2. Roma. 4. Tertium. Iacob. 1. Pſal. 106.

Hilari. can. 8. in Matt. Amb. ſuper epiſt. ad Roma. cap. 2. & 4. Orig. ibid. ca. 3. Auguſt. Bernar. D. Tho. Caieta. Vega. Errores Lutheranorũ. Primus error. Secundus. Tertius. Quartus. Quintus. Sextus.

hendimus iuſtitiam Chriſti tãquam propriam qua iuſti ſumus coram Deo. ¶ Sed eſt notandum, quòd Lutherani conuicti teſtimonijs ſacræ ſcripturæ à catholicis adductis, & ipſa rerum euidentia (eſt enim inſaniſsimum concedere, quòd homo omnibus peccatis coopertus & affectus ad omnia ſcelera, per ſolam fidem ſit iuſtus apud Deum) præcipuè verò ex illis verbis Domini, Pœnitentiam agite, dicũt, pœnitentiam, & charitatem eatenus requiri ad noſtram iuſtificationem, quatenus ſunt comites inſeparabiles iuſtificãtis fidei. Præterea dicunt, obſeruationem mandatorum eſſe neceſſariam, non quidem ad ſatisfaciendum legi, à qua Chriſtus nos liberauit, ſed in teſtimonium veræ fidei, ad oſtendendam veram fidẽ ex operibus noſtris. Omnes iſti ſenſus ſunt hęretici, & execrandi. In primis namque catholicus debet habere pro certo, quòd ſacramenta verè iuſtificant, vt patet ex illo; Baptizantes eos, &c. & rurſus; Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit: & Ioan. 3. Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto: & ad Titum. 3. Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis: & Epheſ. 5. Chriſtus dilexit Eccleſiam, & tradidit ſemetipſum pro ea, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ. Quomodo autem ſacramenta conferant gratiam, diſputatur diligentiùs in materia de ſacramentis. Secundò habeat pro certo catholicus, quòd charitas maximè conducit ad noſtram iuſtificationem: dicitur enim. 1. Ioan. 3. Scimus quoniam tranſlati ſumus de morte ad vitam: quoniam diligimus fratres. & Lucæ. 7. Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. ¶ Sed accedamus ad ſummã rei difficultatem, & oſtendamus opera bona eſſe neceſſaria ad noſtram iuſtificationẽ, & quòd ſola fides non iuſtificat. Pro quo ſciẽdum eſt, quòd ante mille ducentos annos fuerunt quidam hæretici, qui affirmarunt, ſola fide homines iuſtificari. Huius hæreſis autores fuêre, Aetius, & Eunomius, vt autor eſt Auguſtinus. Imò multò antè dum viuerent Apoſtoli fuêre quidam homines non valẽtes intelligere illud D. Pauli, Arbitramur hominem iuſtificari per fidem ſine operibus legis, qui dixerunt, ſolam fidem, ſine recta vita, & bonis operibus, ſufficere ad ſalutem, vt idem Auguſt. refert; dicitque, cæteros Apoſtolos, Petrum, Ioannem, Iacobum, Iudam ſuas epiſtolas ſcripſiſſe ad iſtũ errorem confutandum, propterea que dixiſſe Petrum, quòd in epiſtolis D. Pauli ſunt quædã difficilia intellectu, quæ homines praui & inſtabiles deprauant in ſuam perditionem: de qua re vide Roffenſem articulo primo contra Lutherum, & Soto lib. 2. de nat. & gratia. ca. 5.

Qua ratione Lutherani pœnitentiã neceſſariam dicãt.

Impugnatur Lutherus.

Marci, & Matt. vlti.

Ioan. 3.

Titum. 3.

Epheſ. 5.

1. Ioan. 3.

Luc. 7.

Opera bona neceſſaria ſunt ad iuſtificationem.

Augu. li. de hæreſib. hęreſi. 54.

Augu. li. de gratia & libe. arbi. ca. 7. & lib. de fide & operi. c. 14.

2. Pet. c. vlt.

Ad iſtum errorem confutandum valet illa ſententia; Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata: & illa; Si hæc ſcitis, beati eritis ſi feceritis ea: & alibi; Qui diligit me, diligetur à patre meo. & iterum; Qui diligit me, ſermonem meum ſeruabit. D. Paulus manifeſtè conuincit hunc errorem in ſuis epiſtolis Roma. 2. Non auditores tantùm, ſed factores legis iuſti ſunt apud Deum: & ca. 8. Si ſecundùm carnem vixeritis, moriemini: ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis: & ibidem; Ipſe ſpiritus teſtimonium perhibet ſpiritui noſtro quòd filij Dei ſumus, ſi tamen compatimur vt cõregnemus. & 1. Corinth. 6. Nolite errare, nec fornicarij, nec idolis ſeruientes, nec maſculorũ concubitores regnum Dei poſsidebunt: & ca. 10. Nolo vos ignorare fratres, quòd patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt, & tamen non in pluribus eorum beneplacitum eſt Deo. Ergo non ſufficit ſola fides ad iuſtitiam. D. Ioan. manifeſtè refellit hũc errorem, dicens, Filioli, nolite errare: qui facit iuſtitiam, iuſtus eſt: & ca. 2. dixerat; Qui facit iuſtitiam, ex Deo natus eſt. quibus verbis ſubindicat apertè, iſtum errorem, de ſola fide, ſua ætate iam fuiſſe ſubortum. D. Iacobus ſtudioſiùs direxit ſuam epiſtolam aduerſus iſtum errorem: dicit enim, quòd fides ſine operibus mortua eſt, & otioſa: & ibidem demonſtrat, Abraham ex operibus iuſtificatũ eſſe. ¶ Sed ſi dicas, hæc argumenta eſſe inania contra Lutherum: nam Lutherus non negat bona opera, quin potiùs affirmat neceſſariò ſubſequi ex fide iuſtificante, tanquam inſeparabiles comites: propter quod vociferatur Lutherus, nos eſſe calumniatores, & dicit, Nos deſtruimus opera per fidẽ? abſit: imo potiùs ſtatuimus. Reſpõdetur, quòd Lutherus voce tenus affirmat opera, ſed re ipſa negat. Nam licèt dicat requiri pœnitentiam ad noſtram iuſtificationem, dicit tamẽ quòd nihil conducit ad noſtram iuſtificationem. Rurſus dicit, quòd hæc opera requiſita ad noſtram iuſtificationem ſunt peccata mortalia: dicit enim, quòd peccator dum conteritur, & facit quod in ſe eſt, peccat mortaliter, & quòd iuſtus in omni opere ſuo peccat mortaliter, & quòd non eſt verè iuſtus, ſed reputatur iuſtus; atque adeò quòd ſemper eſt trãſgreſſor illius præcepti maximi, Diliges Dominum Deum tuum: hoc autem quid eſt niſi opera bona negare; & aſſerere quòd ſola fides ſine recta vita, & bonis operibus ſufficit ad ſalutem? Præterea, Lutherus affirmat quòd per ſolũm actũ fidei apprehendimus gratiam, & iuſtitiam ad quam ſequitur charitas: Catholici verò dicimus, quòd antecellunt actus fidei, ſpei, & charitatis

Matth. 19. Ioan. 13. Ioan. 14.

Roma. 2.

1. Corin. 6.

1. Ioan. 3.

Iacob. 2.

Lutherus ſola voce affirmat opera neceſſaria eſſe.

ritatis ordine naturæ, quibus præparamur ad nostram iustificationem. Vltimò, in hac sentẽtia Lutheri latent alij quatuor errores. Primus est, quòd vera fides & christiana est, qua quis certò statuit peccata sibi esse dimissa per Christum. Hæc non est vera fides, sed mendax: nã nemo hominum in terra viuentium potest certò & infallibiliter cognoscere quòd sibi sint peccata dimissa, vt anteà demonstratum est cõtra Lutherum. Secundus error est, quòd à vera fide charitas nunquam separari potest. Hic error est apertè contra D. Paulum dicentem; Si habuero omnem fidem, id est, verissimam fidem, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Tertius error est, quòd vera fides hæc semel habita perdi non potest. Hic error confutatur in vniuersis scripturis, in quibus apertè asseritur, aliquos à fide, à gratia, à veritate excidisse, & naufragium fecisse circa fidem. Quartus error est, quòd per solam fidem iusti reputamur apud Deum, sed non sumus verè iusti. Sed de confutatione huius iustitiæ imputatæ nobis, diximus copiosissimè in superioribus.

Latent Lutheri errores.
Primus error.
Secundus.
1. Corin. 13
Tertius.
Quartus.

¶ Ad primum Lutheranorum ex testimonijs sanctarum scripturarum respondetur, quòd cùm dicit Paulus, Fides iustificat; & Euãgeliũ, quòd omnis qui credit in filium Dei non confundetur, non perit, non confunditur; prædictæ scripturæ habent vnum sensum hæreticũ & plures catholicos. Hæreticus sensus est, q̃ sola fides iustificat, & nihil prẽterea necessariũ est. Primus sensus catholicus est, quòd loquuntur de fide perfecta, quæ per charitatem operatur: sic enim dicit Paulus; In Christo Iesu nec præputium aliquid valet, nec circuncisio, sed fides quæ per charitatem operatur. Quid autem sit perfectè credere, & perfectam habere fidem, ex alijs locis scripturæ petendum est; præcipuè Ioan. 7. vbi scriptum est, Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ: scriptura ad quam respexit saluator, habetur. 2. lib. Paralip. capit. 16. vbi sic scribitur: Oculi Domini contemplãtur vniuersam terram, & præbent fortitudinem his qui perfecto corde credunt in eum. Ille autem credit perfecto corde in Deum, qui non solùm præbet fidem diuinis reuelationibus, verùm etiam omnes vires animi sui accommodat ad faciẽdum quod fides præscribit. In eundem sensum dicit D. Augustinus, quòd nõ est habendum pro eodem, credere Deo, & credere Deum, & credere in Deum. Nam credere in Deum, est credendo diligere, & credendo amare, & in eo spem nostram, & amorem collocare. Secunda explicatio: quando dicit Paulus, Fides iustificat; sensus est, lex fidei iustificat; id est, id quod docet fides, iustificat. explicatio est D. Augustini. In eodem sensu dicunt sancti Patres solam fidem catholicam saluare posse: id est, solam religionem christianã posse saluare. In eodem sensu dicitur Acto. 4. Non est aliud nomẽ sub cœlo in quo oporteat nos saluos fieri, nisi in nomine Domini nostri Iesu Christi; id est, non est alia religio, non est alia inuocatio quæ saluet homines. Tertia explicatio est, quando dicit Paulus, hominem iustificari per fidem sine operibus, loquitur de operibus ante fidem factis, non de operibus factis ex fide: & quòd hic sit verus sensus, patet ex illo Ephes. 2. Gratia estis saluati per fidẽ, & hoc non ex vobis, non ex operibus, ne quis glorietur: ipsius enim sumus factura, creati in operibus bonis, vt in ipsis ambulemus. Sic reconciliantur facilè D. Iacobus & D. Paulus. Quando dicit Iacobus, Abraham ex operibus fuisse iustificatum, loquitur de operibus factis ex fide, & ex diuina misericordia. Quando verò dicit Paulus; Si Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum; loquitur de operibus antecedentibus fidem. Sic docet D. Augustinus. Vel D. Iacobus loquitur de operibus ex gratia prodeuntibus: D. Paulus de operibus, quatenus ex viribus liberi arbitrij proficiscuntur. Quarta explicatio est, quãdo dicit Paulus, quòd fides iustificat, sensus est, fides est initium, & radix nostræ iustificationis. Sic explicat Concilium Tridentinum, & profectò hunc sensum præ se ferunt verba Pauli, cùm dicit; Fides est substantia sperandarum rerum: id est, fundamentum & radix sperandarum rerum. Est etiam alia explicatio: fides iustificat, id est, fides ostendit vnde sit petenda vera iustitia, nimirum ex misericordia Dei, & passione Christi: in hoc sensu dicit Paulus, Iustus ex fide viuit, id est, iustus non ex lumine rationis naturalis, sed ex lumine fidei vitam suam dirigit, & gubernat. Vltimus sensus, (qui maximè probatur) est, quòd cum dicit Paulus, fidem iustificare, non opera, sensus est, iustificari hominem gratis, & non ex meritis. Nam D. Paulus semper distinguit fidẽ ab operibus: iustificari verò ex operibus apud D. Paulum est iustificari ex meritis: quod patet ex illo; Ei qui operatur, merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitũ. ¶ Sed dices illa explicatio prima, de fide formata charitate, non explicat mentem D. Pauli. Nam iustificari, est acquirere iustitiam: iustitia verò nostra est gratia, & charitas, vt suprà dictum est: ergo iustificari est acquirere charitatem: ergo absurda explicatio est, quòd per fidem formatam charitate deuenimus ad charitatẽ, & iustitiam. Propter hoc argumentum quidã affirmant,

Argumẽta Lutheri dissoluuntur.
Ad primũ.
Exponit hic locus. Fides iustificat.
1ª explicatio.
Galat. 5.
Ioan. 7.
2. Paral. 16.
Aug. tract. 29. in Ioan. & serm. 61. de verb. domini, & sermone. 1. in vig. Pente.
2ª explicatio.
Augu. li. de spiritu & litera. ca. 12. 13. & 14.
Acto. 4.
Tertia explicã.
Ephes. 2.
Aug. li. 83. quæst. quæstione. 76. & in præfatione Psalmi. 31.
4ª explicatio.
Cõci. Trid. Sess. 6. c. 8.
Hebræ. 11.
Roma. 1.
5ª explicatio.
Rom. 4.

affirmant, quòd illa explicatio ſit abſurda, & incommoda, & adhibent aliam ex D. Auguſtino: ſed non eſt opus incidere in iſtas anguſtias, nec deſerere explicationem Patrum. Dicendum namque eſt ex diuina Theologia, nõ eſſe abſurdam explicationem, quòd per actũ fidei, & charitatis præparemur ad habendam gratiam, & habitum charitatis, quæ diffunditur in cordibus noſtris: imo eſt ſententia certiſſima, de qua diſputandum eſt diligentiùs in ſrà articulo octauo. ¶ Ad ſecundum dicendũ, quòd ex dictis facilè patet, quomodo ſit intelligendus Paulus, cum ſcribit, hominem iuſtificari per fidem, & non ex operibus. ¶ Ad tertium reſpondetur, quòd verbum Dei eſt veluti ſemen, cui ſi accedat ſpiritus charitatis viuificus, iuſtificabit animas noſtras: ſed ex indiſpoſitione animi cui infunditur, manet ſæpenumero ſterile, & effœtum, vt explicauit Dominus in parabola ſeminantis. ¶ Ad quartum dicendum, ſentẽtiam Lutheri eſſe prorſus impoſsibilem, & continere in ſe euidentem repugnantiam. Nam euidens repugnãtia eſt, quòd hominem, alioqui iniuſtum, & omnibus ſceleribus coopertum, Deus per ſolam fidem reputet iuſtum, ac ſanctum: de cuius rei repugnantia dictũ eſt accuratè & copioſe in hac q. art. 2. ¶ Ad ſententias ſanctorum Patrum dicẽdum, quòd ſancti Patres per illam dictionem excluſiuam, ſola, excludũt quidam opera legis Moſaicæ; vt Ambroſius: alij verò virtutem ſacramentorum veteris legis, vt D. Thomas: alij verò exhibitionem ſacramentorum exteriorem, quando non adeſt poſsibilitas, vt D. Bernardus; alij verò aliam religionem, & alium cultũ, vt Martinus, qui in Bulla, qua condemnat errores Ioannis Vuiclephi, dicit, ſola fides catholica ſaluare poteſt. Demum Concilium Tridẽtinum non abſolutè damnat hanc aſſertionẽ; ſola fides iuſtificat; ſed ſub his verbis, quæ habentur can. 9. Si quis dixerit, ſolam fidem iuſtificare, vt intelligat nil aliud requiri ad noſtrã iuſtificationem, anathema ſit.

¶ Sed nunquid ſi aliquis vteretur hac tempeſtate iſta locutione, ſola fides iuſtificat, damnandus eſſet, & in iudicium vocandus? Certè non eſt tutum, neque ſecurum hac locutione vti, neque in concionibus, neque in diſputationibus; tum, quoniã videtur excludere charitatem: tum verò, quoniam videtur ingenerare ſcandalum in animis auditorum, & fauere hæreſi Lutheranorum: tum deinde, quoniam hæretici Lutherani ſic loquuntur, & ſuum errorẽ præcipuum his verbis explicant: à verbis verò hæreticorum cauere maximè debet Theologus, vt demonſtrat D. Thomas. 3. parte q. 16. art. 8. Sed nihiloſecius ſciat Theologus, hanc locutionem poſſe habere ſenſum verum. Nam ea vtuntur ferè vniuerſi ſancti Patres: præter enim eos quos ſuprà commemorauí, vtuntur ea B. Baſilius in homi. de humilit. Chryſoſtomus hom. 3. in epiſt. ad Tit. Athanaſius ſuper cap. 3. epiſt. ad Rom. Theophilactus, Theodoretus ibidem: Diuus Anſelmus in. c. 9. epiſt. ad Hebræos. Senſus autem verus ac catholicus huius locutionis; ſola fides iuſtificat: varius eſt ac multiplex. Primus eſt, quòd fides ſola ex parte intellectus ſufficit ad ſalutem, & iuſtitiã. Secundus ſenſus, vt accipiatur fides pro fide formata; ſic accipit D. Auguſtinus, & D. Bernardus. Tertius ſenſus eſt, vt fides accipiatur pro lege fidei, id eſt, ſola lex fidei iuſtificat. Lex enim fidei includit charitatem, & omnia quæ in lege Chriſti præcipiuntur. in quo ſenſu loquitur D. Auguſtinus libro. 3 contra duas epiſtolas Pelagi. cap. 5. Lex fidei ſeparat iuſtos ab iniuſtis. Quartus ſenſus eſt, quòd fides ſola oſtendit vnde vera iuſtitia ſit petenda, & ſuſcipienda. Cum igitur hæc locutio habeat ſenſum verum & catholicum, non ſtatim eſt damnandus qui ea vſus fuerit; potiſsimè ſi aliunde conſtet eum de bonorum operum neceſsitate veram ſententiam dicere. ¶ Sed dubitabit præterea Theologus, & non ſine cauſa, quid eſt quòd D. Paulus, & vniuerſa ſcriptura frequentiùs adſcribat iuſtificationẽ fidei, quàm charitati, aut pœnitẽtiæ: dicit eñ Rom. 3. Iuſtificati gratis per gratiã ipſius, per redẽptionem quæ eſt in Chriſto Ieſu, quẽ propoſuit Deus propitiatorem per fidem: &, Vnus eſt Deus qui iuſtificat circunciſionem ex fide, & pręputium per fidem: & ad Rom. 5; Iuſtificati ex fide: ſunt etiam illæ inſignes ſententiæ in epiſtola ad Romanos, & in epiſtola ad Galatas; Arbitramur hominẽ iuſtificari per fidem: Iuſtitia Dei per fidem Ieſu Chriſti, in omnes & ſuper omnes qui credunt in eum: & ad Rom. 10. & Philip. cap. 3. iuſtitiam infuſam vocat iuſtitiam Dei; iuſtitiam fidei, iuſtitiam quæ ex fide eſt. & Abac. ca. 2. Iuſtus ex fide viuit. Certè huius locutionis demonſtranda eſt, & quidem diligenter & accutatè vera & ſolida cauſa: Nam profectò homini non ſatis verſato in diuinis literis, & in certaminibus Theologiæ, ex his locis videbitur fortaſsis, vel ſolam fidem iuſtificare, vel fidem in hominum iuſtificatione primas partes tenere, cum tamen certum ſit, & exploratum, charitatem in hac parte maioris eſſe momenti. quod ſic oſtendo ex diuina Theologia. Nam tametſi fides ſit exordium noſtræ iuſtificationis, tamẽ iuſtificatio habet perfectionem vltimam à charitate, quę eſt vinculum perfectionis: quod adeò certum eſt, vt fides ſine charitate nihil proſit, nihil valeat, vt dicit

Aug. epiſt. ad Athan. & lib. de ſpiritu & lite. c. 13. & 14.

Ad ſecũdũ.

Ad tertiũ.

Ad quartũ.

Ad ſententias ſanctorum.

Mart. Põti.

Cõcil. Tri.

Non eſt dicenda iſta propoſitio ſola fides iuſtificat.

D. Tho.

Baſilius. Chryſoſtõ. Athana. Theoph. Theodore. Anſelmus. Sola fides iuſtificat, quotuplex ſenſus contingit.

Aug. lib. de fide & ope. c. 14. & 16. Bern. epiſt. 107.

Auguſt.

Rom. 3.

Rom. 5.

Rom. 10.

Abac. 2.

Quare iuſtificatio tribuatur fidei.

1.Cor. 13. dicit Paulus. Deinde, in iustificatione impij sanctificatur, & renouatur homo interius: & hæc renouatio & sanctificatio præcipuè tribuitur charitati, quæ est nostra iustitia, & sanctificatio diffusa in cordibus nostris, vt definitum Cõci. Trid. est in Concilio Tridentino: fides verò sæpenumero à gratia, & à iustitia separatur, & seiungitur: manet enim in homine peccatore, & iniusto. Potiùs ergo iustificatio charitati debet ascribi: quemadmodum quòd homo viuat præcipuè tribuitur animæ, quæ præstat vitam, & nũquam à functionibus vitæ separatur: qui enim animam habet, viuit: & qui viuit, animã habet; non autem tribuitur corpori, aut semini, à quibus vita sæpenumero separatur, & seiungitur. Præterea, in iustificatione impij simul cum motu fidei est motus liberi arbitrij in peccatum, per detestationem peccati: sed hæc detestatio peccati oritur ex charitate, iux Hierc. 31. ta illud Hierem. 31. Postquam conuertisti me, egi pœnitentiam; hoc est, postquam conuertisti me ad vitæ amorem, ex amore excitata est animæ pœnitentia: hæc autem præparatio per charitatem, & pœnitentiam est tam sufficiens præparatio, vt ad eam continuò sequatur iustificatio; motum verò fidei non statim sequitur iustificatio: in multis enim motus fidei est, in quibus non est iustitia. Sed iam tempus est vt causam huius rei demonstremus; nam charitatẽ in opere iustificationis maioris esse momenti satis probatum existimo. ¶ Triplicem ego huius rei causam apud autores inueni. Prima est, quoniam fides est initium, & prima radix iustificationis nostræ, & omnium aliorum operum quæ in iustificatione conueniunt, se- Hebræ. 11. cundum illud; Accedentem ad Deum oportet credere quia est, & quòd inquirentibus se remunerator sit: & iterum; Sine fide impossibile est placere Deo: & illud; Fides est substantia sperandarum rerum: id est, primum fundamẽtum. Est igitur prima ianua nostræ salutis, sine qua Deum inuenire, & inuocare, Deo seruire, & placere nullus in hac vita potest. Tribuitur ergo iustificatio impij fidei: nam inde iustificatio sumit exordium, à fide dirigitur, ordinatuŕque, & fides demonstrat vnde sit vera iustificatio. ¶ Secunda causa est, quoniam nostra iustitia coram Deo pendet ex gratia Dei, & iustitia Christi, quæ fuit exercita ab ipso in passione, per quam redemit peccatores, & pro ipsis satisfecit: itaque factus est pro nobis iustitia, sanctificatio & redemptio. Ex quo tria deducuntur. Primum est, quòd non habemus fiduciam in nostris operibus quatenus prodeũt ex nobis, quasi sufficiant ad iustitiam. Secundum, quòd subijcimus nosmetipsos iustitiæ Dei communicandæ nobis per Christum. Demũ ex hoc euacuatur gloriatio liberi arbitrij, & amplificatur gloria Dei iustificãtis homines sine meritis per meritum Christi Domini. Hoc explicatur à Diuo Paulo dicente in hunc Phili. 3. modum: Secundùm iustitiam quæ in lege est conuersatus sine querela: sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta. Verumtamen existimo omnia detrimenta esse propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini nostri, propter quẽ omnia detrimentum feci, vt Christum lucrifacerem. In quibus verbis habetur, quemadmodum in nostris operibus fiduciam non habeamus: & Rom. 10. dicit Paulus; Ignorantes iusti- Roman. 10. tiam Dei, & suam volentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti: qua in sententia apertè significatur, quomodo sancti & verè iusti subijciantur iustitiæ Dei: & ad Roman. 3. Omnes Roma. 3. peccauerunt, & egẽt gloria Dei: & subdit, Vbi est gloriatio tua? excluſa est. Per quam legem? factorum? Non, sed per legem fidei. Ecce quẽ admodum in iustificatione impij glorificetur & amplificetur Dei gloria, quæ omnia agnoscit fides. Itaque fides non solùm est initium nostræ iustificationis, sed respicit Christum, & iustitiam eius: ex quo resultant illa tria quæ in superioribus sunt amplificata. ¶ Tertia causa est, quoniam cùm D. Paulus ascribit fidei iustificationem, non loquitur (quantum ego existimo) de persuasione intellectus, & de lumine quo credimus indubitãter ea quæ à Deo reuelata sunt, sed de lege fidei: lex autẽ fidei est lex spiritus, & charitatis, quæ diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctũ; de qua lege fidei in superioribus satis dictũ est. ¶ His verò possumus addere quartam causam, quam apud D. Augustinum inuenio, quæ sic habet. Aug. de fide & operibus cap. 1. Ab his qui religionem christianam profiteri volebant, ab ijs, inquam, primò & præcipuè fides exigebatur, vt salutis ianua. Sed postquã in christianismum erant recepti, de operibus pœnitentiæ, & charitatis, multus & assiduus erat sermo. Diuus ergo Paulus quoniam hoc præcipuè agebat, vt homines ad Christum traheret, in exordio fidem exposcebat, fidem prædicabat, fidem spirabat, totus denique in hoc incumbebat, vt à lege veteri homines abstraheret, & ad fidem Christi cõduceret: postquam verò Christum suscipiebant, edocebat illos quemadmodum oportebat eos ambulare in Ecclesia Christi, & in operibus charitatis sese exercere deberent, vt remissionem peccatorum, & iustitiam apud Deum consequerentur. Hæc de isto articulo dixisse sufficiat.

ARTIC.

ARTIC. QVINTVS.

¶ Vtrùm ad iustificationem impij requiratur motus liberi arbitrij detestantis peccatum?

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Conclusio est affirmans, quam probant euidenter illæ voces Domini: Matt. 4. Pœnitentiam agite, Matth. 4. & Luc. 5. & 13 Lucæ. 5. Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam: & capi. 13. Nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis: & Act. 2. Actorũ. 2. Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum: Psal. 31. & in Psalmo dicitur; Dixi, confitebor aduersum me iniustitiã meã Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Sed & ratione efficaci idem demonstratur. Sicut enim in motu corporali receditur à termino à quo, & acceditur ad terminum ad quem: ita mens humana, cum iustificatur, recedit à peccato, & accedit ad iustitiam; qui accessus, & recessus in motu liberi arbitrij capitur secundùm detestationem, & desiderium: dicit enim Augustinus. Augustinus super Ioannem tract. 46. exponens illud, Mercenarius fugit; Affectiones nostræ motus animorum sunt; lętitia, animi diffusio, timor, animi fuga est: progrederis animo cùm appetis, fugis cùm metuis. Oportet igitur quòd in iustificatione impij sit motꝰ liberi arbitrij duplex. Vnus, quo per desiderium tendat in Dei iustitiam: Alter, quo detestetur peccatum. Definitur autem hæc Cõcil. Tri. veritas in Cõcilio Tridẽtino Sess. 6. can. 6. & 14. Sed quoniam quæstio huius articuli eadem est cum illa quam tractat Diuus Thomas 3. parte quæstione. 86. articu. 2. de necessitate pœnitẽtiæ, hîc parùm immorandum est.

EXPLICATIO ARTICVLI.

DVbium est, An actus charitatis sit necessarius ad iustificationem impij. Pro parte negante sic arguitur. An actus charitatis sit necessarius ad iustificationẽ impij. ¶Nam actus pœnitẽtiæ satis est ad remissionem peccatorum, & ad impij iustificationem, vt testantur sacræ literæ, & vniuersi Doctores: ergo non est necessarius actus charitatis. Primũ arg. ¶Secundò. Actus pœnitentiæ de se sufficit abundè ad remissionem peccatorũ; & actus charitatis per se sufficit, secundum illud; Charitas operit multitudinem peccatorum: ergo alter actus necessarius non est. Secundum. ¶Vltimò, si requiritur actus charitatis, maximè quia detestatio peccati, quæ delet peccatum, debet esse propter Deum summè dilectum. Sed hæc ratio inualida est: nam ex ea sequitur, quòd actus dilectionis sit prior, non tempore, sed ordine naturæ detestatione peccati: si quidem est causa, & ratio detestationis peccati. Ex quo consequẽs est, quòd prior sit actus charitatis, quàm actus pœnitentiæ. Item consequens est, quòd priùs sit homo Deo amicus, quàm habeat pœnitentiam. Demum consequens est, quòd priùs habeat remissa peccata, quàm quòd habeat pœnitentiam; siquidem iam est Dei amicus. Vltimum.

¶Notandum est primò, quòd actus charitatis sine dubio est necessarius ad impij iustificationem, quando iustificatur per proprium actũ, & non per virtutem sacramenti: dicitur enim 1. Ioan. 3. Qui non diligit, manet in morte: & D. Paulus apertè testatur, quòd opera, alioqui præclara, sine charitate nihil valent. Item conuersio ad Deum est necessaria ad impij iustificationẽ Zachar. 1. Conuertimini ad me. Ezech. 18. & 33. Sed conuersio ad Deum sine charitate nihil prodest, dicente Paulo ad Galatas. 5. In Christo Iesu nec circuncisio aliquid valet, nec præputiũ, sed fides quę per charitatẽ operatur. Actus charitatis necessarius. Primũ notabile. 1. Ioan. 3. 1. Corin. 13 Zacha. 1. Ezec. 18. Galat. 5.

¶Secundò notandum est, quòd recedere à peccato per detestationem peccati, & accedere ad Deum per actum dilectionis, sunt officia charitatis. Nam ad eandem virtutem spectat, prosequi vnum oppositum, & detestari alterum oppositum, vt docet D. Thomas hîc ad. 1. & distinctiùs. 3. p. q. 85. art. 2. ad. 1. dicit in hunc modum, quòd ad eandem amicitiam pertinet delectari de bono & commodo amici, & tristari de Secundum

de offensa aduersus eum admissa. Sed hæc detestatio peccati, quatenus assumitur ab homine in vindictam, & satisfactionem suorum criminum, est actus pœnitentiæ virtutis, quæ nihil aliud est quàm imperfecta quædam iustitia vindicatiua, qua satisfacimus pro delictis contra Deum commissis. ¶ Tertiò notandum est, quòd Diuus Thomas hîc solummodò definit, detestationem, & dolorem peccati esse necessarium ad impij iustificationem. Vtrùm verò sit necessarium quòd procedat à charitate, vel à pœnitentia, quæ sit virtus distincta à charitate, prorsus nihil definit, sed istam quæstionem reiecit ad materiam de pœnitentia.

Tertium.

Quartum. Caiet. Duo motus sunt detestatio peccati, & actꝰ dilectionis Dei. S. Thom.

¶ Quartò notandum est, quòd Caietanus hîc existimat, quòd actus detestationis peccati, & actus dilectionis Dei, qui in iustificatione impij interueniũt, sunt duo actus distincti. Quod probat primò autoritate D. Thomæ, qui expressè hoc affirmat ad finem articuli: & arti. 6. & 7. ad. 2. & art. 8. Tum secundò, quoniam detestatio peccati est fuga, & nolitio; actus verò dilectionis, prosequutio, & volitio. Tum tertiò, quoniam hoc differt inter motum naturalem, & volũtarium; quòd in naturali idem est motꝰ localis quo recedimus à termino à quo, & accedimus ad terminum ad quem: in voluntarijs verò non est idem motus. Nam motus quo recedo à peccato, est detestatio & fuga, cuius obiectum est malum: motus verò quo accedo ad iustitiam, est prosecutio, & volitio, cuius obiectum bonum est: ergo sunt distincti actus.

Exponitur Caiet. S. Thom. Dupliciter potest volũtas ferri in odium peccati, & in dilectionẽ Dei.

¶ Sed vt hæc doctrina Caieta. exactiùs intelligatur, aduertẽdum est ex Diuo Thoma suprà q. 8. art. 3. quòd voluntas duobus modis potest ferri in odium peccati, & in dilectionẽ Dei. Primò, quòd feratur in vtrumque absolutè, & secundùm se consideratum: & sic voluntas duobus actibus fertur in odium peccati, & Dei dilectionem, id quod argumenta Caietani euidenter conuincunt. Altero modo fertur voluntas in vtrumque simul, scilicet detestando peccatum propter Deum summè dilectum; & tunc tantum est vnus actus. quod sic ostendo. Nam idẽ est actus quo voluntas vult media, & finem, vt optimè ostendit D. Tho. vbi suprà: qui quidem actus respectu medij est electio, respectu finis est intentio: ergo idem est actus quo detestamur peccatum propter Dei amorem, qui respectu peccati est detestatio & fuga, respectu verò Dei est volitio & amor. Item, actus pœnitentiæ sufficit ad iustificationem impij, vt planè cõstat. Sed actus pœnitentiæ est detestari peccatum propter Deũ summè dilectum: ergo nó sunt distincti actus. Item, alia de causa ostẽditur quòd non sit nisi vnus actus. Nam quando detestatur voluntas peccatum propter Dei amorem, non sunt duo obiecta in quæ voluntas feratur, sed vnũ tantum, scilicet peccatum quod voluntas detestatur; ratio verò detestandi est diuina bonitas: ergo non est nisi vnus actus. Illustratur hoc apertissimo exemplo. Nam quando videmus coloratum propter lucem, non est nisi vnum obiectum quod videtur, ratio verò videdi est lux; & ideo non sunt distinctæ visiones. Hoc ipsum docet Caietanus vbi suprà: dicit nãque, non esse incõmodũ, q idem actus numero sit volitio, & nolitio, respectu diuersorum, veluti cum detestamur peccatum propter Dei amorem, est vnus actus charitatis, vel pœnitentiæ, qui respectu peccati est nolitio, & fuga, respectu Dei est volitio, & amor. Non tamen concedat Theologus, quòd volitio sit nolitio: sicuti licèt concedatur quòd idem motus sit actio, & passio, non conceditur quòd actio sit passio: fit enim prædicatio formalis.

Caiet.

Prior est actus dilectionis.

Item sciendum est, quòd actus dilectionis, qui in iustificatione interuenit, prior est, non tempore, sed ordine naturæ detestatione peccati, quod patet. Nam actus dilectionis est radix, & causa vnde oritur detestatio peccati, quæ delet peccatum: ergo est prior detestatione peccati. Antecedẽs probatur ex illo; Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multùm: item ex illo; Conuerte me Domine & conuertar: postquã enim conuertisti me, egi pœnitentiam: & in Concilio Tridentino Sess. 6. c. 6. ponitur modus conuersionis peccatoris, & sic dicitur; Peccatores Deum tanquam omnis iustitiæ fontem diligere incipiũt, & propterea aduersus peccata mouentur per odium, & detestationẽ. Hoc ipsum ostenditur ex definitione pœnitentiæ, quæ sic habet. Est dolor de peccatis propter Deũ summè dilectum: in qua definitione manifestè liquet, quòd ratio, & causa christianæ pœnitentiæ est amor. Vltimò sciẽdum est, quod Diuus Thomas ad. 3. videtur affirmare, quòd ad iustificationem impij requirantur singulæ detestationes singulorum peccatorum; de qua re tractat diligentiùs 3. p. q. 87. & Caieta. in. 2. q. de contritione. Veritas est, quòd ad iustificationẽ impij, quæ potest fieri in instanti, satis est vna contritio omnium peccatorum. Quod verò hîc dicit D. Thomas, habet tres explicationes. Prima est, quòd loquitur de contritione in ordine ad confessionem, in qua patefacimus nostra delicta cum singulis mœroribus: & hoc vocat S. Thomas singulas contritiones: Vel D. Thomas docet communem modum & ordinarium pœnitentiæ. Ordinarius modus est, recogitare annos nostros in amaritudine animæ nostræ, & de nostris peccatis figillatim dolere. Vel dicendum est, quòd D. Thomas nunquam

Luc. 7. Hiere. 33.

Conc. Tri.

Ad iustificationẽ sufficit vna contritio. S. Thom.

quam dixit requiri singulas detestationes singulorum peccatorum, sed tãtum affirmat esse necessariam detestationem omnium peccatorum, & singulorũ, quãdo haberi potest. ¶ His explicatis, ad primum in principio factũ nego consequentiam: nam actus pœnitentiæ includit Dei amorem; sic enim definitur pœnitẽtiæ virtus, quòd sit dolor de peccatis propter Deũ summè dilectum, &c. ¶ Ad secundum respondetur, quòd sufficit charitas vt salutem consequamur; sed postquam homo peccauit, non potest habere charitatem, nisi habeat detestationem sui peccati propter quod dicit Diuus Thomas ad primum, quòd ad eandem amicitiam pertinet gaudere de bono amici, & tristari de offensa contra eum commissa. ¶ Ad tertium respondetur, quòd actus dilectionis, qui interuenit in iustificatione impij, nõ est distinctus à detestatione peccati, & ideo non illius causa existit, propter quod argumẽtum propositum continuò labefactatur. Nam si non est actus distinctus, & causa illius non existit, non oportet quòd prius intelligatur dilectio Dei, & amicitia: sed si sentiamus quòd est distinctus actus, argumentũ habet difficillimam solutionem, quæ commodè expediri non potest vsq; ad articulũ octauũ. Dico tamen breuiter, quòd actus dilectionis, quo præparamur ad habendam amicitiam, & remissionem peccatorum, non intelligitur vt amicitia, nec vt perfecta dilectio, sed vt præparatio, & via ad habendam diuinam amicitiam: quapropter non est quare in illo priori intelligatur homo Dei amicus. ita videtur docere Concilium Tridentinum vbi suprà, dicit namque, Peccatores incipiunt Deũ diligere, & ex hac dilectione ad detestandum peccatum commouentur. Secundò respondetur, non esse inconueniens, quòd in illo primo ordine naturæ intelligatur homo Dei amicus, & non intelligantur adhuc remissa peccata: nã in alio genere intelligũtur iam remissa esse peccata, nẽpe in genere causæ formalis: præintelligitur namque gratia per quã sunt iam remissa peccata. Sed de hac re dicemus in articulo. 8.

Ad argumẽta.
Ad primũ.
Ad secũdũ.
3. Thom.
Ad tertiũ.
Cõci. Trid.

ARTIC. SEXTVS.

¶ Vtrùm remissio peccatorum sit numeranda inter ea quæ requiruntur ad iustificationem impij.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio.

Oncluſio eſt. Remiſsio peccatorum eſt vltimũ inter ea quæ requiruntur ad iuſtificationem impij. Nam ſi diligenter rem expendamus, in iuſtificatione impij quatuor ſunt; videlicet gratiæ infuſio, motus liberi arbitrij in Deũ, motus liberi arbitrij in peccatum, & remiſsio culpæ. Iuſtificatio eñ eſt quidam motus, quo anima mouetur à Deo ab ſtatu culpæ in ſtatum iuſtitiæ: ſed in quolibet motu quo aliquid mouetur ab altero, requiruntur tria: primùm motio ipſius mouentis, ſecundò motus mobilis, & vltimò conſummatio motus, ſiue peruentio ad finem. Ex parte ergo diuinæ motionis accipitur infuſio gratiæ, & ex parte liberi arbitrij accipiuntur duo motus ſecundùm receſſum à termino à quo, & acceſſum ad terminum ad quem: ſed conſummatio, ſiue peruentio ad terminum huius motus importatur per remiſſionem culpæ; in hoc enim conſummatur iuſtificatio, quæ originaliter conſiſtit in gratiæ infuſione: nam per eam liberum arbitriũ mouetur, & culpa remittitur.

Quatuor in iuſtificatione impij.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Oncluſio huius articuli videtur falſa, & aduerſari omni Philoſophiæ. Nam calefactio nõ eſt expulſio frigiditatis, ſed acquiſitio caloris; illuminatio non eſt tenebrarum expulſio, ſed acquiſitio luminis: ergo iuſtificatio impij nõ eſt remiſsio peccatorum, ſed acquiſitio iuſtitiæ. ¶ Secundò, illuminatio nõ habet ſpeciem, nec denominationem ab expulſione tenebrarum, ſed à luminis acquiſitione: ergo incongruè dicit D. Thomas in ſolutione ad primum, & in corpore, quòd iuſtificatio habet ſpeciem ex remiſsione peccatorum; cuius cõtrariũ expreſſè docuerat in articulo. 1. huius quæſtionis. ¶ Tertiò, ad infuſionem gratiæ priùs requiritur vt anima, quæ iuſtificari debet, emundetur à peccatis (quod fit per peccatorum remiſsionem) ſicut in generatione naturali, priùſquam introducatur

Diſcutitur concluſio.
Primũ arg.
Secundum
Tertium.

ducatur forma, expelluntur dispositiones contrariæ: ergo eadem ratione expulsio, & remissio peccati est aliquid prius, & prærequisitum ad gratiæ infusionem. Incongruè ergo dicit D. Thomas, quòd remissio peccatorum est vltimũ omniũ in iustificatione. ¶ Quartò, in omni motu prius est recedere à termino à quo, quàm accedere ad terminum ad quem, vt planè cõstat: ergo in iustificatione impij prius est deserere peccatũ, quàm quòd perueniatur ad iustitiam, & gratiæ infusionem. ¶ Vltimò, remissio peccati, & iustificatio impij sunt duo motus distincti, sicut generatio, & corruptio: ergo falsò dicit Diuus Thomas, quòd iustificatio impij est remissio peccatorum.

Quartum.

Quintum.

Caieta. ¶ Ad hæc argumenta confutanda Caietanus dicit esse errorẽ intolerabilẽ in Philosophia, quòd prius sit expulsio frigiditatis, quàm acquisitio caloris: nam per primum gradum caloris acquisitum expellitur primus gradus frigiditatis. Et D. Thor. art. 8. huius quæst. ad primũ dicit eleganter, quòd motus potest dupliciter considerari; tum ex parte agentis: tum ex parte mobilis. Si consideretur ex parte agẽtis, prius est introductio formæ quàm expulsio contrariæ dispositionis: Sol enim prius illuminat aërem, quàm ab eo expellat tenebras; nam per lucem expellit tenebras: & ignis prius introducit calorem, quàm expellat frigiditatem: nam per calorem expellit frigiditatem. Ita ex parte mobilis prius est expulsio tenebrarũ, & ablatio impedimenti, quàm quòd aër illuminetur. Ita in nostro proposito, si motus iustificationis consideretur ex parte Dei agentis, prius est infusio gratiæ: nam per infusionem gratiæ remittit peccatum. Si verò consideretur ex parte mobilis, prius est remissio peccati, & ablatio impedimenti, quàm quòd gratia diuinitùs infundatur. Sed hæc solutio nõ probatur doctoribus. Nã expulsio termini à quo, improprijssimè dicitur consummatio motus, & magis impropriè dicitur peruentio ad terminum: expulsio enim tenebrarum non potest dici secundũ proprietatem cõsummatio illuminationis, nec peruentio ad terminum illuminationis, neque quòd in expulsione tenebrarum cõsummatur illuminatio. Dicendum est ergo, quòd agẽs naturale non intendit sua actione expulsionem formæ contrariæ: forma enim contraria est bonum quoddam, propter quod nulla naturalis inclinatio per se fertur vt illam destruat, & corrumpat. Fertur itaque in eius destructionem, quatenus est impedimentum formæ introducendæ; atque adeò veluti per accidens intendit illius corruptionem. Ex quo sequitur, quòd expulsio formæ contrariæ in motu naturali nullo modo habet rationem termini ad quẽ: verùm peccatum omnibus modis & absolutè malum est, & ideò in iustificatione tam Deus ipse iustificãs hominem, quàm homo ipse qui iustificatur, per se, & directè intendunt expulsionem, & ablationem peccati, non ex eo solùm quia est impedimentum gratiæ, sed quia malum est, & contra Deum. Ex quo sequitur, expulsionem peccati, & remissionem, esse vltimum terminum in impij iustificatione; & secundum proprietatem dicitur consummatio iustificationis, & peruentio ad terminũ. Nam hic est fructus omnis iustitiæ, vt auferatur peccatum. Vel dicat Theologus, quòd remissio peccati non solùm est expulsio peccati, sed est condonatio iniuriæ, & offensæ, quæ in peccatore inuenitur contra Deum; quæ cõdonatio, est consummatio totius iustificationis, & nullo modo est expulsio peccati. Hæc solutio colligitur ex D. Tho. art. 8. ad primum. Ex hac doctrina patet quid dicendum sit ad primũ. ¶ Ad secundum respõdetur, quòd motus habet speciem à termino ad quem, quem agens prætendit. Ignis per se intendit generare ignem, per accidens verò corrumpere: Deus autem in iustificatione impij præcipuè intendit remissionem peccatorũ, & ideò non est mirabile quòd ex remissione peccatorum hic motus accipiat speciem. Secundò respondetur, quòd iustificatio dupliciter fit; tum per modum simplicis generationis ex negatione iustitiæ ad iustitiam; tum verò per motum ex contrario, vt ex culpa ad iustitiam. Quãdo iustificatio fit primo modo, terminus ad quem est sola iustitia. Quãdo verò fit secundo modo, terminus ad quem est iustitia expellens culpam. Vt igitur hanc differentiam demonstraret S. Thomas, dixit solut. ad primũ, q iustificatio impij habet speciẽ ex remissione peccatorum. Ad tertium & quartũ ex doctrina tradita manifestè patet quid dicẽdum sit. Ad quintum respondet optimè Sanctus Thomas solutione ad secũdum, quẽ lege.

D. Tho.

Ad primũ, & secundũ.

Ad tertium & quartũ.

Ad quintũ.

Impugnatur Caieta.

Solutio vera.

ARTIC. SEPTIMVS.

¶ Vtrùm iustificatio impij fiat in instanti?

SVMMA TEXTVS.

Prima cõs.

PRima Conclusio. Iustificatio impij, quantum ad infusionem gratiæ, fit in instanti, absque successione. Deus enim ad hoc q̃ gratiam infundat animæ, non requirit aliquam dispositionem, nisi

quam ipse facit quandoque sufficientem, ad recipiendum subitò gratiam, quandoque paulatim. Cum ergo virtus diuina infinita possit quamcunque materiã creatam subitò disponere ad formam, & multò magis liberum arbitriũ, cuius motus potest esse instantaneus, consequens est, quòd iustificatio fiat in instanti, quando liberum arbitrium est sufficienter à Deo dispositum. Videmus enim quòd statim cùm materia est disposita per alterationem præcedẽtem ad formam substãtialem, forma substantialis introducitur in materiam: & eadem ratione, quia diaphanum est secũdum se dispositum ad lumen recipiendum, subitò illuminatur à corpore lucido. ¶ Secunda Conclusio. Iustificatio impij, quantum ad dispositiones præcedentes, aliquando fit in tempore paulatim, aliquando fit subitò; vt in conuersione D. Pauli. Hæc conclusio adeò liquida est, vt confirmatione nõ sit opus. Ex his duabus conclusionibus sequitur, quòd iustificatio impij semper fit in instanti, quãdo liberũ arbitrium est sufficienter à Deo dispositum, & præparatum; quanquam hæc dispositio aliquãdo fiat in tempore, aliquando fiat subitò.

D. Tho.

Ad primũ & secundũ.

Secũda cõ.

S. Thom.

Ad tertium & quartũ.

Ad quintũ.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Vtrum homo possit iustificari in instanti.

IN hoc articulo dubium est difficile, vtrùm homo peccator possit in instãti iustificari? videtur quòd nõ. Nam actus peccati non potest durare solùm per instans; non enim potest desinere esse in eodem instãti, in quo productus est: nec verò in instanti immediato: nam non dantur duo instantia immediata, vt constat ex. 5. & 6. Physico. ergo necessarium est vt aliquod tempus intercedat: in illo ergo tempore non erit facultas ad talem actum reuocandum. ¶ Secundò, ad actum iustificationis necessarium est planè vt per certum tempus continuetur, vt argumentum adductum probat: ergo iustificatio non potest fieri in instanti. ¶ Tertiò, dato quòd tempus necessarium ad continuandum odium Dei sit dimidia hora, planè sequitur quòd intra illud tempus non sit facultas ad deponendum odium Dei. ex quo consequens est, quòd intra illud tẽpus homo non possit iustificari. ¶ Vltimò, si infunditur gratia animæ nostræ cùm iustificatur, necessarium est consignare instans, in quo primò gratia insit animæ. Similiter si culpa remittitur, necessarium est consignare instans in quo anima nostra culpæ subiaceat: sed non potest esse idem instans; alioqui anima simul esset in gratia, & in peccato: ergo necessarium est designare instantia sibi inuicem succedentia. Sed inter duo instantia semper mediat tempus, vt docet Aristot. 6. Physic. ergo iustificatio non fit in instanti, sed in tempore successiuè. Propter hæc argumenta Gregorius Arim. in. 1. d. 38. articulo. 3. & in. 2. dist. 4. & 5. quæst. vnica ad. 4. dicit, quòd licèt homo liberè eliciat actum suum in instanti quo incipit operari, verùm quoniam nullus actus durat tantum per instans, non liberè, sed necessariò continuat actum suum: itaque necessitatur homo ad continuandum actum peccati per aliquod temporis spatium. Pro solutione tamen difficultatis est primò aduertendum, quòd moraliter, & vt in plurimum nulla operatio humana durat solùm per instans. quod esse verum vel ipsa experientia confirmat, & ratio euidẽs demonstrat. Nam actus voluntatis vel rescinditur per alium actum voluntatis contrarium, vel per alium actum quo diuertimus cogitationem ad aliud. Sed iste actus nõ potest esse in eodem instanti, alioqui duo actus contrarij essent simul in eodem: nec in instanti immediato; nam non dantur duo instantia immediata: ergo necessarium est interueniat tempus. Secundò, isti actus sunt sibi immediati: nam alter alterum disipat, & non sunt duo instantia immediata: ergo intercedit tempus. Sed ex hoc non inferat Theologus, quòd operatio humana requirit certum tempus vt continuetur. Aliud enim est quòd requirat tempus, & aliud quòd requirat certum tẽpus. Nam motus, vt constat ex. 5. & 6. Phy. fi. in sui inchoatione requirit tempus, sed non certum tempus. Secundò dico, operatio humana non necessariò continuatur per aliquod temporis spatium, alioqui sequitur hominem non posse iustificari in instanti; cuius contrarium

Grego.

Operatio non durat tantum per instans.

Operatio humana nõ requirit certum tẽpus.

Impugnatur Grego. Arimin.

Ezech. rium docet fides Ezech. 18. & 33. In quacunque hora ingemuerit peccator &c. illud; quacunque hora; significat quodcunque temporis momentum. Quòd rectè sequatur, patet: nam, autore Gregorio, necessitatur homo ad continuãdum actum peccati per aliquod temporis spatium. Item, constituamus tempus necessarium ad continuandum odium Dei esse dimidiam horam: constituamus item quòd homo in dimidia parte illius temporis faciat totum quod potest, & debet ad deponendum odium Dei, tunc sequitur, quòd Deus denegaret suam gratiam homini facienti totũ quod potest, & debet: nam, secundum Gregorium, necessitatur vt permaneat in odio Dei. Secundò sequitur, quòd homo faciens totum quod potest, & quod debet, condemnatur in inferno in sempiternum, siquidem necessariò permanet in odio Dei. Tertiò sequitur, quòd homo viator, & habens vsum rationis, per aliquod tempus sit extra statum salutis, quandoquidem per illud tempus non potest odium Dei deponere. Vltimò, hæc sententia est absurda, & temeraria: nam omnes Theologi in quarto, in materia de pœnitentia, condemnãt Gregorium, & Scotum, asserentes quòd ad veram contritionem necessarium sit certum & determinatum tempus continuationis.

Ad argumẽta Gregorij. ¶ Ad argumenta Gregorij respõdetur, quòd res spirituales, cuiusmodi sunt intellectiones, & volitiones, possunt durare per solum instãs, præcipuè quando desinunt esse per cessationem ab opere, & per absentiam conseruantis; quod videre est in lumine, quod, quoniam dependet in esse, & conseruari à sole, absente sole cõtinuò euanescit, & desinit esse. Secundò respondetur, quòd licet operatio humana in sui duratione requirat tempus, non est consequẽs quòd requirat certum tempus; quemadmodum motus in sui inchoatione & desitione requirit tempus, sed non requirit certum tempus: motus enim sic incipit; Nunc non est motus, & immediatè post hoc erit motus. ¶ Ex his patet ad argumenta Gregorij, præterquam ad vltimum, ad quod respondet hic Diuus Thomas ad vltimum. Et dicendum est, quòd non est dare vltimum instans in quo culpa præfuit, sed vltimum tempus: est autem dare primum instans, in quo gratia infit animæ, & in tempore præcedenti præerat culpa. Itaque primum esse gratiæ, est primum non esse peccati; sicuti in introductione formæ substantialis datur primum instans in quo forma substantialis introducitur, & in tempore præcedenti præerat forma opposita.

ARTIC. OCTAVVS.

¶ Vtrùm infusio gratiæ sit primum inter ea quæ requiruntur ad impij iustificationem?

SVMMA TEXTVS.

Prima cõc. PRima Conclusio. In iustificatione impij hæc quatuor concurrunt; infusio gratiæ, dilectio Dei, detestatio peccati, & tandem peccati remissio. quòd hæc omnia in iustificatione impij concurrãt, in superioribus satis probatum existimo.

Secũda cõ. ¶ Secũda Conclusio. Inter hæc quatuor vnum est prius altero, ordine naturæ, etsi tẽpore sint simul. hæc etiam cõclusio in superioribus est explicata, explicabiturque continuò.

Tertia cõc. ¶ Tertia conclusio. Inter hæc quatuor, primũ ordine naturæ est infusio gratiæ, deinde dilectio Dei, quæ est causa detestationis peccati; tertiũ detestatio peccati, quartum remissio peccatorum. Nam in quolibet motu naturaliter primum est motio mouẽtis, secundum est dispositio materiæ, siue motus ipsius mobilis, vltimum est finis, vel terminus motus ad quem terminatur motio mouentis. Ipsa ergo motio mouentis est gratiæ infusio. Motus autem, vel dispositio mobilis duplex est; motus liberi arbitrij in Deum per dilectionem, & motus liberi arbitrij quo detestatur peccatum propter Dei dilectionem: terminus verò vel finis est remissio culpæ. Vnde naturali ordine primum est infusio gratiæ in iustificatione impij; secundum est mo

tus liberi arbitrij in Deum; tertiũ eſt motus liberi arbitrij in peccatũ, deteſtando illud propter Deũ; & vltimò remiſsio culpę, ad quam tota iſta tranſmutatio ordinatur, ſicut ad finem.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Quid ſit prius in iuſtificatione.

NOtandum eſt, eſſe certiſsimũ quòd hęc quatuor numerata à D. Thoma concurrant ad impij iuſtificationẽ, quod ex ſuperioribus liquidum eſt. Quod verò illorum præcedat ordine naturæ, nõ tempore, ſubtiliùs quæritur, quàm vtiliùs. Secundò notãdum eſt, quòd hæc quæſtio obſcura eſt, & quæ multa indiget philoſophia vt explicetur. huiuſmodi ſunt quæſtiones magis ſubtiles quàm vtiles. Tertiò notandum eſt, q̃ in omni tranſmutatione duo ſunt conſideranda; tum actio agentis; tum verò actus mobilis.

Duplex ordo naturæ.

Et ſic duplex eſt ordo naturæ: tum ex parte agentis; tũ ex parte mobilis. Si conſideretur iuſtificatio impij ex parte Dei agentis, prius eſt infuſio gratiæ, per quam mouet liberum arbitrium ad dilectionem Dei, & deteſtationẽ peccati, & tandem ſequitur peccatorum remiſsio. Ex parte verò mobilis prius eſt expulſio peccati quàm infuſio gratiæ. quod diligenter expoſitum eſt in articulo. 6. huius quæſtionis. Illud etiam ſciendum eſt ex. 2. lib. Phyſico. quòd cauſæ ſunt ſibi inuicem cauſæ, & vna eſt prior altera, & è diuerſo in diuerſo genere cauſarũ. v. g. ſanitas, quę eſt cauſa finalis, prius mouet infirmum ad deambulandum: itaque eſt prior in genere cauſæ finalis ipſa deambulatione: ſed deambulatio eſt prior ipſa ſanitate in genere cauſæ efficientis; quoniam efficit ipſam ſanitatem. Item, aër ingrediens eſt prior apertione feneſtræ in genere cauſæ efficientis: quoniam ſuo ingreſſu aperit ianuam: ſed in genere cauſę materialis, & diſpoſitiuę prior eſt apertio feneſtræ; nam nũquam intraret aër, niſi aperiretur feneſtra. Tertium exemplum eſt de forma ſubſtantiali quæ affert ſecum ſuam diſpoſitionẽ vltimam, quæ in genere cauſæ efficiẽtis, & formalis prior eſt vltima diſpoſitione quam ſecũ trahit: ſed vltima diſpoſitio in genere cauſæ materialis prior eſt: nam forma non introducitur niſi in materiam diſpoſitã. Idem patet de lumine, & expulſione tenebrarũ; quod ſuprà expoſitum eſt. Sic certè in noſtro propoſito Deus priùs in genere cauſæ efficiẽtis infundit gratiam, per quam mouet liberum arbitrium ad dilectionem Dei, & deteſtationem peccati; & tãdem ſequitur peccatorum remiſsio: ſed in genere cauſæ materialis prius eſt expulſio peccati, & prius ſunt actus noſtri, quibus ad gratiã pręparamur. ¶ Sed quãuis exẽpla rerum ſint ſatis perſpicua, adhuc non videtur mens quieſcere in ſentẽtia D. Thomæ. Nã motus liberi arbitrij, ſiue in Deũ, ſiue in peccatum, qui eſt vltima diſpoſitio ad gratiã, vel procedit ex libero arbitrio cum ſolo auxilio ſpeciali, vel à libero arbitrio cũ auxilio ſpeciali, & gratia iuſtificante ſimul. Si primum, ſequitur falſum dixiſſe D. Thomam, q̃ infuſio gratiæ eſt prima ordine naturę in noſtra iuſtificatione. Item ſequitur, quòd ille actus, quo vltimò præparamur ad gratiam per pœnitentiam, nõ ſit gratia informatus, nec ſit meritorius, neque ſit actus pœnitentię: nam actus pœnitẽtię preſupponit gratiã infuſã, charitatẽ, & pœnitẽtiã infuſam. Et confirmatur; nam D. Tho. 3. p. q. 85. art. 5. dicit, quòd actus pœnitentiæ eſt actus charitatis infuſæ: & articulo. 6. dicit, quòd eſt actus pœnitentiæ infuſæ. Si verò ſecundum, ſequitur q̃ non ſit neceſſarium aliud auxilium ſpeciale: nã gratia iuſtificans eſt auxilium ſpeciale, & ſupernaturale: ergo aliud nõ requiritur. ¶ Secundò ſequitur ex ſentẽtia D. Thomę, quòd actus pœnitentiæ ſit prior quàm habitus pœnitẽtiæ: & idem ſequitur de actu dilectionis reſpectu charitatis: quod eſt prorſus inintelligibile in quocunque genere cauſæ. Quòd rectè ſequatur, patet. Nam actus pœnitentiæ eſt prior in genere cauſæ materialis quàm infuſio gratiæ, & infuſio gratiæ eſt prior quàm habitus pœnitẽtiæ, aut charitatis: ergo actus pœnitentiæ eſt prior quàm habitus pœnitẽtiæ. Hoc ipſum cõfirmatur violẽto argumento. Nam quãquã forma accidentaria, quę reſultat per ſimplicẽ emanationẽ à forma ſubſtantiali, ſit prior illa in genere cauſæ materialis, & pręparatorię; vt calor comparatus ad formam ignis ſubſtantialẽ; ſed quòd actio, quæ producitur efficienter ab aliqua forma, ſit prior illa, nullum inuenio exemplũ in vniuerſa natura, & ſic videtur omnino impoſsibile. ¶ Tertiò, motus liberi arbitrij, qui eſt vltima diſpoſitio ad gratiã, & ſimul cũ gratia, eſt meritorius gloriæ, non gratiæ, vt planè teſtãtur vniuerſi Theologi: ergo nullo modo præcedit ipſam gratiã. Probo conſequentiam: nam opera noſtra non habent virtutem merẽdi, niſi ex gratia iuſtificante. ¶ Quartò, prius in omni genere, & in omni ratione intelligitur quòd forma inhæreat ſubiecto, quàm quòd expellat contrarium: ergo prius in omni genere intelligitur gratia infuſa, quàm quòd expellat peccatum, & moueat animũ ad eius deteſtationem. ¶ Vltimò, actus pœnitentiæ ſufficit ad iuſtificationem impij: ſed actus pœnitentiæ eſt vnus tantùm, quo deteſtamur peccatum

Obiectio prima.

D. Tho.

Secunda.

Confir.

Tertia.

Quarta.

Vltima.

peccatum propter Dei amorem, vt suprà expositum est: ergo non requiritur tanta diuersitas actuum, vt vnus prior sit, alter posterior. ¶ Ad primum respondetur, quòd non erraret, qui diceret, quòd motus liberi arbitrij, quo præparamur ad gratiã, est ex libero arbitrio cũ auxilio speciali tantùm: & cum D. Tho. dicit, quòd infusio gratię est prima ordine naturę, vocat gratiam, gratuitam Dei motionem; sic insinuat solutione ad primum, & secũdum, & in corpore. Secundò respondetur, quòd infusio gratiæ habitualis est prior ordine naturæ in genere causæ formalis, & efficientis nostra dispositione; sed nostra dispositio, vt procedit à libero arbitrio, est prior in genere causæ materialis. quod esse verum, explicatum est suprà varijs exẽplis adductis. Vltimò dicẽdum est, quòd quemadmodum materia prima in genere causæ materialis est prior quàm forma sit, cæterum omnẽ virtutem, & omnem existentiam à forma habet; sic actus nostri, quibus præparamur ad gratiam, in genere causæ materialis & dispositiuæ priores sunt, cæterum omne meritum, & omnem virtutem ex gratia habent. ¶ Ad secundũ. Cano in relectione de pœnitentia. 1. p. ad finẽ concedit, quòd actus pœnitentiæ est prior ordine naturæ quàm infusio gratiæ. Item concedit, quòd infusio gratiæ est prior quàm habitus pœnitentiæ: Negat tamen, quòd actus pœnitentiæ sit prior quàm habitus pœnitentię, & rem incredibilem facit credibilẽ adhibito exẽplo. Nam qualitates tam primæ, quàm secundæ, sunt dispositiones ad formam substantialem: ex quo consequens est, quòd sunt priores in genere causæ materialis, quàm forma substãtialis; & forma substantialis est prior in genere causæ formalis quàm qualitates primæ: & tamen nulla ratione concedẽdum est, quòd qualitates secũdæ sint priores quàm qualitates primæ. Item, ad nostrum propositũ, prior est expulsio peccati, quàm infusio gratiæ; & infusio gratiæ prior quàm actus pœnitentiæ: nulla tamen ratione concedendum est, quòd expulsio peccati sit prior quàm actus pœnitentiæ. Secũdò respondetur, non esse aliquod inconueniẽs quòd actus pœnitentiæ, qua ratione procedit à libero arbitrio, in genere causæ materialis sit prior habitu pœnitentiæ. Ad confirmationem dicendum est, non esse absurdum quòd actus qui producitur efficienter ab habitu supernaturali, sit dispositio, & præparatio ad ipsum. Probabile enim est, quòd homini conuertenti se ad fidem religionis christianæ, perseueranti nihilominus in affectu erga concubinã, infunditur habitus fidei sine gratia iustificante; tunc ille actus qui est primus fidei, elicitur ab habitu fidei, & est præparatio ad lumen fidei. Ideo enim infunditur huic homini fides, quia per proprium actum voluit suscipere fidem. Dicat ergo Theologus, hoc esse peculiare in habitibus diuinitus infusis, quòd in instanti quo infunduntur à Deo, actus qui in infusione exigitur, non solùm est ab habitu, sed etiam à Deo mouẽte: quapropter ille actus, qua ratione procedit à Deo mouente, est dispositio ad habitus susceptionem. Sed præstat dicere, quòd gratię infusio secum ducit consensum nostræ voluntatis tanquam pediſſequam, & habitus pœnitẽtiæ à Deo infusus secum etiam trahit actũ pœnitentiæ tanquã pediſſequam, per quem ipsa voluntas ad susceptionem doni disponitur: quemadmodũ forma ignis trahit secum calorem, & forma aquæ ducit secum frigiditatem. quòd enim sit actio, non impedit quòminus sit verè dispositio. Quanquam ego vidi hominem doctissimum, qui vt se ab argumenti difficultate liberaret, introducebat in scholã, nouam & inauditam sententiam, videlicet quòd motus liberi arbitrij per pœnitentiam & charitatem non est præparatio ad gratiam, quemadmodum calor est dispositio ad ignem, & frigiditas ad aquam, sed dicitur dispositio ad gratiam in genere moris; quia requiritur cõsensus voluntatis vt gratia infundatur, sed non est necesse quòd præcedat in genere causæ materialis, & præparatoriæ, quemadmodũ præcedũt dispositiones in genere naturæ: & hoc placitũ probabat tum argumentis factis, quæ (vt ille existimabat) sunt insolubilia, nisi ad istum modum res expediretur; tum verò, quia nusquam inuenitur quòd actio sit dispositio ad aliquã formam: calor quidem ad formam ignis, frigiditas ad formam aquæ, debitæ sunt dispositiones; at calefactio nõ est dispositio ad formam ignis. Sed huius Doctoris sententia mihi non probatur, neque cuiquam Theologo rem penitius consideranti probari potest. Nam vt prętermittam esse opinionem nouam domi suę natam, existimo quòd aduersatur sententijs sanctarum scripturarũ, & definitioni Concilij Tridentini, asserere, quòd actus liberi arbitrij, qui sunt dispositiones ad gratiam, nõ sint priores ordine naturę ipsa gratia, & quòd non sint verę & proprię dispositiones ad ipsam. Et ratio eius infirma est omnino: quis enim prohibet, quòd Deus consensum nostrę voluntatis expostulet, vt prępartionẽ ad gratię infusionem, quemadmodum actione prępparatur lutum vt suscipiat formã vasis? Sanè figulus qui haberet infinitam virtutem, simul posset formam vasis introducere, & per formam ipsam lutum prępparare ad formę susceptionem. Sed desino hanc sententiam pluribus subuertere; nam ad aliorum argumentorum confutationẽ

Explicatur obiectio. Ad primũ.

Ad secũdũ. M. Cano.

Accommodum exemplum.

Actus pœnitentiæ quo modo prior habitu. Ad confir.

Cuiusdam Doctoris nouum dogma.

Ad tertiũ. properamus. ¶ Ad tertium reſpondetur, quòd ille actus eſt meritorius vitæ æternæ: nam eodem temporis momento procedit à gratia, licèt ſecundùm aliam conſiderationem præce-

Ad quartũ. dat. ¶ Ad quartum reſpondetur, quòd licèt in genere cauſæ formalis prius gratia inſit ſubiecto, in genere tamen cauſæ materialis prius expellitur peccatum, & præparatur animus ad

Ad vltimũ. gratiam ſuſcipiendam. ¶ Ad vltimũ reſpondetur, quòd aliquãdo dilectio Dei, & deteſtatio peccati non ſunt niſi vnicus actus, vt quando deteſtamur peccatum propter Deũ ſummè dilectum; & tunc dilectio eſt prior deteſtatione peccati: non quòd ſit actus diſtinctus, ſed quoniam eſt ratio & cauſa deteſtationis peccati: quemadmodum quãdo volo ſumere potionẽ propter ſanitatem, volitio ſanitatis, eſt cauſa volitionis mediorum, non quòd ſit diſtinctus actus, ſed quoniam eſt ratio volendi media.

Magi.Soto & Cano. Qui plura de hac re deſiderat, legat Soto in.4. d.14.quæſtione.2. arti.6.& Cano loco citato.

De cauſa formali iuſtificatiõis. ¶ Superest ſanè, quod necdũ ſatis explicatum eſt, quomodo, & quo genere cauſarum bona opera, quæ in iuſtificatione impij requirũtur, iuſtificẽt; & quæ ſit cauſa formalis noſtræ iuſtificationis, per quã efficimur iuſti & recti coram Deo? quæ res vt exactè elucidetur, pauca

Cauſæ iuſtificationis. ex ſuperioribus commemoranda ſunt. Certè Deus noſter eſt cauſa noſtrę iuſtitiæ prȩcipua & efficiens, condonando culpas, præparando cor ad pœnitentiã, & ſuperaddendo gratiã iuſtificantem. Chriſtus eſt cauſa meritoria: ſacramenta autẽ Eccleſiæ, quia illis Deus vtitur veluti vaſis gratiæ ſuæ transfundẽdæ, etiã & ipſa cauſant iuſtificationem, ſicuti inſtrumẽta per quæ agens principale Deus operatur. Fides, ſpes, dilectio, pœnitentia veteris vitę, cõuerſio cordis ad Deũ, ſunt in iuſtificatione tanquam media, quibus vtitur Deus faciendo cor homi nis idoneum ad iuſtitiam ſuſcipiendã. Itaque hæc opera non operantur, nec ipſorũ virtute, aut merito introducunt iuſtitiã; verumtamen inducunt cauſam diſpoſitiuam, quam reputat Deus ſufficiẽtem vt infundat iuſtitiam. quod

Roma.4. valde clarè inſinuat ſcriptura cum dicit; Credi

Gene.15. dit Abraham Deo, & reputatũ eſt ei ad iuſtitiam: & rurſus, Ei autem qui non operatur, credenti autem in eum qui iuſtificat impiũ, reputatur fides eius ad iuſtitiam. quaſi dicat, fides non operatur, neque ſua ipſius virtute introducit iuſtitiam, aut eam meretur, inducit tamen eam diſpoſitionẽ, quã Deus ex gratia reputat ſufficientem vt iuſtitiã infundat. Fides itaque, qualis erat in Abrahamo, habẽs cõiunctũ debitũ conuerſionis ad Deũ, eſt ſufficiẽs diſpoſitio ad ſuſcipiendã iuſtitiam: ideoque vocari debet cauſa ſuſceptiua, ſiue diſpoſitiua, nõ autẽ cauſa effectiua, aut meritoria iuſtitiæ. Ex his facilè eſt intelligere, quæ ſit cauſa formalis noſtrę iuſtificationis, cuius rei veritas his aſſertionibus explicabitur. ¶ Prima aſſertio. Gratia in noſtris animis diffuſa, eſt iuſtitia noſtra, eſtque cauſa formalis noſtræ iuſtitiæ: per hãc enim efficimur Deo grati & amabiles; efficimur noua creatura, efficitur in nobis cor nouũ, ſpiritus nouus, renouamur, & ſanamur, veluti homo bene diſpoſitus ſanitate eſt ſanus. Itaque ſi propriè loquẽdũ eſt, iuſtificamur corã Deo iuſtitia Dei, quã ipſe diffundit in corda noſtra: hæc autem iuſtitia Dei, quòd ſit gratia Dei, in ſuperioribus ſatis explicatũ exiſtimo. ¶ Secũda aſſertio. Pretioſa illa dona gratiarũ Dei, quæ Deꝰ infundit ſimul cum gratia, cuiuſmodi ſunt virtutes Theologicæ, & potiſſimùm charitas, ſunt cauſę formales noſtrę iuſtitię, qua anima iuſta eſt. Nã prædictæ virtutes cõſtituũt hominẽ rectũ, & perfectũ, cõtinentq; in ordine & officio; ſanantque nõ ſolùm animæ eſſentiam, quã gratiæ infuſio perfectè ſanat, ſed etiã volũtatem, intellectum, appetitum, & totum hominẽ exornãt, ac perficiũt. Quemadmodum enim rationalis anima conſtituit hominẽ in natura rationali, potẽtię verò, vt intellectus, & volũtas, etiã intrinſecè perficiũt & exornãt ipſum hominẽ, qui abſq; potentijs eſſet omninò imperfectus, redduntque illum idoneum & aptũ ad producendas operationes naturę rationali conſentaneas: nõ diſſimiliter gratia, quæ confert eſſe diuinũ, eſt veluti forma per quã homo eſt eſſentialiter, & formaliter iuſtꝰ. & ſic in Cõcilio Tridẽtino definitur, q̃ per gratiam iuſtificamur. Virtutes autẽ infuſæ ſunt veluti potentiæ, quę hanc formã conſequuntur, quibus iuſtitiæ animæ, & pulchritudo perficitur, & exornatur, & efficitur homo idoneus & potẽs vt opera iuſtitiæ exerceat. & ſic in Cõcilio Tridẽtino prædictæ virtutes inter cauſas formales iuſtificationis cõmemorãtur. Certè non poſſet homo dici perfectè iuſtus ac rectus corã Deo, niſi prædictas virtutes haberet infuſas: quemadmodũ ſi Deus cõmunicaret homini viſionẽ beatã, quæ eſt eſſentialis beatitudo, ſi non conſequerẽtur in voluntate dilectio, & fruitio, non eſſet perfectè beatus; quãquã eſſet eſſentialiter beatus. Cuius rei hæc eſt ſolida & veriſima cauſa: qm̃ ſicut beatitudo deſignat ſtatũ ex omni parte beatũ, & perfectũ, & omnibus numeris abſolutum; ſic iuſtitia coram Deo deſignat perfectã ſubiectionem hominis ad Deũ, vt D. Thomas teſtatur articu.1. huius quæſtionis. Hæc autem perfecta rectitudo & iuſtitia non conſiſteret, niſi homo, tum in anima, tum in potentijs haberet dona gratiarum ſuperinfuſa, quibus perfectè ſanaretur, & perficeretur.

Prima aſſertio.

Gratia cauſa formalis iuſtitiæ.

Secũda aſſertio.

Virtutes Theologicæ.

Conci.Tri. Seſſ.6.can. 3.& 11.

Seſſ.6.c.7.

ARTIC.

ARTIC. NONVS.

¶Vtrùm iustificatio impij sit maximũ opus Dei?

SVMMA TEXTVS.

Prima cõc. PRima Conclusio. Si attendamus magnitudinem eius quod in iustificatione impij fit, maximũ opus Dei est iustificatio: terminatur enim ad bonum æternũ diuinę participationis: sed creatio cœli & terræ terminatur ad bonũ
Auguſt. naturę mutabilis; & ideo D. Augustinus, cùm dixisset, quòd maius est q̃ ex impio fiat iustus, quàm creare cœlum & terrã, subdit; Cœlum enim & terra transibunt, prędestinatorum autem salus & iustificatio permanebit. Huic veritati consonat illud ex Psalmo; Miserationes eius super omnia opera ei⁹: & illud quod in Ecclesia celebratur, Deum omnipotentiam suam parcendo & miserãdo maximè pa-
Auguſt. tefacere, & manifestare: & D. Augustinus exponens illud Ioan. 14. Maiora horum faciet; dicit apertè, quòd maius opus est vt ex impio iustus fiat, quàm creare cœlum &
Secũda cõ. terram. ¶Secunda Conclusio. Ex parte rei factę maius opus est absolutè glorificatio, quàm impij iustificatio: sed respectiuè comparãdo ad peccatorem, donum gratiæ iustificãtis impium est maius dono gloriæ beatificantis iustum; quia plus excedit donũ gratię iustificantis impiũ, dignitatẽ impij, qui erat dignus pœna, quàm donũ gloriæ dignitatẽ iusti, qui ex hoc ipso q̃ iustificatus est, dignus est gloria.

Vnde Augustinus; Iudicet qui potest, vtrùm maius sit iustos Angelos creare, quàm impios iustificare. certè si æqualis est potẽtiæ, hoc maioris est misericordiæ. Auguſt. ¶Tertia Conclusio. Creatio ex modo faciẽdi est maius opus quàm impij iustificatio: quoniã in creatione ex nihilo fit aliquid. Tertia cõc. ¶Quarta Conclusio. Gratia vnius hominis est maius bonũ, quàm bonum totius vniuersi. Hæc habetur in solut. secundi, & est valde notãda, vt sciamus quantũ bonũ sit gratia, & quãtum malũ, peccatũ, quod priuat, & aufert gratiã. Quarta cõ. ¶Quinta Conclusio. Gratia cũ cõfertur ad hominis iustificationẽ, non creatur; nõ enim fit ex nihilo, sed ex impio fit homo iustus, & opera liberi arbitrij concurrũt ad nostram iustificationem. Hæc conclusio docetur à D. Thoma in solutione. 3. argumẽti. Quinta cõ. Gratia non creatur.

EXPLICATIO ARTICVLI.

QVàm magnũ opus sit impij iustificatio, explicat copiosè & eleganter in primis D. Paulus dicẽs; Propterea & ego precor memoriã vestri faciens in orationibus meis, vt Deus, Dñi nostri Iesu Christi pater, gloriæ, det vobis spiritũ sapientię, & reuelationis in agnitionẽ eius, illuminatos oculos cordis vestri: vt sciatis quæ sit spes vocationis vestræ; hoc est, vt sciatis ad quæ, & quàm magna bona vocati estis: & quæ diuitię gloriæ hæreditatis eius in sanctis; hoc est, quã opulenta sit gloria hæreditatis, quam promisit christianis rectè vitam suam instituentibus ad fidei normam, & regulam; & quæ sit superemi nens magnitudo virtutis eius in nos qui credidimus. Si quis voluerit vitam suã, quam olim egit antequam in Christo esset, conferre cum ea quã nunc agit, posteaquam Christo insitus est, is facilè intelliget quod hîc dicitur: aut si ex se, suaque vita cognoscere non valet, legat libros confessionum Augustini, & ex illis statim intelliget. Certè D. Pau. hoc in loco sicrem exaggerat. Nã vt libidini, & cupiditatibus animus addictus ab his abducatur, non vulgari

Magnum opus iustiſſ catio impij. Ad Ephe. 1.

Pauli energia & exaggeratio.

opus est, sed diuina quadam vi ac potētia; imò tanta omninò, vt in suscitandis mortuis, vbi maxima requiri videtur. Atque illud Apostolus intelligere cupit Ephesios, quò chariùs amplectantur beneficium ipsis præstitum: Potentia, inquit, quam Deus exercuit cum à tenebris gentilitatis & paganismi ad fidem & iustitiam christianam vos adduxit, haud inferior est vi illa ac potētia, quam exercuit in Christo, dum ipsum à mortuis excitaret. Istud enim significat illud; Secundum operationem potentiæ virtutis eius, quàm operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis. Itaque iustificatio impij non solùm ex parte termini est maius opus quàm creare cœlum & terram; quia iustificatio terminatur ad bonum æternū diuinæ participationis; creatio verò vniuersi ad bonū naturæ mutabilis: sed etiam quoniam in opere iustificationis maximè omnipotentia diuinę virtutis manifestatur, vt satis ex D. Paulo commóstratum est. Certè qui potest intelligere, quid sit hominem esse iustum, gratum, amabilem, amicum coram Deo, diuinum planè, habētem participium diuinæ naturæ, is facilè intelliget quàm magnum donum sit iustificare impium. Qui rursus mente reuoluerit, quibus medijs Deus sit operatus nostram salutem in medio terræ, potissimè illud, quòd Deus dedit filium suum in mortem, vt homines iustitiam, & sanctitatem, & gratiam coram Deo haberent, pro nihilo ducet creationē cœli & terræ prævnius hominis iustificatione. In creatione enim cœli & terræ, ipse dixit, & facta sunt; sed in peccatoris iustificatione, dicit Deus, rogat Deus, comminatur Deus, moritur Deus vt homo viuat, & iustificetur: vide Chrysost. super istum locū epistola ad Ephesios.

ARTIC. DECIMVS.

¶ Vtrùm iustificatio impij sit miraculosa?

SVMMA TEXTVS.

Prima cōc. PRima Conclusio. Si miraculū appellatur illud, quod sola virtute diuina effici potest; iustificatio impij est miraculosa, siquidem à solo Deo fieri potest. ¶ Secūda Conclusio. Si miraculum appellatur illud, quod est supra naturalē potentiā talis materiæ; sicut in suscitatione mortui; vita est supra naturalē potentiā talis corporis: quantū ad hoc, iustificatio impij nō est miraculosa, quia anima naturaliter est capax gratiæ, eo ipso quòd est facta ad imaginē Dei. ¶ Tertia Conclusio. Si miraculum appelletur illud quod fit præter communē cursum, & consuetum ordinem, iustificatio quæ cōmuniter fit, non est miraculosa; cæterum aliquādo est miraculosa, vt conuersio D. Pauli. Est autem communis & cōsuetus cursus iustificationis, vt Deo mouente interius animam homo cōuertatur ad ipsum; primò quidem conuersione imperfecta, vt postmodum ad perfectum perueniat. Nam charitas inchoata meretur augeri, & aucta meretur perfici. Sed aliquando Deus tam vehemēter mouet animam, vt statim perfectionem iustitiæ consequatur; sicut fuit in conuersione Pauli, ad hibita etiam exterius miraculosa prostratione; vnde tanquam miraculosa in Ecclesia celebratur.

Secūda cō.

Tertia cōc.

EXPLICATIO ARTICVLI.

DE miraculis disputat S. Thomas. 1. parte quęst. 105. artic. 7. & 8. & de potētia quæstione. 6. art. 2. Caietanus mouet hîc dubium contra secundam conclusionē; Quomodo dicit Diuus Thomas, quòd suscitatio mortui superat facultatem potentiæ naturalis, & ideo est miraculum; iustificatio verò minimè? Est argumentū. Primū arg. Nā sicut in materia, postquam homo est mortuus; non est potentia naturalis ad vitam recuperandam: sic sanè in anima nostra non est potentia naturalis ad gratiam, sed vtrobique est obedientialis potentia: ergo eadem prorsus ratio est. ¶ Secundò, maior potentia est in materia ad vitam recuperandam, quàm in anima ad habendam iustificationem. quod sic ostendo. Nam in homine suscitato posteà vita naturalis est, & homo naturaliter viuit, ac forma naturaliter informat: sed homo iustificatus semper habet esse supernaturale, quod superat

D. Tho.

Caieta.

Primū arg.

Secundum

ſuperat ordinem naturæ: ergo ſi vnum opus
Tertium. D. Tho. eſt miraculoſum, etiam erit & alterum. ¶ Tertiò, Diuus Thomas .3. contra gentes, ca.161. dicit expreſſè, quòd iuſtificatio impij ſuperat ordinem naturæ, ſicut illuminatio cæci, & ſuſcitatio mortui.

Solutio argumẽtorũ. ¶ Ad hæc argumenta confutanda eſt triplex modus dicendi. Primus eſt, quòd ſicuti in animis noſtris eſt naturalis inclinatio ad videndum Deum, vt exiſtimant Theologi doctiſſimi; ſic eſt naturalis inclinatio ad gratiam, & charitatem, quæ ſunt media neceſſaria ad videndum Deum. Hæc ſolutio nobis non probatur: tum, quoniam non eſt certum vtrùm Deus clarè viſus ſit finis noſter naturalis; tum verò, quoniam ex eadem ſolutione ſequeretur, reſurrectionem mortuorum eſſe ex inclinatione naturali; quoniam in anima ſeparata eſt inclinatio naturalis ad reſumendum corD. Tho. pus. propter quod dicit S. Thomas in additio. ad .3. p. quæſtione .75. artic .3. quòd reſurrectio mortuorum ex parte principij actiui eſt ſuper naturalis; verùm ex parte finis eſt naturalis. Secundus modus dicẽdi eſt, quòd Diuus Thomas loquitur de potentia remota, ad hunc ſenſum, quòd in anima eſt capacitas quædam ad gratiam, & iuſtificationem, quę non eſt in brũ
Augu. li. de prę d. ſanct. ca. 5. tis. In hanc ſententiam dicit Diuus Auguſtinus, poſſe habere gratiam, & charitatẽ, naturæ eſt hominũ, habere fidẽ, gratiæ fidelium. Tertia explicatio eſt, hanc eſſe differentiam inter ſuſcitationem mortui, & impij iuſtificationẽ: quòd ad ſuſcitationem mortui non cooperatur homo; ad iuſtificationem impij opera noſtra ſunt neceſſaria. Aliam ſolutionem habet Caietanus, quem vide.

QVAESTIO CXIIII.

De merito, quod eſt effectus gratiæ cooperantis; in decem articulos diſtincta.

BREVIS INTRODVCTIO QVAESTIONIS.

DE meritis bonorum operum diſputant Doctores in .1. diſt .27. & aliqui .d .18. in .3. ſed proprius locus huius diſputationis habetur in .2. diſtinctione .27. Soto lib .3. de natura & gratia .c .7. & deinceps. Caietanus in opuſc. de fide & oper. Caſtro libro de hæreſibus, in verbo, meritum.

ARTIC. PRIMVS.

¶ Vtrùm homo poſſit aliquid mereri à Deo?

SVMMA TEXTVS.

PRima Concluſio. Reddere mercedem pro meritis eſt actus iuſtitiæ. Hæc concluſio ſic ꝓbatur. Id em̃ merces dicit̃, quod alicui recõpẽſatur pro retributione operis, vel laboris, qua ſi quoddã pretiũ illius. Vnde ſicut reddere iuſtũ pretiũ ꝓ re accepta ab aliquo eſt actus iuſtitię; ſic etiã reddere mercedem pro meritis eſt actus iuſtitiæ. Prima cõ

¶ Secũda Cõcluſio. Inter Deũ & hominẽ nõ eſt meritũ ſecũdũ ęqualitatẽ iuſtitię, cuiuſmodi eſt inter homines. Nã cũ maxima ſit inæqualitas inter Deũ & hominẽ; cùm in infinitũ diſtẽt, & totũ hominis bonũ à Deo ſit; non põt eſſe iuſtitia hominis ad Deũ ſecũdũ ęqualitatẽ, ſed ſecũdũ quãdã ꝓportionẽ. Nã ſimpliciter iuſtitia eſt, quorũ eſt ſimpliciter ęqualitas: eorũ verò quorũ nõ eſt ſimpliciter æqualitas, non eſt ſimpliciter iuſtitia, ſed quidã iuſtitiæ modus; ſicut dicit̃ quoddã ius paternũ, vel dominatiuũ, ſicut filius meretur à patre, & ſeruus à Dño. Secunda.

¶ Tertia Concluſio. Inter Deũ & hominem eſt meritũ ſecũdũ ꝓportionẽ tm̃; & id quidẽ præſuppoſita ordinatione diuina, inquantũ videlicet vterq; operatur ſecundũ modũ ſuæ naturæ. Modus autẽ & menſura humanæ virtutis eſt à Deo; & ideò meritum hominis apud Deum eſſe nõ poteſt, niſi præſuppoſita diuina ordinatione vtid homo cõſequa- Tertia.

tur à Deo persuam operationem, quasi mercedem, ad quod Deus ei virtutem operãdi deputauit: sicut etiam res naturales hoc cõsequuntur per proprios motus, & operationes, ad quod à Deo ordinatæ sunt. Ex quo sequitur, quòd actio nostra habet rationẽ meriti ex diuina ordinatione, in quantum debitum est vt sua ordinatio impleatur. ¶ Quarta conclusio. Sola creatura rationalis, & libera mereri potest: quia creatura rationalis, & libera, sola se mouet ad agendum per liberum arbitrium, potẽs operari & non operari pro sua voluntate: vnde sua actio habet rationẽ laudis, & meriti; quod non est in alijs creaturis.

Quarta.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Lutherus.

VTherani non recipiunt nomen meriti in ordine ad Deum, imo dicũt esse Pelagianum, asserere quòd homo aliquid mereatur coram Deo. Nec mirum, cùm dicant opera omnia esse peccata mortalia. Probant suum errorem ex illo; Non ex operibus iustitiæ quę fecimus nos, sed secundùm misericordiam suam saluos nos fecit: & ad Ephes. 2. Nõ ex operibus, ne quis glorietur: Rom. 3. ad Galat. 2. Sciẽtes quòd ex operibus legis non iustificatur homo coram illo: & ad Rom. 4. Ei qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum: & ca. 6. Gratia Dei, vita æterna: & ca. 11. Si ex operibus, iam non ex gratia. & ca. 8. Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Ex quibus testimonijs videtur colligi, quòd Deus merè gratis conferat vitam æternam hominibus iustis. Hanc sententiã videntur docere sancti Patres ferè omnes. In primis D. Augustinus elucidãs illud ex Psalmo. 102. Qui coronat te in misericordia, & miserationibus; sic scribit; Qui in nobis victi sumus, in illo vicimus: ergo coronat te, quia dona sua coronat, nõ merita tua. Plus omnibus laboraui, ait Apostolus; sed vide quid adiũgit; Non ego, sed gratia Dei mecũ. & in expos. Psal. 98. super illud; Exaltate Dominũ Deum nostrũ, ait, Deus qui in nobis coronaturus est non merita nostra, sed dona sua, quantum debet à nobis exaltari? Exaltate ergo Dominum Deum nostrũ. & in enarratione Psalmi. 88. ait; Cùm videt homo quidquid boni habet, non se habere à se, sed à Deo suo, videt id totum quod in eo laudatur, non de suis meritis, sed de misericordia Dei. & in Psalmo. 139. Meritis, inquit, suis nil tribuũt sancti: totũ non nisi misericordiæ tuæ tribuunt ô Deus. & Psal. 144. exponens ea verba, Et iustitia tua exultabũt &c. inquit; Gratia salui facti estis. Vbi audis gratiam, gratis intellige: si ergo gratis, nil tu attulisti, nil meruisti: nã si meritis aliquid redditũ est, merces est, nõ gratia. & paulò pòst: Totum de misericordia est, merita tua nusquam iactes; quia & ipsa tua merita sunt illius dona: & epistola. 105. ad Sixtũ Presbyterũ; Cùm Deus coronat merita nostra, nil aliud coronat quàm munera sua: & in Ioan. tractatu. 3. Cũ ergo Deus præmiũ immortalitatis tribuit, dona sua coronat, nõ merita tua. & in lib. quinquaginta homiliarũ, homilia. 14. alloquẽs Apostolũ Paulũ, ita ait; Prorsus tua à te tibi parata non nouimus nisi mala: cùm ergo Deus coronat merita tua, nil coronat nisi dona sua. Repetit eandẽ sententiã Augustinus innumeris penè locis, quæ, ne lectori molestus sim, prætereo.

Argumẽta Luthe. ex scriptura. Ad Titũ. 3. Ephe. 2. Galat. 2. Roma. 4.

Argumẽta ex Patribꝰ. Augustꝰ.

Basilius in comm. Psal. super hac periodo; Cõuertere anima mea in requiẽ tuam; Proposita est, inquit, æterna requies his qui in hac vita legitimè decertarunt, quæ quidẽ nõ secũdũ operum debitum ac meritũ tribuitur, sed iuxta magnificẽtissimi Dei gratiã, his qui in ipsum sperauerũt exhibetur. Bernardus homil. 61. in Cãtica Canticorũ, in expositione huius clausulę; Veni colũba mea in foraminibus petræ; hæc inserit verba; Meritũ proinde meũ miseratio Dñi: non planè sum meriti inops, quamdiu ille miserationum nõ fuerit: quod si misericordiæ Domini multæ, multus nihilominus in meritis sum: nũquid iustitias meas cãtabo? Dñe memorabor iustitiæ tuæ solius: ipsa est enim mea, né pe factus es tu iustitia mihi à Deo. ¶ Sed iste error est similis omnino alijs eorũ erroribus. Nã in sancta scriptura inueniũtur istæ voces; merces; quæ est correlatiua ad meritũ; reddere, siue retribuere; reddere ex operibus, reddere ex meritis, reddere ex iustitia, reddere ex dignitate: ex quibus omnibus efficax sumitur argumẽtũ ad asserẽdũ meritũ bonorũ operum coram Deo. Mercedis mẽtio habetur multis in locis, Sapien. 5. Iusti autẽ in perpetuũ viuẽt, & apud Dominum est merces eorum. Eccles. 2. Qui timetis Deum, credite illi, & non euacuabitur merces vestra. & cap. 18. Non verearis vsque ad mortem iustificari: quoniam apud Dominum est merces bonorum operum, Matthæi quinto; Gaudete, & exultate, ecce emẽ merces

Basilius.

Bernar.

Impugnatur error Lutheri.

Sapien. 5. Eccle. 2.

Matt. 5.

vestra

vestra copiosa est in cœlis. & c.10. Qui recipit Prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetę accipiet. & c.20. est tota parabola de denario diurno, quæ mirum in modum ad nostrum propositum spectat. ibidē habetur; Voca operarios, & redde illis mercedem suam.

Gene.15. Hiere.31. Genes. 15. Ego sum merces tua magna nimis. & Hierem. 31. Erit merces operi tuo. Cùm igitur in sanctis scripturis tam frequens mercedis fiat mentio, & merces à merendo dicatur, & nihil aliud sit merces quàm illud quod quis meretur, non est quare nomen meriti debeat euitari. Secunda vox; reddere, retribuere, passim reperitur in diuinis eloquijs, vt in Psalmo. 61. Tu reddes vnicuique secundùm opera sua. Tertia vox est, reddere ex operibus; ex qua efficax argumētum educitur pro merito bonorum operum coram Deo: est enim hoc argumentum efficax, & catholicum. Vita æterna redditur ex operibus: ergo ex meritis. Consequentia argumenti euidens est apud D. Paulum, qui hac de causa demonstrat in tota epist. ad Romanos, & ad Galatas, iustificationem impij nō esse ex meritis, quoniam non datur ex operibus: ergo si vita ęterna datur ex operibus, consequēs est, quòd ex meritis tribuatur. Quòd verò detur ex operibus, patet ex illo; Qui reddit vnicuiq; iuxta opera sua: & ex illo; Voca operarios, & redde illis mercedem suam: & clariùs ex illo; Venite benedicti patris mei, percipite regnū: esuriui enim. &c. Quarta vox est, reddere ex meritis; quæ non est adeò frequens in diuinis eloquijs: habetur Eccles. 16. Omnis misericordia faciet vnicuique locum secundum meritum bonorum operum. loquitur apertissimè de merito bonorum operum apud Deum: & ad Hebręos vlti. Talibus enim hostijs promeretur Deus. Quinta vox est, reddere de iustitia; vt in Psal. 17. Reddet mihi Dominus secūdum iustitiam meam &c. & 2. ad Timot. 4. Cursum consummaui, fidem seruaui, in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus iustus iudex. Obseruandum est illud; corona iustitiæ; & iustus iudex. Sexta vox est, reddere ex dignitate; vt Sapien. ca. 3. Quoniam Deus tētauit illos, & inuenit illos dignos se. Hæc sunt testimonia euidentia pro merito bonorum operum apud Deum. Ex quibus liquidò constat, quàm insanus est Lutheranorū error, asserentium, quòd apud Deum, in danda vita æterna hominibus, nullus est respectus bonorum operum. Condemnatur hęc sententia in Concilio Tridentino Sess. 6. capitulo. 16.

Eccle.16. Hebr. vlti. Psal. 17. 2. ad Tim. 4 Sapien. 3. Cōci. Trid. Ad argumēta Luth. Quid intelligant sancti, cùm dicunt in nobis nō esse meritum.

¶ Ad autoritates sonātes quòd nō meremur, remissionē peccatorū, nec verò iustificationem, nō oportet satisfacere: nam omnes cōuenimus in hanc sententiā catholicā, & irrefragabilem, quòd nō meremur remissionem peccatorum. ¶ Ad autoritates verò sonātes q̄ nō meremur vitam æternā, oportet satisfacere, & in primis ad illam; Gratia Dei vita æterna: & dicendum est, esse verissimū quòd gratia Dei contingat nobis vita æterna: nā gratia Dei efficimur mēbra Christi, cuius virtute promeremur vitam æternam. explicat hanc rem optimè D. Augustinus: interrogat enim quasi sub ista sententia subinferens; Nulla ne sunt merita iustorū? sunt planè, quia iusti sunt; sed vt iusti fierent, merita non fuere. & paulò pòst; Hæc vita æterna, quæ in fine sine fine redditur, ex meritis præcedentibus redditur: sed quoniam hæc merita non propter nostram sufficientiam data sunt, sed propter gratiam donatā, ideo dicit D. Paulus; Gratia Dei, vita ęterna. ¶ Ad aliud documentum Domini; Cum feceritis omnia. &c. dicēdum est, q̄ opera nostra quatenus ex libero arbitrio prodeunt, nullā vtilitatē habent ad vitā æternā cōsequendā: cęterum quatenus prodeunt ex gratia Spiritus sancti, & ex merito Christi Domini, habent magnā vtilitatē, & magnū pondus gloriæ subministrant. Idē dicēdū est ad illud; Non sunt condignæ passiones huius temporis &c. de qua re iterū redibit sermo artic. 3. huius quæstionis.

Aug. epist. 105. & de grat. & lib. arbit. ca. 7. &. 8.

¶ Sed ad autoritates sanctorū Patrum satisfaciendū est. Ad D. Augustinū dicēdum, quòd ex verbis huius sancti Patris meritū bonorū operū non dānatur, vt Lutherani mētiuntur: vbique enim docet merita bonorū operū, semper illud ore circūferēs, quod in sermone de tempore. 162. protulit inquiens; Deus pro meritis fidei atque bonorū operū dabit fidelibus suis regnum cœlorū. In illis ergo sentētijs adductis, Pelagianorū cōdēnat dogma, qui se iactabant proprijs viribus, & laboribus, etiā absq; diuinæ gratiæ auxilio pro mereri, & consequi posse coronā æternę felicitatis. Aduersus tam insolentē arrogātiā Augustinus pronūtiat Deum in nobis nō coronare merita nostra, sed munera sua; vt hac forma loquendi significet, humana merita bifariam esse consideranda: vel quatenus à liberi arbitrij viribus proficiscuntur, nullo comitāte diuinæ gratiæ auxilio; & hęc quidē neque vlla corona digna sunt, neq; à Deo coronātur in nobis: si verò cōsiderētur quatenus ex diuina gratia nobis cōsentiētibus & cooperātibus agūtur, merita sunt vitę æternę, & felicitatis perpetuæ. Atq; hanc esse suā sententiā, explicat epistola 105. ad Sixtum presbyt. his verbis; Nulla ne igitur sunt merita iustorum? sunt planè, quia iusti sunt, sed vt iusti fierent, merita nō fuerūt. Et infrà; Nullū est meritū hominis ante gratiā, quo percipiat gratiā, cùm omne meritū nostrū nō faciat in nobis nisi gratia: & cùm Deus coronat

Ad autoritates Sāctorum.

Augustī. sententia.

nat merita nostra, nihil aliud coronat quàm dona sua: sicut enim ab initio fidei misericordiam consequuti sumus, non quia fideles eramus, sed vt essemus; sic & in fine, quod erit in vita æterna, coronabit nos, sicut scriptum est, in misericordia, & miserationibus. Nō itaque frustra Deo cantatur, Et misericordia eius præueniet me, & misericordia eius subsequetur me. Vnde & ipsa vita æterna, quæ vtiq; in fine fine habebitur, meritis præcedentibus redditur. Tamen quia eadem merita quibus redditur, non à nobis parata sunt per nostram sufficientiam, sed in nobis facta per gratiam, etiam ipsa gratia nūcupatur; non ob aliud, nisi quia gratis datur; nec ideo quia meritis nō datur, sed quia data sunt & ipsa merita quibus datur. Hoc ipsum lucidiùs exprimit inquiens; Cùm dicunt Pelagiani, hanc esse solam, non secundum merita nostra, gratiam, qua homini peccata dimittuntur; illam verò quæ datur in finem, id est, æternam vitam meritis nostris præcedentibus reddi; Respondendum est eis: si enim merita nostra sic intelligerēt, vt etiam ipsa dona Dei esse cognoscerent, non esset reprobanda ista sententia: quoniam verò merita humana sic prædicant, vt ea ex semetipso habere hominē dicant, prorsus rectissime respōdet Apostolus; Quis enim te discernit? quid habes quod non accepisti? prorsus talia cogitāti verissimè dicitur, dona sua coronat Deus, nō merita tua, si tibi à te ipso sunt merita tua: si autem Dei dona sunt merita tua, non Deus coronat merita tua tanquā merita tua, sed tanquam dona sua. Hæc Augustinus. ¶ Ad D. Basilium dicēdum est, quòd vbique prędicat merita sanctarum actionum, maximè verò in Psalmo. 61. quo in loco enarrans illam Dauidis sententiam; Quia tu reddis vnicuique secundum opera sua; sic scribit: Qua mensura mensi fueritis, eadem remetietur vobis. tribulasti fratrē, expecta æquilibrium: rapuisti bona inferiorū; calumniatus es; mentitus es; expecta horum retributionem: qualia enim vnusquisque semi nat, talia & metet. Cæterū si quid boni à te perpetratū est, illius quoque multiplices expecta retributiones: quia reddet vnicuique secūdum opera. Basilius ergo non meriti virtutē voluit auferre, sed immensam Dei munificentiā attollit, quæ singula nostrorum operū merita, non seruata quantitatis æqualitate, compensat; sed mensuram meritorum excedens supra omne condignum amplissimis remunerat præmijs. Vnde inferunt Theologi, quòd Deus prēmiat vltra condignum. Ad D. Bernardum dicēdum est, quòd D. Bernardus de merito bonorū operum habet catholicam definitionem: scribit enim in hanc sententiam. Sufficit scire ad meritum quòd non sufficiāt merita: & paulò pòst inquit; Merita proinde habere cures, habita data noueris, & sic omne periculum euasisti paupertatis, & præsumptionis: pernicioſa enim paupertas, & penuria meritorum; præsumptio autem spiritus, fallaces diuitiæ, & ideo diuitias & paupertatem ne dederis mihi. Hæc sunt Bernar. verba, ex quibus apparet, eum in his quæ adducta sunt ab hæreticis, non destruere neq; damnare merita, sed tantùm admonere seruos Dei, ne de suis virtutibus ac meritis intumescant, vt existiment se vel à seipsis habere.

Lib. de gratia & liber. arb. ca. 5. 6. & 7.

1. Corin. 4.

Ad D. Basil.

Ad Bernar. Sermo. 68. in cantica.

¶ Statuto iam & probato quòd sit meritum apud Deum, quæstio est, quid nam sit meritū, & vtrùm sit de ratione meriti quòd sit opus liberum? Vídetur quòd non. Nam opera nostra sunt meritoria ex acceptatione diuina: sed Deus potest acceptare opera naturalia ad vitā æternam: ergo possunt esse merita. ¶ Secundò, Christus ab instanti suæ conceptionis promeruit, sed non per actum liberum. quod sic ostēdo. Nam meruit per dilectionem Dei, ad quā habendam necessitabatur; erat enim beatus, & beati necessitantur ad Dei dilectionem. ¶ Tertiò, Christus merebatur in impletione mandatorum Dei, at non liberè ea adimplebat. quod sic ostendo: tum, quoniam non poterat contrauenire diuinæ voluntati; tum verò, quoniā non potuit peccare. ¶ Quartò, pueri decedentes cum baptismo habent ius ad vitam æternā, quæ illis tanquam merces retribuitur; at non habent opus liberum. Rursus, qui decedunt in peccato originali, habent meritum iustæ damnationis absque actu libero. ¶ Sciendum est, q̄ meritum est nomen latinum, à mercede, vel merendo deductum: estq̄ meritū, opus studiosum, cui iure merces debetur, dicēte Paulo; Ei qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Ei qui operatur, id est, ei qui meretur. ¶ Secundò notandum est, quòd ad meritum bonorū operū quatuor conditiones requiruntur. Prima est, q̄ sit opus liberum: nam actus expers libertatis, cùm non sit vitij, aut virtutis, non meretur laudem, nec vituperiū: vnde prouerbiū est, quòd naturalibus, aut necessarijs non meremur aut demeremur. Hęc conditio adeò necessaria est, quòd de potentia Dei absoluta nō potest esse meritum, nisi sit opus liberum. quod sic ostendo. Nam si Deus daret vitam ęternam ratione consanguinitatis, aut pulchritudinis, certè meritum non esset, vt cōstat ex omnium hominū consensu: ergo si daret propter qualitates naturales, propriè meritum non esset. Deinde, prorsus est impossibile quòd homo demereatur apud Deum per opera naturalia, & necessaria: ergo prorsus est impossibile quòd homo

Quid meritum. An & ratione meriti sit, quod sit opus liberum. Primū arg. Secundum

Tertium.

Quartum.

Primum notab.

Roma. 4.

Secundum Requisita ad meritū.

homo mereatur apud Deũ per opera alioquí naturalia. Tertiò, Deus nõ potest tollere à merito id quod est de essentia actus meritorij: sed de essentia actus meritorij est quòd sit opus liberum præstitum in obsequiũ alterius: opera enim naturalia, cùm illorum nõ habeamus dominiũ, nó præstamus in obsequiũ alterius: ergo non possunt esse merita. Secunda conditio est, ꝙ sit opus bonum: nam bonum opus meretur laudẽ; malũ verò vituperationẽ. Vtrùm verò opera, alioqui mala, sint merita apud Deum, disputatum est suprà q. 21. ad finẽ & disputabitur diligentiùs infrà. Tertia cõditio est, ꝙ sit opus exhibitum in obsequiũ alterius: nã meritum est actus iustitiæ: ergo dicit ordinem ad alterum. Quarta cõditio est, quòd sit opus viatoris: nam beati cùm sint iam in termino, non ampliùs promerentur. Has cõditiones insinuat S. Tho. suprà q. 21. & Doctores in. 2. d. 27. & in. 3. d. 28. nominatim Scotus & Almaynus. ¶ Tertiò notãdum est, quòd definitio meriti sic habet; Est opus bonũ liberũ, siue internum, siue externum, cui de iustitia merces debetur. Ex hac definitione sequitur, ꝙ in merito quatuor concurrunt; persona quæ meretur; actus studiosus, qui meritum est; merces quæ merito correspondet; persona apud quã meremur: si enim non esset persona apud quam mereremur, inanes essent nostri labores. ¶ Vltimò sciendum est, quòd meritum in sua vniuersitate diuiditur in meritum bonum, & malũ: nam mali homines & improbi habent mala merita apud Deum. Diuiditur rursus in meritũ de cõdigno, & de congruo: sed cum meritum decõgruo non innitatur iustitiæ, sed congruentiæ, propriè appellationem meriti non meretur. ¶ Ad primũ in cõtrarium respondetur cõcedẽdo ꝙ Deus posset conferre beatitudinẽ ratione qualitatis naturalis, sed tũc propriè nõ esset meritum, vt iam expositum est. ¶ Ad secũdum respondetur, hoc fuisse magnum miraculum, quòd cùm Christus esset beatus, mereretur, (erat enim simul viator, & comprehẽsor.) Itẽ, fortassis beatus de potentia Dei absoluta potest suspendere actum amoris; de quo disputatum est in materia de beatitudine. Communis confutatio huius argumẽti est, quòd Christus non meruit per amorem beatificum, sed per alium amorem, quem habuit in quantũ viator erat, & per obedientiam spontaneã qua fuit obediens patri vsque ad mortẽ. ¶ Ad tertium respõdetur, ꝙ fortassis Christus nõ habuit præceptũ moriẽdi: quod si habuit, liberè adimpleuit: potuit enim mori & nõ mori; quãuis in sensu cõpositο, suppositο præcepto, nõ potuit nõ adimplere: necessitas enim ex suppositione nõ tollit libertatẽ, quemadmodũ dicũt Theologi

D. Tho.

Tertium notab. Definitio meriti.

Vltimum. Diuisio meriti.

Ad primũ.

Ad secũdũ.

Ad tertiũ.

dẽ cõfirmatis in gratia, quòd suppositο priuilegio nõ possunt peccare mortaliter; at absolutè possunt peccare mortaliter. ¶ Ad vltimũ respõdetur, ꝙ sicuti pueri ex merito maloprimi parẽtis dãnãtur, ita ex merito bono Christi sibi per baptismũ applicato saluantur. ¶ Dubitatur præterea, postquã reddere præmiũ pro meritis est actus iustitiæ, vt asserit D. Tho. in prima cõclusione, quæ nam iustitia seruatur in redditione præmij? S. Thomas in. 2. d. 27. art. 3. dicit, ꝙ iustitia distributiua. Idẽ probat in. 4. d. 46. q. 1. art. 1. Hoc impugnat Durandus in. 2. d. 27. q. 2. duodecim argumẽtis, & omnia procedunt ex vno capite, nẽpè, ꝙ reddere mercedẽ & salariũ pro seruitio impẽsο pertinet ad iustitiã cõmutatiuã. In hoc enim differũt iustitia distributiua, & cõmutatiua; ꝙ distributiua respicit personarũ proportionẽ: cõmutatiua verò, rerũ æqualitatẽ. Sed & idẽ D. Thomas in. 2. 2. q. 61. art. 4. ad. 1. dicit expressè, ꝙ diuinũ iudiciũ attẽditur secundũ formã iustitiæ cõmutatiuæ, inquãtũ recõpensat præmiũ pro meritis, & supplicium pro peccatis: & in solutione ad. 2. dicit, ꝙ cùm alicui personæ pro seruitio impẽsο cõmunitati aliquid redditur, est actus iustitiæ cõmutatiuę, nõ distributiuę: nam in iustitia distributiua nõ attẽditur æqualitas eius quod quis accipit, ad id quod impẽderat, sed attẽditur præcipuè proportio personarũ. Hæc loca, quæ vidẽtur dissidere in D. Thoma, varijs modis cõciliabat eius discipuli. Victoria dicebat, ꝙ D. Thom. in. 2. & in. 4. cõsiderans opera quatenus ex libero arbitrio prodeunt, dixit seruãdã esse iustitiã distributiuã; sed in summa suæ Theologiæ considerãs opera bona quatenus ex gratia Spiritus sancti, & ex merito Christi prodeunt, dixit seruandã esse iustitiã cõmutatiuã. Nam inter meritũ ex gratia procedẽs, & præmium, nõ solùm est æqualitas proportionis, sed æqualitas in quãtitate, vt ostẽdit S. Tho. in arti. 3. huius quæstionis: & sic concordat ea quæ vidẽtur differre in dictis D. Thomę. Caiet. in. 2. 2. loco citato, alio modo cõciliat hęc loca D. Thomę: dicit enim, quòd inter Deum & hominẽ nullo modo potest esse iustitia commutatiua, multò minus quàm inter dominum & seruũ: quoniã Deus nihil nõ suum accipit à nobis vt teneatur reddere. Rursus, non possumus æquiualens pro acceptis restituere. Ex quo statim sequitur, ꝙ punire peccatores, est actus iustitiæ distributiuæ, qua vnãquãq; partẽ vniuersi in suo loco cõstituit, secũdũ illud quod scriptũ est Acto. 1. de Iuda, vt abiret in locũ suũ. Quod confirmatur ex illo axiomate Theologorum asserentium quòd Deus punit citra cõdignum, & præmiat vltra condignum: Iustitia verò cõmutatiua seruat æqualitatem rei ad rem: sed licèt iudicium

D. Thom.

Durand.

M. Victo.

Caieta.

diuinum

diuinum fiat secundum iustitiam distributiuã, admiscetur quidem modus iustitiæ cõmutatiuæ, pro quãto redditur res pro re, hoc est, præmiũ pro meritis, suppliciũ pro delictis. & sic est intelligendus D. Thomas cũ dicit, q̃ iudicium diuinũ attẽditur secundũ rationẽ iustitiæ commutatiuæ. Soto lib. 3. de iustitia. q. 5. arti. 4. alia via pergit: dicit enim, q̃ redditio præmij est actus iustitiæ distributiuę: nam in ea potissimè attenditur ad merita, & conditiones personarum, quãquam hîc conspicitur quędam forma iustitiæ cõmutatiuæ. Cum enim bona illa infinita sint, sic redditur præmium secundum proportionẽ meritorũ, vt etiam præmiũ ad vnguẽ correspondeat pro merito: quod in repub. humana, in qua bona insufficientia sunt, non semper obseruari potest. Deinde dicit, quòd punitio peccatorum est actus iustitiæ cõmutatiuę: nam in punitione nõ attẽditur proportio personarum, sed æqualitas iniuriæ, quæ ad iustum resarcienda est. Inter has opiniones, opinio Victoriæ magis nobis probatur.

Soto.

ARTIC. SECVNDVS.

¶ Vtrùm homo sine gratia possit mereri vitam æternam?

SVMMA TEXTVS.

REspondet D. Tho. conclusione negante, quã in homine condito in statu naturæ integrę, & in homine in statu naturæ corruptæ constituto probat. Meritum namque hominis depẽdet ex prę-ordinatione diuina: actus autem cuiuscunque rei non ordinatur diuinitus ad aliquid excedẽs proportionem virtutis, quæ est principiũ actus: suauis enim Dei dispositio est, vt nihil vltra virtutem suam agat: ergo actiones hominis in natura integra conditi non excedũt proportionem naturæ creatæ. At vita æterna quoddam bonum est, proportionem naturæ creatæ excedẽs, iuxta illud 1. Corin. 2. Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Nõ ergo natura creata est sufficiens principium actus meritorij vitæ æternę, nisi ei aliquod donum supernaturale addatur, quod gratia dicitur. De homine verò in natura lapsa ita quadam peculiari ratione probat D. Thomas eandẽ conclusionem. Nullus siquidẽ peccator potest vitam æternam mereri, nisi prius Deo reconcilietur dimisso peccato; quia peccatum est quædã Dei offensa, à vita excludens; qua propter peccatori nõ debetur nisi mors, iuxta illud Rom. 6. Stipẽdia peccati mors: recõciliari autẽ Deo nõ potest sine gratia: ergo nec mereri potest vitã æternã sine gratia.

1. Corin. 2.

EXPLICATIO ARTICVLI.

DVbium est, an de potẽtia Dei absoluta possit homo mereri vitã æternam sine gratia? Ad huius dubij expositionem dico primùm, de potentia Dei ordinaria non possumus mereri vitam æternam sine gratia. Hoc testantur scripturæ diuinæ, & probat ratio D. Thomæ. Secundò dico, de potẽtia Dei absoluta bene possumus mereri vitã æternã sine gratia habituali. Nam Deus per adiutoriũ gratiæ suæ potest mouere animũ nostrũ ad detestationẽ peccati, & dilectionem Dei super omnia, quibus mereamur vitã æternã. Tertiò, de potẽtia Dei absoluta nõ potest homo mereri vitã æternã per opera naturalia, id est, nõ libera: nam, vt anteà ostẽsum est, libertas est de ratione meriti. Quartò dico, de potentia Dei absoluta per opera moraliter bona ex viribus naturę cõparata possumus mereri vitã æternã. Nã si rex noster instituat vt stipula valeat argentũ, certè valebit argẽtũ: ergo si rex omniũ instituat, q̃ opus moraliter bonũ valeat vitã æternã, valebit certè. Sed est notandũ discrimẽ inter hæc merita, & meritũ quod procedit ex gratia. Nã meritũ quod procedit ex gratia, præter diuinã institutionẽ habet proportionẽ cũ præmio reddendo: nam gratia facit nos consortes diuinæ naturæ, & filios Dei; q̃ si filij, & hæredes: at illa merita proportionẽ nõ habẽt. ¶ Et est notandum q̃ hæc adoptio filiorũ multũ differt ab adoptione humana. Nam adoptio humana, tantùm dat ius ad paternam

An de potẽtia Dei absoluta possit homo mereri vitam æternã sine gratia.

Roma. 8.

ternam hæreditatem: Diuina verò præter hoc dat consortium & participium diuinæ naturę. Sciendum est etiam, quòd D. Thomas in articulo distinguit duplicem hominis statum; statum naturæ lapsæ, & statum naturæ integræ: quem, inquit D. Thomas, Adam habuit ante peccatum. In quo videtur S. Thomas insinuare, quòd Adam ante peccatum non habuit gratiam. quod non solum est falsum, sed erroneũ. Nam quamuis sit positum in opinione Doctorum, an sit creatus in gratia, nullus tamen dubitare debet quòd habuerit gratiam, & sanctitatem ante peccatum. Nam in Concilio Tridentino definitum est, quòd primus parẽs habuit sanctitatem, & iustitiam ante peccatũ. Voluit ergo docere D. Thomas, quòd primus parens in statu naturæ integræ ante peccatum per integritatem & valorem naturæ non potuit mereri vitam æternam. ¶ Secundò notãdum est, quod dicit D. Tho. in articulo, quòd vita æterna excedit omnem proportionem naturæ, & omne desiderium hominis naturale: ex quo euidens est, quòd non sit finis noster naturalis, vt quidam Theologi magni nominis perperam existimant. ¶ Tertiò notandum est, quòd in conclusione D. Thomæ duæ conclusiones insinuantur: altera est, quòd homo cõstitutus in gratia potest mereri vitam ęternam, de qua articulo sequẽti tractabitur: Altera est, quòd homo sine gratia non potest mereri vitam æternam, de qua etiam disputatum est q. 109. art. 5. ¶ Vltimò notandum est, quòd illud axioma, quod commemorat S. Thomas in argumento secundo; Opus quantò minus debitũ est, tantò magis meritorium est; nõ est semper verũ: nam opus quod fit ex voto, est magis meritorium quàm opus quòd fit spõte, & propria voluntate: at illud magis debitum est. Deinde, dilectio Dei super omnia est opus magis debitũ quàm omnia opera ęterarum virtutum; at est magis meritorium apud Deum.

Cõcil. Trid. Sess. 5. ca. 1.

Visio Dei nõ est finis naturalis.

ARTIC. TERTIVS.

¶ Vtrùm homo in gratia cõstitutus possit mereri vitã æternam ex cõdigno.

SVMMA TEXTVS.

Prima con.

PRima Conclusio. Si opus hominis meritorium cõsideretur ea ratione qua procedit à libero arbitrio, & secũdùm substantiã suã, non est meritoriũ vitæ æternæ de cõdigno, sed de cõgruo. Prior pars huius cõclusionis probatur ex maxima inæqualitate, quæ inter opera nostra, hac ratione cõsiderata, & vitã ęternã reperitur. Posterior verò ex eo probatur; quia congruũ videtur vt homini operanti secũdũ virtutẽ suã, Deus recõpẽset secũdùm excellẽtiam suæ virtutis. ¶ Secũda cõclusio. Si opus meritoriũ cõsideretur vt procedit ex gratia Spiritus sancti, meritorium est vitæ æternæ ex cõdigno. Hãc cõclusionẽ in argumẽto, sed cõtrà, probat D. Tho. tali ratione. Id quod redditur secundũ iustũ iudiciũ, merces condigna esse videt: vita autẽ æterna datur propter opera meritoria, vt procedunt à gratia, secundũ rationẽ iustitię vt patet ex Paulo dicẽte; Reposita est mihi corona iustitię, quã reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex: ergo per talia opera homo meretur vitã æternã de cõdigno. In corpore verò eandẽ conclusionẽ ita confirmat. Nam cùm opus meritoriũ ea ratione cõsideratur, qua à gratia Spiritus sancti procedit, valor meriti attẽditur secũdũ virtutẽ Spiritus sancti mouẽtis nos in vitã æternã, & attẽditur secũdùm dignitatẽ gratię, per quã homo cõfors factus diuinę naturę adoptatẽ in filiũ Dei, cui ex ipso iure adoptionis hęreditas debeẽ, iuxta illud Rom. 8. Si filij, & hæredes.

Secũda cõ.

2. ad Tim. 4

EXPLICATIO ARTICVLI.

SCiendũ est, quòd hæc vocabula, Meritũ de rigore iustitiæ, Meritum de cõdigno, Meritum de congruo, sunt excogitata à Theologis ad explicandã meriti nĩi dignitatẽ. Meritũ de rigore iustitiæ est quod nõ innitit gratiæ, aut misericordię acceptantis, sed habet valorẽ ex sese, & ex persona offerẽte, quale est meritum

Meritũ de rigore iustitiæ.

Meritū de condigno.

meritum Christi Domini. Meritum de condigno est, quod licèt innitatur gratiæ, & miseri cordiæ acceptantis, est iustum, & condignū ad præmium futurum; huiusmodi est meritū sanctorum.

Meritū de congruo.

Meritum de congruo est, quod non innititur iustitiæ, sed congruentiæ solummodo. ¶ Secundò notandum est, quòd in expositione huius quæstionis propositæ in. 3. art. variant Doctores Scholastici.

Durand.

Durandus in. 2. d. 27. q. 2. dicit, quòd in operibus procedentibus ex gratia propriè nō est meritum vitæ æternæ de condigno, sed largo modo, & impropriè: quoniam in hominibus iustis est quædā dignitas, quæ non inuenitur in hominibus peccatoribus.

Vtrùm opera vt à gratia procedūt, habeāt rationē meriti.

Hæc verò sententia, quoniā fauet hæresi Lutheranæ, diligēter excutienda est. Et probatur quòd sit vera. ¶ Nam inter Deū, & creaturam non est iustum simpliciter, multò minus quàm inter Dominum & seruum, vt ostendit

Primū arg. Aristo.

Aristoteles. 5. Ethi. c. 6. Sed homo in gratia cōstitutus creatura est: ergo inter Deum & hominem non est meritum de iustitia, & de condigno; siquidē meritum est actus iustitiæ. ¶ Secundò, inter patrem & filium nō est iustum simpliciter, vt dicit Aristoteles loco citato: ergo nec inter filium Dei adoptiuū, & Deum ipsum est

Secundum

iustum simpliciter. Cōsequētia inde probatur: nā nō plus iustitiæ habet filius adoptiuus in ordine ad patrē adoptantē, quàm filius naturalis ad patrē naturalē. ¶ Tertiò, si homo iustus meretur vitam æternam de condigno apud Deū, sequitur quòd Deus obligatur illi vitam æternam conferre; quod si non faceret, iniuriam faceret, & inæqualitatem. quod est falsum. Nam si Deus omnes beatos de cœlo deijceret, & de turbaret, non faceret illis iniuriam. Item sequitur, quòd Deus deberet hominibus vitā æternām: quod est apertè falsum, & absurdū: nam Deus nulli debet. vnde est illud Augustini;

Tertium.

Augusti.

Reddis debita nulli debes. Quòd rectè sequatur, patet: nam vita æterna debetur iustis, & nō nisi à Deo: ergo Deus debitor est. Item, homo iustus habet ius iustitiæ ad vitam æternā apud Deum: ergo Deus debet vitam æternam de iustitia. Hæc Durandus. Scotus in. 1. d. 17. q. 1. dicit, quòd actus nostri ex hoc solùm quòd procedunt ex gratia, non sunt sufficienter meritorij vitæ æternæ de condigno, sed præterea requiritur acceptatio diuina, qua Deus ordinat tales actus ad consequutionem gloriæ, & in hac acceptatione completur, & perficitur meritum de condigno. Itaque Scotus habet duas conclusiones. Prior est, opera nostra secūdum se, & vt prodeunt à gratia, non sunt meritoria vitæ æternæ de condigno. Altera conclusio est, opera nostra ex acceptatione diuina, & vt originaliter procedunt ex passione Christi,

Scotus.

sunt meritoria de condigno. Probat suam sententiam. ¶ Nam si opera procedentia à gratia sunt meritoria vitæ æternæ de cōdigno apud Deum, sequitur quòd si Deus non tribueret vitam æternam, iniurius esset: quod est falsum. ¶ Secundò, præmium semper excedit meritū, vt patet ex illo quod dicitur, Deū præmiare vltra cōdignū: ergo actus noster ex sua bonitate nō meretur tale præmiū, sed solùm ex acceptatione diuina. Marsilius consentit Scoto in 2. quæst. 17. artic. 3. concl. 1. & in quæstione. 16. facit quatuor vel quinque argumenta, quæ nō est necesse commemorare; nam ferè iam adducta sunt. ¶ In huius rei expositionem dico primum: Merita sanctorū in diuina gratia fundātur. Patet ex illo; Gratia Dei, vita æterna: & ex Psalmo. 102. Qui coronat te in misericordia &c. & ex illo: Quis prior dedit ei, & retribuetur? & ex illo; Plus omnibus laboraui, non ego, sed gratia Dei mecum. Denique hæc veritas definita est in Concilio Mileuitano, Arausicano, Tridentino, contra Pelagium.

Primū arg. Scot.

Secundum

Marsilius.

Merita fundatur in gratia.

Concil.

¶ Secundò dico, meritum Christi non innititur gratiæ, & misericordiæ acceptantis: nā persona Christi de se est infinitè grata, & eius opera habent valorem, & infinitum pretium apud Dominum: propter quod meritū Christi fuit de omni rigore iustitiæ, quemadmodum demonstrant Theologi in tertio in principio.

Meritum Christi nō innititur gratiæ.

¶ Tertiò dico, meritum Sanctorum, licèt innitatur gratiæ, & misericordiæ acceptantis, nihilominus est verè & propriè meritum de condigno, & de iustitia. Probatur: nam sacræ scripturæ propriè loquuntur de merito Sanctorum, & testantur apertè quòd meremur vitam æternam de iustitia, vt patet ex testimonijs adductis in primo articulo contra Lutherum: ergo ita asserendum est. Pro cuius explicatione oportet demonstrare principia, ex quibus merita Sanctorum habent valorem & pretiū.

Meritū sanctorum est de condigno.

Lutherus.

Lutherani referunt merita bonorum operum in nudam Dei promissionem, sine respectu bonorum operum. Sed isti hæretici sunt condemnati ab vniuersa Ecclesia, & ex vniuersis scripturæ locis in primo articulo adductis. Pelagius referebat merita bonorum operum in liberum arbitrium, & in opera inde prodeuntia: sed iste hæreticus iam olim ab Ecclesia expulsus est, & damnatus in Concilio Mileuitano, Arausicano, & Tridentino. Catholici verò referunt merita bonorum operum in primis in pactum diuinum cum hominibus celebratum. Id enim quod instituitur sub pacto, sub hoc tenore verborum; faciam, si feceris; inducit obligationem iustitiæ. Sed Deus noster nobiscum hoc pactum instituit; Si seruaueritis diuina mandata, dabo vobis vitam æternam;

Pelagius.

Pactum diuinum.

ergo

ergo seruantibus diuina mandata ex pacto diui no vita æterna debita est. Huius pacti mentio habetur non in paucis locis scripturarum: Gen. 9.15.16. Exod. 24. Hierem. 31. Matt. 20. habetur mentio de conuentione facta cum operarijs ex diurno denario. Secundò, referunt in gratiam Spiritus sancti, quæ efficit nos consortes diuinę naturæ, & filios Dei adoptiuos; quòd si filij, & hęredes apud Deum, per Deum, vt dicit Paulus. Quomodo autę gratia Spiritus sancti sit ęqualis cum vita æterna quæ futura est, explicat eleganter Diuus Thomas solutione ad 3. Tertiò, referunt in Spiritum sanctum mentes nostras inhabitantem, qui est sufficiens causa vitæ æternæ: vnde & dicitur pignus hæreditatis nostræ 2. Corint. 1. & Ephes. 1. Quartò, referunt præcipuè in hanc causam, quòd iusti homines sunt membra Christi viua, quæ Christus viuificat per occultam vim, & connexionem spiritualę, vt dicit Paulus Rom. 12. Ephe. 4. ad Colo. 2. sicque Christus ea viuificat, vt passiones, & virtutes membrorum Christi sint, & appellentur ipsius Christi, iuxta illud Act. 9. Saule, Saule quid me persequeris? & 2. Corinth. 13. An experimentum quæritis eius qui in me loquitur Christus? & ad Galatas 2. Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus.

Gen. 9. Exod. 24. Hier. 31. Mat. 20. Rom. 8. D. Thom. 1. Cor. 1. Rom. 12. Act. 9. Gal. 2.

Dubitatio. ¶ Sed nunquid potest verè & catholicè concedi, quòd Christus in nobis, & per nos mereatur, ita vt dicat iustus, mereor ego, iam nó ego, meretur verò in me Christus? Soto loco citato dicit hanc loquutionem fauere hæresi Lutheranæ. Caietanus in opusculo de Fide & operibus concedit esse veram. Idem Hosius in cófessione fidei cap. 73. Respondetur tamę, quòd si hæc loquutio faciat hunc sensum, Christus in nobis meretur, sic, vt homo nihil promereatur, sed habeat se vesuti inanime organum, hæretica est sententia. Si verò fiat sensus, quòd Christus in nobis, & per nos mereatur, sic, vt homo diuino præsidio adiutus mereatur, sensus catholicus est: sicuti Deus loquitur in nobis, sic tamen vt nos loquamur, iuxta illud; Non vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. Cum igitur meritum bonorum operum ex pretiosis Dei donis, quibus efficimur consortes diuinæ naturæ, procedat, non dubium est quin sapiat, & redoleat ipsam naturam diuinæ iustitiæ; neque dubium est quin habeat occultam vim, & pretiositatem veluti diuinam.

Soto. Caiet.

Quorundā noua expositio. ¶ Sed videamus diligentiùs, in quem fontem referant meritum nouitij quidam Lutherani, qui cùm catholicis (vt sibi videtur) præclarè sentiunt. Vtique dicūt, quòd de merito bonorum operum dicitur in scriptura dupliciter. Primò, quòd est meritum saluificum, & propitiatorium, & sic solùm est vnum opus in mundo, quod meruit totaliter, & est causa salutis æternæ, victima Christi. 1. Ioan. 2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris. & Esaiæ 53. Posuit in eo iniquitatem omnium nostrum: & ideo est vnum saluificum meritum; & huius respectu nullum opus meretur vitam æternam. Nam si solum est vnum meritum Christi, quod meruit salutem: ergo nulli alij operi hominis tribui potest; & sic inquiunt opera nostra non merentur vitam æternam. Secundò, loquitur scriptura de apprehensiuo merito, id est, quo homo per ido nea media impetrat donationem promeritæ salutis per Christum; & sic opera nostra dicuntur mereri largè ex gratia vitam æternam, non ex dignitate operum, sed ex promissione. Deus enim promisit per opera, vt per media, di stribuere nobis & proprium facere suum meritum; & ideo Christus iubet pœnitere, & credere, & baptizari, & seruare mandata. Vnde vnus est Saluator Christus, qui meruit salutem in cruce, & reperit æternam redemptionem, Hæbr. 9. At distributionem nos meremur ex promissione. Ex hac doctrina inferunt, quòd apud Deum nullum est promeritum præmium, quod debeatur nostris operibus; nam etiam cum omnia fecerimus, Deus nobis nihil debet, Lucæ. 17. & ideo quidquid nobis donat Deus, hoc est gratia, & promissum præmium; coram hominibus autem est promeritum præmium. Romań. 4. Ei qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Verùm hæc omnia dogmata hæretica sunt: nam quanquam in prædictis sententijs non negetur opera bona & studiosa esse necessaria, quod à plerisque Lutheranorum negatur; nihilominus negantur apertè merita bonorum operum, introducitúrque meritum quoddam apprehensiuū, quod Ecclesia catholica nunquam agnouit. Item introducitur quoddam præmium promissum, non promeritum, quod dūtaxat apud hæreticos inuenitur. Ecclesia catholica indubiè docet, quòd opera filiorum Dei in se habent dignitatem, & valorem ex gratia Spiritus sancti, & quoniam procedunt ex iustis, quatenus sunt membra Christi, vt promereantur mercedem æternam, quæ debetur bonis meritis, prout suprà ostēsum est. Sed veniamus ad argumentorū cōfutationes. ¶ Ad argumēta Durā. & ad primū respōdetur, quòd si meritū refertur ad Deū retributorē, nō videtur esse iustū simpliciter, sed dominatiuū, vel paternū: Si verò referatur ad mercedē, iustitia est, & ęqualitas de cōdigno ad futurā gloriā, quę reuelabitur in nobis, vt declarat S. Tho. ad 3. Secundò respondetur, quòd si merita nostra cōsiderētur quatenus prodeūt ex virtute & merito Christi, est iustitia inter ho-

Impugnatur proposita explicatio.

Ad argum. Durandi.

Ad primū.

D. Thom.

minem iustum, & Deum, qualis fuit inter Christum & Deum. Tertiò respondetur, quòd quidquid sit de hac quæstione, vtrùm inter Deum & hominem sit vera iustitia, hoc est certissimum, quòd sicuti filius bonus & obsequens habet ius vt alatur à patre, item habet ius ad paternam hæreditatem; sic filius Dei adoptiuus habet ius ad æternam hæreditatem.

Ad secundũ & tertium. Deus nõ est capax obligationis.

Ad secundum idem dicendum est. ¶ Ad tertium respondetur, quòd si Deus posset obligari alicui creaturæ, certè merita sanctorum, præcipuè Christi Domini illum obligarent: sed Deus non est capax obligationis; & ideò si Deus deijceret omnes beatos à gloria, nulli irrogaret iniuriam: tum, quoniam ex parte nostra omnia bona & naturalia, & super naturalia illi debemus: tũ verò, quoniã ipse est Dominus omnium; propter quod si omnia redigeret in nihilum, nulli inferret iniuriam: tum verò, quoniam si aliquis esset inuitus, esset irrationabiliter inuitus. Itaque Deus nemini obligatur. quod amplius in sequenti solutione examinandum erit.

Ad quartũ. ¶ Ad quartum dictum est in superioribus, quæstione III. articulo 1. ad 2. quòd merita nostra non constituunt Deum debitorem. Quæ solutio vt diligentiùs exponatur, sciendum est, quòd hoc argumentum variè confutatur à Diuo Thoma: in 2. distinctione 27. articulo tertio ad quartum non concedit quòd Deus sit debitor, sed elabitur per hoc, quòd in iustitia distributiua, qualis reperitur in redditione præmij, non oportet debitum inueniri ex parte distribuentis. In hac verò quæstione articulo 1. ad tertium dicit, quòd Deus nulli debet, sed tamen debet suæ ordinationi, & promissioni: in 1. parte, quæstione 21. articulo 1. ad 3. dicit, quòd Deus reddit debita, quia Deus dat vnicuique quod sua sapientia ordinauit, & instituit. Ex qua solutione ego colligo, quòd sicut ex eo quòd Deus statuit aliquid faciendum, sumus debitores ad faciendum, sicuti sumus debitores præceptorum diuinorum; sic quia Deus voluit, vel statuit aliquid faciendum, debitum est vt fiat. Cùm igitur Deus statuerit vt habenti gratiam detur vita æterna, debitum est vt ita fiat; & tamen hoc debitum à nullo debetur: quod est ingeniosissimè dictum à Diuo Thoma loco citato. Nam hoc debitum non habet originem ex eo quòd Deus obligetur creaturę, quin potius ex eo quòd creatura debet subijci Deo, vt in ea diuina ordinatio adimpleatur, quę est, vt talis creatura tales habeat proprietates, & qui studiosè operatur, tale habeat præmium. Hactenus cum Durando.

D. Thom.

Ad argum. Scoti. ¶ Ad argumenta Scoti dicendum est: sed prius assero, esse manifestariam contradictionẽ, dicere quòd actus noster est meritorius vitæ æternæ ex diuina acceptatione, & non vt procedit ex gratia: nam gratia secum affert diuinam acceptationem: sic enim definitur gratia ab omnibus Theologis; Gratia est donum desuper infusum, quod efficit hominem Deo acceptum, & gratum. Quod euidentiùs apparebit, si imaginemur hominem esse Deo gratum sine aliqua qualitate superaddita, tunc euidenter est contradictio, quòd homo sit in gratia, & non sit acceptus, & gratus Deo. Hoc ita probato ad primũ respõdetur, quòd licèt gratia faciat hominẽ Deo acceptum, & charum suapte natura, nihilominus tamen Deus, si negaret illi beatitudinẽ, non faceret illi iniuriam, vt suprà expositum est. ¶ Ad secundum respondetur, quòd quando dicunt Theologi, quòd Deus præmiat vltra condignum, considerant opera nostra quatenus procedunt ex libero arbitrio. Ad eundem modum explicat Diuus Thomas illam sententiam Diui Pauli; Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam &c. Aliam solutionem adhibet hîc Caietanus, quẽ vide. ¶ Sed operæpretium erit diligentiùs examinare; Vtrùm Deus propriè & verè debeat iustis præmium vitæ æternæ. A parte affirmante hæc sunt argumenta. In primis, Christus Dominus de omni rigore iustitiæ meruit coram Deo, vt sentiunt plerique Theologi; ergo Deus de omni rigore debet illi præmium: vnde si non redderet, iniurius planè esset.

Ad primum. Ad secundũ. D. Tho. Rom. 8. Vtrũ Deus propriè iustis debeat. Prim. argu.

¶ Deinde, Deus promisit, Deus iurauit se daturum præmium iustis, vt constat ex serie scripturarum diuinarum: ergo assueratione, & iureiurando se obligauit: debet itaque stare promissis. ¶ Tertiò sic. Homini iusto debetur vita æterna ex pacto, ex iuramento: ergo ab aliquo debetur: & non nisi à Deo; ergo Deus est debitor. ¶ Quartò sic. Posita gratia in homine iusto, & adoptione in filium Dei, est quædam æqualitas inter præmium reddendum, & inter opus bonum, quod efficitur ab homine iusto: ergo si Deus non dat præmium, erit inæqualitas, & iniustitia: debet ergo de iustitia reddere præmium, alioqui iniustus erit. ¶ Demũ, hęc sententia probatur ex sentẽtijs sanctorũ Patrũ. Nã Augustinus de verb. Apost. hom. 16. & in enarratione Psal. 109. ait, quòd Deus ex promissione debitor est, sicq; possumus exigere Dñm nostrũ, vt dicamus; Redde quod promisisti, quia fecimus quod iussisti: quẽ sequutus Fulgẽtius in Prologo librorum quos ad Monimum scripsit, Ecce qualis est, inquit, Dominus noster, vt donando debeat, & quantò magis donat, tantò magis eum debitorem esse non pigeat. Contrarium docet Diuus Thomas in locis suæ doctrinæ minimè paucis, suprà quæstione III. articulo 1. in so-

Secundum. Tertium. Quartum. Augustin. Fulgentius. Vltimum. D. Thom.

in solutione 2.& 1.p.q.21.& 2. contra gentes c. 28.& 29.& Diuus Augustinus lib.1.conf.ca.4. sic inquit; Reddis debita nulli debens. Ad huius dubitationis expositionem est prima conclusio. ¶ Deus propriè nulli debet, neque creaturæ propriè obligatur. Huius conclusionis plures sunt demonstrationes. Prima: nam debitor, vt debitor, est inferior creditore, & aliquo modo illi subijcitur; at Deus est benedictus super omnia: vnde Paulus; Quis prior dedit illi, & retribuetur? quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Secunda demonstratio: qui debet alteri, si non reddit id quod debet, iniurius est, peccat, & in crimine tenetur: sed Deus, tametsi omnes sanctos de cœlo deijciat, non irrogat illis iniuriam: ergo nemini debet quidquã. Tertia, si deberet, nõ esset summè liber, ac subinde Deus non esset. Quarta, Deus nihil accipit à nobis, nihil ex nostris meritis illi accrescit: vnde Luc.17. dicitur; Cùm feceritis omnia quæcunque dicta sunt vobis, dicite, Serui inutiles sumus: ergo nihil obligatur nobis retribuere. Quinta demonstratio, Deus est semper Dominus vniuersalis omnium, beatitudinis, & beatorum: ergo tametsi annihilaret omnes beatos, nulli inferret iniuriam. certè tametsi annihilaret humanitatem Christi, vt eius anima sanctissima nunquam videret Deum, iniurius non esset. ¶ Secunda conclusio. Deus propriè nihil sibi debet, nec propriè est sibi obligatus, & obstrictus ad aliquid faciendum. Nam creatura nihil propriè sibi debet, nec sibi secundum proprietatem est obligata. Obligatio enim, sicut & debitum, dicit ordinem ad alterum: & eiusdem ad seipsum propriè non est obligatio, sicut nec iustitia. Deinde, si Deus non impleret, non irrogaret sibi iniuriam; quia volenti & scienti non fit iniuria: ergo propriè non sibi debet.

¶ Tertia conclusio. Christus propriè non obligatur creaturæ, neque sibi. Nam inquantum Deus, nihil nobis debet, vt ex dictis patet; & in quantum homo, humanitas est vnita verbo diuino; vnde nihil nobis debet. Verùm non est absurdum concedere, quòd inquantum homo aliquid debeat Deo: nam inquantum homo, est inferior patre, meruit, habuit præceptum moriendi, fuit obediens, satisfecit pro genere humano.

¶ Quarta conclusio. Quanquam Deus nihil nobis debeat, nihilominus plenissimè præstabit quod promisit; aliàs Deus non esset, neque prima veritas; dicit enim Paulus, 2.ad Timotheum 2. Fidelis Deus seipsum negare non potest: & ad Hebræos 10. Teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem: fidelis enim est qui repromisit: & ad Hebræos 6. Vt per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus.

¶ Argumentis in principio obiectis ex dictis facilè patet quomodo sit satisfaciendum; sed explanatiùs & vberiùs ea confutemus. Nam ad primum dicendum, quòd Christus meruit de omni rigore iustitiæ, sic adeò quòd si Deus poset obstringi & necessitari, essetque capax vt debitor efficeretur, obligaret Deum, & Deus illi deberet. Vel dicat Theologus, prout suprà insinuatum est, quòd meritum Christi potest comparari ad præmium, & ad personam apud quam promeruit. Si comparetur ad præmium, certè debetur ei de omni rigore iustitiæ; cæterùm si comparetur ad personam, apud quam promeruit, non constituit Deum debitorem: nam Deus nulli debet. Sed & alio modo confutatur prædictum argumentum, si dicamus, quòd ad rationem iustitiæ non est necesse quòd sit aliquis debitor, sed quòd sit debitum simpliciter.

¶ Ad secundum dicendum, quòd Deus sine dubio præstabit quod promisit, propter veritatem, sed non propter obligationem; neque potest constitui propriè debitor: quòd si non soluat mercedem, mendax erit, iniurius non erit. ¶ Ad tertium dicendum, quòd vita æterna debetur iusto, sed à nemine ei debetur, & quomodo hoc sit verum, distinctè in hoc articulo est explicatum.

¶ Ad quartum respondetur, quòd suppositâ gratia est æqualitas inter opus studiosum, & præmium; sed si opus ipsum, etiam ex gratia procedens, comparatur ad Deum, non constituit illum debitorem; nam est Dominus omnium: quare si non reddiderit, mendax erit, iniustus non erit. Concedoque, quòd si Deus esset capax vt debitor constitueretur, si non exolueret promissam mercedem, iniustus esset. Explicatur hoc accommodo exemplo. Nam relatio quæ est inter creaturam & creatorem, ex parte creaturæ realis est; quia est capax illius; dependet enim realiter à creatore: ex parte Dei est relatio rationis; quia Deus non est capax relationis realis in ordine ad creaturas: sic sanè in nostro proposito, quia homo est capax vt habeat ius iustitiæ, ponimus quòd de iustitia mereatur vitam æternã; in Deo autẽ non ponimus huiusmodi debitum; quia Deus non est capax, vt debitor sit. ¶ Sed dicet Theologus, Quid est quòd Deus ex veritate & fidelitate debet dare promissam mercedẽ, & nõ ex iustitia? Respõdeo, discrimen esse manifestariũ: nã debitũ ex iustitia ex altero originẽ trahit, & ex altero oritur vis obligandi, non ex eo qui debet, sed ex illo cui debetur: sed debitum ex veritate & fidelitate non oritur ex altero, neque nascitur ex iure eius cui debetur, sed ex parte illius qui

Aug. — Pri. cõclu. Deus propriè nulli debet. — Rom.11. — Luc.17. — Secũd.cõcl. Deus propriè nec sibi debet. — Tert.cõcl. — Quar. cõcl. Deus plenissime adimplebit promissa. — 2.ad Tim.2. — Hebr.10. — Ad argum. — Ad primum — Ad secũdũ. — Ad tertiũ. — Ad quartũ.

debet; quia promisit, quia dixit; qua obligatione potiùs Deus debet sibi, quàm nobis, sed nostra est propriè obligatio, prout suprà expositũ est. ¶ Ad vltimum dicendum, quòd ex sententijs Patrum maximè nostra doctrina confirmatur. Nam eisdem constat, si benè expendantur, quomodo Deus propriè nemini debeat, sed debet suæ ordinationi, & ipse sua sponte constituit se debitorem; sed propriè neque sibi, neq; alteri debet.

Ad vltimũ.

ARTIC. QVARTVS.

¶ Vtrùm gratia sit principium merendi principalius per charitatem quàm per alias virtutes.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. AFfirmans est conclusio: eam ita probat Diuus Thomas. Actus humanus duplici ex capite habet rationem merendi, ex diuina scilicet ordinatione, secundùm quam actus illius boni dicitur meritorius, ad quod homo diuinitus ordinatur; & ex parte liberi arbitrij, in quantum homo per se volũtariè agit. Vtroque autem modo ratio meriti præcipuè penes charitatem attenditur. Conclusio ergo vera est. Minor ita probatur. Vita enim æterna in Dei fruitione consistit: motus autem humanæ mentis ad fruitionem diuini boni est motus proprius charitatis, per quẽ omnes motus aliarum virtutum in hunc finem ordinantur; meritum ergo vitæ æternæ, ratione boni ad quod ordinatur, primò pertinet ad charitatem, ad alias autem virtutes secundariò. Deinde, id quod ex amore facimus, maximè volũtariè facimus: ergo etiam meritum præcipuè attribuitur charitati, si meritum consideretur ex ea parte, qua est voluntarium & liberum.

EXPLICATIO ARTICVLI.

DVbium primum est, Vtrùm ad meritum sufficiat charitas sine gratia D. Thom. respondit neganter de veritate q. 27. art. 2. ad 5. Nam ad meritum vitæ æternæ duo requiruntur, & quòd persona sit grata, & quòd opus sit studiosum: quod patet ex illo; Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius: prius respexit ad Abel, deinde ad munera eius: quamdiu enim persona non placet, munera non possunt esse Deo grata & accepta. Valent ad idem probãdum autoritates euidentes, quæ adductæ sunt in superiori articulo, ad probandum, quòd omne meritum sanctorũ gratiæ Dei innitatur. ¶ Sed dubium maius insurgit, Vtrùm è diuerso sufficiat gratia sine charitate? quæ quæstio vt diligentiùs exponatur, explicandum est prius aliud dubium; vtrùm omne opus bonum existentis in gratia sit meritoriũ vitæ æternæ. De qua re prima opinio dicit, quòd ad meritum vitæ æternæ non satis est quòd homo sit in gratia, & quòd opus exercitum sit moraliter bonum, sed præterea requiritur quòd referatur in finem supernaturalẽ, aut motiuum supernaturale. Hæc est opinio Durãdi in 2. d. 40. q. 2. & Scoti d. 41. q. 1. & suadetur optimis argumentis. ¶ In primis, vt opera sint merita vitæ æternæ, necessarium est quòd informentur gratia, & charitate, vt est inconfesso apud omnes Theologos: opera verò tunc informantur gratia, & charitate, quando referuntur in finem charitatis: ergo vt opera sint meritoria, necessariũ est vt actu referantur in finem charitatis. ¶ Deinde, diuersæ sunt qualitates in opere humano, quòd sit opus bonũ, & quòd sit meritoriũ vitæ æternæ: sed primũ habet ex obiecto cõsono rationi, & rectæ prudentiæ: ergo secundũ habet ex fine supernaturali. ¶ Tertiò, si vir iustus meretur apud Deũ quando exercet opera moraliter bona, sicuti paganus non recolẽs finẽ supernaturalẽ, sequitur quòd mereatur quãdo dormit, quãdo ludit &c. quod videtur absurdũ esse. ¶ Vltimò, in infidelibus circunstãtia infidelitatis, quãdo non informat opera, sed tantũ cõcomitatur, nõ reddit opus vitiosum. v. g. si Philosophus paganus pietate naturali elargitur eleemosynã, aut honorat parẽtes, certè nõ peccat, quoniã infidelitas nõ informat illa opera, sed concomitanter se habet: ergo quãdo vir iustus exercet opera moraliter bona, nõ recolẽs finem supernaturalem, non meretur apud Deũ. Probatur consequentia: nam actus noster faciliùs vitiatur, quàm integratur in bonitate: malum enim ex singularibus defectibus consurgit; bonum

Ad meritũ an sufficiat charitas sola.

Gen. 4.

Vtrùm ad meritũ sufficiat sola gratia.

Pri. opin. De opere bono existentis in gratia.

Durand.

Scot.

Pri. Arg.

Secundũ.

Tertium.

Vltim.

bonum verò &c. ergo cum illa opera non infor
mentur charitate, non erunt meritoria vitę æter
næ. Hactenus Durandus. Fauet Durando illud;
Matth. 10. Marc. 9. Qui susceperit Prophetam in nomine Prophe-
tæ, mercedem Prophetæ accipiet: &, Qui su-
sceperit vnum ex istis in nomine meo, non per-
Matth. 25. det mercedem suam: & illud; Venite benedicti
patris mei, &c. Esuriui enim, & dedistis mihi
manducare, id est, in nomine meo. Confirmat
hanc sententiam exemplum de vite & palmiti-
Ioan. 15. bus: sicut enim vt palmes ferat fructum, non sa-
tis est quòd permaneat in vite, sed oportet exu-
gere virtutem vt influxum accipiat; sic sanè vir
iustus vt producat fructus bonorum operum,
non satis est quòd in gratia consistat, sed præ-
terea indiget virtute, & motione Christi super-
naturali; quod sine dubio videtur esse defini-
Cõci. Trid. tum in Concilio Tridentino, sessione 6. can. 16.
& can. 32. dicitur enim, quòd homo iustus ope-
ribus bonis meretur apud Deum, quæ per gra-
tiam Dei, & Iesu Christi meritum, cuius mem-
brum viuum est, fiunt. Ex his testimonijs vi-
detur colligi, quòd ad meritũ vitę æternæ sit ne
cessarium auxilium supernaturale. Hoc idem
Aug. lib. 13 conf. c. 26. videtur affirmare Diuus Augustinus cum dicit,
Didici à te Deus meus inter datum & fructum
discernere. Datum est res quam dat qui impar-
titur egeno necessaria. Fructus est bona & re-
cta voluntas datoris. Non enim dicit magister
bonus, Qui suscipit Prophetam, sed qui suscipit
Prophetam in nomine Prophetę. Idem videtur
D. Thom. docere Diuus Thomas 1. p. q. 62. art. 4. ad 2. vbi
dicit, quòd licèt Angeli fuerint creati in gratia,
per dilectionem naturalem, qua se dilexerunt,
non meruerunt, quoniam illam in finem super-
naturalem non ordinarunt. Et ratio suffraga-
tur: nam finis, & media debent proportionari:
sed finis est supernaturalis: ergo media debent
Secũ. opin. esse supernaturalia. ¶ Secunda opinio dicit,
quòd vt opus sit meritorium vitæ æternæ, sat
est quòd homo sit in gratia, & opus sit morali-
ter bonum, & studiosum. In hac opinione fuit,
Victoria. Soto. Caiet. Capr. D. Thom. Gen. 4. vt fertur, Victoria; sustinet eam Soto lib. 3. de na
tura & gratia c. 4. Caietanus suprà q. 21. ar. 3. Ca
preolus in 2. d. 40. & Diuus Thomas suprà q.
21. art. 4. ad vltimum expressè dicit, quòd om-
nis actus bonus est meritorius apud Deum, si
non sit peccati impedimentum: fauet illud; Re-
spexit Dominus ad Abel, & ad munera eius; id
est, quia persona grata erat, opera eius & mune-
ra grata fuére. Item in sanctis scripturis sæpissi-
mè asseritur, quòd Deus reddit vnicuiq; secun-
dum opera sua: sed homo iustus sæpenumero
operatur opera alioqui egregia pro republica
non recolens finem supernaturalem: ergo non
perdet mercedem suam. Tertiò, hæc opera sunt
amici, & filij Dei, quibus obtẽperat, & obsequi-
tur Deo Opt. Max. ergo his operibus prome-
retur apud Deum. ¶ Tertia opinio dicit, quòd Tert. opin.
vt opus sit meritum vitæ æternæ, nõ requiritur
actualis relatio in finem supernaturalem, vt di-
cit prima opinio; nec satis est habitualis, vt ha-
bet secunda opinio: sed requiritur virtualis, id
est, quòd operatio studiosa sit ex imperio chari
tatis proximè præcedente, & propter finem su-
pernaturalem, quem proximè intendebamus;
quæ intentio virtualis sufficit in omni negotio
humano; verbi gratia; incipit quis orare religio-
nis gratia, vt hæc oratio sit meritoria, non sem-
per necesse est vt actu recolamus finem super-
naturalem. Rursus, pergit quis in Diuum Iaco-
bũ religionis gratia, vt hęc peregrinatio sit me-
ritoria, nõ oportet quòd semper in itinere reco
gitet finem supernaturalem. Certè quemadmo
dum artifex, quando operatur, non semper con
siderat regulam artis, sed tantùm quãdo incipit
operari, postea verò ex habitu operatur; sic ho-
mo iustus, qui meretur apud Deum, non opor-
tet semper recolat finem supernaturalem, sed sa
tis est quòd in principio opera sua in finẽ super
naturalem referat. ¶ Quarta opinio dicit, quòd Quar. opin. Sententia D. Thom.
nõ requiritur virtualis relatio, quam constituit
tertia opinio: sed in hoc sensu, quòd quãdo ho-
mo primùm iustificatur apud Deum, referat se,
& omnia sua in finem supernaturalẽ; & hæc re-
latio durat per totam vitam, si per peccatũ mor
tale nõ interrumpatur. Ex quo statim sequitur,
quòd si homo, vel Angelus habens gratiã, nun-
quam exiuit in dilectionẽ supernaturalẽ, qua se
& omnia sua retulit in finẽ supernaturalem per
opera moraliter bona, nihil promeretur: & in
hoc sensu fortasis dixit Diuus Thomas, quòd
dilectio Angeli prima naturalis nõ fuit meritoria apud Deum; quoniã illã in finẽ supernatura-
lẽ nunquã direxerat. Hæc sentẽtia sic exposita,
sine dubio est Diui Thomæ in 2. d. 26. art. 6. & D. Thom.
d. 40. ar. 5. in corp. & ad 6. & q. 2. de Malo.
art. 5. ad 7. & Caietani in 1. p. q. 63. ar. 6. ¶ Sed cõ Caiet.
tra istã sententiã sunt optima argumẽta. In pri- Argu. prima contra sen-
mis; Infidelis, qui se & omnia sua retulit in ido- tentiam
lũ, si postea pietate naturali elargitur eleemosy- D. Thom.
nã, certè nõ peccat, vt est inconfesso apud om-
nes Theologos, ex eo quòd illa antiqua relatio
nõ sufficit ad illud opus inficiẽdũ: ergo licèt vir
iustus in principio suę cõuersionis se & omnia
sua retulit in finẽ supernaturalẽ, si postea pieta-
te naturali dat eleemosynã, nõ meretur præmiũ
supernaturale, eò quòd illa antiqua relatio non
sufficit ad informãdũ hoc opus. Et cõfirmatur:
nam vt antea dictum est, actus humanus faci-
liùs dissipatur, quàm perficitur. ¶ Secundò, Secundũ.
hæc antiqua relatio non sufficit in alijs negotijs
humanis: certè non sufficit ad dicendum offi-
cium horarium, non ad administranda sacramẽ

ta, non sufficit ad eundum in Diuum Iacobum religionis gratia: ergo non sufficit ad meritum Christianum. ¶ Tertiò, Celestinus Papa in epistola ad Galliæ episcopos definit grauissimè, quòd omnia studia nostra, & merita nostra sunt dona Dei. Insuper definit, quòd omnis motus bonæ voluntatis, & omnis recta cogitatio sunt dona Dei; per illum namque aliquid possumus, sine quo nihil possumus. Habetur hæc definitio c. 8. illius epistolæ: consimilis definitio habetur Concilio Arausicano can. 9. 20. & vltimo, & Diuus Augustinus epistola ad Paulinum & ad Vitalem Carthaginensem dicit expresse, errorem fuisse Pelagij, gratiam Dei ad singulos actus meritorios non esse necessariam. Ex quo manifestè colligitur, esse de fide quòd opus meritorium vitæ æternæ est opus supernaturale, & quòd requirit auxilium Dei speciale: nam sacra Concilia de gratia Dei speciali loquuntur. Ex quo sequitur, quòd ad meritum vitæ æternę nō satis est quòd homo sit in gratia, & quòd opus sit moraliter bonum; nam opus moraliter bonum potest haberi ex facultate naturæ sine auxilio Dei speciali, vt ostensum est suprà in materia de gratia. ¶ Ad primum, de infideli, satis superque dictum est superiùs, sed nunc breuiter negatur consequentia: nam opus bonum suapte natura refertur in Deum verum, non in idolum; quòd autem referatur in idolum, est veluti quædam violentia, & motus violentus, quapropter si antiqua fuit relatio, antiquatur, & senescit: quemadmodum vt lapis descēdat, qui motus est ei connaturalis, satis est ille impetus antiquus impressus à generante; vt verò ascēdat, quoniam est motus violentus, necessarius est perseuerans impetus proijcientis: opera verò bona hominis iusti suapte natura referuntur in verum Deum, & ideo non est similis ratio. Item est alia differentia, quòd homo iustus, quādo studiosè operatur, non reuocat præcedentē intentionem; sed homo infidelis, quando dat eleemosynam ex pietate naturali, reuocat præcedentem intentionem: nam dare ex pietate naturali, & dare propter idolum, sunt intentiones sibi repugnantes. ¶ Ad secundum respondetur, quòd non consimilis intentio versatur in vniuersis negotijs humanis: certè ad ineundam societatem, & amicitiam, satis est semel meipsum, & omnia mea in obsequium amici consecrasse, nisi hæc intentio postmodum reuocata fuerit. ¶ Ad tertium respondetur, non videtur mihi sana doctrina dicere quòd homo iustus mereatur vitam æternam per opus ex facultate naturæ comparatum: nam contrarium docent euidentes autoritates in contrarium adductæ in argumento. Nihilominus dicendum est, quòd omne opus bonum existentis in gratia, qui se, & omnia sua retulit in finem supernaturalem, est meritum vitæ æternæ: nam vt sit opus supernaturale, satis est illa antiqua relatio supernaturalis. Tum deinde, quoniam in vita hominis iusti sæpenumero renouatur, & repetitur hæc eadem intentio in oratione, in genu flexione; imò vniuersa vita iusti hominis est seipsum, & omnia sua in Deum referre. ¶ Sed adhuc est importunum argumentum cōtra istam sententiam. Nam si ad meritum vitæ æternę est necessaria virtualis relatio ex imperio charitatis in finem supernaturalem, sequitur quòd primus actus fidei in homine existente in gratia nunquam sit meritorius: nam actus fidei semper præcedit charitatis amorem. Nullum enim bonum supernaturale est amatum, quin prius per fidem cognitum sit. Confirmatur: nam si refertur per alium actum charitatis, illum actum charitatis præcedit actus fidei. Respondetur, quòd ad meritum satis est quòd homo sit in gratia, & quòd homo habeat motiuū supernaturale, cuiusmodi reperitur in actu fidei. Secundò respondetur, quòd ille actus fidei in eodem temporis momento informatur charitate, licèt ordine naturę antecedat charitatem. ¶ Ad omnia argumenta Durandi dico, euidenter conuincere quòd nullus est actus meritorius, nisi informetur charitate: vt verò informetur charitate, satis est illa antiqua relatio, de qua satis dictum est.

Tertium. Celestinus

Cōcil. Arau. D. August.

Ad pri. arg. Opus bonū suapte natū ra refertur in Deum.

Ad secūdū.

Ad tertiū.

Obiectio.

Solutio.

Ad argum. Durand.

ARTIC. QVINTVS.

¶ Vtrùm homo possit sibi mereri primam gratiam.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio.

COnclusione negante respondet Diuus Thom. cuius probatio talis est. Prima gratia, si consideretur secundùm rationem gratuiti doni, non cadit sub merito: quia si ex operibus, iam non est gratia, vt argumentatur Paulus. Neq; verò si secundū naturā suā considerētur; quia gratia excedit proportionem naturæ non habentis gratiam, qualis est natura nostra ante primæ gratiæ infusionē. Ex quo consequens est, quòd nemo primam gratiam meretur, antequam

Rom. 11.

eam

eam habeat: neque verò eam meretur postquam habet; quia merces est terminus operis, gratia verò principiũ est cuiuslibet boni operis. Si autem aliud donum gratiæ mereatur, suppositа prima gratia, iam illud donum nõ est prima gratia. Nullus ergo sibi potest primã gratiam mereri.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Discutitur cõclusio articuli.

CONtra conclusionem sunt optima argumenta ad probandum quòd mereamur primam gratiam de iustitia, & de condigno. In primis, homo iustificatur, & reconciliatur Deo ex operibus nõ

Prim. argu.

antecedentibus gratiam, sed concomitantibus, vt docuit fides catholica: ergo meretur primam gratiam, & remissionem peccatorum. Antecedens probatur: quoniam hęc propositio est hæretica; sola fides iustificat, non opera. Consequentia probatur ex illo;

Rom. 4.

Ei qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secũdum debitum: sed homo operatur in sua iustificatione: ergo meretur primam iustificationem.

Secundum.

¶ Secundò: Meritum Sãctorum innititur duobus principijs; quoniam Deus promisit, & quoniam procedit ex motione Spiritus sancti: sed Deus promisit pœnitentibus primam gratiam, & pœnitentia procedit ex motione Spiritus sancti: ergo meretur primam gratiam.

Tertium.

¶ Sed tertiũ argumentum fortissimum est: Nam homo initiati iustificationis suæ satisfacit de iustitia pro culpa, & pro pœna: ergo debetur ei remissio peccatorum de iustitia. Consequentia euidens

D. Tho.

est, & antecedens est Diui Thomæ 3. p. q. 1. art. 2. ad 2. & in addition. ad 3. p. q. 13. arti. 1. & 1. p. q.

Quartum.

21. artic. 4. ad 1. & 2. ¶ Quartò: Per nostra opera meremur vitam æternam, & gloriam, vt apertè cõstat: ergo meremur acceptari ad gloriam: sed gratia nihil aliud est quam acceptatio ad gloriã:

Quintum.

ergo meremur gratiam. ¶ Quintò: Christus meruit nobis de omni rigore iustitiæ gratiam, & remissionem peccatorum: ergo debetur nobis de iustitia: non ergo datur nobis merè gratis.

Vltim.

¶ Vltimò: Ista opera, scilicet detestatio peccati, & dilectio Dei super omnia, antecedunt gratiam, & iustitiam in genere causæ materialis, & dispositoriæ, vt antea dictum est: ergo gratia est terminus istarum operationum: ergo merces; ac subinde cadit sub merito. Antecedens notũ est, & consequentia patet ex Diuo Thoma dicente hîc, quòd merces est terminus bonorum operũ.

Veritas cõclusionis ostenditur.

¶ His argumentis non obstantibus veritas fidei catholicæ est, quòd prima gratia, & remissio peccatorum, & prima iustificatio non cadunt sub merito nostrorum operum. Hanc veritatem demonstrat Diuus Paulus ad Roma. c. 3. 4. 5. & 11. quibus in locis habetur illud: Iustificati gratis per gratiam ipsius: & illud; Ex operibus legis non iustificabitur homo coram illo. Item, si gratia, non ex operibus, alioqui gratia non est gratia. Hunc locum tractãs Diuus Augustinus lib. de bono perseuerantię, vertit opera, in merita: & hic est certissimus Diui Pauli sensus. Si ex meritis, & ex dignitate operum datur gratia, & reconciliatio cum Deo, certè gratia non est gratia, sed habet debitæ mercedis rationem. Valet illud; Si ex lege iustitia: ergo Christus gratis, & sine causa mortuus est. Certè si ex operibus nostris gratia, & iustitia apud Deum datur, Christus gratis, & sine causa mortuus est. Versat hũc locum Diuus Augustinus multis locis. Demũ, in exordio nascentis Ecclesiæ Iudæi gloriabantur se ex merito seruatæ legis in gratiam Euangelij deuenisse, contra quos scripsit Diuus Paulus epistolam ad Romanos, ad Galatas, ad Philippenses. Hæc veritas definita est in Concilio Mileuitano, Arausicano, contra Pelagium, & in Concilio Tridentino. Sed in Concilio Arausicano habetur hæc memorabilis sententia; Merces debetur bonis operibus, si fiant: sed gratia, quæ non debetur, præcedit vt fiant. Rationes verò ad istam veritatem confirmandam sunt euidentes in Diuo Thoma.

Rom. 11.

Augustt.

Galat. 2.

Aug. lib. de nat. & grat. c. 40. lib. de grat. & lib. arb. c 13. li. 1. de gratia Christi c. 22. & 23.

Cõci. Trid. sess. 6. c. 1. Cõci. Arau. 2. Can. 18.

Ad argum. Ad primũ

¶ Ad primum in contrarium respõdetur, quòd motus liberi arbitrij per fidem, pœnitentiam, & charitatem, est necessarius ad nostram iustificationem, vt anteà demonstratum est: quibus operibus iustificatur homo, non tanquam ex meritis, sed tanquam ex dispositionibus: istę verò dispositiones sunt simul cum gratia, & oriũtur, & habentur virtutem ex gratia: quapropter non possunt mereri primam gratiam, sed gloriam quam nondum habemus: propter quod optimè dicit Paulus; Ei qui operatur, id est, ei qui meretur, merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundum debitum: & clariùs dicit; Ei qui non operatur, credenti autem in eũ qui iustificat impium, fides reputatur ad iustitiam. Non dixit, fides meretur iustitiam, sed fides induxit eam dispositionem, quã Deus reputauit pro sufficienti ad nostram iustificationem pro sua misericordia. Ex qua doctrina colligit Diuus Thomas hoc documentum, solutione ad primũ. Quãdo asseritur in sacra scriptura, hominem per fidem, aut per charitatem iustificari, illa dictio, per, non dicit causam efficientem, nec meritoriam, sed præparatoriam; & sensus est, quòd ad iustificationem requiritur actus fidei, & dilectionis Dei super omnia, quibus operibus præparatur animus noster ad habendam

D. Thom. documentum.

iustitiam,& gratiam apud Dominum.

Ad secundū ¶ Ad secundum respondetur, quòd Deus promisit verè pœnitentibus primam gratiam, & primam iustificationem, non quòd pœnitentia mereatur primam gratiam, sed quoniam est dispositio ad primam gratiam. Certè sicut dicit Paulus; Credenti in eum qui iustificat impium, fides reputatur ad iustitiam secundum propositum gratiæ suæ, non secundum debitum; ita potest dicere Theologus, pœnitenti pœnitentia reputatur ad iustitiam secundum propositum gratiæ suæ. ¶ Ad tertium respondetur, esse certum secundùm fidem catholicam, quòd remissio peccatorum, & iustificatio impij fiat omnino gratis. hoc asserit Diuus Paulus frequentissimè in epistola ad Romanos, in epistola ad Galatas. hoc est definitum in Concilio Mileuitano, Arausicano, Tridentino contra Pelagium: imò frequentiùs reperitur in Diuo Paulo, quòd iustificetur homo gratis, quàm quòd gratia detur gratis. Ex hoc principio catholico sequitur statim, quòd remissio peccatorum datur gratis. Secundò sequitur, quòd non cadit sub merito. Tertiò sequitur, quòd non debetur pœnitenti, aut credenti de iustitia. Quartò sequitur, in quanto errore versantur, qui dicunt, quòd homo in puncto iustificationis per pœnitentiam satisfacit pro culpa de iustitia, & quòd debetur ei remissio peccatorum de iustitia. Igitur ad argumentum tertium dicendum est, quòd Deus remittit, & condonat culpam gratis per satisfactionem Christi, applicatam nobis ex sua misericordia. Hæc autem applicatio in homine adulto non fit nisi per propriam pœnitentiam, quæ non meretur remissionem peccatorum, sed est præparatio ad illam habendam. Cùm ergo dicit Diuus Thomas, quòd homo per pœnitentiam satisfacit pro culpa, sensus est; quòd concurrit suis operibus ad suam iustificationem; non quòd mereatur illam, nec quòd de iustitia ei debeatur. In eodem sensu dixit Diuus Thomas, quòd per fidem iustificamur. Rursum, cum dicit Sanctus Thomas, quòd in iustificatione impij inuenitur quidam modus iustitiæ, verisimè dicit: tum, quoniam Deus statuit, vt qui ex adultis non operatur, non iustificetur: tum verò, quoniam iustificatur homo ex iustitia, non nostra, sed Christi, vt suprà expositum est. Cæterùm quoniam iustificatio est opus gratiæ operantis, & non cooperantis, omnino Deo tribui debet, & nō nostris operibus. ¶ Sed quidam viri docti vehemēter sustinent propter autoritatem Diui Thomę, quòd satisfacimus pro culpa corā Deo; qui subinde negant consequentiam argumenti propositi: quoniam illa satisfactio est debita Deo de iustitia, propter quod nihil meretur coram Deo de iustitia. Deinde meritum respicit bonum ipsius qui meretur: meretur enim præmium sibi, non alteri; at in satisfactione, quæ fit Deo per pœnitentiam, homo nihil sibi acquirit, sed constituit æqualitatem inter ipsum, & Deum, quā illi debebat ex iustitia, & est bonum ipsius Dei: vnde Baruch 2. dicitur; Anima quæ tristis est supra magnitudinem mali, reddit tibi gloriam, & iustitiam Domine. Certè in peccato duo includuntur; alterum est, deordinatio voluntatis eius qui peccat, nempè auersio à Deo, & conuersio ad creaturam; alterum est, iniuria & offensa quę fit Deo, quia præponitur illi creatura; & hoc quidem est malum ipsius Dei, non quidem secundum effectum, sed secundum affectum peccantis. Cùm ergo asseritur, quòd homo satisfacit Deo pro culpa, intelligitur secundum hanc posteriorem rationem; nam secundum priorem remissio peccatorum omnino gratis datur, sicut & gratiæ infusio: hoc dicunt viri docti. Sed mihi nunquam probari poterit, quòd debeatur homini pœnitenti de iustitia reconciliatio cum Deo; nam id Paulus vbiqúe prædicat, quòd iustificatio impij, & reconciliatio cum Deo fit omnino gratis per Christum; & oppositum docere est conculcare Diuum Paulum. Deinde, sacra Concilia apertè definiunt, quòd remissio peccatorum, & reconciliatio cum Deo fit omnino merè gratis: ergo non debetur homini pœnitenti de iustitia: nam si fit gratis; ergo non ex iustitia. Præterea, si reconciliatio, & remissio peccati debetur homini pœnitenti ex iustitia: ergo debetur homini ex iustitia quòd redeat cum Deo in gratiam. Ex quo cōsequens est, quòd prima gratia non datur homini gratis. Ad hæc, si reconciliatio cum Deo debetur homini pœnitenti, & satisfacit pro culpa de iustitia, consequens est quòd mereatur de iustitia vt Deus reconciliet illi, & condonet iniuriam: hoc autem asserere, planè hæreticum est. Quòd rectè sequatur, patet euidenti ratione. Nam illud opus est meritum coram Deo de iustitia, cui debetur aliquid ex iustitia, & ordinatione diuina: sed pœnitenti, vt prædicti autores affirmant, debetur ex iustitia, & ordinatione diuina, reconciliatio cum Deo: ergo ex meritis reconciliatur peccatorcū Deo. Certè gloria hac de causa cadit sub merito bonorū operū, quia debetur homini operanti ex iustitia, & ordinatione diuina. Si ergo reconciliatio cum Deo debetur pœnitēti ex iustitia, consequens est vt cadat sub merito. Hoc ipsum confirmatur: quia meritum bonorum operum ex sanctis scipturis præcipuè colligitur ex illis sententijs; Tu reddis vnicuique iuxta opera sua: &, Quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex. Sed vt isti existimant, reconciliatio peccatoris debetur homini

Paulus.

Concilia.

Bar. 2.

Nunquā debetur reconciliatio de iustitia.

Quorundā opinio de satisfactione.

ni pœnitenti iuxta opera sua de iustitia, quam reddit Dominus ex iustitia tanquam iudex: ergo cadit sub merito pœnitentiæ. Præterea, quòd homo habeat gratiam Dei, & efficiatur illi gratus, non debetur homini peccatori ex iustitia: ergo neque remissio peccatorum, & cum Deo reconciliatio. Consequentia inde probatur euidenter. Nam si habet gratiam Dei, & est illi gratus, iam intelliguntur peccata remissa, & condonata. Explicatur hoc argumentum euidẽtius. Nam si homini pœnitenti debetur de iustitia reconciliatio cum Deo, siquidem satisfacit de iustitia pro culpa; vel præsupponitur quòd iã sit homo Deo gratus; vel fit gratus per opus pœnitentię. Si intelligitur gratus Deo, & id quidem merè gratis: ergo iam intelliguntur peccata esse remissa, & iniuria condonata, alioqui nó esset Deo gratus. Si verò dicas quòd fit Deo gratus per opus pœnitentiæ, consequens est, quòd gratia debeatur ex iustitia pœnitenti, quod est dogma planè pestiferum. Demum si opus pœnitentiæ est tantæ virtutis, quòd ei debeatur ex iustitia reconciliatio cum Deo, & condonatio iniuriæ, certum est quòd procedit ex gratia: nam opus quod non procedit ex gratia, nihil valet coram Deo de iustitia. Si ergo procedit ex gratia, iam præsupponuntur peccata dimissa, & iniuriam esse condonatam: ergo impossibile est quòd ex iustitia debeatur homini pœnitenti condonatio iniuriæ. Sed iam reuertamur ad confutationem quarti argumenti.

Ad quartũ. ¶ Ad quartum respondetur, quòd gratia non est acceptatio ad gloriam, sed est diuina beneuolentia, qua Deus nos amat, & charos habet: ex hoc verò consequitur, quòd opera nostra

Ad quintũ. sint accepta ad vitam æternam. ¶ Ad quintum respondetur, quòd prima gratia, & remissio peccatorum datur merè gratis; id est, non datur ex meritis nostris: itaque comparata ad nos est merè gratia, sed non datur sine merito, & redemptione copiosa quam Dominus fecit in cruce: itaque comparata ad Christum debetur de omni rigore iustitiæ. Vtrumque horum explicauit Diuus Paulus ad Roman. 3. dicens; Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Iesu.

Ad vltimũ. ¶ Ad vltimum respondetur, quòd si illa opera considerentur quatenus antecedunt gratiam in genere causæ materialis, intelliguntur sine gratia, & homo intelligitur tendens ad gratiam habendam: itaque intelligitur sine gratia, & ideo hæc opera non possunt esse meritoria apud Deum. Si verò considerentur quatenus prodeunt à gratia in genere causæ formalis, iam non merentur gratiam, sed gloriam quam nondum habent; & quomodocunque hæc opera considerentur, non sunt meritoria primæ gratiæ: nam prima gratia est radix, & causa omnium meritorum; sicut quomodocunque materia consideretur, etiam si consideretur vt est prior in genere causæ materialis quàm forma, semper habet virtutem, & energiam à forma; materia siquidem est pura potentia de se.

ARTIC. SEXTVS.

¶ Vtrùm homo possit alteri primam gratiam mereri.

SVMMA TEXTVS.

PRima conclusio. Solus Christus Dominus meruit alijs primam gratiam de condigno. Hęc conclusio, quò ad duplicem expositionem quam includit, scilicet, nullus alius à Christo meretur alteri de condigno primam gratiam; & Christus Dominus eam alteri meretur; sic probatur. Opus nostrum rationem meriti de condigno habet ex vi motionis diuinæ: vnusquisque autem homo mouetur à Deo per donum gratiæ vt ipse ad vitam æternam perueniat: ergo meritum condigni extra hanc motionem non se extendit. Sed tamen anima Christi Domini mota est à Deo per gratiam, non solũ vt ipse peruenire et ad gloriã vitæ æternę, sed etiam vt alios in eam adduceret, quatenus est caput, & autor salutis humanæ, iuxta illud; Qui multos filios in gloriã adduxerat, autorem salutis &c. ergo de condigno meruit etiam alijs donum gratiæ & gloriæ. ¶ Secunda cõclusio. Homo iustus potest alteri mereri primam gratiam de congruo: quia enim homo in gratia constitutus adimplet Dei voluntatẽ, congruũ est secundũ amicitiæ proportionẽ

Prim. cõcl.

Heb. 2.

Secũd. cõcl.

vt Deus adimpleat hominis iusti voluntatem, qui alteri gratiam, & gloriam postulat.

EXPLICATIO ARTICVLI.

IN hoc articulo, qui sunt otiosi ad disputandum, mouent varias quæstiones. In primis mouent quæstionem de merito Christi; cùm hæc habeat proprium locum apud Diuum Thom. 3. p. q. 1. ar. 2. & q. 19. Rursus mouet aliam; Vtrùm Deus potuerit tribuere homini vt mereretur pro alijs gratiam, & iustificationem de condigno, cùm hæc habeat locum 3. parte, quæstione 1. articulo 2. Nos vero tria dubia proponemus. Primum est; Quid est quòd primus parens, cùm fuerit caput generis humani, non potuerit mereri alijs primam gratiam, & iustificationem, præcipuè cùm inuexerit peccatum suum in omnes posteros in condemnationem? Respondetur ideò esse, quia non fuit caput quantum ad influxum, sed solummodo quantum ad receptionem: recepit namque iustitiam originalem in omnes posteros per natiuitatem transfundendam, si in iustitia, & sanctitate perseuerasset. ¶ Aliud dubium est; an beati in patria cœlesti mereantur alijs primam gratiam, & iustificationem de congruo? Ratio dubitandi est; Nam meritum de congruo innititur congruentiæ: congruum autem est vt orante beato pro aliquo vt conuertatur, eius oratio exaudiatur. Respondetur, quæstionem esse de nomine: certum autem est beatos orare pro nobis. Rursus, certum est eorum orationes exaudiri. Item certum est, orationis vim & efficaciam non tam inniti meritis, & iustitiæ, quàm diuinæ misericordiæ. Verosimilius tamen videtur, quòd beati nulla ratione mereantur nec de congruo, nec de condigno, siquidem iam sunt extra statum merendi constituti, licèt impetrent nobis primam gratiam, & iustificationem. Sed qui diceret oppositum, non omnino erraret: nam meritum de congruo non est propriè, & verè meritum, de quo dictum est copiosiùs suprà quæstione 109. articulo 6. Tertia dubitatio est: Nam meritum de congruo non potest intelligi respectu primæ gratiæ, nisi gratia prima aliquomodo debeatur: sed est euidens contradictio, quòd prima gratia, quæ datur omnino gratis, aliquomodo debeatur: ergo est impossibile quòd homo iustus mereatur alteri primam gratiam de congruo. Hoc ipsum confirmatur. Nam Deus absque iniustitia, aut infidelitate aliqua potest viro iusto denegare conuersionem alterius, & iustificationé, quáuis pro eo offerat merita sua, & pias preces: ergo nemo iustus promereri potest alteri primam gratiam de congruo. Respondeo est, quòd ad meritum tria sunt necessaria; dignitas operantis, proportio operis cum præmio, & ordinatio seu motio diuina. In homine peccatore hæc omnia desiderantur, etiam quando operatur opera ex auxilio diuino speciali, quando credit, quando sperat, quando timet extra gratiam constitutus. Sed in homine iusto in primis inuenitur dignitas operantis, & proportio operis cum præmio; deest autem diuina ordinatio: non enim Deus statuit vt opera hominis iusti, pro conuersione alterius applicata, valerent lege infallibili, sed ex sua misericordia. Vnde in homine iusto inuenitur meritum congruitatis; tum, quoniam est dignitas ex parte operantis, & sunt opera accepta Deo, & congruum est vt quòd amicus Dei expostulat, adimpleatur. Verum est tamen, quòd in hoc merito congruitatis non inuenitur ratio debiti simpliciter, & ideo non est meritum simpliciter, sed secundum quid. In homine verò peccatore nulla ratio meriti, etiam de congruitate, reperitur. Sed de hoc latissimè in loco superiùs citato.

Quare primus parens nõ promeruerit nobis primam gratiam.

Anbeatime reantur nobis primam gratiam.

Meritũ de congruo respectu primæ gratiæ.

ARTIC. SEPTIMVS.

¶ Vtrùm homo possit sibi mereri repara tionem post lapsum.

SVMMA TEXTVS.

NEgans est conclusio, quam Diuus Thomas non solùm de merito condigni, sed etiam de merito congrui probat. Ratio etenim meriti de condigno pendet ex motione diuinæ gratiæ, quæ sanè motio cum in homine lapso in peccatum non sit, quoniam interrupta est per peccatũ, cõsequens est quòd neque in ipso meritum cõdigni sit quo suam mereatur reparationem. Deinde, meritum congrui, quo quis alteri primam gratiam meretur, à consequutione effectus impeditur propter peccatum quod est in eo cui alius meretur: multò ergo magis impedie-

Conclusio.

tur

tur efficacia talis meriti per illud impedimentum quod est in eo qui meretur, & in eo cui meretur: huiusmodi autem est homo post lapsum: non ergo sibi de congruo mereri potest reparationem per gratiam.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Cõfirmatur & explicatur conclusio articuli.

HÆc conclusio, si intelligatur de merito de condigno, & de iustitia, est certa & irrefragabilis secundùm fidem catholicam. Nam si homo iustus meretur de iustitia reparationem post lapsum, sequitur quòd qui semel iustus fuit, infallibiliter saluaretur: tenetur enim Deus de iustitia illum reparare in pristinam dignitatem. Consequens est hæreticum, vt videre est in Saul & Iuda, qui aliquando habuerunt gratiam & iustificationem. Secundò, omne meritum fundatur in gratia, vt planè constat: sed qui labitur in peccatum mortale, perdit gratiam: ergo perdit meritum ad reparationem: nisi velis dicere, quòd homo existens in peccato mortali habet meritum de iustitia vt reparetur post lapsum, quod est hæreticum. Tertiò, maior & abundantior gratia est quòd reparetur homo lapsus, quàm quòd conferatur gratia homini constituto in puris naturalibus; sed homini in puris naturalibus datur gratia merè gratis: ergo etiam homini lapso in peccatum mortale. Quartò, inter amicos nullus meretur mercedem pro eo tempore quo ea indignus existit: sed homo lapsus in peccatum mortale est indignus venia, & gratia: ergo nemo hominum potest mereri reparationem post lapsum. Idem confirmatur. Nam gratia non potest sese extendere vt faciat hominem peccatorem & lapsum dignũ venia & gratia diuina; & hoc est quod dicit D. Thomas, quòd motio gratiæ interrumpitur per peccatum. Hæc sententia confirmatur maximè ex illo; Si auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, omnes iustitiæ eius quas fecit, non recordabuntur. Consonant aliæ scripturæ euidẽtes; vt illa; Qui stat, videat ne cadat: & illa; Tu fide stas, noli altum sapere, sed time: & illud; Cum metu & tremore operamini vestram salutem. Denique Diuus Paulus in epistola ad Romanos, & ad Galatas sæpissimè pronuntiat impium gratis iustificari: sed homo lapsus in peccatum mortale est impius, & peccator: ergo gratis reparatur, & iustificatur.

Exec. 18.

¶ De merito de congruo etiam est res constitutissima, quòd homo non mereatur reparationem post lapsum. Nam iniquitas est, & non ferenda, si homo diceret amico suo, condona mihi hanc iniuriam quòd volo te alapa percutere: ergo homo nulla ratione potest mereri reparationem post offensam. Cum hoc tamen rectè facimus, orantes, vt si fortè labamur in peccatum, à Domino reparemur, dicentes, Cum defecerit virtus nostra ne derelinquas nos Domine. Cuius triplex ratio adduci solet; tum, quoniam oratio impetrat omnia Dei munera, inter quæ præcipuum est quòd homo lapsus reparetur: tum deinde, quoniam oratio non innititur meritis, & iustitiæ, sed diuinæ misericordiæ: tum tertiò, quoniam in operibus factis in gratia & iustitia est quædam congruitas, ratione quorum peccatores viuificentur, & reparentur: quod insinuat Paulus cum dicit; Non est iniustus Deus vt obliuiscatur operis vestri: quibus verbis videtur significare rationem iustitiæ, sed non significat nisi congruitatem, explicantibus sanctis Patribus. Pro cuius declaratione sciendum est, quòd hic locus habet varias expositiones. Prima est, quòd loquatur de operibus bonis factis in peccato mortali. Secunda est de operibus bonis factis in gratia, & loquitur Diuus Paulus ad totam Ecclesiam Hebræorum, in qua erant viri iusti, & aliqui viri improbi. Si verò loquatur de operibus bonis ante lapsum, sensus est; non est iniustus Deus vt obliuiscatur operis vestri: nam si conuertamini ad Deum vestrum, opera mortificata reuiuiscent per veram pœnitentiam.

Rectè oramus quãdo labimur in peccatum.

Heb. 6.

Expositio Pauli.

¶ Sed contra istam sententiam, & contra rationem Diui Thomæ sic arguitur. Nam non rectè sequitur; meritum fuit interruptum per peccatum: ergo non est verè meritum. Nam quando Iudas fuit in vera gratia, & sanctitate, habuit verum meritum, quamuis per peccatum fuerit interruptum: ergo simili ratione homo iustus meretur reparationem post lapsum, quamuis hoc meritum per peccatum fuerit interruptum. ¶ Ad hoc argumentum neganda est consequentia: nam homo iustus, quando labitur in peccatum mortale, non solùm ponit impedimentum ad reparationem, sed etiam facit se indignum venia, & reparatione: gratia enim, vt suprà dictum est, non se extendit vt faciat peccatorem dignum venia, & reparatione: cæterùm quando homo iustus labitur in peccatum mortale, ponit impedimentum ad vitam æternam consequendam, propter quod si resurgat à peccato per veram pœnitentiam, reuiuiscunt opera mortificata, & ratione illorum maior gloria illi confertur.

Obiectio.

Solutio.

¶ Secundum argumentum: si ego sim iustus, & orem pro alio vt reparetur post lapsum, mereor saltem de congruo eius reparationem, da-

Secũ. obie.

to quòd postmodum ego ipse, qui merui, delinquam: ergo possum eadem ratione propriâ reparationem mereri, licèt posteà in peccatum cadam. ¶ Ad hoc argumentum in primis nego antecedens, quod certè licet conijcere ex humanis. Nam si ego rogaui Regem pro aliquo, & antequam petitio adimpleatur offendo Regem, non ampliùs manet meritum meum. Secundò negatur consequentia: nam in primo casu interrumpitur meritum per accidens: ex eo enim quòd ego delinquo, alius non perdit ius & meritum quod habebat ad præmium. In secundo verò casu interrumpitur meritum per se: nam ego ipse qui pecco, facio me indignum venia, & diuina gratia.

Solutio.

Secũ. solut.

ARTIC. OCTAVVS.

¶ Vtrùm homo possit mereri augmentum gratiæ, vel charitatis.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. AFfirmans est conclusio, cuius probatio talis adducitur à D. Thoma. Illud cadit sub merito cõ digni ad quod motio gratiæ se extendit: talis autem motio ad augmentum charitatis, & gratiæ se extendit: ergo potest quis hoc augmentum mereri. Minor probatur: nam motio alicuius mouentis non solùm se extendit ad vltimum terminum motus, sed etiã ad totum progressum in motu: terminus autem motus gratiæ est vita æterna; progressus autem in hoc motu est secundum augmentum charitatis, & gratiæ: ergo ad illud augmentum motio diuinæ gratiæ se extendit. Vnde Prouerb. 4. dicitur; Iustorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectum diem. Eandem conclusionem in argumento, sed cõtrà, probat autoritate Augustini, qui ait; Charitas meretur augeri, vt aucta mereatur & perfici.

Prou. 4

Aug. tract. 5 super epi. Ioan.

EXPLICATIO ARTICVLI.

SCiendum est, esse certum secundùm fidem, quòd homo iustus per opera bona meretur augmentum gratiæ, & charitatis: quod patet ex illo; Omni habenti dabitur, & abundabit; habenti, inquam, rectum vsum gratiarum, quas acceperat diuinitus, vt apertè indicat parabola de talentis distributis, quæ commemoratur Matth. 25. & Lucæ 19. Idem patet ex illo; Qui iustus est, iustificetur adhuc: & Eccli. 18. Non verearis vsque ad mortem iustificari, & Prouerb. 4. Iustorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectum diem: & Iacob. 2. Non vides quòd ex operibus iustificatur homo? loquitur de augmento iustitiæ, & charitatis. Hoc incrementum petit Ecclesia, cum orat; Da nobis fidei, spei, & charitatis augmentum. Hæc veritas definita est in Concilio Tridentino, sub anathematis sententia. Hanc sententiam habet apertè Augustinus: nam tract. 5. in epist. Ioan. dicit; Charitas meretur augeri, vt aucta mereatur perfici. Idem habet epist. 106. & lib. de præd. sanct. cap. 2. ¶ Secundò sciendum est, quòd aliqui Theologi, vt Diuus Bonauentura 2. d. 27. q. 2. p. 2. sentiunt, quòd augmentum gratiæ, & charitatis non cadit sub merito de condigno, & probant in hunc modum. ¶ Nam gratia aucta, & sequens, semper est maior quàm præcedens, vt planè constat: ergo non est æqualitas. Rursus, ergo non est meritum de condigno, & ad æqualitatem. Huic argumento respondet hîc Diuus Thomas solutione ad secundum, & est argumentum commune in omnibus quæ incrementum suscipiũt, vt in plantis, animalibus &c. Idemque inuenitur in habitibus acquisitis, tum voluntatis, tum intellectus. Sed notanda sunt verba Sancti Thomæ, quibus dissoluit propositum argumentum: dicit enim, quòd licèt incrementum gratiæ superet gratiam præexistentem in quantitate, nõ superat in virtute. Sed contra istam solutionem insurgit Caietanus. Nam in his quæ non mole magna sunt, idem est maius esse, & melius esse, vt testatur Diuus Augustinus: ergo si incrementum gratiæ superat gratiam præexistentem in quantitate, superat in virtute & perfectione. Respondetur ex eodem Caietano, non esse dubium quin incrementum gratiæ superet gratiam præexistentem, & in quantitate, & in virtute, vt patet manifestè quando crescit vsque ad consummationem gloriæ; nihilominus nõ exuperat efficaciam gratiæ præexistentis in disponendo,

Vera explicatio artic.

Mat. 25.

Luc. 19.

Apoc. 22.

Iac. 2.

Cõc. Trid sess. 6. c. 32

D. Augus.

Bonauen.

Prim. argu.

Solutio. D. Thom.

Caiet.

D. Augus.

ſponendo,& in merendo, quandoquidem eſt terminus illi proportionatus. Vel dicatur clariùs,& diſtinctiùs, quòd incrementum gratiæ non ſuperat virtutem gratiæ augmentatiuam,

Secũ.ſolut. ſed illiproportionatam. Alio modo poteſt conſutari hoc argumentum, ſi dicamus, gratiam non augeri ex noſtris operibus efficienter, ſed tantùm meritoriè,id eſt,meretur qui bene vtitur gratia,vt abundantiorem gratiam ex Deo

Secundũ. recipiat. ¶ Secundum argumentum eſt.Nam augmentum gratiæ eſt gratia, & eiuſdem rationis cum prima gratia:ergo non cadit ſub merito de condigno.Conſequentia probatur:tum, quoniam ſi gratia,non ex operibus, neque ex meritis:tum verò, quoniam eſt eiuſdem rationis cum prima gratia,quæ non cadit ſub meri-

Solutio. to. Reſpondetur, quòd augmentum gratiæ eſt gratia,& eſt iuſtitia:gratia quidem, ſi reſpiciamus ad primam cauſam,& originem: iuſtitia verò,quoniam debetur noſtris operibus, ſi

Rom.6. cuti vita æterna,gratia eſt, autore Diuo Paulo, & merces debita eſt de iuſtitia. Itaque incrementum gratiæ dicit nouam perfectionem gratiæ,quæ veriſimè cadit ſub merito.

Tertium. Rom.4. ¶ Tertium argumentum eſt, quoniam Diuus Paulus manifeſtè indicat,quòd augmentum iuſtitiæ,& charitatis non cadit ſub merito: dicit enim; Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam: & iterum; Si Abraham ex operibus iuſtificatus eſt, habuit gloriam, ſed non apud Deum: & adducit in huius rei con-

Gen.15. firmationem hiſtoriam ex Geneſi, vbi apertè agit ſcriptura de augmento iuſtitiæ; iam enim

Solutio. priùs Abraham iuſtus erat. Reſpondetur,gratuitam erat incrementum gratiæ,& iuſtitiæ, ſi reſpiciamus ad primam cauſam, ex qua ipſum proficiſcitur, licèt debitum ſit ſi reſpiciamus ad operationem hominis poſt acceptam gratiam cooperantis diuinæ gratiæ. Vnde eſt il-

Aug. lud quod dicit Diuus Auguſtinus,vitam,& meritum ſanctorum appellari gratuitum Dei do-

Rom.6. num,vt Roman.6.gratia Dei,vita æterna.Cùm igitur Diuus Paulus ageret aduerſus illos qui omnia ſuis operibus tribuebant,& qui non agnoſcebant Dei gratiam, nec in prima iuſtificatione,nec in meritis bonorum operum, conſtituit aduerſus illos, vtrumque eſſe gratuitum Dei donum,licèt differenti ratione.

¶ Tertiò ſciendum eſt, quòd de augmento charitatis, & quomodo creſcat noſtris operi-

D.Thom. Victoria. bus,diſputat Sanctus Thomas 2.2.q.24.vbi hęc materia tractatur;de qua re edidit optimam re lectionẽ Victoria.Illud etiã ſcirendũ eſt,nõ eſſe neceſſariũ ad meritũ vt præcedat tempore ipſum præmium:nam augmentum charitatis aliquando datur ſimul ac meritum eſt. Quapropter argumentum inualidum eſt, quòd prima contritio non promereatur primam gratiam, quia ſunt ſimul tempore;ſed ea de cauſa, quoniam prima gratia eſt prima radix meriti, à qua contritio habet omnem virtutem, & omnem valorem,&ideo non poteſt mereri primam gratiam. ¶ Sed eſt dubitatio; vnde nam merita coram Deo creſcant,& augeãtur? In huius rei explicationem ſic reſpondet Diuus Thomas 1.p. q.95.artic.vlt. Quantitas,inquit,meriti ex duobus poteſt penſari: Vno modo ex radice charitatis,& gratiæ;& talis quantitas meriti reſpondet præmio eſſentiali,quod cõſiſtit in Dei fruitione:qui enim ex maiori charitate aliquid facit,perfectiùs Deo fruitur. Alio modo penſari poteſt quantitas meriti,ex quantitate operis; quæ quidem eſt duplex,ſcilicet abſoluta,& proportionalis.Vidua enim quæ miſit duo æra minuta in gazophylacium,minus opus fecit, quã illi qui magna munera poſuerunt, ſed quantitate proportionali vidua plus fecit ſecundùm ſententiam Domini, quia magis eius facultatem ſuperabat: vtraque tamen quantitas meriti reſpondet præmio accidentali.Hæc eſt ſententia Diui Thomæ, quæ ferè à nemine ſufficienter explicatur:nam contra eam fiunt efficaciſſima argumenta. ¶ In primis;ſi duo ex æquali charitate ſic ſe habeant, quòd vnus ſubeat martyrium, alter verò elargiatur eleemoſynam, omni dubio procùl qui ſubit martyrium, habet maius meritum,& præmium eſſentiale.

De augmẽto meritorum. D.Thom.

Argu.primũ contra ſententiam D.Thom.

¶ Secundò,quoniam bonitas obiecti pertinet ad augmentum meriti: autore namque Diuo Thoma 2.2.q.27.artic.7. dilectio amici magis meritoria eſt,quàm dilectio inimici,& in q. 26 artic.2.dicit,quòd dilectio Dei magis meritoria eſt quàm dilectio proximi:ergo. ¶ Tertiò, quoniam difficultas operis maximè auget meritum: docet hoc Diuus Thomas apertè ſuprà hac q.ar.4.ad 2.argumentum. Quòd verò intenſio actus faciat ad meritum, patet ex determinatione Diui Thomæ in 3.p.q.89.articu. 2. vbi docet,quòd ſecundùm intenſiorem motũ liberi arbitrij conſurgentis à peccato per pœnitentiam datur maior aut minor gratia,& ex cõſequenti maius præmium. ¶ Reſpondeo ad dubitationem,non dubito quin omnia iſta augeant meritum,& præmium eſſentiale ſecundum Diuum Thomam,charitas,bonitas obiecti,difficultas operis,& intenſio actus,&, vt in ſumma dicam, quidquid facit actum eſſe meliorem,facit eſſe magis meritorium,etiam reſpectu præmij eſſentialis,alioquin non eſſet retributio ſecundùm opera. Quo ſuppoſito,videndum eſt, quid voluerit hîc dicere Diuus Thomas? Reſpondetur, quòd tantùm voluit docere,quòd quantitati charitatis tãtùm reſpondet præmium eſſentiale:charitas namque eſt radix meriti,

Secundum D.Thom.

Tertium.

Solutio dubij.

Exponitur ſententia D.Thom.

Quantitas meriti antẽ tum respondeat radici charitatis.

meriti, & charitati commẽsuratur præmium essentiale: tantum enim erit præmium essentiale, quanta erit charitas in qua quis inuenietur: cæteris verò operis perfectionibus correspondet tantùm præmium accidentale: ratione namque quantitatis actus præcisè non dabitur, nisi præmium accidentale; nisi enim per illam quantitatem daretur charitas maior, nõ plus præmij correspõderet, quàm si actus minor esset. Cæterũ quoniam ratione intensionis actus, vel ratione magnitudinis operis datur maior charitas, dabitur subinde maius præmium essentiale: & hoc est quod docuit Diuus Thomas, quando dixit, quòd sola charitas auget meritum, & præmium essentiale. Sed & alio modo potest responderi ad autoritatem Diui Thomæ. Nam cum dicit, quòd quantitas meriti, quæ sumitur ex quantitate operis, non auget meritũ in ordine ad præmium essentiale, sed tantùm accidentale, loquitur de operatione exteriori: etenim omnis operatio virtutis exterior, licèt non augeat essentiale meritum, auget accidentarium. Dictum enim est superiùs, quòd actus exterior non addit ad meritum, vel demeritũ actus interioris. At cuicunque operationi exteriori, eò solùm quia est actus virtutis, & consummatio operationis moralis, correspondet aliquod præmium accidentarium; quemadmodum martyrio consummato respondet quoddam accidẽtale præmium; quia est actus eximiæ virtutis, vt explicat Diuus Thomas 2.2.q.124. Cum autem dicit Diuus Thomas, quòd præmium essentiale sumitur ex quantitate operis vt procedit ex charitate & gratia, comprehendit in hoc membro suæ distinctionis totam illam quantitatem operis quæ consideratur in actu interiori voluntatis: quia tota bonitas, quæ est in actu voluntatis, ordinatur ab ipsa voluntate in finem charitatis.

D. Tho.

Vtrum intẽsio maior habitus gratiæ augeat meritum.

¶ Aliud dubium est; Vtrùm intensio maior habitus gratiæ augeat meritum; verbi gratia; Petrus habet gratiam vt sex, Paulus vt tria; operatur vterque operationem æqualiter bonam vndequaque, vtrùm actus bonus Petri eò tantũ, quia Petrus habet maiorem gratiam, sit magis meritorius? Prima sententia est affirmans, quam habuit Magister Victoria, & Magister Peña: & probatur primò. ¶ Meritum coram Deo fundatur in dignitate operantis, vt suprà diximus: ergo maior dignitas operantis auget meritum.

Mag. Vict. Mag. Peña. Prim. arg.

Secundũ.

¶ Secundò probatur: opera quæ fiunt à maiore amico, sunt magis grata: sed opera quæ fiunt ab illo qui habet maiorem gratiam, sunt opera amici Dei maioris: ergo sunt magis grata, & magis meritoria. ¶ Oppositam sententiam docuit Magister Cano, & docent illam viri doctissimi; quæ sententia meo iudicio est probabilior, & probatur. Merces correspondet proportioni operis: nam tantum debet esse præmium, quantum fuit opus eius qui meretur: ergo maior dignitas operantis, si non facit maius opus, non auget meritum. Et confirmatur ex illo communi proloquio Theologorum, quòd habitibus non meremur, sed actibus: & hinc est quòd in hac vita merces non habitui, sed operi promittitur, iuxta illud; Est merces operi tuo: & Paulus dicit, quòd Deus reddet vnicuique iuxta opera sua; non inquit iuxta maiorem, aut minorem gratiam. Præterea probatur: nam sequitur ex sententia oppositа, quòd quantus fuerit excessus gratiæ in operante, tantus erit excessus in valore meriti; verbi gratia; si gratia Petri excedit gratiam Pauli vt quatuor, sequitur quòd operatio bona Petri, aliàs æqualis operationi Pauli, sit magis meritoria vt quatuor operatione Pauli. Consequens est falsum, quod nec autores alterius sententiæ admittunt; sed dicunt, quòd excessus in valore meriti erit secundùm quandam perfectionem præfinitam, ita vt operatio Petri in illo casu excedat vt vnum, aut vt duo operationem Pauli in merito. Sed tamen hæc solutio est omnino voluntaria, quæ nec habet fundamẽtum in hac litera, nec in ratione: imò si quid probant rationes quas illi afferunt pro sua sententia, conuincunt esse verum istud nostrum illatum.

Hier. 31. Rom. 2. & 14.

Ad primũ. pro alia opi.

¶ Ad argumenta pro alia opinione respondetur. Ad primum dico, quòd proportio inter operantem & præmiantem est intrinsecè præsupponenda ad omne meritum; at quantitas meriti non sumitur ex hac proportione, sed ex illa, quæ est inter opus, & præmium.

Ad secundũ

¶ Ad secundum respondetur, quòd si ius meritorium esset solùm ius amicitiæ, argumentum conuinceret: at est ius iustitiæ, quod causatur ex opere meritorio in ordine ad præmium, & præmiantem, atque adeò requiritur quòd tantum sit opus, quantum debet esse præmium. Concederem ego libenter, quòd opera maioris amici, eò solùm quia procedũt ab homine magis amico Dei, sunt magis impetratoria coram Deo: quoniam impetratio fundatur tota in amicitia, & liberalitate donantis.

ARTIC. NONVS.

¶ *Vtrùm homo possit perseuerantiam mereri.*

SVMMA TEXTVS.

Prim. cõcl.

PRima conclusio. Homo iustus potest mereri de condigno perseuerantiam in gloria. Probatur

batur. Illud cadit sub merito condigni, quod comparatur ad motum liberi arbitrij directi à Deo mouente, sicut terminus eius. Perseuerantia autem in gloria terminus est prædicti motus: ergo cadit sub merito condigni.

Secūd, cōcl. ¶ Secunda conclusio. Nemo in hac vita potest mereri perseuerantiam in bono vsque ad finem vitæ merito condigni. Ratio huius conclusionis est: quia quod se habet veluti principium meriti, nō cadit sub merito de cōdigno: perseuerātia autē vię est ex motione diuina, quæ est principium omnis meriti: non ergo cadit sub merito de condigno, sed Deus gratis perseuerantię bonum elargitur illis omnibus, quibus elargiri vult.

EXPLICATIO ARTICVLI.

D. Aug. uſt. SCiendum est, quòd Diuus Augustinus composuit librum de bono perseuerantiæ, in quo tres veritates catholicæ fidei demonstrat. Prima est, quòd perseuerantia est donum Dei speciale. Secunda est, quòd nemo potest certò statuere an sit perseueraturus in bono vsque in finem vitæ. Tertia est, quòd perseuerantia non cadit sub merito: & docet, quòd ex duobus hominibus æqualem omnino habentibus gratiam, Deus vnum arripit morte, ne malitia immutet intellectum eius, alterum verò permittit prolabi in peccatum; quod non in meritum hominis, sed in iudicia Dei occultissima referendum

Cōcil. Trid. ſeſſ. 6. ca. 13. est. Concilium Tridentinum definit in primis, perseuerantiam esse donum Dei speciale. Deinde, neminem posse esse certum an sit perseueraturus in bono vsque in finem. Tertiò definit, quòd neminem Deus deserit, nisi prius ab homine deseratur; & indicat, quòd perseuerantia non cadit sub merito, quod est certissimum. Nam si homo iustus meruit de condigno perseuerantiam in bono, sequitur quòd qui semel est iustus, infallibiliter saluatur: Deus enim debet illi de iustitia dare perseuerantiam in bono; quod asserere, hæreticum est. Secundò, perseuerantia est donum Dei, quo manu tenet iustum, & conseruat gratiam, quam in principio gratiosè contulit: sed sicut Deus in principio gratis confert gratiam, sic gratis eam conseruat. Certè Deus sicuti creaturas gratiosè condidit, sic gratiosè in esse conseruat: ergo perseuerantia non cadit sub merito. Tertiò vtor argumento superiùs adducto de duobus æqualiter iustis, ex quibus Deus vnum arripit morte, ne malitia immutet intellectum eius, alterum verò sinit prolabi in peccatum; hoc certè in meritum hominis non est referendum, sed in diuinam misericordiam. Quartò, potest homo mereri bonis operibus abundantiorem gratiam, & maiorem amicitiam; cæterùm quòd sit Dei amicus, vel quòd persistat Dei amicus, non cadit sub merito: ergo perseuerantia non cadit sub merito. Vltimò, finis vitæ hominis est positus in diuina volūtate: ergo quòd perseueret homo in bono vsque in finem vitę, positum est in diuina voluntate.

¶ Sed contra hanc sententiam sunt nonnulla argumenta. In primis: Augmentum gratiæ, quod maius est, cadit sub merito: ergo perseuerare in gratia, quod minus est, cadit sub merito. Discutitur conclusio articuli. Prim. argu.

¶ Secundò. Augmentum gratiæ cadit sub merito: ergo conseruatio gratiæ cadit sub merito. Probatur consequentia: nam hæc conseruatio gratiæ habet rationem termini: si enim continuatur augmentum gratiæ, necessarium, est gratiam continuari, & perseuerari. Secundum.

¶ Tertiò. Homo iustus potest mereri augmentum gratiæ, & eius perfectionem, vt ex dictis patet: ergo potest mereri hanc perfectionem vt moriatur pro Christo: ac subinde potest mereri perseuerantiam vsque in finem vitæ. Tertium.

¶ Quartò. Homo potest adeò crescere in peccatis, & sceleribus, vt mereatur animi obstinationem & quòd tradatur in reprobum sensum: ergo potest crescere adeò in officio virtutum, vt mereatur perseuerantiam vsque in finem vitæ. Probatur consequētia: quoniam Deus pronior est ad miserendum, quàm ad puniendum. Quartum.

¶ Ad primum, & secundum respondet hîc Diuus Thomas solutione ad secundum & tertiū: & fundamentum ad confutanda hæc argumenta hoc est: quoniam perseuerantia nunquam habet rationem termini, sed principij. Perseuerantia enim nihil aliud est quàm conseruatio gratiæ. Nec est eadem ratio de augmento gratiæ: nam augmentum gratiæ est gradus distinctus, qui habet rationem termini: conseruatio gratiæ non habet rationem termini. Ad primum & secundū.

¶ Ad tertium Diuus Augustinus negat consequentiam: nam perseuerare in bono, & mori pro Christo, est speciale Dei donum: quod probat Ad tertium Auguſt.

Phil. 1. bat Diuus Augustinus ex illo ad Philippenses primo; Vobis donatum est non solùm vt in illum credatis, sed etiam vt pro illo patiamini. Secundò respondetur, quòd quamuis homo iustus possit mereri perfectionem charitatis, nunquam tamen meretur hodiè, vt crastina die in gratia conseruetur.

Ad quartū. ¶ Ad vltimum nego consequentiam, & ratio differentiæ est clara: nam ad peccandum homo non indiget diuino auxilio, sed de seipso potest peccare, & ideo ex seipso potest habere meritum obstinationis. Cæterùm ad perseuerandum requiritur motio Spiritus sancti & conseruatio in gratia, quam Deus elargitur hominibus, non de suis viribus præsumentibus, sed ad misericordiam, & orationem currentibus. Maneat ergo certum & fixum, quòd donum perseuerantiæ non cadit sub merito. Cum hoc tamen rectè concedet Theologus, quòd homo iustus meretur auxilium speciale ad quædam præcepta diuina adimplenda, & exactiùs obseruanda: quod apertè docet Diuus Augustinus super Psalmum septimum, super illud verbum; Iustum adiutorium meum à Domino.

Aug.

An iustus possit impetrare perseuerantiam per orationem.

¶ Aliud dubium est circa solutionem ad primum; Vtrùm homo iustus per orationem possit impetrare donum perseuerantiæ ex infallibili lege Dei dandum illi, ita vt non esset Deus verax si non daret istud donum?

Prig. argu. ¶ Probatur pars affirmatiua; primò: quoniam lex est statuta à Deo, quòd homini oranti & petenti quę sunt sibi necessaria ad salutem, dabuntur ei: Ioannis 15. Si manseritis in me; & verba mea in vobis manserint, quodcunque volueritis, petetis, & fiet vobis: & in capitulo 14. prius dixerat, Quodcunque petieritis in nomine meo, hoc faciam. Marci 11. Matthæi 7. Petite, & accipietis. Sed perseuerantia est maximè necessaria: ergo si homo petat illam per orationem, quæ habet omnes conditiones requisitas, impetrabit illam infallibiliter. ¶ Secundò arguitur: homo potest primam gratiam infallibiliter impetrare, vt diximus suprà, & probat efficaciter Dominus Caietanus in opusculo de Fide, & operibus, capitulo 10. ergo à fortiori homo iustus potest impetrare perseuerantiam gratiæ, quoniam opera iusti acceptiora sunt coram Deo. Ad huius rei expositionem est prima propositio.

Ioan. 15.

Mar. 11.

Secundū.

Caiet.

Prim. cōcl. Non potest iustus ex lege infallibili impetrare donum perseuerantiæ.

¶ Homo iustus non potest impetrare donum perseuerantię ex lege infallibili. Probatur: quoniam aliàs quicunque homo iustus per orationem bonam constituet se confirmatum in gratia: saltem sequitur, quòd homo, qui habet egregiam iustitiam coram Deo (cuius oratio non potest non esse magni momenti,) constituet se confirmatum in gratia. Consequens est falsum; nam multi viri sanctissimi dicuntur in hac vita cecidisse à gratia. Secundò probatur, quoniam aliàs homines iusti qui semel per orationem feruentissimam petierunt à Deo donum perseuerantiæ, efficientur remissiores ad opera iustitiæ; imò putabunt non esse sibi vltrà necessarium semper orare, & nunquam deficere. Probatur sequela: quoniam isti probabilissima coniectura existimant se esse in gratia, & quòd eorum oratio fuit audita à Deo, & ideo putant se habere omnia necessaria vt infallibiliter perueniant ad vitam æternam.

Secū. cōcl.

¶ Secunda conclusio. Si homo perseuerauerit in oratione, verè & piè orans pro se, infallibiliter saluabitur. Hanc conclusionem demonstrat Diuus Thomas esse veram in 2.2. quæstione 83. tum ex sanctis scripturis, tum ex sanctis Patribus.

D. Thom.

Tert. cōclu. Perseuerans petēs donū perseuerātiæ, illud obtinebit.

¶ Tertia conclusio. Qui perseuerauerit in oratione petens piè & verè donum perseuerantiæ, infallibiliter illud consequetur. Hæc conclusio liquidò colligitur ex præcedentibus. Nam si talis infallibiliter & indubiè saluabitur, infallibiliter & indubiè donum perseuerantiæ consequetur. Nec hæc tertia conclusio contrariatur primæ. Nam licèt perseueranti in oratione pia & vera infallibiliter detur donum perseuerantiæ, cæterùm quòd perseueret vsque in finem in oratione, hoc speciale Dei donum est; nec potest homo iustus illud infallibili lege à Deo consequi, sed semper est donum Dei speciale, ex gratuita Dei beneuolentia prouenies.

Ad primum.

¶ Ad primum respondetur, quòd homo iustus per orationem tantùm potest impetrare à Deo id quod pertinet ad conditionem viatoris: at quòd homo habeat voluntatem determinatam ad bonum vsum gratiæ, potiùs est conditio existentis in termino: quia quamdiu nostrum liberum arbitrium non peruenit ad vltimum terminum, semper est in vtramque partem flexibile: ergo lex orationis non extenditur ad donum perseuerantiæ, sed illud tantùm est referendum in specialem Dei misericordiam: & ideo in Concilio Tridentino appellatur perseuerantia magnum donum.

Cōci. Trid.

Ad secundū.

¶ Ad secundum negatur consequentia propter istam rationem modò factam: & propter eà dicitur, quòd perseuerantiæ donum est maius donum simpliciter quàm prima gratia; quoniam est consummatio perfectissima illius.

ARTIC. DECIMVS.

¶ Vtrùm

¶ *Vtrùm temporalia bona cadant sub merito.*

SVMMA TEXTVS.

Prim. cõcl. PRima conclusio. Si temporalia bona considerentur prout sunt vtilia ad opera virtutum, quibus perducimur ad vitam æternam, simpliciter cadunt sub merito, sicut de augmento gratiæ suprà dictum est. Probatur ex illo; Timentes autem Dominum non minuentur omni bono: & Psalm. 36. Non vidi iustum derelictum &c. Itaq; tantùm dat Deus viris iustis de bonis temporalibus, quantum eis expedit ad perueniendum ad vitam æternam: & talia bona intantum dicuntur, & sunt simpliciter bona, inquantum necessaria sunt ad vitam æternam consequendam.

Psal. 33.

Secũ. cõcl. ¶ Secunda conclusio. Si considerentur bona temporalia secũdum se, non simpliciter cadunt sub merito, sicut nec sunt simpliciter bona, sed secundum quid, quatenus scilicet aliquis ad temporalia bona mouetur, ita vt non in eis finẽ vltimum constituat, sed potiùs in vero, & diuino bono.

EXPLICATIO ARTICVLI.

Exponitur prima conclusio articuli. DVbium est de prima conclusione; Vtrùm bona temporalia, quatenus conducunt ad vitam æternam consequendam, cadant sub merito de condigno; an potiùs sub merito de congruo. Doctores in secundo, distinctione vigesimaseptima & vigesima octaua, vbi hæc materia tractatur, sentiunt quòd cadant sub merito congrui: & idem affirmat Sanctus Thomas ibidem. Sed ex hoc articulo euidenter concluditur quòd cadant sub merito de condigno: nam dicit Sanctus Thomas, quòd cadunt sub merito, sicuti augmentum charitatis: augmentum verò charitatis cadit sub merito de condigno, vt suprà ostensum est. Item dicit Sanctus Thomas, quòd meremur hæc bona, simpliciter: meritum verò de congruo non est meritum simpliciter, sed impropriè, & secundum quid. Præterea, alioqui quorsum distinxit Sanctus Thomas inter hæc bona quatenus conducunt ad vitam æternam consequendam; & quatenus secundum se considerantur, si vtroque modo cadunt sub merito de congruo? Dicendum est ergo, quòd hæc bona, quæ ex speciali Dei auxilio & prouidentia conceduntur hominibus iustis, vt procedant de virtute in virtutem, donec videatur Deus in Sion, cadunt sub merito de condigno, & sunt numeranda inter effectus prædestinationis. Itaque contumeliosè viuere; & pati ignominiam, aut infirmitatem, aliquando sunt effectus diuinæ prædestinationis.

D. Thom.

Solutio dubij.

¶ Circa eandem primam conclusionem aduertendum est, quòd cùm dicit Sanctus Thomas omnia illa cadere sub merito, quibus adiuuamur ad vitam æternam consequendam, excepta prima gratia; exponendus est de his quæ habent rationem termini. Quod ideo ex eo adnotauerim: nam donum perseuerantiæ non cadit sub merito, quoniam non habet rationem termini, sed principij, vt superiori articulo expositum est. Vel dicatur, quòd donum perseuerantiæ est gratia continuata, & ideo nõ cadit sub merito, sicut nec ipsa gratia.

¶ Circa secundam conclusionem notandum est, quòd Sanctus Thomas in articulo, & in solutionibus argumentorũ apertè affirmat, quòd peccatores per opera quæ faciunt ex Dei motione & ordinatione, licèt habeant peruersam intentionem, merentur ex Deo præmium temporale. Qua ratione Romani, licèt non habuerint veras & legitimas virtutes, meruerunt ex Deo præmium temporale, vt dicit Diuus Augustinus libro quinto de ciuitate Dei, capitulo 12. & 15. & Sanctus Thomas 3. libro de regimine Principum capitulo 4. 5. & 6. Huic veritati quadrat maximè sancta scriptura: dicit enim Exod. primo, quia obstetrices timuerunt Deum, ædificauit illis domos: super quem locum dicit Diuus Gregorius libro 18. moral. capitulo secũdo. Benignitatis earum merces in vita æterna reddi potuit, sed culpa mendacij recompensationem habuit temporalem. Idem habet Diuus Augustinus lib. quæstionum in Exodum, quæstione 1. & libro contra mendaciũ capitulo 15. Idem confirmatur ex illo Ezechiel. 29. Fili hominis, Nabuchodonosor Rex Babylo-

Secũ. cõcl. art. exponitur.

Aug.

D. Tho.

Exod. 1.

Greg.

August.

Ezec. 29.

Babylonis seruire fecit exercitum suum seruitute magna contra Tyrum, & merces non est reddita ei; & subdit Dominus; Et erit merces eius in terra Ægypti. Ex quibus principijs facilè est intelligere Dei clementiam, & liberalitatem, qui pro actionibus, alioqui iniquis, destinatis in suum obsequium, ex Dei ordinatione soleat mercedem conferre. Hincque habemus magnum documentum, quòd Deus pronior est ad conferendum præmiũ, & copiosam mercedem his qui modo quo dã diuino, & ex Spiritu sancto viuunt. Sed hîc insinuabat se magna, & difficilis quæstio; vtrũ per opera, alioqui egregia, & illustria, quæ inficiuntur ex aliqua vana gloria adiuncta, vel ex aliquo malo fine adiuncto, vir iustus mereatur præmium vitæ æternæ; sed huius quæstionis explicatio petenda est ex nostris annotationibus suprà quæstione 21.

¶ Et de his, quæ ad Primã Secundæ diui Thomæ pertinere videbantur, tantum dictum sit: Commentarios verò in alias diui Thomæ partes, quos iam multis vigilijs confectos habeo, statim, Deo dante, in lucẽ emittemus, cui honor, & gloria in

sæcula sæculorum.

Iesu Christo crucifixo, qui autor atque consummator est sapientiæ, iustitiæque nostræ, gloria sempiterna.

Amen.

INDEX QVAESTIO-
NVM QVAE IN HIS COM-
mentarijs præcipuè ediſſeruntur.

DE vltimo fine huius vitæ in communi. quæſt.1.
De beatitudine humana in quibus conſiſtat. q.2.
De beatitudine quid ſit. q.3.
De his quæ exiguntur ad beatitudinem quæſt.4.
De adeptione beatitudinis. q.5.
De voluntario & inuoluntario. q.6.
De circũſtantijs humanorũ actuũ. q.7.
De voluntate, quorum ſit, vt volitorũ. quæſt.8.
De motiuo voluntatis. q.9.
De modo quo voluntas mouetur. q.10.
De fruitione, quæ eſt actus voluntatis. q.11.
De intentione. q.12.
De electione, quæ eſt actus voluntatis in comparatione ad ea quæ ſunt ad finem. q.13.
De conſilio qnod præcedit electionem. q.14.
De conſenſu, qui eſt actus voluntatis, in comparatione eorum quæ ſunt ad finem. q.15.
De vſu, qui eſt actus voluntatis, in comparatione ad ea quæ ſunt ad finẽ. q.16.
De actibus imperatis à voluntate. q.17.
De bonitate & malitia actuum humanorum in generali. q.18.
De bonitate, & malitia actus interioris voluntatis. q.19.
De bonitate & malitia exteriorum actuum humanorum. q.20.
De his, quæ conſequuntur actus humanos ratione bonitatis & malitiæ. q.21.
De ſubiecto paſſionum animæ in generali. q.22.
De differentia paſſionum adinuicem. q.23.
De bono, & malo circa paſſiones animæ q.24.
De ordine paſſionum adinuicem. q.25.
De paſſionibus animæ in ſpeciali, & primo, de amore. q 26.
De cauſa amoris. q.27.
De effectibus amoris. q.28.
De odio. q.29.
De concupiſcentia. q.30.
De delectatione ſecundum ſe. q.31.
De cauſa delectationis. q.32.
De effectibus delectationis. q.33.
De bonitate, & malitia delectationum. q.34.
De dolore, & triſtitia ſecundũ ſe. q.35.
De cauſis triſtitiæ, ſeu doloris. q.36.
De effectibus doloris, ſeu triſtitiæ. q.37.
De remedijs triſtitiæ, ſeu doloris. q.38.
De bonitate & malitia triſtitiæ, ſeu doloris. q.39.
De paſſionibus iraſcibilis, & primò de ſpe & deſperatione. q.40.
De timore ſecundum ſe. q.41.
De obiecto timoris. q 42.
De cauſa timoris. q.43.
De effectibus timoris. q.44.
De audacia. q.45.
De ira ſecundum ſe. q.46.

De causa effectiua iræ, & de eius remedijs. quæst.47.
De effectibus iræ. q.48.
De habitibus in generali quoad substãtiam eorum. q.49.
De subiecto habituum. q.50.
De causa habituum, quantum ad eorũ generationem. q.51.
De causa habituum. q.52.
De corruptione, & diminutione habituum. q.53.
De distinctione habituum. q.54.
De virtutibus, quantum ad suas essentias. q.55.
De subiecto virtutis. q.56.
De distinctione virtutum intellectualium. q.57.
De distinctione virtutum moralium ab intellectualibus. q.58.
De distinctione virtutum moralium secundũ comparationẽ ad passionẽ. q.59
De distinctione virtutum moraliũ adinuicem. q.60.
De virtutibus cardinalibus. q.61.
De virtutibus theologicis. q.62.
De causa virtutum. q.63.
De medio virtutum. q.64.
De connexione virtutum. q.65.
De æqualitate virtutum. q.66.
De duratiõe virtutũ post hãc vitã. q.67
De donis. q.68.
De beatitudinibus. q.69.
De fructibus Spiritus sancti. q.70.
De vitijs, & peccatis. q.71.
De definitione peccatorum. q.72.
De comparatione peccatorum adinuicem. q.73.
De subiecto peccatorum. q.74.
De causis peccatorum. q.75.
De causis peccati in speciali. q.76.
De causa peccati ex parte appetitus sensitiui. q.77.
De causa peccati, quæ est malitia. q.78.
De causis exterioribus peccati. q.79.
De causa peccati ex parte diaboli. q.80.
De causa peccati ex parte hois. q.81.
De peccato originali quantum ad suam essentiam. q.82.
De subiecto originalis peccati. q.83.
De causa peccati, secundum quòd vnũ est causa alterius. q.84.
De effectibus peccati, & primo de corruptione boni naturæ. q.85.
De macula peccati. q 86.
De reatu pœnæ. q.87.
De peccato veniali per comparationem ad mortale. q.88.
De peccato veniali secundum se. q.89.
De lege, & primò de essentia ipsius. quæst.90.
De diuersitate legum. q.91.
De effectibus legis. q.92.
De lege æterna. q.93.
De lege naturali. q.94.
De lege humana. q.95.
De potestate legis humanæ. q.96.
De mutatione legum. q.97.
De lege veteri. q.98.
De præceptis veteris legis. q.99.
De præceptis moralibus legis veteris. quæst.100.
De præceptis ceremonialibus secundũ se. q.101.
De causis ceremonialium præceptorũ. quæst.102.
De duratione præceptorum ceremonialium. q.103.
De præceptis iudicialibus. q.104.

De ratione iudicialium præceptorum. quæst. 105.
De lege Euangelica secundũ se. q. 106
De comparatione legis nouæ ad veterẽ. quæst. 107.
De his, quæ continentur in lege noua. quæst. 108.
De exteriori principio humanorum actuũ videlicet de gratia Dei. q. 109.
De gratia Dei quantum ad eius essentiam. quæst. 110.
De diuisione gratiæ. quæst. 111.
De causa gratiæ. quæst. 112.
De effectibus gratiæ. quæst. 113.
De merito, quod est effectus gratiæ co operantis. quæst. 114.

INDEX LOCORVM IVRIS CIVILIS, AC CANONICI QVI in his commentarijs peculiariter sunt explicati.

EX IVRE CIVILI.

L. Leges sacratissimæ. C. de legibus & const. 827.b
L. Digna C. eodem titulo. 885.a
L. non dubium. C. eodem titulo. 886.b
L. 2. C. de maleficijs. 188.b
L. 3. 5. 7. C. eodem titulo. ibidem
L. 2. C. quæ sit longa consuetudo. 890.a
L. Vniuersi. C. de vectigalibus. 879.b
L. Iura. ff. de legibus & senatusconsultis. 823.b
L. Contra. ff. eodem titulo. 886.b
ff. de legibus & senatusconsultis. 871.a. 889.b
L. 1. ff. de cõstitutionibus principũ. 814.b
L. Si mulier §. pen. ff. de eo quod metus causa. 140.a
L. 1. ff. de ædilitio edicto. 621.b
L. ea quæ rarò. ff. de regulis iuris. 823.b
L. capitalium ff. de pœnis. 876.b

EX IVRE CANONICO.

C. in istis. d. 4. 826.a
C. Ridiculum est. d. 12. 888.a
C. Si quis carnem. d. 30. 935.a
C. hi qui arborem. d. 50. 661.a
C. qui non probauerit. 2. q. 3. 876.b
C. merito. 15. q. 1. 140.a
C. necis qui inuitus, eadẽ causa & quæstione. 661.a
C. constituit. 17. q. 4. 942.a
C. primum. 22. q. 2. 312.b
C. quid culpatur. 23. q. 1. 304.b
C. Sed & illud. 26. q. 2. 188.b
C. quicunq;. & C. nõ liceat. 26. q. 5. 188.b
C. sicut satius. 32. q. 4. 935.a
C. Si virgo. 34. q. 1. 305.a
C. firmiter de summa Trinitate, & fide catholica. 946.b
C. cognoscẽtis, de cõstitutionibus. 827.b
C. ad aures &. c. cũ dilectus, de his quæ vi metusve causa fiunt. 141.b
C. cũ omnes, de constitutionibus. 885.a
C. 1. de postul. prælat. 827.b
C. 2. de post. præl. 828.a
C. 1. de his quę vi, metúve causa fiũt. 141.b
C. maiores de baptismo, & eius effectu. 565.b. 813.b. 923.a. 935.b. 951.a
C. veniens, de sponsalibus. 141.b
C. locum, eodem titulo. ibidem
C. dominus, de secundis nuptijs. 305.a
C. ex literis 1. de homicidio voluntario. 661.a
C. ex literis 2. eodem titulo. ibidem
C. dilectus eodem titulo. ibidem
C. inquisitioni, de sentẽtia excõmu. 305.a
C. cum singula, de præbendis. 878.b
C. cum secundum leges, de hæreticis. 879.b
Clementina, multorum, de hæreticis. 915.b
Clement. ad nostrum, eodem titulo. 957.b. 211.b

INDEX AVTORVM, QVORVM ERRORES IN HIS COMmentarijs confutantur & reprobantur.

ALberti Pigij error, peccatũ originale esse formaliter peccatũ primi parentis, à quo extrinsecè denominamur peccatores. 747.a

Aliquorum error, quòd opus bonũ ex facultate naturæ exercitum in homine existente in gratia sit meritum coram Deo. 1117.a

Armenorum, & Anabaptistarũ error, quòd animæ sanctorum ante resurrectionem corporis diuinæ visionis gloria non fruantur. 99.a

Augustini Chisamensis error, hominẽ propter peccatum nõ incurrisse corporis mortem, sed tantum animæ. 771.a

Begardorũ, & Beguinorum error, intellectualem naturam in seipsa esse beatam, neque indigere lumine gloriæ, neque alia virtute supernaturali ad videndum Deum. 115.a

Caluini & Lutheri error, asserentium quod homo propriè non habet dominium suorum actum. 3.a

Catherini & Durandi error, quod peccatum originale non sit propriè peccatum. 734.b

Catherini & aliorum error, de certitudine gratiæ. 1060.b

Cherinti error, qui aiebat post corporũ resurrectionẽ homines mille annos esse futuros in regno Christi secundum carnis delectationem. 39.a

Cornelij Agrippæ error, quòd peccatũ originale in primis parentibus fuit peccatum luxuriæ. 745.a

Durandi error, quòd in operibus procedentibus ex gratia nõ est propriè meritum. 1112.a

Ebionis & Cherinthi error, quòd lex vetus non cessauit per aduentum Christi. 925.b

Flagellantium error, qui dicebant legẽ Euangelij iam cessasse sua lege aduenient. 949.b

Gregorij Ariminensis error, de necessaria continuatione actus. 1098.b. & sequentibus.

Hypocritarum error, quòd exteriora opera quæ hominibus apparent sint sufficientia ad sanctitatem interiorẽ. 956.b

Iacobi Fabri error, de beatorum peccabilitate, & possibilitate peccãdi. 91.b

Iouiniani & Lutheri error, quòd oẽs in vita beata sunt æquales. 107.b

Iudæorum error, quòd actus interior non est peccatum. 636.b. & sequent.

Iudæorum error, de promissionibus diuinis in veteri testamento. 105.b

Lutheri error, quòd Deus nos cogit ad peccandum. 138.b

Lutheranorũ error, quod omnis actio humana est peccatum. 261.a. 262.a. 337.b. 793.b

Lutheranorum error, quòd omnia opera etiam peccata sunt grata, & accepta coram Deo. 337.b. 793.b

Lutheri error, fidem à spe & charitate non esse distinctam. 564.b

Lutheri error, quòd omne peccatum prædestinati est veniale, præsciti vero mortale. 647.a

Lutheri error, quòd credendũ est proprio spiritui neglectis patrum sentẽtijs. 697.b

Lutheri error, quòd remissa culpa nunquam remanet reatus ad pœnã. 787.a

Lutheri error, Christum Dominum nõ esse legislatorem. 815.a. 816.a

Lutheri error, quòd timor pœnæ sit malus, & quòd obtemperare legi timore pœnæ sit vituperabile. 839.a. 840.a

Lutheri

Lutheri error leges humanas non esse vtiles, neque eis obediendum esse. 860.b.884.a
Lutheri error quòd per legem non nisi cognitio peccati. 902.b
Lutheri error solam fidem sufficere ad sanctitatem, & opera non esse necessaria. 956.b
Lutheri error tantũ gratiæ Dei tribuẽs, vt prorsus liberum demat arbitriũ. 968.b
Lutheri error Deum in nobis sine nostris operibus gratiam operari, & demum sola fide iustificari. ibidem
Lutheri error hominem carere libero arbitrio. 1005.b
Lutheri error omnia ex necessitate euenire. 203.b
Lutheri error liberum arbitrium esse rẽ de solo titulo. 1084.b
Lutheri error, quod contritio & cogitatio peccatorũ facit hominẽ magis hypocritã, & dũ magis conatur se disponere ad gratiam magis peccat. 1005.b
Lutheri error quod nulla est alia vera fides & Christiana, nisi quæ exclusa omni formidine pacatam reddit cõscientiam, vt credat firmiter quod remissionem peccatorum iam acceperit. 1057.a
Lutheri error quod quò sceleratior est homo, citius illi infundit Deꝰ gratiã, quod si adornat se bonis operibus sicut catꝰ facit se indignũ diuina gratia & iniuriã facit Christo. 1005.a.1006.a
Lutheri quatuor errores recensentur, 1091.a
Lutheri error quòd concupiscentia carnis sit peccatum semper. 746.a
Lutheri error quod in iustificatione impij quando remittuntur peccata nõ auferuntur, sed credentibus in eum qui iustificat impium nõ imputãtur cũ reuera permaneãt. 1072.a.& sequ.
Lutheri error nos iustificari formaliter per iustitiã extrinsecã Christi. 1074.a
Lutheri errores qui de iustificatione hac nostra tempestate grassantur, recensentur. 1074.b
Lutheri error quod homo cũ iustificatur nõ plus agit quã malleus in manu fabri, aut lutũ in manu figuli. 1084.b
Lutheri sex errores circa fidem ad iustificationem sufficientem numerãtur 1089.b.& sequentibus.
Lutheri error quod sola fides iustificat. 1088.b.& sequentibus.
Lutheri error omnes iustos æqualem iustitiam & sanctitatem habere, quia vna est sanctitas & iustitia Christi à qua omnes denominantur sancti. 1055.a.b
Lutheri error quod vnusquisque tenetur credere quod acceperit remissionem peccatorum & gratiam ea certitudine qua fideles credimus Deum esse trinum & vnum. 1057.a
Lutheri error quod si quis dubitat an sit iustificatus, hæreticus est, & nõ pertinet ad Deũ, sed ad diabolum. 1057.a
Lutheranorum error negantium merita bonorum operum. 1106.a. & seq.
Lutheranorũ error referẽtiũ merita sanctorũ in solã Dei promissionẽ absq; aliquo respectu bonorũ operũ. 1112.b
Lutheranorũ alius nouus error de merito bonorum operum. 1113.b
Melanchtonis, Lutheri, & Catherini error quod non sit hominis potestate vias suas malas facere, & quòd Deus sicut bona sic & mala in nobis operatur. 720.a
Manichæi, & Marcionistarum error, quòd lex vetus fuerit mala, & à malo Deo excogitata. 892.b
Manichæi error, quod vetus testamentũ nullam ratiõe ad nos pertineat. 897.a
Montani, & Priscillæ, & Manichæi error, quod promissio de Spiritu sancto dando nõ fuit completa in Apostolis, sed in ipsis. 949.b
Origenis error quod angeli beati non solum peccare possunt, verùm & aliquando peccant. 91.b

Origenis error & quorundam philosophorũ, quòd post diuersas temporũ vicissitudines beati futuri essent miseri, & miseri è cõtra beati. 112.b.113.a
Origenis error, pœnam inferni aliquando esse finiendam. 779.b
Paganorũ error, fortunã esse Deã. 178.b
Petri Aliaci error quòd ex astrorum aspectibus poterat cognosci Christi natiuitas. 186.b.187.a
Petri Aliaci error quòd Noë potuit cognoscere ex aspectu syderũ futurum diluuium, quod diuina reuelatione cognouit. 187.a
Pharisęorum error, quòd qui maiorem partẽ legis seruauerit, licet in alijs laberetur peccatis, illi Deus ea non imputaret. 650.a
Pelagij error, auxilium Dei speciale non esse necessariũ omnino ad credendũ, sperandum. 561.a.563.a
Pelagij error quòd peccatum originale nihil aliud est quam defectus naturæ, & omnium calamitatum, & ærũnarum aceruus. 734.b
Pelagij error nos posse cauere ex facultate liberi arbitrij omnia peccata venialia. 794.a
Pelagij error tribuens plus libero arbitrio, quam gratiæ Dei. 968.b
Pelagij error duplex; primus quòd poterat homo viribus naturæ iustificari coram Deo credendo, sperãdo, amãdo; quæ opera præstare poterat liberum arbitriũ supposita lege diuina, & prędicatione quam ille appellabat gratiam. Secundus, quòd homo poterat ex viribus naturæ vniuersam legem implere. 998.b
Pelagij error posse hominem ex facultate naturæ se præparare ad gratiam. 1007.a
Pelagij error, præparationẽ esse meritũ de cõdigno gratiæ, & gloriæ. ibidem
Pelagianorum error referentium meritum bonorum operum in liberũ arbitrium. 1112.b
Pelagianorum error quòd homo peccator potest vitare omnia peccata absque gratia iustificante per quam ad Deum conuertatur. 1018.b
Pelagianorum error quòd homo sanatus per gratiam amplius non eget auxilio gratiæ. 1022.a
Publici cuiusdam prædicatoris error, quòd Eua dũtaxat venialiter peccauit. 743.a
Philonis Iudæi, Iosephi, & Eucherij error, quòd homo per peccatum originale non incurrit mortem corporis, sed accelerationem mortis & senectutis. 771.a
Quorundã error, qui impugnabant cœlibem vitam, & continentiam. 961.b
VVicleuistarum, & Lutheranorum error tollentium liberum arbitrium. 203.b.204.a
VVicleph & Lutheri error quòd peccatum mortale & veniale non differũt. 793.a

DE SCRIPTVRIS DIVINIS admonitio ad lectorem.

ETsi proposueram elenchum, & indicem subijcere sanctarum scripturarũ, quę in hoc opere continentur, & explicantur, coactus sum mutare sententiam: adeò enim creuit earum cumulus vt ferè esset immensus index. Interim verò admoneo lectorem, vt nostra diligentia lubens fruatur, quicquid enim in sancta scriptura habetur de vita beata, de actibus voluntarijs, de affectibus animæ, amore, concupiscẽtia, odio, de bonitate & malitia humanarum actionum, de peccatis, de legibus, de gratia, & iustificatione impij, de meritis bonorum operum, in his commentarijs plenissimè elucidatur.

INDEX RERVM ET SENTENTIARVM MEmorabilium, quæ in hoc opere continentur.

A, indicat primam columnam; B, secundam.

A.

Aaron an peccauerit in fabricatione vituli. 845.a
Abstractio à sensibus ex quadrupli ci causa contingere potest. 392.b
Actio humana quid sit. 1.a.3.b
Actio duplex humana. 3.b
Actio humana omnis est propter bonum, & finem. 1.a.11.a
Actio bona, & mala differunt specie. 274.a.b.275.b
Actionem per quam formaliter efficimur beati esse aliquid increatum, error. 44.a
Actionem peccati ex Deo esse, & non peccatum, difficillimum est ad intelligendum. 720.a.
Actiua dupliciter inueniuntur, & in esse naturæ, & in esse apprehenso. 353.b
Ex actiuo principio non semper actiones distinguuntur. 15.b.16.a
Per actiuorum differentiam in esse naturæ passiones animi non distinguuntur, sed secundum apprehensionem. 357.b
Commune est omni actiuo si agit proximum esse passo. 409.a
Actus humanus est actus voluntarius. 123.b
Actus perfectè volũtarius est perfectè liber, vel perfectè liberi principium. 127.a
Actus duplex, scilicet primus & secundus. 46.b
Actus primo primus, actus secũdo primus, actus perfectè liber quid sit. 674.a

¶ Actus interior & exterior.

Actus interioris & exterioris bonitas, & malitia an sit eadem 325.a. & sequentibus.
Actus exterior an addat de bonitate vel malitia ad interiorem. 328.a.330.a.b & sequentibus.
Actus exterior est veluti causa æquiuoca bonitatis voluntatis. 323.b
Actus exterior in executione habet bonitatem ab interiori. 324.a
Actus interior & exterior in genere moris sunt vnus actus. 325.b
Actus interior & exterior eodem prohibentur præcepto. 325.b.& sequentibus
Actus exterior necessario explicandus est in confessione. 333.a
Actus idem exterior an posit esse bonus & malus. 336.a.b.337.a.b.& sequentibus.
Actus idem non potest esse meritorius, & demeritorius simul. 337.b
Actus exterioris duplex consideratio. 666.b.
Actus exterior est bonus aut malus formaliter. ibidem.
Actus exterior quomodo solum denominatione extrinseca sit peccatum. 667.a
Actus interior quomodo solus dicatur peccatum. 667.b
Actus exterior dupliciter considerari potest, & ex obiecto, & vt est in exercitio. 323.b
Actus exterior quomodo dicatur bonus vel malus intrinsecè, quomodo vero minimè. 326.a
Actus exterior furti, vel adulterij quid est quod præcipiatur diuerso præcepto, quam actus interior. 331.a
Actuum humanorum triplex differentia; alij boni, alij mali, alij indifferentes sunt, quibus additur quarta eorum qui in malum sonant. 281.b
Actus indifferens quid sit. 280.b. & sequentibus.
Actus humanus in vniuersum non est indifferens. 281.a
Actus dicitur indifferens ex specie sua, & obiecto negatiuè. 282.a
Actus aliquis quòd sit indifferens in individuo est impossibile. 282.b.284.a.b

¶ Actus naturalis & supernaturalis.

Actus dupliciter dicitur supernaturalis. 80.b
Actus naturalis & supernaturalis non continuantur. 294.b
Actus virtutis Theologicæ & virtutis adquisitæ in quo sensu sit de fide, quòd differunt in genere naturæ. 563.b
Actus virtutum Theologicarum & adquisitarum differre tantum in genere moris, non est hæreticũ dogma. ibidem
Actus prædicti differunt in genere naturæ. ibidem.
Actus fidei diuinæ & humanæ non continuantur. 564.a
Actus virtutum infusarum non producunt habitum acquisitum, sed priorem intendunt. 493.a.b
Actus elicitus & imperatus.
Actus elicitus non oportet quòd oriatur ab ea potentia in qua est habitus à quo elicitur. 524.a
Actus voluntatis potest esse imperatus. 255.a. & sequentibus.
Actus rationis imperatur. 256.a.b
Actus appetitus sensitiui imperantur. 257.a.b
Actus animæ vegetabiles non imperantur. 25.a.b
Actus exterior an obediat imperio rationis. 259.a.b
Actus quò immaterialior tantò subditur magis rationis imperio. 258.b

¶ Proprietates actuum humanorum.
Actus humani recipiunt speciem ex fine. 15.a.b
Actus humanus in vniuersum habet speciem ex obiecto immediato. 277.b
Actus humanus prout ab agente egreditur, vnum tantum habet obiectum. 16.b.c
Actus humani habent speciem boni vel mali ex sua specie. 274.a.b.& sequent.
Actus humanus habet rationem meriti, vel demeriti secundum retributionem iustitiæ ad alterum. 342 b.& sequentibus.
Actus humanus quomodo habeat rationem meriti vel demeriti apud Deum. ibidem
Actus humanus inquantum bonus vel malus habet rationem rectitudinis vel peccati. 339.b
Actus voluntarij tantum dicuntur laudabiles vel vituperabiles. 341.a.& sequentibus.
Actus peccati ex Deo est, non autem peccatum. 718. a.& sequentibus.
Actus nō est in quolibet peccato. 616.a.b.& sequen.
Actus omissioni coniunctus an semper sit peccatum. 629.a.& sequentibus.
Actus plures non vnus tantum generat habitū. 489 a.b.& sequentibus.
Actus voluntatis non potest esse consequutio vltimi finis. 9.a. 58.b.& sequentibus.
Actus intellectus practici quomodo non quæratur propter seipsum variè exponitur. 68.b
Actus bonus omnis non determinat sibi peculiarem virtutem. 269.b. 524.a
Actus voluntatis in vniuersum circa finem, vel media versatur, & non datur actus neuter. 153. a.b. & sequentibus.
Actus virtutis cuiuslibet etiā supererogationis quo modo pertineat ad legem naturæ. 856.a.b
Actus intellectus & voluntatis per solum instans durare possunt. 136.b.
Eodem actu fertur voluntas in medium, & in finem. 161.a
Actus nequit esse simul in specie boni, & mali. 289.a
Actus eiusdem speciei in genere naturæ potest esse bonus & malus in genere moris. 293.a.335.b.& sequentibus.
Actus diuersi in genere naturæ possunt esse eiusdem speciei in genere moris. 293.a.327.b
Actus idem numero potest esse successiuè bonus & malus. 293.a.335.b.& sequentibus.
Actus interior & exterior in genere moris sunt vnus actus. 325.a
Actus vnus & idem potest habere plures bonitates & malitias. 325.b
Actus per ignorantiā excusatus manet bonus moraliter. 702.a
Actus primo & per se destruit habitum oppositum efficienter. 500.b
Actum humanum per aliquod tempus continuari nō est necesse. 209.a.
Actus imperfectiones habitum disponunt ad eius corruptionem. 497.b.& sequentibus.
In actibus humanis inuenitur voluntarium. 123.b.
Adam non peccante, & Eua peccante filij non contraxissent peccatum originale. 742.b.& sequen.
Adam si genuisset filios ante peccatum, postmodū eo peccante an filij originalem iustitiam perderent. 743.b.
Adam non peccante an filij Cain peccantis peccatum contraherent originale, disputatur ibidem.a.
Adæ peccatum prius infecit potentias, quam essentiam, originale verò è contrario. 753.b.
Adam in statu innocentiæ quid bonorum operum potuerit efficere. Vide, gratia & homo in statu naturæ integræ.
Adam vtrum fuerit in gratia creatus, vel in rectitudine naturali. ibidem.
Adam & angeli receperunt gratiam ex dispositione liberi arbitrij. 1052.B.
Adoptio filiorum triplex tribus statibus scilicet, sub lege, sub gratia, sub gloria correspondens. 953. a.
Adulterium vtrum ad iniustitiam pertineat. 638.b.
Adulterium ad fornicationem, & luxuriam comparari potest. ibidem.
Adultus interdum potest consequi gloriam sine proprio merito ex virtute sacramentorum. 340.a
Afflictiones huius vitæ an semper sint peccatorum pœnæ. 788.b.
Agere contra dubium speculatiuum, imo contra sciētiam non est peccatum. 304.b.& sequentibus.
Agere contra propriam opinionem interdum est necessarium. 308.a.
Agere contra scrupulum quando liceat. 309 b.
Agere secundum opinionem probabilem relicta probabiliori licet. 308.b.& sequentibus.
Agentia omnia agunt propter finem, licet hoc peculiariter tribuatur creaturæ rationali. 9 b.
Agentia naturalia dupliciter considerantur, & vt agunt, & vt trahunt passum ad se. 357.b.
Alphonsi regis admiranda sententia de amoris virtute & efficacia. 385.b.
Almaynus definens libertatem, illam manifestè admit. 205.a.b.
Amantis animus est in seipso mortuus in alio viuus 388.a.
Amans quomodo sit in amato. 389.b.
Amantis animus est velut speculum, in quo amati relucet forma. 384.b.
Amans seipsum amato tradit ex omni parte. ibidem.b.
Amantem non redamare valde dissonum est. ibidem.b.
Amantibus commune est, vt molestißimè ferāt amoris habere consortem. 396.a.
Amare propter se, vel propter aliud, dupliciter contingit. 154.a.

Amati ad amantem duplex vnio. 372.b
Amẽtes & pueri non habent actus liberos. 200.b.
Amentia vnde proueniat. 201.b
Amentes & furiosi nonnunquam brutescunt magis quam bestiæ. 201.a
Amentes, pueri & somniantes habent aliquos actus intellectus & voluntatis. 199.b
Amicis indigemus in hac vita, non autem in beatitudine. 205.b
Amicus quomodo dimidium animæ dicatur & alter ipse. 387.a
Amicorum omnia sunt communia. ibidem
Amicitia hominis ad Deum dupliciter considerari potest. 904.a
Amicitia quomodo silentio & absentia dissoluitur. 503.b
Amicitiæ amor quid sit, vide verbo, amor.

¶ Amor.

Amor quid sit. 369.b
Amoris nomen vnde deducatur, & eius etymologia. ibidem.a.
Amoris encomium & laus. 368.a
Amoris & desiderij differentia. 370.a
Amor & delectatio differunt. 373.b
Amor, dilectio, charitas, & amicitia idem non sunt. 374.a
Amor est aliquid pertinens ad appetitum. 368.b
Amor præcipuè passio est pertinens ad concupiscibilem. 372.b
Amor secundum triplicem appetitum distinguitur in naturalem, sensitiuum, & intellectualẽ. 368.b
Amor duplex, & concupiscentiæ, & amicitiæ. 63.b. 374.b. & sequentibus.
Amor concupiscentiæ semper in se continet amorem amicitiæ. 376.b
Amor beatitudinis vt est bonum proprium est amor concupiscentiæ, non amicitiæ. 566.b
Amor sui dupliciter potest intelligi. 375.b
Amor sui quando laudabilis, vel vituperabilis. 376.b
Amor sui est principium omnis peccati, & primogenitus peccati originalis. 708.a.769.a
Amor proprius ordinatus bonus, inordinatus, malus 707.a
Amoris causæ. 378.a.b
Amoris causa est bonum. 378.a.b
Amoris prima causa est autor naturæ. 380.a
Amoris causa est pulchrum. 379.a
Amoris causa est cognitio. 380.b
Amoris causa est similitudo. 382.b. & sequent.
Amoris vera & certissima causa est ipse amor, iuxta illud: si vis amari, ama. 385.a.b

¶ Amoris effectus.

Vnio est effectus amoris. 386.a.b. & sequentibus.
Amoris effectus est mutua inhæsio. 389.a.b
Amoris effectus est ecstasis. 391.a.b. & sequentibus.
Amor zelum parit. 394.b.395.a.b
Amor non est passio læsiua. 396.b.397.b
Amor est causa omnium quæ amans agit. 398.a.b
Amori tribuũtur quatuor effectus proximi, liquefactio, fruitio, lãguor & feruor. 397.a.b. & sequẽ.
Amor odium parit. 399.a
Amor est fortior odio. ibidem.

¶ Amoris proprietates.

Amoris vis magis est vnitiua quam intellectionis. 386.a.387.a.b. & sequentibus.
Amor omnium passionum animi nostri fons & origo. 365.b.371.a
Amor omnium cogitationum bonarum & malarum principium & radix. 368.a.369.b
Amoris vis re adepta non cessat. 370.a
Amor non potest esse consequutio vltimi finis. 58.b. & sequentibus
Amor quare terminum non habeat. 381.b
Amor quare cæcus dicatur. ibidem
Amoris immoderati remedia. 398.b
Amor rerum diuinarum quomodo in nobis gignatur 381.b.
Amor excedit nonnunquam cognitionem. 382.a
Amor est virtus vnitiua. 386.a
Amor mutuus vnam mortem importat, duplicem reuiuiscentiam. 389.b
Amor solus enasci potest, crescere verò solus non potest. 389.b
Amor boni conuenientis perfectiuus amantis. 396.b
Amor boni disconuenientis amanti læsiuus est. ibidẽ.

¶ Angelus.

Angelus in triplici statu consideratur. 808
Angelus in instanti quo peccauit forsitan habuit errorem in intellectu practico. 169.b
Angelus in prima operatione quare non potuit peccare. 175.b.176.a
Angeli an possint venialiter peccare. 808.a
Angeli indigent habitibus respectu aliquorũ. 484.a
In Angelis non possunt esse peccata carnalia. 642.b. & sequentibus.

¶ Anima.

Anima rationalis vt sic, est forma hominis. 623.b
Anima rationalis vna est altera perfectior. 762.a
Anima nostra compatitur corpore patiente. 348.a
Anima separata sicut non dependet in esse à corpore, ita nec in vsu specierum. 601.b
Anima nostra quinque bonorum genera in se continet. 763.a
Anima Christi tempore passionis quomodo simul habuit summum gaudium & tristitiam. 81.b.434.b & sequentibus.
In anima separata an maneãt scientiæ acquisitæ. 601.a. & sequentibus.
Animæ sanctorum si non deferant aliquid purgandũ statim atque è corpore emigrant vident Deũ, & beatæ sunt. 99.a.b. & sequentibus.
Animalia quomodo quædam munda, quædam immũda ante legem dicebantur. 922.a

Animalia quamlibet imperfecta mouentur ex iudicio quodam imperfecto & non ex simplici apprehensione. 169.a
Antecedens qui vult, semper vult consequens quod inde infertur. 713.a
D. Antonius multa quæ nunquam audierat ex instinctu diuino intelligebat. 612.b
Appetitus sensitiuus & sensualitas quomodo differant. 668.a
Appetitus nunquam appetit tanquam vltimum finẽ suam operationem. 63.a
Appetitus sensitiui, & rationalis discrimen. 64.b
Appetitus sensitiuus in homine non versatur nisi circa bonum delectabile. 64.b.87.a
Appetitus sensitiui, rationalis, & naturalis differentia. 8.a.155.a
Appetitus quomodo tantum est finis. 6.a.b.
Appetitus duplex, naturalis & elicitus. 120.a
Appetitus semper sequitur apprehensionem boni. 5.b.6.a
Appetitus naturalis quare à natura datus. 63.a
Appetitus sensitiuus ex parte obiecti mouet voluntatem. 170.a
Appetitus sensitiuus mouet quodammodo voluntatem ex parte obiecti. 172.a
Appetitus sensitiui brutorum, & voluntatis conuenientia, & differentia. 227.b
Appetitus sensitiuus nobilius obedit rationi quam membra externa. 259.a
Appetitus & per modum fugæ, & per modum prosequutionis intelligi potest. 440.a.b
Appetitus delectationis maior est, quam fuga tristitiæ. 433.a
Appetitus sensitiuus suapte natura ad bonum inclinat. 724.a
Appetitus sensitiuus vtrum habeat libertatem sibi propriam. 668.a.& sequentibus
Appetitus sensitiuus habet libertatem participatam. 669.b
Appetitus sensitiuus non est capax peccati nisi prout à voluntate mouetur. 668 b.& sequentibus.
Appetitus sensitiui motus quando sunt peccata mortalia, quando venialia. 672.b.673.b.
Appetitus sensitiuus post lapsum non intensius fertur in bonum sensibile, quam si in puris naturalibus fuisset conditus. 767.a
Appetitus sensitiuus est capax habitus vitij & virtutis. 481.b
Appetibile propter se in genere naturæ, & in genere moris. 86.a
In appetitione rerum duplex ordo seruari potest. 86.a
Applicatio diuersa agentis diuersum operandi modum constituit. 83 b
Apprehensio boni non est tantum conditio requisita, sed ratio etiam obiectiua vt moueat appetitũ. 8.a
Apprehensio rationis duplex. 6.a
Apprehensio diuersa quãdo causat appetitiones specie diuersas. 8.b
An apprehensio sola nõ sufficiat ad mouendam voluntatem, sed requiratur iudicium. 168.a.& sequẽtib.
Approximatio agentis ad passum non est ratio agendi sed conditio. 409.a
Aptitudo naturalis ad gratiam an sit in nobis. 568.b
Aristotelis notabilis sententia de beatitudine. 42.b.
Aristotelis placita de beatitudine satis consonant rectæ rationi, & sacris literis. 72.a
Aristoteles plurimum tribuit bonis fortunæ. 103.b
Aristotelis sententia circa bonorum diuisionẽ. 104.b
Ars habet rationem virtutis secundum quid. 532.a
Ars quomodo semper dicat verum. 536.b
Ars mentiendi virtus intellectualis est. 532. & seq.
Ars ad quam pertinet finis mouet suo imperio artem ad quam pertinet id quod est ad finem. 163.a
Astrologi etiam in prædicendis naturalibus effectibus sæpenumero decipiuntur. 184.a.b
Astrologi quos possunt effectus cognoscere. 184.a. & sequentibus.
Astrologorum impietas circa futura contingentia, circa cogitationes cordium, & multò magis circa mysteria gratiæ cognoscenda refellitur. 186.a.b.
Astrologi declarantes peccata occulta, peccant mortaliter. 186.b
Astrologi condemnantur à sanctis patribus. 187.b. 188.a.b
Astrologiæ iudiciariæ genus duplex distinguitur à quibusdam verum, & fictitium. 190.a
Astrologi quare vt in plurimum vera prænuntient. 190.b
Attritio quæ cum sacramento ad iustitiam sufficit supernaturalis est. 1114.a
Auaritia de se nata est nutrire omnigena peccata. 758.b
Auaritia qua ratione vitium capitale dicitur. 760.b
Audacia contrariatur timori. 459.b
Audacia consequitur spem. 460.a
Audaciæ causæ quæ sint. 460.a
Audaciæ obiectum quomodo sit malum. 462.a
Audaces vt in plurimum sunt promptiores in principio quam in fine. 460.b
Audaciæ definitio. 462.a
Audacia duplicem habet significationem. ibidem.
Auersio à Deo per affectum est. 634.a
Auersio est de ratione peccati. 641.b
Auersio vna magis elongatur à Deo quàm alia. 651.a
Auersio an in omnibus peccatis mortalibus sit æqualis. 651.a
Auxilium Dei supernaturale necessarium est omnino ad credendum, sperandum, & amandum vt oportet. 561.a.563.a
Auxilium diuinum speciale est necessarium ad singulos actus amandi, credendi &c. 561.b
Auxilium supernaturale necessariũ ad implenda ali-

qua ſupernaturalia præcepta quantum ad ſubſtã tiam operis, etiamſi abſit gratia iuſtificãs. 1003.a
Auxilium diuinæ gratiæ ſufficiens ad ſalutem nemini hominum denegat Deus. 1029.a.b
Quid ſit auxilium ſufficiens diuinæ gratiæ. 1031.a.b
Auxilium ſufficiẽs ſi ſit æquale in duobus hominibus vtrùm poſsit eſſe vt vnus pereat, & alter ſalutem conſequatur. 1031.b.1032.a
Auxilium efficax quo homo efficaciter conuertitur & ſaluatur non vniuerſis hominibus cõfert Deus 1029.a

B.

BAptiſmus ante paſsionem Chriſti an fuerit ſub præcepto, an verò ſub conſilio tantum. 927. b. & ſequentibus.
Baptiſmus à morte Chriſti non fuit ſub conſilio, ſed ſub præcepto. 948.a
Beatitudinis ratio formalis & eſſentia variè explicatur à diuerſis. 58.b
Beatitudo in Dei viſione conſiſtit, eſtq; eſſentialiter actus intellectus, quod communi ſacrarum literarum & ſanctorum autoritate, & philoſophorum communi concordia oſtẽditur. 60.b.61.a.b.85.b
Beatitudo eſt conſequutio vltimi finis. 62.a
Beatitudo quomodo ſolidum gaudium & verum. 64.a
Beatitudo quomodo fruitio dici poſsit. 65.a
Ad beatitudinem tria concurrunt, viſio, comprehenſio, & delectatio. 88.a
Beatitudo ſine comprehenſione eſſe non poteſt. 89.b
Beati ex natura beatitudinis ſunt impeccabiles. 91.b. 92.a.
Beatitudo quid ſignificat. 32.b
Beatitudo in ſacris literis varijs nominibus exprimitur. 32.b
Beatitudinis definitio. 32.b
Beatitudo in diuitijs ſita eſſe non poteſt. 33.a
Beatitudo in honoribus non conſiſtit. 36.a
Beatitudo in gloria humana non conſiſtit. 36.b
Beatitudo in poteſtate humana non conſiſtit. 39.b
Beatitudo non eſt in aliquo corporis bono. 38.a
Beatitudo neq; in voluptate corporis, neq; in voluptate animi conſiſtit. 38.b
Beatitudo quomodo non ſit in aliquo bono animæ. 39.b.
Beatitudo non conſiſtit in aliquo bono creato. 40.b
Beatitudo in puris naturalibus qualis eſſet. 41.b
Beatitudo vt eſt aliquid creatum in homine exiſtens eſt operatio. 46.b
Beatitudo multis modis dicitur. 46.b
Beatitudo non conſiſtit in illapſu diuino perficiente eſſentiam vt exiſtimabat Henricus. 47.b
Beatitudo non in habitu ſed in actu conſiſtit. 49.a.b
Beatitudo non eſt in ſenſus operatione. 53.a
Beatitudo magis eſt operatio intellectus ſpeculatiui quam practici. 67.b
Beatitudo in hoc iudicio præcipuè conſiſtit, Quã bonus Iſrael Deus his qui recto ſunt corde. 68.b
Beatitudo hominis imperfecta qualis in hac vita haberi poteſt, in conſideratione ſcientiarum ſpeculatiuarum ſita eſt, non tamen perfecta. 69.a.b
Beatitudo imperfecta in conſideratione ſubſtantiarũ ſeparatarum conſiſtit, non tamen perfecta. 71.b
Beatitudo imperfecta in actiuam & contemplatiuã diuiditur. 72.a.115.a
Beati indigent dono ſupernaturali ex parte voluntatis ad amandum Deum. 79.a
Beatitudinis deſiderium omnibus intrinſecum & naturale. 31.a
Beatitudo formalis non poteſt eſſe aliquid increatũ. 44.a
Beatitudo quomodo ſit gratia conſummata. 48.b
Beatitudo in actu præſtantiſsimo in genere naturæ conſiſtit. 67.a
Beatitudo ſine delectatione imperfecta eſt. 88.b
Beati videntes Deum in perpetuum & neceſſario vident, amant, & delectantur. 82.b
Ad beatitudinem requiritur rectitudo voluntatis. 90.a
Ad beatitudinem perfectam non requiritur corpus quamuis requiratur ad beatitudinis perfectionem. 95.a
Beatitudo poſt corporum reſurrectionem non erit maior intenſiuè. 101.b.102.a
In beatitudine omne deſiderium expleri quomodo intelligatur. 102.b
Beatitudo hominis perfecta exigit bonam corporis diſpoſitionem antecedenter & conſequenter. 103.b
Beatitudo huius vitæ bona poſtulat exteriora non autem futuræ vitæ beatitudo. 105.a
Beatitudo quomodo exigat amicorum ſocietatem. 105.b
Beati de parentum & amicorum ſupplicio & miſeria non triſtantur, & quare. 106.a
Beatitudo ab homine obtineri poteſt. 106.a
Beatitudo quòd ſit in clara Dei viſione ſola diuina reuelatione conſtat. 107.a
Beatitudo eſſentialis non eſt æqualis in omnibus licet ſit idem obiectum beatificans. 107.b
Beatitudinis inæqualitas in quo conſiſtat, & penes quid penſetur. 109.a.b
Beatitudo imperfecta in hac vita haberi poteſt, perfecta verò minimè. 110.b
Beatitudo imperfecta amiſsibilis eſt, perfecta verò minime. 112.a.b.113.a
Beatitudo perfecta non compatitur errorem, neque opinionem in intellectu. 114.a
Beatitudo imperfecta quæ in hac vita haberi poteſt per facultatem naturalem obtineri poteſt, non autem beatitudo perfecta quæ in clara Dei viſione ſita eſt. 114.b
Beatitudo huius vitæ duplex, practica & ſpeculati[ua]. 4.b.5.a

Beatitudo essentialiter est actus intellectus & nõ voluntatis. 58.b & sequentibus latissimè.
Beatitudo perfecta per actionem superioris creaturæ comparari non potest. 116.b
Ad beatitudinem requiruntur bona opera. 117.a
Beatitudo in communi ab omnibus appetitur. 119.a. 120.b.
Beatitudo dupliciter consideratur. 120.b
Beatitudo in particulari non necessitat voluntatem. 121.b
Beati nullum habent fastidium ex perpetua Dei visione. 427.a.b
In beatitudine tria concurrunt; videre Deum, amare, & immensa lætitia animi frui. 58.b
Beatitudinis eloquium & laudatio ex Diuo Thoma. 427.b
Beati timorem filialem habent in patria. 456.a
Beatitudinum doctrina præcipua est & maxima pars legis Euangelicæ. 617.b
Beatitudines enumerantur. ibidem
Beatitudines Euangelicæ non in habitu, sed in actu cõsistunt. 618.a
Beatitudines an à donis & virtutibus distinguantur. 618.a
Beatitudines vnde dicantur. ibidem
Beatitudines an sint præceptæ ex doctrina Christi non planè colligitur. 618.b
Beata virgo peccatum veniale non habuit. 1019.a
Beneficium insigne Dei quod nostra opera exigantur ad beatitudinem. 118.a
Bigamus non est irregularis propter pœnam, sed propter significationem. 877.a
Duplex bonitas in virtute consideratur. 62.b
Bonitas aut malitia quæ sumitur ex obiecto non est formaliter in obiecto, sed in actione. 269.a
Bonitas voluntatis ex obiecto dependet. 291.b
Bonitas voluntatis per se ex solo obiecto dependet. 294.b
Bonitas voluntatis à ratione dependet. 296.a
Bonitas voluntatis dependet ex lege æterna. 298.b
Bonitas voluntatis dependet ex intentione finis, quãdo intentio finis præcedit electionem, & est causa illius. 310.b
Bonitas finis vt in plurimum minuit de mala electione. 312.b
Bonitas voluntatis dependet ex conformitate ad voluntatem diuinam. 315.b
Bonitas vel malitia actus exterioris quid sit. 323.b
Bonitas in actu exercito subiectatur in voluntate. 323.b
Bonitas ex obiecto & natura sua prius est in actu exteriori quàm in interiori. 324.a
Bonitas quæ est ex fine, tota dependet ex voluntate. 324.b
Bonitas actus exterioris quæ est ex obiecto & circũstantijs dependet à ratione. 324.b
Bonitas moralis non est relatio, sed absoluta perfectio. 476.a
Bonitas virtutis non in ordine ad actum, sed ex recta dispositione in ordine ad naturam præcipuè attenditur. 622.b
Bonitas quomodo sequatur virtutis essentiam. 622.a
Bonorum diuisiones variæ referuntur & explicantur. 104.a
Bonum honestum solum est expetibile per se in genere moris. 64.b.86.b
Bonum in communi quare in via non necessitat voluntatem quantum ad exercitium. 121.a.b
Bonum est quod omnia appetunt. 5.a
Bonum & finis sunt idem. 4.a.b
Bonum est diffusiuum sui quomodo intelligatur. 20.a
Bonum in communi necessitat voluntatem quantũ ad specificationem, non quantum ad exercitium. 121.a
Bonum esse in rebus quomodo intelligatur. 158.b
Bonum apprehensum dupliciter comparatur ad voluntatem. 167.b
Bonum hominis est secundum rationem. 274.b
Bonum ex integra causa consurgit. 292.a
Bonum & malum sunt differentiæ actuum humanorum in genere moris, non in genere naturæ. 293.b.
Bonum est amoris causa. 378.a.b
Bonum efficienter causat amorem. 380.a
Bonum vt sic licet possit non amari, non tamen potest odio haberi. 403.a
Bonum sub ratione conuenientis causat delectationẽ. 424.a.b
Bonum duplex esse potest, scilicet morale & meritorium. 983.b.1021.a
Bonum morale an possit iustus operari sine speciali auxilio Dei. 1021.b
Bruta operantur propter finem aliter tamen quã homo. 13.a
Bruta non se mouent in finem. 13.b
Bruta non cognoscunt futura vt sic, licet habeant passionem spei. 448.b.& sequentibus.

C.

Caietani explicatio duplex de dilectione Dei sup per omnia impugnatur. 988.b.989.a
Canonici si sacris non interfint, licet teneantur persoluere mulctam, non subinde peccant. 877.a
Capitale vitium quod sit. 760.b
Carentia regulæ rationis & legis diuinæ pura negatio est quam habet voluntas, quia est condita ex nihilo. 684.b
Causarum aliæ sunt per se ordinatæ, aliæ essentialiter ordinatæ. 18.b
Causa an vitanda sit, quando actus est volitus in illa. 676.b & sequentibus.

In causis essentialiter ordinatis non est processus in infinitum. 18.b
Causa bonæ vel malæ fortunæ. 180.a.b
Causa efficiens semper est melior effectu, quomodo intelligatur. 624.b
Causa mali moralis non est extra voluntatem (vt dicebant Manichæi.) 638.a
De causa mali moralis disputatio cum Manichæis. 683.b. & sequentibus.
Homo an causet suam gratiam cum se ad illam disponit. 1087.a. & sequentibus.
Causa gratiæ an homo dici possit. 1049.b
Causa principalis gratiæ effectiua, aut virtutum supernaturalium nequeunt esse angelus, aut homo. 576.a
Causa principalis quæ sit? ibidem.a
Causæ instrumentariæ gratiæ quæ sint. 1049.a
Causæ quæ hominem ad peccandum inclinant in natura lapsa. 1017.b
Ceremonia quare sic dicatur, & quid sit? 920.a
Ceremonialia dicuntur quæ ad cultum Dei pertinent, immediatè, seu præparatiuè. 920.a
Ceremoniæ veteris legis non iustificabant. 923.b
Character sacramentalis non est habitus, sed potentia. 473.a

¶ Charitas.

Charitas dupliciter consideratur, & vt natura, & vt libera. 84.a
Charitas non indiget directore. 599.a
Charitas multoties refert virtutes humanas in finem suum, remotè tamen, & cum magna difficultate. 573.b
Charitas an præstantior sit cæteris virtutibus Theologicis, ostenditur. 598.b. & sequentibus.
Charitas non potest esse sine fide, & spe. 592.b
Charitas in patria quare requiratur. 83.b
Charitas quomodo sit fidei, cæterarumq; virtutum forma. 566.a
Charitas sine alijs virtutibus esse non potest. 590.a
Charitatis ordo in via & in patria non est idem. 66.a
Charitas viæ & patriæ, an sint eiusdem speciei. 607.a
Charitatis viæ & patriæ discrimen. 113.b
Christiani an regendi sint iudicialibus præceptis Mosaicis. 937.b
Christianus certò & infallibiliter cognoscit se habere fidem supernaturalem. 349.b. 1064.a. & sequentibus.

¶ Christus.

Christus Dominus fuit beatus sine operatione meritoria præcedente. 117.b
Christus Dominus tempore passionis quomodo habuit summum gaudium & tristitiam. 358.b
Christus legislator cui obediendum. 816.a
Christus Dominus habuit proprias passiones appetitus. 549.a
Christus per quæ opera meruit. 85.a
Christus qualiter sit causa gratiæ. 1048.b
Christus aliter est causa gratiæ quàm Deus. 1056.b
Christus secundum quod homo non est causa efficiēs principalis nostræ gratiæ. 576.b
Christus non habuit fomitem. 671.a
Christus non habuit actus indeliberatos. ibidem
Christus originale peccatum non contraxit eò quòd virili semine non fuit conceptus. 742.a
Christus non fuit causa efficiens gratiæ collatæ patribus antiquis sed finalis. 1013.a
Circumcisio non habet vim iustificandi. 924.a
Circumcisio an tantū sub cōsilio perseuerauerit post baptismi institutionem. 927. a. & sequentibus. 947.b.
Circumcisio apud Indos qualiter toleratur. 935.b
Circumcisio non pertinet ad legem. 902.b

¶ Circunstantia.

Circunstantia quid? 149.a.b
Circunstantiarum diuisio. 149.b 270.b
Circunstantia non confert substantialem speciem. 150.a
Circunstantiarum consideratio pertinet ad Theologum. 150.b. & sequentibus.
Circunstantiarum numerus & earum explicatio. 151.a.b
Circunstantiæ potissimæ quæ sint. 152.b
Circunstantiæ quomodo mutant speciem. 290.a.b
Circunstantiæ finis etiam respectu actus interioris habet rationem circunstantiæ. 271.a. 272.a.b
Circunstantia illa tribuit speciem actui humano quæ respicit peculiarem ordinem rationis. 288.b. 290.b
Circunstantiæ quando mutant speciem. 290.a.b
Circunstantia temporis si desit quando vitiat actum, & quando non. 630.a
Circunstantia dupliciter est volita. 271.a. 291.a. 648.a
Circunstantia quando confert speciem. ibidem
Circunstantiæ generales omni peccato nouam speciē non conferunt. 648.b
Circunstantia temporis. 648.b
Circunstantiæ gulæ. 648.b
Circunstantiæ non mutantes speciem sæpenumero cōfitendæ sunt. 657.b
Ciuitas constituta est propter sufficientiam & in bene viuendi gratia consistit. 838.a
Clerici non residentes restituere tenētur fructus perceptos ante iudicis sententiam. 881.b
Clericus habens plura beneficia curata priuatus est omnibus suis beneficijs absque sententia iudicis. ibidem. 881.b
Clerici an teneantur legibus ciuilibus. 885.b
Coactio in creaturis intelligi potest etiam respectu actionis

actionis Dei. 134.b
Cogitatio nonnunquam habet rationem vltimi operis, aliquando verò ad opus destinatur. 247.a
¶ Cognitio.
Cognitionis humanæ & diuinæ discrimen. 36.b
Cognitio hominum in hac vita est imperfecta, & vt in plurimum varijs erroribus & dissensionibus admixta. 70.a.b
Cognitio quatuor expostulat. 115.b
Cognitio vniuersa quatuor principijs regitur, & gubernatur. 349.a
Cognitio est amoris causa. 380.b
Cognitio est causa per se amoris. 381.a
Cognoscere Deum nequit haberi in primo instanti vsus rationis ex facultate naturæ. 812.b
Commissio & omissio oppositæ virtutis non differunt specie in genere moris. 648.b.a. & sequentibus.
Comparatio in diuerso genere dupliciter intelligitur 25.a
Complexio naturalis, quomodo sit causa morum. 189.b
Comprehensio beatifica quid. 89.a
Comprehensio est intellectus, & idem cum visione beatifica. 89.a
Comprehensio correspondet spei. 89.a
Comprehensionis variæ significationes. 88.b
Concilij Tridentini censura circa libros astrologiæ iudiciariæ. 189.a
¶ Concupiscentia.
Concupiscentia quid. 142.b
Concupiscentia duplex antecedens & consequens. 142.b
Concupiscentia propriè est in appetitu sensitiuo. 407.a
Concupiscentia est passio specialis. 407.b
Concupiscentia diuiditur in naturalem, & non naturalem. 407.b.409.b
Concupiscentia quomodo sit infinita. 408.a
Concupiscentia differt ab amore, & delectatione. 408.b
Concupiscentiæ distributio. 409.b
Concupiscentia quare dicatur peccatum. 265.a
Concupiscentiæ naturalis, & concupiscentiæ rationalis obiectum distinguitur. 410.b
Concupiscentiam naturalem esse finitam quomodo intelligatur. 410.b
Concupiscentia obiecti prohibiti de se est mala. 670.a
Concupiscentia humanarum rerum peccatorum præcipuus fons. 709.a
Concupiscentia qualiter appelletur ab Apostolo peccatum. 746.a
Concupiscentia auget voluntarium. 143.a
Concupiscibilis est prior origine & dignitate irascibili. 365.b
Confessi scilicet qui ex iudæis originem ducunt, an optimè ab Ecclesijs, & Monasterijs, seu collegijs excludantur. 940.b. & sequentibus.
Conformari diuinæ voluntati in volito formali quid sit. 318.a.b
Conformari diuinæ voluntati in volito materiali quid sit? 319.a
Confiteri tenetur vnusquisq; explicitè cognoscens habuisse præceptum referendi se in Deum in primo instanti vsus rationis, tanquam de re dubia. 814.a
Congruentia operis disponentis ad iustificationē non fundat rationem iustitiæ. 1012.b
¶ Conscientia.
Conscientia quid sit? 300.b
Conscientia erronea quid sit? 299.b 301.a
Conscientia erronea obligat. 299.b 301.a & seq.
Conscientia erronea per accidens, & ex ignorantia inuincibili excusat, secus verò si ignorantia sit vincibilis. 300.a
Conscientiæ diuisio. 301.a
Conscientia recta quid sit? 301.a
Conscientia dubia quid sit? 301.a
Conscientia scrupulosa quid? 301.b
Conscientia erronea obligat virtute præcepti diuini. 302.b
Conscientia erronea ex errore culpabili reddit hominem perplexum. 303.b
Conscientia erronea plus obligat quam præceptum prælati. 304.a
¶ Consensus.
Consensus est actus appetitiuæ potentiæ. 244.a
Consensus non propriè reperitur in brutis. 244.b
Consensus in amentibus non est. 245.a
Consensus propriè nō est de fine, sed de his quæ sunt ad finem. 245.a
Consensus & electio differunt. 245.a
Consensus in actum pertinet ad rationem superiorē. 245.b.246.b
Consensus in peccatum mortale semper pertinet ad rationem superiorem, saltem negatiuè seu imputatiuè. 245.b
Consensus in delectationem cogitationis pertinet ad rationem inferiorem. 247.a
consensus in concupiscentijs carnis quando cognoscitur. 681.b
Consensus in opus, & in delectationem, vtrùm ad idem pertineat. 679.a
¶ Consilium.
Consilij significationes. 238.b
Consilium quid sit? 238.b
Consilium non est de fine, sed de his quæ sunt ad finē 239.a
consilium non est de his quæ à nobis aguntur. 239.b
Consilium non est impossibilium. 240.a
Consilium vt in plurimum tantum versatur circa vtilia. 240.a

consilium tantum est de his quæ in dubium veniunt. 240.b
consilium procedit ordine resolutorio. 241.a
consilium neque ex parte principij, neque ex parte finis procedit in infinitum. 242.a
consilium Euangelicum quid? 960.a
consilium Euangelicæ paupertatis. 962.b
consilium obedientiæ vbi, & quomodo proponatur in diuina lege. 964.b
consilia Euangelica de quibus dantur exponitur. 960.b
consilia Euangelica quot. 961.a
consilia virginitatis & continentiæ quibus scripturis data sint. 961.a
consilia perfectioris vitæ an in lege veteri proponerentur. 965.a
constitutiones quæ non obligant ad culpam nõ sunt veræ leges. 874.b.877.b
cõsuetudo vt sit fida legum interpres, quid requirat 888.b
consuetudo quando incipiat vim legis habere. 889.a
consuetudo quando vim legis obtineat declaratur. 889.b
consuetudo quid? 889.b
consulere peccatum est intrinsecè malum. 242.b
consulere peccatum pertinet ad speciem scandali. ibidem.
consulere minus malum ad cauendum maius licitum est. 243.a.b.& sequentibus.
contemnere legem intra limites legis leuis, & non magni momenti peccatum veniale solum est. 874.a
continuatio actuum in certo tempore ad salutem necessaria periculosè asseritur. 136.b
contingentia quare ponatur in voluntate. 524.b
contractus ex metu celebratus inualidatur. 141.a
contrarietas dupliciter potest contingere. 358.a
contrarietas in mutationibus dupliciter contingit. 446.b
contraria quæ simul esse repugnant. 136.a
contraria in gradibus summis esse nequeunt in eodẽ subiecto per se, bene autem per accidens. 358.b
conuersio ad bonum commutabile est de essentia peccati commissionis. 641.b
conuertere se in Deum an teneatur homo cum primum peruenit ad vsum rationis. 810.a
cooperari peccato alterius an liceat. 844.a.& sequentibus.
cor durum quid sit? 726.b
corpora beatorum quomodo dicuntur impassibilia. 57.b
corpora cœlestia dupliciter mouent voluntatem ex parte obiecti. 182.a
corpora non possunt agere secundum propriam virtutem in spiritum. 182.b.183.a
corpora cœlestia non causant necessario quemlibet motum, etiam corporeum in his inferioribus. 189.a
corpus potest agere in spiritum, & quomodo. 54.b
corporalis potentia non potest elcuari extra latitudinem sui obiecti. ibidem
credere est actus à voluntate dependens. 974.b
credere vniuersam fidem christi assensu christiano nemo potest absq; auxilio gratiæ diuinæ & contrarium, est error Pelagij. 974.b
credere tenemur plura explicitè in noua lege, quam tenerentur antiqui. 959.a
credere quid teneatur homo dum iustificatur. 1088.b
credere certo & infallibiliter se consecuturum salutem, Lutheranorum est; sperare autem se illam certò adepturum, catholicorum. 1063.a.b
cupidinis & Anterotis fabula explicatur. 389.b
cupiditas quid sit? 408.b
cupiditates hominum variæ & diuersæ referuntur. 411.a
cupiditas duplici ex causa est radix omnium malorum. 758.a
cupido quare Deus amoris nuncupetur. 365.b

D.

DAmnati in inferno volunt beatitudinem. 122.a
Damnati quomodo desiderant non esse. 405.b
Dans operam rei illicitæ an excusetur ab aliqua circunstantia mala ignorata. 700.b
Decalogus quid sit? 909.a
Decalogi præcepta. ibidem
In decalogo quomodo sint 10. verba cum sint plura quam 50. declaratur. 909.b
Decimarum solutio quid in veteri lege significabat. 937.a
Decimæ non sunt de iure diuino in noua lege, vt cano nistæ existimant. 938.a
Defectus à regula duplex. 638.a
Deformitas quæ nam sit essentialior peccato, positiua, an priuatiua. 641.b
Deformitas quæ est in peccato ex actu peccati non necessario sequitur. 724.b.722.a.b
Deformitatis quæ est in peccato Deus non est causa, licet sit causa actus peccati. 722.b

¶ Delectatio.

Delectatio quid sit? 81.a.415.a
Delectatio non per se appetitur. 62.a
Delectatio operationem consequitur. 62.a.420.b
Delectabile bonum ex diuersitate tractus causat diuersas passiones. 353.b
Delectatio & voluptas quomodo per se expetibiles. 64.b.65.a
Delectatio est instituta à natura propter operationẽ 86.b
Delectatio terminat appetitum brutorum, & actum appe-

appetitus ſenſitiui. 87.a
Delectatio correſpondet charitati. 88.a
Delectatio requiritur ad beatitudinem. 81.a.b
Delectatio & gaudium in voluntate idem ſunt. 81.a
Delectatio eſt beatitudini naturalis & propria paſſio. 82.a.b
Delectatio & voluptas in genere naturæ eſt propter ſe expetibilis. 86.a
Delectatio & fruitio beatorum poſt corporum reſurrectionem erit intenſior. 103.a
Delectatio paßio eſt. 411.b
Delectatio per ſe non fit in tempore bene tamen per accidens. 411.b
Delectatio differt à gaudio. 412.a
Delectatio aliqua eſt in appetitu ſenſitiuo. 412.b
Delectatio poteſt eſſe delectationi contraria. 414.b
Delectatio voluntatis cauſatur à voluntate. 417.a
Delectatio propriè non eſt velle. 417.a
Delectatio & triſtitia eſt à voluntate vt natura. 417.a
Delectatio & triſtitia voluntatis propriè loquendo non ſunt paßiones. 417.b
Delectatio ſenſus eſt malorum eſca. 418.b
Delectatio dilatat cor. 424.b
Delectatio perficit operationem. 426.a
Delectatio ſpiritualis perfecta non generat faſtidiũ 427.a.b
Delectatio, & bona, & mala eſſe poteſt. 428.b
Delectatio aliqua poteſt dici optimum inter bona humana. 429.b
Delectatio voluntatis eſt regula boni & mali moralis. 429.b
Delectatio & triſtitia reſpectu eiuſdem opponuntur non autem reſpectu diuerſorum. 434.b
Delectatio & triſtitia quomodo ſimul in anima Chriſti compatiebantur. 435.a
Delectatio de malo obiecto ſine aduertentia peccatũ non eſt. 674.b
Delectatio quando cum aduertentia, & quæ aduertẽtia ad peccatum ſufficiat. 675.a. & ſequentibus.
Delectatio de actu futuro coniugij in illo qui ſperat ſe habiturum vxorem, an ſit peccatum. 680.b
Delectatio in opere conditionaliter. v.g. ſi eſſet vxor an ſit peccatum mortale. 681.a
Delectatio de tactibus & aſpectibus quando ſit peccatum. 681.a
Delectatio in opere, & in modo operandi differt maximè. 681.a
Delectationis corporalis præſtantia circa quid attenditur. 413.b
Delectationis conditiones. 416.a
Delectationis ſubiectum eſt appetitus. 416.b
Delectationis appetitus ſenſitiui & rationalis diſcrimen. 417.b
Delectationis cauſa eſt motus. 420.b
Delectationis cauſæ ſunt ſpes & memoria. 421.a
Delectationis cauſa per accidens poteſt eſſe triſtitia. 421.b
Delectationis cauſæ ſunt actiones aliorum. 421.b
Delectationis cauſa eſt ſimilitudo. 422.a
Delectationis cauſa eſt admiratio. 422.a
Delectationis perfectæ finis & origo Deus eſt. 423.a
Delectationis appetitus fortior eſt quam fugæ triſtitiæ. 432.b
Delectationes intelligibiles ſunt maiores ſenſibilibus 412.b.418.a
Delectationes corporales quoad nos ſunt magis vehementes quam ſpirituales. 413.a.418.b
Delectationes naturales & non naturales penes quid attenduntur. 414.a
Delectationes ſpirituales contrarium producunt effectum atq; ſenſuales. 425.a
Delectationes corporeæ cauſant ſitim & deſideriũ. 425.a
Delectationes corporales impediunt vſum rationis. 425.b
Dæmon induit fraudulenter multorum perſonam. 351.b
Dæmonis impulſus triplex. 351.a
Dæmones in aſſumptis corporibus cum mulieribus coire poſſunt. 643.b
Dæmones quare non poßint bene operari. 764.b
Dæmones habent remorſum conſcientiæ. ibidem
Dæmonum credulitas. 977.b
Quod deſiderare licet, licet ſubinde procurare. 678.a
Deſiderium naturale diuiditur ab Scoto, & Magiſtro Soto. 76.b
Deſiderium efficax videndi Deum ex viribus naturæ eſſe non poteſt etiam ſi ex parte intellectus cognitio præcedat ſupernaturalis. 76.a
Deſiderium non eſſendi quomodo intelligatur. 405.b.5.a
Deſiderium in vita beata quomodo ſaturetur. 102.b

¶ Deus.

Deus neq; interiori, neq; exteriori ſenſu percipi poteſt. 53.b
Deus ſe ſolo intellectionem in nobis producere non poteſt. 51.b
Quicquid Deus poteſt cum cauſa ſecunda, poteſt ſe ſolo, quomodo intelligatur. 51.b
Deus operatur propter finem. 14.a
Deus eſt qui ſummè diligitur à beatis amore amicitiæ & concupiſcentiæ. 40.a
Deus propriè nulli debet. 1014.a. & ſequentibus.
Deus neminem deſerit niſi prius deſeratur. 1026.a
Deus attẽperat ſe creaturis in modo cauſandi. 84.b
Deus quomodo beatorum voluntates neceßitat ad amorem & delectationem. 84.b
Deus concurrit cum cauſis ſecundis ad modum earũ cum cauſis neceſſarijs neceſſario, cum liberis libere. 206.a.b
Deus ſolus mouet noſtram voluntatem quantum ad exerci-

exercitium tanquam agens extrinsecum. 191.a 192.a.b
Deus amat omnia & amore amicitiæ, & amore concupiscentiæ eminenter. 377.b
Deus clare cognitus non potest odio haberi. 404.a
Deus non potest esse immediatum timoris obiectum. 454.a
Deus quomodo possit immediatè odio haberi. 454.a
Deus est finis creaturæ rationalis dupliciter. 639.a
Deus an sit causa peccati. 718.a.& sequen. 720.a
Deus principale agens cuius virtute cætera operantur. 720.b
Dei causalitas omnes syderos aspectus & naturæ ordinem superat. 185.a
Deo coniungimur duobus modis. 48.a
In Deo sunt aliqua formaliter, aliqua eminēter. 110.a
Quod contrariatur Deo vt est finis naturalis, cōtrariatur etiam vt est finis supernaturalis non èdiuerso. 639.a.b
Deum videntes impossibile est peccare posse. 93.a.b
Deum clare visum esse finem nostrum naturalem probabiliter asseritur. 78.b
Deum clare visum esse finem supernaturalem probabilius asseritur. 77.a.b
Deum non prohibere opera intrinsecè mala implicat contradictionem. 267.a
Deum citra condignum punire quomodo intelligatur. 406.b
Deum non posse peccare, scriptura docet. 719.a.& ratio naturalis. ibidem.b
Diabolus calumniator seu accusator dicitur. 728.b
Diabolus quare Sathanas vocatur. ibidem.
Diabolus libere tentat & inducit ad malum. 729.a
& quomodo tentet. 730.a.731.a
Diabolus ad peccandum necessitare nō potest. 730.b

¶ Dilectio Dei.

Qui diligit Deum vt obiectum naturale super omnia ex naturæ viribus, nō subinde potest eū diligere vt obiectū supernaturale eisdē viribus. 990.a
Diligere Deum explicite vt est finis vniuersi & naturæ non semper tenetur homo. 810.b
Diligere Deum super omnia an possit homo per sua naturalia absq; auxilio gratiæ. 987.b & sequen.
Diligere Deum super omnia aliquomodo potest homo in puris naturalibus constitutus. 993.a. non tamen perfectè; ibidem. idem asseritur de homine in peccato originali. ibidem
Diligere Deum super omnia etiam dilectione naturali absolutè & simpliciter nequit homo in natura lapsa viribus naturæ. 993.b
Dilectio proximi quomodo sit intelligenda. 377.a
Dilectio maior duplex, intensiuè & appretiatiuè. 24.a
Dilectio Dei super omnia duplex. 988.b.991.a
Dilectio Dei super omnia continet in se obseruantiā omnium mandatorum. 991.a.b. & sequentibus.
Dilectionis Dei super omnia distinctionem in naturalem & supernaturalem impugnantes grauissimè conuincuntur. 990.a.b
Dilectionis Dei præceptum potest homo etiam in peccato mortali existens ex parte implere sine gratia speciali. 992.a
Dilectionis supernaturalis præceptum nequit homo implere etiam in natura integra viribus naturæ, etiam quantum ad substantiam actus. 992.b
Dilectio qua Deus diligit res differt ab ea qua creatura eas diligit. 1033.a

¶ Dispensare.

Dispensare quid. 912.b
Dispensatio in voto qua ratione fit à Papa, an dispensando in iure naturali, humano, vel diuino. 913.b
Ad dispensationem legitimam quid requiritur. 890.b
Ad dispensationem causa necessaria est. 891.a.b

¶ Dispositio.

Dispositio ad gratiam an requiratur in iustificatione ex parte hominis. 1052.a
Dispositio ad gratiam alia proxima, alia remota. 1054.b
Dispositionem vltimam causans quomodo causare intelligatur formam. 1050.b
Dispositio vltima ad gratiam est simul cū ipsa gratia. 1006.a.b
Dispositio vltima ad gratiam non habetur ex facultate naturæ, & contrarium est Pelagianū. 1009.b
Dispositio ad gratiam nō potest esse opus moraliter bonum, nec quod fit ex facultate naturæ vt meritum de congruo primæ gratiæ, licet sit quædam remota dispositio. 1010.b
Dispositio nonnullam congruentiam ad iustificationem tribuit. 1012.b
Dispositio sufficiens ad gratiam quæ sit. 1013.a

¶ Diuitiæ.

Diuites difficile saluantur. 34.b
Diuitiæ, noxiæ, & periculosæ ad vitam rectè instituendam. 34.b
Diuitiarum diuisio. 31.a
Diuitiarum desiderium infinitum. 35.a
Diuitiarum studium difficilè compatitur acquisitionem regni cœlestis. 33.b.34.a
Diuitiarū copia omnium vitiorum fomentum. 35.a
Diuitiæ bonæ sunt si adsit optimus illarum vsus. 36.a
Diuitijs acquirēdis & virtutib° intēdere difficile. 35.a
Dolor ad appetitum pertinet. estq; eius passio. 431.a
Dolor exterior maior est quam interior. 433.a
Dolor alius est appetitus sensitiui, alius intellectiui & vtriusq; discrimen. 434.b
Dolor latius patet quam tristitia. 431.b
Dolor magnus facultatem aufert ad discendū. 439.a
Dolor quibus mitigatur remedijs. 441.a
Doloris definitio. 434.a
Doloris causa magis est malum coniunctum quam bonum amissum. 436.b
Dominica dies loco Sabbathi successit. 926.b.& quæ ibi.

Dominium à poſſeſſione rei diſtinguitur. 880.a

¶ Donum.

Donum ſanans naturam quare naturale appelletur. 968.a 997.b
Per donum Spiritus ſancti, & non per virtutes Deus mouet hominem, exponitur. 611.b
Dona à virtutibus diſtinguuntur. 509.b
Dona à virtutibus, vtrùm diſtinguantur diſſeritur. 608.b.& quomodo 609.b.& ſequen. 612.b
Dona perficiunt hominem vt eſt natus moueri à Deo 610.b
Dona ſunt principia impulſiua ad bonum modo ſupra humano. 612.b
Per dona Spiritus ſancti potius agitur homo quam agat. 613.a
Dona Spiritus ſancti ſeptẽ & quare. 613.a.& ſeq.
Dona hominibus ad ſalutem neceſſaria. 613.b
Dona in vita beata manent. 614.b.& ad quid. ibidem.
Donum perſeuerantiæ multiplex. 1026.a
Donum perſeuerantiæ ad ſalutem neceſſarium. ibidem.
Donum perſeuerantiæ non cadit ſub merito. 1126. 1127.a.b
Donum perſeuerantiæ eſt maximum donum. ibidem

¶ Dubium.

Dubium duplex, ſpeculatiuum & practicum. 304.b
Dubium ſpeculatiuum non obligat in conſcientia. 304.b
Dubia in foro conſcientiæ quomodo ſunt examinanda & diſcutienda. 305.b.& ſequentibus.
In dubijs tutior pars eſt eligenda. 305.a.b
Dubius de aſſenſu aliquo, dubitat ſubinde de eius obiecto. 1066.a
Duliæ & latriæ nomina optimè inuenta, & quid ſignificent. 904.b

E.

Ecſtaſis quid ſignificet. 391.a
Ecſtaſis ad vim apprehenſiuam & appetitiuam pertinet. 391.b
Ecſtaſis & raptus diſtinguuntur. 392.b
Ecſtaſis in Deo qualiter reperitur. 393.a
Ecſtaſim aliquando patiebantur Prophetæ. 393.b
Ecſtaſis effectus quis ſit. 393.b
Nullus eſt effectus fortuitus comparatione ad primã cauſam. 11.b
Effectus ex corporibus cœleſtibus varij ſunt & multiplices. 184.b
Effectus formalis extrinſecus bene poteſt ſeparari à forma. 1040.a
Ægroto dum anima eſt, ſpes eſt. 449.b

¶ Electio.

Electio importat aliquid pertinens ad intellectum & aliquid ad voluntatem. 224.b.225.a.b
In electione quod pertinet ad intellectum eſt veluti formale, quod verò pertinet ad voluntatẽ eſt quaſi materiale. 224.b
Electio ſubſtantialiter eſt actus voluntatis. 225.a
Electio quid. 225.a.b
Electio non conuenit brutis. 226.b.227.b
Electio non eſt finis vt ſic, ſed ſemper eſt eorum quæ ſunt ad finem. 229.a
Electio tantum eſt eorum quæ per nos aguntur. 229.b
Electio & voluntas in tribus diſtinguuntur. 230.a
Electio tantum eſt poſsibilium. 230.b 232.a
Electio procedens ex ignorantia poteſt eſſe impoſsibilium. 231.b
Electio libera eſt non neceſſaria. 232.b.& ſequentibus.
Electio medij neceſſarij libera eſt & meritoria. 236.a
Electio ſemper eſt de meliori bono propoſito per intellectum. 237.b
Electio voluntatis mala qualiter ex errore procedat. 706.a
Ens per participationem reducitur ad ens per eſſentiam. 73.a.b
Ens quomodo eſt prædicatum eſſentiale omnium rerum. 73.b
Epicuri ſententia de beatitudine. 38.b
Epichiæ diſputatio. 886.a.b
Epiſcopus tenetur ſcire mores ſubditorum ſuorum. 690.a
Epiſcopus diſpenſare valet in impedimento ſuperueniẽte matrimonio. 891.a.& in lege ieiunij ibidẽ
Æſchyli poëtæ mors ex ruina domus prædicta qualiter contigerit. 148.a.190.a.b
Eſſentia rei quæ dicatur. 63.a
Eſſentiam diuinam vidit Paulus & Moyſes ſecundũ opinionem D. Thom. 896.a
Eſſentialia omnia non oportet quod ſint priora perſonalibus in diuinis. 846.a
Eſſentiæ rerum ſunt ſicut numeri. 502.b
Eſſentiæ rerum à Deo immutari non poſſunt. 850.a
Æſtimatiua in homine poteſt concipere timorem & amorem erga Deum ſuppoſita intellectus cognitione circa ipſum Deum. 54.a
Ex tali iudicio æſtimatiuæ aliquando habet ortum dolor ſenſibilis imo & lachrymæ. 54.a
Æternum quid multoties ſignificet in ſacris literis. 926.b.949.b
Eua ſtatim atque peccauit non amiſit ex omni parte iuſtitiam originalem: & ſi amiſit fait vt perſonalis iuſtitia erat. 743.a
Euangelium Ioannis vel Matthæi ſcriptum aſſerere improprie eſſe Euangelium, temerarium eſt. 944.b
Euangelij promulgatio duplex. 934.a
Eubulia, ſyneſis & Gnome adiunguntur prudentiæ. 536.b

Euentus sequens quando addat ad bonitatem vel malitiam voluntatis. 334.a.b
Euentus præuisus addit ad bonitatem vel malitiam voluntatis. 335.a
Euidentia in attestante non repugnat fidei. 603.b. 604.a
Excæcare, indurare, decipere, quid importet respectu diuinæ actionis. 723.a.& copiosius. 726.a.& seq.
Excæcationis & indurationis causa meritoria an sit peccatum præcedens. 727.a
Excommunicatio lata in canone etiam à Summo Pontifice si illi non sit nominatim reseruata absolui potest ab Episcopo. 890.b
Experientia & ebrietas est causa spei. 446.b. 447.b

F.

FAbri Stapulensis ignorantia. 92.a
Fabula pulchra circa amantium vnionem. 387.a
Quod facit Deus cum causa secunda potest facere se solo, quam explicationem habeat. 721.b
Facienti quod in se est Deum non negare gratiã quomodo intelligatur. 812.a.1013.b
Facienti quod in se est ex facultate naturæ non infallibiliter datur gratia. 1013.b.& quid de hoc sentiat Aug. 1014.a
Felicitas variè à diuersis explicatur. 30.b
Felicitas hominis constituti in puris naturalibus inuestigatur. 985.a
Feruor charitatis duplex, & quomodo à peccato veniali impediatur. 804.a

¶ Fides.

Fides humana triplex. 1061.a
Fides infusa & adquisita in quo differant. 562.b
Fides an tribuat non solum credendi facultatem, verum etiam rectum vsum. 520.b.& sequentibus.
Fidei proprietas est certificare intellectum de mysterijs fidei, secus est de gratia. 1056.b
Fidei & gratiæ discrimen quantum ad certitudinem. 350.b.1056.b
Fidelis, quicunque certo & infallibiliter cognoscit se habere fidem supernaturalem. 349.b.1065.& sequentibus.
Fide certissima & infallibili nemo potest assentiri omnibus ab Ecclesia propositis nisi ab Spiritu sancto moueatur. 974.b
Fides & spes Christianæ sunt virtutes. 564.b
Fidem esse perfectiorem spe probabiliter asseritur. 566.b
Fides à charitate distinguitur. 564.b
Fides infundi potest absq; charitate. 978.a
Fides & spes possunt esse sine charitate. 591.b
Fides sicut potest esse sine charitate ita potest esse sine spe. 593.a
Sine fide non potest reperiri aliqua virtus. ibidem.
Fides quas dispositiones in nobis ponat. 603.a
Fides quare non sit in beatis. 600.b
Fidei actus an possit esse in beatis? 602.a.& sequentibus.
Fides quantum ad habitum an maneat cum visione clara Dei. 604.a.& sequentibus.
Fides, qualiter mansit in Paulo, si vidit diuinam essentiam. 605.a
Fidei non aduersatur notitia euidens memoratiua quando non est per propriam speciem. 605.a
Fides in lege naturæ necessaria. 900.b
Fidei præceptum etiam in veteri lege non præcipuè ad Mosaicam legem sed ad Euangelicam pertinet. 906.a
Fides ad iustificationem necessaria. 1088.b
Fidem mereri iustificationem quomodo exponatur. 1012.a.b
Fides an sola sufficiat ad iustificationem. 1088.b
Fidem solam iustificare quos sensus catholicos admittat. 1092.b
Fidei quare adscribatur iustificatio in scriptura, cum potissimum locum sortiatur charitas. 1092.b
Filius ex dæmonis concubitu ortus, non dæmonis sed illius hominis cuius semen fuit acceptum filius est 643.b
Filij vt inobedientes parentibus dicantur quid requiratur. 815.b

¶ Finis.

Finis nomen vnde deriuetur. 1.b
Finis est cuius gratia aliquid fit. ibidem
Finis & bonum sunt idem. ibidem
Finis & bonorum multæ differentiæ. 2.a
Finis & bonum est obiectum voluntatis. 6.a
Finis causalitas potissima est mouere agẽtem ad operandum. 7.a.18.a.& sequentibus. 175.a
Finis an habeat aliam causalitatem præter eam quæ est in genere causæ finalis. 8.b
Finis vtrùm moueat secundum esse reale, an potius secundum esse cognitum. 7.a
Esse in intentione non est tantum conditio requisita vt finis moueat. 8.a
Finis quomodo semper sit posterior in exequutione. 9.a 17.b
Finis duplex habet officium. 154.b
Finis duplex, naturalis & supernaturalis. 78.a
Finis virtutis & peccati duplex. 23.b
Finis duplex, operis & operantis. 17.b
Finis cuiusq; rei est propria eius operatio. 48.b
Finis habet rationem circunstantiæ etiam respectu actus interioris. 272.a.b
Finis confert tantum speciem accidentalem actibus humanis. 273.a.b
Finis est obiectum cuiuscunq; actus interioris voluntatis. 276.a
Finis à ratione deliberata intentus pertinet ad bonũ alicuius virtutis. 287.b
Finis vltimus necessario est constituendus. 19.a

Propter finem vltimum omnia operantur homines. 28.a
Ad finem vltimum duo sunt necessaria. 64.b
Finis vltimus omnium quid. 2.a.26.b.27.b
Finis vltimus & formaliter, & materialiter considerari potest. 19.b
Finis vltimus duplex. 2.a.21.b
Finis vltimus sub consultatione non cadit, bene tamē alij fines particulares. 126.b
Finis vltimus vnius hominis multiplex esse non potest. 21.a.b
Finis vltimus particularis verus est quem sibi homines studiosi præstituunt. 30.b
Finis omnium rerum Deus est. 31.b
Finis vltimus peccantis mortaliter est ipse peccans. 22.a
Finis particularis qui est Deus, includitur in omnibus actibus voluntatis tanquam id propter quod operatur. 29.a.b
In finibus est impoßibilis processus in infinitum siue secundum intentionis ordinem, siue exequutionis. 18.a
Finis essentialiter ordinati qui? 18.b
Finito quocunq; posse Deum maius efficere, quomodo intelligatur. 46.a
Fomes non tollitur in hac vita. 671.b
Fomitis motus beatißima virgo compescebat. 672.a
Fomes ante incarnationem fuit ligatus, postea vero totaliter ablatus in beata virgine. 673.b
Forma vt de potentia materiæ educatur quid requiratur. 570.a
Fornicatio quare est intrinsecè mala. 335.b
Fortitudo & temperantia acquisitæ sunt in appetitu sensitiuo. 523.a
Fortitudo & temperantia infusæ in appetitu sensitiuo sedem habent. 574.a
Fortitudo excellentior temperantia. 654.b
Fortitudo an sit iustitia præstantior. 598.a

¶ Fortuna.

Fortunam esse in rerum natura certum est. 178.b
Fortuna quid sit. ibidem
Fortuna secundum rem non distinguitur à natura, nec ab intellectu. ibidem.
Fortuna non est causa totalis sui effectus. 178.b 179.a
Fortuna non est respectu Dei. 179.a
Fortuna quomodo sit intelligenda. 179.a
Forte, fortaßis in sacris literis interdum ponuntur in rebus certißimis. 179.a
Fortunæ figura & conditiones explicantur. 179.a
Fortunæ opus. 180.a
Fortunæ bonæ vel malæ causa. 180.a.b
Fortunatus quis dicatur. 180.a
Fraus legis quid? 871.a
Fructus nomen quid designet. 619.b
Fructuū numerus à Paulo ad Gal. 5. assignatur. 620.

¶ Fruitio.

Fruitionis significatio. 212.a
Fruitio est actus voluntatis. 211.a.212.b
Fruitio non est amor rei præsentis sed delectatio. 212.b
Fruitio propriè & perfectè solum conuenit naturæ intellectuali, brutis vero imperfectè. 213.b
Fruitio propriè tantum est vltimi finis. 214.a
Fruitio in patria respicit Deum tanquam proprium obiectum non visionem Dei. 214.b.& sequentibus.
Fruitio perfecta est finis habiti in re: imperfecta vero est finis habiti in spe. 215.b.216.a
Fruitio imperfecta poterit esse in via vnius personæ & non alterius, & essentiæ diuinæ & non personarum. 217.a
Frui perfectè in patria vna persona absque alia, & essentia absque personis est prorsus impoßibile. 217.a
Fruitio Dei in via & in beata vita sunt eiusdem rationis. 219.a.& sequentibus.
Futura contingentia soli Deo sunt manifesta. 186.b

G.

Gaudium differt à delectatione. 412.a
Genus dupliciter comparatur ad speciē. 280.a
Gloria quid. 36.b
Gloriæ nomen virtutem & vitium sonare potest. 37.a
Gloriæ nomen varias habet significationes in sacris literis. 37.a
Gnomi quomodo rationem virtutis habeat. 537.a

¶ Gratia.

Gratiæ disputatio difficilis. 96.b
Gratia nomen quot modis vsurpetur. ibidem.
Gratiæ tractatus in quinque diuiditur partes. 969.a
An absq; gratia possit homo cognoscere veritates morales. 969.b
Gratia speciali destitutus in natura lapsa nequit certā habere cognitionē de eo quod est faciēdū in omni re ad veritates morales pertinente. 971.a
An absq; gratia possit homo assentiri doctrinæ fidei aut veritatibus supernaturalibus. 973.b
Gratia est necessaria ad credendum ex parte intellectus, & etiam ex parte voluntatis. 975.b.& sequentibus.
Gratia speciali destitutus homo potest ne aliquid bonum operari? 979.a.& sequentibus.
Absq; gratia an possit homo Deum diligere super omnia per sua naturalia. 987.b.& sequentibus.
Sine gratia nemo potest diligere Deum super omnia charitate infusa. 991.b
Gratia iustificans non plenè sanat naturam. 999.b
Sine gratia sanante naturam nemo potest implere omnia

omnia præcepta legis naturalis quantum ad ſubſtantiam operis viribus proprijs. 998.b
Sine gratia poteſt homo vnum aut alterum præceptũ ſeruare, non tamen omnia collectiue, neq; ea quæ nimis ardua ſunt. 974.b.1000.b
Gratia eſt neceſſaria ad implenda aliqua præcepta etiam quantum ad ſubſtantiam operis. 1003.a
Gratia neceſſaria eſt ad implendum quodlibet præceptum meritoriè. 1003.b
In gratia exiſtens an poſſit implere totam legem ſine alio ſpeciali auxilio. 999.a.b
Gratia habitualis non eſt ſimpliciter ſufficiès ad perſeuerandum. 1025.b
Gratia ad ſingulos actus meritorios neceſſaria. 1022.b
Gratia eſt initium cuiuſq; motus tendentis ad iuſtificationem. 982.b
Ad gratiam præparatio ac diſpoſitio multiplex. 1009.a.b
Ad gratiam præparatio tantum abeſt vt ſit peccatũ vt dixit Lutherus, quin etiam ſit neceſſaria ad iuſtificationem. 1006.a
Ad gratiam an poſſit ſe homo præparare taliter, vt illa præparatio ſit meritum de condigno tam gratiæ quam gloriæ. 1007.a.& ſequentibus.
Ad gratiam an poſſit ſe homo taliter præparare prop rijs viribus, vt illa præparatio ſit meritum de cõgruo primæ gratiæ. 1008.b
Sine gratia poſſet ne homo vitare peccata contra legem ſupernaturalem in ſtatu naturæ integræ. 1017.a
Sine gratia an poſſit homo vitare omnia peccata in ſtatu naturæ lapſæ. 1017.b
Gratiam eſſe habitum non eſt de fide. 1034.b
Gratia non creatur ſed educitur de potentia obediẽtiali animæ. 1049.b
Gratia an ſuapte natura reddat hominem gratum. 1039.b
Gratia non ſolum efficit hominem gratum, ſed etiam auxilium confert ad operandum. 1014.a
Gratia & charitas differunt. 480.a.1033.a. 1036.a
Gratia & charitas ſunt qualitates diuinitus infuſæ, & contrarium eſt temerarium. 1033.b.& ſequentibus.
Gratia & charitas diuerſimode dicuntur forma virtutum. 1037.b
Gratia, charitate præſtantior. 1038.a
Gratia eſt in eſſentia animæ. 1038.b.& ſequentibus.
Gratiæ definitio exponitur. 1039.a
Gratia an rectè diuidatur, in gratum facientẽ & gratis datam? 1040.b
Gratia gratis data dupliciter ſumitur. 1041.a
Gratia gratum faciens eſt præſtantior gratia gratis data creata. 1048.a
Gratia increata quid? 1041.a
De gratia gratum faciente an ſit præceptum diuinæ legis. 1004.a
Gratia operans & cooperans quid? 1043.b
Gratia operans & cooperans quem locum ſortiantur in iuſtificatione. 1044.a
Gratia operans & cooperans poteſt eſſe idem opus diuerſa tamen ratione. 1045.b
Gratia operans & cooperans idem ſunt ſecundum rem quod gratia præueniens & ſubſequens, differunt tamen ratione. 1047.a
Solus Deus eſt cauſa principalis gratiæ. 1048.a
Quomodo Chriſtus Dominus ſit cauſa gratiæ. 576.b 1048.b
Cauſæ inſtrumentariæ gratiæ. 1049.b
Homo an cauſet ſuam gratiam cum ſe ad illam diſpo nit. 1049.b.1087.a
Quod gratiæ & virtutes producuntur & augentur efficienter actibus noſtris ex diuino auxilio proueuientibus error non eſt. 575.b
Gratia iuſtificans varijs modis à Chriſto venit. 945.a
Gratia & charitas tempore Euangelij vberius infunduntur. 945.b
Gratia & charitas ſunt per ſe fructus legis Euangelicæ. 946.b
Gratiam habentes in veteri lege propter hoc ad nouũ teſtamentum pertinent. 940.b.952.b
Gratiam in vno eſſe maiorem quam in alio fides eſt catholica. 1015.b
De certitudine gratiæ diſputatio. 1057.a & ſequen.
Gubernandi triplex ratio, Regia, optimatum, & reipublicæ. 928.b

H.

¶ Habitus quid.

Habitus multis modis dicitur. 471.a.b
Habitus definitiones. 471.a.& ſequentibus.
Habitus & potentiæ diſcrimen. ibidem.b
Habitus eſt determinata ſpecies qualitatis. 470.b. & ſequentibus.
Habitus importat ordinem ad actum. 473.
Habitus non ſemper ordinatur ad actum. 480.a. b.& ſequentibus.
Habitus iuuat & perficit operationẽ in ratione principij effectiui. 475.a.b
Habitus & potentia quomodo ad eundem actum concurrunt. ibidem.b
Habitus eſt neceſſario conſtituendus & quare? 476. b.& ſequentibus.
Habitus præſtat facilitatem ad operandum. 477.b

¶ Habitus ſubiectum.

Habitus operatiuus non eſt proprie in corpore, neq; in membris exterioribus. 479.a.b
Habitus quidam ſunt in corpore per ordinẽ ad animam, quidam in eſſentia animæ, alij vero in potentijs animæ. 480.a
Habitus ſunt in potẽtia ſenſitiua quatenus ſubditur

imperio rationis ibidem. b. & sequentibus.
Habitus forsan in sensibus exterioribus constituũtur. 482.a
Habitus virtutum in appetitu sensitiuo collocantur. 481.b
Habitus est in intellectu possibili, non autem in agente. 482.b. & sequentibus.
Habitus est in voluntate. 483.b
Voluntas non indiget habitu ad amandum bonum in communi, nec ad finem vltimum. 483.b. 488.a
Habitus adquisiti virtutum moralium an sint in angelis. 484.b
Habitus & affectus qui sunt in voluntate augent voluntarium. 145.a
Habitus praui existentes in voluntate non diminuũt liberum. 145.b
¶ Habituum causa.
Habitus quidam sunt naturales. 485.a. & sequent.
Habitus primorum principiorum necessario est constituendus. 486.a
Habitus primorum principiorum quid sit, & quid includat, & quomodo sit naturalis. 487.a.b. 501.a
Habitus primorum principiorum non vera virtus, sed inchoatio virtutis est. 568.a
Habitus primorum principiorum consummatur per aliquid adquisitum scilicet per species. 570.b
Habitus primorum principiorum in vno perfectiores sunt quam in altero. 762.a
Habitus non producitur ex actibus indeliberatis, & primo primis. 481.a
Habitus effectiuè ex actibus causatur. 488.a.b
Habitus nonnunquam requirit ad sui productionem vnum actum nonnunquam vero plures. 489.a.b
Habitus an per omissionem generetur. 628.b
Habitus malus à solo Deo produci non potest. 361.b
Habitus à Deo infusi duplices, & per se, & per accidens. 490.b
Habitus infusos licet non sit hæresis manifesta negare, est tamen temerarium & errori proximum 491.a.b. & sequentibus.
Habitus non generatur ex actibus virtutum infusarum. 493.a.b
Habitus virtutum infusarum negare temerariũ est. 492.a.b
¶ Habituum augmentum.
Habitus augentur & secundum se & secundum participationem subiecti. 494.b. & sequentibus.
Habitus scientiæ intensiuè, & extensiuè augetur. 496.b
Habitus infusi augentur in nobis non efficienter, sed meritorie. 497.a
Habitus augetur ex actibus perfectioribus habitu. 497.b. & sequentibus.
Habitus ex actibus remissis non augetur sed potius disponitur ad corruptionem. 498.a.b
¶ Habituum corruptio & diminutio.
Habituum corruptio pluribus modis cõtingit. 499.b. & sequentibus.
Habitus per se corrumpitur ab actu contrario. 500.b
Habitus contrarij possunt esse simul in eodem subiecto in gradu remisso. ibidem
Habitus oppositi expellunt se formaliter. ibidem
Habitus intensus potest corrumpi actu remisso contrario. ibidem
Habit⁹ primorũ principiorũ est incorruptibilis. 501.a
Habitus dupliciter diminui possunt. ibidem
Habitus per solam cessationem ab opere corrũpi possunt aut diminui. 502.b. & sequentibus.
Habitus naturales & charitatis diminui non possunt 502.a
Habitus infusi prorsus per peccatum tolluntur, fide & spe exceptis. 763.a
Habitus charitatis an maneat in patria. 606.b
¶ Habituum distinctio.
Habitus quomodo possunt in eodem subiecto multiplicari. 504.a. & sequentibus.
Habituum diuisio multiplex. ibidem
Habituum distinctio triplex. 505.a
Habitus non potest succesiue esse bonus & malus. 294.a. 513.a
Habitus distinguuntur specie secundum bonum & malum. 505.b
Habitus infusi & acquisiti specie distinguuntur. ibidem.
Habitus gratiæ & charitatis distinguuntur. 480.a
Habitus morales non distinguuntur ex obiectis in esse naturæ. 275.a
Habitus operatiuus non est composita, sed simplex qualitas. 506.b. & sequentibus.
Habi ibus nec meremur, nec demeremur. 625.a
Habitus studiosus ab intrinseco naturam perficit. secus vitiosus. 762.b
Habitus vitiosus in homine existente in gratia non meretur nomen vitij. 622.b.
Habens habitum an eo necessario vtatur. 714.a
Habituatus male ipse excitat passiones. 715.a
Henrici opinio temeraria circa beatitudinis essentiã. 47.a. & sequentibus.
¶ Hęreticus.
Hæretici scripturas deprauant, & sensus illarum dilacerant. 262.b
Hæreticum non est asserere aliquem ex peculiari priuilegio peccatum originale non contraxisse, vt patet de Beata Virgine. 740.b
Hæreticus mentalis tantum non est excommunicatus. 879.a
Hæreticus ante iudicis sentẽtiam an amittit dominiũ rerum suarum? 880.a
Hæreticus aut paganus non vere credunt, neque sperant,

rant, quare neque adimplent præcepta ista supernaturalia quantum ad substantiã operis, nisi quantum ad præceptum negatiuum, quia scilicet nõ desperant. 1004.a

¶ Homo.

Homicidium propter furtum grauius ne sit quã propter odium. 657.b
Homicidium exercitum ratione actus interioris est peccatum. 324.a
Hominem animal sociabile esse exponitur. 837.a
Hominem esse animal rationale qualiter æternũ sit. 850.a
Hominem habere suorum actuum dominium quid significet. 3.a b
Homo adipisci potest beatitudinem. 106.a
Hominis tres sunt motores. 611.b
Homini est naturale studiose agere. ibidem
Homo interior & exterior quomodo intelligatur. 623.b
Hominẽ facere q̃ in se est, dupliciter cõtingit. 697.a
Hominẽ nõ esse, an sit melius q̃ esse in peccato. 752.b
Hominem esse in Adam secundum seminalem rationem, & esse secundum corpoream substantiam, & esse in lumbis Abrahæ quid. 742.a
Homo miraculose formatus absq; virili semine non haberet iustitiam originalem, nõ tamen esset Deo inuisus. 742.a

¶ Homo in puris naturalibus.

Homo in puris naturalibus, & post lapsum in quo differant? 766.a.b. 967.a
Hominis beatitudo in puris naturalibus constituti qualis futura esset. 4.b. & sequentibus.
Homo in puris naturalis cõditus poterat nè cauere omne peccatum, & seruare naturæ legem, 767.b
Homo in puris naturalibus conditus habet pugnam ex parte appetitus sensitiui. 737.b
Homo in puris naturalibus eosdem naturales defectus pateretur atq; post peccatum. 771.b
Homo in puris naturalibus quæ nam opera valeret præstare. 985.a
Homo in puris naturalibus an aliquod donũ haberet ad euitanda peccata, quod in natura lapsa non haberet. 985.b. 986.a.b

¶ Homo in natura integra.

Homo in natura integra quomodo differat ab homine in puris naturalibus, & in iustitia originali. 967.b
Homo in statu naturæ integræ an poterat per suas vires, præcepta legis implere, quantum ad substãtiam operum? 996.a. & sequentibus.
Homo in statu naturæ lapsæ vel integræ an possit per facultatẽ naturæ seruare præcepta supernaturalia quantum ad substantiam operum. 1001.b
Hominẽ vitare posse omnia peccata per suas vires in natura integra quomodo intelligatur. 1017.b

¶ Homo in natura lapsa.

Homo post lapsũ quomodo vulneratus dicatur. 767.a
Homo in statu naturæ lapsæ quis dicatur. 967.b
Homo in statu naturæ corruptæ an valeat implere oĩa diuina mãdata absq; gratia sanãte naturã. 997.b
Homo per vires naturæ an possit resarcire damnum quod infert peccatũ cõtra ordinẽ naturæ. 1015.b
Homo iustus per se & absq; speciali Dei auxilio potest facere aliquod bonum opus quod extra gratiam efficere non valeret. 1021.b
Homo quilibet dum est in via, potest ad Deum conuerti & saluari. 1028.a
Homo licet habeat auxilium sufficiens quo possit credere, non subinde peccat non credendo, si nunquã audiuit de fide. 1030.b
Humana in specie reperitur malum vt in pluribus, secus in cæteris speciebus. 624.a
Honor quid. 36.a
Honor est in honorante. ibidem.a
Honor non per se expetitur. ibidem.b
Honestum quodlibet vt tale ad legem naturæ spectat. 856.b

I

Acob cognoscens Liam etiam si malam intentionem habuisset non fuisset adulter. 700.b
Idololatra quis dicatur. 905.a
Ieiunij lex dispensabilis est ab episcopo. 891.a

¶ Ignorantia.

Ignorantia triplex, concomitans, consequens, & antecedens. 145.b
Ignorantia concomitans non causat inuoluntarium. 146.a. 147.a.b
Ignorantia consequens est causa voluntarij simpliciter. 146.a
Ignorantia antecedens causat inuoluntarium. 146.a
Ignorãtia cõsequẽs quare rectè sic appelletur. 148.a
Ignorantiæ diuisiones. 148.a.b
Ignorantiæ peccata quomodo discernantur. 148.b
Ignorantia quid. 687.a
Ignorantiæ diuisio. ibidem
Ignorantiæ & nescientiæ differentia. 687.a
Ignorantia vincibilis an sit causa peccati. 688.a
Ignorantia an sit peccatum. 689.a
Ignorantia Euangelij in pagano qui nunquam illud audiuit non est peccatum. 690.a
Ignorantia inuincibilis circa mysteria religionis nostræ esse potest. 695.b. & sequentibus.
Ignorantia inuincibilis potest esse circa præcepta decalogi ad breue tempus. 694.b.
Ignorantia vincibilis per pœnitentiam tollitur, vel fit inuincibilis. 690.b. & sequentibus: an vero per solam pœnitentiam. ibidem.
Ignorantia culpabilis quot modis fiat inculpabilis. 691.a
Ignorare potest existens in gratia articulos fidei, secus de cultu vnius Dei. ibidem.
Ignorantia an sit peccatum ex sua propria ratione an vero ratione negligentiæ. 691.b
Ignorãtia nõ imputatur nisi ratiõe negligẽtiæ. 692.a
Ignorantia virtuti studiositatis opponitur. 692.b

Ignorantia vt sit inuincibilis quid homo teneatur facere 693.a.b.& sequentibus.698.a
Ignorantia concomitans an à peccato excuset. 699.a
Ignorantia circunstantiæ sicut excusat à culpa, sic excusat à pœna. 700.b
Ignorantia inuincibilis potest dari circa omnia præcepta iuris diuini positiui & humani. 697.a
Impeccabilis creatura suapte natura à Deo creari nequit. 683.a

¶ Imperium.

Imperium non est notitia apprehensiua, neq; iudicatiua, sed reducitur ad discursum. 252.b
Imperare non conuenit brutis. 253.a
Imperium sequitur electionem, & præcedit vsum. 253.b
Imperium aliquando præcedit electionem. 254.a
Imperium & actus imperatus quo modo sunt vnus actus. 254.b
Imperium etiam respectu actus voluntatis potest esse. 255.a
Imperium intellectus an moueat efficienter voluntatem. 255.b
Imperium est circa rationis actus. 256.a.& sequentibus.
Imperium est circa actus appetitus sensitiui. 257.a
Imperio rationis subduntur imaginatio & cogitationes. 257.b
Imperium non est circa actus animæ vegetabilis. 258.a
Imperare est actus rationis supposito actu voluntatis. 251.a.252.a

¶ Impulsus.

Impulsus naturæ quo trahitur in suum commodum non est accidens naturæ superadditum, sed ipsa natura. 346.b
Impulsu diuino aliquando ducimur sine præuia consultatione. 177.a.b
Impulsus & motiones diuinæ in rebus gerendis. 180 b. 181.a.b
Impulsus quibus anima nostra interius ab Spiritu sancto mouetur, non possunt à nobis infallibiliter cognosci. 351.a
Impulsus dæmonis triplex. 351.a
Impulsus temere, & sine ratione non sunt reprobandi. 352.a

¶ Inclinatio.

Inclinatio cuiuscunq; creaturæ est bona, neq; inclinat ad malum, neq; rationi aduersatur. 360.b
Inclinatio appetitus sensitiui non est ad malum. 624.a
Inclinatio appetitus non est mala moraliter. 724.a. 746.b
Inclinationes naturales ad peccandum qualiter sint in nobis. 716.a
Inclinatio naturalis ad virtutem an sit in omnibus æqualis. 762.a
Inclinatio naturalis ad virtutem an per bona opera augeatur. 762.a
Inclinatio naturalis ad virtutem per se non minuitur per peccatum, bene tamen ex parte termini, neque potest prorsus tolli per peccatum. 763.b
Indiuiduum vnum immateriale æquiualet multis individuis materialibus. 196.a
Ingenium humanum quamlibet acumine præstans absq; fide, & Dei timore sæpè vanum & perniciosum est. 973.a
Iniustitiæ habitus non causatur à Deo. 724.a
Iniustitia non inclinat ad malum sub ratione mali. 157.b
Innocētes an possint pœna æterna puniri. 791.a.& sequentibus.
Innocentes potest Deus pro alienis peccatis punire id quod iam factum est. 792.a

¶ Intellectus.

Intellectus præstantior potentia quam voluntas. 61.b.65.b
Intelligere nostrum est quoddam pati. 50.b
Intellectus efficienter concurrit ad visionem beatificam. 51.a
Ad intellectionem tria sunt necessaria. ibidem
Intellectus perfectior secundum sua naturalia cum æquali lumine gloriæ non producit perfectiorem intellectionem essentiæ diuinæ, quam intellectus minus perfectus cum eodem lumine. 52.b
Intellectus mouet voluntatem in genere causæ finalis. 65.b
Intellectus noster respicit ens tanquam obiectum adæquatum, quidditatem verò rei materialis vt obiectum sibi proportionatum, sed verum tanquam propriam sui perfectionem. 45.a
Intellectus & voluntatis proportio. 83.a
Intellectio est actio vitalis & immanens. 50.b
Intellectus effectiue concurrit ad intellectionem. 50.b
Intellectus & voluntatis differentia. 62.a.387.b
Intellectus est potentia apprehensiua. 62.a
Intellectus mouet voluntatem quantum ad specificationem & determinationem. 163.b
Intellectum non mouere voluntatem in genere causæ efficientis probabiliter asseritur. 166.b. quamuis sententia oppositæ etiam sit probabilis. 167.a
Intellectus si proponat voluntati duo bona æqualia & imperium sit æquale, non determinabitur voluntas ad aliquod illorum. 238.a
Intellectus practicus tres habet virtutes. 251.b
Intellectus possibilis est capax habitus, non autem intellectus agens. 482.a.b
Intellectus habet habitum naturalem ad asserendum primis principijs. 487.a.b
Intellectus quomodo sit subiectum virtutis. 518.b
Intellectus habens lumē gloriæ qualiter naturaliter videat Deum. 570.a

Intellectus partim adiuuat, partim impedit voluntatis operationem. 530.b
Intellectus satis perficitur rerum cognitione siue res existant, siue non; secus est de appetitu. 595.b. & 596.b
Intellectus speculatiui & practici differentia. 296.b
Intemperantia maius peccatum est quam timiditas. 654.b.655.b

¶ Intentio.

Intentionis diuisio. 220.a
Intentio actus voluntatis est. 220.a
In intentione splendet maximè rationis ordo. 220.b
Intentio non tantum est vltimi finis, sed aliorum finium particularium. 221.a
Intentionis & fruitionis discrimen. 221.b
Intentio quomodo possit esse plurium. 221.b
Intentio & volitio mediorum nonnunquam est idem actus secundum substantiam. 222.a.b
Intentio & electio distinguuntur ex natura rei. ibidem.
Intentio propriè solum conuenit naturæ intellectiuæ 223.b
Intentio boni finis non est mala quando non necessitat ad eligendum malum medium. 311.b
Intentio boni finis dupliciter potest esse causa malæ electionis. ibidem.
Intentio boni finis ex qua sequitur necessario mala electio, mala est. 311.b

¶ Intensio.

Intensio habituum fit per maiorem radicationem in subiecto. 495.a
Intensio prauæ voluntatis non semper est de necessitate confessionis. 657.b
Inuidia doloris & tristitiæ species est. 436.a
Ioannes 22. non sensit animas iustorum vsque ad diem iudicij à claræ Dei visione detineri. 101.a
Ioannem Baptistam non peccasse venialiter, non est temerarium asserere. 1020.b

¶ Ira.

Ira nullum habet contrarium. 358.a
Ira quomodo sit generalis animæ passio. 462.b
Ira semper respicit duo obiecta bonum & malum. 463.a
Ira in irascibili collocatur. 463.b.& 466.a
Ira est quodammodo cum ratione. 464.a
Ira ex parte subiecti naturalior est concupiscentia licet non ex parte obiecti. 464.a.b
Ira pertinet ad eos ad quos pertinet iustitia & iniustitia. 465.b
Iræ tres sunt species, fel, mania, furor. ibidem
Ira quid sit. 466.a.469.a
Ira differt ab odio & offensione. 466.a
Iræ causæ referuntur. 468.a
Iræ remedia. 468.b
Iræ effectus. 469.a
Irascibilis & concupiscibilis sunt diuersæ potentiæ. 355.a

¶ Irregularitas.

Irregularitas duplex, altera quæ est pœna, altera quæ non est pœna. 877.a
Ab irregularitate ob significationem non datur facultas absoluendi in bullis. ibidem
Irregularitas quando propter homicidium incurritur. 660.b
Irritare, commutare, abrogare, interpretari, dispẽsare legem quid sit. 890.a
Iudex publica scientia vti debet ad iudicandum. 866.b
Iudices munera susceptа restituere tenentur absquè alia condemnatione. 881.a
Iudicium in intellectu quomodo ex passionum diuersitate oritur. 170.b
Iugum Christi suaue, & quare iugum appelletur. 863.b
Iuris diuisio à iurisperitis facta. 834.b
Iuris naturalis & humani differentia. 856.a.& b.

¶ Iustitia.

Iustitia primatum tenet inter virtutes morales. 597.b
Iustitia virtutem continet omnem. ibidem
Iustitia est necessaria omni tempore, & loco, & in omnibus hominibus. ibidem
Iustitia primò & per se versatur circa operationes. 553.a
Iustitia legalis distinguitur specie à iustitia particulari. 554.a
Iustitia legalis præstat omnibus virtutibus moralibus. ibidem
Iustitiæ originalis destitutionem quid secutum fuerit. 855.a
Iustitia & sanctitas huius vitæ non habet eam perfectionem quam habebit in vita beata. 262.b
Iustitia nostra est gratia in cordibus nostris diffusa. 1102.a.b
Ius gentium an sub humano iure contineatur. 868.b
Ius gentium in nullo iuri naturæ derogare potest. 869.b

¶ Iustificatio.

Iustificare propriè Euangelicæ legi conuenit, id quod veteri legi competere nequit. 946.b
Iustificatio quare creationi assimiletur. 1006.b.& 1010.a
Iustificatio impij quid sit. 1071.b.& 1074.a.b.& sequentibus.
Iustificemur ne sola fide disputatur. 1088.a.& sequentibus.
Iustificationis nomen in scriptura multiplex. 1071.a
Iustificatio impij semper habet remissionem peccati coniunctam 1071.b. ita vt nihil damnabile remaneat. 1072.b

Iustificemur ne per iustitiam inhærentem disputatur. 1074.a & sequentibus.
Iustitia & animæ rectitudo interior quid. 1080.a
Dum iustificatur adultus an libere diuinæ motioni & gratiæ consentiat. 1085.a
Iustificari an possit adultus sine motione liberi arbitrij de potentia Dei absoluta. 1088.a
Ad iustificationem sufficit vna contritio respectu multorum peccatorum. 1095.b
In iustificatione impij quomodo remissio peccatorum vltimum sit. 1097.a.b
Iustificationis consummatio. ibidem
Iustificatio impij quomodo fiat in instanti. ibidem. b. 1098.a.b
Iustificationis operatio non est necesse vt per certũ tempus continuetur. 1098.b
In iustificatione impij quatuor concurrunt, infusio gratiæ, dilectio Dei, detestatio peccati, & tamen remissio peccati. 1099.b
In iustificatione impij primum obtinet locum infusio gratiæ. ibidem
Iustificationis causæ ex diuinis literis explicantur. 1102.a.b
Iustificatio impij quomodo sit maximum opus Dei. 1103.a.b
Iustificatio impij quomodo sit miraculosa. 1104.a. & 1105.a
Iustificet ne se anima ipsa, quando præbet consensum Deo mouenti. 1087.a.b
Iuuentus est causa spei. 447.a

L.

LAchrymæ quare sint remedium tristitiæ. 441.b
Languor quomodo sit effectus amoris. 397.b
Latrocinium apud germanos olim non reputabatur iniquum. 859.b
Laus & vituperium in solis actibus voluntarijs inuenitur, non in naturalibus aut necessarijs. 341.b
Legalia an aliqua ratione seruare liceat post Christi passionem. 931.a
De legalium cessatione maxima contentio inter Hieronymum & Augustinum. 932.a

¶ Lex. 831.a

Lex quid sit. 818.b.831.a
Legis nomen vnde deducatur. 818.a
Legis promulgatio est necessaria. 826.a. & sequentibus.
Lex respectu aliquorum potest esse sufficienter promulgata, & respectu aliorum minimè. 829.b
Lex quæ reuocatoria iam est promulgationem non requirit. 830.b
Lex quando dicatur sufficienter promulgata. 829.b
Lex quem effectum habeat in ijs qui ignorant illam inuincibili ignorantia. 829.a
Legis cuiuslibet ratio non est factiua, sed condere legem pertinet ad totam multitudinem, vel ad eum qui totius multitudinis curam habet. 824.b. & sequentibus.
Lex semper ordinari debet in bonum commune. 820.a.b
Legis effectus qui. 836.b. & 837.a.b. 839.a.b
Legis officium cuiusque sit nè mala permittere? 841.b
Legis obligatio quando cessat. 886.b
Legis ratio quando cessare videtur. 823.a
Legis ratio cessat, quando ratio communis boni cessat. 823.b
Legis tractatus aliter ad Theologum, aliter ad iurisprudentes spectat. 814.b
Legibus gubernari vtilius est reipublicæ quã sapientissimo & optimo principe. 866.a
Sine lege respublica stare non potest. 815.b
Lege non stante adulterium esset peccatum, & non esset peccatum. 299.a
Lex & præceptum vtrum sit in vita beata. 817.a
Lex an sit actus intellectus, an voluntatis. 818.a.b

¶ Diuersitas legum.

Lex sufficienter diuiditur, in æternam, naturalem, diuinam, humanam, & legem fomitis. 831.b. 832.a.b. & sequentibus.

¶ Lex æterna.

Lex æterna est summa ratio in Deo existens. 845.a.b & 846.a
Lex æterna quomodo sit omnibus nota. 846.a.b
Lex quæuis ab æterna deriuatur. 847.a
Lex æterna sola est in Deo, leges verò cæteræ sunt participationes legis æternæ, & sunt in creaturis formaliter. 847.a
Legi æternæ omnia subduntur, & quomodo peccata legi æternæ sunt subiecta, grauissimè disputatur. 849.a.b. 850.a.b.
Lex æterna quomodo sit promulgata ab æterno. 834.b

¶ Lex naturalis.

Lex naturalis quid sit, & an habitus sit. 851.b. & 852.a.b
Lex naturæ plura præcepta continet. 854.a.b
Legis naturalis officia. 855.a
Omnes actus virtutis quomodo sint de lege naturali explicatur. 856.a.b
Lex naturæ vna est apud omnes. 857.a.b
Lex naturæ est immutabilis. 858.a
Lex naturæ à cordibus hominum nullatenus aboleri potest. 859.a.b
Lege naturali num teneantur amenets & pueri. 852.a
Lex naturæ inclinat hominem vt diligat Deum plus quam seipsum. 835.b

¶ Lex humana.

Vtile fuit aliquas leges humanas ab hominibus poni. 860.b. & 861.a.b. & sequentibus.
Leges humanæ qualiter imponi debeant. 863.b
Omnis lex humanitus posita à lege naturali deriuatur.

uatur. 866.b.867.a.b
Lex humana ea quæ sunt de lege naturæ nonnunquã præcipit, & quare. ibidem
Lex humana præcepta legis naturæ determinat. ibidem.
Vt lex humana iusta sit quæ conditiones requirantur. 868.a
Legum humanarum diuisio secundum diuersa regimina, & quæ nam sint ista. 868.b
Inter leges humanas vtrum ius gentium sit connumerandum. ibidem.b
Leges humanæ iustæ habent vim obligandi in foro cõscientiæ. 871.b & sequentibus.
Lex humana potest aliquid præcipere non præceptũ à Deo. 873.a
Inter legem humanam & diuinam differt maximè quoad vim obligandi. 873.b
Lex humana quando obliget ad peccatum veniale, quando ad mortale explicatur nonnullis regulis ibidem. & 874.a.b
Lex humana vtrùm obliget ad sui obseruationem cũ periculo vitæ explicatur diligenter. 874.b. & 875.a.b. & sequentibus.
Leges humanæ pœnales quomodo obligent ad culpã. 876.a.b. & sequentibus.
Legis pœnalis transgressores quomodo obligentur in conscientia ad soluendas pœnas. 877.b. & 878. a.b. & sequentibus.
Leges humanæ tabellionibus impositæ quomodo obligent. 879.b
Leges de tributis soluendis quam vim obligandi habeant exponitur. ibidem
Leges & statuta vniuersitatum & confraternitatũ, quomodo obligent. 880.b. & 881.b & sequentibus.
Lex quæ præcipit vt iudices munera suscepta restituant explicatur. 881.a
Legis pœnalis violator tenetur subire pœnam post iudicis condemnationem. 882.b
Legibus tyrannorum, vtrùm sit obediendum explicatur. 883.a
Legibus humanis vtrùm omnes subdãtur explicatur. 883.b. & sequentibus.
Legibus humanis quis bifariam subesse potest quantum ad vim directiuam, & quantum ad vim coactiuam. 884.a
Legi non subduntur studiosi & iusti quãtum ad vim coactiuam ibidem. & 884.a
Iusti quomodo teneantur legibus explicatur. ibidem. b. & 885.a
Legibus ciuilibus vtrùm clerici teneantur explicatur. ibidem.b
Legis verba licet interpretari pro epicheiam quando ratio legis in particulari cessat. 886.a.b
Legem in particulari deficere contingit dupliciter. ibidem. b
Lex humana duabus de causis mutari potest. 887.b
Lex humana non semper mutanda est quando occurrit aliquid melius. 888.a
Legis vim habet consuetudo, & multa de consuetudinibus. 888.a.b.889.a.b
In legibus humanis rectores multitudinis dispensare possunt 890.a.b. & sequentibus.
Lex humana iniusta non est idem quod inutilis. 871.a

¶ Lex diuina vetus.

Lex vetus bona fuit licet imperfecta. 892.b
Lex vetus à Deo data fuit. 895.a
Lex vetus data fuit per angelos. 896.a
Lex vetus dari debuit soli populo Iudæorum. ibidem.b
Lex vetus vtrum ad Christianos aliquo modo pertineat disputatur. 897.a.b. & sequentibus.
Lex vetus non obligabat omnes homines. 900.a.b
Legem veterem vtrùm gentiles possint recipere examinatur. ibidem.b
Lex vetus conuenienter data fuit tempore Moysi. 901.a
Lex vetus quando inceperit. ibidem b. & 902.a
Ad legem veterem circumcisio non pertinet. ibidem.b
Lex vetus non solum continet vnum præceptum sed multa. 903.a
Lex vetus continet præcepta moralia. ibidem.b
Lex vetus continet præcepta ceremonialia præter moralia. 904.a.b
Lex vetus continet præcepta iudicialia. 905.a.b
Lex vetus debuit inducere ad obseruationem præceptorum per temporales promissiones & cõminationes. 906.a.b
In veteri lege vita æterna erat promissa. ibidem.b
Legis veteris præcepta moralia quæ sint. 907.b
Legis veteris præcepta moralia ad decem præcepta decalogi reducuntur. 908.b
Legis veteris decalogus quid sit. 909.a.b
Legis veteris præcepta moralia quomodo iustificabant. 919.a.b
Veteris legis ceremoniæ non fuerunt ante legem. 921.b
Legis veteris ceremoniæ vtrum habuerint virtutem iustificandi disceptatur. 922.b. & sequentibus.
Veteris legis ceremoniæ vtrùm cessauerint in aduentu Christi. 924.b. & 925.a.b. & sequentibus.
Veteris legis ceremoniæ & legalia, vtrùm post passionem Christi possint seruari sine peccato fusissime. 930.b. & 931.a.b. & sequentibus.

¶ Lex Euangelica.

Lex Euangelica principaliter est indita in corde, secundario vero scripta. 943.b. & sequen.
Lex Euãgelica vtrùm propriè aut impropriè sit lex scripta explicatur. 944.b
Lex Euangelica vtrùm solum sit in cordibus indita. ibidem.
Lex noua quomodo iustificet. 945.a.b. & sequentibus.

Lex noua non debuit dari ab initio mundi. 947.a.b
Lex noua duratura est vsque ad finem seculi. 949.a.b
Lex noua & vetus multis differunt. 950.b.951.a.b. & sequentibus.
Lex noua quomodo veterem compleuit. 953.b
Lex noua quomodo in veteri contineatur. 954.a
Lex noua leuior & suauior quam vetus. 955.a.b
Lex noua aliquos exteriores actus præcipit & prohibet: vnde errant Lutherani dicentes, quod opera non sunt necessaria in noua lege. 956.a.b.957.a.b.& sequentibus.
Lex noua præcipuè de tribus disponit; de sacramentis gratiæ, de fide & moralibus præceptis. 958.b
Lex noua sufficienter de actibus interioribus ordinauit. 959.b
Lex noua conuenienter quædam consilia hominibus proposuit. 960.a.b.& sequentibus.
Lex noua quando incepit obligare quoad omnes. 947.a.948.
Lex Euangelica post passionem Christi ante eius promulgationem an habuerit vim obligandi. 927.a
Lex Euangelica quare lex spiritus & virtutis appelletur. 945.a

¶ Lex factorum.

Lex factorum & fidei quæ dicantur. 953.b

¶ Lex fomitis.

Lex fomitis quid. 838.a
Lex fomitis non vera, sed metaphorica lex est. 836.a

¶ ¶Legislator.

Legislator an legem seruare teneatur. 884.b
Legislatori liceat ne cooperari malo. 844.a
Legislator in condendis legibus bonum cõmune præcipue respicere debet. 870.b

¶ Liberalitas.

Liberalitas in homine potissimum est in appetitu sensitiuo. 517.b
Liberalitas & magnificentia duos habitus requirũt alterum in voluntate, alterum in appetitu sensitiuo. 516.b
Liberalitas propriè est in Deo. 518.b
Liberalitatis & iustitiæ discrimen. 518.a

¶ Libertas.

Libertas duas exigit conditiones. 128.b
Libertas duplex, contradictionis & contrarietatis. 120.b.158.a.195.a
Libertas formaliter est in voluntate radicaliter vero est in intellectu. 128.a
Libertas spiritus quid ad sui rationem exposcat. 958.a
Libertatis origo & fons est indifferentia intellectus. 2.b

¶ Liberum arbitrium.

Liberũ arbitriũ est facultas rationis & volũtatis. 2.b
Liberum arbitrium optimè stat cum motione Dei efficaci. 20.
Liberum arbitrium vt sic non includit possibilitatẽ peccandi. 93.b
Liberum arbitrium ex motione corporum cœlestiũ non necessitatur. 182.a.b.& sequentibus.
Liberum arbitrium non necessitatur cum homo iustificatur. 1084.b.1085.a.b
Liberum æquiuocum est. 85.a
Liberum & necessarium non semper differunt re, sed solum ex modo operandi. 219.b
Liberũ & voluntariũ nõ sunt idẽ. 143.b.125.a.127.a
Licitũ est aliquando agere contra scrupulum. 310.a
Licitum est agere contra euidentiam speculatiuam. 305.b.
Licitum est ex duabus opinionibus æque probabilibus vtramq; indifferenter sequi. 307.b
Licitum est sequi opiniones probabiles in materijs & formis sacramentorum. 308.b
Licitum est sequi opinionem probabilem relicta probabiliore. 309.a
Linguarum donum non manet in patria. 604.a
Loth an peccauit, dissensio inter Augustinũ & Ambrosium. 845.a
Luciani fabula, de Deorum fastidio. 427.a

¶ Lumen.

Lumen & color eadem visione videntur. 223.a
Lumen excedens non impedit receptionem specierũ sensibilium. 57.b
Lumen gloriæ in Paulo si tamen vidit essentiam diuinam habuit rationem dispositionis. 605.a
Lumen gloriæ non est proprie habitus. 715.a
Lumen naturale intellectus an possit ad falsum inclinare. 970.a
Lumen naturale licet sit à Deo nõ ita nos certificat de veritatibus sibi proportionatis sicut lumen fidei. 972.b.& quare ibidem.

M.

¶ Macula.

Macula non est in omnibus peccantibus æqualis, estq; de fide. 652.a
Macula peccati in sacris literis euidenter expressa. 773.b
Macula peccati quid sit in anima nostra. 774.a.& sequentibus. 775.a.b
Malitia moralis quid sit. 266.a.b

¶ Malum.

Malum morale duplex. 275.b
Malum morale est entitas positiua deficiens. 276.a
Malum opus morale quid requirat. 282.a
Malum opus nihil meretur coram Deo. 343.b
Malum coniunctum & bonum amissum distinguuntur. 438.b
Malum per se dupliciter intelligitur. 445.a
Malum quare in specie humana reperitur vt in pluribus, in alijs verò speciebus reperitur in paucioribus. 580.b

Malum æquiuoce dicitur, de morali & naturali. 637.b
Malum in naturalibus & moralibus vnde oriatur. 684.a
Malum culpæ quantum in se est destruit diuinum bonum. 719.b
Malum morale quid ad sui essentiam requirat. 722.a
Ad malum quomodo Deus inclinet. 723.a
Mala permittere an liceat legi. 841.b.& sequentibus.

¶ Medium.

Medium visionis est quodlibet corpus transparens 57.b
Medium participat naturam vtriusque extremi. 125.b
Medium non potest appeti nisi sub ratione finis. 160.a
Medium nunquam necessitat absolutè voluntatem. 235.b
Medium virtutis est medium rationis. 581.b
Medium rationis & rei quid sit. ibidem. & sequentibus.
Medium rei duplex, arithmeticum, & geometricum 582.a
Medium iusttiiæ & aliarum virtutum differt. ibidem.
Medium quod eligit temperantia infusa videtur stultitia si humana perpendatur ratione. 573.b
Medium temperantiæ acquisitæ consentaneum est humanæ rationi. ibidem.
Melius est illud cuius oppositum est peius explicatur 66.b
Melancholici quare sine causa tristantur. 439.a
Membra corporea quomodo subduntur rationis imperio. 259.a.b

¶ Meritum.

Mereri apud Deum homo potest. 1105.a.1106.a.b
Meritum quid sit. 1108.b.1109.a
Meritum bonorum operum quatuor conditiones requirit. 1108.b
Meritum in Theologorum schola variè diuiditur. 1109.a
Meritis correspondet præmium ex iustitia distributiua & commutatiua. 1109.b
Mereri vitam æternam sine gratia homo non potest. 1110.a.b
Meritum ex facilitate operandi non minuitur. 477.b
Meritum de condigno. 1112.a
Meritum de rigore iustitiæ. 1111.b
Meritum de congruo. 1112.a
Meritum sanctorum licet innitatur gratiæ & misericordiæ acceptantis, nihilominus est verè & propriè meritum de condigno & de iustitia. 1112.b. & sequentibus.
Meritum bonorum operum in quas causas referant catholici, in quas hæretici. ibidem & 1113.a
Meritum sanctorum apud Deum non constituit Deū debitorem. 1114.a.b.& sequentibus.
Ad meritum verum sufficiat sola gratia, an sola charitas. 1116.b
Meritū ne sit omne opus bonum existētis in gratia disceptatur. ibidem.
Meritum bonorum operum semper debet esse opus supernaturale. 1117.a
Meritum bonorum operum coram Deo oportet ne vt referatur in finem supernaturalem? 1116.b.& sequentibus.
Mereri nemo potest primam gratiam, nec remissionē peccatorum, nec reconciliationem cum Deo. 1119.a.1120.a.b
Meruit nobis Christus primam gratiam de condigno. 1121.b
Mereri potest homo iustus alteri primam gratiam de congruo. ibidem & 1122.a.1012.b
Mereri homo non potest reparationem post lapsum nec merito condigni, nec merito congrui. 1122.b. 1123.a.b.& sequentibus.
Mereri potest homo augmentum gratiæ vel charitatis. 1124.a.b.& sequentibus.
Meritum coram Deo quibus ex causis crescat, & augeatur. 1125.b.& sequentibus.
Mereri homo non potest donum perseuerantiæ. 1126.b.1127.a.b
Mereri homo potest bona temporalia. 1129.a.b
Meretur nonnunquam homo peccator à Deo præmiū temporale per opera quæ facit ex Dei motione & ordinatione licet habeat peruersam intentionem. ibidem.
Meritum Christi quomodo infinitum. 46.a
Meritum Christi & præmium quomodo se habeant. 46.a
Meritum & præmium in eodem instanti esse repugnat. 118.b
Meritum de congruo cum gratia pugnare videtur. 1010.b
Meritum de condigno non ex eo dicitur quod Deus propriè nobis debeat præmium, sed quoniam statuit legem certissimam de præmio reddendo. 1011.a
Mereri Christum in nobis, & per nos an catholicè dicatur. 1113.a
Metaphysica est scientiarū naturaliū dignissima. 532.b

¶ Metus.

Metus non tollit voluntarium nisi secundum quid. 139.a
Metus duplex, leuis & grauis. 139.b
Metus quæ opera excusat, quæ vero minimè. 140.a.b
Metu pœnæ legi obtemperare, an sit laudabile. 839.a
Minus malum an possit strictius prohiberi à Deo. 653.a

Misericordia quomodo sit species tristitiæ, & circa quæ versetur. 435.b
Misericordia quomodo reperiatur in Deo. 436.a
Miracula Christi erant euidentia signa diuinitatis, & quibus. 604.a
Miseria humanæ naturæ post lapsum. 769.a.b
Mixtum, an ex contrarijs componatur. 772.a
Modus diuersus operandi sequitur diuersam applicationem agentis. 83.b
Modus præcepti an sit necessarius ad legem seruandam secundum omnes circunstantias, ita vt tantũ per bonum opus lex impleatur. 915.a
Modus virtutis triplex. 914.b
Modus charitatis an cadat sub præcepto, in duplici sensu discutitur. 916.a.b. & sequentibus.

¶ Mors.

Mors licet appetitu inferiori refugiatur, at nonnunquam superiori appetitu desideratur. 111.b
Morosa delectatio quando intercenit. 675.a.b
Mortem cæterosq; defectus corporales esse effectus peccati originalis de fide est. 770.b
Mors in Beata Virgine fuit pœna originalis peccati. 772.b
Mors in Christo habere potuit locum, sicut in alijs in puris naturalibus conditis. 773.a
Mortuus qualiter dicitur qui est in peccato mortali. 793.b
Moralia præcepta sunt quæ pertinent ad bonos mores. 907.b
Quæ seruanda sunt ex naturali lege, ideo pertinere dicuntur ad legem naturæ. ibidem
Motio Dei efficax non tollit nostræ voluntatis libertatem. 204.a. & sequentibus.

¶ Motus.

Motus primus sensualitatis, quomodo violentus, & quomodo voluntarius. 132.b
Motus & arduus & efficax voluntatis semper excitat passionis affectus. 143.a
Motus naturalis & voluntarius distinguuntur. 124.b
Motus appetitus sensitiui partim subduntur imperio rationis, partim vero non. 257.b
Motiuum ad peccandum aliquando concurrit efficiẽter, aliquãdo vero transit in rationem obiecti. 645.a
Motores tres sunt in homine. 611.b
Motus primo primus & deliberatus. 674.a
Motus illiciti appetitus sensitiui ex obiecto expendẽdi sunt. 674.b
Motus primi in infidelibus an sint peccata mortalia. 808.b
Vt moueat se quis, quid nam requiratur. 1045.a
Mouere se, & mouere se in finem quid sit, & quibus conueniat. 123.b.125.b
Mouens est in duplici differentia. 165.a
Mouens in vniuersum mouet ex appetitu finis. 175.b
Mulier dubitans, an maritus quem habet sit suus, tenetur reddere debitum, non tamen potest petere. 306.a
Mulierculæ ex illusione dæmonum visiones habere sibi videntur. 730.a
Mutatio duplex, altera naturalis, altera intẽtionalis. 57.b
Mutua inhæsio est effectus amoris. 388.b

N.

Natura multipliciter dicitur. 193.b
Natura quomodo contra voluntatem distinguitur. 195.b
Natura in omni sua operatione agit propter finem. 10.b
Naturæ est hominum habere charitatem, quomodo intelligatur. 79.b
Natura lapsa, & natura integra quid. 967.b. 976.b
Naturalis hominis inclinatio in bonum est. 623.b
Naturale est homini studiosè operari. ibidem.
Naturale dupliciter dicitur, & secundum naturam speciei, & secundum naturam individui. 485.a
Naturali vi potest homo absque speciali gratia cognoscere aliquas veritates naturales. 970.b
Naturales veritates quare proponuntur credendæ per fidem. 972.a
Naturalia manserunt integra post peccatum. 6.a. & sequentibus.
Necessitas duplex, altera coactionis, altera naturalis inclinationis. 132.a
Necessitas ex suppositione non tollit libertatem. 208.a
Necessitas ex suppositione duplex. ibidem.
Necessarijs & naturalibus, nec meremur, nec demeremur. 341.b. & sequentibus.
Nolle quomodo causet inuoluntarium. 130.b
Non esse, dupliciter considerari potest. 405.b
Notitia quomodo est naturalis similitudo rei. 45.b
Notitia intuitiua Dei sine Dei præsentia esse non potest. 90.a

O.

Obedientiæ breue & admirabile encomium. 964.b

¶ Obiectum.

Obiectum amoris, amicitiæ & concupiscentiæ differunt. 377.a
Obiectum dupliciter actum potentiæ excedit. 33.
Obiectum nostri intellectus motiuum & terminatiuũ est quidditas rei materialis. 54.a
Obiectum dupliciter excedit virtutem potentiæ. 54.b
Obiectum operationis quid dicatur. 268.b
Obiectum vnius virtutis potest referri ad finẽ alterius virtutis duobus modis. 279.b
In obiecto potẽtiæ duplex ratio considerãda est. 157.a

Obiectorum differentiæ in moralibus variæ assignantur. 269.b
Obicem ponere Spiritui sancto ad altiorem statũ nõ est peccatum si absit præceptum. 647.a

¶ Odium.

Odium non inclinat in malum sub ratione mali. 157.a
Odium ex amore nascitur. 399.a
Odium non est fortius amore. 399.b
Odium respectu veri & entis in vniuersali non est bene tamen esse potest respectu boni particularis. 400.b
Odium quid sit. 401.b
Odium respectu Dei clare visi esse non potest. 404.a
Odium vtrum in Deo reperiatur. 406.b
Odium deterius est & grauius quam ira 465.a
Odium & ira multis differunt. 466.b
Odium proximi duplex. 657.b
Odij obiectum & causa malum est. 358.b.400.b
Odij diuisiones. 402.a.b
Odium respectu sui ipsius esse est impossibile per se loquendo non tamen per accidens. 400.a
Offendens in vno quomodo sit omnium reus. 649.b
Omnia quæ vult homo, vult propter Deum. 29.a.b

¶ Omissio.

Omissio quomodo est absque omni actu. 129.b
Omissio voluntaria tres exigit conditiones. 129.b
Omssio an detur sine actu. 627.a.b & sequentibus.
Omissio culpabilis & inculpabilis in quo inter se distinguantur. 628.b
Omissio & actus qui est omissionis causa vnam formaliter malitiam habent. 630.a
Omissio tunc vere est quando est tẽpus implendi præceptum. 630.b.631.a
Omissionis peccatum quo tempore imputetur. 630.b & sequentibus.
Omissionis grauitas vnde attendatur. 632.a
Omissionis peccato an competat definitio peccati videlicet quod sit dictum vel factum &c. 633.b
Per omissionem an generetur habitus. 628.b
Omittens audire missam propter studium, an duplex peccatum committat in confessione explicãdum. 630.b
Qui omittendi se periculo exponit, peccat. 631.a
Onus Christi leue. 863.a.b
Onus Christi cum onere veteris legis confertur. ibidem.

¶ Operatio.

Operatio omnis dependet ab aliquo determinato fine. 10.a. & sequentibus.
Operatio cuiuslibet rei est eius finis. 48.b
Operatio humana vt in plurimum durat per aliquod tempus & non tantum per instans. 208.b
Operatio humana non habet bonitatem aut malitiam eo quod à libera voluntate proficiscitur. 268.a
Operatio humana habet voluntatem aut malitiam ex obiecto. 268.a
Operatio circa obiectum infinitum non subinde est infinita. 784.b
Operationes humanæ & in genere naturæ, & in genere moris considerantur. 63.a.b
Operationes animæ Christi quandam infinitatem habebant. 45.b
Operationes ociosæ quare sic dicuntur. 11.b
Operationes humanæ quare dicuntur bonæ vel malæ 266.a

¶ Opinio.

Opinio quæ iudicatur esse improbabilis amplecti nõ potest. 307.b
Opinio habet vere rationem habitus. 473.a
Opinio probabilis amplecti potest relicta probabiliore. 309.a
Opinio qualiter adiuuet scientiam. 605.b
opinio probabilis quæ dicatur. 307.b
opinionis & dubij discrimen. 307.b
opinionem æqualiter probabilem pro vtraq; parte licet indifferenter sequi. 307.b
opinionum duplex genus. 307.b
oppositum eius quod est peius, melius est. 66.b
optimum opponitur pessimo. 445.a

¶ Opus.

opus quodlibet bonum existentis in gratia nõ oportet sit meritorium. 714.b
opus naturæ est opus intelligentiæ. 11.a.14.a
opus ad sui bonitatem non exigit actualem relationem in Deum, neq; in vltimum finem. 285.a
opus bonum moraliter necessario requirit vt sit virtualiter propter vltimum finem. 285.b
Opus malum semper est demeritorium coram Deo. 286.a
Opus moraliter bonum in homine extra gratiam est indifferens ad meritum & demeritum. 286.a
Opus meritorium in homine iusto quid requirat. 286.b. & sequentibus.
Opus idem non potest simul esse meritorium & demeritorium. 337.b
Opus malum morale & peccatum, formaliter differunt. 341.a
Opus moraliter bonum in homine existente in gratia qua ratione potest dici meritorium. 984.b

¶ Opera.

Opera nostra merito exiguntur ad beatitudinem. 118.a
Opera bona existentium in peccato mortali non merentur vitam æternam. 344.b
Opera peccatorum bona vtilia sunt. ibidem.
Opera exteriora gratiã præcedentia nullatenus sunt meritoria, verum non semper omnia sunt peccata. 957.a
Opera exteriora necessaria. 957.b

Nõ omnia opera hominis absq; gratia facta sunt peccata. 982.a
Opera omnia quibus peccator disponitur ad iustitiã, siue mediate, siue immediate non possunt fieri sine auxilio Dei speciali. 982.b
Opera infidelium quare ab Augustino appellentur vitia. 984.a
Opera ad iustitiam necessaria. 1090.a
De operum necessitate disputatio. 956.b
Ordo charitatis alius est in via ad cognitionem fidei, alius vero in patria ad claram Dei visionem. 66.a
Ordo imperij, consilij, electionis & vsus qualis sit. 253.b
Ordo habitus & actus virtutis theologicæ an idem sit. 566.a. & sequentibus.
Organum corporeum dupliciter patitur. 348.b
Origenes an existimauerit pœnam inferni finiendam, discutitur. 780.a.779.b
Origenis error damnatur circa hoc quod angeli beati peccare possint. 91.b

¶ Originale peccatum.

Originale peccatum ex diuina reuelatione cognoscitur. 732.b.736.b.a
Originale peccatum qualiter in posteros traducatur explicatio difficilis est. 734.a.736.b
Originale peccatum an vere culpa sit. 734.a736.a
Originale peccatum qua ratione sit nostrum ostenditur. 736.a
Originale peccatum non est à Deo. 739.a
Originale peccatum in primis parentibus nõ fuit peccatum luxuriæ. 745.a
Neque est concupiscentia animæ. ibidem
Neque est fomes. ibidem.b
Originale peccatum non est priuatio iustitiæ originalis. 746.b.747.b
Originale peccatum in nobis non fuit illud peccatũ primi parentis formaliter. 746.b. neque pura priuatio. 748.b
Originale peccatum quid sit in nobis. 747.b.749.a. 754.a
Originale & actuale in quo differant. 748.a
Originale peccatum quare à sanctis concupiscentia dicatur. 748.b
Originale peccatum quare appelletur à D. Thom. habitus. 748.b
Originale peccatum in omnibus est æquale. 751.a.b
Originale peccatum an fuerit in Adam. 752.a.b
Originale peccatum an sit in essentia animæ, an verò in aliqua potentia. 753.a.b
Originalis peccati definitio. 749.a
Originale peccatum esse virtualiter in semine quopacto intelligitur. 738.b
Originale peccatum non dari quibus argumentis probabant Pelagiani. 738.b
Originale peccatum non contraheret homo quamlibet formatus brachio aut carne humana si ex semine virili non fuisset conceptus. 742.a
Originale peccatum contrahere quid sit. 745.b
Originalis iustitia quomodo hominem Deo coniungebat. 807.a

P.

PArauli discedentes cum originali peccato condemnati sunt illa sententia: Nisi quis renatus fuerit &c. 756.a.b
Paruuli cum originali peccato discedentes an cognoscant se priuatos gloria Dei ob peccatum Adæ, disputatur. 757.
Paruuli cum originali peccato discedentes qua pœna puniantur, disputatur fusissimè. 754.b. & sequentibus.
Parentum præcepta eo modo obligant sicut leges. 825.a
Parentum præcepta & aliorum superiorũ obligant ad culpam pro qualitate præcepti & materiæ. 874.b

¶ Passio.

Passio multipliciter dicitur. 345.b
Passio proprijssimè importat receptionem alicuius cum abiectione conuenientis. ibidem
Passio etiam pro affectu moderato & rationi conso no nonnunquam vsurpatur. ibidem
Passio quid sit. 346.a.b
Passio & propassio rectè distinguuntur à D. Hieronymo. ibidem.a
Passiones humanæ in quatuor genera distribuuntur, in naturales, animales, rationales, & diuinas. 346.b
Passiones ex subiecto distinguuntur. 353.a
Passiones concupiscibilis sunt sex, irascibilis verò quinque. 354.a
Passiones irascibilis ex concupiscibili originem trahunt. 356.a
Passionum differentia potissimè ex obiecto desumitur. 353.a
Passio si vsurpetur pro quauis receptione, vel pro receptione vnius cum abiectione contrarij in parte intellectiua inuenitur. 347.b. & sequentibus.
Passio si accipiatur pro passione animali ex cognitione conuenientis aut disconuenientis proueniente cum quadam corporis transmutatione tantum inuenitur in parte appetitiua sensitiua. 348.a.b
Passio semper sequitur cognitionem. 346.a
Passionum numerus & contrarietas. 352.b. & sequentibus.
Passiones quomodo laudabiles. 363.b. & sequentibus.
Passiones meritoriæ sunt & demeritoriæ. 364.b
Passiones animæ considerantur & secundum se, & secundum quod rationi subduntur. 363.b 548.a
Passiones dupliciter sunt voluntariæ. 363.b

Paſsiones omnes ad quatuor reduci poſſunt. 365.b
Paſsionum ordo, diuiſio & habitudo deſcribitur. 366.367.
Paſsio ſequens deliberationem rationis & voluntatis conſenſum auget voluntarium. 143.a
Paſsio anteuertens iudicium rationis, & conſenſum voluntatis auget voluntarium, licet diminuat liberum. 143.b
Paſsio mouet voluntatem non ſolum ex parte obiecti, ſed etiam ex parte ſubiecti quodammodo. 172.a
Paſsio non neceſsitat voluntatem, niſi quando totaliter perturbat rationis iudicium. 199.a
Paſsiones appetitus ſenſitiui non auferunt libertatem. 201.b
Paſsio concupiſcentiæ volitæ non minuit peccatum. 657.b
Paſsio appetitus ſenſitiui mouet voluntatem ad peccandum. 703.a
Paſsio an ſemper augeat peccatum. 709.a
Patres veteris teſtamenti erant veri filij Dei adoptiui. 924.a 951.a.b
Paulus an vxoratus fuerit. 962.a
Paulus an viderit diuinam eſſentiam. 605.a
Paulus an verè reprehenderit Petrum. 932.b. & ſequentibus.
Paupertatis encomium, ad eamq; amplectendã ſuaſio proponitur. 963.a. & ſequentibus.
Paupertas ſpiritus omnium bonorum radix. 758.b

¶ Peccator.

Peccans mortaliter ſeipſum conſtituit vltimum finem. 23.a.b
Peccans mortaliter quomodo in creatura conſtituat vltimum finem. ibidem
Peccans ex malitia non vult malum ſub ratione mali. 156.b
Peccans contra finem ſupernaturalem non ſubinde peccat contra naturalem. 857.a
Peccãs auctoritate legis, non peccat, quomodo ſit intelligendum. 843.b
Peccator quando peccat propter Deum, operatur vt eſt vniuerſale quoddam bonum. 25.a.29.b
Peccator ſeipſum pabulum mortis efficit, & obſequio ſe dæmonis tradit. 781.b
Peccatores ex habitu quomodo ex malitia peccent. 714.a. & ſequentibus.
Peccator quando teneatur ſtatim pœnitere. 1019.a
Peccator qualiter faciat contra voluntatem Dei. 859.b. & ſequentibus.
Peccatores ad bona opera inducendi ſunt. 344.b.

¶ Peccatum.

Peccatum quid ſit. 633. & ſequentibus 774.b
Peccatum varijs nominibus appellatur. 639.a
Peccatum num habeat ideam in Deo. 581.a
Peccatum an formaliter ſit natura poſitiua latè diſceritur. 634. & ſequentibus. 770.a
Peccatum quantum ad ſuum formale eſſe priuationem boni, & nihil, vt improbabile reprobatur. 636.b. 770.a
Peccatum quòd in genere ſit quid priuatiuum, & in ſpecie poſitiuum, improbabile eſt. ibidem
Peccatum quoad ſuum formale eſſe ens rationis falſum eſt. ibidem
Peccatum quoad ſuum formale eſt aliquid reale poſitiuum. ibidem. & 637.a
In peccato tria inueniuntur; actus voluntatis, forma contraria rectitudini, & priuatio rectitudinis. 637.a
Peccatum ab alijs priuationibus maxime differt. 337.a
Peccatum eo ipſo quod eſt contra rationẽ, eſt offenſiuum Dei. 638.b.
In peccato non ſunt duæ oppoſitæ rationes, eſſe contra Deum, & contra rationem. 639.a
Peccatum vitium, & malitia an idem ſint. 622.a
Peccatum & vitium quomodo ſint contra naturam. 623.a. & ſequentibus.
Peccatum & vitium quomodo contrarientur virtuti. 622.a
Peccatum peius eſt quam vitium. 624.b
Peccatum poteſt eſſe ſimul cum aliqua virtute. 625.a.b
In peccato non ſemper eſt aliquis actus. 626.a.b. & ſequentibus.

¶ Peccatorum diſtinctio.

Peccata ex triplici cauſa diſtinguuntur, ex parte auerſionis, ex diuerſitate præceptorum, ex obiectis: & hæc cauſa eſt potiſsima in diſtinctione peccatorum. 640.a.b. & ſequentibus.
Peccata carnalia ab ſpiritualibus diſtinguuntur. 642.a.b
Peccata carnalia num poſsint eſſe in dæmonibus. 646.a.b
Peccata diſtinguuntur ſpecie ſecundum cauſas finales, atque etiam motiuas, quando motiuæ cauſæ tranſeunt in rationem obiecti. 644.b. 645.a
Peccatum conuenienter diſtinguitur in peccatum in Deum, in ſeipſum, & proximum. 645.b
Peccata non diſtinguuntur ſpecie ſecundum reatum pœnæ. 646.a.b. & ſequentibus.
Peccatum commiſsionis, & omiſsionis non ſemper differunt ſpecie. 648.b. & ſequentibus.
Peccatum tranſgreſsionis & omiſsionis quomodo

ſemper differant ſpecie. 646.a
Peccatum conuenienter diuiditur in peccatum cordis, oris, & operis. 646.a.b
Peccata differunt ſpecie ex ſuperabundantia & defectu. 647.a
Peccata quando differant ſpecie ex circunſtantijs. 647.b

¶ Peccatorum comparatio.

Peccata omnia non ſunt connexa. 649.a.b
Peccata omnia non ſunt paria, & vnde inæqualitas peccatorum proueniat. 650.a.b.& ſequentibus.
Peccatorum macula non eſt æqualis in omnibus peccatis. 652.a
Peccatorum grauitas attenditur potiſsimùm ex obiectis. 652.b.& ſequentibus.
Maximum peccatum principaliter & directè maximæ virtuti contrariatur. 653.b.& ſequentibus.
Peccata ſpiritualia maioris culpæ ſunt quam carnalia cæteris paribus. 656.a.b
Peccatorum grauitas quomodo attendatur ſecundũ cauſam peccati. 657.a.b
Peccatum quomodo fiat grauius ex circunſtantijs. 658.a.b
Peccatorum grauitas attenditur ſecundum maius nocumentum præuiſum, & intentum. 659.a.b.& ſequentibus.
Grauiusne ſit peccatum ſolicitare mulierem ad fornicationem, quam occidere eam corporaliter exponitur. 662.b
Peccatum augetur ex nocumento peccantis. ibidem.a
Peccatum aggrauatur ex perſona in quam peccatur. 663.b. & ſequentibus.
Peccatum grauius fit ex magnitudine perſonæ peccantis & quomodo. 664.a.b.& ſequentibus.

¶ Peccatorum ſubiectum.

Peccati ſubiectum voluntas. 665.a
Peccati ſubiectum non eſt ſolum voluntas. ibidem.b
Peccatum an ſit ſolum actus voluntatis elicitus, diſputatur. 665.b.& ſequentibus.
Peccatum poteſt eſſe in ſenſualitate. 667.b.& ſequentibus.
Peccatum non poteſt eſſe in appetitu ſenſitiuo, niſi quatenus mouetur à voluntate. 669.b
Peccatum non eſt omnis motus ſenſualitatis circa illicita. 670.a.& ſequentibus.
Peccatum mortale non poteſt eſſe in ſenſualitate, licet poßit eſſe in appetitu ſenſitiuo. 672.a.b
Peccatum poteſt eſſe in ratione. 673.a
Peccatum moroſæ delectationis in ratione eſt. ibidẽ. a.& ſequentibus.
Peccatum mortale quando ſit motus illicitus appetitus ſenſitiui exponitur copioſè. ibidem.b
Peccatum quoad conſenſum ſemper pertinet ad rationem ſuperiorem, & quomodo conſenſus in delectationem communiter pertineat ad rationem inferiorem. 679.a.b
Peccatum mortale an ſit conſenſus in delectationem ſine opere diſputatur. 679.b. & ſequentibus.

¶ Peccatorum cauſæ.

Peccatum cauſam habet. 683. a. b. & ſequentibus.
Peccati & mali moralis quæ ſit cauſa, grauis quæſtio explicatur. 683. b. & ſequentibus latißime.
Peccatum habet cauſam interiorem mediatam, & immediatam. 685.a
Peccatum poteſt habere aliquam cauſam exteriorẽ, quæ moueat ad peccandum ſed non ſufficienter inducentem. ibidem.b
Peccatum ſola voluntas ſufficienter complet. ibidem.
Peccatum vnum poteſt eſſe cauſa alterius ſecundum quatuor genera cauſarum. 686.a
Ex vno peccato nonnunquam aliud ſequitur neceſſariò. 686.b
Peccati cauſa eſt ignorantia. 687.a.b
Peccatum eſt ipſa ignorantia. 688.a.689.a.b
Peccatum ignorantiæ, an ſit peccatum ex propria ratione, an ratione negligentiæ exponitur. 691.b. & ſequentibus.
Ad peccatum ignorantiæ vincendum quid teneatur homo facere. 693.b.& ſequentibus.
Peccatum excuſatur ex ignorantia. 698.a. b. & ſequentibus.
Peccatum diminuitur ex ignorantia. 701.a
Peccatum ex paſsione quomodo contingat, & quomodo paſsio moueat voluntatem ad peccandum etiam contra propriam ſcientiam. 702.b. 703.a.b & ſequentibus.
Peccatum ex paſsione conuenienter dicitur ex infirmitate. 706.a
Peccatum ex paſsione diminuitur. 709.a.b
Peccatorum cauſæ conuenienter reducuntur ad hæc tria, concupiſcentiã carnis, concupiſcentiã oculorum, & ſuperbiam vitæ. 708.b
Peccati omnis principium & cauſa eſt amor ſui. 707.a.b
Peccatum ex paſsione non totaliter excuſatur. 710.a.b
Peccatum ex paſsione poteſt eſſe mortale. 711.a
Peccatum ex malitia quid ſit. ibidem.b.& 712.a.b. & ſequentibus.

Peccatum ex habitu vtrum sit peccatum ex malitia. 114.115.
Peccatum ex malitia grauius est peccato ex passione. 716.b
Peccati causa Deus non est. 717.b
Peccati actus ex Deo est. 718.a.b
Peccatum à Deo non esse latissimè disputatur. 718.a.b.& sequentibus.
Peccatum præcedens quomodo dicatur causa excæcationis,& indurationis. 727.a
Peccati causa Diabolus non potest esse directè, sed solum per modum proponentis appetibile. 728.a.b.
Peccati causa potest esse Diabolus interius instigando. 729.a.b
Peccati causa non potest esse Diabolus necessitans voluntatem ad peccandum. 730.a.& b
Peccata omnia non sunt ex suggestione diaboli. 363.a
Peccatum primum primi parentis per originem in posteros traducitur. 731.b.& sequentibus.
Peccata alia primi parentis, vel proximorum parentum non traducuntur in posteros. 739.a.b.& sequentibus.
Peccatum primi parentis transit per originem in omnes homines. 740.a.b
Peccatum originale non contraheret qui ex humana carne miraculosè formaretur. 741.b
Peccatum originale non contraherent filij, si Adam non peccasset Eua peccante. 742.b
Peccati omnis radix est cupiditas. 757.b. 758.a
Peccati omnis initium est superbia. 758.b

¶ Peccati effectus.

Peccatum quomodo diminuat bonum naturæ, & an totum bonũ naturæ possit auferre. 761.a.b.762. a.b.& sequentibus latissime.
Ex peccato primo quatuor vulnera naturæ sunt deriuata. 765 b.766.a.b
Peccatum quomodo intulerit vulnus naturæ explicatur. 767.a.b
Peccati effectus est priuatio modi, speciei, & ordinis. 769.b
Peccati effectus sunt mors,& alij defectus corporales. 770.a.b
Peccatum causat maculam in anima. 773.a
Peccati macula quid sit. ibidem.b & latius. 774.a b & sequentibus.
Peccati effectus est reatus pœnæ. 776.a
Peccatum quomodo possit esse pœna peccati. 777.a. b.& sequentibus.
Peccatum aliquod inducit reatum æternæ pœnæ. 779.a.b.& sequentibus.
Peccato mortali ex parte auersionis debetur pœna infinita quæ est pœna damni, videlicet, infinita amissio infiniti boni scilicet Dei. 782.a
Peccato mortali correspondet pœna sensus finita. ibidem.
Peccati mortalis duplex pœna, damni, & sensus, ex diuinis scripturis demonstratur. 782.b
Peccatum mortale solum inducit reatum æternæ pœnæ. 785.b.& sequentibus.
Peccatum veniale in inferno punitur pœna nunquã finienda ratione status. ibidem
Post peccatum manente macula & auersione à Deo manet reatus pœnæ. 787.a
Post peccatum ablatum per veram pœnitentiam aliquando manet reatus pœnæ. ibidem
Pro peccato alterius quomodo quis puniatur variè explicatur. 789.a.b 790.a.b.& sequentibus.

¶ Peccatum veniale & mortale.

Peccatum veniale & mortale quod differant inter se, authenticum est, & habetur ex diuinis literis. 793.a.b
Peccati mortalis appellatio ex diuinis literis eruitur. ibidem
In peccato mortali qui existit quomodo dicatur mortuus. ibidem
Peccatum veniale quare ita dictum sit. 794.a
Peccatum veniale & mortale quomodo differant exponitur copiosè contra Lutheranos,& VVicleuistas. 794.b.795.a.b.& sequentibus.
Peccatum omne veniale de se esse mortale & mereri supplicium æternum, error. 795.b
Peccatum veniale vtrum sit contra legem an præter legem, exponitur. 797.b.798.a.b
Peccatum veniale ex genere suo differt genere & specie à peccato quod est mortale ex genere suo. 799.b
Peccatum veniale quomodo disponat ad mortale. 800.b.801.a.b
Peccatum veniale nunquam potest fieri mortale licet in infinitum multiplicetur. 802.b.& sequentibus.
Peccatum veniale quot modis possit esse mortale. 803.b
Peccatum veniale ex contemptu intra limites peccati venialis non est peccatum mortale. ibidem.
Peccatum veniale non causat maculam in anima. ibidem.
Peccata venialia conuenienter designantur 1. Corinth. 3. per lignum, fœnum & stipulam. 804.b
Peccatum veniale non potuit esse in statu innocentiæ. 805.b.806.a.b
Peccatum veniale non potuit esse in angelis. 807.b
Peccatum veniale non potest esse cum solo peccato origi-

originali sine mortali, idq; explicatur latissimè. 809. & sequentibus
Peccatum veniale quem habeat vltimum finem. 25.b 26.a
Peccati venialis duplex finis. 24.a
Peccatum veniale an tollat effectum sacramenti. 339.b
Peccata venialia non possumus omnia in hac vita cauere. 672.a.1019.a
Peccato veniali aliquem caruisse excepta B. Virgine an posit tutò defendi. 1020.a
Peccata venialia non diminuunt charitatem in se, benè tamen per impedimenti appositionem. 764.a

¶ Peccatum originale.

Peccatum originale quid sit, & quod sit eius subiectum, qui effectus, & qua pœna sit puniendum, vide verbo, Originale peccatum.

¶ Peccatorum quædam proprietates.

Peccatum sodomiæ antonomaticè dicitur peccatum contra naturam. 624.a
Peccatum quomodo dicitur fieri contra Dei voluntatem. 131.a
Peccatum ex ignorantia culpabili admissum est in eadem specie ac si fieret ex certa scientia. 291.a.648.a
Peccatum ex non sequuta conscientia erronea ad quam speciem pertineat. 303.a.b
Peccatum est agere contra conscientiam dubiam. 304.a
Peccata contra virtutes Theologicas an vitari possint absque gratia. 571.b. & sequentibus. 1017.a
Peccata carnalia non possunt esse in angelis. 642.b
Peccata carnalia quo ad reatum in angelis possunt esse, non quoad affectum. 643.a
Peccata præcipua non oportet quod præcipuis virtutibus opponantur. 654.b
Peccata commissa à maiori virtute pollentibus quando magis illis imputentur, exponitur. 664.b
Peccatum quodlibet in actu exercito est actio immanens. 667.a
Peccatum vnum ex multis actibus diuersarum potentiarum resultat. 667.b
Peccatum voluntatis germen. 684.a
Peccatum cum ignorantia an sit eiusdem rationis cum ipso præsente scientia. 701.b. & sequentibus.
Peccatum an posit esse in voluntate stante perfecta scientia in intellectu. 704.b
Peccatum quando pertineat ad naturam, quando ad personam perspiciendum est ex bono illo quo priuat. 737.a
Peccati consuetudo hominem magis ineptum reddit ad gratiam recipiendam. 763.a
Peccatum ex Dei misericordia aliquando est medicina. 792.a.b
Peccata omnia fiunt Deo permittente, & quare. 842.a
Peccatum permissum non est conforme diuinæ voluntati, & legi. 844.a
Peccata sanctorum quare narrentur in scriptura. 899.a.b
Peccatum an posit sine infusione gratiæ remitti de potentia Dei absoluta. 1017.b
Peccatum transit actu, & remanet reatu. 1079.b
Peccatum sine supernaturali rectitudine remitti nequit. 1080.b
Peccatum quænam incommoda secum trahat. 1080.b
Peccatum & gratia an sint immediatè opposita. 1081.b
Peccatum comproduci à Deo aliquando posse asseritur. 1082.b
Peccatum & gratia an suaptè natura opponantur. 1083.a
Peccatum an tollat gratiam efficienter vel demeritoriè. 1083.b
Pelagius licet inimicus gratiæ Christi illam necessariam astruit ad remissionem peccati. 1015.b

¶ Pœna.

Pœna duplex à lege statuta. 645.b
Pœna damni non est in omnibus damnatis æqualis. 652.a.782.b
Pœna ratione significationis imposita incurritur etiã sine culpa. 700.b
Pœna incurritur ab illo qui scienter facit opus propter quod posita est etiamsi ignorauerit illam pœnam. 701.a
Exceptio huius habetur. ibidem
Pœna originali peccato debita inquiritur. 754.b. 755. & sequentibus.
Pœna quid in sui ratione importet. 779.a
Pœna inferni nunquam finienda. 779.a. & sequentibus. 780.b. etiam pro peccato breui & momentaneo. 781.a
Pœna duplex, damni, & sensus. 782.b
Pœna damni quid. 783.b
Pœna damni infinita, secus de pœna sensus. 783.b
Pœna sensus an sit infinita. 783. & sequentibus.
Pœna peccati venialis in infinitum exceditur à supplicio peccati mortalis. 785.a.b
Pœna debita peccatis remissis nunquam in inferno finitur. 786.a
Pœna peccati mortalis & venialis ex parte detentionis in inferno æqualis, non vero ex parte doloris. 803.a

Pœna inferni nunquam filius punitur propter peccatum parentum, secus de temporali. 790.a
Pœnarum triplex genus. 878.b
Pœna priuatiua per legem apposita ipso facto incurritur absq; alia iudicis condemnatione, & quare. 878.b
Pœna præstiti iuramenti à Rectore vniuersitatis posita an obliget sub mortali. 881.b.882.a
Pœnitere sicut pro aliquo tempore licet, ita & non velle pœnitere. 713.a
Pœnitentiæ virtus in primo parente ante peccatum. 559.b
Pœnitentiam esse necessariam qua ratione Lutherani conuicti affirmant. 1090.a
Perfectio Euangelica principaliter consistit in interiori ornatu cordis, exteriora verò opera ad eius conseruationem necessaria sunt. 957.b
Perseuerantiæ, donum si quis dixerit se illud habiturum certitudine infallibili, hæreticus est. 1060.a
Perseuerantiæ donum quod auxilium requirat inuestigatur. 1023.b. & sequentibus.
Pessimum opponitur optimo, quando habet verum. 655.a.656.a.b
Perplexus homo non est in hac vita nisi sua culpa. 686.b
Permittit Deus per indulgentiam minora mala ad cauendum maiora peccata. 843.a
Permittere mala fieri bonum est. 845.a
Peregrini an teneantur legibus regionis in qua sunt. 885.a
Phantasmata non præcipuè concurrunt effectiuè ad mouendum intellectum. 183.a
Philosophorum variæ sententiæ circa amoris definitionem. 369.b
Philosophorum grauissimæ sententiæ circa sensus voluptatem detestandam. 429.a.b & sequētibus.
Philosophorum quidam beatitudinis spe mortem sibi consciuerunt. 111.b
Platonis argumenta ad ostendendam differentiam irascibilis & concupiscibilis. 355.a
Plauti versus de amore. 372.a
Pollutionem ex audientia confessionum subsequutã non tenetur confessor vitare. 677. a. & sequentibus.
De Pollutione sine peccato subsequuta an liceat gaudere. 678.a
Potestas humana ex pluribus consurgit. 37.b

¶ Potentia.

Potentia ad videndum Deum non est naturalis. 78.a
Potentia miraculorum non est naturalis. 78.a
Potentia naturalis quid. ibidem
Potentiæ passiuæ correspondet potentia actiua. ibidem.
Potentia rectè diuiditur in potentiam naturalem & supernaturalem, & obedientialem, potentia vero neutra est merum commentum. 79.b
Potentia fertur in suum obiectum, & in suum contrarium. 5.a
Potentia non potest eleuari extra latitudinem sui obiecti. 53.b
Potentia corporea potest agere in spiritum. 54 a.b
Potentia obedientialis quid. 79 b
Potentiæ omnes præter voluntatem cogi possunt in in suis actibus. 135.a
Potentiæ quæ subduntur voluntati sunt in duplici differentia. 165.a
Potentijs quædam conueniunt secundum sua propria obiecta; quædã per participationem causæ superioris. 356.a
Potentia peccandi an sit à Deo. 724.b
Potentiæ animæ post peccatum discordes. 768.b
Potentiæ duæ quando concurrunt ad aliquem actum illi actus tribuendus est ad quam pertinet secundum substantiam suam, & secundum id quod perfectissimum est. 819.b
Potestas tyrannica & regia in quo potissimè discriminentur. 822.b
Prauus omnis quomodo sit ignorans. 705. a. & sequentibus.

¶ Præceptum.

Præceptum non concupisces quomodo sit intelligendum. 202.a
Præceptum dilectionis Dei adimpletur in via. 265.b
Præceptum quodlibet an obliget ad mortale. 798.b & sequentibus.
Præcepta legis naturalis sunt in triplici differentia. 835.a
Præcepti & finis legis quando sub præcepto cadit. 838.b
Præcepta aliqua iuris naturalis inuincibiliter ignorari possunt. 858.a
Præcepta veteris legis quot. 862.b
Præcepta à superioribus quo fine & qualiter imponi debent. 863.b
Præceptum implere & vitare peccatum illi oppositum idem est. 1017.a
Præmiare Deum vltra, & punire citra condiguum, quomodo verificetur. 786.b
Præfectus non tam ad singula membra, quam ad totum corpus attendere debet. 865.a
Præcipientium temerariæ intentiones pro quibus libet rebus parui ponderis statim obligant ad culpam subditos quam ipsi volunt subditos incurrere. 882.a
Prælati possunt in suis legibus dispensare. 890.b
Præcepta Mosayca ad tria genera reducuntur. 905.b

Præcepta primæ & ſecundæ tabulæ quot. 910.a
Præcepta quæ indiſpenſabilia. 911.b
Præcepta decalogi an ſint diſpenſabilia. 912.
Præcepta ceremonialia qua ratione in noua lege róbur habeant. 925.b
Prædicatio Apoſtolorum non fuit poſitio, ſed promulgatio legis. 929.a
Præceptum in veteri lege de non admittendis in eccleſia Dei Ammonitis & Moabitis, etiam poſt decimam generationem, diſcutitur. 940.b
Præceptum fuit poſitiuum in veteri lege de ducenda vxore ex eadem tribu. 942.b
Primum in vnoquóq; genere eſt cauſa aliorum. 6.b
Principia quibus homo dirigi poteſt in ſua cognitione ſunt quatuor. 349.a
Priuationes naturalium potentiarum ſunt malæ ſecundum quid. 725.a
Priuationes multæ ſuſcipiunt magis & minus. 783.a
Priuatio vocis actiuæ an ſtatim ipſo facto incurratur. 878.b. & ſequentibus.
Proprietates conuenientes ratione formæ aliter ſe habent quam quæ conueniunt ratione materiæ. 196.a
Progreſſus rationis duplex eſt, reſolutiuus & compoſitiuus. 241.a
Progreſſus peccati explicatur. 246.a
Progreſſus rationis in rebus agendis. 240.b
Propter non ſemper importat cauſalitatem ſed non nunquam rationem finalem. 161.b
Prophetiæ donum non manet in patria. 604.a
Promulgatio an ſit de ratione legis. 826.b.831.a
Promulgatio quæ & quanta ad legem requiratur. 828.a. & ſequentibus.
Propitiatorium an fuerit tabula lapidea. 921.b

¶ Prudentia.

Prudentis definitio eſt regula humanarum operationum. 296.b
Prudentia in ſpirituum approbatione maximè neceſſaria. 351.a
Prudentia non perditur per obliuionem. 503.b
Prudentia eſt virtus ab arte diſtincta. 533.a.b
Prudentia eſt virtus homini neceſſaria. 536.a
Prudentia eſt in intellectu practico. 534.a
Prudentiæ adiungitur ſyneſis, & eubulia. 535.a
Prudentia ſemper dicit verum. 535.a
Prudentia quomodo præſtituit finem virtutibus moralibus. 542.a
Prudentiæ non poteſt eſſe ſine virtutibus moralibus. 543.b
Prudentiæ diſcurſus qualis ſit. 544.a.b
Prudentia eſt vnica tantum in vno homine. 551.a.b
Prudentiam eſſe virtutem infuſam ſecundum fidem probatur. 573.a
Prudentia an ſit charitate præſtantior. 599.a
Puerum facientem quod in ſe eſt ex facultate naturæ dum peruenit ad vſum rationis, Deus illuminabit. 1013.b
Puer perueniens ad vſum rationis an diligere poſſit Deum ſuper omnia. 994.b
Puero in primo inſtanti vſus rationis rectè de ſe deliberanti non oportet vt lumen ſupernaturale mox infundatur, ſed ſatis eſt poſt aliquam moram prout deſtinauerit diuina prouidentia. 812.b
Puer ad vſum rationis perueniens quos actus teneatur habere deſcribitur. 813.a
Puerum teneri ad Deum conuerti cum peruenerit ad vſum rationis quem ſenſum habeat. 714.a
Pulchritudo eſt amoris cauſa. 379.a.b
Pulchritudo quid ſit. 379.b
Purgatorij locus ex Paulina ſententia colligitur cõtra Lutherum. 805.b

Q

QValis vnuſquiſque eſt, talis finis videtur ei. 170.b
Qualitatis ſpecies recenſentur. 470.b
Qualitas quid ſit. 471.a
Qualitatum proportio in actione & reſiſtentia. 501.a
Qualitates quæ intenduntur & remittuntur in ſe ipſis ſunt magis vel minus perfectæ. 501.a
Quantitas bonitatis vel malitiæ in electione quomodo conſequitur quantitatem bonitatis vel malitiæ in intentione. 313.a.b. & ſequentibus
Quando ſit laudabile diuinæ voluntati conformari inuolito materialiter. 321.b
Quæſtiones quæ de puero peruenienti ad vſum rationis poſſunt moueri citantur. 814.b
Quies, & lætitia, & gaudium quomodo ſe habeant. 214.a
Quies conuenit rebus cognitione carentibus, nõ gaudium nec delectatio. 214.a
Quod eſt tale per participationem reducitur ad id quod eſt tale per eſſentiam. 73.a.b
Quod eſt in potentia reducitur ad actum per aliquid quod eſt in actu. 162.b.173.a
Quod mouetur ab alio mouetur, explicatur. 175.a

R.

RAptus addit ſuper ecſtaſim. 392.b
Raptus Pauli quomodo fuerit. ibidem.
Ratio eadem potentia cum intellectu. 245.b
Ratio ſuperior & inferior quid ſint, & quomodo diſtinguantur. 245.b
Ratio humana & diuina quid. 246.a
Ratio ſuperior non poteſt peccare venialiter tantum ſi obiectum ex genere ſuo ſit peccatum mortale, ſecus ſi ſit veniale. 683.a

Ratio humana ex cõiunctione ad donum iustitiæ originalis habebat in se vigorem quo posset concupiscentiam frenare. 968.a.b
Reatus pœnæ non est pœna sed obligatio ad illam. 777.a.
Reatus pœnæ aliquando manet remissa culpa. 787.b
Reatus pœnæ an aliquando tollatur manente peccato in hac vita. 788.a
Rectitudo voluntatis requiritur ad beatitudinem antecedenter & concomitanter & consequenter. 90.a.& sequentibus.
Regia potestas inter omnes gubernandi rationes eminet. 938.b
Reges an bona subditorum in proprias valeant conuertere vtilitates pro suo arbitratu. 821.a
Reges ministri regni in scriptura appellantur. 821.b
Reges & principes qui bonis reipub. abusi sunt infeliciter perierunt. 823.a
Regimen mixtum esse optimum inter cæteros principatus quomodo intelligatur. 869.b
Rex propter regnum, non è conuerso. 822.a
Regulæ ad cognoscendum quando metus à peccato excuset. 140.b
Regulæ ad cognoscendum quando circunstantiæ mutant speciem actus. 290.a.b
Regulæ ad pacandam conscientiam in dubijs. 305.b
Regulæ ad cognoscendum quando ex intentione meliori finis crescat bonitas electionis. 314.a.b
Regulæ ad probandum vtrum spiritus ex Deo sint. 352.a
Reipub. maximè prodest quod ciues non egeant. 823.a
Remedia ad immoderatum amorem minuendum. 98.b
Quod religio sit virtus infusa ex fide constat. 573.a
Resolutio vltima fidei fit in primam veritatem. 1066.a
Res amata tripliciter se potest habere ad amantem. 88.a
Res artificiosæ dicuntur bonæ per ordinem ad aliquid extrinsecum. 266.a
Res naturales sunt bonæ per aliquid absolutum. ibidem.
Res exteriores dicuntur bonæ vel malæ causaliter. 269.a
Res tantum habent de bonitate sicut de esse. 260.b
In rebus per se ordinatis vtrum sit possibilis progressus in infinitum. 20.a.b
Reuelatio suæ gratiæ quibus facta fuerit. 1058.a
Risus subiectum & sedes. 426.a.b.
Risus solis hominibus conuenit inter animantia. 427.a
Risus causa & origo. 426.b

S

SAbbathum in dominicam diem Apostoli trãstulerunt. 865.b.
Sacerdos non tenetur potius mori quã celebrare absq; corporali aut lumine aut coram excommunicatis nisi fiat in contemptum religionis Christianæ. 876.a

¶ Sacramentum.

Sacramenta quæ dicebantur in veteri lege. 921.a
Sacra dicuntur quæ ad diuinum cultum tanquam instrumenta peculiaria deputantur. 921.a
Sacramenta gratiæ fontes appellantur. 945.b
Sacramentorũ nouæ legis necessitas & conuenientia. 956.b
Sacramentalia cur in lege noua nulla fuerint à Christo Domino instituta. 959.a
Sacramentum Baptismi & pœnitentiæ vt digne suscipiantur sat fuerit vt qui suscipit vel non habeat conscientiam peccati mortalis, vel saltem habeat attritionem de peccatis. 1005.
Sacrilegium grauius furto. 651.a
Sacrificia quot erant in lege veteri. 921.a
Sanctorũ sentẽtiæ difficiles circa beatitudinem, vtrũ futura sit perfecta ante corporum resurrectionem. fol.96.a.& 97.a.b
Sapiens dominabitur astris. 182.b
Sapientia an sit charitate præstantior non ita facile definitur. 599.a.
Sarraceni vitã beatam in voluptate constituũt. 39.a.
Satisfactio nostra meritis Christi enixa satisfactionẽ Christi maximè cõmendat & illustrat, tantũ abest vt obscuret. 788.a
Satisfacere non potest quis in gratia existens pro peccatis ab ipso committendis. 788.a

Scientia.

scientia practica quid requirat. 67.b
scientia non est collectio specierum. 482.b
scientia proprie est habitus. 483.a
scientia perfectissima non est sufficiens ad mouendam voluntatem. 539.a.b
scientia de rebus agendis duplex, vniuersalis & particularis. 540.a.
scientia quanto vniuersalior, tanto certior. 602.a
Per scientiam inditam Christus non cognouit euidenter mysterium Trinitatis, euidentia rei; secus est de euidentia in attestante. 604.a
scientia publica secundũ quam Princeps iudicare tenetur triplex. 866.b
scire tenetur homo quæ sunt fidei. 689.a
Et præcepta Decalogi. ibidem.b
Ea quæ ad suum statum pertinent. ibidem.b
Nonnullas circunstantias peccatorum. ibidem.b
Schisma & Hæresis grauissima peccata. 651.b

Scripturæ pacem promittentes & securitatem conscientiæ qualiter debeant interpretari exponitur. 1059.a.b
Scrupulus quid sit. 309.b
Scupulus ex triplici capite oriri solet. 310.a
Scrupulorum antidotus & medicina 310.a

¶ Sensualitas.

Sensualitas quid. 245.b.668.a
Sensualitas & appetitus sensitiuus identificãtur, differunt tamen ratione. ibidem
An sensualitatis quilibet motus circa illicita sit peccatum. 670.a
Sensualitas dumtaxat potest esse subiectum peccati venialis. 672.b
Sensationes in vita beata non deseruiunt intellectui. 57.a
Sensus omnes tam interni quam externi in vita beata habebunt suas operationes. 56.a
Sensus in vita beata recipiunt species sensibiles ab obiecto. 56.b
Sensus operatio potest pertinere ad beatitudinem antecedenter & consequenter. 53.a
Sensus nec exterior, nec interior Deum attingit. 53.b
Sermo Domini in monte compendiose & summarie exponitur. 959.b
Seruus Hebræus post 7. annorũ seruitia quod esset liber 7. anno. Exod. 21. quid figurabat & significabat. 937.a
Sydera nequaquam inclinant ad malum. 185.b
Sydera inclinare homines ad peccandum, impium dogma. 716.a
Similitudo est causa amoris. 382.b
Similitudo quare sit discordiæ causa. 383.b
Simonia detestabilior vsura. 651.a
Synderesis est inchoatio virtutis moralis nõ autẽ simpliciter virtus moralis. 570.b
Sinderesis est perfectior prudentia in ratione virtutis intellectualis. 570.b.& 572.a
Synderesis qua ratione dicitur inclinare ad bonum, & murmurare de malo. 852.a
Sodomia abominabilior quam fornicatio. 651.a
Somniantes & amentes habent aliquos actus intellectus & voluntatis. 199.b
Sonus quomodo in cœlo empireo formari possit. 58.a.

¶ Species.

Species actuum humanorum considerantur formaliter ex fine, materialiter vero secundum obiectum actus exterioris. 277.a
Species quæ est ex obiecto quomodo continetur sub specie quæ est ex fine. 278.a.b
Species rerum pensanda est ex forma substantiali. 288.a
Species creata nequit representare Deum vt trinũ. 603.a

¶ Spes.

Spei & charitatis discrimen. 250.a
Spes differt à desiderio, gaudio, timore & desperatione. 445.b
Spes ad appetitum pertinet. 446.a
Spes est in brutis. ibidem. b. & 449.a
De spei certitudine disputatio. 1070.a. 1068.a
Spem certam de peccatorum remissione an possimus habere. 1068.a
Spes necessaria Christiano cuilibet. 1068.b
Spes Christiana qua parte habeat trepidationem & ambiguitatem admixtam exponitur. 1069.a
Sperare potest quis certò se consequutum fuisse peccatorum suorum remissionem. 1069.b
Spei contrariatur desperatio. 446.b
Spei causa est experientia. ibidem. b
Spei causa est iuuentus & ebrietas. 447.a
Spes causa est & effectus amoris. 447.b
Spes multum conducit ad operationem. 447.b
Spei variæ definitiones. 448.a
Spei causæ explicantur. 449.a.b
Ad spem pertinet intendere finem vt possibilem & arduum. 565.a
Spes & fides acquisitæ non sunt virtutes. 564.b. etiã circa supernaturalia obiecta. 565.a
Spes quomodo dici possit forma fidei exponitur. 566.b
Spes sine fide nequit esse. 593.a
Spiritualium desitio potest fieri per vltimum sui esse. 210.b
Spirituum approbatio prudenter gerenda est. 351.a
Spirituum probatio quomodo facienda. 352.a
Spiritus sancti impulsus vt cognoscatur optima assignatur regula. 612.a
Status legis naturæ quare sic appellatur. 835.b
Statuti vniuersitatis violatores quãdo sunt inhabiles ad præstandum suffragium. 880.b. & sequentibus.
Status in quibus natura humana considerari potest. 966.b
Stilpo philosophus propriam compescuit inclinationem, & complexionem. 189.b
Stoicorum sententia circa bonorum diuisionem. 104.a
Stoici inter passiones solum dolorem, & voluptatẽ referebant. 352.b
Stoici & Peripatetici circa passionum constitutionẽ solis nominibus discernuntur. 363.b. 548.a
Studiosus & facile, & iucunde operatur. 574.a
Subiecta diuersa non possunt denominari ab eodem accidenti denominatione intrinseca, bene autem extrinseca. 327.a

¶ Superbia.

Superbia radix peccatorum. 759.a.b
Superbia quare non numeretur à Gregorio inter vitia capitalia. 760.b

Superius ab inferiori vt sic non persicitur. 71.a
Superbi & simul luxuriosi sunt monstra hominum, semibestiæ, & semidiaboli. 656.b

T.

TEmperantia est in appetitu sensitiuo. 523.a
Temperantia infusa formaliter in appetitu sensitiuo subiectatur. 574.a
Temperantiæ virtus in Angelis nequit esse 644.a
Templum tempore antiquæ legis quod fuit exponitur. 921.a
Temporalia præmia quare obseruantibus legem fuerunt in antiqua lege promissa. 906.a.b
Tenemur conformari diuinæ volũtati tam in præceptis affirmatiuis quàm negatiuis, non autẽ in consilijs. 318.a
Tenemur conformari diuinæ voluntati in volito formali. 318.b
Tentatio quid. 730.b
Tentatio carnis in Christo non fuit. ibidem.
Testamentum vetus quando inceperit exponitur. 901.b
Testamentum vetus quomodo ad Christianos pertineat. 897.a
Testamentum in sui significatione quid importet. 901.b

¶Theologia.

Theologia est dignissima sapientia. 531.b
Theologia hic comparata in beata anima non remanet. 601.b
Theologia nostra secundum se est euidens. 605.b

¶Timor.

Timor aliquando est naturalis, aliquando minimè. 450.
Timoris & amoris nouæ & veteris legis differentia. 951.a.952.a
Timor est passio animæ specialis. 450.a
Timor Domini qui in scripturis cõmendatur quis sit. 451.a
Timor primo & per se respicit malum vt proprium obiectum. ibidem.b
Timor ipse timeri potest. 452.b
Timor non est propriè de malo culpæ. ibidem
Timor potest esse de malo naturæ contrario .452.a
Timor potissimum circa mala repentina & quæ nõ habent remedium versatur. 453.a
Timor filialis permanet in vita beata. 455.b.& seq.
Timor augetur auctis causis ex quibus nascitur. 457.a
Timor etiam ex præteritis periculis nascitur. 456.a
Timor facit homines consiliatiuos. 458.a
Timor tremorem causat. 458.b
Timor impedit operationem. 459.a
Timor & dolor in Christo. 840.b
Timor & dolor conueniunt in materia & ponitur eorum differentia. 840.b
Timor pœnarum triplex. 840.b
Timore pœnæ lege obseruare laudabile an sit. 839.a.& sequentibus.
Timoris sex sunt species. 450.a
Timoris definitio. ibidem.b.& sequent.
Timoris obiectum tria in se includit, malum, arduum, & futurum. 453.b
Timoris filialis obiectum est offensa Dei. 454.b & sequentibus.
Timoris effectus est appetitus contractio. 457.b
Timoris causa dispositiua est amor. 456.b
Timoris causa est defectus. 457.a
Timoris effectus explicatur clarius 459.a.b
Timori contrariatur audacia. 459.b
Timiditas maius peccatum est quam intemperantia. 654.& sequentibus.
Timiditas ex doctrina D. Thomæ magis peccatum colligitur quam intemperantia. 655.b
Traditiones multæ à temporibus Apostolorum vsq; ad nos perdurantes recensentur. 865.b
Transgressio materialiter interim & formaliter sumitur. 646.a
Tributa ratione transitus quando soluenda. 879.b
Tributum de alcauala, sisa, collecta. i. pecho, quando soluenda sunt. ibidem.

¶Tristitia.

Tristitia inferior est respectu doloris. 431.b
Tristitia est contraria delectationi respectu eiusdem obiecti. 432.a
Tristitia & delectatio de diuersis non ponunt oppositionem. 432.a
Tristitia simul & gaudium quomodo fuerunt in anima Christi tempore passionis. 435.a
Tristitia non indiget peculiari virtute vt sedetur. 555.a
Tristitia quomodo ex concupiscentia causetur. 437.a
Tristitia causatur ex appetitu vnitatis. 437.b
Tristitia causatur ex maiori potestate. ibidem.
Tristitia vehemens aufert facultatem addiscendi. 439.a
Tristitia & dolor omnem operationem debilitat. 440.a
Tristitia magis nocet corpori quam aliæ passiones. ibidem.a
Tristitia ex delectatione mitigatur. 441.a
Tristitia & dolor ex fletu mitigatur. ibidem.b
Tristitia ex compassione amicorum & contemplatione veritatis mitigatur. 441.b
Tristitia licet secundum se mala sit, honesti tamen & vtilis rationem habere potest ex causa. 443.a.b.& sequentibus.
Tristitia non potest esse summum malum. 444.a
Tristitiæ quatuor sunt species, misericordia, anxietas, inuidia. & accidia. 434.a.& 435.b.& sequentibus.
Tristitiæ causa magis malum coniunctum quàm bonum amissum. 436.b

Tristitiæ causæ ex parte nostri tres sunt. 438.a
Tristitiæ effectus recensentur. ibidem.
Tristitiæ remedia explicantur. 442.a.b
Tristitiæ effectus est aggrauatio animæ. 439.b

V.

¶ Veniale peccatum.

VEniale peccatum quare ita dictum sit. 794.a
Veniale peccatum remittitur amicis Dei quando anima emigrat à corpore etiam si in hac vita illius peccati pœnitentiam non egerint .796.b
Veniale peccatum est remißibile negatiue, id est de se non habet quare non poßit remitti cum non contrarietur charitati. 797.a
Veniale peccatum est præter legem. 797.b
Veniale peccatum an sit contra legem. ibidem.
Veniale peccatum absolute peccatum dici potest. 798.a
Veniale peccatum quomodo sit contra legem, quomodo non. 798.a
Veniale peccatum qualiter cauendum sit, & eius incommoda. 801.a.b
Venialia peccata, an plura conficiant vnum mortale. 802.b
Veniale peccatum quot modis fiat mortale. 803.b
Veniale peccatum quomodo displiceat Deo & quẽ nitorem tollat. 804.a
Veniale peccatum an potuerit esse in statu innocentiæ. 806.a
Venialia peccata an per lignum, fœnum & stipulam optime à Paul. 1 Corinth 3. intelligantur, & de intelligentia illius loci. 804.a & sequen.
Verbi otiosi, definitio. 284.a

¶ Veritas.

Veritas actiuæ mentis est consentanea recto appetitui. 535.a
Veritatis practicæ & speculatiuæ definitio. 297.a
Veritas quæ à nobis cognosci potest, quotuplex. 962.b
Verum diuinius est magis separatum quam bonum. 65.b
Videntes Deum peccare est impoßibile. 93.a
Viduæ quæ de actu coniugij præteriti delectatur, non licet præsentem imaginari virum vt delectetur. 680.b

¶ Violentia.

Violentia in actibus imperatis potest inferri voluntati, non autem in actibus ab ea elicitis. 131.b. 135.a. 136.a
Violentum & coactum quid. 125.a. 132.a. 138.a
Violentia tribus modis contingit. 134.a
Violentia inferri potest creaturis etiam à Deo. 134.b
Violentia omnibus alijs potentijs à voluntate inferri potest. 135.a
Violentia causat inuoluntarium. 137.a & sequẽ.
Vires apprehensiuæ non sunt subiectum virtutis. 525.a.b
Virginitas & continentia coniugio præfertur, non ob carnis integritatem, sed propter libertatem ad vacandum Deo. 961.b
Vir consentiens in actu coniugij præteriti non peccat mortaliter. 680.a

¶ Virtus.

Virt⁹ intellectualis præstat morali in vita beata 63.b
Virtutis duplex finis. 23.b
Virtutum moralium & intellectualium differentia. 483.a
Virtutes morales acquisitæ an fuerint in Angelis. 484.b
Virtus secundum se est habitus bonus. 513.a
Virtutis definitio explicatur. 514.b. & sequen.
Virtus est in potentia animæ sicut in subiecto. 515.b
Virtus vna & eadem non potest esse æqualiter in pluribus potentijs. ibidem.
Virtutum intellectualium & moralium discrimen quantum ad rectitudinem vsus. 519.b
Virtutes intellectuales quomodo sint perfectiores moralibus. 520.a
Virtutes quæ sunt in appetitu sensitiuo, sunt veræ virtutes. 523.b
Virtus appetitus sensitiui est principiũ electionis in voluntate. 523.b
Virtutis subiectum quid requirat. 526.a
Virtutis nomen varie accipitur. 508.b
Virtutis variæ definitiones. ibidem & sequen.
Virtus humana est habitus bonus operatiuus. 511.a.b
Virtutes intellectuales non sunt virtutes simpliciter sed secundum quid. 530.a
Virtutes intellectus speculatiuæ sunt tantum tres, scientia, sapientia & intellectus. 531.a
Virtus moralis distinguitur ab intellectuali. 538.b
Virtus necessaria est in voluntate vt rationi obtemperet. 540.a
virtus moralis non potest esse sine synderesi & prudentia. 541.a.b
Virtutibus moralibus quomodo præstituit finẽ prudentia, & è contrà. 542.a.b
Virtutes intellectuales præter prudẽtiã possunt esse sine virtute morali. 542.b
Virtus licet non sit passio, potest tamen esse cũ passione. 545.a.b
Virtus moralis potest esse cum aliqua tristitia. 546.a
Virtutes morales constituunt medium in ipsis passionibus. 549.b
Virtus moralis non est tantum vna. 550.a
Virtutes morales quæ sunt circa operationes distinguuntur ab his quæ sunt circa passiones. 552.a
Virtutes morales sibi inuicem auxiliantur. 552.b
Virtutes quæ sunt circa operationes in ordine ad alterum distinguuntur secundum diuersas rationes debiti. 551.b
Virtutes morales distinguuntur secundum diuersa obiecta passionum. 555.a

Virtutes quæ collocantur in appetitu ſenſitiuo ſunt decem. ibidem.a.b
Virtutum moralium quædam meritò dicuntur cardinales. 556.b
Virtutes cardinales ſunt quatuor. 557.a.558.b & ſequentibus.
Virtutes cardinales rectè diuidũtur in politicas purgati animi & purgatorias & exemplares. 558.a
Virtutes cardinales propriè non ſunt in Angelis. 559.a.b
Virtutes morales conſiſtunt in medio. 578.b
Virtutes morales omnes excepta iuſtitia conſiſtunt in medio inter duos habitus vitioſos. 579.a
Virtutis medium non eſt rei ſed rationis. 580.a 581.b
Virtus quare circa difficile verſatur. 582.b
Virtutes intellectuales quomodo conſiſtant in medio 582.b.& ſequen.
Virtutes Theologicæ triplici modo conſiderantur. 584.b
Virtutes Theologicæ quomodo conſiſtunt in medio. ibidem.
Virtutes morales perfectæ connexæ ſunt. 585.b & ſequentibus.
Virtutes morales infuſæ ſunt ſimpliciter virtutes, adquiſitæ verò ſecundum quid. 589.a.b
Virtutes acquiſitæ ſunt virtutes ſecundum quid, infuſæ verò ſimpliciter. 589.a
Virtutes infuſæ etiam cum paſsionibus ſunt ſimpliciter virtutes. 590.b.& ſequen.
Virtutes Theologicas qui de medio tolleret nõ eſſet apertè hæreticus. 561.a
Qui hac tempeſtate illas negaret fere eſſet hæreticus & grauiſsimè erraret. ibidem.
Virtutes Theologales infuſas eſſe neceſſarias ad credendum, amandum, &c. non eſt aperta fidei definitio. ibidem, ſunt tamen neceſſariæ de lege ordinaria.
Virtutes Theologicæ ſunt neceſſariæ ad ſingulos actus, credendi, ſperandi, &c. ibidem.b
Virtutes morales & intellectuales ſunt ſecundũ naturã hominis, Theologicæ autem ſupra ipſius naturam. 572.a
Virtus Theologica quid expoſtulat vt Theologica ſit, & quomodo ab acquiſita diſcernatur. 562.b
Virtutes Theologicæ ſunt tres. 564.a.& ſequentibus.
Duas virtutes eſſe neceſſarias in voluntate reſpectu finis ſupernaturalis exponitur. 565.a
Virtutes non ſunt fides humana & ſpes humana circa ſua proportionata obiecta, & multo minus circa ſupernaturalia. 565.a
Virtutes Theologales an ſimul infundantur. 565.b & ſequentibus.
Virtutes ſecundum perfectionem & conſummationem non ſunt nobis à natura. 567.b
Virtutes eſſe in nobis à natura ſecundum quandam inchoationem & aptitudinem certiſsimum eſt. 568.b
Virtutes Theologicas certum eſt ab extrinſeco prouenire. ibidem.& 569.b
Virtutes Theologicæ an ſint naturales beatis, Chriſto Domino, & homini in ſtatu innocentiæ. 568.b
Virtutes Theologicæ nõ infunduntur ſecundum capacitatem naturalem. 569.a
Ad virtutes Theologales non eſt in nobis naturalis potentia. ibidem.
Virtutes Theologicæ nulli creaturæ poſſunt eſſe connaturales. 569.b
Quod virtutes Theologicæ infundantur ſecundum actum liberi arbitrij ex facultate naturæ conquiſitum, Pelagianum eſt. ibidem.
Virtutes prædictas infundi ſecundum actum liberi arbitrij ex diuino auxilio habitum, non tollit quo minus de foris veniant. ibidem.
Virtutes Theologicæ non erant connaturales animæ Chriſti, & quare. 570.a
Virtutes acquiſitæ & infuſæ differunt, etiam quantum ad hoc quod vtræq; ſe compatiantur cũ peccato mortali. 571.b
Virtutes infuſæ qualiter ſe compatiantur cum peccato mortali. ibidem.
Virtutes morales infuſas negare temerarium eſt. 573.a
Virtutes morales infuſas Theologicas eſſe rationibus oſtenditur. 573.a.& ſequenti.
Virtutes infuſæ animæ noſtræ armis Saulis Dauidi ſuperpoſitis comparantur. 574.a
Virtutes infuſæ ab adquiſitis differunt ſpecie. 575.a
Virtutes infuſæ an augeantur efficienter per ſuos actus. 575.a.& ſequenti.
Virtutes infuſas augeri à nobis efficienter non eſt temerarium aſſerere. 576.a
Virtus dupliciter poteſt eſſe alia perfectior ex parte obiecti & ex parte ſubiecti. 594.a
Virtutes omnes morales ſunt æquales ex parte obiecti. ibidem.
Virtutes intellectuales præeminent moralibus. 595.b.& ſequentibus.
Virtutes morales an maneant in vita beata. 599.b & ſequentibus.
Virtutes morales qualiter ſuos actus exerceant in vita beata. 600.b
Virtutes morales ad perfectionem vitæ beatæ maximè conducunt. ibidem.
Virtus perficit voluntatem vt eſt nata moueri à ratione. 611.a
per Virtutes infuſas & Theologicas imperfecte participatur motio Spiritus ſancti, & ideò ponuntur dona. 611.b.& 612.a
Virtutes an per peccata venialia corrumpantur, & quæ. 625.b.& ſequent.
Virtus per ceſſationem ab actu diſsipatur. 628.a

¶ Visio beata.
Visio sola non constituit perfectam beatitudinem. 88.a.& sequent.
Visio correspondet fidei. 89.a
Visio beata animæ Christi non est infinita simpliciter. 45.b
Visio maior beatifica non attenditur ex digniori intellectus natura, sed ex maiori lumine gloriæ. 52.b.
Visio beatifica non fit per aliquam speciem creatam. 52.b
Visio beatifica in multis excedit charitatem. 66.a
Visio beatifica simpliciter est speculatiua, licet quodammodo practica. 68.a
Visio beatifica eminenter est practica & speculatiua. ibidem.
Visio beatifica vna cum sit est simul apprehensiua & iudicatiua. 68.a.b
Visio beata quomodo dicatur actio humana. 4.a
Visio Dei non est naturalis similitudo Dei. 45.a
Visio beata in nobis à solo Deo effici non potest. 51.b
Visio Dei sola sine amore non efficit perfectam beatitudinem. 63.b
Visio clara diuinæ essentiæ aliter ad fidem, spem, & charitatem comparatur. 89.a
Visio Dei clara post corporum resurrectionem intensior non erit. 101.b.102.a
Visionis beatificæ excessus & excellentia penes quid attendatur. 109.b
Visio beata suapte natura est inamißibilis. 113.a
Visio beatifica etiam vt est à lumine gloriæ est dicenda supernaturalis. 116.a.b
Visio clara vnius personæ diuinæ non potest esse sine visione clara omnium personarum, & sine visione essentiæ. 217.a
Visio animæ Christi qua videt infinita in verbo nõ est infinita omnibus modis. 785.a
Vita æterna in sacris literis semper significat vitam beatam. 61.a
Vitæ principium duplex in anima. 651.b
Vita animæ est spiritus Dei. 793.b
Vita æterna etiam in veteri testamento fuit promissa. 906.b

¶ Vitium.
Vitiosus homo non dicitur eo quod semel aut iterũ peccet, nisi adsit consuetudo. 622.a
Vitium vnde dicatur. 621.b
Vitium virtuti contrarium. ibidem.
Vitium peccatum & malitia quomodo se habeant inter se. ibidem.
Vitium hydropi assimilatur. 622.a
Vitium habitum confirmatum importat. 622.a
Vitium non consistit in medio rationis. 581.a
Vitium an sit peius actu malo. 624.b
Vnionis hypostaticæ, & vnionis in ratione notitiæ discrimen. 45.a
Vnio tribus modis se habet ad amorem. 386.b
Vnitas ad gubernationem necessaria. 939.a

¶ Volitio.
Volitio medij non formaliter sed virtualiter includit semper volitionem finis. 161.a
Volitio finis libera est quantum ad exercitium. 175.b
Volitiones imperfectæ sunt volitiones morales & liberæ. 232.b

¶ Voluntarium.
Voluntarium directè non potest esse sine actu. 129.a
Voluntarium indirectè potest esse sine actu. 129.a
Voluntarium indirectè tres exigit conditiones. 129.a.b
Voluntarium quid. 124.b
Voluntarium reperiri in a. bus humanis. 123.b
Voluntarij multiplex acceptio. 124.b
Voluntarium & liberum distinguuntur. 125.a
Voluntarium in natura rationali reperitur perfectè, in brutis verò imperfectè. 126.a
Voluntarium quot modis. 674.b.& sequent.
Voluntarium in sua causa nihil refert an contingat in somnijs. 677.a
Voluntarium tribus modis contingit. 699.a

¶ Voluntas.
Voluntatis tres actus, desiderare, delectari, amare. 62.a
Voluntas non est potentia apprehensiua. 62.a.b
Voluntas non consequitur bonum per se. ibidem.
Voluntas ad intellectum quomodo comparatur. 65.a.b
Voluntas mouet intellectum in genere causæ efficientis. 65.b
Voluntas trifariam consideratur. 83.b
Voluntas deliberata quid sit. 2.b
Voluntas deliberata duplex. 6.b
Voluntatis quilibet actus est propter vltimum finẽ. 26.b.& sequentibus.
Voluntas tendens in beatitudinem ferro inter duos magnetes constituto, meritò comparatur. 34.b
Voluntatis obiectum est bonum vniuersale in prædicando & in essendo. 40.a
Voluntatis & intellectus proportio. 83.a.b
Voluntas potest necessitari à Deo in actibus elicitis, vt velit, vt amet. 133.b
Voluntas potest impediri à Deo ne prodeat in actũ ad quem naturaliter inclinabatur. ibidem.
Voluntati intensiue amanti aliquod obiectum potest Deus infundere odium eiusdem, & vice versa. 134.a
Voluntas aliquo modo cogi potest. ibidem.
Voluntas est libera formaliter. 127.b
Voluntatis actus circa finem tres sunt, velle, intendere, frui. 153.a
Voluntatis actus in vniuersum vel est finis, vel mediorum. 154.a.b

Voluntas semper fertur in bonum. 155.a. 156.a.b.
Voluntatis obiectum est bonum. 156.b
Voluntas non est deterioris conditionis quam appetitus naturalis. ibidem.a
Voluntatis obiectum quomodo semper est verum bonum 159.a
Voluntas fertur in finem, & in ea quæ sunt ad finē. 159.a
Voluntas vt nominat actum est tantum finis. 159.b
Voluntatis & electionis differentia. ibidem.
Voluntas fertur in media propter finem vnico actu. 160.a
Voluntatis actus quo fertur in finem, aliquando tempore antecedit actum quo fertur in media, aliquãdo verò non. 160.b
Voluntas quantum ad exercitium & se ipsam mouet, & cæteras potentias. 163.a.164.b 165 a.253.a
Voluntas quantum ad specificationem & determinationem sui actus mouetur ab intellectu. 163.b
Voluntas non mouet intellectum in omnibus operibus suis. 164.a.b
Voluntas mouet intellectum & cæteras potentias in omnibus operibus quæ conueniunt homini, quatenus homo est. 164.a.b
Voluntas in omine est sicut Rex in regno. 164.b
Voluntatem in omnibus operibus suis se habere passiue, vt quoddam delirium reijcitur. 166.a
Voluntas non mouetur ex sola apprehensione, sed necessario sequitur iudicium. 168.b
Voluntas mouetur ex solo iudicio practico per imperium intellectus. 169.a
Voluntas mouetur ab appetitu sensitiuo ex parte obiecti. 170.a.& sequentibus.
Voluntas tripliciter mouet appetitum sensitiuum. 170.b.& sequentibus.
Voluntas mouet seipsam in electione mediorum. 172.b.173 a.174.b
Voluntas cum vult finem non mouet seipsam. 173.a
Voluntas cum vult finem mouetur ex instinctu Dei mouentis. 175.a.b.177.a.b
Voluntas producit efficienter volitionem finis. 175.a
Voluntas fertur naturaliter in bonum in communi, & in vltimum finem, & in omnia bona quæ conueniunt homini secundum naturam suam. 193.b 194.b
Voluntas vt natura & vt voluntas in modo operandi consideratur. 195.b
Voluntas quantum ad specificationem ab aliquo obiecto necessario moueri poterit, non autem quantum ad exercitium. 196.b
Voluntas beatorum quare necessitatur etiam quantũ ad exercitium. 197.a
Volũtas in motibus subitis vnde necessitatur. 201.a
Voluntas aliquando indiget speciali Dei auxilio ad vincendam passionem appetitus. 202.b
Voluntas non mouetur à bono apprehenso tantum per sensum. 203.a
Voluntas à Deo non mouetur necessario, sed libere. 203.b
Voluntas pro instanti quo vult non necessario, sed libere vult. 207.a.b
Voluntas directè non mouetur à corpore cœlesti, bene tamen indirectè ex parte obiecti. 218.b
Voluntas à solo Deo mouetur quantum ad exercitiũ sicut à principio exrinseco. 191.a.192.a.b
Voluntas circa finem tripliciter se habet. 220.b
Voluntatis & appetitus brutorum conuenientia & differentia. 227.b
Voluntas est de re impossibili ex quadam præsuppositione. 231.b
Voluntas conditionata potest esse de re omnino impossibili. 232.a
Voluntas absoluta & conditionata quomodo differant. 234.b
Voluntatis efficacis & inefficacis discrimen. 235.a
Voluntas aliquando necessitatur ad electionem medij. 235.b
Voluntas discordans à ratione errante mala est. 299.b
Voluntas humana vt vera sit debet conformari diuinæ voluntati in volito formaliter non autem materialiter. 326.a.b
Voluntas nostra an se habeat tantum vt mota quando Deus illam mouet ad aliquem interiorem actũ. 1043.a & sequentibus.
Voluntas Dei duplex, signi & beneplaciti. 317.b
Voluntas conformari debet diuinæ voluntati in volito formali. 318.a.b
Voluntas quomodo non conformari debeat diuinæ voluntati in volito materiali. 319.a.b
Voluntas diuina quo in sensu sit lex æterna. 320.b
Voluntas vt bona sit non sufficit quod conformetur diuinæ voluntati in volito materialiter nisi adsit debita circunstantia. 321.b
Voluntas moriendi pro Christo si non adest facultas tam bona est sicut martyrium. 331.b
Voluntas pro facto reputatur quantum ad præmium essentiale, non autem quantum ad alias vtilitates. 332.b
Voluntas perfecta quæ sit. 333.b
Voluntatis perfectio duplex, naturalis & moralis. ibidem.
Voluntas est animi gubernatrix & rectrix, & velut primum mobile. 388.a
Voluntas non essendi quomodo intelligatur. 405.b
Voluntas est subiectum habitus. 483.b
Voluntas non indiget habitu respectu proprij boni sed respectu alieni. ibidem
Voluntas propriè est virtutis subiectum. 527.a.b

Voluntas in ordine ad proprium bonum sibi proportionatum non indiget virtute; bene tamen in ordine ad proprium bonum secundum excellentiam. 528.a

Voluntas non est naturaliter inclinata respectu cuiuslibet obiecti boni. 529.a.b

Voluntas & ratio tenentur regere appetitum sensitiuum sicut & exteriora membra. 670.a

Voluntas habet actus naturales & semiplene liberos. 678.b

Voluntas quare dicatur causa per accidens peccati & deficiens causa. 684.a

Voluntas sola causa peccati quantum ad exercitium. 685.b

Voluntatem humanam diuinæ anteponere rebellio quædam est. 781.b

Voluntas Dei beneplaciti semper adimpletur. 842.b

Voluntas diuina an legi æternæ subdatur. 849.b

¶ Voluptas.

Voluptas quid sit. 415.a

Voluptas sensus est malorum plurium radix & origo. 418.b. & sequentibus.

¶ Votum.

Voti obligatio in tertiam personam non transit ratione voti, potest tamen trãsire ratione statuti vel consuetudinis. 825.b

Votum pœnale si fiat sub disiunctione & frangatur, non constituit fractorem voti, secus si fiat absolute. 877.a

¶ Vsus.

Vsus duplex, actiuus & passiuus. 248.b

Vsus aliquando præcedit electionem, aliquando subsequitur. 250.a

Vsus distinguitur ab electione. 250.b

Vti proprie est actus voluntatis. 248.a

Vti non conuenit brutis. 248.b

Vti non est vltimus finis. 249.a

Vti fruendis quid sit. ibidem

Vti Deo in nostrum commodum quomodo intelligatur. 250.a

Vulnera quæ ex peccato Adæ proueniunt. 768.a.b

Y

Ypsilon literæ Pythagoricæ expositio. 813.b

Z

¶ Zelus.

Zelotes quare dicatur Deus. 394.a

Zelus dupliciter sumitur, formaliter & causaliter. 394.b

Zelus aliter est in amore amicitiæ, aliter in amore cõcupiscentiæ. 395.a

Zelus & zelotypia quomodo differant. 395.a

Zelus quomodo conueniat Deo. 395.b

Zenonis argumentum ad probandum nõ esse motum inualidum est & nugatorium. 210.a

Zopyri sententia circa Socratis inclinationem. 189.b

FINIS INDICIS RERVM.

Regestum seu series chartarum huius voluminis.

A.B.C.D.E.F.G.H.I.K.L.M.N.O.P.Q.R.S.T.V.X.Y.Z. Aa.Bb.Cc.Dd.Ee.Ff.Gg.Hh.Ii.Kk. Ll.Mm.Nn.Oo.Pp.Q q.Rr.Ss.Tt.Vv.Xx.Yy.Zz. Aaa.Bbb.Ccc.Ddd.Eee.Fff.Ggg.Hhh.Iii. Kkk.Lll.Mmm.Nnn.Ooo.Ppp.Q qq.Rrr.Sss.Ttt.Vvv.Xxx.Yyy.Zzz.Aaaa.Bbbb.Cccc.Dddd. Eeee. Omnes sunt quaterniones præter Q q.&*.terniones, & Bbbb.quinionem.

SALMANTICAE

Typis hæredum Mathiæ Gastij.

M. D. LXXVIII.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA - PALERMO

ERRATA.

PAg.22.a iudicium,legatur indicium.pag.34 a effectum,lege affectum.pag 36.b.83.q.4.31.lege q. 31 pa. 42.a homini dediſſet,lege homini non dediſſet.pag.58.a viſibiliter multiplica,lege viſibiles.pag.175. a ad 8.& 5.concluſionem,lege ad 8.contra 5.pag.187.a præcedentibuscunctis,lege prædicentibus.pag.256. a. mouet ſeipſo,lege ſeipſum pag.257.a propter imperium,lege præter.276.a ex differentia eſſentialis, lege vt differentia pag.493.b ex cuius executione,lege exercitatione.pag 498.a Duran 1.d.17.q.3.lege q.8. pa. 512.b ad habitus ſimiles,lege ad actus.pag.544.b adhuc habente,lege habent.pag.609.a ſeptenario plenitudinem,lege ſeptenario ſignificari plenitudinem.pag.625.b mihi probatur,lege improbatur pag 667.a ſenſitiuum & intellectiuum.lege & intellectum.pag.708.a Nam quærit bonum,lege non quia pag 873.a Ergo omnes leges naturales,lege leges humanę.pag.890.b canone 16.de refor.lege capite 6.pag.1119. habentur virtutem,lege habent.

25

Sonto das 546.





ius.§.eũ.j.ti … net istã sol.¶ Op.j.ti.j.l.Mę … a prin.Sol.gl.remittedo se adibi no.¶ Ad scđm opp. … vr q grauat⁹ in specie generaliter non teneat ad totũ, sed … ro hæreditaria portiõe, vt ſ.eo.l.ſi fundũ.§.ſi libert⁹. Sol.ſe cundũ Iac.de Are.ibi in actiõe reali, hic in personali. Põt em̃ … re aliena qs actiõe personali teneri. Vel dic scđm eũdẽ: qa ibi testator grauauit quosdã sub nominibus appellatiuis: hic propriis. Tu dic q ibi fuit grauatus vnus in specie hæreditaria: hic v… in re propria ipsius hæredis. vnde teneť hæres in solidũ … cit Dyn.hic,& Gul.in l.auus.de pact.& gl.innuit in d.l.M… aius.§.eum.j.tit.j.Sed contra hoc videť j.eodẽ §.ſi fundum. Ideo dic q vna species legať semel tãtũ ab oĩbus he… redibus:& ita loqtur §.ſi fundus. Aut legať semel tãtũ ab vno hærede,& dic vt dixi in d.l.ſi fundũ.§.ſi libertus. Aut legať pluries à diuersis hæredibus:& tũc aut fuit dictũ q quilibet insolidũ teneret aut non:patet exp̃dictis.¶ † Ad tertiũ op. & vr̃ q licet vnus soluat res possit vendicari ꝑ partibus aliorũ, vt d.l.Mæuius.§.eũ.j.ti.j.Sol.ille.§.legť duob⁹ modis. Primò prout intelligiť in re q̃ erat vnius ex hæredibus. expone ibi tex.ab omnibus nõ quærere, i.à nullis quærere scđm Dy. & cõcordãt cũ ista. Sed prout intelligiť ꝑ re hæreditaria, apparet sol.qa ibi fuit legata res vnius ex hæredibus. vnde pro parte aliorũ nõ potest transire dominium in legatarium vnde solutione facta de æstimatiõe alĳ liberãtur, vt hic, sed ibi fuit legata res hæreditaria. Vnde si vnus soluit æstimationem nõ impedit quin pro partibus aliorum transeat dominium: & sic legatarius poterit vendicare. Ille ergo qui soluit protinus æstimationem repetet partẽ illorum tanquam indebitam, vt ibi videbitis.¶ † Quęro an hæres specialiter obligatus si soluit habeat regressum contra alios hæredes? Rñ. in casu huius §.qñ reperiunť alĳ specialiter grauati: tũc habet regressum cõtra eos, sed qñ alĳ non sunt grauati: tũc secus. imò plus: qa qñ esset res hæreditaria eo casu quo teneret insolidũ, solus deberet partẽ redimere à cohæredibus, vt l.cùm quasi.§.ſi plures. de fideicom.liber.

SVMMARIVM.

☞ Dominium rei legatæ q trãseat verè à die aditæ hęreditatis, fictè à tempore mortis.

Dominium rei legatæ sub cõditione quòd fit legatarĳ à tempore existentis conditionis post mortem testatoris, & post aditam hęreditatem.

Acquisita per seruum legatũ ante mortem testatoris quando debeantur legatario.

Cùm seruus. Rei legatæ verè dominium transit ab adita hæreditate: & eodem modo debentur quæ rei legatæ accedunt. h.d. ¶ Not.tex.ibi, vel hæredis, ad id quod j.dicam.¶ † Op.q legatarĳ dicuntur, domini à tempore mortis, vt l.à Titio.de fur.& l.ſed ſi damnum.§.j.& ſ.de pec.Sol.dicit gl.illud scđm fictionẽ, istud scđm veritatem. Dic clarius vt ex hoc textu colligitur, si quidem legatarius repudiat, nunq̃ videtur fuisse suum. vt dicit hic, & in d.l.seruum filĳ.§.j.ſ.eo. Vbi verò legatarius acceptat à tempore mortis dicitur fuisse suum scđm fictionẽ, vt l.à Titio.j.de fur.& d.l.ſed ſi damnum.§.j. A tempore aditæ hæreditatis fuit suus verè, vt hic: tamẽ reuocabiliter: qa poterat repudiare à tempore acceptationis, verè vt hic,& no.in l.ſi quis ita ſ.de cond.inſt. Et hoc est verum in re legata purè. Nã si est relicta sub conditione si quidem conditio extitit ante aditam hæreditatem,& post mortẽ testatoris: est idẽ quod supra. sed post mortem † testatoris,& post aditam hæreditatẽ: tunc est legatarĳ à tempore existentis conditionis, nec fugitur retro sua à tempore mortis, vt l.j.§.ſerui.ſ.ad Sylla.& j.eo.l.legatum.§.ſi.& hoc sentit gl.hic super verb.in suspenſo.¶ Oppo.j.eo.l.quæſitũ.§.pe.Sol.ea quę ser⁹ † quærit ante mortẽ testatoris sine dubio nõ pertinẽt ad legatariũ, vt in contrario. Sed in his quæ quærit post mortẽ, dic aut fuit legata res aliena: & non debetur legatario, nisi à tempore mortis. Idẽ in fructibus ex

Studius. … potest conuenire hæres, … ria portione, etiã si insolidũ rem possideat. h.d. ¶ Opp.ſ.ea.l.§.j. Solue vt ibi dixi. ¶ Opo. rei legatæ … ansit dñiũ in legatariũ, vt ſ.proxi.§.ergo si possidet, põt … eniri insolidum, vt l.ĳ.in fi.de præto.stip. Sol.ſi transiret dom… cõtrariũ esset verum. Sed hic legata fuit res hæredis, nõ testant… ideo nõ trãſit dniũ hic, sed agendũ est actione personali quæ nõ põt dari, 2 nisi pro hęreditarĳs portionibus, vt hic: ergo hic † est casus si legatur res hęredis non trãsit dominiũ in legatarium, vt dixi in l.ſi hęredis seruus.ſ.eo.¶ Oppo.q teneatur solus ille cuius est res, vt l.fideicõmissaria.§.ĳ.j.de fideicõ.liber.sol. Ibi testator putabat rem esse hęreditariã qñ noluit cohęredes grauare, vt redimãt: hic sciebat esse vnius ex hæredibus. ¶ Opp.q etiam actione personali possit possidens insolidũ conueniri, vt l.ĳ. §.hæres.ſ.commo.Sol.patet ex his quæ ibi dixi,& in l.ĳ.§. Cato, in ĳ.opp.j.de ver.ob.

Valet. Dicit idẽ quod l.ſi domus.§.fi.in fi.ſ.eod. ideo dic vt ibi.

SVMMARIVM.

1 ☞ Hęres cui est factum prælegatum, quando sit q illud non consequatur.

Filio pater. Suus vel emãcipatus si se abſtinet prælegatũ in totũ consequitur, nisi testator aliud voluerit, vel prælegata loco hęreditatis posuerit. h.d. vsq; ad l.quęsitũ. In l.nã nec in tex.ibi, prætor enim.dicit Dy.q ꝑbat rectã esse similitudinẽ inter filiũ emancipatũ,& in ptate patris existentẽ.¶ Opp.de l.miles. §.pro parte.j.ti.j.Sol.gl.ibi priuatur hæreditate ꝑ oriẽdo: hic repudiando.& assigna.rõnem quã vide: qa primo casu conditio prælegati nõ existit eo viuo, sed secũdo casu sic. Et hæc est vera sol.licet gl.ponat alias sol.sed istã tene.¶ Sed contra hoc opp.si inest tacita conditio si repudiauerit: ergo non impedit transmissionẽ, vt l.cõditiones extrinsecus.de cõd.& de.Solu. hæc est cõditio tacita depẽdens ex volũtate legatarĳ, aliàs secus.dicã in l.cõtraria.¶ Op.de dol.excep.l.fi.§.fi.Sol.ibi legatum habebat in se aliã conditionẽ q̃ istam, si hæres nõ erit: qa conditio appositain institutione videbatur repetita in legato.¶ Opp.de l.ſi patroni.§.quid ergo.ac … Treb.Soluit Dyn.q ibi fuit filius solus institutus, vnde repud… undo impugnat defuncti iudicium. hic habebat cohæredem … nde repudiãdo defuncti volũtatẽ nõ impugnat, vt hac l.filio.in fi.& l.quæsitũ. de acqui.hæred.& l.ita tñ.§.q suspectã, ad Treb. Ex his distingue, † aut hæres cui est aliquid prælegat… est exclusus morte, 1 & nõ cõsequiť p̃legatum pro parte sua. vt l.miles. §.pro parte.j.ti.j. Aut est exclusus conditionis defectũ.&idẽ, vt l.fi.de do.exce.§.fi.aliàs j.ti.j. Aut est exclusus repudiatione: & tũc aut cõstat de voluntate testatoris tacita vel expressa: & ſtam⁹ ei, vt dictis legibus. Aut dubitať:& tunc aut fuit institutus solus: aut cum alio, vt patet ex p… edictis.

SVMMARIVM.

1 ☞ Aequiparatio sui & emancipati procedit qñ suo hoc est vtile, vt existẽtia sui hæredis nil operet,& propter beneficium abstinendi, nu.4.

2 In suo hærede an sit medium inter mortem & aditionem. remissiuè.

3 Suus & necessaius an in dubio p̃sumať immiscere. remissiuè.

Nam nec. Opp.qa in multis existẽtia sui hæredis etiã hodie aliqd operatur, vt l.apud hostes.de suis & legi.l.filius.& l.Iulianus.ſ.de acq.hæ.Sol.†. Ista æquiparatio sui, & 1 emancipati procedit: quãdo suo: hoc est vtile vt existẽtia sui hęredis nil operetur. secus si ei esset damnosum vt in cõtrarĳs. Probatur in l.ſi filius qui patri.in prin.ſ.de vulg.& pupil.ibi 2 dixi.¶ † Quęrit Dyn.an inter mortem & aditionem sit medium in hęrede suo. De quo sunt glosſę varię. dixi in l.fin.su- 3 pra de condit.institu. Item quæritur † an suus & necessarius in dubio præsumatur immiscere. dic vt dicam in l.filius.& l.

tiũ casum pot.it ipse,qñ legat hæredi à seipso tunc: qa legatũ est inutile mista consyderatione legatarij. & eius à quo relinquitur, nõ facit partẽ. Hoc intellige vt dixi š. Quart⁹ casus, est scđm eũ,qñ lega[illegible] est inutile mista cõsyderatione legãtis & eius cui relinquitur: vt si relinquit seruo proprio: & tũc nõ facit partẽ: vt d.l. planè.§.si coniunctim. Ista regula nõ est vera. nisi in casu illius §.si cõiunctim. qa seru⁹ de ætate admittit. Sed pone q relinqt tibi & filio suo spurio. Certè qa spuri⁹ nulla ætate admittit & hoc mista ratione legantis, & legatarij: qa põt spurio legari à quocũq; alio q̃ tercẽ; à patre, & pater potest legare cuicunq; alij q̃ spurio, vt in aut. quib. mo. natu. effi. sui.§.pe. & ibi no. & Azo i summa. C. de na. lib. Certè iste spurius non facit partem: qa legatum est pro nõ scriptum: vt l. lucius.§.j.j.eo. & ibi dicam. ¶ Vltimò gl. signat quædam cõtraria,quæ examinabo in l. re coniuncti. j. de le. iij. vlt. q.

SVMMARIVM.

1 ☞ Eligere. qui habet ex vltima voluntate, non potest variare: secus si per stipulationem.

2 Vltima voluntas debet esse in pendenti.

1 **Stichum.** Ei. qui habet electionẽ †ex vltima voluntate variare non licet. h. d. ¶ Oppo. de l. si quis stipulatus. in prin. de ver. obl. Gl. ponit plures solu. Tene illã: aliud in stipulationibus: aliud in legatis. Ratio qa in legatis facta electione statim ius facit executionem: qa trãsit dominium in legatarium: vt l. apud Ausidiũ. j. de ope. leg. Ista ratio est bona, qñ legatur res testatoris, sed si legat res aliena, dic

2 rationẽ: qa vltimæ † volũtates nõ debẽt esse in pendẽti: [a] vt l.

a fi. in fi. š. cõia prędi. Gl. signat contraria, & nõ soluit ibi in l. iij. §. pe. de sepul. vio. Solue, q ibi non erat alij ius quæsitũ efficaciter: quia pœnituerat. Dy. vel istud fauore vltimę volũtatis. Sequitur in gl. š. depo. l. j. §. pe. Solue prout no. C. de act. et ob. l. sicut. Dy. & ibi meli⁹. Cy. sequitur in gl. eum qui certarum. §. j. &c. Solue prout responsum fuit ad primum contrarium.

SVMMARIVM.

1 ☞ Existens in fuga, videtur esse in loco, à quo recessit.

2 Repręsaliæ concessæ contra ciues, videntur concessæ contra ciues bannitos. & re[illegible] nisi siuè.

1 **Legatum.** Qui est †in fuga, videt esse in loco, à quo

2 recessit. hoc dicit. Facit ad q. † vtrum repræsaliæ concessæ contra ciues ciuitatis, possint exerceri contra exbannitos ciues illius ciuitatis. Et hic videtur q sic: quia

b si sunt in fuga, [b] videntur esse in loco vnde aufugerunt. qđ dic

c vt in tracta. meo rep[illegible]æsaliarum. in vñ. q. princ. [c]

Si Titio. Si vna ex rebus alternatiuè legatis à testatore donatur: alia in legato remanet. h. d. Not. ex prin. §. q si testator dat illud quod hæres dãdo liberaretur, non contingit liberatio, scđm Dy. Opp. Dy. j. titu. j. l. lucius. So. testator dedit totu[illegible] od legauit: hic vnam partem.

SVMMARIVM.

1 ☞ Coniunctio verbalis non inducit ius accrescendi in rebus prorsus diuersis.

2 Filiabus institutis in centum pro qualibet ius accrescẽdi inter eas non habet locum.

1 **Quibus ita.** Coniunctio † verbalis nõ inducit ius

2 accrescendi in rebus prorsus diuersis. hoc dicit & pluries vidi de facto. ¶ † Testator instituit filias

d suas in centum pro qualibet. [d] Certè inter eas non est locus iuri accrescendi: quia separata quantitas assignatur cuilibet: vt l. j. in prin. š. de vsufruct. accres. & l. ñ. in prin. ff. qui. mo. vsusfructu. amit. dixi in l. re coniuncti. j. ti. ij.

SVMMARIVM.

1 ☞ Quando plures habentes idem ius discordant quando cogantur concordare: & quis ex eis præferatur.

e **Si is cui.** Plures simul venientes ad legatum, concordare coguntur qua actione agant. [e] secus si veniant separatim. hoc dicit cum l. seq. Tex. ibi: peruenire ad petitionem rei, vt not. per Cy. C. cõmunia de leg. l. fi. in princ.

[illegible] mu. de leg.

SVMMARIVM.

1 ☞ Testator legans rẽ suam obligatã, vel hæredis, vel [illegible] in quo videat voluisse grauare hæredem.

2 Legatũ rei alienæ factũ ab ignorante, non debet, nisi fuerit [illegible] ctum coniunctæ personæ.

3 Legans pignus nõ videtur remittere debitũ. secus in legante chirographum.

4 Legatum rei pignoratæ quando debe[illegible]tur.

5 Libellus quomodo concipiat quando petitur leg[illegible] factum de re pignorata.

Si tibi. Sires mea pignorata mihi [illegible]gatur ab extraneo, tenet hæres soluendo pig[illegible] liberare. h. d. ¶ Opp. res mea nõ potest mihi legari, vt l. proprias. C. eo. Sol. hic erat mea, sed [illegible]lij obligata. ¶ Opp. q hæres nõ teneat soluere alij debitũ, vt l. j. j. de lib. leg. Glo. dicit q ibi legauit creditor qui habebat rem obligatam: hic alius. Hoc tenet Dy. & est verũ. Rõ qñ aliquis habet rẽ obligatã, est verisimile q nõ liberaret eam nisi solutione: ideo testator videt grauare hæredem vt soluat, vt hic. Sed quãdo ipsemet habet rem obligatã, videt grauare hæredem in hæreditate sua, inquantũ minus potest, vt sufficiat liberare pignus remante actione personali. ¶ Pro declarãda ista lege dic

1 † quandoq; testator legat rem suã obligatã: & tunc dic vt l. si res. & l. si seruus Titij. š. eo. Qñq; testator legat rẽ meã obligatam alteri: & tunc aut est extraneus qui legat, & videt grauare hæredẽ, vt luat. vt hic, in eo quod tex. dicit, luatur. quod fit in æstimatione debiti principalis. C. de lui. pig. per totũ. Quãdoq; legat ipse testator qui habet rem obligatã: & tũc sufficit c q hæres liberet remanẽte personali obligatione, vt l. j. de lib. leg. quod intelligo nisi res esset obligata pro tanto q verisimiliter ea dimittebat: tunc enim videtur relinquere quasi propriã, vt l. qui habebat. in prin. j. tit. ij. Et prędicta omnia intelli

2 ge † qñ testator sciebat rẽ alienã esse. Si enim putaret suam, nõ valeret legatũ, nisi factum esset cõiunctæ personæ, vt l. cũ rẽ alienã. C. e. Qñq; legat qs rẽ alienã, & obligatã, non legatarij: & tunc sine dubio hæres tenet luere: quia tenet de euictiõe, vt l. si domus. §. de euictione. & q đ ibi not. š. eo. & d. l. cũ rẽ alienam. ¶ Opp. † de l. seruũ. §. eũ qui chirographũ. š. eodẽ. Sol. Aliud in legato chirographi: aliud in legato pignoris. & vna ratio redditur š. de pact. l. ij. Dic rõnẽ quia legãdo pign⁹, q đ est accessorium, non sequit remissio debiti, quod est principale,

4 vt l. ex pupillari. š. de vul. & pup. ¶ † Sed nunquid hoc est ve c rum, siue testator sciuerit, siue ignorauerit rem pignoratã? Et dico si quidẽ sciuit non est dubium. Idem si crederet alienam multò magis: quia hæres tenet de euictione. Sed co casu quo credidit rem alienã: tñ ignorabat pignoratã esse: tũc credo q legatũ non valet: qa debemus respicere quod testator cogitauit, vt l. quo loco. š. de hæred. institu. & l. in conditionibus. in prin. de cond. & de. & l. seruo manumisso. š. de cõdict. indebi. ¶ Oppo. j. tit. j. l. Mæuius. §. pe. Sol. ibi plenè. licet gl. hic non

5 soluat. Vltimò nota † q in casu huius legis in libello directò peteretur hæredem condemnari quòd pignus luat, vt hic. quod nota.

SVMMARIVM.

1 ☞ Eadem res à pluribus vni relicta separatim, semel tantũ debetur ab omnibus. secus si testator expressit q quilibet [illegible] solidum teneatur. nu. 4.

2 Quando vnus ex pluribus hæredibus grauat in certa specie simpliciter, ille in solidũ tenetur. & nu. 5.

3 Quis pro re aliena potest actione personali teneri.

5 Quando vnus ex pluribus hæredibus grauat in specie hæreditaria: tunc tenetur pro hæreditaria portione.

6 Solutio æstimatiõis rei legatæ factæ ab vno ex hæredib⁹ oẽs alios ipso iure liberat. nu. 3.

7 Hæres specialiter obligatus si soluit habet regressum contra alios hæredes, quando sunt grauati.

Ista opinio reprobatur, vt hic per Ias. in iij. col. in prin.

…pia …ba d… …ia n… …r-
…h. †Not.q… …tribetis.
…sic v… …dē pœna … …statoris, si ea
… testō, nō valēt. ¶ Opp. de l. his ver-
…inst. Sol. … Ibi stetit in genere male
… escēdit ad speciē: qđ est notandū, vt ĵ.
… de l. & si pepercerit. §. j. de li. & post-
Sol… bi in exhæredādo cōgruūt v… ba maledi
onis: qa est priuatio: ideo nō vitiat, … tibi: sed le
o nō cōgruūt. Facit l. quoties. §. si quis nomē.
quod ibi no. ſ. de hæred. instī. ¶ Ista … aciunt † ad
statutū est hic, q̄ si q̄s diffamauerit aliquē de ali
o maleficio, puniat̄ certa pœna. Primo quærit
id si hoc dictū, diffamauerit. videt̄ q̄ importat,
… fama posuerit. secūdum hoc qui accu… at de dif
… natione, debet probare tm̄ esse dictū … aliquē,
hoc talis insurrexit fama. Veritas est q̄ infama
dicit̄, qui pronunciat aliquod verbū, qđ infa-
… alicuius cōtinet: vt hic, ibi: quæ denotādi. & l.
apud Labeonē. §. si q̄s libello. de iniur. & l. lex
rnelia. §. fi. cū l. seq. c. tit. C. de famo. li. j. facit
ffamari. de inge. man. ¶ † Sed dō dubita… quō in
igit̄ diffamare de maleficio? Rñ. nō … ceret,
aret in genere maledictiōis: vt dicendo ipsum
bium, & pessimū hominē, & simi…a: nec requi-
r q̄ de aliquo … nūciet maleficiū ita limitatè,
t dicit̄ in l. libellorū. de accus. ſ. d sufficit q̄ di-
it fecisse homicidiū, vel furtū, & si…a, vt hac l.
… no. in d. l. quoties. & probat̄ in l. denūciasse.
de adul. ¶ Not. etiā q̄ † videt̄ iniuria, [b] & infamia
icui dicatur, tu es spurius, & ex monacho nat⁹:
hic.

i Titiæ. [c] Defectus conditionis inuali-
dæ nō vitiat legatum h. dicit.
Oppo. C. de instī. & substit. l. j. de condi. inser. l. le
um. Solu. Hęc conditio ab initio fuit inualida.
od nota.

ed & si serui. Si conditio potestati-
ua deficiat per casum
n perimitur legatum. h. d. ¶ Oppo. de condi. &
mon. l. penul. §. j. Sol. hic decesit ante moram:
post. ¶ Opp. ad legem Aquil. l. inde Neratius.
Sol. hic decesit casu: ibi fuit occisus per alium
o testatore. Dicit gl. imò vult dicere, vt ibi pa-
eo mortuo. De ista materia plene p̄ doc. & gl.
j. C. de institu. & substit. & l. in testamento. ĵ.
condi. & demon. & ibi gloss. & ibi dicemus.

…sil. l. incipi. stante statuto ciuitatis vincētiæ.
…gula hui⁹ l. vide Ias. cī. l. testādi. ad fi. C. đ test.
…mo pōt. in prin. Adde in materia auferendi, q̄
…atū lege diuina, secundū Io. And. & alios ī c. li
poterat auferre prīogenito, vt ali⁹ fili⁹ p̄cedat.
ī princ. ĵ. dub. in ĵ. vo. Q đ itellige, nisi primo-
l. ī aut. hoc ampli⁹. ī ĵ. col. C. de fideic. & ī … pœ.
s remaneret pones primogenitū, & adminiſtra
nū gradū. de sup. ne. p̄la. li. vj. c. fi. & vide Alex.
…atis viri⁹ testamēti. in vlt. dub. in ĵ. vol. & vi
… de bo. ma.
…tum. Alexand. tangit an legatus de latere pof
…riè simpliciter, &c. Angel. consilio. cclxxxj. &
…t quem restituere ad appellandum, per eundē

rentiā, vt distinguat̄, ai relinquat̄ …
2 to. de sta. lib. ¶ Sed ha… verior. probaī
ro quid si testator dicit, ab … bus q…
nominauerit. Gl. in d. l. … cit q…
…latiua: & istud est verū. Casus est in l. scte
Vltramontani & Cy. cōtra. C. de impa…
3 cius, ĵ. tit. j. & ibi dicā. ¶ Quæro † qd si nor
partim per nomina appellatiua? Dic q̄ no
tur in viriles, quæ eos tangūt. Alĵ tenebi
d vt no. ĵ. de sta. lib. l. si qs testō. secundū vnā
4 eos p̄ noīa appellatiua nō significātia h…
vel à fratrib⁹ meis, & similibus? Videt̄ q…
stratio habeat vim … ppriī noīs: vt l. nor…
minatim. de cōdi. & demō. In cōtrariū …
5 cius. 9. Męuia filiū. ad Tre. ¶ Vltimò ac…
re nominatim. Nā largo modo dicit̄ reli…
à quo relinquit̄. vt l. nominatim. ĵ. tit. iī
nominibus propriīs & appellatiuis: ita …
enim dicit̄ nominatim, quod relinquit̄ p…
meis: vt l. Titius. in prin. ſ. de lib. & post
hæredib⁹ meis: vt hic. vel dominis meis:
pu. seruo. sed solùm nominatio, quæ fit …
ad viriles: vt hic.

SVMMA.

1 ☞ Testator non potest prohibere q̄ sc…
in eius testamento.
2 Priuati non possunt tollere solennitate…
Statutum potest facere, ne leges habeā…
3 Cautio de vtēdo & fruēdo arbitrio bo…
4 Testator potest prohibere detraction…
Ratio quare fuit inducta Falcidia.
5 Testametum, in quo prohibita est Fal…
reditatem. & sic est casus, in quo test…
6 Iustinianus fuit catholicus.
7 Trebellianica detrahitur contra volu…
8 Testator non potest prohibere q̄ test…
tuto q̄ debeat insinuari.
Testator nec partes possunt tollere i…
9 Testator potest facere ne bona sint…
10 Legatarius q̄ possit propria auth…
stator hoc mandat. vide tamen re…
11 Renunciatio facta de exceptione …
non teneat.
Practica opponendi exceptionem …
12 Testator potest remittere tutori…
Iudex potest non sequi voluntat…
ctionem inuentarij.
13 Pactum q̄ liceat appellari à sente…
in quibus non oritur actio. 16.
14 Casus, in quibus de iure comm…
15 Stante statuto q̄ ex sīa arbitri …
16 Obligatio in nobis imprimitur.
17 Testamentum non solenne pro…
18 Possidens sine vitio rem sibi in…
est exceptione: sed ad eam non l…
19 Pactum q̄ seruituti, quā habeo …
20 Vsuscapio & præscriptio indu…
21 Præscriptio potest pacto inter…
22 Renūciari q̄ nō possit statuto d…
Cautela vt actio tempore non …
23 Obligatio si præscribatur an r…
24 Hæres iussus à testatore præst…
loco congruo conueniri.

c ☞ Emo pote…

…filo. de … pup. Licet
…liis sub. l. fi. & l. Lucius. §. Lu
…ino partim per nomina … ppria,
…minati p̄ noīa propria tenebun
…itur in hæreditarias portiones:
…opi. ¶ Quero [d] qd si † appellauit
…reditatē, sed dixit, à filiis meis,
…neant̄ in viriles: cū talis demō…
…nati. de libe. & posthu. & l. si no…
… p̄ hæreditariis, est casus in l. Lu…
…crte, † q̄d est hoc dictū relinque
…iqui nominatim, q̄cūq; apparet
Sed sicut ista vox, nomē, cōgruit
oc aduerbium nominatim. Q̄ñq;
…r noīa appellatiua: vt si dico, filiis
…. & l. Luci⁹. §. Mæuia. Idē si dico
…t l. si seruus communis ita de sti-
…er nomina propria vocat aliquē

…RIVM.

…nnitas legum nō habeat locum

…uris in testamento.
… locum in testamentis.
… viri, nō pōt tolli per testatorem.
…m Falcidia.

…idia, valet, licet hæres nō adeat hę
…entum valet sine aditione.

…tem testatoris.
…entum non … insinuetur stante sta
…e
…ta ad falsit…tem euitandam.
…gatis taci… obligata,
…ngredi re… legatam, quando te
…es.
…t, vel simu…tionis contractus, q̄
…nulatio…
…t… …tarij.
…ciuitentis tutori confe-
…a arbitri, an valeat, etiā in illis casibus
…ni à sententia arbitri oritur actio.
…riatur actio, tunc ab eo potest appellari.
…licut character in anima.
…ducit obligationem naturalem.
…estamento minus solenni relictam, tutus
…habet actionem.
…n fundo tuo, non præscribatur, an valeat.
…cta est … pter bonū publicū principaliter.
…umpi.
…sponētis q̄ debito præscribat̄ p̄ x. annos.
…ollatur.
…maneat naturalis.
…re legatum certo loco, quando posit alio

† [e] Breuis est, nec eget summario, sed de-
…claratione. P… …quit d… ū. Secūdò





F. Bartholomæ
a medina. in. 1.a
2.e D. Thomæ

912